36
10 F
10

Tom. I.

5

BIBLIOTHECA HOMILIARVM ET SERMONVM PRISCORVM ECCLESIÆ PATRVM:

IN QVA EVANGELIORVM, QVÆ TAM IN OFFICIO tempori accommodato, quàm in omnibus Sanctorum feſtis toto anno in Miſſa leguntur, prout in Miſſali decreto Sacroſancti Concilij Tridentini reſtituto habentur, expoſitiones, plurimæque eorundem Patrum de iiſdem conciones continentur, in quatuor partes digeſta:

LAVRENTII CVMDII Itali primùm opera collecta, & poſt eius obitum à Fr. GERARDO MOSANO Dominicano Germano ad finem vſque perducta.

Addita ſunt ad marginem iiſdem auctoribus ſcholia, quæ vel hæreſes noſtri temporis iugulant, vel ſi quid his excidit Patribus, quod minus communi Eccleſiæ conſenſu probatum ſit, modeſte corrigunt.

TOMVS PRIMVS,

Homilias in Euangelia, quæ ſunt à Dominica prima Aduentus vſque ad primum Quadrageſimæ diem, ſermonéſque eidem tempori feſtiſque accommodatos complectens.

LVGDVNI,

EX OFFICINA IVNTARVM.

M. D. LXXXVIII.

Cum priuilegiis Cæſareæ Maieſtatis, ac Chriſtianiſſimi Gallorum Regis.

38. 10 F 10

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO ANTITISTI D. PETRO DEPINAC ARCHIEPISCOPO, ET COMITI LVGDVNENSI, GALliarum Primati,& in ſecretiori regis Chriſtianiſsimi conſilio Senatori, Ioannes Baptiſta Regnauld S. P. D.

MEMORIÆ *proditum eſt, Reuerendißime Antiſtes, Carolum Magnum, eum qui primus ex noſtra Francorum gente Romanorum Imperator eſt appellatus, Alcuino pręceptori ſuo, viro, vt illud ſeculum ferebat, doctißimo pręcepiſſe, vt pręcipuas Sanctorum Patrum Homilias, in vnum volumen, quod etiam nunc adhuc extat, compingeret, collectáſq; eo ordine, quo in Eccleſia legi poſſent, & deberent, ſua auctoritate in templis legendas, explicandáſque proponeret. Simile ſanè deſiderium cùm ante aliquot annos mihi inceßiſſet, tentare volui, num in tanta librorum copia, doctorúmque hominum multitudine, qui iam diuina benignitate noſtro ſeculo reperiuntur, opus aliquod illo Caroli Magni opere vberius copioſiúſque ex noſtra officina prodire poſſet, non quod clarißimi illius quidem viri luminibus officeret, ſed quod pręter illius iam tot ſeculorum ſerie probatam ab omnibus operam, etiam quàm plurimas alias Antiquorum Patrum Homilias ſermonéſque complecteretur. Dedi itaque hanc curam Laurentio Cum-dio (cuius mihi in hoc ſtudij genere ſpectata erat eruditio) vt ex probatißimis antiquorum Doctorum, & ſanctorum Patrum monumentis, omnia ad ſacrorum Euangeliorum, quę toto anni decurſu in auguſto Miſſę ſacrificio, iuxta ordinem in nouo Miſſali Romano, ex ſacroſancti Tridentini Concilij decreto prę ſcriptum leguntur, explanationem facientia decerperet, ſermonéſque ab eiſdem Patribus, diebus totius anni celebrioribus ad populum habitos, quātā fieri poterat diligētia, ſtudio & iudicio coaceruaret, vt ex his omnibus ita ſimul compactis, & in vnum quaſi corpus coagmentatis, BIBLIOTHECA quędam HOMILIARVM ſermonúmque Sanctorum Patrum (quod nomen ei nos libro dedimus) conſtrueretur.*

Fecit ille noſtris votis ſatis: & licet antequam poſſet operi extremam manum adhibere, naturæ illi concedere neceſſe fuerit, nos tamen eo mortuo animum non deſpõdimus, & F. Gerardi Moſani Dominicani Germani opera vſi, tandem Deo propitio opus hoc noſtrum ad optatum portum perduximus. Quo ſanè opere ſic à nobis edito, niſi nos noſtrum fallit iudicium, plurimum ſperamus omnium diuini verbi concionatorum fauorem & gratiam nobis conciliaſſe, cùm quæ illi magnis laboribus ſumptibúſque hinc & inde conquirere cogebantur, ea illis nos veluti ſub vnum oculorum aſpectum ſubiecta ponere, ſimus conati, & quæ illi vix pluribus libris coemptis aggregare poterant, nos eis omnia illa tribus quatuórue voluminibus comprehenſa eis vltrò hac noſtra opera exhibeamus. Non ſum neſcius, clariſſime Antiſtes, multos noſtri temporis doctrina & pietate viros illuſtres, multa opera, Latina & vulgari lingua edidiſſe, quibus illi Catholicorum Concionatorũ labores leuare, ſtudia excitare, ingenia acuere, memoriam adiuuare, facundiam augere, & quod caput eſt, pietatem & zelum accendere voluerunt. Sed & illud omnibus exploratum compertumque eſt, neſcio quid latentis energiæ & efficaciæ in Sanctorum Patrum dictis etiam nunc reſidere, quibus illi quam pietatem viui inter homines in hominum animos concionantes infuderunt, eam iam viuentes cum Deo, dum ab aliquo pio fidelíque concionatore, eorum ſententiæ proferuntur, inſtillare creduntur. Fuerunt nimirum illa Patrum verba iacula ignita, & ardentia, quæ cùm adhuc ardorem ſuum calorémque retineant, etiamſi manu aliqua imbelli & infirma iaciantur, audientium tamen animos penetrant, & eo quo ſuccenſa fuerunt, igne comburunt. Quanto igitur noſtri diuini verbi præcones conſultiùs agent, ſi ex noſtra hac Bibliotheca, quaſi ex publico totius Chriſtianitatis armamentario ſuas conciones depromere maluerint, quàm recentiorum quorundam quantumuis pia & docta ſcripta eiuſdem argumenti euoluere, quæ etiamſi aliqua tempori accommodata contineant, eo ipſo tamen nomine ſuſpecta ſunt, quòd nuper nata maturitatem illam, & grauitatem, quam huiuſmodi opera requirunt, nondum adepta videantur. Fateor equidem eximium illum Prædicatorem Sixtum Senenſem, dum ſuam ſacram Bibliothecam edidit, multùm iis contuliſſe, qui diuini verbi interpretum officio ſiue in ſchola, ſiue apud populum fungi deſiderant, ſed ſi aliud eſt aliquas ſacræ ſcripturæ interpretandæ regulas, aliud ipſam interpretationem tradere; certè hac noſtra Bibliotheca *illi alteri eſt, ſi non anteponenda, ſaltẽ non inferior exiſtimanda, in qua interpretatio illa profertur, quæ ex puriſſimis ſanctorum Patrum fontibus hauſta, ſitim noſtri deſiderij, qua ſacræ Scripturæ intelligentiam appetimus, ita explere poteſt, vt etiam in aliis eam ſimiliter ſedare valeamus. Neque verò minus publicæ vtilitati, alius eiuſdem ordinis doctor inſeruiuit, qui Cõcionatorum Theſaurum miſit*

miſit in publicũ, ex quo ſanè multa, & varia ad concionandum ferè quotidie argumenta peti poſſunt. Sed cùm ſuos ille lectores, vt plurimum, ad libros alios legendos remittat, parum ijs proſpexiſſe viſus eſt, qui cũ haud magna in re ſint, vt ait ille, & nec ampla librorũ ſupellectili inſtructi, auctores, qui ab eo laudãtur, adire nõ poſſunt. Porrò noſtra hæc BIBLIOTHECA quaſi locupletiſsimũ quoddam penuariũ rebus omnibus inſtructa, tam diues eſt & abundãs, vt nihil extra ſe quærere cogatur, ſeque ipſa ſola αὐτάρκης quodãmodo ad cõcionandum eſſe poſsit. Quid, quòd neceſſe fuit, vt tale opus prodiret alicunde, ſi illi qui è ſuperiore loco Euãgelia explicanda ſuſcipiũt, integram ſui iuriſiurandi religionem ſeruare volunt, quantũ & nos ad iſtud opus ſtudioſe edẽdum incitare potuit, & illos ad id ſibi comparandum adigere? Iurant enim illi, ſanctéque promittunt, dum vel officiorum Eccleſiaſticorum adeunt dignitates, vel ad Magiſterij Doctoratúſque gradus in aliqua Catholica vniuerſitate prouehuntur, vt eſt in Catholicæ fidei profeſsionis formula, ſe non aliter ſacram Scripturam interpretaturos, quàm iuxta vnanimem ſanctorum Patrum conſenſum. Hac ergo iuriſiurandi religione, quonam pacto, quæſo, melius liberari poterunt, quàm ſi ſuas ex noſtro hoc penu conciones hauriant, & quodammodo eas ab illis antiquis Patribus præmanſas, in os ſui populi ſtudioſè inſerere curent? Quòd ſi etiam illi vnam vel alteram ſtatis ad concionandum diebus velint Homiliam ſeu concionem decerpere, quam poſtea penè ad verbum ad populum habeant, bene profectò de ſuo populo merebuntur, quem illi ijſdem diuini verbi interpretationibus paſcere curabunt, quibus præclara illa Eccleſiæ lumina oues ſibi creditas nutrire voluerunt. Nec ipſi nouo hoc exemplo facient, cùm legamus quaſdam D. Gregorij magni Homilias, quas ipſe ob ſtomachi infirmitatem habere non poterat, alijs ab eodem fuiſſe dictatas, vt poſtea coram populo in publicis vrbis ſtationibus ab alio recitarentur, & Græciæ Epiſcopos D. Cyrilli Alexandrini conciones memoriæ mandaſſe, quas deinde in ſuorum populorum conuentibus ipſi declamare non erubuerunt.

Hunc igitur præclarũ ſanctorum Patrum laborẽ in vnum iam corpus noſtra opera compactum, clariſsime Antiſtes, iam primũ ex noſtra bibliothecæ officina prodeuntẽ, cui nũcuparem, non diu mihi fuit deliberandum. Cùm enim id quod in manibus eſt opus ab ijs potiſsimum Eccleſiæ Antiſtitibus ſit conflatum, qui pietate inſignes, dignitate illuſtres, facundiáque clari, eruditione præſtantes in toto orbe extiterunt, cui quæſo, illud conſecrari iure potuit, niſi ei Antiſtiti, qui pietate ſingulari, dignitate eximia, eloquentia praclara, multiplici variáque eruditione, omnium iudicio adeò eſt ornatus, vt reliqui omnes Galliæ Antiſtites has omnes illi laudes tribuendas etiam ſuo teſtimonio declararint? Nam cùm in Bleſenſibus totius regni comitijs, te vnum Eccleſiaſtici ordinis nomine

omnes noſtræ Galliæ Antiſtites ad perorandum de toto huius regni ſtatu delegerint, quid aliud ſignificare voluerunt, quàm in te hæc omnia ſumma eſſe, quæ diximus? Quod quidem eorum de te iudicium Chriſtianiſſimi noſtri Regis voluntas comprobauit, qui te in eorum Patrum concilium & ſocietatem aſciuit, qui de ſumma re totius Regni ei deliberanti ſolent adſtare, & quorum potiſſimum conſilio more maiorum ſuorum hoc Regnum ſolitus eſt adminiſtrare. Nec verò ille te hoc vno ſolùm quamuis ampliſſimo honore afficere voluit, ſed cùm ei tua eſſet ſpectata fides, probata integritas, & nota ſapientia, te in citeriorem legauit Britanniam, vt tua potiſſimum opera atque conſilio, grauia populi onera tollerentur, iuſtitia vigeret, pietas conſeruaretur. Quo munere cùm rite perfunctus eſſes, ab eodem ad diſſentientes inter ſe Galliæ principes miſſus, concordiam ſtabiliuiſti, amicitiam conciliaſti, pacem conſtituiſti, qua vna totius noſtræ Galliæ ſalus & religionis integritas eſt conſtituta. Hæc igitur, clariſſime Antiſtes, & multa alia in oculis totius Galliæ à te geſta, me ad hoc opus tibi offerendum inuitare facilè potuerunt: Sunt etiam multa alia, quæ paucis cognita, nobis verò, qui Dei prouidentia à tua prudentia gubernamur, téque pro tua pietate & beneuolentia colimus, ſunt perſpecta, quæ etiamſi alia quæ diximus, nihil nos mouerent, hæc tamen ad hoc faciendum impellere ſuapte vi poſſent. Nam vt prætermittam tuam erga Deum diuináque omnia pietatem, cuius eximium quotidie tuo exemplo vniuerſo tuo gregi præbes incitamentum: & nihil dicam de tua in munere paſtorali ſollicitudine & vigilantia: vt etiam taceam tuum ad omnia virtutum genera complectenda perpetuum & conſtans ab adoleſcentia ſtudium, comitas tua vna atque ſuauitas, qua erga omnes, qui te vel conſulere de ſuis rebus, vel alloqui cupiunt vteris, quámque toties dum mihi aliquo in negotio, tuo conſilio, auxilióue vti neceſſe fuit, expertus ſum, adeò mihi placuit, vt te vnum eſſe in tota Gallia, qui in tanta nobilitate, dignitate & gloria ſis ſuauiſſimus, acceſſúque facillimus, voluerim in huius operis mei limine prædicare. Quid, quòd etiam hæc noſtra volumina, te ſui approbatorem, ſubſcriptorémque habere requirunt, vt omnes doctrina & eloquentia præſtantes diuini verbi præcones, quales te duce & auctore multi in hac tua metropoli totiúſque tua ampliſſimæ diœceſeos partibus reperiuntur, illa ſine vlla animi dubitatione euoluere poſſint, nonne quodammodo nos compulit, vt ea tibi offerremus, quæ ſi te clementem propitiúmque in ſui approbatione experiantur, beneuolos etiam & benignos in ſe omnes concionatores habere poſſe non diffidunt? Denique grati animi putaui eſſe, ſi tua in me familiámque meam prope infinita merita non compenſare valeo, eorum ſaltem grata aliqua ſignificatione memoriam omni meæ poſteritati

tati

tati teſtatam debere relinquere. Accipe igitur, clariſſime Antiſtes, vultu, vt ſoles, candido, hanc, quæ nunc primùm in lucem conſpectúmque hominum exit, bibliothecæ noſtræ BIBLIOTHECAM, *quam tibi in primis aliquam voluptatem, ſi concionatoribus omnibus adiumentum, & Eccleſiæ Catholicæ emolumentum aliquod proferat, ſperamus allaturam, nóſque ſemper in eorum albo inſcribe, qui quæ tibi ſunt futura gratiſſima, & vniuerſæ Eccleſiæ vtiliſſima, moliri omni ope ſtudióque deſiderant.*

Vale.

SVMMA PRIVILEGII CÆSARÆI.

RVDOLPHI II. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis diplomate, Ioanni Baptiſtæ Regnauld, ciui ac bibliopolæ Lugdunenſi cautum eſt, ne quis typographus, bibliopola, aut alius librariam negotiationem exercens, vſpiam in omnibus ſuæ Cæſareæ maieſtatis regnis, hæreditariis prouinciis, ac vniuerſo Romano Imperio, decem annorum ſpacio opus inſcriptum BIBLIOTHECA HOMILIARVM AC SERMONVM PRISCORVM ECCLESIAE PATRVM, &c. LAVRENTII CVM-DII *primùm opera collecta, & poſt ipſius obitum à Fr.* GERARDO MOSANO *Dominicano Germano, ad finem vſque perducta*, vel totum, vel eius partes, vel ſimili vel alio charactere ſeu forma, recudere, vel recudendum dare, vel alibi etiam impreſſum ab alio citra ipſius Ioannis Baptiſtæ Regnauld hæredúmue ipſius voluntatem, diuendere poſſit, ſub pœna confiſcationis ipſorum librorum (qui ipſi Ioanni Baptiſtæ Regnauld, eiuſue hæredibus addicuntur,) & mulcta decem marcarum auri puri, quæ partim fiſco Cæſaræo, partim fraudis vindici, partim ipſi Ioanni Baptiſtæ Regnauld, eiúſue hæredibus adiudicantur. Datum in arce Regia Pragæ die 12. Menſis Octob. an. 1587.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenau.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ maieſtatis proprium.

A. Benck.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, eſt permis à Iean Baptiste Regnauld, bourgeois de Lyon, heritier de Ieanne Ionti, d'imprimer ou faire imprimer, vne fois ou pluſieurs, le preſent liure intitulé BIBLIOTHECA HOMILIARVM ET SERMONVM PRISCORVM ECCLESIÆ PATRVM: In qua expoſitiones Euangeliorum quæ toto anno in Miſſa leguntur, &c. LAVRENTII CVM-DII Itali opera primùm collecta, & poſt eius obitum à Fr. GERARDO MOSANO Dominicano Germano, ad finem vſque perducta. *Et eſt faicte defenſe de par ledict ſeigneur à tous libraires, imprimeurs ſoit regnicoles, ou eſtrangers, & autres perſonnes quelconques, de n'imprimer ne faire imprimer, vendre ne diſtribuer, en ſes pays, terres & ſeigneuries ledict liure, ſi ce n'eſt par le conſentement dudict Iean Baptiſte Regnauld. Et ce iuſques au temps & terme de dix ans à compter du iour & date que ſera paracheué d'imprimer ledict liure, ſur peine d'amende arbitraire, & de tous deſpens, dommaiges & intereſts, & de confiſcation des liures. Et à fin qu'aucun ne puiſſe pretendre cauſe d'ignorance du preſent priuilege, ledict Seigneur veut & entend que l'extraict d'iceluy eſtant mis au commencement ou à la fin dudict liure, ſerue pour toute notification. Car tel eſt ſon plaiſir, nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques, comme plus à plain eſt contenu & declaré par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce donnees à S. Germain en Laye, le vnzieſme iour de Nouembre, 1584. & de ſon Regne le vnzieſme.*

Par le Roy à voſtre relation.

Signé, POVSSEPIN.

Et ſeellees du grand ſeau en cire iaune à ſimple queuë.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le quinzieſme de Feburier, 1588.

PROPRIVM EVANGELIORVM DE TEMPORE, SECVNDVM MISSALE ROMANVM NVPER RESTITVTVM.

DOMINICA I. ADVENTVS. LVC. XXII.

a Sol vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies domini magnus & manifeſtus.
b Hoc eſt tempore Antichriſti, quando erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.

ERVNT ſigna in [a] ſole & luna & ſtellis, & in [b] terris preſſura

c Prænunciat hoc quod Ioannes inter cætera ſeculi mutabilia mare habiturum conſpexit.

Gentium, præ [c] confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum

d Itaque dico ſub certitudine expectate. e De mortalitate ad immortalitatem. f Id eſt omne humanum genus, vel gens Iudæorum, quæ non deficiet, donec veniat dies iudicij.

Dei. Amen [d] dico vobis, quia non [e] præteribit [f] generatio hæc, donec omnia

g Aereum non æthereum. h Innouabuntur depoſita priori forma, permanente autem ſubſtantia vnde dicitur: Terra in æternum ſtat.

fiant. [g] Cælum & terra [h] tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euangelium.*

ET *erunt ſigna in ſole & luna.* Hæc de ipſo aduentu, cum omnes virgines pru-
Ibidem 25.a dentes & fatuæ, inſolito clamore ſuſcitatæ, lampades ornant, id eſt opera ſecum numerant: pro quibus maximo cum timore iam inſtantem æterni diſcriminis expectant euentum. Nam hactenus vniuerſus orbis abſque
1. Theſſ. 5.a. timore iudicis acturus eſt. vnde Apoſtolus: Cum
Ioan. 3.c dixerint pax & ſecuritas, ſuperueniet eis repentinus interitus. Nec mirum, ſi in expectatione diuini examinis, qui in mundo floruerunt exareſcent, ſi fides quæ ſine operibus irruerat emarceſcet: nam virtutes cælorum mouebuntur, angelicę po-
Iob 26.c teſtates trement aduentum iudicis. Vnde Iob: Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent aduentum eius. *Sonitus maris.* Appropinquante extremo iudicio, ſonitus maris, & fluctuum confunditur, terrarúmque orbis prementibus vndique colonis inficitur: maxima cæli luminaria nouo horrore percuſſis radiis, turbatam faciem velant, quia appropinquante termino ſuo, elementa quaſi pauentia nutant & tremunt. *Et tunc vi. fi. hominis* Quem in humilitate poſitum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc diſtrictius ſentiant, quanto nunc corda ad eius patientiam non inclinant. Quia verò contra reprobos hæc dicta ſunt, mox ad conſolationem electorum ſupponit: *His autem fi. incipientib.* id eſt cum plagæ crebreſcunt, cum terror iudicij commotis virtutibus oſtenditur, *Leua. ca. ve.* exhilarate corda veſtra, quia dum fi- Matth. 24.c
nitur mundus, cui amici non eſtis, prope eſt re- Marc. 13.c
demptio quam quæſiſtis. Quòd verò mundus deſpici debeat, prouida comparatione manifeſtatur. *Videte fi.* Regnum dei æſtati comparat, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſibunt, & æterni dies vitæ ſub claritate ſolis fulgebunt. Sicut enim ex fructu arborum vicina æſtas cognoſcitur, ita & ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei. Ex his verbis oſtenditur, quia fructus mundi ruina eſt. Ad hoc enim creſcit, vt cadat: ad hoc germinat, vt quæcúque germinauerit, cladibus conſumat. *Cælum & terra.* Nihil in corporum natura cælo & terra durabilius eſt: Nihil tranſit velocius quam ſermo. Verba quouſque imperfecta ſunt,

verba non ſunt, ſi perfecta ſint iam omnino non ſunt, neque enim perfici niſi tranſeundo poſſunt. Ait ergo: *Cælum & terra tranſibunt.* Quia omne quod apud vos durabile, & ſine mutatione eſt, ad æternitatem durabile non eſt: & omne quod apud me tranſire cernitur, fixum & ſine tranſitu tenetur: quia ſermo meus qui tranſit, ſententias manentes exprimit. *Verba autem &c.* Et cum verba mea ita abſque dubio ſint implenda, videte ne contra conteſtationem verborum meorum ſitis dediti crapulæ, & ebrietati & ſecularibus curis: ſicut quidam erunt tempore imminentis iudicij: De
1.Theſſ.5.a quibus dicitur: Cum dixerint, pax & ſecuritas, ſuperueniet repentinus interitus.

CATENA AVREA.
In idem Euangelium.

ET *erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, &c.* Beda, quid impletis nationum temporibus ſequatur, ex ordine manifeſtat, dicens: *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis.* Amb. Quæ quidem ſigna ſecundum Matthæum euidentius exprimuntur. Tunc (inquit) ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum & ſtellæ cadent de cęlo. Euſeb. Tunc enim cum vitæ corruptibilis conſummatio agetur: & ſecundũ Apoſtolum, ſpecies huius mundi tranſibit, & nouum ſuccedet ſeculum, in quo vice ſenſibiliũ luminarium ipſe Chriſtus fulgebit quaſi iubar, & rex noui ſeculi, cuius erit tãta numinis virtus & gloria, vt ſol qui nunc radiat atque luna, & cætera ſidera, aduentu maioris luminis occultentur. Chry. Sicut enim in hoc ſeculo luna, & ſidera mox obfuſcantur orto ſole, ſic in glorioſa Chriſti apparitione ſol obtenebreſcet, & luna non dabit proprium iubar, & ſtellæ cadent de cælo, priore ſpoliatæ amictu, vt potioris lucis amictu potiantur. Euſe. Quæ autem euenient orbi poſt luminarium obtenebrationem, ex quibus fiet anguſtia gentium conſequenter exprimit, dicens: *Et in terra &c.* Vbi videtur docere principiũ tranſmutationis vniuerſi futurum ex defectu ſubſtantiæ humidę. Hac enim prima deuorata, vel congelata, vt non amplius audiatur ſonitus maris, nec contingat arenam fluctus eius cauſa exuberantis ſiccitatis, cæteræ mundi partes non amplius obtinentes vaporem ſolitum emiſſum ex ſubſtantia humida tranſmutationẽ patientur, & ſic cum apparitio ſaluatoris confutare debeat repugnantia Deo prodigia, exordium ſument furoris procœmia ex ſiccitatibus, vt nec tempeſtas nec fremitus maris vlterius audiatur. Quo facto ſubſequetur anguſtia ſuperſtitum hominum, vnde ſequitur: *Areſcentibus* id eſt tabeſcentibus hominibus *præ ti. & expe.* eorum ſcilicet *quæ ſuper. vni. orbi.* Quæ autem tunc ingruant mundo, conſequenter oſtẽdit ſubdens: *Nam virtutes cælorum mouebuntur.* Theop. Vel aliter: Cum alterabitur ſuperior orbis & elementa inferiora meritò patiẽtur iacturam. vnde ſequitur: *Et in terris preſſura gẽtium.* Quaſi dicat, Mare terribiliter fremet, & litus maris agitabitur tempeſtate, ita vt ſit populo terræ preſſura id eſt communis miſeria, vt tabeſcant timore & expectatione malorum irruentium mundo. vnde ſequitur: *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperueniet vniuerſo orbi.* Aug. ad Heſych. Sed dices: Confiteri vos pœna veſtra compellit adeſſe iam finem, dum impletur quod prænuntiatum eſt. Nullam enim patriam, nullum locũ noſtris temporibus non affligi, aut tribulari certum eſt. Sed ſi iſta mala quæ nunc patitur genus humanum, certa ſunt indicia iam dominum eſſe venturum, quid eſt quod dicit Apoſtolus: Cùm dixerint pax & ſecuritas? Videamus ergo ne fortè melius intelligatur non eo modo impleri quæ prædicta ſunt his verbis, ſed tunc potius eſſe ventura, quãdo ſic erit tribulatio vniuerſo orbi, vt ad eccleſiã pertineat, quæ vniuerſo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulabant eam: ipſi enim ſunt dicturi, Pax & ſecuritas. Nunc autem iſta mala quæ tanquam ſumma extremáque creduntur vtrique regno, Chriſti ſcilicet & diaboli videmus eſſe communia. Pariter quippe his boni affligũtur & mali, inter quæ iam mala adhuc vſquequaque frequẽtantur luxurioſa conuiuia. Hoccine eſt areſcere præ timore, an potius inardeſcere præ libidine? Theo. Non ſolùm autem mortales fluctuabunt cũ alterabitur mundus, ſed etiam angeli ſtupebũt in tam terribilibus mutationibus vniuerſi. vnde ſequitur: *Nam virtutes cælorum mouebuntur* Gregor. in homil. Quid enim virtutes cælorũ niſi angelos, dominationes & principatus & poteſtates appellat? quæ in aduentu diſtricti iudicis, noſtris tunc oculis viſibiliter apparebunt, vt diſtrictè tunc à nobis exigant hoc, quod nos modò inuiſibilis conditor æquanimiter portat. Euſe. Cum etiã Dei filius ſit venturus in gloria, & confutaturus elatam tyrãnidem filij peccati, miniſtrantibus angelis cæli, fores à ſeculo clauſæ patebunt, vt ſpectentur excelſa. Chry. Vel virtutes cælicæ mouebuntur, quamuis ſibi conſciæ non ſint: videntes enim infinitas multitudinis condemnari, non intrepidè ſtabunt illic. Beda Vnde & in Iob dicitur: Columnæ cæli contremiſcunt & pauẽt ad nutum eius. Quid ergo faciunt tabulæ, quando tremũt columnæ? quid virgula deſerti patitur, cùm cedrus paradiſi concutitur? Euſeb. Vel virtutes cælorum ſunt quæ præſunt ſenſibilibus partibus vniuerſi, quæ quidem tunc mouebuntur, vt potiorem ſtatum attingant. Abſoluentur enim in ſeculo nouo à miniſterio, quo Deo ſeruiũt circa ſenſibilia corpora ſecundum corruptionis ſtatum. Aug. ad Heſych. Sed ne dominus propinquante ſecundo aduentu ſuo ea pro magno prędixiſſe videatur, quę hic in mundo etiã ante primum eius aduentum fieri conſueuerãt, & videamur ab eis qui plura in hiſtoria gentium & maiora legerunt hæc quæ dicta ſunt, melius in eccleſia exiſtimo intelligi, Eccleſia enim eſt ſol & luna & ſtellæ, cui dictum eſt: Pulchra vt luna, electa vt ſol: quæ tunc non apparebit perſecutoribus vltra modum ſæuientibus. Ambr. Plurimis etiam à religione deficientibus clara fides obſcurabitur nube perfidię, quia ſol cæleſtis in fide in ea minuitur vel augetur. & ſicut menſtruis id eſt menſium defectibus luna vel terræ oppoſitu cùm fuerit è regione ſolis vaneſcit, ſic & ſancta eccleſia cum lumini cæleſti vitia carnis obſiſtunt, fulgorem diuini luminis de Chriſti radiis non poteſt mutuari. Nam in perſecutionibus lucem diuini ſolis plerumque amor vitæ huius excludit. Cadunt etiam ſtellæ id eſt gloria micantes viri, ſi perſecutionis acerbitas conualeſcat, quæ oportet fieri donec eccleſiæ multitudo cumuletur: ſic enim probantur boni, ſic produntur infirmi. Aug. ad Heſich. Quid autem dictum eſt, *Et in terris preſſura gentium*, gentes voluit intelligi, non quæ in ſemine Abrahæ

bene di

benedicentur,ſed quę ad ſiniſtram ſtabunt. Amb. Ergo varij animorum æſtus ita graues erunt, vt delictorum multitudine malè conſcius futuri iudicij metu, ſacri nobis tos fontis areſcat. Quemadmodum autem domini expectatur aduentus,vt eius præſentia in toto fiat, vel hominis orbe vel mundi, quæ fit in ſingulis cum omnibus affectibus receperis Chriſtum: ſic virtutes cælorum in aduentum domini augmentum gratiæ cõſequentur, & plenitudine diuinitatis propiùs ſe infundente mouebuntur. Sunt etiam virtutes cælorum quæ enarrant gloriam Dei, quæ pleniore Chriſti infuſione mouebũtur,vt videant Chriſtum. Aug. ad Heſych. vel virtutes cælorũ mouebuntur,quia impiis perſequentibus quidam fideles fortiſſimi turbabũtur. Sequitur. *Et tunc vid. fi. hominis*, Theo. Tam fideles quam infideles. Radiabit enim amplius ſole, tam ipſe quam crux eius, vnde ab omnibus cognoſcetur. Aug. Quòd autẽ dicit, *Venientem in nube*, duobus modis accipi poteſt: ſiue in eccleſia ſua tanquam in nube venientem, ſicut nunc venire non ceſſat, ſed ideo tũc cum poteſtate magna & maieſtate, quia maior maieſtas & poteſtas illius apparebit ſanctis, quibus magnã virtutem dabit, ne tãta perſecutione vincantur: ſibi in corpore ſuo, in quo ſedet ad dexteram patris: meritò credendus eſt, non ſolùm in eodẽ corpore, verum etiam in nube venturus, quoniam ſic veniet ſicut abiit, nubes autem ſuſcepit eum ab oculis eorum. Chryſ. Semper enim Deus in nube apparet, ſecũdum illud: nubes & caligo in circuitu eius. vnde & filius hominis in nubibus veniet, vt Deus & dominus, non latenter, ſed in gloria digna Deo. Et ideo ſubdit, *Cum poteſtate magna & maieſtate*. Cyril. Intelligẽdum eſt ſimiliter magna. Primã enim apparitionem proſecutus eſt cum infirmitate & humilitate noſtra, ſed ſecundam celebrabit cum propria poteſtate & magna maieſtate. Greg. in homi. In poteſtate enim & maieſtate viſuri ſunt quem in humilitate poſitum audire noluerunt: vt virtutem eius tantò tũc diſtrictiùs ſentiant, quantò ceruicem cordis ad eius patientiam non inclinant. *His autem fieri incipientibus, reſpicite &*. Greg. in homi. Quia præmiſſa contra reprobos dicta ſunt, mox ad electorum conſolationem verba vertuntur. Nam ſubditur: *his autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam approp. rede. veſtra*. Ac ſi dicat: Cùm plagæ mundi crebreſcunt, leuate capita, id eſt exhilarate corda: quia dum finitur mundus, cuius amici non eſtis, propè fit redemptio quam quæſiſtis. In ſcriptura enim ſacra ſæpe caput pro mente ponitur: quia ſicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente diſponuntur. Caput itaque leuare, eſt mentes noſtras ad gaudia patriæ cęleſtis erigere. Euſeb. Vel aliter: Tranſactis corporalibus, aderũt intelligibilia cæleſtia, ſcilicet regnum ſeculi non amplius tranſituri: & tunc dignis ſalubria promiſſa tribuentur. vnde dicitur: *His autem fieri incipientibus, reſpic. &c.* Acceptis enim Dei promiſſis quæ ſperamus, erigemur qui ante curui fueramus, & eleuabimus capita noſtra humiliata quondam, eo quòd redemptio noſtra quam ſperabamus, aderit: illa ſcilicet quam tota creatura expectat. Theo. id eſt perfecta libertas corporis & animæ. Sicut enim primus aduentus domini fuit ad reformationem animarum noſtrarum, ſic ſecundus ad reformationem corporum celebrabitur. Euſe. Dicit autem hæc ad diſcipulos ſuos, non tanquam ad eos qui durare deberent in vita iſta, vſque ad terminum mundi, ſed quaſi vno corpore exiſtente ipſis & nobis & poſteris vſque ad conſummationem mundi credituris in Chriſtum. Greg. in hom. Quod autem calcari mundus atque deſpici debeat, prouida cõparatione manifeſtat cum ſubdit: *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, &c.* Quaſi dicat, ſicut ex fructu arboris vicina æſtas agnoſcitur, ita ex ruina mundi propè iam cognoſcitur eſſe regnũ Dei. Ex hoc oſtenditur, quia fructus mundi ruina eſt. Ad hoc enim germinat, vt quæcunque germine aluit, cladibus conſumat. Bene autem regnum Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nebulæ tranſeunt, & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt. Amb. Matthæus autem de ſola dixit ficulnea, hic de arboribus omnibus. Duplicem autem habet figuram ficulnea, vel cum dura miteſcunt, vel cum peccata luxuriãt. Siue ergo cùm fructus omnibus vireſcit arboribus, & ficulnea fœcunda iam floret, id eſt cum omnis lingua cõfitetur Deo, cõfitente etiam populo Iudæorum, ſperare domini debemus aduentum, quo tanquam temporalibus æſtiuis, reſurrectionis fructus metentur. Siue cùm leuem fragilémque iactantiã tanquã folia ſynagogæ homo iniquitatis induerit, cõucere debemus appropinquare iudicium. Nam remunerare fidẽ dominus, & delinquendi finem afferre feſtinat. Aug. ad Heſych. Cùm autem dicit, *Cùm videritis hæc fieri*, quæ intelligere poterimus, niſi ea que ſuprà memorata ſunt? In his autem eſt quod ait: Et tunc videbunt filium hominis venientem. Proinde cùm hoc viſum fuerit, non iam erit regnũ Dei, ſed propè erit. An dicendum eſt, non omnia que ſuprà commemorata ſunt eſſe intelligẽda vbi ait: Cùm videritis hæc fieri, ſed aliqua eorum, hoc ſcilicet excepto quod dictum eſt, Et tũc videbunt filium hominis? Sed Matthæus aperuit nullis exceptis eſſe accipiendum, dicens: Ita & vos cùm videritis hæc omnia. Inter quæ eſt quòd videbitur filius hominis veniens, vt intelligatur de aduentu quo nunc venit in membris ſuis tanquam in nubibus, vel in eccleſia tanquam in nube magna. Titus, Vel, aliter dicit: Prope eſt regnum Dei, quia dum hæc fient, nõdum vltimus finis rerum eueniet, ſed iam in finem tendunt: nam & ipſe aduentus domini eliminans omnium principatum & poteſtatem, præparat regno Dei. Euſeb. ſicut enim in hac vita ſol hyeme recedente ac ſuccedente vere, radium calidum mittens fouet ac viuificat humi condita ſemina exuentia priſcam figuram, pullulant autem noua varium virorem habentia: ſic & glorioſus vnigeniti Dei aduentus viuificatiuis radiis illuſtrans nouum ſeculum, dudum condita per totum mundum ſemina, ſcilicet dormientes in puluere terræ potioribus corporibus quam prius producet in lucem, ac confutata morte regnabit deinceps vita ſeculi noui. Gregorius in ho. Omnia autem prædicta ſub magna certitudine cõfirmantur, cùm ſubditur: *Amẽ dico vobis, quia, &c.* Beda, Multum commendat quod ita prænunciat. Et ſi dicere fas eſt, iuratio eius eſt quod dicit, *Amen dico vobis*. Amen quippe interpretatur verum. Igitur veritas dicit, Verum dico vobis: quod ſi non diceret, mentiri omnino non poſſet. Generationem autem, aut omne genus humanum dicit, aut ſpecialiter Iudæorum. Euſeb. Vel generationem

dicit nouam generationem eccleſiæ ſanctæ ſuæ: oſtẽdens duraturũ populum fidelium vſque ad id tẽpus quo viſurus ſit omnia, & euentus verborum ſaluatoris oculis apprehendet. Theo. Quia enim turbationes & bella & alterationes tam elementorũ quam cæterarum rerum futurum eſſe prædixerat, ne quis ſuſpicaretur quòd & ipſa Chriſtianitas peritura foret, ſubiungit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibũt*, quaſi dicat. Etſi cuncta commoueantur, fides tamen mea non deficiet. Ex quo innuit eccleſiam præferre toti creaturæ, ſed creatura patietur alterationem, fidelium verò eccleſia & ſermones Euangelij permanebũt. Greg. in ho. Vel aliter, *Cælum & terra trãſibunt, &c.* quaſi dicat. Omne quod apud nos durabile eſt, ſine mutatione durabile ad ęternitatem non eſt, & omne quod apud me tranſire cernitur, fixum & ſine tranſitu tenetur, quia ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit ſermo meus qui tranſit. Bed. Cælum autem quod tranſibit, non æthereum ſiue ſydereum, ſiue aëreum à quo aues cæli nominantur, intelligere debemus. Si autem terra tranſibit, quomodo Eccleſiaſtes dicit: Terra in æternum ſtat? ſed aperta ratione cælum & terra per eam quam nunc habent imaginem tranſeunt, attamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt.

S. AMBROS. MEDIOL.
Epiſ. ſuperioris Euangelij expoſitio.

ET *erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Et Prophetiæ vera ſenes, & integra cauſa myſterij: quòd & captiui Iudei ſecundò in Babyloniam, Aſſyriamque ducẽtur: captiui in toto erunt orbe, quia negauerunt Chriſtum, & Hieruſalem, quæ videtur, ab hoſtili exercitu calcabitur cadentibus Iudeis in ore gladij. Et Iudea omnis à nationibus credituris ſubijcietur in ore gladij ſpiritualis: qui eſt ſermo bis acutus: & fient ſigna diuerſa in ſole, Matth. 24. & luna, & ſtellis. Quæ ſigna ſecũdum Matthæum euidentius exprimuntur. Tunc inquit, ſol obſcurabitur: & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent. Plurimis enim à religione deficientibus, clara fides obſcurabitur nube perfidiæ: quia mihi ſol ille cæleſtis in mea fide vel minuitur, vel augetur. Quemadmodũ, ſi plurimi radios mundani ſolis aſpiciant, pro captu videntis aut pallidior ſol videtur, aut clarior: ita pro deuotione credentis vnicuique ſpirituale lumen infunditur. Et quemadmodum menſtruis curſibus luna, vel terræ oppoſitu cum fuerit è regione ſolis, vaneſcit: ſic & ſancta eccleſia, cum lumini cęleſti vitia carnis obſiſtunt, fulgorem diuini luminis de Chriſti radiis non poteſt mutuari. Namque in perſecutionibus lucem Dei ſolus plerũque amor vitę huius excludit. Cadent ſtellæ, illi vtique reſurrectionis gloria iam micãtes, illi viri ſicut luminaria in ſeculo verbũ vitæ cõtinentes. Illi viri de quibus Abrahæ dictum eſt: Quia ſicut cælum ſulget, & ſtellæ, ſic & ſemen eius. Excident ergo hominibus patriarchę, excident prophetę, ſi perſecutionis acerbitas conualeſcat. Quæ oportet fieri, donec Eccleſiæ in omnibus virtutibus in ſingulis plenitudo cumuletur. Sic enim probantur boni, ſic produntur infirmi. Ergo varij animorum æſtus ita graues erunt, vt delictorum multitudine malè conſciis futuri iudicij metu, ſacri in nobis ros fontis areſcat. Aret enim perfidia, fides rorat. *Nam virtutes cælorum commouebuntur.* Fortaſſe, quemadmodum domini expectatur aduentus, vt eius pręſentia in toto fiat vel hominis orbe, vel mundi: quæ fit vtique in ſingulis, cũ omnibus affectibus receperint Chriſtum, ſic etiam virtutes cælorum aduentu domini ſaluatoris, ac reditu (eſt enim virtutũ dominus) augmentum gratiæ conſequantur neceſſe eſt: vt, plenitudine diuinitatis propius ſe infundẽte, moueantur. Sunt etiam virtutes cælorum, quæ enarrant gloriã Dei: & quæ pleniore Chriſti infuſione moueantur, virtutes ſpirituales, quæ vident Chriſtũ. Docuit nos Dauid quemadmodũ hę moueantur virtutes dicens, Accedite ad eum, & illuminamini. Pſalm. 33. Docuit etiam Paulus quemadmodũ Chri- 2. Cor. 3. ſtum videas. Cum enim cõuerſus fueris ad dominum, auferetur velamẽ, & vides Chriſtum. Vides illum in nubibus. Non equidem puto, quòd in caligine tenebroſa, & horrore pluuiali Chriſtus adueniat. Nubes enim, quæ videntur, cælum vtique caliganti horrore ſubtexerunt. Et quomodo in ſo- Pſalm. 18. le poſuit tabernaculum ſuum, ſi pluuialis erit eius aduentus? Sed ſunt nubes, quæ, quia ſic oportet, cæleſtis obtexunt myſterij claritatem. Sunt nubes, quæ rore gratiæ ſpiritualis humeſcant. Aſpice nubem in veteri teſtamento, In columna, inquit Pſal. 98. nubis loquebatur ad eos. Per Moyſen vtique loquebatur, per Ieſum Naue, qui ſolẽ ſtatuit, vt plenioris luminis acciperet claritatem. Ergo Moyſes, & Ieſus nubes ſunt, Aſpice quia viri ſancti nubes ſunt, quia quaſi nubes volant, & quaſi columbæ cum pullis Super me nubes ſunt Eſaias, Ezechiel, Eſa. 60. qui mihi per cherubin, & ſeraphin ſanctitatem diuinæ Trinitatis oſtendunt. Nubes ſunt omnes. In his nubibus venit Chriſtus. Venit in nube in canticis canticorum, ſerena nube, & ſponſi refulgent lætitia. Venit & in nube leui, incarnatus ex virgine Vidit enim propheta ſicut nubem venire Eſa 19. ab oriente. Et bene leuem nubem dixit, quam terrena vitia non grauarent. Vide nubem, in quam ſpiritusſanctus superuenit, & virtus altiſſimi obumbrauit. Cum ergo apparuerit Chriſtus in nubibus, concident ſe tribus terræ. Eſt enim quidam ordo criminum, & ſeries peccatorum, quæ Chriſti dirimatur aduentu. *Videte ficulneam &c.* Diuerſo quidem modo: in vnum tamen concurrere videtur Euangeliſtarum ſentẽtia. Matthæus enim de ſola dixit ficulnea, cum ramus eius tener fuerit. ſic de arboribus omnibus. Verum ſicut, cum fructus vireſcit in omnibus arboribus, & ficulnea fœcunda iam floret vt omnis lingua confiteatur iam Deo. Confitentè etiam populo Iudæorum, ſperare domini debemus aduẽtum, quo tanquam temporibus æſtiuis reſurrectionis fructus metentur, ſiue cum leuem, fragilemque iactantiam homo iniquitates tanquam folia, ſynagogæ ramos induerit, conijcere debemus appropinquare iudicium. Nam remunerare fidem dominus, & delinquendi finem afferre feſtinat, duplicem igitur habet figuram in ficulnea, vel cum dura miteſcunt, vel cum peccata luxuriãt. Nam per fidem credentium, quæ arebant antè, florebunt, & per gratiam dimiſſorum peccatorũ gloriabũtur. Ibi fructus eſt fidei, hic perfidiæ laſciuia fructum mihi ficulneæ agricolæ Euangelici cultura promittit. Deſperare non debemus, ſi foliis ficulneæ peccatores ſe tanquam fraudis veſte texerunt, vt conſcientiam velarent. Ergo folia ſuſpecta ſine fructu, tales veſtes paradiſi exules habent. Geneſ. 3.

S. AVGVST.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hippon. de eodem, Hom. 1.*

[*Sermo. 1. de tempor. Louanienſes dubitant num hæc & ſequẽs homil. ſit Auguſtini.*]

APpropinquante iam ſacratiſſima ſolennitate, qua ſaluator noſter inter homines naſci miſericorditer voluit, fratres chariſſimi, attentius conſiderate, qualiter oporteat nos in aduẽtu tantæ potentiæ præparari, vt regem, & dominum noſtrum læti, atque gaudentes eum gloria, & laudibus mereamur ſuſcipere, & in conſpectu eius inter cœtus fœlices ſanctorum gratulando exultare, magis quàm ab eo propter fœditatem noſtram repulſi inter peccatores æternam confuſionem mereri. Et ideo rogo & moneo, vt quãtum poſſumus, cum Dei adiutorio laboremus, vt in illo die cũ ſincera, & pura conſcientia, & mundo corde & caſto corpore ad altare domini poſſimus accedere, & corpus, & ſanguinẽ eius non ad iudiciũ, ſed ad remedium animæ noſtræ mereamur accipere. In Chriſti enim corpore vita noſtra conſiſtit, ſicut [*Ioan 6.*] ipſe dixit: Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam ſi non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur quàm ſanetur, magis occiditur quàm viuificetur. Sic [*1. Cor. 11.*] enim dixit Apoſtolus, Qui manducat corpus domini, & bibit ſanguinem eius indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit. Et licet nos omni tẽpore bonis operibus ornatos, ac ſplendidos eſſe cõueniat, præcipuè tamẽ in die natalis domini, ſicut in Euãgelio [*Math. 5.*] ipſe dixit, luceant debent hominibus opera veſtra. Conſiderate, quæſo fratres, quando aliquis homo potens, aut nobilis natalem aut ſuum, aut filij ſui celebrare deſiderat, quãto ſtudio ante plures dies quicquid in domo ſua ſordidum inuenerit, ordinat emũdari, quicquid ineptum, & incongruum, proijci, quicquid vtile, & neceſſariũ, præcipit exhiberi. Domus etiam ſi obſcura fuerit dealbatur, pauimenta ſcopis mundantur, & diuerſis reſperſa floribus adornantur. Quicquid etiam ad lætitiã animæ, & corporis delicias pertinet, omni ſolicitudine prouidetur. Vt quid iſta, fratres chariſſimi, niſi vt dies natalitius cũ gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo, aut filij tui, quanta, & qualia præparare debes ſuſcepturus natalẽ domini tui? Si talia præparas morituro, qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo nõ vis inueniri in domo tua, quãtum potes labora, vt non inueniat Deus in anima tua. Certè ſi te rex terrenus, aut quicunque pater familias ad ſuum natalitiũ inuitaret, qualibus veſtimentis ſtuderes ornatos incedere, quàm nouis, vel nitidis, quàm ſplendidis, quorum nec vetuſtas, nec vilitas, nec aliqua fœditas oculos inuitãtis offenderet: tali ergo ſtudio inquantũ præuales Chriſto auxiliante contende, vt diuerſis virtutum ornamẽtis anima tua compoſita, ſimplicitatis gemmis, & ſobrietatis floribus adornata, ad ſolennitatem regis æterni, id eſt, ad natalem domini ſaluatoris cum ſecura cõſcientia procedas, caſtitate nitida, charitate ſplẽdida, eleemoſynis cãdida. Chriſtus enim dominus ſi te ita compoſitũ natalitium ſuum celebrare cognouerit: ipſe per ſe venire, & animã tuam nõ ſolum viſitare, ſed etiã requieſcere, & in perpetuũ in illa dignabitur habitare. Scri[*1. Cor. 6.*]ptũ enim eſt. Et inhabitabo in illis, & inambula[*Apoc. 3.*]bo. Et iterũ, Ecce ſto ad oſtiũ & pulſo, ſi quis ſurrexerit, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Quàm felix eſt illa anima, quæ vitã ſuam ita, Deo auxiliante, ſtuduerit gubernare, vt Chriſtum hoſpitem, & habitatorem mereatur excipere: ſicut è contrario quàm infœlix eſt illa cõſcientia, toto lachrymarũ fonte lugenda, quæ ſe ita malis operibus cruentauit, vt in ea Chriſtus non requieſcere, ſed diabolus incipiat dominari. Talis enim anima, ſi medicamentum pœnitentiæ non cito ſubuenerit, à luce relinquitur, à tenebris occupatur, vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, à morte inuaditur, à vita repudiatur. Non tamen de domini pietate diffidat, qui talis eſt, nec mortifera deſperatione frangatur, ſed magis ad pœnitentiã cito fugiat, & dum adhuc noua ſunt, & calent peccatorum ſuorum vulnera, ſic ſibi adhibeat medicamenta ſalubria, quia medicus noſter omnipotens eſt, & ſic conſueuit plagas noſtras curare, vt nec cicatricũ veſtigium poſt ipſius medicamina remaneat. Ideo etiam ab omni inquinamento ante eius natalẽ multis diebus abſtinere debetis. Quotieſcũque aut natalem domini, aut reliquas ſolennitates celebrare diſponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quaſi beſtiæ crudeliſſimæ repugnate, odium velut venenum mortiferum de corde veſtro repellite, & tanta ſit in vobis charitas, quæ non ſolum vſque ad amicos, ſed etiam vſque ad ipſos perueniat inimicos, vt ſecurè poſſitis dicere in oratione dominica, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos di[*Math. 6.*]mittimus debitoribus noſtris. Nam qui ſe ſcit vel vnum hominum odio habere, neſcio ſi ad altare domini ſecurus poſſit accedere, cũ præcipuè beatus Ioannes Euangeliſta terribiliter clamet & dicat, Qui fratrẽ ſuum odit, homicida eſt. [*1. Ioan. 3.*] Nam veſtrum eſt iudicare, vtrum homicida antequã pœnitentiam agat, præſumere debet euchariſtiam accipere. Addit etiam adhuc ſanctus Ioannes & clamat dicẽs, Qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt, [*1. Ioan. 2.*] & in tenebris ambulat, & neſcit quò vadat quoniã tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et iterum, [*1. Ioan. 3.*] Omnis, inquit, qui fratrem ſuum non diligit, manet in morte. Et iterum, Si quis dixerit quia diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mẽdax eſt. [*1. Ioan. 4.*] Qui enim non diligit fratrem ſuũ, quem videt, Deum, quem nõ videt, quomodo poteſt diligere? Quicũque ergo odiũ, vel iracũdiam ſeruat in corde, & ſub tali tonitruo non terretur, nec expergiſcitur, nõ dormiens, ſed mortuus eſſe credendus eſt. Hæc ergo, fratres chariſſimi, quotidie cogitantes, qui boni ſunt cum Dei gratia contendant perſeuerare in operibus bonis, quia non qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit vſque finem, hic ſaluus erit. [*Matt. 10. & 24.*] Qui verò ſe ad eleemoſynam tardos, & ad iracundiam promptos, & ad exercendam luxuriam præcipites eſſe cognoſcunt, auxiliante domino feſtinent ſe à malis eruere, vt quæ bona ſunt, mereantur implere, vt cùm dies iudicij venerit, non cum impijs, ſed cum iuſtis, & miſericordibus peruenire ad æterna præmia mereantur, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre, & filio, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula. &c.

EIVSDEM DE EOdem Hom. 2.

[*Sermo. 2. de tempore.*]

SAnctam, & deſiderabilem, glorioſam, ac ſingularem ſolennitatem, hoc eſt natiuitatem do-

mini ſaluatoris, fratres dilectiſſimi, deuotione fideliſſima ſuſcepturi, totis viribus nos debemus cum ipſius adiutorio præparare, & omnes latebras animæ noſtræ diligenter aſpicere, ne fortè ſit in nobis aliquod peccatum abſconditum, quod & conſcientiam noſtram confundat ac mordeat, & oculos diuinæ maieſtatis offendat. Nã, licet Chriſtus dominus noſter poſt paſſionem reſurrexerit, & in cælum aſcenderit, conſiderat tamen, vt credimus, & diligenter attẽdit, qualiter ſe vnuſquiſque ſeruorum eius ſine auaritia, ſine ira, ſine ſuperbia, atque luxuria ad celebrãdam eius natiuitatem ſtudeat præparare, atque componere, & ſecundum quod vnumquemque ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam ſitæ miſericordiæ diſpenſabit. Si enim viderit, charitatis luce veſtitum, iuſtitię vel miſericordię margaritis ornatum, caſtum, humilem, miſericordẽ, benignum, & ſobrium, ſi talem agnouerit, corpus & ſanguinem ſuum ei nõ ad iudicium, ſed ad remedium per ſacerdotum ſuorum miniſterium diſpenſabit. Si verò aliquem viderit adulterũ, ebrioſum, cupidum, & ſuperbum, timeo ne hoc illi dicatur, quod in

Matth. 26. Euangelio dominus ipſe dixit, Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtẽ nuptialem? Et quod dominus auertat fiat illud, quod ſequitur, Ligate illi manus, & pedes, & proiicite in tenebras exteriores, vbi eſt fletus, & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiam in die iudicij excipiet, qui ſine remedio pœnitentiæ ad feſtiuitatem domini vitiorũ ſordibus inquinatus acceſſerit. In natali enim domini, fratres dilectiſſimi, quaſi in nuptiis ſpiritalibus ſponſę ſuę eccleſię Chriſtus adiunctus eſt. Tunc veritas de terra orta eſt, tunc iuſtitia de cælo proſpexit, tunc proceſſit ſponſus de thalamo ſuo, hoc eſt, verbum Dei de vtero virginali. Proceſſit enim cum ſponſa ſua eccleſia, id eſt, humanam carnẽ ſuſcepit. Ad iſtas ergo tam ſanctas nuptias inuitati, & ad conuiuiũ patris, & filij, & ſpiritus ſancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus, quantum poſſumus cũ Dei adiutorio corda ſimul & corpora noſtra, vt cæleſtis ille inuitator nihil in nobis ſordidum, nihil fœdum, nihil obſcurũ, nihil oculis ſuis deprehendat indignum. Hæc ergo, fratres dilectiſſimi, non tranſitoriè, ſed cum ingenti tremore debemus attendere. Inuitati enim ſumus ad nuptias, vbi nosipſi ſi bene agimus, ſpõſæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, conſideremus ad qualem ſponſum, vel ad quale cõuiuium inuitati ſumus. Inuitati enim ſumus ad menſam, hic non inuenitur cibus hominum, ſed panis ponitur angelorũ. Et ideo videamus, ne forte intus in anima vbi deberemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus inuoluti: & quãdo eos qui boni ſunt in oculis Dei caſtitas reddet candidos, tunc eos, qui mali ſunt, reddat luxuria ſordidatos. Et ideo quotieſcunque aut dies natalis domini, aut reliquę feſtiuitates aduentũt, ſicut frequẽter admonui ante plures dies, non ſolùm ab infelici concubinarum conſortio, ſed etiam à propriis vxoribus abſtinete, ab omni iracundia vos alienos efficite, peccata præterita per eleemoſynam, & pœnitentiam redimantur, contra nullum hominum odium in corde teneatur: quod ſolebat vanitas per gulam perdere, incipiat iuſtitia per miſericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula diſſipauit in mundo, pietas reponat in cælo. Et licet hoc expediat, vt ſemper eleemoſynas facere debeamus, præcipue tamen in ſanctis ſolennitatibus ſecũdum vires noſtras abũdantius erogemus, pauperes ante omnia frequentius ad conuiuium reuocemus. Non enim eſt iuſtum, vt in ſancta ſolẽnitate in populo Chriſtiano ad vnum dominum pertinẽte alij inebrientur, alij famis periculo cruciẽtur. Et nos, & omnis populus vnius domini ſerui ſumus, vno pretio redempti ſumus, pari conditione in hunc mundum intrauimus, ſimili etiam exitu migraturi ſumus. Et ſi bene agimus, ad vnam beatitudinẽ pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus eſt regnum? Quare pauper nõ accipiat vel veterem tunicã, qui tecum recepturus eſt immortalitatis ſtolam? Quare pauper nõ mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere baptiſmi ſacramentum? Cur indignus eſt accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad cõuiuium inuitatus eſt angelorũ? Audite, fratres, audite non meum ſed domini commune præceptum. Sic enim ait in Euangelio, Cum facis pran- *Luc. 14.* dium, aut cœnam, noli inuitare diuites, qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio, ſed voca pauperes, & claudos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi, retribuetur autem tibi in retributione iuſtorum. Sed dicit aliquis, Ergo amicos, aut parentes non debeo ad conuiuium vocare? Rogandi ſunt & parentes, & vicini, ſed rariùs rogandi ſunt. Et non nimis ſumptuoſa, & delicioſa, ſed tã parca, & ſobria vel honeſta illis debẽt cõuiuia pręparari, vt remaneat vnde poſſint pauperes refici, vnde poſſit aliquid indigentibus erogari, vt cùm dies iudicij venerit, non cum impiis, qui nunc pauperes deſpiciunt, audiamus: Diſce- *Matth. 25.* dite à me maledicti in ignem æternum: ſed cum iuſtis, & miſericordibus audire mereamur, Venite benedicti patris mei percipite regnũ, quia eſuriui & dediſtis mihi manducare. ſitiui, & dediſtis mihi bibere: ſimul etiam nobis illa vox deſiderabilis dirigatur, Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te cõſtituam, intra in gaudium domini tui. Sed vt hęc quæ ſuggeſſimus ſenſibus veſtrę charitatis tenacius inhęreant, breuiter quę dicta ſunt iteramus. Hoc enim admonuimus, fratres, vt quia natalis domini imminet, tanquam ad nuptiale, & cęleſte conuiuium ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati nos per Chriſti adiutorium præparemus, eleemoſynas pauperibus erogemus, iracundiam, vel odium velut venenum de cordibus noſtris reſpuamus. Caſtitatem fideliter conſeruate, ad conuiuia veſtra frequentius pauperes reuocate, ad vigilias maturius ſurgite, in eccleſia ſtantes aut orate, aut pſallite, verba ocioſa, aut ſecularia nec ipſi proferte, & eos qui proferre voluerint caſtigate. Pacem cum omnibus cuſtodite, & quos diſcordes agnoſcitis, ad concordiam reuocate. Hæc ſi fideliter, Chriſto adiuuante, volueritis implere, & in hoc ſeculo ad altare dominicum ſecura conſcientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem fœliciter peruenire, præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pœnitentia ſordes vitiorũ emundantur. *Pſalm. 84.* *Olim in diebus feſtis & ieiuniorũ etiã à propriis vxoribus abſtinere ſolebant.*

S. MAXIMI EPISCOPI

Taurinenſis in vigiliis Natalis dominici homilia.

LÆtitia quanta ſit, quantúſque concurſus cum imperatoris mundi iſtius natalis celebrandus eſt, bene noſtis, quemadmodum duces eius, & principes, omnes etiam militantes accurati ſericis veſtibus, accincti operoſis cingulis, auro fulgente precioſis, ambiant ſolito nitidius in conſpectu regis incedere. Credunt enim maius eſſe imperatoris gaudium, ſi viderit maiorem ſuæ apparitionis ornatum, tantóque illum lætum futurum, quanto ipſi fuerint in eius feſtiuitate deuoti: vt, quia imperator tanquam homo corda non cõſpicit, affectum eorum circa ſe probet, vel habitum intuendo: ita fit, vt ſplendidius ſe accuret, quiſquis regem fidelius diligit. Deinde quia in die natalis ſui ſciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel miniſtris ſuis, vel his, qui in domo eius abiecti putantur & viles, tanta prius theſauros eius replere diuitiarum varietate feſtinant, vt in quantum prærogare voluerit, in tantum prærogatio copioſa non deſit, & ante voluntas donandi deficiat quàm ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideo ſolicitè faciunt, quia maiorem ſibi remunerationem pro hac ſolicitudine ſperant futuram. Si ergo, fratres, ſæculi iſtius homines propter præſentis honoris gloriam terreni regis ſui natalis diem tanta apparitione ſuſcipiunt: quanta nos accuratione æterni regis noſtri Ieſu Chriſti natalem ſuſcipere debemus, qui pro deuotione noſtra non nobis temporalem largietur gloriam, ſed æternam, nec terreni honoris adminiſtrationem dabit, quę ſucceſſore finitur, ſed cœleſtis imperij dignitatem, quæ non habet ſucceſſorem? Qualis autem noſtra remuneratio ſit futura, dicit Propheta: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt, quę præparauit Deus diligentibus ſe. Quibus indumentis nos exornari oportet. Quid autem diximus nos, hoc eſt animas noſtras, quia rex noſter Chriſtus non tam nitorem veſtium quàm animarum requirit affectum: nec inſpicit ornamenta corporum, ſed conſiderat corda † mentorum, nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operoſitatem miratur, ſed fortis caſtimoniæ reſtringẽtis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipſum probati fide, compti miſericordia, moribus accurati: & qui fidelius Chriſtum diligit, nitidius ſe mandatorum eius obſeruatione componat, vt verè nos in ſe credere videat, cum ita in eius ſolennitate fulgemus, & eo magis lætus ſit, quo nos perſpexerit puriores. Atque ideo ante complures dies caſtificemus corda noſtra, mundemus conſcientiam, purificemus ſpiritum, ac nitidi, & ſine macula immaculati domini ſuſcipiamus aduentum: vt cuius natiuitas per immaculatã virginem conſtitit, eius natalis per immaculatos ſeruulos procuretur. Quiſquis enim in illa die ſordidus fuerit, ac pollutus, natalem Chriſti, votúmque non curat, interſit licet dominicæ feſtiuitati corpore, mente tamen longius à ſaluatore ſeparatur. Nec ſocietatem habere poterunt immundus & ſanctus, auarus & miſericors, corruptus & virgo, niſi quod magis ingerẽdo ſe indignus offenſionem contrahit, cùm minime ſe cognoſcit. Dum enim vult officioſus eſſe, iniurioſus exiſtit, ſicut ille in Euangelio, qui in cœtu ſanctorum inuitatus ad nuptias venire auſus eſt, veſtem non habens nuptialem. Et cum alius niteret iuſtitia, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus deformi horrore ſordebat: & quanto plus ſimul diſcumbentium beatorum candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus diſpliciuiſſe forſitan, ſi in conſortium iuſtorũ minimè ſe dediſſet. Propterea ergo ſublatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non ſolum quod peccator erat, ſed quia, cum peccator eſſet, ſanctitatis ſibi meritum vendicabat. Igitur, fratres, ſuſcepturi natalem domini ab omni nos delictorum fece purgemus, repleamus theſauros eius diuerſorum munerum donis, vt in die ſancta ſit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes veſtiantur. Nam quale erit ſi in vna eadémque domo inter ſeruulos vnius domini alter exultet in holoſericis, alter conſumatur in pannis, alius æſtuet cibo, alius famem, frigúſque ſuſtineat, ille eructet heſternam indigeſtionis crapulam, hic heſternã ieiunij inediam non reſoluat? Aut qui erit noſtræ orationis effectus, cũ petimus vt liberemur ab inimico, qui non ſumus liberales in fratres? Simus imitatores domini noſtri. Si enim ille pauperes in cœleſti gratia voluit nobis eſſe conſortes, cur nobis non ſint in ſubſtantia terrena conſortes? Nec extranei ſunt alimoniis, qui fratres ſunt ſacramentis, niſi quod rectius apud Deum per ipſos agimus cauſam noſtram, vt noſtris eos alamus ſumptibus, qui illi gratias agant. Quicquid autem pauper dominum benedicit, illi proficit, quo faciente dominum benedicit. Et ſicut ſcriptum eſt de illo: Væ illi homini, per quem nomen domini blaſphematur, ita & de iſto ſcribitur. Pax huic homini, per quem nomen domini benedicitur ſaluatoris. Quale autem eſt meritum largientis, vt ſolus quis operetur in domo, & per multos in eccleſia dominum deprecetur, & quod ille fortaſſis petere de diuinitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus etiam quod non ſperabat, accipiat? Quod ad adiutorium noſtrum commemorans beatus Apoſtolus ait: Vt per multos gratiarum actio referatur pro nobis. Et iterum: Vt fiat oblatio noſtra accepta, ſanctificata in ſpiritu ſancto.

Eſa. 64. & 1. Cor. 2.

**for. mentium mentis.*

Matt. 22. Luc 14.

Rom. 15.

S. GREGORII PAPAE

in idem euang. homilia.

DOminus ac redemptor noſter paratos nos inuenire deſiderans, ſeneſcentem mundum quæ mala ſequantur, denunciat, vt nos ab eius amore compeſcat. Appropinquantem etiam eius terminum quantæ † perſecutiones præueniãt, innoteſcit: vt, ſi Deum metuere in tranquillitate nolumus, vicinum eius iudicium vel † perſecutionibus attriti timeamus. Huic etenim lectioni ſancti Euãgelij, quam modo veſtra fraternitas audiuit, paulò ſuperiùs Dominus præmiſit, dicens, Exurget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum: & erunt terræ motus magni per loca, & peſtilentiæ, & fames. Et quibuſdam interpoſitis,

** Percuſſiones*

Percuſſionibus.

hoc, quod modò audiſtis, adiunxit, *Erunt ſigna in ſole & luna &c.* Ex quibus profectò omnibus alia iam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus, nam gentem contra gentem exurgere, earumque preſſurá terris inſiſtere, plus iam in noſtris tribulationibus cernimus, quam in codicibus legimus. Quòd terræ motus vrbes innumeras ſubruat, ex aliis múdi partibus ſcitis quàm frequéter audiuimus. Peſtilentias ſine ceſſatione patimur. Signa verò in ſole, & luna, & ſtellis adhuc apertè minimè vidimus: ſed quia & hæc non longè ſint, ex ipſa iam aëris immutatione colligimus: quáuis

De Longobardis dicit.

priuſquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipſum qui poſteà fuſus eſt, humani generis ſanguinem coruſcantem. Confuſio autem maris, & fluctuum, necdum noua exorta eſt. Sed, cùm multa prænunciata iam completa ſint, dubium non eſt, quin ſequantur etiam pauca, quæ reſtant: quia ſequentium rerum certitudo, eſt præteritarum exhibitio. Hæc nos, fratres chariſſimi, idcirco dicimus, vt ad cautelæ ſtudium veſtræ mentes euigilent, ne ſecuritate

Timor & ſolicitudo neceſſaria Chriſtiano.

torpeant, ne ignorantia langueſcant: ſed ſemper eas & timor ſolicitet, & in bono opere ſolicitudo confirmet: penſantes hoc, quod redemptoris noſtri voce ſubiúgitur: *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur.* Quid enim Dominus virtutes cælorũ, niſi Angelos, Archágelos, Thronos & Dominationes, Principatus & Poteſtates appellat? quæ in aduentu diſtricti iudicis noſtris tunc oculis viſibiliter apparebũt, vt diſtrictè tunc à nobis exigant hoc, quòd nos modò inuiſibilis conditor æquanimiter portat, vbi & ſubditur: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.* Ac ſi apertè diceretur: In poteſtate magna, ac maieſtate viſuri ſunt, quẽ in humilitate poſitum audire noluerũt, vt virtutem eius tanto tunc diſtrictiùs ſentiant, quanto nunc ceruicem cordis ad eius patientiam non inclinãt. Sed, quia hæc contra reprobos dicta ſunt, mox ad electorum conſolationem verba vertũtur, nam & ſubditur; *His autem fieri incipiẽtibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Ac ſi apertè veritas electos ſuos admoneat, dicẽs: Cùm plagæ mundi crebreſcũt, cùm terror iudicij virtutibus cómotis oſtenditur, *leuate vos capita veſtra*, id eſt, exhilarate corda: quia dũ finitur mundus cuius amici nó eſtis, propè fit redẽptio, quam quæſiſtis. In ſcriptura etenim ſacra ſæpe caput pro mente ponitur: quia, ſicut capite reguntur mẽbra, ita & cogitationes mẽte diſponũtur. Leuare itaq; capita, eſt mẽtes noſtras ad gaudia patriæ cæleſtis erigere. Qui ergo Deum diligunt, ex mundi fine gaudere, atque hilareſcere iubẽtur: quia videlicet eum, quem amant, mox inueniunt, dum tranſit is quem non amauerunt. Abſit enim, vt fidelis quiſque, qui Deum videre deſiderat, de mũdi percuſſionibus lugeat quẽ finiri eiſdẽ ſuis percuſſionibus non ignorat. Scriptum námque eſt, Quicunque *Iac. 4.* voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei cóſtituitur. Qui ergo, appropinquãte mundi fine, non gaudet, amicũ ſe illius eſſe teſtatur, atque per hoc inimicus Dei eſſe conuincitur. Sed abſit hoc à fideliũ cordibus, abſit ab iis, qui & eſſe aliam vitam per fidem credũt, & eam per operationẽ diligunt. Ex mundi enim deſtructione lugere eorũ eſt, qui radices cordis in eius amore plantauerunt, qui ſequentem vitam non quærunt, qui illam neque eſſe ſuſpicantur. Nos autem, qui cæleſtis patriæ gaudia æterna cognouimus, feſtinare ad ea quantocyùs debemus. Optandum nobis eſt citiùs pergere, atque ad illam via breuiori peruenire. Quibus enim malis mundus non vrgetur? quæ nos triſtitia, quæ aduerſitas non anguſtat? Quid eſt vita mortalis, niſi via? Et quale ſit, fratres chariſſimi, perpendite, in labore viæ laſſeſcere, & tamen eandem viam nolle finire. Quod autem calcari mundus, ac deſpici debeat, redemptor noſter prouida comparatione manifeſtat, cùm protinus adiungit? *Videte ficulneam, & omnes arbores. Cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.* Ac ſi apertè dicat, Quia ſicut ex fructu arborum vicina æſtas agnoſcitur, ita ex ruina mundi propè eſſe cognoſcitur regnum Dei. Quibus profectò verbis oſtenditur, quia fructus mundi, ruina eſt. Ad hoc enim creſcit, vt cadat: ad hoc germinat, vt quæ germinauerit, cladibus conſumat. Bene autem regnum Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubila tráſeunt & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt. Quæ omnia ſub magna certitudine confirmantur, cùm ſubiungitur ſententia, qua dicitur? *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibũt: verba autem mea non tranſibunt.* Nihil enim in rerum corporalium natura cælo, & terra durabilius, & nihil in rerum natura tam velociter, quàm ſermo, tranſit. Verba enim quouſque imperfecta ſunt, verba non ſunt: cùm verò perfecta fuerint, omnino iam non ſunt: quia nec perfici, niſi tranſeundo poſſunt. Ait ergo: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*: ac ſi apertè dicat; Omne, quod apud vos durabile eſt, ſine mutatione, durabile ad æternitatem non eſt: & omne, quod apud me tranſire cernitur, fixum, & ſine tranſitu tenetur: quia ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit meus ſermo, qui tranſit. Ecce, fratres mei, iam cernimus, quod audiebamus. Nouis quotidie, & crebreſcentibus malis mundus vrgetur: ex illa plebe innumerabili quanti remanſeritis aſpicitis, & tamen adhuc quotidiè flagella vrgent, repentini caſus opprimunt, nouæ nos, & improuiſæ clades affligunt quotidie. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, toroſa ceruix, plena ſunt brachia: in annis autem ſenilibus ſtatura curuatur, ceruix exiccata deponitur, frequentibus ſuſpiriis pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit (nam etſi languor deſit, plerumque ſenibus ipſa ſua ſalus ægritudo eſt) ita mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipſa ſua ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem moleſtiis crebreſcentibus vrgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere, quem videtis diù ſtare non poſſe. Præcepta Apoſtolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens, Nolite mundum *1. Ioan 2.* diligere, neque ea, quæ in mundo ſunt: quia, ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Nudiuſtertius, fratres, agnouiſtis, quòd ſubito turbine annoſa arbuſta eruta, deſtructæ domus, atque eccleſiæ à fundamentis ſunt euerſæ. Quanti ad veſperum ſani, atque incolumes, acturos ſe

in craſti-

in craſtinum aliquid putabant:& tamen nocte eadem repentina morte defuncti ſunt, in laqueo ruinę deprehenſi? Sed conſiderandum nobis eſt, dilectiſſimi, quòd ad hæc agēda inuiſibilis iudex venti tenuiſſimi ſpiritum mouit, vnius procellam nubis excitauit, & terram ſubruit, caſura tot ædificiorum fundamenta concuſſit. Quid ergo iudex ipſe facturus eſt, cùm per ſemetipſum venerit, & in vltionem peccatorum ira eius exarſerit, ſi portari non poteſt, cùm nos per tenuiſſimam nubem ferit? In iræ eius præſentia quæ caro ſubſiſter, ſi ventum mouit & terram ſubruit? concitauit aëra, & tot ædificia ſtrauit? Hanc diſtrictionem venturi iudicis conſiderans Paulus ait, Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Hanc Pſalmiſta exprimit, dicens; Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida. Diſtrictionem quippe tanti iudicis tempeſtas, ignisque comitabuntur: quia tempeſtas examinat, quos ignis exurit. Illum ergo diem, fratres chariſſimi, illum ante oculos ponite, & quicquid modò graue eſſe creditur, in eius comparatione leuiatur. De illo etiam die per prophetam dicitur, Iuxtà eſt dies Domini magnus, iuxtà eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. De hac die Dominus iterum per prophetam dicit, Adhuc ſemel, & ego mouebo nō ſolùm terram, ſed etiam cœlum. Ecce (vt prędiximus) aërem mouit, & terra non ſubſtitit. Quis ergo erat, cùm cœlum mouerit? Quid autem terrores, quos cernimus, niſi ſequentis irę pręcones dixerimus? Vnde & conſiderare neceſſe eſt, quia ab illa tribulatione vltima tantùm ſunt tribulationes iſtæ diſſimiles, quantùm à potentia iudicis perſona pręconis diſtat. Illum ergo diem, fratres chariſſimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia reſiſtendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Aduentum namque ęterni iudicis tanto ſecuriores quandoque videbitis, quanto nunc diſtrictionem eius timendo præuenitis.

Hic ventus ab Ariſtot. in Meteor. Typho appellatur.

Hebr. 10.

Pſal. 49.

Soph. 1.

Agg. 2.

Timor chriſtiano ad ſalutem vtilis.

BEDAE PRESBYT. VENER. in ſuperioris Euangelij expoſ.

Ex comment. in Lucam.

ET *erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, &c.* Quia ergo ſicut dominus in ſequentibus intimat, apparente vniuerſali iudicio, cælum, & terra tranſibunt, & ſicut in Ioānis Apocalypſi legimus, mare iam non erit, merito eodem incumbente iudicio, ſonitus maris, & fluctuum confunditur, terrarum orbis prementibus ſe inuicem colonis, inficitur, maxima cæli luminaria percuſſis horrore nouo radiis turbatam faciem velant. Et quomodo impulſæ ad caſum arbores fragoris, motúsque ſui præmittere ſolent indicia, ſic termino appropiante, quaſi pauentia nutant, ac tremunt elementa. Ergo quod ait Matthæus, Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, ipſam iudicij pręſentiam ſignificat, quando, apparente veræ gloria lucis, omnia mundi lumina, tenebris, vmbríſque comparantur. Quod vero dicit Lucas; *Erunt ſigna in ſole, & luna & ſtellis*, præcurſores vicini eiuſdem iudicij quaſi nuncios indicat. Ex quibus eſt & illud prophetę, Sol vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies domini magnus, & manifeſtus. Itē quod Lucas ait, *Et in terris preſſura gentium*, ipſum eſſe reor, quod Antichriſti tempora deſcribens Matthęus dicit, Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet. Quod autem Lucas ſubiungit, *Præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum*, præco eſt illius, quod inter cætera mutabilia ſæculi, Ioannes mare habiturum cōſpexit. *Areſcentibus hominibus præ timore, &c.* Credo ipſum iudicis aduentum hac ſententia deſignari, quādo iuxta alterius loci parabolam omnes, hoc eſt, & prudentes, & fatuæ virgines inſolito clamore ſuſcitatæ, lampades ornant, id eſt ſua ſecum opera numerant, pro quibus maximo cum timore iamiamque inſtantem æterni diſcriminis expectant euentum. Nam eatenus abſque vllo timore iudicis vniuerſus penè orbis acturus eſt, Apoſtolo atteſtante, qui ait, Cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Tunc itaque ſuperueniente vniuerſo orbi timore & expectatione diſtricti examinis, multi, qui in hoc mundo florere videbantur, cum ſe ſine fructu conſpexerint, areſcent. Tunc fides, quę ſine operibus viruerat, probante ſe iuſti iudicis igne marceſcet. Nec mirum homines, hoc eſt vel natura, vel ſenſu terreſtres, ad eius iudicium turbari, cuius aſpectum & ipſæ cælorum virtutes, hoc eſt angelicæ tremēt poteſtates, beato quoque Iob atteſtante, qui ait, Colūnę cęli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. Quid ergo faciunt tabulę, quando tremunt columnę? Quid virgula deſerti patitur, cum cedrus paradiſi concutitur? *Et tunc videbunt filium hominis venientem &c.* In poteſtate & maieſtate viſuri ſunt, quem in humilitate poſitum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc diſtrictius ſentiant, quanto nunc ceruicem cordis ad eius patientiam non inclinant. Sed quia hæc contra reprobos dicta ſunt, mox ad electorum conſolationem verba vertuntur. Nam ſubditur, *His autem fieri incipientibus, reſpicite &c.* Cum plagæ (inquit) mundi crebreſcunt, cum terror iudicij virtutibus commotis oſtenditur, *leuate vos capita*, id eſt, exhilarate corda. Quia dum finitur mundus, cui amici non eſtis, prope fit redemptio, quam quæſiſtis. In ſcriptura etenim ſacra, ſępe caput pro mente ponitur. Quia ſicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente diſponuntur. Leuare itaque capita eſt, mentes noſtras ad gaudia patriæ cæleſtis erigere. Quod autem calcari mundus, ac deſpici debeat, prouida dominus comparatione manifeſtat. Nam ſequitur; *Et dixit illis ſimilitudinem. Videte ficulneam &c.* Aperte ergo docet, quia ſicut ex fructu arborum ventura ęſtas agnoſcitur, ita ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei. Quibus profecto verbis oſtenditur, quia fructus mundi, ruina eſt. Ad hoc enim creſcit, vt cadat. Ad hoc germinat, vt quæcunque germinauerit, cladibus conſumat. Bene autem regnum Dei æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſeūt, & vitę dies ęterni ſolis claritate fulgeſcunt. Quę omnia cum magna certitudine confirmantur, cum ſententia ſubiungitur qua dicitur, *Amen dico vobis, quia non præteribit, generatio hæc, donec omnia fiant.* Multum quippe commendat dominus, quod ita pronunciat. Quodammodo (ſi dici fas eſt) iuratio eius eſt, *Amen dico vobis.* Amen

Fides ſine operibus nō ſaluat.

Amen enim interpretatur verum, & tamen non eſt interpretatum, cum potuiſſet dici, verum dico vobis, nec græcus hoc interpres auſus eſt facere nec latinus. Sic manſit, non eſt interpretatum, vt honorem haberet velamento ſecreti, non vt eſſet negatum, ſed ne vileſceret nudatum. Igitur, verum dico vobis, veritas dicit, quę vtique & ſi non diceret, mentiri omnino non poſſet. Tamen commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult? *Amen* inquiens, *dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.* Generationem autem aut omne hominum genus dicit, aut ſpecialiter Iudęorum. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient.* Cęlum quod tranſibit non ęthereum, ſiue ſidereum, ſed aëreum à quo & aues cęli, & nubila cęli cognominantur, intelligere debemus, Petro atteſtante, qui dicit; Quòd cęli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens verbo Dei, per quę ille tunc mundus periit. Cęli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruati in die iudicij, & perditionis hominum impiorum. Aperte docens, quia non alij cęli ſunt igne perituri, quam qui aqua perditi, hoc eſt, inania hęc, & nubiloſa ventoſi aëris ſpatia. neque enim aqua diluuij, quę quindecim tantum cubitis montium cacumina tranſcendit, vltra aëris, ętheriſque confinia perueniſſe credenda eſt. Quocũque autem peruenire potuit, eo nimirum iuxta pręfatam beati Petri ſententiam & ignis iudicij perueniet. Si autem cœlum, & terra tranſibunt, mouere poteſt quomodo dicat Eccleſiaſtes; Generatio præterit, & generatio aduenit, terra vero in æternum ſtat. Sed aperta ratione cælum & terra per eam, quam nunc habent imaginem, tranſeunt, attamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt. Præterit enim figura huius mundi. Et ad Ioannem angelus; Erit (inquit) cælum nouum, & terra noua. Quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouantur. Cælum igitur, & terra & tranſibit, & erit, quia & ab ea quam nũc habet, ſpecie, per ignem tergetur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruabitur. Vnde per Pſalmiſtam dicitur; Mutabis ea, & mutabuntur. Quam quidem vltimam commutationem ſuam ipſis nobis nunc viciſſitudinibus nuntiant, quibus noſtris vſibus indeſinenter alternant. Nam terra à ſua ſpecie. hyemali ariditate deficit, vernali humore virideſcit. Cælum quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur. Hinc ergo, hinc fidelis quiſque colligat, & interire hæc, & tamen per innouationem refici, quæ conſtat nunc aſſidue velut ex defectu reparari.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberſtaten. eiuſdem euang. expoſitio.*

E*Runt ſigna in ſole & luna, & ſtellis*, &c. Pręuidens dominus humanæ fragilitatis tribulationes & preſſuras, quæ circa finem ſęculi venturæ ſunt, longè antè eas prædicere voluit, vt tantò faciliùs tolerarentur, quantò ab ipſo longiùs prædictæ noſcuntur, minùs enim iacula ferire ſolent, quę præuideri poſſunt, & electi qui circa finem futuri ſunt in carne, tribulationes & preſſuras mundi tanto leuiùs tolerabunt, quantò eas priùs ab ipſo redemptore prædictas meminerint. Nam interrogatus dominus à diſcipulis de aduentu ſuo, & de conſummatione ſęculi, vt ſuprà euangeliſta retulit, reſpondit: Audituri eſtis prælia, & ſeditiones præliorum: nolite terreri. Oportet, primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & cætera quæ in euangelio continentur. Et quibuſdam de perſecutione reproborum, & patientia electorum interpoſitis, adiunxit hoc, quod in capite huius lectionis audiuimus, dicẽs: *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Vbi notandum eſt, quia ad vltionem reproborum hominum, ipſa elementa mundi turbari dicuntur: quæ ſingulatim dominus enumerat, dicens: Surget gens contra gẽtem, & regnũ aduerſus regnum, ecce turbatio hominum. Terræ motus magni erunt per loca, ecce reſpectus iræ deſuper. Erũt peſtilentiæ, ecce inæqualitas corporũ. Et fames, ecce ſterilitas terræ. Terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt, ecce inæqualitas aëris. Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, ecce motio ſyderũ, præ confuſione maris & fluctuum, ecce concuſſio fluuiorum. Iuſtum eſt vt inſenſati homines, qui in cũctis peccauerũt, id eſt, ſi peccauerunt per aëris ſerenitatem, feriantur per tẽpeſtates. Et ſic de reliquis; ab ipſis inſenſatis rebus feriãtur, vt impleatur id, quod ſcriptum eſt in Salomone. Pugnabit pro eo orbis terrarũ. Quòd autem ſigna in ſole, & luna, & ſtellis futura ſunt, alius euangeliſta Matthæus manifeſtiùs declarat, dicens: In diebus illis ſol obſcurabitur, & luna *Matth.24.* non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo. Vbi ſpiritualiter ſolis nomine dominus Ieſus Chriſtus intelligitur, de quo ſcriptum eſt: Vobis autem, qui timetis Deum, orietur ſol iuſtitiæ. Et iterum: Ortus eſt ſol & congregati ſunt. Lunæ autem nomine in hoc loco eccleſia deſignatur, ſicut ſcriptum eſt in Abac. Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo. *Abac.3.* In diebus autem illis, id eſt, in tribulatione ſol obſcurabitur, quia dominus Ieſus Chriſtus virtutis ſuæ potentiam tunc non manifeſtabit. Luna autem non dabit lumen ſuum, quia eccleſia miraculorum fulgore tunc reſplendebit. Vndè per Ioan. in Apoc. dicitur. Et factus *Apoc.6.* eſt ſol niger ſicut ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis. Et Apoſto. Oportet hæreſes *1.Cor.11.* eſſe, vt probati manifeſti fiant. Quoniam cum dominus potentiam virtutis ſuæ non oſtenderit: eccleſia pro veritatis teſtimonio martyrij colore ſanguinea erit, ſicut per Iohelem prophetam di- *Iohel.2.* citur. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem antè quã veniat dies domini magnus & manifeſtus. Stellarum autem nomine in hoc loco hypocritæ deſignantur, qui dum profeſſionem fidei habent in eccleſiis, quaſi ſtellę inter aſtra fulgent. Sed vltima tribulatione imminente, ſtellæ cadent de cælo, quia plurimi tunc ab eccleſia recedent corpore, à qua priùs receſſerãt mente. Permittet enim dominus Antichriſtum ſęuire in ſanctis ſuis, & ſuam ſæuitiam in eis graſſari pertinaciter, vt patientia eorum probetur. Vndè Apoſto. *2.Theſſ.2.* Qui aduerſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Vndè & in Apo- *Apoc.12.* ca. dicitur: Et miſit draco caudam ſuam, & extraxit, &c. Hinc Daniel cùm Antichriſti tempus pręꝺiceret, *Daniel.8.* ait inter cætera. Roboratũ eſt enim contra iuge ſacrificium. Et iterum: Et vſque ad altitudinem

dinem

dinem cœli leuatus eſt, &c. *Et in terris preſſura gentium.* Non ſufficient ad vindictam reproborum hominum ſigna de cælo, ſed etiam in terris preſſuræ gentium erunt, eiſdem terræ incolis inuicem ſe prementibus, & inuidioſa contentione in ſe conſurgentibus, ſicut dominus ait: Conſurget pater in filium, & filius in patrẽ, & filia in matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Vndè Eſa. 3. Irruet vir in virum, vnuſquiſque in proximum ſuum, &c. Et Paulus, In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Vnde Matthæus eiuſdem tribulationis magnitudinem expreſſius deſcribens ait: Erit tũc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio. Nec ſolùm cælum, & terra, ſed & mare, & flumina ad vltionem reproborum hominum conſurgent. Vndè & ſubditur: *Præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.* Confuſio ſonitus maris, & fluctuum nondum noua exorta eſt, ſed cùm maxima ex parte, quæ prædicta ſunt, completa cernimus, de minimis, quæ reſtant, dubitare nõ poſſumus. Iam enim gentẽ cõtra gentẽ, & regnum aduerſus regnum ſurrexiſſe vidimus, & audiuimus, terræ motus per loca fuiſſe experti ſumus, peſtilentiam, & famẽ, terrorẽſque de cęlo, & ſigna magna fuiſſe non dubitamus. Signa in ſole, & luna, & ſtellis, à quibuſdam viſa eſſe referuntur. Confuſio autem ſonitus maris, & fluctuum, quia nondum venit, tamẽ ſine dubio ventura creditur. Tradunt enim nonnulli, quòd circa finem ſeculi mare, flumina, riuuli, iuxta qualitatem, & quantitatem, voces, & mugitus emittent, interitum ſuum quibuſdã luctuoſis vocibus deplorantes, & per hoc non paruum timorem hominibus audientibus incutient. Quia enim omnia finienda ſunt circa finem mundi, & omnia cõmouebuntur. Hinc per Ioannem in Apocalypſi dicitur: Et mare non erit. *Areſcentibus hominibus*, ſpiritualiter hominẽs in vltima tribulatione areſcere, eſt reprobos à pinguedine fidei, & charitatis deficere. Multi enim in illa tribulatione à fide areſcẽt, qui proſperitatis tẽpore fideles putabantur, ſicut dominus de iactatis ſeminibus ſupra petrã ait: quia orto ſole aruerunt. Hanc ariditatem fatuæ virgines patientur quãdo prudentibus dicent: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtrę extinguuntur. Rectè autem dicitur: *Præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Illa enim tribulatio vtcunque tolerabilis eſt, poſt cuius finẽ gaudium ſperatur. Illa dura, aſpera, & intolerabilis, quæ, quum præſentialiter cruciet, in futuro maiora cõminatur. Vtrũque enim reprobis in illa tribulatione cõtinget, quia præſentialiter mala ſuſtinebunt, & in futuro maiora expectabũt, qui & foris pœnã, & intus timorem habebunt. Nec de præſentibus, neque de futuris ſecuritatem habere poterunt, & ideo rectè dicitur, *Præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur, & tũc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum poteſtate magna & maieſtate.* Quidam hoc loco virtutes cælorum, magiſtros, & rectores eccleſiæ intelligi volunt. Sic enim aiunt, eccleſia ſpiritualiter cælum, vt eſt illud: Cælum mihi ſedes eſt, & anima iuſti ſedes ſapientiæ eſt, non incongruè virtutes cælorum, rectores eccleſiæ intelliguntur, epiſcopi ſcilicet & ſacerdotes: & de his intelligi volunt, quod ſcriptum eſt: Angeli territi purgabuntur, angelorum nomen ſemper ſacerdotes interpretantes, iuxta illud Malach. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, &c. Commoueri autem virtutes cęlorum dicuntur, quia in illo diſtricto iudicio, etiam præſules eccleſiarum rationem exoluent nõ ſolùm pro ſuis actibus, ſed etiam pro commiſſis ſibi animabus, ſicut dominus ait: Homini cui multum commiſſum eſt, multum quæretur ab eo. Et ſicut alia ſcriptura dicit: Potentes potenter tormenta patientur. Nos autem virtutes cælorum ſpiritualiter in hoc loco angelos, archangelos, thronos, dominationes & virtutes, principatus, & poteſtates, Cherubim, & Seraphim accipimus, de quibus ſcriptum eſt Pſal. 148. Laudate dominum omnes angeli eius, laudate eũ omnes virtutes eius. Quare virtutes moueri dicuntur? quia angeli non ſolùm aduentum dominicum comitabuntur, ſed etiam præceſſuri ſunt. Sed ſicut dicit dominus in Euangelio: Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Et iterum: Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Et alibi: Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus & iudicibus populi. Et Salomõ: Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cũ ſenatoribus terrę. Vel certè alio modo commoueri dicuntur, vt terror, & diſtrictio iudicij oſtendatur. Sicut enim verbi gratia: Cum rex ſeuerũ, & diſtrictũ iudiciũ in ſubditos exercet, non ſolùm illi timẽt, qui pro ſuis meritis iudicãtur, ſed etiã illi qui eius lateri adhærere ſolent. Sic cum Deus omnipotẽs in iudicio reprobos puniet vt terror, & diſtrictio iudicij oſtendatur: etiã illi timere dicuntur, qui ęterna ſtabilitate firmati ſunt. Vndè bene per beatum Iob dicitur: Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutũ eius. Quid ergo de talibus fiet, quando colũnæ cõcutientur? Quid ibi virgula deſerti patietur, quando cedrus quæ in Libano eſt, cõcutietur? Quid miſeri mortales homines futuri ſunt, cũ angeli timebũt? Et ſi iuſtus, vt ait Petrus apoſtolus, vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Huius diei diſtrictionem conſpexerat Sophonias propheta, quũ dicebat: Iuxtà eſt dies domini, iuxtà, & velox nimis. Vox diei domini amara, turbabitur ibi fortis: Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies, &c. Et iterum: Væ, qui deſideratis diem domini, ad quid vobis eam? Et quaſi fugiet homo à facie leonis, & mordet eũ coluber. Sicut dies domini, ita tenebræ & non lux. Et ſicut Matth. 24. ait, Væ prægnantibus, & nutrientibus, &c. Et iterum: Tunc erũt duo in lecto vno, &c. Et Lucas. 23. Ecce veniẽt dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, quæ non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt, tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus, operite nos. Qui ergo in hac die ſecurus eſſe deſiderat, dũ in hoc corpore viuit, huius diei diſtrictionem ante oculos mentis neceſſe eſt ponat, tantò enim erit ibi ſecurior, quantò in obſeruandis domini mandatis modò fuerit timidior. Beatus vir, qui timet dominum (inquit Propheta Pſalm. 111.) in mandatis eius volet nimis. Et ſicut ait Salomon Prouerbiorum. 28. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum. In huius diei terrore, magnam ſecuritatem eleemoſynarum largitas tribuet, quando ipſe iudex ad dexteram poſitis, dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi

Marginal notes: 2.Tim.3. — Matth.24. — Sapien.6. — Matth.13. — Eſaiæ 3. — Prouer.31. — 1.Pet.4. — Sopho.1. — Amos 5. — Eleemoſyna magnã ſecuritatem præbebunt in die iudicij.

ſtis mihi potum, hoſpes eram & collegiſtis me,
nudus & operuiſtis me, infirmus & viſitaſtis me,
Pſal. 40. in carcere eram, & veniſtis ad me. Beatus enim,
inquit propheta, qui intelligit ſuper egenum, &
pauperem, in die mala liberabit eum dominus.
Hinc viri iuſti voce dicitur: Fiducia magna erit co-
ram ſummo Deo elargitio omnibus facientibus
eam. Et iterum: eleemoſyna, fili, à morte liberabit,
& non patitur hominem ire in tenebras. Notan-
dum autem, quia, quantò certiora ſigna manife-
ſtantur, tantò domini aduentus vicinior eſſe in-
telligitur. Sicut enim cum rex ad aliquod pala-
tium, vel ciuitatem venturus eſt, nuntij alij atque
alij mittũtur, ſed cum illi videri cœperint, qui ea
eius latere reſidere ſolẽt, iam rex adeſſe creditur.
Sic aduentũ domini cum ſigna in ſole, & luna, &
ſtellis, & multa alia præcedentia ſunt, ſed cùm an-
geli qui ei ſemper aſsiſtũt cœperint apparere, ſta-
tim aduentus domini vicinus agnoſcitur. Vnde
quũ dixiſſet: *Nam virtutes cælorum mouebuntur*, ad-
iunxit. *Et tunc videbunt filiũ hominis venientem in nu-
bibus cum poteſtate magna, & maieſtate.* Filium ergo
hominis in iudicio viſuri ſunt, quia in forma ſer-
ui, id eſt in forma hominis, quam pro nobis aſſum-
pſit, ad iudicium venturus eſt, ſicut ſcriptum eſt.
Apoc. 1. Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis
Zach. 12. oculus, & qui eum pupugerunt. Et iterum: Vide-
bunt in quem transfixerunt. In poteſtate autem
magna & maieſtate eum viſuri ſunt, quem in hu-
Philip. 2. militate loquentem audire contempſerunt. Di-
Ioan. 5. gnus eſt enim vt ipſe filius Dei, qui in forma ho-
minis iniuſtè iudicatus eſt, in eadẽ forma omnes
in iudicio iuſtè iudicet, ſicut ipſe dicit in euange-
lio. Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudi-
cium dedit filio. Et iterum: Poteſtatem dedit ei
pater iudicium facere, quia filius hominis eſt. Sed
poſtquam hæc ad terrendos reprobos dicta ſunt,
mox ad ſaluandos electos dominus ſermonem
conuertit, dicens: *His autem fieri incipientibus, reſpici-
te, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redem-
ptio veſtra.* Ac ſi diceret dominus, Cum crebris
mundi ruinis, & aſſiduis plagis eius ſigna appro-
pinquare videritis, nolite de mundi interitu fle-
re, nolite de vobis timere, quia cum eius finis ve-
nerit, quem non amaſtis, inuenietis gaudium,
quod ſemper quæſiſtis. Sæpe autem in ſcripturis,
caput pro mente ponitur, ſic in Salomone dici-
Eccle. 2. tur: Sapientis oculi in capite eius. Si enim corpo-
ream viſionem attendamus, non ſolùm ſapientis
oculi in capite ſunt, ſed etiam ſtulti. Sed ſapientis
oculi in capite eſſe dicuntur, quia diſcretionem
ſpiritus habet in mente. Quia ſicut à capite mem-
bra corporis reguntur, ita & mentis cogitationes
diſcernuntur. Et ſicut caput principale eſt mem-
brum corporis, ita & mens principatur cordi. Ita
ergo & in hoc loco, cùm capita iubet leuare, men-
tem præcipit ad æternam remunerationem præ-
parare. In quibus verbis oſtenditur, quia electi
diem iudicij non tam debent timere quàm opta-
re. Vndè quotidie poſcunt in oratione dicentes:
Matt. 6. Adueniat regnum tuum: quod illorum eſt facere,
qui gratia Dei ſe præueniente, bona ſe operatos
1. Ioan. 3. eſſe recolũt. Sicut per Ioannem dicitur: Chariſſi-
mi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fidu-
ciam habemus in die iudicij. Et ne ad hæc intelli-
genda humana mens pigra remaneret, ſimilitudi-
nem de rebus viſibilibus adiunxit. Vndè & ſubdi-
tur. *Et dixit ſimilitudinem. Videte ficulneam, & omnes
arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam
prope eſt æſtas.* Ipſam namque expoſuit, addens. *Ita
& vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quia prope eſt re-
gnũ Dei.* Ac ſi diceret dominus, ſicut ex fructu ar-
boris vicina æſtas cognoſcitur, ita & vos ex ruinis
mundi, regnum Dei proximum, & vicinum eſſe
cognoſcite. Vndè bene alius euangeliſta, ſcilicet Matth. 24.
Mattheus, vt celeritatẽ venientis domini ad iudi-
cium oſtenderet, ait, Ita & vos cum videritis hæc
ſcitote quia prope eſt in ianuis. Pulchrè autem re-
gnum Dei comparatur æſtati, quia ſicut æſtatis
tempore ſol lucidior, & ſplendidior apparens
mundum illuminat, ita poſt iudicium omnis fra-
gilitas, omniſque tentatio tranſiet, & cùm ſol iu-
ſtitiæ dominus Ieſus Chriſtus in claritatis ſuæ
gloria apparuerit, ſanctos maiori ſplendore glori-
ficabit, quando implebitur, quod dominus alibi
ait: Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris Matth. 13.
mei. Et tunc impletum erit, quod ait apoſto-
lus. Quod nunc videmus per ſpeculum & in 1. Cor. 13.
ænigmate, tunc videbimus facie ad faciem. Si-
cut autem hiemis tempore arbores cernimus fo-
liis nudatas, fructibus expoliatas, & pene mor-
tuas eſſe, ita & in præſenti vita ſancti mortifican-
tes membra ſua ſuper terram, humiles & deſpecti Coloſſ. 3.
apparent, dicentes cum propheta. Quoniam pro- Pſal. 43.
pter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſi- Rom. 8.
cut oues occiſionis. Et ſicut appropinquante æſta-
te, rediuiuæ arbores veſtiuntur foliis, decorantur
floribus, ornantur fructibus: ita in die iudicij
ſancti de terræ puluere reſurgentes, induti ſtolam
immortalitatis, iucundi, & floridi apparebunt, di-
cente Pſal. Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Pſal. 91.
Libani multiplicabitur. Taliter quaſi in hyeme
id eſt in præſenti vita ſanctos mortificantes mem-
bra ſua ſuper terram quaſi ſpirituales arbores
mortuas inſpexerat Paulus, quum dicebat: Mor- Coloſſ. 3.
tui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum
Chriſto in Deo: quas iterum appropinquãte æſta-
te eaſdem veſtiri foliis, & decorari ſpiritualibus
conſiderabat floribus: quando aiebat. Cùm enim
Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos appa-
rebitis cum ipſo in gloria. Similiter & Dauid pro-
pheta ſpirituales arbores mortuas inſpexerat, cùm
dicebat: Euntes ibant, & flebant mittentes ſemi- Pſal. 125.
na ſua. Et quaſi æſtate regno Dei appropinquante
iterum viuificandas inſpexerat, quando dicebat:
Venientes autem venient cum exultatione, por-
tantes manipulos ſuos. Vnde ſancta eccleſia poſt
reſurrectionem domini fructu iuſtitiæ repleri ſe
gaudens in amoris cantico audiuit à domino. Ve- Cant. 2.
ni electa mea, formoſa mea, immaculata mea, to-
ta pulchra es amica mea, & macula non eſt in te
vlla. Iam hyems trãſiit, imber abiit & receſſit, flo-
res apparuerunt in terra noſtra, tempus putatio-
nis aduenit, manè ſurgamus ad vineas. Vel certè
aliter per ficulneam ſynagogam intelligere poſ-
ſumus. Hæc eſt illa ficulnea, ad quam iuxta alium
euangeliſtam parabolam dominus dixiſſe legitur,
quærens in ficulnea hac fructum, & non inue-
niens dixit: Nunquam ex te fructus naſcatur in Matt. 21.
ſempiternum. Cùm ergo viderimus hanc ficul-
neam, id eſt ſynagogam ex ſe fructum crudelita-
tis proferre, ſcimus quia prope eſt regnum Dei.
Quoniam circa finem ſeculi per prædicationem
Heliæ, & Enoch, Synagoga ex parte eſt creditura,
teſtante apoſtolo Paulo, qui ait. Cùm plenitudo Roma. 11.
gentium ſubintrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus 2. Cor. 5.
erit.

erit. Et iterum. Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Vnde & dominus per Malachiam prophetam repromiſit dicens. Ecce ego mitto ad vos Heliam Thesbiten, qui conuertat corda patrum in filios, & corda filiorum ad patres eorum. *Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Amen propriè Hebræorum ſermo eſt, & eſt aduerbium affirmantis, & cùm poſſit interpretari verè, vel fideliter, à nullo interpretatum eſt, ſed ob honorem, & reuerentiam domini, quoniam hoc ſermone in ſua locutione frequenter vſus eſt ita, relictus eſt ſine interpretatione. Generatio autem fides gentis Iudæorum intelligatur. Non præteribit vt plures illorum non ſint, quoadusque omnia, quæ à domino ſunt prædicta, impleantur. Si verò ad totam humani generis maſſam referatur, manifeſtè patet, quia non præteribit genus humanum, quoadusque omnia quę à domino prædicta ſunt, conſummata ſint. Prędicta enim eſt domini incarnatio, & impleta eſt. Prædicta eſt Eccleſia per vniuerſum mundum futura, & oculis cernimus impletum. Prædicta ſunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & impleta ſunt. Prædictus eſt ſonitus maris, & fluctuum, nulli dubium quin adueniat. Prędicta eſt dies iudicij, quia nondum impleta eſt, ſine dubio implēda creditur. Prædictum eſt vniuerſale iudicium, & vita æterna, & complenda expectamus. Cum quanta firmitate credenda ſint quæ à domino prædicta ſunt, ipſe manifeſtat cùm adiungit. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Nihil enim in rebus viſibilibus cęlo, & terra durabilius. Nihil in rebus humanis velocius quam verba tranſeunt, quia nec perfici niſi tranſeundo poſſunt. Cùm ergo dominus dicit: Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, oſtendit quia, quæ apud nos fixa videntur, apud illum tranſitoria ſunt, & quæ apud nos tranſitoria videntur, in eius verbis firma, & ſtabilia ſunt, quia firmas & permanentes ſententias firmat eius ſermo dū tranſit. Sed quæritur cùm dominus ait: Cælum, & terra tranſibunt, quomodo ſtare poſſit illud, quod Eccleſiaſtes ait, Generatio præterit, & generatio aduenit, terra verò in æternum ſtat? Si enim iuxta vocem domini cælum, & terra tranſibunt, quomodo terra in ſempiternum ſtare dicitur? Ad quod dicendum, quia aliud eſt cælum aëreum, aliud ſydereum, aliud æthereum. Cælum ergo aëreum terræ vicinum eſt, vnde & aues cæli nominamus, quas per aëra volitare cernimus. Et pluuia dicitur cadere de cælo, cum vtique de nubibus, quas cernimus pluat. Cęlum ergo hoc aëreum, & terra tranſire dicuntur. Pſal. dicente. Initio tu, domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, non vt omnino non ſint, ſed vt immutati in melius ſint. Ipſa verò immutatio tranſitus appellatur. Tranſire verò dicitur non ſolùm quia ita perit, vt non ſit, ſed quod immutatur, vt in melius ſit, ſicut metalla aurea, & argentea per ignem tranſeunt, non vt non ſint, ſed vt pulchriora fiant. Quoniam cęlum & terra, quæ noſtris iniquitatibus polluta ſunt, per ignem in die iudicij purganda ſunt, ſicut ait Pſalmiſta: Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et tantùm ardebit ignis in die iudicij in aëre, vt nonnulli credunt, quemadmodum aquæ diluuij occupauerunt ſuper terram. Et ipſa

Pſalm. 10.

immutatio cæli & terræ, tranſitus appellatur. Sicut enim homo amictum, vel aliquod veſtimentum à ſe proiicit, vt lotum decentius induat, ita Deus omnipotens cælum, & terram per ignem purgabit, vt purgata in melius conſiſtant. Vnde & Pſalmiſta dicit: Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Hinc & per Petrum apoſtolum dicitur, Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſita, igni reſeruati ſunt in diem iudicij. Et iterum, Dies domini ſicut fur, ita in nocte veniet in quo cęli magno impetu tranſibunt. Elementa verò calore ſoluentur. Hinc & per Eſaiam dominus ait, Ecce ego creo cęlum nouum, & terram nouam, non vt condenda ſint, ſed in melius immutanda, ſicut per Ioannem in Apocalypſi dicitur. Ecce noua facio omnia.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

ET *erunt ſigna in ſole, & luna &c.* Deinde iterum tradit ea, quæ de conſummatione. Erunt enim ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Quum enim creatura alteratur, merito elementa nouum morem habent. Et anguſtia gentium, hoc eſt, afflictio omnium perplexitate commixta. Mare autem maximis ſonis reſonabit, & erit commotio, ac turbatio, ita vt homines extabeſcant à ſolo timore, & expectatione eorum, quæ venient ſuper orbem. Vides hic manifeſte de conſummatione loquentem? Suprà enim dicebat Hieruſalem ab exercitibus, & gentibus cingendam, & conculcandam, hic autem toti orbi ſuperuentura dicit mala, & ita nunc de conſummatione ſeculi loquitur. *Nam virtutes cælorum mouebuntur.* Et quid dico, inquit, quòd homines turbabuntur, quum creatura omnis alteretur? Nam & ipſi angeli, & primæ virtutes turbabuntur, terrebunturque in terribilibus immutationibus vniuerſi. *Et tunc videbunt filium hominis.* Qui? Omnes credentes, & non credētes. *Venientem autem in nubibus,* vt Deum ſcilicet, *cum virtute, & gloria magna.* Quippe ſuper ſolem tunc fulgebit & ipſe, & crux eius, & ab omnibus agnoſcetur. *His autem fieri incipientibus, ſuſpicite & attollite capita veſtra &c.* Sicut prior aduentus domini in reſtitutionē, & regenerationē animarum noſtrarum fuit, ita & ſecundus erit in regenerationem corporum. Quoniam enim animæ prius mortuæ fuerant propter inobedientiam, corpora autem poſt nongentos annos inobedientiæ mortis vim experta ſunt: ideo poſterius regenerantur, & melius habēt, idcirco & dominus dicit, Quando hæc fiunt, ſuſpicite, qui grauati eſtis corruptione, quaſi libertate donādi, Nam ἀπολύτρωσις, hoc eſt, redemptio veſtra adeſt, hoc eſt, conſummatio vtriuſque libertatis, animæ inquam, & corporis. Præpoſitio enim ἀπὸ inſinuare videtur perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet gratia domini, extremum inimicum abolentis mortem. Aboleuit etenim principatus, & poteſtates, & animas redemit: reliqua autem erat mors, corpora noſtra depaſcens: quæ & ipſa quum abolebitur, erit nobis libertatis, & redemptionis author. Et regnum Dei ſtatim aderit, quum hæc fient. Etenim quemadmodum ficus, quæ præmittit folia, propinquam æſtatem nunciat: ita & quum hæc fiunt prodigia, & trans-

formatio vniuerſi, ſignant quòd ventura ſit æſtas, hoc eſt, regnum Dei poſt hyemem, & tempeſtatem quaſi æſtas aduenturum iuſtis: tametſi tunc peccatoribus futura ſit hyems, & tempeſtas, nam illi præſens ſæculum pro æſtate habent, futurum autem pro hyeme. *Amen dico vobis, quòd nõ præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant.* Generationem vocat non eos, qui tunc aderant, ſed omnium fidelium generationem. Solet enim ſcriptura generationem hoc nominare modo, vt, Hæc eſt generatio quærentium dominum. Quia autem turbationes, & bella, & alterationes dixit futuras tam elementorum quàm rerum: vt ne quis ſuſpicetur,
Pſal. 23. quòd forte aliquando deſtruendus ſit Chriſtianiſmus, dicit, Non. Non enim præteribit hæc Chriſtianorum generatio. Cælum quidem, & terra immutabuntur: ſermones autem mei & Euangelium meum non peribunt, ſed manebunt. Tametſi commoueantur omnia, fides tamen in me non deficiet. Apparet autem hoc loco quòd eccleſiam omni creaturæ præferat. Eccleſia enim eius, & verbum, ac euangelium nequaquam peribunt.

Fides in Chriſtum nunquã deficere poteſt: quod eſt contra Nouatores.

INCERTVS QVIDAM,

qui ſub nomine Euſebij Emeſeni circunfertur, in idem euangelium.

QVibuſdam interrogantibus dominum, & ſaluatorem noſtrum, quando veniet regnum Dei, & quod ſignum aduentus eius, reſpondit, quod priùs ſurget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terræ motus erunt magni per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt. Vnde & apoſtolus quibuſdam idipſum timentibus & ſcire cupientibus ait: Rogamus vos per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in idipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini. Quia niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Hæc igitur erunt prima ſigna aduentus Chriſti, deinde ſequentur & illa, de quibus modò dixit: *Erunt ſigna in Sole, & Luna & ſtellis.* Sicut enim Chriſti natiuitatem pax, & exultatio præceſsit, cantantibus angelis. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et ecce annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Ita & hunc perditionis filium, lites, contentiones, diſſentiones, terræmotus, peſtilentiæ & fames, & alia his ſimilia terroris ſigna præcedent. Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio ſeculi vſque nunc, neque fiet. Et niſi dominus abbreuiaſſet dies illos, non eſſet ſalua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi, vt non tantum viuat, quantum ſe viuere ſperabit. Regnabit enim per tempus, & tempora, & dimidium temporis, quem dominus interficiet ſpiritu oris ſui, & illuſtratione aduentus ſui. Sed fortaſſe dicet aliquis ea non eſſe ſigna quæ frequenter euenire ſolent, quoniam ſignum dici non ſolet, niſi nouũ aliquid & inuſitatũ, quocirca illa prælia, illos terrores more inſolito multóque tunc violentius fieri credere oportet. Vnde non immeritò illa tribulatio talis fore dicitur, qualis nulla alia aliquádo fuerit. Et propter hæc omnia ad cumulum totius mali ſurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt alia ſigna & prodigia multa: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. De ſolis autem & Lunæ & ſtellarum ſignis, alius euangeliſta dicit, quia Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent. His autem conuenire videntur quędam, quę in annalibus Iudæorum ſcripta referuntur. In quibus mare ſuper omnes montes quindecim cubitos altius exaltari narratur, ſtantibus aquis, & in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyſſum demergetur, vt vix ab inſpicientibus videri valeat. Poſtmodum verò reuertetur in locum ſuum, & tunc fortaſſe illa confuſio ſonitus maris, & fluctuum fiet, de qua hîc modò loquitur. Neque enim tanta maris, fluctuúmque commotio ſine magna confuſione, & ſonitu fieri poterit. Terra quoque ſua ſigna dabit, quia terræ motus tam magni fient, vt pene omnia manufacta ruant omnéſque lapides, etiam parui, conſcindantur. Et feræ de montibus deſcendentes inter homines manebunt, nullíque nocebunt: ipſi quoque homines quaſi amentes, & præ timore areſcentes, huc illuc diſcurrentes, tabeſcent: & his quidem euangelij verba conuenire videntur, quibus dominus ait: *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Horum autem ſignorum & aliorum quę hic non dicũtur, vnumquodque vno die & non amplius fieri narratur. Nos tamẽ his quidem authoritatem non damus, quod ideo certe ſcripſimus, quòd euangelij verbis conuenire videntur. Sequitur: *Nam virtutes cælorum mouebuntur.* Virtutes cælorum angelorum exercitus intelligimus, quæ ad iudicium venientem ſaluatorem noſtrum comitabuntur. Vnde & ſubditur: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cũ poteſtate magna & maieſtate.* Sic enim deſcendet dominus quemadmodum aſcendit, ſicut ſcriptum eſt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Quis autem dicere & cogitare valeat, quæ tunc lætitia bonis, & quæ tunc erit triſtitia malis? Hinc eſt enim quod Daniel ait: Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit. Dixerat enim ſe vidiſſe quatuor beſtias grandes & inter ſe diſſimiles. Quarum prima erat quaſi leæna, & habebat alas vt aquila: quam cum aſpiceret, euulſæ ſunt alæ eius, & ipſa interiit. Poſtea verò ſtetit, ſuper pedes eius quaſi homo, & cor eius datum eſt ei. Alia autem erat ſimilis vrſę, erántque tres ordines dẽtium in ore, & in dentibus eius dictum eſt ei: Surge, comede carnes plurimas. Tertia verò erat quaſi pardus, & habebat alas quatuor ſuper ſe, & quatuor capita in ea erant, & poteſtas data eſt ei. Quarta verò erat diſſimilis cæteris, terribilis & admirabilis & fortis valde, dentes ferreos habens, comedens, comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans. Habebat autem cornua decem, quæ cum Daniel aſpiceret, aliud cornu eſt inter illa ortum, à cuius facie tria de ſuperioribus cornibus euulſa ſunt: Erant autem

autem in cornu oculi quaſi hominis, & os loquens ingentia. Faciebat verò prœlium contra ſanctos, & præualebat eis, & putabat quod poſſet mutare tempora & leges. Et regnum ſanctorum traditum eſt in manu eius, vſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis, donec antiquus dierum ſedit, & throni poſiti ſunt. Hæc autem viderat Daniel, quæ cum intelligere non poſſet, vnum de aſsiſtentibus rogauit, vt ei exponeret quid iſta ſignificarent, dictúmque eſt ei: Quatuor beſtię, quatuor regna conſurgent de terra: ſuſcipient autem regnum Dei altiſſimi, & obtinebunt illud vſque in ſeculum & ſeculum ſeculorum. Et de quarta quidem beſtia plenius in ſequentibus dicetur. De tribus verò, quoniam angelus nihil amplius expoſuit, quid dederit dominus, modò dicemus. Primæ igitur beſtiæ regnum Græcorum eſt, cuius initium Alexander Magnus fuit, qui quaſi leo fugiens tam paruo tempore circunquaque terras occupauit, vt magis volaſſe quam pugnaſſe videatur. Vnde nó immeritò leonis ſpeciem, & aquilæ alas habuiſſe deſcribitur. Sed quoniam paruo tempore regnauit, ideo alas eius euulſas dixit. Stetit autem ſuper pedes quaſi homo, quia tandem ſe mortalem intellexit, & cor proprium recepit, vt magis de morte quàm de honoribus cogitaret. Hoc autem regnum quantum Dei populum afflixerat, Machabæorũ libri oſtendunt. Secunda verò beſtia regnum Romanorum intelligitur, quod quidem non cum tanta fortitudine vt Græcorum cœpit, ſed ad maiorem potentiam venit, quoniam & leo vrſo fortior eſt. Tres autem ordines in ore & dentibus, ſenatum populúmque & ipſos imperatores vel conſules ſignificant: his enim tribus ordinibus regnum Romanorum omnes gentes deuorauit, & ſuo imperio ſubiugauit. Vnde & hîc dicitur ei: Surge, comede carnes plurimas. Et hoc quidem vſque ad tempora Conſtantini Dei populum affligere non ceſſauit. Per tertiam verò beſtiam regnum hæreticorum intelligimus, à tempore videlicet Arrij, & Conſtantij hæretici, & crudeliſſimi imperatoris. Maiorem enim perſecutionem tunc Dei populus paſſus eſt, quàm illa iam ſuperius dicta regna ei mouiſſent. Maius eſt enim in corpore & anima, quàm in ſolo corpore perſecutionem pati. Hæc autem beſtia pardo ſimilis, & quatuor alas habuiſſe deſcribitur: quoniam hæreticorum prædicatio velociter, & paruo tempore totum mundum volando repleuit. Quatuor enim ſunt mundi partes, quæ per quatuor alas, & quatuor capita figurantur. Quatuor enim capita habuit hęc beſtia, & in quatuor mundi partibus ſuos prædicatores hæretici habuerunt. Quanta autem poteſtas Arrianis data fuerit, Ariminenſe concilium manifeſtat. Nunc autem quid de quarta beſtia, angelus Danieli reſpondit, audiamus: Beſtia, inquit, quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis. Et deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & comminuet eam. Porrò cornua decem, decem ipſius regni reges erunt. Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit quod poſſit mutare tempora & leges, & tradentur in manus eius vſque ad tempus & tempora, & dimidium tẽporis. Hoc autem quartum regnum, de quo nunc angelo exponente audiuimus, circa finem ſeculi expectamus. Erit enim tunc, vt iam diximus, tribulatio talis, qualis non fuit ab initio ſeculi vſque nunc, neque fiet. Vnde & quarta beſtia diſſimilis exteris, magiſque terribilis fortiſque deſcribitur. Per decem verò cornua, omnes mundi reges intelligere poſſumus: frequenter enim in diuina pagina omnes per decem ſignificantur. illud verò vnum cornu, in cuius ortu tria cornua euulſa ſunt, quod habebat oculos & os loquens ingentia, Antichriſtus erit, aliis regibus fortior & potentior. Qui poſtquam tres illos reges ſuperabit, & illorum regna ſubiugabit, in tantam ſuperbiam eleuabitur, vt contra altiſſimum loqui, & ore nefario Deum ſeducere non timeat. Plenus namque ſpiritu Satanę virtutes multas & miracula arte diabolica operabitur. Et alios quidem ſignis, alios verò gladiis ad ſuam voluntatem conuertet. Prælíabitur autem contra ſanctos, quia venient tunc Enoch, & Helias, quos quia ratione ſuperare non poterit, gladiis interimi faciet. Putabit autem quod poſſit mutare tempora & leges, quia nouum teſtamentum ad veteris conſuetudinem transferre conabitur. Regnabit autẽ per tempus, & tempora, & dimidium temporis, per quod tres annos, & dimidium intelligimus, quem dominus interficiet ſpiritu oris ſui, & auferet illuſtratione aduentus ſui. Et tunc quidem ſicut in Euangelio audiuimus, videbunt filium hominis venientem in nubibus & poteſtate multa & maieſtate. Perueniet autem vſque ad antiquum dierum, quia patri ſe æqualem, eiuſdémque antiquitatis ſe eſſe oſtendet. *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Audiſtis, inquit, certiſſima ſigna futuri iudicij, quæ poſtquam fieri incipient, reſpicite, & mentis oculos aperite, credite, & dubitare nolite. Leuate capita veſtra, & à terrenis ad cęleſtia erigite mentem veſtram, quoniam appropinquauit redemptio veſtra. Quamuis enim diem illam nemo ſciat, proximè tamen eſſe dubitari non poterit, poſtquam hæc talia & tanta ſigna fieri incipient. Cuius rei gratia hanc valde competentem ſimilitudinem ſubdidit, dicens: *Videte ficulneam & omnes arbores cùm producant iam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita & vos cùm videritis fieri hæc, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.* Sicut enim fructus, & folia nouiter in arboribus naſcentia, æſtatis aduentum denuntiant: ita & ſigna ſuperiùs dicta ſtatim vt apparuerint, regnum Dei propè eſſe certiſſimè nuntiabũt. *Amẽ dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiãt.* Niſi hęc ſigna prius apparuerint, hominum generatio finiri, & dies vltima venire non poterit. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, ſed in ſuę veritatis ſtabilitate ſemper manebunt: tranſiret enim ſi id quod fieri affirmant, non fieri poſſet, & id quod fieri negant, fieri contigiſſet.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euangelij expoſitio.

ET *erunt ſigna in ſole &c.* Hæc de ſecundo aduentu ſuo dicit.

DOMINICA II. ADVENTVS.

MATTH. II.

a Poſitus. b Lex ad gratiam euangelij mittit.

IOANNES autem cum audiſſet in [a] vinculis opera Chriſti, [b] mittēs duos [c] de diſcipulis ſuis, [d] ait illi: Tu [e] es qui vēturus es, an aliū

c Ne alium à ſe prædicatum putarent. d Per illos. e Hoc dicite.

f Non ad interrogata ſed ad ſcandalum nunciorum. g Non reſpondit Ioanni, quia non dubitabat, ſed illis.

expectamus? Et [f] reſpondens Ieſus, ait illis, Euntes [g] renunciate

h Ceſſent verba loquantur opera. i Per miracula. k Per doctrinam euangelij illuminatur.

Ioanni, quæ [h] audiſtis & [i] vidiſtis. [k] Cæci vident, claudi ambulant, leproſi

l Pauperes ſpiritu vel opibus intus illuminantur, vt in prædicatione nulla differentia ſit inter pauperes & diuites.

mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, [l] pauperes euangelizantur. Et

m In hoc nuncios percutit ſicut poſt oſtenditur. n Ne turbæ Ioannem leuitate motum ſuſpicentur, & vt ſciant eum quæſiſſe non ſibi, ſed diſcipulis.

beatus eſt qui [m] non fuerit ſcandalizatus in me. Illis [n] autem abeuntibus,

o Quæ neſciebant myſterium interrogationis eius.

cœpit Ieſus dicere ad [o] turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre,

p Qui omni vento agatur, vt leuitate mentis de me ambigat quem prædicauit. q Non. r An vana gloria ductus loca quæſierat pro dapibus vel veſtibus, qui in cuſtis viuit, & pilis camelorum induitur.

[p] arundinem [q] vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? [r] Hominē mollibus

s Vbi aliquid venentur.

veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in [s] domibus regum ſunt. Sed quid

t Poſſit quod erat. v Qui me non tantùm venturum prædixit, ſed etiam digito demonſtrauit.

exiſtis videre? [t] Prophetam? Etiam dico vobis, & [v] pluſquàm prophetam. Hic

x In Malachia. y Verba patris ad filium. z Nuncium. a Manifeſtationem tuam.

eſt enim de quo [x] ſcriptum eſt: Ecce [y] ego mitto [z] angelum meum ante [a] faciem tuam, qui [b] præparabit viam tuam ante te.

b Penitus reddet tibi corda auditorum pœnitentiam prædicando, baptizando.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

IOannes &c. Dū Chriſtus prædicaret, & prędicationem ſuam variis ſignis confirmaret, Ioannes eius opera audiuit, poſitus in vinculis ab Herode. *Sed cum audiſ. mit. duos de diſ. ſuis ait illi*: *Tu es quem.* Ioannes interficiendus ab Herode interrogat, non quia dubitet, qui aliis dixerat: Ecce agnus Dei. Qui & vocem patris audiuerat: Hîc eſt filius meus dilectus. Sed vt miſſi ſigna videntes crederent, & dictis eius opera Chriſti fidem facerent, ne alius Chriſtus expectaretur. Quod autem diſcipuli Ioannis aduerſus Chriſtum ſuperbirent, & aliquid liuoris haberent, ſupra innotuit ibi: Quare nos & phariſęi ieiunamus? Et vbi Ioanni dixerunt: Magiſter, cui teſtimonium dediſti: Ecce diſcipuli eius baptizant, & plures veniunt ad eum. Hæc omnia eadem de Ioanne Lucas ponit, non ipſo ordine: ſed quis ordinem rei geſtæ teneat, non apparet. *Tu es qui venturus.* Nō ait, qui veniſti. Quia cum ad inferna deſcenſurus ſum, debeo te nūciare inferis, qui nūtiaui ſuperis. An cōueniat filio Dei mori, an aliū ad hæc ſacramēta miſſurus es? *Qui non ſu.* Qui de diuinitatis potētia nō dubitauerit, hoc non contra Ioannem quem mox adeò commendat. *De Ioanne*, Præcurſor Chriſti de Chriſto certificare diſcipulos voluit, quia ſenſit eos dubitare. De

Ioannis 1. d

Luca 3. e

Matth. 9. b

præcurſore Chriſtus turbas dubitantes, nē dubitent docuit, mollem leuémque putantes. *Ecce qui.* Qui ponunt puluinaria ſub cubito, qui vitam peccantium palpant, non pungunt. Nota. Rigida vita & prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes. *Plus quàm pro.* Beda quia angelus non natura ſed officio.

CATENA AVREA IN
idem Euangelium.

I*Oannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis &c.* Gloſ. Poſuit ſuprà euangeliſta quomodo per miracula, & doctrinam Chriſti tam diſcipuli quam turbæ inſtruebantur, nunc oſtendit quomodo hæc inſtructio vſque ad diſcipulos Ioannis peruenerit, qui ad Chriſtum æmulationem habere videbantur. vnde dicit: *Ioannes autem cùm audiſſet in vin. &c.* Gregorius. Quęrendus autem nobis eſt Ioannes propheta & pluſquam propheta qui venientem ad baptiſmum dominum oſtēdit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. cur in carcere poſitus mittens diſcipulos requirit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* tanquam ſi ignoraret quem oſtenderat, & an ipſe ſit neſciat, quem ipſe prophetizando, baptizando, oſtendendo ipſum eſſe clamauerat. Ambr. Nonnulli autem hoc ſic intelligunt

ligũt:Magnum quidem ita prophetam eſſe Ioannem vt Chriſtum agnoſceret, annuntiaret remiſſionem peccatorum futuram:ſed tamen tanquam pium vatem quem venturum crediderat,non credidiſſe moriturum.Non igitur fide ſed pietate dubitauit.Dubitauit etiam & Petrus,dicens: Propitius tibi eſto domine,non fiet hoc.Chryſoſtomus in homilia. Sed non vtique hoc habet rationem. Ioannes enim neque hoc ignorabat, ſed hoc primum teſtatus eſt,dicens:Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. Agnũ enim vocans,crucem diuulgat, nec aliter quam per crucem peccatum abſtulit mundi. Qualiter autẽ maior propheta eſt hic,ſi neque quæ prophetarũ ſunt noſcit? Etenim Eſaias dicit: Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt. Greg.in homilia.Sed aliter hæc quæſtio ſoluitur, ſi geſtæ rei tempus penſatur. Ad Iordanis enim fluenta poſitus,quia ipſe redemptor mundi eſſet, aſſeruit:miſſus verò in carcerẽ, an ipſe veniat, requirit:non quia ipſum eſſe mũdi redẽptorem dubitat,ſed quærit vt ſciat, ſi is qui per ſe in mũdum venerat,per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat. Hieronymus, Vnde non ait:Tu es qui veniſti,ſed *tu es qui venturus es*:Et eſt ſenſus:Manda mihi,quia ad inferna deſcenſurus ſum, vtrùm te etiã inferis debeã nuntiare,an alium ad hæc ſacramenta miſſurus es?Chry.in ho.Sed qualiter & hoc habet rationem? Cuius enim gratia non dixit: Tu es qui venturus es in infernum,ſed ſimpliciter: *Qui venturus es?* quãuis & deriſibilius videatur quòd propter hoc ei dixerit, vt & illuc abiens prædicaret. præſens enim vita,gratiæ tempus eſt,poſt obitum autem iudicium eſt, & pœna:quare in nullo opus erat præcurſore illic.Sed aliter: Si infideles poſt mortem credentes eſſent ſoluendi, nullus peribit aliquãdo: omnes enim pœnitebunt tunc,& adorabunt. Omne enim genu flectetur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Gloſſa. Conſiderandum autem eſt quòd non ideo Hieronymus & Gregorius dixerunt, quòd Ioannes aduentum Chriſti in infernum prænuntiaturus eſſet, quia eius prædicatione aliqui non credẽtes conuerterentur ad fidem:ſed vt iſtis in expectatione Chriſti manẽtibus, ex vicino aduentu conſolationem afferret:Hila.Certũ eſt autem quòd qui vẽturum vt præcurſor nuntiauit,conſiſtentem vt propheta agnouit, adeuntem vt confeſſor veneratus eſt: eius abundanti ſcientiæ error non obrepſit. Nec ſanè credi poteſt ſpiritus ſancti gratiam in carcere poſito defuiſſe, cum apoſtolis virtutis ſuæ lumen eſſet in carcere poſitis miniſtraturus. Hieron. Non ergo quaſi ignorans interrogat, ſed quomodo ſaluator interrogat vbi ſit Lazarus poſitus: vt qui locum ſepulchri indicabant, ſaltem ſic pararentur ad fidem, vt viderent mortuum reſurgentem. Sic & Ioannes interficiendus ab Herode,diſcipulos ſuos mittit ad Chriſtum,vt per hanc occaſionem videntes ſigna, atque virtutes crederent in eum,& magiſtro interrogante ſibi diſcerent.Quòd autem haberẽt diſcipuli Ioannis aliquid mordacitatis ex inuidia aduerſus dominum, ſuperior quoque interrogatio demonſtrauit,cum dixerunt: Quare nos & phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?Chry.in homilia:Donec igitur Ioannes erat cum ipſis, ſuadebat eis continuè de Chriſto:quia autem iam erat obiturus, amplius ſtudium facit. Etenim formidabat ne relinquat in diſcipulis ſuis pernicioſi dogmatis conditionem, & maneant abiecti à Chriſto, cui & à principio omnes ſuos offerre ſtuduit.Si autẽ dixiſſet eis:Abite ad ipſum, quia melior me eſt:nõ vtique perſuaſiſſet,ſed æſtimaretur humilia de ſe ſentiens hoc dicere, & ſic magis eſſent ei affixi. Quid igitur facit? Expectat ab eis audire quòd Chriſtus miracula facit neque omnes mittit, ſed duos quoſdam, quos nouerat fortaſſis alijs perſuaſibiliores exiſtẽtes,vt inſuſpicabilis interrogatio fieret,& ex rebus ipſis diſcerent diſtantiam inter eum & Ieſum.Hila.Ioannes igitur non ſuæ,ſed diſcipulorum ignorantiæ conſulit. Vt enim ſcirent non alium à ſe prædicatum, ad opera eius intuẽda diſcipulos ſuos miſit,vt authoritatem dictis ſuis illius opera conferrent, nec Chriſtus alius expectaretur quam cui teſtimonium opera præſtitiſſent. Chry.in homil.Chriſtus autem mentem noſcens Ioannis,non dixit:Quoniam ego ſum,quia per hoc rurſus obſiſteret hoc audientibus: excogitaſſent enim etſi non dixiſſent,quod Iudæi ad ipſum dixerunt, Tu de teipſo teſtimonium perhibes:& propter hoc à miraculis fecit eos diſcere, inſuſpicabilem doctrinam faciẽs,& manifeſtiorem. Teſtimonium enim quod eſt à rebus, credibilius eſt teſtimonio quod eſt à verbis:vnde confeſtim curauit cæcos & claudos, & alios multos: non vt doceret Ioannem ſcientem,ſed hos qui dubitabant. & ideo ſequitur. *Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis &c.* Hie. Quod præmiſſis non minus eſt. Pauperes autem euangelizatos intellige vel pauperes ſpiritu, vel certè opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles,& ignobiles,inter diuites, & egenos,in prædicatione diſtantia ſit:hæc magiſtri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem:quando omnis apud eum qui ſaluari poteſt, æqualis eſt.Chryſ.Quod autem ait,*Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*,internuntios percutit: quia enim ſcandalizabantur in ipſo, dubitationem eorum non diuulgãs, & ſoli eorum cõſcientiæ derelinquens, redargutionem eorum latenter induxit.Hila.Itaque cui rei Ioãnes cauiſſet oſtendit,dicens beatos eos in quibus aliquid in ſe ſcandali non fuiſſet:quia metu eius ſcilicet ne ſcandalizarentur,diſcipulos ſuos Ioannes, vt Chriſtum audirent,miſit.Greg. Vel aliter:Infidelium mens, graue in Chriſto ſcandalum pertulit, cum eum etiam poſt tot miracula morientem vidit. vnde Paulus dicit: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum. Quid ergo eſt dicere: *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, niſi aperta voce abiectionem mortis ſuæ humilitatemque ſignare? ac ſi patenter dicat:Mira quidem facio,ſed abiecta perpeti non dedignor: quia ego moriendo te ſubſequor, cauendum valde eſt hominibus ne in me mortem deſpiciant, qui ſigna venerantur. Hilar. Præbetur etiam myſticè in his quæ in Ioanne geſta ſunt, intelligentia amplior: vt propheta ipſo conditionis ſuæ genere prophetizaret, quia in eo forma legis lata eſt. Chriſtum enim lex annuntiauit, & remiſsionem peccatorum prædicauit, & regnum cælorum ſpopondit, & Ioannes totum hoc opus legis expleuit. Igitur ceſſante iam lege,quæ peccatis plebis incluſa, ne Chriſtus poſſet intelligi, quaſi vinculis & quaſi carcere continebatur, ad euangelia cõtuenda lex mittit, vt infidelitas fidem dictorum contempletur in factis. Ambr. ſuper Lucam: Et fortaſſe iſti

diſcipuli quos miſit, ſunt duo populi: vnus qui ex Iudæis credidit, alter qui ex Gentilibus. *Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum &c.* Chry. Quantum ad diſcipulos Ioannis ſatis actum erat: certificati enim de Chriſto per ſigna quæ viderant, receſſerunt. Sed oportebat etiam turbas ſanari, quæ ex interrogatione diſcipulorum Ioannis multa inconuenientia ſubintellexerunt, ignorantes mittentis conſilium. Poterant vtique dicere qui tanta teſtatus eſt de Chriſto, aliter perſuaſus eſt nunc, & dubitat vtrùm ſit ipſe. Nunquid ergo altercans ad Ieſum hoc dicit? nunquid timidior à carcere factus? nunquid vanè & inaniter priora dixit? Hil. Ac ne illud quod immediatè præmiſerat referri poſſet ad Ioãnem tanquam ſcandalizatus eſſet in Chriſto, ſubditur: *Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Chryſ. in homil. Propter hoc autem abeuntibus eis vt non videatur homini adulari: corrigens autem & plebem, non ducit in medium ſuſpicionem eorum, ſed ſolutionem cogitationum eorum inducit, qua eos in dubitationem mittebat demõſtrãs ſe noſſe occulta. Neque enim dicit ſicut Iudæis, quid cogitatis mala? etenim ſi mala cogitauerint, non tamen ex malitia, ſed ex ignorantia. Vnde non loquitur eis durè, ſed reſpondet pro Ioanne, oſtendens quòd non excidit à priori opinione. Hoc autem docet, non ſolũ proprio verbo, ſed eorum teſtimonio: non tantùm per ea quæ dixerunt, ſed per ea quę egerunt. Ideóque ait: *Quid exiſtis in deſertum videre?* ac ſi diceret: Propter quid ciuitates dimittentes conueniſtis in deſertum? Non enim plebs tanta cum tanto deſiderio in eremum veniſſet, niſi magnum quendam & mirabilem & petra ſolidiorem ſe videre exiſtimans. Glo. Non autem tunc exierant in deſertum ad hoc vt viderent Ioannem, nec enim erat tunc in deſerto, ſed in carcere: ſed præteritum refert, quia frequenter exierat populus in deſertum videre Ioannem, cùm adhuc eſſet in deſerto. Chry. in hom. Et vide quia omnẽ aliam malitiam prætermittens, remouet à Ioanne leuitatem, de qua turbæ dubitabant, dicens: *Arundinẽ vento agitatam.* Greg. in hom. Quod videlicet non aſſerendo, ſed negando intulit. Arundinem quippe mox vt aura contingit, in partẽ flectit: per quam carnalis animus deſignatur, qui mox vt fauore & detractione tangitur, in partẽ quamlibet declinatur. Arundo ergo vento agitata Ioannes non erat, quem à ſtatus ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. ac ſi dominus diceret. Hieronymus. Nunquid ob hoc exiſtis in deſertum, vt videretis hominem calamo ſimilẽ, qui omni vento circunfertur, & leuitate mentis de eo ambigeret, quem antea prædicaret? An forſitan ſtimulis inuidiæ contra me cogitur, & prædicatio eius vanam ſectatur gloriam, vt ex ea quærat lucra? vt diuitias cupiat? vt affluat dapibus? locuſtis veſcitur & melle ſylueſtri. An vt mollibus veſtiatur? pili camelorum ſunt tegmen eius. & ideo ſubiungit: *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum?* Chryſ. in homil. Vel aliter: Quòd non ſit Ioannes ſimilis calamo mobili, per veſtrum ſtudium ſignificaſtis, ſcilicet in deſertum exeuntes. Non tamen poteſt aliquis dicere, quòd Ioannes quidem conſtans erat, ſed poſtea laſciuiæ ſeruiens, factus eſt mobilis. Sicut enim aliquis eſt iracundus natura, alius per infirmitatem longam: ita aliqui ſunt mobiles per naturam, alij verò laſciuiæ ſeruiendo mobiles fiunt. Ioannes autem neque natura mobilis erat propter quod dixerat: Num exiſtis videre arundinem vento agitatam? Neque laſciuiæ dans ſeipſum, perdidit quam habebat excellentiam. Quòd enim non ſeruierit laſciuiæ, monſtrat ſtola, ſolitudo, & carcer. Si enim vellet mollibus veſtiri, non eremum inhabitaſſet, ſed regum palatia. vnde ſequitur: *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Hiero. Ex hoc oſtenditur rigidam vitam & auſteram prædicationem, vitare debere aulas regum, & mollium hominum palatia declinare. Greg. In hom. Nemo autem exiſtimet in fluxu atque ſtudio pretioſarum veſtium peccata deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Et nequaquam Petrus fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret dicens, non in veſte pretioſa. Auguſt. 4. de doctrina Chriſtia. Cum in omnibus talibus non vſus rerum ſed libido vtentis in culpa eſt. Quiſquis rebus reſtrictiùs vtitur quam ſe habent mores eorum cum quibus viuit, aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt. Quiſquis verò ſic vtitur vt metas conſuetudinis bonorum inter quos verſatur, excedat: aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. Chry. in hom. A loco autem & veſtimentis & à concurſu hominum eius moribus deſignatis, inducit iam & prophetam etiam eum eſſe, dicens: Sed quid exiſtis videre? prophetam? dico vobis etiam pluſquam prophetam. Grego. Prophetæ enim miniſterium eſt ventura prædicere, non etiam demonſtrare, Ioãnes ergo pluſquam propheta eſt, quia quem præcurrendo prophetauerat, etiam oſtendendo nuntiabat. Hier. In quo etiam cæteris prophetis maior eſt. Et quia ad priuilegium propheticale etiam baptiſmi acceſſit præmium, vt ſuum dominum baptizaret. Chryſ. in hom. Deinde monſtrat ſecundum quid eſt maior, dicens: Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Hiero. Vt enim meritorum Ioannis augmentum faceret, de Malachia teſtimonium infert, in quo etiam angelus prædicatur. Angelum autem hic dici Ioannem non putemus naturæ ſocietate, ſed officij dignitate: id eſt nuntium qui venturum dominum nuntiauit. Grego. Qui enim græcè angelus, hic latinè nuntius dicitur. Recte ergo qui nuntiare ſupernum nuntium venerat, angelus vocatur: vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione. Chryſ. in hom. Monſtrat igitur ſecundum quid eſt maior Ioannes prophetis, ſecundum id ſcilicet quòd eſt prope Chriſtum. & ideo dicit: Mitto ante faciem tuam, hoc eſt prope te. Sicut enim qui prope currum regis incedunt, alijs ſunt clariores: ita & Ioannes prope Chriſti præſentiam. Gloſ. Deinde alij prophetæ miſſi ſunt, vt aduentum Chriſti annuntiarent: iſte autem vt præpararet viam ipſius. vnde ſequitur: Qui præparabit viam tuã, ante te id eſt per mira reddet tibi corda auditorum, pœnitentiam prædicando, & baptizando. Hila. Myſticè autem deſertum, ſpiritu ſancto vacuum eſt ſentiendum, in quo habitatio Dei nulla ſit. In arundine talis homo oſtenditur, de gloria ſeculi vitæ ſuę inanitate ſpecioſus, in ſe autem fructu veritatis cauus: exterior, placens, & nullus interior: ad omnem vẽtorum motum, id eſt immundorum ſpirituum flatũ mouendus, neque ad conſiſtendi firmitatem valens, &

animæ

animæ medullis inanis. Veſte autem, corpus quo induitur anima, ſignatur: quod luxu ac laſciuiis molleſcit, in regibus tranſgreſſorum angelorum nuncupatio eſt: hi enim ſeculi ſunt potentes, mundique dominantes. Ergo veſtiti mollibus in domibus regum ſunt, id eſt, illorum quibus per luxum fluida & diſſoluta ſunt corpora, patet eſſe dæmonum habitationem. Gregor. Ioannes etiam mollibus veſtitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, ſed rigore aſperæ inuectionis increpauit, dicens: Genimina viperarum, &c.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauien. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

I*Oannes autem cùm audiſſet in carcere opera Chriſti, mittens ad eum diſcipulos ſuos, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus*? Ioannes detentus carcere dominum ignorat? & propheta tantus Deum ſuum neſcit? At qui venturum vt præitor nunciauit, conſiſtentem vt propheta agnouit, adeuntem vt confeſſor veneratus eſt: vnde tam variæ & tam abundanti eius ſcientiæ error obrepſit? Sed conſequens de eo domini teſtimonium, ſentiri hoc ita non ſinit. Neque ſanè credi poteſt, ſpiritus ſancti gloriam in carcere poſito defuiſſe, cum Apoſtolis virtutis ſuæ lumen eſſet in carcere poſitis miniſtraturus. Sed præbetur in his quæ in Ioanne geſta ſunt, intelligentia amplior. Et cùm facti efficientia, gratia in eo expreſſa ſentitur: vt propheta ipſe, ipſo quoque conditionis ſuæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata eſt. Chriſtum enim lex annunciauit, & remiſſionem peccatorum prædicauit, & regnum cælorum ſpopondit: & Ioannes totum hoc opus legis expleuit. Igitur ceſſante iā lege quę peccatis plebis incluſa, & populi vincta vitus, ne Chriſtus poſſet intelligi, vinculis & carcere continebatur. Ergo ad Euangelia contuenda lex mittit, vt infidelitas fidem dictorum contempletur in factis: & quod intra eum peccatorum fraude ſit vinctum, per intelligentiam libertatis Euangelicæ abſoluatur. Tali igitur Ioannes exemplo nō ſuæ, ſed diſcipulorum ignorantiæ conſulit: ipſe enim venturum in remiſſionem peccatorum prædicauit. Sed vt ſcirent non alium à ſe prędicatum, ad opera eius intuenda diſcipulos ſuos miſit: vt authoritatem dictis ſuis illius opera conferrent, neque Chriſtus alius expectaretur quàm cui teſtimoniū opera præſtitiſſent. Et cùm totū ſe dominus rerum miraculis prodidiſſet, cæcorum ſcilicet viſu, claudorum curſu, leproſorum curatione, ſurdorum auditu, voce mutorum, vita mortuorum, pauperum prędicatione, ait: *Beatus qui in me non fuerit ſcandalizatus.* Nunquid aliquid iā in Chriſto erat geſtū quod Ioannē ſcandalizaret? Non vtique. Nam in ipſo doctrinæ ſuæ curſu & operis morabatur. Sed ſuperioris ſententiæ vis & proprietas contuenda eſt, quid illud ſit quod pauperes bene nunciantur: id eſt, qui perdiderint animam. qui crucem ſuam acceperint & ſequentur, qui humiles ſpiritu fient, quorum regnum pręparatur in cælo. Ergo quia in Domino hæc paſſionum vniuerſitas conueniret, futuráque eſſet crux ſua plurimis ſcandalum, beatos eos profeſſus eſt, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, ſepultura. Itaque cui rei Ioannes cauiſſet oſtendit, dicens: Beatos eos, quibus aliquid in ſe ſcandali non fuiſſet: quia metu eius, diſcipulos ſuos Ioannes vt Chriſtum audirent viderentque, miſiſſet. Ac ne iſtud referri ad Ioannem poſſet, tanquam aliquid ſcandalizatus eſſet in Chriſto: abeuntibus illis, ad turbas de eo locutus eſt. *Quid exiſtis in deſerto videre? arundinem vento moueri?* Deſertum, ſancto ſpiritu vacuum ſentiendum eſt, in quo habitatio Dei nulla ſit. In arundine enim homo talis oſtenditur, de gloria ſeculi vitæ ſuæ inanitate ſpecioſus, ipſe autem fructu veritatis cauus, exterior placēs & nullus interior: ad omnem vētorum motum, id eſt, immundorum ſpirituum flatum mouendus, neque ad conſiſtendi firmitatem valens, & animi medullis inanis. Ergo cùm dicit: *Quid exiſtis in deſerto videre? arundinem vento moueri?* hoc loquitur: Nunquid exiſtis videre hominem cognitione Dei vacuum, & ad immundorum ſpirituum flatum vagantem? Nam increpantis affectu potius quàm confirmantis hæc loquitur: oſtendens ſcilicet nō eum in Ioanne conſpici, qui & inanis & mobilis ſit. *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Veſtem habitum corporis quo induitur anima ſignificat: quòd luxu ac laſciuiis molleſcat. Sed qui veſtiti mollibus ſunt, in domibus regum ſunt. In regibus, tranſgreſſorum angelorum nuncupatio eſt: hi enim ſeculi ſunt potentes mundique dominātes. Ergo veſtiti mollibus in domibus regum ſunt, id eſt, eos quibus per luxum fluida & diſſoluta ſunt corpora, eſſe dęmonum habitationem, conſimilem ſedem propoſitis ſuis atque operibus eligentium. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Dico vobis etiam plus quàm prophetam, &c.* Gloriam omnem Ioannis dominus oſtendit, dicens eſſe eum vltra prophetam: quia ſoli ipſi licuerit, & prophetare Chriſtum & videre. Et quomodo Chriſtum ignorare creditur, qui miſſus in angeli poteſtate viā venturo parauerit: & quo ex natis mulierum nullus maior propheta ſurrexit? Niſi quod qui minor eo eſt: id eſt, qui interrogatur, cui non creditur, cui teſtimonium nec opera ſua præſtant: hic in regno cælorum maior eſt.

S. HIERONIMI PRES. *in idem Euangelium.*

E*T factum eſt &c. Ioannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti &c.* Non quaſi ignorans interrogat: ipſe enim cæteris ignorantibus demonſtrauerat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & patris vocem audierat intonantis: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Sed quomodo ſaluator interrogat, vbi *Ioan. 1. c. d*
ſit poſitus Lazarus, vt qui locum ſepulchri indicabant, ſaltem ſic pararentur ad fidem, & viderent mortuum reſurgentem: ſic & Ioannes interficiendus ab Herode, diſcipulos ſuos mittit ad Chri- *Ioan. 11. d*
ſtum, vt per hanc occaſionem videntes ſigna atque virtutes crederent in eum: & magiſtro interrogante, ſibi diſcerent. Quod autem ſuperbirent diſcipuli Ioannis aduerſus dominum, & haberent aliquid mordacitatis ex liuore & inuidia, ſuperior quoque interrogatio demonſtrauit, Euangeliſta referente: Tunc acceſſerūt ad eum diſcipuli Ioan-

nis dicentes: Quare nos & phariſæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant? Et *Ioan.3.a* alibi: Magiſter, cui tu præbuiſti teſtimonium ad Iordanem, ecce diſcipuli eius baptizant, & plures veniunt ad eum: quaſi dixerint: Nos deſerimur, hic raritas eſt: ad illum turba concurrit. *Tu es qui venturus es &c.* Non ait, tu es qui veniſti, ſed tu es qui venturus es. Et eſt ſenſus: manda mihi: ad infernum deſcenſurus ſum, vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nũciaui ſuperis: An non conueniat filio Dei, vt guſtet mortem: & alium ad hęc ſacramenta miſſurus es? *Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renũciate Ioãni quæ audiſtis & vidiſtis &c.* Ioannes interrogauerat per diſcipulos: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? Chriſtus ſigna demonſtrat, nõ ad ea reſpondẽs quæ interrogatus fuerat: ſed ad ſcandalum nuntiorum: Ite, inquit, & dicite Ioanni ſigna quæ cernitis: cæcos videntes, claudos ambulantes, & reliqua. Et quod his non minus eſt: *Pauperes euangelizantur.* Vel pauperes ſpiritu, vel certe opibus pauperes: vt nulla inter nobiles & ignobiles: inter diuites & egenos, in prædicatione diſtantia ſit. Hæc magiſtri rigorem: hæc præceptoris comprobant veritatem: quando omnis apud eum qui ſaluari poteſt æqualis eſt. Quod autem ait: *Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Internuncios percutit, ſicut in ſequentibus demonſtrabitur. *Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne &c.* Si ſuperior ſententia contra Ioannem prolata fuerat, vt plerique arbitrantur, in eo quod ait: Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me: quomodo nunc Ioannes tantis laudibus prædicatur? Sed quia turba circunſtans interrogationis myſterium neſciebat, & putabat Ioannem dubitare de Chriſto, quem ipſe monſtrauerat digito: vt intelligerent Ioannem non ſibi interrogaſſe, ſed diſcipulis ſuis: Quid, inquit, exiſtis in deſertum? Nunquid ob hoc, vt hominem videretis calamo ſimilem, qui omni vento circumfertur, & leuitate mentis de eo ambigeret quem antea prędicarat? An forſitan ſtimulis contra me inuidiæ cogitur: & prædicatio eius vanam ſectatur gloriam, vt ex ea quærat lucra? Cur diuitias cupiat vt affluat dapibus? Locuſtis veſcitur & melle ſylueſtri. An vt mollibus veſtiatur? Pili camelorum tegmen eius ſunt. Iſtiuſmodi cibus & veſtis, carceris hoſpitio recipiuntur: & prædicatio veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores ſunt & ſectantur lucra, & quærunt diuitias: & delicijs affluunt, & mollibus veſtiuntur, iſti in domibus regum ſunt. Ex quo oſtenditur rigidam vitam & auſteram prędicationem vitare debere aulas regum: & mollium hominum palatia declinare. *Sed quid exiſtis videre? prophetam &c.* In eo Ioannes prophetis cæteris maior eſt: quod quem illi prædicauerant eſſe venturum: hic veniſſe digito demonſtrauit dicens: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et quia ad priuilegium prophetale etiam baptiſtæ acceſſit præmium, vt dominum ſuum baptizaret: vnde *Malach.3.b* infert meritorum αὔξησιν, faciens de Malachia teſtimonium: in quo etiam angelus prædicatur. Angelum autem hic dici Ioannem non putemus naturæ ſocietate, ſed officij dignitate: id eſt, nuntium, quòd venturum dominum nuntiarit.

S. IOANNIS CHRYSOST.

Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euangelium Homilia 1.

QVum autem audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis interrogabat eum dicens, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* *Hom.37. in Matth.* Lucas autem dicit ipſos Ioannis diſcipulos ſigna Ieſu ad Ioannem detuliſſe, ac tum demum ad Ieſum miſſos fuiſſe: quod tamen nullam prorſus habet ambiguitatem, ſed altiorem quendam ſolùm conſideratioñe. Hinc etenim etiam quàm acerbo inuidiæ flagrarent ardore, occultiùs ſubostenditur. Quod autem ſequitur, ambiguum valde, perplexumq́ue eſſe videtur. Quid enim ſibi voluit illa interrogatione; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quomodo enim qui vel antea quàm ſigna Ieſus feciſſet, ipſum cognouit, qui à ſpiritu hæc didicerat, qui à patre ipſo audierat, qui in omnibus ipſum eſſe agnum Dei prædicauerat: quomodo (inquiam) interrogatum nunc mittit, vtrum ipſe, an alius venturus ſit? Nam, ſi dubitas, an ipſe ſit Chriſtus, cur ei tantam fidem præbes, vt de reconditis rebus credere paratiſſimus ſis? Summæ namque fidei dignitatem oportet eum habere, qui teſtimonij ſui pondere tantam rem ſit probaturus: an non es tu, qui dicebas; Non ſum *Luc.3. & Ioan.1.* ſufficiens corrigiam calciamenti eius ſoluere? qui dicebas, quoniam non noueram ipſum, ſed ille, qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit, Super quem videris deſcendentem ſpiritum, & permanentem in ipſo, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto? An non vidiſti ſpiritum in ſpecie columbæ? Non audiſti vocem? Nónne tu prohibebas ipſum, dicens, Mihi eſt opus à te baptizari? Nonne diſci- *Matth.3.* pulis quoque tuis dicebas, illum extolli ad maius in dies oportere, te verò ad minus deprimi? Non- *Marc.1.* ne vniuerſæ prædicabas plebi ipſum eſſe, qui ba- *Ioan.1.* ptizabat in ſpiritu ſancto, & igne: & quòd ipſe eſt filius Dei, qui tollit peccata mundi? Hæc certè tu omnia, antequam ille ſignorum miraculis coruſcaret, magna voce prædicaſti. Quomodo ergo nunc, quando iam omnibus eius virtus manifeſtior eſt, quando per totam Palæſtinam celeberrima eius fama præfulget, quando mortui ab eo excitati ſunt, dæmones depulſi, multáque alia perlucent miracula, tunc mittis, ac interrogas ipſum? Quidnam hoc eſt? an per fraudem illa priora quaſi longas fabulas confinxiſti? Et quis mentis compos talia feciſſet? Non dico de Ioanne, qui exulta- *Luc.1.* uit in vtero, qui priuſquam naſceretur, Chriſtum prædicauit, qui eremum habitauit, qui angelicam viuendi perfectionem in corpore adhibuit, ſed de quouis homine non inſano. Nam, ſi etiam abiectiſſimum quendam dicas, certè tamen poſt tot, tantaque, tam ſua quam aliorum teſtimonia nullo modo dubitaſſet. Ex his omnibus apertiſſimè patet non ambigentẽ, nec vlla ignorantia ductum miſiſſe, qui quærerent. Sed nec illud dicere quiſquam poterit, ſciuiſſe quidem ipſum, terrore autem carceris, ac vinculorum timidiorem fuiſſe. Num liberationem ſibi hæc interrogatio afferi, nec ſi etiam hanc ſperaſſet, quicquam aduerſus veritatem ſimulaſſet vir ille, qui pietatis gratia vel mille mortes obiiſſet? Nam, niſi excelſo robore animi atque inuicto fuiſſet, nunquam profectò ad vniuerſum iudaicum populum iam diu exercitatum

citatum

effuſione prophetici ſanguinis tam fortis extitiſſet. Nunquam ferociſſimum illum tyrannum tanta fiducia ſui ſic redarguiſſet, vt in media vrbe, ac foro, cunctis audientibus tanquam infantem, aut adoleſcentulum increpaſſet. Quòd ſi timidiorem quiſpiam ſuſpicatur factum fuiſſe, quomodo diſcipulos ſuos non fuerit veritus, quibus audientibus, tot, tantáque de Ieſu atteſtatus fuit, ſed eos interrogatum miſit, cùm alios mittere potuiſſet, quamuis non ignoraret inuidia quadam illos in Chriſtum commoueri, & anſas reprehendendi ſemper quæſiſſe? Quomodo autem plebis etiam eum Iudaicæ non puduit, cui multa de Chriſto, ac magnifica prædicauerit; Quid autem ipſi ad effugienda vincula, & carceres hoc profuiſſet, qui nec Chriſti cauſa vinctus fuerit, nec quia diuinam virtutem Chriſti prædicauerit: verùm quia iniquitatis Herodis coniugia accuſauit? Patet igitur non dubitaſſe Ioannem ea de re de qua nec infans quidem, aut méte captus dubitaſſet. Quare oportet reſponſum adinuenire, cuiusnam rei gratia interrogatum Ioannes miſit. Alieniores erant à Chriſto diſcipuli eius, & inuidiæ cuiuſdam ſtimulis ſemper agitabantur, magiſtrum ſuum pluris eſſe cupientes: quæ res maximè verbis ipſorum comprobatur. Dicebant ad Ioannem, qui tecum erat trans Iordanem, cui & teſtimonium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes ad eum veniunt. Ac rurſus de mundatione facta eſt quæſtio inter Ioannis diſcipulos, & Iudæos: præterea Ieſum aggredientes dicebant, Cur nos & Phariſæi [Matt. 9.] ieiunamus, diſcipuli autem tui non ieiunât? Nam, quum nihil adhuc altius, ac ſuper hominem de Chriſto cogitarent: Ioannem autem pluſquam hominem arbitrarentur, non poterant æquo animo ferre, creſcere in dies Ieſum vidêtes, Ioannem verò quotidie minoris æſtimari: quæ tamen turbatio faciebat, vt meliori Ieſum mente audirent: ad quod Ioannes, donec cum ipſis erat, tam precibus quam rationibus hortabatur. Verùm, quum non perſuaſerit, mortem licet propinquam fore videret, timens, ne pernicioſæ materiam opinionis relinqueret, ſi maiorem ſe Chriſto putantes, diſcipuli nullo pacto illi coniungerentur, hoc modo Chriſto ipſos offerre curauit. Nam, ſi aperte ipſis conſuluiſſet, vt Chriſto tanquam meliori adhærerent, nullo pacto ei credidiſſent, ſed præcipua Ioannis modeſtia id dictum putantes, magis ipſum colerent, ſilentio autem tantam rem pertranſire non potuit. Quid igitur facit? vt ab illis ipſis quanta miraculorum ſplenderet gloria Chriſtus, poſſet audire, non omnes, ſed duos, quos forſan faciliores ad credendum cæteris putabat, & qui ſimpliciter abſque ſuſpicione interrogare poſſent, ac rebus ipſis diſcere, quantum intereſt inter Ioannem, & Ieſum, mittere ſtuduit. Ite igitur, inquit, atque ab eo quærite, tu es Chriſtus, an alium expectamus? Ieſus autem, qui mentem Ioannis non ignorabat, non dicit, Reſpondete Ioanni, quia ego ſum: licèt, quamuis ad interrogationem conſequens erat, tamen quoniam poterat turbare auditores, vt ab ipſis rebus poſſent, quod quærebât, perdiſcere, ſedulo facit. Scribitur enim multos ipſum tunc curaſſe, cùm adueniſſent, & certè non erat conſequens, cùm interrogatus eſſet, túne Chriſtus es, ad quæſitum quidem nihil reſpondiſſe, ſed confeſtim multos ægrotantes curaſſe, niſi hoc facere voluiſſet, quod diximus: quum nemo ignoret teſtimonium, quod à rebus trahitur, certius eſſe quam verborum, & abſque vlla ſuſpicione. Quia ergo ſicut Deus, qua mente miſit Ioannes, non erat neſcius, cæcos, claudos, aliíſque morbis plurimis laborâtes illicò curauit. Non vt Ioannes hæc diſceret: non indigebat enim his ille, qui credebat? ſed vt diſcipulos eius ambigentes attraheret, ideo poſt curationem multorum, ait ad eos, *Ite & renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: cæci reſpiciunt, claudi rectè ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Quibus adiecit, *& beatus eſt, qui non ſcandalizatur in me.* Ex quo illis oſtendit, non eſſe ſibi occultas cogitationes eorum. Quod ſi reſpondiſſet, ego ſum, & offendiſſet nempe ipſos reſponſum hoc, & dixiſſent, aut certè cogitaſſent, quòd Iudæi crebro ſolent dicere, tu de teipſo teſtimonium perhibes, idcirco non ita dicit, ſed ſignis ipſos ad fidem adducit, vt & omni ſuſpicione doctrina ſua careat, & hac luce dilucidior ſit. quapropter æquè occultè ipſos arguendo momordit. Nam, cùm illi ſcandalum propter ipſum paterentur, paſſionem mentis eorum ita detexit, vt nullus huius rei teſtis eſſe poſſet, ſed conſcientiæ ipſorum, qui ſibiipſis conſcij erant, res tota relicta ſit, quantum in ipſo ſcandalum paterentur, ac ideo attraxit eos, dicens, Beatus eſt, qui non ſcandalizatur in me. Verùm, vt veritas vndique elluceſcat, illa etiam, quæ ab aliis hoc in loco dicuntur, in medium protrahamus. Negant igitur nonnulli, ea de cauſa quæ iam dicta eſt ad interrogandum miſiſſe Ioannem, ſed quia ignorabat: ignorabat autem, aiunt, non totum myſterium, ſed ipſum quidem eſſe Chriſtum non ambigebat: vtrum verò ab hominibus morti traderetur, an non, id dubitabat: præterea etiam interrogabat dicens: *túne es venturus?* id eſt, túne ipſe ad inferos deſcendes? Sed nulla prorſus hic ſermo ratione comprobari poteſt. Non enim ignorabat [Ioan. 1.] hoc Ioannes, qui hoc ante alios maximè prædicauit. Ecce namque, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Agnum quippe vocauit, quia in crucis patibulo ſuſpendendum ſciebat. Quum etiam dixerit, qui tollit peccata mundi, idipſum ſignificauit. Non enim alia, quam per crucem, via peccatum mundi abſtulit, vt Paulus etiam declarat dicês? Quod aduerſus nos erat chirographum [Coloſ. 2.] de medio abſtulit, cruci ipſum affigens. Quando [Ioan. 1.] autem dicebat, hic eſt, qui vos in ſpiritu baptizabit, ea, quæ poſt reſurrectionem futura erant, prędixit. Sed reſurrecturum quidem ipſum, & ſpiritum daturum, inquiunt, ſanctum, non ignorabat, ſed cruci affigendum neſciebat. Quomodo igitur reſurgere poterat, niſi paſſus, crucifixuſque fuiſſet? Aut quomodo maior prophetis Ioannes, qui vel ipſa, quæ prophetæ dixerunt, neſciebat? Quòd verò maior erat quam propheta, ipſe Chriſtus atteſtatus eſt. Quòd autem prophetæ paſſionem Chriſti præuiderunt, nemo vnquam inficiabitur. Eſaias enim clamat, Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, obmuteſcet. [Matt. 11. & Luc. 7.] Et rurſus, Erit radix Ieſſe, & qui exurget [Eſa. 53.] principari gentibus, in ipſo gentes ſperabunt. [Eſa. 11.] Paſſionem deinde ſignificans, paſſioniſque gloriam adiecit, Et erit requies eius honor. Nec ſolùm quia crucifigetur Eſaias prædixit, verú etiam, cum quibus crucifigetur. Reputatus eſt enim, inquit, cum iniquis: neque id ſolùm, ſed etiam quòd [Eſaie 53.]

nulla

nulla ſe defenſione liberabit? hic namque ait, non aperiet os eius. Iniquitatem enim condemnantium ſignificat, cùm dicit: In humilitate eius iudicatio ſua ablata eſt. Sed Dauid quoque ante Eſaiam totum prædixit, & iudicium ſimul deſcripſit: *Pſal. 2.* Quare, inquit, fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes congregati ſunt in vnum, aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Alibi autem modum quoque ipſum crucifigendi expreſſit dicens, *Pſal. 21.* Foderunt manus meas, & pedes meos. Et ipſa quæ milites facere auſi ſunt, exquiſitiſſimè expreſſit: Partiti ſunt, inquit, veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Nec de aceto ſiluit, quod Chriſto allatum in cruce eſt. Dederunt, *Pſal. 68.* inquit, in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Deinde Prophetæ quidem ante multos annos iudicium, & condemnationem crucifigendorum cum ipſo, veſtimentorum diſtributionem, veſtis ſortem, aliaque huiuſmodi plura præſcierunt, nec enim omnia dicere neceſſe eſt, ne prolixa nobis nimium fiat oratio. Hic verò, qui maior illis omnibus fuerat, etiam hæc ab alijs prædicta ignorabat? Quonam rationis colore hic ſermo ſuſtentari poterit? Aut cur illo modo non interrogauit Ioannes, tu es, qui ad inferos venturus es, ſed ſimpliciter, tu es venturus? Multò autem illud ridiculoſius eſt: aſſerunt enim ideo à Ioanne quæſitum fuiſſe, vt, quum ad inferos deueniſſet, ibi quoque prædicaret: aduerſus quos non erit abſque re ita dicere: Nolite, fratres, ad infantium mentem deſcendere, ſed vitio, ac malitia infantes ſitis: præſens enim hæc vita tam rectè quàm contrariè tibi viuendi poteſtatem dat: poſtquam verò diem tuum obieris, iudicium, & pœna conſequitur. *Pſal. 9.* In inferno enim, Pſalmiſta dicit, quis confitebitur tibi? Quomodo igitur æneæ portæ confractæ ſunt, & vectes contriti? Per corpus eius: tum enim primò immortale corpus hominis apparuit, quod etiam mortis ipſius tyrannicam diſſoluit poteſtatem, omnibuſque oſtendit vires mortis iam eſſe deſtructas, non eorum, qui ante ipſum mortui fuerāt, peccata diſſoluta. Quòd ſi ita non eſt, ſed omnes ab initio defunctos à gehenna liberauit: *Matt. 10.* quomodo ipſe inquit, tolerabilius erit Sodomis, & Gomorrhæ? Quod certè ſignificat puniendos quidem illos omnino, quamuis remiſſius. Nam, etſi hac quoque in vita pœnas dederunt, non tamen idcirco punitionem in vita illa effugerunt. Quòd ſi illi, qui tam grauiter hîc puniti ſunt, ibi quoque puniuntur, quantò magis, qui nullum hîc perpeſſi ſunt ſupplicium? Sed magna, inquies, iniuria illis hac ratione fit, qui ante aduentum Chriſti naturæ conceſſerunt. *S. Auguſt. tamen & alteri recentiores latius neminem aſſerunt ſaluatū vel ex Iudæis vel ex gentibus niſi aliquā in Chriſtum fidē habuiſſet.* Minimè, inquam, poterant enim homines tunc, etiam ipſum nō confeſſi, ſaluari. Non enim Chriſti, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur; ſed vt, idolorum cultu ſpreto, vnum ſolum Deum conditorem omnium noſcerent. Dominus enim, inquit, Deus tuus, dominus vnus eſt: idcirco Machabæi, ſunt admirandi qui, ne legem traderent, mori maluerunt. Valde admiramus pueros quoque illos aliosque complures apud Iudæos, qui bene, & optime vixerūt, & hāc cognitionis menſuram inuiolatam conſeruarunt, à quibus nil aliud certum petitum eſt. Nunc autem non ita eſt, ſed neceſſaria eſt ad ſalutem Chriſti cognitio: *Ioan. 15.* propterea dicebat, Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem nō habent de peccato ſuo. Pariter etiam maiora in viuendi diſciplina petuntur *Exod. 21.* à nobis. Nam quem illis tēporibus cædis pernicies damnabat, nunc etiam iraſci ſatis eſt vt pereat. Et tunc quidem alienæ vxori commiſceri, atque adulterari ſupplicium afferebat, nunc autem etiam incontinenter oculis cernere, punitionem non fugit. Nam, ſicut cognitio ad perfectius, atque ſublimius peruenit, ſic certè diſciplina quoque viuendi ad melius nunc progreſſa eſt. Non igitur præcurſore apud inferos opus erat. Præterea, ſi poſt mortem infideles reduci ad fidem poſſunt, atque ſaluari, nullus vnquam peribit. Poterunt homines tunc pœnitentiam agere, & Chriſtum adorare, quod Paulus teſtatur, dicēs, Omnis *Philip. 2.* lingua confitebitur, & omne genu flectetur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum: & iterum, Vltima *1. Cor. 15.* inimica deſtruetur mors. Sed nullam vtilitatem ea iſta ſubiectione conſequentur. Non enim voluntatis gratæ ac bonę opus erit, ſed rerum ipſarum (vt ita dicam) neceſſitans. Fugiamus ergo tales opiniones, fabulas certè aniles, atque inualidas. Ipſum audiamus Paulum de his diſſerentem? Quicunque enim, ait, ſine lege peccarunt, ſine lege *Rom. 2.* etiam peribunt: quod de iis qui ante legem fuerunt, protulit. Et quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: id iam de iis qui poſt Moyſen fuerunt, omnibus dicit. Et quoniam reuelatur ira Dei de cælo in omnem impietatem & iniuſtitiam hominū, furor & ira, & tribulatio, & anguſtia, in omnē animam hominis operātis malum, Iudæi primū, atque Græci. Et certè mille afflictiones, vt hiſtoria ſua prædicat, & ſcriptura quoque noſtra, gētes in hac vita paſſæ ſunt. Quis enim narrare poterit exquiſitè, quęcunque Babylonij paſſi ſūt mala omni tragœdia digna? At quis Aegyptiorū exponet calamitates? Quòd autē, qui ante Chriſtū obierunt, ac ideo ipſum non cognouerūt, ſi ab idolorū cultu receſſerūt, ac Deum ſolū adorarūt, ſi præterea honeſtè vitam peregerūt, æterna bona, & beatitudinem adipiſcentur, Paulum rurſus audi? Gloria inquit, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & gentili. Vides apertè retributiones bonorum iſtis repoſitas, contrà ſupplicia & pœnas illis, qui cuncta oppoſita effecerunt. Vbi ergo, vbi ſunt, inquam, qui gehennam fore non credunt? Nam, ſi qui ante aduentum Chriſti vixerunt, qui nunquam gehennæ aut reſurrectionis nomen audierunt, qui hac in vita graues pœnas dederunt, etiam ibi puniuntur: quid de nobis erit, qui tam ſublimis philoſophiæ præceptis educati ſumus? Sed quænam ratio perſuadebit, inquies, eos, qui nunquam aliquid de gehenna perceperunt, ad ipſam eſſe venturos? poterunt enim facilè ſeipſos excuſare, ac dicere, Si gehennam nobis minatus fuiſſes, metu perterriti, modeſtiùs vitam egiſſemus. Sane quidem: non enim vt nunc viuimus, qui, etſi quotidie tāta malè viuentibus imminere ſupplicia prædicantes audimus, minimè tamen attendimus. Sed nemo vnquam dubitabit, ſi quis huius vitæ ſupplicijs non corrigitur, eum multò minus futuris punitionibus emendatè victurum. Rudiores enim homines præſentia magis quam futura mala perhorreſcūt. Sed cur, inquit, cùm maiore formidine nos à malè agendo deterreamur, non iniuria illis facta eſt qui tanto timore caſtigati non ſunt? Primum

mum quidem non iidem labores nobis, atque illis propoſiti ſunt, ſed multò maiores nobis. Qui autem maiore onere laboris premuntur, eis maiore patrocinio opus eſt. Non eſt autem paruum patrocinium, atque tutela, formidinis incremẽtum. Quòd ſi nos illis potiores ſumus quia futura non ignoramus, in hoc etiam illi nos ſuperant, quoniam vehementius, ac ferè confeſtim puniebantur. Sed aduerſus hæc nonnulli dicunt. Et quomodo iuſtus eſt Deus, ſi quis, quum hic peccarit, hic, atque ibi puniatur. Vultis igitur in memoriam eius rationis vos redigam, quam in ore habere ſoletis, vt nullum nobis afferatis laborem, quum ſatisfactionem à nobis ipſis habeatis. Multos veſtrûm ego ſæpe audiui, quum latro, aut fur pœnas dederit, ea dedignatione huiuſmodi verba dicere, Mille cædes ſceleſtus ille, mille furta commiſit, & vnica ſolum morte morietur. Vbi ergo iuſtitia? Vosipſi ergo confitemini non ſatisfeciſſe ad iuſtitiam, quòd morte ille mulctatus eſt. Cur igitur nunc contraria ſententia iudicatis, quia videlicet vobiſipſis, nõ aliis modò iudices eſtis. Impeditur certè, qui ſeipſum nimium amat, ne poſſit, quod iuſtum ſit, proſpicere. Propterea quando quidem de aliis iudicamus, diligenter omnia perſcrutamur: quando verò de nobiſipſis ſententiam laturi ſumus, tenebris obducti parum intelligimus. Nam, ſi tam acri cura noſtra examinaremus, quemadmodum aliorũ, ſyncera, integráque ſententia iudicaremus. Sunt enim & nobis certè peccata non duabus, aut tribus, ſed mille digniſſima mortibus. Et vt alia prætermittam, recordemur, quoties indignè corpus Chriſti ſuſcepimus, quum non ignoremus huiuſmodi homines corporis, atque ſanguinis Chriſti reos eſſe. Ita, quum de homicida quicquam dicis, tuiipſius veniat in

1.Cor.11. mentem. Et conſidera illum quidem hominem nudum interfeciſſe: te autem cædis dominicæ

Vide quanto honore dignetur Euchariſtiam.

reum eſſe. Et illum quidem tantorum participationem myſteriorum non habuiſſe, nos autem ad ſanctiſſimam menſam ſæpius acceſſiſſe. Quid de iis dicam, qui proximos aſſiduè mordent, atque deuorant, magnum illis venenum immittentes, aut de iis, qui cibum inopum rapiunt. Nam ſi qui retinet, nec præbet pauperi de ſuo, quaſi cibum eripiat ab eo, peccare videtur, quam multis latronibus peiores ij ſunt, qui auaritia inducti per fraudem aliena retinent, quam multis homicidis ij, qui rapiunt, fœdiores. Quot autem inueniuntur qui ſpoliis hominum non ſatiati, ſanguinem eorum etiam cõcupiſcunt? Minimè minimè, inquies. Nunc quidem minimè dicis, ſed vellem tunc potius diceres, quãdo inimicum tuum perſequeris, tunc (quæſo) hæc verba memoria habeas, vt eùm exquiſitè vixeris, Sodomorum ſupplicia fugias. Ne Gomorrhæ mala in te veniant, ne Tyriorum afflictiones, Sodomorumque patiaris, ne denique Chriſtum malè viuendo offendas: quod mihi cæteris omnibus magis pertimeſcendum videtur. Nam etſi multi gehennam omnium malorum ſupremum, atque vltimum putant, ego tamen ſic cenſeo, ſic aſſiduè prędicabo, multò acerbius eſſe, Chriſtum offendere, quàm gehennæ malis vexari. Hortor vos atque oro, vt mecum hæc in te ſentire velitis. Hoc enim modo, & gehennam fugiemus, & Chriſti gloria perfruemur. Quam vtinam omnes conſequamur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. II.

Ex homil. 38. In Matt.

ILlis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne, Quid exiſtis, &c. Bene confecta fuiſſe à Ieſu, quę ad diſcipulos Ioannis ſpectabant, iam vidimus. Signis enim, atque miraculis illicò factis cõfirmati redierunt. Reſtabat autem, vt multitudinem etiam ad meliora reduceret. Nam, etſi diſcipuli quidem Ioannis nullum leuitatis crimen de magiſtro ſuo cogitaſſent, vulgus tamen, & turbæ, cum qua mente Ioannes interrogaret, ſcire nequirent, ad abſurda multa poterant deuenire, ſecúmque ipſis cogitare, Nunne Ioannes multa de iſto teſtimonia perhibuit, quomodo igitur nunc diſſuaſus ambigit, vtrum iſte, an alius venturus ſit? Num diſſidia forſan inter ipſum, & Ieſum ſunt? an fortaſſe afflictione carceris timidior factus eſt? An potius illa teſtimonia vera non erant? Hęc igitur, aliaque huiuſmodi, quæ illi ex imbecillitate poterant ſuſpicari, vide quomodo deſtruit. *Euntibus autem illis,* inquit, *cœpit dicere turbis.* Cur ita illis abeuntibus, ne multitudo putaret aſſentatiunculis gratiam Ioannis Chriſtum colligere. Nec tamen in medium cogitationes eorum produxit, ſed reſponſum ſolum proponit, vt etiam iſtis oſtendat, non ignorare ſe arcana mentis eorum. Nec dicit, quemadmodum ad Iudæos, quid cogitatis praua in cordibus veſtris? Nam quicquid illi *Matt.9. & Marc. 2.*
cogitarunt, non ex malitia, ſed ex ignorantia eorum, quæ dicta erant, agitabantur, ideo non acriter illis loquitur, ſed ſuauiter ab omni falſa ſuſpicione ipſos remouet, & pro Ioanne reſpondet, oſtendens non ipſum eſſe mutatum ab illa priore ſua opinione. Non eſſe leuem quendam hominem, qui huc, atque illuc Euripi modo iactetur, ſed ſtabilem, atque conſtantem, ita vt nullo modo proditam ab eo veritatem fuiſſe ſuſpicari poſſitis. Hæc autem ſtatim ſua ſententia, ſed ab eorum priùs opinione probat, oſtendens eos non verbis ſolum verumetiam factis ſtabilitatem Ioannis atteſtatos fuiſſe. Dixit enim. *Quid exiſtis in deſertum:* id eſt, cur, omiſſis ciuitatibus, atque domibus veſtris, ad deſertum vnà omnes concurriſtis, vt miſerum quendam, atque mobilem hominem videretis? Non potuiſſetis certè tanto ſtudio in deſertum impelli, tot, tãtarumque ciuitatum populi, nec ita facilè omnes ea vniuerſa Iudæa effuſi in Ioannem fuiſſetis, niſi magnum quendam, & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putaſſetis. Nec enim ad videndum arundinem exiſtis. Iſtis maximè ſunt ſimiles illi, qui nunquam idem dicunt, ſed huc, atque illuc facilè pulſi, modò hæc modo illa ſoliciti ſunt aſſerere. Cõſidera autẽ quomodo, cæteris omnibus omiſſis, hãc ſolã ſuſpicionem poſuit, qua tũc illi turbabantur. *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis amictum? Ecce qui mollibus induti ſunt, in domibus regum ſunt.* Quodquidem huiuſmodi eſt, A ſeipſo mutabilem, atque inconſtantem non fuiſſe Ioannem, totius Iudææ ad ipſum effuſio demonſtrauit. Nec tamen illud poterit quiſpiam dicere, ſtabilem quidem illum prius fuiſſe, ſed emollitum vitæ deliciis mobilitatis macula deturpari. Nam hominum alij natura procliues ad aliquid ſunt, alij vitæ inſtitutione, ac caſu procliues fiunt: quemadmodum iracundi multi

ſunt

ſunt natura, nonnulli longa ægrotatione ad huiuſmodi vitium lapſi fuerunt. Et rurſus alij leues natura & inconſtantes, alij delicijs effœminati, enerues, & inſtabiles facti ſunt. Sed Ioannes nec natura inſtabilis eſt: non enim quaſi ad [illegible] arundinem in Iordanem ad ipſum Iudæa fuit effuſa. Nec delicijs corruptus robur animi ſui perdidit: probat hoc amictus ſuus, probat eremus, probant carceres. Nam, ſi delicijs ille caperetur, non eremum, non carceres, ſed regias domos habitaſſet, poterat enim profectò ſi tantummodo ſilere voluiſſet, magnis ab Herode affici honoribus. Nam ſi vinctum mirum in modum Herodes verebatur, multò magis tacẽtem coluiſſet. Quare qui geſtis ſuis tantam conſtantiam oſtendit, quomodo poterit in ſuſpicionem incidere leuitatis? Ita partim à loco, partim à veſtimentis, partim à concurſu populi Ioannis moribus laudatis maius quid adduxit, dicens: *Sed quid exiſtis videre, prophetam, vtique dico vobis &c.* Primum Iudæorum de Ioãne adduxit exiſtimationem, quod quidem teſtimonium, quoniam ab inimicis ipſis ferebatur, maximas vires habebat. Deinde arduam viri vitam præ oculis poſuit. Tertio, ſententiam ſuam protulit. Quarto, authoritate prophetica ora ipſorum obſtruit: & ne dicere, aut cogitare poſſent, magnum quidem illum prius virum fuiſſe, nunc autem mutatum, veſtimentis, atque carcere & prophetia etiam in oppoſitum induxit. Tandem, quum dixiſſet, prophetis illum eſſe maiorem, quare maior ſit oſtendit. Cur igitur maior prophetis Ioannes, quoniam propinquior erat Chriſto venturo. *Mittam enim,* inquit, *angelum meum ante faciem tuam*: Qui autem ante faciem eſt, is proximus eſt. Nam quemadmodum maiore dignitate ij ſunt, qui proxime regibus deambulantibus ordinantur: ſic & Ioannes in ipſo aduentu conſtitutus, maiore gratia fulſit.

Matt. 6.

AVTHORIS DICTI IMperfecti, in Matthæum Homil. in idem Euangelium.

Ex hom. 27. in Matt. imperf.

IN *illo tempore: quum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.* Ioannes ſpecie homo, gratia angelus: quia nihil carnis erat in eo, niſi viſio ſola: corpore tenebatur in carcere, anima autem in cælo. Et quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille ſuſcipiebat pro beneficio. Et ira illius quaſi Dei miſericordia fruebatur, quia verum gaudium eſt ſanctorum, exire de mundo. Quemadmodum feſtinantem hominem ad rem aliquam quam deſiderat, ſi quis neſciens conſilium eius, pro malo compellat eum ire volentem: ſic puto eſſe, quum impius hominem iuſtum vult occidere, mori cupientem. Sicut ſeruus poſtquam commiſſi operis impleuerit penſum, gaudet ante faciẽ domini ſui apparere: ſic & Ioannes commiſſæ prædicationis myſterio conſummato, lætabatur ad Deum tranſire. Et non ſolum de morte ſua non contriſtabatur, ſed ipſam quoque dilationem vitæ ſuæ pœnam putabat. Vis ſcire quod eſt ſuper humanam naturam? Miſſus in carcerem non de ſuo periculo ſolicitus erat, ſed de aliorum ſalute cogitabat, id eſt diſcipulorum ſuorum. Ideo mittens ad Chriſtum interrogabat: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* In prima quidem facie extraneum aliquid videtur facere Ioannes. Cui enim ad baptiſmum ſuum venienti dixerat: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? quem inter innumerabiles populos venientem, digito loquens monſtrauerat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & quod amplius eſt, quem in vtero conſtitutus priuſquam naſceretur, non ſolùm cognouit, ſed etiam exultatione ſpirituali matrem ſuam fecit eſſe prophetam, ipſe nunc quaſi neſciens interrogabat: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Sed Ioannes in carcere, ſciens ſe iam in exitu conſtitutum, volebat diſcipulos ſuos Chriſto adiungere, tanquam ſi prouidus pater moriens, filios ſuos conſignet fideli tutori. Deſiderabat enim viuens plenam fidem videre diſcipulorum, & ſine dubitatione aliqua credentes in Chriſto. Sicut pater moriens, ſi videt filios ſuos bonis moribus ornatos, & omni ſapientia perfectos, quaſi ſecurus moritur, nihil de cetero timens de illis: ſic & Ioannes volebat diſcipulos ſuos perfectos videre in Chriſto, vt iucundius moreretur. Magis autẽ nõ ſicut pater filios ſuos cõmendabat Chriſto, quaſi tutori, ſed quaſi pedagogus alienos filios, quos ad tempus accepit, vt erudiret, eruditos volebat Chriſto reddere, quaſi proprio patri ipſorum. Ideo interrogabat per diſcipulos ſuos, non vt ipſe reaccipiens reſponſum, a Chriſto audiret & diceret, ſed vt miſſi diſcipuli oculis ſuis viderent opera eius, & crederent: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Dum dicit: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*: oſtendit quia duo erant, qui eſſent venturi. Chriſtus, & Antichriſtus, de quo & dominus alibi ſignificat, dicens: Ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me, alius veniet in nomine ſuo, & illum recipietis. Significans quòd quicunque non receperit Chriſtum, expectat Antichriſtum venire. Intellexit cogitationem Ioannis Chriſtus, animaduertit conſilium principis ſui rex, ſenſit ſermonem ſerui ſui dominus. Quod enim ſpiritus in Ioanne dictauerat, Deus intellexit, dicente Apoſtolo: Qui ſcrutatur corda, ſcit quid deſiderat ſpiritus. Propterea ſpiritualem hominem ſpiritualis facilè intelligit. Carnalis autem non intelligit ſpiritualem, ipſe tamen intelligitur ab eo: Quia ſpiritualis diiudicat omnia, ipſe autem à nemine diiudicatur: quia carnalis homo ſecundum carnem loquitur, ſemper ſecundum carnem intelligit: ſpiritualis autem ſecundum cor loquitur, & cogitationes intelligit. Conſidera denique, quomodo ſe ſimilant ſenſus eorum & verba. Sicut enim Ioannes in prima quidem facie per diſcipulos ſuos interrogabat Chriſtum: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, re vera ad diſcipulos ſuos ait: Ite, videte, & credite, quia non eſt alius qui venturus fuerat, niſi ipſe. Sic & Chriſtus in prima quidem facie Ioanni renuntiabat, dicẽs: *Ite, dicite Ioanni, cæci vident, ſurdi audiunt, & beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Re vera autem ad diſcipulos eius dicebat: Ecce videte, & cognoſcite, quia cæci vident, ſurdi audiunt, & beati eritis, ſi non fueritis ſcandalizati in me. Quid eſt quod videtis, & auditis? Sciens dominus Ieſus quia venturi erant diſcipuli ab Ioanne, ſicut Lucas dicit, in illa hora multis, & bonis hoſpitibus digna conuiuia præparabat, vt etiam Chriſto tacẽte, ipſa opera eius loquerentur de eo. Nam & qui curati fuerant, gratias agebant. Et quidam verò dicebant:

Ioan. 1. *Rom. 8.* *1. Cor. 2.* *Luc 7.*

Nunquam

Nũquam ſic factum vidimus in Iſraël. Alij autem dicebant. Viſitauit Deus in bono plebem ſuam. Alij dicebant: Gloria Deo, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Si ergo diſcipuli & oculis, & auribus pariebantur, mirabilia ſanitatum videntes, gratias agentium voces audientes: aut certè mirabilia eius videntes, & doctrinam eius audientes: aut certè ſanitates infirmorum videntes, & confeſſiones eiectorum dęmonum audiẽtes, hoc miſericordia Chriſti omnia faciebat, vt paucorum animas lucraretur. Quia melior eſt apud Deum vnus iuſtus, quàm totus mundus de peccatoribus plenus. *Abeuntibus autem illis, cœpit dicere ad turbas de Ioanne.* Quàm bene recedentibus diſcipulis cœpit laudare Ioannem: non ſicut quidam blanditores hominis, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicos eius fideles, aut domeſticos eius, quos credunt, quia nunciaturi ſunt illi quicquid audierint. Nam inſipiens eſt, qui gaudet laudatus in facie. Vir autem ſapiens, quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Propter duas ergo cauſas hominem in facie laudare non debes. Primùm ſi ſapientem illum putas, grauiter ſuſcepturus eſt. Et quare illi laudibus tuis moleſtiam facis? Si inſipientem illum exiſtimas, extollendus non eſt. Quare inſipientiam eius laudibus tuis nutris? Nunquid dicimus, inſipiens eſt, qui in facie vult laudari: Omnes enim homines volumus laudari. Et ideo bonum faciamus, vt laudem con-
Philip. 4. ſequamur ex eo, dicente Apoſtulo: Quæcunque ſunt laudis, quæcunque bonæ operationis, hæc ſectamini, & Deus pacis erit vobiſcum. Nam qui vult laudari propter homines malos, vanus eſt: qui autem coram domeſticis eius hominem laudat, non eſt culpa laudati, ſed laudantis. Ideo enim coram illis laudat eum, non vt opinionem eius bonam commendet hominibus, ſed vt audiat ille, quia laudauit eum. *Quid exiſtis in deſertum videre?* Non tunc exierant in deſertum, ad hoc vt viderent Ioannem: nec enim erat tunc in deſerto, ſed in carcere. Sed præteritum refert, quia frequenter exibat populus in deſertum videre Ioannẽ, quum eſſet adhuc in deſerto. *Calamũ à vẽtis moueri.* Calamus eſt vacuus, & nullã habet virtutem: & ideo qualiſcunque ventus flauerit ſuper eũ, huc & illuc flectit illũ. Sic & homo carnalis & ſecularis, in quo fidei nulla eſt medulla, & virtus veritatis non inuenitur in eo, qualiſcũque tentatio venerit ſuper eum, curuat eũ. Nam Deus volens oſtendere Iob, in quibus hominibus diabolus requieſcit introducit draconẽ in figura diaboli. Et quũ multa dixiſſet de eo, inter cætera ait: Secus calamũ, & papyrũ requieſcit. Calamus enim eſt vacuus, papy-
Iob. 40. rus autem nimiũ leuis, & mollis. Sic omnis homo carnalis vacuus in fide, & leuis in ſenſu, & mollis in paſſionibus, calamus eſt, & papyrus. Quoniam vſque tunc Ioannes multis modis plura teſtimonia in populo dederat de Chriſto, ſicut legimus in principio Ioannis euangeliſtæ: poſtea autem miſſis ad Deum diſcipulis, interrogabat eum dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* forſitan apud homines tunc ibi conſtitutos mirabile videbatur, & leuiſſimi hominis ſignum, vt prius quaſi ſciens omnibus prædicaret, modò quaſi neſciens interrogaret, ſi ipſe eſſet, an alius. Propterea dominus hoc introducit, & dicit, vt non putent hoc ipſum leuitatis eius fuiſſe, & non rationis alicuius occultioris. Propterea rationem quidem eius non exponit, ſed dignitatem, vt gratiam eius annuntiet: quia talis, & talis eſt Ioannes, vt prædicatio quidem dignitatis eius ſuſpicionem leuitatis tollat ab eo: rationem autem tranſmiſſorum diſcipulorum poſtea digni, & fideles intelligant, qui ſpiritum Dei habere meruerunt, ſeruantes etiam altitudinem Dei. *Quid exiſtis in deſertum? videre hominem mollibus veſtitum,* id eſt amicum ſeculi, qui fruitur bonis eius. Non vidiſtis, quia veſtimentum eius erat de pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Eſca autem eius locuſtæ, & mel ſylueſtre, vt ipſo conuerſationis ſuæ teſtimonio contemneret mundum cum bonis eius: ſtetit enim in mundo. Quod autem intrauit in mundum, ideo intrauit: non vt ipſe remaneret in mundo, ſed vt ſpoliaret mundum. Id eſt, natus quidem eſt in mundo, ſed non eſt ingreſſus ad aliqua huius mundi bona. Quod autem natus in mundo, non ipſe peccans remanſit in mundo: ſed peccatores conuertens ad iuſtitiam, liberauit de mundo. Multa enim delectamenta mundus iſte ad ſeductionem oſtendit hominibus. Sicut homo malignus, ſi viderit aliquem orphanum habere ſubſtantiam paternam: ducit eum frequẽter ad prandium, donat illi interdum aliquod ſpecioſum veſtimentum, loquitur illi dulces ſermones, donec tollat facultates eius. Sic & diabolus videns hominem, habentem in ſe theſaurum cœleſtem id eſt animam immortalem à Deo creatam, ſapiẽtiam cœleſtem in arca terrena poſitam: ideo oſtendit illi aurum & argentum, & concupiſcibilia ornamenta, oſtendit illi veſtes pretioſas, & delicioſos cibos, & glorioſos honores, vt per hæc ſubiugans eum voluptatibus ſuis, auferat ſalutem animæ eius, & corrumpat grauiam cordis ipſius. *Quid exiſtis in deſertum videre? prophetam? Amen dico vobis, & pluſquam prophetam.* Prophetæ enim eſt de Chriſto prædicare, nunquid prophetæ fuit, vt in vtero conſtitutus, Deum in vtero cognoſceret? Prophetæ eſt, pro merito conuerſationis, & fidei prophetiam accipere. Nunquid prophetæ fuit, vt prius fieret propheta, quàm homo, & antè gratiã acciperet? Prophetæ eſt, beneficium à Deo accipere. Nunquid prophetæ eſt beneficiũ baptiſmatis Deo donare? Prophetæ eſt verbum ante tempus ſignificare de Chriſto. Nunquid prophetæ eſt, facie ad faciem digito Chriſtum oſtendere? Prophetæ eſt, vt ipſe de Deo prophetet. Nũquid prophetæ eſt, vt Deus de illo prophetet? dicẽs: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: Hic eſt de quo dictum eſt per prophetam: Ecce ego mitto angelũ meum ante faciem tuam. Iam nunc incipit dicere cauſas, propter quas amplius erat quàm propheta beatus Ioannes, qui talem meruit habere laudatorem. Et Ioannes quidem teſtificatus erat de Chriſto: Ecce Ioan. 1.
agnus Dei. Sed amplius recepit à Chriſto quàm præſtitit. Ioannes enim Chriſtum glorificans, humanam illi contulit laudem. Chriſtus autẽ Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iſte illum agnum oſtendit, ille autem iſtum angelum prædicauit. Iſte minus laudauit in Chriſto quàm erat. Nam non ſolùm peccatum mundi abſtulit, ſed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem iſtum ſupra quàm videbatur, erexit: vt qui homo erat, angelus diceretur. Ecce mitto angelũ meum ante faciem tuam. Audi nunc, & intellige dignitatem.

Puto (ſi non eſt audaciæ dicere) quòd glorioſior
eſt Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis
meritum angelus eſt vocatus, quaſi nomine ange-
lus ea natura fuiſſet. Angelus enim hoc ipſum
quod angelus eſt, non tantû eſt virtutis pręmium,
quātû naturæ proprietatis. Iſte autē mirabilis eſt,
qui humana natura angelicam ſanctitatem tranſ-
greſſus eſt, & obtinuit quod non habuit natura
per gratiam Dei: Ecce omnes prophetæ ante fa-
Act. 7. ciem Chriſti tranſmiſſi ſunt, & angeli ſunt voca-
ti, ſicut ſcriptum eſt: Qui accepiſtis legem in præ-
ceptis angelorum, & non cuſtodiſtis. Et quomo-
do de ſolo Ioanne quaſi gratiæ ſingularis eſt indi-
cium, Ecce mitto angelum meum ante faciem
tuā? Omnes quidem prophetæ ante faciem Chri-
ſti tranſmiſſi ſunt: ſolus autem Ioannes ſic miſſus
eſt ante faciem Chriſti, vt penè cum ipſo Chriſto
veniret. Quantum præ cæteris propheris Ioannes
in tempore iuxta Chriſtum, tantum iuſtitia præ
illis proximior erat Chriſto. Multæ quidem ſtellæ
ante lucem præcedunt, nunciantes lucis aduen-
tum, nulla tamen earum luciferi nomen habere
meruit, niſi vna, quæ cum ipſa luce procedit. Sic
omnes prophetæ ante faciem Chriſti præcedunt,
nunciantes aduentum eius, ſolus autem Ioannes
præcurſor eſt appellatus: quia non ſolùm aduen-
tum eius annunciat, ſed ipſum illum digito ſuo
oſtendit, Ecce agnus Dei. Omnes prophetæ ven-
turum teſtati ſunt, ille ſolus iam veniſſe monſtra-
uit. Deinde alij prophetæ miſſi ſunt, vt aduentum
eius annunciarent, iſte autem vt præpararet viam
ipſius. Aliud autem eſt aduentum eius annuntia-
re, aliud eſt viam præparare. Nuntiantibus aduen-
tum eius, prædicationis ſermo commiſſus eſt:
præparāti autem vias, humanæ correctionis opus
Luc. 1. iniunctum eſt. Sicut angelus dicit de eo: Et mul-
tos filiorum Iſraël conuertet ad dominum ſuum.
Ille ergo correxit, vt iſte ſuſciperet: ille mundauit,
vt iſte ſanctificaret: ille præparauit, vt iſte inha-
bitaret.

S. GREGORII PAPAE
in idem Euang. Homil.

QVærendum eſt nobis, fratres chariſſimi,
Ioannes propheta, & plus quàm propheta,
qui venientem ad Iordanis baptiſma dominum
Ioan. 1. oſtendit, dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit
peccata mundi: qui & humilitatem ſuam, & diui-
Ioan. 3. nitatis eius potentiam conſiderans, dicit, Qui de
terra eſt, de terra loquitur: qui autem de cælo ve-
nit, ſuper omnes eſt: cur in carcere poſitus, mit-
tens diſcipulos requirit, *Tu es, qui venturus es, an
alium expectamus?* Tanquā ſi ignoret, quem oſten-
derat, & an ipſe ſit neſciat, quem ipſum eſſe pro-
phetando, baptizando, oſtendendo clamauerat.
Sed hæc citiùs quæſtio ſoluitur, ſi geſtæ rei tem-
pus, & ordo penſetur. Ad Iordanis enim fluenta
poſitus, quia ipſe redemptor mundi eſſet aſſerit:
miſſus verò in carcerem, an ipſe veniat requirit:
non quia ipſum redemptorem eſſe mundi dubi
tet, ſed quærit, vt ſciat, ſi is, qui per ſe in mundum
venerat, per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat.
Quem enim præcurrens mundo nuncianerat,
hunc moriēdo ad inferos præcurrebat. Ait ergo,
Tu es, qui venturus es, &c. Ac ſi apertè dicat, Sicut
pro hominibus naſci dignatus es, an etiam pro
hominibus * ad inferos deſcendere digneris, inſi-
* Mori digneris.
nua: vt qui natiuitatis tuæ præcurſor exitti, deſ-
cenſionis etiam præcurſor fiam, & venturum in-
ferno te nunciem, quem iam veniſſe mundo nun-
ciaui. Vnde & inquiſitus Dominus, enumeratis
potentiæ ſuæ miraculis, de mortis ſuæ protinus
humilitate reſpondit, dicens, *Cæci vident, claudi am-
bulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſur-
gunt, pauperes euangelizantur. Et beatus eſt, qui non fue-
rit ſcandalizatus in me.* Viſis tot ſignis, tantiſque
virtutibus, non ſcandalizari quiſque potuit, ſed
admirari: Sed infidelium mens graue in illo ſcan-
dalum protulit, cùm eum & poſt tot miracula
morientem vidit. Vnde & Paulus dicit, Nos au- 1. Cor. 1.
tem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis
quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.
Stultum quippe hominibus viſum eſt, vt pro ho-
minibus author vitæ moreretur, & inde contra
eum homo ſcandalum ſumpſit, vnde ei amplius
debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab homini-
bus digniùs honorandus eſt, quanto pro homini-
bus & indigna ſuſcepit. Quid eſt ergo dicere, *Bea-
tus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, niſi aperta vo-
ce abiectionem mortis ſuæ, humilitatemque ſi-
gnare? Ac ſi patenter dicat, Mira quidem facio, ſed
abiecta perpeti nō dedignor. Quia ergo morien-
do te ſubſequor, cauendum valdè eſt hominibus,
ne in me mortem deſpiciant, qui ſigna veneran-
tur. Sed, dimiſſis Ioannis diſcipulis, quid de eo-
dem Ioanne turbis dicat, audiamus, *Quid exiſtis vi-
dere in deſerto? arundinem vento agitatam?* Quod vi-
delicet non aſſerendo, ſed negando intulit. Arun-
dinem quippe mox vt aura contigerit, in partem
alteram inflectit. Et quid per arundinem, niſi car-
nalis animus deſignatur? qui mox vt fauore, vel
detractione tangitur, in partem quamlibet incli-
natur. Si enim ab humano ore aura fauoris flaue-
rit, hilareſcit, & extollitur, totumque ſe quaſi ad
gratiam inflectit. Sed ſi inde ventus detractionis
eruperit, vnde aura laudis veniebat, mox hunc
quaſi in partem alteram ad vim furoris inclinat.
Sed arundo agitata vento Ioannes non erat: quia
hunc nec blandum gratia, nec cuiuſlibet detra-
ctionis ira aſperum faciebat. Nec proſpera hunc
erigere, nec aduerſa nouerant inclinare. Arundo
ergo vento agitata non erat, quem ab ſtatus ſui
rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Diſ-
camus ergo, fratres chariſſimi, arundo vento agi-
tata non eſſe: ſolidemus animum inter auras lin-
guarum poſitum: ſtet inflexibilis ſtatus mentis.
nulla nos detractio ad iram prouocet, atque ad
remiſſionem inutilis gratiæ nullus fauor inclinet:
non nos proſpera eleuent, non aduerſa pertur-
bent: vt qui in ſoliditate fidei figimur, nequa-
quam rerum tranſeuntium mutabilitate mouea-
mur. Adhuc autem de eius expreſſione ſubiungi-
tur, *Sed quid exiſtis videre in deſerto? hominem mollibus
veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum
ſunt.* Camelorū enim pilis, vt ſcitis, veſtitus Ioan- Matt. 3.
nes fuiſſe deſcribitur. Et quid eſt dicere, *Ecce qui
mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt*, niſi aperta
ſententia demonſtrare, quia non cæleſti, ſed terre-
no regi militant ij, qui pro Deo perpeti aſpera
fugiūt, & ſolis exterioribus dediti, præſentis vitæ
mollitiem, & delectationem quærūt? Nemo ergo
exiſtimet in luxu, atque ſtudio precioſarum ve-
ſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet
nullo modo Ioannem dominus de veſtimenti ſui
aſperitate laudaſſet. Si hoc culpa non eſſet, ne-
In luxu & ſtudio precioſarum veſtium peccatum non deeſſe.
quaquam

1.Pet.3. quaquam Petrus Apoſtolus per epiſtolam fœ-
minas à precioſarum veſtium appetitu compeſ-
ceret dicens, Non in veſte precioſa. Penſate ergo
quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo
curauit paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere.
Quamuis hoc, quod Ioannes non eſſe veſtitus
mollibus dicitur, per ſignificationem intelligi &
aliter poteſt. Mollibus enim veſtitus non fuit:
quia vitia peccantium non blandimentis fouit,
ſed vigore aſperæ inuectionis increpauit, dicens?
Genimina viperarum, quis vobis demonſtrauit,
fugere à ventura ira? Vnde & per Salomonem di-
citur, Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi
claui in altum defixi. Clauis quippe, atque ſtimu-
lis ſapientium verba comparantur, quia culpas
delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. *Sed
quid exiſtis videre in deſerto? Prophetam? Etiam dico vo-
bis, & plùs quàm prophetam.* Prophetæ quippe mi-
niſterium eſt, ventura prædicere, non etiam de-
monſtrare. Ioannes ergo plùs quàm propheta eſt,
qui eum, quem præcurrēdo prophetauerat, etiam
oſtendendo monſtrabat. Sed quòd arundo vento
agitata eſſe denegatur, quia non eſſe veſtitus mol-
libus dicitur, quòd prophetæ nomen huic impar
eſſe perhibetur, iam quòd dignè dici poſsit audia-
mus. Sequitur, *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt, Ecce
ego mitto angelum meum ante faciem tuā, qui prapara-
bit viam tuam ante te.* Quod enim Græcè angelus,
hoc latinè nuntius dicitur. Rectè ergo qui nun-
tiare ſupernum iudicem mittitur, angelus voca-
tur: vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet
in operatione. Altum quidem nomen eſt, ſed vita
nomine inferior non eſt. Vtinam, fratres chariſ-
ſimi, non ad iudicium noſtrum dicamus, quia
Malach.2. omnes, qui ſacerdotis nomine cenſentur, angeli
vocantur propheta atteſtante, qui ait, Labia ſa-
cerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent
ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt.
Sed huius altitudinem nominis etiam vos ſi vul-
tis, poteſtis mereri. Nam vnuſquiſque veſtrùm in-
quantùm ſufficit, inquantùm gratiam ſupernæ aſ-
pirationis accepit, ſi à prauitate proximum reuo-
cat, ſi exhortari ad bonum operandum curat, ſi
æternum regnum vel ſupplicium erranti denun-
ciat, cùm ſanctæ denunciationis verba impendit,
profectò angelus exiſtit. Et nemo dicat, monere
non ſufficio, exhortari idoneus non ſum. Quan-
tum enim potes exhibe, ne malè ſeruatum talen-
Matt.25. tum, quod acceperas, in tormentis exigaris. Ne-
que enim plus, quàm vnum talentum acceperat,
qui hoc abſcondere magis ſtuduit, quàm erogare.
Et ſcimus, quòd in Dei tabernaculo non ſolùm
phialæ, ſed præcipiente Domino, etiam cyathi
facti ſunt. Per phialas quippe doctrina exube-
rans, per cyathos verò parua, atque anguſta ſcien-
tia deſignatur. Alius doctrina veritatis plenus,
audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod
dicit, profectò phialam porrigit. Alius explere
quod ſentit, non valet, ſed, quia hoc, vtcumque
denunciat, profectò per cyathum guſtum præ-
bet. In Dei ergo tabernaculo, id eſt, in ſancta Ec-
cleſia poſiti, ſi per doctrinam ſapientiæ miniſtrare
phialas minimè poteſtis, inquantùm per diuinam
largitatem ſufficitis, proximis veſtris boni verbi
cyathos date. Inquantùm vos profeciſſe penſatis,
etiam vobiſcum alios trahite, in via Dei ſocios
habere deſiderate. Si quis veſtrûm, fratres, ad fo-
rum, aut fortaſſe ad balneum pergit, quem ocio-
ſum eſſe conſiderat, vt ſecum veniat, inuitat. Ipſa
ergo terrena actio veſtra vos conueniat: &, ſi ad
Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis. Apoc.22.
Hinc etenim ſcriptum eſt, Qui audit, dicat veni, vt
qui iam in corde vocem ſuperni amoris acceperit,
foras etiam proximis vocē exhortationis reddat.
Et fortaſſe panem, vt indigēti eleemoſynam por-
rigat, non habet, ſed maius eſt quod tribuere va-
leat, qui linguam habet. Plus enim eſt verbi pa-
bulo victuram in perpetuum mentem reficere,
quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſa-
tiare. Nolite ergo, fratres, proximis veſtris elee-
moſynā verbi ſubtrahere. Mecum vos admoneo,
vt ab ocioſo ſermone parcamus, inutiliter loqui
declinemus, inquantùm reniti linguæ præuale-
mus, in ventum verba non defluant: cùm iudex Matt.12.
dicat, Omne verbum ocioſum, quod locuti fue-
rint homines reddent rationem de eo in die iudi-
cij. Ocioſum quippe verbum eſt, quod aut vtilita-
te rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis ca-
ret. Ocioſa ergo colloquia ad ædificationis ſtu-
dium vertite: quàm celerrimè huius vitę tempora
fugiant, conſiderate: quàm diſtrictus iudex ve-
niat attēdite. Hunc autem ob oculos cordis veſtri
ponite, hunc proximorum veſtrorum mentibus
intimate: vt, inquātum vires ſuppetunt, ſi annun-
tiare eum non negligitis, vocari ab eo angeli cum
Ioanne valeatis.

BEDAE VENERABILIS
presbyt. eiuſdem Euang. expoſitio.

I*Oannes autem cùm audiſſet in vinculis, &c.* Non
quaſi ignorans interrogat, cùm ipſe ignoranti-
bus agnum Dei digito demonſtraret: Sed interfi-
ciendus ab Herode diſcipulos mittit ad Saluato-
rem, vt per occaſionem videntes ſigna crederent
in eum, & huius ſententiæ ſenſus talis poteſt eſſe.
Mā da, inquit, mihi qui ad inferna deſceſſurus ſum:
vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nun-
ciaui ſuperis, an non conueniat filio Dei vt guſtet
mortem & alium ob hæc ſacramenta miſſurus es.
Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis &c.
Ite, inquit, & dicite Ioanni ſigna quæ cernitis, cæ-
cos videntes & cætera: & quod his non minus eſt
pauperes Euangelizantes. Hæc magiſtri rigorem,
hæc præceptoris comprobant veritatem, quando
omnis inter nobiles & ignobiles, apud eum, qui
ſaluare poteſt, æqualis eſt. Quod autem ait, Bea-
tus qui non fuerit ſcandalizatus in me: interim
nuntios percutit, ſicut in ſequentibus demon-
ſtrabitur. *Abeuntibus autem illis, cœpit Ieſus dicere ad
turbas, &c.* Quia turba Ioannem non diſcipulis ſed
ſibi de Chriſto dubitanti interrogare putauit:
Quid exiſtis, inquit, in deſertum videre arundi-
nem? numquid ob hoc hominem videretis cala-
mo ſimilem? qui omni vento circunfertur, & de
eo dubitaret, quem anteà prædicauerat? an qui
contra me inuidiæ ſtimulis cogitur, vt prædica-
tione ſua lucrū quæreret terrenum, cum deliciis
paſcitur: ſed locuſtis & camelorum induitur pilis,
iſtiuſmodi cibus & veſtis hoſpitio recipiuntur
carceris. Nam tale habitaculum habet prædicatio
veritatis, qui autem falſò prædicant, adulatores
ſunt & deliciis affluunt, & in domibus regum
mollibus veſtiuntur. *Sed quid exiſtis videre? prophe-
tam? etiam dico vobis plusquàm prophetam:* In eo Ioan-

nes cæteris prophetis maior eſt, quod quem illi prædicauerunt venturum, hic digito præſentem demonſtrauit.

CHRISTIANVS DRVTHmarus in idem Euangel.

I*Oannes autem cum audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Parum antequam Ioannes comprehenſus eſſet ab Herode tetrarcha, cœpit dominus prædicare, ne deeſſet Iſraëli verbum diuinum poſt Ioannem. Ioannes autem comprehenſus eſt ab Herode tetrarcha filio Herodis, & miſſus eſt in carcerem & in vinculis: quia Herodes acceperat vxorem fratris ſui, non tamen ei ipſe Herodes tulerat, ſed pater vxoris tulerat eam à Philippo pro quibuſdã ſimultatibus exortis inter eos, & dederat eam Herodi, quia ipſe Herodes maioris poteſtatis erat. Ioannes autem quamuis Herodes ex vna parte eſſet Iudæus, ex alia non eſſet: erat enim ex vna parte de Simonis genere, & Ioannis filij eius quæ Ariſtobuli ſacerdotis filia fuerat Mariamme vxor Herodis maioris, quam ipſe occidit. Fuit autem Ariſtobulus nepos Ioannis filij Simonis, qui in lib. Machabæorum legitur. Igitur non ceſſauit Ioannes adnũtiare ei quia iniuſtè fecerat (quamuis pater ei dediſſet) quòd vxorem fratris ſui retineret. Mulier verò cum amaret ſecundum maritum magis quàm primum, ſuaſit ei vt mitteret eum in carcerem. In hoc ergo carcere & in his vinculis cum eſſet, audiuit opera Chriſti. Quæ ſunt opera Chriſti quę audiuit? quę ſuperius auditis facta, quòd videlicet ſanaret omnes infirmitates in populo. *Mittens duos de diſcipulis ſuis: ait illi.* Sciebat Ioannes quod ipſe erat verus homo, & verus rex gloriæ Dei: & quia ideo incarnatus fuerat, vt per ſuam mortem redimeret mundum. Cùm audiuit autem illum tantas virtutes facere, tunc cœpit cogitare dicens. Si ipſe tantas virtutes facit, quis occidet illum. Modò innoteſcet mundo: mudò nullus audebit eum occidere, ſed omnes venerabuntur eum. Ego credebam quod ipſe deberet mori pro nobis: ſed modò vnum eſt è duobus: aut ipſe non facit tantas virtutes, quantas audio: aut ſi facit, nullus eum occidet, ſed diligent, & extollent eum: & pro tali dubitatione miſit duos de diſcipulis, & ait illi: *Tu es qui venturus es: an alium expectamus?* Tu es qui venturus es, ſicut credebam per mortem tuam ad liberationem hominum, qui tanta facis: an alium debes mittere qui debeat mori pro nobis? Iſte eſt verior ſenſus, ſicut coniicere poſſumus ex factis domini, & dictis, quæ in ſequentibus aperiemus: Nam non ignoramus, quod alij etiam in hoc loco ſenſerunt, quòd Ioannes idcirco miſit diſcipulos ad dominum, vt inuitaret eos ad diſcipulatum domini: ſicut iam aliqui erant, & aliqui odibant, & detrahebant factis ipſius cum Phariſæis. *Et reſpondens Ieſus, ait illis.* Alius euangeliſta refert, quòd iuſſerit venire coram ſe cæcos, & claudos, & leproſos, & curauit eos: & inde dixit. Renuntiate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Virtutes quas vidiſtis à me fieri: ac ſi mandaret, vt ille ſciat quia ſic eſt ſicut audiuit: facio coram vobis, vt ex viſu veſtro renuntiare poſſitis, & ex auditu, & miranda facio: & tamen ſicut ipſe credidit, moriar: quia venit hora quãdo ſatis beatus & rarus erit, qui non habet ſcandalum erga me. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Omnes iſtas virtutes ſuperiùs audiuimus factas à domino, & filiam archiſynagogi reſuſcitatam. Quare autem dicit *pauperes euangelizantur*? Quia hoc ſpecialiter Eſaias de illo prophetauerat futurum, inquiens. Ad annuntiandum manſuetis terræ miſit me. Et de ipſis dixerat dominus. *Beati pauperes ſpiritu*, et, *beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Ac ſi apertè dicat, Iam ſunt electi & perpauci, qui non debeant ſcandalum aduerſum me ſumere, & qui nolunt mortificare me. Ponit autem præſens tempus pro futuro, beatus erit, quoniã in conſpectu Dei omnia futura præſentia ſunt. *Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Deus conſcius humanæ fragilitatis, quia Ioannes homo erat, & poterat ei ſubrepere elatio: ob hoc noluit corã diſcipulis ſuis illum laudare, ſed abeuntibus illis, propter exemplum aliorum & ædificationem, dixit de illo quæ imitanda forent. Exẽplo ipſius nullus debet laudare quempiam in oculis eius, iuxta præceptũ Sapientis: Ne laudaueris hominem in vita ſua. *Quid exiſtis videre in deſertum? arundinem vento agitatam.* Arũdo dicta, quòd cito areſcat. Hæc & canna vocatur hebraicè, & latinè, & abundat in illa prouincia ſicut & in Italia: ita vt ſepes ex eis fiant, & alia neceſſaria, & creſcũt in paluſtribus locis in modum herbæ, quę apud nos ros vocatur. Eſt autem allegoria in hoc loco, aliud dicens, & aliud volens intelligi. Per arundinem inſtabiles homines volens intelligi. Ac ſi apertè dicat. Quando fuiſtis ad audiendam prædicationem Ioannis in deſerto, nunquid vidiſtis illum inſtabilem & mutabilem: vt arũdo contra ventum? Vt enim arundo vertitur in aliam partem, cum ventus eam tetigerit, ita carnalis homo ſiue pro cupiditate, ſiue pro timore flectitur in aliam partem. Sed Ioannes arundo non erat: ſed cedrus & de illo aliiſque electis dicitur. Iuſtus vt palma florebit. &c. Malos etenim ille homo eſt, qui propter donum, ſiue propter aliquem timorem, Dei præceptum dimittit: vel alius eſt in proſperitate, alius eſt in aduerſitate erga dominum, vel erga proximum. Inde dicit ſcriptura. Stultus vt luna mutatur. Ioannes autem fixus fuit in præceptis Dei, & peccatoribus non eſt adulatus: ſed firmo corde dixit Phariſæis. Genimina viperarum. Et Herodi regi. Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui. Et vſque ad mortem nec pro muneribus nec pro terroribus eſt immutatus, & ideo à domino laudatus. *Sed quid exiſtis videre in deſertum? hominem mollibus veſtitum.* Iterum de hac re dominus Ioãnem laudat, quòd auſteram vitam tam in cibo quã in potu tenuerit. Licet enim nobilitate natus, delicatè nutritus, tamen in ipſis feruidis iuuentutis ſuæ annis in eremum ingreſſus (ſicut audiſtis) & auſterè vixit, & auſterioribus veſtimentis cõtectus eſt, quia de pilis camelorum veſtimẽtũ habuit. De qua re nũc dicitur à domino. Quãdo fuiſtis ad conſulendum Ioannem nunquid vidiſtis eum mollibus veſtimẽtis veſtitum? Ac ſi aperte dicat non cæleſti ſed terreno regi militant, qui aſpera pro Deo perpeti refugiunt. Poteſt & aliter accipi, quòd Ioannes non mollibus veſtimentis veſtitus eſſe dicitur: quia vitam peccantium non blandimentis fouit, ſed aſpera inuectione increpauit dicens: Genimina viperarum. Sic etenim ſapientium verba eſſe debent malis, ſicut ſtimuli, & claui

clauſi in altum defixi, vt intelligant & meminerint peccatum ſuum: vt Salomon ait. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. attendere tamen debemus, quod dominus Ioannem de veſtimenti ſui aſperitate collaudat. Si virtus non eſſet vilibus veſtimentis indui: nequaquam dominus illum de hac re laudaſſet: nequaquam etiam beatus Petrus, ſi culpa non eſſet veſtimenta precioſa quærere, feminas prohiberet dicens. Non in veſte precioſa. *Sed quid exiſtis videre? prophetam? etiam dico vobis & pluſquam prophetam.* Adhuc perſeuerat dominus in laudibus Ioannis. dicit quòd Ioannes non ſolum fuit propheta: ſed etiam pluſquam propheta. Prophetæ namque miniſterium eſt ventura prædicere: non etiam demonſtrare. Ioannes vero non ſolum prædixit ſaluatorem, ſed etiam digito demonſtrauit dicens. Ecce agnus Dei. Quid Ioannes dici dicebat merito, ſubſequenter oſtendit. Sequitur enim. *Hic eſt de quo ſcriptum eſt. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Qui cauſam debet dicere, & aliquem laudibus extollere, hoc modo debet agere, vt prius repellat quod non eſt, & poſt conſequenter exponat quod eſt. Ecce primo dominus dixit, quòd Ioannes arũdo vento agitata non erat: neque mollibus veſtitus: poſt paulatim quòd nõ ſolum propheta, ſed etiã pluſquam propheta: ad vltimum angelum illum dicit. Angelus enim nuntius dicitur. Et recte angelus nuncupatur, qui certus nuntius & præco ſaluatoris factus manifeſte ab ipſo oculis & digito demõſtratus eſt. & vnuſquiſque fidelis qui ſacerdotis nomine cenſetur Zacharia atteſtãte, ſi miniſterij ſui iura exequitur, angeli nomine vocatur. Ait enim, Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam: & legem requirunt ex ore eius: quia angelus domini eſt. Studeat ergo quiſquis illo nomine decoratur, vita & operibus angelus eſſe, vt & in opere & ſermone Deum videntibus & audientibus adnunciet. Sequitur. *Qui præparabit viam tuã ante te.* Ioannes enim viam domino præparauit: quia multis non ſolum prædicauit: ſed & vt in eum crederent (etiam in teſtimonium) baptiſmo baptizauit. Et vnuſquiſque noſtrûm viam domino præparat, ſi expulſis de corde ſuo viciorum ſpinis, virtutes ibi inſerit.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſt. ſuperioris Euang. expoſitio.

C*Vm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi.* Et reliqua. Beatus Ioan. Bapt. propter veritatem quam prædicabat, miſſus eſt ab Herode tetrarcha in carcerem veluti latro & ſacrilegus. Dicebat enim illis Non licet tibi habere vxorem fratris tui, id eſt, illo viuente, ob nullam aliam cauſam miſſus eſt in carcerem, niſi quia veritatem prædicabat. *Cùm ergo in carcere poſitus eſſet, & audiſſet opera domini*, id eſt, miracula quæ faciebat, cæcos illuminando, mortuos reſuſcitando, leproſos mundando, dæmones ab obſeſſis corporibus eiiciendo, *Tunc miſit ad eum duos diſcipulos, & ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* id eſt, quem prophetæ venturum prædixerunt? Non quòd B. Ioannes tunc temporis dubitare poterat de morte domini, & de deſcenſione illius ad infernum qui iam eum prędicauerat, & baptizauerat in Iordane, & digito demonſtrauerat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Non dubitabat Ioannes. Non enim propter ſe miſit diſcipolos ſuos ad dominum: ſed propter inuidiam diſcipulorũ, quam habebant contra dominum. Illi diſcipuli Ioannis inuidebant domino, vndè & dixerũt magiſtro ſuo Ioanni: Rabbi, cui teſtimonium perhibuiſti trans Iordanem, ipſe baptizat, & plures veniũt ad eum quàm ad nos. Vt ergo hæc inuidia ceſſaret ab illis, ideo miſit eos Ioannes ad dominum, vt videntes eius miracula, & audientes eius doctrinam, crederent in eum & ſaluarentur. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et eſt ſenſus. Ego ſcio me ab Herode interficiendum, & ad inferna deſcenſurum, manda ergo mihi vtrum te debeo nunciare inferis, id eſt, his qui in inferno ſunt, ſicut nunciaui ſuperis, id eſt, hominibus in mundo, vt ſicut præcurſor tuus extiti, prædicando te venturum eſſe in mundo, ita fiam præcurſor tuus denunciando te venturum eſſe in infernum, & liberaturum electos, qui ab initio mundi præſtolantur aduentum tuum. An non conueniet filio Dei vt guſtet mortẽ, an etiam hæc myſteria ad peragenda alium miſſurus ſis, aut angelum, aut archangelum, aut prophetam, aut apoſtolum. Beatus autem Ioannes, miniſterium ſuum perficiebat, vt ſicut præceſſerat dominum naſcendo, prædicando & baptizando, ita præcederet moriendo. Dominus itaque quoniam omnia nouit, antè quam veniant, cognoſcens intentionem Ioannis, propter quod miſerat diſcipulos ſuos ad eum, ideo voluit ante eos miracula facere, ſicut & fecit, cæcis reddendo viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, leproſis munditiam, mortuis vitam, vt videntes eadem miracula, & audientes verbum ex ore eius, cum fide filij Dei reuerterẽtur ad magiſtrũ ſuum, ſicut & fecerunt. *Reſpondens autem dominus ait illis. Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.* Aliud autem viderunt, aliud & audiuerunt. Viderunt cæcos illuminatos, ſurdos audientes, leproſos mundatos, claudos ambulãtes, & mortuos reſuſcitatos, audientes pauperes euangelizatos à domino, id eſt, doctos. Secundum literam ita factum eſt, ſicut hiſtorica intelligentia narrat. Secundum altiorem verò intellectum prædicante domino, & docente, qui erant cæcati corde, & in tenebris ignorantiæ poſiti erant, receperunt lumen ſcientiæ & veritatis. Qui erant ſurdi, receperunt aures audiendi verbum Dei, iuxta quod dominus dicit: Qui habet aures audiendi audiat. Qui erant clau- Matt. 13. di à bonis operibus, receperunt greſſum bonæ operationis. Qui erant leproſi, id eſt, peccatis originalibus grauati, & polluti, mundati per fidem, & gratiam baptiſmatis. Qui erãt mortui peccato, & infidelitate, cœperunt viuere Deo. Quod autem dicit, *pauperes euangelizantur*, id eſt, docentur, dupliciter poſſumus intelligere, vel pauperes rerum, vel pauperes ſpiritu, id eſt, humiles, de quibus dominus alibi dicit. Beati pauperes ſpiritu, Math 5. quia veſtrum eſt regnum cælorum. Euntes renunciate Ioanni, quia ego ſum ipſe de quo Propheta prædixit. Deus ipſe venit & ſaluabit nos. *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cæci vident.* In hoc quod dicit, *cæci vident*, tunc impletum eſt, quod Eſaias Propheta dixerat. Tunc aperientur oculi cæcorum. Et quod dicit *Surdi audiunt* Eſa. 35.

Imyletum eſt illud eiuſdem Eſaiæ Prophetæ. Et aores ſurdorum patebunt. Et quod dicit, *Claudi ambulant*. Impletum eſt illud eiuſdem prophetæ, Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus. Et quod dicit, *Mortui reſurgunt*, impletum eſt per eundem prophetam dicentem, viuent mortui, & interfecti mei reſurgent. *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, Ac ſi apertè dominus diceret: Miranda ſunt valde opera, quæ ego facio, ſed cauendum eſt hominibus, qui modò mea ſigna venerantur, ne tempore paſſionis meæ recedant à fide mea. Hic ſe demonſtrauit dominus moriturum, & ad inferni clauſtra deſceſurum, & electos liberaturum, & ad cælos reuocaturum, quaſi diceret Ioanni: Mira quidem facio, ſed abiecta perpeti non dedignor, moriendo te ſubſequor. *Illis autem abeuntibus*, Id eſt, illis recedentibus, *Cœpit* IESVS *dicere ad turbas de Ioanne*. Quare noluit dominus præſentibus diſcipulis Ioannis, laudare Ioannem, ſed potius recedentibus? Non ſine cauſa. Ne forte illi diſcipuli Ioannis dicerent. Certè IESVS laudatorem ſuum laudat, magiſter noſter laudauit eum, vicem laudationis illi rependit. Ne fortè illi hoc poſſent dicere, ideo noluit dominus ante illorum præſentiam laudare Ioannem, ſed illis abeuntibus, proſiliuit in laudem Ioannis dicens: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Et eſt ſenſus, nunquid ad hoc exiſtis in deſertum, vt videretis Ioannem, ſimilem arundini vento agitatæ, vt de illo quis modò dubitet (id eſt, de me) quem antè prædixit filium Dei eſſe, dicens: Hic eſt filius Dei? Non talis Ioannes. *Quid exiſtis in deſertum videre?* Beatus Ioannes in deſerto habitabat, eremita erat, ſecus Iordanem fluuium cellulam ſuam habebat, in qua à pueritia ſua domino ſeruiebat. Poſſumus & aliter dicere. Arũdinem mox vt aura tetigerit, in partem alteram flectitur. Ioãnes ergo arundo vento agitata non erat, quia eum nec alicuius laus poterat facere aſperum, nec proſpera nouerant enim exaltare in ſuperbiam vel elationem, nec aduerſa deiicere in triſtitiam. Nos peccatis impellentibus, ſumus arundo vento agitata quia cùm aliquis nos laudat, eleuamur in ſuperbiam: cũ aliquis vituperat, deiicimur in triſtitiam & iram, *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum?* Hæc verba dominus non affirmando ſed negando intulit, quia beatus Ioannes non erat mollibus indumentis indutus, ſed de pilis camelorum erat veſtimentum illius. Cibo delitioſo non vtebatur, vinum non bibebat omni tempore vitæ ſuę. Pœnitentiam prædicabat populis dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et rectè, quia pœnitentiam prædicabat, ipſam pœnitentiam in cibo, potu, & habitu prætendebat, quaſi diceret populis ad ſe confluentibus. Si ego qui iuſtus ſum, abſtinentiam ſector, & vos pœnitentiæ habitum ſumere debetis multò magis, vt veniam conſequamini. *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt*. Et eſt ſenſus. Illi, qui pro terreno regno militant, palatia regum, & diuitum inhabitant, mollia veſtimenta requirunt, adulatores regi, & reginæ exiſtunt. Ioannes ergo, quoniam pro cœleſti regno militat, habitaculum carceris diligit, mollia veſtimenta ſpernit, nulli adulatur, & à delectationibus ſeculi iſtius alienus exiſtit. Virtus eſt, vilia indumenta induere illum qui poteſt habere preciosa. Si enim virtus non eſſet, nequaquam dominus Ioannem de aſperitate veſtimenti ſui laudaſſet dicens. *Quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum?* Et ſi peccatum non eſſet preciosum veſtimentum induere, nequaquã ſermo diuinus tam vigilanter exprimeret de diuite, qui poſt mortem torquebatur apud inferos, quòd dum adhuc viueret in corpore, purpura, & byſſo induebatur. Et beatus Petrus non ſolum viros ſed etiam mulieres ab appetitu precioſarum veſtium compeſcuit dicens: Non in veſte precioſa, non in auro & argento, non in torto crine. Specialiter Ioannes mollibus veſtimentis non erat indutus, quia vitam peccantium blandimentis non fouit ſed acriter increpauit, dicens, Genimina viperarum, quis vobis demonſtrabit fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentię. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam*. Prophetæ miniſterium eſt, futura prædicere & non demonſtrare. Beatus verò Ioannes & propheta fuit, & plus quàm propheta, quia quod Prophetæ ab initio mundi prædixerunt venturum eſſe in mundum, id eſt, filium Dei, non ſolùm ipſe prophetauit, ſed etiam digito demonſtrauit, dicens: *Ecce agnus Dei. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Deus pater loquitur ad filium ſuum per Malachiam prophetam: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui pręparabit viam tuam ante te: Ioannes hic appellatus eſt angelus, id eſt, nuntius, non natura, ſed officio, quia angelus Græcè, Latine nuntius dicitur. Ecce ergo qui aduentum ſuperni iudicis nuntiare venerat, angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione. Et non ſolùm beatus Ioannes angelus eſt appellatus, id eſt, nuntius, quia ſupernum iudicem nunciabat, verumetiam & omnes prælati ſanctæ eccleſię epiſcopi, & ſacerdotes, qui vitam æternam prædicant, angeli vocantur, dicente eodem propheta Malachia. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirunt populi, quia angelus domini exercituum eſt. Et non ſolum epiſcopi, & ſacerdotes ſanctæ eccleſiæ angeli appellantur, ſed etiam vnuſquiſque fidelis, ſiue laicus, ſiue fœmina, qui peccantes redarguunt, ſi pœnas ſupplicij minatur peccantibus, ſi gaudia æterna promittit bene agentibus, dum verbis ſacræ eruditionis inſiſtit, profectò angelus vocatur.

Veſtimentorum aſperitas ad virtutẽ reſpectas.

Malach. 3.

Malach. 3.

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgar. ſuperioris euang. expoſitio.

T*V es qui venturus es, an alium expectamus?* Non interrogat Ioannes quaſi ignorãs Chriſtum. Nam quo pacto ignoraret, cum teſtatus ſit, Ecce agnus Dei; Verùm, quia diſcipuli eius inuidebant Chriſto, vt pluribus argumentis certiores eos redderet, propter hoc mittit eos, vt, vel viſis miraculis, credant Chriſtum Ioanne maiorem eſſe: & idcirco fingit ſe rogare? *Tu es qui venturus es?* hoc eſt, qui expectatur in ſcripturis in carne venturus. Nonnulli autem dicunt, quòd, quum dixerit venturum, interrogauit de deſcenſu ad inferos, quaſi ignoret Ioannes, & dicat, Es tu ille qui ad infernum venturus eſt? *an alium expectamus?* Hoc autem friuolum fuerit dicere, Quum enim prophetis aliis excellentior fuerit Ioannes, quomodo

eruciſi

crucifixionem Chriſti, & eius ad inferos deſcenſum ignoraſſet; præſertim enim Chriſtum agnum nominarit, eo quòd pro nobis immolandus erat? Sciebat igitur Ioannes, quòd ad infernum venturus eſſet dominus cum anima, vt & illic ſaluaret (ſicut dicit Gregorius theologus) omnes, qui credituri erant, quòd pro nobis incarnatus eſſet. Et non ſicut ignorans rogat, ſed ſicut volens copioſis teſtimoniis diſcipulos ſuos docere de Chriſto ob miraculorum operationẽ. Vide enim & Chriſtum, quid dicat ad hanc interrogationem. Non dixit, annunciate Ioanni, Ego ſum, qui venturus ſum: ſed vt ſciens, quòd Ioannes hac de cauſa diſcipulos miſiſſet, vt videant miracula, inquit: Quæ videtis, annunciate Ioanni, & omnino, ille, accepta occaſione hac amplius de me vobis teſtimonium perhibebit. Pauperes autem, qui euangelizantur, intellige vel apoſtolos Euangelium prædicantes (pauperes enim erant & piſcatores, & vt priuati contemptibiles) vel auditores Euangelij de cæleſtibus bonis audientes. oſtendens autem diſcipulis Ioannis, quòd non laterent eum quæ cogitabant, dicit, *Beatus qui non fuerit offenſus in me*: nam ipſi multum de eo dubitabant. *Illis autem euntibus, cœpit Ieſus dicere turbis de Ioanne, &c.* Fortaſſis turbæ vt audierunt Ioannis interrogationem, offenſæ ſunt, ne fortè & Ioannes de Chriſto dubitaſſet, & ſic facilè mutaſſet ſententiam, quamuis priùs teſtificatus fuiſſet de Chriſto. Hanc igitur ſuſpicionem è medio tollens Chriſtus, inquit, Non eſt Ioannes arundo, hoc eſt, inconſtans, & varius. Nam, ſi talis eſſet, quare exiuiſtis ad eum in deſertum? Non enim ad arundinem, hoc eſt facile mutabilem hominem exiuiſſetis, verum ſicut ad magnum, & conſtantem hominem exiuiſtis: Proinde talis manet, qualem eum iudicaſtis. *hominem mollibus veſtimentis indutum.* Nam, ne dicere poſſint, quòd delicijs primum ſeruiuerit, factus ſit remiſſus, inquit. Non. Veſtis enim eius ex pilis erat, & oſtendebat à delicijs alienum. Si enim mollia geſtaſſet, in regum domibus verſatus eſſet, non in carcere, ſi delicias fuiſſet ſectatus. Diſce igitur quòd non oportet probum Chriſtianum mollia geſtare. *Ecce ego mitto angelum meum &c.* Angelus vocatus eſt & propter angelicam vitam, ac ferme materiæ expertem, & propter hoc quod nunciauit, prædicauitque Chriſtum. Præparauit autem viam Chriſti, quaſi teſtificans de eo, & quaſi baptizans in pœnitentiam. Nam poſt pœnitentiam remiſſio peccatorum, quam remiſſionem Chriſtus dat. Hæc autem dixit Chriſtus poſtquam à ſe abierant diſcipuli Ioannis, ne videatur eis adulari. Vaticinium autem dictum Malachiæ eſt.

Probum Chriſtianum non oportet mollia geſtare.

Malach. 3.

INCERTI AVTHORIS
ſub nomine Euſebij Emiſſeni in idem euangelium.

IOannes Baptiſta in vinculis & in carcere poſitus, cum audiſſet miracula quæ dominus operabatur, intelligens iam ſibi diem mortis imminere, voluit eum quaſi magiſtrum interrogare de his, quæ ſibi adhuc incerta videbantur. Miſit igitur ad eum duos de diſcipulis ſuis, qui eius verba Chriſto referrent. Hi autem quid dixerint audiamus. Ioannes, inquiunt, Baptiſta miſit nos ad te dicens: *Tu es qui venturus eſt, an alium expectamus?* Ego quidem non puto Ioannis diſcipulos intellexiſſe, quid hac illorum interrogatione magiſtri ſignificaretur. Sicut neque in Chriſti reſponſione quæſtionem intellexerunt eſſe ſolutam. *Tu es*, inquit, *qui venturus eſt.* Ego quidem vado; ego ad patriarchas, & prophetas in infernum deſcendo. Sed nunquid tu quoque ibi vẽturus es? Debeo te illuc venturum illis annunciare, ſicut te iam veniſſe mundo annunciaui? Deſcendes illuc per te, an alium expectamus à te? Timeo enim hoc credere de te, niſi hoc certum mihi fiat à te. Valde quidem te humiliaſti, an fortaſſè plus te humiliabis? Quid dicam illis, Quid nunciabo? *Et reſpondens Ieſus, ait illis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mũdantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Quid enim aliud dominus in hac ſua reſponſione ſignificabat, niſi quia & hoc prophetarum oraculum per ſe complere non abhorreret, ſicuti nec alia quæ de eo prophetæ prædixerant. *Ite*, inquit, *dicite Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis.* Ipſa enim hora, ipſiſque videntibus, vt Lucas teſtatur, fecit dominus multas virtutes. Et tale erat ac ſi diceret: In mundum veni, carnem aſſumpſi baptizari volui: nunc autem prædico, nunc pauperes ad fidem conuerto, cæcos illumino, mortuos reſuſcito, & cætera facio, quæ me facturum eſſe prophetæ nunciarunt. Qui igitur in alijs omnibus & prophetarum teſtimonia confirmo & compleo, abſit vt in hoc vno faciam eos eſſe mendaces. *Beatus enim qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Beatus qui fideliter firmiterque crediderit quæcunque ſcripta, & prophetata ſunt de me. Qui enim non horrui virginis vterum, non vtique horreo ad inferna deſcẽdere. Cloaca mundi eſt infernus, lux tamen ſtercore non inquinatur. Mundus tranſeo per immũdum, mundus totum compleo mundum. Deſcende igitur ſecurè, præcurſor mihi es. Vade & præcurre, nuncia gaudium fidelibus meis: citò ſequar, & liberabo eos. Conſidera modò quanta lætitia locus ille tenebrarum, locus ille mœroris, & doloris, conſidera, inquam, quãta lætitia quantóque gaudio exultauerit, quãdo ibi beatus Ioãnes hæc verba narrare cœpit. *Illis autẽ abeũtibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Bene autẽ, *illis abeuntibus*: ſi enim illis præſentibus, de Ioanne talia loqueretur, poterat fortaſſe adulatione notari ab illis; qui non Deum, ſed hominem eum eſſe credebat. *Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam?* Non eſt arundo Ioannes, columna eſt, non mouetur vento, non quatitur timore, non flectitur adulatione, vno eodémque vultu reſpicit & illos qui eum laudant, & eos qui eum vituperant. Sic inimicos, vt amicos diligit, ſic potẽtes vt impotẽtes arguit. Vide igitur quã cautè ſaluator noſter & Ioannis iuſtitiam cõmendat, & ſeipſum ab adulationis vitio defendit, dũ eum, quẽ laudat, laude non delectari dicit. *Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Ioannes enim ſicut legitur, pilis camelorũ veſtitus erat: qua in re apertiſſimè oſtenderat, quia & mundum iſtum, eiúſque concupiſcentias pro nihilo ducebat. Inſuper & quia pœnitentiam prædicabat, vt bonus magiſter pœnitentibus in ſeipſo pœnitentiæ ſimul exemplum, & regulam dabat. Vnde non immerito quidam ait: Si vis, me flere, dolendum eſt prius ipſe tibi. *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Qui enim mollibus veſtitur, conuentus hominum re-

Horatius.

quiris & videri appetit, ideóque non in deſerto, non in loco ſolitario, ſed in domo regia inuenitur. Vana quippe gloria premitur, qui propter hoc mollibus veſtitur. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam etiam dico & pluſquam prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.* Sic igitur angelus Ioannes, & pluſquam propheta Ioannes. prius enim quàm naſceretur, prophetauit, & non ſicut cæteri prophetę. Poſt multum tẽporis Chriſtum venturum eſſe prædixerunt, ſed ante faciem eius manens, & eum baptizans & tangens, reuelante ſpiritu ſancto dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc enim non dixiſſet, niſi propheta fuiſſet. Erat autem & pluſquã propheta, quia ipſum, quem prophetauit, digito demonſtrabat. Et in eo quidem in quo dicitur pluſquam propheta poteſt dici & non propheta: faciẽs enim pluſquam prophetam, oſtendit ſe alium etiam quàm prophetam. Prophetarum enim eſt futura prædicere, non prophetarum verò præſentia demonſtrare. Vnde idem Ioannes interrogatus an eſſet propheta, reſpondit ſe non eſſe prophetam.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris euang. expoſitio.

Luc. 7. QVum autem Ioãnes audiſſet in carcere opera Chriſti &c. Lucas vero dicit, quòd ipſi renunciauerunt ſigna Ioanni, & tunc duos quoſdam ex illis miſit, quòd æmulationem ſiue inuidiam manifeſtat, quàm habebant iſti aduerſus Chriſtum. Miſit autem illos Ioannes interrogans, an ipſe eſſet, quem venturum eſſe dicebant libri prophetarum, non tanquam ignorans: quo enim pacto dubitaret, qui antea eum prædicauerat, & propriis manibus baptizauerat, ac deſuper teſtimonium de eo audiuerat, diuinumque ſpiritum ſuper eum deſcendentem quaſi columbam conſpexerat? ſed ſciens diſcipulos ſuos inuidia moueri aduerſus Chriſtum: ſiquidem prius quoque ac-
Ioan. 3. ceſſerant, dicentes, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum: vehementer enim præceptorem ſuum amantes, & pariter gloria illius frui cupientes, indignabantur, videntes Chriſtum celebrem fieri. Verum, quia ſæpius eos admonendo, perſuadere nequiuerat, nunc autem breui moriturus erat: delectis duobus, qui prudentiores eſſent, hos mittit ad Chriſtum, prætextu quidem interrogandi, an ipſe eſſet ille, qui venturus erat: vera tamen cauſa erat, vt conſpectis miraculis, quæ faciebat, crederent: ſciebat nanque teſtimonium ab operibus credibilius eſſe, magiſque ſuſpicione carere. Ideo etiam Chriſtus, cognito, quòd ob id potius Ioannes eos miſiſſet, ſtatim in illa hora multa operatus eſt miracula, ſicut di-
Luc. 7. cit Lucas. Nam ſi Ioannes manifeſte miſiſſet eos, quo ſpectatores fierent, nequaquam perſuaderi potuiſſent, vt illuc abirent. Ob hanc ergo cauſam prætextum finxit interrogationis. *Et reſpõdens Ieſus dixit illis: Ite &c.* Vide quomodo non ad effictam eorum interrogationem reſponderit, ſed ad veram cauſam, propter quam miſſi erant. Pauperes autem, qui lætum euangelij nuncium accipiunt, dixit apoſtolos. Quid enim eo pauperius, qui artem exercet piſcatoriam. *Et beatus eſt, quicunque oſfendiculum non acceperit in me.* Hoc præſertim propter ipſos dixit Ioannis diſcipulos, detegens illis cordis eorum arcanum: oſtenditque quòd ſe non lateret ipſos quoque offendi, quia cum publicanis, & peccatoribus manducabat: & manifeſte prius gaſtrimargiam ipſi obiecerant aduerſus diſcipulos eius. *His autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere turbis de Ioanne.* Illi quidem meliores redditi ab- Supra. 9.
ſceſſerũt. Quare autem non ipſis præſentibus loquutus eſt de Ioãne? Ne ei videretur adulari. *Quid exiſtis videre in deſertum? arundinem vento agitatam?* Audita à turbis Ioãnis interrogatione, quum intentum ignorarent illius, turbæ ſunt: quomodo is, qui de hoc tot, ac tanta teſtatus fuiſſet, nunc dubitabat, & immutatum eum eſſe ſuſpicabantur, quo cognito, Chriſtus, huiuſmodi medetur ſuſpitioni: docens ſimul, & quòd cordium eſſet cognitor, & confundendo eos redarguens. Ait ergo? *Quid exiſtis in deſertum, vt videretis arundinem, quæ à vento agitatur?* hoc eſt, leuem, & inſtabilem hominem, & ad modum arundinis facile mente mutabilem, vt nunc ſuſpicamini? aut è diuerſo ſtabilem, ſaxóque ſolidiorem, vt tũc veſtrum ſtudium, ac concurſus teſtabantur? *Sed quid exiſtis ad videndum? hominem mollibus veſtibus amictum?* Delitiis ſcilicet gaudentem, vt etiam ea hoc mollis videatur, facileque mutabilis? aut potius econtrario, duris exercitatum vt etiam veſtis eius, ac cibus confirmarunt? *Ecce qui mollia geſtant, in domibus regum ſunt.* Hic verò primum quidem in deſerto verſabatur, nunc autem in carcere retinetur. Quia vero quidam à domo leues eſſe monſtrantur, & quidam à delitiis hoc patiuntur: poſuit Chriſtus & hoc, & illud: ac probauit neutrum poſſe dici de Ioanne. Deinde, quod verum eſt, infert, & veritati atteſtatur, ac Baptiſtę elegantem contexit encomij coronam. *Excellentiorem propheta.* Excellentiorẽ, hoc eſt maiorem, Deinde dicit in quo maiorem: videlicet in eo, quod venerit circa Chriſti aduentum. Nam maiores aliis inter præcones ſunt ij, qui prope regem pręcedunt. *Excellentiorem propheta*, vtpote qui ſuis vidit oculis à ſe prophetatum, quẽ prophetæ ipſum pręcedentes in ænigmate conſpexerãt. *Hic eſt enim de quo ſcriptũ eſt &c.* Poſt ſuum teſtimonium adfert, & propheticũ: eſt enim Malachię verbum. Malach. 3.
Dictũ eſt autẽ quaſi à patre, & Deo, ad filiũ etiam Deum. Ioannem vero angelum ſuum Deus nominauit: ſiue quia ἄγγελος dicitur nuncius, & Ioannes, quæ ſibi dicta erant de Chriſto, annunciauit populo: Factum eſt, inquit, verbũ Dei ſuper Ioan- Luca. 3.
nem Zachariæ filium in deſerto: ſiue quaſi angelicam degẽtem vitam, eo quòd ſuper terrena eleuabatur, ac cæleſtia ſapiebat. *Ante faciem tuam.* hoc eſt, in conſpectu tuo præcedentem, tanquam domeſticum tuum, qui etiam coram te parabit viam tuam. Via autem Chriſti animæ erant hominum, per quas oportebat verbum procedere. Poteſt etiam dici excellentior propheta, quia eum, quem vidit, prophetabat: quod nulli contigit prophetarum. Nec vidit tantum, verum etiam baptizauit.

DOMINICA III. ADVENTVS.

IOAN. I.

a Cum eius excellentia mouerentur, quia auſus eſt baptizare. b Sapientes in lege.

[a] MISERVNT Iudæi ab Ieroſolymis [b] ſacerdotes & Leuitas ad

c Vt confeſſione ipſius Ioannis ſcirent quis eſſet. d Quid? e Ecce humilitas Ioannis, qua nihil maius eſt, cum poſſet credi Chriſtus. f Quod non eſt Chriſtus

Ioannem, vt [c] interrogarẽt eum: Tu [d] quis es? Et [e] confeſſus [f] eſt,

g Quod erat præcurſor. h Quid? i Remota priori opinione.

& non [g] negauit. Et [h] cõfeſſus eſt, quia [i] non ſum ego Chriſtus.

k Scilicet es? l Elias, quia non ſolum propheta ſicut ille, ſed etiam præcurſor. m Corpore, quia ipſe dominus ſpiritualiter de eo dicit Eliam in ſpiritu & virtute n Eliæus.

Et interrogauerũt eum, [k] quid ergo? [l] Elias es tu? Et dixit: [m] Non ſum.[n] Pro-

o Quia non prænuncio, ſed oſtendo. Non ſum propheta, quia pluſquam propheta, Non ſum vnus de illis prophetis de quibus me eſſe putatis. p Dic quis es, ne abſque reſponſo redeamus ad illos qui nos miſerunt. q Audiuimus de Chriſto te prædicare, ſed de teipſo nihil manifeſtum aſſeris.

pheta es tu? Et reſpondit: [o] Non. Dixerunt ergo ei: [p] Quis es? vt [q] reſponſum

r Sum. s Verbi incarnati. t In me.

demus his qui miſerunt nos. Quid dicis de teipſo? Ait: [r] Ego [s] vox [t] clamantis

v Deſertæ Iudææ ſolatium annuncians. x Quaſi dicat, Parate in vobis. Per fidem, per opera, per quæ dominus ingreditur.

in [v] deſerto, [x] Dirigite viam domini ſicut dixit Iſaias propheta. Et qui miſſi

y Ex inuidia quærebant. z Quia audaciæ eſt. a Hic plane inuidia patet.

fuerant, erant ex Phariſæis. Et [y] interrogauerũt eum, & dixerunt.[z] Quid [a] ergo

b Qui habet autoritatem baptiſmi. c Eliſæus. d Etiam inuidis ex bonitate veritatem dicit.

baptizas, ſi tu non es [b] Chriſtus, neque Elias, [c] neque propheta? [d] Reſpondit

e Id eſt lauo. f Id eſt præſens vobis apparet. g Corpore.

eis Ioannes dicens: Ego [e] baptizo in aqua: [f] medius autem veſtrum [g] ſtetit,

h Quia humilis: & ideo ego lucerna præaccendor. i Ante tempora diffinitum eſt quod poſt me veniret. Sicut naſcendo ita prædicãdo. k Mihi præpoſitus eſt dignitate.

quem vos [h] neſcitis. Ipſe eſt qui [i] poſt me venturus eſt, qui [k] ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti. Hæc in

l Id eſt in domo obedientiæ baptizat, vt ſignificet obedientiam conuenire baptizatis.

[l] Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

GLOSSA ORDINARIA

in ſuperius euangel.

TV *quis es*. Putabant Iudæi Ioannem eſſe Chriſtũ, qui in lege promittebatur. Alij putabãt eum eſſe Eliam, propter nimiam abſtinentiam & caſtitatem, & ſolitariam vitam, & aſperrimam delictorum reprehenſionem, & duriſſimum futuræ vindictæ terrorem. Alij dicebant eum eſſe vnum de prophetis reſuſcitatum, propter prophetiæ gratiam. *Confeſſus eſt*. Confeſſus eſt, vt poſtea dicit, non quod erat Chriſtus. Non negauit quod erat ideſt quòd eſſet præcurſor, vt poſt interrogatus dicit: *Ego vox cla.* Ordo verborum: & confeſſus eſt & non negauit quando miſerunt. *Elias es tu.* Cum omnes ſcirent nomẽ Chriſti ſciebant etiam quòd Elias præceſſurus ſit eum. Sed ipſe Elias præceſſurus, in poteſtate iudicaturum: Ioannes figuraliter Elias eundem iudicandum: vt ſint duo præcones ſicut duo aduẽtus eiuſdẽ vnde dicit. *Non ſum*. Elias ideſt non præco, potentiam indicans, ſed in quam offenditis oſtendo humilitatẽ. q.d. ſeruite humili antequam excelſus iudicet. Ecce nec ego Chriſtus nec apertę potentiæ index. *Ego vox*. Non dicit Ego ſum homo, vel Ioannes. vel filius Zachariæ. Non conſiderat humanam ſubſiſtentiam vel generationem, ſed vltra hæc omnia exaltatus præcurſor verbi, deſerit omnia quæ intra mundum continentur. Aſcendit in altum, factus vox verbi: nullam in ſe ſubſtantiam fatetur præter abundantiam gratiæ, qua excedit omnem creaturam, vt ſit vox verbi. Vox eſt interpres animi, Animus autem ideſt intellectus omnium eſt filius Dei. Ioannes ergo vox eſt & interpres huius animi: quia primò mũdo eum demonſtrauit. Ecce agnus Dei. *Eſaias*. hoc de Ioanne prophetauit: Ego vox clamantis in deſerto, in qua verbum ſonat ideſt propheta, & oſtenſio & lucerna verbi præſentis. *Ex phariſ.* ideſt ex principibus Iudæorum qui doctrinam non quærunt, ſed inuident. Qui tamen ad Ioannem ideo veniunt, quia audiunt eum prædicaſſe communem omnium reſurrectionẽ, quam & ipſi credebant, vnde & ipſi in multis Chriſto conſentiunt. Paulum quoque apoſtolum in multis audierunt. *Quid ergo bap.* Audiebant Phariſæi in prophetis Chriſtum venturum, & baptizaturum, ſciẽtes Iordanem figuram baptiſmi geſſiſſe, eumque Eliam & Eliſæum ſiccis pedibus tranſiſſe: figuramque baptiſmi in Elia & Eliſæo non dubitabant præceſſiſſe. vnde & nunc eos ſurrexiſſe putabant & baptizaſſe, vnde nec interrogant, es tu vnus prophetarum: ſed ſolummodo es tu propheta ille videlicet qui præfigurauit baptiſmum. *Ego baptizo in aqua*. Non imputetur audaciæ quod ago: quia corpora abluo aqua, nõ aufero peccata, 4.Reg.2.b vt ſicut

vt ſicut naſcendo & prædicando præcurſor ſum ſic & baptizando: ſed iſte medius inter vos eſt qui peccata tollit, *Cuius ego non ſum dig.* Non ait non ſoluam. Soluit enim quoniam ipſum manifeſtauit & de diuinitate & humanitate ipſius multa aperuit, ſed non ſum dignus: quia indignum ad hoc agendum ſe reputat, in quo ſimpliciter indicatur humilitas. Myſticè. Ligaturam myſterij incarnati verbi non ſum dignus penetrare, vel nomen ſponſi mihi vſurpare. *Hæc in Betha.* Duæ ſunt Bethaniæ. vna trans Iordanem, altera citra non longe à Ieruſalem, vbi Lazarus ſuſcitatus eſt. Illa quæ trans Iordanem eſt, ſignificat humanam naturam ſub lege naturali ante fluenta gratiæ, qua gratia poſt incarnationem Chriſti abundans fuit, quæ natura ad hoc creata erat, vt legi naturæ obediret, in qua Ioannes baptizat, quia à peccato non liberat. Baptizat vltra fluenta diuinorum donorum quæ nondum in Chriſto inchoauerant in humanam naturam deſcendere. Illa quæ eſt citra Iordanem ſignificat eandem humanam naturam obedientem ſub lege gratiæ, quæ eſt proxima Ieruſalem ideſt viſioni pacis per charitatem, in qua Chriſtus mortuum ſuſcitat, quia à peccato liberat.

CATENA AVREA IN *idem euangelium.*

E*T hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis, ſacerdotes, &c.* Orig. Secundum legitur hoc teſtimonium à Ioanne Baptiſta de Chriſto prolatum, incipiente primò illic: Hic eſt de quo dixi, & deſinēte ibi: Ipſe narrauit. Theo. vel aliter: Poſtquā ſuperius dixit euāgeliſta quod Ioannes teſtabatur de Chriſto: Ante me factus eſt, nunc ſubiungit quando præmiſſum teſtimonium reddiderit Chriſto Ioānes, vnde dicit: *Et hoc eſt teſt. Ioan.* Orig. Iudæi quidem ab Hieroſolymis, vt cognati exiſtentes, Baptiſtæ de ſtirpe ſacerdotali exiſtentis, ſacerdotes & leuitas deſtināt, ſciſcitaturos quis eſſet Ioānes, eos ſcilicet qui reputati ſunt ſecundū electionē ab aliis differre, & ab electo Hieroſolymorum loco. Ioānem itaque quærunt cum tanta veneratione, erga Chriſtum autem nihil huiuſmodi factum legitur à Iudæis: ſed quod erga Ioannem Iudæi, hoc Ioannes erga Chriſtum proſequitur, per proprios diſcipulos interrogans: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*? Chry. Sic autem fide dignum æſtimauerunt eſſe Ioannem, vt ei de ſeipſo dicenti crederent. vnde dicitur: Vt interrogarent eum, *Tu quis es*? Aug. Non autem mitterent, niſi mouerentur excellentia authoritatis eius, quia auſus eſt baptizare. Orig. Ioannes autem (vt videtur) diſcernebat ex quæſtione ſacerdotum & leuitarum dubitationem, ne fortè Chriſtus eſſet baptizans: apertius tamen illud profiteri canebant, ne temerarij putarentur. Quapropter merito, vt eorum opinio fallax de eo primitus aboleretur, ac ſubinde veritas propalaretur, quòd non ſit Chriſtus, ante omnia manifeſtat. vnde ſequitur: Et confeſ. eſt, & non negauit, & confeſ. eſt quia nō ſum ego Chriſtus. Hic etiam adiciamus, quia tempus aduētus Chriſti populum recreabat quodammodo iam præſens exiſtens legiſperitis ex ſacris ſcripturis illius tempus ſperatum colligentibus: propter quod Theodas non modicam multitudinem quaſi Chriſtus congregauit, & poſt illum Iudas Galilæus in diebus profeſſionis. Cùm ergo feruētiùs Chriſti expectaretur aduentus, Iudęi tranſmittunt ad Ioannem per hoc quod eſt: *Tu quis es*? Conicere volentes, ſi ipſe ſe Chriſtum fateretur. Non autem ex hoc quod dicit, Non ſum ego Chriſtus: negauit. ex hoc enim ipſo confeſſus eſt veritatē. Grego. Negauit planè quod non erat, ſed non negauit quod erat: vt veritatem loquens, eius membrum fieret, cuius ſibi nomen fallaciter non vſurparet. Chryſ. Vel aliter: Paſſi erant Iudæi quandam humanam paſſionem ad Ioannem. Indignum enim æſtimabant ſubiici eum Chriſto, propter multa quæ Ioannis claritatem demonſtrabant: quorum primum erat genus illuſtre. Principis enim ſacerdotum filius erat: deinde dura educatio, humanorum deſpectio. In Chriſto autem contrarium videbatur: genus humile, quod ei exprobrabant, dicentes: Nonne hic eſt fabri filius? diæta communis & veſtimenta, nihil plus multis habentia. Quia igitur Ioannes continuè ad Chriſtum mittebat volentes magis Ioannem habere magiſtrum mittunt ad eum opinantes per blanditias eum allicere ad confitendum ſe Chriſtum eſſe. Non ergo quoſdam contemptibiles mittunt, vt ad Chriſtum, miniſtros & Herodianos, ſed ſacerdotes & Leuitas: & non quoſcunque, ſed eos qui erant ex Hieroſolymis, hoc eſt honorabiliores. Et ad hoc mittunt, vt interrogarent, *Tu quis es*? non quaſi ignorantes, ſed volentes eum inducere ad hoc quod dixi. vnde Ioannes ad mentem, & non ad interrogationem eis reſpondit. Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, non ſum ego Chriſtus. Et vide ſapientiam euangeliſtæ: tertiò quaſi idem dicit: & virtutem Baptiſtæ indicans, & malitiam & amentiam Iudæorum. Deuoti enim famuli eſt, non ſolum non rapere gloriam domini, ſed oblatam à multis, reſpuere. Turbæ quidem ex ignorantia ad hanc venerunt ſuſpicionem, vt Ioannem Chriſtum æſtimarent: hi verò à maligna mente, ex qua interrogabant eum, æſtimantes per blanditias attrahere ad hoc quod volebāt. niſi enim excogitaſſent hoc, reſpondenti, *Non ſum ego Chriſtus*, dixiſſent: Non hoc ſuſpicari ſumus, non hoc venimus interrogaturi: ſed capti & manifeſti effecti ad aliud veniunt. vnde ſequitur: *Et interr. eum: Quid ergo? Elias es tu?* Auguſt. Nouerant enim quòd præceſſurus erat Elias Chriſtū. non enim alicui ignotum erat nomen Chriſti apud Hebræos, ſed non putabant illum eſſe Chriſtum, nec tamen omnino putauerunt Chriſtum non eſſe venturum: & cum ſperarent venturum, offenderunt in præſentem. ſequitur: *Et di. non ſum.* Greg. in hom. Ex his verbis nobis quæſtio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquiſitus à diſcipulis dominus de Eliæ aduentu, reſpondit: Si vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. Requiſitus autem Ioannes dicit: *Non ſum Elias.* Quomodo ergo propheta veritatis eſt, ſi eiuſdem veritatis ſermonibus concors non eſt? Orig. Dicet autem aliquis quod ſi ignorabat Ioannes eſſe Eliam, & hoc nimirum vtentur documento, qui aſsiſtunt iteratæ incorporationis rationi tanquam anima denuò induente corpora. Quærunt enim Iudæi per leuitas ac ſacerdotes an eſſet Elias, cùm iteratæ corporis aſſumptionis documentum verax arbitrātur quaſi paternum exiſtēs, nec alienum ab arcanorum ſuorum doctrina,

ob hoc

ob hoc itaque dicit Ioannes: Elias non ſum. Nam neſcit primæuam vitam propriam. qualiter autem videtur rationabile ſi tanquam propheta ſpiritu illuminatus eſt, & de Deo & vnigenito tanta narrauit, ignoraſſe de ſeipſo an vnquam eius anima fuerit in Elia? Greg. in hom. Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quidem quod inter ſe cõtrarium ſonuit, quomodo contrarium non ſit, inuenitur. Ad Zachariam nanque de Ioanne angelus dixit: ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: quia ſcilicet ſicut Elias ſecundum domini aduentum præueniet, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcurſor venturus eſt iudicis, ita iſte præcurſor factus eſt redemptoris. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat. Quod autem dominus fatetur in ſpiritu, hoc Ioannes denegat de perſona, vt quia & iuſtum ſic erat & diſcipulis dominus ſpiritualem de Ioanne ſententiam diceret, & Ioannes turbis carnalibus non de ſuo ſpiritu, ſed de corpore reſponderet. Orig. Reſpondit ergo leuitis & ſacerdotibus, *Non ſum*: coniectans propoſitum quæſtionis eorum, non enim ſapiebat præmiſſa examinatio, ſi idem ſpiritus eſſet in vtroque, ſed ſi Ioannes eſſet ipſe Elias qui aſſumptus eſt, nunc apparens ſecundum quòd à Iudæis expectabatur abſque natiuitate. Primus autem arbitrans reſumptionem corporum dicet, quòd inconſequens eſt filium Zachariæ tanti ſacerdotis in ſenio natum, ſuper omnem humanam expectationem ignorari à ſacerdotibus & leuitis ipſum natum fuiſſe, maximè Luca teſtante quòd factus eſt timor in omnibus habitantibus circa eos. Sed forſitan quoniã prope finem Eliam expectabant ante Chriſtum, quaſi tropicè ſciſcitari vidētur, an es tu qui prænuntias Chriſtum venturum? & mutè reſpondit, Non ſum. Sed & nihil mirabile, ſicut in ſaluatore pluribus ſcientibus ex Maria natiuitatem eius, quidam fallebantur putantes eum Ioannem Baptiſtam vel Eliam aut aliquem prophetarum, ſic & in Ioanne quoſdam ortus eius ex Zacharia non latebat, & quidam dubitabant, ſi forſitan qui expectabatur Elias apparuit in Ioanne. Quoniam verò cum plures in Iſrael editi fuerint prophetæ, vnus de quo Moyſes prophetauerat præſertim expectabatur: iuxta illud: Prophetam vobis ſuſcitabit Deus ex fratribus veſtris: ſicut mihi, illi parebitis. Tertiò ſciſcitantur, non ſi foret propheta ſimpliciter, ſed cum articulo in græco ponitur, vnde ſequitur: *Propheta es tu*? Per ſingulos enim prophetas nouerat populus Iſrael neminem eorum fore hunc quem Moyſes prophetauerat, qui ſicut Moyſes medius ſtaret inter Deum & homines, & accepto teſtamento à Deo traderet diſcipulis. Hoc autem illis nomen non Chriſto attribuentibus, ſed arbitrantibus aliũ à Chriſto ipſum fore. Ioannes ſciuit quoniam & Chriſtus ille propheta eſſet, vnde ſubdit: Et reſpondit, non. Aug. vel quia Ioannes maior erat quàm propheta, quia prophetæ longè prænuntiauerunt, Ioannes præſentem demonſtrabat. Sequitur: *Dixerunt ergo ei: quis es, &c.* Chryſ. Vides hic vehementius inſiſtentes & interrogantes, hunc autem cum manſuetudine eas quæ non erant veræ ſuſpiciones deſtruentem, & eam quæ eſt vera ponentem. vnde ſequitur: *Ait, Ego vox clamantis in deſerto*. Aug. Eſaias illud dixit. In Ioanne prophetia iſta completa eſt. Greg. Scitis autem quòd vnigenitus filius verbum patris vocatur. Ex ipſa autem noſtra locutione cognoſcimus, quia prius vox ſonat, vt verbum poſſit audiri. Ioannes ergo vocem ſe aſſerit eſſe, quia verbum præcedit, & per eius miniſterium patris verbum ab hominibus auditur. Orig. Ineleganter autem Heraclion de Ioanne, & prophetis cõſiderans ait: Quoniam verbum quidem ſaluator eſt, vox autem per Ioannem intelligitur. Solus enim ſonus eſt omnis gradus propheticus. Cui dicēdum, quòd ſi non ſignificatiuam vocem dederit tuba, nemo ſe accinget ad prælium. Si ergo nil aliud quàm ſonus eſt vox prophetica, quomodo traſmittit nos ad illam Saluator? Scrutamini, inquit, ſcripturas. Dicit autem Ioannes ſe eſſe vocem non clamãtem in deſerto, ſed clamantis in deſerto: eius ſcilicet qui ſtabat & clamabat: ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat. Clamat enim vt diſtantes auditu percipiant, & grauem habentes auditum ſentiant immenſitatem eorum quæ dicuntur. Theo. Vel quia veritatem manifeſtat & annuntiat: omnes enim qui in lege erant obſcurè loquebantur. Greg. Vel in deſerto Ioãnes clamat, quia quaſi derelictæ ac deſtitutæ Iudææ, ſolatium redemptoris annuntiat. Orig. Opus autem vocis in deſerto clamantis eſt, vt anima à Deo deſtituta, ad rectam faciendam viam domini reuocetur: nequaquam prauitatem ſerpentini greſſus proſequendo, ſecundum contemplationem quidem ſublimatam in veritate abſque permixtione mendacij, & ſecundum actionem poſt congruam ſpeculationem licitum opus referentem. vnde ſequitur: *Dirigite viã domini: ſicut dixit Eſaias propheta.* Greg. Via domini ad cor dirigitur, cum veritatis ſermo humiliter auditur. Via domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum vita præparatur. *Et qui miſſi fuerant: erant ex phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, &c.* Orig. F[illegible]ta reſponſione verſus ſacerdotes & leuitas denuò miſſum eſt à phariſæis, vnde dicitur: *Et qui miſſi fuerant, &c.* Quantum enim ex ipſo ſermone coniecturari contingit, dico, tertium hoc eſt teſtimonium, vide tamen quomodo iuxta ſacerdotalem & leuiticam perſonam eſt, cum mãſuetudine prolatum illum. *Tu quis es?* Nihil enim arrogans vel proteruum in eorum quæſtione continetur, ſed cuncta decenna veros Dei miniſtros. Sed phariſæi ſecundum ſuum nomen diuiſi & importuni ex diſcordia contumelioſas voces prætendunt Baptiſtæ. vnde ſequitur: *Et dixerunt ei, Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Non quaſi ſcire volentes, ſed prohibere eũ à baptiſmo. Deinde verò neſcio quo pacto proni ad baptiſmum inerunt ad Ioannem. Huius autem ſolutio eſt, quia phariſæi non credentes accedunt ad baptiſma, ſed ex hypocriſi cùm timerēt populũ. Chryſ. Vel ipſi ijdem ſacerdotes & leuitæ ex phariſæis erant: & quia blandiniis eum non valuerunt ſupplantare, accuſationem ei immittere tentant: cogentes eum dicere quod non erat. vnde ſequitur: *Et interrogaue. eum & dixerunt ei: Quid ergo bap. ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* quaſi audaciæ videbatur eſſe baptizare ſi Chriſtus non erat, nec præcurſor illius, nec præco, id eſt, propheta. Gregorius: Sed ſanctus quiſque etiam cum peruerſa mente requiritur, à bonitatis ſuæ ſtudio non mutatur. Vnde Ioannes quoque ad verba inuidiæ, prædicamenta reſpondit vitæ. vnde ſequitur: *Reſpond. eis di. Ego bapt. in aqua.* Origen. Ad illud enim, Quid ergo baptizas?

baptizas? quid aliud afferri decebat, niſi proprium baptiſmum carnale prætendere? Greg. Ioannes enim non ſpiritu ſed aqua baptizat, quia peccata ſoluere non valebat. baptizatorum corpora per aquam lauat, ſed tamen animas per veniam non lauat. Cùm ergo baptizat, qui peccata per baptiſmum non relaxat, niſi vt præcurſionis ſuæ ordinem ſeruans, ſcilicet qui naſciturum naſcendo præuenerat, baptizaturum quoque dominũ baptizando præueniret: & qui prædicando factus eſt præcurſor Chriſti, baptizando etiam præcurſor eius fieret imitatione ſacramenti, qui inter hæc myſterium redemptionis noſtræ annũtians, hunc in medio hominum & ſtetiſſe aſſerit & neſciri. Sequitur enim: *Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*, quia per carnem dominus apparens & viſibilis extitit corpore, & inuiſibilis maieſtate. Chryſ. Hoc autem dixit, quoniã decens erat Chriſtum commixtum eſſe populo vt vnum multorum, ſe vbique humilem eſſe docentem. Cùm autem dixit, *Quem vos neſcitis*. Scientiam hîc cognitionem certiſſimam dicit, puta quis eſt & vnde. Aug. Humilis enim videbatur, & propterea lucerna accenſa eſt. Theo. Vel medius erat phariſæorum dominus, ſed ignorabant eum, quia ipſi ſcripturas ſe ſcire putabãt: & inquantum in illis prænuntiatur dominus, medius eorum erat ſcilicet in cordibus eorum, ſed neſciebãt eum: eo quòd ſcripturas non intelligebant. Vel aliter: Medius quidem erat, inquãtum mediator Dei exiſtens & hominum Chriſtus Ieſus, medius phariſæorum extitit, volens illos Deo iungere, ſed ipſi neſciebant eum. Orige. Vel aliter: Hoc edito, *Ego baptizo in aqua*: ad illud, *Quid* ergo baptizas: ad ſecundum, *Si tu non es Chriſtus*? præconiũ de præcedenti Chriſti ſubſtantia proponit, quòd tanta ſit ei virtus, quòd inuiſibilis ſit ſua deitate, cum ſit præſens cuilibet, & totum per orbem diffuſus, quod notatur ex illo: *Medius veſtrum ſtetit*. Hic enim per totam orbis machinam affluxit, ſic vt quæ creentur per ipſum creantur, omnia enim per ipſum facta ſunt. vnde palam eſt quòd inquirentibus à Ioanne, *Quid ergo baptizas*? Ipſe medius erat. Vel quod dicitur, *In medio veſtrum ſtetit*, intelligendum eſt de nobis hominibus. Cum enim ſimus rationales, in medio noſtrum exiſtit, ex eo quòd principale ſcilicet cor in medio totius corporis inſitum eſt. Qui ergo verbum in medio gerũt, non autem cognoſcunt de illius natura, nec de quo fonte manauit, nec quomodo conſiſtit in eis, hi verbum in medio ſui obtinentes ignorant, quod tamen Ioannes agnouit: vnde exprobrando dicit ad phariſæos, *Quem vos neſcitis*. Quia expectantes phariſæi Chriſti aduentum, nihil tam arduum de eo contemplabantur, ſolum hominem ſanctum exiſtimantes eum eſſe. Dicit autem, *Stetit*. Nam ſtat pater inuariabilis exiſtens & impermutabilis: ſtat quoque verbum eius ad ſaluandum continuò, quamuis carnem ſuſcipiat, quãuis medium hominum ſiet inuiſibile. Ne verò putet aliquis alium eſſe inuiſibilem ad omnes homines venientem, vel ad vniuerſum orbem ab eo qui humanatus eſt & in terra comparuit, ſubdit: *Qui poſt me venit*, hoc eſt qui poſt me apparitūrus eſt. Non autem idem denotatur hîc per hoc quod dicitur, *Poſt*: & cum Ieſus nos poſt ſe inuitat. Illic enim ſequi poſt ipſum præcipitur nobis vt eius indagando veſtigia perueniamus ad patrem, hîc autem, vt pateat quid ſequatur ex Ioãnis dogmatibus. venit enim vt cuncti credant, per eum præparati ad perfectum verbum per minora. Dicit ergo: *Ipſe eſt qui poſt me venit*. Chryſ. Ac ſi diceret, Ne exiſtimetis tantum in meo conſiſtere baptiſmate. Si enim meum baptiſma perfectum eſſet, alius nõ veniret poſt me aliud baptiſma daturus, ſed hæc præparatio eſt illius & trãſibit in proximũ, vt vmbra & imago, ſed oportet eum qui veritatem imponet venire poſt me: ſi enim hoc eſſet perfectum, nequaquam ſecũdi locus quæreretur. Et ideo ſubdit: *Qui ante me factus eſt*, hic eſt honorabilior & clarior. Greg. Sic nãque dicitur, *Ante me factus eſt*: ac ſi dicatur, ante poſitus eſt mihi. Poſt me ergo venit, quia poſtmodum natus, ante me autem factus eſt, quia mihi prælatus. Chryſ. Ne autẽ exiſtimes comparabilem eſſe excellentiam, hanc incomparabilitatem oſtendere volens ſubiungit, *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti*. quaſi dicat intantum eſt ante me, vt ego neque in vltimis miniſtrorum vocari dignus ſim: calceamentum enim ſoluere, vltimi miniſterij res eſt. Aug. Vnde etſi dignum ſe diceret tantummodo corrigiam calceamẽti ſoluere, multum ſe habuiſſet. Greg. Vel aliter: Mos apud veteres fuit, vt ſi quis eam quæ ſibi competeret, accipere vxorem nollet, ille ei calceamentum ſolueret, qui ad hanc ſponſus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Chriſtus, niſi ſanctę eccleſiæ ſponſus apparuit? Rectè ergo Ioannes ſe indignum eſſe ad ſoluendam corrigiam eius calceamenti denuntiat, ac ſi apertè dicat, redemptoris veſtigia non denudare valeo, quia ſponſi nomen mihi immeritus non vſurpo: quod tamen intelligi & aliter poteſt, Quis enim neſciat quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiant? Incarnatus verò dominus veniens, quaſi calceatus apparuit, qui in diuinitate ſua morticina noſtrę corruptionis aſſumpſit. Corrigia ergo calceamenti eſt ligatura myſterij. Ioannes ergo ſoluere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit: ac ſi patenter dicat: Quid mirum ſi mihi ille prælatus eſt, quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis eius myſterium non comprehendo? Orig. Quidam verò non ineptè dixit hoc ſic intelligendum: Non ſum ego tanti, vt cauſa mei deſcedat à magnalibus, ac carnem quaſi calceamentum ſuſcipiat. Chryſ. Et quia Ioannes cum decenti libertate ea quæ de Chriſto ſunt omnibus prædicabat, propterea euangeliſta & locum deſignat, dicens: *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans*. Non enim in domo neque in angulo Chriſtum prædicabat, ſed Iordanem trãſiens in media multitudine præſentibus omnibus qui ab eo baptizabãtur. Quędam verò exemplaria certius habent *in Bethabara*. Bethania enim nõ vltra Iordanem, neque in deſerto erat, ſed prope Hieroſolymam. Glo. Vel duæ ſunt Bethaniæ, vna trans Iordanem, altera citra, non longè à Hieruſalem vbi Lazarus fuit ſuſcitatus. Chryſ. Hoc autem & propter aliam cauſam deſignat, quia enim res non antiquas narrabat, ſed ante paruum tempus contingentes, præſentes & videntes teſtes facit eorum quæ dicuntur, demonſtrationem à locis tribuẽs. Alcui. Bethania verò domus obedientiæ interpretatur, per quam innuitur, quia per obedientiam fidei omnes ad baptiſma debẽt peruenire. Orig. Bethabara verò interpretatur domus

præparationis

præparationis, & conuenit cum baptiſmo, præparante domino plebem perfectam. Iordanis interpretatur deſcenſus eorum. Quis autem erit hic fluuius niſi Saluator noſter, per quem ingredientem in hunc mundum mundari conueuit, non ſuum deſcendentem deſcenſum, ſed humani generis, hic ſegregat donatas à Moyſe ab his quæ per Ieſum donantur ſortes, huius riuuli lætificant ciuitatem Dei. Sicut autem Draco latitat in Aegyptiaco fluuio, ita Deus in iſto. Pater enim eſt in fluuio: & qui proficiſcuntur illuc vbi ſe lauent, opprobrium Aegypti deponunt, ac apti ad perceptionem hæreditatis parantur, necnon à lepra mundantur, & duplicis capaces ſunt gratiæ, ac prōpti fiunt ad ſuſceptionē ſpiritus almi, in aliud flumen nequaquam deſcendente ſpiritali columba. Trans Iordanem verò Ioānes baptizat: vt præcurſor venientis non innocentes, ſed peccatores vocare.

ORIGENIS PRESBYTERI *in ſuperius Euang. expoſitio.*

IAm igitur ſecundum Ioannis teſtimonium videamus. Hieroſolymis Iudæi [...] qui Ioānis, qui generis ſacerdotalis erat, cognati [...]iſſent, ſacerdotes & leuitas mittunt, qui quis nam [...]iſſet, quærerent. Ille autem cùm hoc dicit, *Ego nō* [...] *Chriſtus*, hoc ipſo veritatem confeſſus eſt: nequ[e] vt quiſpiam putabit, per illud, *Ego non ſum Chriſt[us]* negauit. Neque enim negatio eſt, Chriſti gloriæ [...]uſa, ſe non eſſe Chriſtum dicere. Ij autem ſacerd[ot]es & leuitæ, qui Hieroſolymis miſſi fuerant, cu[m] eum non eſſe Chriſtum, qui expectaretur, audiuiſſent, ſciſcitantur de ſecundo qui apud eos in magno honore erat & expectabatur, Elia nomine, num is ille eſſet: Se autem non Eliam reſpondet, rurſus illo verbo, *Non ſum*, profitens veritatem. Quoniam autem cùm multi in Iſraël prophetæ fuiſſent, tamen vnus quidam, qui à Moſe prædictus fuit, præcipuè expectabatur ex illo verbo, Prophetam vobis ſuſcitabit dominus Deus veſter ex fratribus veſtris tanquam meipſum audietis, Et erit, omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, peribit de populo ſuo. Tertio interrogant, non vtrum *προφήτης*, id eſt, propheta aliquis eſſet, ſed an *ὁ προφήτης*, id eſt, præcipuus ille propheta, neque illi hoc nomen ad Chriſtum accommodabant, ſed eum alium præter Chriſtum putabant eſſe. Ipſe, qui ſciret eum, cuius præcurſor erat, & Chriſtum eſſe & prophetam qui à prophetis prædictus fuiſſet, reſpondet, *Non*, Etiam fortaſſe reſponſurus, ſi ſine articulo interrogaſſent. Neque enim ignorabat, cùm propheta eſſet. Atque in his omnibus reſponſis nondum ſecundum Ioannis teſtimonium perfectum eſt, quoad iis, qui reſponſum petebant, quod iis, qui ſe miſiſſent, renunciarent, ſe indicauit prophetica Eſaiæ voce, quæ talis eſt, *Vox clamantis in deſerto, Dirigite viam domini.* Sed operæprecium eſt quærere, num ſecundum teſtimonium abſolutum ſit, & tertium apud eos qui à Phariſæis miſſi erant, ac ſcire cupiebant, Quid tādem baptizaret, ſi neque Chriſtus, neque Elias, neque præcipuus ille propheta eſſet illo in loco detur, *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti:* an pars ſit ſecundi etiam id quod Phariſæis renunciatur. Ego autem, quantum ex verbis coniecturam capere licet: tertium eſſe teſtimonium dixerim, ſermonem, qui ad eos habitus ſit, quos Phariſæi miſerant. Obſeruandum tamen eſt, primum teſtimonium Seruatoris declarare diuinitatem: ſecūdum autem ſuſpicionem eorum qui dubitabant, num Ioannes Chriſtus eſſet, tollit: tertium, eum qui modo quodam qui ſub oculos non cadit, in hominibus ineſt, prædicat quaſi nondum venturus ſit. Verùm ante ea teſtimonia, quæ deinceps ſequuntur, quibus oſtendens teſtificatur, vnumquodque ſecundi tertiique teſtimonij verbum cōſyderemus, hoc primùm obſeruato, duas ad Ioannem Baptiſtam miſſas eſſe legationes, vnam quidem Hieroſolymis à Iudæis, qui ſacerdotes, & leuitas mittunt, vt eum, Tu quis es, interrogent. Alteram autem Phariſæorum, qui mittunt, & ad reſponſum datum ſacerdotibus, atque leuitis ambigebant. Obſerua ergo, quæmadmodum ea, quæ ex ſacerdotum, leuitarúmque perſona dicuntur, cum manſuetudine & ſtudio diſcendi dicuntur, tum hoc, *Tu quis es?* tum illud, *Quid ergo? Elias es tu?* tum illud, *propheta igitur eſt tu?* tum præterea, *Quis es, vt reſponſum demus iis, qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo?* Nihil enim contumax neque ſudax in horum ineſt interrogatione: ſed omnia, quæ diligentibus Dei cultoribus conueniunt. At verò ij, qui à Phariſæis miſſi erant, cùm nihil de iis, quę à Leuitis & ſacerdotibus dicta eſſent, laboraſſent, contumelioſis atque inhumanioribus verbis agunt cum Baptiſta, hoc modo, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* nec verò diſcendi ſtudio vt ſacerdotes & Leuitæ quos paulò antè diximus, mittunt, ſed arcendi à baptizandi munere, fortaſſis quòd [b]aptizare nullius, niſi aut Chriſti, aut Eliæ, aut [p]ræcipui illius prophetæ opus & munus eſſe exiſti[ma]rent. Eique qui diligenter ſcripta diuina lectur[us] eſt, vbique cura eſt adhibenda, vt obſeruet, quoni[am] neceſſe eſt, ea, quæ dicuntur, & à quibus, & [qu]ando dicantur, vt in omnibus ſanctis libris inue[nie]mus accommodatè perſonis tributum eſſe ſer[m]onem. *Quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacer[dot]es & Leuitas ad eum vt interrogarent eum, Tu quis es? [C]onfeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Quia non ſ[um] ego Chriſtus.* Quos tandem ſenes ad Ioannem à I[udæ]is mitti oportuit & vnde, niſi eos, qui Dei ex d[ele]ctu, & electione præſtare iudicati ſunt, Hieroſo[lymis] vbi templum erat, id eſt, ex loco qui omni ter[ra]que bona dicitur, antelatus eſt? Ac Ioannem qu[ide]m cum tanto honore interrogant: Chriſto autem, [ni]hil tale à Iudæis factum literis diuinis mandatu[m] eſt: ſed quod Iudæi apud Ioannem faciunt, id Io[an]nes apud Chriſtum facit, ab eo per diſcipulos [quæ]rens, Tu es qui vēturus eſt, an alium expectam[us]? Et Ioannes quidem iis, qui venerant, cùm eſſet c[on]feſſus, neque negaſſet: poſtea illud, Ego vox c[la]mantis in deſerto, pronunciat. Christus autem, vt q[ui] maius quàm Ioannis teſtimonium habere, verb[is] & factis reſpondet cùm ait, Euntes renun[c]iate Ioanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. Cæci vident, [c]laudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiun[t], pauperes euangelizantur. de quibus Dei [...] munere idoneis locis diſſeremus. Aliquis autem for-ſitan merito ſciet, cur tandem cùm ſacerdotes Leuitę interrogarent Ioannem, non, an ipſe Chri- Matt. 11.

ſtus eſſet,ſed,*Tu quis es?* reſpondet Baptiſta, non id quod oportebat ad illud,*Tu quis es?Ego vox clamantis in deſerto*,ſed quod aptè reſponſum fuiſſet,ſi interrogaſſent, Túne es Chriſtus? Reſpondendū enim fuit ad quæſtionem , Túne es Chriſtus ? ego non ſum Chriſtus,& ad illam,Tu quis es?illud,*Ego vox clamantis in deſerto*.Ac hoc verò reſpondendum eſt, Ioannem,vt veriſimile eſt,intellexiſſe ex quæſtione ſacerdotum,leuitarúmque metum, & religionem , qui declarabant quidem ſuſpicionem ſententiæ,ne fortè Chriſtus eſſet qui baptizaret , ſed apertius hoc nominare verebantur , ne temerarij eſſe viderentur.Itaque iure,ac merito,vt primum omnem eorum falſam de ſe ſuſpicionem tolleret, deinde ita demum verum doceret , imprimis ſe non eſſe Chriſtum fatetur.Eos autem aliquid tale ſuſpicatos eſſe ſecunda , tertiáque declarat interrogatio. Quoniam etiam ſecundum honoris gradum Eliç,qui quidem etiam poſt Chriſtum expectaretur,ab eis tributum eſſe exiſtimabat,cùm ille ſe non eſſe Chriſtum pronūciat, interrogant,*Quid ergo Elias es tu*? reſpondítque, *Non ſum*:tertio loco, num ipſe propheta ille præcipuus eſſet , ſcire volunt:quo reſpondente, *Non*, cùm iam non poſſent propriè nomen cuiuſquam qui ad ipſos venturus ſperaretur,dicere,quærunt, *Quis es?vt reſponſum demus ijs qui miſerunt nos.Quid ais de te ipſo?* hoc declarantes , Non es quidem ea quæ Iſraëli ſperata futura expectantur:quis autē ſis qui baptizas,ignoramus.Itaque hoc nos doce , vt iis qui ea de cauſa nos ad te miſerunt , renunciare poſſimus. Hoc etiam quod cum iis quæ propoſita ſunt coheret, addemus,Chriſti aduentus tempus populo incuſſiſſe terrorem , quod iam quodammodo inſtabat circiter annos,qui à Ieſu ortu & natiuitate præterierant, & paulò ſuprà vſque ad prædicationis deſignationem.Quocirca cùm ſcribæ,& legiſperiti, vt veriſimile eſt, eum qui expectaretur ex diuin[illegible] ſcripturis deducerent , eiúſque tempus expe[illegible]rent,extiterunt,Theudas , qui non exiguam [illegible]titudinem hominum , quemadmodum C[illegible]ſtus, vt arbitror,contraxit,& poſt eum Iudas [illegible]lilæus in diebus profeſſionis. Quoniam igitur [illegible]aiore in expectatione, vt veriſimile eſt , adue[illegible]us Chriſti erat,& crebrius ſermone omnium [illegible]lebrabatur, Iudæi Hieroſolymis ſacerdotes & [illegible]uitas ad Ioannem mittunt , quòd ex hoc, *Tu* [illegible]*u es?* ſéne Chriſtum eſſe profeſſurus eſſet , [illegible]ient cognoſcere: eúmque rogarunt,*Quid ergo* [illegible]*ias es tu?* Et reſpon-

Matth.11. det,*Non ſum*.Quis non qu[illegible]ter eorum,qui Chriſtum audiebant dicente[illegible] Si vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturu[illegible]it : quomodo Ioannes ſe tunc rogantibus,Eli[illegible]s tu?Nō ſum , reſpondeat? Quo etiam modo [illegible]elligēdum eſt, Ioannem eſſe

Mal.4. Eliam qui ventur[illegible]eſt?ex eo quod à Malachia dictum eſt , quod [illegible]a habet , Ecce ego mitto vobis Eliam Theſbi[illegible]m , antè quàm veniat dies Domini magnus, [illegible]illuſtris : qui cōuertat corda patrum in filios , [illegible]corda hominum ad proximum ſuum, ne venia[illegible] & percutiam terram funditus. Atque etiam [illegible]geli qui Zachariæ dum ſtat à dextris altaris in[illegible]enſi a[illegible]paruit , verbum quod ad Zachariam factum e[illegible]declarat ſimile quiddam iis,quæ à Malachia [illegible]ommemorata ſunt. Et vxor tua Elizabet pari[illegible] [illegible]ilium tibi , & vocabis nomen eius Ioann[illegible]. Et paulò pòſt , Ipſe præcedet ante illum in [illegible]ritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. Ad primum quidem reſpondebit aliquis , Ioannem ſe Eliam eſſe ignoraſſe:atque hoc fortaſſis vtentur ij,qui ex his animorum in corpora migrationem probant, quaſi animus in corpora intret, nec omnino meminerit vitæ ſuperioris. Hi autem ipſi quoſdam etiam Iudęos commemorabunt,qui cùm huic decreto aſſentirentur , de Seruatore dixerunt , vt, ſi quis antiquorum prophetarum excitatus ſit non à monumento , ſed ab ortu. Quomodo enim poterat planè cùm eius mater Maria oſtenderetur, atque Ioſeph faber eius pater eſſe exiſtimaretur, eum,qui vnus ex prophetis eſſet,à mortuis excitatum eſſe exiſtimare ? Atque loco illo, Delebo autem reſurrectionem,qui in Geneſi ſcriptus eſt,adhibito,eū, cui ſtudio ſit probabilitates captioſas, quæ ex ſcripturis proferuntur , explicare, & refellere,in certamen reſiſtentem decreto,adducerent. Aliquis autem alius Eccleſiaſticus decretum de animorum in corpora migratione reſpuens , nec probans Ioannis animum Eliam aliquando fuiſſe, verbis quæ antè dicta ſunt, angeli vtetur,qui animum Eliæ in Ioannis or[illegible] non nominauerit , ſed ſpiritum,atque virtute[illegible] hoc loco, Et ipſe præcedet eum in ſpiritu , & virtute Eliæ , vt conuertat corda patrum in fi[illegible]os.Cùm ſexcentis ſcriptorum diuinorum locis [illegible]ocere poſſim , differre ſpiritum ab animo,& vi[illegible]utem,quæ nominetur,à ſpiritu & animo, de q[illegible]bus alienum eſt nunc plura proferri,ne nimi[illegible]n ſermonem protrahamus , ſatis magnam vi[illegible] habebit nunc ad perſuadendum quidem vi[illegible]utem differre à Spiritu illud Lucæ,Spiritus ſ[illegible]ctus ſuperuenier in te , & virtus altiſſimi ob[illegible]nbrabit tibi.Ad docendum autem propheta[illegible]r[illegible]n Spiritus,vt qui eis à Deo dati ſint, quaſi illorum poſſeſſiones nominari , locus ille Pauli, Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt:& ille, Spiritus Eliæ in Eliſæo requieuit. Sic enim , inquiet,non erit alienum & abſurdum,Ioannem in Spiritu & virtute Eliæ animos patrum in filios conuerterė:ob eámque cauſam Spiritu Eliam dici eum, qui venturus ſit. Idem ad hæc docenda hac ratione vtetur , Si rerum omnium Deus cùm ſanctis hominibus familiaris & amicus eſt factus,eorum eſt Deus, cùm ita nominetur Deus Abrahæ, Deus Iſaac , & Deus Iacob : quanto magis Spiritus ſanctus cùm prophetis familiaris ſit , eorum ſpiritus haberi dicique poterit? vt ſit ita ſpiritus nominatus ſpiritus Eliæ Eſaíæque ſpiritus. Idémque ille Eccleſiæ ciuis dicet eos qui I E S V M excitatum à mortuis , prophetarum vnum eſſe exiſtimauerunt , potuiſſe quidem decipi & in decreto quod dictū eſt, & quòd eum prophetarum vnum eſſe putauerūt : poſſe autem eoſdem & quod eum prophetarum vnum eſſe exiſtiment , delinquere atque falſum putare , & quòd eius patrem,qui dicitur, & Mariam eiuſdem matrem eſſe ignorent, puténtque eum à monumentis eſſe excitatum.Illi etiam loco Geneſis , qui eſt de reſurrectione , occurret Eccleſiaſticus,ſi illo vtatur,Suſcitauit enim mihi Deus ſemen aliud pro Abel , quem occidit Cain,poſita reſurrectione,& ſecunda origine.Hic igitur primam quæſtionem aliter atque is , qui animorum in corpora migrationem eſſe exiſtimat,explicans , dicet propter ea quæ paulò antè confirmata ſunt , ratione quadam Ioannem eſſe Eliam , qui venturus eſt : eum autem reſpondiſſe ſacerdotibus ac leuitis,*Non ſum*,quòd interrogatio eorum

Caute, nam videtur ſignificare Spiritum ſanctum minorem patre.

eorum quo ſpectaret, exploratum ei eſſet. Neque enim quæſtio vt dixi, quam ſacerdotes, & leuitæ Ioãni propoſuerãt, eò ſpectabat vt ſcirent, idémne in vtroque eſſet ſpiritus, ſed an Ioãnes idem Elias eſſet, qui aſſumptus eſt, nunc apparens vt Iudæi expectabant, ſine origine: quam fortaſſis etiam ignorabant ij qui miſſi fuerant Hieroſolymis. Cui quæſtioni rectè reſpondet, *Non ſum*. Neque enim Elias, qui aſſumptus eſt permutato corpore Ioannes qui appellatur, venerat. Primus autem cuius mentem explicauimus, quòd putet hunc confirmari corporum in corpora permutationem: commorans in verborum indagatione, dicet alteri, non eſſe conſentaneum, Zachariæ tam magni ſacerdotis filium in ſenectute generatum ab vtroque parente contra omnem humanam expectationem, ignotum fuiſſe tam multis Hieroſolymitanis Iudæis, & ſacerdotibus ac leuitis, qui ab eis miſſi ſint, qui eum natum eſſe neſcirent: præſertim cũ Lucas teſtetur metu perculſos eſſe omnes vicinos eorum, nempe Zachariæ, & Eliſabet, Et in omni montoſa Iudææ regione verba hæc diuulgata eſſe omnia. Quòd ſi Ioannis ex Zacharia ortus non ignorabatur, miſerunt autem Iudæi Hieroſolymis ſacerdotes, ac leuitas, qui interrogarẽt, *Elias es tu?* non eſt dubium, quin hoc de corporum migratione in corpora dogma, & opinionem dicerent, ac profiterentur, tãti id verum eſſe tanquam patrium, nec abhorrens ab eorum occulta diſciplina. Ioannes ergo ob eam cauſam ſe Eliam non eſſe reſpondet, quòd ſuperiorem vitam ſuam ignoraret. Hæc igitur cùm probabilitatem habeant non contemnendam, rurſum Eccleſiaſticus cum illo altero diſputabit, ſi propheta, qui à Spiritu ſancto eſt illuſtratus, & ab Eſaia propheta prædictus, & à tanto angelo prædictus, antè quàm generatus eſſet, fore vt naſceretur: qui & ex Chriſti plenitudine accepit, & tanti muneris factus eſt particeps, & veritatem per IESVM CHRISTVM factam eſſe intellexit, & de Deo atque vnigenito qui eſt in patris ſinu, tam magna narrauit, mentiri poteſt, ac non cùm quid eſſet ignoraret, confeſſionem retinere (Oportebat enim eum de rebus minus certis retinere confeſſionem, nec concedere enunciationẽ, nec negare:) quid eſt quamobrem non eſſet conſentaneum, ſi multorum erat hoc decretum, & dogma, Ioannem confeſſionem de ſe ſuſtinere, num aliquando animus ſuus in Elia fuiſſet? Idémque Eccleſiaſticus vir rei cognoſcendæ cauſa hortabitur alterum, vt ab iis qui ſibi cognita eſſe Iudæorum arcana profitentur, quærat, ſitne apud eos aliquod tale dogma. SI enim hoc nullo modo ita habere appareat, perſpicuum eſt, illius alterius ex tempore fictum eſſe ſermonem. Non igitur minus Eccleſiaſticus eam explicationem, quæ paulò antè expoſita eſt, adhibebit, idémque præterea quid ij, qui interrogant, ſpectarent, requiret. Si enim vt confirmaui, ij qui miſerunt, Ioannem Zacharia, & Elizabet parentibus natum eſſe ſciunt, ac multo etiam magis ij, qui miſſi ſunt, cùm ſacerdotalis generis eſſent, qui Zachariæ tam clari cognati, probi filij contra opinionem procreationem ignorare non voluerunt: quid ſpectantes interrogãt. *Elias es tu?* viri qui Col. 3. eum aſſumptum, & tanquam in cælum elatum legiſſent, eiuſdémque aduentum expectarent? Quoniã igitur in priore vniuerſitatis huius conſumptione ante Chriſtum Eliam expectant, & ſeeundum hunc, Chriſtum: forſitan obſcurius videntur interrogare, éſne is qui verbum, quod ante Chriſtum ob conſumptionem venturum eſſe nunciat? & ſapienter ad hoc reſpondet, *Non ſum*. Iam verò Eccleſiaſticus commorans in iis, quæ ab altero exquiſita ſunt, qui conabatur docere non fugere potuiſſe ſacerdotes ortum Ioannis, qui tam illuſtris, clarúſque fuiſſet, cùm omnia verba hæc in montana Iudeæ regione diuulgata fuerint, ſimilem etiam de Seruatore, errorem multis contigiſſe dicet. Nam alij quidem eum Ioannem Baptiſtam eſſe dicebant, alij Eliam, nonnulli Hieremiam aut vnum ex prophetis, quemadmodum etiam diſcipuli Domino cùm in Cæſareæ Philippi partibus eſſet, dixerunt. Atque etiam Herodes cùm dicit, Quem ego decollaui Ioannem, ipſe ſurrexit à mortuis, neſciuiſſe videtur ea, quę de Chriſto dicerentur ab iis, qui hæc dicebant, Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus & Ioſeph, & Simon & Iudas, & ſorores eius nonne omnea ſunt apud nos? Nihil igitur mirum, ſi, quemadmodum de Seruatore cùm multi eius ex Maria natiuitatem cognitam haberent, alij decepti ſunt, ſic etiam in Ioanne alij quidem illius ex Zacharia ortum non ignorauerunt, alij autem dubitarunt, num in eo Elias, qui expectabatur, apparuiſſet. Nec verò locum magis habet dubitatio de Ioanne, num Elias eſſet, quàm illa de Seruatore, num ipſe Ioannes eſſet, habuit: quorum Eliæ quidem figura à ſolo verbo, non à ſenſu reſpuebatur, quòd vir piloſus eſſet, & præcinctus ad lumbos zona pellicea: Ioannis autem forma antè cognita forſitan, nec ſimilis IESVS figurę, non minùs ſuſpicionem attulit nonnullis, num Ioannes qui IESV mutato nomine diceretur, à mortuis excitatus eſſet. Nam de nominum mutatione, vt in rebus abſtruſis, haud ſcio vnde impulſi Hebræi, tradant Phinees Eleazari filium, qui vitam vſque ad multos Iudices ſine controuerſia, vt in Iudicibus legimus, propagauit, ipſum eſſe Eliam, & immortalitatem in Numeris ei pace quæ celebretur, promiſſam eſſe, quòd ſtudio diuino incitatus & victus, Iſraëlitam Madianámque confoderit, Dominíque furorem qui dicitur, repreſſerit, vt illud declarat, Phinees filius Eleazar filij Aaron furorem meũ ſedauit, quòd zelatus eſt zelum meum. Non eſt igitur mirum, ſi ij, qui eundem Phinees & Eliam eſſe exiſtimabant, aut rectè dicentes, aut non rectè, (neque enim nunc de hac re propoſitum eſt exquirere) eundem Ioannem & IESVM eſſe exiſtimabant, aut de eo dubitabant, intelligeréque cupiebant, idémne Ioannes & Elias eſſet. Primum autem aliis locis diligentius exquirẽdum erit, & diutius inueſtiganda erit ratio, & diſputatio, quæ de animi natura, atque eſſentia habetur, ac de concretionis eius principio, & de eiuſdem in terrenum corpus introitu, de vniuſcuiuſque etiam vitæ partitionibus, atque illinc liberatione: & poſſítne ipſe animus iterũ in corpus intrare, an non: atque vtrùm eodem circuitu in eodem ornatu manere néene: & vtrùm in eodem corpore, an alio: ſi eodem, vtrùm eiuſdem ſubiecti manente, qualitate autem mutato, an eodem & in ſubiecto, & in qualitate futuro. Et vtrum eodem ſemper corpore vſurus ſit, an illud permutaturus: quo etiam in loco quid ſit propriè animi à corpore in corpus migratio, quærendum erit, & quid

hæc ipſa animi aut alicuius naturæ cum corpore copulatio differat. Et ſitne conſentaneum eis, qui corporum in corpora mutationem ponunt, æternum ſeruare mundum: quo quidem in loco neceſſe erit eorum, qui ex ſcripturis animum in corpus ſemine inſeri volunt, rationes, & quæ ex eis ſequuntur proponere, omninóque ea diſputatio quæ de animo inſtituitur, cùm magna ſit, nec facilè explicari poſsit, repetenda ab iis, quæ fusè in ſcripturis poſita ſunt, propria eget tractatione. Quocirca nunc, vt æquum eſt, quoniam ex iis, quę de Elia, & Ioanne quæſita ſunt, breuiter quæſtionem conſyderauimus, ad ea, quæ ſequuntur, tranſeamus. *Propheta es tu? Et dixit, Nō.* Si lex & prophetæ vſque ad Ioannem, quid aliud Ioannem, quàm prophetam eſſe dicamus? quemadmodum etiam Zacharias eius pater, ſancti Spiritus plenus prophetans ait, Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante Dominum parare vias eius. niſi fortè aliquis accipiet, Vocaberis, dictum eſſe, non, Eris: præſertim cùm Seruator eis, qui illum prophetam eſſe exiſtimabant, dixerit, Sed quid exiſtis in deſertum videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Obſeruandum eſt autem illud, Etiam dico vobis, Ioannem concedere eſſe prophetam, non eum prophetam eſſe negare. Quòd ſi præterquã quòd propheta, etiam plus quàm propheta à Seruatore dicitur: cur ſi propheta eſt, ſacerdotibus ac leuitis rogantibus, Propheta es tu? reſpondet, Nō. Ad hoc reſpondendum eſt, non idem eſſe *ὁ προφήτης* es tu? quod *προφήτης* es tu? Similia autem obſeruauimus, cùm quid hoc verbum ὁ θεὸς, ab illo θεὸς, & ὁ λόγος, ab hoc λόγος differret, exquireremus. Quoniam igitur in Deuteronomio ſcriptum eſt, Prophetam vobis ſuſcitabit Deus veſter ex fratribus veſtris, vt me: ipſum audietis. Et erit, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, peribit ex populo ſuo: expectabatur præcipuus eximiúſque propheta quidã, qui aliquid idẽ quod Moſes haberet, nempe qui medius, & quaſi ſequeſter eſſet Dei, & hominum, acceptúmque à Deo teſtamentum nouum iis quos doceret, daret: quoniámque vniuſcuiuſque prophetarum ſubducta ratione, populus Iſraeliticus, illorum neminem eũ eſſe, quem Moſes vt propheta prædixiſſet, cognoſcebat: quemadmodum num Ioannes eſſet Chriſtus, ſic etiam num eximius ille propheta eſſet, ambigebant. Nec mirum videri debet, ſi minus exploratum habebant, eum eſſe Chriſtum & eximium illum prophetam ij qui dubitabant, num Ioannes Chriſtus eſſet. Sequitur enim huius rei dubitationem, num idem Chriſtus eſſet & propheta ille eximius, ignoratio. Fugit autem multos horum verborum *ὁ προφήτης* & *προφήτης* differentia, vt etiam Heracleonem, qui ad verbum ait, Ioannem ſe non eſſe Chriſtum, quin neque prophetam, neque Eliam confeſſum eſſe: cùm ita accipientem oportuerit exquirere ea, quæ in locis ſunt, vtrum verè dicat nécne is qui ait, ſe non eſſe prophetam neque Eliam. Nunc cùm loca non diligenter conſiderauerit iis in Commentariis quæ reliquit, tam magna, non exquiſita præteriuit, cum admodum pauca, non conſyderata in iis quæ ſequuntur, dixerit, de quibus mox diſſeremus. *Dixerunt ergo ei, Quis es, vt reſponſum demus iis qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo?* Poteſtate hoc dicunt ij, qui miſſi fuerant, Quod te eſſe ſuſpicabamur, eius cognoſcendi cauſa venimus. Non eſſe cognouimus. Reſtat deinceps, vt à te audiamus, qui ſis, vt iis, qui nos miſerunt, tuam de te reſponſionem renunciemus. *Ego vox clamãtis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias propheta.* Quemadmodum is, qui propriè Dei eſt filius, quoniam non aliud eſt quàm Verbum, verbo vtitur, (ipſe enim Verbum in principio erat apud Deũ Verbum Deus) ſic Ioannes Verbi illius miniſter, ſi propriè ſcripturam audiamus, & accipiamus, quoniam non differt à voce, quæ Verbum declarat, ea vtitur. Is igitur, qui prophetiam ab Eſaia de ſe dictam eſſe intelligeret, ait ſe vocem eſſe non clamantem in deſerto, ſed clamantis in deſerto, ſtantis, & vociferantis, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: dicentis etiam, Dirigite viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt omnia praua in recta. Quemadmodũ enim in Exodo ſcriptum eſt dici Moſi à Deo, Ecce ego dedi te Deum Pharaonis, & Aarõ frater tuus erit tuus propheta: ſic intelligendum eſt, ſimile quiddã his, etſi non omni ex parte ſimile, Deum Verbum quod erat in principio, eſſe & Ioãnem. Vox enim Verbi illius interpres & index Ioannes erat. Itaque admodum conuenienter non alio ſupplicio afficitur Zacharias, cùm dixit Angelo, Vnde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis: quàm vocis priuatione, propter incredulitatem ortus vocis, ex eo quod ei à Gabriele dictum eſt, Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem quo hęc fiãt, pro eo quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur temporibus ſuis. Hic Zacharias, cùm poſtulata tabella ſcripſit dicens, Ioannes eſt nomen eius, & mirati ſunt vniuerſi: vocem recepit. Apertum eſt enim illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Vt autem cùm exponebamus quomodo intelligẽdum ſit Verbum eſſe Dei filium, ea quæ proferebantur, explanauimus: ſic conuenienter ſeries orationis, quoniam Ioanes venit teſtimonij cauſa homo miſſus à Deo, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per ipſum: hoc intelligendum eſt. Ioannem vocem eſſe ſolam, quę pro dignitate verbum quod nũtiatur, capere poſſit: idque ita maximè intelligemus, ſi ea recordemur, quæ paulò antè protulimus, tum cùm illud explanaremus, Vt omnes crederent per ipſum, de illo loco, Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum *Matt.11.* ante faciem tuam, qui pręparabit viam ante te. *Mal.3.* Rectè autem etiam illud dictum eſt, Non eſſe eum vocem dicentis in deſerto, ſed clamantis in deſerto. Qui enim clamat, Dirigite viã domini, is etiam dicit: fieri autem poteſt, vt aliquis hoc ipſum non *Eſa.40.* clamans dicat, clamat verò & vociferatur, vt & ij qui procul abſunt à dicente, audiant, & ſurdaſtri intelligant eorum quæ dicuntur magnitudinem, cum magnitudine eius qui nunciatur: ita voce prodeſt tum iis qui à Deo defecerunt, tum iis, qui acumen auditus perdiderunt. Ob eam enim cauſam ſtetit IESVS, & clamauit dicens, Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. hac de cauſa Ioannes quoque teſtimoniũ ei dicit, & clamat, dicens. Ob id etiam iubet Deus Eſaiæ clamare voce dicentis, Clama, Et dixi, Quid clamabo? Ne ſit autem prorſus magna & breuis vox quæ ratione & mente intelligitur eorum, qui orant: neque Deus creſcere clamorem, & vociferationem audit eorum, qui ita

precantur

precantur, cùm Moſi dicat, Quid clamas ad me? qui non ita clamauerat, vt ſenſu percipi non poſſet, (Neque enim hoc in Exodo ſcriptum eſt.) ſed magna clamauerat voce, quam ſolus Deus exaudit. Ob eámque cauſam Dauid dicit, Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me. Vocis autem clamantis in ſolitudine neceſſitas eſt, vt etiam animus qui & Deo caret, & deſertus eſt à veritate. (Quæ enim ſolitudo alia grauior, & acerbior eſt animo, qui à Deo deſertos eſt & à veritate?) quia etiam deprauatè ambulat, egens doctrina, ad dirigendam domini viam inuitetur, quam viam dirigit quidem is, qui nequaquam viæ ſerpentis deprauationem imitatur: qui autem eſt huic contrarius, eam deprauat & corrumpit. Itaque cum ſimilibus huiuſmodi vir obiurgatur his verbis, Cur deprauatis vias domini rectas? Duobus autem modis via Domini dirigitur, & eo mandato quod ad contemplationem pertinet, dum cum veritate explanatur ſine vlla falſitatis admixtione: & eo quod in actione cernitur poſt rectam verámque eius quod agendum eſt cognitionem, & contemplationem, veræ rationi quæ in rebus agendis verſatur, actione attributa. Atque quò accuratius diligentiúſque illud intelligamus, Dirigite viam domini, non alienum erit proferre id, quod in Prouerbiis ſcriptum eſt, Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui enim inclinat ad vtramuis, directum iter amiſit, nec iam viſitatione dignus eſt, cùm itineris rectitudinem tranſeat. Quoniam enim iuſtus eſt Dominus, & iuſtitias dilexit, & æquitatem vidit vultus eius. Quod autem videt, illuſtrat: ob eámque cauſam is, qui accipit, vtilitatem percipit eam, quam affert inſpectio. Signatum eſt, inquit, ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Stemus ergo, vt ait Hieremias, in viis, & cùm viderimus, æternas Dei ſemitas quæramus, ac quæ bona domini via ſit videamus, in eáque ambulemus: quemadmodum Apoſtoli ſteterunt, quæſieruntque æternas domini ſemitas, id eſt, patriarchas & prophetas, quorum cùm ſcripta exquiſiſſent, poſtea quòd ea intellexiſſent, viam bonam viderunt, id eſt, IESVM CHRISTVM, qui dixit, Ego ſum via, eáque ambulauerunt. Via enim bona eſt, quæ ad probum patrem deducit virum bonum, qui ex bono theſauro bona profert: bonúmque ſeruum & fidelem. Via autem hæc anguſta quidẽ eſt, quod multi atque magna ex carne conſtantes ea non poſſint incedere, ſed trita ab iis qui ea incedere cogũtur, via eſt: quoniam non dictum eſt, terens, ſed trita. Terit enim & arctat viam viuam, & quæ ſenſit eius, qui iter facit proprietates, is, qui calceos ex pedibus non detraxit, neque verè accipit locum in quo ſtat, aut etiam in quo ambulat, terrã ſanctam eſſe. ducet autem ad eum qui via eſt, & qui dixit, Ego ſum via. Seruator enim, in quo virtutes omnes inſunt, ob eámque cauſam ſignificationibus, intelligentiiſque eſt multiplex, veluti ei, qui nondum ad finem, extremúmque peruenit, ſed etiam progreſſum facit & proficit, via eſt, vita autem ei qui omnem mortificationem depoſuit. Qui hac via incedit, in ea, quæ panes, & quæ ad vitam pertinent, habeat, nihil portare docetur: quòd inimici in ea nihil poſſint, nec virga ei opus eſt: & quod ſancta eſt, nec calceis. Quanquam hoc, *Ego vox clamantis in deſerto*, & quod ſequitur, idem eſſe poteſt, quod illud, Ego ſum, de quo ſcriptum eſt, Vox clamantis, vt Ioannes clamet, eiúſque vox ſit clamor hic in deſerto, Dirigite viam domini. Contumelioſius autem Heracleoo de Ioanne, & prophetis diſſerens, loquitur. ait enim Seruatorem quidem eſſe Verbum, vocem autem, quæ eſt in ſolitudine, eam, quæ per Ioannem intelligatur: ſonum verò, omnem prophetarum ordinem, ac ſeriem: cui reſpondendum eſt, quemadmodum ſi incertum, & obſcurum ſonum tuba edat, nemo ſe ad prælium comparat: & qui detracta charitate habet myſteriorum ſcientiam, aut prophetiam, is æs reſonans, vel cymbalum tinniens, factus eſt, ſic ſi nihil aliud eſt quàm ſonus prophetica vox, cur nos remittens ad eam Seruator ait, Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in Ioan.5.
ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me? & illud, Si crederetis Moyſi, & mihi forſitan crederetis. De me enim ille ſcripſit, & illud, Bene prophetauit de vobis Eſaias Matth.15.
dicens, Populus hic labiis me honorat. Haud enim ſcio, ſi ignotum, & obſcurum ſonum prohet, quis iure à Seruatore laudari poſſit: aut certè licet ſe comparare, vt ſono tubæ, ſic ex ſcripturis, ad quas remittimur, vt bellum cum aduerſis contrariiſque operationibus geramus, cũ obſcura & incerta voce, quæ ſonus ſit. Cur autẽ, ſi charitate prædìti non fuerunt prophetæ, ob eámque rem æs fuerũt reſonans, aut cymbalum tinniens, ad ſonum eorum vt illi exiſtimarũt, nos vtilitatis cauſa Dominus mittit? Nec verò ſcio quomodo ſine omni præparatione cenſeat vocem, quæ Verbo aptior ſit, Verbum fieri, atque vt mulierem in virum mutari: atque vt quod habeat docendi, perſuadendi, proficiendique poteſtatem ſono, dicat fore mutationem eam, quæ ſit in vocem, diſcipuli quidem locum dans voci quæ in Verbum mutetur, ſerui autem ei quæ à ſono in vocẽ mutata ſit. Atque vt quoquo modo probabilitatem attulerit, tamen ex eo quòd ea confirmauerit, dedimus operam vt ipſa refelleremus. Satis eſt autem virium ad refellendũ in enunciatione quæ confirmari non poteſt. Quod autem ſuprà exquirere, quia huc reiiciendum cenſeremus, prætermiſimus, qua re impulſus fuerit, nunc explicemus. Nam Seruator quidem Heracleonis ſententia, eum & prophetam, & Eliam eſſe dicit: Ipſe autem vtrunque horum negat: & prophetam quidem atque Eliam Seruator, cum enim dicat, non enim, ſed ea quæ ad ipſum pertinent, inquit, docet. cùm autem maiorem prophetis, & inter natos mulierum maximum: tum Ioannem ipſum deſignat. Ipſe autem, inquit, rogatus de ſe reſpondet Ioannes, non ea quæ ad ipſum pertinent. Magna autem diligentia hæc exquiſiuimus pro virili parte, nec vllum terminum eorum quæ feruntur, non exploratum prætermiſimus, vt ea compararemus iis quæ ab Heracleone dicta ſunt, vt qui non habeat dicendi quod velit poteſtatem. Quomodo enim id quod ait, circum eum eſſe, quòd Elias & propheta ſit, & circum eundem eſſe, quòd vox ſit in ſolitudine clamantis, ne quouis quidem argumento docere conatur, ſed ſimilitudine vtitur, qua doceat ea, quæ circum ipſum erant quaſi indumenta, ab eo diuerſa fuiſſe? nec ſi togatus fuiſſet, de veſtibus, num ipſæ veſtes ſuæ eſſet, eum vnquam etiam fuiſſe reſponſurum. Quomodo enim veſtis ſit Ioannes, ex eo quòd ſit Elias qui venturus eſt, non planè eius quidem ratione, video: fortaſſe noſtra ratione & ſententia, qui vt potuimus, expoſuimus illud, in ſpiritu &

virtute Eliæ, poſſe quodammodo hoc dici, ſpiritum Eliæ poteſtate eſſe Ioannis animum, cùm vellemus docere cur Sacerdotes & Leuitę qui interrogant, à Iudæis miſſi ſint: non malè quidem dicit, decuiſſe hos de his rebus multum diúque quærere atque interrogare, qui Deo ſeruirent, ſed non diligenter & accuratè illud, quòd etiam ipſe Leuiticæ tribus eſſet, quaſi dubitantes diſputationiſque cauſa quæſiuimus. Nam ſi nouiſſent Ioannem legati, eiúſque ortum: quæ cauſa eis fuiſſet interrogandi, num is Elias eſſet: Rurſus etiam cùm de illa quæſtione, propheta es tu? diſſerit: quòd illud verbum nihil præcipuum ſignificare exiſtimaret ex articuli adiunctione, ait eos interrogaſſe, num propheta eſſet, quòd id quod communius & generalius erat, vellent cognoſcere. Præterea non ſolus Heracleon, ſed etiam, quàtum ego cognoſcere potuerim, omnes qui diuerſa ſentiunt, cùm paruam ambiguitatem diſtinguere non potuiſſent, Ioannem Elia, omnibúſque prophetis maiorem eſſe exiſtimauerunt, quòd inter natos mulierum nemo Ioanne maior ſit, non intelligentes id quod verum eſt, illud, Nemo Ioanne maior eſt inter natos mulierum, duobus modis fieri, & accipi, non ſolùm ipſum eſſe omnium maximum, ſed etiam ei nonnullos pares eſſe. Verum eſt enim, ſi prophetæ multi ei pares ſunt, ex eo munere quod ei datum & conceſſum eſt, eo maiorem eſſe neminem. Exiſtimat autem cófirmari illud, maiora ab Eſaia prędicta eſſe, quaſi nemo eorum qui vnquam vaticinati ſunt, hoc honore dignus à Deo iudicatus ſit. Sed profectò, vt qui contemnat vetus teſtamentum quod dicitur, nec enim etiam Eliam vaticinatione prædictum eſſe obſeruarent, hoc non dubitauit dicere. Etenim Ioannes Elias eſſe à Malachia prædictus eſt, Ecce mitto vobis Eliã Theſbitem, qui conuertat corda patrum in filios. Ioſias etiam, vt in tertio Regnorum libro legimus, à propheta, qui ex Iuda venerat, nominatim prædicitur, qui præſentem etiam Hieroboam ad altare hæc dixit, Hæc dicit Dominus, Ecce filius naſcitur Domui Dauid, Ioſias nomine. Dicunt autem nonnulli etiam Sampſonem à Iacob prædici, cùm ait, Dan iudicabit populum ſuum, vt ſi vna etiam tribus eſſet in Iſrael: quandoquidem ex tribu Dan natus Sampſon, Iſraeliticum populum iudicauit. Hæc autem refellendę prophetiæ cauſa eius qui cenſuit, neminem præter Ioannem Baptiſtam prophetæ fungi munere, quique hæc dixit, dum vult interpretari quid ſit, *Ego vox clamantis in deſerto*, dicta ſint. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerũt eum, & dixerunt ei, Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Ij quidem qui ſacerdotes & Leuitas interrogatum Ioannem miſerant, cùm & quis non eſſet, & quis eſſet Ioannes, intellexiſſent, honeſtiſſimè tacent quaſi taciturnitate aſſentientes, & exprimentes ſe quæ à Ioanne reſponſa erant, approbare, decere vocem clamantis in deſerto, ad dirigendam viam domini, baptizare. Phariſæi autem, qui ex vi nominis diuiſi quidam, ac ſeditioſi eſſent, oſtendunt ſe non idem ſentire, quod Iudæi qui Hieroſolymis habitarent, ſacerdotéſque ac Leuitæ diuini cultus miniſtri ſentirent, quòd quaſi obiurgãdi ſtudio & quantum in ipſis fuit, arcendi à baptizandi munere, miſerint qui quærerent, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Quòd ſi contraxerimus in vnum corpus ea, quæ in Euangeliis ſcripta ſunt, forſitan nunc quidem hæc ipſos dixiſſe confirmabimus: poſtea autem haud ſcio cur iidem, qui ſe baptizandos dediſſent, hæc a Ioanne audiuerint, Genimina viperarum, quis oſtendet vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Hæc enim apud Matthæum, à Ioanne, qui phariſæos, ſaducæóſque multos ad baptiſmum venientes viderat, dicta ſunt, nec dubium quin fructibus qui pœnitentia digni ſunt carerent, & phariſaicè Abraham vt patrem ſe habere gloriarentur. Itaque à Ioanne, qui zelum ſtudiúmque Eliæ ſancti Spiritus communione haberet, reprehenduntur. Obiurgatorius enim ſermo eſt ille. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem *Matth. 3.*
habemus Abraham: & ad docendum valet is quo aſſerit, eos etiam incredulos, qui propter ſaxeum cor lapides nominantur, vi diuina mutari poſſe, ita, vt ex lapidibus fiant Dei filij: quoniam in conſpectu prophetæ eius diuinum aſpectum non fugerant. Itaque illud, Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus ſuſcitare filios Abrahæ, ab eo dicitur. Quoniámque non facto fructu qui pœnitentia dignus erat, ad baptiſmum veniebant, eis aptiſſimè dicitur, Iam enim ſecuris ad radicem poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Nam quaſi planè è contrario eis dicit, Quoniam ad baptiſmum ſine pœnitentiæ fructu acceſſiſtis, arbor eſtis, quæ non fert fructum bonum, excidenda ſecuri acutiſſima, id eſt, à viuo Dei Verbo quod omni gladio vtraque ex parte acuto efficacius eſt, & penetrabilius. Docuit etiam Lucas Phariſæorum de eadem re ſermonem, cùm ait, Duo homines aſcendebant in templum orare, vnus Phariſæus, alter publicanus. Et Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, Deus, gratias ago tibi, quòd non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, aut etiã ſicut hic publicanus. Itaque propter verba hæc publicanus magis quàm ille in domum ſuam iuſtificatus redit. Vt igitur diſſimulatores & hypocritæ obiurgatorio ex Seruatoris ad eos ſermone, ad baptiſmum veniunt, nec is, qui baptizat illos virus viperarum, & aſpidum ſub linguis ſuis etiam habere ignorat. Venenum enim aſpidum ſub linguis eorum. Veréque eorum furor ad ſerpentis ſimilitudinem accedebat, & declarabatur hac eorum acerba interrogatione, *Cur ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Quibus libenter reſpondeam, quaſi Chriſtus, Elias, & propheta baptizent, neque vox clamantis in deſerto hanc acceperit poteſtatem. O feroces, quærite ex angelo, qui à Chriſto præparandæ eius viæ cauſa ante ipſum miſſus eſt, quæ omnia loci eius myſteria ignoratis. Chriſtus enim, qui IESVS eſt, velitis nolitis, ipſe non baptizabat, ſed eius diſcipuli, cùm eſſet propheta ille eximius, & ſingularis. Vnde autem adducti eſtis vt credatis, Eliam, qui venturus eſt, eſſe baptizaturum? cum ne ligna quidem, quæ in ara poſita erant Achab tẽporibus & lauatione egebant, vt exurerentur, cùm dominus in igne baptizare viſus eſt. Ita enim accidet, vt ſacerdotes non ſemel hoc faciant. Dicit enim, Iterum hoc facite, & iterum fecerunt: &, Tertiò facite, & tertiò fecerunt, Qui igitur ipſe tum non abluit, ſed aliis opus illud permiſit, quomodo ex iis quæ

iis quæ à Malachia dicuntur, aduentu ſuo baptizaturus eſſet? Chriſtus non aqua baptizat, ſed eius diſcipuli: ipſe verò ſibi baptizandi genus Spiritu & aqua reſeruat. Heracleō autem approbata Phariſęorum de baptiſmo oratione vt vera, qui enim Chriſto, Elię, ac cuiuis prophetę deberi putabant, hæc ad verbum dicit, quibus ſolis baptizandi munus, officiúmque debeatur: atque ex iis quidem, quæ à nobis paulò antè dicta ſunt, conuictus eſt, maximè autem, quòd communius, atque latius prophetæ nomen intellexit. Neque enim vllum prophetam, qui baptizauerit, poteſt dicere. Nec verò abſurdè Phariſæos ex ſua aſtutia interrogaſſe dicit, non diſcendi & cognoſcendi ſtudio. Quoniam autem nobis neceſſarium videtur ſimilia iis quæ in promptu dicta ſunt, Euangeliorum verba adiungere, ídque ſigillatim ad extremum vſque librum facere, vt ea, quæ pugnantia videntur, conſentire inter ſe doceam, & tamen quæ pugnare videntur, eorum vnumquodque propriè explanem: agè hoc hîc quoque faciamus. Illud enim, *Vox clamantis in deſerto, Dirigite viam domini*, apud Ioannem quidem diſcipulum ex Baptiſtæ perſona dicitur: Apud Marcum autem, vt principium Euangelij IESV CHRISTI ex Eſaiæ ſcriptura & libro ſcriptum eſt, hoc modo, Initium Euangelij IESV CHRISTI, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta, Ecce ego mitto angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Quanquam in propheta poſitum non eſt, Dirigite viá Domini, quod Marcus protulit. Non igitur Ioannes amputans illud, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri, ſcripſit, Dirigite viá Domini, quod Marcus prophetias duas in diuerſis locis dictas à duobus prophetis in vnum colligens fecit, Sicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Nam illud quidem, Vox clamantis in deſerto, poſt Ezechiæ, qui ex morbo conualuerat, hiſtoriam, ſtatim ſcriptum eſt. Hoc autem, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, à Malachia. Quod autem Ioannes fecit, cõtrahens, & circuncidens verbum quod prolatum eſt, id aliis verbis Marcus etiam ipſe protulit. Propheta enim ait, Parate viam Domini: rectas facite ſemitas Dei noſtri. Marcus autem, Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Simile etiam compendium fecit in illo, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuá ante te. Neque enim protulit illud quod antecedit, Ante me. Quoniam ante illud, Ij qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis, & interrogauerunt eum, exquirentes nos, præpoſuimus Phariſæorum à Matthęo prætermiſſam interrogationem ei, quod factum eſſe apud Matthęũ ſcriptú eſt, quod tale eſt, Videns autem multos Phariſęorú & Sadducæorú venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis, Progenies viperarum, & quæ ſequuntur. Conſequés eſt enim primùm rogare, deinde veniſſe. Hoc etiam obſeruandum eſt, Matthæum quidem Hieroſolymitanos, omnémque Iudæam atque regionem cunctam Iordani finitimã, qui profecti erant ad Ioannem vt in Iordane fluuio baptizarentur, & peccata ſceleráque ſua confitebantur, nihil abſurdi, nullámque obiurgationem atque reprehenſionem ab eo audiuiſſe, dicere: ſolos verò Phariſæos & Sadducæos multos, qui viſi ſint venire, illud audiuiſſe, Progenies viperarum, & quæ ſequuntur. Marcus autem nihil obiurgatorium à Ioanne dictum eſſe narrat iis qui veniſſent, qui erant cuncta Iudęa, omnéſque Hieroſolymitani & qui ab eo in Iordane baptizabantur & peccata ſua confitebantur: vt conſentaneum ſit, eum nec Phariſæos nec Sadducæos nominaſſe. Iam verò hoc etiam neceſſariò nobis addendum eſt, vtrunque & Matthæum & Marcum dicere confitentes peccata ſua baptizatos fuiſſe omnes Hieroſolymitanos, omnéſque Iudæos & Iordanis accolas. Si omnes Iudæos, omnes etiam Hieroſolymitanos. Matthæus autem venientes quidem Phariſæos & Sadducæos ad baptiſmum inducit, non tamen peccata ſua confitentes. Itaque veriſimile eſt, hanc etiam conſentaneam eſſe cauſam, cur illud. Progenies viperarum, audiuerint. Sed nolim putes nos alieno tempore protuliſſe ex diuerſis Euangeliis ea quæ de iis qui miſſi ſunt ex Phariſæis & Ioannem rogauerunt, exquirimus. Si enim rectè Phariſæorum interrogationem, quæ eſt apud Ioannem diſcipulum ſcripta, eorum baptiſmo, qui eſt poſitus apud Matthæum, accommodauimus, ſequebatur, vt exquireremus loca ipſa, & quæ inuentæ eſſent, adderemus obſeruationes. Eodem autem modo quo Marcus, Lucas etiam huius loci, Vox clamantis in deſerto, mentionem facit ex perſona ſua, hoc modo, Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omné regionem finitimam Iordani prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Eſaiæ prophetæ, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Protulit etiá Lucas ea, quæ in prophetia ſequuntur, Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erũt praua in recta, & aſpera in vias planas. Et videbit omnis caro ſalutare Dei: ſcripſitque eodem modo, quo Marcus, illud, Rectas facite ſemitas eius, breuius illud reddens, vt paulò antè diximus, Rectas facite ſemitas Dei noſtri. Pro illo autem, Et erunt omnia praua in recta, ſine hoc verbo, Omnia, orationem poſuit, & pro hoc verbo Rectam, quod eſt numeri ſingularis, rectas poſui, numero multitudinis & præterea pro his verbis, aſpera in campos fecit, & aſpera in vias planas: prætermiſſóque hoc toto, Et videbitur gloria domini, addidit illud quod ſequitur, Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Sunt autem vtiles huiuſmodi obſeruationes ad docendum prophetarum dicta decurtata eſſe ab Euangeliſtis. Hoc etiam animaduertendum eſt, illud totum, Progenies viperarum, & quæ ſequuntur, Matthæum quidem narrare dictú eſſe Phariſæis atque Sadducæis ad baptiſmum venientibus qui arrógantia ſuperarent eos, qui peccata ſua confitebantur, nec quicquam tale audiebant. Lucas autem, qui duos ordines non fecerit eorum qui baptizabantur, id quod apud Matthæum inuenimus, hæc ab eodem turbis quæ ad baptiſmum proficiſcebantur, dicta eſſe ſcribit: rectè autem hic quoque, quandoquidem multitudo in laude non ponitur: vt iis qui obſeruant, hinc perſpicuum erit, quòd Ioannem inducit turbis dicentem, Progenies viperarum, & quæ ſequuntur. Præterea Phariſæis ac Sadducæis vnius numero dictum eſt, Facite

fructum dignum pœnitentiæ: turbis autem numero multitudinis, fructus dignos pœnitentiæ. Nam à Phariſæis quidem fortaſſe præcipuus fructus exigitur & poſtulatur pœnitentiæ, qui non eſt alius quàm filius, & fides quæ ei habetur: à turbis autem quæ ne principium quidem bonorum habeant, omnes pœnitentiæ fructus poſtulantur. Itaque eis numero multitudinis hoc dictum eſſe dicitur. Præterea Phariſæis, Nolite dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Multi enim nunc principium habent, putantes ſe ad diuinum verbum introduci, vt accedant ad veritatem. Itaque dicere ſecum in animo incipiunt, Patrem habemus Abraham. Phariſæi autem non incipiunt, ſed multò antè hoc ſentiunt. Quanquam vtrique audiunt, lapides qui antè dicti ſunt, & oſtenduntur, in Abrahæ filios poſſe mutari, qui à ſenſus vacuitate & mortificatione ſint, excitandi. Animaduerte autem Phariſæis, conuenienter huic verbo prophetæ, Comediſtis fructum falſum, qui fructum falſum haberent, dici, Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: turbis autem quæ nullo modo fructum fuerunt, Omnis ergo arbor non faciens fructum, excidetur. Quæ enim fructum non habet, nec habet fructum bonum: ob eámque cauſam digna eſt, quæ excidatur. Quæ autem habet fructum, non continuò bonum habet. Itaque iure, ac merito à ſecuri deiicitur. Quòd ſi diligentius ea quæ ad fructus pertinent, indagemus, comperiemus fieri non poſſe, vt arbor quæ paulo antè coli cœpit, etiam ſi fructum ferat, tamen primos ferat fructus, qui generoſi ſint. Cupit autem primum arator, & cultor arborem fructus ferre, qui ad illam, quæ coli incipit, pertineat, deinde via & ratione purgationum, quæ agriculturam decent, pòſt qualeſcunque fructus percepturus bonos. Atque etiam lex intelligentiam hãc noſtram confirmat, quæ ait, oportere eum, qui ſerat arbores, tres annos complere quibus id, quod ſeuerit in omnem partem non purgatum eſſe patiatur, cùm interea eius fructus non edantur. Tribus enim, inquit, annis vobis fructus mũdus non comedetur. Quarto autem anno erit omnis fructus ſanctus laudabilis Domino. Rectè igitur, ac inte ſine boni adiunctione turbis dicitur, Omnis ergo arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Et arbor, quæ multum fructum fert, & ſimilis principio manet, non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, quandoquidem inſtante introductione, quæ ternarium numerum ſequitur, in quarto anno poſita non fert fructum ſanctum, & Domino laudabilem. Hæc autem omnia & ſi aberrantes à propoſito dixiſſe videmur, quòd ea etiam quæ in cæteris Euangelijs poſita ſunt, protulerimus: tamen non abſurda, neque ab hac diſputatione aliena mihi videntur. Phariſæi enim mittunt ad Ioannem, poſteaquam ij ſacerdotes & leuitæ qui Hieroſolymis miſſi fuerant, rogatum quiſnam eſſet, reuerſi ſunt, qui ex eo quærant, Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta? Et cùm rogaſſent, eò deinceps conuenientes vt baptizarentur, quemadmodum Matthæus ſcribit, ea quæ ipſorum arrogantia & ſimulatione digna erant, audiunt. Quoniam autem ea, quę illic dicta ſunt, ſimilia iis erant quæ turbæ audierunt: verba inter ſe comparanda explanandáque fuerunt: quod cùm feciſſemus, accidit vt plura quæ cohærebant, videremus. Iam vero hoc quoque rectè ad ſuperiora addemus, duo fuiſſe genera eorum qui mittunt, apud Ioannem ſcriptum eſſe, vnum Iudæorum qui Hieroſolymis ſacerdotes leuitáſque miſerunt: alterum Phariſæorum, qui dubitant, cur baptizet: explicauimúſque, Phariſæos poſt illorum interrogationem veniſſe, nec baptizatos eſſe ante Iudæos, qui ipſos Hieroſolymis anteà miſerant, Ioanniſque reſponſum accepiſſe, præſertim cùm ij qui priores illis legatos miſiſſent priores etiam venerint. Omnis enim Hieroſolyma, Iudæa, ac deinceps omnis regio Iordani finitima, in Iordane flumine baptizabantur ab eo, confitentes peccata ſua. Vel, vt ait Lucas, Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitẽtes peccata ſua. Quanquam nec Matthæus Phariſæos & Sadducæos, quibus dicit, Progenies viperarum, neque Lucas turbas quæ eandem obiurgationem audiunt, peccata ſua confitentes inducunt. Operæ precium eſt autem quęrere, cur, cùm vrbs Hieroſolymitanorum cunctáque Iudæa, & vniuerſa regio Iordani finitima in Iordane à Ioanne baptizaretur, Seruator hoc dicat, Vẽnit Ioannes Baptiſta nec manducans, nec bibens, & dicitis, Dęmoniũ habet: & iis qui rogabant, In qua poteſtate hæc facis? dicat, Interrogabo vos & ego vnum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc faciam. Baptiſmus Ioannis vnde erat: è cælo, an ex hominibus? cùm etiam cogitantes dicunt, Si dixerimus, E cælo: dicet nobis, Quare ergo non credidiſtis ei? Diſſoluitur autem hoc modo quæſtio. Phariſæi, vt antè diximus, qui hoc audiuiſſent, prógenies viperarum, neque ei credidiſſent, ad baptiſmum veniunt, quòd ſcilicet populum metuerent, & pro ſua ſimulatione petunt, vt baptizentur, ne tam multis aduerſari repugnaréque viderentur. Cùm enim ſentirent eum ab hominibus, non à cælo baptiſmum habere, populi metu ne fortè lapidibus obruãtur deterriti, non dicunt quod ſentiunt. Non igitur pugnant ea quæ Phariſæis à Seruatore dicta ſunt, iis quę Euangeliorum monimentis ſunt prodita de multitudine eorum, qui ſunt à Ioanne baptizati. Audaciæ autem phariſæorum erat, & Ioannem Baptiſtam dæmonium habere, & in Beelzebul principe dæmoniorum feciſſe virtutes dicere IESVM. *Reſpondit eis Ioannes dicens, Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego nõ ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Heracleó quidem Ioannem iis, qui a Phariſæis miſſi fuerãt, reſpondere exiſtimat, non ad id, quod rogabant, ſed quod ipſe volebat ſeipſum eſſe non intelligens, ſe prophetam accuſare inſcitiæ, ſiquidem aliud rogatus, de alio reſpondeat. Hoc enim vt quod etiam in conferendo communicandóque ſermone vitioſum ſit, cauendum eſt. Nos autem dicimus reſponſum eſſe cohęrens cum re maximè. Ad illud enim, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus?* quid ei aliud reſpondendum fuit, quàm ſuum baptiſmum ad corpus pertinere potiſſimùm, oſtẽdere? *Ego* inquit, *baptizo in aqua*: atque hoc ad illud, *Quid ergo baptizas?* reſpondit. Ad alterum autẽ illud, *Si tu non es Chriſtus*, ſententiam de principali Chriſti eſſentia exponit, eum tantam vim habere & poteſtatem, vt diuini-

tate

tate ſua aciem oculorum omnium hominum fugiat,& tamen præſens ſit omni homini,& ad vniuerſum, totúmque mundum pertineat: id quod declaratur his verbis, *Medius veſtrum ſtetit.* Et quoniam Phariſæi qui Chriſti aduẽtum expectabant, nihil tum magnum de eo videbant, quod eum hominem perfectum, & ſanctum tantummodo eſſe putarent: diligenter Phariſæorum de eius præſtantia ignorationem reprehendit & refellit, cùm illis verbis, *Medius veſtrum ſtetit*, hæc, *Quem vos neſcitis*, addidit. Ac ne quis alium eſſe exiſtimet eum qui ſub aſpectum non cadat, & ad omnem hominem pertineat, aut etiam ad vniuerſum mundum, quàm eum qui homo factus ſit, & viſus ſit in mundo,& verſatus ſit cum hominibus: ad hæc verba, *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, illa addit, *Qui poſt me venturus eſt*, id eſt, poſt me oſtendendus eſt, cuius etiam excellentiam maiorem natura ſua intelligens, de qua tamen nonnulli ambigerent, num ipſe Chriſtus eſſet, cùm docere inſtitueret ſe à Chriſti magnitudine ſuperari: ne quis de eo ſentiret plura, quàm aut videret, aut ex ipſo audiret, hæc dicit, *Cuius non ſum ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti*, obſcurè hoc ſignificans, ſe dignum non eſſe, qui ſermonem de eius incarnatione, quaſi vinctum & occultum iis, qui non intelligāt explicaret & exponeret, vt aliquid tam eximio aduentu qui in tantam breuitatem contractus eſſet, dignum diceret. Non erit autem alienum, nos, qui illud, *Ego baptizo in aqua*, conſideramus, ſimilia Euangeliſtarum de hac re verba proferre, atque ei quod propoſitum eſt, comparare. Ait ergo Matthæus, Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, & poſt ea quæ obiurgatoria ſunt, quæ eadem conſiderauimus, Ego quidem vos in aqua baptizo in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu,& igni: cum Ioannis verbis conſentiens, qui baptiſmi in aqua cõfeſſionem dicit iis, qui à Phariſæis miſſi fuerāt. Marcus autem, Prædicabat, inquit, Ioannes dicens, Veniet fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua: ille verò baptizabit vos ſpiritu ſancto, apud plures omnéſque qui audirent hæc etiam docens prædicanda. Lucas verò ait, Exiſtimante autem populo,& cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus, Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto,& igni. Quoniam igitur Euangeliſtarum quatuor verba habemus, age pro virili parte vniuſcuiuſque & ſententiam propriè ac ſeparatim videamus, & diſsimilitudines, ordiamúrque à Matthæo qui etiam primus omnium Hebræis qui ex circumciſione crediderant, euãgelium edidiſſe dicitur. Ego quidem, inquit, baptizo vos in aqua in pœnitentiam, quaſi purgans, & auertens à deterioribus, & ad pœnitentiã vocans & cohortãs. Ego enim veni, vt Domino plebem perfectam pararem, atque locum pœnitentiæ per baptiſmum concederem ei, qui me ſequuturus eſt: ob eámque cauſam multo magis ac melius quàm mea vis & poteſtas, vos iuuabit. Neque enim corporeus eſt eius baptiſmus, cùm eum, quem ſcelerum pœnitet, Spiritu ſancto, diuinioréque igne impleat, & quicquid ex materia conſtat, expellat,& omne terrenum eiiciat non ſolùm ex eo, qui ipſum accepit, ſed etiam ex eo, qui eos, qui habẽt, audit. Eo autem me robuſtior, & fortior eſt is qui me ſequetur, vt ne ea quidem, quæ ad amictum virtutum extremarum quæ circum eum ſunt, ſi nudè exponantur, vt etiam quiuis intelligat, idoneus eſſe ad portandum, aut eos qui ſuſtineant, ferre poſſim. Non igitur vtrum dicam ſcio, meámne magnam imbecilitatem, quæ exiguas Chriſti res præ maioribus, quæ in eo ſunt, ferre non poteſt: an illius præſtantẽ totóque mundo maiorem diuinitatem. Si quidem ego qui tantum munus accepi, vt prophetiæ honore dignus ſim iudicatus, qua ea quæ ad meum ad vitam hominum aduentum pertinent, exponuntur, velut hac, Ego vox clamantis in deſerto: & illa, Ecce ego mitto angelum meum antè faciem tuam: Ego cuius ortum Gabriel, qui præſtò eſt in conſpectu Dei, patri meo contra opinionem in ſenectute nunciauit: ego ob cuius nomen & vocem recuperauit Zacharias,& per ea prophetiæ munus accepit: ego cui Dominus meus teſtimonium dicit, me eorum qui ex mulieribus nati ſint, maiorem eſſe neminem, ne calceos quidem eius dignus ſum qui portem. Si enim nec calceos, quid de veſtibus eius dicendum eſt? Quis is eſt, qui tunicam eius integram ſeruare ac tueri poterit? Quis es, qui tunicam inconſutilem, quòd à ſummæ parte per totum contexta ſit, intelliget, aut quam habeat rationem comprehendet? Obſeruandum eſt autem, quatuor qui Ioannem baptizandi cauſa veniſſe vt teſtem profiteretur dixerunt, Matthæum ſolum ad hæc illud addidiſſe, in pœnitentiam, docẽtem, eam vtilitatem quæ ex baptiſmo capiatur, in eius qui baptizatur, propoſito ac voluntate haberi, quæ eandem in eo quidem quem ſcelerum pœnitet, ingeneratur, ſed non eſt futura iudicio & crimini grauiori ei qui hoc modo accedit. Sed intelligendum eſt, quemadmodum miræ inuſitatæque virtutes quæ curationibus à Seruatore adhibitis editæ, ſunt, ſignæ ſunt & ſignificationes eorum, qui à verbo Dei æterno liberarentur omni morbo & infirmitate, nec minus etiam in corpore editæ, quàm eæ quæ eos qui beneficia acceperant, ad fidem inuitauerunt: ſic etiam lauacrum aquæ ſignum eſſe mundationis animi, qui ab omni ſorde vitiorum abluitur: nec minus etiam per ſe ei, qui ſe offert diuinæ virtuti, inuocationum auguſtæ Trinitatis aut diuinorum munerum fons & principium eſſe. Diuiſiones enim gratiarũ ſunt. Confirmat autem id quod dico hiſtoria quæ in Actis apoſtolorum ſcripta eſt, quod ita euidenter tum Spiritus ad eos qui baptizabantur, venerit, cùm aqua per ipſum iis qui verè accedebant, viam parauiſſet: vt etiam Simon Magus ſtupore correptus, munus hoc à Petro accipere quidem vellet, ſed vellet id quod iuſtiſſimũ eſt iniuſtis pecuniis. Hoc etiam notandum eſt, Ioannis baptiſmum IESV baptiſmo qui ab eius diſcipulis dabatur, inferiorem fuiſſe, ſi quidem ij qui in Actis baptizati erant Ioannis baptiſmo, neque eſſe ne Spiritus ſanctus tum audiuerant, iterum ab Apoſtolo baptizantur. Quod enim eſt regenerationis, non à Ioanne, ſed à IESV per eius diſcipulos fiebat, & lauachrum quod regenerationis nominatur, cum renouatione Spiritus qui nunc quoque ſubſequi-

tur

tur: quandoquidem in IESV eſt ſupra aquam, ſed non in omnibus poſt aquam ingenerari ſolet. Atque hæc quidem in iis exquirendis quæ apud Matthæum ſcripta ſunt. Nunc autem Marci verba conſyderemus, qui Ioannem prædicantem hæc quidem dixiſſe ſcripſit hoc loco, Veniet fortior me poſt me. Hæc enim idem efficiunt, quod illud, Qui poſt me venturus eſt, me eſt fortior. Sed non eadem etiam ſunt in hoc loco, *Non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius*. Aliud eſt enim portare calceos declarantem iam ſolutos detractóſque eſſe ex eius pedibus, qui in pedes inducti erant: aliud inclinatum corrigiam eius calceorum diſſoluere. Conſentaneúmque eſt hoc profectò, ſine vllo Euangeliſtarum errore aut mendacio, vt Chriſtianæ religionis homines dicere poſſint, vtrumque diuerſis temporibus Ioannem Baptiſtam inueniſſe pro alio atque alio ſenſu & eo quod intelligatur. Neque enim de iiſdem, vt nonnulli putant, qui commentarios ſcribunt, diſſimiliter expoſuerũt, quòd nõ accuratè vnumquodque eorum, quæ dicta ſunt, aut facta memoria continerent. Magnum eſt igitur & honorificum IESV calceos portare: magnum eſt autem etiam, inclinantem ſe & inflectentem ad ea, quæ ad corpus eius pertinent, vt imaginem infrà contempletur vnumquodque eorum quæ in incarnationis myſterio obſcura ſunt, quaſi corrigiam eius calceorum diſſoluere. Vnum eſt enim obſcuritatis vinculum, quemadmodũ vna etiam ſcientię clauis eſt: quę ne is quidem, quo nemo eorum, qui ex mulieribus nati ſunt, maior eſt, per ſe diſſoluere poteſt, aut patefacere, cùm is qui ligauit, & clauſit, ſolus det quibus vult, vt & calceorũ ſuorum corrigiam diſſoluant, & aperiant quæ clauſa ſunt. Quòd ſi myſterij plenus eſt calceorum locus, ne is quidem prætereundus eſt. Exiſtimo igitur incarnationem quidem, cùm carnem & oſſa iterum accepit Dei filius, alterum eſſe calceorum. Deſcenſum autem ad inferos, cuiuſcunque modi inferi ſint, & iter quod cum ſpiritu in carcere fecit, alterum. De deſcenſu ad inferos illud, Non derelinques animam meam in inferno, in decimoquinto pſalmo dictum eſt: & de itinere quod in carcere fecit, cum ſpiritu, apud Petrum in Catholica epiſtola ſcriptum hoc modo, Mortificatus quidem carne eſt, viuificatus autem ſpiritu, in quo & iis qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca. Qui ergo pro dignitate de vtroque aduentu verba facere poteſt, is dignus eſt, qui eius calceorum corrigiam diſſoluat, & ſenſu ipſo ac mente ſe inflectens, & deſcendens cum eo, qui ad inferos deſcendit, atque è cælo & diuinitatis Chriſti myſteriis deſcendens ad eius aduentum, qui ad nos factus eſt tum cùm hominem ſibi adiunxit, & ligauit, qui antẽ hominem ligauit, mortuum etiam ligauit. In hoc enim IESVS mortuus eſt, & reſurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur: ob eámque cauſam & viuum & mortuum ligauit, id eſt, & eum qui in terra, & eum qui eſt apud inferos, vt & in viuis dominetur, & in mortuis. Quis igitur dignus eſt, qui inclinatus huiuſmodi pedum corrigiam diſſoluat, & cùm diſſoluerit, non eos relinquat, ſed altera dignitate & poteſtate præditus, iterum eos accipiat & portet, eò quòd ea quæ intellecta ſunt in memoria ſerat? Nec verò non conſyderatum id, quod apud Lucam & Ioannem ſine hoc verbo, procumbens, dictum eſt, prætermittatur: poteſtque fortitan is quidem qui ſe inflectat, ex eo quod paulò antè dictum eſt, diſſoluere: ſed poteſt etiam is qui verbi erecti excelſitatem obſeruat calceorum qui in quærendo vincti ſunt diſſolutionem inuenire, vt eoſdẽ aliquis cùm diſſoluerit, Verbum Dei filium ſeiunctum iam à calceis, ac per ſe ab inferioribus vacuum & ſolutum, inueniat. Non idem autem efficit, non poſſe, quod non eſſe dignum, vt Ioannes ait. Fieri enim poteſt, vt is qui non eſt dignus, poſſit: fieri autem etiam poteſt, vt is qui dignus eſt, nondum etiam poſſit. Si enim ad vtilitatem munera donáque cõceduntur, ac non ſolùm proportione fidei, humanitatis Dei eſt, qui damnum & detrimentum ex opinione aut inflatione ſequuturum pręnoſcit & prouidet, digno & idoneo aliquando non dare, vt ita dicam, ſufficientiam & poteſtatem. Diuinæ eſt autem bonitatis, beneficiis eum, qui beneficium accipit, vincere occupando, & vt ita dicam, præueniendo eum qui dignus futurus eſt, & ante dignus idoneúſque fiat, eum ornando ſufficientia, vt ſufficiẽtiam facultatémque nactus, eò perueniat vt dignus idoneúſque fiat: ac nõ omnino ex eo quòd eſt dignus eum qui largitur præueniẽs, occupánſque eius munera, eò perueniat, vt efficiatur idoneus & dignus. Ioannes igitur Baptiſta apud tres Euangeliſtas, ſe non poſſe dicit: apud Ioannem autem, nõ eſſe dignum. Sed non excluditur is quidem qui dicebat ab eo, vt qui nondum poterat, idoneus dignúſque fieret, etiamſi nondum dignus eſſet: & rurſus cùm non eſſe dignum ſe dicebat qui non eſſet dignus, ab eo non excluditur, vt perueniat eò, vt dignus fiat niſi fortè aliquis dicet, ad diſſolutionem explicationémque pro dignitate, mortalem naturam quæ calceos portare nequeat, eo peruenire interdum vt verè dicatur habere id quod nunquam habuerit, id eſt, vt poſſit calceorum corrigiam diſſoluere, eadémque re digna fiat: quæcunque autem capiemus & poterimus, nunc etiam relinqui, ea quidem, quæ nondum intellecta ſunt, quandoquidem cùm homo conſumitur, & excedit è vita, tum denique incipit: & cùm deſiuit, tum   vt eſt ſcriptum in Ieſu filij Sirach ſapientia. Differamus etiam de calceis, qui apud tres Euangeliſtas ita nominati ſunt, eóſque cum eo qui vnus numero apud Ioãnem diſcipulum appellatus eſt. *Non ſum enim*, inquit, *ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamẽti*. Victus ergo fortaſſis Dei munere & gratia, donum accepit, cum quantum in ipſo erat, nondum dignus eſſet, qui alterius calcei corrigiam ſolueret, intellecto eius ad homines aduentu, de quo etiam teſtimonium dicit. Quoniam autem eum deficiebat eorum, quæ ſequuntur comprehẽſio, quòd neſciret, num Chriſtus eſſet, qui eò venturus eſſet, vbi poſt carcerem amputato capite futurus erat, an alius expectandus eſſet: idcirco dubitationem, quæ planius poſtea nobis explicatur, nunc etiam obſcurè ſignificans, hæc ait, *Non ſum ego dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*. Qui autem hoc curioſius dictum exiſtimat, eodem verbum calceorum, & verbum calcei referet, vt quaſi diceret, Nullo modo dignus ſum qui corrigiam diſſoluam neque in principio etiam vnius calcei, aut etiam hoc modo, ea quæ à quatuor dicta ſunt, in vnum contrahi

trahi conferríque poſſint. Si enim Ioannes ea quidem quæ ad eius in mundum aduentum pertinent, intelligebat, ſed dubitabat de iis, de quibus deinceps verè dicit, Se non poſſe calceorum eius corrigiam ſoluere (neque enim vtrumque diſſoluit, vnius diſſoluta corrigia.) verè autem etiam dicit, cùm etiam illud ait, corrigiam calceamenti: Quoniam, vt antè dictũ eſt, dubitat etiam, vtrum ſit is qui venturus eſt, an alius etiam illic ſit expectandus, & de illo, *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis*: hæc accipienda ſunt de Verbo Dei filio, per quod facta ſunt omnia, quódque per ſe, & vt ita dicam, eſſentialiter cohæret & conſtat per ſubiectum, cùm ipſum ſit ſapientia. Hoc enim per omnem creatam naturã pertinet, vt ſemper fiant, ea quæ ab eo fiunt. De quonis igitur verum ſemper erat illud, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: & illud, Omnia in ſapientia feciſti. Quòd ſi ad omnem creatam naturam peruenit, perſpicuum eſt etiam eorum qui interrogant, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* medium ſteiiſſe idem, atque firmum, cùm Verbum ſit à patre vbique firmatum. Aut illud, *Medius veſtrûm ſtetit*, accipiatur, veſtrûm, qui eſtis homines, quòd vos eſtis rationis participes, medius veſtrûm ſtat. Eſſe in totius corporis medio id quod principatum obtinet, ex ſcripturis in corde eſſe oſtenditur. Qui ergo verbum in medio ſui habent, nec de eius natura differunt, neque à quo fonte & principio venerit, nec quonam modo ſecum ſtet: ij medium ipſum ſe habere neſciũt. At verò Ioannes ipſum nouit. Illud enim, *Quem vos neſcitis*, quod exprobrando Phariſæis Ioannes dixit, ſignificat verbũ quod ab illis ignorabatur, ab eo diligenter fuiſſe cognitum. Itaque Ioannes qui eum cognitum haberet, intellexit ὀπίσω αὐτοῦ, id eſt, μετ' αὐτόν, id eſt poſt ſe venturum eſſe eum qui in medio eſſet: atque eam doctrinam qua in baptiſmo vſus eſt, verſari in iis qui per Verbum abluti fuiſſent. Nec verò idem declarat hoc loco hoc verbum, *poſt*, quod vbi poſt ſe nos IESVS mittit. Illic enim vt veſtigia ſua ſequentes ad patrem veniamus, poſt eum eſſe iubemur: hîc vt illud tempus, quod Ioannis diſciplinam doctrinámque ſequutum eſt: quandoquidem hic venit, vt omnes per eum crederent: cùm anteà præparati eſſent ad iter, & expiati verbis inferioribus atque perfectis. Primùm ergo ac maximè pater, qui immutabilis & incommutabilis eſt, ſtetit, deinde autem ſtetit etiam eius Verbum ſemper, dum ſeruat, & licet factum ſit caro, licet medius ſit hominum, tamen non comprehenditur, quin nec videtur. Stetit etiam cùm doceret, hortaretúrque omnes, vt biberent ex ſe, qui fons eſt copioſus. Stabat enim IESVS & clamauit dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Heracleon autem ait illud, *Medius ſtetit*, dictum eſt, pro, Iam adeſt, & in mundo eſt atque apud homines, apparétque vobis omnibus. His autem circumcidit id quod declaratum eſt, ipſum per totum mundum venire. Ab eo enim quærendum eſt, quando non adeſt & quando eſt in mundo, præſertim cùm Euangelij verba ſint, In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Ob eámque cauſam ij quibus hæc dicit Ioannes, *Quem vos neſcitis*, eum non nouerant, quoniam nondum ex mundo exierant: Mundus autem eum non cognouit. Quod autem intermiſſum eſt tempus, quo apud & inter homines non fuerit? An non in Eſaia erat ſcriptum his verbis, Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me? & Appatui iis, qui me non quærebant? Dicant etiam num apud Dauidem erat ſcriptum, hoc quod non à ſe dicit? Ego verò conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, & omnia quæ in pſalmis ex Chriſti perſona ſcripta ſunt? Quid porrò attinet me ſigillatim demonſtrare, id quod eſt difficile ad numerandum, cùm euidenter planéque docere poſſim, eum ſemper in homine fuiſſe: vt illud, Iam adeſt, & eſt in mundo & in homine, non rectè ab Heracleone dictum eſſe refellam in huius loci explanatione, *Medius veſtrûm ſtetit*? Non abſurdè autem hoc ab illo dicitur, verba hæc, *Qui poſt me venturus eſt*, Ioannem præcurſorem Chriſti eſſe declarare. Verè enim, quaſi ſeruus eſt præcurrens ante Dominum. Illud verò, *Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*, multò ſimplicius, imperitiúſque interpretatus eſt, nempe Ioannem Baptiſtam his verbis ſe ne obſcuriſsimo quidem miniſterio eorum, quæ Chriſtum attingebant, dignum eſſe profiteri. Quanquam poſt hanc interpretationem non abſurdè illud ſubiecit, Non ſum ego dignus, cuius cauſa maieſtate magnitudinéque abiecta carnem accipiat, vt calceum, cuius ego rationem afferre non poſſum, neque exponere, aut explicare eius diſpenſationem. Melius autem & excellentius idem Heracleon cùm calceum mundum eſſe interpretatus eſt, eo prouectus eſt, vt impiè hæc omnia accipi cenſeret oportere etiam de perſona ea, quæ per Ioannem intelligatur: putat enim mundi effectorem, qui Chriſto minor ſit, hoc his verbis confiteri: quod eſt vnum ex omnibus impium maximè. Pater enim, qui eum miſit, quíque eſt viuorum Deus, veluti, quemadmodum IESVS ipſe teſtatur, Abrahæ, Iſaac & Iacob: qui ob eam cauſam cæli terræque eſt Dominus, quòd ea effecit: is etiam ſolus bonus, maiórque eſt eo, qui miſſus eſt. Quòd ſi etiam, vt paulò antè diximus, plenius integriúſque Heracleon omnem quoque mũdum calceum IESV eſſe intellexit, non tamen aſſentiendum ei eſſe arbitror. Quomodo enim cum hac tali intelligentia illud ſtabit, Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, quod IESV teſte vt de patre dictum eſt? Nolite, inquit, iurare per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedũ eius. Quo verò pacto poſteaquam oſtendit hunc totum mundum IESV calceum intelligi, illud intelligetur, Nónne cælum, & terram ego repleo, dicit Dominus? Quanquam operæpretium eſt cognoſcere, vtrum quòd Verbum & ſapientia per vniuerſum mundum pertinuit, pater autem eſt in filio, vt addidimus, verba hæc intelligenda ſint: an ipſe, qui præcipuè, primúmque & maximè vniuerſam creatam naturam ambiuit, quòd in eo ſit filius, dederit Seruatori, qui ipſi ſit ſecundus, & Deus Verbum ſit, vt ad omnem creatam naturã perueniret: maximéque iis qui tam magni cęli motũ perpetuum ab oriente ſole ad occidentem ſecum tot tãtarúmque ſtellarum multitudinẽ verſantis, intelligere poſſunt, operæpretium erit, quænam ſit tanta vis vniuerſo orbi inſita, quærere. diuerſam enim hanc in patre & in filio eſſe audere dicere, haud ſcio an ſit pium. *Hæc in Bethabara facta ſunt, trans Iordanem, vbi erat Ioãnes baptizans.* Non ignoramus in omnibus ferè exemplaribus

Cautè, nam patrẽ filio maiorem facere videtur.

exemplaribus ſcriptum eſſe, Hæc in Bethania facta ſunt: atque hoc etiam prius factum videtur: & apud Heracleonem Bethaniam legimus: ſed adducti ſumus, vt credamus, non Bethania legendum eſſe, verùm, Bethabara, poſteaquam in locis fuimus, vt IESV eiúſque diſcipulorum ac prophetarū veſtigia cognoſceremus. Bethania enim, vt idem Euangeliſta ait, Lazari, & Marthæ, atque Mariæ patria, Hieroſolymis quindecim ſtadiis abeſt, à qua Iordanis flumen procul diſtat circiter centum & octoginta ſtadiis ratione latitudinis. Nec verò eſt locus ad Iordanem eiuſdem nominis, cuius eſt Bethania: monſtrari autem ferunt in Iordanis ripa Bethabaram, vbi Ioannem baptizaſſe tradunt. Eſtque conſentanea baptiſmo eius, qui Domino plebem perfectam parabat, nominis interpretatio. Exponitur enim, in domum perfectionis, Bethania autem, in domum obedientiæ. Vbi enim alibi baptizare debuit angelus qui miſſus eſt ante Chriſti faciē, vt viam eius ante ipſum paratet, niſi in præparationis & perfectionis domo? Quæ verò aptior eſt patria Mariæ quæ optimam partem elegit, quæ ab ea non auferetur, & Marthæ quæ animo in multas partes ob conuiuium IESV apparandum diſtrahebatur, atque Lazaro qui à Seruatore amicus appellatus eſt: quam Bethania, id eſt, domus obedientiæ? Non igitur nominum accurata cognitio ei cōtemnenda eſt, qui ſcripturas ſanctas ſine vlla prætermiſſione planéque velit intelligere. Quanquam in Græcis exēplaribus multis locis quod ad nomina attinet, erratum eſſe, etiam ex his ſibi aliquis perſuadeat. In Euangeliis ſcriptum eſt, procurationem illam quæ poſita eſt in ſuibus quæ præcipites actæ in mare ab iis qui à dæmonibus obſeſſi erant ſuffocatæ ſunt, factam eſſe in Geraſenorum agro, ſiue regione. Geraſa autem vrbs eſt Arabiæ, quæ nec mare, nec ſtagnum finitimum habet: nec vnquam tam euidentem falſitatem, támque facilem ad refellendum dixerunt viri qui diligenter Iudæam cognitam habebant. Quoniam autem in paucis ſcriptum inuenimus, In regione Gadarenorum, de hoc etiam dicendum eſt. Gadara enim oppidum eſt quidem Iudæ, ad quod nobiles illæ thermæ ſitæ ſunt, ſed nulla ex parte mare in eo eſt ſubiectū præruptis locis. Sed Gergeſa, à qua Gergeſæi dicti ſunt, vetus eſt oppidum haud procul ſitum à ſtagno quod nunc Tiberiadis vocatur, ad quod præruptus locus ſitus eſt: ex quo ſues à dæmonibus deiectę eſſe intelligūtur. Gergeſa autem idem valet, quod habitatio eorum qui eiecerunt, & expulerunt: quod nomen idem fortaſſe habuit ab eo, quòd Seruatori fecerunt. Eum enim rogarunt domini porcorum, vt ex ſuis finibus exiret. eundem etiam errorem in nonnullis legis & prophetarum locis licet animaduertere, quemadmodum diligenter didicimus ab Hebræis, & ex noſtrorum exemplarium cum illorum collatione, quæ ab Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi editionibus, quæ nondum deprauatæ ſunt, auctoritatem habent. pauca igitur proferemus, quò aſtutiores ſagacioréſque ſint in his ſtudioſi diſcendi. Vnus Leui liberorum, iſque primus Geſon in permultis exemplaribus pro Gerſon nominatus eſt, eiuſdem nominis cuius Gerſon Moſis primigenius, quòd vterque in externa, alienáque terra propter peregrinationem generatus eſſet, impoſito de induſtria nomine. Rurſus apud nos Iudæ ſecundus Aunam eſſe dicitur, apud Hebræos autem eſt Onam, id eſt, labor eorum. Præterea in filiorum Iſraël manſionibus in Numeris inuenimus ſcriptum, abiiſſe ex Sochoth, & caſtrametatos eſſe in Ethan: Hebraicum autem exemplar pro Ethan Æman dicit. Quid verò attinet me commorantem plura proferre, cùm liceat ei, qui exquirere, atque cognoſcere cupit quæ in nominibus vera ſint? Maximè autem ea loca ſuſpecta videri debent, in quibus eſt catalogus cum nominibus pluribus: cuiuſmodi ſunt in Ioſue diuiſionis hæreditatis nomina, & in primo Paralipomenon à principio & deinceps vſque ad ea, quæ vicina ſunt, * Itemque in Eſdra: Nec verò contemnenda ſunt nomina, cùm res ab iis ſignificentur vtiles locorum interpretationi. Non eſt autem huius loci & temporis, eo quod propoſitum eſt, prætermiſſo, ea quæ ad cognitionem nominum pertinent, exquirere. Itaque ea quæ ſunt Euangelici ſermonis, conſideremus. Iordanis quidem interpretatio eſt, eorum demerſio, & demiſſio. hoc autem nomen vt ita dicam, ab Iared ductum eſt, quod etiam deſcendens dicitur, quandoquidem Malaleel natus eſt, vt in Enoch ſcriptum eſt, ſi modò quiſpiam eum vt ſanctum librum probare velit, In diebus deſcenſus filiorum Dei ad hominum filias, quem quidē deſcenſum nonnulli obſcurè ſignificare exiſtimauerunt animorum in corpora deſcenſum, quòd filias hominum obſcurè & tropicè terrenum tabernaculum dici exiſtimauerint. Quod ſi ita eſt, quoddam erit flumen deſcenſus eorum, ad quod qui venit, eum delabi oportet non proprio ſuóque deſcenſu, ſed hominum, quo Seruator noſter determinauit eos, qui à Moſe diuiſi ſunt ab iis qui per Ioſue partes ſuas acceperunt. Huius igitur fluminis quod defluit impetus lætificat, vt in pſalmis inuenimus, ciuitatem Dei, Hieruſalem, quæ ſub ſenſum cadit. Non enim habet flumen propinquum ſed Eccleſiam Dei, quæ eſt ſine macula, ædificatam in Apoſtolorū prophetarúmque fundamento, lapide angulari Chriſto IESV Domino noſtro. Iordanis tamen nomine Dei Verbum intelligendum eſt, quod caro factum eſt, & habitauit in nobis: IESVM autem, eum qui aſſumpſit humanum, id eſt, angularem lapidem, qui etiam in filij Dei diuinitate factus, ex eo quòd aſſumptus eſt, ab eo lauatur: túmque capit ſimplicem fraudéque & dolo non agentem Spiritum columbam, quæ & cum ipſo coniūcta copulatáque eſt, & iam volare non poteſt. Super quem enim, inquit, videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Itaque accepit Spiritum qui in ipſo manet, vt in eo manente eos, qui ad ſe veniunt, baptizare poſſit. Trans autem Iordanem, non extra Iudææ fines atque partes in Bethabara Ioannes baptizat præcurſor eius, qui venit vocatum non iuſtos, ſed peccatores: qui non valentes, ſed ægros medicis egere docet. Etenim ad peccatorum remiſſionem lauacrum datum eſt. Veriſimile eſt autem aliquem, qui diſſimiles Seruatoris ſignificationes non intellexerit, occurſurum ei, quæ de Iordane explicata eſt, interpretationi, quòd Ioannes dicat, Ego baptizo in aqua. Qui autem venturus eſt poſt me, fortior me eſt. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto: Cui reſpondendum eſt, quemadmodum Dei Verbum cùm ſit potus, aliis tamen eſt* via, aliis vinum, quod

Alludit ad ſuum dogma de animarum præexiſtētia.

Forte, aqua.

quod hominis cor lætificat, nonnullis ſanguis propter illud, Niſi biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: quinenam cibus dicitur, non ex eo quod intelligitur, ſed panis viuus & caro: ſic idem eſt & aquæ & ſpiritus & ignis baptiſmus, nonnullis etiam ſanguinis. De vltimo autem baptiſmo vt nonnulli dicunt illo in loco, Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo prohibeor, quouſque perficiatur? hinc conuenienter Ioannes diſcipulus in epiſtola illud ſcripſit, Spiritus & aqua, & ſanguis tria hæc vnum ſunt. Cumque alicubi ſe & viam eſſe & oſtium profiteatur, perſpicuum eſt eum non eſſe oſtium ei cui etiam ſit via, neque adhuc eſſe viã, cui ſit oſtium. Omnes igitur qui principium eloquiorum Dei ſequútur, id eſt, vocem clamantis in deſerto, Dirigite vias Domini, & veniunt trans Iordanem qui eſt in domo obedientiæ, comparent ſe, vt præparatione ipſa Spiritale Verbum capere poſſint, quod Spiritus illuſtratione generatur. In eo autẽ quod propoſitum eſt manentes, iis quæ ad Iordanem pertinent colligendis accuratius flumen intelligamus. Deus quidem Moſe duce populum trans mare rubrum tranſportat, cùm aquam ipſam ad dextram, & ſiniſtram pro muro locaſſet: duce autem Ioſue trans Iordanem. Paulus autem lecta ſcriptura, cùm iam non carne ipſius militaret, (ſciebat enim ſpiritalem eſſe legem) nos, vt ita dicam, ſpiritaliter ea, quæ de maris rubri tranſitu

1.Cor.10. ſcripta ſunt, accipere in priore ad Corinthios epiſtola docet his verbis, Non enim volo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritalem mãducauerunt: & omnes ſpiritalem potum biberunt. Bibebant enim de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Quibus conuenienter nos quoque petamus à Deo, vt accipiamus ſpiritalem traiectionis Iordanis intelligentiam, dicẽtes etiam de hac Paulum hæc dixiſſe, Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes Iordanem tranſierunt, & omnes in Ioſue baptizati ſunt in ſpiritu & in flumine. Ioſue fuit tropicè qui in Moſis locum ſucceſſit, Ieſu Chriſto accipiente iure hæreditario euãgelica prædicatione legis diſpenſationem. Itaque etſi omnes illi per Moſem baptizantur in mari & in nube, tamen amarum quiddam, & ſalſum illorum baptiſmus habet, cùm etiam tum hoſtes metuerent, & clamarent ad Dominum Moſique dicerent, Quoniam non ſunt ſepulchra in Ægypto, eduxiſti nos, vt moreremur in ſolitudine. Cur hoc feciſti nobis, educeos nos ex Ægypto? Ieſu autem baptiſmus in verè dulci, & ſuaui flumine multa præ illo eximia & præcipua continet, iam declarata decorúmque ordinem accipiente Dei religione. Arca enim teſtamenti Domini Dei noſtri & ſacerdotes, atque leuitæ antecedunt, populúſque miniſtros Dei ſequitur: illius verò præceptũ de ſanctificatione accipiũt. IESVS autem populo dicit, Sanctificamini in craſtinum: faciet in vobis Deus mirabilia. Sacerdotibuſque præcipit vt cum arca teſtamenti populum antecedant: cum etiam patris ad filium diſpenſationis

Philip.2. myſterium declaratur, quem ipſe excelſum fecit, cùm ei dedit gratiam, Vt in nomine IESV omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS eſt in gloria Dei patris. Hæc enim quæ in Ioſue libro ſcripta ſunt, declarantur hæc, Et dixit Dominus ad Ioſue, In die hac incipiam te exaltare coram filiis Iſraël. Intelligenda etiam eſſe de Domino noſtro IESV, qui ait filiis Iſraël, Accedite huc, & audietis verbum Domini Dei veſtri: in hoc cognoſcetis, quòd Deus viuens in vobis eſt. Cùm enim in Chriſto baptizabimur, Deum viuum in nobis eſſe cognoſcemus. Et illic quidem cùm paſca celebraſſent in Ægypto, principium exeundi faciunt. Ioſue autem duce, traiecto Iordane decimo primi menſis die, caſtrametati ſunt in Galgalis, quando primùm is qui ouem ſumpſiſſet, conuiuas futuros numerare debebat. Poſt Ioſue baptiſmum petra, quæ etiam in extrema parte acuta erat, à Ioſue filij Iſraël quicunque non circuncisi eſſent, ex iis qui ex Ægypto exierant, circunciduntur: probrum autem Ægyptiacum Dominus deleturum ſe die baptiſmi, cùm filios Iſraël Ioſue expiauit, profitetur. Scriptum eſt

Ioſue.5. enim, Dixitque Dominus Ioſue filio Naue, Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. túmque

Deſunt in Græco. fecerunt paſcha quartadecima die menſis, multo maiore cum lætitia, quàm in Ægypto, tum etiam ederunt ex frumento ſanctæ terræ Azyma, etiam Manna cibo nouo præſtantiora. Neque enim poſteaquam terram, quę promiſſa fuerat acceperunt, eis Deus deteriores cibos præbuit: neque per Ioſue tam clarum hominem panem minùs generoſum impetrabant. Quod quidem is perſpiciet, qui verè ſanctam terram intellexerit, & cęleſtem Hieruſalem. Itaque in eodem Euangelio ſcriptum eſt, Patres in deſerto manducauerunt Mãna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum. Manna enim etſi à Deo datus erat panis profectus, tamen panis iis qui etiã tum à pædagogo erudiebãtur, ſuppeditabatur, & iis, qui à tutoribus, & curatoribus regebantur, digniſſimus. Qui autem in terra ſancta nouus ex frumẽto terræ Ioſue Ieſu ſequeſtre mẽtitur, cùm alij quidẽ laborauerint, eius autem diſcipuli metant: panis erat illo vitalior, iis datus, qui paternam hæreditatem propter perfectam virtutem accipere poſſunt. Itaque qui illo pane veſcitur, eruditur, mori poteſt: qui autem venit ad eum panem, qui illum conſequutus eſt, eóque veſcetur, vitam conſequetur ſempiternam. Hæc autem omnia non extra propoſitum prolata exiſtimo, cùm baptiſmus, qui à Ioanne in Iordane ad Bethabarã factus eſt, cõſideretur. Hoc etiam præterea obſeruandum eſt, Eliam, cùm ſurſum quaſi in cælũ in turbine rapiẽdus eſſet, pallio ſuo accepto inuolutóque percuſſiſſe aquam, quæ diuiſa eſt in vtráque partem, & ambo tranſierunt, non eſt dubium, quin ipſe & Eliſæus. Aptior enim ad raptum factus eſt, poſteaquam ablutus eſt in Iordane, quãdoquidem mirabiliorem per aquam tranſitum, baptiſmum, vt paulò antè diximus, Paulus nominauit. Propter hunc igitur Iordanem ab Elia Eliſæus, quod voluit, munus accipere potest, cùm dixit, Fiat in me duplex ſpiritus tuus, ob eámque cauſam fortaſsis duplicem gratiam in ſe in ſpiritu Eliæ accepit, cùm Iordanem traiecit, ſemel quidem cum Elia, iterum autem, cùm Eliæ pallium accepit percuſſóque Iordane dixit, Vbi eſt ſpiritus Eliæ etiam nunc? & percuſſit aquas, & diuiſæ ſunt huc atque illuc. Quòd ſi quis occurrat huic loco, Percuſſit aquam, propter ea quæ nobis de Iordane tradita ſunt eum fuiſſe figurã Verbi,

bi, quod noſtro deſcenſu delapſum eſt: reſpondendum eſt, Chriſtum perſpicuè apud Apoſtolum petram fuiſſe, quæ bis percutitur, vt ex ſpiritali petra conſequente bibere poſſint. Eſt igitur quædam etiam eorum qui amant percuſſio, & plaga in dubitatione, antequam diſcant id quod quæritur, dum rationi concluſionis contraria proferuntur. A quibus Deus nos liberans, vbi quidem ſitiunt, potionem dat: vbi autem aliquid eſt quod ſimul à nobis etiam capi non poteſt propter altitudinem, transeundum, verbi diuiſione patat, cùm plurima nobis Verbo, quod vim diuidendi habet, aperiuntur. Præterea ad interpretationem Iordanis qui & ad potum accommodatus erat maximè, & gratiarum largitor, vtile eſt proferre & Naaman, qui à lepra mundatus eſt,
4. Reg. 5. & ea quę de fluminibus, quæ apud hoſtes religionis ſunt, feruntur. De Naaman quidem ſcriptum eſt, Venit cū equis & curribus & ſtetit ad oſtium domus Eliſæi. Miſitque ad eum Eliſæus nuntium dicens, Vade, & lauare ſepties in Iordane, & reuertetur caro tua tibi, & mundabitur. Cùm etiam indignatur Naaman, quòd non intelligeret, Iordanem noſtrum eſſe, qui eos qui ob lepram immundi eſſent, ablueret, ac curaret, non antè propheta, prophetæ enim eſt ad curationem mittere. Quoniam igitur magnum Iordanis myſterium Naaman non intelligebat, ait, Dicebam quidem eum egreſſurum eſſe ad me, & ſtantem nomen Domini Dei ſui inuocaturum, impoſiturúmque manum ſuam in loco, & lepram curaturum, Imponere enim manum in lepra & mundare, tantum eſt Domini mei IESV officium, qui non ſolùm ei, qui cum fide eum rogauit his verbis, Si vis, potes me mundare, dixit illud, Volo. Mundare. Cùm Verbo enim eum attigit, & ab elephantia ſua curatus eſt. Quoniam ergo etiam deceptus Naaman, non intelligebat quantum cæteris fluminibus Iordanis ad curandos ægros præſtaret, Damaſcenos fluuios laudat, Abana, & Pharphar his verbis, Nūquid meliores ſunt Abana & Pharphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraël? nónne ibo & abluar in eis, & mundabor? Vt enim nemo bonus, niſi vnus Deus pater: ſic fluuiorum nullus bonus, niſi Iordanis, qui etiam ab elephantia & lepra eum, qui animo in IESV cum fide abluitur, poteſt liberare. Propter hunc autem, vt arbitror, fleuiſſe proditū eſt eos qui ad Babylonia flumina conſidentes, Sion recordabantur. Cùm enim alias aquas deguſtaſſent poſt ſanctum Iordanem ij, qui ob ſcelera captiui abducti fuerant, proprij ſuique & ſalutaris fluminis, & loci vnde eò veniſſent recordatione, Super flumina, inquiunt, Babylonis illic ſedimus (non eſt dubiū, quin propterea quòd ſtare non poſſent) & fleuimus. Atque etiam Hieremias eos, qui Ægyptiam aquam bibere volunt, eámque quæ è cælo defluit, & Iordanem eiuſdem nominis deſcenſus habet, reſpuunt, obiurgas his verbis, Quis habitat in via Ægypti, vt bibat aquam Geon, & vt bibat aquam fluminum? vel vt Hebraicum exemplar habet, vt bibat aquam Sion: de quo non eſt nunc propoſitum dicere. De fluminibus autem ſub ſenſum cadentibus Spiritui, qui in diuinis ſcriptis loquitur, non eſſe verbum, quod paulò antè prolatum eſt, ea iis etiā perſpici licet, quæ Ezechiel in Pharaonem dicit regem Ægypti, draconem magnum, qui in medio fluminum ſedens ait, Mei ſunt fluuij, & ego feci eos, dabóque laqueos in maxillas tuas, faciámque vt fluuij piſces cum pennis tuis cohereant: téque è medio flumine tuo reducam & omnes piſces fluminis: & deiiciam te citò, omnéſque fluuij piſces in faciem campi tui cadent, & non congregaberis, nec contraheris. Qualis enim corporeus draco in corporeo Ægypti flumine viſus vnquam eſſe narratur: ac non potius locus draconis hoſtis noſtri flumen eſt Ægypti, qui ne Moſem quidem puerum potuit occidere. Vt autem draco eſt in Ægypti flumine, ſic Deus in eo quod ciuitatem Dei lætificat. pater enim eſt in filio. Ob eámque cauſam ij, qui in eo ſunt, ac generantur: cùm abluuntur, & probrum Ægypti detrahunt atque exuunt, tum & aptiores ad cōuolandum in cælum efficiuntur, & à flagitioſiſſima lepra mundantur, & duplicem gratiam accipiunt, & ad ſanctum Spiritum accipiendum pręparantur, quòd ad aliud flumen ſpiritalis columba non volet. Itaque quoniam pro dignitate Dei Iordanem intelleximus, & lauacrum, quod in eo fit, atque IESVM, qui in eodem abluitur, domúmque perfectionis, quantum eiuſmodi vtilitaté requirimus, ea flumine hauriamus.

S. IOANNIS CHRYSOS.

Epiſcopi Conſtant. in ſuperius Euang. Homil. 1.

Hom. 15. in Ioan.

Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi à Hieroſolymis ſacerdotes, & leuitas, vt interrogarent eum. Tu quis es? Graue vitium inuidia eſt, dilectiſſimi, graue inquam, & exitioſum, non iis, quibus inuidetur, ſed ipſis inuidentibus. Primùm enim eos offendit, conſumitque tanquam mortiferum quoddam virus eorum animos occupans. Si quo autem pacto eum, qui inuidetur, lędit, paruum quidem, & nullius ferè momenti detrimentum eſt, quódque plus emolumenti quàm damni afferat. Neque inuidia ſolùm, ſed etiam in cæteris vitiis nō qui malo afficitur, ſed qui afficit, is damnum accipit. Quod niſi ita ſe haberet, non iniuriam accipiendam potius quàm inferendam præcepiſſet Paulus diſcipulis. Quare non magis, inquit, iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Certò enim nouit, non mala accipientem, ſed inferentem omnino exitium ſecuturum. 1. Cor. 9. h.
Hæc omnia mihi propter Iudęorū inuidiam dicta ſunt. Qui enim ex ciuitatibus ad Ioannem cōfluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant, poſt baptiſma tanquam quadam boni operis pœnitentia, mittunt qui Ioannem interrogent: *Tu quis es?* Certè genimina viperarum, & ſerpentes: vel, ſi quid his grauius generatio mala, adultera, peruerſa, poſt baptiſma Baptiſtam interrogas, & percontaris? Quid hac ſtultitia ſtultius? quomodo eum cōueniſtis? quomodo peccata veſtra confeſſi eſtis? quomodo ad baptiſma cucurriſtis? quomodo ipſum percontati eſtis, quid foret agendū? Hæc omnia à vobis temerè, & ſine ratione facta ſunt, cùm neque principiū, neque fundamentum intelligaris. Verùm neque vos accuſauit Ioannes, neque quicquam exprobrauit, ſed omni cum máſuetudine reſpondit. Quamobrē? eſt enim dignum cognitu, vt omnibus eorū manifeſta, perſpicuáque fieret malitia. Sæpenumero Ioannes Chriſto teſtimoniū perhibuit, & cùm Iudæos baptizaret, frequēter Chriſti meminerat, *Ego* (inquit) *vos baptizo*

vos baptizo in aqua: qui autẽ poſt me venit, fortior me eſt: ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igni. Quibus verbis humana quadam perturbatione affecti ſunt. Mundi nanque gloriam affectantes, & ſecundum

Luc. 1. a. *Dubium eſt an Zacharias fuerit ſummus ſacerdos.*

faciem iudicantes, Ioannẽ Chriſto inferiorem, indignum arbitrabãtur. Multa nanque Ioannis generoſitatem oſtendebãt. Primùm generis claritas, principis enim ſacerdotis erat filius. Deinde vita, & aſperitate, & omnium hominum cõtemptu, inſignis. Siquidem veſte, menſa, domo, & ipſo victu contempto, eremum ab ineunte ætate incoluit.

Matt. 13. g. & Mar. 6. a. Infra g.

Contrà, Chriſtus obſcuro genere natus, quod ſæpenumero his verbis exprobrarunt: nónne hic eſt fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & frater eius Iacobus, & Ioſeph? Et patria vnde originem ducere putabatur, ignominia quadã notabatur, vt inquit Nathanael. A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Prætcrea conuerſatio omnibus communis, & veſtimenta nihil à vulgo differẽtia. Non enim zona pellicea cingebatur, neque piloſam veſtẽ induebat, neque melle, & locuſtis veſcebatur, ſed cum omnibus eandẽ habebat conſuetudinem. Infamium hominum, & publicanorum conuiuiis aderat, vt eos ad meliorẽ frugem alliceret: quo cùm non conueniret, Iudæi ei exprobrabant, vt ipſe Chriſtus inquit;

Matt. . c.

Venit filius hominis manducans, & bibens, dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorũ, & peccatorum amicus. Cùm ergo frequenter Ioannes ab ſe Iudæos ad Chriſtum, longè eorum opinione inferiorem dimitteret, ægrè ipſi ferebant, & rubore perfundebantur. Quippe qui Ioannẽ potius magiſtrum habere, quàm Chriſtum voluiſſent: palàm tamen id dicere verebantur. Mittunt autem ad eum, vt per adulationem ipſum alliciant ad confitendum ſe

Matt. 22. b.

Chriſtum eſſe. Quamobrem non abiectos, & infimæ ſortis homines mittunt, quemadmodum ad Chriſtum, cùm vellent eum capere in ſermone? Tunc enim ſeruos, & iterum Herodianos deſtinarunt: nunc autem ſacerdotes, & Leuitas nec quoſlibet ſacerdotes, ſed ab Hieroſolymis, hoc eſt maioris authoritatis, & nominis. Non enim temere

Luca 1. f.

hoc ſignificauit Euangeliſta, *& mittunt, vt interrogarent eum; Tu quis es?* Et profectò natales eius adeò celebres erant, vt vulgo diceretur, Quis putas puer iſte erit? & ſuper omnia montana Iudææ diuulgarentur omnia verba hæc. Et cùm iterum Iordanem periſſet, omnes ad eum ciuitates aduolarent, ex Hieroſolymis, & ex omni Iudæa ad Ioannẽ, vt baptizarentur, concurrerunt. Quid igitur interrogant? Non quod ignorarent: ſatis enim, ſupérque cognoſcebatur. Neque vllo pacto poterat ignorari, ſed ea, quam paulò ante diximus, ratione, quò eum adducerent, vt ſe Chriſtum eſſe confiteretur. Audi ergo quomodo beatus Ioannes non verbis, ſed animo, quo illi percontabantur, reſpondet. Nam, cùm dixiſſent, *Tu quis es?* Non reſpondit continuò, quod rectè erat reſpondendum. Ego vox clamantis in deſerto, ſed eorum primum ſuſpitionem amouit. Interrogatus enim, inquit, *tu quis es? confeſſus eſt, & non negauit: confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Et animaduertite Euangeliſtæ ſapientiam. Tertiùm idem dicit, vt & baptiſtæ virtutem, & Iudæorum maliciam, atque

Luca 3. a.

ſtultitiam demonſtret. Lucas verò, inquit, quòd, cum turbæ ſuſpicarentur eum eſſe Chriſtum, iterum tollit ſuſpicionem. Hoc frugi ſerui officium eſt, non ſolùm domini ſui gloriam non aucupari, ſed & à multitudine tributam propulſare. Verùm turbæ ſimplicitate, & ignorantia in hanc venére ſuſpicionem: hi autem mala mente, malo animo eum percontati ſunt, id arbitrati, quod diximus. Quod niſi hoc animo fuiſſent: non continuò ad aliam veniſſent interrogationem, ſed indignati, tanquam ad propoſitum non reſpondiſſet, neque id dubitare, neque id percontatum venire duxiſſent, verùm tanquam in crimine deprehenſi, & rei, ad aliud venerunt. *Quid ergo? Helias es tu? & dixit: Non ſum.*

Matt. 17. b.

Arbitrabantur enim eum venturum, ſicut Chriſtus inquit. Rogantibus namque diſcipulis, quomodo ergo Scribæ dicũt, quod Heliam oportet primum venire, ipſe reſpõdit, Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Deinde interrogant. *Propheta es tu? & reſpondit; Non.* Et tamen propheta erat, quare ſe prophetam negat? Quia iterum percontantium animum inſpexit.

Deut. 18. b.

Exiſtimabant enim prophetam quẽdam eximium venturum, eo quòd inquit Moſes: prophetam vobis ſuſcitabit dominus Deus de medio fratrum veſtrorum, tanquam meipſum audite. Hic autem erat Chriſtus. Non igitur rogarunt, an eſſet vnus ex aliorum numero prophetarum, ſed articulum addiderunt, ac ſi dicerent; Propheta ne ille es, qui à Moſe prædictus eſt? Propterea negauit. *Dixerunt ergo ei; quis es? vt reſpõſum demus ijs, qui miſerũt nos. Quid dicis de teipſo?* Vides ne hos vehementius vrgentes alliciendo, iterum arrogantes non dimittendo, hunc autem ſumma cum manſuetudine falſas eorum ſuſpiciones omni conatu tollentem? veritatis amicus. *Ego* (inquit) *vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias propheta.* Cùm enim magnum quidem, & eximium ſecundum eorum opinionem de Chriſto locutus ſit, ad præſtandam verbis ſuis authoritatem, prophetæ ſtatim teſtimonium adducit. *Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque Propheta?* Vides quàm temerè loquantur? Quoniam adhuc eum adducere volebant. Non tamen hinc orſi ſunt, ne quo animo dicerent, deprehenderentur. Et, cùm ſe Chriſtum eſſe negaſſet, iterum malitia ſua diſſimulata, ad Heliam veniũt, & prophetam. Quod cùm ſe neutrum eſſe profiteretur, dubij iam conſilij, perſona, & ſimulatione omni abiecta, apertè fraudulentam mentem his verbis detegunt? *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus?* Deinde vt animum celarent, addiderunt: *Neque Helias, neque propheta.* Nam, cùm adulationibus eum allicere non poſſent, calumnia ſe eum coacturos arbitrati ſunt, vt quod non eſſet, ſe eſſe confiteretur. O ſuperbiam, ô amentiam, & curam intempeſtiuam! Miſiſtis vt ab eo cognoſceretis quis eſſet, & vnde. Nunquid ei quid facturus ſit præſcribetis? Hoc cogentium eſt, vt ſe Chriſtum confiteatur. Veruntamen neque nunc indignatur Ioannes, neque ſic eis vt merebantur, reſpondet? Vos præcipere, & legem mihi ponere audetis? Sed iterum incredibilem præ ſe fert manſuetudinem. *Ego* (inquit) *baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit,* &c. Quid nam his reſpondere potuiſſent Iudæi? Ipſi contra ſe, nulla venia, nulla excuſatione dignam ſententiam tulerunt. Quonam pacto? tantæ authoritatis Ioannem: & tam verum arbitrabantur, vt non ſolùm de aliis teſtimonium, verùm ipſi de ſeipſo omnia crederent. Neque enim niſi ea eſſent ſententia, ipſum interrogatũ miſiſſent, quid de ſe diceret. Noſtis enim, quòd de ſe dicentibus, iis duntaxat maximè fidem

 adhibemus,

adhibemus, quos veriſſimos arbitramur. Neque hoc tantum eorum os obſtruit,ſed animum quoque, quo ad eum locuti ſunt. Promptiſſimo nanque animo ad eum venerunt, licet poſtmodum mutati ſint.Quæ ambo Chriſtus his verbis ſignificauit;Ille erat lucerna ardens,& lucens, vos autem voluiſtis exultare ad horam in eius luce. Et reſponſum eius probauit,inquiens;Qui non quærit gloriam ſuam,verax eſt,& iniuſtitia ſua non eſt in eo. Ioannes autem non ſibi gloriam quæſiuit, ſed ad alium eos dimiſit.Et qui miſſi erant, ſummæ erant apud Iudæos authoritatis, & primum locum obtinebant. Itaque nulla ex parte confugium,aut excuſationem habebant,ſi Chriſto non crederent.Sed qua gratia Ioanni de Chriſto fidem non adhibuiſtis? Vos ex primoribus miſiſtis, vos de his interrogaſtis, vos Baptiſtæ reſponſum audiſtis:omnia conati,omnia ſcrutati ſunt: & ſuſpiciones veſtras omnes in medium protulerunt, & tamen ingenuè cõfeſſus eſt,non eſſe neque Chriſtum, neque Heliam, neque prophetam: neque hoc contentus,quis eſſet oſtẽdit,& de baptiſmate ſuo verba fecit, quod paruum eſt,& vile, & præter aquam nil amplius haberet,oſtendit:præterea excellentiam baptiſmatis à Chriſto traditi. Adduxit Eſaiæ prophetæ teſtimonium, qui diu ante & ipſum dominum, & hunc eius miniſtrum appellauit. Quid iam dubij relinquebatur, quin Deum adorarent,& confiterentur,cùm,omni adulatione amota, verum eſſet teſtimonium? Neque enim aliud teſtantis mores, & ſapientia pollicebatur. Ad hæc vel inde perſpicuum erat, quod nemo proximum ſibi præfert, neque quem ſibi honorem arrogare poteſt, in alium facilè confert. Itaque Ioannes,niſi Chriſtus Deus fuiſſet,in tantum non deſcendiſſet teſtimonium. Nam, ſi id nomen tanquam conditione ſua maius abieciſſet, non ſanè alij, & ſanè inferiori tribuiſſet. *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Dicens nanque erat, vt in populo tanquam vnus ex multitudine verſaretur,qui vbique humilitatem, & manſuetudinem doceret.Neſcitis autem quis, & vnde ſit. Illam autem particulam?*Qui poſt me venit*, frequenter meminit, tantum dicens. Nolite putare rem totam in meo, eſſe baptiſmate, non ſanè, ſi iſtud perfectum fuiſſet. Alius poſt me venit alterum allaturus. Hoc tamen illius præparatio quædam eſt,& præceſſio. Res noſtræ vmbræ ſunt, & imago,alium venire oportet qui veritatem afferat. Quamobrem illud, *Poſt me venit*, eius maximè oſtendit dignitatem: nam, ſi id erat perfectum, nullus erat ſecundo locus.*Ante me factus eſt*:hoc eſt honorabilior. Inde ne ex comparatione ſimilitudinem intelligerent, cùm nullam vellet intelligi, ita ſe antè fuiſſe dicit, vt neque inter vltimos miniſtrorum adnumerari ſe dignum profiteatur. Soluere enim calceamẽta, viliſſimi ſerui officium eſt.Quòd ſi Ioannes indignus, qui corrigiam ſolueret,Ioannes, inquam, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit, quo nos loco ponemus? Si is, qui terrarum orbi æquiparatur, immo qui maior eſt.(Non enim inquit,erat his dignus mundus) ne inter vltimos quidem miniſtros connumerari ſe dignum dicit: quid nos innumerorum ſcelerum pleni dicemus, qui tanto Ioanne ſumus inferiores,quanto terra minor eſt cęlo?Hic neque qui ſoluat corrigiam calceamenti,dignum ſe profitetur:inimici autem veritatis in tantam prorumpunt inſaniam,vt,qui Deum cognoſcant, digni ſe arbitrentur. Quid hac amentia ſceleſtius? quid hac ſuperbia inſanius? Bene, inquit Sapiens, Initium ſuperbiæ non cognoſcere dominum. Non eſſet è cælo eiectus,neque in diabolum verſus cecidiſſet angelus, niſi hoc ſe ſcelere coinquinaſſet. Hoc eum præcipitem dedit,hoc in gehennam intruſit, hoc malorum omnium ei cauſa fuit, hoc tantarum virium eſt, vt omnem animi virtutem, eleemoſynam,orationes, ieiunium,cætera animi bona corrũpat. Superbia in hominibus immunda,inquit, eſt apud Deum. Non ergo fornicatio duntaxat, neque adulterium hominem polluit, ſed & ſuperbia,ac etiam illis longè magis.Quamobrem? quoniam fornicatio etſi indigna veniã ſit, poteſt tamen quiſpiam voluptatem in excuſationem adducere: ſuperbia autem ne minimam quidem, propter quam vel vmbram ſaltem veniæ conſequatur:ſed nihil aliud eſt quàm deprauatio animi,& morbus grauiſſimus, non aliunde quàm ex inſania ortum ducens.Nihil enim ſuperbo homine inſanius, quamuis ditiſſimus ſit:quamuis multa hac exteriori ſapientia præditus: quanuis potens, quanuis omnia, quæ homini exoptanda videntur, in illum congerantur. Quippe qui humanis bonis ſuperbit,miſer eſt,& infœlix,& illorum omnium mercedem amittit.Qui eorum gratia, quæ nulla ex parte bona ſunt, propter vmbram,& florem fœni (hæc enim inanis gloria eſt) inflatur. Nónne omnium maximè ridiculus eſt, cùm idem faciat, quod quiuis pauper, & mendicus, & ſemper famelicus, qui, ſi quando lætum ſomnium viderit,eo lætatur? Miſer ſanè, & infœlix,qui, cùm animã tuam grauiſſimo morbo conſumas,& vltima miſeria verſeris,tumeſcis tamen, quòd auri tibi talenta ſint plurima, quòd ſeruorũ multitudo. Verùm hæc nõ tua ſunt. Si non credis, plurimorum habens exemplum. Quòd ſi ita inſanis,vt neque ex maiorum experientia hoc intelligas,parumper expecta,& in teipſo nullam tibi inde vtilitatem cognoſces, cùm exanimis nec hora,nec breui quidem momento, eorum dominus eris, inuitus aliis relinques,& his ſæpenumero, quibus noles. Multis enim nec ſua diſponere permiſſum eſt, migrauerũt repente è vita,&,cùm vellent his frui, non potuerunt. Quod ne nobis accidat,iam ad ſanitatem reuerſi, ea noſipſi ad ciuitatem noſtram trãſmittamus,quibus ſolis fruemur,aliis minimè.Illa in aſylum,& locum tutiſſimum recondemus, vnde nihil ea nobis poterit auferre,non mors,non teſtamenta, non hereditatum ſucceſſiones,non calumniæ,non inſidiæ.Sed qui hinc emigrans ſua præmiſerit, his perpetuò fruetur.Et quiſnam tanta laborat inſania,vt rebus ſuis omni tempore ſe perfruiturũ negligat?Transferamus igitur illuc noſtras diuitias: non nobis aſinis opus eſt, non camelis, nullis iumentis, nullis curribus,nullo alio vehendi inſtrumento, qua nos moleſtia Deus liberos reddidit: tantum pauperibus indigemus,claudis,cæcis,infirmis.Hi res, & pecunias in cælum perferre, & earum dominos ad æternorum bonorum hæreditatem perducere poterunt:quam vtinam omnes cõſequamur, gratia, & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti per quem,& cum quo patri gloria, ſimul, & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM

Infr.5.f. — *Infr.7.c.* — *Eccl.10.b.* — *Ibidem.a.*

Sed tamen præparabat ad baptiſmũ Chriſti. Vides hic differentiam inter baptiſmum Chriſti, & Ioannis quam Nouatores negant.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. II.

Ex Hom. 26. in Io. H*Aec in Bethabara facta ſunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans &c.* Magnum bonum fiducia eſt, & loquendi libertas, omniáque Chriſti cõfeſſioni poſtponere, tam magnum, inquam, & admirabile, vt filius Dei vnigenitus idem de patre prædicet, quamuis non æqua ſit viciſſitudo. Tu enim confiteris in terra, ipſe in cælo: tu præſentibus hominibus, ille patre, & angelis omnibus. Talis Ioannes, non multitudine, non gloria, nulla re humana motus, omnia perfundat, liberrimè, vt debet, Chriſti myſteria omnibus annunciat: propterea etiam locum ſignificat euangeliſta, vt magnanimi præconis fiduciam oſtẽderet. Non enim domi, neque in angulo aliquo ſe abdidit, ſed apud Iordanem, in media omnium, qui ad ſe baptizatum venerant, multitudine id palàm profitebatur. venerant enim Iudæi dum baptizaret, tunc ſupremum illud arcanum, & inenarrabilis doctrinæ plenum de Chriſto prædicauit, quódque non eſſet dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti. Propterea inquit; *Hæc in Bethania facta ſunt.* Quædam autem exemplaria veriora videntur, in quibus Bethabara ſcriptum eſt. Bethania enim non trans Iordanem, neque in deſerto erat, ſed non longè ab Hieroſolymis, Locorum autem alia etiam ratione meminit. Nam, cùm non antiqua, ſed quæ paulò antè cõtingerunt, eſſet narraturus, qui aderant, & viderant, eos teſtes adducit, ex quibus rem certam innuit. Confidens enim nihil ſe veritati addidiſſe, ſed vt res ſe habuerat, purè, & ſimpliciter enarraſſe, à loco teſtimonium accepit, non paruum, vt dixit, futurum veritatis indicium.

S. AVGVSTINI EPIſcopi Hipponenſis in ſuperius Euang. Homil.

Ex Tract. 4. in Ioan. E*T hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi &c.* Sæpiſſime audiuit ſanctitas veſtra, & optime noſtis, quoniam Ioannes Baptiſta quanto præclarior erat in natis mulierum, & quanto humilior ad cognoſcendum Deum, tanto meruit eſſe amicus ſponſi, zelans non ſibi, non ſuum honorem quærens, ſed iudicis ſui, quem tanquam præco præibat. Itaque Prophetis præcedentibus prænunciare de Chriſto futura conceſſum eſt: huic autem digito oſtendere. Sicut enim ignorabatur Chriſtus ab his, qui Prophetis non crediderant, antequam veniret, ſic ab eis ignorabatur & præſens. Venerat enim humiliter primo, & occultus, tanto occultior, quanto humilior. Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei, crucifixerunt ſaluatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum. Sed qui primo venit occultus, quia venit humilis, nunquid deinceps non eſt venturus manifeſtus, quia excelſus? Audi-
Pſal. 49. ſtis modo pſalmũ, Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Siluit vt iudicaretur, non ſilebit eum cœperit iudicare. Non diceretur, manifeſtus veniet, niſi primo veniſſet occultus: nec diceretur, non ſilebit, niſi quia primo ſiluit. Quo-
Eſa. 53. modo ergo ſiluit? Interroga Eſaiam; Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram eo, qui ſe tondet, fuit ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Veniet autem manifeſtus, & non ſilebit. *Pſal. 49.* Quo modo manifeſtus? Ignis ante eum præibit, & in circuitu eius tẽpeſtas valida. Tempeſtas valida tollere habet totam paleam de area, quæ modo trituratur: & ignis incendere, quod tempeſtas abſtulerit. Modo autẽ tacet, tacet iudicio, ſed non tacet præcepto. Si enim tacet Chriſtus, quid ſibi volunt hæc Euangelia? quid ſibi volunt voces Apoſtolicæ? quid cantica Pſalmorum? quid eloquia Prophetarum? In his enim omnibus Chriſtus non tacet. Sed tacet modo, ne vindicet, non tacet, vt moneat. Veniet autem præclarus in vindicta, & apparebit omnibus, & qui in eũ non credunt. Modo vero quia & præſens occultus erat: oportebat enim vt contemneretur, niſi enim cõtemneretur, non crucifigeretur. Si nõ crucifigeretur, non funderet ſanguinẽ, quo precio nos redemit. Vt autem daret precium, pro nobis crucifixus eſt, vt crucifigeretur contemptus eſt, vt cõtemneretur humilis apparuit. Tamen quia quaſi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernã ſibi accendit, vnde videretur. Ipſa lucerna Ioannes erat, de quo iam multa audiſtis, & præſens lectio Euangelij verba Ioannis continet. Primo quod principium eſt confitentis, quia non ipſe erat Chriſtus. Tanta autem excellentia erat in Ioanne, vt poſſet credi Chriſtus eſſe: & in eo probata eſt humilitas eius, quia dixit non ſe Chriſtum eſſe, cum poſſet credi eſſe. *Ergo hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes &c.* Non autem mitterent, niſi mouerentur excellẽtia authoritatis eius, quia auſus eſt baptizare. *Et confeſſus eſt & non negauit.* Quid confeſſus eſt? *Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerũt eum, Quid ergo? Helias es tu?* Nouerãt enim, quia præceſſurus erat Helias Chriſtum. Non enim alicui incognitum erat nomen Chriſti apud Iudæos. Iſtum non eſſe Chriſtum putauerunt, non omnino Chriſtum non eſſe venturum, cum ſperarent venturum. Sic offenderunt in præſentem, offenderunt tanquam in humilem lapidem. Lapis enim ille adhuc paruus erat, iam quidem præciſus de monte ſine manibus: ſicut dicit Daniel propheta, vidiſſe ſe lapidem præci- *Dan. 2.*
ſum de monte ſine manibus. Sed quid ſequitur? Et creuit, inquit, lapis ille, & factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam faciem terræ. Videat ergo charitas veſtra, quod dico, Chriſtus ante Iudæos iam præciſus erat de monte: montem regnum vult intelligi Iudæorum. Sed regnum Iudæorum non impleuerat vniuerſam faciem terræ. Inde præciſus eſt ille lapis, quia inde natus eſt in præſentia dominus. Et quare ſine manibus? Quia ſine opere virili virgo peperit Chriſtum. Iam ergo erat lapis ille præciſus ſine manibus, ante oculos Iudæorum, ſed humilis erat. Non immerito, quia nondum creuerat lapis ille, & impleuerat orbem terrarum, quod oſtendit in regno ſuo, quod eſt Eccleſia, quæ impleuit totam faciem terræ. Quia *Luca 20.*
ergo nondum creuerat, offenderunt in illum tanquam in lapidem, & factum eſt in eis, quod ſcriptum eſt, Qui ceciderit ſuper lapidem, conquaſſabitur, & ſuper quos ceciderit lapis ille, conteret eos. Primo ſuper humilem ceciderunt, excelſus ſuper illos venturus eſt. Sed vt eos venturus excelſus conterat, primo eos humilis quaſſauit. Offenderunt in eum, & quaſſati ſunt: non contriti, ſed quaſſati ſunt, veniet excelſus, & conteret eos.

Sed ignoſcendum eſt Iudæis, quia offenderunt in lapidem; qui nondum creuerat. Quales ſunt illi, qui in ipſum montem offenderunt? Iam de quibus dicam cognoſcitis, qui negant Eccleſiam toto orbe diffuſam, non in humilem lapidem, ſed in ipſum montem offendunt, quod factus eſt ille lapis, dum creſceret. Cæci Iudæi non viderunt humilem lapidem. Quanta cæcitas eſt non videre montem? Ergo viderunt humilem, & non cognouerunt. Demonſtrabatur illis per lucernam: nam primo ille, quo maior nemo ſurrexerat in natis
Matt.11. mulierum, dixit; *Non ſum ego Chriſtus.* Dictúmque illi eſt; *Nunquid tu es Helias? Reſpondit, Non ſum.* Chriſtus enim præmittit ante ſe Heliam, & dixit non ſum, & fecit nobis quæſtionem. Timendum eſt enim, ne minus intelligentes, contraria putent Ioannem dixiſſe quàm Chriſtus dixit. Quodam enim loco, cum dominus Ieſus Chriſtus in Euangelio quædam diceret de ſe: reſponderunt illi diſcipuli; Quo modo enim dicunt ſcribæ, id eſt, pe-
Matt.17. riti legis, quia Heliam oportet primum venire? Et ait dominus, Helias iam venit, & fecerunt ei, quæ voluerunt, & ſi vultis ſcire, ipſe eſt Ioannes Baptiſta. Dominus Ieſus Chriſtus dixit; Helias iam venit, & ipſe eſt Ioannes baptiſta. Ioannes autem interrogatus ſic ſe confeſſus eſt Heliam non eſſe, quo modo nec Chriſtum eſſe: & vtique ſicut verum confeſſus eſt Chriſtum ſe non eſſe: ſic verum confeſſus eſt nec Heliam ſe eſſe. Quo modo ergo comparabimus dicta præconis cum dictis iudicis? Abſit vt præco mẽtiatur: hoc enim loquitur, quod audit à iudice. Quare ergo ille, non ſum Helias: & dominus, ipſe eſt Helias? Quia in eo dominus, Ieſus Chriſtus præfigurare voluit futurum aduentum ſuum, & hoc dicere, quia in ſpiritu Heliæ erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erit Helias ad ſecundum aduentum. Quo modo duo aduentus iudicis, ſic duo præcones. Iudex quidem ipſe, præcones autem duo, non duo iudices. Oportebat autem iudicem primo venire iudicandum: miſit ante ſe primum præconem, vocauit illum Heliam: quia hoc erit in ſecundo aduentu Helias, quod in primo Ioannes. Iámque intendat charitas veſtra quàm verum dicam. Quando conceptus eſt Ioannes, vel potius quando natus eſt, ſpiritus ſanctus hoc de illo ho-
Luce 1. mine impleto prophetauit; Et erit, inquit, præcurſor altiſſimi, in ſpiritu, & virtute Heliæ. Non ergo Helias, ſed in ſpiritu, & virtute Heliæ. Quid eſt in ſpiritu, & virtute Heliæ? In eodem ſpiritu ſancto, vice Heliæ. Quare vice Heliæ? Quia quod Helias ſecundo, hoc Ioannes in primo aduentu fuit. Rectè ergo modo Ioannes proprie reſpondit: nam dominus figurate, Helias ipſe eſt Ioannes. Iſte autem, vt dixi, proprie, non ſum ego Helias. Si figuram præcurſionis aduertas, Ioannes ipſe eſt Helias. Quod enim ille ad primum aduentum, hoc ille ad ſecundum erit. Si proprietatem perſonæ interroges, Ioannes Ioannes, Helias Helias eſt. Dominus ergo ad præfigurationem rectè ipſe eſt Helias: Ioannes autem rectè ad proprietatem, non ſum Helias: nec Ioannes falſum, nec dominus falſum: nec præco falſum, nec iudex falſum, ſed ſi intelligas. Quis autem intelligit, niſi qui imitatus fuerit humilitatem præconis, & cognouerit celſitudinem iudicis? Nihil enim humilius ipſo præcone, fratres mei, nullum tantum meritum Ioannes habuit, quàm de iſta ipſa humilitate, quòd cum poſſet fallere homines, & putari Chriſtus & haberi pro Chriſto: tantæ enim gratiæ, tantæque excellentiæ fuit, confeſſus eſt tamen aperte, & dixit; *Non ſum ego Chriſtus.* Nunquid tu Helias es? Iam ſi diceret, Helias ſum: ergo iam in ſecundo aduentu adueniens dominus iudicaret, non adhuc in primo iudicaretur, tãquã dicens; Venturus eſt adhuc & Helias, *Non ſum*, inquit, *Helias*: ſed obſeruate humilem, ante quem venit Ioannes, ne ſentiatis excelſum, ante quem venturus eſt Helias. Nam & dominus ita compleuit, ipſe eſt Ioannes Baptiſta qui venturus eſt Helias. Ipſa præfiguratione venit iſte, qua proprietate venturus eſt Helias. Tunc Helias per proprietatem Helias erat, nunc per ſimilitudinem Ioannes Helias erit. Modo Ioannes per proprietatem Ioannes eſt, tunc per ſimilitudinem Helias Ioannes erit. Ambo præcones ſibi dederunt ſimilitudines ſuas, & tenuerunt proprietates ſuas: vnus autem dominus iudex, ſiue illo præcone præcedente, ſiue illo. *Ait, Ego vox clamantis in deſerto.* Eſaias illud dixit, In Ioanne prophetia iſta Eſaiæ impleta eſt; *Ego vox clamantis in* Eſa.40.
deſerto. Quid clamanos? *Dirigite viam domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Non vobis videtur præconis eſſe, dicere, exite, facite viam? Niſi quòd præco exite dicit: Ioannes dicit, venite. A iudice repellit præco, ad iudicem vocat Ioannes. Immo vocat Ioannes ad humilem, ne iudex ſentiatur excelſus. *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini, ſicut dicit Eſaias propheta.* Non dixit, ego ſum Ioannes, ego ſum Helias, ego ſum Propheta. Sed quid dixit? Hoc vocor, *Vox clamantis in deſerto, dirigite viam domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri*: ego ſum ipſa prophetia. *Et qui miſſi fuerant, erant ex phariſæis.* Id eſt, ex principibus Iudæorum. *Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei, Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque propheta?* Quaſi audaciæ videbatur eſſe baptizare: quaſi in qua perſona quærimus, vtrum tu ſis Chriſtus, tu dicis te non eſſe. Quærimus ne forte præcurſor illius ſis? quia nouimus ante Chriſti aduentum venturum eſſe Heliam: negas te eſſe Heliam. Quærimus ne forte aliquis multum præueniens præco es, id eſt Propheta, & accepiſti hanc poteſtatem? nec Prophetam te eſſe dicis. Et non erat Propheta Ioannes, maior erat quàm propheta, quia dominus de illo tale teſti-
monium dedit; Quid exiſtis in deſertum videre, Matt.11.
arundinem vento agitari? Vtique non vento agitari ſubaudi, quia non hoc erat Ioannes, qui quaſi à vento moueretur. Qui enim à vento mouetur circunflatur omni ſpiritu ſeductorio. Sed quid exiſtis videre, hominem mollibus veſtitum? Veſtiebatur enim Ioannes aſperis, id eſt, tunica facta de pilis cameli. Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: non ergo exiſtis videre hominem mollibus veſtitum. Sed quid exiſtis videre, Prophetam? Ita dico vobis, maior quàm Propheta hic: quia Prophetæ longe ante prænunciauerunt, Ioannes præſentem demonſtrabat. *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.* Humilis enim non videbatur, & propterea lucerna accenſa eſt. Videte quo modo det locum, qui aliud poſſet putari. *Ipſe eſt, qui poſt me venit, qui ante me factus eſt.* Sicut iam diximus, id eſt, antepoſitus eſt mihi, *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam*
corrigiam calciamenti eius. Quantum ſe abiecit, & Luce 14.
ideo multum eleuatus eſt, quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur. Vnde debet videre ſanctitas veſtra, quia

ſtra, quia ſi Ioannes ſic ſe humiliauit, vt diceret, *non ſum ego dignus corrigiam ſoluere*: quo modo habent humiliari, qui dicunt, nos baptizamus, nos quod damus noſtrum eſt, & quod noſtrum eſt, ſanctum eſt? Ille dicit, non ego ſed ille: illi dicunt, nos. Non eſt dignus Ioannes ſoluere corrigiam calciamenti eius: quod ſi dignum ſe diceret, quàm humilis eſſet? Et ſi dignum ſe diceret, & ſic diceret; Ille venit poſt me qui ante me factus eſt, cuius tantummodo corrigiam calciamenti dignus ſum ſoluere, multum ſe humiliaſſet. Quando autem nec ad hoc dignum ſe dicit, vere plenus ſpiritu ſancto erat, qui ſic ſeruus dominum agnouit, & ex ſeruo amicus fieri meruit.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexandr. in idem Euangel.

EXpreſſius modo Euangeliſta, quaſi res agatur, modum teſtimonij Ioannis ponit, quod interrogatus dixit. Cum enim inquit Iudæorũ ſecundum legem præfecti Leuitas, & ſacerdotes interrogatum miſerunt: quem ſe ipſe diceret, tunc palam veritatem confeſſus eſt, dicens, quia ego non ſum Chriſtus, quare nec ego inquit: cum de ipſo ſcripſerim, non fuiſſe illum lucem, ſed vt teſtimonium de luce perhiberet, mentitus ſum. *Et interrogauerunt eum: quid ergo &c.* Minutim ſingula narrat Euangeliſta: vt & confeſſionis modus præ oculis ponatur, & imperitia Iudæorum denudetur, qui ſapientes ſe eſſe dicentes, infatuati ſunt, legis enim exquiſitam cognitionem oſtentantes, & prophetarum ſenſum tenere credentes, his interrogationibus imperitiam ſuam detegunt. *Deut.18.* Moſes namque ille quaſi prophetam dominum ſignificans venturum, Iudæis prędicebat, quia prophetam vobis de medio fratrum veſtrorum ſimilem mei dominus *Eſa.40.* Deus ſuſcitabit, ipſum audietis. Eſaias autem præcurſorem nobis ſignificans: vox inquit clamantis in deſerto, parate viam domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Tertius accedit Malachia, qui de *Malach.4.* Theſbite ait, quod conuertet cor patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum: ne forte veniam, & percutiam terram. Cum igitur tres ſint, qui expectabantur, plures illi venturos putantes, vere audient, erratis neſcientes ſcripturas. *Matth.22.* Cum enim an Chriſtus eſſet quæſiuiſſent, reſponſumque ſibi eſſet, quia ipſe nõ erat Chriſtus, quid ergo inquiunt; *Helias es tu?* Illo autem negante: reliquum iam erat, vt de præcurſore quærerent. Sed imperite ad ipſum Chriſtum rurſus deuoluti, male Moſem intelligentes, interrogant, *propheta es tu?* quod propter præiacentem articulum, ad vnicum prophetam, & prophetarum omnium dominum pertinet: quem ſe non eſſe, Baptiſta iterum affirmauit. Dixerunt ergo ei, *qui es? vt reſponſum demus ijs, qui miſerunt nos. quid dicis de teipſo? ait; Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias* *Eſa.40.* *propheta.* tanquam ignaros ſcripturarum acriter arguit, authoritate prophetica miniſterium ſibi commiſſum exponens, venio enim, inquit, dicturus, in ianuis ipſum iam eſſe, qui expectatur: vt parati ſitis proficiſci, quocunque iubebit, ambulaſtis hactenus in via Moſi: modo viam Chriſti ſuſcipite, quam prophetę omnes vobis prędixerunt, *Eſa.2.* *Eſa.35.* *Eſa.46.* Eſaias enim hortatur vos, dicens; venite, aſcendamus in montem domini, & in domum Dei Iacob: & annunciabit nobis viam ſuam, & ambulabimus in ipſa, & rurſus. Erit ibi via munda, & via ſancta vocabitur: non erit ibi leo, nec praua illuc aſcendet beſtia, & qui diſſipati ſunt, ambulabunt in ea. Et rurſus; principium dabo Sion, & hortabor Hieruſalẽ ad viam. Hieremias quoque ſimi- *Hier.6.* liter, ſtate, inquit, in via, & quærite ſemitas domini ſempiternas, & videte, quæ ſit via bona, & ambulate in ipſa, & inuenietis purificationem animarum veſtrarum. Quænam igitur eſt via bona, *Ioan 14.* quæ ambulantes in ipſa purificat: ipſe Chriſtus clamat, ego ſum via, *Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis &c.* Vide quanta in Baptiſtam vtũtur temeritate, cur enim (aiunt) *Baptizas, ſi non es Chriſtus, nec Helias, nec propheta ille?* nõ enim putant dignum in eorum numero ipſum haberi, qui expectabatur, ſed ex inſita eis arrogantia quamuis audierunt, ego vox clamantis in deſerto; parate viam domini, parum tamen attendentes & Baptiſtæ dignitatem negligentes, aperte increpant dicentes, *quid ergo baptizas?* Cur tãtam rem, cum dignus non ſis, aggredi auſus es? Conſueuerant enim ſemper ex proteruitate Phariſæi præſentes nimium contemnere, & venturum ſimulato afficere honore, & vt ipſi, magni apud Iudæos eſſent, & diuitias ingentes ſibi accumularent, neminem præter ſe honorari patiebantur. Propterea ipſum quoque inter- *Matth.22.* fecerunt hæredem, dicentes, venite occidamus eum, & retinebimus hæreditatem eius. *Reſpondit eis Ioannes dicens. Ego baptizo in aqua &c.* Nullas contumeliæ vices beatus baptiſta reddidit: ſed benigne valde propter ſalutem eorum reſpondit, ac inuitos docet, in ianuis iam, imo vero etiam intra ianuas eſſe Chriſtum. Ego enim, inquit, præparando, aqua inquinatos peccatis lauo ad initium pœnitentiæ: & hoc pacto ab his minoribus ad ſubliniora vos pręparo. Ad hoc enim miſſus ſum: & hoc tam re baptizans, quam verbis, facio, prædicans præparare viam domini. *Ergo baptiſmus Ioannis non re præſtabat remiſſionem peccatorum.* Maiorum autem rerum, & ſummæ perfectionis largitor, *medius veſtrum ſtetit*, quem adhuc, quia carne indutus eſt, non cognouiſtis, qui tantum me ſuperat, vt dignus ipſe non ſim quaſi ſeruus ad filium domini comparari. hoc enim, vt arbitror, ſignificat, non eſſe dignum, qui corrigiam calciamenti eius ſoluat. ita & veritatem dicit: & exemplo ſui Phariſæos ab arrogantia in humilitatem traducere conatur. *Hæc in Bethania facta ſunt &c.* Diligentiæ ſuæ, magnitudiniſque rerum hoc ſignum eſt. Solent enim certe homines loca etiam ſingula, vbi res magnæ geſtæ, aut expoſitę ſunt, memoria diligentius commendare.

S. GREGORII PAPAE
in idem Euang. Homil.

EX huius nobis lectionis verbis, fratres chariſſimi, Ioannis humilitas commendatur. Qui cùm tantę virtutis eſſet, vt Chriſtus credi potuiſſet, elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe, ne humana opinione raperetur inaniter ſuper ſe. *Nam confeſſus eſt, & non negauit. Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Sed qui dixit, *non ſum*, negauit planè quod non erat, ſed non negauit, quod erat: vt veritatem loquens, eius membrũ fieret, cuius ſibi nomẽ fallaciter non vſurparet. Cùm enim non vult appetere nomẽ Chriſti, factus eſt membrũ Chriſti: quia, dũ

infirmitatem ſuam ſtuduit humiliter agnoſcere, illius celſitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cùm ex lectione alia, redemptoris noſtri ſententia ad mentem reducitur, ex huius nobis lectionis verbis quæſtio valdè implexa generatur. Alio quippe in loco inquiſitus à diſcipulis Dominus Matth. 11. de aduentu Eliç, reſpondit; Elias iam venit, & non Matth. 17. cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. & ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. Requiſitus autem Ioannes dicit, *Non ſum Elias.* Quid eſt hoc, fratres chariſſimi, quia quod veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde nanque inter ſe diuerſa ſunt, ipſe eſt, & non ſum. Quomodò ergo propheta veritatis eſt, ſi eiuſdem veritatis ſermonibus concors non eſt? Sed, ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quod inter ſe contrarium ſonat, quomodò contrarium non ſit, Luc. 1. inuenitur. Ad Zachariam nanque de Ioanne angelus dicit; Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ. Qui idcirco venturus in ſpiritu, & virtute Eliæ dicitur: quia ſicut Elias ſecundum Domini aduentum præueniet, ita Ioannes præuenit primum. Sicut ille præcurſor venturus eſt iudicis, ita iſte præcurſor factus eſt redemptoris. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioannes denegat de perſona: quia & iuſtum ſic erat, vt & Dominus diſcipulis ſpiritualem de Ioanne ſententiam diceret, & Ioannes eiſdem turbis carnalibus non de ſuo ſpiritu, ſed de corpore reſponderet. Contrarium ergo veritati videtur eſſe, quod Ioannes ſonuit, ſed tamen à veritatis tramite non receſſit. Qui cùm ſe etiam prophetam negat, quia videlicet nõ ſolùm poterat redemptorem prædicare, ſed etiam demonſtrare: quiſnam ſit continuò exprimit, cùm ſubiungit; *Ego vox clamantis in deſerto.* Scitis, fratres chariſſimi, quia vnigenitus filius verbum patris vocatur, Ioanne atteſtante, qui ait; Ioan. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et ex ipſa veſtra locutione cognoſcitis, quia priùs vox ſonat, vt verbum poſtmodùm poſſit audiri. Ioannes ergo vocem eſſe ſe aſſerit, quia verbum præ- Ioan. vox. cedit. Aduentum itaque Dominicum præcurrens vox dicitur, quia per eius miniſterium patris verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deſerto clamat, quia derelictæ, ac deſtitutæ Iudææ ſolatium ſui redemptoris annunciat. Quid autem clamet inſinuat cùm ſubiungit; *Dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias propheta.* Via domini ad cor dirigitur, cùm veritatis ſermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum vita Ioan. 14. præparatur. Vnde ſcriptum eſt, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quiſquis ergo in ſuperbia mentem eleuat, quiſquis auaritiæ æſtibus anhelat, quiſquis ſe luxuriæ inquinationibus polluit, cordis oſtium contra veritatem claudit, & ne ad ſe dominus veniat, clauſtra animi ſeris vitiorum damnat. Sed ad hunc qui miſſi ſunt, percontantur, *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Quod quia non ſtudio cognoſcendæ veritatis, ſed malitia exercendæ æmulationis dicitur, Euangeliſta tacitè innotuit, qui ſubiunxit, dicens; *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.* Ac ſi apertè dicat; Illi Ioannem de ſuis actibus requirunt, qui doctrinam neſciunt quærere, ſed inuidere. Sed ſanctus quiſque etiam cùm à peruerſa mente requiritur, de bonitatis ſuæ ſtudio non mutatur. Vnde Ioannes quoque ad verba inuidiç, prædicamenta reſpondit vitæ. Nam protinus adiungit; *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtat, quem vos neſcitis.* Ioannes non ſpiritu, ſed aqua baptizat, quia peccata ſoluere non valens, baptizatorum corpora per aquam lauat, ſed tamen mentem per veniam non lauat. Cur ergo baptizat, qui per baptiſmum peccata non relaxat, niſi vt præcurſionis ſuæ ordinem ſeruans, qui naſciturum naſcendo præuenerat, baptizaturum quoque dominum baptizando præueniret: & qui prædicando factus eſt præcurſor Chriſti baptizando etiam præcurſor eius fieret imitatione ſacramenti? Qui inter hæc myſterium noſtri redemptoris annuncians, hunc in medio hominum & ſtetiſſe aſſerit, & neſciri: quia per carnem Dominus apparens, & viſibilis extitit corpore, & inuiſibilis maieſtate. De quo etiam ſubdit; *Qui poſt me venit, ante me factus eſt:* Sic nanque dicitur; *Ante me factus eſt,* ac ſi dicatur; Ante me poſitus. Poſt me ergo venit, quia poſtmodum natus: ante me autem factus eſt, quia mihi prælatus. Sed hæc paulò ſuperiùs dicens, etiam prælationis eius cauſas aperuit, cùm ſubiungit; *Quia prior me erat.* Ac ſi apertè dicat; Inde etiam poſt me natus, me ſuperat, quo eum natiuitatis ſuç tempora non anguſtant. Nam qui per matrem in tempore naſcitur, ſine matre ante tempora ex patre generatur. Cui quantæ reuerentiæ humilitatem debeat, ſubdendo manifeſtat; *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Mos apud veteres fuit, vt, ſi quis eam, quæ ſibi competeret, accipere vxorem nollet, ille ei calceamentum ſolueret, qui ad hanc ſponſus propinquitatis iure veniret. Quid igitur inter homines Chriſtus, niſi ſanctæ Eccleſiæ ſponſus apparuit? De quo & iſte Ioannes di- Ioan. 1. cit; Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Sed, quia Ioannem homines Chriſtũ eſſe putauerunt, quod idem Ioannes negat, rectè ſe indignum ad ſoluendum eſſe corrigiam calceamenti eius denunciat: ac ſi apertè dicat; Ego redemptoris veſtigia denudare non valeo, quia ſponſi nomen mihi immeritus non vſurpo. Quod tamen intelligi & aliter poteſt. Quis enim neſciat, quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus verò dominus veniens, quaſi calceatus apparuit, qui in diuinitate ſua morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit. Vnde etiam per prophetã dicit; In Idumæam extendam calceamentum meum. Per Idumæam quippe gentilitas, per calceamentũ verò aſſumpta mortalitas deſignatur. In Idumæam ergo Domi- Pſal. 59. nus calceamentum ſuum ſe extẽdere aſſerit: quia, dum per carnem gentibus innotuit, quaſi calceata ad nos diuinitas venit. Sed huius incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit. Inueſtigari etenim nullatenùs poteſt, quomodò incarnatur verbum, quomodo ſummus, & viuificator ſpiritus intra vterum matris animatur, quomodò is, qui initium non habet, & exiſtit, & concipitur. Corrigia ergo calceamenti, eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque ſoluere corrigiam calceamenti eius non valet: quia incarnationis eius myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit, qui hoc per prophetiæ ſpiritum agnouit. Quid eſt ergo dicere; *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius,* niſi apertè, & humiliter ſuam ignorantiam profiteri? Ac ſi apertè dicat; Quid mirum, ſi mihi ille prælatus

prælatus eſt,quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis eius myſterium non apprehendo?Ecce Ioannes Prophetiæ ſpiritu impletus, mira ſcientia emicat,& tamen illud de ſe inſinuat, quod ignorat.Qua in re penſandum eſt nobis,fratres chariſſimi, & tota intentione cogitandum, quomodò ſancti viri,vt humilitatis in ſe virtutem cuſtodiant,cùm quædam mirabiliter ſciunt, illud ante mentis oculos ſtudent reuocare, quod neſciunt: vt dum ex parte alia infirmitatem ſuam conſiderant, ex ea parte qua perfectus eſt, eorum ſe animus non extollat.Scientia etenim virtus eſt, humilitas etiam cuſtos virtutis. Reſtat ergo vt in omni,quod ſcit,ſeſe mens deprimat, ne quod virtus ſcientiæ, congregat, ventus elationis tollat. Cùm bona fratres, agitis, ſemper ad memoriam mala acta reuocate: vt dum cautè culpa conſpicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur.Superiores inuicem in via Dei,eos maximè, qui vobis commiſſi non ſunt, proximos veſtros attendite: quia & quos aliqua agere praua conſpicitis,quæ in eis lateant bona, neſcitis. Magnus ergo eſſe vnuſquiſque ſtudeat, ſed tamen aliquo modo eſſe ſe neſciat: ne,dum ſibi magnitudinem
Iſa.5. arroganter tribuit,amittat intùs,quod erat. Hinc etenim per prophetam dicitur, Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis pru-
Rom.12. dentes. Hinc Paulus dicit; Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Hinc contra ſuperbientem Saul dicitur; Cùm eſſes paruulus in oculis tuis,
1.Reg.3.15. caput in tribubus Iſrael factus es. Ac ſi apertè diceretur; Cùm tu te paruulum conſpiceres, ego te præ cæteris magnum feci: quia verò tu te ma-
2.Reg.6. gnum conſpicis,à me paruus æſtimaris.Quo contrà cùm Dauid regni ſui potẽtiam coram arca domini ſaltando deſpiceret,dixit; Ludam, & vilior fiam plùs quàm factus ſum,& ero humilis in oculis meis. Quem enim non extolleret, ora leonum frãgere, vrſorum brachia diſſipare,deſpectis prioribus fratribus, eligi, reprobato rege ad regni gubernacula vngi: timendum cunctis vno lapide Goliam ſternere, à rege propoſita, extinctis allophylis,numeroſa præputia reportare, regnum ex promiſſione percipere, cunctúmque Iſraëliticum populum ſine vlla poſtmodum contradictione poſſidere? & tamen in cunctis ſe deſpicit, qui in ſuis oculis ſe eſſe humilem confitetur. Si igitur etiam ſancti cùm fortia agunt, de ſemetipſis vilia ſentiunt,quid in ſua excuſatione dicturi ſunt, qui ſine opere virtutis intumeſcunt? Sed etſi quælibet bona adſint opera, nulla ſunt, niſi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat,ſed grauat. Qui enim ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in vento puluerem portat: & vnde aliquid ferre cernitur, inde deteriùs cæcatur. In cunctis, ergo quæ facitis,fratres mei, radicem boni operis humilitatem tenete:nec quibus iam ſuperiores, ſed quibus adhuc inferiores eſtis,aſpicite:vt,dum vobis meliora exempla proponitis, ad maiora ſemper aſcendere ex humilitate valeatis.

BEDAE VENERABILIS *presbyt.in idem Euang.*

Ex commẽtar. in Ioan. HOc eſt teſtimonium Ioannis &c. Ex his verbis Ioannis humilitas commendatur, qui cum tantæ virtutis eſſet, vt CHRISTVS credi potuiſſet, elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe, ne humana opinione raperetur inaniter ſupra ſe. *Nam confeſſus eſt,&c.*Sed quia dixit,*non ſum*:negauit plane quod non erat, ſed non negauit quod erat:vt veritatem loquens,eius membrum fieret, cuius nomen ſibi fallaciter non vſurparet. Cum ergo non vult appetere nomen CHRISTI, factus eſt membrum CHRISTI: quia, dum infirmitatem ſtuduit humiliter agnoſcere, illius celſitudinem meruit veraciter obtinere.Quiſnam ſit,continuo exprimit, dum ſubiungit, *Ego vox clamantis in deſerto.* Scitis quia vnigenitus filius verbũ patris vocatur, Ioanne atteſtante,qui ait;In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ex ipſa veſtra locutione cognoſcitis, quia prius vox ſonat, vt verbum poſtmodum poſſit audiri. Ioannes ergo vocem ſe eſſe aſſerit,quia verbum præcedit. Aduentum itaque dominicum præcurrens,vox dicitur, quia per eius miniſterium patris verbum ab omnibus auditur.Qui etiam in deſerto clamat,quia derelictæ ac deſtitutæ Iudææ ſolatium redemptoris annũciat. Quid autem clamet, inſinuat cum ſubiungit; *Dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias Propheta.* Via domini ad cor dirigitur, cum ad præceptũ vita præparatur.Vnde ſcriptum eſt.Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.Quiſquis ergo in ſuperbia mentem eleuat,quiſquis auaritiæ æſtibus anhelat, quiſquis ſe luxuriæ inquinationibus polluit,cordis oſtium contra veritatem claudit:ne ad ſe dominus veniat, clauſtra animi feris vitiorum damnat.Sed adhuc qui miſſi ſunt,percontantur,*Quid ergo baptizas, ſi tu non es Helias, &c.* Quod quia non ſtudio cognoſcendæ veritatis, ſed malitia exercendæ æmulationis dicitur, Euangeliſta tacitè innotuit, quum ſubiũxit dicens, *Et qui miſſi fuerãt,erant ex Phariſæis.*ac ſi aperte dicat;Illi Ioannem de ſuis actibus requirunt, qui doctrinam neſciunt quærere,ſed inuidere.Sed ſanctus quiſque, etiam cum peruerſa mente requiritur, à bonitatis ſuæ ſtudio non mutatur. Vnde Ioannes quoque ad verba inuidiæ, prædicamenta reſpondit vitæ. Nam protinus adiungit; *Ego baptizo in aqua: &c.* Ioannes non ſpiritu,ſed aqua, baptizatorum corpora lauat,ſed tamen per veniam non lauat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptiſma non relaxat? niſi vt præcurſionis ſuæ ordinem ſeruans, quia naſciturum naſcendo præuenerat, baptizaturum quoque dominum baptizando præueniret:& qui prædicando factus eſt præcurſor CHRISTI, baptizando etiam præcurſor eius fieret imitatione ſacramenti. Qui inter hæc myſterium redemptoris noſtri anuncians, hunc in medio hominum & ſtetiſſe aſſerit, & neſciri: quia per carnem dominus apparens, & viſibilis ſtetit corpore, & inuiſibilis maieſtate. De quo etiam ſubdit; *Qui poſt me venit,ante me factus eſt.* Sic nanque dicitur, *ante me factus eſt*,ac ſi dicatur,antepoſitus. Poſt me ergo venit, quia poſtmodum natus: ante autem factus eſt,quia mihi prælatus.Sed hæc paulo ſuperius dicens, etiam prælationis cauſas aperuit,cum ſubiunxit, *Quia prior me erat.*Ac ſi aperte dicat;Inde me etiam poſt natus ſuperat, quo eum natiuitatis ſuæ tempora non anguſtant. Nam qui per matrem in tempore naſcitur, ſine tempore eſt à patre genitus. Cui quantæ reuerentiæ humilitatem de

tem debeat, ſubdendo manifeſtat. *Cum non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Mos apud veteres fuit, vt, ſiquis eam, quæ ſibi competeret, accipere vxorem nollet, ille ei calceamentum ſolueret, qui ad hanc ſponſus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines CHRISTVS, niſi ſanctæ Eccleſiæ ſponſus apparuit? De quo & ipſe Ioannes dicit, Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Sed, quia Ioannem homines CHRISTVM eſſe putauerunt, quod idem Ioannes negat, rectè ſe indignum eſſe ad ſoluendum corrigiam eius calceamenti denunciat, ac ſi aperte dicat, Ego redemptoris veſtigia denudare non valeo, quia ſponſi nomen mihi in meritis non vſurpo. Quod tamen intelligi & aliter poteſt. Quis enim neſciat, quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiant? Incarnatus vero dominus veniens quaſi calceatus apparuit, qui in diuinitate ſua morticina corruptionis noſtræ aſſumpſit. Sed huius incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit. Inueſtigari enim nullatenus poteſt, quomodo incorporatur verbum, quomodo viuificatur, ſpiritu intra vterum matris animatur: quomodo is, qui initium non habet, & exiſtit, & concipitur. Corrigia ergo calceamenti, eſt ligatura myſterij. Ioannes itaque ſoluere corrigiam calceamenti eius nõ valet, quia incarnationis myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit, qui hanc prophetiæ ſpiritu agnouit. Quid eſt ergo dicere; *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius.* niſi aperte, & humiliter ſuam ignorantiam profiteri? Ac ſi aperte dicat; Quid mirum, ſi mihi ille prælatus eſt, quem poſt quidem natum conſidero, ſed natiuitatis eius myſterium non apprehendo? *Hæc in Bethania facta ſunt &c.* Bene præcurſor domini noſtri in Bethania dicitur baptizaſſe. nam Bethania domus obedientiæ interpretatur: vt demonſtraret, per obedientiam fidei omnes ad CHRISTI baptiſma debere peruenire. ſicut enim Magis mandatum eſt per aliam viam reuerti in patriam, ita nobis præceptum eſt, per aliam ad Paradiſi gaudia peruenire. nam noſtri parentes per inobedientiæ culpam inde eiecti ſunt: nos vero per obedientiæ bonum, & per obſeruationem mandatorum Dei ad æternam beatitudinis paradiſum peruenire debemus.

Per obſeruationẽ mandatorũ Dei ad beatitudinẽ peruenimus, non per fidem nudam.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſt. ſuperioris Euang. expoſitio.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, &c. Eo tempore quo beatus Ioannes prædicabat in deſerto pœnitentiam, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, & baptizabat, multi æſtimauerunt eum Chriſtum eſſe: iuxta quod Lucas dicit: *Luc. 3.* factum eſt autem, quum baptizaretur omnis populus à Ioanne, & putaret eum eſſe Chriſtum. Reſpondit ille: Quem me arbitramini eſſe Ieſum Chriſtum, non ſum. Quare putabant eum eſſe Chriſtum? Quia videbant eum frequentiam hominum fugere, & ſolitudinem petere, & regnum Dei prædicare, & baptiſmi gratiam tribuere. Et in tantum præualuit opinio, vt ad pontificum Iudæorum aures qui erant Hieroſolymis xxuij. perueniret. Qui ideo *tranſmiſerunt ad eum* ſuos ſubiectos *Sacerdotes & Leuitas*, id eſt, diaconos, *vt interrogarent eum, quis eſſet.* Non recta intentione miſerunt ad eum illi principes Iudæorum, quia dolebant ſe à populo deſeri & dominum Ieſum ſectari. Quis igitur es tu qui tale miniſterium præſumis, videlicet qui vitam æternam prædicas, pœnitentiam annuncias, baptiſmum populo præbes, quod nemo ante te fecit? *Et confeſſus eſt.* Confiteri eſt loqui. Quid eſt confeſſus? *Confeſſus eſt, & dixit: Quia non eſſet Chriſtus.* Non negauit tamen ſe eius eſſe diſcipulum, & præconem. Certè non ſum Chriſtus, ſed ſeruus Chriſti ſum. His verbis B. Ioannis humilitas demonſtratur. Si enim ſuperbus eſſet, diceret, Certè ego ſum Chriſtus. Sed quia humilis erat, humilitatem quam habuit in corde, oſtendit, dicens: *Non ſum Chriſtus. Et interrogauerũt eum, Quid ergo? Helias es tu?* Si hic non eſt Chriſtus: nunquid eſt Helias, qui eius aduentum præcurrere debet? Quare putauerunt eum Heliam? Quia legerant in Malachia propheta dominum dicentem, Ecce ego *Malac. 3.*
mittam vobis Heliam Theſbitem, antè quàm veniat dies domini magnus, & horribilis, qui conuertat corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Et dixit: Non ſum Helias.* Oritur quæſtio. Dominus interrogatus à diſcipulis ſuis de aduentu Heliæ, Reſpondit, Helias venit iam, & *Mat. 17.*
non receperunt eum, ſed fecerunt in eum, quæcunque voluerunt. *Mar. 9.* Et, ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Helias. Ioannes verò requiſitus, vtrum eſſet Helias, reſpondet: *Non ſum Helias.* Nunquid contraria ſunt verba Ioannis, quid dicit, *Non ſum Helias*, & domini qui dicit, ipſe eſt? Vterque verum dicit: Et dominus, quia veritas eſt, & Ioannes ſi rei veritatem attendamus. Ioannes in ſua perſona, Ioãnes eſt, & Helias in ſua perſona, Helias eſt, quia duo homines fuerunt. Sed dominus propter meritum ſanctitatis dicit Ioannem Heliam eſſe. Videamus quomodo. fuit Helias virgo, & Ioannes virgo fuit. Fuit Helias ſanctus, & Ioannes ſanctus. Sicut Helias in deſerto eremiticam vitam duxit, ita & Ioannes. Sicut Helias præueniet aduentum iudicis. Sic & Ioannes præuenit aduentũ redemptoris. Sicut Helias inſidias Acab, & vxoris eius nequiſſimę pertulit, ſic & Ioannes perſecutionem Herodis, & Herodiadis ſuſtinuit. Quòd ergo dominus dixit de vitæ merito, quòd Ioannes idem eſſet, quòd Helias, hoc B. Ioannes dixit de proprietate ſuæ perſonę, videlicet quòd non eſſet Helias in perſona Et reuera ſicut erat dignum, vt loquens dominus ſpiritualibus diſcipulis, ſpiritualem de Ioanne ſententiam diceret. Et idem Ioannes in medio turbarum carnalium poſitus, loquens turbis carnalibus, non de ſpiritu Heliæ, qui in ipſo erat, ſed de carne reſpõderet. *Propheta es tu? Et dixit, Non.* Quare ſe negauit eſſe prophetã? Quia maiorem prophetis ſe eſſe ſciebat. Prophetæ miniſterium eſt, ventura prædicere, & non demonſtrare. Omnes enim prophetæ, qui fuerunt ab initio mundi vſque ad aduentum filij Dei, licet prædixiſſent aduentum Chriſti, non tamen demonſtrauerunt. Beatus verò Ioannes propheta, imo *Actu. 10.*
plus quam propheta extitit, quia quem omnes prophetæ prædixerunt venturum & non demonſtrauerunt, ipſe non ſolum prophetauit veniſſe, ſed etiam digito demonſtrauit, dicens, Ecce agnus Dei, &c. hic eſt filius Dei, &c. *Ait, ego vox clamantis in deſerto, parate viã domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Legiſtis Eſaiam prophetã? Certè ego ſum ille, de quo Eſa. propheta prædixit, dicẽs: Vox claman- *Eſa. 40.*

ris in

us in deſerto. Quare appellatur Ioannes *vox*? quia verbum præcedit. Sicut enim in locutione humana vox præcedit verbum, ſic beatus Ioannes præceſſit Chriſtum naſcendo, prædicando, baptizando, moriendo, & ad inferni clauſtra deſcendendo. Et cuius vox? *Clamantis*. Cuius clamantis? Chriſti. Quia Chriſtus loquebatur per os Ioannis, iuxta quod Lucas dicit: Factum eſt verbũ domini ſuper Ioãnem filium Zachariæ. Verbum Dei patris filius eſt. *In deſerto*. Quantum ad literã eſt, in deſerto habitabat Beatus Ioannes vbi cõfluebat ad eum populus, & prædicabat, & baptizabat. Quãtum verò ad altiorem attinet intellectum ideo dicit ſe in deſerto clamare, quia deſertæ, ac derelictæ à Deo gẽti Iudeæ propter peccati perfidiam verbum illis prædicabat, & filij Dei aduentum affuturum annunciabat. Dirigite viam domini, ſicut dixit Eſa. propheta. Via domini ad cor dirigitur cum ſermo prædicationis humiliter attenditur. Tunc nanque viam domini ad cor dirigimus, cum diuinũ ſermonem humiliter audimus, & corde retinemus, & opere perficimus. Sed multi ſumus peccatis impedientibus, qui viam domino ad nos venire volenti claudimus. Vbi enim regnat auaritia, luxuria, inuidia, rapacitas, & his ſimilia, ibi non eſt via Dei omnipotentis, quia non habitat in corpore ſubdito peccatis. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phari-*
Sapien. 1. *ſæis*. Pharisæi doctores legis erant in populo Iudæorum, & inuidebant beato Ioanni, quia videbant ſe à populo derelinqui, & prædicationem beati Ioannis ſequi. Ac ſi diceret euangeliſta: Illi Ioannem de ſuis actibus reprehendunt, qui doctrinam eius neſciunt imitari: ſed potiùs inuidere. *Et interrogauerunt eum. Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque Propheta*? Legerant illi dominum dicentem per prophetam. tollam vos de gentibus, & congregabo de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram, & effundam ſuper vos aquam mundam, id eſt, aquam baptiſmatis, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum, id eſt, ſpiritum ſanctum ponam in medio veſtri. Hæc verba Dei omnipotentis ſunt. Et per Eſa. Lauamini, mundi eſtote. Et hoc ad gratiam baptiſmi pertinet. Lauamini per baptiſmum, & mundi eſtote à peccatis. Quia hoc legerant, ideo interrogauerunt Beatum Ioannem: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus*? Chriſtus debet baptizare, ſicut in propheta legimus, & abluere omnia peccata. Et ſi tu non es Chriſtus, quare miniſterium illius vſurpas? *Reſpondit Ioan. Ego baptizo in aqua*. Beatus Ioan. corpora hominum tingebat aqua, ſed peccata non mundabat per baptiſmum ſuum, quia purgatio peccatorum in ſola confeſſione ſanctæ trinitatis agitur, iuxta quod dominus dixit diſcipulis ſuis: Euntes in vniuerſum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Et docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Beatus verò Ioannes ideo non baptizat in remiſſionem peccatorum, quia non in nomine ſanctæ trinitatis, ſed in nomine ſolius filij baptizabat, dicens illi, quem baptizabat: Baptizo te vt in eum qui venturus eſt, credas, hoc eſt, in Ieſum. Quos Ieſus baptizauit, non ſunt rebaptizati, quos verò Ioannes baptizauit, rebaptizati ſunt. Quare hoc? quia Ieſus baptizauit in nomine trinitatis. Et quid proderat Ioannis baptiſmus? Proderat quia quoſcunque baptizabat, docebat eos de filij Dei aduentu, & mittebat eos ad dominum, dicens. Ite ad illum, cognoſcite: ipſe eſt meus dominus. Credite in eum, ipſe baptizabit in ſpiritu ſancto, & igne. Et quare baptizabat Ioannes, qui peccata per veniam non relaxabat? Vt, ſcilicet, præcurſionis ſuæ officium ſeruaret. Sicut enim præuenit dominum naſcendo, & prędicando, ſic debuit præuenire baptizando, vt per eius baptiſmum, quod peccata non abluebat, venirent populi ad vnum baptiſmum Chriſti, quod peccata omnia auferebat. Ego baptizo in aqua ſicut agunt modò ſacerdotes, & Leuitæ. Illi intingunt aquis corpora hominum, dominus autem aufert peccata interiùs. *Medius autem veſtrum ſtetit, quem neſcitis*. De domino noſtro Ieſu Chriſto loquitur, qui in medio hominum dicitur ſtetiſſe, quia inter homines natus eſt, & inter homines manducauit, bibit, dormiuit, ambulauit. Sed ipſe neſciebatur, quia licet humanitas eius videretur, tamẽ diuinitatis eius potentia non agnoſcebatur. Ideo dicit, *quem vos neſcitis*, quia Deus eſt. adhuc autem nõ cognoſcebatur, quod Deus eſſet, poſtmodum autem per miracula, quæ faciebat, cognoſcebatur verè Deus eſſe à quibuſdã. *Ipſe eſt, qui venturus eſt*, id eſt, qui poſt me veniet prędicare, & baptizare. Adhuc non erat dominus baptizatus. *Qui ante me factus eſt*. Id eſt, prælatus eſt mihi, antepoſitus eſt mihi, tantùm me pręcellit, quãtùm rex militem, dominus ſeruum, ſol luciferum, licet poſt eum ortus. Ac ſi diceret Beatus Ioannes, Ille dominus, ego ſeruus, ille eſt creator, ego creatura, ille eſt lux, ego lucifer, ille iuſtus, ego peccator. Et quare eſſet ei antepoſitus, paulò ſuperiùs manifeſtauit, dicẽs, *Quia prior me erat*. Hoc eſt, qui in principio erat verbum apud Deum, & Deus erat verbum. Ac ſi diceret. Tempora natiuitatis non anguſtãt eũ ſicut me: ideo maior me eſt. Ego, antè quam naſcerer, non eram; poſtquam mortuus fuero, deſinam eſſe. Ille, antè quam de virgine naſceretur, natus eſt ante omnia ſecula à Deo patre, & ſi mortuus fuerit carne, æternaliter viuet diuinitate. Ideo me prior eſt. *Qui non ſum dignus corrigiam calceamenti eius ſoluere*. Ac ſi diceret, Tantæ dignitatis eſt, vt non ſim dignus diſligare corrigiam calceamenti eius. Sed ſecundum altiorem intellectum per calceamentum domini, quibus pedes illius tegebantur, poſſumus intelligere humanitatem, qua anima illius & diuinitas tegebatur. Per corrigiam verò calceamenti ligaturã myſterij. Calceamenta ex mortuis animalibus fiunt. Dum ergo filius Dei mortalem carnẽ à nobis accepit in vtero virginis, quaſi calceatus ad nos venit. De hoc calceamento dixit ille per Pſalmographum: In Idu- Pſal. 107.
mæam extendam calceamentum meum. Per Idumæam hic intelligitur gẽtilitas. In Idumæã quippe filius Dei calceamentum ſuum extendit, quia per myſteria incarnationis ſuæ & per prædicationem apoſtolorum gẽtes ad credulitatẽ perduxit. Beatus nanque Ioannes corrigiam calceamẽti domini ſoluere nõ valuit, quia myſteria incarnationis eius enucleare potuit, qualiter videlicet ſummus & viuificator ſpiritus Deus intra vterũ matris animatus ſit, quãdo corpus, & animam ſuſcepit in vtero virginis in vnitate ſuæ perſonæ. Hæc neque alius, neque ipſe enarrare potuit, qui eius conceptionem & natiuitatem per ſpiritũ ſanctum cognouit: de hac generatione dicitur per Eſa. Pro- Eſa. 53.
phetã. Generationẽ illius quis enarrabit? Aut nullus aut rarus. Dicamus & aliter. Qui non ſum dignus

gnus corrigiã calceamenti ſoluere. Mos fuit apud *Deut.25.* veteres Iudæos, vt, ſi quis eam, quæ ſibi competeret accipere vxorem noller, ille ei calceamentum ſolueret, qui ad hanc ſponſam iure propinquitatis veniret. Quid ergo aliud inter homines Chriſtus niſi ſponſus apparuit? Sponſus eſt ille, & ſponſa eccleſia, iuxta quod idem Ioannes dicit: Qui habet *Ioan.3.* ſponſam ſpóſus eſt. Beatus ergo Ioãnes ideo ſe indignũ teſtatur ad ſoluẽdam corrigiam calceamenti domini, quia ſpóſi nomẽ indebitè vſurpare non audet. Si diceret, Ego ſum Chriſtus, tunc vſurparet nomen ſponſi. Non vendicare ſibi eam vxorem audet, id eſt, eccleſiam. Ideo indignum ſe fatetur diſligare ei corrigiam calceamenti. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem.* Corruptè legitur iſte locus à multis. Inuenitur in libro locorum Bethabara locus eſſe iuxta Iordanem fluuium in deſerto, vbi baptizabat Beatus Ioannes. Et interpretatur Bethabara domus aquarum, quia multæ aquæ ibi erant vbi baptizabat Ioannes. Bethania autem non eſt in deſerto, vbi Ioannes baptizabat, ſed prope Hieruſalem quindecim ſtadiis diſtans ab ea. Sed tamen ſicut inuenimus, ita dicamus. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Bethania interpretatur domus obedientiæ. Quicunque ergo gratiam baptiſmi perceperit, obedire mandatis Dei debet, iuxta quod dominus præcepit diſcipulis ſuis dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Nos igitur, qui Chriſtiani ſumus, & Chriſti baptiſmum ſuſcepimus, ſtudeamus præceptis illius parere, vt ad gaudia patriæ cæleſtis, quæ promiſit electis ſuis, valeamus peruenire.

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

ET hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ex Hieroſolymis ſacerdotes &c. Dixit ſuperius, quòd Ioannes teſtetur de illo: & quum interſeruit, quid teſtatus ſit Ioannes de Chriſto, nempe quòd hic ante me fuit, & quòd nos omnes, & prophetæ de plenitudine eius accepimus, ſubdit, *Et hoc eſt teſtimonium.* Quale? Quod ſuperius dixit, Ante me fuit, &c. Sed & quæ deinceps dicit, non ſunt Chriſti, & hæc teſtimonia ſunt Ioannis. Porro Iudæi ad Ioannem miſerant præſtátiores, quos habebant, ſacerdotes videlicet, & Leuitas, eoſque Hieroſolymitanos, quod illi, vtpote ſapientiores, perſuaderent Ioanni per adulationem, vt confiteretur ſe eſſe Chriſtum. Vide autem quàm ſiniſtra ſit illorum mens. Non interrogãt eum ſtatim, Tune es Chriſtus, ſed, *tu quis es?* Verum ille, cognita eorum malignitate, non dicit quis ſit, ſed confitetur, *non ſum Chriſtus*: ad ſcopum vtique illorum reſpiciens, & vndequaque illos ad credendum alliciẽs, quòd alius ſit Chriſtus, quem ipſi putant vilem, & ex vili patre, fabro videlicet, & contempta patria, nempe Nazareth, ex qua nihil boni eſſe credebant. Atqui de præcurſore ipſo magnam habebant opinionem, eo quòd natus erat ex patre ſacerdotum principe, & vitam angelicã, & quaſi materiæ expertem ageret. Vnde iuſte admiramur Deum, quomodo per illa ipſa, per quæ illi gloriæ Chriſti nocituros ſe putabant, impediuntur. Nam interrogabant quidem Ioannem, vt fide dignum, quò teſtimonium illius, ſuæ in Chriſtum incredulitati prætexant, ſi quidem non confeſſus fuiſſet illum Chriſtum. Verum ſecus euenit, & cõtra eos teſtimonium verſum eſt. Etenim eum, quem pro fideli habebant, inueniunt præclara teſtari de Chriſto, & non ſibi ipſi honorem arrogare. *Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Helias es tu? &c.* Heliam exiſtimabant venturum, veteri traditione perſuaſi, vnde quærunt, num ſit Helias, eò quòd & vita eius ſimilis erat vitę Heliæ. Negat igitur & hoc. *Propheta es tu?* Negat hoc etiã, tametſi propheta eſſet. Et quomodo igitur negat? Quomodo? Quia non interrogauerunt eum, Propheta es? ſed, *propheta ille es?* facta interrogatione cum articulo, hoc eſt, propheta ille, qui expectabatur, de quo dixit Moſes, Prophetam ſuſcitabit vobis dominus Deus. Non negauit itaque Ioannes ſe prophetam eſſe, ſed prophetam illum, qui expectabatur. Quia enim *Deut.18.* audierant Moſen dicentem prophetam ſuſcitandum, ſperabant propter occaſiones quaſdam hunc futurum illum prophetam. Deinde iterum inſtãt. *Dic nobis, quis es, Tunc reſpondit eis; Ego vox clamantis in deſerto.* Ego, inquit, ſum, de quo ſcriptum eſt, Vox clamantis in deſerto. Niſi enim adiecens, de quo ſcriptum eſt, abſurda quædam videretur ſermonis cõſtructio. Quid autem clamatis? *Dirigite viam domini.* Seruus, inquit, ſum, & viã præparo domino corda veſtra. Proinde illa facite recta doloſi vos, & obliqui, & facite æqua, ita vt dominus Chriſtus per vos iter faciat. Poſt hæc inducit Eſaiam teſtem. Nam, quum magnifica dixiſſet de Chriſto, quòd dominus eſſet, ipſe vero ſeruus, & præconis ſuſcepiſſet opus, confugit ad prophetam. Fortaſſis autem quis ſic expoſuerit, *Ego vox clamantis*, hoc eſt, ego ſum vox Chriſti clamantis, id eſt, veritatem manifeſtè annunciantis. Omnes enim, qui in lege erant, ſubmiſſe, & humiliter ſonabant, vtpote qui nondum peruenerant ad tempus euangelicæ veritatis. Et hæc ſane erat vocis ruditas in Moſe, quia lex obſcura erat, & non manifeſta. Chriſtus autem, quum ſit veritas ipſa, & annunciet nobis omnia, quæ patris, clamans eſt. ideo Ioannes dicit, Ego ſum vox verbi clamantis, verſans in deſerto. Deinde ſequitur aliud principium; *Dirigite viam domini.* Merito autem dicitur Ioannes vox, eo quod præcurſor erat Chriſti, ſicut & vox verbum præcurrit. & vt manifeſtius dicam, vox quidem eſt ſpiritus inarticulatus, qui à pectore egreditur: quando autem lingua articulatur, tunc fit verbum. Primum igitur vox, & deinde verbum. Prior Ioannes, & deinde Chriſtus ſecundum aduentum in carne. Et baptiſma quidem Ioannis non erat articulatum, non enim fiebat in ſpiritu: Chriſti vero articulatum erat. Nihil enim vmbrarum vel figurarũ continebat, ſed fiebat in ſpiritu. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis, &c.* Poſtquàm per adulationem non potuerunt eum ad ſuas partes trahere, atrocioribus, & minacibus verbis terrent, vt diceret quod volebant, & confiteretur ſe eſſe Chriſtum. *Quid igitur baptizas?* dicentes: Quis tibi hanc dedit authoritatem? Oſtenditur autem ex hoc ſermone, illos alium putaſſe eſſe Chriſtum, & alium, qui expectabatur prophetam. Dicũt enim, Si tu non es Chriſtus, neque propheta ille: alium intelligentes Chriſtum, & alium prophetam illum, male ſentientes. Nam propheta ille, ipſe eſt

Chriſtus

Chriſtus,& Deus noſter. Hæc autem omnia dicebant,ſicut dixi, vt vrgerent eum, quòd confiteretur ſe eſſe Chriſtum. Immo,ſi veriora dicere licet, quaſi inuidentes eius gloriæ, eum interrogant. Ideo non quærunt, num ipſe ſit Chriſtus: ſed, tu quis es? quaſi dicentes, quis es tu, qui tale opus attentas, baptizans,& purificans cõfitentes? Etenim neque Ioannem apud multos pro Chriſto haberi Iudæi mihi velle videntur,ſed ex liuore,& inuidia interrogare eum, tu quis es? Maximè igitur maledicti Iudæi, & vere progenies viperarũ, qui Ioannem quidem baptizantem acceperunt: poſtquàm autem baptizati ſunt, ingrati fuerunt. *Reſpondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua &c.* Vide & manſuetudinem, & veritatem ſancti. Manſuetudinem quidem, eò quòd nihil aſperum ad eos loquitur, quamuis inſolentes eſſent. Veritatem autem, quia liberrimus teſtis erat gloriæ Chriſti, neque domini gloriam occultabat, vt ſibi nobilitatem pareret: ſed confitebatur; Ego quidem baptizo imperfecto baptiſmo: nam in ſola aqua, non habente peccatorum remiſſionem, ſed præparante ad ſuſcipiendum ſpirituale baptiſma, quod donat remiſſionem peccatorum. *Medius autem veſtrum ſtat, quem vos neſcitis.* Nam dominus multitudini ſe miſcuerat,& ignotabatur quis eſſet,& vnde. Fortaſſis autem quiſpiam dixerit, quòd & alio modo medius ſteterit inter phariſæos dominus, ſed ignorarint eum. quia enim videbantur ſcripturas edidiciſſe, quibus annunciatus fuit dominus, medius fuit inter eos, hoc eſt, in cordibus eorũ: ſed ignorabant eum, tanquam non intelligentes ſcripturas, quamuis cordibus illas tenerent. Fortaſſis autem & ſe-
1.Tim. 2. cundum quòd mediator Dei, & hominum fuit dominus, medius ſtetit inter phariſæos, conciliare illos volens Deo, ſed ignorabant eum. Continue autem ponit hoc, *qui poſt me venturus eſt*: oſtendens quòd neque perfectum ſuum ſit baptiſma, ſed tantum præuium ad ſpirituale baptiſma. *Ante me fuit*, hoc eſt, dignior, & glorioſior, in tãtum vt ego me non auſim numerare vel in vltimis eius ſeruis. Soluere enim calceum, extremi miniſterij eſt. Scio autem me apud ſanctorum quendam etiam hanc legiſſe expoſitionem; Calceus ſemper ſumitur ad peccatricem carnem, & corruptioni ſubditam: corrigia autem vt vinculum peccatorum. Igitur Ioannes in aliis quidem, qui ad ſe egrediebantur, & confitebantur, poterat ſoluere corrigiam peccatorum. Vinculis enim ſuorum peccatorum conſtricti ad ipſum egrediebantur. Et per hoc, quod vocabat eos ad pœnitentiam, viam præparauit eis ad hoc, vt perfectè corrigiam illam, & calceamentum peccati abiiciant: in Chriſto autem non inueniens corrigiam, hoc eſt vinculum peccati, merito neque ſoluit, neque ſoluere po-
Eſa. 53. tuit. Quomodo enim ſoluiſſet, in quo non inueniebat: Peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius. Calceamẽtum autem, eſt aduentus domini ad nos: corrigia autem eius, modus incarnationis, quo verbum Dei vnitum, & quodammodo colligatum. vtique hunc nodum ſoluere impoſſibile eſt. Quis enim poſſet ſoluere, quomodo Deus corpori colligatus ſit? *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Quare dixit quòd *hæc in Bethania facta ſint*? Vt oſtendat magni præconis libertatem, quòd non in domo, neque in angulo, ſed circa Iordanem in media multitudine hæc de Chriſto prædicauerit. Sciendum autem quòd exemplaria emendatiora habent, in Bethabara. Bethania enim non trans Iordanem eſt, ſed prope Hieroſolymas.

INCERTVS QVIDAM

Author ſub nomine Euſebij Emiſſeni in idem Euang.

OMnes enim exiſtimabant Ioãnem eſſe Chriſtum, quoniam in moribus, & vita, in habitu,& ſancta conuerſatione aliis omnibus diſſimilis erat. Ipſe tamen mundi gloriam fugiens, & Chriſtum ſe non eſſe reſpondens in tantum ſe humiliauit, vt indignum ſe eſſe diceret, qui Chriſti calceamenta ſoluere debuiſſet. *Et interrogauerunt eum, quid ergo: Elias es tu? Et dixit non ſum.* Interrogatus dominus de Elia, reſpondit: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Et ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. Quid eſt ergo quod ſe Ioannes Eliam eſſe negat, quem dominus ipſe Eliam eſſe affirmat? Dicit Ioannes: *Non ſum Elias.* Dicit Ieſus: Ioannes ipſe eſt Elias. Nec iſte quidem mentiri poteſt, quia veritas eſt: nec ille, quia diſcipulus veritatis. Verum ergo vterque dicit: alter enim de perſona, alter de ſpiritu loquitur. Ioannes enim in ſpiritu Elias erat, ſed in perſona Elias non erat: de quo angelus ad Zachariam: Ipſe (inquit) præcedet ante illum in ſpiritu,& virtute Eliæ. Aiunt illi, *propheta es tu? Et reſpondit, non.* Non enim ſimpliciter propheta, ſed pluſquam propheta erat Ioannes. Vnde & dominus ait: Quid exiſtis videre? prophetam. Etiam dico vobis & pluſquam prophetam. Plus enim quam propheta fuit Ioannes, quia non ſolum ventura nuntiauit, quod vtique prophetarum eſt, verum in digito demonſtrauit, quod prophetarum non eſt. *Dixerunt, ergo ei. Quis es tu, vt reſponſum demus iis, qui miſerunt nos? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias propheta*, Vox Ioannis, verbum Chriſtus. Sicut enim Ioannes præcedit Chriſtum, ita & vox præcedit verbum. Statim enim vt ore loquentis ſonus qualiſcunque procedit, vox eſt, verbum autem nondum eſt, quia omne verbum ſignificat aliquid. Præcedit igitur vox, ſequitur verbum. Merito igitur vox Ioannes, & verbum Chriſtus vocatur: quoniam & naſcendo & prædicando & moriendo, & ipſa ſui nominis ſignificatione Chriſtum præceſſit. Hanc autem vocem illa tintinabula aurea ſignificabant, quæ pendebant in veſte Aaron. Hanc ſignificabant omnia illa muſicorum genera, quibus Dauid cantare conſueuerat, hanc pſalterium iucundum cum cithara: hanc tympana,& organa,& cymbala bene tinnientia ſignificabant. Hanc denique vocem ſignificabant illę tubę, quarum ſonitu iubilæus annus nunciabatur: quarum clangore totus exercitus, & omnia caſtra mouebantur, & figebantur. His nanque canentibus, capta eſt Hierico, & poſt ſeptem dierum circuitum muri corruerunt, & habitatores interierunt. Iis Gedeon vicit Madianitas. Hæ ſemper victores fecerunt Iſraëlitas. Vnde & Propheta ait: Canite initio menſis tuba, in die inſignis ſolemnitatis veſtræ. Semper tubarum ſonitu Dei populus ſumebat arma,& recedebat ab armis. Sic pugnare ſolitus, ſic vincere aſſuetus. Lege in Apocalypſi, & ſeptem angelos inuenies tubis canentes, per quos omnes eccleſiæ prædicatores ab ipſis Apo-

ſtolis vſque in finem ſeculi ſignificantur. Omnes igitur iſtæ tubæ, omnes iſtę voces, illam vnam vocem ſignificabant, quomodo in hoc euangelio loquitur dicens: *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam domini, ſicut dicit Eſaias propheta.* Hæc vox finis veterum, & nouorum principium eſt. Omnis enim lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Diſcant igitur eccleſiæ prædicatores, non armis pugnare, ſed voce. Audiant dominum dicentem: Ego, inquit, dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Si ergo volunt vincere, ore pugnent, qui tale os, & talem vocem habent, cui inimici reſiſtere nequeunt. Sic Ioannes faciebat, & ideo ſe interrogantibus dicebat: *Ego vox clamantis in deſerto.* Non quis ſum, ſed quid dico, attendite: non perſonam, ſed vocem conſiderate. Vocem me eſſe dico, vocem me eſſe confiteor. Hæc autem vox in deſerto clamabat, quia crudeles, & impios ad fidem vocabat, qui non homines pietate, ſed beſtias crudelitate imitabantur: deſertum enim non hominum, ſed ferarum habitatio eſt. Sed quid dicebat: *Dirigite viam domini, ſicut dicit Eſaias propheta.* Dirigite, inquit, viam domini, vt ipſe ad vos venire, & in vobis habitare dignetur, qui per viam non rectam incedere neſcit. Fides enim, ſpes, & charitas, pietas, iuſtitia, & miſericordia, viæ ſunt, per quas ad nos dominus venit, ſi eas habeamus, & ad dominum dirigamus. Iſtæ viæ in illis directæ non ſunt, qui non ex veritate, ſed ſimilitudine per eas incedunt. *Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis.* Phariſæi nanque ſe præ cæteris iuſtiores eſſe arbitrabantur. Quibus dominus ait, Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei, quos & Ioannes viperarum genimina vocauit, dicens: Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis iudicia gehennæ? *Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Vt quid tibi Chriſti & prophetarum officia vendicas, ſi neque Chriſtus es, neque propheta? Reſpondit eis Ioannes dicens: *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* In aqua enim, & in ſpiritu baptizabat Ioannes, quia peccata non ſoluebat, ſed corpora tantum lauabat, & Chriſti baptiſmum baptizando ſignificabat. Illius igitur baptiſmum, vmbra quædam erat, & ſignificatio melioris baptiſmi. *Ego, inquit, vos in aqua baptizo, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt.* Poſt eum nanque & naſcendo, & prædicando, & moriendo venit Chriſtus. Factus autem ante eum, quia quaſi dominum eius ſequitur beatus Ioannes, & poſt eum vadit. Ante enim hoc in loco non temporis, ſed ordinis habet ſignificationem. *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calciamenti.* Chriſti nanque calciamenti corrigiam ſoluere, eſt eius humanitatis, & mortalitatis myſterium prędicare. Calciamentum enim, quod ex mortuorum pellibus fit, carnis morticinium ſignificat. Alia enim noſtra indumenta ex alia materia fiunt, calciamenta verò non niſi carnea ſunt, vnde & merito pro carne ponuntur. Vide ergo quantum ſe humiliauit præcurſor domini, qui priuſquam eum laudare cœperat, quaſi qui eius laudes prædicare idoneus non eſſet, ſtatim ſe indignum eſſe dixit, qui non ſolum eius diuinitatis, ſed & ipſius humanitatis myſterium nunciaret.

EVTHYMII ZIGABONI

ſuperioris Euang. expoſitio.

E*T hoc eſt teſtimonium Ioannis.* Hoc, inquam, de quo nunc in progreſſu dicturus eſt. *Quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes &c.* Teſtimonium videlicet datum, *quando miſerũt Iudæi, &c.* Siquidem pontifices, & ſacerdotes populi, quum circa Chriſti partum admirāda audiſſent: ſumpto præterea de ſapientia, ac prudentia illius experimento, quando duodecim annorum factus immixtus eſt doctoribus, audiens illos, & interrogans, velutì ſcripſit Lucas: obſtupeſcebant, inuidiáque agitari cœperunt. Quum autem & Ioannem poſtea multa, ac mirabilia de ipſo ad ſuum baptiſma accedentibus dixiſſe audiſſent, intellexerunt enim, quòd talia de illo diceret, magis turbati ſunt: miſſiſque ab Hieroſolymis ſacerdotibus, ac Leuitis, ſiue miniſtris, interrogauerunt eum; *Tu quis es*: non tanquam id ignorantes: nam cunctis nota erant, quæ circa natiuitatem eius contigerant: quæque in eius circunciſione, ac nominis impoſitione, ita vt omnes dicerent; Quis nam puer hic erit? ſed præ malitia ignorantiam ſimulant. Nec dicunt; Qui es, ſed, *Tu quis es?* ac ſi dicerent: Si maior te eſt, quem tu prædicas, tu ergo qui es? erga quem magnopere affecti ſumus, & de quo magnificam habemus opinionem, quemque vehementer colimus. Putabant enim inſipienter, quòd, licet in cæteris vigilantius excubare videretur, attamen humanum quiddam tanquam homo ſentiret, ac gloriæ amore illectus, Chriſtum ſe eſſe reſponderet, & deinceps ipſius Ieſu fama extingueretur, ob quam omnes oriebantur anxietates. Nã & hac de cauſa nõ vulgares quoſuis miſerũt, ſed ſacerdotes, & Leuitas, idque ex Hieroſolymis, vtpote pręſtantiores, atque aſtutiores cũctis, qui ex alijs erãt ciuitatibus. *Et confeſſus eſt, & non negauit. Cõfeſſus eſt*, veritatem ſcilicet: nam verax erat, ac ſolidus. *Et confeſſus eſt, dicens; Non ſum ego Chriſtus.* Virtutem eius confirmans, rurſum idem repetit. Neque enim ſolũ ambitionis omnino nihil paſſus eſt, aut dominicam non arripuit gloriam, ſed nec eam, quæ à multis dabatur, reſpexit. Et vide prudentiam. Non dixit, quis eſſet, quod poſtmodum fecit, ſed ad mentem eorum accedens, & quid velint agnoſcens, rectè id à principio abſtulit, quod ipſum ſpectabant reſponſurum. Dixit enim; *Non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum; Quid ergo, Elias es tu? Et dicit: Non ſum.* Iam conatu fruſtrati, ad aliud conuertuntur, intentúmque ſuum adumbrare volentes dicunt: *Quid ergo, Elias es tu?* vt videantur ſimpliciter, ac ſine malitia interrogare: Siquidem expectabant etiam venturum Eliam. Scriptum eſt enim apud Malachiam prophetam; Mittam vobis Eliam Theſbiten, qui conuertet cor patris ad filium. Rurſum ergo rogant, ne ſuſpecti habeantur. *Es tu ille propheta? Et reſpondit, Non.* Non dicunt, Es tu propheta: nam ſciebant eum eſſe prophetam: ſed, *es tu ille propheta*, de quo ſcripſit Moſes? Scripſit enim eis dicens, Prophetam ſuſcitabit vobis dominus, ipſum vt me audietis. Ille autem erat Chriſtus. *Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam domini, ſicut dixit Iſaias propheta.* Quum ad omnia patienter reſpondiſſet, nunc etiam dicit quis ſit. Ego, inquit, ſum illa vox, de qua ſcriptum eſt; *Vox clamantis in deſerto: Dirigite viam domini &c. Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis.* Significauit etiam

Luca 2. Matth. 3. Luca 3. Luca 1. Malach. 4. Deut. 18.

etiam ipſorum ſectam, repræſentans obliquam eorum curioſitatem. *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Quum perficere non potuiſſent, quod intendebant, accuſatione nituntur hunc attrahere, vt vel timore cogeretur dicere, quod non erat. Rurſum autem magnam demonſtrat æquitatem. *Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos non noſtis.* Eo enim tempore Chriſtus immixtus erat populo: nã quaſi vnus è vulgo veniebat ad baptiſmum, quod diuina reuelatione Ioanni innotuerat. Id autem quod addit; *Quem vos non noſtis*, de illius diuinitate dictum eſt. *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me fuit.* De quo videlicet verbum iſtud dicebam. *Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamẽti.* Sublimiter id, quod eſt in Chriſto incomparabile hinc demonſtrat, dicens; Neque inter poſtremos eius ſeruos numerari mereor, propter magnitudinem conſideratæ in eo diuinitatis. Poſtremis nanque miniſtris aptari ſolent huiuſmodi miniſteria. *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem &c.* Emendatiora exemplaria *In Bethabara* ſcribunt: nam Bethania non eſt ſita trans Iordanem, aut in deſerto, ſed prope Hieroſolyma. Demonſtrat autem locum, oſtendens quòd multis præſentibus Ioannes ea, quæ de Chriſto erant, prædicabat. Omnia vero, quæ interim acciderunt, prætermittens; Puta, quomodo baptizatus eſt, quomodo cœlitus accepit teſtimonium: ieiunium præterea quadraginta dierum in deſerto, ac tentationes, tanquam ab aliis iam euangeliſtis narrata, refert deinceps, quæ poſt deſcenſum eius à deſerto contigerunt, & ab illis relicta ſunt.

FERIA IIII. QVATVOR
TEMPORVM ADVENTVS.

Euangelium vide Infra in feſto Annunciationis B. Mariæ virginis.

FERIA VI. QVATVOR
TEMPORVM ADVENTVS.

Vide infra in feſto viſitationis B. Mariæ virginis.

SABBATHO. QVATVOR
TEMPORVM ADVENTVS.

Vide in Proxima Dominica.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.
LVC. III.

ANNO quintodecimo imperij Tyberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius eius tetrarcha [a] Iturææ & [b] Traconitidis regionis: & Lyſania [c] Abilinæ tetrarcha. ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt [d] verbum domini ſuper Ioãnem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans [e] baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: ſicut [f] ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ. [g] Vox clamãtis in deſerto [h] parate viam domini, [i] rectas

a Terræ. b Regio eſt. c Terræ. d Illud, Vade & prædica baptiſmum. e Idem præco prænunciat, quod poſt per ſeipſum veritas. f Ecce Ioannis prædicatio firmatur prophetæ teſtimonio. g Ioannes eſt verbi vox. h Illud. i Prauitates abiicite, fidem & bona opera accipite. Vt non pro terra pio ſemitis.

k Omnis qui ſe humiliat exaltabitur. l Et qui ſe exaltat humiliabitur.

facite ſemitas eius. Omnis [k] vallis implebitur, & omnis [l] mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis

m Homo Iudæus & gentilis, vir & mulier, iuuenis & ſenex. n Chriſtum

[m] caro [n] ſalutare Dei.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euangel.*

ANNO *aut.* Herodes, Philippus, & Lyſanias, qui cum Pilato Romano præſide regunt Iudæam, filij fuerunt maioris Herodis ſub quo natus eſt dominus. Inter quos & ipſum Archelaus x. annis regnauit: quo propter ſuperbiam remoto regnum in quatuor tetrarchias diuiſum eſt, vt ſic minueretur ſuperbia Iudæorum. Annas & Caiphas erat principes ſacerdotum quando Ioãnes cœpit prædicare: ſed Annas illum annum quo Ioannes inchoat prædicare: Caiphas illum quo dominus crucifixus eſt adminiſtrabat: quia tunc pontificatus, non virtute vel generis merito, ſed Romana poteſtate præſtabatur. Multos legimus pontifices tunc fuiſſe, quos ſubticet euangeliſta, ponens tantum illos qui ad domini pertinent paſſionẽ. Quia verò Ioannes illum veniebat prædicare, qui ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus redempturus erat per regem gentium & principes Iudæorum prædicationis eius tempora deſignantur. Et quia gentilitas per fidem colligenda, Iudæa pro perfidia diſpergenda erat, vnus gentium, multi Iudæorum principes deſcribuntur: quia ad finem regni venerat, quæ tot regibus ſubiacebat. Sacerdotum etiam facta eſt memoria: quia ille nunciatur, qui ſimul rex & ſacerdos erat. *Factum eſt verbum &c.* Bed. Congregaturus eccleſiam Dei filius primum operatur in ſeruulo, vt eccleſia non ab homine cœperit, ſed à verbo: vt appareat maior auctoritas Ioannis nouum baptiſmi ritum inſtituentis, factum eſt verbum domini ſuper Ioan. id eſt, ad Ioannem. Quod quidem eſt deſuper, ſola Dei gratia, prius operatur verbum intus, & declarat Ioanni quæ velit ab ipſo proferri, poſtea profert Ioannes. Sequitur verbum interius operans, ſonus vocis exterius ſonans. *In deſerto*, id eſt, in eccleſia quæ prius deſerta, modo plures habet filios. Factum eſt ergo verbum in deſerto, vt quæ tunc erat deſerta, fructũ nobis terra generaret, factum eſt verbum, vt Ioannes pœnitentiam prædicaret, non remiſſionem daret: Vnde Ioannes eſt figura legis quę peccatum nunciat, non condonat. Ioannes prænuncius Chriſti, ita lex prænunciat gratiam eccleſiæ. Matthæus & Marcus commendant Ioannem ex veſtitu, & cibo, & cinctu: ſufficit Lucæ Ioannem commendare ſola commemoratione prophetiæ. Nullo enim indicio ſui eget, qui
Mat. 3. a. Mar. 1. a. verbo Dei abundat. Vnum itaque dixit, & omnia declarauit. *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ &c.* Bed. Ioannes baptiſmum pœnitentiæ prædicauit: & quibuſdam etiam dedit, ſed remiſſionẽ peccatorum dare non potuit. Non ergo ait: Dans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſed prædicans: Quia enim dare non poterat baptiſmum quo peccata ſoluerentur, prædicabat, vt ſicut verbo prædicationis verbum patris præcurrit, ita baptiſmum pœnitentiæ quo peccata ſoluuntur præcurreret ſuo baptiſmate, quo peccata ſolui nõ poſſunt. *Vox clamantis.* Vox quia prænuncius verbi. *In deſerto*, quia deſertæ & deſtitutæ Iudeæ ſolatium redemptionis annunciat. Nullum verbum ſine voce auditur, nec vox ſine verbi intelligentia valet. *Parate viam domini &c.* Qui fidem & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti domino ad corda audientium viam parat, vt hæc vis gratiæ illuſtret, vt rectas Deo ſemitas faciat, dum mundas cogitationes in animo per ſermonem prædicationis format. *Omnis val.* In aduentu domini humilis gentilitas impleta eſt & creſcit plenitudinem gratiæ accipiendo. Et Iudæa ſuperba per errorem perfidiæ hoc vnde ſuperbiebat perdidit. *Et erunt praua.* Bed. Praua, id eſt, malorum corda, per iniuſticiam diſtorta, ad regulam iuſticiæ diriguntur. *Et aſ.* id eſt, immites, & iracundæ mentes per infuſionem gratiæ ad mãſuetudinem redibunt, vt ibi prędicator planam viam inueniat, vbi prius pro aſperitate greſſum ponere non poterat. *Et vide.* Bed. In hac vita omnis homo Chriſtum videre non potuit, ſed in die iudicij in ſede maieſtatis, & electi & reprobi pariter videbunt, vt iuſti remunerentur, & mali in æternũ gemant.

CATENA AVREA IN *idem Euangelium.*

ANno autem quintodecimo imperij Tyberij Cæſaris, *procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* Greg. in hom. Redemptoris præcurſor quo tempore verbum prædicationis accepit, memorato Romanæ reip. principe & Iudææ regibus deſignatur, cum dicitur, *Anno autem quintodecimo imperij Tyberij Cæſaris.* Quia enim illum prædicare veniebat, qui ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium & principes Iudæorum prædicationis eius tempora deſignantur. Quia autem gentilitas colligẽda erat, in Rom. repu. vnus præfuiſſe deſcribitur, cum dicitur. *Im. Tyb. Cæſ.* Greg. Mortuo enim Auguſto monarcha, à quo Romani principes nomen Auguſti adepti ſunt, Tyberius poſt illum ad iura monarchię ſuccedens, xv. annum ſuſcepti principatus agebat. Orig. Et in prophetico quidem ſermone ſolis Iudæis prædicato, ſolum Iudæorum regnum deſcribitur. Viſio (inquit) Eſaiæ in diebus Oziæ, Ioatham & Acham regum Iuda. At in euang. quod erat prædicandum vniuerſo mundo, dominium deſcribitur Tiberij Cæſaris qui totius orbis dominus videbatur. verum ſi ſolum hi qui ſunt de gentibus eſſent ſaluandi, ſatis erat ſolius Tyberij facere mentionem. Sed quia oportebat & Iudæos credere, ob hoc etiam Iudæorum regna deſcribuntur ſeu tetrarchiæ, cũ ſubditur, *Procu. Pon. &c.* Greg. in hom. Quia etiam Iudæa erat pro culpa perfidiæ diſpergenda, in Iudææ regno per partem & partem plurimi principabantur: ſecundum illud, Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Bed. Pilatus quidem xij. anno Tyb. Cæſ. in Iudæam

dæam miſſus procurationem gentis ſuſcepit, atque ibi per a. continuos annos vſque ad ipſum penè finem Tyberij perdurauit. Herodes autem & Philippus & Lyſanias filij ſunt Herodis illius, ſub quo dominus natus eſt, inter quos & ipſe Herodes Archelaus frater eorum x. annis regnauit, qui à Iudæis apud Auguſtum criminatus apud Viênam exilio periit. Regnum autem Iudææ quo minus validum fieret idem Auguſtus per tetrarchias diuidere curauit. Greg. in hō. Et quia Ioannes illum prædicauit, qui ſimul rex & ſacerdos exiſteret, Lucas euangeliſta prædicationis eius tempora non ſolum per regnum, ſed etiam per ſacerdotium deſignauit. vnde ſubditur, Sub prin. ſac. An. & Ca. Bed. Ambo quidem incipiente prædicatione Ioannis, id eſt, Anna & Caiphas principes fuere ſacerdotum, ſed Anna illum annum, Caiphas verò eum quo crucem dominus aſcendit, adminiſtrabat, tribus aliis in medio pontificatu perfunctis: verum hi maximè qui ad domini paſſionem pertinent, ab euangeliſta commemorantur. Legalibus nanque præceptis vi & ambitione ceſſantibus, nulli pontificatus honor vitæ vel generis merito reddebatur, ſed Romana poteſtate ſumma ſacerdotij præſtabatur. Ioſephus enim refert quòd Valerius Gracchus Anna à ſacerdotio deturbato Iſmaelem pontificem deſignauit filium Baphi, ſed etiam hunc non multò pòſt abiiciens, Eleazarum Ananiæ pōtificis filium ſubrogauit. Poſt annum verò & hunc arcet officio, & Simoni cuidam Caiphæ filio pontificatus tradidit miniſterium: quo non amplius ipſe quàm vnius anni ſpatio perfunctus Ioſephum, cui & Caiphas nomen fuit, accepit ſucceſſorem, itaque hoc omne tempus quo dominus noſter docuiſſe deſcribitur, intra quadriennij ſpatia coarctatur. Amb. Congregaturus autem eccleſiam Dei filius ante operatur in ſeruulo. Et ideo bene dicitur, *Factum eſt ver. do. ſup. Ioan. &c.* vt eccleſia non ab homine cœperit, ſed à verbo. Bene autem Lucas compendio vſus eſt, vt Ioannem declararet prophetam, dicens, *Factum eſt ſuper eum verbum Dei,* aliàs non adderet: nullus enim eget indicio ſui, qui verbo Dei abundat. vnū itaque dicens, omnia declarauit. At verò Mat. & Mar. & veſtitu, & cinctu, & cibo prophetam declarare voluerūt. Chryſ. Verbum autem Dei hîc mandatum eſſe dicitur, quia non à ſe venit Zachariæ filius, ſed Deo ipſum mouente. Tbe. Per totum autem tempus præteritum vſque ad ſui oſtenſionem occultus fuit in deſerto: & hoc quod ſubditur, *In deſerto*: vt nulla ſuſpitio innaſcatur hominibus, vt gratia affinitatis ad Chriſtum vel conuerſationis à teneris annis, talia de ipſo teſtaretur, vnde ipſe teſtificans dicebat, Ego neſciebam illum. Greg. Nyſ. Simul etiam qui in ſpiritu & virtute Eliæ hanc vitam ingreſſus eſt, amotus à conuerſatione humana inuiſibilium ſpeculationi vacans, ne huiuſmodi fallaciis quæ per ſenſus ingeruntur aſſuetus, quandam confuſionem ac errorem incurreret erga veri boni diſcretionem. Et ideo ad tantum diuinarum gratiarum eleuatus eſt apicem, vt plus quàm prophetis ſibi gratia infunderetur: quia mundum & expers cuiuſlibet naturalis paſſionis deſiderium ſuum à principio vſque ad finem diuinis aſpectibus obtulit. Amb. Deſertum etiam eſt ipſa eccleſia, quia plures filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Factum eſt ergo verbum domini vt quæ erat ante deſerta, fructum nobis terra generaret. *Et venit in omnem regionem Iordanis prædic. ans baptiſmum pœnitentiæ &c.* Amb. Factum verbum vox ſecuta eſt. Verbum enim prius intus operatur: ſequitur vocis officium. vnde dicitur, *Et venit in om. re. Ior.* Orig. Iordanis eſt quod deſcendens, deſcendit enim Dei filius aqua ſalubris. Quæ autem loca decebat perambulare baptiſtam, niſi Iordani circumadiacentia? vt ſi quem pœnitere contingeret, protinus occurreret flenti humilitas ad recipiendum pœnitentiæ baptiſmum. ſubditur enim, *Prædicans ba. pœ. in re. pec.* Greg. in hom. Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes baptiſmum pœnitentiæ non ſolum prædicat, verumetiam quibuſdam dedit, tamen baptiſmum ſuum in remiſſionem peccatorum dare non potuit. Chryſ. ſu. Ioan. Cum enim nondum oblata eſſet hoſtia nec deſcēdiſſet ſpiritus, qualiter erat fienda remiſſio peccatorum? Erant ſiquidem Iudæi ignari, nec culpas proprias perpendebant. Quoniam igitur hæc erat cauſa malorum vt peccata agnoſcerent ad redemptorem quærendum, venit Ioannes hortans illos pœnitentiam agere, vt per pœnitentiam effecti meliores atque contriti ad recipiendum ſatagant. Apte ergo cum dixiſſet quòd venit prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum quaſi dicat, Idcirco ſuadebat illis pęnitere, vt ſubſequentem veniam facilius impetrarent, credentes in Chriſtum. Nam niſi pœnitentia ducerentur, nequaquam eam poſcerent gratiam: vnde baptiſma illud nullam aliam habet cauſam, niſi quòd præparatorium erat ad fidem Chriſti. Greg. in hom. Vel Ioānes dicitur prædicans baptiſmum pœnitētiæ in remiſſionem peccatorum, quoniam baptiſmum quod peccata ſolueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt ſicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prędicationis, ita baptiſmum pœnitentię quo peccata ſoluuntur, pręcurreret ſuo baptiſmate, quo peccata ſolui non poſſunt. Amb. Et ideo plerique ſancto Ioanni typum legis imponunt, eo quòd lex peccatum denūtiare potuit, donare non potuit. Greg. Naz. Et vt aliquatenus de baptiſmi differentia diſſeramus, baptizauit Moyſes, ſed in aqua, nube, & mari: hoc autē figuraliter agebatur. Baptizauit quoque Ioānes non vtique ritu Iudæorū, non enim ſolum in aqua, ſed etiam in remiſſionē peccatorū, non tamen omnino ſpiritualiter, neque enim addit in ſpiritu. Baptizat Ieſus, ſed in ſpiritu, & hic eſt perfectio. Eſt quoque quartum baptiſma, quod fit per martyrium & ſanguinem. quo etiam ipſe Chriſtus eſt baptizatus, quod cæteris eſt venerabilius nimis, eatenus, quatenus iteratis contagiis non fœdatur. Eſt etiam quintum ex lachrymis, laborioſius tamen, iuxta quod quidam ſingulis noctibus ſuum rigat cubile & ſtratum in lachrymis. ſequitur, *Sicut ſcri. eſt in lib. Eſa. pro. Vox cla. in de.* Amb. Bene vox dictus Ioannes verbi prænuntius, quia vox præcedit inferior: verbum ſequitur quod præcellit. Greg. Qui etiam in deſerto clamat, quia derelictæ ac deſtitutæ Iudęæ ſolatium redemptionis annuntiat. Quid autem clamaret aperitur, cum dicitur, *Parate viam domini, &c.* Omnis enim qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti domino ad corda audientium viam parat, vt rectas Deo ſemitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per ſermonem bonæ prædicationis format? Orig. Vel in corde noſtro via præparanda

eſt domino, magnũ enim eſt cor hominis & ſpacioſum ſi tamen fuerit mundum, neque in corporis quantitate, ſed in virtute ſenſuum magnitudinem eius intelligere, quæ tantam ſcientiam capiat veritatis. Præpara ergo in tuo corde viam domino per conuerſationem bonam, & egregiis vel perfectis operibus dirige ſemitã vitæ, vt in te ſermo Dei abſque offenſa perambulet. Baſ. Et quia ſemita eſt via quam præcedentes calcauerant, & quam priores homines corruperunt, eam iterato dirigere iubet ſermo illis qui à præcedentium zelo recedunt. Chryſoſt. Clamare autem, *Parate viam domini*, non regis erat ſed præcurſoris officium. Et ideo eum vocauerat vocem, quia verbi erat præcurſor. Cyrill. Sed quaſi quis reſponderet & diceret, Qualiter viam præparabimus domino, vel qualiter eius ſemitas rectas faciemus, cum plura ſint impedimenta honeſtam vitam volẽtibus ducere? Ad hoc propheticus ſermo reſpondet: Sunt enim viæ quędam & ſemitæ, nequaquam ad eundum habiles, adeo vt alicubi ad tumulos & iuga tollantur, alicubi decliues ſint: & ad hoc remouendum dicit, *Omnis va. im. & om. mõt. &c.* Quędam viarum inæqualiter diſpoſitæ ſunt, & dum nunc ſurſum erigũtur, nũc vergunt deorſum, valde ſunt ad eundum difficiles: & quantum ad hoc ſubdit, *Et erunt pra. in di. & aſpe. in vias planas.* Hoc autem intelligitur actum eſſe per noſtri ſaluatoris potentiam: quondam enim euangelicę conuerſationis & vitę iter erat ad eũdum difficile, eo quòd & mentes ſingulorum mundanę voluptates oppreſſerant: vt autem Deus factus homo peccatum damnauit in carne, explanata ſunt omnia, & reddita ſunt ad eundum facilia, & nec collis nec vallis proficere volentibus obuiat. Orig. Quando etiam venit Ieſus & ſpiritum ſuum miſit, omnis vallis repleta eſt operibus bonis, & fructibus ſpiritus ſancti: quos ſi habueris, non ſolum vallis eſſe deſiſtis, ſed etiam mons Dei eſſe incipies. Greg. Nyſ. Vel quietam in virtutibus conuerſationem ſignificat per conualles, ſecundum illud Pſalmi: Valles abundabunt frumento. Chryſ. Elatos aut ſuperbos nomine montis denunciat, quos Chriſtus humiliauit. Colles autem deſperatos appellat, non ſolum ob ſuperbiam mentis ſuę, ſed propter deſperationis ſterilitatem, collis enim nullos fructus producit. Orig. Vel intelligas quoniam montes & colles qui ſunt aduerſariæ poteſtates per aduentum Chriſti proſtrati ſunt. Baſi. Sicut autem colles reſpectu montium magnitudine differunt, in aliis ſunt idem: ſic & aduerſæ poteſtates propoſito quidem conformes ſunt, immanitate tamen offenſionum ſecernuntur. Greg. in hom. Vel vallis impleta creſcit, mons autem & collis humiliatus decreſcit: quia in fide Chriſti & gentilitas plenitudinem gratię accepit, & Iudęa per errorem perfidiæ hoc vnde tumebat, perdidit. Humiles etiam donum accipiunt, quod à ſe corda ſuperbientium repellunt. Chryſ. Vel per hoc declarat legis difficultatem in fidei facilitatem conuerſam: ac ſi dicat, Non vlterius ſudores & dolores imminent, ſed gratia & remiſſio peccatorum facilem viam pariunt ad ſalutem. Greg. Nyſ. Vel iubet valles impleri, deiici verò colles & montes, volens oſtendere quòd nec ob defectum virtutis ordo ſit concauus, nec diſcrepet ob exceſſum. Greg. in ho. Praua autem directa fiunt, cum malorum corda per iniuſtitiã detorta ad iuſtitiæ regulam diriguntur. Aſpera autem in vias planas immutantur, cum immites atque iracundæ mentes per infuſionem supernę gratię ad lenitatẽ manſuetudinis redeunt. Chryſ. Deinde horum ſubiicit cauſam dicens, *Et vi. om. ca. &c.* Oſtendens quoniam vſque ad fines mundi diffunderetur euangelij virtus: atque cognitio ex more ferino & obſtinata voluntate, ad manſuetudinem & lenitatem humanum genus conuertens. Non autem Iudæi & proſelyti, imò tota humana natura ſalutare Dei videbit. Chryſ. id eſt, patris qui filium miſit vt noſtrum ſaluatorem. Caro autem ad præſens accipitur pro toto homine. Greg. in hom. Vel aliter, *Omnis caro*, id eſt, omnis homo ſalutare Dei, videlicet Chriſtum in hac vita videre non potuit. propheta ergo oculum ad extremum iudicij diem tendit, quando hunc omnes & electi & reprobi pariter videbunt.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem *Euang. Homil. I.*

Eſt Hom. 21. in Lucam.

QVando ad Iudæos tantum ſermo propheticus mittebatur. Iudaici reges ponebantur in titulo. Verbi gratia, viſio, quam vidit Eſaias filius Amos aduerſus Iudæam, & aduerſus Hieruſalem in regno Oziæ, & Ioathan, & Aebaz, & Exechiæ: nec alium quemquam exceptis Iudææ regibus Eſaiæ video tempore deſignatum. In quibuſdam prophetis & Iſrael reges legimus: ſicut ibi, Et in diebus (inquit) Hieroboam filij Ioas regis Iſrael. Quando vero ſacramentum euangelij prædicandum erat & in toto orbe euangelium diſſeminandum, cuius princeps Ioannes in eremo fuit: & orbem Romanum Tyberij regebat imperium: tunc in quintodecimo anno verbum domini ad Ioannem factum eſſe deſcribitur. Et ſi tantum his qui de nationibus credituri erant annuncianda ſalus fuiſſet, & pœnitus excludẽdus Iſrael, ſuffecerat dicens, *In quintodecimo anno Tyberij Cæſaris, Præſide Iudææ Pontio Pilato.* Quia vero & de Iudæa, & de Galilæa multi credituri erant, idcirco & hæc regna ponuntur in titulo, dicitúrque, *Tetrarcha Galilææ Herode, & Philippo fratre eius tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis regionis: & Lyſania Tetracha Abilenæ, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum domini ad Ioannem filium Zachariæ in deſerto.* Olim verbum Dei fiebat ad Hieremiam filium Elchiæ in Anathoth in diebus Ioſiæ regis Iudææ nunc ſermo Dei fit ad Ioannem filium Zachariæ, qui nunquam factus eſt ad prophetas in deſerto. Sed quia plures filij credituri erant deſertæ magis quàm eius, quæ habet virum: idcirco factum eſt verbum Dei ad Ioannem filium Zachariæ in deſerto. Simulque conſidera, quòd magis rationem habeat ſi myſtice intelligatur deſertum, & non ſecundum ſimplicem literam. Qui etiam in deſerto prædicat, ſuperflue facit ibi vociferari, vbi ſe loquentem nullus exaudiat. Præcurſor ergo Chriſti, & vox clamantis in deſerto prædicat in deſerto animæ, quæ non habebat pacem. Non ſolum autem tunc, ſed etiam in præſenti primum lucerna ardens & lucens venit, & prædicat baptiſma pœnitentię in remiſſionem peccatorum: deinde lux vera ſubſequitur, quando lucerna ipſa loquitur. Illum oportet creſcere, me autem minui. Fit verbum in deſerto, *& venit ad omnem circa regionem Iordanis.* Quæ enim alia loca debuit

circuire Baptiſta niſi vicina Iordanis: vt quicunque voluiſſent agere pœnitentiam, præſto eſſent ad lauacrum aquæ? Porro Iordanis deſcendens interpretatur. Deſcendens autem & largo impetu currens fluuius Dei Saluator noſter dominus eſt, in quo baptizamur. Quam veram aquam ſalutarem, in remiſſionem quoque peccatorum in baptiſma prædicat: venite, catechumeni, agite pœnitentiam, vt in remiſſionem peccatorum baptiſma conſequamini. In remiſſionem peccatorum ille accipit baptiſma, qui peccare deſinit. Siquis enim peccans ad lauacrum venit, ei nõ fit remiſſio peccatorum. Propterea obſecro, vos, ne abſque cautela, & diligenti circunſpectione veniatis ad baptiſmum: ſed oſtendatis primum fructus dignos pœnitentiæ. Facite aliquid temporis in conuerſatione bona: mundos vos à cunctis ſordibus, vitiiſque ſeruate: & tunc vobis remiſſio peccatorum fiet, quando cœperitis & ipſi propria peccata contemnere, Dimittite delicta veſtra, & dimittentur vobis. Hoc autem ipſum quod nunc de veteri inſtrumento ponitur, in Eſaia Propheta ſcriptum legimus. Ibi enim dicitur. Vox clamantis in deſerto, Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius. Vult dominus in vobis reperire viam, vt poſſit in veſtras animas ingredi, & iter ſuum facere. Præparate ei ſemitam, de qua dicitur, *Rectas facite ſemitas eius. Vox clamantis in deſerto.* Vox clamat, *Præparate viam.* Primo enim vox ad aures peruenit: deinde poſt vocem imo cum voce, auditum ſermo penetrat. Iuxta hunc ſenſum à Ioanne annunciatus eſt Chriſtus. Videamos ergo quid vox de verbo annũciet. Præparate (inquit) viam domino. Quam viam domino præparemus? Nunquid corpoream? Aut poteſt ſermo Dei tali itinere pergere? An intrinſecus præparanda eſt domino, & in corde noſtro recta & æqualis ſemita componenda? Hæc eſt via per quam ingreſſus eſt ſermo Dei: qui in humani corporis capacitate conſiſtit. Magnum eſt cor hominis, & ſpacioſum, & capax, ſi tamen mundum fuerit. Vis eius magnitudinem, latitudinemque cognoſcere? Vide quantam diuinorum ſenſuum magnitudinem capiat. Ipſe ait, Dedit mihi eorum, quæ ſunt, notitiam, rationem mundi ſcire, & opera elemẽtorum, principium, & finem, & medietatem ſeculorum, temporum varietates, & tranſlationem menſium, annorum circulos, & ſyderum ſedes, naturas animalium, & furores beſtiarum, ſpirituum violentias, & cogitationes hominum, diuerſitates arborum, & vim radicum. Vides non paruum eſſe cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, ſed in fortitudine eius intellige: quæ tantam ſcientiam capiat veritatis. Vt autem & ſimplices quoſque quotidianis exemplis ad credendum adducam, quod grande ſit cor hominis, videamus. Quaſcunque vrbes trãſiuimus, habemus illas in animo: & qualitates, & ſitus platearum, murorumque, & ædificiorum in corde noſtro verſantur. Viam quam ingreſſi ſumus, in memoria picturæ, ac deſcriptione retinemus: mare quod nauigauimus tacita cogitatione amplectimur. Non eſt paruum, vt dixi, cor hominis, quod poteſt tanta capere. Si autem non eſt paruum tanta capiens, conſequenter in illo via domini præparatur, & recta fit ſemita vt ambulet in illa ſermo Dei atque ſapientia. Præpara viam domino per conuerſationem bonam, & egregiis operibus tene ſemitã: vt abſque offenſa vlla deambulet in te verbum Dei, & donet tibi myſteriorum ſuorum aduentúſque notitiam: Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 2.

VIdeamus quæ in Chriſti prædicuntur aduentu, inter quæ primum de Ioanne ſcribitur: *Vox clamantis in deſerto, Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius.* Et quod ſequitur, propriè de domino Saluatore eſt. Neque enim à Ioanne omnis vallis impleta eſt, ſed à domino Saluatore. Seipſum vnuſquiſque cõſideret, quis erat antequam crederet: tunc animaduertet vallẽ humilẽ, vallem ſe fuiſſe præcipitem, & in ima demerſam. Quando vero venit dominus Ieſus, & miſit ſpiritum ſanctum vicarium ſuum, vallis omnis expleta eſt. Expleta eſt autem operibus bonis, & fructibus ſpiritus ſancti. Charitas nõ ſinit permanere te vallem. Quod ſi pacem habueris, & ſapientiam & bonitatem, non ſolum vallis, eſſe deſines, ſed etiam mons eſſe incipies Dei. Quod tamen de gentibus quotidie magis fieri videmus atque compleri, Omnis vallis implebitur, quam de populo Iſrael, qui de excelſo depoſitus eſt. *Omnis* (inquit) *mons & collis humiliabitur.* Mons erat quondam ille populus, & collis: qui depoſitus eſt atque deſtructus. Illorum delicto ſalus gentibus data eſt ad æmulandum eos. Quod & ſi contrarias fortitudines, quę aduerſus mortales erigebantur, dixeris montes, & colles eſſe depoſitos: non peccabis. Vt etiam impleantur huiuſcemodi valles, humiliandæ ſunt. Sed & hoc quod in aduentu Chriſti prophetatum eſt, vtrum expletum ſit contemplemur. Sequitur enim, *Et omnia praua in directa.* Vnuſquiſque noſtrum prauus erat, ſi tamen non & vſque hodie perſeuerat, & per aduentum Chriſti, qui factus eſt ad animam noſtram, praua quoque directa ſunt. Quid enim tibi prodeſt, ſi Chriſtus quondam venit in carnem, niſi quoque ad tuam animam venerit? Oremus vt illius quotidie nobis aduentus fiat, & poſſimus dicere, Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Si etiam Chriſtus viuit in Paulo, & non viuit in me, quid mihi proderit? Cum autem & ad me venerit, & fruitus illo fuero, ſicut fruitus eſt Paulus, tunc & ego Paulo ſimiliter loquar: Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Conſideremus ergo cętera, quę in Chriſti prędicuntur aduentu. Nihil te aſperius erat. Vide priſtinos motus tuos, vide iram, & cętera vitia, ſi tamen ceſſauerunt eſſe, quę fuerant: & intelliges nihil te aſperius, & (vt ſignificantius loquar) nihil fuiſſe inæqualius. Conuerſatio tua inæqualis erat, & ſermo, & opera inæqualia. Venit ergo dominus meus Ieſus, & exæquauit aſperitates tuas: incompoſita quæque vertit in vias planas, vt fieret in te iter ſine offenſione, & læue atque puriſſimum, graderetúrque in te Deus pater, & Chriſtus dominus manſionem apud te faceret, diceretque. Ego & pater meus veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Sequitur, *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Tu quondam caro eras, imo vt mirabilius loquar, etiam adhuc in carne ſis, vides ſalutare Dei. Quid autem ſibi velit quod dicitur, *omnis caro*, eo quod nulla excipiatur quæ non videat ſalutare Dei: relinquo intelligendum his, qui ſciunt ſcripturarum myſteria.

Eſt ex Homil. in Lucam.

S. AMBROSII MEDIOL.
Epiſcopi, ſuperioris Euang. expoſitio.

F*Actum eſt verbum domini, &c.* Congregaturus
eccleſiam Dei filius, ante operatur in ſeruulo.
Et ideo bene poſuit ſanctus Lucas, factum eſſe
Dei verbum ſuper Ioannem Zachariæ filium in
deſerto: vt eccleſia non ab homine cœperit, ſed à
verbo. Ipſa enim eſt deſertum; quæ plures filij de-
Eſa.54. ſertæ magis quam eius, quæ habet virum. Deni-
Gſa.52. que ipſi dicitur; Lætare, ſterilis, & exulta deſer-
tum; quia nullis adhuc conuenæ plebis operibus
colebatur: neque vllum adhuc arbores illæ, quæ
fructum ferre poterant meritorum ſuorum verti-
Pſal.51. cem proferebant. Nondum venerat, qui diceret;
Ego autem ſicut oliua fructifera in domo domi-
ni. Nondum vitis illa cæleſtis fructus palmitibus
ſuis verborum quodā ſuorum traduce miniſtra-
bat. Factum eſt ergo verbum, vt quæ erat ante de-
ſerta, fructum nobis terra generaret. Factum eſt
verbum; vox ſecuta eſt. Verbum enim prius intus
operatur, ſequitur vocis officium. Vnde & Dauid
Pſal.115. dicit; Credidi, propter quod locutus ſum. Prius
credidit, vt loqui poſſet. Factum eſt autem ver-
bum, vt ſanctus Baptiſta Ioannes pœnitentiam
prædicaret. Et ideo plerique ſancto Ioanni typum
legis imponunt, eo quòd lex peccatum denun-
ciare potuit, donare non potuit. Lex enim vnum-
quemque, qui viam gentium ſequebatur, reuocat
ab errore, reſtringit à crimine, pœnitentiam ſua-
Matt.16. det, vt gratiam conſequatur. Lex autem, & pro-
phetæ vſque ad Ioannem: Ioannes autem præ-
nuncius Chriſti. Ita lex eccleſiæ prænuncia, &
gratiæ pœnitentia eſt. Bene itaque ſanctus Lucas
compendio vſus eſt; vt Ioannem declararet pro-
phetam, dicens factum eſſe ſupra eum verbum
Dei: alia non adderet. Nullus enim eget indicio
ſui, qui verbo Dei abundat. Vnum itaque dixit:
& omnia declarauit. At vero ſanctus Matthæus,
& Marcus & veſtitu, & cinctu, & cibo prophetam
declarare voluerunt: eo quòd veſtitum de pilis ca-
melorum habuit, & zonam pelliciam ſuper lum-
bos ſuos. Locuſtas autem, & mel ſilueſtre edebat.
Prænūcius enim Chriſti non patiebatur immun-
darum perire exuuias beſtiarum. Ipſo quoque ve-
ſtitus indicio deſignans Chriſtum eſſe venturum,
qui beluinis induuiis, quæ contexta ſunt per no-
ſtrorum deformitatem meritorum, gentilitatis
immundæ peccata ſuſcipiens, in illo trophæo
crucis amictu quodam ſe noſtræ carnis exueret.
Quid autem ſibi vult cinctus zonæ pelliciæ, niſi
quòd caro iſta, quæ mentem prius grauare con-
ſueuerat, ea poſt aduentum domini non impedi-
mento cœpit eſſe, ſed cingulo? Eo quòd & iuxta
Pſal.136. Dauid, In ſalicibus organa noſtra ſuſpendimus.
Philip.3. Et iuxta apoſtolum; Confidentiam non habemus
in carne, & confidentiam habemus in corpore:
non habemus in voluptatibus, habemus in paſ-
ſionibus: quo ſpiritu feruens vigeat affectus, &
ad omne accingamur obſequium cæleſtium præ-
ceptorum, deuotione mentis intenti, atque appa-
ratu corporis expediti. Cibus quoque propheti-
cus, index officij, nunciuſque myſterij eſt. Quid
enim tam ocioſum ad hominis officiū, quam lo-
cuſtas quærere: & quid tam plenum ad vatis my-
ſterium? Nam, quo magis ad fructum inutiles, ad
vſum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagæ ſal-
tu, ore ſtridulę ſunt locuſtæ, eo conuenientius huius
populi figura gentilis aptatur: qui nullo vſu labo-
ris, nullo operis ſui fructu, ſine grauitate, ſine vo-
ce ſonum querelæ ederet, verbum vitæ ignoraret.
Hic igitur populus cibus eſt prophetarum. Nam,
quo numeroſior populus congregatur: eo vberior
prophetici oris vſus augetur. Eccleſiæ quoque
gratia præfiguratur in melle ſilueſtri, non intra
alucarium legis plebis Iudaicæ fœtu reperta, ſed
in campis, & folijs ſiluæ; gentilium errore diffuſa,
iuxta quod ſcriptum eſt; Inuenimus eam in cam-
pis ſiluæ. Et hic quidem mel ſilueſtre edebat, an- *Pſal.131.*
nuncians populos de petra melle ſaturandos, ſi-
cut ſcriptum eſt; Et de petra melle ſaturauit eos.
Sic etiam Heliam coruí cibo aduenticio, inter de- *Pſal.80.*
ſerta pauerūt: vt indicio foret populos nationum, *3.Reg.17.*
tetro ſqualentes colore meritorum, qui ante ci-
bum fœtidis in cadaueribus requirebant, nunc de
ſe aduenticiam prophetis alimoniam præbituros.
Cibus enim prophetarum diuinæ voluntatis effe-
ctus eſt: ſicut ipſe dominus declarauit dicēs; Meus *Ioh.4.*
cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me mi-
ſit. *Vox clamantis in deſerto.* Bene vox dicitur Ioan-
nes verbi prænūcius. Nam interrogatus ipſe Ioan-
nes, quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis
in deſerto. Et ideo ait; Qui poſt me venit, ante me
factus eſt: quia vox præcedit inferior, verbum ſe-
quitur quod præcellit. Ideo & à Ioanne baptizari
voluit: quia in hominibus verbum conſecratur
voce doctoris. ideo fortaſſe & Zacharias vocem
recepit, quia vocem loquutus eſt.

S. GREGORII PAPAE,
in idem Euang. Homil.

REdemptoris præcurſor quo tempore verbum
prædicationis acceperit, memorato Roma-
næ reipublicæ principe, & Iudææ regibus deſi-
gnatur, cùm dicitur; *Anno quintodecimo imperij Tibe-
rij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha
autem, &c.* Quia enim illum prædicare veniebat,
qui ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus re-
dempturus erat, per regem gentium, & principes
Iudæorum prædicationis eius tempora deſignan-
tur. Quia autem gentilitas colligenda erat, & Iu-
dæa pro culpa perfidiæ diſpergenda, ipſa quoque
deſcriptio terreni principatus oſtendit, quoniam
& in Romana republica vnus præfuiſſe deſcribi-
tur, & in Iudææ regno per quartam partem plu-
rimi principabantur. Voce etenim noſtri redem-
ptoris dicitur; Omne regnum in ſeipſum diuiſum,
deſolabitur. Liquet ergo, quòd ad finem regni Iu- *Luc.11.*
dæa peruenerat, quæ tot regibus diuiſa ſubiace-
bat. Aptè quoque non ſolùm quibus regibus, ſed
etiam quibus ſacerdotibus actum ſit, demonſtra-
tur: vt, quia illum Ioannes baptiſta prædicaret,
qui ſimul rex, & ſacerdos exiſtereret, Lucas Euan-
geliſta prædicationis eius tempora per regnum,
& ſacerdotium deſignaret. *Et venit in omnem regio-
nem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſ-
ſionem peccatorum.* Cunctis legentibus liquet, quia
Ioannes baptiſmum pœnitentiæ non ſolùm præ-
dicauit, verum etiam quibuſdam dedit: ſed tamen
baptiſmum ſuum in remiſſionē peccatorum dare
non potuit. Remiſſio enim peccatorum in ſolo
nobis baptiſmate Chriſti tribuitur. Notandum
itaque

itaque, quod dicitur; *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*: quoniam baptiſmum, quod peccata ſolueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt, ſicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptiſmum pœnitentiæ, quo peccata ſoluuntur, præcurreret ſuo baptiſmate, quo peccata ſolui non poſſunt: vt, quia ſermo eius præcurrebat præſentiam redemptoris, ipſum quoque eius baptiſma præcedendo, fieret vmbra veritatis. Sequitur, *Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Eſaiæ prophetæ; Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Idem verò Ioãnes Baptiſta requiſitus quis eſſet, reſpon-
Ioan. 1. dit dicens; Ego vox clamantis in deſerto. Qui, ſicut ante nos dictũ eſt, ideò vox à propheta vocatus eſt, quia verbum præibat. Quid autẽ clamaret aperitur, cùm ſubditur; *Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius.* Omnis, qui fidem rectam, & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti Domino ad corda audientiũ viam parat? vt hæc vis gratiæ penetret, lumen veritatis illuſtret, vt rectas Deo ſemitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per ſermonem bonæ prædicationis format. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quid hoc loco vallium nomine, niſi humiles: quid montium, & collium, niſi ſuperbi homines deſignantur? In aduentu igitur redemptoris valles impletæ, montes verò, & colles hu-
Luc. 14. miliati ſunt: quia iuxta eius vocem, Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta creſcit: mons autem, & collis humiliatus decreſcit: quia nimirùm in fide mediatoris Dei, & hominum hominis Ieſu Chriſti, & gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ hoc, vnde tumebat, perdidit. *Omnis enim vallis implebitur*, quia corda humilium ſacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, iuxta hoc quod ſcriptum
Pſal. 103. eſt; Qui emittit fontes in cõuallibus. Et vnde rur-
Pſal. 64. ſum dicitur; Et conuales abundabunt frumento. A montibus nanque aqua delabitur: quia ſuperbas mẽtes veritatis doctrina deſerit. Sed fontes in conuallibus ſurgunt: quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conſpicimus: quia illorum ora pabulo veritatis impleta ſunt, qui mites, & ſimplices, huic mundo deſpicabiles eſſe videbantur. Ipſum quoque Ioannem Baptiſtam, quia mira ſanctitate præditum populus viderat, illum hunc eſſe ſingulariter celſum, ac ſolidum
Mich. 4. montem credebat, de quo ſcriptum eſt, In nouiſſimis diebus erit mons domus domini præparatus in vertice montium. Nam hunc eſſe Chriſtum putabat, ſicut per Euãgelium dicitur; Exiſtiman-
Luc. 3. te autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, quem & requirebant, dicentes; Nunquid Chriſtus es tu? Sed niſi idem Ioannes apud ſe vallis eſſet,
Ioan. 1. *Ibidem.* repletus gratię ſpiritu nõ fuiſſet. Qui vt hoc quod erat, oſtenderet, dixit; Venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calcea-
Ioan. 3. menti eius. Et rurſus ait; Qui habet ſpõſam, ſponſus eſt. Amicus autẽ ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc autem gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Ecce cùm pro mira operatione virtutum talis eſſet, vt Chriſtus eſſe crederetur, non ſolùm Chriſtum non ſe eſſe reſpõdit, ſed etiam corrigiam calceamẽti eius ſoluere, id eſt, incarnationis eius myſteriũ perſcrutari non ſe dignum eſſe perhibuit. Eius eſſe ſponſam Eccleſiam credebãt, qui hunc, quia Chriſtus eſſet, putabant. Sed ait; Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, ac ſi diceret; Ego ſponſus non ſum, ſed amicus ſponſi ſum. Nec propter vocẽ ſuam, ſed in voce ſponſi gaudere ſe perhibebat: quia nõ ideò lætabatur in corde, quoniã à populis humiliter audiebatur loquens, ſed quia ipſe vocem veritatis audiebat intùs, vt loqueretur foràs. Quod bene gaudium impletũ dicit: quia quiſquis de ſua voce gaudet, plenum gaudium non habet. A quo & ſubditur; Illum oportet creſcere, me autem minui. Qua in re quęrendũ eſt, in quo creuit Chriſtus, in quo minutus eſt Ioannes: niſi quòd populus Ioãnis abſtinentiã videns, remotũ hunc ab hominibus eſſe conſpiciens, eum Chriſtum eſſe putabat. Chriſtum verò cum publicanis comedentem, inter peccatores ambulãtem intuens, eum non Chriſtum, ſed prophetam eſſe credebat. Sed cùm per acceſſum tẽporis & Chriſtus, qui propheta eſſe putabatur, Chriſtus eſt agnitus: & Ioannes, qui Chriſtus eſſe credebatur, propheta eſſe innotuit, impletũ eſt, quod de Chriſto ſuus præcurſor prædixit; Illũ oportet creſcere, me autem minui. In ęſtimatione quippe populi & Chriſtus creuit, quia agnitus eſt, quod erat: & Ioãnes decreuit, quia ceſſauit dici, quod non erat. Igitur quoniam & idem Ioannes ideò in ſanctitate præſtitit, quia in cordis humilitate perdurauit, & multi idcircò ceciderunt, quia apud ſemetipſos elata cogitatione tumuerunt, dicatur rectè; *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur*: quia humiles donum accipiunt, quod à ſe corda ſuperbientium repellunt. Sequitur; *Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Praua directa fiunt, cùm malorum corda per iniuſtitiam detorta, ad iuſtitiæ regulam diriguntur. Et aſpera in vias planas immutantur, cùm immites, atque iracundæ mentes, per infuſionem ſupernæ gratiæ ad lenitudinem manſuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quaſi aſperitas itineris greſſum pergentis repellit. Sed cùm mens iracunda per acceptam manſuetudinis gratiam, correptionis, vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi priùs per aſperitatem itineris pergere, id eſt, prædicationis greſſum ponere non valebat. Sequitur; *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Quia omnis caro, accipitur omnis homo, ſalutare Dei, videlicet Chriſtum, in hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac ſententia propheta prophetiæ oculum, niſi ad extremum iudicij diem tendit? Vbi cùm apertis cælis, miniſtrantibus angelis, conſedentibus apoſtolis, in ſede maieſtatis ſuæ Chriſtus apparuerit, omnes hunc & electi, & reprobi pariter videbunt: vt & iuſti de munere retributionis ſine fine gaudeant, & iniuſti in vltione ſupplicij in perpetuum gemãt. Nam quia ad hoc iſta ſententia intendit, quòd in extremo examine ab omni carne videbitur, rectè ſubiungitur; *Dicebat autem ad turbas, quæ exibant vt baptizarentur ab eo; Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Ventura enim ira eſt animaduerſio vltionis extremæ: quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et notandum, quòd, dum malæ ſoboles malorum parentum actiones imitantur,

genimina

genimina viperarum vocātur: quia per hoc, quod bonis inuident, eoſque perſequuntur, quod quibuſdam mala retribuunt, quòd læſiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum ſuorum carnalium vias ſequuntur, quaſi venenati filij de venenatis parentibus nati ſunt. Sed, quia iam peccauimus, quia vſu malæ conſuetudinis inuoluti ſumus, dicat quid nobis faciendum ſit, vt fugere à ventura ira valeamus. Sequitur; *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* In quibus verbis notandũ eſt, quòd amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentię, ſed dignos fructus pœnitentię admonet eſſe faciẽdos. Aliud eſt nãque fructum facere, aliud dignum fructum pœnitentiæ facere. Vt enim ſecundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: ſicq́ue pietatis opera faciat, vt tamen, ſi voluerit, ea, quæ mundi ſunt non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe (quod eſt grauius) in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe.

Opera ſatisfactoria pro peccatis ſunt digni fructus pœnitentiæ.

Neque enim par fructus boni operis eſſe debet eius, qui minùs, & eius, qui ampliùs deliquit: aut eius, qui nullis, & eius, qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & eius, qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dicitur; *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tantò maiora quærat bonorũ operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora ſibi intulit damna per culpam. Sed Iudęi de generis nobilitate gloriãtes, idcirco ſe peccatores agnoſcere nolebant, quia de Abrahæ ſtirpe deſcenderant: quibus rectè dicitur; *Et ne cœperitis dicere; Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quid enim lapides, niſi corda gentilium fuerunt, ad intellectum Dei omnipotentis inſenſibilia? Sicut etiam quibuſdam ex Iudæis

Ezech. 12. dicitur; Auferam cor lapideum de carne veſtra. Nec immeritò lapidum nomine gentes ſignificatę

Pſal. 118. ſunt, quę lapides coluerunt. Vnde ſcriptum eſt; Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. De quibus nimirum lapidibus filij Abrahę ſuſcitati ſunt: quia, dum dura corda gentilium in Abrahę ſemine, id eſt, in Chriſto crediderunt, eius filij facti ſunt, cuius ſemini ſunt vniti. Vnde & eiſdem gentibus per egregium prædicatorem dicitur; Si autem vos Chriſti, ergo ſemen

Galat. 3. Abrahę eſtis. Si igitur nos per fidẽ Chriſti Abrahę ſemen exiſtimus, Iudęi propter perfidiam Abrahę filij eſſe deſierunt. Quia verò illo die tremendi examinis, parentes boni malis filiis prodeſſe non

Ezech. 14. poſſunt, teſtante propheta, qui dicit; Noe, Daniel, & Iob, ſi fuerint in medio eorum, viuo ego, dicit dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt, ſed ipſi in iuſtitia ſua liberabũt animas ſuas. Et rurſùm, quia boni filij nihil malis parentibus proſint, ſed ad reatum potiùs parentum malorum proficiat bonitas filiorum, ipſa per ſe veritas Iu-

Luc. 11. dęis non credentibus dicit; Si ego in Belzebub eiicio dęmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt. Sequitur; *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Arbor huius mundi, eſt vniuerſum genus humanum: ſecuris verò, eſt redemptor noſter, qui velut ex manubrio, & ferro tenetur ex humanitate, ſed incidit ex diuinitate. Quæ videlicet ſecuris iam ad radicem arboris ſita eſt, quia etſi per patientiam exſpectat, videtur tamen, quid factura eſt. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: quia vnuſquiſque peruerſus paratam citiùs gehennæ concremationem inuenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit. Et notandum, quòd ſecurim, non iuxta ramos poſitam, ſed ad radicem dicit. Cùm enim malorum filij tolluntur, quid aliud quam rami infructuoſę arboris abſcinduntur? Cùm verò tota ſimul progenies cum parente tollitur, infructuoſa arbor à radice abſciſſa eſt, ne iam remaneat, vnde iterum praua ſoboles ſuccreſcat. In quibus Ioannis Baptiſtę verbis conſtat, quòd audientium corda turbata ſunt, cùm protinus ſubinfertur; *Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus?* Perculſæ enim terrore fuerant, quæ conſilium quęrebant. Sequitur; *Reſpondens autem dicebat illis, Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Per hoc quòd tunica plùs eſt neceſſaria vſui noſtro, quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, vt non ſolùm exteriora quæque, & minùs neceſſaria ſed ipſa valde nobis neceſſaria, diuidere cum proximis debeamus, ſcilicet, vel eſcã, qua carnaliter viuimus: vel tunicam, qua veſtimur. Quia enim in lege ſcriptum eſt; Di- *Leuit. 19.*
liges proximum tuum ſicut teipſum, minùs proximum amare conuincitur, qui non cum eo in neceſſitate illius, etiam ea, quę ſibi ſunt neceſſaria, partitur. Idcirco ergo de diuidendis cum proximo duabus tunicis datur pręceptum, quia hoc de vna dici non potuit: quoniam, ſi vna diuidatur, nemo veſtitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet, qui accipit, & nudus qui dedit. Inter hæc autem ſciẽdum eſt quantùm opera miſericordiæ valeãt, cùm ad fructus dignos pœnitentię ipſa pręcęteris pręcipiuntur. Hinc etiam per ſemetipſam veritas dicit; Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Hinc rurſus ait; Date, & dabitur vobis. Hinc ſcriptum eſt; Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Hinc iterum dicitur; Concinde eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Hinc bonus pater innocentem filium admonet, dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Vt autem quãta eſſet virtus in continẽtia & ſuſceptione indigentium, redemptor noſter oſtenderet, dicit; Qui recipit prophetam in nomine prophetę, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. In quibus verbis notandum eſt, quia non ait, mercedem de propheta, vel mercedem de iuſto, ſed mercedem prophetæ, & mercedem iuſti accipiet. Aliud eſt enim merces de propheta, aliud merces prophetę: atque aliud merces de iuſto, aliud merces iuſti. Quid eſt enim dicere, mercedem prophetę accipiet, niſi quia is, qui prophetam ſua largitate ſuſtentat, quamuis ipſe prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum, prophetiæ præmium habebit? Iſte enim fortaſſis iuſtus eſt, & quantò in hoc mundo nihil poſſidet, tantò loquendi pro iuſtitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille ſuſtentat, qui in hoc mundo aliquid poſſidet, & fortaſſe pro iuſtitia adhuc loqui liberè non pręſumit, iuſtitię illius libertatẽ ſibi participem facit: vt cum eo pariter iuſtitiæ pręmia percipiat, quem ſuſtentando adiuuit, quatenus can

Operũ miſericordiæ quãta vis.

Luca 11. Luca 6. Eccleſ. 3. Eccleſ. 29. Iob 4. Matth. 10.

nùs eandem iuſtitiam liberè loqui potuiſſet. Ille prophetiæ ſpiritu plenus eſt, ſed tamen corporeo eget alimento: & ſi corpus non reficitur, certum eſt, quòd ipſa vox ſubtrahatur. Qui igitur alimentum prophetę, propter hoc quod propheta eſt, tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cùm propheta ergo mercedem prophetæ accipiet, qui etſi ſpiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quòd adiuuit. Hinc eſt enim, quòd de quibuſdam peregrinantibus fratribus Gaio per Ioannem dicitur; Pro nomine enim Christi profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, vt cooperatores ſimus veritatis. Qui enim ſpiritualia dona habentibus temporalia ſubſidia tribuit, in ipſis donis ſpiritualibus cooperator exiſtit. Nam cùm pauci ſint, qui ſpiritualia dona percipiunt, & multi, qui rebus temporalibus abundant: per hoc ſe diuites virtutibus pauperum inſerunt, quo eiſdem ſanctis pauperibus de ſuis diuitiis ſolatiantur. Vnde cùm per Eſaię vocem dominus derelictę gẽtilitati, id eſt, ſanctę Eccleſię ſpiritualium virtutum merita, tanquam deſerta arbuſta promitteret, vlmum quoque pariter promiſit dicens; Ponam deſertum in ſtagnum aquæ, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam, myrtum, & lignum oliuę. Ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul, vt videant, & ſciant, & recogitent & intelligant pariter. Deſertum quippe dominus in ſtagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum poſuit: quia gẽtilitati, quę priùs per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta ſanctę prędicationis dedit: & ipſa, ad quam priùs pro aſperitate ſuę ſiccitatis via prędicatoribus non patebat, doctrinæ poſtmodùm riuos emanauit. Cui adhuc ex munere magno promittitur: Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam. Cedrum, quia magni odoris eſt, atque imputribilis naturæ, iure accipimus in promiſſione. De ſpina verò cùm peccanti homini dictum ſit, Terra tua ſpinas, & tribulos germinabit tibi: quid mirum, ſi ſanctæ Eccleſiæ illud promittitur, quod peccanti homini pro pœna multiplicatur? Sed cedri ſignificantur nomine ij, qui virtutes & ſigna exhibent in ſua operatione, qui dicere cum Paulo valent; Chriſti bonus odor ſumus Deo: quorum corda ita interno amore ſolidata ſunt, vt ea iam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per ſpinam verò ſignati ſunt doctrinæ ſpiritualis viri: qui cùm de peccatis, ac virtutibus diſſerunt, & modò æterna ſupplicia minantur, modò cœleſtis regni gaudia promittunt, cor audientium pungunt: ſicque mentem dolore compunctionis perforant, vt ab eorum oculis quaſi quidam ſanguis animę, lachrymę decurrant. Myrtus verò temperatiuę virtutis eſt, ita vt diſſoluta membra temperando conſtringat. Qui itaque per myrtum, niſi ij deſignati ſunt, qui afflictionibus proximorum compati ſciunt, eorúmque tribulationem per compaſſionem temperant? iuxta hoc quod ſcriptum eſt; Gratias autem Deo, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Qui dum afflictis proximis verbum, vel opem conſolationis ferunt, eos proculdubiò ad ſtatum rectitudinis reſtringunt, ne immoderata tribulatione in deſperatione ſoluantur. Quos autem per oliuam, niſi miſericordes accipimus? Quia Græcè eleos miſericordia vocatur, & quaſi oliuæ liquor ante omnipotentis Dei oculos miſericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promiſſione ſubiungitur, Ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul. Qui per abietem, quæ valdè creſcendo ad aeris alta ſuſtollitur, niſi ij deſignati ſunt, qui intra ſanctam Eccleſiam adhuc in terrenis corporibus poſiti, iam cœleſtia contemplantur: & quamuis naſcendo de terra exeunt, contemplando tamen iam iuxta æthera verticem mentis tollunt? Et quid per vlmum, niſi ſecularium mentes expreſſæ ſunt, quæ dum terrenis adhuc curis inſeruiunt, nullum virtutum ſpiritualium fructum ferunt? Sed etſi fructum proprium vlmus non habet, portare tamen vitem cum fructu ſolet: quia & ſeculares viri in ſancta Eccleſia, quamuis virtutum ſpiritualium dona non habeant, dum tamen ſanctos viros donis ſpiritualibus plenos ſua largitate ſuſtentant, quid aliud quàm vitem cum botris portant? Buxus autem quos alios deſignat, quæ in altum non proficit, & quamuis fructum non habeat, viriditatem habet, niſi eos, qui intra ſanctam Eccleſiam adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, ſed tamen parentum fidelium credulitatem ſequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent? Poſt quæ omnia aptè ſubiungitur, Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter. Ad hoc enim cedrus in Eccleſia ponitur, vt quiſquis à proximo odorem virtutum ſpiritualium trahit, ipſe quoque ab æternæ vitæ dilectione non torpeat, ſed ad donorum cœleſtium deſideria ignescat. Ad hoc ſpina ponitur, vt, qui prædicationis eius verbo compũctus fuerit, ipſe quoque exemplo illius diſcat corda ſequentium prædicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur, vt, qui in ardore tribulationis ab ore, vel opere proximi compatientis temperamentum conſolationis acceperit, ipſe etiam diſcat, quemadmodum afflictis proximis ſuæ conſolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliua ponitur, vt, qui aliena miſericordiæ opera cognoſcit, diſcat quemadmodum debeat indigenti proximo & ipſe miſereri. Ad hoc abies ponitur, vt quiſquis vim contemplationis eius agnouerit, ipſe quoque ad contemplanda æterna præmia ſuccendatur. Ad hoc vlmus ponitur, vt quiſquis eum intuetur, qui habere virtutum ſpiritualium fructum non valet, ſed tamen eos, qui ſpiritualibus donis ſunt repleti, ſuſtentat, ipſe quoque ſanctorum vitæ quanta valet largitate inſeruiat, & cœleſtium bonorum botros, quos gignere non valet, ſuſtentando ferat. Ad hoc buxus ponitur, vt, qui habere multos adhuc in infirmitate poſitos, veræ fidei viriditatem cõſiderat, etiam eſſe ipſe infidelis erubeſcat. Benè ergo deſcriptis prius arboribus dicitur; Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant: vbi & aptè ſubiũgitur, Pariter: quia cùm intra ſanctam Eccleſiam diuerſi hominum mores, diuerſi ſunt ordines, neceſſe eſt vt omnes ſimul diſcant, dum in ea ſpirituales viri diuerſæ qualitatis, ætatis, & ordinis ad imitandum ſimul videntur. Sed ecce nos dum monſtrare vlmum quærimus, per multa arbuſta longiùs euagati ſumus. Ad hoc itaque propter quod prophetæ teſtimonium protulimus, reuertamur. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, quia etſi fructum vlmus non habet, vitem tamen cum fructibus

Epiſtola Ioan. 3. — Eſai. 41. — Geneſ. 3. — 2. Cor. 1.

ctibus portat. Hæc ipſa ſua efficit, quæ bene ſuſtētat aliena. Quia verò ad magna nos opera Ioannes admonet, dicens; Facite fructus dignos pœnitentię. & rurſum: Qui habet duas tunicas, det non
Mat.11. habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat: iam patenter datur intelligi, quid eſt quod veritas dicit; A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Quæ ſupernę verba ſententię nobis ſunt magnopere perſcrutanda. Nam quærendum eſt, quomodò vim perpeti regnum cælorum poſſit. Quis enim cælo violentiam irrogat? Et rurſum quærendum eſt, ſi pati vim cælorum regnum poteſt, & violenti rapiunt illud, cur eandem vim à diebus Ioannis Baptiſtæ, & non etiam antè pertulerit. Sed cùm lex dicat; Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur: cunctis legentibus liquet, quia peccatores quoſque pœna ſuæ ſeueritatis perculit, non autem per pœnitentiam ad vitam reduxit. Cùm verò Ioannes Baptiſta redemptoris gratiam præcurrēs, pœnitentiam prædicat, vt peccator, qui ex culpa eſt mortuus, per conuerſionem viuat, profectò à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cęlorum, vim patitur. Quid eſt autem regnum cælorum niſi locus iuſtorum? Solis enim iuſtis cęleſtis patrię prętmia debentur, vt humiles, caſti, mites, atque miſericordes, ad gaudia ſuperna perueniant. Cùm verò quis vel ſuperbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accēſus, vel crudelitate impius, poſt culpas ad pœnitentiam redit, & vitam ęternam percipit, quaſi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Ioannis Baptiſtę regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quàm cęlorum regno fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres chariſſimi, mala, quę fecimus, & noſmetipſos aſſiduis lamentis atteramus. Hereditatem iuſtorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti, nam regnum cælorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis non debetur. Ab ſpei ergo certitudine nulla nos malorum noſtrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Pręſtat magnam venię fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, vnde latro: nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Cogitate rogo, cogitate quàm ſint incomprehenſibilia in omnipotenti Deo miſericordię viſcera. Latro iſte cruentis manibus abſtractus à facie itineris, ſuſpenſus eſt in patibulo crucis. Ibi confeſſus, ibi ſanatus, ibi audire meruit; Hodie mecum eris in paradiſo. Quid eſt hoc? quis tantam bonitatem Dei poſſit dicere? quis æſtimare ſufficiat? De ipſa pœna criminis peruenit ad præmia virtutis. Idcircò autem omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, vt aliis in culpa iacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem venię reddat, vt eis per lamenta pœnitentię viam veritatis aperiat. Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus, & dignis pœnitentię fructibus culpas. Tempora indulta non pereant: quia qui multos à ſuis iniquitatibus iam ſanatos aſpicimus, quid aliud quàm ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus?

Regnum cælorũ rapitur pœnitentia.

Luce 23.

S. TITVS BOSTRORVM

epiſcopus, in idem Euang.

A*Nno autem quintodecimo.* Commodè Euangeliſta temporis, & principum, qui tum imperabant, meminit. *Anno*, inquiens, *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris*: quò hinc nimirum diſcamus, quando Deus & dominus noſter Ieſus Chriſtus homo factus eſt, iam tum omnem omnino Principem & Ducem de familia Iudæ defeciſſe. Homines verò alienigenas, Pilatum videlicet, qui Romanorum locum tenebat, & Herodis Aſcalonitæ filios regni ſceptra tenuiſſe. Aderat iam enim ille, cui imperium, veluti depoſitum, aſſeruabatur: nempe Chriſtus DEVS noſter. Principes autem de tribu Iuda, iuxta Patriarchæ Iacob prædictionem imperare iam tum prorſus defierant. *Factum* Gene.49. *eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Hæc clarè oſtendunt, Ioannem ad Baptiſmi & verbi miniſterium ſe non ingeſſiſſe; ſed à Deo vocatum, & miſſum fuiſſe. Cæterùm vnum hoc munus in cauſa fuit, cur tam ſtupenda & admirabilia, in ipſo ſtatim initio, circa illum acciderint. Oportebat enim non modò CHRISTVM ipſum; ſed CHRISTI quoque præcurſorem idoneum apud omnes haberi, cuius dictis fides accommodaretur. *In eremo.* Cur verbum Dei, factum eſt ad Ioannem in eremo? Non citra myſticam rationem id factum eſt: quia enim plures futuri erant filij deſertæ, quàm nuptæ, eius rei gratia in deſerto prædicandi exordium facit; niſi enim hic facti huius ſcopus extitiſſet, in deſerto verba facere ſuperuacaneum erat. *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Baptiſma CHRISTI ex vi propria, perfectam peccatorum remiſſionem habet. At Ioannis verò Baptiſma, licet peccatorum remiſſionem adiunctam habebat, non eam tamen ex ſe habebat, ſed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum; quamuis cæteris Iudæorum Baptiſmatis perfectius: præparabat enim homines ad pœnitentiam; eoſdemque, qui CHRISTI Baptiſmum aliquando ſuſciperent, capaces reddebat. *Parate viam domini rectas facite ſemitas eius.* Quia verò Ioannes CHRISTI præcurſor erat, Vox rurſum, & non Verbum (anteuertit enim vox verbum) ea propter tanquam Domino nondum præſente: *Parate viam Domini*, inquit. Hoc eſt, miſſis veteris legis vmbris, ad illorum ſuſceptionem vos comparate, quæ ipſe decreturus, & promulgaturus eſt. *Rectas facite ſemitas eius.* Is Dei ſemitas rectas facit, qui per illius iuſtitiam graditur: Si quidem malitia & improbitas res obliqua & ſinuoſa eſt. *Omnis vallis implebitur, &c.* Hac oratione Propheta Eſa.40. obiectioni, quę ab aliquo hæſitante fieri fortè poterat, obuiam it. Quia enim dixerat: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius*; ardua autem & ſpinoſa, & propter plurima impedimenta, res penè inacceſſa eſt virtus: (opponunt ſe huic enim maligni ſpiritus, tum internæ quoque, externæque animi perturbationes) quomodo, dicere quis Prophetæ poterat, cùm tot vbique obſtent obices, fieri poteſt, vt per virtutis viam rectà incedamus? Ipſe ergo obiectionem eiuſmodi excipiens, ita reſpōdet: Nihil vereâre, ſiquidem omne illud, quod virtutis curſum antè impediebat, per CHRISTVM è medio ſubmouebitur, & emendabitur. Si qua profunda, & ob id tranſitu difficilis, vallis occurrerit,

Hoc eſt quod dicunt, ſacramenta nouæ legis ex opere operato conferre gratiã.

occurrerit, ea ad ſuperficiem vſque implebitur, ſolóque æquabitur. Rurſum ſi mős quiſpiam, aut collis ſemitam intereeperit, adeóque iter laborioſum moleſtumque reddiderit, is quoque humiliabitur, & in viam planã redigetur. Denique omnia poſt hac erunt directa & peruia. Per profundas autem valles; per montes itidem & colles, inconcinnos ſenſuum motus, inconditaſque animi perturbationes, & omnia omnino obſtacula, quæ dæmonum malitia obiicit, deſignat. Paucis quod oraculum habet, eiuſmodi eſt: omnia quæ hactenus virtutem, viamque, quæ ad Deum ducit, difficilem effecerunt, ea per Chriſtum auferentur, ſoloque ſternentur: ita vt omnia iis in poſterum futura ſint plana, qui iter hoc carpere voluerint. Sunt autem iſthæc plana & leuia ad hunc ſenſum facta; quia Chriſtus ſathanam fregit, eundemque ſub ſeruorũ ſuorum pedibus ſtrauit; incenſos autem carnis ardores, prauaſque eiuſdem cupiditates in ſeipſo ſedauit & aboleuit. *Et videbit omnis caro ſalutare* DEI. Non modò Iudæos, aut proſelythos; ſed vniuerſam mortalium naturam Dei clementia & benignitate poſt hac potituros oſtendere volens, ſubiungit: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* quaſi dicat: ſalutaris horum Euangeliorum virtus, cœleſtiſque doctrinæ notitia, vſque ad orbis terræ fines proſeminabitur; proſeminataque mortalium genus à ferina illa, beluinaque viuendi conſuetudine, mentiſque duritia, & feritate, in magnam quandam animi manſuetudinem, morúmque ſuauitatem conuerſura eſt. Siquidem per praua illa & tortuoſa, quæ paulò antè per Chriſtum corrigenda monuerat, quoſuis corruptæ deprauatęque vitę homines inſinuat: cuiuſmodi, inter cęteros, erant & ſunt publicani, meretrices, fures, latrones, Magi, &c. Hi enim cùm dudum antè fuiſſent peruerſi, tandem aliquando viam rectam terere cœperunt. Et hoc eſt, quod
Mat. 21. dominus Iudæis alicubi obiicit, dicens: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*

BEDAE VENERABILIS *presbyt. in idem Euang.*

Ex comment. in Lucam. ANno autem quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, &c. Herodes, Philippus, & Lyſanias, qui cũ Pilato præſide Romano Iudæam regebant, filij ſunt Herodis illius, ſub quo dominus natus eſt, inter quos & ipſum. Herodem Archelaus frater eorum decem annis regnauit. Qui à Iudæis ob intolerabilem animi ferocitatem, apud Auguſtum criminatus, æterno apud Viennam diſperiit exilio. Regnum vero Iudææ quo minus validum fieret, idem Auguſtus per tetrarchias diſcindere curauit. Porro Pilatus duodecimo anno Tiberij Cæſaris Iudæam miſſus procurationem gẽtis ſuſcepit, atque inibi per decem continuos annos vſque ad ipſum pene finem Tiberij perdurauit. *Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, &c.* Ambo quidem incipiente prædicationem Ioanne, id eſt Annas, & Caiphas principes fuere ſacerdotum, ſed Annas illum annum, Caiphas vero eum, quo dominus crucem aſcendit, adminiſtrabat, & quidem tribus aliis in medio pontificatu perfunctis, verum his maximè, qui ad domini paſſionẽ pertinerent, ab euangeliſta commemoratis. Legalibus nanque tunc præceptis vi, & ambitione ceſſantibus, nulli pontificatus honor vitæ, vel generis merito reddebatur, ſed Romana poteſtate aliis, nunc item aliis ſumma ſacerdotij præſtabatur. Denique Ioſephus refert in hũc modum dicens; Valerius Gratus, Anna ſacerdotio deturbato, Iſmahelum pontificem deſignauit filium Baffi. Sed & hunc nõ multo poſt abiiciens, Eleazarum Annaniæ pontificis filium pontificatui ſubrogauit. Poſt annum vero etiam hunc arcet officio, & Simoni cuidam Canyſi filio pontificatus tradidit miniſterium. Quo non amplius & ipſe quàm vnius anni ſpatio perfunctus, Ioſephum, cui & Caiphas nomen fuit, accepit ſucceſſorem. Ac per hoc omne tempus, quo dominus noſter in terris docuiſſe deſcribitur, intra quadriennij ſpatia coarctatur. In quo quatuor iſtæ, quas Ioſephus memorat ſucceſſiones pontificum deſcribuntur, vix per annos ſingulos miniſtratæ. Quia ergo Ioannes illum prædicare veniebat, qui & ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium, & principes Iudæorum, prædicationis eius tempora deſignantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidię diſpergenda, ipſa quoque deſcriptio terreni principatus oſtendit, quoniam & in Romana republica vnus præfuiſſe deſcribitur, & in Iudęæ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce enim noſtri redemptoris dicitur; Omne regnum in ſeipſo diuiſum, deſolabitur. Liquet ergo quod ad finem regni Iudæa peruenerat, quæ tot regibus diuiſa ſubiacebat. Apte quoque nõ ſolũ ſub quibus regibus, ſed ſub quibus etiã ſacerdotibus actũ ſit, demõſtratur. Vt quia illum Ioannes baptiſta prædicaret, qui ſimul rex, & ſacerdos exiſteret, Lucas euangeliſta prædicationis eius tempora per regnum, & ſacerdotiũ deſignauit. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans, &c.* Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes baptiſmum pœnitentiæ non ſolum prædicauit, verum etiam quibuſdam dedit, ſed tamen baptiſmum ſuum in remiſſionem peccatorum dare non potuit. Remiſſio etenim peccatorum, in ſolo nobis baptiſmo CHRISTI tribuitur. Notandum itaque, quod dicitur, *prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, quoniam baptiſmum quod peccata ſolueret, quia dare non poterat, prædicabat. Vt ſicut incarnatum verbum patris præcurrebat verbo prædicationis: ita baptiſmum pœnitentiæ quo peccata ſoluuntur, præcurreret ſuo baptiſmate, quo peccata ſolui non poſſunt. *Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonũ Eſaiæ prophetæ; Vox clamantis, &c.* Idem vero Ioannes Baptiſta requiſitus quis eſſet, reſpondit, ego vox clamantis in deſerto. qui ideo vox à propheta vocatus eſt, quia verbum præibat. qui etiam in deſerto clamat, quia derelictæ, ac deſtitutæ Iudææ, ſolatium redemptionis adnunciat. Quid autem clãmaret, aperitur, cum ſubditur; *Parate viam domini, rectas facite ſemitas eius.* Omnis, qui fidem rectam, & bona opera prædicat, quid aliud quam venienti domino ad corda audientium viam parat? Vt hæc vis gratiæ penetret, & lumen veritatis illuſtret, vt rectas Deo ſemitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per ſermonem bonæ prædicationis format. *Omnis vallis implebitur, & omnis mõs, & collis humiliabitur.* Quid hoc loco vallium nomine, niſi humiles, quid montium, & collium, niſi ſuperbi homines deſignantur? In aduentu igitur

redemptoris valles impletæ, montes vero, & colles humiliati ſunt. Quia iuxta eius vocem omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta creſcit, mons autem, & collis humiliatus decreſcit. Quia nimirum in fide mediatoris Dei, & hominũ, hominis IESV CHRISTI, & gẽtilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidię hoc, vnde tumebat, perdidit. *Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Praua in directa fiunt, cum malorum corda per iniuſtitiam detorta ad iuſtitiæ regulam diriguntur. Et aſpera in vias planas immutantur, cũ immites, atque iracundæ mẽtes, per infuſionem ſupernæ gratiæ ad lenitatem manſuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quaſi aſperitas itineris greſſum pergentis repellit. Sed, cum mens iracunda per acceptam manſuetudinis gratiam correptionis, vel exhortationis verbũ recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi prius pro aſperitate itineris pergere, id eſt, prędicationis greſſum ponere non valebat. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Quia omnis caro accipitur omnis homo, ſalutare Dei videlicet CHRISTVM in hac vita omnis homo videre non potuit. Vbi ergo in hac ſententia propheta prophetiæ oculum, niſi ad extremi iudicij diem tendit? Vbi cum apertis cælis, miniſtrantibus angelis, conſedentibus Apoſtolis, in ſede maieſtatis ſuæ CHRISTVS apparuerit, omnes hunc & electi, & reprobi pariter videbunt, vt & iuſti de munere retributionis ſine fine gaudeant, & iniuſti in vltione ſupplicij in perpetuum gemant. Nam quia hoc iſta ſententia intendit, quòd in extremo examine ab omni carne videbitur, ſequentia indicant.

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

ANno autem decimoquinto imperij Tiberij Cæſaris, Pontio Pilato præſide Iudææ, &c. Rectè memor eſt & temporis, & principum illorum: vt ſic demonſtret defeciſſe Iudaicorum principum ſucceſſionem, præſidatum Pilato homine alterius gentis, tetrarchatum autẽ Herodis Aſcalonitę filiis tenentibus: credatúrque merito adeſſe Chriſtus, iuxta prophetiam Iacob. *Factum eſt autem*, inquit, *verbum Dei ſuper Ioannem*: vt diſcas illum non temere, neque citra vocationem ad teſtificandum Chriſto proſiliiſſe, ſed diuino motum ſpiritu. Per verbum intellige ſpiritum ſanctum, vel mãdatum Dei. (Gen. 49.) Factum eſt autem in deſerto verbum Dei ad Ioannem. quãdoquidem enim filios deſertę multiplicaturus erat, eccleſiam dico ex gentibus, magis quàm eius, quę habet virum, hoc eſt, Iudaicę ſynagogæ, merito in deſerto fit ad Ioannem verbum, & mandatum Dei. Prędicauit item baptiſma pœnitentiæ populis, hoc eſt, inuulgauit. Porrò baptiſma cooperabatur illis in remiſſionem peccatorum, quæ per baptiſmum Chriſti datur. Neque enim baptiſma Ioannis remiſſionem peccatorum habebat, ſed ad remiſſionem conferebat: (*Vn baptiſma tu Ioannis preparatoria ad remiſſionem peccatorum.*) hoc eſt, pręparabat homines, vt acciperent baptiſma, quod habebat remiſſionem peccatorum. *Sicut Scriptum eſt in libro ſermonum Eſaiæ prophetæ dicentis, &c.* Via quidem, quam iubet parari, vita eſt Chriſtiana. Prædicaturus enim erat Chriſtus, quantum nunquam. Semitas verò dicit mandata legis iam trita, quæ præcipit recta facere. Peruertebant enim mandata phariſæi. Poteſt item per viam anima intelligi, ſemitæ vero cogitationes, & opera. Oportet igitur, vt nos præparemus & animam, rectáſque faciamus cogitationes, ac opera. Deinde quaſi interrogante quopiam, & quo pacto hoc faciemus? Virtus enim ardua eſt, ac difficilis, multóſque anfractus habet, & obliquitates, & propter poteſtates aduerſarias, & propter affectiones, quæ in nobis habitãt: dicit non fore operoſum, ſed omnino facile. Nam valles, inquit, implebuntur: omniſque mons, & collis, aduerſariæ nimirum poteſtates, quæ propter ſuperbiam ſe extollunt, humiliabuntur. Vere enim infirmatæ ſunt poteſtates illæ aduerſariæ, & poteſtates, quæ natura nobis videntur inſitæ. Facta igitur ſunt omnia facilia, & obliqua verſa ſunt in recta. Chriſtus enim aduerſarias poteſtates protriuit, quæ hoc loco montes, ac colles dicuntur, & naturales noſtras inclinationes ad bonũ reunificauit, quas dixit Euangeliſta valles, quæ implẽtur. Nam propterea incarnatus eſt, vt naturam noſtram reſtitueret. *Et omnis*, inquit, *caro videbit ſalutare Dei*, non Iudæi tãtum, & proſelyti, ſed omnis caro. Etenim in omnem terram peruenit Euangelium. Poſſent quidem & alia multa dici, ſed hæc vt manifeſtiora dicta ſint.

EVTHYMII ZIGABONI ſuperioris Euang. expoſitio.

ANno vero decimoquinto principatus Tiberij Cæſaris. Poſt pręd ictum Auguſtum Tiberius fuit Cęſar Romanorum, hoc eſt, Imperator. Tunc enim Cæſar rege maior erat: poſtea vero Cæſaris dignitas depreſſa eſt. Significat autẽ Euãgeliſta & tempus Cæſaris, qui tunc imperabat, & præſidũ, more hiſtoriæ; Id enim hiſtoricis mos erat. *Sub pontificibus Anna, & Caiapha.* Atqui eo tempore ſolus Annas pontifex erat: Caiaphas enim pontifex factus eſt circiter annum, quo crucifixus eſt ſaluator. Verum Euangeliſta coniunxit & Caiapham tanquam adiutorem. Erat enim gener eius, & communem inter ſeſe gubernationem habebant. Siquidem etiam Annas poſtmodum opitulabatur Caiaphæ in pontificatu ipſius. *Vox clamantis in deſerto* †, *Parate &c.* Prophetia eſt docẽs, quòd æquabit Chriſtus inęqualitatem mundi, tortuoſitatem, ac aſperitatem hominum corrigens, ac delens aratro euangelicorum præceptorum. Ait enim; † † *Deſertum eſt hic mundus aut humana natura, ſiue cuiuſque anima propter infructuoſitatem bonorum, quæ à veteri tranſgreſſione prouenit. Vox autem clamantis dicitur verbi ſenſus, quaſi per conſcientiam clamans contra ea, quæ quiſque deliquit, arguẽdo cordis occulta, & adhortando ad reſipiſcendum, & etiam ad parandum viam domini. Præparatio autem eſt morum, & cogitationum ad melius mutatio. Via vero domini, eſt vita, quæ virtuti ſecundum Deum innititur. Semitæ quoque variæ ſunt ſtudia ſecundum Deum. Has rectas faciunt, qui rectè, atque irreprehenſibiliter virtutem ſectantur. Bonum enim, inquit, non eſt bonum, niſi rectè, & bene fiat.* (Deut. 16.)

Omnis vallis † implebitur &c. Vallis, & mõs, ac collis loca ſunt inæqualia, & acceſſu difficilia. († †) Significatur autem per vallem præfracti, & ad prauitatem

tem allicientes: vallis enim prętupta eſt. Per montem, & collem elati, duri, ac infructuoſi ad virtutem. Impletur autem omnis vallis, iniecto eo, quod deerat, videlicet pietate, ac virtute: deprimitur vero omnis mons, & collis, ablato ſuperfluo, puta impietate, ac prauitate. Quod autem dicitur; *Omnis*, etſi vniuerſale ſit, ſæpius tamen apud Hebræos non vniuerſum ſignificat, ſed ſimpliciter multitudinem. Poteſt & alio quoque modo vallis quidem illos innuere, qui in profundum perditionis deiecti ſunt: qui implebuntur per Euangelicam prædicationem. Mons, & collis, elatos dæmones, qui deprimentur, & euertentur à Chriſto.

† † *Vallis eſt cuiuſque caro, quæ multo, ac vehementi fluxu affectionum, in modum torrentis demiſſa, ſpiritualem animæ continuitatem, ac coniunctionem ad Dei colligantis legem diuidit. Poteſt autem & anima vallis intelligi, quæ, frequenti ac veloci malarum cogitationum defluxu cauatur, & ſpiritualis planiciei pulchritudinem per prauitatem abijcit. Omnis ergo huiuſmodi vallis per eos implebitur, qui viam domini parant, hoc eſt, ad debitum ſtatum peruenient, per prauitatis, & ignorantiæ abiectionem, & virtutis, ac ſcientiæ adiectionem, recipiétque decentem naturalium virtutum ornatum.*

† † *Mons eſt ſcientia omnis falſi nominis, elata contra veram Dei ſcientiam. Collis vero eſt omnis iniquitas, contra virtutem erecta. Aut mons ſignificat ſpiritum, qui falſam producunt ſcientiam: Collis vero eos, qui operantur malitiam, qui omnes deprimentur, deijcientur, diruentur, & auferentur per contrariam ſcientiam, & oppoſitam virtutem. Item alio quoque modo, qui falſæ ſcientiæ habitum in veram ſcientiam, & prauitatis efficaciam in actum virtutis immutauerit, hic per montium, & collium ſubuerſionem, vallium concauitates repleuerit.*

Et obliqua fient directa: & aſpera fient via plana †. Obliqua ſunt viæ peruerſę hominum, & aſperę viæ, opiniones ipſorum: hæ fient recta, & plana, ita vt per ea ęquabiliter pergant ad Chriſtum. Aut etiam obliquitas, & aſperitas prauitatis, in rectitudinem, & planitiem virtutis immutabitur. Vel alio quoque modo obliquitas, & aſperitas veteris legis, in rectitudinem, ac perfectionem Euangelij cõuertetur. Veteris quidem legis obliquitas, erat obſcuritas, ac varietas: aſperitas vero, auſteritas, & incompaſſibilitas. Rurſus Euangelij rectitudo eſt charitas, ac ſimplicitas: lenitas autem, manſuetudo, & compaſſibilitas. †

† *Obliqua ſunt ſenſuũ motiones, quæ præter naturam ſiunt: directa vero, ſecundum naturam. Rurſum aſpera via ſunt tentationum impetus, quæ nobis inuitis accidunt: plana autem ſunt attractiones, quæ per has fiunt in patientia, & gratiarum actione: explanat enim, & mutat laborioſitatem illarum, gratiarum actio cum patientia. Obliqua vero manifeſtius dici poſſunt tentationes voluntariæ, quæ per voluptatem accidunt: eſt enim varia & mutabilis voluptas. Aſpera autem via dicuntur, quæ per dolorem inuitis nobis accidunt.* †

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Salutare lumen Euangelij, vel ſalutarem incarnationẽ, quæ ambo præparauit Deus ante faciem omniũ populorum.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI. MATTH. I.

a Vt per Ioſeph de Dauid monſtraretur.
IN illo tempore cum eſſet deſpõſata mater Ieſu Maria [a] Ioſeph an-
b A Ioſeph. c Ecce illud nouum: Mulier circundabit virum, non aliunde quam ex ſe gignendo. d De quo eſt qui concipitur & generatur. De poteſtate non ex ſubſtantia, ne ſpiritus dicatur incarnatus.
tequam conuenirent, [b] inuẽta eſt in [c] vtero habens de [d] ſpiritu ſan-
e Sponſus. f Pro traducere Græci habent propalare.
cto. Ioſeph autem [e] vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam [f] traducere, voluit
g Ne ſi palam eſſet vt adultera puniretur. h Ne ſi retineret, neſciens euentum rei, quaſi conſcius eſſet peccati. i Vt occultè dimitteret. k Non deluſor.
[g] occultè [h] dimittere eam. [i] Hæc autẽ eo cogitante, ecce [k] angelus domini in
l Non manifeſta viſione: quia dubitare animi premebatur, velut ſomno infidelitatis. m Ne vlterius permeret dubitas quem commendabat æquitas. n Familiarem & notum oſtendit, cuius nomen, & genus dicit.
[l] ſomnis [m] apparuit Ioſeph, dicens: [n] Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere
o Secundum præceptum legis nominatam. p Et ne ſuſpiceris quod de alio ſit. Quod enim &c. q Iam conceptum.
Mariam [o] coniugem tuam. [p] Quod enim in ea [q] natũ eſt, de ſpirituſancto eſt.
r Non impones, quod ab æterno impoſitum eſt. s Saluatorem. t Subdit cauſam nominis. v Quod filius eſt Dei.
Pariet autem filium, & [r] vocabis nomen eius [s] Ieſum. [t] Ipſe enim [v] ſaluum fa-
x Quos prædeſtinauit. y Quæ ex eis ſunt.
ciet [x] populum ſuum à [y] peccatis eorum.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

CHRISTI *autem generatio.* Sine additamento, Ieſu, ponit, vt eũ intelligas de quo propheta: Vnxit te Deus tuus. *Pſal. 44. b* Ieſus, quod ſubſtantialiter illi conuenit, angelo reſeruat. vt qui poſt dicturus eſt cõceptum de ſpiritu ſancto, nomen ei proprium ex ſaluationis officio ſublimius declaret. *Sic erat.* Sicut dictum eſt, vt ex Ioſeph, origo Mariæ, quæ eſt de Dauid, clareſceret: & Chriſtus, non ex eius ſemine, vt Deus & homo, per genealogiam homo, per hoc, de virgine de ſpirito ſancto Deus oſtenditur. Sic inquam erat vt præſcripta eſt & mox dicetur,

ſicut poſtea ſignis & prodigiis manifeſtatur, vt totus liber Deum & hominem natum demóſtret. Quod eſt credendum vt poſſit intelligi. Hic enim ſenſus deficit humanus, vbi non eſt natura, ſed virtus. qui non credit, non intelligit, quòd virgo peperit, quòd verbū caro factū eſt. *Cum eſſet deſponſata.* Orige. Ideo deſponſata vt ſignificaret eccleſiam, quæ virgo eſt & ſponſa: Et vt per Ioſeph origo Mariæ oſtenderetur: Vel vt Ioſeph eſſet teſtis caſtitatis defendens eam ab infamia ſuſpicionis, & ne vt adultera damnaretur, & vt virgo viri ſolatio ſuſtentaretur, & vt diabolo partus occultaretur, qui nequit ſatis dignoſcere an ex ſemine natus ſit, an de virgine: & ne virginibus eſſet excuſatio infamiæ quòd mater Chriſti infamata fuerit. Deſponſatio fiebat per aliquot dies ante aſſiduam cohabitationem, & interim erat vxor ſub cuſtodia viri. *Antequam conuenirent.* Non quòd poſtea conuenerint: vt ſi diceremus antequam pœnituerit, morte præuentus eſt. Non quòd poſtea conuenerint: ſed oſtendit proximum tempus nuptiarum, in quo nuptiarum ſolennia celebrantur. *Inuenta eſt in vtero habens.* Inuenit Ioſeph in vtero habere. ſed non de ſpiritu ſancto ſciebat eſſe, cum poſtea vt dubius deliberaret dimittere eam. Amplius autem hoc addit ne interim ſurreperet ſuſpicio lectori. Quomodo hoc factum ſit, & quo ordi-

Luca 1. ne, vel in qua ciuitate Chriſti conceptio ſit celebrata, hoc prætermiſſum, à Luca exponitur. *Iuſtus.* per fidem, qua credebat Chriſtum de virgine naſciturum: & voluit ſe humiliare ante tantam gratiam. Quod iuſtus erat, hoc eſt teſtimonium caſtitatis Mariæ, vt qui ſeruat innocentem, iuſtus dicatur: ſed & pius dum nollet propalare, ex conſcientia caſtitatis iuſtus, ex timore pius. Sciebat illam eſſe inculpabilem: ſed vnde vel quid eſſet ignorabat: & ideo mediam elegit viam effugiendi, vt neque innocentem proderet, neque rei incognitæ conſentiendo, ſe reum faceret coram Deo. Vera virtus eſt, cum nec pietas ſine iuſticia, nec ſine pietate iuſticia: quæ ſeparatæ ab inuicem dilabuntur. *Et nollet eam.* quā deſponſauerat in coniugium ducere, ne videretur quòd ignorabat celare. Vel traducere ad pœnā in qua nouerat nō eſſe infamiam, quia ſciebat ſe eam virginē accepiſſe, intactam ſeruaſſe. *Hæc autē eo cogit.* Hic docemur diu deliberandum eſſe in incertis, ne peccetur temeritate leuitatis. *Ecce angelus do.* quia ſic pie cogitat, cōſolari meretur, & conſilium ſuum meliori cōſilio mutatur. *Fili Dauid.* Recognoſce quod promiſſum eſt domui Dauid, de qua tu es & Maria, & vide impletum in ea. *Noli timere.* Quamuis tantum ſit quantum credis, & ne timeas pro reatu, ſed amplectere charitatis intuitu. *Coniugem.* Coniunx erat non concubinatu, ſed affectu, non coniunctione corporis, ſed copulatione animorum. Nota coniugem dici à prima fide deſponſationis. Igitur diſpenſatio nia eſt, ſi quis permittitur aliā ducere poſt ſacramentum ſponſionis, & ſi nunquam debitum ſoluere poſſit. Bene Ioſeph vir, & Maria coniunx dicitur, cum in eo ſeruatur affectus amoris, quod eſt verum coniugium, & in ea ſine coitu eſt fructus nuptiarum. *In ea natum.* De ea naſci, eſt in lucem produci. In ea verò naſci, eſt concipi, vel ſecundum præſcientiam angeli quā habet ex Deo: cui futurum quaſi preteritum, natum dicitur. *De ſpiritu ſancto.* Spiritusſanctus dicitur Deus, & donū Dei, & charitas, & ſola charitas eum incarnari fecit. *Pariet.* ne videretur Ioſeph non eſſe neceſſarius ei. Subdit: *Pariet.* Et ita eris neceſſarius procurationi. *Vocabis.* Idem dicit iſti quod prędixerat Mariæ, vt promiſſum Saluatorem iam veniſſe tā viris quam fœminis repræſentet ex voce. *Ipſe enim.* Nomen interpretatur.

CATENA AVREA IN *idem Euangelium.*

Chriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata mater eius Maria, Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Chryſ. ſuper Matth. Quoniam ſuperius dixerat: Iacob autem genuit Ioſeph, cui deſponſata Maria genuit Ieſum: ne aliquis audientium ſic æſtimaret eſſe natiuitatem quomodo præcedētium patrum, ipſe ordinem narrationis ſuæ præcedens dicit. *Chriſti autem generatio ſic erat*, ac ſi dicat. Generatio quidem eorum, quos expoſuimus, patrum ſic fuit, quemadmodum retuli. Chriſti autem generatio non ſic, ſed ita erat. *Cùm eſſet deſponſata mater.* Chryſ. in hom. Quaſi enim aliquid nouum dicturus præmittit modum generationis dicere, ne audiens virum Marię æſtimes natum eſſe lege naturæ. Remi. Poteſt autem ad ſuperiora hoc referri modo. Sic erat Chriſti generatio ſicut dixi, id eſt, Abraham genuit Iſaac. Hier. Sed quare non de ſimplici virgine, ſed deſponſata concipitur. primum vt per generationem Ioſeph origo Mariæ monſtraretur: ſecundò ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: tertiò vt in Ægyptum fugiēs haberet ſolarium mariti. Martyr etiam Ignatius quartam addidit cauſam, vt partus inquiens eius cælaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed de vxore generatum. Chryſ. ſuper Matth. Ideo autem & deſponſata & domi habita: nam quemadmodum in ea quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis, ita in ea quæ extra domum concepit, eſt ſuſpecta coniunctio. Hier. contra Heluidium. Sciendum autem quòd Heluidius quidam homo turbulentus accepta materia diſputandi blaſphemare contra Dei matrem incepit, cuius prima propoſitio fuit. Matthæus loquitur ſic, *cum eſſet deſponſata.* Ecce, inquit, habes deſponſatam, non commendatam vt dicitis, & vtique non ob aliud deſponſatam, niſi quoniam nupturam. Orig. Deſpōſata fuit quidem Ioſeph, non tamen in concupiſcentia iuncta. *Mater eius* inquit mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater eius, cuius eius? mater eſt Dei vnigeniti domini regis omnium, ſaluatoris & redemptoris cunctorum. Cyrill. Quid enim videbit aliquis in ſancta virgine pręter alias: ſi Dei mater non ſit, ſed Chriſti vel domini, vt Neſtorius dicit. Nihil enim abſurdum eſt, etiam ſi voluerit quis matrem vniuſcuiuſque vnctorum Chriſti nominare genitricē. Sola verò præter illas ſancta virgo & Chriſti genitrix intelligitur ac dicitur. Genuit enim non purum hominem ſecundum vos, ſed incarnatum potius & hominem factum ex Deo patre verbum. Sed forſitan illud ais. Dic mihi, putáſne diuinitatis mater facta eſt virgo? Et ad hoc quoque dicimus: quia natum eſt ex ipſa Dei ſubſtantia eius verbum, & ſine principio temporis ſemper exiſtēs genitori: in nouiſſimis autem tēporibus, quoniam caro factum eſt, hoc eſt vnitū carni animam

habenti

habenti rationalem. Natum etiam dicitur carnaliter per mulierem. Aſſimilatur autem quodammodo natiuitati, quæ eſt ſecundum nos hoc ſacramentum. Matres etenim terrenorum miniſtrant naturæ coagulatam paulatim carnem perficiendam in ſpecie humana. Immittit autem animali ſpiritum Deus. Sed licet ſint iſtæ ſolummodo terrenorum corporum matres: attamen parientes totum animal, & non partem peperiſſe dicuntur. Tale autem aliquid geſtum percipimus in generatione Emanuel: natum enim eſt ea patris ſubſtantia Dei verbum. Quia verò carnem aſſumpſit, propriam eam faciens, neceſſarium eſt confiteri: quia natus eſt ſecundum carnem per mulierem. Quia igitur & Deus verè eſt, quomodo dubitabit quiſpiam ſanctam virginem dicere genitricem? Leo Papa in ſermone de natiuitate. Non autem te Dei conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quicquid eſt humani pudoris excuſat, aut quæ hæc verecundiæ læſio, vbi inijt deitas cũ amica ſibi ſemper integritate conſortium? vbi eſt interpres angelus, fides pronuba, diſpenſatio caſtitas, donatio virtus, iudex conſcientia, cauſa Deus, conceptio integritas, virginitas partus, virgo mater. Cyril. ad Ioannem Antioche. Sed ſi de cælo & non ex ipſa ſanctum corpus Chriſti factum eſſe diceremus, vt Valentinus: quomodo intelligeretur Dei genitrix Maria? Nomen autem matris oſtendit cum ſubdit, Maria. Beda ſuper Lucam. Interpretatur autem Maria ſtella maris Hebraicè, domina Syriacè: quia & lucem ſalutis & dominum mũdo edidit. Cui autem deſponſata fuerit, oſtendit ſubdens, *Ioſeph.* Chryſ. ſuper Matthæum. Ideoque fabro lignario Maria deſponſata erat: quoniam Chriſtus eccleſiæ ſponſus omnium ſalutem hominum operaturus erat per lignum crucis. Chryſ. in hom. Quod autem ſequitur. *Antequam conuenirent*, non dicitur antequam duceretur in domum ſponſi: etenim iam intus erat. Conſuetudo enim multotiens veteribus erat in domo deſponſatas habere, quod & nunc quoque fieri videtur, & generi Loth intus cum ipſo erant. Glo. Sed dicitur: *Antequam conuenirent*, ad carnis commixtionem. Chryſ. ſuper Matth. Vt non ex compaſſione carnis & ſanguinis naſceretur qui ex Deo natus eſt, vt carnis & ſanguinis ſolueret paſſionem. Auguſt. de nup. & concu. Nuptialis etiam concubitus ibi non fuit: quia in carne peccati non poterat ſine vlla carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato, vt hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati, quandoquidem ſola quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati. Augu. in ſer. de nat. Naſcitur etiam ab intacta fœmina Chriſtus: quia fas non erat, vt virtus per voluptatem, caſtitas per luxuriam, incorruptio per corruptionem naſceretur, nec poterat niſi nouo ordine aduentare de cælo, qui vetuſtum mortis deſtruere veniebat imperium. Regnum igitur tenuit virginitatis, quæ regem genuit caſtitatis. Ideo etiam dominus noſter virgineum ſibi requiſiuit hoſpitium habitandi, vt nobis oſtẽderet Deum in caſto corpore portari debere, ergo qui ſcripſit lapideas tabulas ſine ſtilo ferreo, ipſe grauidauit Mariam ſpiritu ſancto. Vnde dicitur. *Inuenta eſt in vtero habens.* Hiero. Non ab alio inuenta eſt, niſi Ioſeph, qui penè licentia maritali omnia nouerat. Chryſ. ſuper Mat. Nam ſicut hiſtoria non incredibilis docet, quando geſta ſunt quæ refert Lucas. Ioſeph abſens erat, nec enim conueniens eſt putare, præſente Ioſeph, introiſſe angelum ad Mariam, & dixiſſe quæ dixit, & Mariam reſpondiſſe, quæcunque reſpondit. Et ſi credamus angelum potuiſſe intrare ad eam, & loqui planè, tamẽ Mariam abiſſe in montana & manſiſſe cum Elizabeth menſibus tribus, poſſibile non fuit præſente Ioſeph: quia neceſſe erat, vt abſentationis eius & manſionis diutinæ requireret cauſas. Poſtquam autem rediit peregre poſt tot menſes, inuenit eam grauidam manifeſtè. Chryſ. in hom. Propriè autem dicit. *Inuenta eſt*, quod de non excogitatis dici conſuetum eſt. Ne autem moleſtes Euangeliſtam, interrogando qualiter ſit natus ex virgine, breuiter expediuit ſe, dicens. *De ſpiritu ſancto*, quaſi ſpiritus ſanctus eſt, qui operatus eſt hoc miraculum, neque enim Gabriel, neque Matthæus amplius dicere potuerunt. Gloſ. Hoc ergo quod dicitur, ex ſpiritu ſancto, Euangeliſta ex parte ſua adduxit, vt cum diceretur habere in vtero, omnis mala remoueretur ſuſpicio à mentibus audientium. Hier. in exp. ca. ſi. Non autem ſicut quidam ſceleratiſſimè opinantur, ſpiritum ſanctum dicimus fuiſſe pro ſemine, ſed potentia ac virtute creatoris dicimus operatum. Ambr. in lib. de ſpiritu ſancto. Quod enim ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia eſt, aut ex poteſtate eius eſt: ex ſubſtantia ſicut filius, quia à patre: ex poteſtate, ſicut ex Deo omnia, quomodo & in vtero habuit Maria ex ſpiritu ſancto. Aug. ad Euſtachium. Profecto autem iſte modus, quo natus eſt Chriſtus de ſpiritu ſancto, inſinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedẽtibus meritis in ipſo ex ordine naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit, verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet filius Dei. Sed cum illam creaturam, quam virgo cõcepit, & peperit, quamuis ad ſolam perſonam filij pertinentem, tota trinitas fecerit. Neque enim ſeparabilia ſunt opera trinitatis, cur in ea facienda ſolus ſpiritus ſanctus nominatus eſt? Heu & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuerſa operari trinitas intelligitur? Hier. Sed, inquit Heluidius. Neque de non conuenturis euangeliſta diceret, *priuſquam conuenirent*, quia nemo de non pranſuro dicit, antequam pranderet: quaſi ſiquis diceret. Antequam in portu pranderent, ad Aphricam nauigaui: non poſſet ſtare ſententia, niſi ei in portu prandendum ſit quandoque, aut non potius ſit intelligendum ſic: quod ante licet ſæpe & ſequentia indicent, tamen nonnunquam ea tantum, quæ prius cogitabãtur oſtẽdit, nec neceſſe ſit, vt cogitata fiant cum ideo aliud interuenerit, ne ea, quę cogitata ſunt, fierent. Hieronymus. Nõ ergo ſequitur, vt poſtea conuenerint, ſed ſcriptura, quod factum non ſit, oſtendit. Remig. vel hoc verbum cõueniendi non ipſum concubitum, ſed tempus ſignificat nuptiarum, id eſt, quando ea, quæ fuerat ſponſa, incepit eſſe vxor. Eſt enim ſenſus, *Antequam conuenirent*, id eſt, antequam rite ſolemnia nuptiarum celebrarent. Auguſt. de conſenſu euangeliſt. Hoc quemadmodum factum ſit, quod hic prętermiſit, Lucas exponit, poſt commemoratum cõceptum Ioannis ita narrans, In menſe autem ſexto &c. ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te: hoc ergo eſt, quod Matthæus commemorauit dicens, Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto, nec contrarium

 eſt,

eſt, quia Lucas expoſuit, quod Matthæus prætermiſit: ſicut non eſt contrarium, quia Matthæus deinceps continet, quod Lucas prætermiſit: ſequitur enim: Ioſeph autẽ cum eſſet vir iuſtus &c. Si quis autẽ velit vnam narrationem ex omnibus, quæ de Chriſti natiuitate dicuntur ab alterutro, ſi hæc prætermittuntur, ordinare ſic poteſt, Chriſti generatio ſic erat, fuit in diebus Herodis &c. vſque ibi, Mãſit autem Maria cum illa &c. & tunc addendum eſt, quod hic dicitur, Et inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu Sancto. *Ioſeph autem vir eius, &c.* Chryſ. in hom. Cum dixiſſet euangeliſta, quòd ex ſpiritu ſancto, & ſine concubitu inuenta eſt in vtero habens, ne ſuſpectum haberes Chriſti diſcipulum, quaſi grandia de ſuo magiſtro fingentem, introducit Ioſeph per ea, quæ paſſus eſt, ad fidem eorum, quæ dicta ſunt, conferentem. Vnde dicit, *Ioſeph autem vir eius, &c.* Aug. in Ser. de Nat. Intelligens enim Ioſeph Mariæ vterum grauidari, turbatur, quòd Mariam, quam de templo domini acceperat, & nondum cognouerat, grauidam ſentiebat, ſecumque æſtuabat diſputans, & dicens, Quid faciam? prodo, aut taceo? Si prodidero, adulterio non cõſentio, ſed vitium crudelitatis incurro: quia ſecundum Moyſi ſententiam lapidandam eam eſſe cognoſco. Si tacuero, malo conſentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum eſt, & adulterium prodere, peius eſt, dimittam eam à coniugio. Amb. ſuper Luc. Pulchre autem docuit ſanctus Matthæus, quid facere debeat iuſtus, qui opprobrium coniugis deprehenderit, vt incruentum ab homicidio, caſtum ab adulterio præſtare ſe debeat: & ideo dicit, *Cum eſſet iuſtus.* Vbique ergo in Ioſeph iuſti gratia, & perſona ſeruatur, vt teſtis ornetur: lingua enim iuſti loquitur iudicium veritatis. ſed quomodo Ioſeph, cum crimen celet vxoris, iuſtus deſcribitur? Chryſ. in hom. In lege enim præceptum eſt, non ſolum reos, ſed conſcios criminis obnoxios eſſe peccato. Hieron. Sed ſciendum eſt, quod iuſtum hic virtuoſum in omnibus dicit: eſt enim iuſtitia, & auaritiam non habere, & vniuerſalis virtus: & ſic nomine iuſtitiæ maxime vtitur ſcriptura. Iuſtus igitur exiſtens, id eſt, benignus, & mitis, voluit occulte dimittere eam, quæ non ſolum traditioni, ſed etiam pene ſecundum legem obnoxia videbatur. Sed Ioſeph vtrumque remiſit, quaſi ſupra legem viuens; ſicut enim ſol, antequam radios monſtret, mundum clarificat, ſic & Chriſtus, antequam naſceretur, multa ſigna perfectæ virtutis apparere fecit. Aug. de ver. dom. Vel aliter. Si ſolus noſti, quòd aliquis peccauerit in te, & eum vis coram hominibus arguere, non es corrector, ſed proditor; vnde vir iuſtus Ioſeph tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, magna benignitate pepercit. Æſtuabat vtique certa adulterij ſuſpicio; & tamen, quia ipſe ſolus ſciebat, noluit eam diuulgare, ſed occulte dimittere, volens prodeſſe peccanti, non punire peccantem. Hieron. Vel hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirãs quod euenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat. Remig. videbat enim grauidam, quam nouerat caſtam: & quia legerat, Egredietur virga de radice Ieſſe, vnde nouit Mariam duxiſſe originem: legerat etiam, Ecce virgo concipiet, non diffidebat hanc prophetiam in ea eſſe implendam. Orig. Sed ſi ſuſpitionem in ea non habebat, quomodo iuſtus erat, & immaculatam dimitteret? Ideo ergo dimittere volebat, quoniam magnum ſacramẽtum in ea eſſe cognoſcebat, cui approximare ſe indignum æſtimabat. Gloſſa. Vel, cum vellet eam dimittere, iuſtus erat, cum occulte, pius notatur, eam ab infamia defendens: & hoc eſt, Cum eſſet iuſtus, voluit dimittere eam: cum nollet eam traducere in publicum, id eſt, diffamare, voluit hoc facere occulte. Ambr. ſuper Lucã, Nemo autem, quam non accepit dimittit: & ideo quam volebat dimittere, fatebatur acceptam. Gloſ. Vel *cum nollet eam traducere* in domum ſuam ad cohabitationem aſſiduam, *voluit occultè dimittere eam*: id eſt, tempus nuptiarum mutare. Vera enim virtus eſt, cum nec pietas ſine iuſtitia, nec ſine pietate ſeruatur iuſtitia, quæ ſeparatæ abinuicem dilabuntur. Vel iuſtus erat per fidem, qua credebat Chriſtum de virgine naſciturum: vnde voluit ſe humiliare ante tantam gratiam. *Hæc autẽ eo cogitãte: ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Remig. Quia ſicut dictum eſt cogitabat Ioſeph occultè Mariam dimittere: hoc autem ſi feciſſet, perpauci eſſent qui non magis ſuſpicarentur eam eſſe meretricem, quam virginem: iccirco repentè cõſilium Ioſeph diuino mutatum eſt conſilio: vnde dicitur. *Hæc autem eo cogitante.* Gloſ. In quo notatur animus ſapientis, qui nihil temere vult incipere. Chryſ. in hom. Notatur etiam manſuetudo Ioſeph, quia nulli enarrauit ſuam ſuſpitionem, neque ei quæ ſuſpecta erat: ſed in ſe cogitabat. Auguſt. in ſer. de natiui. Sed Ioſeph iſta cogitante, non timeat Maria Dauid filia, quoniam ſicut Dauid veniam cõtulit ſermo propheticus, ſic Mariam liberat angelus ſaluatoris. Ecce enim iterum virginis ille paranymphus Gabriel aduenit: vnde ſequitur, *Ecce angelus domini apparuit Ioſeph.* Glo. Hoc igitur verbo apparuit ſignificatur poteſtas apparentis, qui quando vult & quo modo exhibet ſe videndum. Raba. Quomodo autem angelus Ioſeph apparuit demonſtratur, cum dicitur. *In ſomnis*, id eſt, quomodo Iacob ſcalam vidit per imaginationem quandam oculis cordis oſtenſam. Chryſ. in hom. Ideo autem non apparuit manifeſtè Ioſeph, ſicut paſtoribus: quia valde fidelis erat: paſtores autem indigebant quaſi rudes. Virgo autẽ indiguit, quaſi primo de maximis inſtruenda. Similiter etiam Zacharias indiguit ante conceptionem prolis mirabili viſione. Gloſſ. Apparens angelus nomen exprimit: genus commemorat & timorem excludit, dicens: *Ioſeph fili Dauid*: Ioſeph eum ex nomine, quaſi notum & familiarem ſibi oſtendit. Chryſ. ſup. Matth. Filium Dauid eum nominans: voluit eum adducere in memoriam promiſſionis Dei ad Dauid, vt de ſemine eius Chriſtus naſceretur. Chryſ. in hom. Dicẽs autem. *Noli timere*, monſtrat eum iam timere, ne offenderet Deum quaſi adulteram habens: alias neque cogitaſſet eam expellere. Seue. Sponſus etiam ne timeat admonetur, quia pius animus dum compatitur plus paueſcit: ac ſi dicat. Hic non eſt mortis cauſa, ſed vitæ: quia quę vitam parturit, non meretur occidi. Chryſ. ſup. Mat. Dicẽs etiam, *ne timeas*: cognitorem ſe cordis eius oſtendere voluit: vt per hoc futurorum bonorũ, quæ de Chriſto erat dicturus faceret fidem. Ambr. ſu. Lu. Non autem te moueat, quòd eam coniugem vocat. Non enim virginitatis ereptio, ſed coniugij teſtificatio:

ficatio : nnptiarum celebratio declatatur. Hiero. con. Helud. Non tamen eſt putandum, quòd ex eo quòd vxor eſt appellata, ſponſa eſſe deſierit: cum hanc eſſe conſuetudinem ſcripturæ noueri-mus: quòd ſponſos viros & ſponſas appellet vxo-res, ſicut Deuter. teſtimonio approbatur. Si quis inquit inueneritt virginem deſponſatam viro in campo, & vim faciẽs dormierit cum ea, moriatur: quia humiliauit vxorem proximi ſui. Chryſ. in hom. Dicit autem. *Noli timere accipere*, id eſt, intus retinere. iam enim meote dimiſſa erat. Raba. Vel noli timere accipere eam: nuptiali conuentu & aſſidua eobabitanone. Chryſ. ſu. Matth. Propter tres autẽ eauſas apparuit angelus Ioſeph, hoc di-cẽs ei. Primo ne iuſtus homo ignorãs, faceret rem iniuſtam ex propoſito iuſto, deinde propter ho-norem ipſius matris. Nam ſi dimiſſa fuiſſet, apud infideles turpi ſuſpitione carere non poterat. Ter-tio vt intelligens Ioſeph ſanctam eonceptionem, diligentius ſe cuſtodieret ab illa quàm prius. Ideo tamen non ante conceptionem virginis venit ad Ioſeph, vt nec eogitaret hic quæ eogitauit, ne pa-teretur quæ paſſus eſt Zacharias, culpam infideli-tatis incurrens, de conceprione coniugis iam lon-gæuæ, incredibilior enim erat res, virginem poſſe concipere quam annm. Chryſ. in hom. Vel ideo turbato iam Ioſeph angelus venit vt appareat Io-ſeph ſapiẽtia, & vt hoc ipſum fieret ei eorum quæ dieebantur demõſtratio. Dum enim audit ab an-gelo quę intra ſe cogitauerat: indubitabile ſignum erat quod à Deo mitteretur, cuius ſolius eſt ſcire cordis ſecreta. Sermo etiam euangeliſtæ inſuſpi-cabilis fit, demonſtrans Ioſeph paſſum quod pro-babile eſt virum pati. Virgo etiam omnem malam ſuſpitionem effugit ex hoc qnod vir qui Zeloty-piam paſſus eſt, eam ſuſcepit: & poſt conceptio-nem ſeruauit. Ideo antẽ virgo Ioſepb hęc quę an-gelus nnnciaret non dixit, quia non æſtimabat ſi-bi credi à ſponſo: & maximè iam in ſuſpitionem adducto. Virgini autem ante conceptionem an-nunciat angelus, ne ſi poſt eonceptionem defer-ret: in anguſtia eſſet. Oportebat autem extra tur-bationem eſſe illam matrem, quæ omnium con-ditorem recepit. Chryſ. in hom. Nõ ſolum autem angelus ab iniqua commixtione virginem excu-ſat, ſed & ſupra naturam concepiſſe demonſtrat: non ſolum timorem auferens, ſed & lætitiam ad-dens: vnde ſubdit. *Quod enim in ea natum eſt, &c.* Gloſ. Aliud eſt naſci in ea: & aliud ab ea naſci: ab ea, eſt prodire in lucem, naſci in ea, eſt idem quod concipi, vel ſecundum præſcientiam angeli quam habet ex Deo, cui futurum quaſi præteritum eſt, natum dicitur. Augu. de quæſt. noui & vete. teſta. Sed ſi de ſpiritu ſancto natus eſt Chriſtus: cur di-ctum eſt. Sapientia ædificauit ſibi domum? Quo-modo iſta gemina ratione debet intelligi: primum enim domus Chriſti eeeleſia eſt, quam ædificauit ſibi ſanguine ſuo: deinde poteſt & corpus eius di-ci domus eius, ſicut dicitur tẽplum eius. Factum autem ſpiritus ſancti, factum filij Dei eſt, propter naturæ & voluntatis vnitatem: ſiue enim pater fa-ciat, ſiue filius, ſiue ſpiritus ſanctus: trinitas eſt, quæ operatur: & quicqnid tres fecerint, Dei vnius eſt. Augu. in Enchir. Nunquid tamen ideo dictum ſumus patrem bominis Chriſti eſſe ſpiritum ſan-ctum: vt Deus pater verbum genuerit, ſpiritus ſanctus hominem? quod ita abſurdum eſt, vt nullę fideles aures id valeant ſuſtinere. Quomodo ergo

dicimus Chriſtum natum de ſpiritu ſancto, ſi non eum genuit ſpiritus ſanctus? ao quia fecit eum? in quantum enim homo, factus eſt: ſicut Apoſt. di-cit. Factus ex ſemine Dauid ſcilicet carne: neque enim quia mundum iſtum fecit Deus: dici eum fas eſt Dei filium, aut natum ex Deo: ſed factum vel creatum vel eonditum. Hic autem cõfiteamur eum natum de ſpiritu ſancto, & Maria virgine, quomodo non ſit filius ſpiritus ſancti: & ſit filius Mariæ virginis. Non ergo concedendum eſt quic-quid de aliqua re naſcitur, continuò eiuſdem rei filium nuncupandum: vt enim omittam aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum, & lumbricum, quorum nihil eſt filius. Certe ho-mines qui naſeuntur ex aqua & ſpiritu, non aquę filios rectè eos dixerit quiſpiam, ſed Dei patris, & matris eccleſiæ. Sic ergo de ſpiritu ſancto natus eſt, & filius Dei patris eſt, non ſpiritus ſancti. *Pa-riet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Chryſ. in hom. Quia hoc quod angelus ad Ioſeph dixerat, ſupra humanam cogitationem & legem naturæ erat, non ſolum ex pręteritorum reuelatione con-firmat quæ dixerat, ſed etiam ex futuris, dicẽs: *Pa-riet autem filium.* Gloſ. Vt euim non videretur Io-ſeph amplius eoniugio non eſſe neceſſarius, cum cooceptio eſſet facta ſine eius auxilio, oſtendit quòd quamnis non ſit neceſſarius conceptui, ta-men vtilis eſt procurationi, quia ipſa pariet filium: & tnnc matri & filio erit neceſſarius, matri vt ab infamia defendat: filio, vt eum nutriat & circun-cidat. Quę circuncıſio notatur, vbi dicit. Et vo. no. eius Ieſum. In circunciſione enim ſolet dari no-men. Chryſ. ſup. Matt. Non autem dixit, pariet tibi filium: ſicut ad Zachariam. Ecce Elizabet vxor tua pariet tibi filiũ, quia mulier quæ ex viro con-cipit, marito ſuo filium parit, quia magis ex illo eſt quam de ipſa. Hæc autem quæ non de viro con-ceperat, non viro filium peperit, ſed ſibi tantum-modo. Chryſ. in hom. Vel indeterminate hoc po-ſuit vt oſtendat quòd eum peperit orbi terrarum vniuerſo. Raba. Dicit autem. *Vocabis nomen*, & non impones, quia ab æterno impoſitum eſt. Chry. in hom. Hinc autem oſtendit admirabilem eſſe par-tum, quia Deus eſt, qui nomen deſuper per ange-lum mittit, nec nomen quodcunque, ſed quod eſt infinitorum bonorum theſaurus. Ideoque inter-pretatur illud angelus, bonam ſubſtituens ſpem, & ex hoc ad credendum quod dicebatur inducit: ad talia enim credenda facilius accedere conſue-uimos. Hiero. Ieſus enim hebræo ſermone ſalua-tor dicitur. Erymnlogiam ergo nominis ſignifi-cat, dicens: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Oſtẽdit enim eundem totius mundi ſaluatorem: & noſtræ ſalutis auctorẽ. Saluat qui-dem non incrednlos, ſed populum ſuum: hoc eſt, in ſe credentes ſaluat: non tam à viſibilibus hoſti-bus, quam potius inuiſibilibus: hoc eſt à peccatis ſaluat, non armis pugnando: ſed peccata relaxan-do. Seue. Veniant & audiant qui requirunt, quis eſt, quem Maria genuit? Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, non alterius ſaluum faciet popu-lum: vnde? à peccatis eorũ, eſſe Deum qui pecca-ta donat, ſi Chriſtianis non credis, crede infideli-bus vel Iudæis, dicentibus. Nemo poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem *Euang. Homil. 1.*

Eſt hom. 1. in diuerſis.

QVæ fuit neceſſitas vt deſponſata eſſet Maria Ioſeph, niſi propterea quatenus hoc ſacramentum diabolo cælaretur, & ille malignus fraudis commenta aduerſus deſponſatam virginem nulla penitus inueniret? Vel ideo fuerat deſponſata Ioſeph, vt nato infanti, vel ipſi Mariæ curam videretur gerere Ioſeph, ſiue in Ægyptum tranſiens, ſiue inde denuo veniens. Ideo deſponſata fuit Ioſeph, non tamen in concupiſcentia iuncta. *Mater*, inquit, *eius*. Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater eius. Cuius eius? mater Dei vnigeniti domini & regis omnium, plaſmatoris & creatoris cunctorum. Illius qui in excelſis ſine matre, & in terra eſt ſine patre. Ipſius qui in cælis ſecundum deitatem in ſinu eſt patris, & in terris ſecundum corporis ſuſceptionem in ſinu eſt matris. O magnę admirationis gratia. O inenarrabilis ſuauitas. O ineffabile magnumque ſacramentum. Ipſa eademque virgo, ipſa & mater domini, ipſa & genitrix, ipſa eius ancilla, plaſmatio eius ipſa quæ genuit. Quis vnquam iſta audiuit? quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater virgo eſſet, & intacta generaret, quę & virgo permanſit, & genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & ſicut tres pueri in camino ignis incluſi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluſo clauſtris non apertis allatum eſt prandium ab Abacuc: ita & hæc virgo ſancta genuit Deum, ſed intacta permanſit: mater effecta eſt, ſed virginitatem non amiſit: genuit infantem, & vt dictum eſt, virgo permanſit. Virgo ergo genuit, & virgo permanſit. Mater filij facta eſt, caſtitatis ſigillum non perdidit. Quare? quia non homo iſte tantum qui videbatur, ſed vnigenitus erat Deus qui in carne aduenerat. Nec ſubito carnaliter genitus eſt, ſed perfecta deitas in corpore venit. Ergo integer iſte & indiuiſus Deus in humano adueniēs vel genitus eſt corpore: quique Deus & dominus, figuram ſerui ſuſcepit. Non enim pars vnigeniti venit in corpore, nec ſe ipſe diuiſit vt dimidius eſſet apud patrem, & dimidius eſſet in virgine, ſed totus apud patrem, totus in virgine, totus in ſinu patris, totus in humano corpore: non relinquens ſuperiora venit quærere terrena, quæ in cælis ſunt conſeruans, & quæ in terra ſunt ſaluans: vbique omnipotens, in ſanctis ſuis indiuiſus, hic ſanctus vnigenitus Deus. Si enim verbum humanum & corporale immiſſum in aures plurimorum non diuiditur per ſingulos, vt pars in alio, & pars ſit iterum in alio, ſed in omnibus integrum & plenum habetur, vt in vnoquoque totum ſit: quanto magis verbum vnigenitus vbique totus eſt & in cælo, & in terra, & apud patrem, & in virgine: & non diuiditur (vt dictum eſt) neque ſcinditur, neque in partes efficitur, ſed totum totus tenet, totum implet, totum illuſtrat, & poſſidet? Huius itaque vnigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata ſancti immaculati, vna vnius, vnica vnici. Nec enim alter vnigenitus ſuper terram venit, aut alia virgo vnigenitum genuit. In omnibus his quę dicta ſunt deſponſata legitur mater eius Maria. Et ait, *Inuenta in vtero habens*. Cui inuenta, aut a quo inuenta eſt? Primo ab angelis cuſtodientibus eam, protegentibus eam, conſeruantibus eam, vel eius beatiſſimam animam, ad honorem illius qui ab ipſa generandus erat. Dehinc inuenta non incongrue putatur ab ipſo beato Ioſeph ſancto & iuſto, qui pene licentia maritali licet eam non contingeret, ſutiuræ tamen vt putabatur vxoris omnia nouerat. *Ioſeph autem vir eius* (inquit) *cum eſſet homo iuſtus, & nollet eam traducere.* Virum eum appellauit contra Iudęorum prauitatem, vt aduerſus virginem non ſęuirent. Propterea & deſponſata fuit ipſi Ioſeph, vt ſupradictum eſt. Si enim non fuiſſet deſponſata Ioſeph, omnium bonorum increduli & inimici Iudæi lapidibus eam occidiſſent. Ideo virum eius hic eum Euangeliſta appellauit. Ioſeph vir eius cum eſſet homo iuſtus. Iuſtus autem in verbo, iuſtus in facto, iuſtus in lege, iuſtus in conſummatione, iuſtus in iudicio gratiæ. Iuſtus itaque cum fuiſſet, & nollet eam traducere, voluit occulte eam dimittere. Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam male diffamare, ſed voluit eam occulte dimittere. Occulte à ſe dimittere volebat, ſicut manſuetus, ſicut pius ſicut miſericors. Talis ergo cum eſſet Ioſeph, cogitabat eam occulte dimittere. *Hæc*, inquit, *eo cogitante*. Quærendum eſt nobis, nunquid cogitauerit vt occulte eam dimitteret: & ſi cogitabat vt eam dimitteret, & ſi ita ſuſpitionem in eam habebat, quomodo iuſtus erat? Si ergo non eſt ſuſpicatus, vel tale aliquid cogitauit, cur eam dimittere volebat vt immaculatam & ſanctam vellet dimittere: iniuſtum enim & hoc erat. Sed ſimplicitatem ſenſus audi huius orationis. Iuſtus erat Ioſeph, & illa virgo immaculata erat: ſed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem myſterij, & ſacramentū quoddam magnificum in eadem cognoſcebat, cui approximare ſe indignum exiſtimabat. Ergo humilians ſe ante tantam & tam ineffabilem rem, quærebat ſe longe facere. Sicut & beatus Petrus domino ſe humilians aiebat, Recede à me domine, quoniam ego peccator ſum: vel ſicut ille Centurio ad eundem dominum mittens dicebat, Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, quia neque meipſum dignum exiſtimaui ad te venire: vel ſicut ſancta Elizabet ad ipſam beatam Mariam locuta eſt dicens, Et vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Sic & Ioſeph iuſte humilians ſeſe in omnibus cauebat, & timebat ſibimetipſi tantæ ſanctitatis coniunctionem adhibere. Idcirco occulte volebat eam dimittere: dimittam eam dicēs, & à me longe faciam eam, & à cognitione mea. Maior eſt enim eius dignitas, superexcellit eius ſanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideo volebat occulte dimittere eam. *Hæc ergo eo cogitante, angelus domini per viſum apparuit illi, dicens*, Quid dubitas ô Ioſeph? quid imprudenter cogitas? quare irrationabiliter meditaris? Deus eſt enim qui generatur, virgo quæ generat. Huius generationis miniſter es, & non largitor: ſeruus, & non dominus: mancipium, & non plaſmator. Propterea miniſtra, ſerua, cuſtodi, fer curam. Intende & huic, qui naſcitur, & huic, quæ generat. Etenim ſi tibi vxor nominatur, ſi deſponſata tibi eſſe dicitur: non tamen tibi vxor eſt, ſed Dei vnigeniti electa mater eſt. Propterea. *Ioſeph fili Dauid*, qui has promiſſiones accepit, cui iſta fidelia data ſunt teſtamenta: *Ioſeph fili Dauid*, non tantum ſecundum

carnem,

carnem, ſed & ſecundum ſpiritum: *Ioſeph fili Dauid.* Si enim filius Dauid iuſte, & hæres eius, tanquam filius patris. Ideo in hæreditatem accipe ea, quæ illi promiſſa ſunt teſtamenta fidelia. *Ioſeph fili Dauid ne timueris accipere Mariam coniugem tuam.* Ne timueris, ne trepidaueris, ne conturberis: ſed ſecurus, & intrepidus accipe eam ſecundum legis præceptum vxorem tibi nominatam, ſed ſecitudum nuptiarum conſuetudinem & cõiunctionem longe alienam. Accipe ergo eam ſicut commendatum cœleſtem theſaurum, deitatis diuitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam. Accipe eam ſicut vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut domum Dei, ſicut creatoris omnium propria, ſicut regis cœleſtis ſponſi domum immaculatam. Itaque ergo Ioſeph fili Dauid, ne timeas accipere eam tibi commendatam, tuę religioſitati creditam. Se tua, ſeruantam, attende fugiens ab Herode, duc in Ægyptum: iterum remeaturus poſt Herodis mortem, deduces in terram Iſrael. Ne timueris accipere Mariam coniugem tuam. Coniugem audiens, nec expaueſcas, non conturberis, nec tu, neque quiſquam ſequentium vſque in conſummationem ſeculi. Coniugem eam dico propterea, vt diabolo virginitatem eius occultem: & vt Iudæorum prauitatem excludam atque deiiciam: vt legis inſtituta non deſtruam. Et in conſequentibus demonſtrabo quòd iſta nec tua coniunx ſecundum conſuetudinem coniugij habeatur: nec iſte qui generatur, tuus filius eſſe credatur. *Quod enim ex ea naſcetur, de ſpiritu ſancto eſt.* Quia ſcilicet cooperator huius natiuitatis ſpiritus ſanctus eſt. Nam vnigenitus filius, qui ante ſecula ineffabiliter ex ſolo patre natus eſt, iam ſeculi propinquante fine in voluntate patris in humano corpore, ſancto cooperante ſpiritu, inter homines venit. Iſte eſt, de quo ſcriptura pronunciauit dicens, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Patris etenim vnigenitus filius ex virgine generatus eſt, vt illam virginẽ priorem Euam, quę ceciderat, iterum renouaret, atque erigeret: & qui per prauam voluntatem filij effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret Dei. *Pariet* (inquit) *filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Virgo generat, & tu hunc genitum vocabis Ieſum, quod interpretatur Saluator. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vocabis* (ait) *nomen eius*, hoc eſt quod ante, fuit, quod ante ſecula nominatum eſt. Non tu ei nomen pones, nec ex te ei vocabulum conſtitues, ſed nomina, & voca exultando Ieſum, id eſt ſaluatorem. Saluatorem eum eſſe teſtare, neque ex tempore cœpiſſe ſaluare, ſed iam antiquiſſimum ſaluatorem. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Duo enim per hoc verbum præclara deſignantur, quòd & Deus fuit, & dominus prius ante incarnationem Chriſtus: & quòd populus eius ab ipſo ſaluandus, iam tunc annunciabatur. Et ideo dictum eſt, *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, vt vere Deus. Dei enim virtutis eſt à peccato ſaluare, vel peccata dimittere. Iſte ergo filius Dei habens populum ſuum, ipſum venit (vt dictum eſt) à peccatis liberare, atque ſaluare, ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus, de quo iam ipſe per prophetam fuerat locutus dicens, dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: *Ipſe ſaluabit populum ſuum à peccatis eorum*: ſanguine videlicet ſuo cunctos redimens: morte ſua de mortis eos liberans poteſtate. Ipſe ſaluabit, hoc eſt erit ſaluator omnium hominum fidelium atque credentium.

S. HILARII PICTAVIENſis Epiſcopi, eiuſdem Euang. expoſitio.

GEnerationis autem ratio ſimplex eſt. Nam conceptum ex ſpiritu ſancto, natum ex Maria virgine, omnium opus prophetarum eſt. Sed plures irreligioſi, & à ſpirituali doctrina admodum alieni, occaſionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi, quod dictum ſit: Prius quàm conuenirent inuenta eſt in vtero habens. & illud, Noli timere accipere cõiugem tuam. & illud: Non *Matth.1.* cognouit eam donec peperit: non recordantes deſponſatam fuiſſe, & dictum hoc Ioſeph volenti eam abiicere, quia iuſtus ipſe nollet in eam lege decerni. Igitur ne qua de partu eius ambiguitas exiſteret, ipſe concepti ex ſpiritu ſancto Chriſti teſtis aſſumitur: vt, dehinc quia deſponſata eſſet, in coniugem reciperetur. Cognoſcitur itaque poſt partum: id eſt, tranſit in coniugis nomen. Cognoſcitur enim, non admiſcetur. Denique cùm tranſire Ioſeph ad Ægyptum admonetur, ita dicitur: Accipe puerũ & matrem eius. Et, Reuertere cum *Ibid.2.* puero & matre eius. Et rurſum in Luca: Et erat Io- *Luca 2.* ſeph & mater eius. Et quoneſcunque de vtroque fit ſermo, mater ponitur Chriſti, quia id erat: non vxor Ioſeph eſt nuncupata, quia non erat. Sed hęc quoque ab angelo ratio ſeruata eſt: vt tum cùm deſponſatam eam iuſto Ioſeph ſignificabat, coniugem nuncuparet. Nam ita ait: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Ergo & coniugis nomen ſponſa ſuſcipit, & poſt partum in coniugem recognita tantum Ieſu mater oſtenditur: vt quemadmodum iuſto Ioſeph deputaretur eiuſdem Mariæ in virginitate coniugium, ita venerabilis eius oſtenderetur in Ieſu matre virginitas. Verũ homines prauiſſimi hinc pręſumunt opinionis ſuæ autoritatem: quòd plures Dominum noſtrum fratres habuiſſe ſit traditum. Qui ſi Mariæ filij fuiſſent, & non potius Ioſeph ex priore coniugio ſuſcepti: nunquam tempore paſſionis Ioanni Apoſtolo tranſcripta eſſet in matrem, domino ad vtrumque dicente: Mulier ecce filius tuus. *Ioan.19.* & Ioanni: Ecce mater tua: niſi quòd ad deſolatæ ſolatium, charitatem filij in diſcipulo relinquebat.

S. HIERONYMI PRESBYteri, eiuſdem Euang. expoſitio.

C*Vm eſſet deſponſata mater &c.* Quare non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata concipitur? Primum, vt per generationem Ioſeph, origo Mariæ monſtraretur, ſecundo ne lapidaretur à Iudæis vt adultera; Tertio vt in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius, etiam quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit. vt partus inquiens, eius celaretur diabolo; dum eum putat, non de virgine, ſed de vxore generatum. *Antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* Non ab alio inuenta eſt niſi à Ioſeph, qui pene licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. Quod autem dicitur, antequam conuenirent: non ſequitur vt poſtea conuenerint:

ſed

ſed ſcriptura quod factum non ſit oſtendit. *Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus &c.* ſi quis fornicariæ coniungitur, vnum corpus efficitur: & in lege præceptum eſt, non ſolum reos ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Ioſeph cum crimen celaret vxoris iuſtus ſcribitur? ſed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quod Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam vxorem &c.* Iam & ſupra diximus ſponſas vxores appellari: quod plenius liber aduerſus Heluidium docet. Et blandientis affectu ei per ſomnium angelus loquitur vt iuſtitiam ſilentij comprobaret ſimulque notandum, quod Ioſeph filius eſſe dicatur Dauid, vt Maria, quoque de ſtirpe Dauid móſtraretur. *Et vocabis nomen eius Ieſum &c.* Ieſus Hebræo ſermone, ſaluator dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Euangeliſta ſignauit, dicens vocabis nomen eius Ieſum: quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum.

S. IOANNIS CHRYSOS.

Epiſcopi Conſtant. in ſuperius Euang. Homil.

Ex Hom. 4. in Matth. CVm eſſet, inquit, *deſponſata mater eius Maria.* Non dixit, virgo. ſed ſimpliciter, mater: vt ſermo nihil in primis noui afferens, abſque difficultate caperetur. Propter quod prius præparans auditorem, quaſi ad aliquid eorum, quæ ex more veniunt, audiendum, & hac eum interim ſibi expectatione detinens, tunc demum infert, quod iure omnes queant & de nouitate rei, & de maieſtate mirari. *Priuſquam conuenirent*, inquit, *inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* Non dixit; priuſquam in ſponſi adduceretur domum: intus enim iam erat. Hunc quippe morem tenebat antiquitas, vt ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur. Quod nunc quoque fieri interdum videmus: vt enim generi Loth apud ſocerum leguntur habitaſſe, cum ſpóſis nondum ſibi copulatis lege coniugij: ſic habitabat etiam Maria cum ſponſo. *Geneſ. 19.* Et cuius tandem rei gratia, non antequam ſponderetur virgo concepit? vt videlicet, quod inter ipſa quoque initia ſignificauimus, myſterium interim quaſi obumbratum lateret, & vt virgo omnem prorſus occaſionem malignæ ſuſpicionis effugeret. Quando enim ille, qui præcipuo zelo poſſet ardere, cernitur non ſolùm non abiicere ſponſam, nec eam ignominiæ denotare, ſed etiam recipere in conſortium, & honorare poſt partum: profectò manifeſtum eſt, quòd niſi apertè noſſet ea operatione ſancti ſpiritus illum extitiſſe conceptum, nunquam vel apud ſe illam retinuiſſet, vel ei in omnibus, quantum indiguit, miniſtraſſet. Satis autem propriè poſuit. *Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Inuenta eſt,* inquit quo ſermone res, quæ contra conſuetudinem, & præter omnem ſpem, expectationémque proueniunt notare conſueuimus. Nequaquam igitur euageris vlterius, nec ſupra ea, quę dicta ſunt, hinc quicquam requiras, neque dicas: Quemadmodum ſpiritus ex virgine iſtud operatus eſt? Si enim etiam cùm ſolemni homines formantur more naturæ, impoſſibile eſt tamen modum formationis edicere, quónam iſtud pacto, ſpiritu ſancto inuſitatè, atque ineffabiliter operante, eloqui aliquádo poterimus? Ne enim tu Euangeliſtam importuna ſæpius inquiſitione pulſares, néve illi moleſtiam parares ſæpius ſciſcitando, dixit quis mirabile iſtud effecerit, ſéque à cunctis pariter quæſtionibus compendio liberauit. Nihil enim inquit, noui amplius, quam à ſancto ſpiritu ſanctum eſſe, quod natum eſt. Erubeſcant hoc loco, & confundantur omnes, qui ſuperiorem illam generationem temeraria curioſitate rimantur. Si enim iſtam, quæ mille celebrata teſtibus, & ex multis eſt prædicata temporibus, quæ oculis inſpecta, manibúſque contrectata eſt, interpretari tamen nullus poteſt: quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei humanis vel cogitationibus inueſtigari putant, vel vocibus indicari? Non enim Gabriel archangelus, non Euangeliſta Matthæus amplius quippiam ſignificare potuerunt, niſi tantummodo, quòd eſſet ex ſpiritu. Qualiter verò ex ſpiritu, & quonam modo, horum certè nullus expoſuit, neque enim erat omnino poſſibile, neque enim exiſtimes, eùm ex ſpiritu conceptum audiueris, continuò etiam omnia te didiciſſe: Etenim adhuc multa neſcimus, & etiam ſi illud perceperis. Cuius generis eſt, in vtero qui ſit, qui eſt infinitus: quemadmodum qui cuncta continet, à muliere geſtetur: quemadmodum pariat virgo, quemadmodum non totam carnem ex * matre ſuſceperit, ſed partem huius, eamque auxerit: & figurauerit. Nam quòd ex virginis carne proceſſerit, demonſtrauit ille, qui dixit; quod enim in ea natum eſt. Et beatus Paulus; Factum, inquit, ex muliere, factum ſub lege: os quodammodo obſtruens impiorum, qui autumant quaſi per quendam carnalem, ita alterius naturę Chriſtum tranſiſſe per Mariam. Si enim ita res ſe haberet, quid ei opus fuiſſet vtero virginis? ſi ita eſt, nihil ei, nobiſque commune eſt. Alia igitur illa caro eſt, non noſtræ communione naturæ. Quemadmodum ergo de radice Ieſſe proceſſit? quemadmodum virga, quemadmodum flos, quemadmodum filius hominis? quemadmodum mater eſt Maria? quemadmodum ex Dauid factus eſt ſemine? quemadmodum formam ſerui dominus accepit? quemadmodum verbum caro factum eſt? quemadmodum ad Romanos Apoſtolus ait; Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus? Quoniam igitur ex nobis, id eſt, ex noſtra ſit omnino natura, & ex vtero virginali: & per iſta, quæ diximus, & per alia plura monſtratur. Noli igitur tu quicquam vlterius inquirere, ſed ſuſcipe quod relatum eſt, & noli indagare, quod tacitum eſt. *Ioſeph autem, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere,* inquit, *conatus eſt occultè dimittere.* Poſtquam dixit, quia eſſet ex ſpiritu, & abſque vlla mixtione ſexuum: ſermonem ſuum etiam aliunde confirmat. Ne enim aliquis diceret: & vnde hoc poteſt eſſe manifeſtum? quis vidit? quis audiuit aliquando tale aliquid contigiſſe? neque putares diſcipulum quaſi gratificatum magiſtro, iſta confingere: introducit Ioſeph ex iis, quæ paſſus eſt, fidem dictis per cuncta facientem, vt planè hinc dicere Euangeliſta videatur; Si non credis mihi, & teſtimonium tibi meum fortè ſuſpectum eſt, crede igitur vel marito. *Ioſeph autem vir eius,* inquit, *cùm eſſet iuſtus.* Iuſtum hic, in omni virtute dicit eſſe perfectum. Eſt enim iuſtitia ſpecialis quædam, & ex parte iuſtitia, auaritiæ vitio non teneri: eſt verò iuſtitia altera generalis, quæ ex cunctis omnino perficitur: iuxta quem præcipuè

** Legendum eſt an matri. ce.*

Galat. 4.

Valentiniani omnes.

Rom. 9.

præcipuè modum ſcriptura ſolet appellare inſti-
Luca 1. tiam: vt cùm dicit, homo iuſtus, verax. Et rurſus; Erant iuſti ambo in conſpectu Dei. *Cùm igitur eſſet iuſtus*: hoc eſt, frugi, bonúſque vir: *voluit occultè dimittere eam.* Propterea vero Euangeliſta dixit, quid iuſto illi acciderit ante notitiam, vt nequaquam de iis, quæ poſt notitiam rei ſunt facta, dubitaret. Et certè ſi Maria talis fuiſſet, qualem illam ſuſpicio fingebat, non modò publicari meruerat, verumetiam ex legis authoritate puniri, ſed Ioſeph non ſolùm maius, verùm id quoque, quod erat minus, pariter induſit. Non enim tantùm eam damnare noluit, ſed etiam publicare. Vidiſti nempè virum ſublimiter philoſophantem, & tyranniææ illius affectionis immunem. Noſtis enim, profectò noſtis, quàm impotens res ſit zelotypia. Propter quod ille bene huius rei non ignarus, aie-
Prouerb. 6. bat; Plenus eſt enim zelo furor viri eius: non parcet in die vindictæ. Et rurſus idem; Inexorabilis, inquit, eſt, ſicut infernus, zelus. Et nos quidem pleroſque nouimus, velle animam potius amittere, quàm in tormentum zeli, atque huiuſmodi ſuſpicionis incidere. Quanquam hîc quæ tandem diceretur eſſe ſuſpicio, vbi ipſe vteri tumor videbatur arguere ſuſpectam? ſed tamen ita erat ille vir ab huiuſmodi paſſione mundus, ac liber, vt ne in minimis quidem virgini vellet inferre mœſtitiam. Quia ergo & apud ſe illam retinere iniquum putabat, & publicare, atque in iudicium trahere, nihil eſſe aliud quam in mortem trahere videbat: neutrum horum facit, ſed adhuc ſub lege viuens, ſupra legem philoſophatur. Siquidem, aduentante iam gratia, multa ſublimioris diſciplinæ documenta fulgere oportebat. Vt enim Sol, nondum radiis oſtenſis, eminus tamen ſplendore ſuo maximam partem orbis illuminat: ita & Chriſtus ex vtero virginis iam iamque progrediens, vniuerſo orbi etiam, priuſquam oriretur, illuxit. Denique ante illum quoque virginis beatę partum, & prophetæ in ſpiritu tripudiabant, & mulieres in ſpiritu prædicebant futura, & Ioannes nondum elanſtra egreſſus vteri, gaudia ſua tradebat & matri. Propterea igitur & Ioſeph tantam philoſophiam mentis oſtendit. Neque enim aut in iudicium tradidit ſponſam, aut ipſe ſaltem ei manifeſtum vteri exprobrauit tumorem, ſed tantummodo à ſe illam ſeparare conatus eſt. Quum in his ergo omne negotium verteretur, atque in ſumma res difficultate conſiſteret, aduenit repentè angelus, qui omnia ſimul mœſta & aduerſa diſſolueret. Inquiſitione dignum videtur, cur non, priuſquam intelligeret vir grauidam virginem, vnde eſſet grauida, angelus edocuerit, ſed, poſteaquam ille ſuſpicione cruciatus eſt, nunc iſte id, quod acciderat, indicauerit. *Hæc*, inquit, *eo cogitante, ecce angelus domini.* Et certè virgini ante conceptum denunciat, quod futurum eſt: quod quidem ipſum non effugit quæſtionem. Nam & ſi angelus non dixit viro, qua tamen ratione id virgo celauit? quæ enim & ab angelo audierat, & virum turbatum videbat, cur tantum mœrorem ſermone non abſtulit? Quánam ergo ratione non, antequam turbaretur, hæc ei angelus reuelauit? Oportet enim vt, quæ prius propoſita ſunt, priora ſoluãtur. Cur hoc, inquam,
Luca. 1. angelus antè non dixit? ne ſcilicet Ioſeph de rei nouitate dubitaret, & tale quid forſitan pateretur, quale Zachariam legimus pertuliſſe. Facile quippe eſt credere verum eſſe, quod dicitur, quando iam res ipſa oculis offertur: antequam verò incipiat fieri, quod promiſſum eſt, laborioſè prorſus dicta, & præſertim inuſitata creduntur. Propterea iſtud nec angelus indicauit, & virgo id, quod & audierat, & ſentiebat, abſcondit. Neque enim ſibi vllo modo à ſponſo credendum putauit, ſi ad eum rem nimis nouam, ſuſpectamque deferret, quinimo magis eum in iram credidit concitandum, ſi quaſi crimen admiſſum hoc videretur obumbrare figmento. Si enim etiam ipſa virgo, cui tanta erat gratia conferenda, aliquid tamen patitur humanum, & dicit: Quomodo iſtud erit, quoniam
virum non cognoſco? Quantò magis ille dubitaſſet, maximè, quum id audiret ab vxore ſuſpecta? Idcirco ei de hac re virgo quidem ipſa nihil loquitur, angelus verò tempore aduenit congruente. Et cuius inquies, rei gratia non id ipſum cuſtodiuit in virgine, vt ad illam quoque poſt conceptum veniret? Ne ſcilicet ſtupentis, ac verecundantis animum anxietas, mœſtitiáque conſumeret. Valde enim fieri potuit, vt tanti ignara ſecreti aliquid de ſe crudele decerneret: & quantum honeſtatis amans, tantum famæ turpis intolerans, vel ad laqueum ſubitò, vel ad gladium conuolaret. Erat enim illa virgo per cuncta mirabilis, cuius virtutem Euangeliſta Lucas declarans, refert: quòd, quum ab angelo verba ſans honorificæ ſalutationis audiſſet, non ſemetipſam continuò, vt fit, in gaudium relaxauit, nec nimis credula noua dicta ſuſcepit: ſed honeſta, ac decenti trepidatione permota, cuiuſmodi eſſet ſalutatio illa quæſiuit. Virgo igitur tanti & pudoris, & ponderis, vel examinari mœrore potuiſſet, ſi tam grande ſibi imminere cogitaſſet opprobrium: quum præſertim neminem ſibi quamlibet multa dicenti crediturum putaret, quòd ille conceptus, qui de coniugio non erat, non de adulterio contigiſſet. Ne igitur iſta ſequerentur, venit angelus ante conceptum. Oportebat quippe imperturbatum illum eſſe vterum, quem hominum ingreſſurus erat creator. Decebat illam profectò animam ab omni eſſe immunem cogitationum tumultu, quæ tanti electa eſt miniſtra myſterij. Propterea virgini quidem ante conceptum, viro autem ipſo iam inſtantis partus tempore nuntiatur. Quod plerique parum intelligentes, ad Euangeliſtarum diſcrepantiam retulerunt, quaſi ſcilicet Lucas Mariæ, Matthæus verò Ioſeph afferat nuntiatum: ignorantes profectò vtrunque id eſſe conſequenter effectum, quod per omnem hanc hiſtoriam obſeruare nos conuenit, vt vna hac regula, multa, in quibus videntur Euangeliſtæ diſſonare, ſocientur. Venit itaque angelus ad Ioſeph ſatis anxium, ſatíſque turbatum. Nam & propter illa, quæ diximus, & vt magis iuſti viri philoſophia clareſceret, dilata eſt præſentia nuntiãtis. Aduẽnit autem, quum res ipſa iam eſſet implenda. *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini in ſomnis apparuit ei.* Conſidera certè modeſtiam, ac maturitatem viri: non modò non puniuit aliunde grauidam, ſed nec cuiquam mœroris ſui cauſam retexit, ne illi quidem ipſi, de qua eum ſuſpicio mordebat: ſed ſecum ipſe cogitationum ſuarum fluctibus æſtuando, ab ipſa etiam virgine ſtuduit abſcondere tanti cauſam doloris. Neque expellere eam de domo voluit, ſed à ſe tacitè dimittere. Tam manſuetus ille vir erat, támque moderatus. *Hæc ergo eo cogitante, in ſomnis apparuit ei angelus.* Cur in ſomnis, & non potius apertè, ſicut & paſtoribus,

Sed humana eſt ſententia, B. virginem nihil hæſitaſſe de Dei promiſſis.

Non admodum æque de B. virgine ſentire ſoles hic S. Doctor.

bus,& Zachariæ apparuerat,& virgini? Quia ſcilicet erat vir prorſus fidelis, & manifeſtiori reuelatione non indigens. Nam virgo quidem, quippe cui tam & noua nuntiarentur, & magna, multóque maiora, quàm Zachariæ fuerat nuntiata, & ante rem ipſam doceri debuit,& per apertiſſimam reuelationem doceri. Paſtores quoque tantò debuerant inſtrui manifeſtius, quãtò magis ab eiuſmodi eruditione per agreſtem erant vitam remoti. Hic verò poſt vteri indubitatum tumorem, quum iam mœrore animi,& maligna ſuſpicione tabeſceret, & ad expectationem iam iamque meliorem aliqua optaret ratione transferri: hoc iam erat in animo, vt ſi fortè appareret quiſpiam, qui mœrentem in viam ſpei lætioris induceret, & facilè reuelationem ſuſciperet, & libenter. Et idcirco, poſtquam ſuſpicione cruciatus eſt, viſione recreatur: vt hoc ipſum, quod poſt ſuſpicionem docetur, ea, quę dicuntur, vera eſſe demonſtret. Cum enim quod nulli fuerat ipſe confeſſus, ſed incluſum tantummodo mente voluebat, id etiam loquente ſibi angelo recognoſci, certiſſimum, & abſque vlla ambiguitate prorſus documentum eſt, quòd à Deo ad illum miſſus aduenerit. Ipſius enim eſt ſolummodo, cordis arcana proſpicere. Conſidera igitur quanta in hac dilatione compleantur. Nam & admiranda viri philoſophia monſtratur, & expectata opportunitas temporis ad fidei proficit firmitatem, & hiſtoriæ veritas inſuſpecta ſeruatur: quæ oſtendit iuſtum virum ea eſſe perpeſſum, quæ illum pati conſequentia rerum ipſa cogebat. Quemadmodum igitur angelus ei fidem ſuggerit ambigenti, audi, atque mirare, quanta in hoc philoſophia ſermone reſplendeat. Quum enim veniſſet, dixit ad eum; *Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Principio ſatis neceſſario Dauid intulit mentionem, vnde vtique Ioſeph Chriſtum didicerat naſciturum: deinde tum non ſinit eum perturbatione vexari, dum, nomine progenitoris ingeſto, illius eum promiſſionis admonet, quæ ad omne facta eſt genus Iudæorum. Cæterùm cuius rei gratia Dauid eum filium nuncuparet oſtendens: *Noli*, inquit, *timere.* Et certè alicubi Deus non idem facit. ſed rege quodam de muliere ſecus, quàm oportuerat, cogitante, caſtigatorio ſermone vtitur, & comminationis pleniſſimo, quum tamen ibi quoque ignorantia excuſaret admiſſum. Neque enim ſciens ille, Saram alij copulatam in vſum vxoris acceperat, & tamen, quum crimine careat, verberatur: hîc verò multò mitius agitur, ac lenius: quippe vbi & maximarum rerum diſpenſatio continetur, & ingens inter virum vtrunque diſcrimen eſt. Propter quod nequaquam huiuſmodi cogitatio correptionis indiguit. Dicēdo enim, *noli timere*: proculdubio eum demonſtrat timentem, ne ſcilicet offendat dominum, ſi adulteræ copuletur. Per quod oſtenditur, quia niſi hic interceſſiſſet metus, nec ille de eius dimiſſione aliquid cogitaſſet. Ex his igitur omnibus illud profectò declarat, quòd Dei ad Ioſeph venerit miſſus imperio, cūcta, quæ cogitauit, quæque perpeſſus eſt, in medium proferendo. Nec verò nomen virginis memoraſſe contentus, addidit *coniugem*, haud ita vocaturus, ſi corrupta fuiſſet. Coniugis autem nomine ſponſam intellexit, ſicut eos quoque, qui adhuc ſponſi ſunt, generos appellare ſcriptura conſueuit. Quid autem eſt, *accipere*? Domi profectò retinere. Iam enim illam mente dimiſerat, ſed dimiſſam, inquit, Deus tibi copulat, non parentes: copulat verò non in fœdus ſolenne coniugij, ſed in conſortium communis habitaculi, & copulat per meæ vocis officium. Sicut enim illam poſtea commendat Chriſtus ipſe diſcipulo: ita etiam nunc angelus ſponſo, ſolatium tantummodo eius habituram abſque fœdere nuptiarum. Deinde etiam rem ipſam exprimens, qua plurimum vtebatur maritus, de maligna quidem ſuſpicione cauit: honeſtius autem, multóque dignius cauſa partus expoſita, ſuſpicionis quoque prorſus reſtinxit: oſtendens quoniam propter quod ſolùm ſponſam, & ſecum habere metuebat, & à ſe dimittere cogitabat, ob hoc ipſum magis illam accipere debeat, ſecumque retinere, ſi in cœpta velit permanere iuſtitia, per quod affatim trepidationem eius, mœſtitiámque diſſoluit. Non modò, inquit, illicito non eſt violata complexu, verumetiam ſupra naturam, moréмque fœcunda eſt. Noli igitur de tam fœlici partu ſponſæ attrahere mœrorem, imò verò in maiorem prorumpe lætitiam. *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Nouum dictum, atque mirabile, & humanis cogitationibus ſupereminens, ſupra leges vadens omnino naturæ. Quónam igitur modo hæc ille vir crederet, qui nihil peius tale ſermone conceperat? Ex eorum, quæ iam peracta erant reuelatione. Idcirco enim omnia, quę celabantur in eius animo, angelus reuelauit: memorando certè, quæ patiebatur, quæ verebatur, quæque etiam meditabatur efficere: vt, quum cognouiſſet iſta, etiam illa ſuſciperet. Neque verò de præcedentibus ſolùm ad fidem ducit ambiguum, verumetiam de futuris. *Pariet enim, inquit, filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Non enim quia ex ſpiritu ſancto eſt, idcirco te à miniſterio tantæ exiſtimes diſpenſationis extraneum. Nam, etſi nihil habeas in hac generatione commune (virgo quippe permanſit intacta) tamen, quod eſt proprium patris, quodque nihil infuſcat virginis dignitatem, & integritatem, hoc tibi facile concedo, vt ſcilicet nato nomen imponas: tu enim illum primum vocabis. Quanquam enim non ſit filius tuus iſte, qui naſcitur, tu tamen curam erga illum, & ſolicitudinem oſtendes parentis: & propterea te illi ab ipſa ſtatim nominis impoſitione coniungo. Deinde ne quis illum ex hoc verè patrem vocaret, audi quàm cautè, quámque ſolicitè ea, quæ dicuntur addiderit: *Pariet*, inquit, *filium.* Non dixit, pariet tibi: ſed poſuit illum ſuſpenſum. Non enim illi, ſed vniuerſo prorſus orbi peperit Chriſtum. Propterea & nomen eius de cœlo angelum detuliſſe Euangeliſta memorauit, vt hinc quoque oſtenderet illum mirabilem eſſe partum, quo eius nomen ad Ioſeph, & per angelum, & à Deo miſſum doceret. Nam & ipſum vocabulum non inaniter poſitum eſt, quod certè mille continet theſauros bonorum. Propter quod illud etiam angelus interpretatur, bonis mœrentem ſpebus animando, & hoc quoque illum modo ad credendum, quod loquitur, inuitat. Facilè namque ſolicitamur ad proſpera, & promptius fidem accommodamus ſecundis. Quum igitur ex omnibus conſtruxiſſet fidem, à præcedentibus, à præſentibus, à futuris, ab honore eius, quem promiſerat naſciturum, introduxit opportunè etiam Prophetam de Chriſto loquentem: & ſingularia per ipſum bona vniuerſo orbi conferenda

Margin notes: *Ioan.19.* (beside "Sicut enim illam poſtea"); *Geneſ.12.& 20.* (beside "que ignorantia excuſaret admiſſum")

conferenda prænunciat. Quænam igitur bona ſunt? Remiſſio ſcilicet, interituſque peccati. *Ipſe*, inquit, *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hic quoque beneficij nouitas indicatur. Non enim à bello viſibili, neque à gladio Barbarorum: ſed quod his longè maius eſt, à peccato ſuo populum ſuum nuntiat liberandum: quod præſtare nulli fuit hominum aliquando poſſibile. Et cuius, inquies, rei gratia quaſi ſignatè populum ſuum, & non etiam omnes gẽtes pariter nominauit? Ne ſcilicet de manifeſto & inuſitato nuntio ſcrupulum pateretur auditor, quáquam rectè hæc percepturo etiam gentes deſignantur. Populus enim Chriſti non tantum natio Iudæorum eſt, ſed omnes quoque qui ad eum veniunt, eiuſque donãtur agnitione. Conſidera verò quemadmodum nobis ipſam etiam Chriſti patefecerit dignitatem, primò populum eius appellans, quem per ipſum à peccatis dicit eſſe ſaluandum. Nihil enim hoc aliud eſt, quàm oſtendere Dei filium eſſe, qui naſcitur, nec ſe de aliquo homine rege hunc proferre ſermonem. Neque enim poteſt peccata dimittere, niſi ſolummodo diuina natura. Tanta igitur cæleſtis muneris liberalitate donati, cuncta omnino faciamus, ne tam grandibus beneficiis irrogemus iniuriam. Si enim etiam ante quam hæc caperemus dona, merebamur tamen propter peccata puniri, quantò magis poſtquam tam ineffabilia ſumus beneficia conſequuti? Et hoc non fruſtra, nec abſque certa nunc ratione commemoro: ſed quòd video pleroſque deſidioſius poſt acceptum baptiſmatis viuere ſacramentum, quam eos, qui nondum ſunt illo myſterio conſecrati. In plurimis enim nulla omnino ſigna Chriſtianæ inuenio diſciplinæ: non in publicis locis, atque communibus, non in ipſius eccleſiæ conciliabulis facile reperias, per quod inter fidelem, infidelémque diſtinguas. Solo enim hoc celebrandi myſterij tempore dignoſci poteſt, cùm videlicet alios excludi videris, alios verò intus teneri. Oportebat autem vniuſcuiuſque fidem non locis, ſed moribus indicari. Nam ſecularium quidem decora dignitatum, conſequenter ab extrinſecus poſitis cernuntur inſignibus: noſtra verò intelligi oportet ex mentibus. Fidelis enim non modò à communione myſterij, verumetiam de nouitate vitę debet agnoſci. Fidelem enim ſal eſſe conuenit, & luminare mundi. Sin verò ne tibi quidem ipſe luceas, & ne propriam quidem putredinem, fœtorémque detergas, quibus te indiciis ego fidelem potero agnoſcere? An quia ſacrati aquas fontis ingreſſus es? At hoc ipſum, quod datum tibi fuerat ad ſalutem, fit tibi grauioris cauſa ſupplicij. Honoris ſiquidem magnitudo iis, qui non dignè viuunt honore, cumulus incipit eſſe pœnarum. Igitur fidelem non ab iis, tantùm quæ accepit à Deo, verumetiam ab iis, quæ obtuleris ipſe Deo, conuenit refulgere, & vndique eſſe notum, atque manifeſtum, & ab inceſſu, & ab aſpectu, & à veſte, & à voce. Et hæc dixerim, non vt noſmetipſos ad oſtentationem noſtri, ſed ad ædificationem cæterorum vtique aptemus videndos. Nunc verò vndecunque voluero dignoſcere, inuenio te à contrariis publicari. Si te ex loco ſcire curauero, proculdubio in circo te, theatróque perſpiciam, totos prorſus dies in vaniſſimis illis cœtibus exigentem, vel in foro corruptis hominibus peſtiferiſque coniunctum. Sin verò ex ipſis moribus corporis notitiam tui habere quæſiuero, videbo te horrentibus cachinnis, & fœdiſſima iucunditate reſolutum, vt fluxam quandam, perditamque meretricem. Sin autem te a veſte conſiderem, nihil te à ſcenico habitu diſtare cognoſcam. Iam ſi te voluero à comitibus addiſcere, inueniam te adulatoribus ſtipatum, atque paraſitis. Si à ſermone, nihil te audiam omnino ſanum, nihil ſerium, quodq́ue ad diſciplinam noſtram ſpectet, loquentem. Si à cibo, maior hinc profectò materia accuſationis orietur. Vnde igitur, reſpõde mihi, fidelem te eſſe potero cognoſcere, cùm omnia iſta, quæ diximus, contrariam de te ferant ſententiam, téque apertiſſimè infidelem eſſe conuincant? Et quid dicam, vtrum fidelis? nec, ſi homo verè ſis, poſſum euidenter agnoſcere. Quando enim vt aſinus calcitras, vt taurus ſuperbis: libidine incenſus ſic hinnis vt equus: quando in epulis vrſorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more diſtendis: cum exercenda ſimultate camelum, lupum imiteris rapina: cum iraſcaris vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias: cum ſubdolè inſidieris vt vulpes, cumq́ue veneno malignitatis armeris vt coluber, & vipera: cum quaſi diabolus ipſe aduerſus fratres crudelia bella ſuſcipias: quonam vnquam modo, qua ratione in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te cernens humanę ſigna naturæ? O rem plenam doloris, atque lachrymarum: fidelis, & catechumeni diſtinctionem reperire cupiebam, ſed nec inter homines, & feras quod ſit diſcrimen inuenio. Quid enim te appellare debeo? feram? Sed illæ vno aliquo horum vitio tenentur, tu verò ſimul in te omnia colligendo, longè ferarum irrationale, ſtultumque tranſgrederis. An diabolum te potius appellem? ſed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidi ventris obſequitur. Quum igitur plura in te vitia ſint, quàm in beſtiis atque dæmonibus, reſponde, obſecro, vnde te poſſum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo potero fidelem vocare? Verum hoc eſt multò deterrimũ, quòd tamen, quum omnium vitiorum ſqualore turpemur, nec intelligimus quidem noſtræ animæ fœditatem, nec eius prorſus deforme cognoſcimus. Nam tu quidem apud tonſorem reſidens, diligenter capitis tui attendis comam. Sumpto ſiquidem ſpeculo, multo cum ſtudio, ſummáque cura æqualitatem conſideras, & nitorem capilli, nec tamẽ in imagine tui temetipſe inſpexiſſe contentus, tum ipſum artificem, tum alios adſtantes ſolicitè homo iam ſenex, non vereris iuuenili ſtultitia inſanus interrogare, an alicubi incomptius manus properantis operata ſit, an ſatis deceat frontem leniter attonſa cæſaries: Animæ verò noſtræ, quæ non ſolum deformis eſt, verumetiam ferarum omnino conformis, & quæ Scylla aliqua, vel Chimęra (vt fabula celebrat) effecta eſt, nulla nos cura, nulla ſolicitudo vnquam remordet, cum certè hic quoque ſpeculum ſit paratum, proculdubio ſpiritale, & longè illo vtilius ſpeculo, longéque lucidius. Non enim oſtendit tãtummodo ſuam vnicuique fœditatem, ſed eam in maximum quoque, ſi volumus, conuertit decorem. Hoc eſt enim virorum memoria ſanctorum, ac beatæ illorum conuerſationis hiſtoria, & generaliter diuinarum lectio ſcripturarum, poſitæq́ue à Deo legis agnitio. Si volueris ſaltem fixè, intẽtéque cordis oculo fulgentes illas

Innuit miſſam catechumenorum.

H ſanctorum

ſanctorum imagines intueri, totum cōtinuò mentis tuæ deforme conſpicies. Quumque iſtud agnoueris, nullius profectò rei indigebis alterius, per quam ab huiuſmodi turpitudine libereris, tam nobis vtile iſtud eſt ſpeculum, támque nos facili transformatione conuertit. Nemo igitur diutius in ferarum effigie perſeueret. Si enim ſeruus nequaquam domum patris ingreditur: cum beſtia etiam fueris effectus, quando poteris ipſum ſaltem introire veſtibulum? Et quid dicu beſtia, quando vnuſquiſque vitioſus omni beſtia comprobetur immanior? Illæ quippe quanquam naturaliter ſæuiant, ſi humana tamen arte palpentur, plerumque manſueſcunt: tu autem, qui illarum profectò naturalem feritatem in eam, quæ contra naturam eſt manſuetudinem ſæpe commutas: tuam manſuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ eſt inimica, conuertis: quúmque naturaliter feram ad manſuetudinem trahis, te naturaliter manſuetum in ferarum rabiem, natura repugnante, perducis. Et leonem quidem mitigas, reddiſque tractabilem: furorē verò animi tui omni prorſus efficis leone ſæuiorem. Et certè cùm ibi ſint duo impedimenta vel maxima, quòd fera ipſa & ratione priuatur, & longè omnium alterius generis animalium excedit furorem: tu tamen de copia donatæ tibi à Deo ſapientiæ, ipſam ſuperas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in beſtiis, cur in temetipſo naturæ obfuſcas bonum, dum malum adamas voluptatis? Itaque ſi te, vt alium hominem manſuefaceres, iuberem, nihil hîc quidem impoſſibile viderer imponere: quanquam excuſare poſſes, nō te eſſe dominum voluntatis alienæ: neque cuncta in tua poteſtate cōſiſtere. Nunc verò tua hæc propriè fera eſt, & cui certiſſimo iure domineris. Quā igitur habes apologiam, quémve reperies honeſtum excuſationis colorem, qui cum ſolerti ſtudio hominem quodam modo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem donas ſuprà ſuam aliquid habere naturam, tibi verò nec naturales quidem affectus reſeruas. Et qui beſtias feras ad manſuetudinis prouehis dignitatem, temetipſum de throno deiiciens & honore regali, ad irrationalium cogis furorem. Ponamus enim, ſi placet, iram quoque beſtiam eſſe quandam: quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem, ſtudium commodatur, tantum tu erga iracundiam impende curam, & effice huiuſmodi cogitationem mitem atque manſuetam. Siquidem hęc fera & vnguibus ſæuiſſimis armatur, & dentibus: & niſi illam ſolicitè manſuefeceris, cuncta ſimul diſperdet, atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla ſic vipera viſcera queunt humana laniare, vt hominis iracundia ferreis quibuſdam vnguibus vniuerſa confodiēs. Neque enim ſolummodo corpori nocet, ſed ipſius etiam corripit animæ ſanitatem: cunctas ſiquidem eius omnino vires diſcerpit, ac deuorat, eamque ad omnia inutilem facit. Nonnulli hominum vermes quoſdam in interioribus corporis nutrientes, ne reſpirare quidem ſinuntur, vexatis profectò, adeſiſque viſceribus: nos tamen venenatam hanc in nobis alentes viperam, iram dico, quæ omnia interiora hominis depaſcitur: quid vnquam ſanum, aut forte poſſumus cogitare? Quónam igitur modo ab hac tam noxia peſte fugiemus? ſi illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes, ſerpentéſque mortificet.

Et quódnam, inquies, iſtud eſt poculum? Pretioſus ſcilicet Chriſti ſanguis, ſi cum fiducia vtique ſumatur. Omnis enim hoc remedio morbus extinguitur: poſt hoc ſanctarum quoque ſcripturarum diligens, & deuotus auditus, & miſericordia auditui copulata. Per hæc enim omnes mortificari illæ poſſunt, quæ animam noſtram tabefaciunt, paſſiones. Et tunc verè vita, ac ſanitate potiemur, qui certè nunc nihil fere à mortuis diſcrepamus. Neque enim poſſibile eſt, nos verè viuere, niſi in nobis vitia omnino moriātur. Hæc neceſſariò nos perimunt in futuro, ſi nos viuere hîc illa patiamur: quinimo etiam ante illam mortem hic exigunt à nobis horrenda ſupplicia. Siquidem vniuerſa hæc vitia & crudelitatis plena ſunt, & auiditatis, noſque quotidie deuorare non deſinunt. Itaque & dentes eorum non immeritò eſſe dixerim dentes leonum, imò etiam ſæuiores. Nam leo quidem ſimul vt fuerit expletus, ſemeſum continuò cadauer relinquit: hęc verò vitia nec ſatiantur aliquando, nec ab anima noſtra vſquam recedunt, captúmque à ſe hominem diabolo ſimillimum faciunt. Quorum certè tanta vis eſt, vt ſeruitium, quod Chriſto Paulus inferum, ſuperúmque tutus, ſecurúſque exhibuit, idipſum à ſuis exigant captiuis etiam. Nam, ſi vel amore corporum, vel cupiditatè pecuniarum, vel gloriæ aliquis delectatione capiatur, ſuperos inferos continuò contemnit, dummodo vitiis obſequatur. Nequaquam igitur dicenti Paulo fidem adhibere dubitemus, qui tanto Chriſti amore flagrauerit. Quando diuites inueniuntur aliqui ita deſideriis ſuis, ac vitiis ſeruientes, cur ita Paulum ſeruiſſe Chriſto incredibile iudicetur? Idcirco enim nos imbecilliorem in Chriſtum habemus affectum, quia omnis noſtra vis in vitiorum amore conſumitur. Nam & auaritiæ deſeruimus, & aliena diripimus, & inani gloriæ libēter obſequimur: qua ſeruitute quid vnquam eſſe vilius, aut contemptius dicendum eſt? Etſi enim millies clarus habearis, atque conſpicuus, nihil hinc tamē inglorio aliquo melior exiſtis, imò hoc ipſo multò inhonorabilior, multóque deſpectior. Quando enim illi iidem tui amici, qui te glorificare certatim ſtudent, clarumque monſtrare propter hoc reipſum rurſus irrident, quòd gloriam ab ipſis requiras: quomodo nō tibi in contrarium huiuſmodi ſtudia vertuntur? Vſque adeò autem vitium iſtud notatur, vt, ſicut laudamus omnes eum, qui non fornicationem, non adulterium concupiſcit: ita etiam prædicemus iſtum, magiſque miremur, qui amorem refugit gloriandi: quum è regione accuſare potius quàm laudare ſoleamus eos, qui hominum laudes requirunt. Quid igitur iſtam magnopere ſectaris, cuius vice contraria eius tibi ſemper occurrit? Si enim glorificari cupis, gloriam deſpice, & eris glorioſior. Nunc verò idipſum pateris omnino, quod Nabuchodonoſor legimus pertuliſſe. Nam ille ſtatuam quondam erexit, à ligno, & mortua corporis imagine magnam ſcilicet famam aucupaturus, viuus (ſi Deo placet) à rebus mortuis claritatem mutuaturus. O ingentem inſaniam! quo ſe honorare eſt viſus, deridendum præbuit. Nam qui re mortua nixus magis quàm ſeipſo, & mentis ſuæ viribus, lignum ſupra ſe dignatur, qui non ſit ille (obſecro) riſu maximè dignus? Vt ſi aliquis de magnitudine, ac pulchritudine domus, de ſcalis potius, gradibúſque marmoreis ſe eſſe honora

Vide mirabilem Euchariſtiæ virtutē.

1.Cor. 11. f & Rom. 8. g

Dan. 3. a

honorabiliorem putet, quàm quòd homo genitus, & rationis nobilitate donatus eſt. Hunc itaque plurimi etiam nunc inueniuntur imitari. Vt enim ille tunc de imagine aurea: ſic modo alij de veſte precioſa, de equis alij, vel curribus, de amplitudine columnarum, & picturis parietum, opinantur ſe eſſe meliores. Quia enim quod erant homines perdiderunt, ſolicitè huc, illucque circumeunt, aliunde ſibi gloriam colligẽtes, omni ſanè irriſione digniſſimam. At non etiam illi fortes Dei, & laudabiles famuli huiuſmodi rebus, ſed illis, quibus oportebat maximè, refulſerunt. Siquidem cùm adhuc adoleſcentes eſſent, & peregrini, imò etiam ſerui, atque captiui, ac neceſſariarum rerum penitus indigentes, multò his clariores fuerunt, quos omnis copia rerum ſimul, ac pompa comitatur. Et illi quidem Babylonio Regi, non illa ingens, & auro fulgens imago, non præfecti regionum, ducesque militiæ, non innumerabilis, ac bellator exercitus, non auri, argentique ſtupenda congeſtio, eius ambitioni, & ad magnum illum efficiendum aliquid prodeſſe potuerunt: his verò cunctorum talium poſſeſſione nudis, ſola philoſophia ſuffecit. Et hæc nimirum fuit, quæ illos omnibus, non diuitibus ſolùm, verumetiam diademate, purpuraque fulgentibus reddidit clariores, quantò amplius deterrimo aliquo cœno Solis flamma reſplendet. Ducebantur ad totius penè orbis ſpectaculum adoleſcentes, ſerui, iidemque captiui. Qui cùm ante Regem intrepidi conſtitiſſent, in conſpectu eorum ignem continuò iuſſit accendi, & duces militum, & ſatrapę, præfectique regionum, & omne illud diaboli circunſtabat theatrum, & vox vndique fiſtularum, & tibiarum cantus, & clangor tubarũ, totiuſque muſicæ artis ſonus ferebatur in cœlum, ſanctorumque auribus obſtrepebat, & fornax in immenſam altitudinem fuerat accenſa, ipſaſque iam nubes flamma tangebat. Verùm illos nihil horũ omnino deterruit: ſed quaſi pueriles quoſdam, friuoloſque conatus ridendo deſpicerẽt, ita ſecurè fortitudinem animi, modeſtiamque monſtrabant: & emittentes vocem omnibus illis bucinis clariorem, tota cum libertate dicebant; Notum tibi ſit,
Ibid. 3. c. rex, quoniam dijs tuis non ſeruimus, & imaginem auream, quam ſtatuiſti, non adoramus. Et conſidera in ipſo tanti feruore certaminis modeſtiam relucentem, Notum tibi ſit, rex. Non enim verbis quoque deſpicere regem, atque inhonorare voluerunt: ſed ſuam tantummodo erga Deum monſtrare pietatem, propter quod nec in longum extendere ſermonem. Nam in breui cuncta declarant. Eſt, inquit, Deus in cælo, qui poteſt liberare nos de fornace ignis ardentis, & de manibus tuis, rex, eripere nos. Quid nobis igitur oſtendis diffuſas militum copias? quid fornacẽ inuſitatis flammarum ardentem globis? quid micantes gladios? quid terribiles haſtatorum catervas? His nanque omnibus longè ſublimior eſt Deus noſter, ac fortior. Deinde intelligentes fieri poſſe, vt eos Deus permittat, interim paſſioni ſubiici: ne, ſi id accideret, videantur illi temerè Dei omnipotentiã prædicaſſe: conſequenter adiungunt; Quòd & ſi iſtud non fiat, notum ſit tibi, rex, quòd dijs tuis non ſeruimus. Si enim dixiſſent, propter noſtra peccata non liberat, & fortè non liberaſſet, illis tamen creditum non fuiſſet: exiſtimaſſent quippe impij non potuiſſe Deum magis, quam noluiſſe defendere.

Propterea hîc interim iſtud tacent, quòd certè in fornace ſæpe congeminant, peccata ſurſum, ac deorſum humiliter confitentes. Apud verò regem nihil tale prorſus commemorant, ſed quòd etiam ſi donentur incendio, nequaquam tamen à pietate diſcedebãt. Non enim hîc pro retributione, atque mercede, ſed pro ſola totum Dei charitate faciebant. Nam & ſeruitutis premebantur iugo; & ærumnas captiuitatis gemebant, & nulla rerum proſperitate fruebantur. Siquidem & patria, & libertate, & omnibus, quibus antè potiebantur, exciderant. Non enim mihi illas in regali aula commemores dignitates: ſancti illi quippe cùm eſſent, atque iuſti, millies in regione propria ſtipem petere maluiſſent, modò vt conſecrati Deo templi iucunditate gauderent. Elegi, inquit, abiectus eſſe in Psal. 83. c.
domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum: &, Melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia. Multò igitur magis elegiſſent abiecti eſſe in ciuitate Dei, quam in Babylonia regnare: idque præcipuè ex vocibus illis approbatur, quas inter flammas frequenter emittunt, habitatione illius regionis grauati. Etſi enim ipſi ante hanc tentationis procellam plurimo apud illos honore fruerentur, cernentes tamen varia ciuium ſuorum, & magna diſcrimina, vehementi nimirum mordebãtur dolore. Quod vtique proprium ſolet eſſe ſanctorum, non ſcilicet gloriam propriam, non honorem, non quicquam aliud omnino anteferre proximorum ſaluti. Cõſidera igitur, quam diuerſus ab illis ſit noſter affectus. Illi enim in medijs quoque ignibus cõſtituti, pro vniuerſo populo Dei ſupplicant: nos verò ne in ſecuritate quidem maxima meminimus proximorum. Sed & ad interpretandum regis ſomnium requiſiti, nõ propria aliqua commoda propoſita habebant, ſed quod ad cũctorum vtilitatem ciuium pertineret: mortem verò quam facilè contemnerent, clariſſimi experimenti probatione docuerunt. Vbique autem ſe piè pro cunctis, atque humiliter opponunt, Deum per omnia placare cupientes. Deinde, quoniam ſemetipſos ad impetrandam populo veniam ſufficere non credunt, ad patrum merita confugiunt: ipſi verò nihil ſe amplius profitentur afferre, quàm humiliatum ſpiritum, ac dolore contritum. Horum igitur virtutem nos quoque debemus imitari. Siquidem etiam nunc aurea imago propoſita eſt, pecunia ſcilicet, in qua tyrannica quædam mammonæ formatur effigies, & ad ſeruiendum ſibi cupidorum corda ſolicitat. Sed nequaquam nos aut ſonitus tubarum, aut tibiarum, citharæque concentus, aut reliqua diuitiarum incentiua commoueant, vt imaginem adoremus auaritiæ: ſed, etiamſi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico, eam tamen & inter ignes poſiti diligamus: tunc enim nos in medio flammarum blanda circundabit roris aſperſio. Ne igitur paupertatis fornacem horreſcamus. Nam tum quoque in ignem coniecti, per ipſum oſtenſi clariores ſunt: qui verò imaginem adorauerunt auream, ſubito ignis perierunt vorata. Sed tunc quidem omnia pariter impleta ſunt: nunc autem alia quidem in hoc ſeculo, alia verò in futuro ſunt implenda iudicio. Hîc quippe, qui ne mammonam adorent, eligunt ſentire pauperiem: & hîc quidem magna, ſed multò maiori in futuro claritate fulgebunt. Qui verò hîc imaginem adorantes auream, de iniquitate ditantur,

Lucæ 16. tunc profectò extrema ſupplicia perſoluẽt. De huiuſmodi enim fornace Lazarus non minus quàm illi tres viri, clarus egreſſus eſt: contrà ille diues purpuratus, ac ſplendidus, qui in parte adoratũ iure enumeratur, gehennæ eſt deputatus incendio. Quę igitur ſuperius dicta ſunt, figuram manifeſtè exprimunt futurorũ. Sicut enim ibi in ignem miſſi, nihil aduerſi omnino ſenſerunt: qui verò foris ſteterunt, ſubito, ac vehementi incendio concremati ſunt: ſic etiam tunc futurum eſt. Nam & ſancti etiamſi flumen igneum tranſeant, nihil prorſus triſte patientur, ſed apparebunt abſque dubio clariores: adoratores verò imaginis videbunt ignem omni in ſe fera ſæuius irruentem, ſéque ad pœnarum interiora rapiẽtem. Si quis ergo non credit gehennam, ad fornacis illius flammam mente reſpiciat, & ex contemplatione præſentium credat futura, nec paupertatis, ſed iniquitatis fornacem expaueſcat. Hîc enim & ignis, & dolor eſt, ibi verò & ros ſentitur, ac requies. Et in illa quidem flamma diabolus medius aſſiſtit, in hac verò angeli incendia repellentes. Audiant igitur iſta diuites, qui fornacem iniquitatis accendunt, & qui pauperibus nihil nocent, diuina illis virtute rorante; ſe verò in illius horribilis flammæ prædam ſpontè præcipitant, quam propriis certè manibus accendunt. Tunc itaque angelus deſcendit ad pueros, nunc verò nos deſcendamus ad eos, qui in egeſtatis fornacè torrentur, eíſque refrigeria de miſericordiæ rore præſtemus: vt ab illis flammam inopiæ repellentes, poſſimus coronarum quoque eorum eſſe participes. Atque ita flammam gehennæ, Chriſti à nobis vox illa depellat, quę dicit; Eſurientem me vidiſtis, & pauiſtis: ſitientem, & potum mihi dediſtis. Hæc enim tum nobis vox, roris, & refrigerij loco (fratres) erit, per mediam ad nos flammam delata. Deſcendamus, inquam, cum miſericordia in fornacem inopiæ: intueamur illos, qui ſecuri per huiuſmodi gradiuntur ignẽ, eiúſque fidentes verticem calcant. Conſideremus nouum quiddam, atque mirabile, hominem in fornace gratias ſuppliciter agentem, hominem in fornace dulci modulatione cantãtem, hominem in extrema inopia colligatum, & plurimam tamen Deo gloriam, laudéſque referẽtem. Illis ſiquidem pueris inueniuntur æquales, quotquot paupertatem cum gratiarum actione patiuntur. Eſt enim terribilior pauperies igne, & amplius ferire conſueuit. Verùm vt illos non aduſit ignis, ſed, quoniam gratias Domino retulerant, etiam vincula eorum continuò diſſoluta ſunt: ſic etiam tibi, ſi paupertatem cum gratiarum actione ſuſtinueris, vincula reſoluuntur, & ignis extinguitur: ſi verò nõ extinguatur, multò maiori miraculo fontis naturam ignis imitabitur, quod in his certè conſpici poteſt, qui iuxta Euangelium philoſophantur, quíque libentius in paupertate, quàm in ſuis opibus diuites gloriantur. Nam & tunc illi, qui in ardenti fornace conſtiterant, puriſſimo rore fruebantur: & licet non fuerit ignis extinctus, in medio ſui tamen ſtãtes, omnino non attigit. Nequaquam igitur extra fornacem poſiti vramur incendio, neceſſitates pauperum immiſericorditer negligendo, ne patiamur quod illi tunc regis pertulêre miniſtri. Si enim in fornacem pauperum ſpontè deſcendas, cum tribus illis pueris profectò cõſiſtes, nihilq́ue in te aduerſi ignis operabitur. Sin verò in egeſtatis ardore poſitos, quaſi de conſeſſu ſuperiore deſpicias, continuò te flamma vorax conſumet. Deſcende igitur in ignem, ne te horribilior ignis inuoluat: neque extra ignem ſederis, ne te ſubitus flammæ vorator arripiat. Si enim te cum pauperibus viderit, à læſione tui prorſus abſiſtit, ſin verò à pauperibus ſeparatum, aduolabit repentè, téque rapiet ad pœnam. Noli ergo ab eis vſquam omnino diſcedere; ſed, quũ diabolus imperauerit eos in fornacem inopiæ contrudi, qui aurum contempſerint adorare: noli in ex illorum parte effici, qui coniiciunt: ſed potius ex eorum, qui in tale coniiciuntur incendium, vt efficiaris quoque ex iis, qui ſaluantur, non ex iis, qui, ad ſupplicium congregantur. Etenim ros magnus eſt, nequaquam amore diuitiarum ab inopum miſeratione reuocari: ſuntque omnibus ditiores, qui diuitiis contemptis, virtute claruerunt. Nam & illi tunc contemnendo regem, rege ipſo effecti ſunt clariores. Et tu itaque, ſi mundi opes fideli mente deſpicias, toto eris mundo pretioſior: ſicut etiam illi ſancti, quibus dignus non erat mundus. Vt igitur dignus *Heb. 11.* cœleſtibus efficiaris bonis, deride præſentia. Hoc ſiquidem modo & hîc claritate virtutum, & in futuro pręmiorum honore fulgebis, & gratia, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, & imperium cum patre, & ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

Intelligit de igne conflagrationis, qui in die iudicij Chriſti faciẽ præcedet.

AVTHOR DICTVS IMperfectus in Matth. in idem Euangelium.

Ex hom. 1. in Matth. M*aria quum eſſet deſponſata Ioſeph, priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens.* id eſt, ea virgine ſine patre, vt eius generationem enumerans, de ſemine Dauid eum deſcendiſſe oſtendat ſecundum Dei promiſſa, & extra naturam, humanam natiuitatem eius exponens factam, myſterium deitatis eius aperiat. Nec enim dignum erat, vt vnigenitus Dei, nõ propter ſe, ſed propter homines naſcens, more naſceretur humano. Homo enim in carne naſcitur, vt corruptioni ſubiaceat: Chriſtus autem natus eſt, vt ſanet corruptionem, Sicut ergo non eſt conſequens, vt incorruptibilis homo naſcens, ex incorruptibilitate virginitatis naſcatur: ſic non erat conſequens, vt vnigenitus Dei, qui ideo naſcebatur, vt corruptionem ſanaret, naſceretur ex corruptione coniugij. Homo ex neceſſitate naſcitur vt ſit: Chriſtus autem non ex neceſſitate naturæ vt eſſet, ſed ex voluntate miſericordiæ, vt ſaluaret. Quomodo ergo iuſtum eſt, vt vnum, eundémque habeant natiuitatis honorem neceſſitas, & voluntas? Meritò ergo contra naturæ humanæ regulam natus eſt, quia erat ſuper naturam. Vide autem nouam, & admirandam Chriſti natiuitatem, id eſt, per homines peccatores per mulieres meretrices, & adulteras, & gẽtiles. Sed talis generatio non ſordidat dignitatem Chriſti, ſed cõmendat miſericordiam ipſius. ſic erat mirabilis, vt qui filios per adoptionem fecit & genuit, à filiis naſceretur. Facti ſunt patres eius, quorum non erat filius. Iſte illis beneficium præſtitit, vt eſſet filius eorum. Illi autem nihil illi præſtiterunt, vt eſſent patres ipſius. In *hominibus patres filios ſibi adoptant, quos ipſi deſiderant: hic autem filius ſibi adoptauit patres, quos ipſe elegit. Illic filij à patribus ſuſcipiũt generoſitatis

* *Omnibus.*

tatis dignitatem. hic autem patres à filio ſuſcepe-runt. *Quum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* Quoniam futurum erat, vt omnes ſancti de virgine naſcerentur eccleſia deſponſata, Chriſto: ideo Chriſtus naſceretur de virgine deſponſata, ne dignius naſcerentur ſerui quam dominus. Sed vt per omnia filij paternæ natiuitatis perfectum imitarentur exemplum, ideo & Maria deſponſata erat fabro lignario: quoniam Chriſtus ſponſus eccleſiæ omnem ſalutem hominum, & omne opus ſuum per lignum crucis fuerat operaturus. Ideo autem & deſponſata, & domi habita, vt deſponſatio ipſa fidelis eſſet, & fornicationis

* gratiam. opprobriũ à matre repelleret, & virginitatis *gloriam naſcituro domino reſeruaret. Sic enim quia in domo ſponſi peperit, infideles Iudæi dixerunt: Nónne hic eſt Ieſus filius Ioſeph? quanto magis ſi extra domum ſponſi peperiſſet, dicturi fuerant: Nónne hic eſt Ieſus filius meretricis? Nam quemadmodum in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: ſic in ea quæ extra domum concipit, eſt ſuſpecta conceptio. Magis ergo voluit dominus, vt haberet mater eius maritalem ſuſpicionem, quàm fornicationis opprobrium pateretur. *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens.* Non dixit, priuſquam acciperet: ſed, *priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens,* quia iam accepta erat in domo. Virginitas enim eſt incorruptibilitas: incorruptibilitas autem virginitas

* veritas. * natus. *, ipſa ſyncera. Ideo ergo antequam conuenirent, conceptus * eſt Chriſtus, vt nec de corruptione incorruptibilitas naſceretur, nec ex paſſione corporis vtriuſque templum ſibi dominus fabricaret. Dico autem non ad deſperationem, & confuſionem nuptorum, ſed ad conſolationem, & gloriam continentium: quoniam hæc ipſa coniunctio maritalis malũ eſt ante Deum: non dico peccatum, ſed malum. Nam quantum ad naturam rei ipſius, peccatum eſt, conceſſione autem Dei factum eſt, vt non ſit peccatum. Quomodo? Oportebat enim vt homo corruptibilis naſceretur in mundo, vt poſſet tentari, vt tentatus coronetur: Si autem incorruptibilis factus fuiſſet, tentari non poterat. Si verò non tentabatur, nec coronabatur, quia incorruptibilitas tentationem non ſentit. Ideo ergo factum eſt, vt ex paſſione carnis, & ſanguinis, & igne feruido viſceribus ſuccedente humore, homo corruptibilis naſceretur, vt ne de bono malum naſcatur, aut ex impaſſibilitate corruptio, ſed vt de malo malum procedat, & ex paſſione corruptio generetur. Ideo ergo iſta coniunctio maritalis quum eſſet peccatum, quantum ad naturam rei ipſius, conceſſione Dei facta eſt licentia: Licentia dico facta eſt, non iuſtitia. Nam etſi propter neceſſitatem rei peccatum eſſe deſiit, tamen

Cautè, nam nuptiæ non ſunt malæ, imo bonæ, ſed melior virginitas, aut continentia.

* incipit iuſtitia eſſe non * meruit. Ideo vtentibus ſe, & ſi pœnam non infert, mercedem tamen non præſtat; & ſi non occidit, tamẽ non ſaluat. Vnde propheta non ad indulgentiam Dei reſpiciẽs, ſed ad ſpurcitiam ipſius operis, dicebat: Ecce enim in iniquita-

Pſal. 50. tibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: id eſt, quid mirum ſi pecco, qui de peccato ſum natus? Sequuta eſt enim generationem ſuam natura peccati. Nam, ſi matrimonium ipſum placitum eſſet Deo, nunquam abſtinentibus ſe ab illo glorioſa promitteretur corona, nec ſic amarentur à Deo, qui oderunt illud. Non enim

ille remuneratur qui bonũ fugit, ſed qui malum. Vis autem ſcire: quomodo honeſtum eſt matrimonium? quomodo aliquando licuit, & ſorores habere vxores, quomodo habuerunt Cain, & Abel? Hæc nomina filiarum Adam, quas in initio habuit, *Ex apocrypha hiſtoria deſumptum.* poſt Cain & Abel, Riſam, & Edoclam, & non peccauerunt. Quia peccatum illud tantæ hominum, & neceſſitas excuſabat. Poſtea creſcente numero, hominum, ipſum malum receſſum eſt in naturam ſuam, & cœpit eſſe peccatum. Remanſit autem in vſu, vt vni viro liceat habere plures vxores. amplificato poſtea mundo, etiam hoc malum recepit naturam ſuam & cœpit eſſe peccatum: remanſit autem in vſu, vt vnus vnam haberet vxorem. Nũc autem, poſtquam venit plenitudo temporis, & ſenuit mundus, ſcimus quale eſt conſilium Dei, & quid vult, & quid eſt placitum coram illo. Sed auſi non ſumus dicere propter homines incontinentes, in quorum corpore anima nihil agit, ſed in toto illos poſſidet ſanguis & fœdiſſimus ille vapor, de illo inſano igne procedens, Denique quum mandaret angelus Tobiæ in nu- *Tobia 6.7.8.* ptiis eius, vt antequam conuenirent ad illam conſuetudinem humanam, ſurgerẽt prius, & orarent, & ſic dicerent: Domine, tu ſcis quia non propter libidinem accepi vxorem, ſed propter liberos procreandos: quia, ſi aliter oraſſet, oratio eius Deo non fuerat placitura: vide ergo, quia turpiſſimum opus illud carnis, filiorum cauſa excuſat. Nunc autem, multiplicato ſeculo, creandorum hominum occaſio eſt extincta. Iam Deum non multitudo hominum, ſed charitas ſanctorum delectat; Ecce vna eſt libido, quæ fornicationem generat, *Pſal. 103.* & quæ maritalem vſum miniſtrat. Sed ſicut poſuit mari terminos littora, dicens: Vſque huc venies, & hic te conſtringes: ſic libidini carnali terminum poſuit coniugium, vt vſque illuc veniens, illic ſe conſtringat. Sicut ergo mare, ſi littora ſua ſupergreſſum fuerit, peccat: ita & homo ſi tranſgreſſus fuerit licentiam nuptialem. Si ergo vna eſt libido in maritis, & in adulteris, quomodo poteſt, fieri vt vna eadémque res pro dimidia quidẽ parte ſit iuſtitia, pro dimidia autem ſit peccatum? Aut enim tota eſt peccatum, aut tota iuſtitia, quia vna eſt res. Verum eſt autem, quia libido iuſtitia non eſt, ergo tota peccatum eſt. Sed peccati illius pœna non imputatur, donec iſte odibilis, & corruptibilis tranſeat mũdus. Ideo ergo dominus conceptus eſt, priuſquam conuenirent, vt non ex paſſione carnis, & ſanguinis naſceretur, qui ideo venit vt carnis, & ſanguinis ſolueret paſſionem, & mutaret in ſpiritum. Cui inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto? Sine dubio ſponſo ſuo Ioſeph, qui zeloſo amore ſemper ſe admonente, vitam circumſpiciebat Mariæ. Nam ſicut hiſtoria quædam non incredibilis, neque irrationabilis docet, quando geſta ſunt, quę refert Lucas, Ioſeph abſens erat. Nec enim conueniens eſt putare præſente Ioſeph introiſſe angelum ad Mariam, & dixiſſe quæ dixit, & Mariam reſpondiſſe quæcunque reſpõdit. Si concedamus angelum potuiſſe intrare ad eam, & loqui, planè confeſtim Mariam abiiſſe in montana cum feſtinatione, & introiſſe domum Zachariæ, & ſalutaſſe Elizabeth, & manſiſſe cum ea menſibus tribus, poſſibile non fuit præſente Ioſeph: quia neceſſe erat, vt abſentationis eius, & manſionis diutinæ requireret cauſas. Poſtquam autem rediit peregrè poſt tot menſes, & inuenit

 eam

eam grauidam manifeſtè, forſitan ei comminatus eſt quaſi ſponſus, & de iudicio Dei terruit eam quaſi vir timoratus. Illa autem, quum videret ſe innocenter in ſuſpicionem criminis decidiſſe, nec poſſe ſe iam excuſare teſtimonio ventris iam conuictam, cum lachrymis, & ſuſpirio clamans iurauit, dicens: Viuit dominus, neſcio vnde ſit hoc. Quo audito, timuit valde Ioſeph, & ex parte credidit in ea aliquid eſſe diuinum. Nec enim timuiſſet, niſi ex parte aliquatenus credidiſſet. Ad hoc autem fidem verborum eius commendabat conuerſatio eius ſancta. Forſitan autem quum eſſet iuſtus, cœpit ſibi cogitare de illa. Comeſſatrix aut vinolenta nunquam fuit: quoniam omnis mulier, quæ vinolenta eſt & comeſſatrix, etiam meretrix eſt. Nam ſiue in cibis, ſiue in libidinibus delectatio carnis eſt, quæ præcipitat hominem. Mulier autem, quæ ſuauitatibus gulæ ſuæ non contradicit, multo magis neque libidini ſuæ reſiſtere acquieſcit, ſicut etiam Apoſtolus dicit: Quoniam vidua, quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt. Non leuis, non iocoſa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, ſicut ſolent plerunque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt. Si quidem impudentiores ſunt, libenter loquuntur: ſi autem verecũdiores, etſi loqui talia erubeſcunt, tamen delectantur audire: Non ſuper virũ oculos
Eccle.26. ſuos extulit, nec infixit aſpectus. Hæc enim ſunt documẽta mulieris meretricis, ſicut ait Salomon: Fornicatio mulieris in extollentia oculorum eius. Hæc, & alia ſimilia tractans, nihil horum inueniebat in ea, ſed ex diuerſo omnia laudabilia, omnia admiranda, quæ ſine ſpiritu ſancto poſſibile non erat eſſe in natura humana. Omnibus igitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi, & argui ſolet, deficientibus, ſola apud eam remanebat ſuſpicio gratiæ Dei. Propter hæc omnia æſtimauit eam habere in vtero de ſpiritu ſancto. Nam nulla res ſic caſtitatem mulieris viro commendat, ſicut vita eius diſciplinata. Vbi enim timor Dei eſt, ibi & caſtitas eſt: vbi autem non eſt timor Dei, ibi neque caſtitas eſt. Caro enim vrget, ſecuritas mulieris adiuuat carnem: ſi timor Dei non fuerit qui reſiſtat? quis eam teneat indagatam? O inæſtimabilis laus Mariæ, magis credebat caſtitati eius, quàm vtero eius: & plus gratiæ, quàm naturæ. Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat. Poſſibilius eſſe credebat mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare. Et quod maius eſt videre, vt ſponſus de ſponſa ſua haberet, ſic habuit Ioſeph apud ſe. Frequenter enim viri, etiam ſi leuiter viderint mulieres ſuas aſpicientes in alterum, mox excitantur in zelum: & quod non eſt, illud ſuſpicantur, quia ex magno amore naſcitur zelus. Hic autem & maritalem zelum, & vteri clamantis accuſationem, ſola præteritæ conuerſationis documenta vincebant. *Ioſeph autem vir eius quum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Cogitabat enim forſitan apud ſe, ſi peccatum eius celauero, facio contra legem Dei: & ſi propalauero filus Iſraël, lapidabunt eam. Timeo enim ne hoc quod eſt in vtero eius, diuinitus ſit. Nunquid non Sara nonaginta annorum concepit, & peperit? Si illam quaſi lignum iam ſiccum fecit florere, quid ſi diuinitas partum iſti voluit ſine viro donare: nunquid ad virum pertinet ipſa conceptio mulieris? Nam, ſi conceptio mulieris pertineret ſemper ad virum, ſine dubio quando vult vir, tunc conciperet & mulier, nunc autem non quando vult Vir, tunc concipit mulier, ſed quãdo vult Deus. Si ergo conceptio mulieris non in viro poſita eſt, ſed in Deo, quid magnũ ſi voluit iſti fructum ſine viro præſtare? Quid ergo faciam? Dimittam eam occultè quia in re incerta, melius eſt, vt meretrix conſtituta euadat, quàm vt innocẽs moriatur. Iuſtius enim eſt, iniuſtum iuſtè euadere, quàm iuſtum iniuſtè perire, quia etſi reus ſemel euaſerit, iterum poteſt perire, innocens autem ſi ſemel perierit, iam non poteſt reuocari: Expedit ergo, vt dimiſſa opprubrium patiatur, quàm tradita morti moriatur. Hæc autem talia cogitare, & agere velle, non eſt hominis valde iuſti. *Hæc eo cogitante, apparuit ei angelus in ſomnis, dicens.* Quoniam ergo auditio verborum Mariæ, & conſideratio vitæ eius, mala ſuſpicari de ea non ſinebat Ioſeph: conſideratio autem conceptionis eius, non permittebat eum ad plenum bona æſtimare de ea, & ſic animus eius inter vtraſque partes fluctuabat, & tenere eam timebat, & tradere eam non audebat, propter hoc neceſſaria fuit ei reuelatio illa diuina. Si enim ipſa Maria, quæ angelum viderat, & audierat ſibi loquẽtem, tam de ſua conceptione, quàm de Elizabet, aſcendit in montana, vt videret Elizabet, & ipſo confirmaretur aſpectu: *Lege cũ iudicio.*
quanto magis Ioſeph poſt verba cõceptionis Mariæ, poſt conſiderationem vitæ eius, adhuc nutabundus, neceſſariam habuit reuelationem diuinã? Propter tres ergo cauſas apparuit ei. Primum, ne iuſtus homo ignorans faceret rem iniuſtam ex propoſito iuſto. Deinde propter honorem matris ipſius. Nam dimiſſa fuiſſet, etſi non apud fideles, tamen apud infideles turpi ſuſpicatione carere non poterat. Tertiò, vt intelligens Ioſeph ſanctam conceptionem: diligentius ſe in futurum cuſtodiret ab illa, quàm prius. Prius enim ſeruauit ſe propter diſciplinam iuſtitiæ, poſtea autem & propter timorem partus huiuſmodi. Quare non ante conceptionem virginis venit ad Ioſeph? Vt ne cogitaret, quæ cogitauit, ne pateretur quę paſſus eſt Zacharias, qui culpam infidelitatis incurrit de conceptione coniugis iam longæuæ. Incredibilior enim erat res, virginem poſſe concipere, quàm anum. Si ille Sacerdos conſtitutus rem faciliorem fore non credidit, quãto magis iſte popularis rem difficiliorem fieri non credidiſſet? Si ipſa Maria angelo ſibi dicente de conceptione ſua, penè non credebat, propter virginitatem ſuam dicens: Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognoſco? Quomodo Ioſeph fuerat crediturus referenti de altera quod ſine viro conciperet? *Ioſeph fili Dauid, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam: quoniam quod naſcetur ex ea, de ſpiritu ſancto eſt.* Filium Dauid eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promiſſionis Dei ad Dauid, vt de ſemine eius Chriſtus naſceretur. Dicens autem, *ne timeas*, cognitorem ſe cordis ſui oſtendere voluit, vt per hæc futurorum bonorum, quæ de Chriſto erat dicturus faceret fidem: quia quod naſcetur de ea, de ſpiritu ſancto eſt. Spiritum ſanctum, ipſum dicit vnigenitum Deum, ſicut ipſe de ſe teſtatur in Euangelio: Quia ſpiritus eſt, inquit, qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Et Ioannes ait: Dominus ſpiritus eſt. Non enim ſpiritus aduocatus ingreſſus eſt in Mariam, vt ſuſcipiens corpus naſceretur in mundum, ſed vt ſanctificaret virginis vas.

Luc.1.

Alij dicunt, eam non dubitaſſe de re, ſed de modo quæſiuiſſe.

Vide quid lon gat.

Dicens

Dicens autem, *quod naſcetur ex ea, de ſpiritu ſancto eſt:* *Ioan.4.* hoc dicere vult, quia de ſemine viri alicuius non fuerat naſciturus, ſicut ęſtimans metuebat Ioſeph, ſed de ſpiritu ſancto. Sicut enim ſecundum pręce- *Tob.6.* ptum Raphaëlis angeli ad Thobiam, viro & vxore more ſolito venturis ad coitum, oratio præcedere debet, vt quod concipitur, in ſanctificatione concipiatur: ſic vnigenito Deo virginem ingreſſuro, ſpiritus ſanctus pręceſſit, vt præcedente ſpiritu ſancto in ſanctificatione naſcatur Chriſtus ſecundum corpus, diuinitate ingrediente pro ſemine. *Et pariet filium, vocabiſque nomen eius Ieſum.* Non di- *Luca 1.* xit, pariet tibi filium, ſicut ad Zachariam: Ecce Elizabeth vxor tua concipiet, & pariet tibi filium, quia mulier, quæ ex viro concipit, marito ſuo filium parit, quia magis ex illo eſt, quàm de ipſa. Hęc autem, quæ nō ex viro conceperat, non filium illi peperit, ſed ſibi tantummodo. Vide quomodo ſimilitudinem ipſius rei per omnia ſequitur, quæ *1.Tim.2.* facta eſt in Adam? Sicut enim tunc mulier guſtans de ligno, ſola ſeducta eſt, & peperit mortem. Adam autem non fuit particeps in ſeductione illius, non enim à diabolo ſeductus peccauit, ſed quia con- *Luca 1.* ſenſit mulieri. Sic modo & accipiēs Maria de ſpiritu ſancto, ſola credidit, dicēs: Ecce iam nunc beatam me dicent omnes generationes. Ioſeph autem tunc in fide conceptionis illius nihil habuit commune, ſed poſtea tacendo, & conſentiendo tantū ſaluatus eſt. Ideo & in ſomnis adſtitit ei, non palàm, vt quemadmodum dormiente Adam, creauit mulierem, ſic & iſti dormienti diuinitus conſignaret vxorem. Ipſe autem Euangeliſta interpretatur quid intelligitur Ieſus Hebraica voce, dicens: *Ipſe ſaluabit populum ſuum à peccatis eorum.* Si ergo medicus, qui nullam poteſtatem habet ſalutis humanæ, propter ſolam confectionem herbarum, non erubeſcit medici ſibi nomen imponere, quanto dignius iſte vocatus eſt ſaluator, per quem totus ſaluatus eſt mundus?

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. in ſuperius Euang. de generatione Chriſti. Serm. 1.

Serm.145. AVdituri eſtis hodie, fratres, quemadmodum nobis beatus Euangeliſta generationis Chriſti retulit ſacramentum. *Chriſti*, inquit, *generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto: Ioſeph autē vir eius cùm eſſet iuſtus &c.* Et quomodo iuſtus, qui conceptum ſponſæ duxit non diſcutere? Suſpecti non exquirit cauſam pudoris, coniugij famam non vindicat, ſed requirit? *Voluit occultè dimittere eam.* Hoc pio magis videtur conuenire, quàm iuſto, ſed humano iudicio, non diuino. Penes Deum neque pietas ſine iuſtitia eſt, neque ſine pietate iuſtitia: cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur. Virtutes, ſi ſeparatæ fuerint, dilabūtur, æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas. Ioſeph ergo meritò iuſtus, quia pius; & pius, quia iuſtus. Denique, dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit; dum vindictam differt, crimen euaſit; dum refugit accuſatorem, fugit ſententiam. Æſtuabat animus ſanctus, negocij nouitate perculſus, ſtabat ſponſa prægnans, ſed virgo; ſtabat plena pignore, ſed non vacua pudore; ſtabat de conceptu ſolicita, ſed de integritate ſecura; ſtabat veſtita materno munere, ſed nō honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? Accuſaret de crimine? Sed erat ipſe innocentię teſtis. Culpam diceret? Sed erat ipſe cuſtos pudoris. Vrgeret adulterium? Sed erat ipſe virginitatis aſſertor. Quid faceret ad iſta? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus, quod euenerat, continere. Cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia, quod homini diceret, non habebat. Et nos, fratres, quoties res turbat, fallit ſpecies, facit color negotij interna neſcire, declinemus iudicium, ſubtrahamus vindictam, ſententiam fugiamus, dicamus Deo totum; ne, dum facilè innocentum fortè geſtimus in pœnam, ipſi nobis noxiam ſententiam proferamus, dicente Domino; In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. *Matth.7.* Certè, ſi nos tacuerimus, clamabit Deus; reſpondebit Angelus, qui Ioſeph, ne innocentiam deſereret, ſic præuenit, *Ioſeph*, inquit, *fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam &c. Ioſeph, fili David:* Videtis, fratres, in perſona genus vocari, videtis in vno totam proſapiam nuncupari, videtis in Ioſeph ſeriem Dauidici ſtemmatis iam citari. *Ioſeph fili David.* Triceſimaoctaus generatione natus, quomodo Dauid filius dicitur, niſi quia generis aperitur arcanum, fides promiſſionis impletur, ſuperna conceptio cæleſtis partus virginea iam ſignatur in carne? *Ioſeph, fili David.* Tali voce ad Dauid prolata fuerat promiſſio Dei patris. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Quod factum quidem tali gloriatur in cantico; Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis. *Pſal.105.* De fructu ventris tui, bene fructus ventris tui, bene de vtero: quia cæleſtis hoſpes, ſupernus habitator ſic in vteri deſcendit hoſpitium, vt corporis clauſtra neſciret: ſic de habitaculo ventris exiit, vt virginalis ianua non pateret, & impleret illud, quod cantatur in Cantico Canticorum; *Can.4.* Hortus clauſus, ſoror mea ſponſa: hortus clauſus, fons ſignatus. *Ioſeph, fili David, noli timere.* Sponſæ cauſas ſponſus ne timeat, admonetur: & verè pius animus, dum compatitur, plus paueſcit. *Ioſeph, fili David, noli timere.* Ne, qui de conſcientia ſecurus ſis, de ſacramenti cognitione ſuccumbas. *Ioſeph, fili David, noli timere.* Quàm vides virtus eſt iſta, non crimen; hic non humanus lapſus eſt, ſed eſt diuinus illapſus; hic præmium eſt, non reatus; hic incrementum cæli eſt, non corporis detrimentum; hic non eſt proditio perſonæ, iudicis eſt ſecretum; hic palma cognitoris eſt, non ſupplicij pœna; hic hominis furtum non eſt, theſaurus eſt Dei; hîc non eſt mortis cauſa, ſed vitæ. Et ideo noli timere, quia, quæ vitam parturit, non meretur occidi. *Ioſeph, fili David, noli timere Mariam coniugem tuam accipere.* Sponſam vocari coniugem legis eſt hoc diuinæ, ſicut ergo, manente virginitate, mater eſt; ita coniunx dicitur, pudore permanente. *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Veniant, audiant, qui requirunt, quis ſit, quem Maria genuit. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Veniant, audiant, qui Græco turbine Latinam nubilare niſi ſunt puritatem, ἀνθρωποτόκον, χριστοτόκον, vt θεοτόκον, tollerent, blaſphemantes. *Id eſt, hominē parientem, Chriſtiparā, Deiparam.* *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Et quod de ſpiritu ſancto natum eſt, ſpiritus eſt, quia Deus ſpiritus eſt: Quid ergo

requiris, quis eſt, qui de ſpiritu ſancto natus eſt; cum tibi, quia Deus eſt, Deus ipſe reſpõdeat: cum *Ioan.3. & 4.* te Ioannes increpet, qui dicit; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & verbum Deus caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius. Ioannes *Ioan.1.* vidit gloriam, reſpicit infidelis iniuriam. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Et vidimus gloriam eius, cuius eius: qui natus eſt de ſpiritu ſancto, eius, qui verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Virgo concepit, ſed de ſpiritu; virgo parturit, ſed eum, *Iſaia 7. Matt.1.* quem prædixit Iſaias; Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod interpretatur, nobiſcum Deus. Nobiſcum Deus, cum illis homo. Et maledictus homo, *Hie.17.* qui ſpem ponit in homine. Audiant, qui requirunt, quis eſt, qui natus eſt de Maria? *Pariet filium,* inquit Angelus, *& vocabis nomen eius Ieſum.* Quare *Philip.3.* Ieſum? Apoſtolus dicat: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & tu quis ſit Ieſus, doloſus cognitor nunc requiris? Omnis iam lingua confitetur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris, & tu adhuc inquiris, quis eſt Ieſus. *Ipſe enim ſaluũ faciet populum ſuum.* Non alterius ſaluum faciet. Vnde? *A peccatis eorum.* Eſſe Deum, qui peccata donat, ſi Chriſtianis non credis, crede, infideliſſime, vel Iudæis dicentibus; Cùm ſis homo, facis teipſum Deum. *Ioan.10. Mar.2.* Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? Illi eum negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant: tu ab eo peccata dimitti credis, & Deum dubitas confiteri? Verbum caro factum eſt, vt hominis caro promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur iniuriam, ſicut dicit Apoſtolus, *1.Cor.2.* Qui ſe iũgit Domino, vnus ſpiritus eſt. Et quomodo non, quãdo ſe iungit Deus homini, vnus eſt Deus? Humanæ leges intra triginta annos litigioſas omnes interimunt *Chryſologi mos.* quæſtiones, & Chriſtus circa quingentos annos natiuitatis ſuæ cauſas præſtat, ortus ſui lites patitur: ſtatus ſui ſuſtinet quæſtiones? Hæretice, deſine iudicare iudicem tuũ, & adora in cælis Deum, *Matth.2.* quem Deum Magus adorauit in terris.

EIVSDEM DE EADEM,

Sermo II.

Ser.146. QVoties, tranſcurſis anni metis, dies dominicæ natiuitatis aduentat, & virginei partus fulgor toto orbe diffunditur flammeo coruſco, voluntatis, non pauoris eſt, quod tacemus. Quæ mens in ipſo ortu diuini regis obiicere ſe præſumat? Solis radij cùm erumpunt, viſus hebetatur humanus; radiante Deo, quomodo non totus animorum ſauciatur aſpectus? Reparatis ergo ſenſibus noui luminis poſt ſtuporem, tempus eſt, quo iam nobis per carnem ipſius diuinitatis viſu generationis Chriſti contemplemur arcana. *Chriſti,* inquit Euangeliſta, *generatio ſic erat.* Fratres, ſi volumus intelligere, quæ dicũtur, diuina verba modis non penſemus humanis: ſeponendus eſt humanus ſenſus, vbi quod dicitur, eſt diuinum. Sic Chriſtus quòd naſcitur, non eſt conſuetudo, ſed ſignum; non eſt natura, ſed virtus; non ordo eſt, ſed poteſtas; & eſt cæleſte miraculum, ratio non humana. Hic mundana ſcientia quid capiet? hic carnis intelligentia quid requiret? *Chriſti,* inquit, *generatio ſic erat:* Non dixit ſic facta eſt, ſed, *ſic erat:* quia Chriſti generatio erat apud patrem, quando generabatur ex matre. Quod erat, ſemper erat: quod factum eſt, hoc credebatur: erat Deus, credebatur homo: ex vtero nos ſuſcepit ille, qui nos plaſmauerat ex luto. *Cùm deſponſata eſſet mater eius Maria.* Suffecerat dixiſſe, cùm deſponſata eſſet Maria. Quid ſibi vult ſponſa mater? ſi mater, non ſponſa: ſi ſponſa, non adhuc mater. *Cùm deſponſata eſſet Maria mater eius.* Virginitate ſponſa, fœcunditate mater; mater viri neſcia, partus conſcia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ poſt partum virgo mater? Aut genitrix quando non, quæ ſæculorum generauit authorẽ? Principium dedit rebus natura virgo, mater ſemper nouerca corruptio. Eſt ergo muneris virginalis, vt regeneret per Deum virgo, quod per Deum virgo generauit: Deus & integritas eſt cæleſte conſortium; virginitas iuncta Chriſto copula eſt perfecta virtutis. Quòd Virgo concipit, eſt honor ſpiritus, non onus eſt carnis: quòd parturit Virgo, ſecretum eſt Dei, non eſt miniſterium coniugale: quod naſcitur Chriſtus, diuinæ maieſtatis eſt, non eſt imbecillitatis humanæ, eſt gloria deitatis tota, vbi nulla carnis ſentitur iniuria. *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* Quid eſt, quòd ad ſponſam, & non ad liberam, cæleſtis innocentiæ deſtinatur arcanum? Quid eſt, quòd ſic zelo ſponſi ſponſæ periculum cõparatur? Quid eſt, quod virtus tanta putatur crimẽ, ſalus certa diſcrimen? Quid eſt, quòd inter innocẽtes taliter laborat pudor, verecũdia ſuccumbit, fatigatur caſtitas, ſauciatur fides, extat accuſatio, viget cauſa, ſacultas tota excuſatione auſertur? Quis excuſat ſponſam, quam cõceptus accuſat? Aut quid proficiet defenſor externus, quãdo facti teſtis internus aſſiſtit? Quid teneamus, fratres? Non apices, nõ litteræ, non ſyllabæ, non verbum, non nomina, non *In ſacra ſcriptura nihil vacat.* perſonæ in Euangelio diuinis vacua ſunt figuris. Spõſa quæritur, vt iam tunc Eccleſia Chriſti ſponſa ſignetur; iuxta illud Oſee Prophetæ; *Oſee 2.* Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus, & deſponſabo te mihi in fide. Hinc Ioannes ait; Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. *Ioan.3.* Et Beatus Paulus; Sponſaui vos vni viro virginem *2.Cor.11.* caſtam exhibere Chriſto. Verè ſponſa, quæ virginali partu nouam Chriſti regignit infantiam. Procurator Ioſeph ſponſus, vt iſte in illo Ioſeph Chriſti figuram impleat paſſionis: Ioſeph prophetalibus ſomniis incurrit zelum; Chriſtus propheticis viſionibus ſuſcepit inuidiam: Ioſeph miſſus in lacũ mortis, viuus emergit à lacu; Chriſtus mortis ſepulchro datur, viuus remeat à ſepulchro: Ioſeph venũdatus eſt; precio taxatus eſt Chriſtus: Ioſeph tranſducitur in Ægyptum; ad Ægyptum fugatur Chriſtus: Ioſeph eſurientibus populis panem copioſè ſubminiſtrat; Chriſtus cæli pane manente orbe toto exatiat nationes. Sic lucet, cur Ioſeph iſte cæleſtis ſponſi typum prætulerit, portauerit imaginem, ambulauerit in figuram. Maria mater vocatur, & quando non Maria mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria. Nonne *Gen.1.* hæc exeũtem populum de Ægypto concepit vno vtero, vt emergeret cæleſtis in nouam creaturam renata progenies? iuxta illud Apoſtoli, Patres no- *1.Cor.11.* ſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, &

be, & in mari. Et vt ſemper Maria humanæ præuia ſit ſalutis, populum, quem vnda generatrix emiſit in lucem, ipſa iure præceſſit in Cantico, Maria, inquit, ſoror Aaron ſumēs tympanum in manu ſua, dixit: Cantemus domino; glorioſe enim honorifi- *Exod. 15.* catus eſt. Nomen hoc prophetiæ germanum eſt. hoc renaſcentibus ſaluare, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc iudicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis: merito ergo matris Chriſti nomen eſt hoc maternum. Dicimus quare mater ſponſa, quare Ioſeph ſponſus, quare Mariæ maternum nomen, vt totum circa ortum Chriſti fuiſſe myſticum panderemus: nunc quare ſpōſa quæſita ſit ad partum Chriſti, aliis prodamus ex cau- *Iſaia. 7.* ſis. Prædixerat Iſaias & Virginem parere Deum cæli, Regem terræ, orbis dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, redditorem vitæ, perpetuitatis authorem, hoc quam eſſet mundanis triſte, terribile regibus, pauendum Iudæis, ipſe *Matth. 2.* dominicæ natiuitatis probauit euentus. Namque, vbi natum Chriſtum, nūciantibus magis, audiuit Iudæa, Herodes didicit; mox perdere Iudæi, Herodes occidere molitus eſt Chriſtum; & dum ſucceſſorem ſibi oriri, omnium perdere conati ſunt ſaluatorem: denique, quia ipſum inuenire nequiuerunt, delent patriam, lac miſcent ſanguini, coæuos eius parricidali furore colliduut, laniant innocentiæ ſocios, quia culpæ participes inuenire non poterant, quos ponirent: Et, ſi iam nato Chriſto hæc faciunt, concepto Chriſto, tanta feritas quid feciſſet? Hinc eſt, quòd prouidetur ſponſus, prouidetur maritalis ſpecies, vt celet miraculum, vt tegat ſignum, vt velet Virginis partum, vt crimini non det locum, vt furenoa inſidias ſic eludat. Chriſtus quamuis morti deditus, in vtero ſi fuiſſet extinctus, mors præceps, quòd noſtræ ſaluti venerat, abſtuliſſet. Et quia locus iſte multa nobis conferre poterit, ſi dicatur, prælibaſſe nos hodie, fratres, dominicum ſufficiat ſacramentum.

BEDAE VENERABILIS
Presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph. Interrogari ſolet, quare Chriſtus ex virgine & tamen deſponſata naſci voluiſſet. Sed reſpondendum eſt, quòd quatuor cauſis hoc ita geſtum eſſe credimus. vt Maria in Ægypto fugiens, ſolatium miniſterij haberet à Ioſeph, & ne quaſi adultera lapidaretur & Chriſtus quaſi fornicationis filius deſpiceretur, & vt genus Chriſti per Ioſeph oſtenderetur. *Qui fuit propinquius Mariæ.* Quia non erat conſuetudo hiſtoricis mulieres in genealogia numerare, & vt diabolum lateret natiuitas eius æſtimantem Chriſtum de Ioſeph ſemine natum: aliter enim in cū manus extendere non auderet. *Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* A Ioſeph in vtero, eam habere dicit inuentam: & licet quaſi ſpecialiter dicat de ſpiritu ſancto, tamen credere debemus quòd hominem Ieſum non ſolus ſpiritus ſanctus ſed tota trinitas in vtero virginis formauit. Ideò namque ſpecialiter quaſi de ſpiritu ſancto dicit, quia illum Deus trinitas formauit in virgine: qui aduentu ſuo donum ſpiritus ſancti in ſe credentibus large miniſtrauit. *Ioſeph autem vir eius &c.* Ea quippe iuſtitia vt miſericorditer propinquæ conſuleret, iuſtus erat, de qua ſcriptura dicit. Miſericordiam volo & non ſacrificium, non ea qua ſcribę & Phariſæi elati iuſtos ſe quaſi ęmulatores legis æſtimabant, cùm crudeliter proximorum ſanguinem effunderēt, propter tranſgreſſionem legis quam nequaquam ipſi obſeruabant. *Ipſe autem ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Illum de quo dictum eſt in Euangelio populum ſine dubio: Quotquot autem receperunt eum, & reliqua: non illum de quo dictum eſt, In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Et non cognoſcebat eam &c.* Non, vt quidā malè æſtimant, Maria poſt Chriſtum, alios filios de Ioſeph, peperit, qui fratres ſunt domini dicti: ſed, donec, hoc loco pro infinito tempore ponitur, ſicut in pſalmis dictum eſt. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et notandū, quòd omnes vnigeniti primogeniti dici poſſunt. Porrò omnes primogeniti vnigenio dici non poſſunt, cùm eos alij ſequuntur, & rectè primogenitus dictus eſt quia in multis fratribus primus deuicta morte ſurrexit, eiſque reſurgendi præbuit exemplum.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſt. ſuperioris Euang. expoſitio.

Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Exordium huius Euangelij animam pulſat, quare dominus ex deſpōſata virgine voluit naſci, & non de ea quæ non habet ſponſum? Quadruplicem ob cauſam. Prima cauſa eſt propter quod dominus voluit naſci de deſponſata, & non de ſimplici virgine, vt per originem Ioſeph, id eſt, genealogiam eius genealogia Mariæ mōſtraretur, quia conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ genealogiam virorum texere non mulierum. Sicut fecit Beatus Matthęus, incipiēs ab Abraham & peruenit vſque *Matth. 1.* ad Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus. Illa genealogia deducta vſque ad Ioſeph, ſicut pertinet ad Ioſeph, ita pertinet ad Mariam, quia de vna tribu fuerunt, id eſt, de tribu Dauid. Propinqui erant & ſecundum legem cogebatur ea ea ducere vxorem. Nam dominus pręceperat in lege, vt vnuſquiſque de ſua tribu acciperet vxorem. Secunda cauſa eſt, propter quod dominus voluit *Deut. 25.* de deſponſata virgine naſci, vt fugiens in Ægyptum Maria haberet ſolatium viri, qui eam duceret, & reduceret, & gubernaret more viri, quia fœmineus ſexus fragilis eſt. Tertia cauſa eſt, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. Quia ſi concepiſſet ſine ſponſo, & pareret, putarent Iudæi quod ea adulterino coitu concepiſſet, & ob hanc cauſam lapidarent eam vt adulteram. Quartam cauſam addidit Ignatius, vt partus eius celaretur diabolo, dum eum putaret de ſemine Ioſeph natum, & non de ſpiritu ſancto cōceptum, & procreatum. *Quum ergo eſſet deſponſata.* Spondeo dicitur promitto. Quum eſſet deſponſata *Beata Maria*, & promiſſa à patre, beato *Ioſeph*, vt daretur illi vxor, Maria interpretatur domina, ſiue ſtella maris. Domina ideo dicitur, quia dominum totius creaturæ genuit ex ſe. Certè & ipſa eſt domina vniuerſo orbi, dicit beatus Auguſt. quia dominum dominantium, & regem regum protulit. Stella maris ideo interpretatur, quia per mare intelligitur mundus. Et per

eius

eius conceptum, & partum, id eſt, per dominum Ieſum illuminatus eſt mundus, lumine cognitionis Dei. Ioſeph interpretatur auctus, vel ampliatus, quia per hoc, quod ſponſus beatę Mariæ effectus eſt, & maritus, augmentum virtutis religionis, & ſanctitatis accepit, vt eſſet pater domini adoptiuus. *Antè quam conuenirent.* Verbum conueniendi duobus modis poſſumus intelligere. *Antè quam conuenirent*, id eſt, antè quam coirent, vt maſculus, & fœmina: nam poſteà non conuenerunt, id eſt, antè quam nuptiarum ſolemnia ritè celebrarent, vt illa quæ erat ſponſa, fieret vxor. *Inuẽta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.* A quo inuẽta eſt? A nullo alio niſi ab eo Ioſeph. Qui vbi vidit eius vterum intumeſcere curioſitate ductus, diligenter inquiſiuit, vndè concepiſſet, illa reſpondit: de ſpiritu ſancto concepi habens in vtero, non aliunde accipiens, niſi intrinſecus habens. *Ioſeph autem vir eius.* Conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ, vt ſponſi appellentur viri, id eſt, mariti: & ſponſæ vxores appellentur, & vxores ſponſæ. Et quòd ſponſi appellantur viri, ecce hic habetur. Quia beatus Ioſeph quum eſſet ſponſus, appellatur vir.
Deut. 22. Quòd ſponſæ appellentur vxores, habes in Deut. dicente domino ad Moſen: Si inuenerit vir puellam in agro deſponſatam, & concubuerit cum ea: interficietur vir ille, quia humiliauit vxorem, id eſt, ſponſam proximi ſui: Quòd econtrà mariti appellentur ſponſi, & vxores ſponſæ, habes in Iohe-
Iohe. 2. le propheta: Egredietur ſponſus, id eſt, maritus de cubili ſuo: & ſponſa, id eſt, vxor de thalamo ſuo. Quia tempore ieiunij non eſt ſeruiendum ſcor-
Mos antiquis tempore ieiuniorum abſtinendi ab opere coniugali. tis. Fruſtra igitur aſſumitur pœnitentia in voce, niſi ab opere coniugali quieſcatur. *Quum eſſet iuſtus.* Niſi iuſtus eſſet, iuſtè omnia non diſponeret. *Et nollet eam traducere.* Poterat dicere vicinis ſuis. Certè hæc mea ſponſa conſtuprata eſt. *Et nollet eam traducere*, hoc eſt crimen adulterij illi impo-
Eſa. 7. nere. Quia legerat Eſa. prophetam dicentem. Ecce
Pſal. 131. virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus. Et in Pſal. dicente domino patri noſtro Dauid: De fructu lumbi tui ponam ſuper ſedem tuam. quod legerat in prophetis, non diſcredebat impleri in ſponſa ſua, videlicet, vt virgo conciperet ſine viri ſemine, & pareret Deũ. Ideo noluit infamare, ſed voluit occultè dimittere eam. quomodo occultè? Vt neque duceret eam vxorem, ſed permitteret manere ſponſam, vt erat, neque eam cauſam diceret propter quam eam derelinquebat. Dicamus & aliter. Ioan. Chryſoſt. dicit, quod conſuetudo fuit veterum Iudæorũ, vt paruuli, & paruulæ, qui proceſſu temporis venturi erant ad copulam nuptiarũ ſimul nutrirẽtur in vna domo, aut in domo patris & matris pueri, aut in domo patris, aut matris puellæ: Secundum hanc conſuetudinem forſitam fuerunt B. Ioſeph & B. Maria ſimul nutriti in vna domo, vt inde modò dicatur. *Voluit occultè dimittere eam*, id eſt, à domo ſua expellere, & ſeparare, vt non habitarent ſimul. *Hæc autem eo cogitante*, id eſt, dum cogitaret, vt eam dimitteret, *ecce angelus apparuit ei.* Iſtum angelum Gabrielem archangelum poſſumus intelligere, qui nuntiauerat B. Mariæ, dicens: Ecce concipies, & paries filium, & vocabitur no-
Luce 1. men eius Emanuel. Idem ipſe apparuit B. Ioſeph in ſomnis. Et quare in ſomnis, & non vigilanti, quum paſtoribus apparuerit vigilantibus, de quibus legimus: Paſtores erant in regione eadem vi-
gilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gre- Luce 2.
gẽ ſuum, quibus prædixit: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, &c. Ad quod reſpondendum eſt. Quia illi paſtores agreſtes erant, & in agris morabantur, imperiti erant, & indocti: ideo manifeſtiori reuelatione indigebant, quam B. Ioſeph, qui iuſtus erat, & ſciẽtiam legis, ac prophetarum habebat, in quibus didicerat angelos ſæpe paſtoribus apparuiſſe in ſomnis prophetis, & patriarchis, idcirco reuelatione non indigebat, ſicut paſtores, qui agreſtem vitam ducebant. Spiritualiter, Illa apparitio angeli per ſomnum myſticè nobis innuit, quia qui dormiunt ſeculo, id eſt, à curis mundanis ſunt remoti, & vigilant Deo bonis operibus, illi merentur præſentiam angelorum ſibi adeſſe in cuſtodiam ſui. Illi taliter poſſunt dicere
cum eccleſia in Canticis Cantic. Ego dormio à Cant. 5.
curis mundanis, & cor meum vigilat in oratione, & in omni voluntate Dei implenda. *Ioſeph, fili David.* Blandientis affectu alloquitur B. Ioſeph angelus dicens: *Ioſeph, fili Dauid, noli timere*, noli dubitare, non eſt vxor tua conſtuprata. Quare appellauit eum filium Dauid, & non filium Abrahæ, Iſaac, & Iacob? Quia licet Dauid paſtor ouium fuiſſet vt Iacob, tamen maioris dignitatis fuit quam Iacob, Iſaac, & Abraham. Quia Deo diſponente rex fuit, & propheta. Iacob licet patriarcha fuiſſet, tamen non fuit rex. Vt ergo dominus de regali progenie crederetur deſcendiſſe, ſicut reuera eſt, ideo appellauit eum filium Dauid. Cæci etiam ſedentes ſecus viam clamabant, dicentes: Ieſu, fili Dauid, miſerere noſtri. Et pueri Hebræorum venienti domino Hieroſolymam, occurrentes cum foliis, & ramis palmarum clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid. *Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Hic appellatur Maria coniunx, id eſt, vxor quæ adhuc ſponſa conſiſtebat more ſcripturarum, ſicut ſuperiùs diximus, *Noli timere accipere ſponſam tuam.* Poſtmodum ſicut ſequentia Euangelij huius narrant, ſurgens à ſomno fecit, ſicut præceperat ei angelus: Conuocauit amicos ſuos, & fecit conuiuium nuptiarum, & accepit B. Mariam in vxorem. Attamen *non cognouit eam*, id eſt, non concubuit cum ea. Et non ſine cauſa nomina illorum ſpecialiter angelus expreſſit, dicens: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natũ eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Nominibus propriis appellauit eos, quia familiare eſt aliquem hominẽ amicum proprio nomine appellare. Vt ergo angelus vtriuſque nomen, id eſt, B. Ioſeph & B. Marię demõſtraret ſcriptũ eſſe in cælis: ideo nominatim nũcupauit eos in terra. *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt*, id eſt, non concepit extrinſecus quod in vtero habet, ſed intrinſecus virtute ſpiritus ſancti concepit filiũ Dei, Deus pater miſit verbum ſuum in vterũ virginis, ipſe filius aſſumpſit carnem, & animã in vnitate perſonę. Spiritus ſanctus formauit illud corpus in vtero virginali, ex ſemine virginis, ſine ſemine tamẽ viri. Et tamen credendum eſt, quia tota trinitas operata eſt illud corpus, Pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, quia quorũ inſeparabilis eſt ſubſtãtia diuinitatis, eorum eſt inſeparabilis operatio. Et, ſi dominus conceptus dicitur de ſpiritu ſancto, quare non dicitur filius ſpiritus ſancti? Quia non omne, quod ex aliquo naſcitur, eius filius appellatur. Verbi gratia. Nam omnes, qui conſiſtimus in eccleſia,

per

per fidem renati ſumus ex aqua, & ſpiritu ſancto, & tamen non dicimur filij aquæ, ſed filij Dei. Sic & manus materia ex nobis ipſis naſcitur, capillus ex capite, ſed non dicitur filius capitis. Naſcuntur vngues de manibus, & tamen non dicuntur filij manus. Sic & filius Dei licet opere, & miniſterio ſpiritus ſancti conceptus credatur in vtero virginali, tamen ideo non dicitur filius ſpiritus ſancti, ſed filius Dei patris, à quo ante omnia ſecula eſt genitus, ne duo patres eſſe videantur. *Pariet autem filium* virgo, quia Deus naſciturus erat in mundo, dignum erat vt de virgine naſceretur. Et quia virgo paritura erat, dignum erat vt Deum pareret. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Acſi diceret angelus, O Ioſeph, coniunx tua pariet filium, & inde habebis priuilegium, talem honorem habebis, veluti tu eum genuiſſes, quia impones ei nomen. quod nomen? Ieſum. Ieſus proprium nomen eſt hominis aſſumpti à verbo. Ieſus hebraicè, latinè ſaluator, ſiue ſalutaris interpretatur. Huius nominis Etymologiam aperuit angelus, cùm ſubiunxit. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nō dicit ſpecialiter populum Iudaicum, ſed, *populum ſuum.* Quis eſt populus Dei? qui veraciter
Rom.3.&6. in eū credit, Omnis enim ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, ſi veraciter credit in Deum, & fidem, quam habet, bonis operibus exornat, populus eius dicitur. Et ipſum ſaluat, non ſolùm à peccatis ſuis, ſed etiam ab omni aduerſitate huius ſæculi, & futuri.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem Euangelij *expoſitio.*

CVm eſſet deſponſata ſponſus & ſponſa ab ſpondendo dicti ſunt, eo quod ante ſpondebant ſibi cautiones matrimonij conſentire: & dabant fideiuſſores: etiam annulo ſubarrhabantur. Tali ergo modo deſpōſata erat Maria Ioſeph: non tamen in concupiſcentia iuncta; Quare deſponſata fuerit: ſuperius dictū eſt. *Mater eius* cuius *eius*? Mater immaculati, mater vnici, qui in cælis ſine matre, in terra ſine patre natus eſt. Mater dicta, quia exinde efficiatur aliquid. Maria dicitur illuminatrix ſiue ſtella maris: genuit enim lucē mundi. Sermone Syro diuina vocatur: & iuſte, genuit enim ſaluatorē mūdi dominúmque vniuerſi orbis. *Antequā conuenirent* hoc eſt ea cōuenientia, qua vſus erat conuenire ſpōſum & ſpūſam: *Inuenta eſt.* Videlicet ab ipſo Ioſeph inuenta qui pene licentia maritali, vt putabatur, futuræ vxoris omnia ſecreta nouerat. Erat enim vſus in illa gēte: vt qui vxorem debebat accipere, ad templum eam deſponſaret: & poſtea ſi diues eſſet, haberet miſſos ſuos cum ea: aut ſi pauper, ipſe cuſtodiret ſimul cum patre, & matre vſque ad præfinitum tempus. Eo igitur tenore inuenta eſt à Ioſeph, *In vtero habens de ſpiritu ſancto,* quia pro certo ſciebat, quòd nullus homo ad eam eo modo iunctus fuiſſet, vt concipere potuiſſet. De iſta ſolummodo hoc ſcriptum eſt, quòd & in vtero habuerit de ſpiritu ſancto. Iſta autem & in mēte & in vtero. ἅγιον πνεῦμα dicitur, quando de ſpiritu ſancto intelligitur: quando vero de alio ἕτιον πνεῦμα dicitur: *cum eſſet iuſtus.* Teſtimonium euangeliſtę eſt de Ioſeph: quòd iuſtus erat & in conſummata lege erat: & hoc etiam ex apparitione angeli credere poſſumus, ex verbis ipſius dicentis. *Noli timere.* Si enim in eam malam ſuſpitionem habuiſſet, nec ipſe iuſtus eſſet: nec angelus dixiſſet. Noli timere, ſed noli deſpicere: *Et nollet eam traducere,* hoc eſt diffamare: ſiue transducere, id eſt, extra ducere, quo tūc erat: & in blaſphemiam mittere: *voluit occulte dimittere eam.* Si iuſtus erat, & nullam malam ſuſpitionem in ea habebat: quare ſanctam & iuſtam vellet dimittere? Sed ſciebat conuerſationem eius fore ſanctam: & appropinquare ſe indignum reputabat: ſicut beatus Petrus faciebat: cū viſo miraculo piſcium, dixit, Exi à me domine, quia homo peccator ſum. vel ſicut centurio mittens miſſus ad dominum dicēs, Non ſum dignus vt intres ſub tectū meum: nec meipſum dignum exiſtimaui ad te venire. Ita & iſte dicebat. Lōge fac iam eam à me & à cognatione mea. Quia perſpicio in ea quoddam magnificum ſacramentum. Hæc *autem eo cogitante*, Hoc eſt indignum ſe iudicante ei appropinquare. Si enim aliud inique cogitaſſem, angelus ei non apparuiſſet. A ſuperbis enim potius refugit quam appropinquat & ideirco apparet non fuiſſe deſpectum ſuperbiæ ſed humilitatis elongationem. *Ecce angelus domini apparuit in ſomnis ei dicens.* Viſionum quibus Deus omnipotens locutus eſt ante incarnationem, quibus loqui voluit, ſeptem genera ſunt. Primum genus per aures corporis, vt ſicut vidit Moyſes rubum ardere, & audiuit vocem Dei per aures corporum, & omnis turba exercitus Iſraelis audiuit dominum dicentem decem verba legis. Secundum, genus extaſis: ſicut Petro quando miſit ad eum Cornelius, Et cecidit ſuper eum mentis exceſſus: & vidit vas linteum ſubmitti de cælo. Tertiū ſicut Nabucdonoſor: quando vidit ſtatuam de metallis. Vel arborem abſciſſam radicitus, & nihil intellexit. Quartum per nubem ſicut ad Iob, poſt plagam locutus eſt. Quintū in corde, ſicut multis ſanctis: vel etiam Balaam, quando miſit verbum in ore eius: & aſſumpta parabula locutus eſt. Sextū repletio ſpiritus ſancti: ſicut repleuit ſeptuaginta ſenes in eremo. Septimum in ſomnis viderunt, mēte intellexerunt. Alij (quod verius eſt) tria genera eſſe dixerūt: vnū per corporeos oculos ſicut Abraham, & Lot angelos viderunt: & locuti ſunt cum eis. Aliud in corde, ſicut Danieli locutus eſt in corde: quæ Balthaſar oculis corporalibus viderat, & non intellexerat. Tertium in ſomnis & in corde, ſicut ad Eſaiam & ad omnes prophetas & ad iſtum Ioſeph: quę viſio excellentior eſt aliis. Nihil enim prodeſt oculis videre corporalibus, ſicut vidit Balthaſar: niſi quis & mente videat: ſicut vidit Daniel eandem viſionem. Similiter nihil prodeſt videre in ſomnis, vt vidit Pharao, & Nabucdonoſor, niſi aſſit qui ſic videat, ſicut viderunt Daniel & Ioſeph. Eo ergo modo quo perfectis ab initio locutus eſt Deus eo etiam iſti Ioſeph, quia quæ vidit in ſomnis, intellexit & credidit: quia ſicut Deus omnipotens inter cęteros archangelos Gabrielem, qui fortitudo Dei dicitur, ordinauit ad annuntiandum myſterium ſaluatoris noſtri, quem etiam & huic Ioſeph locutum eſſe credimus: ſic ordinauit perfectos viros ad tractandum incarnationem domini noſtri: & non curauit per diuites hoc agere qui ſolent eſſe pleni vitiis: ſed per pauperes plenos virtutibus, & perfectione. Vnde iſte vnus fuit, qui dignus habitus eſt nutritius fieri Dei, & cuſtos

matris

matris eius, & dignum hoc erat: vt qui totos homines in poteſtate habebat, ſanctiores & perfectiores ſibi appropinquare faceret. *Ioſeph fili Dauid.* Non ſolum filius quia de eius proſapia, ſed etiam imitando fidem eius: *Noli timere accipere Mariam, coniugem tuam.* Noli trepidare: noli te indignum iudicare illi, vel matri eius ſeruire: quia illa digna & ordinata inuenta fuerat ad generandum eum: & tu ad nutriendum electus es. Fuit autem tuus æquiuocus, caſtus inuentus & bonus: ſed non tu eo inferior, cui credita eſt virginitas matris & baiulatio naſcentis. dicatur interim coniuna tua vt liberes eam de perſecutionibus Iudæorum ſed melior tibi erit, quam ſi habuiſſes tantas vxores, quantas habuit Salomon. Ipſe qui naſcetur ex ea dicetur ad tempus filius tuus: ſed eſt & creator tuus: qui melior erit tibi quam ſi habuiſſes quadraginta filios, vt Abdon habuit. Propterea ſerui vt domino dominorum, & regi regum. Coniugem tuam dicito, vt diabolus & Iudæi neſciant de virgine natum, qui naſciturus eſt. Si non eſt coniunx tua more aliorum hominum: erit coniunx tua vt recipias mercedem, cum illa receperit pro generatione: tu recipies pro educatione in vita æterna. Coniuges dicuntur propter iugum, quod imponitur matrimonio coniungendis, ſiue deſponſationis à prima fide, qua quis adhuc ignorat coniugales cõcubitus. *quod etiam in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt*, inſtruitur Ioſeph melius, quod ante ſentiebat de ſancta Maria, videlicet quod de ſpiritu ſancto ſit, quod in ea videbat. *Pariet autem filium*: quamuis de ſpiritu ſancto ſit quod in ea natum eſt, tamen pariet filium: quod nunquam audiſti vt fœmina peperiſſet filium de ſpiritu ſancto. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Ego dico tibi nomen eius quod ante ſecula. Non tu pones ei nomen ex libitu tuo, vel mater eius, ſed voca eum nomine, quod habuit ante ſecula. Saluatorẽ eum eſſe teſtare: quia ipſe ſaluũ fecit ab initio omnem mundum. Ieſus hebræum nomen eſt, & angelus Dei: expreſſit etymologiam & interpretationem quando dixit. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Scribitur autem Ieſus iota, & ita, & ſigma & apice deſuper apud nos. Nam in græcorũ libris ſolummodo per iota, & ſigma, & apice deſuper inuenitur ſcriptum: & ſicut alia nomina Dei comprehenſiue debent ſcribi: quia nomen Dei non poteſt litteris explicari: quando purum hominem ſignificat, per omnes litteras ſcribitur. Debemus autem ſcire, vbi primitus iſtud nomen fuerit inuentum, hoc eſt a Moyſe primum impoſitum filio Nun, quando reuerſus victor de pugna Amalech, ad quam miſerat eum Moyſes cum aliqua parte populi. Tunc ierunt ei obuiam reliquus populus cũ ſacerdotibus: & impoſuere ei hoc nomen, vt vocaretur Ioſue: hoc eſt ſaluator: quia ſaluauit populũ de Amalech. Et in nomine & in facto ille Ioſue figuram geſſit domini: quia Amalech qui interpretatur populus lambens, diabolum ſignificat: de cuius lambitione, id eſt, ſeductione, ſemper liberat populum ſuum. Hoc eſt, qui ſui eſſe feſtinãt ore & opere: & à nomine eius chriſtiani vocantur. Non enim abſolute dicit populum ſed ſuum addidit, id eſt, qui fidem & ſpem ſuam in eum poſuerunt.

* * *

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

NAm vt deſponſata eſt mater eius Maria Ioſepho. Quare Deus permiſit, vt ipſa deſponſaretur, & omnino ſuſpicionem daret hominibus, quaſi cognoſceret eam Ioſeph? vt haberet in aduerſis curatorem: nam hic in fuga in Ægyptum curam eius habuit, & ſeruauit eam. Eſt & alia cauſa, vt lateret diabolum: & propterea deſponſata eſt. Diabolus enim, quum audiſſet, quòd virgo vterum gereret, obſeruauit virginem. vt igitur deceptor decipiatur, deſponſat ſemper virginem Mariam: & figura quidem fit coniugij, non autem res ipſa. *Priuſquam conuenirent ipſi.* Conuenire hic ſignificat congreſſum. Priuſquam enim congrederentur, concepit. Vnde & Euangeliſta obſtupeſcit, & clamat: *Inuenta eſt*, quaſi de re quadam admirabili dicens. *Ioſeph autem vir eius, quum eſſet iuſtus.* Quomodo erat iuſtus Ioſeph, quum lex præceperit adulteram traducere, hoc eſt, denunciare, & punire: ipſe autem adumbraturus peccatum, & præuaricaturus legem, eam dimittere voluerit? Soluitur autem hoc, quia propter hoc quòd iuſtus fuit (nolebat enim crudelis eſſe) præ multa benignitate, miſericordia eam proſequebatur, oſtendens ſe ſuperiorem lege, & iam ſuper legalia mandata viuentem. Deinde quia & ipſe cognouit, de ſpiritu ſancto eam concepiſſe, propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ de ſpiritu ſancto, non ex adulterio conceperat. Vide enim quid dicat, *quoniam inuenta eſt in vtero habens.* A quo inuenta eſt? à viro, hoc eſt, innotuit quòd ex ſpiritu ſancto concepit. Vnde clam voluit eam dimittere, & non audebat habere vxorem, quæ tantam habebat gratiam. *Ecce angelus domini in ſomno apparuit ei.* Quum angeretur iuſtus, angelus ei aſtitit, docens eum, quid faciendum. In ſomno autem apparet ei. Nam angelus quidem paſtoribus vt agreſtibus manifeſte locutus eſt, huic autem vt iuſto, & fideli per ſomnium. Quomodo autem non crediturus eſſet, quum angelus doceret eum de iis, quæ ipſe animo verſabat, & de iis, quæ nulli dixerat? Nam quum ipſe cogitaret, & non loqueretur, aſtitit angelus. Merito igitur credidit ex Deo eſſe. Dei enim eſt ſcire, quæ non effantur. *Ioſeph fili Dauid.* Filium Dauid eum dicit, in memoriam reducens, quod prædictum erat futurum Chriſtũ ex ſemine Dauid. Et hæc dicens, admonuit, vt non diſcederet: ſed cogitaret Dauid, qui promiſſionem acceperat de Chriſto. *Ne timeas.* Oſtendit hic quòd metuerit habere eam, ne forte offenderet Deum, vti adulteram fouens. & aliter ne timeas, hoc eſt, tu quidem times adiungi illi, quia ex ſpiritu concepit, ſed ne timeas. *Accipe.* Hoc eſt, domi, & intus tene. Cogitatione enim, & mente iam amandauerat eã. *Mariam vxorem tuam.* Hoc dicit. Tu quidem fortaſſe putas adulteram eſſe: ego autẽ tibi dico, quod vxor tua ſit: hoc eſt, quòd à nullo vitiata, ſed tua ſit ſponſa. *Quod enim in ea natum, ex ſpiritu ſancto eſt.* Non enim ſolum libera eſt ab illicito coitu, ſed & diuiniore quodam modo cõcepit, & propterea rectius gaudere debes. *Pariet autem filium.* Vt ne quis dicat, & vnde tibi credam, quòd eſt ſpiritu ſancto eſt? dicit de futuro, quòd paritura ſit filium. Nam, ſi de hoc verum dixero, manifeſtum quòd & hoc, quod ex

ſpiritũ

ſpiritu ſancto, verum eſt. Non dixit autem, pariet tibi, ſed ſimpliciter, *pariet*. Non enim peperit illi, ſed toti orbi: neque illi ſoli gratia facta eſt, ſed in omnes effuſa eſt. *Et vocabis nomen eius Ieſum*. Tu vocabis, vtpote pater, & curam gerẽs virginis. neque ſuſpiceris, Ioſeph, quòd, quia à ſpiritu eſt conceptus, virginẽ ideo dimittere debeas adiutorio deſtitutã, ſed miniſtrabis ei in omnibus. *Hic enim ſaluabit populum ſuum*. Hoc loco interpretatur quid ſignificet Ieſus, nempe ſaluatorem. Ipſe enim, inquit, ſaluabit populũ ſuum: nõ ſolum Iudaicum, ſed & gentilem, qui credere, & fieri populus eius non addubitauerit. Quomodo autem ſaluabit? num ab hoſtibus? minime, ſed à peccatis ſuis, vnde manifeſtum, Deum eſſe, qui naſcetur. Solius enim Dei eſt ignoſcere.

INCERTI SVB NOMIne *Euſebij epiſcopi Emiſſeni ſuperioris Euang. expoſitio.*

PRimum autem quærendum eſt, cur beata Maria deſpõſata fuerit, quæ ante partum virgo, in partu virgo, & poſt partum virgo, nunquam viro cognita erat. Multæ enim ex hoc rationes reddi poſſunt. Si enim virum non habuiſſet, & grauida videretur, nulla ei excuſatio ſubuenire poſſet, vt quaſi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet ſine viro concepiſſe? quis ei crederet de ſpiritu ſancto eius vterũ intumuiſſe? Erat enim hoc inuſitatum & ſine exemplo. Melius ergo fuit, vt ſemper virgo, ad tẽpus nõ virgo putaretur, quàm accuſata ſecundum legem lapidaretur. Non enim violatur virginitas falſa opinione. Occiditur autẽ innocẽs plerunq; falſa accuſatione. Poterat enim dominus & aliter matrem ſuam, nõ ſolum ab iniuſta damnatione, verũ & à falſa opinione defendere, ſi vellet, qui ſemper in poteſtate habuit facere, quicquid vellet. Cur autẽ hæc magis voluerit, ipſe ſcit, non ego. Sic ei placuit, placeat igitur & nobis. Indigebat præterea viri auxilio multis modis virgo Maria, quæ ſecũdum Dei diſpoſitionem in Bethleem paritura erat, & eam ſimul cum filio in Ægyptũ fugere oportebat: ſic enim à Deo fuerat diſpoſitum, ſic à prophetis antea nũtiatum, ſic futurum erat, & mutari non poterat. Hæc eſt igitur cauſa, cur deſponſata fuerit. *Cũ autẽ eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuẽta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto*. Quæritis fortaſſe qualis mater, quærite prius qualis filius. Nõ habet filius in hominibus parem, non habet mater in mulieribus ſimilem. Speciosſus ille præ filiis hominum: ſpecioſa illa quaſi aurora conſurgens. Fecit ille matrẽ ſuam, quod nemo alius fecit: peperit illa filium, & virgo permanſit: quod nulla alia fecit. Fuit ille, antequam mater, nõ fuit iſta, antequã filius. Quid enim horũ mirabilibus nbi eſſe videtur? vtrũq; enim mirabile eſt: quia nec prius nec poſterius factũ eſt. *Antequã conuenirent*, inquit, *inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto*. Quid eſt, antequam conuenirent? antequam ſimul in vna domo habitarent: nondum enim conuenerant, nondum ſimul habitabant. Ille in ſua, & illa adhuc in ſua domo manebat. *Et tamen inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto*. Quærerem ego, à quo inuẽta fuiſſet, ſi tale inuenire difficile eſſet. Multa enim ſigna ſunt, quibus grauidæ mulieres cognoſcuntur. Videbatur igitur grauida ab iis, qui ei familiares erant: nemo tamen eam ſuſpectam habebat, quoniam deſponſatam eſſe ſciebant. Intellexit hoc tandem & Ioſeph, & ſponſam ſuam grauidam eſſe cognouit: mirabatur igitur, & circa ſponſam ſuam zelotypia mouebatur. Quid faceret: prodere eam timebat, ne occideretur: dimittere eam cogitabat, quod & ſibi facile, & periculoſum eſſe ſentiebat: daret enim ei libellum repudij. Sic enim præcipit lex. Hoc eſt autem quod ſequitur: *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere*, quam accuſare nolebat. Nolebat eam traducere in domũ ſuam, quam videbat grauidam eſſe de nõ ſuo. *Hæc autẽ eo cogitante, ecce angelus domini in ſomnis apparuit ei dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Cum, inquit, ita cogitaret, cum his anguſtiis æſtuaret, cum quid faceret dubitaret, ecce angelus domini, ecce nũtius cæleſtis, ecce Gabriel conſiliator virginis, cuiúſque conſcius caſtitatis, cui hæc ſecreta erant commiſſa, cui hæc myſteria reuelata fuerant, apparuit Ioſeph in ſomnis. Et bene quidem in ſomnis: ſi enim Ioſeph non dormiſſet, ſi extra ſe non fuiſſet, ſi mẽtis oculos apertos habuiſſet, ſi ſolem, qui iam in Maria oriebatur ſpiritu ſancto reuelante cognouiſſet, proculdubio nihil tale cogitare potuiſſet. Audiamus autẽ quid angelus dixerit: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Noli, inquit, timere, noli dubitare, tolle hanc zelotypiam, pelle ſuſpicionem: non eſt, vt cogitas, nondum cognoſcis hanc virginem, nondum bene vidiſti Mariam coniugẽ tuam. Ipſa enim eſt tẽplum Dei, ipſa eſt porta cæli, ipſa eſt domina tua, quam putas eſſe ſponſam tuam. Accipe igitur eam, iam nunc quaſi dominam, non quaſi coniugem: accipe eam non tibi traditam, ſed commẽdatam. Sis ei obediens, non imperans vt maritus. Quare hoc? Vis audire quare? *quia quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt*. Sufficiebat hoc audire, ſufficiebat & credere. Nõ quæramus qualiter de virgine incarnatus, & qualiter de ſpiritu ſancto natus eſt Chriſtus. Credidit enim virgo Maria & concepit. Hoc enim teſtatur Elizabeth: Beata, inquit, quę credidiſti, quia perficiẽtur in te ea, quæ dicta ſunt tibi à domino. Credidit enim virgo, & operante ſpiritu ſancto, verbum caro factum eſt. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum*. Quare autem tali nomine vocetur, protinus ſubinferens ait: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Manifeſtum eſt igitur quia ſaluator interpretatur.

Videtur nõ intelligere verbo traducere, quod ſignificat infamare.

PETRI DAMIANI SERmo *in eodem die.*

TAndem de mari ad portum, de promiſſo ad præmium, de labore ad requiem, de deſperatione ad ſpem, de via ad patriam peruenimus. Scripſerat quidem nobis frequentibus epiſtolis calamus ſcribæ velociter ſcribentis, Expecta, reexpecta; ſed nos, quod ſubiungitur, dicere poteramus, Modicum ibi, & modicum ibi. Præcurrerant curſores promiſſione diuites, ſed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius: viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum: alter verò: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Pari conſilio exierant de ſanctuario Dei, nihil ſe-

cum niſi promiſſionum multitudinem reportantes. Vnde & Citharista noſter iam dormitauerat præ tædio, & in ipſum Deum tacitus obligationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat. Tu verò, inquit, repuliſti, & deſpexiſti, distuliſti Christum tuũ. De flebili quoque ad imperatiuum conuerſus eſt, exagitante impatientia, quæ mater eſt impudentiæ, & frontoſitatis. Qui ſedes, inquit, ſuper Cherubin, manifeſtare. Vt quid tandiu dominatrici ſedens in cathedra, circumuolantibus, & vallantibus Angelis, non reſpicis ſuper filios hominũ, quos abſorbuit, & obſorbuit iniquitas, per Adam quidẽ commiſſa, ſed à te permiſſa? Memorare quæ ſit mea ſubſtantia, ad tuę ſubſtantiæ ſimilitudinẽ fabricata, quia etſi omnis homo viuens eſt vanitas, in imagine tamẽ tua pertrãſiens, vanitas eſſe non poteſt. Nũquid ita vanè cõſtituiſti omnes filios hominum, de quibus dicis: Et deliciæ meæ cum filiis hominum: vt eos verberet, & diuerberet à te malignissimus ille deceptor, qui decipere, niſi te permittente, non potuit? Inclina cęlos tuos, & deſcende, & illos miſericordes oculos miſeris inflecte precãtibus, nec ſaltem in perpetuum obliuiſcaris nos. Hęc quidem iſte; ſed gemitibus, & ærumnis intortus, tantæ præſumptionis ſententiam abiurabat. Dixi, inquit, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Verùm ille vir nobilis, & profundi ſermonis vrbanitate perlucidus, affectuoſis exceſſibus incaleſcãs; Propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcã, donec egrediatur vt ſplẽdor iuſtus eius. Vtinam, ait, diſrumperes cælos, & deſcẽderes: & alia multa, quę faſtidioſa prolixitas vetat inſerere. Hic etiam moroſioris gratiæ longinquitate ſuſpenſus, & nimietate doloris excedens, impatiẽter oblatrat dicens, Ecce gẽtes, quaſi non ſint, ſic ſunt corã eo; quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. Hieremias in vocẽ gratulabundæ laudis aduerbio demonſtrante prorumpẽs; Ecce, inquit, faciet Dominus nouum ſuper terram, & mulier circundabit virum. Sed tamen repentinæ ſubuerſionis lacrymis edocetur, vt priùs lamẽtum ſuſcipiens, quàm aduentum, penitus cõticeſcat. Danieli dicitur: Viſio eſt in dies, & in tempora longa. Et Ezechiel tãtis caliginibus inuoluitur, vt vix dignoſci poſſit, vnde veniat, aut quò vadat. Denique omnis ille Prophetalis cõuentus, longa tardantis gratiæ moroſitate pertæſus, nunc rogando, nunc conquerendo, variat orationẽ, & plerũque ſermonibus exoratiuis indignatorios intermiſcet. Nos quoque ſatis, ſatiſque eos audiuimus, & nobis in faſtidiũ relegũtur. Iam fugiat Moyſes; impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt nobis. Eſaiæ labia immunda ſunt. Hieremias neſcit loqui, quia puer eſt. Ezechiel polluto pane veſcitur. Oſeas fornicariam, & adulteram ducit vxorem. Daniel poſt viſionem grauiter infirmatur. Omnes Prophetæ elingues ſunt, & muti. Iam lætari, & exultare non poſſumus, niſi oſculetur nos oſculo oris ſui. Auditi, & exauditi eſtis. Adeſt benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, quæ vel differri, vel auferri non patiatur amplius amorem lãguentium. Quid enim audiſtis? Sanctificamini filij Iſraël, & eſtote parati, quia craſtina die deſcendet Dominus. Reſiduum diei huius, & superuẽturæ noctis vix medianda progreſſio, dirimunt nos à vultu gloriæ, à puero Deo, à puerperio ſingulari. Currite celeres horæ, & rapidiori paſſu conficite metas veſtras, vt liceat videre filium Dei vagientẽ in cunis, & ſalutari natiuitati qualiacunque obſequia pręparare. Credo vos eſſe filios Iſraël ſanctificatos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, paratos ad diei craſtinæ ſacramẽta, & ſolicita deuotione, & deuota ſolicitudine. Quid enim aliud his ſacris diebus eius aduentui dedicatis egiſtis? Vidi ego ſenes ſenectutis oblitos, aſtare vigiliis ſacris iuuenili alacritate, & iuuenes, iuuentute ſepulta, ſenili grauitate reuerentiæ diuinitatis aſſiſtere. Plena erant ſubſellia continentibus, & concentu pari voces in ſublimibus reſultabãt, vt ſelici inuidia vos cernerem iubilare Deo in voce exultationis. Pſalteria erant præ manibus, pſalmi in labiis, in corde deuotio; ſolennitatem animi indicabant hilaritas vultus, diſcurſio corporis, operis ſolicitudo. Inſpexi ſacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus ſubtiliter indagare, ſacramentalibus * indui veſtimentis, introire ad altare Dei, ad ſacrificandum corpus, & ſanguinem Redemptoris. Vidi aſſiſtentium turbam, miniſteriali deuotione nunc flectere genua, nunc oſculari manus, & ad imperantium nutum nutu citiùs obedire. Sed & pueros aſpexi, qui neſciunt quid ſit inter dexteram ſiniſtram, ſibi adinuicem pſalteria inuidere, & deportare ad lectulos ſuos, furari ſomnum ab oculis ſuis, & in lectulo ſuo per noctes quærere quem diligebat anima eorum. Quod licet contra conſuetudinem præſumptum ſit, non tamen contra deuotionem. Fateor, inter hæc omnia cogitabam; Caſtra Dei ſunt hæc? Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Vellem, nollem, veſtra deuotione trahebar, & vobis negociantibus, ociari non poteram. Sequebar vos, ſed à longè, vel aberrans à via, vel claudicans à ſemitis meis, lugens, & contriſtatus, quia non poteram æquare currentes. Nouit ille vnus, cum quo vno vnum eſſe cœpi in Domino, quàm frequentibus querelis impleuerim aures eius, quòd vos in meridie eſſetis cum ſponſo, & ego in veſpertino frigore commorarer. Eia fratres, ſi aliquis adhuc inſiduus humor de flumine mortalitatis huius veſtras circumrotat affectiones, tergite, & tegite illum niueo confeſſionis amictu, & calciate vos in præparatione Euangelij pacis, vt ſitis de quibus dicit ſanctus: In flumine pertranſibunt pede. Quid autem poſt hæc? Ibi lætabimur in ipſo. De flumine hoc, immo de fluminibus iſtis Eſaias Propheta in nocturnis lectionibus largiùs diſputauit. Percutiet, inquit, Dominus fluuium Ægypti in ſeptem riuis, ita vt tranſeant per eum calceati. Volo de fluuio, & riuis eius paulìſper confabulari vobiſcum, quomodo, & qualiter percutiantur, & quid ſit tranſire per eum calceatos. Per Ægyptum figuraliter exprimi mundum iſtum, diuinorum eloquiorum ſcrutatores affirmant, qui poſitus eſt in maligno, qui tenebris, & confuſionibus eſt repletus. Flumen, fluxus humani generis eſt, qui de primis parentibus infelici vena prorumpens, impetuoſum torrentem per totam mundi latitudinem inſtagnauit, qui in ſeptem torrentibus deriuatus, valles, & campeſtria profunda voragine ſuperſedit, ipſis quoque montium cacuminibus eandem refuſionem iterans, vnde vnus de altioribus clamat: Torrentes iniquitatis conturbauerunt me, & intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Primus huius fluminis riuus eſt cogitatio mala, riuus exundans, & qui nullis obicibus repellatur,

Nota, Inſpexi Sacerdotes ſacramẽtalibus indui veſtimentis, introire ad altare Dei ad ſacrificãdũ corpus, & ſanguinem Redemptoris.

pellatur. Habet frequentiam pluuiarum, feneſtras corporeorum ſenſuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infuſiùs adminiſtrant. Occurſat aſpectui mentis quod vidit, & audiuit, quod odorauit, & guſtauit, quod palpauit, & tetigit, & plerumque quod ſimplici oculo aſpeximus, verſipellis coutortor ad offendiculum retorquet, & ſcandalum. Fingit ſimilitudines, imagines pingit, colores aptat, & in thalamo mentis vniuerſa conuoluit, ſi fortè conſenſum eliciat, & inficiat affectum. Offert horribilia de diuinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei inſtitutione, & in alueolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confeſſione euomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium, dormitorium occupat, inſidet refectorio, circuit clauſtrum, reuiſit officinas, nullam prætermittit artem nocēdi, ſed vbique ſuæ calliditatis aſſignat argutias, & in choro quidem inter orandum, & pſallendum mentem pertrahit in diuerſa, præteritorum rememoratione puritatē intellectus inuoluens. In toro verò multiformes libidinis ſenſus inuoluit, inſidians ſolitudini veſtræ, & telis fortioribus oppugnans; vtinam non expugnet, pungat, non vulneret. In refectorio autem gulam allicit ad videndum quæ perferantur, & ingenti auiditate onerat diſtentum ventrem, vt maiore opera ad egerendum egeas, quam ad ingerēdum. In clauſtro libros reuellit à manibus, memoriam reſecat ſcripturarum, & nunc de illo ad iſtum cum ſignis, & ſcurrilitate tranſuertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrère, & vagabundo ſe comitē facit, donec taciturnitatis oſtium aut aperiat, aut cōfringat. Quid plura? In choro deuotionē, in toro caſtitatē, in refectorio parcitatē, in clauſtro lectionem, in officinis ſilentij virtutem, virtutis inimicus extirpat. Nec ſufficit in vigilando ſubtilibus ſpiculis cordis terebrare mentalia, ſed dormiendo ſingulari ſe verſat, & reuerſat aſtutia; quæ meliùs veſtræ conſcientiæ, quàm ſtyli ſcientiæ derelinquo. Sed & ad altare Domini virtutum ſequuntur vos ſpiritus iſti, in ipſos mentis oculos inuolantes, & vix aliqua vel naſcentis Dei, vel pēdentis in Cruce poſſunt memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha vix volucres huiuſmodi à ſuis ſacrificiis abigebat. Nos quid ſumus, qui fugare præſumimus? Quis in hoc riuo vel merſum, vel ſubmerſum ſe eſſe negauerit? Videtis quàm turbidus torrens, & limoſa regurgitans cœnoſitate, qui vix, aut nūquam ad hoc ducitur, vt penitus exſiccetur: Non puto quòd ille, qui clauſit cælum oratione, clauſerit animum à cogitatione, vt facilius ſit cælum obſerare, quàm animum. Secundus riuus eſt locutio peruerſa. Linguam nullus hominum domare poteſt, ait Apoſtolus: membrum inquietum, membrum mortiferum, facilis ad loquendum, ad obloquendum procliuior. Et notādum, quòd naſcitur alter ex altero, cùm malæ cogitationi prauæ locutionis ianua ſit aperta. Et eſt verbum, aliud falſum, vnde dicitur: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium: aliud vanum, de quo ſcriptū eſt: Vana loquuti ſunt vnuſquiſq; ad proximū ſuum: aliud maledicū, de quo Apoſtolus ſcribit: Neque maledici regnum Dei poſſidebunt: aliud impudicum, de quo idem: Turpis ſermo de ore veſtro non procedat: aliud excuſatorium, vnde pſalmiſta: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis: aliud doloſum, de quo Propheta: Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: aliud otioſum, de quo idem Dominus: De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: & ſi quæ alia ſunt genera peſtis huius, quæ nos breui ſaltu tranſilire non poſſumus. Tertius eſt actio praua. Poſt cogitationem, & locutionem venitur ad opera, quando exhibemus membra noſtra arma iniquitatis peccato, & cōtumelus afficimus corpora noſtra. Quid enim turpiùs, quam membra Chriſti ſanguine conſecrata, & conſepulta ei in baptiſmate, libidinoſis ardoribus maculare, nec attendere reuerentiam præſentis Dei, minantis pœnam, gloriam promittentis? Abſit vt aliquis veſtrum huic idolo ſubſternatur, vt filium virginis in Veneris templo ſuſcipiat, vt arcam Dei iuxta Dagon collocet, ne nutritus in croceis ſtercora complectatur. Quid Petro cum Mago? Quid Chriſto cum Antichriſto? Quid virgini, & libidini? Quid puritati, & impuritati? Abſit vt quiſquam veſtrum ambulet in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum, qui corpus Chriſti aut conſecratis, aut Chriſti corpori miniſtratis, electi ſeruire Imperatori, vt cum Imperatore ſedeatis, cùm ſederit in ſede maieſtatis ſuæ. Qua fronte, quibus oculis videret nos, viueret nobiſcum, qui tantis inter nos obſcœnitatibus deſeruiret? Qua mente, qua conſcientia accederet ad ſancta ſanctorum, immolare ſanctum ſanctorum, cuius fama contemptibilis, vita notabilis, ſermo reprehenſibilis haberetur? Sed ſi fortè (humanum loquor) propter infirmitatem carnis noſtræ, aliquis noſtrum tale aliquid in cubiculo conſcientiæ complicauit, deplicet illud per confeſſionem, & pœnitentiam, & ego ei de miſericordia naſcentis pueri repromitto, quia ſi confeſſus fuerit, & pœnituerit, naſcetur in eo lux mundi, vt dimotis fallacibus tenebris, ſplēdorem veræ lucis accipiat. Quomodo enim miſeris miſericordia hac nocte negabitur, in qua miſericorditer naſcitur miſericors & miſerator dominus? Adeſt Deus & homo, mater & virgo, caro & verbum, lux & illuminans, bonus & bonitas, miſericordia & veritas, fœcunda virginitas, virginalis fœcunditas, æterna nouitas, noua æternitas, diuina humanitas, humana diuinitas, humilis ſublimitas, & in his omnibus miſericordia fabricatur. Cohibete igitur extollentiam ab oculis, loquacitatem à lingua, crudelitatem à manibus, voluptatem à lumbis, pedes ab itinere non trito, & venite, & arguite eum, ſi non hac nocte diſrumpit cælos, ſi non deſcendit ad vos, & proiicit in profundum maris omnia peccata veſtra. Qui enim eſt, qui huius tertij riuuli non ſit merſus, & remerſus inſtantia? Quartus riuus eſt defenſio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil ſic exaſperat iram diuinitatis, quam iniquitatis defenſio. Æquo enim certamine nos decertamus cum domino, cum defendimus quod odit, cùm nobis placet, quod diſplicet illi. Magna quippe differentia eſt inter ſuperbum, & humilem peccatorem, cùm illum deſpiciat, hunc reſpiciat, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Quando ſanari poterit, qui medicum ſpernit, medicinam conculcat, & inſitam ſubſtantiam contrariorum receptione ſuccendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & in creatorem refundis iniurias, vt quod laudauerit, tu vituperes, quod vituperauerit, tu

laudes. Non eſt hoc palpatiua diſſimulatione tacendum, cùm viderim quoſdam veſtrum tantis impatientiæ ſtimulis agitari, vt ad primas correptionis voces, non ſolùm excuſationem, ſed defenſionem exhibeant, & niſi diſciplinaris vigor obuiauerit, ad tumultus, & iurgia proſilitur. Hæc eſt impietas maxima in Deum, delictum maximum, quæ vir ſimplex & rectus, & puer domini ſumma circunſpectione deuitat. Elegantiſſimam ſuper his comparationẽ inducit Propheta, quam de ſacrario ſancti ſpiritus aſportauit. Ibi, inquit, habuit foueam hericius. Hericius ſi apprehendi ſe ſentiat vel contingi, ita conſertiſſima ſpinoſitate denſatus eſt, vt vndique compunctionibus, & aculeis veſtiatur. Cùm verò ſe ſolitudinem adeptum putat, caput aperit, exerit pedes, & viuificatorios motus plana deambulatione demonſtrat. Siquis ſuperuenerit, ſtatim celerrima velocitate caput cum pedibus ad interius abſconditum reportatur, vt ſi illum tenere volueris, priùs videas ſanguinem tuum, quàm corpus ſuum. Sic & peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, à paſtorum ſolicitudine proſpectatur, & quod ferè omnium peccantium vitium eſt, cum ab omnibus videatur, à nemine æſtimat ſe videri. Si vitium reſecare ſtudeas, & intentionis ingreſſus cum actionis egreſſibus, correctiuis manibus deprehendere, ſtatim Ciceronis eloquentia renouatur: excuſatur, & defenditur quod opponis; accuſaris, & offenderis qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quando factum fuerit, & nouus dialecticus exerta lingua prorumpit; in medium parentes aduocat, patrocinatores quærit, grauari ſe indicat, indicat ſe receſſurum, malléque mori, quàm pati talia, & quæ vidiſti negans, & quæ non vidit, in te conuicia retorquens. Sic ſpinam ſentis, & culpam perdis, odium incurris, nec corrigis, & quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides quàm multiplici cumuloſitate riuus iſte omni homini, & maximè noſtro ordini ſe infundit? Quintus eſt exultatio in peccatis. O deteſtanda lætitia, & in ſempiterni doloris triſtitiam demutanda, in peccatis ſicut in virtutibus exultare. Non ne latrocinantes, & facinoroſi quique cùm votorum plenitudinem aſſequuntur, non ſe capiunt præ gaudio, ita etiam vt audeant ipſi diuinitati gratias immurire? Qui cùm malefecerint lætantur, & exultant in rebus peſſimis, cadent ſuper eos carbones, & in ignem deiicientur. Sed & riuus iſte, quàm vndoſa refluxione miſeros animantes offundat, meliùs conſcientia, quàm eloquentia comprehendit. Sextus eſt alios docere ad malum. Hæc doctrina de cathedra peſtilentiæ deriuatur, quam deteſtatur, & reprobat, qui docet hominem ſcientiam. O quàm in vano accipit animam ſuam, qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata ſicut longam reſtem, qui miſcet ſanguinem ſanguini, cui non ſufficit vt intereat in ſeculum ſeculi, niſi & alios ad interitum pertrahat ſempiternum. Scitis enim, quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur, quæ poſtea in magno corpore vix mitigare, ne dum extirpare quiſquam poſſit. Infelices magiſtri, qui huiuſmodi plantaria plantauerunt, quæ explantantur ab illa cæleſti plantatione, quam plantauit pater ille cæleſtis. Quis gloriabitur, ſe huius riui torrentibus non fuiſſe vallatum? Septimus eſt in his omnibus perſeuerare. Hîc peccator ſubmerſus eſt, & abſorptus, & clauſit ſuper eum puteus os ſuum. Cùm enim non leuat oculos ad cælum, nec recordatur iudiciorum iuſtorum, mortuus, & ſepultus eſt in ſepulchro conſcientiæ ſuæ. Tunc à mortuo, tanquam qui non eſt, perit confeſſio. Tunc peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hîc eſt in extremo fluminum Ægypti. Hîc multitudo miſerationum Domini tollitur ab oculis eius. O flumen malum, riui peſſimi, riui exterminantes. Hac nocte dominus eos calceatus tranſiuit, cùm in virginali ſubſtãtia puram carnem, & omniũ prætaxatione peſtium immunem accepit, illo calceamento calceatus, quod in Idumæam extẽdit, cuius corrigiam ſoluere non potuit magnus ille Baptiſta. Miſit de ſummo filiũ ſuum, & accepit me in vtero Virginis, & ſic tandem aſſumpſit me de aquis multis: quas vobis breuiter prælibauimus. Libera me, inquit, ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Percutiemus eos, ſi cogitemus pro peccato noſtro, ſi prohibeamus linguã à dolo, ſi declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi confiteamur aduerſum nos iniuſtitiam noſtrã domino, ſi dolor noſter ſit ſemper in conſpectu noſtro, ſi doceamus iniquos vias domini, & ſemper laus Dei ſit in ore noſtro. Et vt de arte ſutoria noſtris moribus aliquid cõſuamus, habeamus calceamenta denſa, & ſubtiliter conſuta, quæ poſſint aquas obuiantes excludere. Faciamus carnem noſtram firmam, & confixam timore domini, quæ libidinis humorem excludat, & excocta tribulationibus, atque denſata, fiat vter nouus, ad conſeruandum vinum nouum; de quo dicitur: Quia factus ſum, ſicut vter in pruina. Sed iam corda, & corpora noſtra ad ſuſcipiendum filium Virginis præparata dimittamus in pace, & omnes in commune lumen ad reuelationem gentium innocentibus brachiis amplectamur, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

C*Vm eſſet deſponſata mater eius, &c.* priuſquam conuenirent ad coitum. Non dixit autem, priuſquam ipſa veniret ad domum illius. Iam enim in ea erat, Multis ſiquidem moris erat, vt apud ſe haberent ſponſas, propter ſecuritatem. *Reperta eſt autem*, hoc eſt, apparuit: ait autem, *reperta eſt* propter inopinatum effectum. Ne quiſpiam vero turbetur, eo quòd dixerit, Reperta eſt eſſe prægnans, ſi id ſolum audiat: ideo orationem contexuit, addens *è ſpiritu ſancto*. Et quam ob cauſam non eſt impprægnata, antequam deſponderetur? Ne occideretur, vt pote ſuſpicione de ea habita, quòd corrupta eſſet. Cui enim perſuadere potuiſſet, eum viro ſe non eſſe congreſſam? Propter hoc ergo poſt deſponſationem, & quum iam in domo viri eſſet, impraegnatur, vt veriſimile ſit ex ipſo concepiſſe: & ita periculum euadat. Præterea, vt in neceſſariis habeat ſubminiſtratorem, & procuratorem: eo maxime tempore, quo in Ægyptum fugiendum erat. Tu vero ne quæras, quo modo conceperit: neque curioſe ſcruteris, quo pacto formatus ſit embrio. Hoc enim neque Euangeliſta docuit, neque ante ipſum angelus, qui virgini conceptum annunciauit: Hoc ſiquidem ignorabant, eo quòd incomprehenſibile ſit,

le ſit, ſolique beatæ Trinitati cognitum. Verum id tantum ſcito, quòd filius incarnatus eſt ſecundum patris voluntatem, cooperante etiam ſpiritu ſancto. *Ioſeph autem vir eius, quum eſſet iuſtus &c.* Iuſtus quidem dicitur, qui auaritiam odit: dicitur etiam generaliter, qui virtutem colit: ſicut & hic Ioſeph iuſtus eſſe perhibetur, quum propter alias eius virtutes, tum propter manſuetudinem, ac probi-
Num. 5. tatem eius. Traducere autem dicebatur, quando vir ad concilium ducebat vxorem, de qua ſuſpitionem habebat, ipſamque accuſabat: & ita manifeſtè eam à domo propria dimittebat. Quod nolens facere Ioſeph, voluit clam dimittere eam, vt & ipſe nulli obnoxius crimini, ſecundum legem maneret, eas iubentem dimittere, quæ aliunde in vtero haberent, & illam à malorum perpeſſione ſeruaret, quæ id, quod factum erat, non manifeſtabat. *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit ei in ſomnis.* Vide manſuetudinis excellentiam. Non ſolum hac de re nihil alteri manifeſtabat, ſed nec ipſi, de qua ſuſpitionem habebat: tantum apud ſe cogitauit clam dimittere eam. Et quare non antequam venter intumeſceret virginis, dixit angelus ipſi Ioſeph, quæ facta fuerant circa conceptionem ſine ſemine? Quia propter magnam rei nouitatem incredulus fuiſſet. Quum ergo res iam appareret, indicat, faciliusque perſuadet. Præterea cur non ipſa virgo manifeſtauit Ioſeph, quum prius à Gabriele eſſet edocta? Quia ſciebat fidem ſibi non habendam: magis itaque laborabat ſtudens, quod impletum erat, obtegere. Ad hæc: quare non poſt ventris tumorem ſignificauit angelus virgini conceptionem, quæ per ſpiritum ſanctum facta eſſet. Quia, niſi prius rem didiciſſet, timore, ac perturbatione adeò exagitari potuit, vt mortem ipſa ſibi conſciſceret, plane ſciens, quod nulli vnquam perſuadere potuiſſet, ſe nulli commixtam eſſe viro. Propterea virgini quidem ante conceptionem angelus nunciauit, Ioſeph autem parturitionis tempore. Et Matthæus quidem de an-
Luca 1. gelo Ioſeph apparente conſcripſit: Lucas vero quomodo virgini diuinus conceptus ſit annunciatus: vtrumque enim factum eſt. Rurſum, quam ob cauſam in ſomnis ipſi Ioſeph apparuit angelus, & non manifeſte ſicut virgini? Quia virgini quidem manifeſta opus erat viſione, propter rei, quę ſignificabatur, nouitatem: Ioſeph autē videns quidem vteri tumorem, cognitam tamē habēs virginis puritatem, ac innocentiā, alio quoque modo facilius erat crediturus, tāquam qui ſomnia probe nouerat diiudicare: ideo in ſomnis angelum videt. *Dicens, Ioſeph, fili Dauid,* Dauid filium, ipſum nominat, memorem eius ad Dauid reducens, à quo Chriſtum eſſe venturum expectabant Iudæi. Dicens autem, *Ne timueris,* eidem manifeſtat proprij cordis arcanum. Timebat ſiquidem retinere Dei matrem: ne Deum offenderet, retenta contra legem adultera. Quid eſt autem accipere? Intus retinere, vel ad ſeipſum rurſus capere. Iam enim mente ab eo diuiſa erat. Accipere vero non ad nuptias, ſed ad cuſtodiam. Vxorem quoque tuam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita eſſet viro. *Quod enim in ea genitum eſt,* † *a ſpiritu ſancto eſt.* Formatum in ea, genitum dixit, vt diſcamus non paulatim modo ſeminis formatum eſſe: ſed repente quantum ad formationem perfecte factus eſt. Vide autem quo modo ipſum admonuit eius, quod à Dauid expectabatur: deinde manifeſtauit ipſi occultum cordis timorem, & quid facere decreuiſſet: poſtea docuit puram eſſe eius ſponſam: & ita tandem, quod rei caput erat, intulit, videlicet, quod à ſpiritu ſancto eſſet, vt hoc modo facilius recipi poſſet. †

† *Quod ab aliquo eſſe dicitur, vel eſt modo generationis, iuxta illud; Ego à Deo exiui: vel modo creationis, iuxta illud: Vnus Deus, & pater, à quo omnia: vel modo naturali, ſicut effectus eſt ab operante. Quod igitur in virgine genitum eſt, non generationis modo à ſpiritu ſancto eſt; quia, quod natum eſt, caro eſt: neque naturali modo; ſpiritus enim incorporeus eſt. Reliquum eſt igitur, vt ab eo ſit, tanquam creatura, vel plaſmatio eius.* †

Vocabis nomen eius Ieſum. Tu hunc vocabis Ieſum, quaſi lege pater. Et ſi (inquit) quæ patris ſunt circa ipſum non exercueris, quamuis tuum non eſt, quod natum eſt, ideoque nomen ipſe de ſupernis attuli: tu tamen ipſi impones. Verum, quia nomen Ieſus, ſaluatorem ſignificat, oſtendit merito ita vocandum eſſe: *Ipſe enim* (inquit) *ſaluum faciet populum ſuum,* non à bellis ſenſibilibus, ſed, quod longe maius eſt, *à peccatis eorum:* quod nullus vnquam fecit hominum: vt hinc quoque manifeſtum faciat, Deum eſſe, qui gignitur. *Populum* autem *ſuum,* iuxta proximum quidem intellectum vocat Iudæos, ex quibus natus erat: iuxta arcanum vero omnes, qui in ipſum crederent, & ſibiipſis regem hunc aſcriberent.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius* Euangel.

EXIIT *edictum à Cæſare Auguſto, &c.* Beda. Auguſtus. xij. annis circa natiuitatem Chriſti in pace regnauit, vt etiã ad literam completum videatur illud propheticum: Conflabunt gladios ſuos in vomeres, &c. *Iſa. 2. b.* Pacatiſſimo autem tempore voluit Chriſtus naſci, quia pacem magnopere quæſiuit & amauit, quia pacis amatores ſemper inuiſit. Voluit etiam vt diſcipuli quos ad prædicandum miſſurus erat, quocunque vellent, ſecuri trãſire poſſent, & ab imminentium ſeditionum feruore tremenda Romani nominis vmbra protegerentur. Naſcituro domino deſcribitur mundus, quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos aſcriberet in æternitate: in quo nomen Auguſti verè impletur, qui ſuos augere ſufficiens, cenſoribus ſuæ profeſſionis non pecuniæ, ſed fidei oblatione ſignare præcepit: quia dum' profeſſio' ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur. Abolito autem cenſu ſynagogæ vetuſto, nouus cenſus eccleſiæ paratur, qui tributa non exigit, ſed aufert: qui non vno nõmiſmate, ſed vna ſignatur fide. Quietiſſimum, & pacatiſſimum erat regnum, quia vna deſcriptione totum mundum concluſit. Propterea cenſus datus eſt, vt ſciret rex numerum hominum & magnitudinem. Hîc primum Iudæa facta eſt ſtipendiaria Romanis. *Vniuerſus orbis.* Bed. Ambroſ. Multæ gentes erant, quibus non imperabat Auguſtus, ſed his verbis regnum Chriſti exprimitur, qui omnibus erat imperaturus. Quis enim poſſet totius orbis profeſſionem exigere, niſi qui totius orbis habeat imperium. *Prima.* Bed. Iam diuerſis temporibus pleræque partes terrarum leguntur deſcriptæ: ſed hæc eſt prima earum quæ totum orbem concluſerunt quæ profeſſio eſt mẽtium, qua nullus excluditur. Vel certè tunc primùm cœpit: quando Cyrinus à Cæſare in Syriam miſſus eſt, cenſor patrimoniorum futurus. *Syria.* Syria in qua Iudæa eſt media, & quaſi vmbilicus eſt totius terræ. Cenſus ergo primùm in medio terræ exigitur, vt inde poſtea vſque ad fines terræ exigeretur & redderetur. *Cyrino.* Ambroſ. Hiſtorico more ſcribens, vt ſeriem temporis deſignet: nomen præſidis tanquam conſulis, ſigni gratia huic libro adſcribit. Nam ſi conſules aſcribuntur tabulis emptionis, quãtò magis redẽptioni omnium debuit tempus aſcribi. Habemus hic omnia quæ in contractibus eſſe ſolent. Vocabulum ſummam poteſtatem gerentis, diem, locum, cauſam, teſtes etiam qui adhiberi ſolent. Hos quoque natiuitati ſuæ & generationi Chriſtus adhibuit, qui ſignarent euangelium, dicens: *Act. 1. a.* Vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem. Beda. Sicut imperante Auguſto & præſidente Cyrino, ibant ſinguli in ſuam ciuitatem vt' profiterentur cenſum, ſic modo imperante Chriſto, per doctores, eccleſiæ præſides profiteri debemus cenſum iuſticiæ. Subeamus iugum quod leue eſt, veniamus ad requiẽ animarum quæ eſt patria noſtra. Et ſicut Cæſari ſoluebatur denarius qui decem nummos habebat, qui etiam nomine Cæſaris titulabatur: ſic offeramus regi noſtro decalogum legis, in quo vultũ noſtri regis, id eſt, agnitionẽ voluntatis eius inueniemus: Quem denarium quaſi ſacculo incluſum portamus in via, cum in occulta conſcientiæ meditatione ſeruamus. Proferemus autem eum regem in decore ſuo contuebimur, vel etiam proferimus, eum ea, quæ in tenebris diſcimus, in lumine dicimus: & quod in aure audiuimus, prædicamus in tectis. *Mat. 10. c.* *Nazareth.* Bed. Quotidie dominus in Nazareth concipitur, in Bethleem naſcitur, cum aliquis flore verbi ſuſcepto, ſe domum æterni panis operando efficit. Quaſi in aluo virginali concipitur, in corde credentis per fidem, generatur per baptiſma. Quotidie Dei genitrix eccleſia, ſuum comitata doctorem, de tota mundi in ciuitatem confeſſionis & laudis aſcendens, cenſum ſuæ deuotionis regi æterno perſoluit. Quæ quaſi alij deſponſata, ſed ab alio fœcundantur, dũ propoſito ſibi pontifici viſibiliter iungitur, ſed inuiſibili ſpiritus virtute cumulatur. Vnde Ioſeph auctus interpretatur, indicans ipſo nomine, quòd inſtantia loquẽtis magiſtri nihil valet niſi augmẽtum ſuperni iuuaminis vt audiatur acceperit. *Factum eſt autem.* Alibi concipi, alibi naſci dominus voluit, vt inſidiantis Herodis furorem facilius euaderet. Humilitas Chriſti commendatur, quia nõ ſolum incarnari, ſed etiam illo tempore naſci voluit, quo mox natus cenſui Cæſaris propter noſtram liberationem ſubderetur. *Pannis eum inuol.* Vilibus induitur pannis, vt ſtolam immortalitatis reciperemus. Manus & pedes ſtringuntur, vt manus noſtrę ad bene operandum, pedes in viã pacis dirigantur. Paruulus factus vt nos perfecti ſimus. *Locus in diuer.* Diuerſorium eſt domus inter duos muros, duas ianuas habens. Figurat eccleſiam inter paradiſum & mundum. Bed. In diuerſorio, vt in via naſcitur, qui ait: *Ioan. 14. a.* Ego ſum via, qua ad patriã veritatis & vitæ veniamus. *Et paſt.* Bed. Nato ſummo paſtore, paſtores ab inſidiis noctis, gentium greges more pecudum prius viuentes vigilando defendunt, & in aulam Dei congregant. Quibus bene vigilantibus angelus apparet, & eos claritas circumfulget: quia illi præ cæteris ſublimia videre merentur, qui fidelibus ſolicitè præſunt, ſuper quos diuina gratia largius coruſcat. *Et ecce an.* Bed. Et concipiendum, & conceptum, & natum dominum, cæli ciues teſtantur, vt & mortales ſufficienter imbuant, & ſuum autori ſeruitium impendãt. *Circumfulſit.* Bed. id eſt, ex omni parte illorũ fulſit, & radios ſui luminis aſperſit, quod in tota veteris Teſtamenti ſerie non inuenitur. Cõſonat autem qui ait: Nox præceſſit, dies autem ap. Abiiciamus ergo. o. te. & ind. ar. lu. *Rom. 13. d.* *Hodie.* Cum nox eſſet: Non ait, hac nocte, ſed, *hodie*, quia ſcilicet, gaudium venerat nunciare. Vbi triſtia geruntur, noctis mentio ſolet fieri: vt, Scandalum patiemini in me nocte iſta. *Infantem pannis inuo.* Bed. Crebris infantia ſaluatoris & angelorũ teſtimoniis, & euangeliſtarum eſt inculcata, vt mentibus noſtris altius infigatur quod pro nobis ſit factus: In quo humilitas notatur, quia cum eſſet diues, pauper pro nobis factus eſt, vt inopia ſua nos ditaret. *2. Cor. 8. b.* *Multitudo mi. ca.* Ambroſi. Bene angelorum nominatur exercitus, qui ſequebantur militiæ ducem, qui contra malignos ſpiritus ad tutelã noſtram angelorum ordinat exercitus. Bed. Vno euãgelizante, multitudo conſonam in laudem prorumpit, vt & officium ſuum Deo impendat & nos inſtruat, vt quoties ſacram eruditionem ex fratris ore audimus, Deo laudes corde, ore, opere reddamus. Quia verò Deus & homo naſcitur, hominibus pax cum ipſis angelis, Deo cani-

canitur gloria, qui ab angelis pro noſtra redemptione glorificatur. *Et in t. pax.* Quando peccando eramus à Deo extranei, extraneos angeli deputabant. Sed quia cognouimus regem noſtrum, recognouerunt nos angeli ciues ſuos. Et
Iſa. 48. d. timet angelus adorari ab humana natura, quam in ſuo rege conſiderat. *Hominibus bo. vo.* Bed. Qui ſuſcipiunt natum Chriſtum, non his qui audita eius natiuitate ſunt turbati & eum perſecuti. Nō eſt pax impiis, dicit dñs. ¶ *Paſto. loq.* Amb. Non ſit vilis perſona paſtorum, quia quo vilior ad prudentiam, eo precioſior ad fidem. A paſtoribus fidem Maria colligit. A paſtoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur: Mirati ſunt enim de his quæ dicebantur à paſtoribus ad illos. *Tranſeamus.* Moraliter. Sic nos abiectis carnalibus cōcupiſcentiis, cogitatione & deſiderio mentis in ſupernam domum viui panis debemus tranſire, illum amando qui pro nobis caro factus eſt, vt ad eius viſionem perueniamus. *Et ve. fe.* Bed. Non cū deſidia Chriſti quærenda eſt potentia: Ideo paſtores ſine mora inueniunt, quia non ficta fide currūt videre quæ audierant. Horum exemplum paſtores eccleſiæ, imò cuncti fideles imitari debēt vt fide & virtute proficiant, & cęleſti oraculo erecti, præcedentium patrum vitam in qua panis vitæ ſemper & ſeruatur & reficit, quaſi Bethleem portas contemplando ſubeant. Ibi catholicæ eccleſiæ pulchritudinem quaſi Mariam, & doctorū cœtum quaſi Ioſeph, & humilem mediatoris aduentum ſcripturæ paginis inſertum quaſi in præſepio inuenient. *Videntes au.* Viſio dei, cognitio Dei eſt: & hęc eſt ſola vita hominum vt cogno-
Ioan. 7. a. ſcant Deum patrem, & quem miſit Ieſum Chriſtum eſſe vnum Deum. *Mirati ſunt.* Mirantur & de myſterio incarnationis & de tanta paſtorum atteſtatione: qui fingere audita neſcirent, ſed ſimplici facundia vera prædicarent. Sic dominus nō rhetores, ſed piſcatores ad euangelizandum deſtinauit. Sic & in vete. Teſta. ſuæ diſpenſationis nuncios paſtores ordinauit. Ideo non eſt paruipendenda paſtorum atteſtatio. *Maria au.* Amb. Maria non minus ore pudica quàm corpore ſecreta, quæ nouerat nulli diuulgat, ſed tacito corde ſcrutans cōgruum tempus quo hæc Deus vulgari velit reuerenter expectat: conferens ea, quæ
Sup. 1. c. viderat circa ſe acta, & quæ legerat in ſcripturis
Iſa. 7. c. agenda. Ei dictum erat ab angelo: Ecce concipies in vtero, & pa. fi. Prædixit Iſa. Ecce virgo conci. & pari. fi. Videbat ſe de ſtirpe Dauid ortam. In Nazareth de ſpiritu ſancto concepiſſe, in Bethleem peperiſſe. Quorum omnium teſtimonia in diuerſis prophetis legerat. Comparat ergo verba prophetarum factis, & in omnibus habet argumenta fidei. Si Maria à paſtoribus diſcit: debemus à ſacerdotibus diſcere. Si Maria ante apoſtoli præceptum tacet, debemus poſt apoſtoli præceptum magis doceri quàm docere. *Et reu.* Bed. Sic ſpiritnales paſtores, modo dormientibus aliis contemplando cæleſtia ſubuehuntur, modo caſtra fidelium luſtrant, & probitatis exempla quærendo circumeunt: modo ad publicum paſtoralis officij redeunt docēdo, vt quod in priuato guſtauerunt, aliis prædicando eructent. *Sicut di.* Bed. Et in hoc glorificant, quòd non aliter inueniunt quàm dictum erat, vel ſicut dictum eſt ad illos ab angelis, referunt laudes & gloriam Deo, Non quòd angeli imperaſſent laudare, ſed ipſi laudando offerebant formam deuotionis ſuæ, dum dicunt: Gloria in altiſſimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

CATENA AVREA IN
idem Euangelium.

F*Actum eſt autem in diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, &c.* Bed. Naſciturus in carne Dei filius: ſicut de virgine natus virginitatis ſibi decus oſtendit eſſe gratiſſimum, ita pacatiſſimo tempore ſæculi procreatur: quia pacem quærere docuit, & pacis ſectatores inuiſere dignatur. Nullum autem potuit maius eſſe pacis indicium, quàm vna totum orbem deſcriptione concludi, cuius moderator Auguſtus tanta duodecim annis circa tempus dominicæ natiuitatis pace regnauit, vt bellis toto orbe ſopitis prophetæ præſagium ad literam videatur impleſſe. vnde dicitur, Factum eſt autem in diebus illis, *Exijt edictum, &c.* Græcus, Tunc etiam naſcitur Chriſtus, cum principes Iudæorum defecerāt & ad Romanos principes tranſlatum erat imperium, quibus Iudæi tributa ſoluebant, & ſic impletur prophetia prædicens non deficere ducem de Iuda, nec principem de femoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt. Iam verò Cæſare Auguſto 42. annum imperij peragente, exiit ab eo edictum totum orbem conſcribi ad tributa ſoluenda: quod cuidam Cyrino Cæſar commiſerat, quem Iudææ & Syriæ præſidem ſtatuit. vnde ſequitur: *Hæc deſcriptio prima facta, &c.* Bed. Signat hanc deſcriptionem vel primam eſſe earum quæ totum orbem concluſerint, quia pleræque iam partes terrarum ſæpe leguntur fuiſſe deſcriptæ: vel primò tunc cœpiſſe, quando Cyrinus in Syriam miſſus eſt. Amb. Pulchrè autem præſidis nomen addidit, vt ſeriem temporis deſignaret. Nam ſi conſules aſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tēpus aſcribi? Bed. Superna autem diſpenſatione profeſſio cenſus ita deſcripta eſt, vt in ſuam quiſque patriam ire iuberetur, ſecundum quod ſequitur: *Et ibant omnes vt profite. ſinguli in ciui. ſuam.* Quod ideo factum eſt, vt dominus alibi conceptus, alibi natus, inſidiantis Herodis furorē facilius euaderet. vnde ſequitur, Aſcen. au. & Ioſeph à Galilea, &c. Chryſ. Domino autem dirigente, Auguſtus hoc edictum fecit, vt vnigeniti pręſentiæ famularetur: nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam, quam prophetæ prædixerant, ſcilicet in Bethlęem Iudæ. vnde dicit, *Ciuitatē Dauid* quæ vocatur Bethleem. Græcus, Ideo autem addidit ciuitatem Dauid, vt promiſſionem factam Dauid à Deo ex fructu ventris eius rex perpetuus adueniret, eſſe completam annunciet. vnde ſequitur: *Eò quòd eſſet de domo & familia Dauid.* Per hoc autem quòd Ioſeph erat de cognatione Dauid, cōtentus fuit euāgeliſta ipſam quoque virginem de cognatione Dauid promulgare, cùm lex diuina præciperet coniugales copulas ex eadem progenie contrahi. vnde ſequitur: *Cum Maria deſponſata, &c.* Cyril. Dicit autem eam fuiſſe deſponſatam, innuens quòd ſolis ſponſalibus præcedentibus eſt conceptio ſubſecuta: neque enim ex virili ſemine ſancta virgo concepit. Greg. in hom. Myſticè autem naſcituro domino mundus deſcribitur: quia ille apparebat in carne,

dum

qui electos ſuos aſcriberet in æternitate. Amb. Et dum profeſſio ſecularis oſtenditur, ſpiritalis implicatur: non terrarum regi dicanda, ſed cæli: profeſſio iſta fidei, cenſus animorum eſt. Abolito enim ſynagogæ cenſu vetuſto, nouus cenſus eccleſiæ parabatur, denique vt ſcias cẽſum non Auguſti eſſe ſed Chriſti, totus orbis profiteri iubetur. Quis autem poterat profeſſionem totius orbis exigere, niſi qui totius orbis habebat imperium? Non enim Auguſti, ſed domini eſt terra, &c. Beda, Qui etiam vocabulũ Auguſti perfectiſſimè compleuit, vt puta ſuos & augere deſiderans, & augere ſufficiens. The. Conueniens etiam erat, vt per Chriſtum cultus multorum Deorum deficeret, & vnus Deus coleretur: vnde vnus rex orbis imperaſſe deſcribitur. Orig. Diligẽtius autem intuenti ſacramentum quoddam videtur figurari, quod in totius orbis profeſſione deſcribi oportuit Chriſtum, vt cũ omnibus ſcriptus ſanctificaret omnes, & cum orbe relatus in cenſum, communionem ſui præberet orbi. Beda, Sicut autem tunc imperante Auguſto, & præſidente Cyrino ibant ſinguli in ſuam ciuitatem vt profiterentur cenſum: ſic modo imperante Chriſto per doctores eccleſiæ prẹſides profiteri debemus cenſum iuſtitiæ. Amb. Hæc eſt ergo prima profeſſio mentium domino cui omnes profitentur, non præconis euocatione, ſed vatis dicentis: omnes gentes plaudite manibus. Denique vt ſciant cenſum eſſe iuſtitiæ, veniunt ad eum Ioſeph & Maria, hoc eſt iuſtus & virgo. Ille, qui verbum ſeruaret: iſta, quæ pareret. Bed. Ciuitas noſtra & patria eſt patria beata, ad quam creſcentibus quotidie virtutibus ire debemus. Quotidie autem ſancta eccleſia ſuum comitata doctorem de rota mundanæ conuerſationis, quod Galilæa ſonat, in ciuitatẽ Iuda, ſcilicet confeſſionis & laudis aſcendens, cenſum ſuæ deuotionis regi æterno perſoluit: quæ in exemplo beatæ virginis Mariæ concepit nos virgo de ſpiritu, quæ alij quidem deſponſata ab illo fœcundatur, dum præpoſito ſibi pontifici viſibiliter iungitur: ſed inuiſibilis ſpiritus virtute cumulatur, indicans ipſo nomine, quòd inſtantia loquentis magiſtri nil valet, niſi augmentũ ſuperni iuuaminis vt audiatur, acceperit. *Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret, &c.* Amb. Breuiter ſanctus Lucas & quomodo, & quo tempore & quo loco ſecundum carnem Chriſtus natus ſit, explicauit, dicens: Fa[ctum] eſt autem, &c. Quomodo quidem? quia nup[ta c]oncepit, ſed virgo generauit. Grego. Nyſſe. Apparens enim vt homo nõ per omnia legibus humanæ naturæ ſubiicitur: nam quod ex muliere naſcitur, humilitatem redolet. Virginitas verò quæ ortui deſeruit, oſtendit quod tranſcenderet hominem. Huius ergo iucunda portatio, ortus immaculatus, partus facilis, abſque corruptela natiuitas, nec ex luxu incipiens, nec doloribus edita, quia nãque ea quæ naturæ noſtræ mortem per culpam inſeruit damnata eſt: vt cum doloribus pareret, oportebat parentem vitæ cum gaudio partum perficere. Eo autem tempore per incorruptionem virgineam ad vitam tranſmigrat mortalium: in quo diminui incipiunt tenebræ, & nocturna immenſitas exuberantia deficere cogitur. Mors enim peccati finem prauitatis attigerat, ſed de cætero tendit ad nihilum propter veræ lucis præſentiam, quæ radiis euangelicis totum orbem luſtrauit. Beda, Eo etiam tempore dignatus eſt incarnari, quo mox natus cenſu Cæſaris aſcriberetur, atque ob noſtri liberationem ipſe ſeruitio ſubderetur. vnde etiam non ſolum propter indicium regij ſchematis, ſed etiam propter nominis ſacramentum dominus in Bethleem naſcitur. Greg. Bethleem quippe domus panis interpretatur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Locus ergo in quo dominus naſcitur, domus panis antea vocabatur: quia futurum erat vt ibi ille per naturam carnis appareret, qui electorum mentes interna ſatietate reficeret. Bed. Sed & vſque ad conſummationem ſeculi dominus in Nazareth concipi, in Bethleem naſci non deſinit, cum quilibet audientium verbum flore ſuſcepto domum in ſe æterni panis efficit quotidie in vtero virginali, hoc eſt in animo credentium per fidem concipitur, per baptiſmum gignitur. Sequitur: *Et peperit, &c.* Hier. contra Heluid. Et hoc Heluidius nititur approbare primogenitum dici non poſſe, niſi eum qui habeat & fratres, ſicut vnigenitus ille vocatur, qui parentibus ſit ſolus filius. Nos autem ita diffinimus. Vnigenitus eſt primogenitus, nõ omnis primogenitus eſt vnigenitus. Primogenitum nõ eſſe dicimus eum, quem alij ſubſequuntur, ſed ante quem nullus. alioquin ſi non eſt primogenitus, niſi is quem ſequantur & fratres, tandiu ſacerdotibus primogenita non debentur, quãdiu & alij fuerint procreati: ne fortè partu poſtea non ſequente, vnigenitus ſit, & non primogenitus. Bed. Eſt etiam vnigenitus in ſubſtantia diuinitatis primogenitus ſuſceptione humanitatis: primogenitus in gratia, vnigenitus in natura. Hier. Contra Hel. Nulla autem ibi obſtetrix, nulla muliercularum ſolicitudo interceſſit. Ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa mater & obſtetrix fuit. vnde ſequitur: *Et pannis eum inuoluit.* Beda, Qui totum mundum vario veſtit ornatu, pannis vilibus inuoluitur, vt nos ſtolam primam recipere valeamus, per quem omnia facta ſunt, manus pedéſque aſtringuntur, vt noſtras manus ad opus bonum exercitet, pedéſque ſint in viam pacis directi. Græcus, O admirabilem coarctionem, & peregrinationẽ quam ſubiit qui continet orbem, ab initio captat penuriam, & eam in ſeipſo decorat: nimirum ſi voluiſſet venire poterat mouendo cælum, concutiendo terram, emittens fulmina: non autem ſic proceſſit. non enim perdere, ſed ſaluare volebat: ab ipſis primordiis humanam conculcare ſuperbiam: atque ideo non tantum homo fit, ſed etiam homo pauper, & pauperem matrẽ elegit: quæ caret his quibus natum infantem reclinet. Sequitur enim: *Et reclinauit eum in præſepio.* Bed. Duri præſepis anguſtia continetur cui cælum ſedes eſt, vt nos per cæleſtis regni gaudia dilatet. qui panis eſt angelorum in præſepio reclinatur, vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat. Cyril. Reperit etiam hominem factum beſtialem in anima: & ideo in præſepio loco pabuli ponitur, vt vitam beſtialem mutantes, ad conſonam homini perducamur ſcientiam: pertingentes non fœnum, ſed panem cæleſtem, vitæ corpus. Bed. Qui autem ad dexteram patris ſedet, in diuerſorio loco eget, vt nobis in domo patris ſui multas mãſiones præparet. vnde ſequitur: *Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Naſcitur non in parentum domo, ſed in diuerſorio & via: quia per incarnationis myſterium via factus eſt, qua nos ad patriã vbi veritate & vita fruemur adduceret. Greg.

in hom.

in hom. Et vt oſtenderet, quia per humanitatem quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur, non ſecundum poteſtatem, ſed ſecundum naturam. Ambr. Propter te ergo infirmitas in ſe potentia, propter te inopia in ſe opulentia, nuli hoc æſtimare quod cernis, ſed quòd redimens agnoſce. Plus domine Ieſu iniuriis tuis debeo quòd redemptus ſum, quam opibus quòd creatus. Non prodeſſet naſci, niſi etiam redimi profuiſſet. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, &c.* Amb. Videte quemadmodum diuina curia fidem aſtruat. Angelus Mariam, angelus Ioſeph, angelus paſtores edocet. de quibus dicitur, *Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes, &c.* Chryſ. Ioſeph quidem in ſomnis apparuit angelus, paſtoribus autem viſibiliter quaſi rudioribus: non autem angelus iuit Hieroſolymam, nō requiſiuit ſcribas & phariſæos: erat enim corrupti, & prę inuidia cruciabantur. Sed hi erant ſynceri, antiquā conuerſationē patriarcharum & Moyſi colentes. Eſt autem ſemita quædam ad philoſophiam perducens innocentia. Beda in hom. Nuſquam autem in tota veteris teſtamenti ſerie reperimus angelos, qui tam ſepæ apparuere patribus, cum luce apparuiſſe. Sed hoc priuilegium rectè huic tempori eſt ſeruatum, quando exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. vnde ſequitur: Et claritas dei, &c. Ambro. Ex vtero funditur, ſed coruſcat à cælo: terreno in diuerſorio iacet, ſed cæleſti lumine viget. Græcus. Verùm pauidi facti ſunt in miraculo. vnde ſequitur. *Et timuerunt, &c.* Sed angelus cum pauor increuerit, fugat ipſum. vnde ſequitur: *Et dixit illis, &c.* Non ſolùm ſedat errorem, ſed etiam alacritatē infundit. Sequitur enim: *Ecce enim euan. &c.* Non ſoli populo Iudæorum, ſed etiam omnibus. Cauſa autem gaudij oſtenditur: nouus & admirabilis partus manifeſtatur ex ipſis nominibus. Nam ſequitur: *Quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus*: quorum primum, id eſt, ſaluator, eſt actionis: tertium autem, ſcilicet dominus, maieſtatis. Cyril. Sed id quod in medio ponitur, ſcilicet Chriſtus, non naturam ſignificat: ſed hypoſtaſim compoſitam. In Chriſto enim ſaluatore vnctionem fore celebratam fatemur, non tamen figuralem, ſicut olim in regibus ex oleo quaſi ex prophetica gratia: neque ad perfectionem alicuius negotij: iuxta illud Eſaiæ: Hæc dicit dominus Chriſto meo Cyro. Qui quamquam eſſet idololatra dictus eſt Chriſtus: vt cæleſti cenſura totam occuparet Babyloniorum prouinciam. Fuit autem vnctus ſaluator ſpiritu ſancto humanitus in forma ſerui. vngens autem vt Deus ſpiritu ſancto credentes in eum. Græcus: Huius autem natiuitatis & tempus oſtendit, cum dicit, *Hodie*: & locum, cùm ſubdit, *In ciuitate Dauid*: & ſigna, cum ſubiungit, *Et hoc vobis ſignum, &c.* Ecce paſtoribus angeli paſtores præcipuum prædicant, tanquam agnum in antro manifeſtatum & editum. Beda, Crebris autem infantia ſaluatoris & angelorum præconiis, & euangeliſtarum nobis eſt inculcata teſtimoniis, vt noſtris altius cordibus quid pro nobis factum ſit infigatur. Et notandum quòd ſignum nati ſaluatoris datur nō Tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſqualentibus inuolutum: non in ornatis auro ſtratoriis, ſed in præſepibus inueniendum. Maximus in ſermone nati. Sed ſi tibi panni fortaſſis vileſcunt, angelos collaudantes admirare. Si præſepe deſpicis, erige parumper oculos, & nouam in cælo ſtellam proteſtantem mundo natiuitatem dominicam contuere. Si credis vilia, crede mirifica: ſi de his quæ humilitatis ſunt diſputas, quæ alta ſunt & cæleſtia venerare. Grego. in ho. Myſticè autem quòd vigilantibus paſtoribus angelus apparet, eoſque claritas Dei circunfulſit, hoc eſt quod illi præ cæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſolicitè ſciunt. Dumque ipſi piè ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos latius gratia coruſcat. Beda in ho. Significant enim myſticè paſtores illi gregum doctores quoſque ac rectores fidelium animarum. Nox cuius vigilias cuſtodiebant ſuper gregem ſuum, pericula tentationū indicat: à quibus ſe ſuoſque ſubiectos cuſtodire non deſiſtunt. Et bene nato domino paſtores ſuper gregem vigilant, quia natus eſt qui dicit, Ego ſum paſtor bonus: ſed & tempus imminebat quo idem paſtor oues ſuas quæ diſperſæ erant, ad vitæ paſcua reuocaret. Orig. Cæterum ſi ad ſecretiorē oporteret aſcendere intellectum dicam quoſdam fuiſſe paſtores angelos qui res humanas regerent. Et cum horum vnuſquiſque ſuam cuſtodiam cōſeruaret, veniſſe angelum nato domino, & annūtiaſſe paſtoribus quod verus eſſet paſtor exortus. Angeli enim ante aduentum ſaluatoris parum poterant commiſſis ſibi vtilitatis afferre. Vix enim aliquis vnus ex ſingulis gentibus credebat in deū: nunc autem populi accedunt ad fidem Ieſu. *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum &c.* Bed. Ne parua vnius angeli videatur authoritas, poſtquam vnus ſacramentum nouæ natiuitatis edocuit, ſtatim multitudo cæleſtium agminum affuit. vnde dicitur: *Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis.* Bene chorus adueniens angelorum militiæ cæleſtis vocabulum accipit. Qui & duci illi in prælio, qui ad debellandas aereas poteſtates apparuit, humiliter obſecundat: & ipſe poteſtates eaſdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant quantum volunt, fortiter armis cæleſtibus perturbat. quia verò Deus & homo naſcitur, iure hominibus pax, Deo gloria canitur. vnde ſequitur, Laudantium Deum & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo.* vno angelo, vno euangelizante nuntio, natum in carne Deum mox multitudo militiæ cæleſtis in laudem creatoris prorumpit: vt & Chriſto deuotionem impendat, & nos ſuo inſtruat exemplo, quoties aliquis fratrum ſacræ eruditionis verbum inſonuerit, vel ipſi quæ pietatis ſunt ad mentem reduxerimus: Deo ſtatim laudes corde, ore & opere reddamus. Chryſ. Et olim quidē angeli ad puniēdum mittebantur, puta ad Iſraelitas, ad Dauid, ad Sodomitas, ad gemitus conuallem, nunc econtra canunt in terra gratias agentes Deo, eo quod ſuū deſcenſum ad homines eis reſerauit. Gregor. 28. moral. Simul etiam laudant, quia redemptioni noſtræ voces ſuæ exultationis accommodant, ſimul etiam quia dum nos conſpiciunt recipi, ſuū gaudent numerum impleri. Bed. Optant etiam pacē cum hominibus, cùm ſubdunt: Et in terra pax hominibus: quia quos infirmos prius abiectoſque deſpexerant, naſcente in carne domino iam ſocios venerantur. Cyril. Hæc autem pax per Chriſtum facta eſt. Recōciliauit enim nos per ſe Deo & patri, culpam hoſtilem de medio auferens, duos populos in vnum hominē pacificauit, id eſt, cœlicolas, & terrenos in vnum gregem compoſuit. Beda,

Quibus autem hominibus pacem poſcant, exponunt dicentes: *Bonæ voluntatis*, eis ſcilicet qui ſuſcipiunt natum Chriſtum: non enim eſt pax impiis, ſed pax multa diligẽtibus nomen Dei. Orige. Sed diligens lector inquiret quomodo ſaluator dicat: Non veni pacem mittere ſuper terram: & nunc angeli de eius natiuitate cantant, *In terra pax hominibus*: ſed hoc quod pax eſſe dicitur in hominibus bonæ voluntatis, ſoluit quæſtionem, pax enim quam non dat dominus ſuper terram, non eſt pax bonæ voluntatis. Aug. 13. de triñt. Pertinet enim iuſtitia ad bonam voluntatem. Chryſ. Aſpice autem mirandum proceſſum: angelos ad nos deduxit prius, ac deinde deduxit hominem ad ſuperna: factum eſt cælum terra, cùm terrena deberet recipere. Orig. Myſticè autem videbant angeli ſe opus quod eis creditum fuerat implere non poſſe abſque eo qui verè ſaluare poterat, & medicinã ſuam inferiorem eſſe, quàm hominum cura poſcebat. Vnde ſicut ſi veniat aliquis qui habeat ſummam in medicina notitiam, & illi qui prius ſanari nequiuerant, cernẽtes ad magiſtri manus putredines ceſſare vulnerum: non inuideant, ſed in laudem medici erumpant & Dei qui ſibi, ægrotantibuſque tantæ ſcientiæ hominem miſerit, multitudo angelorum pro Chriſti aduentu Deũ laudant. ¶ *Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab his angeli in cælum; paſtores loquebantur adinuicem: Transeamus vſque Bethlehem, &c.* Græcus, Quæ viſa ſunt & relata ſtuporem ingeſſerunt paſtoribus, & ſic ouilia ſua omiſerũt, & profecti ſunt nocte Bethlehẽ, lucem indagantes ſaluatoris, vnde dicitur, *Et factum eſt, &c.* Beda. Verè quaſi vigilantes non dixerunt videamus puerum: ſed verbum quod factum eſt, id eſt verbum quod ſemper erat videamus quomodo pro nobis caro factum eſt, ſiquidem hoc ipſum verbum dominus eſt. Sequitur enim: *Quod fecit dominus & oſtendit nobis*, id eſt videamus quomodo verbum ipſum ipſe ſe fecerit, & oſtendit nobis carnem ſuam. Amb. Vide quam ſingulariter ſcriptura ſingulorum libret momẽta verborum. Etenim cum caro domini videtur, videtur verbum quod eſt filius, non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis perſona paſtorum: ſimplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur. Sequitur: *Et venerunt feſtinantes.* Nemo enim cum deſidia Chriſtum requirit. Orige. Quia verò feſtinantes venerunt, & non pedetentim, ideo ſequitur: *Et inuenerunt Mariam* quæ ſcilicet fudit Ieſum in partu: *Et Ioſeph*, ſcilicet diſpenſatorem ortus domini: *Et infantem poſitum in præſepio*, ſcilicet ipſum ſaluatorem. Bed. Eſt autem iuſti ordinis, vt honore digno celebrata verbi incarnatione, ad ipſam quandoque verbi gloriam intuendam pertingatur, vnde ſequitur: *Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictũ erat, &c.* Græcus: Occultata ſcilicet fide fœlicia relata contuentes, nec contenti de veritate, ſtupere quæ primitus viderant & perceperant angelo nuntiante, nõ ſolum Mariæ & Ioſeph promebant, ſed etiam cæteris, & quod eſt amplius, eorum mentibus infigebant. vnde ſequitur, *Et omnes qui audierant mirati ſunt, &c.* Quomodo enim non erat mirandum videre cælicolam in terrenis, & terram pace conciliari cæleſtibus: & ineffabilem illum infantulũ numine quidem cæleſtia, humanitate verò terreſtria connectentem adinuicem, & ſui compagine fœdus mirandum præſtantem? Gloſ. Nec ſolùm mirantur de incarnationis myſterio, ſed etiam de tanta paſtorum atteſtatione: qui fingere inaudita neſcirent, ſed ſimplici facundia vera prædicarent. Ambr. Nec contemnenda putes quaſi verba vilia prophetarũ, à paſtoribus & Mariã colligit fidem. vnde ſequitur. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Diſcamus ſanctæ virginis in omnibus caſtitatem: quæ non minus ore pudica quàm corpore, argumenta fidei cõferebat in corde. Beda in ho. Virginalis enim pudicitiæ iura cuſtodiens, ſecreta Chriſti quæ nouerat, nemini diuulgare volebat, conferebat ea quæ faciẽda legerat, cum his quæ iam facta cognouit, non ore promens, ſed clauſo in corde cuſtodiens. Græcus, Quicquid etiam ei tulerat angelus, quicquid à paſtoribus audierat, cuncta cõgerebat in mente, & adinuicem comparans vnam in omnibus mater ſapientiæ cernebat concordiã, verè Deus erat qui natus erat ex ea. Athanaſius, Singuli autem in Chriſti natiuitate exultabant, non humanitus ſicut in puero nato ſoliti ſunt homines cõgaudere, ſed in Chriſti præſentia & lucis diuinæ fulgore. vnde ſequitur, *Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant.* Bed. Scilicet ab angelis: *Et viderant*, ſcilicet in Bethleem, *ſicut dictum eſt ad illos*, id eſt, in hoc glorificant, quòd non aliud venientes inuenerant, quàm dictum eſt ad illos, ſiue ſicut dictum eſt ab illis, gloriam Deo laudeſque referunt: Etenim hoc illis facere dictũ eſt ab angelis: non quidem verbo imperantibus: ſed formam ſuæ deuotionis offerentibus: cũ Deo in excelſis gloriam reſonarent. Bed. in ho. Myſticè autem intellectualium paſtores gregum, imò cuncti fideles exemplo horum paſtorum tranſeãt cogitatione vſque ad Bethleem, & incarnationẽ Chriſti dignis celebrent honoribus. Tranſeamus autem abiectis concupiſcentiis carnalibus toto mentis deſiderio vſque in Bethleem ſupernam, id eſt, domum panis viui: vt quem illi in præſepio videre vagientem, nos in patris ſolio mereamur videre regnantem. Non eſt autem tanta beatitudo cum deſidia ac torpore quærenda, ſed alacriter ſunt Chriſti ſequenda veſtigia. *Videntes autem cognouerunt.* Et nos quæ dicta ſunt de ſaluatore noſtro plena dilectione feſtinemus amplecti, vt hoc in futuro perfectæ cognitionis viſu comprehendere valeamus. Bed. ſup. Lucam: Dominici etiam gregis paſtores præcedentium patrum vitam, in qua panis vitæ ſeruatur, quaſi Bethleem portas contemplando ſubeunt, nihilq́ue in hac aliud reperiũt, quàm virginalem eccleſiæ pulchritudinẽ, quaſi Mariam: virilem ſpiritualium doctorum cœtum, quaſi Ioſeph: & humilem Chriſti aduentum ſcripturæ paginis ſacræ inſertum, quaſi in præſepio poſitum Chriſtum infantem. Orig. Vel præſepe illud Iſrael erat ſecundũ illud Eſaiæ, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Beda, in ho. Non celauere autem ſilentio paſtores quæ agnouerant: quia eccleſiæ paſtores in hoc ordinati ſunt, vt quæ in ſcripturis didicerunt, auditoribus oſtendãt. Bed. ſup. Luc. Magiſtri etiam ſpiritualium gregum modo cæteris dormientibus contemplando cæleſtia ſubeũt, modò fidelium exempla quærendo circumeunt, modo ad publicum paſtoralis officij docendo reuertuntur. Bed. in ho. Vnuſquiſque etiam qui priuatus viuere creditur, paſtoris officium tenet, ſi bonorum actuum cogitationumq́ue mundarum

aggregans multitudinem, hanc iuſto moderamine gubernare, ſcripturarum paſtu nutrire, & contra dæmonum inſidias ſeruare contendit.

ORIGENIS PRESBYTERI in idem Euang. Homil. 1.

Ex Homil. 11. in Lucam. *FActum eſt autem in diebus illis, exiuit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur omnis orbis. Hæc fuit deſcriptio prima, à Præſide Syriæ Cyrino.* Dicat aliquis, O euangelica narratio, quoniã prima deſcriptio vniuerſi orbis ſub Cæſare Auguſto fuerit, & inter omnes etiam Ioſeph cum Maria deſponſata ſibi atque prægnante nomen retulerit in cenſum, ac prius quàm deſcriptio compleretur, ortus fuerit Ieſus, diligentius intuenti ſacramentũ quoddam videtur ſignificare, quòd in totius orbis profeſſione deſcribi oportuerit & Chriſtum, vt cum omnibus ſcriptus ſanctificaret omnes, & cum orbe relatus in cenſum, communionem ſui præberet orbi, vt poſt hanc deſcriptionem, deſcriberet quoque ex orbe ſecum in libro viuẽtium, vt quicunque credidiſſent in eo, poſtea cum ſanctis illius ſcriberentur in cælis: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM IN EODEM Homilia 2.

Homil. 12. in Lucam. NAtus eſt dominus meus Ieſus, & angelus deſcendit de cælo annuncians natiuitatẽ eius. Videamus itaque quem quæſierit, vt eius õciaret aduentum. Non venit Hieroſolymam, non quæſiuit ſcribas, & phariſæos, non ſynagogam ingreſſus eſt Iudæorum, ſed paſtores reperit ſuper greges ſuos vigilias excubantes, eiſque loquitur, Natus eſt hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus. Putáſne nihil aliud diuinus ſcripturarũ ſermo ſignificat, ſed tantum hoc quod ad paſtores venerit angelus, & eis locutus ſit? Audite, paſtores eccleſiarum, paſtores Dei, quod ſemper angelus eius deſcendat è cælo, & annunciet vobis, quoniam natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus. Etenim paſtores eccleſiarum, niſi ille paſtor venerit, per ſe bene gregem ſeruare non poterunt: infirma eſt eorũ cuſtodia niſi Chriſtus cum eis pauerit, atque ſeruauerit. Dudum in Apoſtolo lectũ eſt, Dei cooperatores ſumus. Paſtor bonus, qui imitatur paſtorem bonum, cooperator eſt Dei & Chriſti. Et propterea paſtor bonus eſt, qui habet ſecum paſtorem optimum cõpaſcentem ſibi. Poſuit enim Deus in eccleſia apoſtolos, prophetas, euangeliſtas, paſtores, doctores, omnia in perfectionẽ ſanctorum. Et hæc quidem ſunt dicta ſimplicius. Cæterum ſi ad ſacratiorem oportet aſcendere intelligentiam, dicam quoſdam fuiſſe paſtores angelos qui res humanas regerent. Et cum horum vnuſquiſque ſuam cuſtodiam conſeruaret, & diebus, ac noctibus vigilans iam laborem ferre non poſſet, & hoc ageret induſtriè, vt gentes quæ ſibi creditæ fuerant gubernaret, veniſſe angelum nato domino, & annũciaſſe paſtoribus quod verus eſſet paſtor exortus. Verbi gratia, vt ad exemplum veniam, erat quidã paſtor Macedoniæ, hic neceſſarium habebat auxilium domini, propterea apparuit in ſomnis vir Macedo Paulo dicens, Trãſiens in Macedoniam, adiuua nos. Quid de Paulo loquar? enim hæc non Paulo, ſed qui in Paulo erat, locutus ſit Ieſu? Indigent itaque paſtores præſentia Chriſti. Quamobrem angelus deſcendit de cælo, & ait, *Nolite timere. Ecce enim annuncio vobis gaudium magnum.* Vere gaudium magnum, his quibus hominum fuerat & prouinciarum cura permiſſa, Chriſtum veniſſe in mundum. Multum vtilitatis accepit angelus, qui diſpenſabat Aegyptias res, poſtquam dominus deſcendit è cælo, vt Aegyptij Chriſtiani fierent. Profuit & cunctis, qui diuerſas prouincias obtinebãt. Verbi cauſa, Præſidi Macedoniæ, Præſidi Achaiæ, reliquarúmque regionum. Neque enim fas eſt credere, malos angelos ſuis præeſſe prouinciis, & bonos non eaſdem prouincias habere permiſſas. Hoc autem quod de ſingulis prouinciis dicit, puto etiam de vniuerſis hominibus generaliter debere credere. Vnicuique duo aſſiſtunt angeli, alter iuſtitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde noſtro fuerint, & in animo iuſtitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur angelus domini: Si vero mala fuerint in noſtro corde verſata, loquitur nobis angelus diaboli. Hoc deſumptũ eſt ex reuelatiõe Hermetis. Quomodo igitur per ſingulos homines bini ſunt angeli, ſic opinor & in ſingulis diſpares eſſe prouincias, vt ſint & boni, ſint & mali. Verbi gratia, in Epheſo propter eos, qui in illa vrbe peccatores erant, peſſimi angeli præſidebãt. Rurſus quia multi erant credentes in ea, erat & angelus eccleſiæ Epheſiorum, vtique bonus. Hoc autem quod de Epheſo diximus, ſuper omnibus prouinciis cognoſcendum. Ante aduentum domini ſaluatoris iſti angeli parum poterant creditis ſibi vtilitatis afferre, & conatus eorum ſequi non valebat effectus. Quodnam eſt ſignum, quòd parum prodeſſe poterãt ſubiectis? Auſculta quod dicimus. Quando angelus Aegyptiorum Aegyptios adiuuabat, vix vnus proſelytus credebat in deum, & hoc fiebat, Aegyptios angelo diſpenſante. Denique quia plerique de Aegyptiis, & Idumæis proſelyti accipiebant fidem Chriſti, propterea ſcriptura dicit, Non abominaberis Aegyptium, quoniam aduenæ eratis in terra Aegypti, & Idumæum, quia frater tuus eſt. Filij ſi nati fuerint eis, in generatione tertia intrabunt in eccleſiam Dei. Atque ita fiebat, vt de omnibus gentibus nonnulli proſelyti fierent, & hoc ipſum angelis qui gentes habebant ſubditas adnitentibus. Nunc autem populi credentium accedũt ad fidem Ieſu, & angeli quibus creditæ fuerint eccleſiæ roborati præſentia ſaluatoris multos adducũt proſelytos, vt congregentur in omni orbe conuẽticula chriſtianorum. Quapropter conſurgentes laudemus dominum, & fiamus pro carnali Iſrael, ſpiritalis Iſrael. Benedicamus omnipotenti Deo opere, cogitatione, ſermone, in Chriſto Ieſu: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM DE EODEM Hom. 3.

DOminus noſter atque ſaluator naſcitur in Bethleem, & multitudo cæleſtis exercitus Hom. 13. in Matth.
laudat Deum, & dicit, *Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc autem lo-

quitur

quitur multitudo cæleſtis exercitus, quia iam defecerat præbere hominibus auxilium, & videbat ſe opus quod ſibi creditum fuerat implere non poſſe abſque eo qui vere ſaluare poterat & præſules quoque ipſos iuuare vt homines ſaluarentur. Quomodo igitur ſcriptum eſt in euangelio, quòd quidam remis ſulcantes mare aduerſus contrarios ventos iam feſſi erant, & vigintiquinque ſiue triginta ſtadiis laborantes, portum tenere non poterant, & poſtea dominus ſuperuenit, & quieſcere fecit fluctus tumẽtes, nauémque cuius hinc inde latera tundebantur ab imminenti diſcrimine liberauit: ſic intellige quòd & angeli volebãt quidem hominibus præbere auxiliũ, & eis ab ægrotationibus ſuis tribuere ſanitatem, quia omnes ſunt apparitores ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui conſecuti ſunt ſalutem: qui quantum in ſuis viribus erat, adiuuabant homines. Videbant autem multo inferiorem ſuam eſſe medicinam, quam illorum cura poſcebat. Porro vt de exẽplo poſſis intelligere quod dicimus, vide mihi vrbem in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: ſint diuerſa vulnera, quotidie in emortuam carnem ſerpens putredo penetret, & tamen medici qui adhibiti ſunt ad curandum nequeant alia vltra inuenire medicamina, & artis ſuæ ſcientiã, magnitudinem mali vincere, cùm hæc in talibus nacti ſint, eueniat aliquis archiater qui habeat ſummam in arte notitiam, & illi qui prius ſanare nequiuerant cernentes magiſtri manu putredines ceſſare vulnerum, non inuideant, non liuore crucientur, ſed in laudes erumpant archiatri, & prædicent Deum qui & ſibi & ægrotantibus tantæ ſcientiæ hominem miſerit. In hanc ergo ſimilitudinem, & multitudo exercitus angelorum audita eſt dicens, *Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax in hominibus bonæ voluntatis.* Poſtquam enim dominus venit ad terram, pacem facit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue eorum quæ in terra erant, ſiue eorum quæ in cælis. Siquidem volentes angeli vt recordarentur homines creatoris ſui, cũ feciſſent omnia quæ in ſuis viribus erant vt ſanarentur, & noluiſſent illi recipere ſanitatem, cernunt eum qui ſanare potuit, & glorificantes dicunt. *Gloria in excelſis Deo, & ſuper terram pax.* Diligens ſcripturæ lector inquirat quomodo ſaluator loquitur, Non veni pacem mittere ſuper terram, ſed gladium, & nunc angeli in eius natiuitate decantant, *ſuper terram pax.* Siquidem & in alio loco ex perſona ipſius dicitur, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non ſicut mundus iſte dat pacem, ego do pacem. Videat ergo quod inferimus, an poſſit ſoluere quæſtionem. Si ſcriptum eſſet, ſuper terram pax: & & hucuſque eſſet finita ſentẽtia: recte quæſtio naſceretur. Nũc vero in eo quod additum eſt, hoc eſt quod poſt pacem dicitur, *in hominibus bonæ voluntatis*, ſoluit quęſtionem. Pax etiam, quam non dat dominus ſuper terram, non eſt pax bonæ voluntatis. Neque enim ait ſimpliciter non veni pacem mittere, ſed cum additamento ſuper terram: neque econtrario dixit, non veni pacem mittere ſuper terram hominibus bonæ voluntatis. Hæc locuti ſunt angeli ad paſtores, qui non ſolum eo tempore loquebantur: ſed vſque hodie niſi locuti fuerint ad paſtores, & ſua eis opera copularint, dicunt ad eos, Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum laborabit qui cuſtodit eam. Si audacter expedit loqui ſcripturarum ſenſum ſequenti, per ſingulas eccleſias bini ſunt epiſcopi, alius viſibilis, alius inuiſibilis: ille viſui carnis, hic ſenſui patens Et quomodo homo ſi commiſſam ſibi diſpenſationem bene egerit, laudatur à domino: ſi male, culpæ & vitio ſubiacet: ſic & angelus. Scriptum eſt enim in Apocalypſi Ioannis. Sed habes ibi nomina pauca quæ polluerunt illud, vel illud; & rurſus, habes ibi, qui doctrinam Nicolaitarũ doceant: ac deinde habes illa, vel illa peccata facientes, & accuſantur angeli, quibus creditæ ſunt eccleſiæ. Si autem angelis ſolicitudo eſt, quomodo eccleſiæ gubernentur, quid neceſſe eſt de hominibus dicere, quantum metũ habeant, vt poſſint cum angelis laborantibus laborantes ſalutem conſequi? Ego puto inueniri ſimul poſſe & angelum & hominem bonos eccleſiæ epiſcopos, & quodãmodo vnius operis eſſe participes. Quod cũ ita ſit, petamus omnipotẽtem Deum, vt angeli, & homines eccleſiarum epiſcopi adiumento ſint nobis, vt ſciamus quòd vtrique pro nobis à domino iudicentur, Quod ſi illi fuerint iudicati, & vitiũ, atque peccatũ non in eorum incuria, ſed in noſtra negligentia fuerit inuẽtum: nos arguemur atque plectemur. Illis enim vniuerſa facientibus, & pro noſtra ſalute nitentibus, nos nihilominus à peccatis vacabimus. Porro frequenter euenit, vt nobis laborantibus illi ſuum officium nõ expleant, & in culpis ſint. ¶ *Venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph & puerum.* Quia feſtinantes venerant, & non pedetentim, neque feſſo gradu, ideo inuenerũt Ioſeph diſpenſatorem ortus dominici, & Mariam quę Ieſum fudit in partum, & ipſum ſaluatorem iacentẽ in præſepio. Illud erat de quo propheta vaticinatus eſt, dicẽs, Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Bos animal mundum eſt, aſinus animal immũdum. Cognouit aſinus præſepe domini ſui. Non populus Iſrael cognouit præſepe domini ſui, ſed immundum animal ex gentibus. Iſrael vero me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Intelligentes hoc præſepe, nitamur cognoſcere dominum, & digni fieri ſcientia eius, aſſumere quoque natiuitatem & reſurrectionem carnis eius, ſed & inclytum, ac ſecundum maieſtatis eius aduentum: cui eſt gloria, & imperiũ in ſecula ſeculorum. Amen.

Cauto lege, nam videtur facere Angelos peccato obnoxios, cum iam ſint in gratia confirmati.

S. CYPRIAN. CARTHAginenſis *Epiſcopi de natiuitate Chriſti, Homil.*

Non videtur Cypriani.

ADeſt Chriſti multum deſiderata, & diu expectata natiuitas, adeſt ſolemnitas inclyta, & in præſentia ſaluatoris grates, & laudes viſitatori ſuo per orbem terrarum ſancta reddit eccleſia. Gaudia nobis cælitus nuntiantur, lætitia imperatur. Nox iſta ſacri partus conſcia, nouis fulgoribus illuſtratur. Gloriantur in cæleſtibus ſuperi, pax in terra bonæ voluntatis hominibus confirmatur. Aſſunt Angeli, loquuntur paſtoribus: non dedignantur loqui perſonis humilibus; & cum ipſi ſublimes ſint, infimos non aſpernantur. Nec luce inſolita, nec angelorum terrentur paſtores præſentia, ſanæ & puræ fidei homines delectantur in eo quòd audiunt conſonas laudantium voces

cæleſtes, gloriæ & gratiæ diuinæ præconia modulantes. Nec ſatis fuit ſuperis arcana reſerare cæleſtia, etiam hominibus pax reddita nunnatur, & bonę voluntatis noui muneris largitate conſecratur affectus. Oportuit bonum dominum certificare & lætificare in aduentu ſuo bonas expectantium voluntates: & multiplicatis teſtibus certa præſentiæ ſuæ dare indicia, vt iam non expectaretur quaſi venturus: ſed qui venerat videretur: & eſſent Angeli, quem ſibi noua Chriſti infantia conſecrarat, ſancti ortus & loci indices. Vnus Gabriel virgini obumbrationem virtutis altiſſimi nuntiat, multitudo cæleſtis exercitus gratulabunda ſaluatorem mūdi prædicat aduenisse, & reconciliata terreſtria ſuperis canit, & conſilium antiquum prodit palàm: nec iam ſecretum eſt, ſed innotuit publicè in conſpectu gentium reuelata Chriſti benignitas, & oblata mundo in nullo à nobis differens, excepto quòd peccati expers fuit ſaluatoris humanitas. A ſupernis legationibus incipit Euangelium, cuius primi dictatores Angeli extiterunt. Nec iam in manibus prophetarum ſimilitudines, & ænigmata inuoluuntur, ſed Angelorum iubilo, & hominum ſtylo, & euidenti rerum iudicio conſtat: & conſonant ſimul promiſſa & data, vmbríſque remotis, lex, & Euangelia ſunt vnita. Multiplicantur teſtes, militia cęleſtis conclamat, credit paſtorum cuneus, & exultat. A ſapientibus, & prudentibus non quærit teſtimonium, qui paruulis ſe reuelat. In huius doctrinæ initio ſtatim faſtus & ambitio condemnatur. Non colores rhetorum, non inductiones perſuaſoriæ adducūtur, ratio & miracula harū rerum ordinem complectuntur. In primis ſigna ſe fidei miſcuerunt, & maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cum ſimul verbis & rebus actum eſt, vt nullum infidelium repugnantia inueniret diffugium. Nox illa omni luce clarior, ſermones Angelici pacem hominibus nuntiantes, deſignato loco Bethleem, ad quærendum puerum cohortantur: paſtores illi amplius mente, quam oculis carnalibus illuminati, ad conſpiciendum Emanuel feſtinant, & edocti intus inuiſibili magiſterio ſpiritus ſancti, quem paruulum vident, confitentur immenſum: & piæ ei deuotionis affectum præſentāt. Electa adeſt humilium perſonarum ſimplicitas, vt poneretur regula, & indiſſolubilis daretur forma: quod non niſi pauperibus ſpiritu, Chriſti pateret humilitas: nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſet admittere veritas. Veniunt in Betheleem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel, ciuitas parua, domus paupercula, ſupellex exigua. Nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo, mater in fœno, filius in præſepio; tale elegit fabricator mundi, hoſpitium, huiuſmodi habuit delicias ſacræ virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro byſſo in ornatu regio laciniæ congeruntur: genitrix eſt obſtetrix, & deuotam dilectę ſoboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oſcula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pediſſequas ſubſtantia familiaris non patitur, mancipiorum obſequia ſumptus tenuis, & inops menſa excludit. Nullum domus arcta diuerſorium occultabat nec ſecreti receſſus erant illius caſulæ, incaſtraturam tectum, & ſoli parietes per circuitum veſtiebant: Nec locus ibi erat lauacris, quæ ſolent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem domini læſerat: quoniam ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen conſuetudinem ſequens, vt legi ſatis faceret, quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis, diebus deſignatis recubuit & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis non ſe à thoro Ioſeph, qui eam nunquā tetigit, ſed ab ingreſſu templi, & cæteris, quę lex prohibebat, continuit. vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat. Nihil in hac re petiit vltro: nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vſuram, ſpiritu ſancto obumbrante, incendium originale extinctum eſt: ideoque innoxiam affligi non docuit, nec ſubſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis: quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa. Eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul mater & virgo ſingulis titulis inſignita, vnde & matri plenitudo gratiæ debeatur: & virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extra Chriſti præſentia fruebatur. Ornamenta, quæ deerant, etiam ſi adeſſent, non haberent oculos inſpectatores, quia præſentia paruuli ſic eorum, qui aderant, Ioſeph, & ſi quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari, & mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat. Angelica ſanè non eſt credendum ibi miniſteria defuiſſe, nec receſſerat à venerabili pectore matris ſpiritus ſanctus ad verbum Gabrielis elapſus. Poſſidebat domum ſuam & templum, quod ſibi conſecrauerat, adornabat, ſeruabat ſacrarium ſuum, & ſanctimoniæ thalamum honorabat, lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat: legem mentis, lex carnis non infeſtabat, rebellio nulla quietem ſpiritus affligebat. Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris defecatum edulium ori mundiſſimo infundebat. ſed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant, erátque vtrinque mira iucunditas, quum pia ſanctæ matris, & deuota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas confœderatis affectibus mergerentur: extrinſecus nuda erant, & egena, quæ videbantur, nihil in illa paupertate videbatur diuinum, niſi iis quibus reuelatum eſt deſuper: quorum primi fuere ſupra memorati paſtores: quorum innocentia & ſimplicitas electa eſt, vt laus Chriſti perficeretur, qui piſcatores, & paſtores ſequentibus temporibus confunderēt oratores, & à pauperibus, & humilibus prædicatio paupertatis haberet initium. Execrari ſolent Ægyptij hoc hominum genus, & abominabiles eis ſunt oues, & pecora, ſed huiuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit, & Abel paſtor munera de gregibus ouium obtulit, quæ in eo quod cælitus inflāmari viſa ſunt, quod grata eſſent Deo cunctis innotuit. Paſtor Abraham, Iſaac, & Iacob, viri Deo familiares, paſtores patriarchæ duodecim. Paſtor

ipſe

ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu, dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum: & poteſtate ſignorum collata populi recipit principatum. Heliſæus de aratro propheta conſtituitur. Dauid de poſtfœtantes accipitur, & in regni ſolio collocatur. Agnum quem abominatur Ægyptius, ſacrificari ſibi præcepit Deus, eiuſque ſanguis Iſraelitarum poſtibus illitus, exterminatorem Angelum repellit, & abigit: nec timetur mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conſpicitur ſignum. Ad vmbram Petri languentes conſurgunt, Apoſtolis ſubiiciuntur dæmonia: cedit idiotis reptorum eloquentia, prædicante Paulo captiuas complicant manus gentes, & regna: pauperes electi, ſuperbi neglecti: nec faſtus, nec altus circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum, Chriſtus pauper diſcipulos diuites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium iis qui in forma huius ſcholæ in eccleſia militāt, præbet efficax documentum. Hunc in cunabulis adorauere paſtores, & paruulum confitentes Deum ſimpliciter argumentoſi in ſpiritu, & veritate quem adorauerunt, nouerunt; fuerat quidem miraculum, quod apertis cælis lux fulgoris inſoliti nocte ſuper eos fulſerat, quod auditi angeli, & conſpecti, quod ab ipſis fuerant edocti & inſtructi paſtores: ſed licet hæc præceſſiſſent, tamen circa infantiam pueri diuinitatis intimatæ nulla humana ratio præbebat experimentum: nec circa illius præcepi anguſtias, vagiente inter alligaturas infantulo, aliquod maieſtatis erat indicium: ſed auditui fides obtemperans, nullum apud Deum impoſſibile verbum credidit: & per ſpiritum ſanctum ad ſacramentum hoc intelligendum, ſubtiliſſimis eſt intelligentiarum acceſſibus introducta. Idémque ſpiritus, qui longe ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus ſe infundens, dilatabat humani intellectus anguſtias: & aperiebat interiores oculos, vt viderentur inuiſibilia, & intelligerentur ea ad quæ humanus non attingit ſenſus, nec rationis penetrat intellectus. Hinc eſt, quòd prædixerat Eſaias, Paruulus natus eſt nobis, filius natus eſt nobis. Hoc potuit videri, hic nullum fides meritum quærit. Quod autem ſequitur; vocabitur nomen eius Emanuel, admirabilis conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis: ſi clauſi ſint oculi mentis, exterioribus oculis, neſcio quid mereris: Qui necdum loquitur, quomodo conſiliarius erit? Paruulus quomodo credetur omnipotens Deus? omnino infirmus, in quo videbitur fortis? nihil omnino poſſidens ad apicem regni, & principatus faſtigium, quibus aſcenſionibus attinget? ſed ſi fidei myſterium proſequaris, in his omnibus ſubtiliſſimas, & puriſſimas rationes inuenies, & quod omnino neceſſe fuit immenſum fieri paruulum, & filium Dei hominis filium euidenter agnoſces. Mirabitur etiam, & dilatabitur cor tuum quando intelliges profundiſſimum ſacramentum in eo, quod contemptibilis factus eſt admirabilis, & qui literas non didicit, nec legibus inſtructus eſt, ſufficiens ſit diuinarum, humanarúmque rerum conſiliarius: quomodo diuinitas, & humanitas in vnam perſonam conuenerunt, & vbi æſtimata eſt infirmitas, fortitudo inuenta eſt, & corpus humilitatis noſtræ diuinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, ſed in cœleſti gloria perpetuum habeat principatum. Ad paruulos venit Chriſtus, cum paruulis conuerſatur, pauperes inſtruit, & creat, & facit. Ipſe in ſynagoga Iudæorum in Eſaiæ volumine cū legiſſet in ſabbato, complicato libro, prophetiam hanc in ſe completam edocuit, quod à ſpiritu ſancto vnctus ſit, & ad euangelizandum pauperibus pater eum miſerit. Idem in Euangelio gloriatur, & confitetur domino cæli & terræ, gratias agens, quòd reuelata ſunt diuina myſteria paruulis, à quorum intellectu ſublimitas huius mundi repulſa eſt, quę Deo ſubiici non poteſt, dum ſecundum carnem & ſanguinem inuiſibile ipſius ſuis regulis inueſtigat. Hic eſt primus religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus, vt quicunque pie vult viuere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat: fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cælo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter paruulus attulit, & à cunabulis nos ſibi cōformes fieri volens teneri voluit in vita quod exhibuit in perſona. Quia vero filij Dei ſumus, humanitatis participatione frater noſter fieri voluit, vt eſſemus ſecum beatitudinis cohæredes, & haberet tota compoſitio hominis perfectam, plenámque lætitiam, cùm ſpiritus diuinam repræſentaret imaginem, & caro noſtra Chriſti corporis ſimilitudinem, conſummatæ ſocietatis beneficium obtineremus, cùm nominis Chriſti, & hæreditatis conſortes, & diuinæ naturæ communicamus per ſpiritum, & humanæ per corpus. Iurauit dominus & non pœnitebit eum, & promiſſionum ſuarum non immemor, ſicut ſe daturum nobis iurauerat, ſic compleuit: filius datus eſt nobis: qui cum in forma Dei eſſet, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, non eſt confuſus ſe ad formam ſerui exinanire, vt qui de fraternitate eius gloriantur & volunt aſcendere, non erubeſcant deſcendere, ſed eidem ſcalæ cum Iacob innitantur, & cantantes canticum graduum ab imis ad ſuperiora conſcendant. O domine, quàm admirabile eſt nomen tuum! vere tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi huius ſtaturam admirer, non ſtabilitatem terrę, cum eam complectatur volubile firmamentum, non ſingulos dies, non lunæ defectum & incrementum, non ſolem ſemper integrum, & laborem eius perpetuum, non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reuiuiſcunt. Miror Deum in vtero virginis, miror omnipotentem in cunabulis: miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumētum induerit: Miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam ſaluatoris. In breui poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreuiari ad ſolum Chriſti verbum, ſicut factus mundus, & diſpoſita cuncta ad eius imperium: ſed elementario mundo dignior eſt rationabilis, homo, quod ex eo, quòd in eius ſeruitium facta ſunt omnia, facile creditur. In cæteris quocunque modo aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic ſolus me complectitur ſtupor. Et cum Abacuc cano; conſideraui opera tua, & expaui. Miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in ſepulchro iacentem, miror occiſum & reſurgentem, hæc ſunt noua mira: quæ prædixerat Eſaias; Nouum faciet dominus ſuper terram. Mulier circūdabit virum. Opus ſuum faciet,

& peregrinum opus eius ab eo. Ieſus Chriſtus heri & hodie ante luciferum genitus, initium carnis ſumpſit ex virgine, & quem cæli cælorum non capiunt, qui implens omnia, cum ſit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur. Nouum eſt, & inauditum, quod in materni anguſtias vteri, circundedit intra ſe fragilis caro virtutem altiſſimi, & ordinem rerum, curſúmque naturæ mutauit ſapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circundata muliebri vtero, vt cum vniuerſa ambiret, implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra vniuerſa cõplectens. Quem nos paruulum, propheta nuncupat virum, inſinuans ei nunquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis affuiſſe fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus ſuum igitur fecit quod creauerat, ſaluanſque quod perierat, ad vitam reuocãs quod mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod verbum factum eſt caro, quod factus eſt viſibilis, & comprehenſibilis, paſſibilis, & mortalis: & peregrinum à maieſtate puer ſugens vbera panniculis inuolutus, & ſuſtinens conuitia, filius Dei in patibulo conſtitutus. Conſiliarius quoque dictus eſt paruulus iſte, qui & alibi dictus magni conſilij angelus, eo quòd ſecreta Dei, quæ ab hominibus erant abſcondita publicè reuelauit, & cum nemo noſſet patrem, niſi filius, ipſe arcana Dei referans indaginem Trinitatis explicuit, loquens patri, & à patre reſponſum accipiens, & ſpiritum ſanctum infundens diſcipulis, generationis, & proceſſionis intimans rationes, ſubtiliter aſtruens perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ vnitatẽ. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria conſilia edocens, vt beneficia collata homo intelligat, vt in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſſibile eſt ex Dei gratia, cum ceciderit, reſurgat. De virginibus, ait Apoſtolus, præceptum domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus. Vult & laudat ex imperio domini, vt quæ nupſerint, ſic permaneant: quæ verò virgines ſunt Dei, æmulatione caſtitatis integritatem exhibeant Chriſto: & in hunc modum quæcunque auctoritate diuina immobilia conſtant ſic maneant, quæ vero in alterutrum poteſt libertas arbitrij flectere, locum eligant priorem: quia & ſi bona ſunt & à Deo inſtituta coniugia, melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior: nam non cogit neceſſitas aut mandatum ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi diuinis conſilijs obuiauerint tentamenta, & liberas mẽtes ad carnales reuocauerint appetitus, adeſt Deus fortis, nec ſpem ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat: quia qui mundum vicit, victoriam ſuis promittit militibus, & qui victores ſunt ſui, cælo vim inferunt, quoniam, ſicut ſcriptum eſt: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. In paruuli huius nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus, ſuperueniente fortiore, de atrio antiquitus poſſeſſo, potenter expellitur & præſumptæ infeſtationis audaciæ ſilentium imperatur. Defectui carnis noſtræ, quæ à primæuis fecibus originalis mali infecta langoerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo: & ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſynceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mũdo, & de diabolo, & de nobis ipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu viuificis myſterijs inhærẽtes, vna caro, & vnus ſpiritus ſimus dicente Apoſtolo: Qui adhæret domino, vnus ſpiritus eſt. Si ij, ad quos ſermo fit, dicuntur dij, & filij excelſi, nominis, & hæreditatis, & æternitatis participes, fortitudine ſocietatis Chriſti ſubigentes tentamina, & cum homines ſint ex indigniori materia, in captiuitatem redigunt, & conſpuunt, ligantque dæmonia. Et quidem in hoc tempore in ſtadio vitæ huius ſe exercet militia chriſtiana, & præeunte Chriſti vexillo, quem paruulum vidimus & cognouimus Deum: & quos ſpiritus conſilij & fortitudinis munit, nec vinci, nec decipi poſſumus, quos eruditio, diuina ſcientia & poteſtate fecit inſignes. Videtur autem in præſenti diſciplina huiuſmodi non eſſe gaudij, ſed mœroris, eo quod non ſine periculo certamina peraguntur. Bonum verò certamen certantibus pacatiſſimum fructum in futuro exercitatis in iuſtitia dabit princeps pacis æternæ, conſignans ſibi in beatitudine, quorum communicauit naturæ. Ipſi gloria & imperium amodo & vſque in ſempiternum, Amen.

Nota virginitatis prærogatiuam.

S. ZENONIS EPISCOPI
Veronenſis in eodem feſto. Sermo 1.

CHriſtus mundum latenter intrauit, ne ſibi ſapiens diabolus videretur. Qui conſilio hominem deceperat, conſilio vincitur. Vt quomodo homo in paradiſo non cognouerat diabolum, ſic & diabolus in ſeculo non facile cognoſceret Chriſtum.

EIVSDEM IN EODEM
feſto. Sermo 2.

LIcet ſectæ ſint plures, quæ iniuriam Chriſti fabulari nitantur: tamen tres ſunt quodammodo principales, è quibus duæ eius, quem cupiunt deprauatum, ſimulant ſe eſſe cultores. Vna namque aſſerit Ieſum Chriſtum ab vtero virginis Mariæ ſumpſiſſe principium, Deúmque exinde ob iuſtitiam factum eſſe, non natum. Alia modeſtius, ſed mordacius nocens, dicit quidem Dei filium Deum, ſed non ex patre nobilitatis, * perpetuitatis progenitum: fuiſſéque tempus quando non fuit. Tertia Iudæa eſt vere cæca: quæ cum in lege (vt dicere ſolet) ſua legat vbique duas patris, & filij deſignari perſonas: tamen nunc vſque contendit, Deum filium non habere. Quibus omnibus exempla, vel ratio, quam perſecuturi ſumus argumentationis totius vno iſtu omnes neruos abſcindet. Quapropter duas eſſe natiuitates domini noſtri Ieſu Chriſti, neceſſario ſcire debet populus Chriſtianus, ne quem patiatur errorem: vnam, qua natus eſt; alteram, qua renatus. Sed ſicut eſt ſpiritualis prima ſine matre, ita ſine patre ſecunda carnalis. Hæc miranda, inenarrabilis illa, propheta dicente; Natiuitatem eius quis enarrabit? Cur autem ſit inenarrabilis, patre loquente noſcamus, dominus ipſe nos edocet. Eructauit inquit, cor meum verbum bonum &c. & apud Salomonem hactenus dicens; ego ex ore altiſſimi prodiui ante omnẽ creaturam. Cum hæc ita ſint, humanitas te verſuta cognoſce vel ſero: & intemperanti linguæ ſilentij frenos impone. Dementiæ

**forte perpetuitate.*

genus

genus eſt inuiſibilis, incomprehenſibiliſque vel opinati ſecretum, eiuſque interna diſcutere, cuius extrania nequeat ſuſpicari. Quia Deus hoc eſt, quod eſt: quod vero homo definiendum putauerit, non eſt: Nam & Iohannes apoſtolus in euangelio, quid prædicet, fratres, accipite. In principio, inquit, erat verbum: & vetbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Admirabilis gratia, fratres dilectiſſimi, cõſpicuæ veritatis: quæ dum ſe cerni poteſt, tamen ſibimet externá eſſe non poteſt. Si enim verbum in Deo eſt, & Deus eſt verbum, & hoc eſt, in quo eſt, quod ille eſt, qui ineſt, duplex perſona, duplex vocabulum: ſed originalis perpetuitatis, ac deitatis eſt vna ſubſtantia, domino ipſo dicente, ego & pater vnum ſumus. Quod non vtique ſic ait, vt in vnum duos redigendo, confunderet; ſed vt duorũ vnam diuinitatis, poteſtatiſque eſſe omnipotentiam nos doceret. ſequitur ac dicit, omnia per ipſum facta ſunt: ac ſine ipſo factũ eſt nihil. Videamus nunc, optime Chriſtiane, quemadmodum inter patrem, filiumque tempus inſulciat. Si enim tempori, non ſibi debent, quod eſt alter alteri obnoxius, proculdubio, vt tu vis, maior eſt natura, q̃ Deus. At cũ naturam ex nihilo fecerit Chriſtus, ſit autem ex natura tẽpus; ineptum ſatis eſt, opus ſuo præponere artifici: ac per hoc ſolum intereſt, quòd ſe ſoli ſeſciunt. Denique apud Iſaiam ad filium ſic dicit dominus Deus ſabaoth; fatigata eſt Ægyptus, & mercatus Æthiopũ: ex Saba viri excelſi ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui: & ſequẽtur te alligati compedibus, & adorabunt te: & in te precabuntur: quoniam in te Deus eſt: & non eſt Deus alius præter te. ſed & Hieremias eodem ſpiritu loquitur dicens; Hic eſt Dens noſter: & nõ deputabitur Deus alius abſque ipſo. Qui adinuenit viam prudentiæ, & reuelauit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi. Poſt hęc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Qua in ſpecie ſpirituſancto loquente noſcamus, & homo eſt, inquit, & quis cognoſcit eum? Si ita eſt: quomodo ergo poſſet agnoſci, prodidit Iſaias his verbis; Audite itaque domus Dauid. Num puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem? propter hoc dabit Deus vobis ſignum: ecce virgo in vtero accipiet: & pariet filiũ: & vocabitur nomen eius Emanuel: Butyrum, & mel manducabit: priuſquam cognoſcat puer bonum, aut malum. Quod ſignum ex prodromi quoque eius deſignatione delucidauit, alio loco his verbis, Ecce mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit viam tuam. Quis eſt iſte angelus, fratres, niſi Ioannes baptiſta, cuius eſt præparatio? Vox clamantis in deſerto. Parate viam domini: rectas facite ſemitas, Dei noſtri. Nunc videamus quæ conſequuntur. Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt, vna contra ſpẽ, altera verbo: Hęc miratur ſe habere, quod neſcit: lætatur illa quia ſcit? Eliſabeth ſterilis fecunditate tumet feliciter vẽter; Mariæ maieſtate. Illa præconẽ portat; hæc Iudicem: exultate, fœminæ, promotionẽque veſtri ſexus agnoſcite. culpa deleta veteri, ecce per vos iungimur cælo. Anus enim peperit angelum: & Virgo Deum: Hic eſt Deus noſter, qui dignitate interim ſepoſita, non tamen poteſtate, amore hominis ſui, cuius formã fuerat ſubiturus, & creaturã, vt angelus, homo, puer, ſpõſus, gigas, crucifixus, ſepultus, primogenitus à mortuis diceretur. Hic eſt inquam, qui in omnibus omnia eſt: quoniam per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Nec vos moueat, fratres, ſecularis ac vere puerilis inconſideratorum hominum diſputatio: qui ideo iuſtum patiuntur errorem, quia Chriſtum non ex Deo conſiderant hominem factum, ſed ex homine. Cæterum ſi ſpiritaliter ſaperent, in ipſo quod infirmiſſimum putant, hoc potiſſimum prædicarent: etenim vere perfectus Deus non eſſet, ſi eſſet aliquid, quod eſſe volẽs, eſſe nõ poſſet. Deniq; vultis ſcire compendio veritatem? factus eſt quod non erat, nec tamẽ deſiuit eſſe, ante quod fuerat.

EIVSDEM DE EODEM *feſto. Sermo.* 3.

INſuſpicabilis ſecreti, reuerendæque maieſtatis vera cognitio eſt, Deum non noſſe niſi Deum: nihilque ex eo amplius requirendum: quam vt quis eius nouerit voluntatem, ſine qua ei nec legitime ſeruire poterit, nec placere. Cęterum prouidentis Dei de Deo argumentationibus vanis opinari velle diſpoſitum, non colentis eſt, ſed dementis: maxime ſi Deus, vt contentioſi putant, diſpoſitioni ſubiaceat. Remotis enim paulisper nominibus patris, & filij, non potes noſſe vter patiatur iniuriam, niſi quod ambo patiuntur: quia amborum vnum nomen eſt Deus. Igitur duas natiuitates eſſe domini noſtri Ieſu Chriſti rudis aut negligens diſce, Chriſtiane, ne quo decipiaris errore. Vnam quam tibi nõ licet quærere, alteram. quam, legitime ſi poſſis, permitteris edocere. Prima itaque natiuitas domini noſtri in patris, & filij tantum conſcientia manet: nec quicquam habet interiectum, neque conſcium, qui ex paterni oris affectu proceſſit vno conſenſu. Secunda vero carnalis ſicut eſt frequentibus oraculis prædicta, ita inuenimus eſſe completã. etenim Deus Dei filius tempore conſtituto, diſſimulata interim maieſtate ab æterna ſede profectus in prædeſtinatæ virginis templum ſibimet caſtrametatur, quibus latenter infunditur in hominem gigniturus, ibidẽque ſaluo, quod erat, meditatur eſſe, quod non erat. Mixtus itaque humanæ carni ſe fingit infantem: Mariæ ſuperbus emicat venter, non muliere coniugali ſed fide, verbo, non ſemine, decẽ menſium faſtidia neſcit: vtpotè quæ in ſe creatorem mundi concepit, parturit non dolore, ſed gaudio. Mira res, exultans exponit infantem, totius naturæ antiquitate maiorem. Interea rudis non gemit fœta: non mundum, vt aſſulet, infans fuſus ingrediens, ſponte vitæ reptantis pręuiis lachrymis auſpicatur. Non mater eius tanti partus pondere exhauſta, totis pallens iacuit reſoluta viſceribus: nõ filius matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus. Neque enim re vera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ ſunt tarditate periculoſę: nulla puetum maternorum viſcerum proſequuta ſunt dãna. Nulla adhibita rudi fœtæ ſueto more fomenta. Neque enim, fratres, his poterat indigere: quæ accipere in vterum meruerat filium animarum omnium ſaluatorem. ô magnum ſacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit: poſt conceptũ Virgo peperit: poſt partum Virgo permanſit. Obſtetricis incredulæ periclitantis enixa in teſtimo- *Alludit ad f[illegible] quia habetur in*

libro Apocrypho de infantia ſaluatoris.

nium reperta eidem eſſe virginitatis, incenditur manus: qua tacto infante, ſtatim edax illa flāma ſopitur: ſicque illa medica feliciter curioſa diu admirata mulierem virginem: admirata infantem Deum, ingenti gaudio exultans, quæ curatum venerat, curata receſſit. Ita Chriſtus in hominem ſe facit naſci, quemadmodum homo nō poteſt naſci. Totum denique ſua luce reſplendens corpus ſine vmbra geſtabat: humilis carne: ſed excelſus omnipotentiæ maieſtate. Qui ſane ideo carnem eſt dignatus induere, vt nemo ſe poſſit per carnem, cum iudicij dies venerit, excuſare.

EIVSDEM IN EODEM *feſto. Sermo. 4.*

SEcundū quod Deus ſuos promiſerat per prophetas filium ſuum ſaluatorem generi humano ſe eſſe miſſurum, commodum tempore maturo diuinitatis interim dignitate depoſita, non tamen poteſtate, cælo egreſſus metatura prædicta, ſacrario templi virginalis hoſpes pudicus illabitur: ibidemq́; qualis velit eſſe, diſponit: imo quod iam olim diſpoſuerat, complendum lateret aſſumit. Namque requieſcit libens florentiſſimo in domicilio caſtitatis: & in viſceribus ſacræ Virginis comparat ſibi corpus ſuo iudicio naſciturus. In hominem coaptatus, integumēto carnis includitur Deus: humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præſtat temporibus æternitatem. Mira res. Concipit Maria de ipſo, quem parit, tumet vterus maieſtate, non ſemine; capitque Virgo quē mundus, mundique non capit magnitudo. Interea promouent ſuum membra factorem: & opus ſui figura veſtit artificem. Parturit Maria, non dolore, ſed gaudio; naſcitur ſine patre filius: non totus matris, ſibi debens quòd cōceptus eſt, donans matri, quòd natus. Quæ principaliter ſtupet talē ſibi filium prouenisſe, qui ex ſe natus non crederetur: niſi quia ſicut fuit Virgo incorrupta poſt conceptum, permanaret talis quoque poſt partū; ô noua ratio! Amore imaginis ſuæ coactus in infantem vagit Deus patiturque ſe pannis alligari qui totius debita venerat ſoluturus: In ſtabuli præſepe deponitur: populorum paſtorem, pabulumq; ſe eſſe conteſtans. ſubiicit ſe gradibus ætatis: cuius æternitas in ſe non admittit ætatem. Totum contra conſcientiam ſuam vt homo infirmus patitur vt homini mortis lege conſumpto immortalitas tribuatur. Hęc eſt enim poteſtas Dei: vt ſaluo, quod eſt, poſſit eſſe, quod non eſt: Hic eſt Deus noſter æterni Dei coæternus filius. Hic & homo, & Deus: quia inter patrem, hominesque aſtitit medius: probans infirmitatibus carnem, & virtutibus maieſtatem. Hic ſol noſter, ſol verus: qui clariſſimos ignes mundi geminos aſtrorum candentiumque polorum claritatis ſuæ de plenitudine accendit. Hic, qui ſemel occidit, & ortus eſt, rurſum numquam repetiturus occaſum. Hic, inquam, quem duodecim radiorum, id eſt, apoſtolorum duodecim corona circundat, quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia, ſed ſalutiferis prædicationibus quatuor circunferunt euangelia: Cuius quam vim habeat amictus, & currus: his verbis propheta teſtatur, Deus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus eius retribuere in ira vindictam. Amen.

S. BASILII EPISCOPI *Cæſarienſis in idem feſtum Homilia.*

CHriſti generatio propria, ac præcipua diuinitas eſt, quæ quidem ſilentio magis ac fide veneranda, quam diſputatione aliqua noſtra ſeu curioſitate veſtiganda. Ibi enim nec tempus, neque æuum intercedit neque item modus intelligitur, nec ſpectator adfuit, nec eſt qui exponat, quomodo mens aliquid imaginabitur? quomodo mentis cogitationibus lingua famulabitur? Pater erat & filius eſt genitus. Ne dicas, quando: ſed negligé hác quæſtionem. Ne quæras, quomodo: Eſt enim hic impoſſibilis reſponſio. Nam, quando, tempus habet: Quomodo verò ad modos corporeos imaginationem quandam. Dicere poſſum è ſacris voluminibus, quod ſplendor gloriæ, & imago ex archetypo ſit. Veruntamen, quoniam nec ratio, nec cogitatio talibus renonationis verbis tuæ curioſitati ſatisfacit, ad ineffabilē incōprenſibilémque gloriā confugio, & fateor indeprehenſum, ac verbis humanis inenarrabilem diuinæ generationis eſſe modum. Caue autem dicas, ſi genitus eſt, ergo aliquando non erat. Nec aut verborum prauitate, aut cogitationis ineptæ vanitate committe, vt huiuſcemodi ſermonibus manifeſtæ veritati aduerſando, ſacram inquines, & euertas theologiam. genitus eſt, inquam, vt eius principium & cauſam nō vt tempore inferiorem oſtendam. Mens tua in temporum ac ſeculorum cogitatione non euaneſcat vt ea filio priora exiſtimes, quæ nunquam fuerūt aut erunt. Quomodo enim creata, ipſorum conditore fuerunt priora? verum ego quod ab initio vitabam, in hoc verborū conſequentia quadam compulſus ſponte incidi. Illius igitur æternæ ineffabiliſque generationis rationes relinquentes, id omnino cogitemus quod mens res iſtas comprehendere nequeat, & ſermo quoque huiuſmodi cogitata exprimere haud quaquam poſſit. Conſiderandus itaque eſt, quātus ſit à veritate ad ſermonem vſque delapſus. Enimuero mens quæ ſunt natura indeprehenſibilia attingere nequit. Sermonis item naturam adæquantem ea quæ quomodocunque inuenta ſunt, inquirere, impoſſibile eſt. Nec mirū. Deus enim in terra eſt, Deus inter homines verſatur, non per ignem, tubam & montem fumantem, vel per turbinem, & nubem & tempeſtatem, animas auditorum legem ferendo perterrens, ſed proprio corpore cum hominibus cognatis pie conuerſans, ac differens. Deus inquam, in carne, non ex interuallo agens, ſicut in prophetis, ſed coniunctam ſibi humanitatem retinens, per carnem ſuam noſtræ cognatam ad ſe traxit humanitatem ſed quonam, modo per vnum, inquis, ad omnes ſplendor? quomodo in carne diuinitas? Quemadmodum ignis in ferro, non ex progreſſu ſed ex participatione. Non enim in ferrum ignis currit, aut accedit: verum in loco remanens, ſuarum particeps virium ferrum reddit: cúmque ſe totum illi communicet, nihil propterea de ſua natura, nihil de ſuis amittit viribus. Sic & Deus verbum, nihil ex ſeipſo commotus, cum noſtram accepit humanitatem neque item conuerſationem commutationemque aliquam ſuſtinuit. Et verbum caro factum eſt. Nec propterea cælum ſuo continente deſertum, & terra nihilominus

hilominus ſinu ſuo cæleſtem recepit. Nec tu itaque motum, aut deſcenſum diuinitatis meditaberis. Non enim vt corpus, de loco ad locum migrat. Neque item diuinitatem in carnem commutatam imaginabere. Nã quod immortale eſt, id & incõmutabile eſt: Quomodo igitur, inquis, Deus verbum humana fragilitate non eſt correptus, aut inquinatus? Facile reſpondemus. ſicuti & ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum quidem ferrum, ac frigidum eſt: attamen ignitum ac candens, ignis formam ſubit. Et quamquam ex eo ſplendens, ignẽ tamen ſua nigredine non inficit, Itemque ardens flammam ſua frigiditate non deſtruit aut tollit, ſic & humana domini caro, ita particeps diuinitatis facta eſt, vt propria fragilitate illam minime contaminauerit. ſed quanquã ex humana debilitate hac vti ſimilitudine neceſſe eſt: ne tamẽ hunc ignẽ diuinitati omnino ſimilem imaginare: cum is qualitates recipiat, illa nihil omnino patiatur. Quod ſi quęris, quomodo mortalis naturæ ob Dei coniunctionem communionémque immortalitatem induerit. Diſce myſterium: Ex hoc enim Deus in carnem venit, vt inſitam carni mortem interficeret: Nam ſicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfuſum, omne ſuperat noxium ac letale: itemque vt in domo aliqua tenebræ luminis aduentu diffugiunt ac pereunt: ſic mors in natura dominans humana diuinitatis præſentia diſparuit. Velut etiam in aqua glacies tãtum humido dominatur, quantum nox vmbraque durant, ſolis verò calefacientis radiis ſubito liqueſcit: ſic demum mors vſque ad Chriſti aduentũ imperauit. Poſtquã vero Dei gratia ſalutaris omnibus apparuit, & iuſtitiæ ſol ortus eſt: abſorpta eſt mors in victoriã, & verę vitę peregrinationem nequaquã ſuſtinuit. O altitudinem, benignitatis humanitatiſque Dei! ex bonitatis copia à ſeruitute vendicamur. Sed cur Deus homo factus eſt, rationem exquirunt homines: cum magis eius bonitatem adorare deceat, quam diuinitatem curioſius indagare. Quidnam tecum agendum homo? In ſublimi Deum agentem minime quærebas: ad te verò per carnem venientem, & tecum conuerſantem non recipis. Sed quomodo Deo familiaris fias, rationem quæris? Hanc itaque diſce. Carnem ſuſcepit Deus, quoniam execrabilem contaminatamque hanc, purgatam ſanctamque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ab peccata alienatam conciliari, è paradiſo excidentem in cælum referri: & quæ eſt diſpenſationis huius officina? virginis beatæ corpus. Quæ autem generationis principia? Spiritus ſanctus virtuſque altiſſimi obumbrans. Sed ipſa, quæſo, Euangelij verba parumper audi: Cũ eſſet, inquit, Maria mater ipſius deſponſata Ioſeph, priuſquàm conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Et virgo erat, & viro deſponſata, & apta coniugali officio obeundo putata, vt & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur. Virginitas enim, vt apta proximáque ſanctitati electa eſt. Per deſponſationem vero nuptiarum initia expreſſa ſunt. Simul autem vt & Ioſeph domeſticus puritatis Mariæ teſtis eſſet: & ne propterea calumniatoribus illa foret obnoxia, vt virginitatẽ commaculans, ſponſum habuit, vitę ſanctę cuſtodem: ſed poſſum & aliam huius rei rationem reddere, priore non admodum inferiorem, videlicet quòd aptum ad incarnationem dominicam tempus, iam diu inde à mundi conſtitutione promiſſum atque ordinatum tunc venerat: ex quo ſpiritum ſanctum & altiſſimi virtutem, deipatam illam conſtituere carnem oportebat. Quoniam vero ea tempeſtate nulla puritate par Mariæ virginitas, inter homines ad effectum ſancti ſpiritus excipiendum eſt reperta, & illa iam deſponſatione erat occupata, electa eſt beata virgo, ita vt nihil detrimenti ex deſponſatione acceſſerit virginitati. Affertur & alia ratio à quodam ex antiquis. Vt Mariæ virginitas, ſeculi huius principem diabolum lateret, nupta Ioſeph fuit: vt nuptiarum nomine ſuſpenſus facilè deciperetur. Virgines namque in primis obſeruabant, quarum vnam parituram ex Propheta cognouerat, dicente Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Virginitatis igitur inſidiator, obſeruatorque ſub matrimonij ſpecie factus ignorans, à malignitate abſtinuit. Sciebat enim ſuum imperium ob dominicam carnis generationem perditum iri. Itaque priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Vtrumque Ioſeph reperit, & cõceptionẽ, & cauſam è ſpiritu ſancto. Quamobrem hæc ignorãs ab initio, talis nominari vxoris maritus metuens, voluit eam occulte dimittere, verens patefacere quæ circa ipſa acta fuerant. Verum quoniam vir iuſtus erat, ex Deo myſteria noſſe meruit. Igitur hæc eo cogitante, ecce angelus domini apparuit ei, dicens; Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Nec illud cogites quomodo abſurdis ſuſpicionibus peccatũ obſcures: eſt enim iuſtus appellatus. Viro iuſto non competit ſilentio facinora obtegere. Ne metuas accipere Mariam coniugem tuam, oſtendit, quod illam non ſit abominatus, nec moleſte tulerit: ſed quod eã metuerit, vt ſpiritu ſancto plenam. Quod in ipſa eſt, de ſpiritu ſancto eſt; Hinc enim deprehendi licet quòd non ſecundum cõmunem modum carnis conſtitutio domino fuit. Conceptum nanque illico perfectum fuit, non per interualla paulatim, vt planè verba declarãt. Nõ enim dicit, quod in ea conceptum eſt: ſed, quod in ea natum eſt: In ſanctitate nanque caro conglutinata, digna quidem vnigeniti diuinitati coniungi fuit. Pariet filium, & vocabis nomen eius Ieſum. In quo illud obſeruandum, quod vbi de induſtria nomina ponuntur, ſubiectam oſtendunt naturam: vt Abraham, Iſaac, Iſrael: Horum enim quodlibet non magis corporis characterem quendam, quàm virtutis ſalutaris proprietatem oſtendit. Hac ratione, & nunc Ieſus ſeruator appellatur, id eſt, ſalus populi, quod myſterium & ante ſecula ordinatum, & olim per prophetas prædictũ iam manifeſtum habet exitum: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus, Hæc item appellatio, omnis penitus myſterij declarationem retinet, quod Deus inter homines adſit: quoniam nominis interpretatur naturam, Nobiſcum Deus. Cauendum inter hæc omnino, ne in perfidiam infidelitatémque incidas Iudaicam, qui affirmãt, non virginem, ſed puellam à propheta vocari: Ecce enim, inquiũt, puella concipiet. Primum quidem abſurdiſſimum eſt omnium & ineptiſſimum, à Domino, ad dari ſignum tanti myſterij, quod naturæ commune ſit omni. Quid ait propheta & adiecit dominus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi

Sumpta eſt hac ratio ex S. Ignatio.

ſignum in profundum, &c. Et dixit, non petam, neque tentabo dominum. Deinde paulopoſt ait: Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum Ecce virgo concipiet & pariet. Quoniam vero non petierat ſignum, nec in profundum, nec in ſublime vt cognitum eſſet, quod qui deſcendit ad inferiores partes terræ, idem & ſuper omnes cælus aſcenderet, Ideo ipſe dominus ſignum dedit: ſignum autem non vulgare, neque commune, ſed extraordinarium & prodigioſum ac valde communem excedens naturam, virgo videlicet & mater & in virginitate ſancta perſeuerans, gloriam nihilominus ac benedictionem pariendi ſortita: ſi qui tamen interpretati Hebraicam vocem pro virgine puellam reddiderunt, nihil ſanè noſtræ rationi officiunt. Inuenimus namque in ſacris voluminibus, ſæpe puellam pro virgine vſurpatam, vt in Deuteronomio: ſi quis inuenit filiam virginem, quæ nupta non fuerit, & aliquis eam violauerit, cum eaque cubauerit, & deprehenſus fuerit: det ille qui cum virgine dormiuit patri puellæ drachmas quinquaginta. Excitatus autem Ioſeph, accepit vxorem ſuam cũ affectu, dilectione, & omni diligentia domeſticos concernente pro vxore illam habuit, à nuptialibus verò congreſſibus abſtinuit. non enim cognouit eam, inquit, donec peperit filium ſuum primogenitum. Hoc verò nunc ſuſpitionem generat, ne forſan, poſteaquam puritate ſua generationi dominicæ per ſpiritum ſanctum adminiſtratæ ſeruiuit, tunc demum nuptialia opera viro Maria non negauerit. Nos verò licet nihil hoc doctrinæ pietatis officeret (nã donec diſpenſabatur Chriſti generatio, neceſſaria erat virginitas) quid verò poſtea ſic factũ, ad myſterij huius doctrinæ non anxiè coniungendum eſt. Veruntamen ne hoc eorum, qui Chriſtum amant, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando deſierit eſſe virgo, has rationes ſufficere putamus. Ad hoc quidem quod dicit & non cognouit eam, donec filium ſuum primogenitũ peperit, illud dicimus, quod, donec, & ſi temporis alicuius terminum circumſcribere videtur, verè tamen infinitum aliquod præ ſe fert. Sic & à domino verbum hoc memoratur: Ecce, inquit vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Poſt ſeculum dicere, non erat neceſſe. Non enim cum ſanctis vnquam dominus eſſe deſinet. Nec præſentium promiſſio, futurorum eſt exceptio. Eodem fermè modo, & nunc illud, donec accipitur. Quod verò dictum eſt, primogenitum, primogenitus non omnino ad ſuccedẽtem prolem comparationem habet: Omne adaperiens primum vuluam, primogenitum vocatur. Quod autem Maria, perpetuo virgo remanſerit, etiam Zachariæ declarat hiſtoria quædam, quæ ex traditione ad nos vſque peruenit. Zacharias enim, Mariam poſt domini conceptionem in virginum loco conſtituens, à Iudæis inter templũ, & altare, interfectus eſt. A populo nanq; accuſatus quod rem prodigioſam, inauditamque prædicaret, virginẽ videlicet parientem, citra virginitatis corruptionem. Ieſu igitur nato in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Gens perſicum Magi, incantationibus & magicis, & naturalibus quibuſdam effectibus, aſtronomiæque & rebus ſublimibus vacabant, Eiuſdem ferè magicæ Balaam ille videtur fuiſſe, qui, à Balaac miſſus, vt verbis quibuſdam populo Iſrael malediceret. Qui & in quarta parabola talia de domino dicit: Homo videns & audiens verba domini, qui nouit altiſſimi doctrinam & viſiones omnipotentis vidit, qui dormit apertos habens oculos: Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non propè: Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo ex Iſrael. Quoniam igitur aſtrum ortum, naturæ prodigiũ habuerunt: ſciſcitari Magi decreuerunt, quisnam homo ex Iſrael exurgeret, Quamobrem Iudææ locum veſtigantes, ex antiquo vaticinio in ciuitatem venerunt, interrogantes, vbinam eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? forſan, & per aduentum domini aduerſariam poteſtatem iam debilitatam irritata ſua energia ſentientes, magnæ virtutis teſtimonium nato attulerunt. Ex quo puerũ tandem inuentum, cum donis adorauerunt. Hic cõtẽplator, vt Magi alienum à Deo genus & à teſtamentis gens peregrina, primũ adoratione dignati ſunt, quod ex inimicis teſtimonia longè præſtãtiora fidéque digniora eſſent. Si enim Iudæi primum adoraſſent, ſuum ipſorũ genus ornaſſe extuliſſeque forſam putarentur. Nunc autem alieni, vt Deũ prius honorauere, vt iuſto in eos animaduerteretur iudicio, qui illum cruci affixerunt, quem alieni adorauerunt. Sed quando motibus cæleſtibus ſtudebant, non fruſtra inter cæleſtes obſeruationes prodigium ſunt contemplati, ſtellam videlicet nouam, ac minime conſuetam, in dominico natali effulgentem. Cuius ſanè ortum, nemo in aſtrologiæ rationem computationemque trahat. Qui enim ex aſtris iam exiſtẽtibus geneſim inſpiciunt, aliquã talem cæli figurã horoſcupãtem cauſam cuique euentuum eſſe affirmant, Hic vero nulla ſtella ex his quæ iã ſunt, dominicã natiuitatem ſignificauit. Neque enim iſta ex aliarũ numero fuit. Nã, quæ ab initio orbis creatæ ſunt, omnino immobiles exiſtunt, aut certè cõtinuo mouentur. Quæ & ſtat, & mouetur, vtrũque habere videtur. In illis quæ ſunt, aliæ obfirmatæ nunquã mouentur, aliæ verò errantes nunquam conſiſtunt. Hæc verò de qua loquimur, vtrumque habuiſſe palam eſt & motum & quietẽ. Ex quo nullam cum cæteris habuiſſe rationem, aut naturam apparet. Mota in primis eſt ex oriente in Bethleem: conſtitit autem ſuprà, vbi erat puer. Idcirco ex oriente Magi excitati, ſtellam ſunt ducem ſecuti, venientes autem Hieroſolymam, totam vrbem aduentu ſuo turbarunt, & regi Iudæorum metum addiderunt, de Iudæorum rege nuper nato percunctando quem tandem reperientes, donis honorauerunt, auro, thure, & myrrha. Nimirum Balaam vaticinium ſequi ſunt viſi, qui de Chriſto, talia viſus eſt dicere: Accumbens dormiuit vt leo, & quaſi pullus leonis, quis ſuſcitabit eum? qui benedixerit tibi, erit benedictus: & qui maledixerit, in maledictione reputabitur. Per leonem enim eius imperium ſermo demonſtrat. Per accubitũ vero ſupplicium. Per benedictionis virtutem, eius diuinitatem. Igitur vaticinium hoc ſequentes, vt regi aurum, vt morituro myrrham, vt Deo thus obtulerũt. Neque item illud ſuperuacaneum fuit, contra eos dicere qui affirmant hoc aſtrum cælo apparens, cometis ſimile fuiſſe, qui regum ſucceſſiones & imperia noua portendere videntur. Verum cometæ immobiles continuò ſunt, & in vna tãtum cæli accenſi parte circumſcripti: Præ-

terea

terea cometarum diuerſa genera & appellationes: trabeales, bothyni. Figuræ autem diuerſę, & cuique ſua appellatio eſt. Omnium vero generationis eadem eſt cauſa: Quum inundans circa terram aer, in ſerenam cæli partem diffunditur, quaſi materiam quandam igni cæleſti prębens ſordium videlicet & humorum terreſtrium craſſitudinem, ad ſuperiora tractam atque inflammatam, talis ſideris criniti apparentiam facit. Hoc verò ſidus vbi Magos ad inquirendam domini geneſim permouit, rurſus diſparuit, donec ipſis dubitantibus, ac ſuſpenſis, iterum in Iudæa ſe manifeſtauit. Ex quo ſatis oſtenditur, alicuius gratia ſeparatim hoc aſtrum eſſe factum, ac vt alicui ſeruiret, famularetúrque: quòd ſanè ex re ipſa deprehendimus ſtetit, inquit, ſupra vbi erat puer: Magi vero videntes, gauiſi ſunt gaudio magno. Nos etiam in cordibus noſtris item gaudium ſuſcipiamus. Hoc, inquam gaudium & angeli paſtoribus nuntiant: cum magis quoque adoremus: cū paſtoribus item Deum laudemus, cum angelis denique canamus, choreáſque lęti ducamus, quod eſt hodie nobis ſeruator natus, Deus ac dominus Ieſus Chriſtus. Apparuit autem nobis, non Dei forma, ne quod erat debile perterrefaceret, ſed in forma ſerui, vt quod erat ſeruile, liberaret. Quis itaque tam animo ignauus, quis ita ingratus? vt non hodie lætetur, non exultet, non præſentia ſolennia omni animi hilaritate ſuſcipiat? Feſtum hoc ingens, ac nouæ creationis, vbi cæleſtia archangelos ad Zachariam Mariamque mittunt: ac choros angelorum conſtituunt dicentium, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Aſtra è cęlo mouentur. Magi ex gentibus properant. Terra in ſpelunca lucem recepit. Nemo ſit non lætus, nemo ingratus. Nos quoque cum his lætitiam voce, geſtuque exprimamus. Noſtrum hoc eſt feſtum, Theophaniam appellamus, in quo mundi ſalutarem concelebramus diem: domini natalem hodiernum piis mentibus concelebremus. Hodie namque Adami maledictio ſoluta. Non eſt quod amplius dicamus: Terra eſt, & in terram reuerteris: ſed cæleſti coniunctus, in cælum aſſumeris. Non eſt vt iam dicatur. In doloribus paries filios. Beata enim quæ Emanuel peperit, & vbera quæ lac præbuerunt. Natus eſt nobis filius & datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius. Cor mihi floridum quid germinat, mens eſt alacris, lingua vero modica & ſermo exilis eſt, ad hoc vt tantum gaudium exprimat. Cogita de incarnatione domini magnifice. Intellige diuinitatem eſſe intactam & immaculatam, quæ & ſi in materiali ſit natura, ita illi ineſt, vt eius imperfectum fragiléque corrigat: non autem vt ipſa paſſionum debilitate inquinetur. Nonne ſolem conſpicis in luto ſe volutantem, minimeque contaminantem & ſuper cœno coruſcantem, minime tamen fœtidum aliquid referentem? Itaque contrario modo magis eorum quæ diutius contingit, putredinem exiccat? Quid igitur dubitas de immenſa incorruptaque natura, ne aliquam ex nobis maculam contraxerit? Hac enim de cauſa natus eſt, vt nos eiuſdē generis expiaret: propterea, inquam, Ieſus creuit, vt familiaris Deo fieres. O Dei bonitatem altiſſimam! ob beneficiorum excellentiam ei qui benefecit, minimè credimus: ob eius ingentem humanitatem ad ſeruitutis iugum ducimur; ô abſurdam, & prauam ingtatitudinem!

Ianuaij Græcorū menſe, qui eodē die Chriſti natalē. & Magorū adorationem celebrabant.

Magi adoratum veniunt: Et chriſtiani curioſius quęrunt, quomodo in carne Deus ſit, & quali carne, & an aſſumptus homo perfectus ſit, an imperfectus. Taceāt curioſi & in eccleſia Dei ſupervacanea veſtigare deſiſtant. Laudentur quæ nobis cōcredita ſunt: ac de quibus ratio omnino nō redditur, ne veſtigentur; Illis te coniunge, qui è cælo cum gaudio Chriſtum recipiunt. Cogita paſtores in diuinis laudibus ſapientes factos, ſacerdotes prophetantes, fœminas collętantes. Quando Maria gaudere docta eſt, ac iuſſa ab angelo Gabriele: Quando Elizabeta Ioannem in vtero exultantem ſenſit: Anna propheteſſa euangelizauit, Symeon in vlnas accepit, in exili infante magnum Deum adorantes, non quod videbant contemnentes, ſed diuinitatis ipſius amplitudinem glorificātes: pellucebat enim diuinitas per humanū corpus, perinde atque lux quædam, per vitream capſulam, eos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant. Cum quibus & nos vtinam annumeremur, domini gloriam reuelata facie contemplantes, vt & nos quoque à gloria in gloriam trāsformemur. Ipſi autem ſit honor & imperium in æterna ſecula, Amen.

S. GREGORII NAZIANZENI

Epiſcopi in eodem feſto oratio Panegyrica Iacobo Billio interprete.

CHriſtus gignitur, glorificate: Chriſtus è cęlis, obuiam prodite: Chriſtus in terra, ſubnec timini. Cantate Domino omnis terra. Atque vt hæc duo in vnum contraham, Lætentur cæli, & exultet terra, nimirum propter cæleſtem, ac deinde terreſtrem. Chriſtus in carne, tremore & gaudio exultate, tremore propter peccatum, gaudio propter ſpem. Chriſtus ex Virgine, mulieres virginitatem colite, vt Chriſti matres ſitis. Quis enim, qui à principio eſt, non adoret? quis eum, qui poſtremus eſt, non laudet ac celebret? Rurſus tenebræ depelluntur, rurſus lux creatur, rurſus Ægyptus tenebris vexatur, rurſus Iſraël columna illuſtratur. Populus qui ſedebat in ignorantiæ tenebris, magnam cognitionis & ſcientiæ lucem inſpiciat. Vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua. Litera loco cedit, ſpiritus ſuperat, vmbræ prætereunt, veritas ingreditur. Melchiſedech colligitur, qui ſine matre erat, ſine patre efficitur, priùs quidem ſine matre, pòſt autem ſine patre. Naturæ leges euertuntur: ſupernus mundus implendus eſt. Chriſtus iubet, ne obnitamur. Omnes gētes plaudite manibus. Quoniam paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius. Cum cruce etenim extollitur, ac vocatur nomen eius, magni conſilij, hoc eſt, paterni angelus. Clamet Ioannes, Parate viam Domini, ego diei vim potentiámque clamabo. Carnis expers incarnatur, Verbum craſſeſcit, inuiſibilis cernitur, intractabilis contrectatur, temporis neſcius principium capit, Dei filius hominis filius efficitur, Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem & in ſæcula. Iudæi offendantur, Græci derideāt, hæretici linguæ prurigine afficiantur. Tum credent, cùm in cælum aſcendentem viderint: quòd ſi ne tum quidem, at certè cùm è cęlo deſcendentem, ac pro tribunali ſedentem perſpexerint. Verùm hæc poſterius. Nunc autem Theophaniam ſiue Natalitia

Pſal. 95.

Eſa 9.

Pſal. 46.

Eſa. 9.

Hebr. 13.

celebra

celebramus, vtroque enim modo appellatur, duobus ſcilicet nominibus vni eidémque rei impoſitis. Deus enim per natiuitatem hominibus apparuit, alterum quidem iam exiſtens, & quidem ſempiternè ex ſempiterno, ſupra cauſam omnẽ ac rationem (neque enim cauſa vlla Verbu ſuperior erat) alterum noſtræ ſalutis cauſa poſtea factus, vt qui vitam dederat, idem quoque beatam vitam afferret: vel potius vt nos per peccatum à beata vita delapſos, ad eandem rurſus incarnatione ſua reuocaret. Theophania autem ob eam cauſam hoc feſtum appellatur, quòd apparuerit: Natiuitas verò, quòd natus ſit. Hoc feſtum noſtrum eſt, hoc hodierno die celebramus, Dei nimirum ad homines acceſſum, vt ad Deum proficiſcamur, aut, vt aptiori verbo vtar, reuertamur, abiectóque veteri homine nouum induamus, & quemadmo-

Coloſſ. 3. 1 Cor. 15. Rom. 6. dũ in veteri Adamo mortui ſumus, ita in Chriſto viuamus, vnà cum eo naſcentes, vnà cruci affixi, vnà ſepulti, vnà reſurgentes. Præclara enim viciſſitudo atque conuerſio mihi ſentienda eſt, vt quemadmodum ex ſecundioribus rebus aduerſæ res natæ ſunt, ſic contrà ex aduerſis ad læta pro-

Rom. 5. ſperáque redeam. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia: & ſi guſtus condemnauit, quantò magis Chriſti paſſio iuſtificauit? Quocirca non oſtentatoriè, ſed diuinè, non mundi ritu, ſed ſuprà mundi ritum, non res noſtras ſed noſtri, vel, vt rectius loquar, Domini, non ea quæ infirmitatis ſunt, ſed quæ curationis, non ea quæ creationis, ſed quæ recreationis inſtaurationíſque celebremus. Id autem hac demum ratione conſequemur, ſi nec domus limina ſertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum paſcamus, nec aurem cantu demulceamus, nec olfactum effœminemus, nec lenociniis guſtum titillemus, nec tactui obſequamur, promptis inquam illis ad vitium viis, peccatíque ianuis, nec teneris & circumfluentibus veſtibus emolliamur, quarum vt quæque pulcherrima, ita maximè inutilis iacet, nec gemmarum ſplendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificus natiuam pulchritudinem ementientibus, atque aduerſus imaginem diuinam excogitatis, nec comeſſatio-

Rom. 13. nibus & ebrietatibus, quas cubilia & laſciuiæ comitantur. quandoquidem malorum magiſtrorum mala doctrina eſt: vel potius malorum ſeminum mala ſeges. Nec thoros altos ſtruamus, ventri delicias ſternentes. Nec vina generoſa, coquorum lenocinia, liquorum profuſas magnificentias in precio habeamus. Nec terra & mare charum nobis ac precioſum ſtercus offerant. Hoc enim nomine delicias ornare ſoleo. Nec alius alium intemperantia ſuperare contendamus. Mihi enim intemperantia eſt, quidquid ſuperfluum eſt, vſibúſque neceſſariis ſupereſt, idque eſurientibus aliis, atque inopia laborantibus: iis inquam, qui ex eodem luto & temperatione creati ſunt. Verùm hæc prophanis atque ethnico faſtui ſolennitatibúſque relinquamos: qui cum iis Deorum nomen tribuant, qui ſacrificiorum nidore oblectantur, congruenter profectò eos helluando colunt, mali vtique malorum dæmonum & fictores & ſacerdotes & cultores. At nos, à quibus Verbũ adoratur, verborũ delitiis (ſi quid tamen deliciis dandum eſt) indulgeamus, atque ex lege diuina, & narrationibus, cùm aliis, tum iis præſertim, quibus præſentis feſti myſteria explicantur, voluptatem capiamus. Ita enim commodæ, miniméque ab eo, à quo conuocati ſumus, alienę delicię noſtrę fuerint. An verò placet, vt quandoquidem hodierno die conuiuatoris munere perſungor, vobis egregiis conuiuis ſermonem de his rebus, quàm fieri poterit, lautiſſimum atque magnificentiſſimum apponam, vt perſpectum habeatis, quàm bellè & indigenas peregrinus, & vrbanos ruſticus, & deliciis addictos homo à deliciis abhorrens, & opibus claros pauper ac domo carens alere queat? Hinc autem exordiar. ac vos quæſo, & mentem, & aures, animúmque purgatum afferte, quicunque huiuſmodi deliciis ſtudetis: quandoquidem quæ de Deo habetur, diuina quoque eſt oratio. Sic fiet, vt veris miniméque euaneſcentibus deliciis expleti diſcedatis. Curabimus autem, vt oratio noſtra ſimul & pleniſſima ſit, & maximè compendioſa: vt nec defectu moleſtiam, nec prolixitate tædium afferat. Deus & erat ſemper, & eſt, & erit: vel, vt rectius loquar, ſemper eſt. Nam Erat, & Erit, huius noſtri temporis fluxæque & caducæ naturæ ſegmenta ſunt. Ille autem ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat, cùm in monte Moſi oraculum edit. Vniuerſum enim id quod eſt in ſe complectitur, nec principium habens nec finem habiturus, eſtque velut pelagus quoddam eſſentiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis tum naturę cogitationem ſuperans, mente ſola adumbrabile, & quidem perexiguè ac perobſcurè, non ex his quæ in ipſo ſunt, ſed quæ circa ipſum: priuſquam teneatur, effugiens, & priuſquam intellectu percipiatur, ſe ipſum fuga proripiens, tantùm principem noſtri partem, eámque à vitiorum labe purgatam hactenus colluſtrans, quantum fulgur oculorum aciem raptim perſtringit, celerrimeque dilabitur. Hoc autem mea quidem ſententia idcirco fit, vt quatenus comprehendi poteſt, nos ad ſe trahat (quod enim percipi omnino nequit, id nec ſperat quiſquam, nec aſſequi conatur) quatenus autem capi nõ poteſt, admirationẽ ſui excitet, atque ex ipſa admiratione vehementius expetatur, expetitus purget, purgans autẽ deiformes efficiat, eóque prouectos iam velut familiares alloquatur (me[illegible]ne hoc audacius à me dictum videri poſſit) Deos diis vnitus & innoteſcens, ac tantùm fortaſſe, quantum iam eos, qui ipſi noti ſunt, cognoſcit. Immenſus itaque & infinitus eſt Deus, contemplatúque difficilis, ídque ſolùm in eo planè comprehendi poteſt, quòd immenſus, & infinitus ſit: exiſtimet licet quiſpiam eum, quia ſimplicis naturæ ſit, rationem hanc habere, vt vel nullo omnino modo, vel plenè perfectéque comprehendi queat. Quid enim ille, ſit qui naturã ſimplicem habet, exquiramus. Neque ſimplicitas illi natura eſt: quemadmodum nec compoſitis ſola compoſitio. Iam verò cùm immenſitas bifariam cõſideretur, tum ſecundum principium, tum ſecundum finem, cùm in ſupernum profundum mens aſpexit, non habens vbi conſiſtat, ſpeciebúſque illis, quas de Deo concipit, innitatur: immenſum hoc atque inacceſſibile, anarchum, hoc eſt principio carens appellauit: cum autem ad inferiora hæc & poſteriora aſpectum conuertit, immortale atque interitus expers: cùm verò vtrunque contraxerit, & collegerit, æternum. Æternitas enim nec tempus eſt, nec temporis pars vlla: nec enim in menſuram cadit: ſed quod nobis tempus eſt ſolis motu definitum,

hoc

hoc æternis æuum eſt,nimirum ille quaſi temporalis qoidam motus & interuallum, qood ſimul cum æternis extenditur. Atque hæc nobis io præſentia de Deo dicta ſint. Neque enim plura diſſerere huius eſt temporis: quandoquidem oobis hoc loco noo de Dei natura, ſed de eius eooſilio ac diſpenſatione inſtituta eſt oratio. Deum porrò eùm dico, Patrem & Filium & ſpiritum ſanctum dico, nec vltra hæc diffuſa diuinitate, ne deorum turbam inducamus, nec rurſus intra hæc finita atque reſtricta, ne diuinitatis inopia premi iudicemur, vel propter vnius prioeipatum io Iudaiſmum incidentes, vel propter effuſam deorum multitudinem in Gentiliſmum incurrentes. Nam vtrobique malum æquale eſt, tametſi io eoorra-
Eſa.6. riis reperiatur. Sic nimirum ſancta ſanctorũ, quæ etiam ab illis Seraphim obtegũtur, ac tribus ſanctificationibus celebrantur in vnã dominationem diuinitatémque eoëuntibus: quemadmodum & alius quidã antè nos pulcherrimè & ſublimiſſimè philoſophatus eſt. Quoniam autem ſummo illi bono nequaquã ſatis erat ſua ipſius ſolùm contemplatiooe moueri, ſed bonum illud diffundi ac propagari oportebat, vt plura eſſent, quæ beneficio afficerentur (id enim ſummæ bonitatis erat) primùm angelos & cæleſtes ſpiritus cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Atque ita ſecundi ſpleodores procreati ſunt, primi ſplendoris adminiſtri: geſtit quidem animus dicere ad malum immobiles, atque ad bonum duntaxat agitationem ac propenſionem habentes, vt pote Deum circunſtantes, ac primario Dei fulgore collucentes (hæc enim inferiora ſecundariæ colluſtrationis ſont) verùm vt noo omnino immobiles, ſed ægre mobiles exiſtimem ac dicam, mihi perſuadet ille ob ſplendorem Lucifer, qui propter ſuperbiam caligo effectus eſt, ac nominatur, & ſubiecti ei rebelles angeli, qui per boni fugam vitij architecti euſdémque nobis authores extiterunt. Sic igitur atque ob has cauſas intellectilis mũdus ab eo creatus eſt, quantum quidem ipſe de his rebus philoſophari queo, exigua oratione res magnas perpendens. Poſteaquam autem primas creationis partes præclarè eooſtitutas vidit, alterum mundum cogitauit, materia cooſtaotem & aſpectabilem, nimirum hunc ex cælo & terra & his rebus, quę eorum complexu continentur, coagmentationem & concretiooem, laudandam illam quidem ob ſingularum partium elegantiam, ſed magis laudandam ob miram omnium partium concinnitatem atque concentum, alia re videlicet cum alia qoadam pulchrè quadrante, atque omnibus cum vniuerſis, ad vnius mundi ornatum omnibus numeris abſoluendum: vt perſpicuum faceret, ſe non modò ſibipſi cognatam & propinquam naturam, ſed etiam omnino alienam poſſe procreare. Diuinitatis enim propioquæ ſunt intellectiles naturę ac meote ſola perceptibiles: alienę autem penitus, quæcunque ſub ſenſus caduot, atque his adhuc remotiores, quæ vita omni & motu carent. Sed quid hac oratione opus eſt, dixerit fortaſſe quiſpiam ex his, qui erga feſtum amantios affecti acrioríque natura prædití ſunt? Stimula equum ad carceres. De iis quæ huius feſti ſunt, pertracta, & ob quæ hodie aſſidemus. Hoc equidem faciam, etſi paulò altius exorſus ſum. Enimuero mens iam & ſenſus ſic inter ſe diſcreta finibus ſuis ſe continebant, effectoriſque Verbi maieſtatem in ſeipſis ferebant, taciti laudatores inſignis opificij, & canori præcones. Nondum autem vtriuſque temperatura vlla erat, aut contrariorum mixtura, quę ſublimioris ſapieotiæ ac circa oaturarum creatiooem varietatis & excellentiæ ſpecimeo exhiberet, nec omnes bonitatis diuitiæ notæ atqoe ſpectatæ erant. Hoc igitur eùm artifici Verbo viſum fuiſſet oſteodere, animal vnum ex vtroque, hoc eſt ex inuiſibili ac viſibili natura fabricatur, nempe Hominem, atque à materia, quæ prius iam creata erat, accepto corpore, à ſe autem ſpiraculum inſe- Geneſ.1.2.
rens, (quod quidem intellectualem animam & imaginem Dei Scriptura vocat) velut ſecundum qoendam & alterum mundum, in paruo magnum, in terra conſtituit, angelum alium, mixtum adoratorem, viſibilis naturæ ſpectatorem, intellectilis myſteo, eorum quidem, quæ io terra ſunt, regem, è cælo autem imperium accipientem, terrenum & cæleſtem, caducum & immortalem, viſibilem & iotelligibilem, medium inter magnitudinem & deiectiooem, eundem ſpiritum & carnem, ſpiritum propter gratiam, carnem ob ſuperbiam. Illud vt maneat ac ſuum benefactorẽ concelebret, hoc vt vexetur, ac vexatus commonefiat, & de magnitudine ſibi placens erudiatur ac coërceatur, animal hîc variè gubernatum atque aliò demigrans, & quod myſterij extremum eſt, animi ad Deum nutu & ſubiectione diuinitatem aſſequens. Eô enim mihi tendit exiguus in hac vita ſplendor veritatis, vt Dei claritatem & videam & ſentiam dignam eo, qui & cooſtrinxit & diſſoluit, ac rurſus excellentius ſublimiúſque conſtringet. Hunc arbitrij libertate dooatum, vt bonum non minus illius eſſet, qui elegiſſet, quàm eius qui ſemina præbuiſſet, in paradiſo, (quicunque tandem erat paradiſus ille,) collocat plantarum immortalium cultorem, hoc eſt, fortaſſe diuinarum cogitationum tam leuiorum quàm perfectiorum, nudum quantum ad ſimplicitatem & vitam arte & fuco carentem, atque omnis integumenti & munimenti expertem. Talem enim eſſe conueniebat eum, qui primùm eſſet creatus. Ac legem quaſi materiam libero arbitrio porrigit. Lex aotem illa præceptum erat, quo præſcribebatur, tum qoibus arboribus ei vtendum eſſet, tum à qua manus abſtinendæ. Ea autem erat ſcientiæ arbor, non illa quidem aut malè à principio conſita, aut per inuidiam interdicta (oe illuc linguas ſuas Dei hoſtes iniiciant, oec ſerpeotem imitentur) ſed bona quidem tempeſtiuè percepta. contemplationis enim (vt ipſe contemplaodo aſſequor) hæc arbor erat, ad quam iis ſoli tutus eſt aſcenſus, qui animi habitu perfectiori ſunt: nequaquam autem bona ſimplicioribus adhuc animis, atque appetitu auidiori præditis, quemadmodum nec perfectus ac ſolidus cibus iis conducit, qui tenera adhuc ſunt ætate, lactéque opus habent. Poſtquam autem diaboli inuidia & mulieris inſultu, quem & vt mollior paſſa eſt, & vt ad perſuadendum accommodatior admonuit (ô infirmitatem meam: meam enim duco primi parentis infirmitatem) accepti mandati oblitus ab acerba illa eſca victus eſt: ſimul & à ligno vitæ, & à paradiſo, & ab ipſo Deo propter peccatum extruditur, & pelliceas tunicas induit, hoc eſt fortaſſe, craſſiorem carnem & mortalem ac refractariam: primúmque turpitudinem ſuam infamiámque cognoſcit, & à Deo ſe abſcon- Geneſ.3.
dit.

dit. Atque hic quoque tamen mortem ac peccati præciſionem elucratur, ne malum immortale eſſet. ita pœna ipſa in miſericordiam cecidit. Sic enim Deum ſupplicia inferre exiſtimo. Multis autem prius modis propter multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, ſecundum diuerſas cauſas & tempora caſtigatus, ſermone, lege, Prophetis, beneficiis, comminationibus, plagis, aquis, incendiis, bellis, victoriis, cladibus, ſignis è cælo, ex aëre, ex terra, ex mari, hominum, vrbium, gentium inſperatis mutationibus, (quæ omnia eò tendebát, vt malitia protereretur) validiori tandè medicamento propter grauiores morbos indigere cœpit, nimirum ob mutuas cędes, adulteria, periuria, maſculæ libidinis inſaniam, & quod omnium malorum extremum ac primum eſt, idolorum cultum, adorationiſque à Creatore ad creaturas tranſlationem. Quæ quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipſe Dei Filius, ſæculis prior, ille inuiſibilis, ille incomprehenſibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expreſſio, illud immotum ſigillum, illa per omnia ſimilis imago, ille Patris terminus & ratio ad imaginẽ ſuam ſe confert, carnémque carnis cauſa gerit, & cũ intellectuali anima propter animam meam iũgitur, vt ſimile ſimilis opera & adiumẽto repurget. Atque humana omnia excepto peccato ſuſcipit, conceptus quidẽ ex Virgine animo & corpore à Spiritu purgata (nam & procreationem honorari & virginitatem præferri oportebat) progreſſus autem Deus cum humanitate vnum ex duobus inter ſe contrariis carne nimirum & Spiritu, quorum alterum diuinitatem dedit, alterum accepit. O nouam & inauditam mixturam! ô admirandam temperationem! Qui eſt, fit: qui creationis expers eſt, creatur: qui nullo loco contineri poteſt, interuentu animę intellectualis inter diuinitatem carniſque craſſitiem interiectæ continetur. Qui locupletes alios facit, eget: carnis enim meæ paupertatem ſubiit, vt ipſe illius diuinitate diteſcam. Qui plenus eſt, vacuatur & exhauritur: ſua enim gloria ad breue tempus exhauritur, vt plenitudinis ipſius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circunſtat myſterium? Diuinam imaginem accepi, nec ſartam tectámque habui: ille meam carnem accipit, vt & imagini ſalutem, & carni immortalitatem afferat: ſecundum conſortium nobiſcum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod prętantius erat, nobis impertiit: at nũc eius, quod deterius eſt, particeps ipſe fit. Hoc priori illo diuinius: hoc apud cordatos & prudentes viros multò ſublimius. Quid ad hęc nobis ſycophantæ dicunt, acerbi, inquam, iſti diuinitatis expenſores, rerum laudandarum reprehenſores, circa lucem tenebroſi, circa ſapientiam inſcij & ineruditi, pro quibus Chriſtus fruſtra mortuus eſt, ingratæ creaturæ, diaboli figmenta? Siccine beneficium crimini tribuis? Eóne paruus, quia propter te humilis, quia ad ouem oberrantem venit paſtor ille bonus, animam ſuam pro ouibus ponens, venit, inquam, ad montes & colles, in quibus ſacrificabas, & palantem inuenit, & inuentam iiſdem humeris, quibus & crucis lignum, accepit, acceptámque ad ſupernam vitam reduxit, ſubuectámque eodem quo eas, quæ nunquam à grege aberrarunt, loco numeróque habuit? Quia lucernam, hoc eſt, carnem ſuam accendit, & domum euertit, mundum ſcilicet à peccato repurgans, & drachmam hoc eſt, regiam imaginem fœdis affectibus obrutam conquiſiuit, atque angelos amicos ſuos ea inuenta conuocat, lætitiæque participes facit, quos etiam conſilij incarnationis conſcios habuerat? Quia lucernam pręuiam lumen illud ſplendidiſſimum ſequitur, & vocem Verbum, & pronubum ſponſus, Domino populum eximium comparantem, ac per aquam ad Spiritum præpurgantem? Hæccine obiicis Deo? atque idcirco inferiorem eſſe cenſes, quia linteo præcingitur, ac diſcipulorum pedes abluit, optimúmque ad ſublimitatem iter humilitatem oſtendit? Quia propter humi inclinatam animam ſe deiicit, vt peccato depreſſam ac deorſum vergentem ſecum erigat. Quin illud quoque obiicis ac reprehendis, quòd cum publicanis, & apud publicanos edit, & publicanos in diſcipulos conuertit, vt ipſe quoque aliquid lucretur, quid tandem? peccatorum ſalutem. Niſi quis forte eo nomine medicum accuſet, quòd ad corporis morbos ſe inclinet, fœtorémque ſuſtineat, vt ſanitatem ægrotis afferat: atque eum etiam, qui humanitatis & commiſerationis affectu permotus in foueam ſeipſum demittit, vt prolapſum iumentum ſecundum legis præſcriptum ſeruet. Miſſus quidem eſt, verùm vt homo (duplici enim natura erat) ſiquidem & fatigatus eſt, & fame ac ſiti laborauit, & angore correptus eſt, & lachrymas fudit, vt lex naturæ fert. Quòd ſi etiam vt Deus, quid propterea? Beneplacitum Patris miſſionem eſſe exiſtima, cui ſua quoque adſcribit, tum vt principium temporis expers honoret, tum ne Deo aduerſari videatur. Quandoquidem vt traditus fuiſſe dicitur, ita ſeipſum quoque tradidiſſe ſcribitur, atque vt à Patre ad vitam reuocatus & ſuſceptus fuiſſe, ita ſeipſum quoque à mortuis excitaſſe, rurſúſque in cælum aſcendiſſe prædicatur. Illa beneplaciti: hæc poteſtatis. At tu ea quidem, quæ minuendi vim habent, profers: quæ autem efferendi, præteris: atque id quidem expendis, quòd paſſus ſit: quòd autem voluntariè, non adiungis. Proh qualia etiamnũ patitur Chriſtus! Ab aliis vt Deus honoratur atque confunditur: ab aliis vt caro contemptui habetur ac ſeparatur. Vtris tandem grauius iraſcetur? vel potius vtris plus condonabit, iiſne qui nefariè contrahunt, an qui ſcindunt? Nam & illos diuidere, & hos coniungere oportebat: illos, inquam, numero, hos diuinitate. Offendis ad carnem? & Iudæi quoque ea offenſi ſunt. Num ſamaritanum quoque vocas? (nam quod ſequitur, tacebo) Diuinitati fidem abrogas? hoc ne dæmones quidem ipſi fecerunt. Ita & Iudæos ingratitudine, dæmones incredulitate ſuperas. Illi enim Filij nomen æqualitatis vocem eſſe cenſebant: hi autem eum, à quo fugabãtur, Deum norant. Fidem enim illis ea, quæ patiebantur, faciebant. At tu nec æqualitatem admittis, nec diuinitatem confiteris. Proinde ſatius tibi fuerit circunciſum eſſe, atque à dæmone vexari, vt facetè aliquid dicam, quàm in præputio & incolumi valetudine tam ſceleratè atque impiè ſentire. Atque aliquantò quidem poſtea & Ieſum purgatione mea in Iordane purgari videbis, vel potius aquas purgatione ſua purificare (neque enim ipſe purgatione opus habebat, qui peccata mundi tollit) & cælos ſcindi, & cognati Spiritus teſtimonio

Heb. 4. *V. Maria corpore animóque purgata.* *Ioan. 10.* *Luc. 15.* *Ioan. 13.* *Luca 5.* *Exod. 23.* *Deut. 22.* *Ioan. 4.* *Matt. 4. 26.* *Luca 19.* *Marc. 1.*

oio celebrari, & tentari, & tentatorem frangere
Matt. 4. Luc. 6. ac profligare, & angelorum miniſterio vti,& morbos omnes ac langores depellere, & mortuos ad vitam lucémque reuocare (quemadmodum vtiná te quoque, doctrinæ fideique peruerſitate mortuum excitares) & dæmones partim ſuapte, partim etiam Apoſtolorum opera fugare, & paucis panibus multa hominum millia nutrire, & pedi-
Matt. 14. bus per mare iter facere, & prodi, & in crucem
Marc. 15.16. tolli, ac peccatum meum ſecum in cruce ſuffigere,vt agnu offerri,& vt ſacerdotem offerre, vt hominem inhumari,& vt Deum reſurgere,ac poſtea in cælum aſcendere, tandémque cum gloria ſua venientem conſpicies. Papæ quot mihi ſolennitates & feſta ſingula Chriſti myſteria ſuppeditant! quorum omnium vnum hoc caput eſt atque vnus hic ſcopus, nimirum mea perfectio & inſtauratio, atque ad priſtinum illum Adamum reditus. Nunc autem natiuitatem accipe, ac præſulta: ſi minus vt Ioannes ab vtero, at certè vt Dauid ob requiem arcæ. Deſcriptionem reuerere, propter quam in cœlis ipſe deſcriberis:& natiuitatem venerare, propter quam natiuitatis vinculis ſolutus es:& Bethlem paruam, inquam, illam honora, quæ te in paradiſum reduxit: & præſepe adora, propter quod cùm rationis expers eſſes, à Verbo nutritus es. Cognoſce vt bos poſſeſſorem, quemadmodum ab Eſaia admoneris, & vt aſinus præſepe domini tui, ſiue purus quiſpiam ſis ac legi ſubiectus rectámque doctrinam ruminatus, atqui ad ſacrificiũ idoneus, ſiue etiam adhuc impurus, ac cibo ſacrificiíſque inutilis, ethnicæque partis.
Matth. 2. Cum ſtella curre:cum Magis dona offer, aurum,
Luc. 2. thus,& myrrham,vt regi,vt Deo,& vt ſalutis tuæ cauſa mortuo: cum paſtoribus Deum laudibus celebra: cum archangelis tripudia: cum angelis hymnos cócine:ſit cæleſtium & terrenarũ copiarum cómunis lætitia & celebritas. Nam eas quoque hodierno die ſimul feſtum celebrare,ac lætiora geſtire confido: ſiquidem hominum Deique amore præditæ ſunt, quemadmodum illæ, quas Dauid inducit poſt paſſionem cum Chriſto ſimul aſcendentes,ac ſimul occurrentes, ſéque inuicem
Matth. 2. ad portas attollendas inhortantes. Vnam duntaxat rem ex omnibus, quæ circa Chriſti natiuitatem contigerunt, execrare, nimirum puerorum cædem ab Herode admiſſam. Immò verò hanc quoque venerare,hanc,inquam,coætaneam Chriſto victimam, quæ ante nouam victimam mactata eſt. Si in Aegyptum profugiat, alacri animo te illius fugæ comitem adiunge.Præclarum eſt cum Chriſto perſecutione preſſu fugam inire. Si diuturniorem in Aegypto moram faciat, ex Aegypto eum voca. Quod quidem fiet,ſi eum pulchrè atque honorificè illic adoràris. Per omnes Chriſti ætates ac potentias, vt Chriſti diſcipulus, ſine reprehenſione incede: Purificare, circuncidere, velum à natiuitate contractum abſcinde.poſt hæc
Luc. 23. in templo doce, ſacrilegos nundinatores eiice:lapidibus,ſi ita neceſſe ſit, inceſſi te patere. Lapidatores, mihi crede,falles, ac per medium ipſorum, vt Deus fugies. Verbum enim lapidibus non cóficitur:ſi ad Herodem adductus fueris,plerũq; ne verbum quidem vnum reſpóde. Silentium tuum pluris faciet,quàm prolixas aliorum orationes. Si flagello cæſus fueris, quæ ſuperſunt, require. Fel guſta propter guſtum: aceto vtere: ſputa flagita: alapas & colaphos accipe, ſpinea corona, hoc eſt, piæ vitæ aſperitate cingere, coccinum indue, arundinem accipe, ab iis qui veritatem ludibrio habent, adorare,denique ſimul in crucem ſuffigere, ſimul morere,ſimul etiam libenter inhumare, vt ſimul quoque reuiuiſcas,& gloria fruaris ac regnes, Deum,quantus eſt, cóſpiciens viciſſimque cóſpectus ab eo,qui in Trinitate adoratur & glorificatur, quem nunc quoq; nobis, quantùm carnis vinculo conſtrictus licet,inclareſcere optamus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria in ſæcula ſæculorum.Amen.

S. GREGORII NYSSAE

Epiſcopi in diem natalem domini noſtri Ieſu Chriſti Oratio, Petro Franciſco Zino Veronenſi interprete.

BVccinate,inquit Dauid,in neomenia tuba,in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Cæleſtis autẽ doctrinæ inſtituta omnia ſunt inſtar legis apud eos, qui audiũt.Quamobrem,quoniam adeſt inſignis dies ſolennitatis noſtræ,nos item obſeruemus legem,& efficiamur ſacræ celebritatis buccinatores.Legalis autẽ tuba, vt declarat Apoſtolus, eſt oratio. Dicit enim,incertum tubæ clangorem eſſe non oportere,ſed ſonis diſtinctum,vt ea, quæ dicũtur,perſpicua ſint. Edamus igitur & nos,fratres, clarum aliquẽ ſonum, qui non minus exaudiatur, quàm ſi ederetur cornea tuba,quádoquidẽ & lex in vmbræ figuris ante depingens veritatem,in tabernaculorum celebritate tubis vt canerent,mãdauit. Et præſens celebritatis argumentũ veri tabernaculi myſteriũ eſt. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit. In hac tabernacula noſtra,quæ morte corruerant,inſtaurãtur ab eo,qui ab initio conſtruxerat ædificium. Nos etiã ea verba pſalmi cum vocali Dauide plaudẽtes dicamus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quomodo autem venit: Nó nauigio,aut curru aliquo, ſed incorrupta virginitate in vitam humanã traiecit. Hic Deus noſter, hic Dominus, & illuxit nobis, vt diem hanc ſolennem conſtitueret in condenſis vſque ad Cornua altaris, Quòd autem myſterium,fratres,in iis,quæ dicta ſunt,contineatur, neutique ignoramus; ſcimus enim vniuerſas res procreatas eſſe veluti tẽplum quoddam Domini, à quo procreatæ ſunt. Verùm quia ſuperinducto peccato obſtructa erant ora illorum,qui victi fuerant,& exultationis vox obticuerat,& dies feſtos celebrantium conſenſus diſtractus erat, cùm humana natura cum beatarum mentiũ natura in celebrando non conueniret, idcirco venerunt Prophetarum,& Apoſtolorũ tubæ, quas lex corneas vocat, quia ex vero Vnicorni confectæ ſunt. Hæ ſpiritu ſancto inflatæ continuum veritatis ſonum protulerunt, vt auribus eorum, qui propter peccatum obſurduerant, patefactis, per frequentiam inferioris tabernaculi cum excellentibus illis mẽtibus, quæ ad altare ſuperius aſtant,concinentem vna ſolennitas concelebraretur. Diuina enim illius altaris cornua ſunt eximiæ, & præſtantes cæleſtis naturæ virtutes,& principatus, & poteſtates,& throni, & dominationes, quibus cum per tabernaculi excitationem in celebritate coniungitur humana natura, renouatione corporum cõdenſata. Nam condenſari, & ornari, & indui, idem

Natiuitate Domini ſolennis dies etiam antiquitus habebatur.

eſt, vt illi, qui hæc intelligunt, interpretantur. Agitè igitur ad ſpiritalem choreã animos noſtros excitemus, nobiſque chori ducem, & principem, & coryphæum Dauidem proponamus, & vnà cũ illo dulcem illam emittamus vocem. Hæc eſt dies, quã fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Iã hac tenebræ incipiunt minui, & creſcente ſplẽdore, noctis termini cõtrahuntur. Neq; enim caſu, aut ſponte ſua contingunt hæc, fratres, in hac die ſolenni, qua humanæ vitæ ſplendet diuina vita. Sed per ea, quæ cernuntur, mentis aciem intẽdentibus arcanum quodã oſtendit natura, ac tantùm non vocem emittens docet eos, qui audire poſſunt, quid ſibi velit, quòd in aduentu Domini dies augetur, & nox imminuitur. Mihi enim videor eam ſic loquentem exaudire: Conſidera, humo, qui hæc aſpicis, ex iis, quæ videntur, ea tibi aperiri, quæ recondita ſunt. Vides noctẽ ad ſummam longitudinem perueniſſe, & cùm progredi vlterius nequeat, conſiſtere, ac regredi? Cogita exitioſam peccati noctem, quę malis omnibus artibus aucta, ad ſummum malitiæ cumulum venerat, hodie reciſam eſſe, ne longiùs ſerperet, atq; illuc deinceps redigi, vt planè deficiat, ac deleatur. Vides vberiores lucis radios, & ſolem ſolito ſublimiorem? Cogita veræ lucis præſentiam Euãgelij radiis totũ orbem terrarum illuſtrare. Quòd autem humanæ vitæ non ab initio, ſed extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortaſſe cauſam quiſpiam exiſtimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingreſſurus, expectauit neceſſariò vt omne ab inimico ſatum, propagatumque peccatum germinaret, ac tum demum, vt legitur in Euangelio, radici ſecurim admouit. Nam & qui præſtant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit, & ex cauſis morbum efficientibus paulatim intẽditur, obſecundant morbo, quoad vis ad ſummum peruenerit, nec cibi ſubſidium vllum ægrotanti præbent. At vbi malum conſtiterit, patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus expectauit, dum malinæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, ſe totum aperiret, ne latens aliquid, incuratum remaneret, ſi curaſſet id ſolum, quod cernebatur. Itaque nec Noë tempeſtate, cùm omnis caro in iniquitate corrupta eſſet, aduentu ſuo medicinam attulit, quia nondum Sodomitici ſceleris germen pullulauerat. Nec tempore euerſionis Sodomorũ Dominus aduenit, quoniam in humana natura multa adhuc mala latitabant. Vbi enim impius Pharao? Vbi indomita Aegyptiorum malitia? Nec tunc igitur tempus fuit, vt huic vitę ſe Deus commiſceret. Oportebat, vt Iſraëlitarum iniquitas patefieret. Oportebat, vt regnum Aſſyriorum, & ſuperbia Nabuchodonoſor adhuc in vita latitans oſtenderetur. Oportebat, vt piorum cædes, tanquam ſcelerata, ſpinoſaque planta, ex mala diaboli radice prodiret. Oportebat, vt Iudæorum Prophetas occidentium, & à Deo miſſos lapidibus obruentium, ac Zacharia tandem inter templum, & altare interfecto, piaculum admittentium rabies detegeretur. Ad ſceleratorum germinum numerum adde & infantium ab Herode patratam cædem. Cùm igitur malitiæ vis ſe totã effudiſſet, multiſq; luxurians modis creuiſſet in animis eorum, qui ſingulis ſeculis ſcelere inſignes extiterant, tunc Deus, vt ad Athenienſes Paulus ait, ignorantiæ tempora deſpiciens, in diebus vltimis aduenit, quando non erat intelligens, nec requirens Deum, quando cuncti declinauerant, & facti erant inutiles, quando concluſa erant omnia ſub peccato, quando iniquitas abundabat, quãdo vitiorum tenebræ ad ſummum vſque terminum venerant. Tunc apparuit gratia, tunc veræ lucis enituit radius, tunc in tenebris, & vmbra mortis ſedentibus ortus eſt iuſtitiæ Sol. Tunc humanam carnem indutus multa ſerpentis capita pede contriuit, ad terramque allidens conculcauit. Ne quis autem mala, quæ nunc in vita ſunt, reſpiciens, falſa nos dicere ſuſpicetur, quòd in extremis tẽporibus ſplenduiſſe nobis Dominum aſſeramus. Nã (obiiciat aliquis) qui tempora, quibus malitia regeretur, expectauit, vt illam auctam, cumulatãque radicitus euelleret, ſic etiam tollere, atq; abolere cunctam debuerat, vt nullę ipſius in vita reliquiæ remanerent. Nunc autem & homicidia, & furta, & adulteria, & reliqua omnia flagitia, & ſcelera debacchantur. Is ergo, qui hæc ſpectans ſic obiicit, inſigni, peruulgatoque exemplo quæſtionem ipſemet ſoluat. Quemadmodum cùm ſerpẽtes interficiuntur, non continuò reliquas partes vnà cum capite mori videmus; ſed cùm interierit caput, illæ tamen adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu; ſic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cùm eſſet admodùm fera, quippe quæ ſingulis hominum ætatibus excreuerat, quis multiplex eius caput, id eſt, vim illam malorum inuentricem multa in ſe capita continentem ſuſtulit, cæterarum ipſius partium tractus neglexit, vt interfectæ feræ motum poſteris ad exercitationis occaſionem relinqueret. Ecquod igitur colliſum, & effractum eſt caput? Illud, quod impio conſilio mortem intulerat, quod morſu mortiferum homini virus iniecerat. Quamobrẽ qui mortis euerrit imperium, vim, quæ in capite ſerpentis erat, vt ait Propheta, contriuit. Quod autem huius feræ in humana vita relictum fuit, quódque, quoad homines vitiorum motionibus permouentur, ſquama peccati vitam irritat, atque aſperam reddit, potentia quidem, etſi non penitus actu, iam mortuum eſt, cùm eius caput contuſum, & inutile factum ſit. At vbi tempus tranſierit, & ea, quæ mouentur, conſtiterint, aduenerìtque vitæ huius abſolutio, quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipſa nimirum deſtruetur, atque ita delebitur omnino cuncta malitia, cùm omnes in vitam per reſurrectionem reuocati, qui iuſti erunt, ad cæleſtem quietem accedent, qui autem peccatis obnoxij, in gehennæ ignem detrudentur. Sed ad præſens gaudium reuertamur, quod paſtoribus nunciant Angeli, cæli enarrant, & Magis prophetiæ ſpiritus multis, variiſque rationibus prædicat, vt etiam Magi gratiæ præcones fiãt. Nam qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos, & iniuſtos, quique pluit ſuper malos, & bonos, cognitionis radium, & rorẽ ſpiritus alienis etiam linguis demiſit, vt aduerſariorũ teſtimonio magis etiã apud nos veritas confirmaretur. Audiuiſti ariolum Balaam meliori numine afflatum ſic alienigenis prædicentem: Orietur ſtella ex Iacob? Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt, Magi ex prædictione ipſius nouum obſeruant ortum ſtellæ, quæ præter aliarum ſtellarum naturam, & motus, & ſtatus eſt particeps, & ad vtilitatem hac vtitur viciſſitudine. Etenim cùm

cæteræ

cæteræ ſtellæ partim in orbe non errante ſemel infixæ ſtatum immobilẽ ſortitæ ſint, partim nunquam ceſſent à motu, hæc & mouetur, dum Magis ſe ducem præbet, & ſtat, dum illis oſtendit locum. Audis Eſaiam clamantem: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis? Diſce ab eodem Propheta, quomodo natus ſit puer, quomodo datus ſit filius. Num iuxta naturæ legem? Minimè vero, inquit. Legibus enim naturæ non paret, qui naturæ Dominus eſt. Quomodo igitur natus eſt puer? Dic. Ecce, inquit, Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel. Quod ſi interpreteris, ſignificat, nobiſcum Deus. O rem admirandam. Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis nouum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quandiu aliqua eſt virgo, non eſt mater. Nam poſteaquam eſt facta mater, virginitatem non habet. Hîc autem vtrunque nomen in idem concurrit. Eadem enim & mater, & virgo eſt. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem ſoluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanã introibat, vt homines integros, incorruptosque ſeruaret, ab incorrupta ſibi deſeruiente integritate initium duceret. Nam hominum conſuetudo expertem connubij, incorruptam appellat. Hoc mihi ante magnus ille Moſes per eam lucem, in qua ſibi Deus apparuit, videtur cognouiſſe, qui cùm rubus arderet, nec tamen conſumeretur; Aſcendam, inquit, & videbo viſionem hanc magnam; non loci motum, vt arbitror, per aſcenſum declarans, ſed temporis tranſitum. Quod enim tunc per flammam, & rubum ſignificabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perſpicuè in myſterio Virginis apertũ fuit. Quemadmodum enim illic eſt rubus, & tangit ignem, & non comburitur, ita hîc eſt Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quòd autem per rubum Virginis corpus, quod Deum ſuſcepit, intelligatur, ne te ſimilitudinis pudeat. Nã omnis caro propter peccati ſuſceptionem, & ob id ipſum tãtùm, quòd eſt caro, peccatũ eſt. Peccatũ autem in ſcriptura vocatur ſpina. Ac ne à propoſito lõgiùs euagemur, fortè non erit intempeſtiuum, ſi incorruptæ matris teſtem eum, qui inter templũ, & altare fuit occiſus, proferamus. Hic eſt Sacerdos Zacharias, non Sacerdos ſolùm, verumetiam Propheta. Ac prophetiæ quidem poteſtas in Euangelij libro declaratur, cùm viam hominibus muniens diuina gratia, ne Virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fideliũ aſſenſum ſic exercuit, vt fœmina ſterilis, & vir iã ætate confectus filium ſuſciperent. Hoc mirandi Virginis partus procœmium fuit. Etenim ſicut Eliſabeth, quæ ſterilis ad ſenectutem peruenerat, nõ poteſtate naturæ fit mater, ſed ei diuino conſilio filius naſcitur, ſic quod in virgineo partu non credendum videtur, ſi referatur ad Deum, credibile eſt. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuncius ſterilis, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequam in lucẽ prodiret, in aluo matris exiliuit, ſimul ac natus eſt præcurſor Verbi, prophetico ſpiritu Zachariæ ſilentium ſoluitur. Quæcunq; autem diſſeruit Zacharias propheta, ad futurum ſpectabant. Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cùm virginitatis myſterium in partu incorrupto non ignoraret, in ſacro templo Virginẽ matrem à loco virginibus per legem aſſignato nõ ſemouit, Iudæosque docuit, naturam humanam vnà cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, & Regi ita ſubiectam eſſe, vt arbitratu ſuo eam ipſe regeret, non autem ab ea regeretur; itaque in manu ipſius eſſe, nouam ortus rationem moliri, quæ matrem eſſe virginem non impediret; quamobrem eam ſe à virginum loco non excluſiſſe. Locus autem ille erat ſpatium quoddam inter templum, & altare. Cùm igitur audiuiſſent Iudæi rerum omnium Regem in vitam humanã diuino ordine produiſſe, metuentes, ne Regi ſubderentur, ſacerdotem, qui hæc de ipſo partu teſtificabatur, ad ipſum altare ſacrificantem interfecerunt. Sed longè à propoſito aberrauimus, cùm ad Bethleem, de qua in Euangelio, oratione recurrere nos oporteret. Nam ſi verè paſtores ſumus, & propriis gregibus inuigilamus, ad nos vtique ſpectat Angelorum vox, quæ magnum hoc gaudium nũciat. Oculos igitur in cæleſtem exercitum intendamus, tripudium ſpectemus Angelorum, diuinum ipſorum cantum audiamus. Quinam plaudentium ſonus? Gloria, clamant, in altiſſimis Deo. Cur diuino numini, quod in altiſſimis cernitur, gloriam tribuunt? Quoniam, inquiunt, & in terra pax. Ob hoc ſpectaculum gaudio perfuſi ſunt Angeli. In terra pax. Quæ prius deteſtabilis erat, quæ ſpinis, ac tribulis plena ſolitudo, quæ damnatorum exilium, quæ belli regio, hæc pacem ſuſcepit. O rem admirabilem. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Talem dedit hominum terra fructum ſuum. Et hæc fiunt pro bona in hominibus voluntate. Deus humanæ naturæ commiſcetur, vt ad ſublimitatem diuinam hominem tollat. His auditis, in Bethleem proficiſcamur, nouum ſpectaculum contemplemur; quomodo partu ſuo Virgo lætetur, quomodo lactet infantulum. Sed prius auſcultemus, quid de ipſa memoriæ proditum ſit. Virginis pater (vt ex hiſtoria quadam incerti auctoris accepi) fuit inſignis quidam eius obſeruantia legis, & vitæ probitate in primis nobilis, qui ſine filiis ad ſenectutem peruenerat, cùm minus idoneam ad gignendum vxorem haberet. Habebatur autem matribus ex lege honor quidam, quo carebant fœminæ, quæ liberos nullos ſuſceperant. Quapropter & hæc imitata id, quod de matre Samuelis ſcriptum eſt, in ſanctum ſanctorum ingreditur, & ſupplex Deũ orat, ne ſe legis benedictione ſinat excidere, cùm nihil vnquã admiſerit contra legem. Quòd ſi [a] mater euaſerit, ſe quodcũque peperit, ei dedicaturam. Quamobrem cùm voti compos effecta filiam ſuſcepiſſet, eam vocauit Mariam, vt ipſo etiã nomine teſtaretur acceptum munus à Deo. Illam igitur, cùm iam grandiuſcula eſſet, nec vbere matris ampliùs indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, & ſtudioſe promiſſum exoluit. Sacerdotes autem, quandiu paruula fuit, ad Samuelis ſimilitudinem in ſanctis ædibus educarunt; ſed cum iam adoleſceret, cõſulebant, quidnam agerent de ſacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ legi illam ſubiicere, vt cuipiam in matrimonio collocata ſeruiret, abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim [b] ſacrilegij fuiſſet, ſi muneris Deo ſacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rurſus inter [c] ſacerdotes in templo verſari, atque in ſanctis ædibus conſpici, nec lex, nec grauitas permittebat. Deliberantes

a Vide votum etiã ſub conditione emiſſum à matre Dominæ noſtræ, & illius obſeruationẽ.

b Nota inſtar eſſe ſacrilegij, ſi Virgo Deo dicata homini iungatur in matrimonio.

c Hoc locum hodie nõ habes apud hæreticos, nam inter eorũ ſacerdotes fœminas ſemper permixtas reperies.

igitur in hanc ſententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomine cuipiam deſponderent, qui tamen ad cuſtodiam eius duntaxat eſſet idoneus. Ad hoc autem munus aptiſſimus inuentus eſt Ioſeph ex eadē tribu, & patria, qua erat [d] Virgo. Sacerdotum ergo conſilio Ioſeph puellam ſponſam accipit. Quæ tamen coniunctio ſponſalia non eſt egreſſa. Tunc ad Virginem miſſus eſt Gabriel, qui ei diuinę volūtatis arcanum aperiret. His autem fauſtiſſimis verbis vſus eſt. Aue gratia plena, Dominus tecum. Contraria hæc eſt oratio illis vocibus, quas prima mulier audiuit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata eſt; nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illa moleſtiæ partum præceſſerunt; huic partum lætitia pręnūciat. Ne timeas, inquit. Quoniam omnibus mulieribus timorem affert partus expectatio, dulcis partus promiſſione timor eximitur. In vtero, inquit, concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quid autem Maria? Audi pudicam Virginis vocem. Quomodo erit mihi iſtud, quoniam virum nó cognoſco? Angelus partum nunciat; at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à propoſito recedit ſuo. Interdixi, inquit, mihi conſuetudinem viri. Quomodo iſtud erit mihi, quoniā virum non cognoſco? Hæc Mariæ vox declarat ea, quæ ex hiſtoria incerti auctoris commemoraui, non eſſe penitus abſurda. Si enim liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſeph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, ſe rem nouam, & alienam audire præſetuliſſet, cùm ipſa quoque ſe ſe obſtrinxiſſet naturæ lege, vt aliquando mater eſſet? Verùm quia carnem Deo conſecratam, tanquam ſanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integrámque præſtare, idcircò, Licet, inquit, Angelus ſis, licet è cælo venias, licet id, quod oſtēditur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt. Quomodo ſine viro mater ero? Ioſeph enim ſponſum noui, ſed virum non cognoſco. Quid ad hæc auſpex Gabriel? Quem thalamum ſtatuit puro, impollutóque connubio? Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. O beatum vterum illum, qui bonitatis præſtantia ad ſe traxit animi bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus ſancti præſentiam capit, hic autem caro fit Spiritus receptaculum. Sed & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quid ſignificat arcanus hic ſermo? Chriſtus Dei virtus eſt, & ſapientia, vt ait Apoſtolus. Virtus igitur Altiſſimi, quæ Chriſtus eſt, per aduētum Spiritus ſancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, ſic forma, & indicium diuinitatis Dei in virtute ipſius, qui paritur, oſtendetur, & imago, & ſignū, & adumbratio, & ſplendor exemplaris per admirabilem rerū effectionem demonſtrabitur. Verùm hortatur nos Euangelium, vt in Bethleem oratione reuertamur, & quæ in antro ſint myſteria videamus. Quidnam eſt hoc? Puer pannis inuolutus, & poſitus in præſepio, & virgo poſt partum ac incorrupta mater complectitur filium. Emittamus illam Prophetæ vocem: Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Num hæc, quæ audiuimus de Chriſto, fortuna, & caſu contingerunt, & ſcripta ſunt, an hiſtoriæ ſubeſt aliqua ratio? Quid ſibi vult hæc Domini in antro ſedes? hæc in præſepi reclinatio? Cur tempore deſcriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perſpicuum eſt, eum, quemadmodū à legis execratione nos eripit factus ipſe pro nobis execratio, & liuores noſtros in ſe trāsfert, vt eius liuore nos eruemur, ſic etiam vectigalē fieri, vt nos à grauiſſimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret? Quòd verò ſpeluncā vides, in qua paritur Dominus, cæcam hominum vitam, & ſub terra demerſam cogita, in qua naſcitur ille, qui in tenebris ambulantibus, & in regione vmbræ mortis ſedentibus ſe oſtendit. Pannis autem obuoluitur, & faſciis conſtringitur, qui peccatorum noſtrorum catenas ſubit, & vincula. Præſepe verò, in quo verbum gignitur, beſtiarum eſt domus, vt cognoſcat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Per bouem intellige illum, qui legis iugo ſubiectus eſt, per aſinum autem, quod eſt animal ferendis oneribus natum, eum, qui ſimulachrorū cultus onuſtus eſt crimine. Cæterùm commune rationis expertium animalium pabulum, & vita fœnum eſt. Producens, inquit Propheta, fœnum iumentis. Quòd autem ratione præditum eſt animal, veſcitur pane. Idcirco in præſepi, quod eſt animalium ratione vacantium ſedes, è cælo delapſus vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione remota ſunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita ratione decorentur. Medium igitur in præſepi ſe inter bouem, & aſinum vtriuſque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ ſoluens, duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, ab altero graue legis iugum eripiens, alterum ſimulachrorum cultus onere liberans. Sed oculos ad mirabilia cælorum ſpectacula tollamus. Ecce enim non prophetæ ſolum, & Angeli gaudium hoc nobis denūciant, verumetiam cæli rebus ſuis admirandis Euangelij gloriam prædicant. Ex Iudæis, vt ait Apoſtolus, Propheta Chriſtus ortus eſt. Sed eius ortu non illuminatur Iudæus. Peregrini, & à teſtamentorum promiſſione, benedictionéque patrum alieni ſunt. Magi, qui cognitione populum Iſraëlitam anteuertunt, & cæleſtem agnoſcentes lucem, & in ſpelunca Regem non ignorantes. Hi munera afferunt, illi inſidias ſtruunt. Hi venerantur, illi perſequuntur. Hi gaudent inuento, quem exquirebant, illi nūtiatum ipſius ortum reformidant. Videntes enim, inquit, ſtellam ſupra locum, vbi erat puer, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Herodes autem ſermonem audiens turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Hi & tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & prophetica quadam gratia per myrrham mortis diſpoſitionem ſubſignificāt. Illi verò cunctos infantes vnum in locum coactos internecione tollendos cenſent. Quod eos mihi non ſolùm crudelitatis, verumetiam ſummæ dementiæ videtur coarguere. Quid enim ſibi vult iſta puerorum trucidatio? Cur auſi ſunt homicidę ſe ſe tanto ſcelere obſtringere? Quoniam nouum quoddam, inquiunt, mirandúmque cæli portentum Regis indicium Magis nunciauit. Quid igitur tum? Aut portendenti ſigno fidem habes vt vero, aut quod rumore iactatur, vanum putas. Si talis eſt, qui cælos ſibi fecerit inſeruire, prorſus eſt ſupra manum tuam. Sin autem in poteſtate tua eſt, vt ille vel viuat, ve-

[d] Vides etiam antiquo legis tempore fuiſſe in vſu Virginitatem.

uat, vel moriatur, eum fruſtra pertimeſcis. Qui enim id agit, vt imperio tuo ſubditus ipſe ſit, pro quo molietur inſidias? Cur horrendum illud datur mandatum? Cur impia fertur ſententia, vt miſeri infantes trucidentur? Quid peccarunt? Quid morte, aut ſupplicio dignum admiſerunt? Crimen vnum duntaxat habent, quòd nati ſunt, & in lucem editi. Et propterea neceſſe fuit, vt ciuitas carnificibus compleretur? vt cogeretur matrum multitudo, & infantium populus? vt addeſſent etiam patres? & generis propinquitate coniuncti ad ſæuum facinus congregarentur? Quis oratione calamitatem deſcribat? Quis acerbitatem enarrans oculis aſpiciendam proponat? mixtam illam lamentationem, luctuoſum queſtum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum miſerabiliter exclamantium? Quis dicendo poſſit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, & toruo, trucique vultu contuentem, ac verbis crudelibus alloquentem, vna quidem manu corripientem infantulum, altera verò gladium adigentem? Matrem porrò ex altera parte filium ad ſe trahẽtem, obiicientémque ceruicem ſuam acuto gladio, ne miſerum filium carnificis manu necatum propriis oculis intueatur? Quis explicet ea, quæ patres agunt, reuocationes, ſuſpiria, poſtremos filiorum complexus: præſertim cùm idem à multis fiat eodem tempore. Quis variam, multiplicémque calamitatem, & conduplicatos puerperarum dolores partus exponat? & acerrimas, quas admouebat natura, faces? Quomodo puer infelix & vberi ſimul inhæreret, & per viſcera letalẽ plagam acciperet? Quomodo miſera mater ſimul infantis ori ſubderet vbera, & ſinu ſanguinem eius exciperet? Manus autem impetu ſæpenumero carnifex vno gladij ictu filium, & matrẽ conſauciabat, & vnus ſanguinis riuus ex matris plaga, & ex mortifero vulnere filij mixtus decurrebat. Iam verò cùm nefaria Herodis ſententia non ſolùm nuper geniti necarentur, ſed etiam illi, qui alterum agebant annum, raperentur ad mortem (Scriptum eſt enim eum iuſſiſſe, bimulos, & minores interfici) videre erat matres non paucas, quæ eo temporis ſpatio duos filios enixæ fuerant. Quódnam igitur rurſum in his ſpectaculũ cernebatur, cùm duo carnifices circa matrem vnam eſſent occupati, vnúſque prope currentem filium ad ſe raperet, alter autem lactentem adhuc infantulum è gremio matris auelleret? Quid tum faciat mater infelix, cùm natura bifariam in filios diuellatur, & vtroque filio maternis viſceribus ex æquo faces admouẽte neſciat, vtrum ex carnificibus priùs ſequatur, cùm vnus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cædem trahat? Præcurratne ad nuper genitum confuſos, indiſtinctóſque gemitus emittentem? At inhibetur ab altero iam loquente, balbutientíque lingua matrem inclamante. Quid nam agat? Quò ſe vertat? Vtrius voci voce ſua reſpondeat? Vtrius gemitum gemitu excipiat ſuo? Vtrius defleat necem, cùm vterque naturæ ſtimulis æquè miſeram feriat? Sed amoueamus aures ab hiſce queſtibus, & ad lætiora, diéique feſto magis conuenientia cogitationem conuertamus, licet Rachel, vt inquit Propheta, clamans filiorum cędem deploret. In die enim feſto, vt ait ſapiens Salomon, malorum decet obliuiſci. Quæ autem nobis celebrior dies hac eſſe poteſt, in qua malas diaboli tenebras diſcutiẽs iuſti- *Dies feſtus Natalis Domini.*

tiæ ſol per naturam noſtram illucet mũdo? in qua qui cecidit, excitatur? qui victus eſt, in gratiã recipitur? qui eiectus eſt, reuocatur? qui è vita excidit, ad vitam redit? qui ſeruitutem ſeruiuit, regni dignitatem aſſequitur? qui mortis vinculis conſtrictus eſt, ad regionem viuentium reuertitur? Nunc, vt propheta teſtatur, æreæ mortis portæ confringuntur, ferrea comminuuntur vincula, quibus antea genus hominum in mortis cuſtodia cõcluſum detinebatur. Nunc, vt cecinit Dauid, recluditur porta iuſtitiæ. Nunc per totum orbem vna voce feſtum celebrantium clamor exauditur: Per hominem mors, & per hominem ſalus. Primus in peccatum lapſus eſt; iacentem ſecundus ſuſcitauit. A muliere mulier defenſa eſt. Prima peccato aditum patefecit; hæc, vt teſtamenti pateret aditus, miniſtra fuit. Illa ſerpentis conſilium eſt ſecuta; hæc ſerpentis interfectorem exhibuit, & lucis authorem in lucem edidit. Illa per lignum induxit peccatum; hæc per lignum gratiam intulit. Lignum autem Crucis intellige, cuius fructus eſt ſemper virens, & guſtantibus vita fit immortalis. Nullus autem hanc gratiarum actionem Paſchatis tantùm myſterio putet conuenire. Sic enim cogitet, Paſcha quidem diuinæ diſpoſitionis eſſe finem, qui tamen finis conſequi nequeat, niſi principium antecedat. Quid igitur antiquius eſt? Ortus nimirum morte. Et ſi igitur huius bona ſunt, pars tamen bonorum ipſius ortus. Quòd ſi quis munera, quæ in Euangeliis commemorẽtur, enumeret, ſi recenſeat miracula curationum, in inopia, & fame ciborum copiam, mortuorum è monumentis excitationem, ſubitam, atque improuiſam effectionem vini, expulſiones dæmonum, varias affectiones ad valetudinem reuocatas, claudorum ſaltus, illitos luto cæcorum oculos, diuinam doctrinam, leges latas, arcanam ſimilitudinum ſignificationem, hęc omnia huiuſce diei gratia comprehenduntur. Hæc enim bonorum, quæ deinceps conſecuta ſunt, omnium initium fuit. Quamobrem exultemus, & lætemur in ea. Negligamus, vt hortatur Propheta, exprobrationem hominum, nec deſpectione ipſorum ſinamus nos vinci, qui diuinæ diſpoſitionis, & prouidentiæ rationem irrident, quaſi non decuerit dominum ſubire corporis naturam nec in hominum vita naſcendo verſari. Ignorant enim rei myſterium, quo Dei ſapientia nobis ſalutem afferre conſtituit. Eramus ſponte peccatis noſtris venditi, & inſtar eorum, qui argento veneũt, vitę noſtrę inimico mancipati. Quid tibi à domino optandum fuit? Nónne vt eripereris è ſeruitute? Cur igitur curioſè requiris modum? Cur benemerenti benemerendi rationẽ pręſcribis, non ſecus ac ſi quis benemerito ſuccenſeat medico, quòd ſe non hac, ſed illa ratione curauerit? Quòd ſi diuini conſilij rationem curioſitate ductus exquiris, hoc tibi ſatis ſit intelligere, non vnum aliquod bonorum, ſed quicquid boni cogitatione, ac mente concipitur, illud eſſe diuinum numen, potens, iuſtum, bonum, ſapiens, omnia denique nomina, & notiones, quibus natura diuina declaratur. Cõſidera igitur mihi, num in hoc beneficio, quo nos affecit, cernãtur omnia, quæ dicendo percurri, bonitas, ſapientia, iuſtitia potentia. Vt bonus deſertorem amauit. Vt ſapiens rationem inuenit, qua ſeruitute oppreſſum in libertatem vendicaret. Vt iuſtus in ſeruitute continentem, & emptionis iure poſſidentem non coë-

gir,ſed ſeipſum pro illo, qui victus erat, tradidit, & tanquam vas, & ſponſor debitum ipſe perſoluit, vt eum, qui obſtrictus erat, liberaret. Vt potens non victus eſt in inferno, nec eius caro vidit corruptionem. Neque enim fieri poterat, vt vitæ auctor, ac Dominus à corruptione vinceretur. At turpe, inquies, fuit, eum in vitam humanam ingredi,& carnis moleſtias experiri. Immò verò hîc apparet muneris amplitudo. Etenim cùm aliter è tantis malis homo liberari non poſſet, beatitudinis Rex gloriam ſuam cum vita noſtra commutauit. Ac puritas quidem ad noſtras ſordes ſe ſe demiſit. Sordes tamen ipſæ puritatem non attigerunt. Lux enim, vt in Euangelio legitur, in tenebris fulſit, tenebræ autem eam non comprehenderunt. Nam tenebræ præſentia ſplendoris euaneſcunt. Sol in tenebris non obſcuratur. Quod mortale eſt, abſorbetur à vita, quemadmodum ſcribit Apoſtolus; non autem vita à morte conſumitur. Quod corruptum fuit,cũ incorrupto ſeruatur, corruptio autem ad incorruptionem non accedit. Idcirco communis rerum omnium procreatarum concentus exorgit Dominum ſuum vna voce collaudantium, ſic omni lingua cæleſtium,terreſtrium,atque inferorum exclamante: Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris laudandus in æternum,Amen.

S. AMBROSII EPISCOPI *Mediol. ſuperioris Euang. expoſitio.*

F*Actum eſt autem in diebus illis exijt, &c.* De ortu ſaluatoris dictum non putamus alienum, vt quo natus ſit tempore requiramus. Quid enim profeſſio ſæcularium ad generationem domini pertineret, niſi vt aduertamus hoc quoque diuinum eſſe myſterium: quia, dum profeſſio ſecularis obtenditur,ſpiritalis impletur, non terrarum regi dicanda, ſed cæli. Profeſſio iſta fidei cenſus animorum eſt. Abolito enim ſynagogę cẽſu vetuſto, nouus cenſus eccleſiæ parabatur, qui tributa non exigeret, ſed auferret,& ſpiritaliter in typo plebs ſua iam Chriſto nomina conferebat. Non hic ſpacia terrarum,ſed mẽtium, animorúmque cenſentur. Nec deſcribuntur limites,ſed proferũtur. Nec ętas vlla diſtinguitur,ſed omnis aſcribitur. Nullus enim ab hoc immunis eſt cenſu; quia omnis ętas monifica Chriſto eſt, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra vterum poſiti exultatione teſtantur. Nihil in hoc cenſu vereare terribile, nihil immite, nihil triſte: ſola vnumquemque fides ſignat. Vis Chriſti audire cenſores? Iubentur cenſere,ſed non virgis,nec terrore,ſed gratia plebem quærere,condere gladium, non poſſidere aurum. Talibus cenſoribus acquiſitus eſt orbis. Denique,vt ſcias cenſum non Auguſti eſſe ſed Chriſti,totus orbis iubetur profiteri. Quando naſcitur Chriſtus,omnes profitentur: quando mundus concluditur, omnes periclitantur. Quis ergo poterat profeſſionem totius orbis exigere, niſi
Pſal.23. qui totius habebat orbis imperium? Non enim Auguſti, ſed domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum,& vniuerſi,qui habitant in eo. Gotis non imperabat Auguſtus: non imperabat Armeniis: imperabat Chriſtus. Acceperunt vtique Chriſti cenſorem,qui Chriſti martyres ediderunt,

Et ideo fortaſſe nos vincunt,vt præſentia docent. Quomodo, quẽ illi oblatione ſanguinis fatebantur, huic Ariani quæſtionem generis inferebant? *Hæc (inquit) profeſſio prima facta eſt, &c.* Atqui pleraſque iam partes terrarum ſæpe fuiſſe deſcriptas, loquuntur hiſtoriæ. Hæc eſt ergo profeſſio prima, non terrarum, ſed mentium: cui omnes profitemur; quia nullus excipitur, non præconis euocatione, ſed vatis, qui multo ante prædixit; Omnes Pſal.46.
gentes, plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Deus ſummus, terribilis, & rex magnus ſuper omnem terram. Denique, vt ſcias,cenſum eſſe iuſtitiæ,veniunt ad eum Ioſeph, & Maria, hoc eſt, iuſtus, & virgo. Ille, qui verbum ſeruaret, iſta, quæ pareret. Vbi autem profitentur iuſtus, & virgo, niſi vbi naſcitur Chriſtus? Omnis enim ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt. Vbi autẽ ſecundum altiorem rationem naſcitur Chriſtus, niſi in corde tuo,& in pectore tuo? Prope eſt enim ver- Rom.10.
bum in ore tuo, & in corde tuo. Pulchre autem quod & præſidis nomen addidit, vt ſeriem temporis deſignaret. *Præſide (inquit) Cyrino.* Facta eſt hæc prima profeſſio: vt quaſi conſulem quendam ſigni gratia huic libro euangeliſta aſcripſiſſe videatur. Nam, ſi conſules aſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus aſcribi. Habes ergo omnia, quæ in contractionibus eſſe conſuerunt: Vocabulum ſummam illic poteſtatem gerentis, diem, locum, cauſam: teſtes quoque adhiberi ſolent. Hos quoque natiuitati ſuæ, & generationi ſecundum carnem Chriſtus adhibuit, qui ſignarent euãgelium dicens; Vos eritis mihi teſtes in Hieruſalem. *Fa-* Act.2.
ctum eſt autem cum eſſent ibi, &c. Breuiter ſanctus Lucas & quomodo,& quo tempore, & quo loco ſecundum carnem Chriſtus natus ſit explicauit. At vero de cęleſti generatione ſi quęris, lege euangelium ſancti Ioannis,qui à cæleſtibus exorſus,ad terrena deſcendit; illic inuenies & quando erat,& quomodo erat,& quid erat, & quid egerat, quid agebat, & vbi erat,& quo venerit, & quomodo venerit, quo tempore venerit, qua cauſa venerit. In principio(inquit)erat verbũ; habes quãdo erat. Et verbũ erat apud Deũ, habes quomodo erat. Habes etiam quid erat; Et Deus, inquit, erat verbum. Quid egerat; Omnia per ipſum facta ſunt. Quid agebat; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et vbi erat; In hoc mundo erat. Quo venerit; In ſua propria venit. Quomodo venerit; Verbum caro factum eſt. Quando venerit, Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo dicens, Hic eſt, de quo dixit, qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat. Qua cauſa venerit, Ioannes ipſe teſtatur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Si igitur generationem vtrãque cognouimus,& vtriuſque vnam eſſe cauſam, qua venit, aduertimus, vt pereuntis mundi peccata ſuſcipiens, peccati labem,& omnium mortem in ſe, qui vinci non poſſet, aboleret. Conſequens eſt, vt nũc quoque ſanctus Lucas euangeliſta nos doceat,& vias domini ſecundum carnem creſcentis oſtendat. Nec quenquam mouere debet, quòd altiori conſilio Ioannis infantiam diximus prætermiſſam, Chriſti vero infantiam aſſeruimus eſſe deſcriptam. Non enim 1.Cor.9.
omnium eſt dicere, Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaciam: omnibus omnia factus ſum,

Eſa.53. ſum. Neque de quoquam ita alio dici poteſt, quia vulneratus eſt propter iniquitatem noſtram, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Ille igitur paruulus, ille infantulus fuit; vt tu vir poſſis eſſe perfectus. Ille inuolutus in pánis, vt tu mortis laqueis abſolutus ſis. Ille in prçſepibus, vt tu in altaribus. Ille in terris, vt tu in cælis. Ille locũ in diuerſorio non habebat, vt tu plures haberes in cæleſtibus máſiones. *1.Cor.8.* Qui cũ diues, inquit, eſſet, propter vos pauper factus eſt, vt illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt: & infirmitas domini mea virtus eſt. Maluit ſibi egere, vt omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lauerunt. Plus igitur, domine Ieſu, iniuriis tuis debeo, quòd redéptus ſum, quàm operibus, quòd creatus ſum. Non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet. Sed nemo intra vſum corporis formam omnem diuinitatis includat. *Hac Neſtorij, & Eutychetis ſimul hæreſim iugulant.* Alia natura carnis eſt, alia diuinitatis gloria. Propter te infirmitas, in ſe potentia. Propter te inopia, in ſe opulentia. Noli hoc æſtimare, quod cernis, ſed quòd redimeris agnoſce: quod in pannis eſt vides, quod in cælis eſt, non vides. Infantis audis vagitus, non audis *Eſa.1.* bouis dominum agnoſcentis mugitus. Agnouit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſina præſepe domini ſui, immo præſepium dixerim, ſicut ſcripſit, qui tranſtulit. Nihil enim apud me diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu. *Demoſth. in oratione pro Cteſiph.* Nam, ſi orator illorum, qui phaleras ſermonum ſequuntur, negat in hoc fortunas poſitas eſſe Græciæ, hoc an illo verbo vſus ſit, ſed rem ſpectandam putat, ſi ipſi philoſophi eorũ, qui totos dies in diſputatione conſumunt, minus latinis, & receptis vſi ſermonibus ſunt, vt propriis vterentur: quantomagis nos negligere verba debemus, ſpectare myſteria, quibus *Audiant, quibus ſacra ſcripta non ſapiunt niſi eloquentia lepore condita.* vincit ſermonis vilitas, quod operum miracula diuinorum nullis venuſtata ſermonibus, veritatis ſuæ lumine refulſerunt. Denique aſinam illam irrationabilem non ſucco delitiarum, ſed ſucco naturalis alimoniæ præſepia ſancta pauerunt. Hic eſt dominus, hoc præſepe, quo nobis diuinũ myſterium reuelatum eſt. Irrationabiles gentes pecudum intra præſepia more viuentes, alimoniæ ſacræ vbertate paſcendas. Agnouit ergo aſina, ſecundum ſpecies, & forma gentilium præſepe *Pſal.22.* domini ſui. Et ideo dicit, Dominus paſcet me, & nihil mihi deerit. An mediocribus ſignis Deus probatur, quòd angeli miniſtrant, quòd magi adorant, quòd martyres confitentur. Ex vtero funditur, ſed coruſcat è cælo. Terreno in diuerſorio iacet, ſed cæleſti lumine fulget. Nupta peperit, ſed virgo concepit. Nupta concepit, ſed virgo generauit. Quod ſi ætas carnis ignara operis fuit, profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus excedebat carnis ætatem: Qui etiam paſtores faciebat in illa regione vigilare, cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum. Videte eccleſiæ ſurgentis exordium. Chriſtus naſcitur, & paſtores vigilare cœperunt. Qui gentium greges pecudum modo ante viuentes, in caulam domini congregarent, ne, quos ſpiritalium beſtiarum per effuſas noctium tenebras paterentur incurſus. Et bene paſtores vigilant, quos bonus paſtor informat. Grex igitur populus, nox ſæculum, paſtores ſunt ſacerdotes: aut fortaſſe etiam ille ſit paſtor, cui di- *Apoc.3.* citur, Eſto vigilans, & confirma: quia non ſolum epiſcopos ad tuendum gregem dominus ordinauit, ſed etiam angelos deſtinauit. *Ecce angelus domini ſtetit ante illos.* Videte quemadmodum diuina cura fidem aſtruat. Angelus Mariam, angelus Ioſeph, angelus paſtores edocet. Non ſatis eſt, ſemel miſſum duobus enim, & tribus teſtibus ſtat omne verbum. *Matt.18.* *Et facta eſt cum angelo multitudo, &c.* Bene angelorum nominantur exercitus, qui ducem cçleſtis militiæ ſequebantur. Cui igitur laudem angeli, niſi domino ſuo dicerẽt, iuxta quod ſcriptum eſt, Laudate dominum de cælis, laudate eum in excelſis, Laudate eum omnes angeli eius. *Pſal.148.* Impleta igitur prophetia eſt. Laudatur de cælis dominus, & videtur in terris. De quo ſanctus Marcus ait, Quia cum beſtiis erat, & angeli miniſtrabant *Marci 1.* ei. Vt in altero miſericordiç inſigne, in altero diuinæ indicium poteſtatis agnoſcas. Tuum eſt, quòd beſtias patitur, ſuum quòd ab angelis prædicatur.

¶ *Et aiunt: Videamus hoc verbum, &c.* Vides feſtinare paſtores. Nemo enim cũ deſidia Chriſtum requirit. Vides paſtores angelo credidiſſe: & tu patri filio, ſpiritui ſancto, angelis, prophetis, & apoſtolis credere non vis. Vide quàm ſignanter ſcriptura ſingulorum libret momenta verborum. Feſtinant inquit verbum videre. Etenim, cum caro domini videtur, verbum videtur, quod eſt filius. *Hoc intelligitur propter vnitatem ſuppoſiti.* Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum: non vilis perſona paſtorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo precioſior ad fidem. Non gymnaſia choris referta ſapientium, ſed plebem dominus ſimplicem requiſiuit: quæ phalerare audita, & fucare neſciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio deſideratur. Nec contẽnenda putes quaſi verba vilia prophetarum. A paſtoribus etiam Maria fidem colligit. A paſtoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur: *Mirati enim ſunt de ijs quæ dicebant à paſtoribus ad ipſos.* Diſcamus ſanctæ virginis in omnibus caſtitatem, quæ non minus ore pudica quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria à paſtoribus diſcit, cur tu *Non proprie didicit ex eis: ſed eorum, de quibus ab angelo erat edocta, ampliorem ſuſcepit confirmationem.* declinas diſcere à ſacerdotibus? Si Maria ante prçcepta apoſtolica tacet, cur tu poſt apoſtolica præcepta magis cupis docere quam diſcere? Diſce perſonæ vitium eſſe, non ſexus: ſexus enim ſanctus. Denique Maria præceptum non accepit, exemplum edidit.

EIVSDEM DE NATALI
Domini. Hom. 1.

VErum eſt, quod ait ſanctus Ioannes Baptiſta *Eſt ſermo 12.* de domino ſaluatore dicens, Illum oportet *Ioan.3.* creſcere: me autem minui. Siquidem hoc primum etiam ipſis temporibus approbatur. Ecce enim in natiuitate Chriſti dies creſcit, & Ioánis natiuitate decreſcit. Illo oriẽte, lux proficit, hoc naſcente, minuitur. Ipſa enim quodammodo tempora famulantia partibus ſuis, cum detrimentum faciunt, ſeruus gignitur, cum autem dominus naſcitur, conſequuntur augmentum. Profectum plane facit dies, cum mundi ſaluator oritur, defectum patitur, cum vltimus propheta generatur. Scriptũ eſt enim, Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem: *Luc.16.* Atque ideo neceſſe erat, vt obſcuraretur legis obſeruatio, vbi euocatio, vbi euangelij gratia refulgebat: & ceſſaret prophetia veteris teſtamẽti, cum noui teſtamenti gratia ſuccedebat: Ergo in natiuitate domini proficit dies. Non mirum, ſi proficit

 dies,

dies, quam ſplendiſſima lux veritatis illuminat: Ioan. 1. Ait eim Euangeliſta de Chriſto domino; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem: Cur non illuminaret mundum? Atque ideo Dies, quæ lucem humano generi peperit, prius ipſa eiuſdem lucis fulgore reſplenduit: & concluſa iam ſpacia ſua noctium tenebras dominicæ lucis nitore diſcuſſit. Occupauerat enim totam diem noctium longitudo: niſi in ipſa dierum breuitate Chriſti refulſiſſet aduentus. Qui ſicut ortu ſuo humani generis peccatorum tenebras diſcuſſit; ita & die natiuitatis ſuæ caliginum tenebras amputauit:& & vno, eodemque ortu lucem pariter intulit hominibus,& diebus. Vnde non eſt mirum, ſi creſcit Dies, quæ gemino fulgoris ſplendore veſtitur. Sed videamus adhuc quomodo dominus ſaluator creſcat, Ioannes Baptiſta decreſcat. Diximus in ſuperioribus, quòd Ioannes quidem figuram legis, prophetarumque geſtauerit: neceſſe erat ergo, vt deficeret lex, euãgelio coruſcante:& minueretur Iudaicus populus, populo chriſtiano ſurgente. Quis enim dubitat de natiuitate domini Synagogæ eſſe cõuenticula vacuata, plebes multiplicatas eccleſiæ,& mirum in modum quotidie Chriſtum per chriſtianos ſuos creſcere, Ioannem minui per Iudæos, hos diei dominici ſplendore fulgere, illos obſcuritate noctium laborare? Nox enim ſuper Iudæos quodãmodo maior incubuit, Matt. 27. ex quo dixerunt de nece ſaluatoris, Sanguis huius ſuper nos,& ſuper filios noſtros. Maioribus plane ſunt noctiũ tenebris obſcurati, ex quo conati ſunt diem veritatis occidere. Hoc autẽ quod dicimus, vt verius approbare poſſimus, vtriuſque natiuitatem breuiter exponamus. Ecce enim cum naſcitur Chriſtus, exultãt angeli, paſtores peruigilant, magi adueniunt, ſtella præcedit, & cuncta, quæ ſunt in cælis terriſque pulcherrima, ipſi domino deferuntur. Deferuntur enim illi gloria per angelos, claritas per ſtellam, religio per magos, ſimplitas per paſtores. Et quòd apud ipſum ſolũ futura eſſent hæc omnia, naſcenti illi vniuerſa famulantur. Cum aũt Ioãnes cõcipitur, Zacharias obmuteſcit, ſolennis cõticeſcit ſacerdos, Elizabet mater abſcõditur: ſignificãs poſt ortum ſuum legis ſilentiũ, amiſſionẽ ſacerdotij, latebras Synagogæ. Dubium autẽ non eſt quòd Ioannes natus phariſæis iuſtitiã legis abſtulerit: quia cõceptus patri abſtulit vocis obſequiũ. Creſcit igitur dominus ſemper, Ioannes Baptiſta minuitur. Non ideo minuitur, quod meritis aliquid derogetur: ſed quoniam ſaluatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor fieri videtur. Lucerna denique vocatur Ioannes, dicente Ioann. 5 domino. Ille erat lucerna ardens. Lucernæ igitur obſcuratur lumen: cũ radius ſolis effulget:& defectionem quãdam lampadæ ſuæ patitur: cũ clarioris lucis ſplendore ſuperatur. Quis enim ſapiens lucernam requirat in ſole? Non quidem extinguitur, ſed neceſſaria non habetur, hoc eſt, quis ad Ioannis pœnitentiæ baptiſmum veniat, cum poſſit ſaluatoris baptiſmo ſaluari? Nõ quidẽ illud reprehenditur: ſed hoc magis vtile,& neceſſarium iudicatur: quia in eo remiſſio peccatorum tribuitur.

EIVSDEM DE EODEM
Hom. 2.

Eſt ſerm. 13. QVa gratia, vel quibus laudibus hunc diem natalis domini prædicemus, prorſus ignoro. In tãta enim feſtiuitate ad magnificandum Deum humana loquela non ſufficit. Nam, ſi tunc, cum naſcebatur Chriſtus, angelorum voce laudatus eſt; nunc humana laudãdus eſt voce, cum regnat. Supergreditur enim illius temporis feſtiuitatem noſtra ſolennitas. Siquidem tunc ſtupuerunt illi tantum naſcentem dominum: nos illum ſuſcipimus naſcentem, reſurgentem pariter, & regnantem. Tanto igitur facundior laudatio eſſe debet humani temporis, quanto ſunt maiora miracula. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non poteſt humana fragilitas, ad angelorum nos præconia conferamus. Et quia merito eos æquiparare non poſſumus, deuotione comitemur: hoc eſt, in ea feſtiuitate eadem qua illi lætitia nos ſententiam perſultemus dicentes; Gloria in excelſis Luc. 2. Deo:& in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Digna plane,& iuſta ſententia, quæ in natiuitate Chriſti & Deo honorem repræſentat in cælis, & hominibus pacem præſentat in terris. Ante ſaluatoris enim ortum nec cæleſtia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem poſſidebant. Sed videte quod dicat ipſa ſententia; Pax in hominibus bonæ voluntatis: Non in quibuſcunque hominibus, ſed bonæ voluntatis hominibus: vt intelligas pacem Chriſti non debiti eſſe, ſed meriti. Non enim eam meriti angeli in ea nocte, qua paſtores naſcentem dominum ſuper gregem ſuum vigilias obſeruantes primi præ omnibus didicerunt. Ipſi enim primi ortum ſaluatoris ante omnes homines, intimantibus angelis, cognouerunt. Vnde mirum eſt, quod prius redemptionem ſæculi potuerint ſcire quàm principes. Non enim angeli annunciauerunt regibus, non iudicibus, ſed hominibus ruſticanis. Non ergo iam mirandum eſt, ſi Chriſti gratiam ante ſcire meruerit innocentia quam poteſtas, & prius cognoſcere veritatem ſimplex ruſticatio quàm ſuperba dominatio. Quod enim cognouerunt paſtores; principes cognoſcere nequiuerunt. Vnde & beatus Apoſtolus 1. Cor. 2. ait, Quam nemo principum ſæculi huius cognouit, & reliqua. Ergo in natiuitate domini angeli pariter cum paſtoribus ſunt lætati, excelſam Deo dicentes gloriam. Nam vicinis quodammodo & iunctis choris Dei gloriam prædicauerunt. Vnde & credo eoſdem angelos in eiuſdem domini eadem feſtiuitate ſimili nobiſcum lætitiæ vicinitate gaudere. Nam quæ ſolent propter Chriſti ortum alloqui paſtores, non poſſunt propter eiuſdem Chriſti gaudium nõ inquirere ſacerdotes. Siquidem & quod tunc ad illos ſuper gregem ſuum vigilias obſeruantes, nocte intempeſta locuti ſunt, huius temporis myſterium deſignabant. Nam illo facto hoc vtique monſtrabatur: gregem populum, noctem ſæculum, ſacerdotes eſſe paſtores: qui iugi ſuper plebẽ ſollicitudine vigilantes propter Chriſtum ab angelis minime deſerũtur. Hodierna igitur die ſecundum carnem natus eſt dominus: ita ſecreto, ita ſilentio, vt ortum eius ſeculum penitus ignoraret. Ignorauit enim ſeculum, quia & extra conſcientiam patris natus, & extra ordinem naturæ conceptus. Nam Ioſeph conceptum ſuſcepit filium, quem non genuit, Maria partum edidit, quem ſexus conſuetudine nõ creauit. Sic igitur natus eſt dominus: vt ortum eius nemo futurum ſuſpicaretur, nemo crederet, nemo ſentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum: quòd poſtea quã factũ eſt, factũ eſſe vix credunt?

dunt? Nam quòd ita latenter, & ſecreto ſaluator deſcêſurus eſſet in virginem,iam ante Dauid propheta teſtatus eſt dicens; Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Quid enim tam ſilenter,& ſine ſtrepitu fit quàm cû imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſſionis aſpergit: Sed ſine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effuſum partes toto corpore in ſe trahit:vnius meatus ſciſſuram neſciens ſolida mollicie plures præbens meatus: & quòd clauſum videtur per denſitatem, eſt patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur: quæ ita concepit dominum, vt toto eum hauriret corpore: nec eius diſciſſuram corporis pateretur:ſed eſſet mollis ad obſequium,ſolida ad ſanctimoniam. Rectè inquâ Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta texũtur. Vellus plane Maria eſt:ſiquidem de molli ſinu eius agnus egreſſus eſt: qui & ipſe matris lanicium, hoc eſt, carnem geſtans molli vellere cunctorum operit vulnera populorû. Omne enim peccati vulnus Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fouetur ſanguine: & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur.

Pſal. 71.

EIVSDEM DE EODEM *Homil. 3.*

Z ſ ſerm. 14. LÆticia quanta ſit,quantuſqne concurſus, cû Imperatoris mundi iſtius natalis celebrandus eſt,bene noſtis: quemadmodum duces, & principes omnes etiam militantes accurate ſericis veſtibus accincti, operoſis cingulis auro fulgente precioſis ambiunt ſolito nitidius in conſpectu regis incedere. Credunt enim maius eſſe Imperatoris gaudium, ſi viderit maiorem ſuæ apparitionis ornatum,tantoque illum lætum futurum,quanto ipſi fuerint in eius feſtiuitate deuoti: vt quia Imperator tanquam homo corda non conſpicit, affectum eorum circa ſe probet, vel habitum contuendo:ita fit vt ſplendidius ſe accuret, quiſquis regem fidelius diligit. Deinde quia in die natalis ſui ſciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel miniſtris ſuis,vel iis qui in domo eius abiecti putantur, & viles: tanta prius theſauros eius replere diuitiarum varietate feſtinant: vt inquantum prorogare voluerit, intantum protogatio copioſa non deſit: & ante voluntas donandi deficiat quàm ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideo ſollicite faciunt:quia maiorem ſibi remunerationem pro hac ſollicitudine ſperant futuram. Si ergo,fratres,ſæculi iſtius homines propter præſentis honoris gloriã terreni regis ſui natalis diem tanta apparatione ſuſcipiunt, qua nos accuratione æterni regis noſtri Ieſu Chriſti natalem ſuſcipere debemus,qui pro deuotione noſtra non nobis temporalem largietur gloriam, ſed æternam, nec terreni honoris admiſtrationem dabit, quæ ſucceſſore finitur,ſed cæleſtis imperij dignitatem, quæ non habet ſucceſſorem? Qualis autem noſtra remuneratio ſit futura, dicit propheta; Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit dominus diligentibus ſe: quibus indumentis nos exornari oportet? Quòd autem diximus nos, hoc eſt, animas noſtras:quia rex noſter Chriſtus non tam nitorê veſtium quàm animarum requirit affectum: nec inſpicit ornamenta corporum, ſed conſiderat corda meritorum, nec fragilis cinguli præcingentis lumbos,pretioſitatem miratur,ſed fortis caſtimoniæ reſtringentis libidinê ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipſum probati fide, compti miſericordia, moribus accurati,& qui fidelius Chriſtũ diligit,nitidius ſe mãdatorũ eius obſeruatione cõponat:vt vere nos in ſe credere videat:cũ ita in eius ſolênitate fulgemus: & eo magis lætus ſit quo nos perſpexerit puriores:atque ideo ante complures dies caſtificemus corda noſtra,mũdemus conſcientiã, purificemus ſpiritum, ac nitidi & ſine macula immaculati domini ſuſcipiamus aduentum: vt, cuius natiuitas per immaculatam virginem conſtitit, eius natalis per immaculatos ſeruulos procuretur. Quiſquis enim in illa die ſordidus fuerit, ac pollutus, natalem Chriſti, ornumque non curat, interſit licet dominicæ feſtiuitati corpore, mente tamen longius à ſaluatore ſeparatur; nec ſocietatem habere poterunt immundus,& ſanctus,auarus, & miſericors,corruptus, & virgo, niſi quòd magis ingerendo ſe indignus offenſionem côtrahit,cum minime ſe cognoſcit. Dum enim vult officioſus eſſe, iniurioſus exiſtit. Sicut ille in euangelio, qui in cætu ſanctorum inuitatus ad nuptias venire auſus eſt,veſtem nõ habens nuptialem:& cum alius niteret iuſticia, alius luceret fide,alius caſtitate fulgeret,ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus,cũctis ſplendentibus deformi horrore ſordebat. Et quanto plus ſimul diſcũbentium beatorum candebat ſanctitas,tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan ſi in conſortium iuſtorum minime ſe dediſſet. Propterea ergo ſublatis manibus, & pedibus,in tenebras exteriores expellitur, non ſolum,quòd peccator erat, ſed quia cum peccator eſſet, ſanctitatis ſibi meritum vendicabat. Igitur, fratres, ſuſcepturi natalem domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus theſauros eius diuerſorum munerum donis, vt in die ſancta ſit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes veſtiantur. Nam quale erit,ſi in vna, eademque domo inter ſeruulos vnius domini alter exultet in holoſericis,alter conſumatur in pannis, alius æſtuet cibo: alius famê frigúſque ſuſtineat: ille eructet heſternam indigeſtionis crapulam,hic heſternam ieiunij inediam non reſoluat? Aut qui erit noſtrę orationis effectus,ſi petimus vt liberemur ab inimico, qui non ſumus liberales in fratres? Simus imitatores domini noſtri. Si enim ille pauperes in cæleſti gratia voluit nobis eſſe conſortes: cur nobis non ſint in ſubſtantia terrena conſortes? Nec extranei ſint alimoniis, qui fratres ſunt ſacramentis: niſi quod rectius apud dominũ per ipſos agimus cauſam noſtram: vt noſtris eos alamus ſumptibus, qui illi gratias agant. Quicquid autem pauper dominum benedicit, illi proficit,quo faciente, dominus benedicitur. Et ſicut ſcriptum eſt de illo; Væ illi homini,per quem nomen domini blaſphematur:ita & de iſto ſcriptum eſt; Pax huic homini, per quem nomen domini benedicitur ſaluatoris. Quale autem eſt meritum largientis:vt ſolus quis operetur in domo: & per multos eccleſia dominum deprecetur. Et quod ille fortaſſis petere de diuinitate non audeat, plurimorum interpellantium rationibus etiam quod deſperabat accipiat. Quod adiutorium noſtrum com-

Matth 22.

Eſa. 64. 1. Cor. 2.

commemorans beatus Apoſtolus ait; Vt per multos gratiarum actio referatur pro nobis. Et iterum; Vt fiat accepta ſanctificata in ſpiritu ſancto.

EIVSDEM DE EODEM
Hom. 4.

Eiſ. Serm. 35. SAtis, abundeque dixiſſe me credo ſuperiore dominica, quemadmodum compti, vel nitidi natalem domini ſuſcipere debeamus: & ſuperuenientem feſtiuitatem eius ambitione retinere. Retinere inquam, vt ſi dies ſolênitatis tranſeat, apud nos ſanctificationis eius beatitudo permaneat. Hæc enim gratia natalis eſt domini ſaluatoris, vt in futurũ ad prædeſtinatos tranſeat, in præteritum remaneat ad deuotos. Oportet ergo eſſe nos ſanctitate puros, mũdos pudicitia, nitidos honeſtate: vt quo diem feſtum aduenire propinquius cernimus, hoc accuratius incedamus. Si enim mulierculæ ſolent aliquas ſuſceptura maculas veſtium ſuarum aqua diluere, cur non magis nos accepturi natalem domini maculas animarum noſtrarum fletibus abluamus? Et ille quidem ſi adeo infectæ, & obſcuratæ ſordibus fuerint, vt maculas ſola aqua non purget, adducunt molliciem olei, ſaponis etiam acrimoniam. Nos quoque, ſi tam graue peccatum fuerit, vt minimè ſolis fletibus abluatur, addamus miſericordiæ oleum, acrimoniamque ieiunij. *Nota vim quam habent opera ſatisfactoria.* Nullum enim tam graue delictum eſt quod non purgetur abſtinentia, eleemoſynis extinguatur. Ait enim ſanctus propheta; Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Eccleſ. 3.* Magna ergo eſt eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos beniuolentiæ ſuę fonte refrigerat: & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: vt, quamuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemoſynis, quem diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam: & in vno, eodemque homine nunc ſeueritate iudicis permoueri, nunc patris pietate blandiri. Pater enim nobis Deus eſt, cum bene agimus; iudex noſter eſt, cum peccamus. Compellitur ergo operibus noſtris dominus: vt nobis ſua miſericordia largiatur: atque ideo ipſe in Euangelio ſancto dicit; A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum cogitur. *Matth. 11.* Regnum cælorum non niſi Chriſtus eſt dominus, qui regnat in cælis. Cogi autem verbum tunc ſolet dici: cum res aliqua rarior aſſidua operatione denſatur. Ex quo ergo Ioannes Baptiſta ſaluatoris annunciauit aduentum, ex eo regnum cælorum, quod prius fluidum, & remiſſum apud Iudęos iacebat: credentium populorum cępit aſſiduitate denſari, & omnis illa regni raritas prędicationum frequentatione ſolidari. Tam enim rarum fuit apud Iudæos regnum, vt tranſiret ad gentes; tam fluidum, vt emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur denſitate, vt fixum, & ſolidum maneat ſine fine. Sicut ſcriptura dicit; Et regni eius non erit finis. *Luca 1.* Cogimus ergo regnum cælorum, & vim quodammodo facimus: Sicut ait Euangelica lectio; Et vim facientes diripiunt illud. *Matth. 11.* Vim inquam facimus domino, non compellendo, ſed flendo, non prouocando iniuriis, ſed lachrymis exorando, non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur! Beata inquam violentia, quę vim patientis bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo cauſatur; vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto. Aggredimur ergo in itinere dominum: ſiquidem ipſe eſt via, & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, theſauros, & vitam; ſed ille tam diues, & largus eſt, vt non abnuat, non reſiſtat; & cum omnia dederit, nihilominus ipſe omnia poſſideat. Aggredimur inquam illum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſione certamus. Vt autem his armis vti in vi inferenda poſſimus, ante corporibus noſtris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, vt virtutum pręmia conſequamur. Prius enim ipſi regnare debemus in nobis, vt regnum poſſimus diripere ſaluatoris. Ait ergo Euãgelium; Et vim facientes diripiunt illud. *Ibidem.* Raptores igitur ſumus, raptores autem non niſi diripiunt aliena. Agnoſco veram eſſe ſententiam. Chriſtum enim eccleſia rapuit ſynagogę, & alienæ gentis regnum vim faciendo poſſedit. Nam ſaluator miſſus ſub lege, natus in lege, nutritus iuxta legem, dum à Iudęis negligitur, à gentibus occupatur; & dum à ſacerdotibus perditur, à peccatoribus inuenitur. Sicut ipſe ait; Publicani, & peccatores præcedunt vos in regno cælorum. *Ibidem. 21.* Raptores igitur ſumus: mirandum non eſt quippe, qui à tali auctore deſcendimus. Scriptum eſt enim de patriarcha noſtro Ben-iamin; Lupus rapax. *Geneſ. 49.* Rapit enim, quod ſuum non eſt: ita & nos velut filij rapacis lupi alienarum paſtorem ouium noſtra intentione præripimus, Sicut ipſe dicit; Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. *Matth. 15.* Rapitur itaque Chriſtus, cum à Iudæis dimittitur, & ab aliis prædicatur. Rapitur Chriſtus, cum occiditur à Iudæis, ſepelitur à nobis. Rapitur Chriſtus à vigilantibus diſcipulis, à dormientibus perditur phariſæis: Sicut mentiendo ipſi confeſſi ſunt, dum cuſtodias ponerent ſepulturæ poſt reſurrectionem domini dicentes; Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. *Matth. 28.* Vnde ſpiritualiter intelligimus, quia Chriſtum omnes dormientes perdunt, vigilantes inueniunt: Atque ideo Apoſtolus dicit; Surge qui dormis: & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. *Epheſ. 5.* Vides ergo mortuum eſſe, qui ita dormit, vt non cuſtodiat ſaluatorem. Et ideo illi phariſæi velut mortui non potuerunt ſeruare viuentem. Propterea, fratres, non dormiamus: ſed vigilemus circa ipſum dominum noſtrum, ſaluatorem, vt appoſitis iugiter cuſtodiis, nemo illum auferat de ſepultura pectoris noſtri: nec dicamus aliquando, Venerunt, & dormientibus nobis, furati ſunt eum. Habemus enim inimicos, qui Chriſtum de cordibus noſtris, ſi obdormierimus, auferre nitantur. Vnde peruigili cura ſeruemus eum in ſepulchro animarum noſtrarum: ibi perquieſcat, ibi dormiat, ibi cum voluerit & reſurgat.

EIVSDEM

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 5.

Eſt ſermo 16. Bene quodammodo ſanctam hanc diem natalis domini ſolem nouum vulgus appellat: & tanta ſui auctoritate id cõfirmat: vt Iudæi etiam, atque gentiles in hac voce conſentiant. Quod libenter amplectendum nobis eſt: quia oriente ſaluatore, non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam ſolis ipſius claritas innouatur: Sicut ait apoſtolus, Vt per ipſum reſtauret omnia, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terra ſunt. Si enim obſcuratur ſol, cum Chriſtus patitur, neceſſe eſt illum ſplendidius ſolito lucere, cũ naſcitur. Et ſi Iudæis mortem operãtibus offundit tenebras: cur non Mariæ parturienti vitæ exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quòd naſcente Chriſto, ſol ad obſequium lucidior aduenerit: cum magos ad indicium clarior ſtella præceſſerit? Et ſi ſtella per diem alieni temporis officium miniſtrauit, cur non credamus, quòd ſol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpſerit? Ea eo denique factum puto, vt nox decreſceret, dum ſol feſtinus ob dominicæ natiuitatis obſequium ante mundo lucem protulit: quam nox curſum ſui temporis conſummaret. Quin potius ipſam noctem fuiſſe non dico, nec aliquid obſcuritatis habuiſſe: in qua paſtores peruigilant, exultant angeli, aſtra deſeruiunt. Nec mirari debemus, quòd in natiuitate Chriſti noua omnia facta ſunt: cum nouum hoc ipſum fuerit, quòd virgo peperit. Si autem præter ſolitum natiuitas extitit: & præter ſolitum obſequia ſunt delata. Ergo oriente domino, paſtores peruigilant, exultant angeli, ſol obſequitur, ſtella famulatur. Et quidem angeli vel paſtores gaudia ſua voce vel ſermonibus proſequuntur: Elemẽta autem iſta, gaudia ſua, quia voce non poterant, officio proteſtantur. Sol igitur præter conſuetudinem in hac feſtiuitate matutinus illuxit. *Ioſue 10.* Nec mirum. Si enim ad Ieſu Naue orationem defixus ſtetit in die: cur non ad Ieſu Chriſti natiuitatem feſtinus promoueret in noctem? Solem igitur nouum hanc diem vulgus appellat: & cum dicit nouum, vtique & veterem eſſe demonſtrat. Veterem autem dixerim huius mundi ſolem, qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui nubibus obſcuratur. Veterem dixerim ſolem, qui vanitati ſubiacet, qui corruptionem metuit, qui iudicium pertimeſcit. Scriptum *Ioel. 2.* eſt enim, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem. Veterem inquam dixerim, qui ſceleribus intereſt hominum, adulteris non refugit, homicidium non declinat. Et cum omne genus hominum nolit eſſe medium, cum aliquod crimen admittitur, hic ſolus in cunctis facinoribus ſtat. Ergo quia hunc veterem eſſe manifeſtum eſt, nouũ quem niſi Chriſtum dominum reperimus? De quo ſcriptum eſt, Orietur vobis ſol iuſtitiæ. *Malach. 4.* *Sap. 5.* De quo etiam ex perſona peccatorum dicit propheta, Sol non eſt ortus nobis: & iuſtitiæ lumen non luxit nobis: Hic enim ſol, cum diaboli tenebris vniuerſus mundus eſſet oppreſſus, & caligo referta criminibus ſeculorum poſſideret, dignatus eſt vltimo tempore, hoc eſt, incumbente iam nocte, ortum ſuæ natiuitatis infundere. Primo quidem ante lucem, hoc eſt, antequam illuminaret iuſtitiæ ſol: velut matutinum quoddam prophetarum miſit oſculũ. Sicut ſcriptum eſt; Mittebam prophetas meos ante lucem. Poſtea vero ipſe cum ſuis radiis, hoc eſt, cum apoſtolorũ ſuorum fulgore ſplenduit: ac tanta mundum veritatis luce diſcuſſit, vt diaboli tenebra nullos offenderet. Hic eſt igitur ſol nouus, qui clauſtra penetrat, inferna reſerat, corda rimatur. Hic nouus eſt ſol, qui ſpiritu ſuo viuificat mortua, corrupta reparat, ſuſcitat iã defuncta, vel qui calore ſuo purgat ſordida, exurit fluida, decoquit vitioſa. Ipſe inquam eſt, qui in cunctis actibus noſtris perſpicit omnia opera noſtra, & non tam condemnat crimina quam emendat, Hic plane eſt ſol iuſtus, & ſapiens: qui non ſine diſcretione ſicut iſtius ſol mũdi bonis, ac malis ſimiliter circũfertur, ſed quodam iudicio veritatis ſancto lucet, occidit peccatori. Hoc autem inter vtrumque intereſt ſolem, quòd ille iudicium metuit, hic iudicium cõminatur, quòd ille corruptionis miniſter eſt, hic æternitatis eſt dominus, quòd ille creatura eſt, hic creator. Tamen iſtum mũdi ſolem priuſquam oritur, adhuc ante lucem propter neceſſarios vſus hominũ ſolet lucerna præcedere. Habet autem & Chriſtus ſol lucernam ſuam, quæ eius ortum præceſſit: Sicut dicit propheta, Paraui lucernã Chriſto meo. *Pſal. 131.* Quæ autem iſta lucerna ſit: oſtendit dominus dicens de Ioanne Baptiſta, Ille erat lucerna ardens. *Ioan. 5.* Ipſe autem Ioannes vt præcedens lucernæ lumen exiguum ait, Ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorum eius: ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igni. *Ibidem 1.* Simul etiam intelligens lumen ſuum ſolis radiis offuſcandum, ante prædicit, Illũ oportet creſcere, me autem minui. *Ioan. 3.* Sicut enim lucernæ claritas deſtruitur ſolis aduentu, ita & Ioannis pœnitentiæ baptiſmum, ſuperueniente Chriſti gratia, vacuatum eſt. Videamus igitur, hic ſol noſter nouus quo fonte naſcatur, ſicut eſt verum, Deo oritur auctore. Diuinitatis ergo eſt filius. Diuinitatis inquam incorruptæ, integræ, illibatæ, intelligo plane myſterium. Ideo enim ſecunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per diuinitatem conſtiterat illibata: vt, cuius prior natiuitas glorioſa extitit, eius ſecunda contumelioſa non fieret, hoc eſt, vt quemadmodum virgo diuinitas ediderat, ita eum & virgo Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem ſcribitur, ſicut legimus in euangelio dicentibus phariſæis, Nonne hic eſt filius Ioſeph fabri, & mater eius Maria eſt? *Matth. 13.* In hoc quoque aduerte myſterium. Faber pater dicitur Chriſti. Et plane pater faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt. Et plane faber: ſed qui in diluuio Noe arcam fabricare diſpoſuit. Faber inquam eſt, qui ordinauit Moyſi tabernaculum: arcam teſtamenti inſtituit, templum Salomonis erexit. Fabrum dixerim, qui mentes rigidas expolit, cogitationes ſuperbas recidit, humilia facta ſublimat. Hic autem faber circa arbores curuo vtitur ferramento: Sicut in euangelio legimus, dicente Ioanne, Iam ſecuris ad radices arborum poſita eſt. *Matth. 3.* Omnis arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. *Ibidem 7.* Hoc enim agit totum, vt vtiles cæleſtis fabricæ arbores in futuro componat, infructuoſas vero euulſas radicitus flammarum conſumat incendio.

S. GAV

S. GAVDENTII EPISCOPI Brixienſis in idem feſtum. Hom.

Habetur in Bibliotheca SS. patrum. PEr omnes diuini eloquij libros filius Dei non ſolù Deus, ſed & homo, ac filius hominis prædicatur. In veteri quidem teſtamento prænunciatur, atque promittitur. In nouo autem demóſtratur, & creditur, quoniam vetus lex, vt ait Apoſtolus, vmbra erat futurorum bonorum, illorum quippè bonorum, quæ compleri noſcuntur in *Heb. 10.* Chriſto, quibus homo humani generis hodie per beatiſſimam virginem natus, redintegrauit imaginem, venenato ſerpentis morſu corruptam: vt qui opifex, à mundi principio fuerat, eſſet vſque in conſummatione ſeculi, reparator. Quis hanc pietatem digne mirari ſufficiat? quis tantę bonitatis idoneus prædicator exiſtat? quis proteſtari ſufficiat immenſum, inæſtimabilem Deum, ob noſtram vitam fieri voluiſſe, quod homo eſt, & vniuerſarum virtutum cæleſtium conditorem, ad huius terrenæ carnis humilia deſcendiſſe? ſic tamen homo pro nobis factus eſt, vt non deſineret eſſe, quod Deus eſt. Nam licet verbum, caro factum ſit (vt Euangeliſta teſtatur) tamen quia permanet *Ioan. 1.* eſſe quod ante hominem fuerat, additur ſtatim: Et habitauit in nobis: Quo dicto, & habitator oſtenditur, & habitaculum pariter demonſtratur. Sic ergo cœpit eſſe quod prius non erat, vt non deſiſteret eſſe, quod erat. Hanc omnipotentiam filij Dei, & hominis etiam mater virgo teſtatur, quæ de ſpiritu ſancto concipiens, ita Deum, & hominem, quem pudico vtero guſtauerat, edidit, vt apud incorruptam tanti nominis matrem, prius diuinum partum glorioſior integritas permaneret. Diuinum rectè dicimus partum, quia Deus eſt iſte, qui per virginem natus in carne eſt, dicente, Gabriele Archangelo ad eandem: Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, ex quo enim *Luca 1.* carnem noſtræ fragilitatis aſſumpſit, idem filius eſt hominis, qui & Dei, quia non alius ex Maria natus eſt, quam qui per maternas illapſus aures vterum virginis oppleuit, ſancto videlicet ſpiritu *Prouerb. 9.* ipſe formans hominem ſuum. Siquidem ſapientia ædificauit ſibi domum, habitaculum quippè corporis noſtri iam ſuum, quo habitaculo indutus eſt, ſine vllo damno integritatis maternæ egreditur. Nam beatiſſima Maria incorruptibilem pariens, & mater, & virgo eſt; Hæc ad demonſtrandum incarnationis filij Dei myſterium breuiter dixerim.

S. IOANNIS CHRYSOS. in idem Euang. Homil.

Eſt Hom. 3. Luca quæ nō Chryſoſt. ET *reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Et reclinauit eum mater, Ioſeph autem non audebat eum attingere, quem ſciebat, de ſe non eſſe generatum: mirabatur, gaudebat natum, & natum non audebat attingere, & reclinauit eum in præſepio. Quare in præſepio? vt com- *Eſa. 1 a* pleretur vaticiniũ Eſaiæ prophetæ, Cognouit bos *Pſal. 35. b* poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepium domini ſui. Scriptum eſt in alio loco; Homines & iumenta ſaluos facies domine. Si homo es, panem comede: ſi animal es, ad præſepe accede. *Quia nõ erat ei locus in diuerſorio.* Omnia enim iudicia infidelitas repleuerat. Nõ inuenit locum in ſancto ſanctorum, qui auro, gemmis, ſerico, & argento fulgebat: & tamen non naſcitur inter aurum, & diuitias, ſed in ſtercore naſcitur, hoc eſt, in ſtabulo: Vbicunque enim ſtabulum, ibi & ſtercus eſt, vbi erant ſpurcitiora peccata noſtra. Propterea in ſtercore naſcitur, vt eos, qui ſunt de ſtercore, ſubleuet. Leuans de *Pſal. 112.* ſtercore inopem. In ſtercore naſcitur, vbi & Iob & ſedebat & poſtea coronatus eſt. *Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Quicunque pauper eſt accipiet conſolationem, Ioſeph & Maria mater domini non habebant ſeruulum, non ancillam, de Galilæa, de Nazareth ſoli veniunt, non habebant iumentum: ipſi ſunt domini, & famuli. Rem nouam, ingrediuntur in diuerſorium, non ingrediuntur in ciuitatem: paupertas enim timida, inter diuites non audebat accedere. Videte magnitudinem paupertatis, in diuerſorium vadunt: non dixit, quod erat in via, ſed in diuerticulo erat extra in via, hoc eſt, non in via ſed extra viam. Non in via legis, ſed in diuerticulo Euangelij, & tamen in ipſo diuerticulo erant. Alibi nullus locus vacabat ad natiuitatem ſaluatoris, niſi præſepe, præſepe ad quod iumenta, & aſini ligabantur. O ſi mihi liceret videre illud præſepe, in quod dominus iacuit. Nunc nos Chriſtiani quaſi pro honore tulimus luteum, & poſuimus argenteum: ſed mihi precioſius illud eſt, quod ablatum eſt: argentum, & aurum meretur Gentilitas: Chriſtiana fides meretur luteum illud præſepe. Qui in iſto præſepi natus *Vides aliena precioſa donaria eccleſiis offerri ſolita, quæ author non reprobat, ſicut ſ[illegible] nouatores.* eſt, aurum condemnat, & argentum. Non condemno eos, qui honoris cauſa fecerunt: neque enim illos condemno, qui in templo fecerunt vaſa aurea, ſed admiror dominum, qui creator eſt mundi, quòd non inter aurum, & argentum, ſed in luto naſcitur. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes.* Non inuenerunt Chriſtum, niſi vigilantes: paſtorum eſt, vigilare. Non inuenitur Chriſtus, niſi vigilantibus paſtoribus. Vnde dicit & ſponſa; *Cantic. 5. a* Ego dormio, & cor meum vigilat: &, Non dormi- *Pſal. 120. a* tabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. *Paſtores erant in regione eadem.* Herodes erat, põtifices erant, Phariſæi erant, illis dormientibus, Chriſtus in eremo inuenitur. *Vigilantes paſtores, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Cuſtodiebant enim gregem, ne, dum dormiunt, lupus irrumperet: & ideo multum vigilabant, quia inſidiæ beſtiarum ſatis imminebant gregi. Vigilabant, quaſi ſuper gregem, ſed non poterant conſeruare: propterea deprecabantur, vt dominus veniat, & ſeruet gregem ſuum. *Ecce angelus domini ſtetit iuxta illos.* Digni erãt, vt veniret ad illos angelus, qui ſic vigilabant. *Et claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt.* Humanus timor maiorem viſionem aſpicere non poteſt. Denique, quia timore fuerunt perterriti, propterea emplaſtrum quaſi vulneribus datur, & ſanatur, & dicitur; *Nolite timere.* Non enim poteſtis audire, quæ dico, niſi timor receſſerit. *Natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid.* Multa ſunt, quæ dicuntur. Cùm illi vtique mirarentur, *Subitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium dominum, & dicentium.* Quoniam vnus dixerat natiuitatem domini, ne vnus angelus teſtis videretur, propterea omnis exercitus ſonat, & dicit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra* *Contrà, nō angelis iam cõfirmati nō poſſunt amplius ruere.* *pax hominibus bonæ voluntatis.* Si quotidie in cælo ruinæ fiunt, quomodo in cælo gloria eſt, & in terra pax poſcitur? Videte quid dicitur, in cælis gloria, vbi

ria, vbi nulla diſſenſio eſt: in terra pax, vbi bella quotidie: in terra pax: in quibus pax? in hominibus. Et quare gentiles pacem non habent? quare Iudæi pacem non habent? adeo adiecit: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, hoc eſt, qui ſuſcipiunt natum Chriſtū. ❡ *Dixerunt vtique paſtores, Tranſeamus vſque Bethleem.* Dimittamus deſertum templum, & tranſeamus vſque ad Bethleem: *& videamus verbum, quod factum eſt.* Verè quaſi vigilantes non dixerūt, videamus puerum, videamus, quid dicitur: ſed, *videamus verbum, quod factum eſt.* In principio erat verbum: & verbum caro factum: Et verbum, quod ſemper fuit, videamus, quomodo pro nobis factum eſt: *& videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod fecit dominus, & oſtendit nobis.* Verbum hoc ipſum, ſi fecit, ſiquidem hoc ipſum verbum dominus eſt. Videamus igitur quomodo hoc ipſum verbum, hoc eſt, dominus ipſe fecerit, & oſtenderit nobis carnem ſuam. Quod enim videre non poteramus, dum erat verbum, videamus carnem: quia caro eſt, videamus quomodo verbum caro factum eſt. *Et venerunt feſtinantes.* Ardor enim animi, & deſiderium vincebant. Pedes non poterant tantum currere, quantum mēs cupiebat aſpicere. *Et venerunt feſtinantes*, quia tanto ardore currebant: propterea inueniunt, quem quærebant. Videamus quid inueniunt. *Mariam, & Ioſeph.* Si verè vxor erat, vtique iniuriæ erat dicere; Inuenerunt vxorem, inuenerunt maritum: nunc verò primùm fœminam ponunt, poſtea virum. Et quid dicit; *Inuenerunt Mariam, & Ioſeph?* Inuenerunt Mariam matrem, inuenerunt Ioſeph nutricium, & infantem poſitum in præſepio. *Videntes cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Quid vult hoc, quod dicit, *conferens*? Debuit dicere, ponens in corde ſuo: debuit dicere, conſiderabat in corde ſuo, & notabat ſibi. Aliquid dicit, *conferens in corde ſuo.* Quoniam ſancta erat, & ſanctas ſcripturas legerat, & ſciebat prophetas, recordabatur, quod angelus Gabriel ſibi dixerat illa, quæ dicta ſunt in prophetis. Cùm his videbat cōferens in corde ſuo, ſi ſtaret, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit te, propterea quod naſcetur de te ſanctum, vocabitur filius Dei. Hoc Gabriel dixerat, prædixerat Eſaias, Ecce virgo concipiet, & pariet. Hoc legerat, illud audierat. Videbat iacentem puerum, videbat in præſepi puerum vagientem, iacentem Dei filium, ſuum filium, vnum filium, videbat iacentem, & conferebat, quæ audierat, quæque legerat, cum iis, quæ videbat. Quia illa conferebat in corde ſuo, & nos tractemus in corde noſtro, quòd hodierna die Chriſtus naſcitur. Alij putant, quòd in Epiphaniis naſcitur, non damnemus aliorum opinionem, noſtram ſequamur doctrinam. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. Et forſitan reuelabit vtrisque dominus. Et illi, qui tunc dicunt naſci ſaluatorem, & nos, qui hodie dicimus naſci, vnum dominum colimus, vnum infantulum ſuſcipimus. Sed videamus, quia magis rationabilis ratio noſtra non reprehendit alios, ſed nos probat: non ſunt noſtra, quæ loquimur, maiorum ſententia eſt, vniuerſus mundus contra huius prouinciæ opinionem loquitur. Dicat aliquis, Hic Chriſtus natus eſt, ergo magis illi ſciunt, qui longè, quàm iſti qui prope ſunt? Vobis qui dixerunt? Qui ſunt in iſta prouincia? vtique Apoſtoli Petrus & Paulus, & cæteri Apoſtoli. Vos eieciſtis, nos ſuſcepimus. Petrus, qui hic fuit cum Ioanne, qui hic fuit cum Iacobo, nos in occidente docuit: & veſtri igitur, & noſtri Apoſtoli magiſtri ſunt. Dico & aliud: Iudæi eo tempore regnabant in Iudæa. Denique ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum; Et facta eſt perſecutio magna in illo tempore, & diſſipati ſunt credentes. Et iterum, In Cyprum venerunt Antiochiam: totum orbem penetrarunt, qui de Iudæa expulſi fuerant. Quomodo ergo & Iudæi regnabant poſt aſcenſionem domini quadraginta duobus annis? alibi pax erat, hic bellum erat. Magis itaque traditio ibi debuit ſeruari, quàm hic vbi diſcordia: deinde poſt quadraginta duos annos venit Veſpaſianus & Titus, ſubuerſa Hieroſolyma, atque deſtructa, omnes qui Iudæi fuerant, & Chriſtiani, penitus eiecerunt: deinde poſt annos multos vſque ad Adrianum ſolitudo manſit. In iſta prouincia nullus Iudæorum, nullus Chriſtianorum erat. Venit Adrianus, & quoniam rurſus in Galilæa rebellarunt Iudæi, reliquias ipſius ciuitatis deſolauit, legē tunc dedit, vt nullus Iudæorum Hieroſolymis accederet: Et in iſtam ciuitatem de diuerſis prouinciis adduxit neotericos. Denique dicebatur Adrianus Helius, Adrianus nomine ergo ſuo, quoniam Hieroſolymam ſubuerterat, Heliam nuncupauit. Hoc totum quare dico? Quia nobis dicunt: Hîc Apoſtoli fuerant, hîc traditio fuit: nos ergo dicimus, quia hodie Chriſtus natus eſt, in Epiphaniis renatus eſt. Vos ſtruite nobis generationem, & regenerationem, vos qui dicitis in Epiphaniis natum. Quando ergo accepit baptiſmum, niſi * verum euentum dicitis, vt in eadem die & natus ſit & renatus? Prædicationi noſtræ etiam creatura conſentit, mundus ipſe teſtis voci noſtræ. Vſque ad hanc diem tenebræ creſcunt, ab hac die decreſcunt tenebræ: lux creſcit, deſcreſcunt tenebræ: creſcit dies, decreſcit nox: errorem veritas ſubit, hodie nobis Sol iuſtitiæ naſcitur. Simúlque & aliud conſiderate: inter dominum & Ioannem Baptiſtam ſex menſes ſunt: ſi conſideretis natiuitatem Ioannis, & hanc diem, videbitis ſex menſes tantum habuiſſe. Quoniam verò multa diximus, & infantem vagientem in præſepi audiuimus, & adorauimus, vſque hodie adoremus illum. Tollamus illum in brachiis noſtris, adoremus illum Dei filium. Deus magnus, qui tanto tempore tonauit in cælo, & non ſaluauit: vagiit, & ſaluauit. Hoc totum quare dixi? Quoniam nunquam ſaluat ſuperbia, ſed ſaluat humilitas. Dei filius in cælo erat, & non adorabatur: in terram deſcendit, & adoratur: habebat ſub ſe ſolem, & lunam, & angelos, & non adorabatur, in terra naſcitur homo perfectus, homo totus, vt ſanaret totum orbem. Quicquid non aſſumpſit ex homine non ſaluauit: ſi autem aſſumpſit carnem, & animam non aſſumpſit, non ſaluauit. Saluauit ergo quod minus eſt, & quod maius eſt, non ſaluauit? ſi enim dicunt, ſaluauit & animam, quam aſſumpſit: ſicut maior eſt anima corpore, ſic ipſius animæ principalis † ſenſus eſt: ſi autem ſenſum nō ſaluauit, animam, quod minus, ſaluauit. Sed dicis propterea non aſſumpſit humanum ſenſum, ne vitia humana haberet in corde, hoc eſt cogitationes malas. Si ergo ipſe non potuit vincere, quod fecit: mihi indignatur, quod non poſſum vincere, quod ipſe debuit? Obliti ſumus propoſitum noſtrum: plus diximus, quàm cogitaueramus: aliud mens

Hinc apparet auctorem Latinū fuiſſe, cū in Græcis codicibus aliter legātur verba, quæ exponit prout apud Latinos leguntur.

Ioan. 1. b

Eſa. 7. c.

Id in Eccleſia Græca ſeruabatur.

De Ioāne legitur tempore Domitiani Romæ fuiſſe, ſed de Iacobo nō legitur niſi forte intelligas de Hiſpania.

**Forte merū.*

Cantè, nō ab angelis, & à prophetis adorabatur, antequam homo fieret.

† id eſt, intelligendi vis.

diſputauit, ad aliud lingua prolapſa eſt. Præparemus igitur aures noſtras pontifici, & quicquid à nobis minus dictum eſt, intentis auribus audiamus benedicentes dominum, cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

S. TITVS BOSTRENSIS *epiſcopus, in idem Euang.*

IN *diebus illis exijt edictum.* Quandoquidem vniuerſalis quædam gratia, totũ terrarum orbem illuſtratura erat; tempore, quo vnus Seruator in totius mundi ſalutem naſcebatur, vnum exiit edictum, vniuerſum orbem comprehendens, vnde Euangeliſta: *& factum eſt in diebus illis &c. Exijt edictum.* Ecquis, inquis, vniuerſalis edicti huius vſus extitit? Inter cætera commoda, quæ attulit deſcriptio hæc, opportunè ſacratiſſimam virginem è Nazareth in Bethleem emiſit: quò Chriſtũ iſthic in lucem ederet, adeóque, vt prophetiam, quæ di-
Michee 5. cit, Et tu Bethleẽ domus Effrata minima es, vt ſis
Matth. 2. in principibus Iuda, ex te enim mihi egredietur, vt ſit princeps in Iſraël, expletam probaret. *Et peperit filium ſuum primogenitum.* Cur Euangeliſta filium illius primogenitum vocat? neque enim ſacratiſſima, ſemperque virgo Deipara Maria, vllum vnquam alium filium habuit. Quia Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui carnem ex illa ſuſcepit, cùm verus alioqui Deus eſſet, ſecundùm carnem factus eſt noſter frater. Primogenitus itaque appellatus eſt, quaſi inter omnes fratres primatum obtinens. *Et reclinauit eum in præſepio.* Reclinatur in præſepio, tum quia, vt Euãgelium prodit, *non erat illis locus in diuerſorio*: tum rurſum, quò nos à beluina illa viuendi ratione, amẽtiáque brutis animantibus propria, liberaret, liberatóſque ad prudentiam homine dignam transferret. *Et paſtores erant in eadem regione vigilantes.* Vt diuina oracula in veteri teſtamẽto per corporis exortes ſpiritus, tranſmittebantur ad ſpiritales paſtores, hoc eſt, ad prophetas; & inde ad alios; ita nunc per ſenſiles, craſſóque corpore indutos tranſmittuntur ad carnales paſtores. Nam & is quoque, qui corporis antè expers erat, per carnem aſſumptam, mortalium generi conſpicuum ſe reddidit. Quin ob id quoque, præ cæteris, paſtoribus beneficium hoc obtigit, quia præ cæteris ſimplices, dolíque exortes erant: ſectabantur enim adhuc veterum conſuetudinẽ: nam vt Patriarchæ, & ipſe etiam Moyſes, paſcendis gregibus quondam intenti erant, ita nunc ipſi quoque. *Euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Hoc eſt, non tantùm Iudæorum generi, ſed toti mortalium generi abſolutè. Quòd autem cæleſtium exercituum multitudo, non abſque gaudio, laudúmque præconio recinebat: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax*, illud haud obſcurè indicabat, Deum, qui antè illorum gloria erat, qui degebant in ſupremis, nunc demum eorum pacem effectum eſſe, qui verſantur in terris. Etenim qui factus eſt nobis pax, bonáque voluntas, is illos, qui in cælo, & eos rurſum, qui degunt in terra, vnum gregem abſoluere palàm oſtendit. Siquidem Angeli, virtutéſque cæleſtium ordinum vniuerſæ, iis duntaxat exceptis, qui à Deo deſciuerunt, dum Dei Opt. Max. iuſſa conſtanter exequuntur, pacem, quam cum illo habebant, perpetuò retinuerunt: nos autem peccatum, tanquam hoſtes, à Deo abalienauerat. Quia ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus inimicitiam diſſoluit, ſuóque patri nos denuo recõciliauit, iuxta illud Apo-
ſtoli: Chriſtus eſt pax noſtra, iure meritóque An- *Epheſ. 2.*
geli Chriſtum Deum noſtrum, tãquam pacis huius conciliatorẽ celebrant, laudibúſque euehunt. *Et claritas Dei circumfulſit illos.* Diuina claritate, cæleſtique gloria circũfuſi, nec non Angelorum exercitum conſpicati, ſpiritalíque eorundem hymno recreati paſtores, magno mox ardore feruntur in Bethleem quæ interpretatur domus panis.

¶ *Tranſeamus vſque in Bethleem*, inquiunt, hoc facto Eccleſiæ paſtores ſacerdotióque initiatos adumbrantes. Horum namque munus eſt cæleſtem panem, hoc eſt, agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, quíque pro ſua ingenti clementia quotidie in myſtica ara ſeſe offerri ſinit, ſtudioſè
inquirere. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.* *Chriſtus quotidie in altari offertur.*
Ecquænã erant illa, quæ ſacroſancta Deipara conſeruabat, & obſeruabat omnia ſimpliciter, tam ea, quæ acceperat ab Angelo, quàm ea etiam, quæ didicerat à paſtoribus. *Conferens in corde ſuo.* Id eſt, hoc cum illo, & illud rurſum cum altero committens, ſinguláque cum ſingulis componens vniuerſa ſumma conſenſione ad hoc tendere comperit, vt eum, qui ſecundùm carnem ex ipſa natus erat, verum Deum eſſe probent.

S. AVGVSTINI EPI*ſcopi Hippon. in eodem feſto. Hom. 1.*

SAluator noſter natus de patre ſine die, per quẽ *Ser. 5. de tẽp.*
factus eſt omnis dies, voluit in terra habere *de quo dubitant Louan.*
natalem hunc diem, quẽ hodie celebramus. Quiſquis in die miraris, æternum mirare potius, ante omnem diem permanẽtem, omnem diem creantem, in die naſcentem, à malitia diei liberantem. Adhue mirare. Quę peperit, & mater, & virgo eſt. Quem peperit, & infans, & verbum eſt. Meritò cæli locuti ſunt, angeli gratulati, paſtores lætati, Magi immutati, reges turbati, paruuli coronati. La-
cta, mater, cibum noſtrum, lacta panem de cælo *Luca 2. Matth. 2.*
venientem, & in præſepe poſitum velut piorum
cibaria iumẽtorum. Illic enim cognouit bos poſ- *Eſaia 1.*
ſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Circumciſio ſcilicet, & præputium cohærendo lapidi
angulari, quorum primitiæ fuerunt paſtores, & *Epheſ. 2.*
Magi. Lacta eum, qui talem fecit te, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus,
qui ſibi prius quàm naſceretur, & vterum, de quo *Pſal. 44.*
naſceretur, & diem, quo naſceretur, elegit. Et ipſe condidit quod elegit, vt ille hinc procederet de thalamo ſuo, quo mortalibus oculis poſſet videri, & augmento lucis annuæ ſe lucem mentium veniſſe teſtari. Prophetæ cecinerunt conditorem cæli, & terræ in terra cum hominibus futurum, angelus annuntiauit creatorem carnis, & ſpiritus
in carne venturum. Salutauit Ioannes ex vtero in *Luca 1. & 2.*
vtero ſaluatorem: Simeon ſenex Deum agnouit infantem: Anna vidua virginem matrẽ. Hæc ſunt teſtimonia natiuitatis tuæ, domine Ieſu, antequã tibi fluctus ſubſternerentur calcãti, cederent imperanti, antequã ventus te iubente ſiluiſſet, mortuus te vocante vixiſſet, ſol te moriente palluiſſet, terra te reſurgente tremuiſſet, cælum te aſcendẽte patuiſſet, antequam iſta & alia mirabilia iam

tuueni

iuuenilis tui corporis ætate feciſſes. Adhuc in manibus matris portabaris, & iam dominus orbis agnoſcebaris. Ipſe puer paruulus ex ſemine Iſraël,
Eſaia 7. & ipſe nobiſcũ Deus Emmanuel. Quæ eſt illa noſtri generatio ſaluatoris, qua gignenti patri coæternus eſt, quando hanc generationem ex virgine mũdus expauit, quam pia fides agnouit, & tenuit, infidelitas autem irriſit, ſuperbia timuit ſuperata?
Ioan. 1. Quæ nam eſt illa generatio, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Vel quod eſt hoc verbum, quod dicturus anteà non ſilebat, quo dicto non ſiluit qui dicebat, quod eſt verbum ſine tempore, per quod facta ſunt tempora. Verbũ, quod labia nullius aperuit cœptum, clauſitve finitum. Verbũ, quod initium non habet ex ore loquentium, & aperuit ora mutorum. Verbum, quod linguis gentium diſertis non fit, & linguas infantum diſertas facit. Quę nam eſt illa generatio, cui pater moriendo nõ cedit, quia non eum viuendo pręcedit? Segregata ab omnibus locorum, temporũmque interuallis, ab omni diſtẽctione ſpatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus ſentire conſueuimus: Leuemus ad eum, quantum ipſo adiuuante, animam noſtrã poſſumus, ſi quomodo capere valeamus & natum non præuenientem qui gignit, & gignentem non ſubſequentem qui gignitur, patrem, & filium: nec pariter patres, nec pariter filios, & pariter æternos. Non vtrunque generantem, nec vtrunque naſcentem, ſed alterum ſine altero nõ viuentem: & patrem ſempiternum genuiſſe, & filium ſempiternum natum eſſe, cogitemus ſi valemus, ſi non valemus, credamus. Nõ eſt quod hic dicere volumus, ſed tamen nõ longè poſitũ eſt ab vnoquoq;
Act. 17. noſtrum. In illo enim viuimus, mouemur & ſumus. Tranſcendamus carnem noſtram, in qua parentes ante filios viuunt, quia vt filios poſſent generare creuerunt, & filiis creſcentibus, iam ſeneſcunt. Nondum natis filiis, parentes vixerũt, quia & parentibus mortuis, filij victuri ſunt. Tranſcendamus & animas noſtras, pariunt & ipſæ aliquid cogitando, quod ſecum habent ſciendo, ſed poſſunt amittere obliuiſcendo, quia & non habe-
Ioan. 1. bant anteà naſcendo. Cuncta corporalia, & temporalia & mutabilia tranſcendamus, vt videamus ſuper omnia, per quem facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde eſt, quia & illud, quo aſcendimus, prope eſt. Longè autẽ ab illo ſumus, inquantum diſſimiles ſumus. Aſcendit ergo ad eum ſua ſimilitudo, quam in nobis fecit, & refecit, quam nondum perfectè palpitat infirmus aſpectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non poteſt intueri. Cuius ergo fulgorem mentis acies non-
Eſaia 53. dum capit, generationem eius quis enarrabit? Sed
Ioan. 1. verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: Hanc ergo generationem, cuius hodiernum celebramus diem, hãc in qua dignatus eſt venire per Iſraël, & fieri Emmanuel nobiſcum Deus in carnis infirmitate, non nobiſcum in cordis iniquitate, accedens ad nos per id, quod aſſumpſit ex noſtro, & liberans nos per id, quod manſit in ſuo. Viſitauit quippe dominus ſeruos ſuos per mortalem infirmitatem. Hanc ergo generationem, cuius vtcunque capax eſt humana fragilitas, non illam, quæ ſine tempore manet, ſine matre ſuper omnia, ſed iſtam, quæ in tempore facta eſt ſine patre inter omnia. Hunc virginis filium, & virginum ſponſum, de incorrupta matre naſcentem, & incorruptibili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus, vt in eius miſericordia de aſtutia diaboli ſiſi triumphemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta fœmina mente ſubrepſit: Chriſtus ad nos liberandos incorrupta fœmina etiam carne proceſſit, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto. Homil. 2.*

ROgo vos, fratres chariſſimi, vt libenti animo *Serm. 7. de temp. de quo dubitãt Louan.*
ſermones, quos dominus dabit, ſuſcipiatis in hac dulciſſima die, in qua compunctio etiam infidelibus venit, in qua miſericordia tãgitur impius, veniam ſperat compunctus, reditum non deſperat captiuus, remedium deſiderat vulneratus, in qua naſcitur agnus, qui tollit peccata mundi. In *Ioan. 1.*
cuius natiuitate qui conſcientiam puram habet, dulcius gaudet: qui miſeram, attentius timet. Qui bonus eſt, affectuoſe orat, qui peccator, deuotiſſimè ſupplicat. Dulcis dies, verè dulcis, & cunctis pœnitentibus veniam portans. Promitto vobis, filioli, & certus ſum, quia in hac die ſi quis ex corde pœnituerit, & ad vomitum peccati reuerſus non fuerit, quodcunque petierit, dabitur ei, tantum in fide non dubitet, delectationem nõ repetat. Hodie totius mũdi peccatum tollitur, & peccator deſperat? Sed videte qualis debet eſſe pœnitentia, quia multi aſſiduè ſe dicũt eſſe peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima, non ſanatur. Pronuntiatur offenſa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pœnites, vt tibi amarum ſapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente: iam tunc bene ingemiſcis ad Deũ, & dicis, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te fe- *Pſal. 50.*
ci. Bene, tibi ſoli peccaui, quia nullus hominum ſine peccato, & ideo tibi ſoli peccaui: quia nullus eſt ſine peccato. Da, domine, miſericordiam miſero, qui tandiu pepercisti criminoſo. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permouere non potuit diuturnitas peccatoris. Dic illi in fletu cordis, aſpice ad infœlicem pietas immenſa, reſpice crudelem miſericordia publica. Deſperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro: ſerua pietatem manſuetudinis, qui tãdiu ſuſpendiſti gladium vltionis, dele numeroſitatem criminum multitudine miſericordiarũ. Iſta eſt, filioli, vera pœnitentia, quando ſic conuertitur quis, vt non reuertatur, quando ſic pœnitet, vt non repetat. Sane videmus aliquos veſtrum formas, & virtutem animorum exercentes, qui in iſta die verba mea pro ſua ſalute ſic audiant, vt viriliter mollia vitia abiiciant, tanquam qui pugnat. Reuera fortius pugnet, qui contra ſe pugnat. Aperiant aures ſuas ad præcepta Chriſti, quæ fortaſſe patuerunt huc vſque ad audienda ludibria. Aperiant oculos ſuos ad nitorem, qui huc vſque ad ignominiam patuerunt. Compungat pœnitentia criminum, quos huc vſque tranſpunxit delectatio voluptatum. Erigat adiuncta virtus, quem vitia proſtrauerunt. Aperiant medicamento nares ſuas, quibus illis fœtear cõſuetudo peccati. Aperiat ille oculos cordis vobis, qui hodie propter

nos dignatus eſt naſci, vt videatis illud, quod putatur dulce modo ſatis eſſe in breuitate temporũ, quàm amarum erit in ignem æternum, quàm graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis: Delectatio occidit, & præterijt, vulnerauit, & tranſiuit, miſerum fecit, & abijt, infelicem reddidit, & reliquit. Quàm ſpecioſus eſt animæ nitor, quàm felix conſcientia bonis operibus plena. Si beatum ſe credit, qui hoc poſſidet, quod dimiſſurus eſt poſt mortem, quàm ſecutus eſt, qui illud præmium ſperat, quod nunquam amiſſurus eſt per æternitatem. Si potens eſt, qui mundo imperat, quàm beatus eſt, qui Deum in conſcientia portat. Et ideo, dulciſſimi filij, concupiſcite munditiam cordis, habete dilectionem Dei, & proxi-

Luca 6. mi. Peccatores, dimittite, & dimittetur vobis. Iuſti, non peccetis, vt permaneat Chriſtus in vobis. Quæ cum ita ſint, videtur mihi, chariſſimi, vt naſcenti domino, & redemptori noſtro vota promittamus hodie, & reddamus, ſicut ſcriptum eſt, Vo-

Pſal. 75. uete, & reddite domino Deo veſtro. Nos dulciter, & confidenter voueamus, ille dabit poſſibilitatem, vt reddere poſſimus: Nos tamen quicquid illi promittimus, de illo ſperemus. Et fortaſſe interrogatis me, quid debeatis hodie vouere, &

Vides non eſſe mentita vota quæ nũc fiũt, vt nouatores calumniãtur. reddere. Sunt enim multi, qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes nõ comedat. Non eſt iſtud votum optimum, nec perfectum: Adhuc melius volo. Non eligit Deus nec ſpeciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuũ, ſed hoc quod te hodie redemit, ipſum offer, hoc eſt animam tuam. Et ſi interroges me, quo modo animam meam, quam ipſe habet in poteſtate, offeram? Et ego reſpondebo tibi, quo modo? motibus ſanctis, cogitationibus caſtis, operibus fructuoſis. Auertendo à malo, & conuertendo ad bonum. Damnando vitium, amando Deũ, diligendo proximum, impendẽdo miſericordiam miſeris, quia & noſipſi miſeri fuimus, antequam

Matth. 6. redimeremur. Dimittendo illis, qui in nobis peccant, quia & nos omnes ſub peccato fuimus. Superbiam calcãdo, quia per ſuperbiam primus homo deiectus eſt. Abijciendo inuidiam, quia per

Sapien. 2. inuidiam decepit diabolus genus humanũ. Quæ cum ita ſint, erigite animos veſtros, & nullus ſit ſiue liber, ſiue ſeruus, ſiue ingenuus, qui non hodie Deo votum offerat ſimul, & reddat: quia nimis miſerum eſt, vt Deo aliquid non offeramus de noſtro, qui animam ſuam pro nobis poſuit, & propter nos, cum eſſet æternus, carnem ſuſcepit.

Ioan. 10. Nunc itaque quicunque iram contra alterum tenet, tantum propter amorem Dei dimittat, & obtulit votum. Si quis conſueuit iam longa diuturnitate in luxuria volutari, reſipiſcat aliquando, & excutiat ſordes ſuas per compunctionem, & clamet in corde ſuo in oratione ſecretius ad dominum: Piiſſime domine, miſericordiſſime Deus ſufficiat mihi, quòd hucuſque peccaui, quòd cõtempſi, quòd fœtoribus carnis meæ ſatisfeci, iã nunc, te inſpirante, voueo me à nequitia mea conuerſurum. Cum hæc fecerit, & iſte obtulit votum. Si iterum inuidia tenetur, fratres, & fœlicitate illius aut actione proſpera non delectatur, quod eſt peccatum vſque ad mortem, promittat & ipſe in corde ſuo, meditaturum ſe potius actus bonos quàm liuorem eum habiturum. Et cum fecerit, & ipſe obtulit votum. Si quis vero ſibi conſcius eſt de homicidio, indicat ſibiipſe in corde ſuo pœnitẽtiam, & vindicet in ſeipſam malam conſcientiam, & ſtatuat ſibi ante Deum cruciatum pœnitẽtiæ, & ſpa- *Ecce pœnas ſatisfactorias.*
cium: & plenum animũ veneno quem ante confuſio ſanguinis proximi ſauciauit, cruciet per abſtinentiam & humilitatem: & communicare nullatenus præſumat, vt nõ dupliciter ſe infelix damnet, dum in corde criminum horroribus pleno ſacratiſſimum corpus domini periculoſè præſumit accipere. Quòd ſiquis ſe talem agnoſcit, & hæc fecerit, & ipſe offert votum. Siquis forte vt aſſolet detrahere ſemper conſueuit, & aliorum actiones obloqui, nec ſuas reſpicere, voueat hodie Deo in corde ſuo, & dicat: Hucuſque de aliis dixi, me non inſpexi, ego eram miſerior, & alios miſeros exiſtimabam, & ideo nunc ſufficit quod peccauit lingua mea, amodo emendare delibero: Ecce qui hæc facit, offert votum. Si quis crudelem ſe ſentit, miſericordiam animi voueat Deo. Siquis ſuperbum, voueat humilitatem. Siquis vino nimium eſt deditus, ſobrietatem voueat. Siquis ſeniori ſuo peccauit, veniam petat, & ſi ille non ſapuerit petere, ille tamen dimittat. Et cum hæc omnia feceritis, chariſſimi, offertis Deo votum placitum, & quaſi remuneratis Chriſtum. Et poſt hæc veniet vobis benedictio, & vota veſtra offeruntur ante tribunal Chriſti: Et ſicut dixit Salomon, monumẽtum *Sapien. 2.*
veſtrum non accipiet obliuionem: & dicetur de vobis: Ecce populus meus, quem acquiſiui ſanguine meo, ſaturauit me votis, impleuit odoramentis: Ego ero eis quaſi dominus, & ipſi erunt mihi in populum, & non erit vltra eis captiuitas, aut deſolatio. Putamus quàm dulce eſt, quando vota noſtra talia dixi, angeli qui cuſtodes vitæ noſtræ ſunt, ante conſpectum diuinæ maieſtatis obtulerunt. Si aliquid offerimus homini terreno, & morituro, & tamen ſperamus ab illo multum recepturos, & adiuuandos: ſi Deo autem aliquid de noſtris moribus offeramus, quantum recipiemus? Nunc itaque exultemus in domino, gaudeamus cum fletu, memores ſimus dignationis diuinæ, & captiuitatis noſtræ. Quemcunque potentia eleuat, veniat illi in mente humilitas Chriſti, vt non dirigatur ad illum ſententia iſta. Quid ſuperbis, *Eccle. 10.*
terra, & cinis? Quando videmus quemque miſerum, aut egenum, veniat in mentem miſericordia Dei. Quando captiuum, veniat nobis in mentem redẽptio domini noſtri. Quando peccatum quodcunque delectat, aut ſubrepſit, ſit nobis in memoria quod iam deleta ſunt peccata noſtra. Non perdamus præmium ſanguinis Chriſti, nec maculemus ſtolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiſcentiam. Iacuimus, iam erecti ſumus: vulnerati fueramus, iã ſanati ſumus. Non erit excuſatio. Qualeſcunque poteſt diabolus ad malum inuitare, nõ poteſt trahere: delectationem infert, non poteſtatem, cõſilium ingerit, non conflictum. Nunc ergo propter partum beatæ Mariæ ſit mihi ſermo ad virgines, ſiue viros, ſiue viduas, ſiue fœminas, ſiue pœnitentes, ſiue pauperes, ſiue ſeruos, non eſt apud Deum niſi meritorum diſcretio. Audite me itaque, quicunque dono Chriſti *Apud Deũ eſt meritorũ diſcretio.*
in corpore virgines eſtis. Generaliter loquor ad omnes: Audite me. Quicunque agnoſcit ſe eſſe, quod dico, ſtudeat vt & corde ſit virgo. Sic gaudeat de lucro corporis, vt non habeat damnum animę, gaudeat tunc de tã precioſo dono Chriſti,

gaudeat

gaudeat cum humilitate, fleat cum pietate. Gratias agat, quia tantam felicitatem integritate portat, *Apoc. 14.* lætetur quia ſecuturus eſt agnum, quocunque ierit, ſi tamen in ore eius, ſicut legimus in Apocalypſi, mēdacium non inueniatur. Oret perſeuerantiam, vt non illi qualiſcunque delectatio ſæculi, aut inuidia diaboli tantum donum tollat, tantam claritatem innubilet, tantum nitorem infuſcet. Teneat fortiter, ne perdat rem irreparabilem. Non vno momento delectationis amittat gratiam corporis, non contrahat turpitudinem animæ per pulchritudinem formæ corruptæ, non illum concupiſcentia vincat. Si me audierit, permanet: quòd ſi non audierit, amiſſurus eſt, quod nunquam eſt reparaturus. Iterū ad vos mihi ſermo eſt, qui coniuges habetis, moneo vt caſte habeatis. Nā & Eliſabeth, *Lucæ 1.* quæ longæuis temporibus caſte cum marito vixerat, & ambo fideles ante dominum fuerunt, meruit iam de mortuo ſemine filium, qui & ſanctitate parentes ornaret, & prædicatione multos infideles conuerteret. Iterum vobis loquor, quæ eſtis viduæ, cuſtodite viduitatem, non eſtote *Psal. 145.* verboſę, ſed cum ſilentio expectate dominum, qui *1. Tim. 5.* pupillum, & viduam ſuſcipit: Sed bonam viduam, & illam, quæ in oratione eſt, in humilitate, in eleemoſynis prompta: ſi certè vnde faciat non habet, volūtatem bonam & cogitationem ſynceram habeat. Mulieres, non maledicite, non iurate, non eſtote promptæ ad loquendum. Forte dicitis importunum eſſe quod dico. Non mihi tacere licet, plus timeo illum, qui iubet, quàm illum, qui detrahit. Ego dico, qui agnoſcit emendet, qui in ſe non recognoſcit, audiat & teneat, vt aliis pro ſalute dicere poſſit. Nūc iam ad vos loquor, pœnitentes, qui pœnitentiam in eccleſia accepiſtis, & agitis. Perſeuerate in fletu, in compunctione docte plangite. Quid eſt, docte plangite? Non quærite in oratione temporales res, ſed æternam beatitudinem, remiſſionémque peccatorū. Qui ſic orat, docte plangit. Non cadunt ad terram lacrymæ veſtræ, quia verax ille, qui per prophetam dixit, Poſuiſti *Psal. 55.* lachrymas meas in conſpectu tuo. Vos modo *Lucæ 7.* ſatis debetis amare Deum, & à timore iam ad dilectionem tranſire, quia ſic legimus in Euangelio de peccatrice illa, Cui multum dimittitur, multum diligit. Et ideo multū debetis diligere Deum, qui vos expectando, & non puniendo ad pœnitentiam perducere dignatus eſt. Nunc iterum ad vos mihi ſermo eſt, pauperes. Vobis dico pauperes, qui mendicatis, qui de eleemoſyna Chriſtianorum viuitis: Conſolamini, conſolamini, tribulatio veſtra conuertetur in gaudium, & dolor veſter in lætitiā. Non vobis ſit ingratum quod mendicatis, nec ideo in corde veſtro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iuſtus, & pius eſt in omnibus ſuis. Et te ideo fecit pauperem, vt ſufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireres. Et diuitem ideo fecit, vt, dum tibi ſuperflua daret, remediū peccatis ſuis acquireret. Et ideo patientes eſtote, & expectate dominum. Etiam ſermo mihi eſt ad vos, quicunque dominos carnales habetis, cuicunque ſeruitij conditionem debetis. Obedite *Ephes. 6.* dominis veſtris, diligite ex corde, non ad oculum ſeruientes, ſed miniſterium ex amore facientes, quia & illos Deus conſtituit vt vobis dominentur, & vos vt ſeruiatis. Bene ſeruite propter Deum, quia de bono ſeruitio mercedem habetis. Si boni fueritis, meliores eritis dominis malis, quia apud Deum anima vniuſcuiuſque nō eſt diſcernenda nobilitate, ſed opere, nec genere, ſed actione. Ideo nūc ad omnes mihi ſermo fuit, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Et ideo ſeruare, quæ dixi, vt de vobis fructum habeam, & vos omnes in cæleſtibus horreis, vbi frumenta congreganda ſunt, miſericors dominus intromittat, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM
feſto, Hom. 3.

HOdie, fratres dilectiſſimi, celebramus dominicæ natiuitatis diem, id eſt, domini noſtri *Ser. 8. de temp. de quo dubitant Louan.* Ieſu Chriſti, qui cum æqualem * trinitatem cum ** forte poteſtatem.* patre poſſideat, qui cum cælum, & terram, ac maria, & omnia, quæ in eis ſunt, pari cum patre virtute firmauerit, in nouiſſimis temporibus homo naſci ex homine dignatus eſt, ſic noſtram ſuſcipiendo naturam, vt non permutaret ſuam. Permanente enim integro diuinitatis ſtatu, aſſumpſit hominem Dei filius, nec amiſit quod erat, ſed ſociauit ſibi, quod in ipſo ante non fuerat. Inuiſibilis ergo ſecundum diuinitatē Dei filius viſibilem ſuſcepit hominem, immortalis mortalém, impaſſibilis paſſibilem, & vt totum breuiter comprehendam, Deus hominem. Quicquid ergo infirmitatis legimus in Chriſto, id eſt, quòd eſuriuit, quòd doluit, quòd etiam mortem pro peccatis noſtris ſuſtinuit, ſuſcepto hoc pro ſalute noſtra homini deputemus, ſalua illius, quod ſuſcepit, id eſt, verbi Dei reuerentia: quia ita humanitatem diuinitati ſuæ iunxit, vt eam poſt paſſionem impaſſibilem faciat, nō autem vt fieret, quod cogitari ſcelus eſt, diuinitas ipſa paſſibilis. Nam etſi in Dei filio ex diuinitate, & humanitate vna perſona eſt, cum tamē audis natum ex homine Dei filium, noli communem hunc tibi credere natiuitatis exortum, ex opere coniugali quod quidem à Deo eſt conſtitutum vt humanitas propagetur: Aliter, inquam, ibi fuit humanitatis exortus, longè à noſtra natiuitate diuerſus. Nam etſi in eadem qua nos naturaliter ſumus, veritate carnis natus eſt Chriſtus: non tamen eo quo nos more conceptus, & natus eſt de coniugio, id eſt, vnde cæteri exorti ſumus, licet omnes procreentur homines. Nam & mirabiliter procreatus eſt. Legitima illa cōmixtio hominis homini quidem, licet iuxta diuinam authoritatem culpa non vacet, non tamen etiam glorioſa eſt: In Chriſti vero natiuitate ſine commixtione propagatio omni prorſus gloria, & honore cumulatur. Dominus itaque noſter Ieſus Chriſtus, ordine natiuitatis excepto, homo verus procreatus ex virgine eſt, eodémque omnipotentiæ ſigno conceptus, & natus, virginem habuit matrem cùm portaretur in vtero virginis, & cùm ex vtero funderetur. Nec tamen iſta natiuitas cōiugia damnauit, ſed potentiam diuinitatis honorauit. Olim huius nouæ fœcunditatis ſignum Eſaias propheta prędixerat, Ideo, inquit, dabit dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet *Esaiæ 7.* filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Quod ſignatiſſimè de Chriſto domino noſtro eſt prophetatū. Emmanuel enim interpretatur, nobiſcum Deus: ergo ſaluator noſter ab effectu rerum etiam hoc nomen accepit vt vocaretur nobiſcum Deus. Et ipſe tūc Deus cū omnibus nobis eſſe di-

gnatus eſt, quando ſuſcepit hanc carnē, vt per hominē, qui viſibilis erat, cōuerſari videretur in terris. *Baru. 3.* Sic enim Hieremias propheta promiſerat, dicēs, Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illā Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cū hominibus conuerſatus eſt. Vnde & ipſe dominus ad diſcipulos *Ioan. 14.* ſuos in Euangelio dicit, Tanto tempore vobiſcum ſum, & nō cognouiſtis me? Qui videt me, videt & patrem meū, & reliqua, quæ ſequūtur. Talia enim Dei filius per aſſumptum hominē opera faciebat, vt ex ipſa operū claritate & patris ſimul, & filij diuinitas noſceretur. Quod ſi diligenter reſpiciamus ad cauſam, propter quam dominus totum hoc ſacramentum ſuſcepti hominis implere dignatus eſt, tunc verè obtinebimus nobis illud impletum eſſe propheticum. Duplex enim principaliter cauſa eſt, ob quam Dei filius factus eſt filius hominis. Vna eſt vt ſecundum hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. *Eſaiæ 53.* Sic enim Eſaias propheta prædixerat, Hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet. Et rurſus, Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Eruditio pacis noſtræ in eo: Liuore enim eius nos ſanati ſumus. Altera verò cauſa eſt dominicæ paſſionis, vt nos, quos ſanguine ſuo redemit à vicijs, atque criminibus, non ſolùm doctrinæ auxilio, & gratiæ, ſed etiam exemplo ſuo ad ſtudium ſanctitatis accenderet, vt nos non modo præcipientem dominum, ſed etiam exemplo ſuo ad virtutis faſtigia prouocantem, maiore alacritate ſequeremur, & iuſtiſſimum dominum ac pium patrem, ſecūdum ſententiam beati Petri, filij imitatione coleremus. *1. Pet. 2.* Sic enim beatus Petrus ait, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. Præſtet autem dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt gratia eius adiuti, ad veſtigia eius ſequenda properetis, & peccatis omnibus, ac vicijs mortificati, ad ſola viuatis opera iuſtitiæ exercenda, gratias agētes patri Deo, cui eſt gloria, & imperium, & domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 4.*

Sermo. 9. de temp. reiectus à Louan. tanquam coctionatus ex dictis Bernard. LEgimus, & fideliter retinemus quòd ſub ipſo principio naſcentis mundi in primo homine fecerit nos Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Ecce in hac die mutata vice factus eſt Deus ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. In primis de ſuis meliora contulit: In ſecundis de noſtris inferiora ſuſcepit. Per interdictæ arboris guſtum primi hominis incauta fragilitas tētauit appetere ambitione damnabili domini ſui diuinita- *Geneſ. 3.* tem, perſuadente diabolo, & dicente, Si de ligno hoc guſtaueritis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij. Ideoque agnoſcamus pij patris admirabilem bonitatē. Homo ſolicitante inimico, Deus eſſe voluit per ſuperbiam, & Deus homo factus eſt per miſericordiam. Innouatur in nobis quodāmodo per Chriſti diuinitatē ſpecies illius antiqui & incipientis ſeculi, quando primus Adam de limi materia figuratur. *Gene. 2.* Ecce etiam nunc ſecundus Adam quaſi de intacta, ac rudi terra virginis de carne formatur. Ecce, inquam, iterum ceſſantibus naturæ legibus, nouus homo in nouam vitam ſolo Deo operante perficitur. Promittitur ergo filius virgini per viſitationem ſpiritus ſancti. Qui non mirum, ſi ſine corruptione naſcitur, qui de ſanctificatione ſuſcipitur. Non enim decebat, vt, *Luca 1.* qui nobis afferebat ſalutem, ſoli matri præriperet dignitatem. Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te. Dignum planè erat, vt regali onuſtanda partu, prius cæleſtis regis ſanctificaretur ingreſſu. Vnde dominum, & ſaluatorem noſtrum nō ideo ſimplicem hominem credamus, quia ex homine naſci videmus. Fas non eſt, vt non Deus credatur, cui deſcenſuro ad terras à Deo habitaculum præparatur. Diuina itaque operante potentia credentis viſcera fœcundantur, & in ligno mortali vitæ arbor inſeritur, & portans in ſe omnia virtus ab infirmitate portatur, & qui terra mari, cæloque non capitur, intra vnius corpuſculi membra ſuſcipitur. De creatura ſua creator omniū procreatur, & de riuulo ſuo fons magnus exoritur. Radix omniū de virgulto ſuo naſcitur, & vitis vera palmitis ſui fructus efficitur. Adeſt ecce exoptatiſſimus dies, gratia geminata reſplendens, candore quidem cōſueti luminis illuſtratus, ſed præcipue radiātus veri fulgore coruſcus. O dies dierum omnium nouitas, lucrum lucis, & diſpendium cæcitatis, in quo æternus ſol de ſumma altitudine claritatis paternæ deſcendens, vuluæ virginalis aditum reſerauit, & totius mundi caliginem fulgida coruſcatione repreſſit! Ducite, fideles Chriſti, feſtiuiſſima gaudia, res nobis hodie perfecta eſt noua, quæ olim fuerat repromiſſa, vt ſine virginis detrimento pudoris, filium lactaret vbera genitricis. *Hiere. 31.* Hęc illa eſt nouitas Hieremiæ prophetæ vaticinio nuntiata. Faciet, inquit, dominus nouum ſuper terram. Et quaſi quandam lucernam huius obſcuritatis accendens, continuo ſubiecit. Fœmina circundabit virum. Hoc eſt, inquit, nouum, quod ſuper terram dico dominum eſſe facturum, quia fœmina circundabit virum. Aduertite, fratres, & me potius veſtro intellectu præcedite, Fœmina, inquit, circundabit virum. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circundedit: quæ cōcubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de ſpiritali ſemine gratulatur. Circundat Maria virum, angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum ſerpenti conſentiendo. Faciet, inquit, dominus nouum ſuper terram. Vt igitur exhibendæ huius nouitatis tempus aduenit, cæleſtis ad virginem præmittitur nuncius. Salutat angelus puellam viri ſalutationis ignaram, terretur virgo nouitate verborum. Ad quā angelus. Ne timeas, *Luca 1.* inquit, Maria, inueniſti enim gratiam apud dominum. Ne, inquit, ad conſpectum meum mater domini mei terrearis, ego conceptionis tuæ miniſter adueni, ipſe me miſit ad te, qui eſt naſciturus ex te. Ipſe tibi per me annuntiat gaudium, cui placuit in vtero tuo cum humana natura myſticum ſociare coniugium. Inueniſti gratiam apud dominum: Ecce concipies, & paries filium, non cuiuſlibet

bet meriti hominem, ſed totius mundi Saluatorem. Ne, inquit, timeas. Abijce abs te omnẽ metum ſeculi, quæ conceptura es gaudium mundi. Reuolue Maria Propheticam lectionem. Neque enim te ſciẽtia diuinorum poteſt præterire librorum, quæ ipſam plenitudinem paritura es Prophetarum. Recole in libro Eſaiæ Prophetæ virginem, quam legiſti, & gaude, quia te eſſe meruiſti. Tu ibi præſignata es virgo, tu ecce concipies in vtero, non de viro, ſed de Spiritu ſancto, & grauida eris, & incorrupta manebis; Paries filium, & virginitatis non patieris detrimentum. At illa, Ecce, inquit, ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Mox igitur angelus virginis accepto conſenſu, cæleſtis regionis accolas repetiuit: Et ecce ſubitò ſecretum virginis ineffabilis potentia penetrauit. Intrat artifex mundi anguſtias ventris humani, efficitur grauida mater intacta, & ecce tanquã ſponſus de thalamo, Mariæ Chriſtus procedit ex vtero. Occultauit in membris infantis potentiam maieſtatis, Deus pendet ad vbera genitricis. Pannorum vilium ſqualore contegitur, duriſſimi ſuffert præſepis anguſtias, & totum miſericors humiliter patitur, dummodo mundus, qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quam noſtri generis vita eſt reparata. O gratiſſimi, delectabileſque vagitus, per quos ſtridores dentium æternóſque ploratus euaſimus. O felices panni, quibus peccatorum ſordes extersimus, O præſepe ſplendidum, in quo non ſolùm iacuit fœnum animalium, ſed cibus inuẽtus eſt angelorum. Lacta, Maria, creatorem tuum, lacta panem cæli, pretium mundi. Poſtremò tu illi vt mater temporalem miniſtra ſubſtantiam, vt ipſe nobis, & tibi vna cũ patre, & ſpiritu ſancto vitam tribuat ſempiternam. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & gloriatur Deus, Per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Eſaia 7. *Luca 1.* *Pſal. 18.*

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 5.*

Serm. 10. de temp. relictus à Louanienſibus.

QVis tanta rerum, verborúmque copia inſtructus exiſtat, qui huius diei gratiam dignis poſſit laudibus prædicare? Vnde ſi huiuſmodi nullus eſt, non erubeſcimus etiam ſi nobis nitidior dicendi facundia deſit, vel mediocri tamen ſermone partum ſacræ virginis, & ortum Dominici corporis differentes conabimur explicare. Natalis eſt ergo hodie ſaluatoris chariſſimi, in quo lumen additum mũdo eſt, & immortalitas, quæ per peccatum perierat, mortalibus reddita eſt. Natalis eſt hodie Saluatoris, de quo angelus paſtoribus dicit. Natus eſt hodie vobis Saluator: de quo & Propheta dicit, Filius datus eſt nobis, puer natus eſt nobis. Naſcitur ergo, quem regem gentium alius Propheta teſtatur, & naſcitur ex virgine, ſicut ſcriptum eſt, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel, quod interpretatum eſt ex Hebraica lingua in Latinum trãſlata, nobiſcum Deus. Prædicamus hodie natum de virgine Saluatorem, & infantem in præſepio poſitum cum vigilantibus paſtoribus moniti ab angelis adoramus. Exhibeamus fidem virtutibus, reuerentiam ſanctis teſtibus præbeamus, & Simeoni cognoſcenti, & Annæ dominum confitenti, & Ioanni baptizanti, & Iordanis purgationi, & ſancto ſpiritui deſcendenti, & cælis apertis, & patri teſtimonium perhibenti, & virgini permanenti, & ſtellæ fulgenti, & columbæ deſcendenti, & ipſi domino omnem tentationem diaboli ſuperanti. Hodie ergo peperit virgo, qui Deo filios faceret, qui ſententiam præuaricationis excluderet, pœnam mortis eriperet, & vitam perpetuam credentibus condonaret. Portauit in vtero filium mater, omnibus, quę ſunt, ante nutrimenta maiorem, & hunc fudit forma ſerui in terris, quem habent angeli imperatorem in cęlis. Peperit filium mater, à quo ipſa nutriretur potius quàm nutriret. Mortali aluo immortalem ſuſcepit hoſpitem, & in terreſtri hoſpitio cæleſtem virgo imperatorem ſuſcepit. Beata virginitas deſinit eſſe iàm mortis ancilla, quia illũ intra ſe geſtat in mente, quem Maria portauit in ventre. Nulli virginitas ſeruituti ſuccumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem. Cæleſtis propago germinabat in vtero, & in eximio partu virginea viſcera coruſcabant. Humanis greſſibus portabatur pictura deifica, & in anguſto pudoris cubiculo eum, quem cęli non capiunt, ſancta virgo portabat incluſum; & peperit eum, non qui naſcendo polluerit parientem, ſed qui à pollutione ſeculum delauaret. Sancta credidit, ſancta concepit, ſanctior efficitur poſt partum. Extitit autem ipſi virgini ipſe filius, qui erat ſpõſus. Ipſe genitus, qui erat genitor. Illic fuit paranympha credulitas, paranymphus archangelus. Mater ſponſa, & ipſe, quem peperit Chriſtus ſponſus, quem ſanctus ſpiritus copulauit: Gabriel angelus nuntiauit, angelorum exercitus decantauit, & ſtella fulgida demonſtrauit. Fecit grauidam virginem ipſe qui erat naſciturus ex virgine. Expauit in partu ſuo mater, Deus per angelum loquebatur, & virgo auribus imprægnabatur. Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit. Virgo partu ſuo nupſit, virginitatem dum pareret duplicauit, filium, quem genuit, adorauit. Ceſſet omnis ſolicitudo, Chriſtus nobis vera ſecuritas aduenit. Ceſſet omnis infirmitas, hodie Saluator apparuit. Ceſſent bella, deſinant lites, hodie pax vera de cęlo deſcendit. Ceſſet omnis amaritudo, hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cæli. Fugiat mors, quia vita nobis hodie de cælo eſt data. Hodie ſuper terram canunt angeli, lætantur archangeli, glorientur Prophetæ, inſtantur ſancti, turbantur mali, gratulantur boni, viſum cæci recipiunt, auditum ſurdi, claudi greſſum, leproſi mundantur, triſtes lætificantur, infirmi ſanantur, & mortui reſuſcitantur: Solus diabolus & omnia cum eo dæmonia contremiſcunt, quia reſtauratur genus humanum per interitum diaboli. Chriſtus vobis hodie redemptor apparuit. Probat ergo virtutem domini ordo naſcendi, concepit virgo, virilis ignara conſortij. Impletur vterus, nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculum matris dominici corporis, virgo concipit, virgo grauida, virgo, cùm parturit, virgo poſt partum. Præclara ergo illa virginitas, & glorioſa fœcunditas. Virtus mundi naſcitur, & nullus pariendi eſt gemitus. Vacuatur vterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Fas enim erat, vt domino ex virgine ſecundum carnem naſcente, meritum creſceret caſtitatis, ne per eius aduentum violaretur integritas, qui veniebat ſanare corrupta. Naſcitur ergo puer, ponitur in pręſepio. Hęc ſunt enim domini prima cunabula, nec regnator cæli has dedi-

Luca 2. *Eſaia 9.* *Eſaie 7.* *Luca 2.* *Luca 2.*

gnatur anguſtias. Stat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de ſpiritu ſancto protuliſſe ſe gaudet, nec quia peperit, innupta terretur, ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. Nam cùm ſeculo debitus Saluatoris propinquaret aduētus, ad Mariam virginē venit ſpiritus ſanctus, vt fuerat ab angelo ante prędictum, dicente, Spiritus ſanctus ve- *Luca 1.* niet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Rectè ergo in eius aduentu cæleſtia veneramur, quem de cælo veniſſe manifeſtè cognoſcimus, quem natum pro noſtra ſalute Dei patris, & ſpiritus ſancti virtute comperimus. Multis enim ante nunciabatur indiciis, noua cælo ventura progenies. Vides ergo, chariſſime, Saluatoris ortum Dei eſſe virtutem, cùm de eo Prophetæ non taceant, & ſpiritus ſanctus fateatur. Quid præclarius ſtellæ nuncio? Quid Magorum manifeſta confeſſio? Quid Prophetarum tam ſimilis, & tam continuata ſententia? Vbique nonatus eſt dominus, vbique natus ex virgine nunciatur. Et quoniam enim ſecundum carnem natum ex virgine diximus, nunc ea, quæ ſpiritaliter ſentire poſſumus, diſſeramus. Videamus ergo, quæ eſt illa virgo tam ſancta, ad quam ſpiritus ſanctus venire dignatus eſt, quæ tam ſpecioſa, quam dominus elegit ſponſam, quæ tam copioſa, cuius generationem cunctus orbis excipiat, quæ tam caſta vt poſſit virgo eſſe poſt partum. Nónne in figura Mariæ typum videmus eſſe ſanctæ Eccleſiæ? Ad hanc vtique ſanctus deſcendit ſpiritus, huic virtus obumbrauit altiſſimi, hinc potens virtute Chriſtus egreditur. Hæc eſt immaculata concubitu, fœcunda partu, virgo, & caſta perpetuò. Hæc concipit non viro, ſed ſpiritu: hæc parit non dolore, ſed gaudio: hæc nutrit non vbere corporis, ſed lacte doctoris. Hæc eſt igitur ſponſa Chriſti, & gentium magiſtra, quæ ſe plenam miratur, & fœtam lætatur. In hac ergo die qua Saluator naſcitur, ſplendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur. In hac die lux cæleſtis credentibus redditur, & in æterna nocte diabolica figmenta damnantur. In hac die lux creſcit ex lumine, virtutum virtus attollitur. Gloria æternitatis erigitur, reparationem ſuam domino ſecundum carnē naſcente mundus amplectitur. Plena ſit ergo diei huius feſtiuitas, in qua Deus noſtri memor terrena viſitare dignatus eſt, & amiſſam mortalibus lucem aduentus ſui claritate reſtituit, quia ipſe eſt ſplendor, & gloria æterna, dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui eſt honor, & glória in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 6.*

Sermo. 11. de tempo. de quo dubitant Louan. FIlius Dei, idémque filius hominis dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſine matre de patre natus, creauit omnem diem, ſine patre de matre natus conſecrauit hunc diē, diuina natiuitate inuiſibilis, humana viſibilis, vtraque mirabilis. Pro- *Eſaie 53.* inde quod de illo Propheta prædixit, Generationem eius quis enarrabit? de qua potius dictum ſit iudicare difficile eſt, vtrum de illa, vbi nūquam natus coæternum habet patrem, an de iſta, vbi aliquando natus in qua vt fieret, iam fecerat matrem, vtrum de illa vbi ſemper natus eſt, qui ſemper erat? Quis enim enarrabit quo modo natum ſit lumen de lumine, & vnum lumen vtrunq; ſit; quo modo natus ſit Deus de Deo nec deorum numerus creuerit, quomodo velut de re tranſacta dicatur, quod natus eſt, cùm tempus in illa natiuitate nec tranſierit, quo præterita eſſet, nec præceſſerit, quo futura eſſet, nec præſens fuerit, quaſi adhuc fieret, & perfecta non eſſet? Hanc ergo generationem quis enarrabit, cùm id, quod enarrandum eſt, ſupra tempora maneat, ſermo autē enarrantis in tempore tranſeat? Iſtam quoque ex virgine generationem quis enarrabit, cuius conceptus in carne non carnaliter factus, cuius ortus ex carne vbertatem nutrienti attulit, integritatem parienti non abſtulit? Quamlibet itaque earum, ſiue vtranque generationem eius quis enarrabit? Hic eſt dominus Deus noſter, hic eſt mediator Dei & hominum, homo Saluator noſter, qui na- *1. Tim. 2.* tus de patre creauit & matrem, creatus de matre glorificauit & patrem. Sine fœmineo partu vnicus patri, ſine virili complexu vnicus matri. Hic eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſanctæ filius Mariæ, ſanctæ ſponſus eccleſiæ, quam ſuæ genitrici ſimilem reddidit. *Pſal. 44.* Nam & nobis eam matrem fecit, & virginem ſibi cuſtodiuit. Ad hanc quippe dicit Apoſtolus, Aptaui vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. *2. Cor. 11.* De qua rurſus dicit, Matrem noſtram non ancillam, ſed liberam, cuius multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Eſt ergo & eccleſiæ ſicut Mariæ perpetua integritas, incorrupta fœcunditas. Quod *Galat. 4.* enim illa meruit in carne, hæc ſeruauit in mente, niſi quòd illa peperit vnum, hæc parit multos cōgregandos in vnum per vnum. Hic eſt ergo dies, quo venit in mundum, per quem factus eſt mundus, quo carne factus eſt præſens, virtute nūquam abſens, quia in hoc mundo erat, & in ſua venit. In *Ioan. 1.* mundo erat, ſed mundum latebat. quia lux lucebat in tenebris, & eam tenebræ non comprehendebant. Venit ergo in carne, carnis vitia mundaturus. Venit medicina in terram, vnde curaret interiores oculos noſtros, quos exterior noſtra excæcauerat terra: vt eis ſanatis, qui ſumus antea tenebræ, lux efficiamur in domino, & nō iam lux in tenebris luceat præſens abſentibus, ſed appareat certa cernentibus. Ad hoc ſponſus proceſſit *Epheſ. 5.* de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam *Pſal. 18.* viam ſpecioſus vt ſponſus, fortis vt gigas, amabilis, & terribilis, ſeuerus, & ſerenus, pulcher bonis, aſper malis. Manens in ſinu patris, impleuit vterū matris. In quo thalamo, id eſt, virginis vtero, natura diuina ſibi copulauit humanam: Vbi verbum *Ioan. 1.* caro factū pro nobis, eſt à matre procedēs, vbi habitemus præparat nobis. Hunc ergo diem læti ſolemniter celebremus, & æternum diem per eum, qui nobis æternus in tempore natus eſt, fideliter exoptemus, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Sermo. 7.*

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, fratres chariſſimi, qui in æternum eſt cunctorum creator, hodie de matre naſcendo factus eſt nobis ſaluator. *Ser. 15. de temp. de quo dubitant Louan.* Natus eſt nobis hodie in tempore per voluntatem, vt nos perducat ad patris æternitatem.

Factus

Pſal.77. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. Vt
Eſaia 45. panem angelorum manducaret homo, dominus
angelorum hodie factus eſt homo. Hodie impleta
eſt prophetia illa, quæ dicit, Rorate cæli deſuper,
& nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & ger-
minet ſaluatorem. Factus eſt igitur, qui fecerat, vt
inueniretur qui perierat. Sic enim in Pſalmis ho-
Pſal 118. mo confitetur, Priuſquam humiliarer, ego pecca-
Geneſ.3. ui. Et iterum, Erraui ſicut ouis, quæ periit. Pecca-
Luca 2. uit homo, & factus eſt reus, natus eſt homo Deus,
vt liberaretur reus. Homo igitur cecidit, ſed Deus
deſcendit. Cecidit homo miſerabiliter, deſcendit
Deus miſericorditer. Cecidit homo per ſuper-
biam, deſcendit Deus cum gratia. Sic nanque ma-
Luca 1. ter domini ab angelo audiuit, Aue gratia plena,
dominus tecum. Qui natus eſt primo ſine matre
in cælis, hodie natus eſt ſine patre in terris. O mi-
racula! ô prodigia, fratres chariſſimi! naturæ iura
mutantur in homine. Deus naſcitur, virgo ſine vi-
ro grauidatur, viri neſciam ſermo Dei maritat. Si-
mul facta eſt mater, & virgo: mater facta, ſed in-
corrupta, virgo habens filium neſciens virũ. Sem-
per clauſa, ſed non infœcunda. Solus enim ſine
peccato eſt natus, quem ſine virili complexu non
concupiſcentia carnis, ſed obediẽtia genuit men-
tis. Virgo concepit, ſola vulneri noſtro medici-
nam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere
germen piæ prolis emiſit. O mira, & inexquiſita
compago, ô noua & inaudita commixtio! Deus
qui eſt & qui erat, fit creator creatura. Qui im-
menſus eſt, capitur, diuites conſtituens pauper ef-
ficitur, incorporeus carne veſtitur, ſermo craſſe-
ſcit, videtur inuiſibilis, palpatur impalpabilis,
comprehenditur incomprehenſibilis, immortalis
Luca 2. occiditur. Quem cælum, & terra benedicit, in præ-
Heb.13. ſepio anguſto collocatur. Numeratur in ſeculo,
qui eſt ante ſecula. Chriſtus Ieſus heri & hodie,
idem ipſe & in ſecula. Heri dixit propter mortali-
tatem, hodie propter æternitatem. Merito hodie
locuti ſunt cæli, gratulati ſunt angeli, paſtores io-
cundati, magi inuitati, reges turbati, martyres co
ronati, dæmones effugati. Igitur cum gaudia dica-
mus ſanctæ virgini Mariæ matri domini noſtri Ie-
ſu Chriſti, dicamus & non confundamur: Lacta,
mater, Chriſtum, & dominum noſtrum & cibum,
Lacta panem de cælo veniẽtem, & in præſepi po-
ſitum velut piorum cibaria iumentorũ. Illic enim
cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſe-
Eſaia 1. pe domini ſui; Circunciſio ſcilicet & præputium
cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fue-
runt paſtores & magi. Lacta eum, qui talem fecit
te, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcundita-
tis attulit conceptus, & donum virginitatis non
abſtulit natus: qui ſibi antequam naſceretur &
vterum de quo naſceretur, & ciuitatem in qua na-
ſceretur, & diem in quo naſceretur elegit, qui &
ipſe condidit quod elegit. Sic nanque olim prædi-
Pſal.86. ctum eſt, Mater Sion, dicit homo, & homo factus
eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. O omni-
potentia naſcentis, ô magnificentia de cælo ad
terram deſcendentis! Adhuc in vtero portabatur,
& ex vtero matris à Ioanne Baptiſta ſalutabatur.
Tunc ille Simeon ſenex famoſus, annoſus, proba-
tus, coronatus, tunc cognouit, tunc adorauit, tunc
Luca 2. dixit, Nunc, domine, dimittis ſeruum tuum in pa-
ce: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Differe-
batur exire de ſeculo, vt videret natum per quem
conditum eſt ſeculum. Agnouit infantem ſenex,
factus eſt in puero puer. Innouatus in ætate, qui
plenus erat pietate, Simeon ſenex ferebat Chri-
ſtum infantem, Chriſtus regebat Simeonis ſene-
ctutem. Dictum ei fuerat à domino, quod non gu-
ſtaret mortem niſi videret Chriſtum Deum na-
tum. Natus eſt Chriſtus, & impletum eſt deſide-
rium ſenis, in mundi ipſius ſenectute. Ipſe ad ſe-
nem hominem venit, qui mundum inueteratum
inuenit, in iſto quidem ſeculo diu eſſe nolebat, &
Chriſtum in hoc ſeculo videre cupiebat, cantans Pſal.84.
cum Propheta, & dicens, Oſtende nobis, domine,
miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.
Denique vt noueritis, ita eſſe, iſtius lætitiam con-
cluſit, dicẽs, Nunc dimittis ſeruum tuum in pace,
quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Prophetæ Luca 2.
cecinerunt conditorem cæli, & terræ in terra cum
hominibus futurum: Angelus nuntiauit creato-
rem carnis & ſpiritus in carne venturum: Saluta-
uit Ioãnes ex vtero in vtero Saluatorem, Simeon
ſenex Deum agnouit infantem, Anna vidua virgi-
nem matrem. Hæc ſunt teſtimonia natiuitatis tuæ,
domine Ieſu, antequam tibi ſternerentur fluctus
maris, campi cederent imperanti, antequam ven-
tus iubente te ſiluiſſet: mortuus te vocante reſur-
rexiſſet, ſol te moriente palluiſſet, terra te reſur-
gente tremuiſſet, cælum te aſcendente patuiſſet.
Adhuc in manibus matris portabaris, & iam do-
minus orbis agnoſcebaris. Vbique enim Chriſtus
dominus ei pulcher occurrebat. Pulcher in cælis,
pulcher in terris, pulcher in patre verbũ, pulcher
in matre caro & verbũ. Pulcher in vtero virginis,
vbi non amiſit diuinitatem cum ſuſcepit humani-
tatẽ: Quia cum hic eſſet, cũ manibus portaretur,
locuti ſunt cæli, gauiſi ſunt angeli, magos ſtella
duxit, adoratus eſt in præſepio. Pulcher ergo Chri-
ſtus in miraculis, in flagellis, in ſermonibus, in ver-
beribus pulcher, non curans mortẽ, & mortuos
ſuſcitans. Pulcher in ligno, pulcher in cælo, pul- Apoc.22.
cher & in ſepulchro. Quis igitur, fratres chariſſi-
mi, nõ admiretur, nõ adoret primũ, & nouiſſimum
initium, & finem, α & ω? Quis, inquam, non ado-
ret, per quem aſpirauit dies, effugatæ ſunt vmbræ?
Natus eſt Imperator, vt ablueretur peccator. Sic 1.Corin.1.
enim ſcriptum eſt, Infirma mundi elegit Deus, vt
confundat fortia. Dominus enim Ieſus Chriſtus,
per carnem, quam ſuſcepit, tribuit nobis magnam
ſpem, magnam conſolationem, magnam gratiam.
Natus eſt quod non noueramus, lactatus eſt à ma-
tre, ſuxit quod noueramus: Mercatus eſt à nobis,
quod hic abundat, naſci & mori. Reſurgere & in
æternũ viuere non hic erat. Inuenit hic viles mer-
ces terrenas, & terreſtribus attulit peregrinas &
cæleſtes. Si expaueſcis ô quiſquis es auditor, mor-
tem Chriſti, ama reſurrectionem Chriſti. Multi
quidem contempſerunt humilem Chriſtum, &
non peruenerunt vſque ad altitudinem Chriſti.
Qui autem adorauerunt humilem, inuenerunt
excelſum. Audiunt Iudæi & dicunt, Noſter eſt
Chriſtus. O Iudæi cæci, ſi veſtrũ agnouiſtis, quare
occidiſtis? Dominus quidem ſuſcepit circunciſio-
nem, ablaturus ipſam circunciſionem. Suſcepit
vmbram, daturus lucem. Suſcepit figuram, imple-
turus veritatem. Ipſe quidem vobis legem dedit,
ſed in qua fuit Hæliſeus quando reſuſcitauit mor-
tuum filium cuiuſdam religioſæ, in ea figura data
eſt lex. Hoc factum eſt. Nũtiatus eſt Heliſæo mor-
tuus infans, dedit ſeruo ſuo baculum, & ait illi, 4.Reg.4.
Vade, inquit, & pone baculum ſuper puerum &
reuiuiſcet

reuiuiſcat. Accepit ſeruus baculum, poſuit ſuper puerum & non reſurrexit. Propterea Iudæi legem accipere potuerunt, bibere illam non potuerunt. O tu Iudæe, audi legem mutatam, ſi vis mutari: Si non vis mutari, in vetuſtate habes damnari. Noli amare veterē tunicam, pater tuus crucifixit Chriſtum, tu odiſti. Ille manu, tu corde, ambo facinus impleſtis. Diſpliceat tibi quod fecit pater tuus: audi quid dicit dominus tuus, Pater, inquit, in me manēs, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar, & ſcio, quia mandatum eius vita æterna. Si mandatum patris vita æterna eſt, ſi verbum patris eſt vita æterna, qui loquebatur erat vita æterna. Non ergo fecit aliquid à ſe, quia non eſt à ſe. Sed à quo eſt? A patre. Pater enim Deus, ſed non de Deo, filius autem Deus, ſed de Deo. Ideo filius, quia de Deo genitus eſt, & ſemper filius ſine initio genitus & tamen genitus. Et quomodo hoc intelligatur audite, Expectatis à me, audite Prophetam per me, Generationem eius quis enarrabit? Multa diximus de eius generatione, ſed ea quæ de matre eſt. Cęterum quomodo natus eſt de patre in cælo, quis poteſt explicare? quis poteſt enarrare vel inueſtigare? Teneamus nos ad iſtam humanam natiuitatem, per quam nobis Deus donauit gratiam. Gratia, inquam, donata, non merces eſt reddita. Qui creauit ſanat, per ipſam leuat ruentem, per ipſam curat ægrotantem, per ipſam coronat vincentem. Ipſa eſt fides, ipſa eſt veritas: Hoc eſt Chriſtianę fidei fundamentum, quia vnus homo, per quem ruina, alius homo Chriſtus per quem ſtructura. Cecidit qui non manſit, erigit qui non cecidit. Ruit ille, qui dimiſit manentem, manens Chriſtus in patre deſcendit ad iacentem. Ipſe puer paruulus ex ſemine Iſrael, & ipſe nobiſcum Deus Emmanuel. Quæ eſt illa noſtri generatio Saluatoris, qua gignenti patri coæternus eſt, quando hanc generationem ex virgine mundus expauit: quam pia fides agnouit, & tenuit, infidelitas autem irriſit, ſuperbia timuit ſuperata? Quænam eſt illa generatio, qua in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Vel quod eſt hoc verbum, quod dicturus antea non ſilebat, quo dicto nō ſiluit, qui dicebat? Quod eſt verbum ſine tempore, per quod facta ſunt tempora, verbū, quod labia nullius aperuit cœptum, vel clauſit finitum, verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperuit ora mutorum, verbum quod linguis gentium diſertis non fit, & linguas infantium diſertas facit? Quæ nam eſt illa generatio, cui pater moriendo non cedit, quia non eum viuendo præcedit aliena ab omnibus locorum, temporúmque interuallis, ab omni diſtentione ſpatiorum, quam vel in diebus, vel in corporibus ſentire cōſueuimus? Leuemus ad eum, quantum, ipſo adiuuante, poſſumus animam noſtram, ſi quomodo capere valeamus & natum non præuenientem, qui gignit, & gignendo non ſubſequentem qui gignitur, patrem & filium: nec pariter patres, nec pariter filios, & pariter ęternos: non vtrunque generantem, nec vtrunque naſcentem, ſed alterum ſine altero non viuentem, & patrem ſempiternum genuiſſe, & filium ſempiternum natum eſſe. Cogitemus ſi valemus, ſi non valemus, credamus. Non eſt quod hic dicere volumus, ſed tamen non longè poſitum eſt ab vnoquoque noſtrum. In illo enim viuimus, mouemur & ſumus. Tranſcendamus carnem noſtram, in qua parentes antè filios viuunt, quia vt filios poſſent generare creuerunt, & filiis creſcentibus, iam ſeneſcunt. Nondum natis filiis parentes vixerunt, quia & parentibus mortuis filij victuri ſunt. Tranſcendamus & animas noſtras, pariunt & ipſæ aliquid cogitando quod ſecum habent ſciendo, ſed poſſunt amittere obliuiſcendo, quia & non habebant antea naſcendo. Cuncta corporalia, & temporalia, & mutabilia tranſcendamus, vt videamus ſuper omnia, per quem facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde eſt, quia & illud quò aſcendimus prope eſt. Longe autem ab illo ſumus, tanquam diſſimiles ſumus. Aſcendit ergo ad eum ſua ſimilitudo quam in nobis fecit & refecit, quia nondum perfectè palpitat infirmus aſpectus, & ineffabilem candorem lucis æternæ non poteſt intueri. Cuius ergo fulgorem mentis acies nondum capit, generationem eius quis enarrabit? Sed verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hanc ergo generationem cuius hodiernum celebramus diem, hāc in qua dignatus eſt venire per Iſraël, & fieri Emmanuel nobiſcum Deus in carnis infirmitate, non nobiſcum in cordis iniquitate accedens ad nos per id quod aſſumpſit ex noſtro, & liberans nos per id quod manſit in ſuo. Viſitauit quippe dominus ſeruos ſuos per mortalem infirmitatem. Hanc ergo generationem cuius vtcunque capax eſt humana fragilitas, non illam quæ ſine tempore manet, ſine matre ſuper omnia, ſed iſtam quę in tempore facta eſt ſine patre inter omnia. Hunc virginis filium & virginum ſponſum, de incorrupta matre naſcentem, & incorruptibili veritate fœtantem laudemus, amemus, adoremus, vt in eius miſericordia de aſtutia diaboli ſiſi triumphemus. Veniamus ad eum credendo, proficiamus gratias agendo, agnoſcamus perſeuerando. Veniamus ad illum, & inter nos concordemus. Quare de eius natiuitate litigamus? An vt medico vocante non audiamus? O infelix infirmitas, venit ad ægrotum medicus, & litibus vacat ægrotus. Celebremus ergo natalem non humanę deuotionis, ſed diuinæ dignationis, non infirmitatis, ſed æternitatis, non formationis, ſed reformationis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan. 12. — Eſaie 53. — Ioan. 1. — Sap. 10. — Act. 17. — Eſaie 53. — Ioan. 1.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 8.*

Sermo 14. de temp. de quo dubitant Louanienſes.

FRatres dilectiſſimi, hodie dies illuxit, in quo Chriſtus ex virgine carnem ſuſcepit. Humilitatis induere voluit formam, vt à peccatis liberaret animas noſtras. Tranſgreſſio illius primi hominis totum deceperat mundum, vt nullum eſſet ſalutis remedium, niſi Chriſtus adueniret è cælo. Gaudebat teterrimus draco, quia venenum præparauerat homini nouo. Sed ad hoc deſcendit Chriſtus in vterum virginis, vt exinde humana ſuſciperet membra quæ traderet cruci, & mortem induceret antiquo draconi. Vſus enim fuerat diabolus conſilio malo, vt per ſerpentem mulieri loqueretur, & diabolus non agnoſceretur. Sed hic qui de cælo deſcendit, ad nihilum redegit illum, vt Deus Dei filius humanum ſuſciperet corpus, tendens ei laqueum mortis, vt per viſionem videlicet carnis quaſi ad hominem ſolum tentator accederet, & Deum penitus ignoraret. Videbat carnem, ſed

ſed ignorabat domini maieſtatem, cernebat infirmitatem, & non videbat deitatem. Remanſit confuſus diabolus, dum in homine apparuit dominus. Sic à Deo patre Deus deſcendit, vnde nunquam diſceſſit, In terris erat & cælos non deſerebat, *Ioan. 3.* ſicut ipſe dominus ait, Nemo aſcendit in cælum niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis, qui eſt in cælo. In terris vt homo loquebatur hominibus, & in cælo eſſe fatebatur vt Deus, Et deitas non minoratur cùm infirmitas aſſumitur, & illud quod non erat accepit, & Deus manſit quod ab *Philip. 2.* initio fuit. Quod enim homo fuit, nobis profuit, ſibi nihil minuit. Exinaniuit plenitudinem deitatis, formam ſuſcepit humilitatis, & patri manens æqualis. Talis eligitur virgo de toto ſcilicet mundo, quæ tantum haberet meritum vt Dei filium in ſemetipſam ſuſciperet, & poſt partum omnimodo *Luc. 1.* virgo permaneret. Aue, inquit, Maria gratia plena, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: Quia ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum: Virginitatis iura ſeruabis, filium habebis, & nomen virginis non amittes. Tanta eſt enim diuina illa potentia, vt & matrem reddat fœcundam, & virginitatem ſeruet illæſam. Ideo benedicta inter mulieres, quia ex ſpiritu ſancto concipies, vbi non eſt carnalis maritus, ſed diuina dignoſcitur virtus. Lactas infantem proprium, creatori ſuccum porrigis lactis, & cibis cæleſtibus ſatiaris. Pannis inuoluis puerum, qui tibi immortale condonauit indumentum. In præſepio ponis infantilia membra, qui cæleſtem tibi præparauit menſam. Omnia quæ nutriciæ cauſa debentur, circa puerum celebres, vt quod ipſe promiſit ſanctis ſuis, & tu ipſa liberalius cõſequaris. Quid multa? Exulta, virgo, de tanto promiſſo, nuntius diſceſſit angelicus, & ventris hoſpitium ingreditur Deus, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 9.*

Serm. 16. de temp. dubiũs Louanienſi. HOdie veritas de terra orta eſt, Chriſtus de carne natus eſt. Gaudete ſolenniter, & ſempiternum diem hodierno quoque admoniti cogitate, æterna dona ſpe firmiſſima concupiſcite, filij Dei eſſe accepta poteſtate præſumite. Propter nos temporalis effectus eſt temporum effector, propter nos in carne apparuit mundi conditor, propter nos creatus eſt creator. Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini, & fugitiuam vitam, ſi fieri poſſet, tenere conamini? Spes longe clarior effulſit in terris, vt terrenis vita promitteretur in cælis. Hoc vt crederetur, res incredibilior prærogata eſt. Deos facturus qui homines erant, homo factus eſt qui Deus erat, nec amittẽs, quod erat, fieri voluit ipſe quod fecerat. Ipſe fecit quod eſſet, quia hominem Deo addidit, non Deum in homine perdidit. Miramur virginis partũ, & nouum ipſum naſcendi modum incredulis perſuadere conamur, quòd in vtero non ſeminato germen prolis exortum eſt, & à complexu carnis viſcera immunia filium hominis protulerunt, cuius patrem hominem non tulerunt: quòd virginitatis integritas & in conceptu clauſa, & in partu incorrupta permanſit. Sed plus eſt miranda miſericordia, quòd ille qui ſic naſci potuit, naſci voluit. Erat enim iam vnicus patri, qui vnice natus eſt matri: & ipſe factus eſt in matre, qui ſibi fecerat matrem, ſempiternus cum patre, hodiernus ex matre. Poſt matrem de matre factus eſt, ante omnia de patre non factus eſt, ſine quo pater nunquam fuit, ſine quo mater nunquam fuiſſet. Exultate, virgines Chriſti, conſors veſtra eſt mater Chriſti. Chriſtũ párere non potuiſtis, ſed propter Chriſtum párere noluiſtis. Qui non ex vobis natus eſt, vobis natus eſt. Verùmtamen ſi verbi eius memineritis, ſicut meminiſſe debetis, eſtis eſt iam matres eius, quia voluntatẽ facitis patris eius. Ipſe enim dixit, Qui- *Matth. 12.* cunque facit voluntatem patris mei, ipſe mihi frater & ſoror & mater eſt. Exultate viduæ Chriſti, qui fœcundam fecit virginitatem, illis vouiſtis continentiæ caſtitatem. Exulta etiam caſtitas nuptialis, omnes fideliter viuentes cum coniugibus veſtris, quod amiſiſtis in corpore, in corde ſeruate. Vbi iam non poteſt eſſe à concubitu caro integra, ſit in fide virgo conſcientia, ſecundum quam virgo eſt omnis Eccleſia. In Maria Chriſtum pia *Luc. 1. & 2.* virginitas peperit, in Anna Chriſtum viduitas paruum grandæua cognouit, in Elizabet Chriſto coniugalis caſtitas, & anilis fœcunditas militauit. Omnes gradus fidelium membrorum capiti contulerunt, quod ipſius gratiæ conferre potuerunt. Proinde quia veritas, & pax, & iuſtitia Chriſtus eſt, hunc fide concipite, operibus edite, vt quod egit vterus Mariæ in carne Chriſti, agat cor veſtrum in lege Chriſti. Quo modo autem nõ ad partum virginis pertinetis, quando Chriſti membra eſtis? Caput veſtrũ peperit Maria, vos eccleſia. Nam ipſa quoque & mater & virgo eſt, mater viſceribus charitatis, virgo integritate fidei. Pietatis populos parit, ſed eius membra ſunt, cuius ipſa eſt corpus & coniunx, etiam in hoc ſimilitudinem gerens illius virginis, quia & in multis mater eſt vnitatis. Omnes itaque vnanimes, caſtis mentibus, & affectibus ſanctis, diem natalis domini celebremus, quo die ſicut iſtum ſermonem orſi ſumus, Veritas de terra orta eſt. *Pſal. 84.* Iam enim & quod in eodem Pſalmo ſequitur factum eſt. Nam cùm ille de terra ortus eſt, hoc eſt, de carne natus eſt, qui de cælo venit & ſuper omnes eſt, proculdubio cùm aſcendit ad patrem, etiam iuſtitia de cælo proſpexit. Hanc enim iuſtitiã verbis ſuis ipſe commẽdat, in promittendo ſpiritum ſanctum, ipſe, inquit, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credi- *Ioan. 16.* derunt in me. De iuſtitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Hæc eſt iuſtitia, quæ *Pſal. 84.* de cælo proſpexit. A ſummo enim cælo egreſſio *Pſal. 18.* eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Ne quiſquam contemneret veritatem, quia de terra orta eſt, cùm ſicut ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, id eſt, de vtero virginali, vbi verbum Dei creaturæ humanæ quodam ineffabili coniugio copulatum eſt. Ne hoc ergo quiſquam contemneret, & quamuis mirabiliter natum, & dictis, factiſque mirabilem, tamen propter ſimilitudinem carnis *Rom. 8.* peccati nihil amplius Chriſtũ quàm hominẽ crederet, cùm dictum eſſet, Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, *Pſal. 18.* exultauit vt gigas ad currendam viam: cõtinuo ſubiunctum eſt, A ſummo cælo egreſſio eius. Quod ergo audis, Veritas de terra orta eſt, dignatio eſt, non conditio: miſericordia eſt, nõ miſeria. Veritas vt de terra oriretur, de cælo deſcendit, ſponſus vt de thalamo procederet,

deret, à ſummo cælo egreſſio eius. Inde eſt quòd hodie natus eſt, quo die minor dies nullus in terris, à quo tamen incrementa dies ſumunt. Qui ergo inclinatus eſt, & nos erexit, minimum elegit diem, ſed vnde lux creſcit: ipſo ſuo tali aduentu, nos etiam tacitus tanquam ſonitu magni clamoris exhortans, vt qui pauper propter nos factus eſt, in illo diuites eſſe diſcamus. Qui propter nos formam ſerui accepit, in illo libertatem accipiamus. Qui propter nos de terra ortus eſt, in illo cælum poſſideamus: Per dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

1 Cor. 8. Philip. 2.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 10.*

Serm. 17. de temp. dubitāt Louanienſes. Luca 1. & 2.

NAtiuitatem domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum carnem, ita Euagelista apertiſſimè demonſtrans ait, vt oſtenderet eum ex ſpiritu ſancto, & Maria virgine natum propter hereticorum aſtutiam, qui negant Deum hominem ſuſcepiſſe. Sed ideo dominus noſter virgineum ſibi requiſiuit hoſpitium habitandi, vt nobis oſtenderet in caſto corpore Deum portare debere. Ad hoc enim Deus hominem ſuſcepit in ſe, vt & nos Deum ſuſcipiamus in nobis, ſicut ipſe dicit, Manete in me, & ego in vobis. O ſactum, & cæleſte myſterium in natiuitate domini! Concepit virgo antequam ſponſum haberet, parit antequam nubat, & quod ad laudem pertinet nominis domini, & mater & virgo cœpit eſſe poſt partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo poſt partum illibata permanſit. Quem cùm portaret timuit, cùm pareret adorauit, quem cùm peperiſſet, minor erat mater quàm filius. Grande nobis myſterium, diuina maieſtas in Adę figura pręmiſit. Sicut enim Deus noſter cùm primum Adam facere vellet, non ex coniunctione viri, aut mulieris hominem, vt eſſet effecit, ſed accipiens terram, inde hominem diuina quadam arte formauit: ita ſanè viri coniunctione Deum in virginali aluo incorporari diſpenſauit. Ergo, ſi tunc licuit hominem ſine homine naſci, cur non licuit hominem ſine homine per Mariam virginem procreari? Quoniam ſicut Adam ex terra virgine figuratus eſt, ita & Chriſtus ex virgine natus agnoſcitur. Ibi tunc flatus Dei de terra viuum hominem ſurgere fecit ad vitam: hic modum ſpiritus ſanctus de Maria virgine Chriſtum hominem figurauit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc naſcitur, hic renouatur, & reſuſcitatus in Chriſto. Fuit ſimilis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio. Denique ſicut tunc in aluo terræ Saluator Adæ membra compoſuit, ſic etiam nunc in virginis aluo Chriſtus ſua membra compoſuit. O grandis patientia Saluatoris! expectat naſci, ſua membra qui fecit. Sed ideo ille voluit naſci, vt nos iterum viueremus. Deus latebat in homine, humiliata eſt virtus, vt pietas augeretur, & quod ad laudem nominis eius pertinet, viſa eſt poteſtas minus velle quàm poſſit. Humiliauit ſe vt homo, nec horruit Deus hominem induere, quem ad ſuam, patriſque imaginem figurauit, vnde libens Dei filius voluit hoc eſſe quod fecit. Nam ideo Deus noſter filium ſuum miſit ad hominem liberandum, vt cui dixerat, Faciamus hominē, ipſe etiam liberator eſſet, qui fuerat & creator. Sed quare Deus noſter naſcendo per virginem, nos ſic voluit reformare ad vitam? Vt quia per mulierem in hunc mundum mors intrauit, ſalus per virginem redderetur. Denique & quando Chriſtus tertia die ab inferis reſurrexit, primum mulieres per angelum adorantes occurrunt, quibus ideo iubetur reſurrectionem Apoſtolis nuntiare, vt homini oſtenderetur. Ecce per quam cecidiſtis in mortem, per ipſam vobis reſurrectio mortuorum nuntiatur. Mulier enim, quia prior guſtauerat, prior etiam reſurrectionem vidiſſe monſtratur, vt ne perpetui reatus apud viros opprobrium ſuſtineret, quia quæ culpam nobis transfuderat, transfudit & gratiam. Denique dominus noſter ideo per caſta virginis membra venit ad terras, vt oſtenderet Deum caſtitatis eſſe autorē. Ergo ſicut i Deus noſter nos ſuſcepit in ſe, ita & Deū nos ſuſcipiamus in nobis. Portemus ergo & nos Deum in caſto corpore, quem virginis caſta membra portauerunt. Chriſtus enim magiſter eſt caſtitatis, & ideo qui caſtitatem non habet, portare Chriſtum non poteſt. Sed & nos, fratres chariſſimi, qui Deo credimus, vt ſemper Chriſtum in corde noſtro portare poſſimus, caſtos, ac puros nos exhibeamus ab omni peccato, vt Chriſtus habitare poſſit in nobis. Qui enim Chriſtum non habet in ſe, Chriſtianus non poteſt dici. Nec enim ita ſe extollere debet vnuſquiſque, vt Chriſtianum ſe nomine dicat tantum, & factis inimicum oſtendat. Quomodo eſt Chriſtianus, qui contra Chriſti pręcepta venire cōtendit? Sed vos, qui Deo ſeruitis, & eius præcepta cuſtoditis, potens eſt vobis concedere vitam æternam, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan. 15. *Geneſ. 1.* *Matth. 28.*

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 11.*

Serm. 18. de temp. reiectus à Louan. & tributus homini incerdito.

CAſtiſſimum Mariæ virginis vterum, ſponſi virginis clauſum ventris cubiculum, filij virginis ſignaculum, meritò pleniſſimè collaudarē, ſi meſſem meterem, quam non ſeminarem. Denique ſic Apoſtolus dicit, Quæcunque ſeminauerit homo, hæc & metet. Verum eſt, omnino verum eſt, hæc omnem hominem metere quæ ſeminauit, ſicut ipſe filius virginis in quadam lectione Euangelij ait, Meto, inquit, vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi. Dicat ſolus hodie natus ex virgine filius Mariæ, Meto vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi. Dicat & Maria, Et ego te filium generaui, & virginitatem meam non violaui. Regnum teneo virginitatis, & regem genui caſtitatis. Ingredientem & egredientem habui in palatio ventris filium imperatoris, & de manibus meis non amiſi clauem regni pudoris. Porta facta ſum cæli, ianua facta ſum filio Dei. Illa porta facta clauſa, quam in viſione diuina Ezechiel vidit Propheta, de qua in me dicit prophetizans, Vidi portam in domo domini clauſam, & dicit ad me Angelus, Porta hęc, quam vides, non aperitur, & homo nō tranſit per eam, & clauſa erit in æternum. Sed mirabilior Prophetiæ adimpletio. Quid eſt porta in domo domini clauſa, niſi quòd Maria ſemper erit intacta? Et quid eſt homo nō tranſit per eam, niſi quia Ioſeph non cognouit eam? Et quid eſt quod dominus ſolus intrat, & egredietur

Matt. 25. *Ezec. 44.*

dicetur per eam, niſi quia ſpiritus ſanctus imprægnauit eam? Et quid eſt clauſa erit in æternum, niſi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum? Dicat ergo Maria, Porta facta *Ioan. 20.* ſum cæli, ianua facta ſum filio Dei. Illi facta ſum ianua clauſa, qui poſt ſuam reſurrectionẽ ingreſſus eſt per oſtia clauſa: qui ingreſſus eſt paruus ad ſuos crucifixores, ad diſcipulos autem ſuos clauſo cœnaculo oſtij ingreſſus eſt clauſtra. Qui natus de ventre meo, me matrem dimiſit intactam: Adimpleuit ventrẽ meum diuinitate, & vterum meũ non euacuauit caſtitate. Exiuit de ventre meo giganteo curſu magnificus, & venter meus non eſt pudore vacuatus, nec in conceptione inuēta ſum ſine pudore, nec in parturitione inuēta ſum cum dolore. O mira, & laudabilis inter fœminas, in qua ab angelo ſalutatur virginitas, ſola impręgnata nec vitiata: exonerata, nec vacuata, quia ſic eſt *Lucæ 1.* ab angelo ſalutata, Aue Maria gratia plena, dominus tecum. Felix vmbilicus caſtitatis, quem amplexus non tetigit maritalis. Conſidero conceptum tuum, beata virgo, & expaueſco. Intueor partum, & contremiſco: adoro filium tuum, & reuiuiſco. Enarra obſecro mihi, quomodo meruiſti dici mater domini, & ſponſa filio Dei? Quod rogo indica mihi, ſed tamen colloquenti tecum ignoſce mihi. Ignoſce, inquam, mihi quòd audeam ſeruus, vtinam vel bonus, & non etiam inutilis & malus ſeruus, & ideo malus ſeruus, quia nõ tecum cum tremore loquor vt ſeruus: ignoſce ergo mihi quòd audeam cum ſponſa domini mei fabulari, & tamen indica mihi quomodo potuerit Dei filius per te generari. Audite, fratres, audite Mariam nobiſcum loquentem, carne abſentẽ, ſpiritu præſentem, verecundia virginitatis vultum auertentem à collocutore, indicantem quomodo imprægnata ſit à creatore. Eram, inquit Maria, in domo mea, puella Iudæa, ex ſemine Dauid regis generata: adulta facta ſum, & deſponſata ſum coniugi, & placui alteri, non interueniente adulterio, ſed intercedente ſpiritu ſancto. Deſponſata ſum homini Iudæo, & placui homini Deo. Deſponſauit me *Matt. 1.* vir Iudæus, & amauit me Chriſtus Deus. Ignorauit quidem ſponſus meus Ioſeph, quod me amaſſet Deus meus, & putauit, quod adulterio imprægnatus eſſet venter meus. Nã ignaro Ioſeph ſponſo meo, venit ad me quidam magnus Chriſti Paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, ſed Gabriel ille Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili, viſitauit, & perturbauit me, ſaluta*Lucæ 1.* uit, & grauidauit, dixítque mihi, Aue gratia plena, dominus tecum. Dominus, inquit, tecum, ſed pluſquam mecum. In me autem licet ſit dominus, memet ipſum creauit dominus, per te autem genitus eſt dominus. Ita eſt dominus tecum, vt ſit in corde tuo, ſit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam, procedat formoſus de vtero tuo, tanquam ſponſus de thalamo ſuo: egrediatur rex de cubiculo ſuo, procedat princeps ex aula regali, ita vt virginitatem tuam non faciat violari. Dixítque ei, Quomodo fiet iſtud, vt ego graueſcam pudico, & mundiſſimo marito, quoniam virum penitus non cognoſco? Deſpõſata ſum homini iuſto, ſi cum illo non con*Lib. 50. Homil. 44. de temp.* uenero, vnde erit, quod generabo? Sed ſi poteſt fieri vt concipiam intacta, & generem clauſa, indica modum, & paratum inuenies cor meum.

Omnibus enim modis exopto ex Deo meo vt habeam prolem, & non perdam pudorem. Refert angelus Gabriel modum conceptionis, quod in verbo fieret Saluatoris, & ita ad eam, O inquit Maria virgo Dei, ſponſa Dei, dilecta Dei, famula Dei, mater Dei ſi hunc à me modũ requiris, quomodo virgo concipias, virgo parias, & poſt partum virgo permaneas, vel quomodo fiat in te, qui fecit te, audi me, & ne perturberis, Spiritus ſan*Lucæ 1.* ctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ita enim te virtus altiſſimi obumbrabit vt nec æſtũ patiaris libidinis, & mater ſis creatoris. Neſcit interea Ioſeph Mariæ ſponſus, quid cum Maria ageret angelus, ſubitóque Ioſeph intuitu familiari & licentia maritali, aſpicit Mariam coniugem ſuam, vidit eam greſſibus grauari, intellexit Mariæ vterum grauidari. Turbatur Ioſeph homo iuſtus, quod Mariam nuper de templo domini acceperat, & nondum cognouerat, & grauidam ſentiebat, & quam non meruerat in coniugij honorem, iam haberet in cõfuſionem, ſecúmque diu æſtuans diſputat dicens, Vnde hoc contigit quod euenit? Non cognoui, non noui, non tetigi, non violaui non grauidaui, heu heu quid contigit, quid putas euenit, per quem Maria ſic cecidit, quem ſibi pluſquam me adulantem inuenit? Ego enim, cùm licentiam haberem maritalem, ante thorum nuptiarum puellarem non vexaui pudorem. Timui, multúmque pertimui, quod in illo Moyſitico libro legis ſententiale verbum perſcriptum cùm legeretur, audiui. Quòd *Deut. 22.* quæcunque virgo paternam domum fœdauerit adulterio, morienda lapidibus ſubiacebit. Similiter & vir, qui pudoris veſtimentum patri non detulerit, corámque teſtibus replicauerit, pudoriſque ſignaculum non demonſtrauerit, moriendus & ipſe cum virgine erit. Vtroſque ergo libitinarios hac Moyſes ſententia ferire voluit, ſimúlque adulteros perire mandauit. Sic nanque ait, Auferte opprobrium de domo Iſraël, & omnis qui audierit timebit, & non aget impiè. Hanc Moyſi ſententiam præcauebam, ipſámque luxuriam in meo corpore refrænabam, maximè quia Dauid filium me eſſe ſciebam, & regali me functum ſacerdotio prænoſcebam. Sed quoniam nihil mirum eſt, nihil notum, nihil occultum, nihil abſcõſum, quod non reuelabitur, & occultum quod non in publi*Matt. 10.* co veniat, in Dauid regis filia, recolo hiſtoriam. *2. Reg. 11.* Dauid rex Vriæ Cethei mulierem audacia extulit *2. Reg. 1.* regali, nec eum timor terruit parentalis. Quid ergo faciam? quid agam? Anxior, gemo, doleo, curro, conſilium quæro, nec penitus inuenio. Prodo adulterium, aut taceo propter opprobrium? Si prodidero adulterium, quidem non conſentio, ſed næuum crudelitatis incurro, quia ſecundum libri Moyſi ſententiam, lapidandam eſſe cognoſco. Si tacuero malum, conſentio, & cum adulte*Pſal. 49.* ris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum eſt, adulterium prodere peius eſt, ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio. Cogitauit, inquit, ſicut Euangelium dicit, occulte di*Matt. 1.* mittere Mariam coniugem ſuam. Cogitauit quod eſſet rea de adulterio, cum iam eſſet deterior in mente huius ſuſpicionis mala conceptio. Sed non timeat Maria Dauid illius magni regis filia, quoniam ſicut in Dauid veniam contulit ſermo propheticus, ſic Mariam liberat angelus ſaluatoris. Veniat mater domini caſta, in qua non fuit vi-

rilis appetitio, ſed ſpiritus ſanctus, quam non violauit Ioſeph vir Iudæus, ſed ſolus imprægnauit omnipotens Deus, quæ non commixta eſt, nec Ioſeph ſpõſo, nec cognita alicui viro, ſed ſoli omnipotẽti Deo. Inuoca, virgo ſancta, Deum tuum, Dauid patrem tuum, non illum Dauid adulterio fuſcatum, & Vriæ Cethei homicidio diuulgatum, ſed illum dico Dauid forti manu præliatum, diu cum diabolo altercatum. Mittat de cælo angelum ſuum, & viſitet in ſomnis ſponſum tuum. Suſpendat iudicium Moyſes ſuũ, ne Ioſeph vindicet adulterium tuum. Parat itaque Ioſeph animum in tẽpore, quo Mariam poſſit occulte dimittere. Ecce iterum virginis ille paranymphus, non homo, ſed Gabriel angelus ille cõſpicuus, cæli curſor æquiſſimus, medio noctis libramine, dicit ad Ioſeph in viſione, Ioſeph filij Dauid, cur tantum tribularis? quid multum contriſtaris cur in ſomno cogitando deſudas? quare vigilando triſtis ambulas? cur de Maria malam tibi ingeris ſuſpicionem, cum ipſa tibi generatura ſit Saluatorem? Aufer zelotypiæ animum ex ea, Ipſe enim eſt dominus, qui imprægnauit eam. Ideo triſtis eſt anima tua, quia quæcunque legiſti in Prophetia, non intellexiſti in Maria. Hinc eſt omnis triſtitia tua, quoniam ſponſam tuam nondum cognoueris, & grauidam ſenſeris, nec aliud in ea niſi adulterium ſuſpicaris. Ioſeph filij Dauid, natus non ſolùm ex genere ſacerdotali, verumetiam ex regali filius Prophetarum, ſocius Scribarum, ille Deus, qui ſcripſit mirabilia in lege ſua, ipſe fecit mirabilia in coniuge tua. Quid autem ſunt mirabilia, niſi quæ hominibus ſunt impoſſibilia? Mirabilia ergo Dei in lege non legiſti, quod ſi etiam legiſti, quare
Deut. 9. non intellexiſti? Ipſa lex quam quotidie legis ſine
Exod. 16. graphio ſcripta eſt in tabulis lapideis. Lege & intellige quod panem in eremo terra produxerit, cuius ſemen in terra arator nullus induxit. Virga
Num. 17. etiam Aaron, annis ſiccata plurimis ſine aqua reuixit, in templo floruit, nuces produxit, quas clauſa ſub tecto produxit. Ergo qui ſcripſit lapideas tabulas ſine ſtylo ferreo, ipſe grauidauit Mariam ſpiritu ſancto: & qui produxit panes in eremo ſine aratione, ipſe imprægnauit virginem ſine corruptione: & qui fecit virgam ſine humore folia germinare, ipſe fecit filiam Dauid ſine ſemine generare. Poſtremo fili Dauid Ioſeph filius Prophetarum, legiſti Eſaiam eximium prophetarũ quid
Eſaia 7. dixerit, quemadmodum ſcripſerit, Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium, & vocabunt nomẽ eius Emmanuel. Quod ergo legiſti in libris tuis, aſpice in Maria oculis tuis, vt digne dicas canticũ
Pſal. 47. Dauid patris tui, Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Accipe ergo Mariam coniugem tuam, ſemper de ea ſecurus & in nullo ſis ſolicitus, quia quod natum eſt in eius vtero, non vocabitur filius Iudæi, ſed vocabitur filius Dei. Habe ergo Ioſeph cum Maria coniuge tua communem virginitatẽ membrorum, quia de virgineis membris virtus naſcitur angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti in carne ſua virginitate ſeruata, ſis autem & tu pater Chriſti cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis, ſeculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia. Magnum meritũ virginitatis fratres. Virginitas Mariæ angeli ſalu-
Lucæ 1. tatione eſt imprægnata, & prægnans Mariæ virginitas de vtero in vtero eſt ſalutata, & generans virginitas Mariæ ab angelis eſt hodie collaudata, & lactans virginitas Mariæ per ſtellam de cælo eſt indicata, & magorum muneribus eſt honorata. Gaude itaque, Ioſeph, nimiúmque congaude vir- *Matt. 2.*
ginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es à cõcubitu vxoris, vt pater dicaris ſaluatoris, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 12.*

GAudeamus, fratres, lætẽtur, & exultent gen- *Serm. 19. de temp.*
tes. Iſtum diem nobis non ſol iſte viſibilis, ſed creator ipſius inuiſibilis conſecrauit, quando eum pro nobis viſibilem factum, à quo inuiſibili & ipſa creata eſt, viſceribus fœcundis, & genitalibus integris virgo mater effudit. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo grauida, virgo fœta, virgo perpetua. Quid miraris hæc homo? Deum ſic naſci oportuit, quando eſſe dignatus eſt homo. Talem fecit illam, qui eſt factus ex illa: antequam fieret enim erat, & quia omnipotẽs erat, fieri potuit, manens quod erat. Fecit ſibi matrem, cum eſſet apud patrem, & cum fieret ex matre, manſit in patre. Quomodo Deus eſſe deſiſteret, cum homo eſſe cœpit, qui genitrici ſuæ præſtitit ne deſiſteret virgo eſſe, cum peperit? Proinde cũ verbum caro *Ioan. 1.*
factum eſt, non verbum in carnem pereundo ceſſit, ſed caro verbo ne ipſa periret acceſſit, vt quemadmodum homo eſt anima & caro, ſic eſſet Chriſtus Deus & homo, idem Deus qui homo, & qui Deus idem homo, non cõfuſione naturæ, ſed vnitate perſonæ. Denique filius Dei generanti coæternus ſemper ex patre, idem filius hominis eſſe cœpit ex virgine: ac ſic & filij diuinitati eſt addita humanitas, & tamen non eſt perſonarum facta quaternitas, ſed permanet trinitas. Non ergo nobis ſubrepat quorundam ſententia minus attentorum in regulam fidei, & in ſcripturarum oracula diuinarum. Dicunt enim. Qui filius eſt hominis, factus eſt filius Dei: qui vero filius eſt Dei, non eſt factus hominis. Hoc vt dicerent quod verum eſt, attenderunt, ſed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, niſi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius diuina autem non potuit? Hoc verum eſt, ſed etiam ſic, id eſt, nequaquã in deterius diuinitate mutata, verbum tamẽ caro factum eſt. Neque enim ait Euan- *Ioan. 1.*
geliſta, caro verbum facta eſt: ſed ait, verbum caro factum eſt. Verbum autem Deus, quia Deus erat verbum. Et quid caro niſi homo? Non enim ſine anima in Chriſto hominis caro. Vnde ait, Triſtis *Matth. 26.*
eſt anima mea vſque ad mortem. Si ergo verbum Deus, & homo caro, quid eſt aliud, verbũ factum eſt caro: niſi, qui Deus erat, factus eſt homo? Ac per hoc qui erat Dei filius, factus eſt hominis filius, aſſumptione inferioris, non verſione potioris: accipiendo ipſe quod non erat, non amittendo quod erat. Nam quomodo in regula fidei confiteremur, credere nos in filium Dei, qui natus eſt ex virgine Maria, ſi non filius Dei, ſed filius hominis natus eſt ex virgine Maria? Quis enim Chriſtianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, ſed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factũ? Deus enim erat verbum,

& verbum

Ioan.1. & verbum caro factum eſt. Confitendum eſt igitur, eum qui filius Dei erat, vt de virgine Maria *Ioan.14.* *Ioan.10.* naſceretur, aſſumpta forma ſerui, filium hominis factum, quod erat manentem, quod non erat aſſumentem. Eſſe incipientem quo minor eſt patre, & ſemper manentem in eo quo vnum ſunt ipſe & pater. Nam ſi ille, qui ſemper eſt Dei filius, non eſt ipſe factus hominis filius, quo modo de illo dicit *Philip.2.* Apoſtolus. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo? Neque enim alius, ſed ipſe in forma Dei æqualis patri, qui eſt vtique vnigenitus Dei filius, ſemetipſum exinaniuit, in ſimilitudinem hominum factus. Neque alius, ſed idem ipſe in forma Dei æqualis patri, humiliauit non alium, ſed ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quod totum non fecit Dei filius, niſi in ea forma quæ eſt hominis. Item ſi ille qui ſemper eſt Dei filius, non eſt ipſe *Rom.1.* factus hominis filius, quomodo dicit Apoſtolus ad Romanos, Segregatus in Euangeliũ Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem? Ecce filius Dei quod vtique ſemper erat, factus eſt ex ſemine Dauid ſecun-*Galat.4.* dum carnem, quod non erat. Item, ſi ille, qui eſt Dei filius, non eſt ipſe factus filius hominis, quomodo miſit Deus filium ſuum factum ex muliere? Quo nomine ſecundum Hebræam linguam non virgineum decus negatur, ſed fœmineus ſexus oſtenditur. Quis enim à patre eſt miſſus, niſi vnigenitus Dei filius? Quomodo ergo ex muliere factus, niſi quia idem ipſe qui erat apud patrem Dei filius, miſſus, factus eſt hominis filius? De patre natus ſine temporis die, de matre natus hodie. Ita enim diem, quem creauit, in quo crearetur elegit, ſicut factus eſt de matre quam fecit. Nam & ipſe dies, à quo deinceps incrementum lucis accipit Deus, opus Chriſti ſignificat, in quo interior homo noſter renouatur de die in diẽ. Aeterno quippe creatori in tempore creato ille dies debuit eſſe natalis, cui creatura congrueret temporalis, cui honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 13.*

Sermo.20.de temp. HOdiernus dies ad habẽdam ſpem vitæ æternæ, magnum contulit gaudium generi humano. Primus enim homo, quo cadente, omnes cecidimus, cuius ruina eſt mortalitas noſtra, non eſt natus ſed factus, patre nullo, nulla matre, ſed Deo operante. Hæc eſt hominis prima conditio, *Geneſ.2.* Adam de terra. Secunda conditio eſt hominis, quia creauit fœminam de latere viri. Tertia conditio eſt hominis, qua natus eſt homo ex viro, & fœmina. Quarta cõditio eſt Dei, & hominis, qua natus eſt Chriſtus ſine viro de fœmina. In iſtis quattuor conditionibus vna ſola nobis vſitata eſt: cæteræ tres non ſunt in oculis carneis, ſed in fide cordis. *Luca 2.* De terra factum hominẽ ſine patre, & matre nouimus, nunquam vidimus, lecta, & audita credimus. Tertia illa vſitata eſt nobis ipſa quotidiana. De complexu maris, & fœminæ quotidie naſcuntur homines. Iam ergo erat vna ſine viro, & fœmina, iam erat tertia de viro, & fœmina, quarta reſtabat ſine viro de fœmina: ſed iſta quarta liberauit tres. Prima & ſecunda ruerunt, tertiam de ruina generauerunt, in quarta ſalutem inuenerunt. Exultent virgines, virgo peperit Chriſtum. *Ibidem.* Nihil in ea quod vouerunt, putent exterminatum, manſit virgo poſt partum. Exultẽt viduæ, *Luca 2.* infantem Chriſtum vidua Anna cognouit: exultent coniugatæ, naſciturũ dominum Ieſum Chriſtum Eliſabeth maritata prophetauit. Nullus gradus prætermiſſus eſt, de quo non haberet teſtimonium ſalus omnium. Nunquid enim ſolæ virgines ad regnum cælorum peruenerũt? Peruenerunt & viduæ. Magni meriti fuit illa vidua ſancta Anna, quæ à virginitate ſua ſeptem annis vixerat cum viro ſuo, quo defuncto vſque ad ſenilem ætatem peruenerat, & ſenectute ſancta expectabat infantiã ſaluatoris, vt paruum videret anuſ, paruum agnoſceret anicula, intrantem in mundum ſaluatorem videret intra. Et in maſculino ſexu tria ipſa genera commendata ſunt. Ipſe Chriſtus puer natus eſt, exultent pueri, continentiam vouentes puero. Ipſe verò integritatem pueritiæ conſecrauit, qui ſuæ matri fœcunditatem attulit, virginitatem non abſtulit. Simeon ille ſenex diu vixerat, cuius ætas comparatur Annæ, & audierat reſponſum quòd non eſſet viſurus mortem, niſi prius vi-*Luca 2.* deret Chriſtum domini. Intelligite, fratres, quantum deſiderium habebant antiqui ſancti videndi Chriſtum. Sciebant illum eſſe venturum, & omnes, qui piè viuebant dicebant, O ſi hic me inueniat illa natiuitas, ô ſi quod credo in ſcripturis, videam oculis meis. Et vt noueritis quantum deſiderium habebant ſancti qui nouerant per ſcripturas vir-*Eſaia 7.* ginem pariturã, ſicut audiſtis cum Eſaias legeretur, Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel. Emmanuel quid ſit, Euangelium nobis aperuit dicens, quod *Matth.1.* interpretatur nobiſcum Deus. Non tibi ergo vile ſit, quæcunque infidelis anima, non tibi videatur impoſſibile vt virgo pareret, virgo pariens permaneret. Intellige natum Deum & non mireris virginis partum. Vt ergo noueritis antiquos ſanctos, & iuſtos optaſſe videre quod conceſſum eſt huic ſeni Simeoni: dominus noſter ipſe Ieſus Chriſtus *Matth.13* ad diſcipulos ſuos loquens ait, Multi iuſti, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Multum ſenex iſte fuit ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus. Non expectauit vt Chriſtum audiret loquentem, quoniam agnouit infantem. Et hoc illi conceſſum erat iam decrepito, quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis, Quando veniet? Quando naſcetur? Quãdo videbo? Putas durabo? Putas hic me inueniet? Putas iſti oculi videbunt, per quẽ cordis oculi reuelabũtur? Dicebat iſta in orationibus ſuis, & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quòd non guſtaret mortem, niſi prius videret Chriſtum domini. Geſtabat eum Maria mater eius infantem, vidit ille, & agnouit. Vbi nouerat quod agnouit? An intus eſt reuelatus, qui foris eſt natus? Vidit, & agnouit. Agnouit Simeon infantem tacentem, & occiderunt Iudæi iuuenem mirabilia facientem. Cum ergo cognouiſſet, accepit in vlnas ſuas, hoc eſt in brachia ſua, amplexatus eſt eum. Portabat à quo portabatur. Ipſe enim eſt Chriſtus ſa-*Sapien.8.*

pientia Dei, attingens à fine vſque ad finem forti-
Sap. 8. ter, & diſponens omnia ſuauiter. Quantus ibi erat
& quàm magnus, quàm paruus factus erat. Par-
uus factus, paruos quęrebat. Quid eſt paruos quę-
rebat? Non ſuperbos, ſed humiles colligebat. In
præſepi dignatus eſt poni, vt eſſet piorum cibaria
iumētorum. Accepit eum Simeon in brachia ſua
& dixit. Nunc dimittis, domine, ſeruum tuum in
Luc. 2. pace. Dimittis in pace, quia video pacem. Quare
ergo dimittis in pace? quia viderunt oculi mei ſa-
Pſal. 95. lutare tuum. Salutare Dei, dominus Ieſus Chri-
ſtus. Annuntiate diem, ex die ſalutare eius. Habe-
tis ergo pueri puerum Ieſum, ſancti ſenes ſenem
Simeonem. Si autem quæritis vt & cōiugatus ali-
quis vir teſtimonium domino perhibeat, Zacha-
riam conſiderate. Nemo ergo quęrat aliud, fratres
mei chariſſimi, fideles, aut virgo, aut vidua, aut
coniugata, aut puer, aut continens, aut vxoratus,
quicquid plus eſſe quis voluerit, non inuenit
quemadmodum ad Chriſtum pertineat. Non in-
uenimus teſtimonium perhibuiſſe Chriſto adul-
teros, fornicatores, immundos. Et vt à talibus ei
teſtimonium perhiberetur, ipſe præſtitit, ipſe do-
nauit. Non enim quiſquam ſanctus viribus ſuis.
Exultemus ergo, chariſſimi, ab hodierno die cre-
ſcunt dies. Crede in Chriſtū & creſcat in te Deus.
Credidiſti, inchoatus eſt Deus. Credidiſti, natus
eſt Chriſtus in corde tuo. Sed nunquid Chriſtus
natus ſic remanſit? Creuit, ad iuuentutē peruenit,
ſed in ſenectutē non declinauit. Creſcat ergo & fi-
des tua, robur inueniat, vetuſtatē neſciat. Sic per-
Ioan. 1. tinebis ad Chriſtū filiū Dei, in principio verbum
apud Deum, Verbum Deū, ſed verbū caro factum
eſt, vt habitaret in nobis. Maieſtas ibi latebat, vbi
infirmitas apparebat. In manus ſuas Simeō infir-
mitatem accepit, ſed maieſtatē intus agnouit. Ne-
1. Tim. 1. mo contemnat natū, ſi vult eſſe renatus. Ad illum
pertinuit propter nos naſci, ad nos pertinet in illo
renaſci, qui venit in hunc mundū peccatores ſal-
uos facere, Ieſus Chriſtus dominus noſter, cui eſt
honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 14.*

Sermo 21. de temp. dubitāt Louanienſes. HOdie puer natus eſt nobis, hodie filius da-
tus eſt nobis. Puer, inquam, licet teneritudi-
ne membrorum inualidus, ſed inculpabili genera-
tione præclarus. Hodierna enim natiuitas genitri-
cem innocentiæ, puritas declarat autorem: hodie
filius datus eſt nobis. Nunc nobis eſt datus, qui
eſt ante ſecula natus. Datus in partu virginis, filius
de ſubſtantia genitoris. Cùm igitur ſeruilem ca-
ſam per oſtium fidei ſperatus quondam domina-
tor intraret, rubuit inuiolata virginitas. Nec peſſu-
lum pudoris infregit, & in ſacris viſceribus radius
æternæ claritatis effulſit. Lætetur ergo omne
mundi huius exilium, exultet ſeculum paulò an-
te captiuum. Miſit Deus filium ſuum, qui naturam
terreat moriatur & vincat. Terruit namque He-
Matth. 2. rodem natus, vicit diabolum innocens crucifixus.
Cela, domine, ſub pelle carnis animum virtutis,
habitum maieſtatis paulisper occulta. Dege in vte-
ro virginis, egredere, & congredere ex tentorio ſa-
cræ virginis. Apta pro me muſcipulam, vbi totam
liberas creaturam. Sed tanti huius conceptus ac
partus & cauſam & miraculum pertractemus. Vt
igitur vitiorum ſordibus obſoletus horribiliter
ſqualeſceret mundus, ab origine iam in paradiſo
captiuus, fœmina cauſa fuit. Sic etenim ſcriptum
eſt, A muliere initium factum eſt peccati, & per il-
lam omnes morimur. Et Apoſtolus Paulus, Vir, Eccleſ. 25.
inquit, ſeductus non eſt, mulier autem ſeducta in 1. Tim. 2.
præuaricatione facta eſt. Per hanc ergo mundus
ærumnabili ſeruitute depreſſus, ſub iugo diaboli
anxia colla ſubmiſerat. A quo enim quis deuictus 2. Pet. 2.
eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Soluta igitur ele-
mentorum fœderata compage, diluuium homi-
nem deleuit, crimen delere non potuit. Iſaac Geneſ. 22.
ſterilis non virginis filius, crucis meruit ſigna por-
tare. Apprehendi meruit, vinciri meruit, non ta-
men aliquid mundo contuliſſet ſi potuiſſet occi-
di. Moyſes aquis purificandum agmen ſolummo- Exod. 14.
do eripit Iudaicum, non totum liberat mundum,
exterminat Ægyptum nō peccatum. Regem Pha-
raonem freto hiante ſubduxit, non diabolum cum
ſuis legionibus pernecauit. Dauid in iniquitatibus Pſal. 50.
ſe fatur eſſe conceptum, nec ipſe ergo mundi po-
tuit auferre peccatum. Cum per pleraſque igitur
temporum gyrantium rotas mundiale curricu-
lum volueretur, neque quiſpiam mederetur, & in-
graueſcentibus culpis ruinę pręcipitis ictu, & fre-
mito totius orbis membra pulueſcerent, & nemo
ſuccurreret, ad fœminam cauſa reuertitur, & ori-
go per originem detruncatur. Origo peccati, per
genitricem Chriſti. Proſapies impietatis, per pro-
ſapiem pietatis. Stirps mortis, per ſtirpē vitæ per-
cutitur. Hactenus cauſam, nūc aptos obtutus mi-
raculis reuelemus. Chriſtum virgo peperit, muta-
tur natura, deletur & culpa. Præciſum eſt illud
Euæ infelicitatis elogium, In triſtitia paries filios,
quia iſta in lætitia dominum parturiuit. Illa enim
luxit, iſta reluxit. Illa lacrymas, iſta gaudiū in ven-
tre portauit, quia illa peccatorem, iſta edidit inno-
centem. Chriſtus ſeminauit, nō luxus, Deus ſeuit,
non maritus. Virgo genuit, quia virgo concepit.
Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non
fuit. Vtrobique miraculum, & ſine corruptione
grauida, & in partu virgo puerpera. Matrimoniū
in fide, partus in virgine. Gabriel ille horum ſpon-
ſalium internuntius fuit. Quid dixerit, quid au- Luc. 1.
dierit referat, Aue inquit, gratia plena, dominus
tecum. A ſalutatione incipit, qui ſalutē in lingua
portauit. Sileat nūc à fœminis, ſileat tortuoſi ſer-
pentis male ſuadibilis ſibilus, ad matrem domini
noſtri angelus eſt locutus, Aue, inquit, gratia ple-
na, dominus tecum. Gratia refertur pro culpa, ple-
na dicitur non vacua. Impleta eſt ergo gratia, &
euacuata eſt culpa. Hoc modo & ipſa venerabilis
virgo noſtra in ſuo cantico plauſit: Eſurientes im-
pleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Aue, in-
quit, gratia plena, dominus tecum. Tecum in cor-
de, tecum in ventre, tecum in auxilio. Gratulare
virgo, Chriſtus rex è cælo ſuo, venit in vtero tuo.
Ex ſinu patris in vterum dignatur deſcendere ma-
tris, ſed nec regionem ſuam maieſtas infinita de-
ſeruit, nec eum virginalis aula dum accepit inclu-
ſit. Fides à terra in cęlum erecta eſt. Huic Chriſtus
inſedit, & per ipſam in templum pudoris intrauit.
Benedicta tu in mulieribus, quæ vitā viris & mu-
lieribus peperiſti. Ede inculpabilis fœmina inuio-
labilem virum, ac ſic & fœminam ſaluabis & vi-
rum. Eua mater generis noſtri pœnā intulit mun-
do, genitrix domini noſtri ſalutem & fœminę geſ-
ſit, & viro. Auctrix peccati maledicta, auctrix me-

titi benedicta. Ita enim ad eam cæleſtis nuntius infit, Benedicta tu in mulieribus. Genere ſexuali omnes appellantur equidem communiter mulieres, ſed ſunt etiam incorrupta virginitate pudoris proprietate diſtantes, Illa occidendo obfuit, iſta viuificando profuit. Percuſſit illa, at iſta ſanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia recompenſatur. Plaudat iterum organis Maria, & inter veloces articulos tympana concrepent. Exclodat cantus digitis, pariat Chriſtum ludentibus Pſalmis. Concinant lætantes chori, & alternantibus modis dulciſona carmina miſceantur. Muſicum Maria inter iuuenculas melos exerceat, quia dulce verbum plectris ſancti ſpiritus modulantibus parturiuit, in terra Iudæa, quæ ipſa tympanum crudelitatis aptabat, & Chriſtum in ligno tendebat. Poſtquã enim celeris exabunda manus incompoſitis numeris diſcrepauit, confeſtim barbarus ille fragor truculenti ſtridoris infremuit, Crucifige, crucifige. *Lucæ 23.* Reciprocato igitur die, quo criminoſa Ægyptus feriretur, *Exod. 15.* tympanum Mariç noſtræ pulſatum verbum edidit, & ſuæ linguæ pulſabulo puerpera noſtra lætos ſui oris cantus effudit. Audiamus igitur quemadmodum tympaniſtria noſtra cantauerit, *Lucæ 1.* Magnificat anima mea dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Cauſa igitur inualeſcentis tristi miraculum noui partus efficit, & Euç planctum Mariæ cantus excluſit. Denique poſt illius benedicibilis ſalutationis & præſagium, & triumphum, tacita ſecum virgo mẽtis altercatione confligit, qualis eſſet iſta ſalutatio. Nuntius interim cęleſtis exequitur, Ne timeas, Maria, inueniſti gratia ante Deum Ecce concipies filium, & vocabis nomen eius Ieſum. At illa dum ſciſcitatur mo- *Ibidem.* dum, audit autorẽ ſobolis Deum. Quo modo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum nõ cognoſco? Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideo quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Expendat nunc fides ſplendentis vteri pulchra tentoria, obumbret virtus, ſpiritus ſibilet naturali calore depulſo, tenuis virginem aura refoueat, & fluente refrigerio ſpiramentis cęleſtibus ventiletur, aluus virginalis ſertis verecundiæ coronetur. Flammeus ibi roſæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur. Reſponde iam, virgo ſacra, Viam quid tricas mundo? Aſſenſum tuum angelus præſtolatur, inde eſt quod nuntius iſte moratur. Iam audiſti, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cæli quondam per Adam clauſa iam ſonuit, per ipſam nuntius iſte proceſſit. Deus in porta eſt, angelum, quem moraris, expectat. O beata Maria, ſeculum omne captiuum tuum deprecatur aſſenſum, te Deo mundus ſuæ fidei obſidem facit, per te parentum ſuorum iniurias abſtergi deprecatur. Ipſe prior, qui offenſus eſt, miſit, clauſtrum quod iniquitas noſtra cęlo infixerat, reſerauit. Eſt nobis aditus, ſi aſſenſus tuus fuerit commodatus. Et nobis ſuccurris, & tibi, quia nobis pœna ſucceſſit, & tibi nuptias filio ſuo in tuo thalamo pater præparabit. Deus in ipſis ſponſalibus gaudiis relaxat quicquid eum offenderat mundus. O & tu angele, throni regis nuntie, & ſecreti diuini legate, qui ex palatio imperatoriæ maieſtatis indulgentiam reddis criminoſis, vitam mortuis, & pacem ſacram attuliſti captiuis, vrge virginem non de Dei munere diffidentem, ſed de muneris magnitudine cogitantem. Fac partibus ſeculi, conſcius ſecretorum cæli, lætabuntur ſocij tui, ſi negotium iunxeris mundi. Nos à veſtro conſortio impietatis mucro diuiſit, per vos de reditu noſtro tractatur. Inſpice ſqualentem noſtri carceris miſeriam, & loquere feſtinus ad Mariam. Vſquequo moraris, ô virgo nuntium feſtinantem? intuere Deum in cæli me veſtibulo ſuſtinentem, reſponde verbum, & ſuſcipe filium. Da fidem & ſenti virtutem. Pande ſinus roſeos, virgo perpetua, fides tua modo aut aperit cælum aut claudit. Ecce, inquit, ancilla domini. Introëat rex in cubiculũ ſuum, Fiat mihi ſecundum verbum tuũ. Nec mora reuertitur nuntius, & nuptialem thronũ ingreditur Chriſtus. Accipit ſtolam carnis in thalamo virginis, intra theſaurum maieſtatis ſacculum carnis ceſſit. Diuinitati ſponſatur homo, prẹmium accipit caro. Procedit Chriſtus quaſi ſponſus de thalamo ſuo, cum præſagio *Pſal. 18.* nuptiarum exiit ad campum ſeculi, cucurrit ſicut gigas exultãdo per viam, peruenit vſque ad crucis trupheum, & ibi firmauit aſcendẽdo coniugium, vbi conſentiret alienantem in ſuppliciis creaturam, commercio pietatis ſe pro coniuge dedit ad pœnam. Tradidit quoque carbunculatam ſui ſanguinis gemmam, & copulauit ſibi perpetuo iure matronam. Aptaui, inquit, vos Apoſtolus vni viro *2. Corin. 11.* virginem caſtam exhibere. Ecce nunc quæ fuerat ſerua, facta eſt ancilla, quia vidit vitam ſuam in ligno pendentem, & non credidit liberantem. Gaudeamus ergo, fratres, in cõmercio Dei & hominis, ſponſi & ſponſæ, Chriſti & Eccleſiæ, ſaluatoris & virginis, quæ dum deſponſaretur fabro, cęli nupſit architecto. Veneremur Chriſtum in præſepi, qui quadrifariam mũdum repleuit in fide. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra naturæ. Honorate paſtores qui primi myſterium ab angelis didicerunt. Plaudamus cuncti cum cæleſtibus angelis officiiſque diuinis, & cæli & terræ pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiemus. Date gloriam in excelſis Deo, redempti credite *Lucæ 2.* datam pacem eſſe captiuis. Eſtote homines bonæ voluntatis, vt mereamini prẹmium libertatis, ipſo donante qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Sermo. 15.*

Serm. 12. de temp. dubitãs Leonis.

VEneranda natiuitas Saluatoris, qui natus in carne eſt, humilitatis eſt inſtrumentum, pietatis myſterium, & æternæ ſpei remedium manifeſtum. Hac die eſt natus ex virgine matre, qui ante ſecula æternus eſt genitus ex Deo patre. In illa natiuitate ex impaſſibili naſcitur genitore, ex iſta incorrupta natus ex virgine. Illam ſolus pater ſciuit ipſe, qui genuit, hanc in ſe ſola virgo & mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In patre impaſſibilitas, in matre incorruptibilitas. In patre perpetua diuinitas, in matre æterna virginitas. Sic enim ad eam domi-

nus

nus loquitur per Prophetam. Et deſponſabo te *Oſee. 2.* mihi in æternū, Semper ergo virgo eſt quæ ſemper ſponſa eſt, & quæ vocabulo ſponſæ non caruit, in æternum virgo permanſit. Et deſponſabo te, inquit, mihi in æternum: quia quæ ſpōſa æterna dicitur, æterna virgo probatur. Ex patre inuiſibiliter, ex matre viſibiliter. Et incomparabiliter ex patre, atque incomparabiliter ex matre, quia incorruptibiliter in illa natiuitate patrem Deum habet ſine homine matre, in iſta matrem habet virginem, ſed hominem non habet patrem. In illa coæternus eſt patris, & coæternus autoris, in iſta filius eſt virginis & autor eſt matris. Ipſe enim formauit vterum, qui deſcendit in vterum, exiuit de vtero, & non corrupit vterum, vt qui Deum patrem habet in cælis, virginem matrem haberet in terris. In illo ſine tēpore genitus, in iſta in fine temporum natus. In illo naſcitur ſine fine, in iſta concipitur ſine ſemine. In illo ſine initio generationis, in iſta ſub conditione legis & carnis. In il- *Ioan. 1.* lo inuiſibilis Deus, in iſta viſibilis homo per corpus, quia verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. In illo impaſſibilis, in iſta mortalis. In illo excelſiſſimus, in iſta ſubiectus. Subiectus ſiquidem iniurijs paſſionis & mortis, mortis autē crucis. Sed per hæc omnia eſt glorioſus in cælis, qui victor in omnibus inuenitur in terris. Elegit ſibi in qua naſceretur diem, qui fecit omnem diem, & non ſine gratia prælationis cæteris eſt diebus habendus hic dies, in quo Deus in hominem docetur fuiſſe promotus. Denique ex hodierno dies accipit incrementum, & augmenta ſumit curſus ſui, qui electus ad gloriam Dei noſcitur. Conceptus eſt enim æquinoctio verno, & natus eſt ſolſtitio hiberno. Et qua die eſt conceptus in vtero virginis, in ipſa reſurrexit ab inferis cum gloria paſſionis. Et in conceptu tamen & in natiuitate eius dies accepit incrementum, & naſcente vera luce, lucis & diei augmentatur officium. Aduer- *Mat. 27.* tite interea, fratres, aduertite dominicū ſacramētum. In natiuitate eius dies proficit, in paſſione deficit, quia à ſexta hora tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque ad horam nonam. Et quod imminutum eſt in paſſione, ampliatum eſt in re- *Pſal. 18.* ſurrectione. Ecce eſt illud, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Dies natiuitatis diei paſſionis, & dies paſſionis diei reſurrectionis. Nox natiuitatis nocti paſſionis, & nox paſſionis nocti reſurrectionis annuntiat verbum. Illic natum, hîc paſſum. In illa angelorum gaudium, in iſta totius mundi luctum, ſed tamen omnium in reſurrectione triumphum, quia in veſperum abundauit fletus, & ad matutinum lætitia. *Pſal. 29.* Veſperum paſſionis, quādo ſequebatur eum multitudo populi, & mulieres lamentabātur & plan- *Luc. 23.* gebant. Matutinum reſurrectionis, quo mulieres cum gaudio à monumento currebant, & diſcipuli cum gaudio ad monumentum feſtinabant. Ele- *Ioan. 20.* git ergo hunc diem ſibi ad natiuitatem, nobis ad *Luc. 2.* felicitatem. Sibi ad obſequium, nobis ad gaudium. Sic enim paſtoribus angelus prædicauit, Ecce, inquit, annuntio vobis gaudium, quod erit vniuerſæ terræ. Quare? Quia natus eſt vobis *Pſal. 117.* hodie Saluator, qui eſt Chriſtus dominus, vt meritò à nobis hodie cantandū ſit. Hic eſt dies, quem fecit dominus, gaudeamus, & lętemur in eo. Creſcit ecce dies cum ortu naſcētis, & lucratiuo prouentu vel ſucceſſibus momentorum, noctiſque imminuto curriculo defectionem ſentiunt opera tenebrarum. Die enim æterno naſcente, augmentum debuit dies temporalis accipere. Non vt dies aliquid naſcenti conferret, ſed vt ex naſcente dies prærogatiuam incrementi vel felicitatis acquireret, & fieret toti mundo feſtiuus, in quo verus Deus homo natus eſt in carne perfectus. Omnis ergo huius natiuitatis ſchola, humilitatis eſt officina, patientiæ maſſa, virtutis agonia. Primum quia voluit immenſus & omnipotens Dei filius, cuius incapabilis potentia & incomprehenſibilis magnitudo cælum ſimul ac mundum continet, ambit, amplectitur, excedit, tanta ſe anguſtia & ſubtilitate contrahere, vt intra verū virginis clauſus, & quod habebat in maieſtate comprimeret, & quod erat in virtute celaret, tantáque ſe humilitate deponeret, vt filius hominis eſſe vellet, qui Dei filius nunquam eſſe ceſſaret. Sed hoc non niſi Deus poſſet. Intra magnitudinem enim ſuam ſe occultaſſe, cùm potens ſit, non humanæ infirmitatis, ſed diuinæ virtutis eſt. Nemo enim hominū ſe poteſt abſcondere aut celare ab eo, quod naſcitur, quia quanquam ſit in omnibus natura mortalis, non poteſt tamen quiſquam ſibi derogare, quod natus eſt. Deus autem noſter in eo potentiam maieſtatis aperuit, cùm ſe intra terminos humanæ infirmitatis abſcondit, vt omnipotentem ſe in hoc maxime ſacramento mōſtraret, quo poteſtati ſuæ ſubijceret id quod per poteſtatem naturæ cęleſtis omni ſubiectione liberum permaneret. Natus enim Deus ex Deo patre homo eſſe voluit: ſed id quod Deus antè natus eſt, non amiſit. Ita enim eſſe homo voluit, & ideo quod hominis fuit non in ea, qua natus eſt, conditione permanſit. Suſcepit enim ex Maria virgine hominem verum, quem per reſurrectionis gloriam leuauit in cælum. Humilitas ergo Chriſti ſublimitas eſt corporis noſtri, quia cùm humiliatur dominus, exaltatus eſt homo, & ita exaltatus eſt ſeruus vt in domino ſimul fieret ipſe quod dominus. Hoc beatiſſimus Paulus probat dicens, Qui transfigura- *Philip. 3.* uit corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ, ſecundum operationem vt poſſet ſubijcere ſibi omnia. Et iterum, Qui cùm in forma *Philip. 2.* Dei conſtitutus eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominis conſtitutus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homilia 16.*

Serm. 23. de temp. *Pſal. 32.*

AVdite, filij lucis, adoptati in regno Dei, fratres chariſſimi, audite, & exultate iuſti in domino, vt vos rectos poſſit decere laudatio. Audite quod iam noſtis, recolite quod audiſtis, amate quod creditis, prædicate quod amatis, ſicut anniuerſarium celebratis hunc diem, ſic huic diei debitum expectate ſermonem. Natus eſt Chriſtus, Deus de patre, homo de matre. De patris immortalitate, de matris virginitate. De patre ſine matre, de matre ſine patre. De patre ſine tempore, de matre ſine ſemine. De patre principium vitæ, de matre finis mortis. De patre ordinans omnem diem,

de matre conſecraos iſtum diem. Præmiſit enim
hominem Ioannem, qui tunc naſceretur, cùm
dies inciperet minui, & natus eſt ipſe eum dies
Ioan. 3. incepit creſcere: vt ex boc præfiguraretur quod
2. Cor. 5. ait idem Ioannes, Illum oportet creſcere, me au-
tem minui. Debet enim vita humana in ſe defice-
re, in Chriſto reficere, vt qui viuit, iam non ſibi vi-
Galat. 2. uat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt & reſur-
rexit: & dicat vnuſquiſque noſtrum quod dicit
Apoſtolus, Viuo autem iam non ego, viuit verò
in me Chriſtus. Illum oportet creſcere, me autem
minui. Laudant eum cōdignè omnes angeli eius,
quorum cibus æternus eſt, incorruptibili eos ſa-
gina viuificans, quia verbum Dei eſt, euius vita vi-
nunt, cuius æternitate ſemper viuunt, cuius boni-
tate ſemper beatè viuunt. Illi enim condignè lau-
dant Deum apud Deum, & dant gloriam in excel-
ſis Deo. Nos autem plebs eius, & oues manuum
eius, pro modulo infirmitatis noſtræ pacem per
bonam voluntatem reconciliati mereamur. Ipſo-
Luca 2. rum enim angelorum vera & hodieroa vox eſt,
quam nato nobis Saluatore exultando fuderunt,
Gloria in excelſis Deo, & in terra pax bominibus
bonæ voluntatis. Laudant ergo illi competeuter,
laudemus & nos obedienter. Sunt illi nuntij eius,
ſomus & nos pecora eius. Impleuit in cælo men-
ſam ipſorum, impleuit in terra præſepe noſtrum.
Ioan. 1. Plenitudo menſæ ipſorum eſt, quia in principio
erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus
erat verbum. Plenitudo præſepis noſtri eſt, quia
verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Vt
Coloſſ. 2. enim panem angelorum manducaret bomo, crea-
tor angelorum factus eſt homo. Illi fruendo, nos
petendo. Illi capiendo, oos quærendo. Illi intran-
do, nos pulſando. Quis enim hominum omnes
2. Cor. 8. theſauros ſapientiæ & ſcientiæ nouerit in Chriſto
occoltos, atque in paupertate carnis eius abſcon-
ditos: Quia propter nos pauper factus eſt eùm di-
ues eſſet, vt illius paupertate ditaremur. Cùm
Pſal. 30. enim mortalitatem aſſumeret, mortémque con-
ſumeret, in paupertate ſe oſtendit, ſed diuitias di-
1. Cor. 13. latas promiſit, non ablatas amiſit. Quàm multa
multitudo dulcedinis eius, quam abſcōdit timen-
tibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe? Ex parte
enim ſcimus, donec veniat, qood perfectum eſt,
cui capiendo vt idonei præſtaremur, ille æqualis
patri in forma Dei, in forma ſerui factus ſimilis
nobis reformat nos ad ſimilitudinem Dei, & fa-
ctus filius hominis vnicus filius Dei, multos filios
homioum facit filios Dei, & nutritos ſeruos per
1. Ioan. 3. viſibilem formam ſerui perficit liberos ad viden-
Coloſſ. 2. dam formam Dei. Filij enim Dei ſumus, & non-
dum apparuit quod erimus. Et ſcimus quoniam
cum apparuerit, ſimiles ei erimus, qooniam vide-
Pſal. 30. bimus euoi ſicuti eſt. Nam qui ſunt illi ſapientiæ,
Ioan. 14. ſcientiæque theſaori, quæ ille diuitiæ diuinæ, niſi
Pſal. 16. quæ ſufficiunt nobis? Et quæ illa molritudo dul-
Ioan. 10. cedinis, niſi quæ ſatiat nos? Oſtende ergo nobis
Ioan. 14. patrem, & ſufficiet nobis. Et in qoodam Pſalmo
Pſal. 23. quidā ex nobis vel in nobis, vel pro nobis ait illi,
Pſal. 79. Satiabor, dum manifeſtabitur gloria toa. Ipſe au-
Pſal. 26. tem, & pater vnum ſunt, & qui ipſum videt, videt
& patrem. Ergo dominus virtutum, ipſe eſt rex
gloriæ. Conoertens nos, oſtendet faciem tuam
& ſalui erimus & ſatiabimur & ſufficiet nobis. Di-
cat itaque illi cor noſtrum, Quæſiui vultum tuum,
Ioan. 14. vultum tuom, domine, requiram, ne aoertas vul-
tum tuum à me. Et reſpondeat ipſe cordi noſtro,
Qui diligit me, mandata mea cuſtodit. Et qui dili-
git me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum,
& oſtendam meipſum illi. Videbant eum oculis
vtique illi quibus hoc dicebat, & ſonum vocis
eius auribus audiebant, & humano corde homi-
nem cogitabant, ſed qnod oculus non vidit, nec *1. Cor. 2.*
auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, eun-
dem ipſum ſe promittebat oſtendere diligentibus
ſe. Quod donec fiat, donec oſtendat nobis quod
ſufficiat nobis, donec eum fontem vitæ potemus
& ſatiemur, interim dum ambulantes per fidem *2. Cor. 5.*
peregrinamur ab eo, dum eſurimus & ſitimos iu-
ſtitiam, formæ Dei pulchritudinem ineffabili ar-
dore deſideremus, formæ ſerui natalem deuoto
obſequio celebremus. Nondom contemplari poſ-
ſumos, quod genitus eſt ante luciferum à patre,
frequentemus qnod nocturnis horis eſt natus ex
virgine. Nondum capimus quod ante ſolem per- *Pſal. 171.*
manet nomen eius, agnoſcamus in ſole poſitum *Pſal. 18.*
tabernaculum eius. Nondnm contuemur vnicum
permanentem in patre ſuo, recordemur ſponſum
procedentem de thalamo ſuo. Nōdum idonei ſu-
mus conuiuio patris noſtri, agnoſcamus præſepe
domini noſtri.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 17.*

VT hodie à me poſſit, fratres chariſſimi, maie- *Serm. 24. de*
ſtas natinitatis Dominicæ prædicari, per vos *temp. relectus*
mihi à domino facultas eſt impetranda, quatenus *à Louanien-*
ipſe verbum in ore ſuo coſtituat ſacerdoti, nec *ſibus.*
noſtri oris dedignetur officium, qui noſtræ carnis
hodie dignatus eſt inire commercium. Nō enim,
fratres, ineffabile diuinæ generationis contendi-
mus aperire myſteriū, ſed noſtræ ſalutis magnom,
& mirabile geſtimus gaudium nuntiare, ſicut di-
xit angelus, Ecce annuntio vobis gaodium ma- *Luca 2.*
gnum, quod erit omni populo. Nullum hodie,
fratres, cōceptus, nullum terreat partus. Vbi enim
virginitas concepit, integritas parit, Dei eſt virtus
conſcia, non voluptas. Audi angelum dicentem, *Luca 1.*
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſi-
mi obumbrabit tibi. Hodie, fratres, non inchoa-
tur deitas, ſed humanitas inchoatur: bodie oatus
eſt non ſibi Chriſtus, ſed mihi. Accedite ergo ad *Pſal. 33.*
eum & illuminamini, & vultus veſter non erube-
ſcet: quia hodie in ſole poſuit, ſicut dixit Propho-
ta, tabernaculum ſuum. Diuinum eſt, fratres cha- *Pſal. 18.*
riſſimi, qood geritur non humanom. Nunquam
eſt nuda virginitas, quæ æterno pudoris ſui hono-
re decoratur. Ad domicilium caſtitatis angelus
mediator aduenit, vt regi aulam, Deo templum,
& cæleſti ſponſo thalamum procuraret. Naſcenti
enim domino non eſt ablata, ſed conſecrata virgi-
nitas, qoæ ipſa ſponſum genuit ſui pudoris, ipſa
cuſtodi præbet fidele ſeruitium. Fœta ſed virgo,
virgo ſed mater: ſterilitate enim caruit, non pudo-
re. Aſtat ſanctitas, ſynceritas, pudicitia, caſtitas,
integritas, fides, & omoes ſimul affuere virtutes,
vt intrepida famula ſuo vtero portaret autorem,
& cæleſtem paritura virtutem, ſexus ſui victrix
dolorem, gemitumqne neſciret. Beata fœcundi-
tas, quæ & honorem acquiſiuit maternum, & ca-
ſtitatis præmiom noo amiſit. Non ergo dedigna-
tur inhabitare qnod eſt figurare dignatus, nec in-
dignatur in ſe carnem contingere quam cæleſti

manu antè contrectauit in puluere. Venit ad faciem tuam, ô bomo, quia tu ad eius faciem peruenire non poteras. Et qui erat inuiſibilis, factus pro tua redemptione viſibilis, venit à tuis patribus poſtulatus. Audi vocem clamantis; Oſtende *Pſal. 79.* faciem tuam, & ſalui erimus. Aſtat teſtis innocentiæ, aſſertor pudoris, nec amiſiſſe ſe ſponſam, ſed gloriatur agnouiſſe Deum. Sequitur non vt maritus, ſed vt famulus, & obſequium ſe ei gaudet impendere, cui conſpicit omnes angelos deſeruire. Naſcens ergo Chriſtus non inuenit locum in diuerſorio, per quem omnis creatus eſt locus. Et velut peregrinus naſcitur, qui totius orbis eſt dominus, vt nos cæleſtis patriæ faceret eſſe municipes. Pannis obuoluitur, vt ſciſſam humani generis vnitatem ſuo redintegraret in corpore, totúmque immortalitatis veſtimentum, purpureo ſanguinis colore fulgens, in cæleſtia regna deferret. Naſcitur, fratres, vt ipſam, quam prius homo vitiauerat, meliorarer naturam. Iacet in pannis, ſed regnat in cælis, humiliatur in cunabulis, ſed in nubibus tonat. In præſepe ponitur, quia omnis *Eſaia 40.* caro fœnum, Eſaia dicente, monſtratur, Nos fœnum, fratres, cuíſque flos cæleſtem emundamur in panem, quo veſcendo peruenimus ad vitam æternam.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 18.*

Serm. 25. de temp. Filium Dei ſicuti eſt apud patrem æqualis illi, & coæternus, in quo cōdita ſunt omnia in cælo & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, verbum Dei *Coloſſ. 1.* & Deum, vitam & lucem hominum, ſi laudare moliamur, noo mirum eſt nos non inuenire quibus verbis explicemus, quod nulla humana cogitatio, nullus ſermo ſufficiat. Quo modo ergo laudare digne valeat lingua noſtra quem cor noſtrum adhuc videre non valet? Vbi oculum condidit, quo poſſit videri? Si fugetur iniquitas, ſi ſanetur infirmitas, & fiant beati mūdo corde, quo-*Matth. 5.* niam ipſi Deum videbunt. Non mirum eſt, inquam, nos nō inuenire, quibus verbis vnum verbum dicamus, in quo dictum eſt, vt eſſemus, qui de illo aliquid diceremus. Hæc enim verba cogitata, atque prolata mēs noſtra format, illo autem verbo ipſa formatur. Nec eo modo facit homo verba, quo modo eſt factus ipſe per verbum, quia nec eo modo geouit pater vnicum verbum, quo fecit cuncta per verbum. Deum quippe genuit Deus, ſed ſimul gignēs, & geoitus vnus eſt Deus. Mundum autem fecit Deus, ſed mundus tranſit, permanet Deus. Et ſicut ea, quæ facta ſunt, ſeipſa vtique non fecerunt, ſic à nullo factus eſt, per quē *Ioan. 1.* omnia fieri potuerunt. Non igitur mirum, ſi homo factus inter omnia, verbis non explicat verbum, per quod facta ſunt omnia. Huc itaque paululum aures, & animos aduertamus, ſi fortè valeamus aliquid congruum, condignumque dicere, non ex eo quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū, ſed ex eo quod verbum caro factum eſt: ſi fortè dicatur à nobis, per quod habitauit in nobis, ſi fortè ibi poſſit eſſe dicibilis, vbi voluit eſſe viſibilis. Propter hoc enim & iſtum celebramus diē, quo naſci eſt dignatus ex virgine, quam generationem ſuam fecit ab hominibus vtcunque narrari. In illa verò æternitate, in qua Deus de Deo natus *Eſaia 53.* eſt, generationem eius quis enarrabit? Ibi talis nō eſt, qui ſolenniter celebretur. Neque enim tranſit anniuerſario volumine rediturus, ſed manet ſine occaſu, quia nō cœpit ex ortu. Eſt ergo illud vnicum Dei verbū, illa vita, illa lux hominum, æternus quidem dies: iſte autem, quo humanæ carni copulatus tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, nunc hodiernus, cras fit heſternus. Veruntamen hodiernus natum ex virgine commendat æternum, quia æternus natus ex virgine conſecrauit hodiernum. Quas itaque laudes charitati Dei dicamus, quas gratias agamus, qui nos ita dilexit, vt propter nos fieret in tempore, per quem facta ſunt tempora: & multis ſeruis ſuis in mundo minor eſſet ætate, ipſo mundo antiquior ſine vetuſtate: homo fieret, qui hominem fecit: crearetur *Luca 2.* ex matre, quam creauit: portaretur manibus, quas formauit: ſugeret vbera, quæ impleuit, in præſepi muta vagiret infantia: verbum, ſine quo muta eſt humana eloquentia? Vide homo quid pro te factus eſt Deus, doctrinā tandem humilitatis agnoſce, etiam nondum loquente doctore. Tu quon- *Geneſ. 2.* dam in paradiſo tam facundus fuiſti, vt omni animæ viuæ nomina imponeres: propter te autem creator tuus infans iacebat, & nomine ſuo nec matrem vocabat. Tu in latiſſimo fructuoſorum nemorum prædio te perdidiſti, obedientiam negligendo, ille obediens in anguſtiſſimum diuerſorium mortalis venit, vt mortuum quæreret moriendo. Tu cùm eſſes homo, Deus eſſe voluiſti, vt perires: ille cum eſſet Deus, homo eſſe voluit, vt quod perierat inueniret. Tantū te preſſit humana ſuperbia, vt te non poſſet ſubleuare niſi diuina gratia. Celebremus ergo cum gaudio diem, quo peperit Maria Chriſtum, & coniugata coniugij creatorem, & virgo virginum principem, & data marito, & mater nō de marito, ſed caſtior quàm ſi de marito. Virgo ante coniugiū, Virgo in coniugio, virgo prægnans, virgo lactans: ſanctæ quippe matri omnipotēs filius nullo modo virginitatem natus abſtulit, quam naſciturus elegit. Bona eſt enim fœcunditas in coniugio, ſed melior integritas in ſanctimonia. Homo igitur Chriſtus, qui vtrunq; præſtare poſſet vt Deus, nunquā ſic daret matri bonū quod coniuges diligunt, vt auferret melius propter quod virgines matres eſſe cōtemnunt. Virgo itaque ſancta Eccleſia celebrat hodie virginis partū, cui dicit Apoſtolus, Aptaui vos vni *1. Cor. 10.* viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Vide caſtam virginem in tot populis vtriuſque ſexus, in tot non ſolùm pueris & virginibus, verumetiam coniugatis patribus matribúſque. Denique quam virginem caſtam, niſi in fidei, ſpei, charitatis integritate & virginitate? Proinde Chriſtus Eccleſiam facturus in corde, prius Mariam ſeruauit in corpore. Humano quippe coniugio ſponſo fœmina traditur, vt virgo iam non ſit. Eccleſia verò virgo non eſſe poſſet, niſi ſponſum, cui traderetur, filium virginis inueniſſet.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 19.*

Anniuerſaria domini incarnatio, & veſtræ fra- *Sermo 26. de temp.* ternitatis tam frequens congregatio, exigit à nobis debitum ſermonis officium. Itaque, fratres,

affectu

affectu pio, corde deuoto ianuam domini pulſemus, vt & nobis tribuat fiduciam vtilia dicendi, & veſtram charitatem fructu audiendi adiuuet. Itaque nos humiliemus, quia ſaluator, & magiſter humilitatis dominus noſter Ieſus Chriſtus, virginis filius, virginum ſponſus, virginali vtero corporaliter eſt natus, virginali connubio ſpiritaliter coniugatus. Hodie itaque naſci dignatus eſt, per quem facta ſunt omnia, manens quod eſt, exhibens ubi quod es. Manens apud patrem in diuinitate ſuſcepit noſtram infirmitatem in humanitate. Duas nãque natiuitates domini accipimus, vnam diuinam, alteram humanam, tamen vtranque mirabilem: illam ſine matre, iſtam ſine patre: illam æternam, vt crearet temporalem: hanc temporalem, vt præſtaret æternam. Ille enim de quo dicit *Ioan.1.* Ioannes Euangeliſta quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: ille tantus, ille in forma Dei æqualis patri, ille ſine tempore fabricator temporũ, ille ex nullo ſeculo, ante omnia ſecula, iudex ſeculi factus eſt tam paruus, vt de fœmina naſceretur, ſed mãſit tam magnus, vt à patre non ſepararetur. Prębentes ei obſequium, & teſtimonium tanquam lucernæ venturo diei omnes Prophetæ prænuntiantes, & ante ipſum naſcendo venerunt, poſt credendo adhæſerunt. Oportebat enim, vt prænuntiaretur venturus, facturus miracula, quibus miraculis bene intelligentibus appareret homo paruus ad paruos, ſed humilis ad ſuperbos. Paruitatem ſuam docens hominem, vt ſe agnoſceret & paruum, ne non grandeſcendo ſe crederet magnum. Eſt enim ſuperbia non magnitudo, ſed tumor. Quod autem tumet, videtur magnum, ſed nõ eſt ſanum. Vt autem generis humani iſtum tumorem ſanaret ipſe medicus, ipſa medicina, non ſolùm medicamentum adhibens apparuit inter homines homo, offerens hominem videntibus, Deum ſeruans credentibus. Aſpectus enim humilitatis eius, ſanauit infirmos. Contemplatio diuinitatis eius, quærit infirmos. Et dum erãt homines, qui Deum viderent in homine, nec tamen ſpem ſuam ponerent in homine, qui ſequi non debet: Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur in homine, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt *Ioan.1.* homo, aliquid te magnum credere debes. Sed quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, eadem ſapientia, quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiam inter homines creari, quo pertinet illud: dominus creauit me in principio viarum ſuarum. *Ecclеſ.24.* Eſt enim eius principinm caput Eccleſię, quod eſt *Ephеſ.5.* Chriſtus. Hominem per quem viuendi exemplum nobis daretur, hoc eſt, via certa, qua perueniremus ad Deum. Non enim redire potuimus, niſi humilitate, qui ſuperbia lapſi ſumus, ſicut dictum eſt primæ noſtræ creaturæ: Guſtate, & eritis ſicut dij. *Geneſ.3.* Huius igitur humilitatis exemplum, id eſt, viæ *Philip.2.* quærendum fuit. Ipſe reparator noſter in ſeipſo demonſtrare dignatus eſt, qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, vt crearetur homo in principio viarum eius, verbum per quod creata ſunt omnia: Quapropter vnigenitus, & primogenitus dominus noſter, diuinarum ſcripturarum autoritate prædicatur vnigenitus de patre, primogenitus à mortuis. Quapropter ſecundum id quod vnigenitus eſt, fratres non habet. Fratres tamen vocare dignatus eſt omnes, qui poſt eius, & per eius primatum in gratia naſcimur per adoptionem filiorum, ſicut Apoſtolica diſciplina commendat. Naturalis ergo filius ſecundum id, quod primogenitus eſt frater, de ipſa patris ſubſtantia vnicus natus eſt, id exiſtens quod pater eſt, Deus de Deo, lumen de lumine. Nos autem non lumen naturaliter ſumus, ſed ab illo lumine illuminamur, vt ſapientia lucere poſſimus in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom.. 20.*

LAudem domini loquetur os meum. Eius domini, per quem facta ſunt omnia, & qui factus eſt inter omnia. *Serm. 27. de temp.* *Pſal.144.* Qui eſt patris reuelator, matris creator. Filius Dei de patre ſine matre, filius hominis de matre ſine patre. Magnus dies angelorum, paruus in die hominum. Verbum Dei ante *Ioan.1.* omnia tempora, verbũ caro opportuno tempore. Conditor ſolis, conditus ſub ſole, Cuncta ſecula ordinans de ſinu patris, hodiernum diem conſecrans de vtero matris. Ibi manens, hinc procedens. Effector cæli & terræ, ſub cælo exortus in terra. Ineffabiliter ſapiẽs, ſapienter infans. Mundum implens, in præſepio iacens. Sydera regens, vbera lambens. Ita magnus in forma Dei, breuis in forma ſerui, vt nec iſta breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine iſta breuitas premeretur. Neque enim quando membra huma- *Sap 8.* na ſuſcepit, opera diuina deſeruit, nec attingere à fine vſque ad finem fortiter, & diſponere, omnia ſuauiter deſtitit. Quando infirmitate carnis indutus, virginali vtero receptus eſt, non incluſus, vt nec angelis ſubtraheretur ſapientiæ cibus, & nos *Pſal.33.* guſtaremus quàm ſuauis eſt dominus. Quid hoc miramur de verbo Dei, cum ſermo iſte, quem promimus, ita liber ſenſibus influat, vt eum & recipiat, & non includat auditor? Nam niſi reciperetur, neminem inſtrueret: ſi includeretur, ad alios non veniret. Et vtique ſermo iſte verbis, ſyllabiſ- *In lib.50. Hom.23.* que diuiditur, nec tamen ex eo tanquam ex cibo ventris ſingulas particulas tollitis, ſed omnes totum auditis, totum ſinguli capitis. Nec timemus, dum loquimur, ne totum audiendo vnus abſumat, ne alter poſſit habere quod ſumat, ſed ita vos attẽtos eſſe volumus, nullius autem mentémque fraudantes, vt totum ſinguli audiatis, & totum ad audiendum cæteris relinquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, vt eum ſermo, qui dicitur, ad te primo intrauerit, exeat à te, vt ad alium poſſit intrare, ſed ſimul ad omnes venit, & totus ad ſingulos peruenit. Et ſi totus memoria teneri voluiſſet, ſicut ad totum audiendum omnes veniſtis, ita cum toto ſinguli rediretis: quanto magis verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & quod in ſe manens innouat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tẽditur, nec moris breuibus longíſque variatur, nec vocibus texitur, nec ſilentio terminatur, quantò magis hoc tantum & tale verbum potuit matris vterum aſſumpto corpore fœcundare, & de ſinu patris non emigrare. Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes angelicas illuſtrare: hinc ad terras procedere, inde cælos extendere

tendere hinc homo fieri, inde homines facere. Nemo ergo credat Dei filium coæternum & coæqualem conuerſum & commutatum eſſe in hominis filium, ſed potius credamus, & non conſumpta diuina, & perfectè aſſumpta humana ſubſtantia manentem Dei filium, factum hominis filium. Neque enim quia dictum eſt, Deus erat verbum, & verbum caro factum eſt: ſic verbum caro factum eſt, vt eſſe deſineret Deus, quando in ipſa carne, quod verbum caro factum eſt, Emmanuel natum eſt, nobiſcum Deus. Sicut verbum, quod corde geſtamus, fit vox, cùm id ore proferimus: nec tamen illud in hanc commutatur, ſed illo integro iſta, in qua procedat, aſſumitur: vt & intus maneat, quod intelligatur, & foris ſonet, quod audiatur, hoc idem tamen profertur in ſono, quod antè ſonuerat in ſilentio: atque ita verbum cùm fit vox, non mutatur in voce, ſed manens in mentis luce, & aſſumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deſerit cogitantem. Non cùm ipſa vox in ſilentio cogitatur, quæ vel Græca eſt, vel Latina, vel linguæ alterius cuiuſlibet, ſed cùm ante omnem linguarum diuerſitatem res ipſa, quæ dicenda eſt, adhuc in cubili cordis quodam modo nuda eſt intelligentis, quæ vt inde procedat, loquentis voce veſtitur. Veruntamen vtrùque hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod ſonat audiendo, mutabile, atque diſſimile eſt. Neque illud manebit cùm oblitus fueris, neque hoc cùm ſilueris. Verbum autem domini manet in æternum, (Pſal. 118.) & incommutabiliter manet. Et cùm carnem aſſumpſit ex tempore, vt ad temporalem vitam noſtram procederet, non in carne amiſit æternitatem, ſed etiam carni præſtitit immortalitatem: ita ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, (Pſal. 17.) exultauit vt gigas ad currendam viam. Qui cùm (Philip. 2.) in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed vt propter nos fieret quod non erat, ſemetipſum exinaniuit, non formam Dei perdens, ſed formam ſerui accipiens, & per hanc in ſimilitudinem hominum factus, nec propria ſubſtantia, ſed habitu inuentus vt homo. Hoc enim totum quod ſumus vel in anima, vel in corpore, noſtra natura eſt, illius habitus. Nos niſi hoc eſſemus, non eſſemus. Ille ſi hoc nõ eſſet, eſſet vtique Deus. Et cùm hoc eſſet, cœpit quod non erat, homo factus eſt, permanens Deus, vt non vnum horum, ſed vtrunque veriſſimè diceretur. Et propter quod homo factus eſt, Quoniam pater maior me (Ioan. 14.) eſt: & propter quod permanſit Deus, Ego, & pater (Ioan. 10.) vnum ſumus. Nam, niſi verbum in carnem, hoc eſt Deus in hominem mutatus cõuerteretur, non eſſet verum, pater maior me eſt: quia homine maior eſt Deus: illud autem falſum eſſet, Ego & pater vnum ſumus: ſed ; vnum ſumus: quia non ſunt vnum Deus & homo. Sed forſitan poſſet dicere: Ego & pater vnum ſumus. Quod enim erat, & eſſe deſinit, non eſt vtique ſed fuit. Nunc autem & propter veram formam ſerui, quam acceperat, verum dixit, Pater maior me eſt: & propter veram formam Dei, in qua permanebat, verũ dixit, Ego, & pater vnum ſumus. Exinaniuit ergo ſe apud homines, non ita factus quod non erat, vt non eſſet quod erat, ſed occultans quod erat, & demonſtrans quod factus erat. Proinde quia virgo concepit, & peperit filium, propter manifeſtam ſerui formam puer natus eſt nobis. Quia vero Dei verbum quod manet in æternum, caro factum eſt, vt habitaret in nobis, propter Dei formam latentem, ſed manentem, ſicut nunciauit Gabriel, vocamus nomen eius Emmanuel. Factus eſt enim homo permanens Deus, vt & filius hominis rectè vocetur nobiſcum Deus. Non alter Deus, non alter homo. Exultet in credentibus mundus, quibus ſaluandis venit per quem factus eſt mundus. Conditor Mariæ, natus ex Maria. Filius Dauid dominus Dauid. Semen Abrahæ, qui eſt ante Abraham. Factor terræ, factus in terra. Creator cæli, creatus ſub cęlo. Ipſe eſt dies quem fecit dominus, & dies cordis noſtri, ipſe eſt dominus. Ambulemus in lumine eius, exultemus & iucundemur in eo, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 21.*

NAtus eſt nobis hodie Saluator, & ideo hodie omni mundo ſol verus exortus eſt. Deus homo factus eſt, vt homo Deus fieret: & vt ſeruos in dominum verteretur, formam ſerui dominus accepit. Habitauit in terris habitator cælorũ: vt homo habitator terræ habitaret in cælis. Natus eſt ergo nobis Saluator, paſſus eſt diem partus, repudiatæ legis conceptus. Natus autem de patre ſemper, de matre ſemel. Etenim Domini noſtri Ieſu Chriſti duas accepimus natiuitates: primò diuinam, deinde humanam: ſed plane vtramque mirabilem. In illa vt matris, in hac vt patris officia ceſſarent. Vnam æternam, vt crearet temporales; alteram temporalem, vt præſtaret æternos. Ille ergo in forma Dei patri æqualis, ille in forma ſerui patri ſubditus. Ille creator temporum, natus in tempore eſt, factúſque eſt tam paruus, vt ederetur à fœmina: ſed tam magnus vnque permãſit, vt non ſepararetur à patre. Has ergo Domini natiuitates, etiam duo Euangeliſtarum teſtantur principia. (Eſt Ser. 52. de diuerſis.) Unus enim de natiuitate diuina ita ait; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. (Ioan. 1.) De hac verò natiuitate humana, ita Euãgeliſta alius refert; Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid. (Matt. 1.) Hic ergo natalis Domini, hic ſecũdæ natiuitatis dies eſt: exultemus & lætemur in eo. Nec immeritò, aucto iam ab hinc die, hodie lux incrementum accipit, cùm humano generi in hoc vtique die vera lux venerit: vt rectè dies tramitem ſolis augeat, quo nobis hunc per quem tenebris mortis abſolueremur, inuexit. Hunc ergo Prophetæ annunciantes tanquam lucernæ venturum, præceſſerunt diem ortus eius: & miracula, quæ eſſet geſturus in carne, clariſſimis præconiis ediderunt. Rectum namque erat, vt prædicaretur eſſe venturus: ne, cùm veniſſet, dubitaretur. Hic itaque Deus noſter, homo inter homines conuerſatus eſt. Apparuit enim videntibus homo, intelligentibus Deus: hominem intuentibus offerens, credentibus Deum ſeruans. Ergo infirmos ſaluat aſpectus infirmitatis eius: firmos quærit contẽplatio diuinitatis eius. Obſecro vos, chariſſimi, intuemini quàm magnum ſit hoc myſterium veritatis. Ad ſaluandos homines Legẽ dederat, Prophetas miſerat: & quia ſanandis langoribus hæc remedia præceſſerunt, ipſum ſe ad ſalutem eorum offerre hominibus Deus voluit. Porrò homines

Deum

Deum ipſum in ſubſtantia ſua videre non potuerunt: ſpem verò homines ſuam ponere in ſolo homine non debebant. Quid ergo hic fieret? Hominem ſequi non debebant, homo ſequendus non erat, qui videri poterat: Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo. Denique cùm iam inter homines verſaretur, & tribus Apoſtolis

Matth. 17. in ſecreto adductis medios aſtaret: ſubitò eis in illa diuini cultus claritate reſplenduit: quod Apoſtoli, qui præſentes erant, vix intueri pro humani affectus infirmitate potuerunt. Naſci humanitùs voluit, vt nos in ipſo naſceremur, & futuris cultoribus ſuis iteratæ natiuitatis ſacramenta ſanciret: vt nos, qui à natiuitate illa coarctati tenebamur obnoxij, Saluatoris noſtri veſtigia comitari, ſecundæ natiuitatis præſidio certò potiremur: quo in Deo & ex Deo nati, abrumperemus vincula mortis antiquæ, cùm pignus ſalutis Spiritum ſanctum ſumeremus. Ergo cùm apparere hominibus Deus vellet, eóſque quæ prius mandauerat, docere etiam præſens cuperet, vim diuinam aſſumpto homine temperauit, & poſuit tenebras latibulum ſuum in circuitu ſuo, cùm ſe tabernaculo carnis

Pſal. 17. obtexit. Tali ergo & tam ineffabili ſacramento, Chriſtus Deus noſter & homo habetur, & Deus. Per matrem, homo; per patrem, Deus. Sicque fit

Ioan. 14. vt vtrumque illud ſit verum, quod ait; Pater maior

Ioan. 10. me eſt. &; Ego & pater vnum ſumus. Nam diuinitate æquatur patri, incarnatione ſubditur patri. Quærere tamen quidam ſolent, quomodo miſceri potuit homo & Deus. Quærunt rationem huius myſterij quod ſemel factum eſt: cùm ipſi nequaquam poſſint reddere rationem eius, quæ fit ſemper, id eſt, quomodo anima miſcetur corpori, vt homo fiat. Ergo ſicut corporea rex incorporeáque coniúgitur, vt homo efficiatur: ita homo coniunctus eſt Deo, & factus eſt Chriſtus. Et tamen vt fieret Chriſtus, duo illa incorporea, id eſt, anima & Deus faciliùs coniungi permiſcerique potuerunt, quàm miſcetur vna incorporea aliáque corpore, id eſt, anima & corpus, vt perſona homi-

Philip. 2. nis exiſtat. Quod ſi Deus creator cœli ac terræ, cùm Deus eſſet, homo factus eſt, & humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis: quanto autem ſuperbire non debet terra & cinis? Videte, fratres, quantum ſe humiliauit propter homines Deus. Quantum ſe deijcere debet ſeruus, quando ad tantam humilitatem deſcendit & dominus? Quæ humilitas, chariſſimi, ſi pleniſſimè ab hominibus poſſidetur, etiam ad charitatem vſque proficiet. Nam dum alter alterum exiſtimat ſuperiorem: dilectio facit æqualitatem. Vnde non ſeipſe homo deſpiciat, propter quem vtique iſta ſubire dignatus eſt Deus. Et ego quidem fratres, pro quibus impendi & ſuperimpendi cupio, licet magnos vos ſemper in conſcientia mea fecerim: tamen maiores quodammodo vos res mihi iſta efficit, cùm intendo quanta ſit Domini mei pro homine dignatio. Vos vtique eſtis Dominicæ incarnationis, vos Dominici ſanguinis pretium, vos membra Chriſti, vobis caput Chriſtus eſt: pro vobis naſci, pro vobis pati cuncta non diſtulit. Crucem quoque ipſam ad hoc pertulit: vt vos ſibi in familiam coaptaret. Vos appellamini Chriſti fratres, vos appellamini Chriſti heredes. Proinde, dilectiſſimi, vnuſquiſque dignũ ſeipſum habeat, coram quo peccare non debeat: dignum ſe exiſtimet, coram quo ſi delictum cogitauerit, erubeſcat. Pretio enim magno empti eſtis: glorifi- *1 Cor. 6.*
cate & portate Deum in corpore veſtro. Hic pro vobis natus eſt, hic pro vobis oblatus eſt, hic etiam, ſi dignè agatis, habitat in vobis. Agamus ergo meditantes in lege Domini die ac nocte: vt comprehendere eum, vt videre mereamur. Agamus, vt, quia dignatus eſt deſcendere propter homines Deus: ad Deum homo poſſit aſcendere.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 22.

COmmendat nobis diuinæ circa nos altitu- *Eſt Ser. 33. de*
dinem gratiæ filius Dei, ſine tempore natus *diverſis.*
ex patre. Quid enim erat, antequam eſſet in homine? Putamus enim, fratres mei, antequã Chriſtus de Maria virgine naſceretur, erat an non erat? Putate nos quærere, vnde non licet dubitare. His itaque cogitationibus ipſe Dominus reſpondit, quando ei dictum eſt; Quinquaginta annos non- *Ioan. 8.*
dum habes, & Abraham vidiſti? Reſpondit enim, & dixit, Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Ego eram, homo nondum erã. Ne fortè aliquis dicat, Angelus erat, ſanctum Euangelium dixit vobis, Chriſtus erat. Et quæritis *Ioan. 1.*
quid erat? In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce quod erat, in principio erat. Non eſt in principio factum verbum, ſed erat verbum. De iſto autem mundo *Geneſ. 1.*
audi quid dicit Scriptura; In principio fecit Deus cœlum & terrã. Quæritis per quod fecit? In principio erat verbum, per quod fieret cœlum & terra. Non eſt factum, ſed erat verbum. Iam reſtat quærere quale verbum: quia verba dicuntur & noſtra. Noſtra quidem verba cogitatione concipiuntur, voce pariuntur; & tamẽ cogitata & prolata tranſeunt. Illud autem quid? Et verbum erat apud Deum. Dic vbi erat, dic quid erat. Iam dixi. Sanctum Euangelium dixit tibi; In principio erat verbum. Dic vbi erat, dic quid erat. Et verbum erat apud Deum. Sed ego quæſiui quale verbum. Vultis audire quid erat? Et Deus erat verbum. O verbum, quale verbũ! Quis explicet verbum? Et Deus erat verbum. Sed fortaſſe factum à Deo. Abſit. Audi quid dicit ſanctum Euangelium; Omnia per ipſum facta ſunt. Quid eſt, omnia? Quicquid factum eſt à Deo, per ipſum factum eſt. Et quomodo ipſe factus eſt qui omnia fecit? Nunquid ipſe ſe fecit? Poſtremò ſi ipſe ſe fecit, qui ſe faceret erat. Si ergo erat qui ſe faceret, nũquid non erat? Quomodo in virgine tale verbum? Omnia per ipſum facta ſunt. Quid eſt omnia? Quicquid à Deo, per ipſum factum eſt. Noli frater ab ipſo tanto opere ſeparare Spiritum ſanctum. A quo tanto opere? Non paruum opus, magnum opus ſunt angeli. Carnem Chriſti ſedentem ad dexteram patris, adorant angeli. Tale opus ergo operatus eſt maximè Spiritus ſanctus. In iſto opere cognominatus eſt, quando ſanctæ virgini per angelum futurus, nunciatus eſt filius. Ille qui propoſuerat virginitatẽ, erat maritus eius, non ablator, ſed cuſtos pudoris: imò nõ cuſtos pudoris, quia Deus cuſtodiebat: ſed cuſtos pudoris virginalis maritus fuit, ne de adulterio grauida putaretur. Quando ei nũciauit angelus, ait; Quomodo fiet iſtud, quoniam virum

non co

non cognoſco?Si cognoſcere diſponeret,non miraretur. Illa admiratio, propoſiti eſt reſtificatio. Quomodo fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco? Quomodo fiet? Et angelus ad eam; Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Ecce quomodo quod quæris;Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et bene dixit;Obũbrabit tibi: ne tua virginitas æſtum libidinis ſentiat.Et cùm prægnans eſſet,dictum eſt de illa,Inuẽta eſt Maria habẽs de Spiritu ſancto in vtero. Operatus eſt Spiritus ſanctus carnẽ Chriſti, operatus eſt & ipſe vnigenitus filius Dei carnem ſuam. Vnde probamus? Quia inde ait Scriptura:Sapientia ædificauit ſibi domum.Ergo animaduertite.Tantus Deus,Deus apud Deum, verbum Dei per quod facta ſunt omnia, quomodo in vtero includitur primum? Vt ibi eſſet verbum, deſeruit cælum?Vt eſſet in vtero virginis verbum, deſeruit cælum?Et vnde angeli viuerẽt,ſi verbum deſeruit cęlum?Sed vt panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus eſt homo. Adhuc cogitatio humana erret per nebulas ſuas,deficiat,quærat,dicat vt inueniat:Quomodo verbũ in vtero virginis,per quod facta ſunt omnia, quomodo non deſeruit? Quomodo in illo vtero includi potuit, eſſe potuit, includi non potuit? quomodo,inquit,eſſe tantus in loco tantillo? Ergo cepit vterus, quod non capit: nec minoratus eſt,vt eſſet in vtero. In vtero erat, & tantus erat? Quantus erat? Dic quod erat. Et Deus erat verbum.Et ego ſcio,inquam,qui tecum loquor. Nec enim comprehendo:ſed cogitatio facit nos extendi, extenſio dilatat nos, dilatatio nos capaces facit. Non factos capaces totum comprehendere poterimus: ſed verbo meo vobiſcum ago. Ecce quod dico, quod dicturus ſum, hoc audite, hoc comprehendite verbo meo, hoc eſt verbum humanum. Si autem nec hoc comprehendere poteritis, videte ab illo quàm longè ſitis. Certè miramur quomodo Chriſtus carnem accepit de virgine.Natus eſt,& à patre non receſſit. Ecce ego,qui vobiſcum loquor,antequam ad vos venirem, cogitaui antè quod vobis dicerem.Quando cogitaui quod vobis dicerem, iam in corde meo verbum erat. Non enim vobis dicerem, niſi antè cogitarem.Inueni te Latinum,tibi proferendum eſt verbum. Si autem Græcus † eſſem, Græcè tibi loqui deberem,& proferre ad te verbum Græcum.Illud verbum corde nec Latinum eſt, nec Græcũ:prorſus antecedit linguã,ſi ſtat quod eſt in corde meo. Quæro illi ſonum,quæro quaſi vehiculum:quęro vnde perueniat ad te, quando non recedit à me. Ecce audiſtis quod eſt in corde meo, iam eſt & in veſtro.Et vos habere cœpiſtis,& ego non perdidi. Sicut verbum meum aſſumpſit ſonum, per quem audiretur: ſic verbum Dei aſſumpſit hominẽ per quem videretur. Quantũ potui,dixi.Et quid dixi? Quoniã qui dixi, homo loqui volui de Deo. Talis eſt,talis eſt,vt non loqui eũ poſſimus,nec eum tacere debeamus. Gratias tibi ago, Domine, quia quod dico,vel dicere volui,tu ſcis:tamen de micis menſæ tuæ paui conſeruos meos: paſce & tu ac nutri interius quos regeneraſti. Ecce multitudo iſta quid fuit? Tenebræ:nunc autem lux in domino.Talibus enim Apoſtolus dicit;Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. O vos qui baptizati eſtis,fuiſtis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in domino!Si lux vtique dies: vocauit enim dominus lucem diem.Fuiſtis tenebræ, fecit vos lucem, fecit diem, de vobis cantauimus, Hic eſt dies,quem fecit dominus,exultemus & iocundemur in eo. Fugite tenebras. Ebrietas ad tenebras pertinet. Nolite diſcedere ſobrij, & redire ebrij: Et poſt meridiem videbimus vos. Spiritus ſanctus habitare cœpit, non migret: nolite illum excludere de cordibus veſtris. Bonus hoſpes inanes inuenit,implet vos;eſurientes inuenit, paſcit vos;poſtremò ſitientes inuenit, inebriat vos. Ipſe vos inebriet: Apoſtolus enim ait; Nolite inebriari vino, in quo eſt omnis luxuria. Et quaſi volens nos docere vnde inebriari debeamus: Sed implemini, inquit, Spiritu ſancto: cantantes vobiſmetipſis hymnis,pſalmis,canticis ſpiritualibus, cantantes in cordibus veſtris domino. Qui lætatur in domino,& cantat laudes domino magna exultatione,non ebrio ſimilis eſt.Probo iſtam ebrietatem, quoniam apud te Deus fons vitæ eſt,& torrente voluptatis tuæ potabis nos. Vnde? Quia apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Spiritus Dei & potus & lux eſt.Si inuenires fontẽ in tenebris,lucernam accenderes,vt peruenires ad eum. Nolite lucernam accedere ad lucis fontẽ. Ipſe tibi lucet,& ad ſe te deducet. Cùm veneris ad bibere,accede & illuminare. Accedite ad eum,& illuminamini:nolite recedere, ne contenebremini.Domine Deus voca, & accedatur ad te;firma, ne recedatur. Fac filios tuos nouos, de paruulis ſenes, de non ſenibus mortuos. In iſta enim ſapientia ſeneſcere licet,mori non licet.

Proverb. 9. — al. eſſet. — Ephes. 5. — Geneſ. 1. — Pſal. 117. — Ephes. 5. — Pſal. 35. — Pſal. 33.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 23.

NOuit fides veſtra,chariſſimi, quæ hanc vniuerſam multitudinem congregauit:quia natus eſt nobis hodie Saluator. Natus eſt de patre ſemper,de matre ſemel.De patre ſine ſexu,de matre ſine vſu. Apud patrem quippe defuit concipientis vterus: apud matrem defuit ſeminantis amplexus. Prima natiuitas ex patre naturam ſeruauit: ſecunda natiuitas ex matre, gratiam ſeminauit. Illa tenuit maieſtatem diuinæ ſubſtantiæ: iſta ſuſcepit ſocietatem mortalitatis humanæ. In hac autem ideo venire dignatus eſt, vt fieret obediens vſque ad mortem, & moriendo vinceret mortem. Vtraque natiuitas ineffabilis, vtraque mirabilis. Quod enim cor humanum comprehendere, quæve lingua valeat explicare, quomodo natus ſit Chriſtus ſemper ex Deo,aut quomodo nuper ex vtero? Quis intelligat coæternum filio patrem, quis eloquatur virginem matrem: illum ſine initio, ſine fine gignentem, iſtam ſine libidine concipientem,ſine corruptione† parientem? Vtraque natiuitas mira eſt, quia diuina eſt. Siue ergo illam,ſiue iſtam mens humana conſideret,rectiſſimè dicit;Generationem eius quis enarrabit? Et nos quid faciemus,fratres?Quoniam dignè eloqui non valemus,tacere debemus? Abſit à nobis,abſit vt taceat lingua ſerui, quando natalis eſt Domini. Dicamus ergo quod poſſumus,quod legimus. Beatus Dauid de Chriſto loquens,dicit in Pſalmis; In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas. Proceſſit enim hodie de ſacro thalamo, hoc eſt, beatorum virgineorum viſcerum abdito incorruptóque ſecreto.Proceſſit inde virgi-

Eſt Ser. 54. de diverſis. — al. parturientem. — Eſa. 53. — Pſal. 18.

virginis filius, virginis ſpōſus: filius videlicet Ma-
riæ, ſponſus Eccleſiæ. Vniuerſæ enim Eccleſiæ
1. Cor. 11. loquebatur Apoſtolus, quando dicebat: Aptaui
vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.
Ad has tales nuptias Chriſti, pater ſpōſi primum
inuitauit populum Iudæorum. Sed quid ait Euā-
gelium? Qui inuitati erant, non fuerunt digni.
Inuitata eſt poſtea vniuerſarum Gentium multi-
Matt. 22. tudo, ipſa impleuit Eccleſiam, ipſa accepit de
menſa Dominica non viles epulas, aut ignobiles
potus, ſed ipſius paſtoris, ipſius occiſi Chriſti car-
nem prælibauit & ſanguinem. Occiſus eſt ad nu-
ptias ſuas ipſe innocens agnus, occiſus eſt ad nu-
ptias: & quoſcunque inuitauit, de carne ſua pauit.
Occiſus epulas præparauit: reſurgens nuptias ce-
lebrauit. Occiſus volūtariam pertulit paſſionem:
reſurgens diſpoſitam duxit vxorem. In vtero vir-
ginis humanam carnem velut arrham accepit: in
cruce pretioſiſſimam dotem ſuum ſanguinem fu-
dit: in reſurrectione atque aſcenſione ſua æterni
Pſal. 67. matrimonij fœdera roborauit. Aſcendit enim in
altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona
hominibus. Quæ dona? Spiritum ſanctum, per
quem diffuſa humanis mentibus charitate, inſe-
Pſal. 18. parabiliter Chriſto tanquam viro ſuo adhæſit Ec-
cleſia. Proceſſit ergo hodie tanquam ſponſus de
ſacro thalamo ſuo, & ſicut exequitur Pſalmus;
Exultauit vt gigas ad currendam viam. Proceſſit
vt ſponſus, exultauit vt gigas: pulcher & fortis.
Pulcher, vt ſponſus, fortis, vt gigas. Pulcher, vt
ametur; fortis, vt timeatur. Pulcher, vt placeret;
Pſal. 44. fortis, vt vinceret. Vbi inuenitur in Scripturis ſa-
cris ſponſi iſtius pulchritudo? Specioſus forma
pr̨æ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis.
Vbi inuenitur gigantis fortitudo? Dominus fortis
Pſal. 23. & potens, Dominus potens in prælio. Vtrumque
autem, id eſt, & pulchritudinem & fortitudinem
Eſa. 63. in eo viderat & intellexerat Eſaias, cùm dicebat;
Quis eſt iſte, qui aduenit ex Edom, rubor veſti-
mentorum eius ex Boſor, ſic specioſus in ſtola ve-
ſtimenti cum fortitudine? Iſte ergo Propheta, qui
& ſpecioſum dixit & fortem: ſpecioſum nouerat
& gigantem. Ergo, chariſſimi, exultauit vt gigas
ad currendam viam. Quam viam, niſi mortalem
viam, quam dignatus eſt nobiſcum habere com-
munem? Ipſa eſt via, per quam genus humanum
tranſit. Tranſeunt enim per eam veniendo na-
ſcentes, & abſcedendo morientes. Et iſte generis
humani fluuius, ab initio vſque in finem ex oc-
cultis naturæ venit, iugiter manat. De iſto fluuio
rapido ac turbulento bibere dignatus eſt Chri-
ſtus. Modò audiſtis in Pſalmo; De torrente in via
Pſal. 109. bibit. Torrens iſte produxit nos ad natiuitatem,
perduxit ad mortem. Quaſi ex occulto fontis,
abyſſum maris ſuſcepit Chriſtus. Vtrumque pro
nobis: & natus & mortuus eſt. Et quia homines
in medio huius fluminis conſtituti, plerumque
delectantur mundi blandimentis, & illecebris,
quæ limo huius torrentis inuoluuntur, atque in
profundum inferni demergunt eos, qui dū tranſ-
euntes, vndas auidè hauriunt, ſic necantur, ſtare
cupientes in torrente præcipitati, & in re lubrica
quærentes fixa veſtigia: ideo Dominus de torren-
te in via bibit. Quid eſt in via bibit? Tranſiens bi-
bit. Bibit enim & tranſit, non remanſit: nec ſtetit
in via peccatorum. Item mortem metuunt homi-
nes: quia neceſſe eſt præcipitari omnes huius tor-
rentis impulſu. Christus autem mortem, quam
ſponte ſuſceperat, timere non potuit: ideo dictum
eſt; Et exultauit vt gigas ad currendam viam. De-
ſcendit enim, & cucurrit; aſcendit, & ſedit. Noſtis, Pſal. 18.
quia ſic confiteri ſoletis: poſtquā reſurrexit, aſcen- In Symbolo.
dit in cęlum, ſedet ad dexteram patris. Hūc noſtri
gigantis excurſum breuiſſimè ac pulcherrime ce-
cinit beatus Ambroſius in hymno, quem paulò
antè cantaſtis. Loquēs enim de Domino Chriſto,
ſic ait; Egreſſus eius à patre, regreſſus eius ad pa-
trem: excurſus vſq; ad inferos, recurſus ad ſedem
Dei. Hæc omnia, chariſſimi, ſi quæramus cur facta
ſunt, inuenimus facta pro nobis. Deſcendit enim,
vt aſcēderemus: mortuus eſt, vt viueremus; reſur-
rexit, vt reſurgeremus; aſcendit in cęlum, vt terre-
na contemnere, & cor ſurſum erigere diſceremus.
Denique vt leuaret poſt ſe ſpem noſtram, leuauit
primò carnē ſuam. Et vt ſperaremus hoc ſecutu-
rū in nobis, illud pręceſſit, quod accepit ex nobis.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 24.

SAnctificauit nobis, fratres, iſtum diem, dies Eſt Serm. 55.
qui fecit omnem diem. De quo Pſalmus ca- de diuerſis.
nit; Cantate Domino canticum nouum, cantate
Domino omnis terra. Cantate Domino, & bene-
dicite nomini eius: benedicite de die in diem ſa- Pſal. 95.
lutare eius. Quis eſt dies de die, niſi filius de patre,
lumen de lumine? Sed dies ille hunc genuit diem,
qui de virgine natus eſt hodie. Dies ergo ille non
habet ortum, non habet occaſum. Diem dico pa-
trem Deum. Quid eſt dies, niſi lumen? non ocul-
lorum carnalium, non lumen commune cum pe-
coribus: ſed lumen quod angelis lucet, lumen cui
videndo corda purgantur. Tranſit iſta nox in qua
modò viuimus, in qua nobis accenduntur lucer-
næ Scripturarum: & veniet illud quod in Pſalmo
canitur; Manè aſtabo tibi, & contemplabor te. Pſal. 5.
Dies ergo ille, verbum Dei, dies qui lucet angelis,
dies qui lucet in illa vnde peregrinamur patria.
Veſtiuit ſe carne, natúſque eſt de Maria virgine.
Mirabiliter natus. Quid mirabilius virginis par-
tu? Concipit, & virgo eſt, parit, & virgo eſt. Crea-
tus eſt de ea, quam creauit: attulit ei fœcunditа-
tem, non corrupit eius integritatem. Maria vn-
de? Ex Adam. Adam vnde? De terra. Si Maria de
Adam, & Adam de terra: ergò & Maria terra. Si
autem Maria terra, agnoſcamus quod cantamus;
Veritas de terra orta eſt. Quale nobis beneficium
præſtitit? Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cę- Pſal. 84.
lo proſpexit. Iudæi enim, ſicut dicit Apoſtolus, Rom. 10.
ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſti-
tuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Vnde poteſt
homo eſſe iuſtus? A ſemetipſo? Quis pauper ſibi
dat panem? quis nudus cooperitur, niſi acceperit
veſtem? Vnde iuſtitia? Quæ iuſtitia ſine fide? Iuſtus
enim ex fide viuit. Qui ſine fide ſe dicit iuſtum,
mentitur. Quoniam mentitur in quo non eſt fi- Rom. 1.
des: ſi vult dicere verum, conuertat ſe ad verita-
tem. Longè enim veritas erat, quæ de terra orta
eſt. Dormiebas, venit ad te: graui opprimebaris
ſomno, excitauit te viam tibi fecit per ſe, ne per-
deret te. Ergo veritas de terra orta eſt, quia Chri-
ſtus de virgine natus eſt: iuſtitia de cælo proſpe-
xit, vt per iuſtitiam homines reſipiſcerent, qui
per iniuſtitiā deſipuerunt. Mortales eramus, pec-
catis opprimebamur, pœnas noſtras portabamus.

Omnis homo quando naſcitur, à miſeria inchoat. Noli quærere prophetantem: interroga naſcentẽ, vide flentem. Cùm hæc eſſet in terra Dei indignatio, qualis ſubitò facta eſt dignatio? Veritas de terra orta eſt. Creauit omnia, creatus eſt inter omnia. Fecit diem, venit in diem. Dominus Chriſtus in æternum ſine initio apud patrem: habet & natalem in principio verbum. Qui niſi haberet humanam generationem, nos ad diuinam non perueniremus regenerationem. Natus eſt, vt renaſceremur. Chriſtus natus eſt, nemo dubitet renaſci; generatus eſt, non regenerandus. Cui enim neceſſaria erat regeneratio, niſi cuius damnata eſt generatio? Fiat itaque in cordibus noſtris miſericordia eius. Portauit eum mater in vtero: portemus & nos in corde. Grauidata eſt virgo incarnatione Chriſti: grauidentur pectora noſtra fide Chriſti. Peperit virgo Saluatorem; pariat anima noſtra ſalutem, pariamus & laudem. Non ſimus ſteriles: animæ noſtræ Deo ſint fœcundæ. Generatio Chriſti à patre ſine matre, & à matre ſine patre: ambæ mirabiles. Prima, æterna; ſecunda, temporalis. Natus eſt æternus de æterno. Quid miraris? Deus eſt. Sit conſideratio diuinitatis: & perit cauſa admirationis. Tranſeat admiratio, aſcendat laudatio; fides aſſit, crede quod factum eſt. Parúmne pro te humiliatus eſt Deus? Qui Deus erat, factus eſt. Anguſtum erat diuerſorium, inuolutus pannis, in præſepe poſitus eſt, quis non admiretur? Ille, qui mundum implet, in diuerſorio locum non inuenit. In præſepio poſitus cibus noſter eſt factus. Accedant ad præſepe duo anima-
Eſaia 1. lia, duo populi. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Noli erubeſcere Dei eſſe iumentum; Chriſtum portabis, non errabis; ambulas per viam, ſedet ſuper te. Sedeat ſuper nos Dominus, & quò vult nos dirigat; iumentum ipſius ſimus, ad Hieruſalem eamus. Ipſo inſidente, non opprimimur, ſed eleuamur, ipſo ducente, non errabimus, per ipſum ad ipſum eamus: vt cum nato hodie puero in perpetuum gaudeamus.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 25.

Eſt Serm 56. de diuerſis. NAtalis dñi & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quo veritas de terra orta eſt, & dies ex die anniuerſario reditu nobis hodie celebrandus illuxit: exultemus & iocundemur in eo. Quòd enim nobis præſtitit tantæ ſublimitatis humilitas, fides habet Chriſtianorum, remotum eſt à
Matt. 11. cordibus impiorum; quoniã abſcondit Deus hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis. Teneant ergo humilitatem Dei humiles: vt hoc tanto adiumento perueniant ad altitudinem Dei. Sapientes autem illi & prudentes, dum alta domini quærunt, & humilia domini non credũt, iſta prætermittentes, & propter hoc ad illam nõ peruenientes, inanes & leues, inflati & elati, & tanquam inter cælum & terram inuento medio, pependerunt. Sunt enim ſapientes & prudentes, ſed huius mundi, non ad illius, à quo factus eſt mundus. Nam ſi eſſet in eis vera ſapientia, quæ Dei & Deus eſt, intelligerent à Deo carnem potuiſſe ſuſcipi, nec eum in carne potuiſſe mutari. Intelligerent eum aſſumpſiſſe quod nõ erat, manſiſſe quod erat, & in hominem ad nos veniſſe, & à Deo patre non receſſiſſe, & apud patrem perſeueraſſe quod ſumus: & corpore infantili eſſe indutum, & mundanæ moli non eſſe ſubtractum. Cuius opus eſt apud patrem manentis, mundus vniuerſus: huius opus eſt, ad nos venientis, virginis partus. Dedit quippe indicium maieſtatis eius virgo mater, quæ virgo ante conceptum, virgo eſt & poſt partum. Hoc tam grande miraculum malunt infideles fictum potius putare quam factum. Iſta in Chriſto homine & Deo, quoniam non poſſunt contemnere, non credunt diuina. Nobis autem quantum eſt illis abiectius, tãto ſit grauius in humilitate Dei hominis corpus: & quanto illis eſt impoſſibilior, tanto ſit diuinior in hominis natiuitate virginis partus. Proinde natalem domini gaudentes, frequenti & feſtiuitate debita celebremus. Exultent viri, exultent feminæ: Chriſtus vir eſt natus ex femina: vterque ergo honoratus eſt ſexus. Iam ergo ad ſecundum hominem tranſeat, qui in primo antè fuerat damnatus. Mortem vobis perſuaſerat femina, nata eſt ſimilitudo carnis peccati. Non itaque natura culpetur, ſed natura viuat, culpa moriatur: quia ſine culpa natus eſt, in quo is, qui in culpa fuerat, renaſcatur. Exultate, ſancti pueri, qui Chriſtum præcipuè ſequẽdum elegiſtis, qui coniugia non quæſiſtis. Ad vos per coniugem venit, quem ſequendum inueniſtis: vt donaret vobis cõtemnere per quam veniſtis. Vos enim veniſtis per carnales nuptias, ſine quibus ille ſpiritales venit ad nuptias: & quos præcipuè vocauit ad nuptias, vobis dedit ſpernere nuptias. Ergo vnde nati eſtis, non quæſiſtis, quia eum qui nõ ita natus eſt, pluſquàm cætera dilexiſtis. Exultate virgines ſanctæ, virgo vobis peperit, cui ſine corruptione nubatis: quem concipiendo perdere poteſtis quod amaſtis. Exultate iuſti, iuſtificatoris eſt natalis. Debiles exultate & ægroti: quia Saluatoris eſt natalis. Captiui exultate, redemptoris eſt natalis. Omnes Chriſtiani exultate, natalis eſt Chriſti. Exultemus ſerui, natalis eſt dominantis. Exultemus liberi, liberantis eſt natalis. Hic de matre natus, iſtum diem ſeculis commendauit, qui de patre natus creauit ſecula. Nec illa natiuitas vllam potuit habere matrem, nec iſta hominem patrem quæſiuit. Denique natus eſt Chriſtus, & de patre, & de matre: & ſine patre, & ſine matre. De patre, Deus; de matre, homo. Sine matre, Deus, ſine patre, homo. Generationem Eſa. 53.
eius quis enarrabit? Siue iſtam ſine tempore, ſiue illam ſine ſemine; illam ſine initio, hanc ſine exemplo; illam quæ nunquam fuit, iſtam quæ nec antea nec poſtea fuit; illam quæ non habet finem, iſtam quæ nec initium habuit, nec finem. Meritò ergo Prophetæ nũciauerunt naſciturum: cæli verò atque angeli natum. Iacebat in præſepio continens mundum infans, & verbum: quem cæli non accipiunt, vnius feminæ ſinus ferebat. Illa regem noſtrum regebat, in quo ſumus; illa portabat panem noſtrum, illa lactabat. O manifeſta infirmitas, & mira humilitas, in qua ſic latuit tanta diuinitas! Matrem cui ſubiacebat infantia, regebat potentia. Perficiat in nobis ſua munera, qui ſumere non abhorruit etiam noſtra primordia: & in ſe nos faciat Dei filios, qui propter nos dignatus eſt fieri hominis filius.

EIVS-

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 26.

Eſt Serm. 57. de diuerſis. DIlectiſſimi fratres, de verbo æterno quis temporale dignè proferat verbum? Magnis infima quomodo ſufficiant? Laudant cęli, laudant virtutes, laudant & perpetuæ poteſtates, laudant luminaria, laudant ſydera, vt poteſt laudat & terra: non vt dignè laudet, ſed ne ſegregata damnetur.
Sapien. 8. Quis explicat, quis loquitur, quis vel ſapit eum qui attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter? Quomodo exultauerit ad currendam viam, vt eſt a ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius? Si vbique attingit, vnde exit? Si vbique attingit, quò vadit? Locis non diſtenditur, neque variatur temporibus, neque habet acceſſus & receſſus, in ſe manens, vbique circuit totus. Quę ſunt ſpacia quę non habent omnipotentem, quæ non tenent immenſum, quæ non ſuſcipiunt venientem? Si verbū cogitas, nihil diximus. Sed vt de ſe humilis doceret aliquid dicere, humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accipiēs. In hac forma deſcendit, in hac
Lucæ 2. forma ſecundum Euangelium ſapientia & ſtudio profecit, in hac forma patiens fuit, in hac forma fortiter dimicauit, in hac forma mortuus eſt, in hac forma mortem vicit & reſurrexit, in hac forma ad cælum redit, qui de cælo nunquā receſſit. Benedictus ergo eſt in firmamento cęli, qui factus eſt pro nobis, ſecūdum Apoſtolum, maledictus: vt in gētibus benedictio fieret Abrahę. Exultauit vt gigas. Qualis gigas? Portas inferni fregit: exiit &
Pſal. 18. aſcēdit. Quis eſt iſte rex glorię, propter quē dictum
Pſal. 23. eſt quibuſdam principibus, Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales? Eleuamini, magnus eſt: anguſtæ eſtis, non capitis, eleuamini. Vt quid hoc? Vt introëat rex glorię. Expaueſcunt. Quis eſt iſte rex gloriæ? Nō agnoſcitur. Non ſolum Deus eſt, ſed & homo: nō ſolum homo, ſed & Deus. Patitur, certe Deus eſt: reſurgit, certe homo eſt. An & Deus & homo eſt? Verè enim patitur, & verè reſurgit. Hoc autē vno eodémque Pſalmo bis dicitur; Tollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex glorię. Repetitur hoc ipſum eodem verbo, tāquam putetur ſuperfluum, & non neceſſarium. Sed in repetitione eorundem verborum fines attendite & aduertite, quare bis dictum fuerit. Tanquam enim ſemel reſurgenti, & ſemel aſcendenti, bis portę inferorum & cæli aperiuntur. Res enim noua, inferis Deus præſens: res noua, cęlis homo aſſumptus. Vtroque tempore, vtroque loco, expaueſcūt principes. Quis eſt iſte rex gloriæ? Vnde hoc diſcernimus? Audi quid vtriſque reſpondeatur. Illis interrogantibus dicitur; dominus fortis & potens, dominus potens in bello. Quali bello? Mortem pro mortalibus ſubire, ſolū pro omnibus pati, non reſiſtente omnipotente, & tamen vincere mortem. Magnus ergo iſte rex gloriæ, etiam apud inferos. Repetitur etiam hoc cęleſtibus poteſtatibus. Tollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternæ. An non ſunt portæ æternæ, quarum claues accepit Petrus? Sed quia ſecum hominem leuat, ibi tanquam non agnitus dicitur, Quis eſt iſte rex gloriæ? Sed ibi quia non iam certator, ſed victor eſt, quia non dimicat, ſed triumphat, non ibi reſpondetur, Dominus potens in bello, ſed dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 27.

ANgelorum voce poſtquam dominus Ieſus Chriſtus natus eſt virginis partu, paſtoribus *Eſt Serm. 58. de diuerſis.*
nunciatus eſt, ſicut cum Euangelium legeretur, *Lucæ 2.*
audiuimus dicentium; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Feſta vox & gratulatoria, non vni fœminæ cuius vterus Dominicam prolem ediderat, ſed generi humano cui virgo pepererat Saluatorem. Dignum enim erat, & hoc prorſus decebat, vt ei gignenti, quæ dominum cæli terręque procreauerat, & poſt editam ſubolem integra manſerat, non mulierculæ humanis ſollennitarent, ſed angeli diuinis laudibus, partum celebrarent caſtiſſimum. Dicamus ergo & nos, & quanta poſſumus exultatione dicamus, qui non pecorum paſtoribus eum natum nunciamus, ſed eius Natalitia cum ouibus eius celebramus. Dicamus, inquam, & nos fideli corde, deuota voce; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et hæc verba diuina, has Dei laudes, hoc angelicum gaudium, quanta valemus cum conſideratione perſpectum, fide & ſpe & charitate meditemur. Sicut enim credimus & deſideramus, erimus & nos gloria in excelſis Deo, cum, reſurgente ſpirituali corpore, fuerimus rapti in nubibus obuiam Chriſto: ſi modo pacem in terra cum bona voluntate ſectemur. In cælis quippe erimus gloria in excelſis Deo, quia vbi regio viuorum, & ibi dies boni, vbi dominus idem ipſe eſt, & anni eius non deficiunt. Quiſquis autem vult vitam, & diligit videre dies bonos, cohibeat linguam ſuam à malo, *Pſal. 33.*
& labia eius ne loquantur dolum: Declinet à malo, & faciat bonum. Iſta ſit pax bonę voluntatis & quærat pacem, & ſequatur eam: quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quod ſi dicis, ô homo; Ecce velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, & condelector legi Dei ſecun- *Rom. 7.*
dum interiorem hominem, vides autem legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captiuum te ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris tuis: perſiſte in bona voluntate & exclama quod ſequitur; Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Ipſe eſt enim *Galat. 5.*
pax in terra hominibus bonę voluntatis, poſt bellum, in quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæ vultis illa faciatis: quoniam ipſe eſt pax noſtra, qui fecit *Epheſ. 2.*
vtraque vnum. Perſiſtat igitur bona voluntas aduerſus concupiſcentias malas, & perſiſtens imploret auxilium Dei gratiæ, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Repugnatur illi à lege membrorum carnalium, & ecce iam captiuatur, imploret auxilium, non fidat viribus ſuis; & ſaltem feſſa, non dedignetur eſſe confeſſa. Aderit eis, qui dixit, quos iam videbat credentes in eum: Si permanſeritis in verbo meo, vere diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Aderit & liberabit veritas, de corpore mortis hu- *Ioan. 8.*
ius. Ideo quippe veritas, cuius natalitia celebramus, de terra orta eſt, vt ſit pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Nam quis idoneus eſt velle & poſſe, niſi inſpirando adiuuet? Et vt poſſimus & quia vocādo perſiſtit, & quia vbique miſericordia

eius præuenit nos,vt vocaremur qui nolebamus, & vt impetremus poſſe quod volumus, dicamus ergo; Et iuraui, & ſtatui,cuſtodire iudicia iuſticię *Pſal.118.* tuæ. Statui quidem: & quia impetraui, promiſi obedientiam. Sed,quoniam video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis: humiliatus ſum vſquequaque, *Ibidem.* domine,viuifica me ſecundum verbum tuum. Ergo velle adiacet mihi, ergo voluntaria oris mei **ſr. approba.* *approbā domine:vt fiat pax hominibus in terra bonę voluntatis. Dicamus iſta,& ſi qua alia ſuggerit pietas, ſanctis inſtructa lectionibus, vt nati ex virgine domini celebritatem nō inaniter frequentemus, inchoata bona voluntate perficiendo pleniſſime charitatem, quæ & diffunditur in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per ſpiritum *Rom.5.* ſanctum,qui datus eſt nobis.

EIVSDEM DE EODEM *Homilia 28.*

Eſt Serm.59. de diuerſis. HOdiernus dies Natalis domini noſtri Ieſu Chriſti,nobis feſtus dies illuxit. Natalis dies, quo natus eſt dies. Et ideo hodie, quia ex hodierno creſcit dies. Natiuitates domini noſtri Ieſu Chriſti,duæ ſunt. Vna diuina,altera humana:ambæ mirabiles. Illa ſine femina matre,iſta ſine viro *Eſaiæ 53.* patre. Quod ait ſanctus Eſaias propheta; Generationē eius quis enarrabit? ad ambas generationes referri poteſt. Quis dignè narret generatū Deum? Quis dignè narret virginis partum? Illud ſine die, hoc certo die. Vtrunque ſine humana æſtimatione,& cum magna admiratione. Illam primam at- *Ioan. 1.* tendite generationem; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, Cuius verbum? Ipſius patris. Quod verbum? Ipſe filius. Nunquam pater ſine filio. Et tamen qui nunquam ſine filio, genuit filium. Et genuit, & non cœpit. Sine initio generatio nullum eſt initium. Et tamen filius,& tamen genitus. Dicturus es homo, quomodo genitus, & non habet initium? Si genitus, habet initium: ſi non habet initium, quomodo genitus? Quomodo, neſcio. Quæris ab homine quomodo ſit genitus Deus? Interrogatione tua laboro: ſed prophetam appello. Generationem eius quis enarrabit? Veni mecum ad iſtam generationem humanam, veni mecum ad iſtam, in qua ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, ſi forte vel ipſam capere poſſimus, ſi forte *Philip. 2.* vel de ipſa aliquid loqui valeamus. Etenim quis capiat; Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo? Quis hoc capiat? Quis hoc dignè cogitet? Cuius mens hoc audeat perſcrutari? Cuius lingua audeat pronunciare? Cuius valeat cogitatio capere? Interim hoc omittamus: multum eſt ad nos. Vt autem nō multum eſſet ad nos, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus. Vbi? In virgine Maria? Inde ergo aliquid loquamur, ſi fortè poſſumus. Angelus nunciat, virgo audit, credit,& concipit. Fides in mēte, Chriſtus in ventre. Virgo cōcepit, miramini: virgo peperit, plus miramini. Poſt partum virgo permāſit. Generationem ergo iſtam quis enarrabit? Dico quod vos delectet, chariſſimi. Tres vitę ſunt in Eccleſia membrorum Chriſti: Coniugalis, vidualis, virginalis. Quia ipſæ vitæ, ipſæ pudicitię futurę erāt in ſanctis membris Chriſti, omnes iſtæ vitæ tres atteſtatæ ſunt Chriſtum. Prima, cōiugalis. Quando Maria virgo concepit, Elizabet vxor Zachariæ & ipſa conceperat. *Lucæ 1.* Huius Iudicis præconem ferebat in vtero. Venit ad eam ſancta Maria, tanquam ad cognatam ſuam ſalutandam. Exultauit infans in vtero Elizabeth. Ille exultauit, illa prophetauit. Habes atteſtantem pudicitiam coniugalem. Vbi vidualis? In Anna. *Lucæ 2.* Audiſtis modo cum Euangelium legeretur: quod eſſet ſancta propheteſſa, vidua octoginta & quatuor annorum, quæ ſeptem annis vixerat cum viro ſuo: frequentans templum domini, ſeruiens in orationibus nocte & die. Et ipſa vidua agnouit Chriſtum. Vidit paruum, agnouit magnum. Et ipſa atteſtata eſt. Habes & in iſta, vitam vidualem: In Maria, virginalem. Eligat ſibi quiſque de iſtis tribus quam voluerit. Qui præter iſtas eſſe voluerit, in membris Chriſti eſſe non diſponit. Non dicant coniugatæ, nos ad Chriſtum nō pertinemus. Habuerunt maritos ſanctæ fœminę. Non ſe extollant virgines. Quanto magnæ ſunt, humilient ſe in omnibus. Omnia exēpla ſalutis propoſita ſunt ante oculos noſtros. Nemo exorbitet: Nemo propter vxorem, melius ſine vxore. Si pudicitiam coniugalem quæris: habes Suſannam. Si vidualem: habes Annam: Si virginalem: habes Mariam. Dominus Ieſus homo eſſe voluit propter nos. Non vileſcat miſericordia: iacet in terra ſapientia. In principio erat verbū, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. O cibus & panis Angelorum: de te implentur Angeli, de te ſatiātur, & non faſtidiunt. De te viuunt, de te ſapiunt, de te beati ſunt. Vbi es propter me? In diuerſorio anguſto, in pannis, in præſepio. Propter quem? Qui regit ſydera, ſugit vbera. Implet Angelos, fatur in ſinu patris, tacet in ſinu matris. Sed locuturus eſt cōpetente ætate, impleturus Euangelium nobis. Propter nos paſſurus, propter nos moriturus; ad exēplum præmij noſtri reſurrecturus, ante oculos diſcipulorum in cælum aſcenſurus, ad iudicium de cælo venturus. Ecce qui in præſepi iacebat, diminutus eſt: ſed non perdidit ſe. Accepit quod non erat, ſed manſit quod erat. Ecce habemus infantem Chriſtum, creſcamus cum illo. Satis hæc ſint charitati veſtræ. Quia multos hic video propter ſollemnitatem, oportet vt dicam. Calendæ Ianuarij venturæ ſunt. Chriſtiani eſtis omnes: Deo propitio Chriſtiana eſt ciuitas. Duo genera hominū hic ſunt: Chriſtiani & Iudæi. Non fiant illa, quæ odit Deus: per luſum iniquitas, per iocum improbitas. Non ſibi faciant homines Iudices, ne veniāt in manus veri Iudicis. Audite, Chriſtiani eſtis, membra Chriſti eſtis. Cogitate quid eſtis, cogitate quanti empti eſtis. Poſtremo ſi vultis ſcire, quid facitis: ego eis dico, faciunt. Nolite ad iniuriam veſtram referre, quibus iſta diſplicent. Eis dico qui faciunt, & quibus placent. Vultis noſſe quid facitis, & qualem triſtitiam nobis ingeritis? Faciunt illud Iudæi. Vel ſic erubeſcite ne fiat. Natali Ioannis, id eſt ante ſex mēſes, tot enim menſes inter ſe habēt præco & Iudex, de ſollemnitate ſuperſtitioſa pagana, Chriſtiani ad mare veniebant, & ibi ſe baptizabant. Abſens eram. Sed ſicut comperi per diſciplinam Chriſtianorum preſbyteri permoti, quibuſdam dignam & eccleſiaſticam diſciplinam dederunt. Murmurauerūt inde homines, & dixerunt quidam. Quātum erat vt indicaretur nobis?

Si

Si ante præmoneremur, non faceremus. Ipſi præmonuiſſent presbyteri, non feciſſemus. Ecce Epiſcopus præmonet, moneo, prædico, denuncio. Audiatur Epiſcopus iubens, audiatur Epiſcopus monens: audiatur Epiſcopus rogans, audiatur Epiſcopus adiurans. Adiuro per ipſum, qui hodie natus eſt: adiuro, obſtringo, nemo faciat. Melius eſt vt monens audias, quàm triſtis ſentias.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 29.

Citat Beda. 1. Corinth. 11.

Eſt Serm. 60. de diuerſis. VErbum patris per quod facta ſunt tempora, caro factum, Natalem ſuum nobis fecit in tempore: & in ortu humano habere voluit vnum diem, ſine cuius nutu diuino nullus voluitur dies. Ipſe apud patrem præcedit cuncta ſpacia ſæculorum: ipſe de matre in hac die curſibus ſe ingeſſit annorum. Homo factus, hominis factor. Vt ſugeret vbera, regens ſydera, vt eſuriret panis, vt ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas accuſaretur, Iudex viuorum & mortuorum, à iudice mortali iudicaretur, ab iniuſtis iuſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur. Ad hæc atque huiuſmodi ſuſtinenda pro nobis ſe inclinans, vt liberaret indignos, quando nec ille aliquid mali, qui propter nos tanta pertulit mala, neq; nos boni aliquid merebamur: qui per eum tanta accepimus bona. Propter hæc ergo qui erat ante omnia ſæcula ſine initio dierum Dei filius, eſſe in nouiſſimis diebus dignatus eſt hominis filius: & qui de patre natus, non à patre factus erat, factus eſt in matre quam fecerat, vt ex illa ortus, hic aliquando eſſet, quæ niſi per illum nunquam & nuſquam eſſe potuiſſet. Sic adimpletum eſt quod prædixerat Pſal-
Pſal. 84. mus, veritas de terra orta eſt. Maria virgo ante conceptum, virgo poſt partum: abſit enim vt in ea terra, hoc eſt in ea carne, vnde orta eſt veritas, periret integritas. Nempe poſt reſurrectionem ſuam
Lucæ 24. cum ſpiritus putaretur eſſe non corpus, Palpate, inquit, & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non
Ioan. 20. habet, ſicut me videtis habere. Et tamen illius iuuenilis corporis ſoliditas, non patentibus foribus ſe ad diſcipulos intromiſit. Cur ergo, qui potuit per clauſa oſtia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra paruus exire? Sed neque hoc neque illud volunt credere increduli. Ideo potius vtrũque fides credit: quia infidelitas vtrunque non credit. Ipſa quippe infidelitas, cui nulla in Chriſto videtur fuiſſe diuinitas. Porrò ſi fides dominum natum credit in carne, Deo non dubitet vtrunque poſſibile: vt & corpus maioris ætatis, non reſerato aditu domus, intus poſitis præſentaret, & ſponſus infans de thalamo ſuo, hoc eſt, vtero virginali illæſa matris virginitate procederet.
Pſal. 44. Illic namque vnigenitus Dei filius humanam ſibi coniũgere dignatus eſt naturam: vt ſibi capiti im-
al. conſociaret. maculato immaculatam † conſignaret Eccleſiam, quam Paulus Apoſtolus virginem vocat: non ſolas in ea conſiderans etiam corpore virgines, ſed
2. Cor. 11. incorruptas omnium deſiderans mentes. Deſponſaui enim vos, inquit, vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Eccleſia ergo imitans domini ſui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen & virgo & mater eſt. Nullo itaque modo virginitatem matri ſuæ naſcendo Chriſtus ademit, qui Eccleſiam ſuam de fornicatione dæmonum redimendo virginem fecit. Ex cuius incorrupta virginitate procreatæ virgines ſanctæ, quæ terrenas nuptias contemnentes eſſe etiam carne virgines elegiſtis, gaudentes celebrate ſollemniter hodierno die virginis partũ. Ille quippe eſt natus eſt ex femina, qui non ex maſculo ſatus in femina. Qui vobis attulit quod amaretis, matri non abſtulit quod amatis. Qui ſanat in vobis quod traxiſtis ex Eua, abſit vt corrumperet quod dilexiſtis in Maria. Illa igitur, cuius veſtigia ſectamini, & vt conciperet, cum viro non manſit: & cum pareret, virgo permanſit. Imitamini eam, quantum poteſtis, non fœcunditate, quia hoc non poteſtis, ſalua virginitate. Sola vtrunque potuit. Quorum vos vnum habere voluiſtis, quia hoc perditis, ſi vtrunque habere velitis. Sola vtrunque potuit, quę omnipotentem peperit, per quem potuit. Solum enim vnicum Dei filium, iſto vnico modo fieri oportebat filium hominis: nec tamen ideo non eſt vobis aliquid Chriſtus, quia vnus eſt virginis fœtus. Ipſum quippe vos, quem filium edere non potuiſtis carne, ſponſum inueniſtis in corde. Et talem ſponſum quem & redemptorem ſic teneat felicitas veſtra: vt peremptorem non timeat virginitas veſtra. Qui enim matri virginitatem nec corporali abſtulit partu, multo magis in vobis eã ſpirituali ſeruat amplexu. Nec propterea vos ſteriles deputetis, quia virgines permanetis. Nam & ipſa pia integritas carnis, ad fœcunditatem pertinet mentis. Agite quod ait Apoſtolus.
Quoniam non cogitatis ea quæ ſunt mundi, quo- *1. Cor. 7.*
modo placeatis maritis, cogitate quæ Dei ſunt, quomodo illi in omnibus placeatis: vt non vterum fœtibus, ſed animum fœcundum poſſitis habere virtutibus. Poſtremò omnes alloquor, omnibus dico: vniuerſam virginem caſtam quam deſponſauit Apoſtolus Chriſto, iſta voce compello. Quod miramini in carne Mariæ, agite in penetra-
libus animæ. Qui corde credit ad iuſtitiam, conci- *Rom. 10.*
pit Chriſtum: qui ore confitetur ad ſalutem, parit Chriſtum. Sic in mentibus veſtris & fœcunditas exuberet, & virginitas perſeueret.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 30.

DOminus noſter Ieſus, qui erat apud patrem, *Eſt Ser. 61. de diuerſis.*
antequam natus eſſet ex matre, non ſolum virginem, de qua naſceretur, ſed & diẽ, quo naſceretur, elegit. Errantes homines plerunque eligunt dies, alius nouellandi, alius ædificandi, alius proficiſcendi, & aliquando alius etiam vxorem ducendi. Quod cum facit, ideo facit, vt inde aliquid natum feliciter nutriatur. Nemo tamen poteſt eligere diem, quo ipſe naſcatur. Sed ille potuit vtrunque eligere, qui vtrunque potuit & creare. nec ita elegit diem, ſicut eligunt, qui fata hominum inaniter de ſyderum diſpoſitione ſuſpendunt. Non enim per diem felix factus eſt, quo eſt natus: ſed felicẽ fecit diem, quo naſci eſt ipſe dignatus. Nam & dies natiuitatis eius, habet myſteriũ lucis eius.
Sic enim dicit Apoſtolus; Nox præceſſit, dies au- *Rom. 13.*
tem appropinquauit: abiiciamus opera tenebra-

rum, & induamus nos arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. Agnoſcamus diem, & ſimus dies. Nox enim eramus, cum infideliter viuebamus. Et quoniam ipſa infidelitas, quę totum mundum vice noctis obtexerat, minuenda fuerat, fide creſcente, ideo die Natalis domini noſtri Ieſu Chriſti, & nox incipit perpeti detrimenta, & dies ſumere augmenta. Habeamus ergo, fratres, ſollemnem iſtum diem: non ſicut infideles propter hunc Solem, ſed propter eum, qui fecit hunc Solem. Quod enim verbum erat, caro factum eſt, vt propter nos poſſet eſſe ſub Sole. Carne quippe ſub Sole: maieſtate autem ſuper vniuerſum mundum in quo condidit Solem. Nunc vero & carne ſuper iſtum Solem, quem pro Deo colunt, qui mente cæci verum iuſtitiæ non vident Solem. Diem ergo iſtum Chriſtiani non diuinæ Natiuitatis celebremus ſed humanæ, ſcilicet, qua contemperatus eſt nobis: vt per inuiſibilem viſibilem factum, à viſibilibus ad inuiſibilia tranſiremus. Debemus enim fide Catholica retinere duas eſſe Natiuitates domini: vnam diuinam, alteram humanam. Illam ſine tempore, hanc in tempore: ambas autem mirabiles. Illam ſine matre, iſtam ſine patre. Si iſtam non comprehendimus, illam quando enarramus? Quis comprehendat nouitatem nouam, inuſitatam, vnicam in mundo, incredibilem credibilem factam, & toto mundo incredibiliter creditam: vt virgo conciperet, virgo pareret, virgo pariens permaneret? Quod humana ratio non inuenit, fides capit: & vbi humana ratio deficit, fides proficit. Quis enim dicas non potuiſſe Dei verbum, per quod facta ſunt omnia, facere ſibi carnem etiam ſine matre, ſicut primum hominem ſine patre fecit & matre? Sed, quoniam vtrunque ſexum, id eſt, maſculi & feminę ipſe vtique creauit: ideo vtrunque ſexum etiam naſcendo voluit honorare, quem venerat liberare. Lapſum certè primi hominis noſtis: quia non eſt auſus ſerpens loqui viro, ſed ad eum decipiendum femineo vſus eſt miniſterio. Per infirmiorem, obtinuit fortiorem: Et qui per alterum penetrauit, de vtroque triumphauit. Ideo vt non poſſemus mortem noſtram in femina velut motu iuſti doloris horrere eámque credere ſine reparatione damnatam; dominus veniens quærere, quod perierat, vtrunque voluit honorando commendare, quia vtrunque perierat. In nullo igitur ſexu debemus iniuriam facere creatori: vtrunque ad ſperandam ſalutem commendauit Natiuitas domini. Honor maſculini ſexus eſt in carne Chriſti: honor feminini eſt in matre Chriſti. Vicit ſerpentis aſtutiam gratia Ieſu Chriſti. Vterque ergo ſexus in eo, qui hodie natus eſt, renaſcatur, & celebret hodiernum diem: quo die non dominus Chriſtus eſſe cœpit, ſed qui erat ſemper apud patrem, carnem, quam accepit ex matre, in hanc lucem protulit, matri fœcunditatem afferens, integritatem non auferens. Concipitur, naſcitur: infans eſt. Quis eſt iſte infans? Infans enim dicitur, quod non poſſit fari, id eſt loqui. Ergo & infans, & verbum eſt. Per carnem tacet, per angelos docet. Nunciatur paſtoribus princeps paſtórque paſtorum: & in præſepi iacet, fidelium cibaria iumentorum. Prædictum enim fuerat per prophe-

Eſaiæ 1. tam, Agnouit bos poſſeſſorem ſuũ, & aſinus præ-
Matth. 21. ſepe domini ſui. Ideo in aſello ſedit, quando Hieruſalem cum laudibus multitudinis præcedentis & conſequentis intrauit. Et nos agnoſcamus, ad præſepe accedamus, cibaria manducemus, dominum rectorémque portemus: vt ad cæleſtem Hieruſalem illo ducente veniamus. Infirma eſt Chriſti ex matre natiuitas: ſed ex patre ampla maieſtas. Habet in diebus temporalibus temporalem diem: ſed ipſe eſt dies æternus ex æterno die. Meritò Pſalmi eius tanquam voce tubæ cæleſtis accendimur, vbi audimus, Cantate domino canticum no- *Pſal. 95.*
uum, cantate domino omnis terra. Cantate domino; & benedicite nomen eius. Agnoſcamus ergo & annunciemus diem ex die, qui in carne natus eſt iſto die. Dies filius ex die patre, Deus ex Deo: lumen ex lumine: Hoc eſt enim ſalutare, de quo alibi dicitur; Deus miſereatur noſtri, & benedicat *Pſal. 66.*
nos: illuminet vultum ſuum ſuper nos. Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. Quod dixit; In terra, hoc repetiuit, in omnibus gentibus: & quod dixit, viam tuam, hoc repetiuit, ſalutare tuum. Ipſum dominum dixiſſe meminimus; Ego ſum via. Et modo cum *Ioan. 14.*
Euangelium legeretur, audiuimus Simeonem beatiſſimum ſenem reſponſum accepiſſe diuinum, quòd non guſtaret mortem, niſi prius vidiſſet Chriſtum domini. Qui cum accepiſſet in manibus infantem Chriſtum, & cognouiſſet paruulum magnum; Nunc dimittis, inquit, domine *Lucæ 2.*
ſeruum tuum ſecundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Bene ergo nunciemus diem ex die, ſalutare eius. Annunciemus in gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. In præſepi iacet: ſed mundum continet. Vbera ſugit: ſed angelos paſcit. Pannis inuoluitur: ſed immortalitate nos veſtit. Lactatur: ſed adoratur. Locum in diuerſorio non inuenit: ſed templum ſibi in credentium cordibus facit. Vt enim fieret fortis infirmitas: infirma facta eſt fortitudo. Magis ergo miremur quam contemnamus eius etiam carnalem Natiuitatem: & ibi agnoſcamus tantæ propter nos celſitudinis humilitatem. Inde accendamus charitatem: vt perueniamus ad eius æternitatem.

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 31.

NAtalis domini dicitur, quando Dei ſapientia *eſt Ser. 62.*
ſe demonſtrauit infantem, & Dei verbum *de diuerſis.*
ſine verbis vocem carnis emiſit. Illa tamen occulta diuinitas, & Magis cæli teſte ſignificata, & paſtoribus angelica voce nunciata eſt. Hac igitur anniuerſaria ſollemnitate celebramus diem, qua impleta eſt prophetia dicens; Veritas de terra orta *Pſal. 84.*
eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Veritas quæ eſt in ſinu patris, de terra orta eſt: vt eſſet etiam in ſinu matris. Veritas qua mundus continetur, de terra orta eſt: vt fœmineis manibus portaretur. Veritas, qua beatitudo Angelorum incorruptibiliter alitur, de terra orta eſt: vt carnalibus vberibus lactaretur. Veritas cui cælum non ſufficit, de terra orta eſt: vt in præſepio poneretur. Cuius bono in tanta humilitate venit tanta ſublimitas? Nulli vtique ſuo, ſed magno ſi credimus, noſtro. Expergiſcere, homo: pro te Deus factus eſt homo. Surge qui *Epheſ. 5.*
dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Pro te, inquam, Deus factus eſt homo. In æternum mortuus eſſes: niſi in tempore natus eſſet. Nunquam liberareris à carne peccati: niſi

ſuſcepiſſet

ſuſcepiſſet ſimilitudinem carnis peccati. Perpetua te poſſideret miſeria: niſi fieret hæc miſericordia. Non reuixiſſes: niſi tuæ morti conueniſſet. Defeciſſes niſi ſubueniſſet. Periſſes niſi veniſſet. Celebremus læti, noſtræ ſalutis & redemptionis aduentum. Celebremus feſtum diem, quo magnus & æternus dies ex magno & æterno die venit in hunc noſtrum tam breuem temporalem diem. 1. Cor. 1. d Hic eſt nobis factus iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: vt, quemadmodum ſcriptum eſt; Qui gloriatur, in domino glorietur. Vt enim ſuperbiæ Iudæorum ſimiles non eſſemus, qui ignorantes Rom. 10. Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: propterea, cum dixiſſet; Pſal. 84. Veritas de terra orta eſt: mox addidit; Et iuſtitia de cælo proſpexit, ne ſibi eam mortalis infirmitas arrogaret, ne iſta ſua diceret, & ſe homo à ſeipſo iuſtificari, hoc eſt à ſe iuſtum fieri credens, Dei iuſtitiam recuſaret. Veritas ergo de terra orta eſt: Ioan. 14. Chriſtus qui dixit, Ego ſum veritas, de virgine natus eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit, quoniam credens in eum, qui natus eſt, non homo à ſeipſo, ſed Ioan. 1. à Deo iuſtificatus eſt. Veritas de terra orta eſt, quia verbum caro factum eſt: & iuſtitia de cælo proIac. 1. ſpexit, quia Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt. Veritas de terra orta eſt, caro de Maria: & iuſtitia de cælo proſpexit, Ioan. 3. Quia non poteſt homo accipere quicquam, niſi Rom. 5. fuerit datum de cælo. Iuſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & acceſſum habemus in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei. His, fratres, quæ mecum recognoſcitis paucis Apoſtolicis verbis, pauca verba Pſalmi huius admiſcere delectat, & conſonantiam reperire, Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum: quia iuſtitia & pax oſculatæ ſunt inuicem, Pſal. 84. per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; quia veritas de terra orta eſt, per quem & acceſſum habemus in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei. Non ait gloriæ noſtræ, ſed gloriæ Dei: quia iuſtitia non de nobis proceſſit, 1. Cor. 1. d. ſed de cælo proſpexit. Ergo qui gloriatur, non in ſe, in Domino glorietur. Hinc & nato ex virgine domino, cuius diem Natalem hodie celebramus, Luc. 2. præconium vocis Angelicæ factum eſt, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. In terra enim pax vnde, niſi quia veritas de terra orta eſt, id eſt, Chriſtus de carne natus eſt? Epheſ. 2. Et ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: vt eſſemus homines bonæ voluntatis, ſuauiter con2. Cor. 1. nexi vinculis vnitatis. In hac igitur gratia gaudeamus, vt ſit gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ: vbi nō in nobis, ſed in domino gloriemur. Hinc enim dictum eſt; Gloria mea, & exaltans ca1. Cor. 1. put meum. Nam quæ maior gratia Dei nobis poPſal. 3. tuit illuceſcere, quam vt habens vnigenitum filium, faceret eum hominis filium, faceret Dei filium? Quære meritum, ne quære cauſam: quære iuſtitiam, & vide vtrum inuenias niſi gratiam.

S. MAXIMI EPISCOPI *Taurinenſis in eodem feſto, Homil. 1.*

Hodie fratres chariſſimi Chriſtus natus eſt, nos renati. Hodie ſaluator mundi per matrem naſcendi tempus accepit, qui de patre natiuitatis non habet tempus. Hodie per hominem filius Dei ingreſſus eſt mundum, cuius manu ante hominem factus eſt mundus. Hodie habitator cæli venit ad terras, qui terrarum incolas euocaret ad cælum. Mirabilis, inquit, Deus in ſanctis ſuis, ſi in ſanctis ſuis mirabilis Deus, quomodo nō in ſe ipſo mirabilis? ſi mirabilis in Ioanne, quem naſci de patre ſeniſſimo, & ſterili de matre præcepit, quanto magis in ſe eſt mirabilis, qui vt noſtræ conditionem carnis indueret, nouum virgini, & conceptum dedit, & partum? Ait ſanctus Abacuc propheta. Domine audiui auditionem tuam, & timui, conſideraui opera tua, & expaui. Quis non & paueſcat, & metuat tāti profunditatem myſterij, quādoquidem vnus, idemque ſine conceptione natus eſt Deus, & ſine creante factus eſt homo? Duas in Chriſto generationes legimus, fratres chariſſimi: ſed in vtraque incomprehenſæ diuinitatis eſt virtus. Ibi enim illum ex ſemetipſo genuit Deus: hic eum virgo Deo cooperante concepit. Ibi ſine initio, hic ſine exemplo. Ibi natus vt conderet vitam, hic factus vt tolleret mortem. Ibi patri natus, hic hominibus procreatus. Illa natiuitate hominem fecit, hac generatione hominem liberauit. Vtrāque, fratres, generationem eius non poſſe narrari, ſententia hac vna complectitur. Illa enim eſt ante hominem, iſta ſupra hominem. Illa incogitabilis, iſta mirabilis. Cum autem duas Chriſti docemur natiuitates, non bis aſſeritur Dei filius natus, ſed gemina in vno Dei filio confirmatur eſſe ſubſtātia. Ibi quod erat, natus eſt, hic quod non erat, factus eſt. Ait de his beatus euangeliſta Ioannes: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et iterum: Et verbum caro factum eſt. Ioan. 1. Igitur Deus, qui apud Deū erat, prodiuit à Deo, & caro Dei, quæ in Deo non erat, proceſſit ex fœmina, ita verbum caro factum eſt: non vt Deus vacuaretur in hominem, ſed vt homo glorificaretur in Deum. Itaque non bis natus eſt Deus, ſed ex duabus natiuitatibus, id eſt, Dei, & hominis ſeipſum vnigenitus patris, atque ſeſe hominem vnum eſſe voluit Deum. Generationem ergo eius Eſaia 53. quis enarrabit? Fratres, generatio Chriſti ſi narrari non poteſt, credi poteſt. Si lingua deficit, fides proficit. Magnus enim profectus eſt fidei, cum tantum de Deo ſuo concipit, quantum ſermo non poteſt parturire. Cauete, dilectiſſimi, ne quando vos de his incredulitas moueat, quia, ſi homo non valet explicare, quod ſentit, Deus ſine dubio potuit implere, quod voluit. Et perabſurdum eſt, fratres, vt ineffabilem Deum infirmiſſimo fragilitatis noſtræ ſermone penſemus. Amentiæ res eſt, vt operationes maieſtatis immenſæ, inter exigua corruptibilis oris noſtri conemur verba concludere. Quomodo enim comprehendere poteſt homo Deum factus ingenitum, mortalis æternum? Si inueſtigare niteris qualiter Deus in hominem, vel homo tranſiuit in Deum, inueſtiga prius, ſi potes, quomodo ex nihilo factus eſt mundus. Cælum vnde reſplenduit, aquarum liquor, terræ ſoliditas qua ratione ſubſiſtūt? Quomodo etiam de terra homo, de maſculo fœmina, itemque per fœminam maſculus? Quid illud eſt poſt omnia, quod lumē gignit, ac tenebras, quod vitam facit, ac mortem? Si ergo teipſum, o homo, & quæ propter te facta ſunt, qualiter, aut

de ſint facta, comprehendere non vales, qua præſumptione, quáve ſtulticia tuum ipſius, atq; omnium diſcutis creatorem? Natum ergo de Deo patre Deum, eundemq́ue hominem factum de virgine confitemur. Sed hæc, charisſimi, rationi cæca ſunt, fidei manifeſta. Tunc enim parte ex aliqua indefinitæ maieſtatis eius poterimus immenſa rimari, aduertamus quantus, qualiſve ſit Deus, à nobis non poſſe cognoſci, vt ait dominus
Exo. 33. ad Moyſen: Tu autem non poteris videre faciem meam, id eſt, non potes carnalibus oculis meam,
Pſal. 138. ſicut eſt, inſpicere deitatem. Beatus nanque Dauid virtutem omnipotentiæ eius intendens clamabat dicens: Mirabilia opera tua, domine, & anima mea nouit valde. Valde enim ſciebat anima prophetalis opera Dei omnem meditationem humanæ mentis excedere: propter quod ſapientiſſimus Patriarcha mortalis ſenſus concluſus anguſtiis, quæ inueſtigare non poterat, mirabatur. Quis ergo hominum diſcutere, aut inquirere audeat, tantus quod Propheta miratur? Mirabilia, inquit, opera tua, & anima mea nouit valde. Hoc ipſum enim, quod incomprehenſibilis eſt Deus, anima eius nouerat, caro ſentire non poterat. Omnis ergo, qui opera Dei magis vult examinare quàm credere, non ſequitur animæ ſenſum, ſed carnis errorem. Et ideo, fratres, non diſcutiamus qualiter Deus de Deo natus eſt, ſed credamus, nec retractemus partũ virginis, ſed miremur, vt vnigenitum Dei Deum, & hominem confitentes, inoffenſam teneamus cæleſtis fidei veritatem.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 2.

IVſtiſſime, fratres, feſtiuitate præſentis diei in omne ſe gaudium totus vbique ſuſcitat mundus, quia hodie promiſſus à ſæculis vniuerſo orbi iudex ortus eſt, & redemptor. Et neceſſe eſt vt in commune nos omnes, qui futuri examinis, reſurrectioniſque promiſſæ ſalutarem ſuſcepimus fidem, habeamus metum quidem de iudice, ſed de redemptore lætitiam. Omnis nanque fidelis anima timore corrigitur, correctione lætatur. Et in hoc, chariſſimi, quanta erga humanũ genus omnipotentis patris diſpenſatio eſt, quantáve benignitas, vt quem iudicem præparabat incredulis, hunc credituris præmitteret redemptorem: quatenus præcurrens miſericordia, ſeueritatem aduentantis iudicis præueniret. Hodie itaque natus eſt Chriſtus, ſed in natiuitate eius noſtra omnium habet vita natalem: quia qui priuilegia primæ natiuitatis amiſimus, viſitante nos Chriſto ſanctiore partu redimus ad vitam. Hodie peperit Maria, ſed ipſa ſuum parturiuit autorem. Hodie edidit mundo hominem, quem non ſuſcepit ab homine. Quid hoc eſt miraculi, fratres? Naſcitur caro de carne, non tamen generata per carnem, & ſecreto quodam, incomprehenſóque conceptu procedit de mortali fœmina diuina progenies. Nec mirum ſane ſi extitit diuina natiuitas, vbi non erat humana conceptio, aut ſi illam matrem non violauit partus, quam coitus non fœdauit. Ille quondam futurorum conſcius Eſaias populis, & gentibus ſi-
Eſa. 7. gnum nouæ ſalutis aperiens, Ecce, inquit, virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabũt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. Atque vt aduertamus noui, ac veteris teſtamenti vnũ eſſe conſenſum, vnúmque cõſilium, ait etiam beatiſſimus Lucas dominicæ generationis relator egregius dicẽs. Miſſus eſt angelus Gabriel Luc. 1.
à Deo ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & ait ad illam: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabunt nomen eius Ieſum. Ieſus autem, chariſſimi, latino ſermone ſaluator dicitur. Ecce qualiter ſe inuicem concordantibus ſententiis teſtimonia diuina confirmantur, & cum prædicatorum diuerſa ſint tempora, nõ tamen diuerſa narratio. Nam partum virginis quem ille prædixerat, iſte teſtatur. Quis igitur de diuinitate Chriſti, quis de redemptione cunctetur, quem & Eſaias profitetur Deum, & Gabriel annunciat ſaluatorem? Quis intactæ puerperæ aluum dubitet floruiſſe quod vno penè ore, atque eodem ſpiritu proloquuntur Euangeliſta, Angelus, & Propheta? Vbi tanti, talesq́ue ſunt teſtes, non erubeſcit veritas, ſed auditor incredulus confutatur. Sed iam videamus quas pro nobis natus perferat Chriſtus iniurias, quibuſve rurſus iniuriæ illæ virtutibus decorentur, & ante omnia fœmineo ſexu ſe concipi patitur, qui in exordio mundi omnipotenti manu de maſculo operatus eſt fœminam. Sed hanc humilitatem naſcendi, virginalis matris ſublimat integritas. Et quamuis natus Chriſtus fœmineo vt infans lacte paſcatur, tamen vt rerum potẽs virgineis nutritur vberibus, atque vt primum illum in has ſæculi procellas, & fluctuantis ſentinam mundi vterus maternus effudit, viliſſimis circundatur pannis. Pannis ſiquidem induitur ille pro nobis, qui, quum crearet omnia, terras luce perfudit, cælum ſyderibus adornauit, & ignea ſolem claritate veſtiuit. Obuoluitur quidem pannis; ſed hi panni noua ſtella radiante munerantur à magis, & exultantibus angelis honorantur. Et vt noscamus vniuerſa hæc per myſterium vel fieri, vel dici, hic, qui pannis circumuoluitur, prædicatus ab initio de ſinu patris, æternóque thalamo ſalutarium nuptiarum ſponſus venit è cælo, ſicut ait venerãdus Da-
uid: Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo Pſal. 18.
ſuo. Deinde (vt legitur) ponitur in præſepi, quia Luca. 2.
vt ait Euangeliſta, non erat illis locus in diuerſorio. Ne quem, fratres, iſta permoueant, quia omnis hæc in ſaluatore vilitas precioſiſſimum noſtræ ſalutis eſt ſacramentum. Videte enim quanta ſapientia collocári Chriſtus dicitur in præſepi, qui gemina quadã gratia humani generis & eſca erat futurus, & paſtor. Qui bene in præſepio ponitur, vt ad pabula perennis vitæ, ſpiritualium ouium greges, agni cæleſtis balatus inuitet. Non erat, inquit, eis locus in diuerſorio. Nunquid tantæ illius erant anguſtiæ manſionis, vt nati ſub hora paruuli membra non caperet? Sed idcirco myſtico refertur ſermone non inueniri locum in diuerſorio, quia ingreſſus mundum Chriſtus fidem, in qua poſſit requieſcere, non inuenit, vt ait ipſe
in Euangelio dicens: Filius autem hominis non Matt. 8.
habet, vbi caput ſuum reclinet. Vnde aduertimus, quia vnicus Dei filius non in ſpatioſis domibus, auratiſque laquearijs, ſed in fide credentium requieſcit. Hunc ergo Chriſtum Ieſum ſugentem vbera naſcentium infantium more vagientem, vilibus circundatum pannis, iacentem vilius in præſepi angelica miniſteria proſequuntur, & omnis

nis cæleſtis exercitus multitudo miratur conſona eum voce collaudans, & dicés: Gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus bonæ volunta- *Luca 2.* tis. Gloria vtique Deo, qui deſperatis mortalibus munus æternę ſalutis exhibuit, & pax hominibus bonæ voluntatis, quos certamine ſuo Chriſtus, ſuoque prælio in regnum proprium diabolica de captiuitate reuocauit. Et quam congrue euangelicus intonat ſermo, cum dicitur gloria in excelſis Deo, & pax in terra hominibus. Quod idem ipſe Dei filius & apud angelos glorioſus eſt in excelſis, & bonæ voluntatis hominibus pacem præſtat in terris. Propter quod, dilectiſſimi, competétibus gaudiis tanta de ſalute lætemur, atque angelicis nos vocibus ſociantes honore debito myſteria ſemper Chriſti, virtutesque laudemus.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 3.

IN aduentu dominico, fratres chariſſimi, ſolutus eſt omnis paternę prçuaricationis metus, quem diabolicis dudum fraudibus incurrit circumuenta mortalitas. Adeſt enim nobis cęli, terręque iudex, qui reſciſſo chirographo delictorum, reatum noſtrum miſeratus abſoluit. Adeſt ille dominus, qui iugum captiuitatis antiquæ noſtris à ceruicibus ſoluens, mœrorem mundi æterna libertate lætificat. Adeſt rex ille manſuetus, qui per ſpacia totius orbis, cæleſtis iuſtitiæ greſſibus incedens, ſuperbientem furientis inimici contriuit tyrannidem. Hodie nanque parturiente Maria natus eſt nobis Dei filius, vt germana carnis noſtræ conceptione productus creato à ſe homini & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. Et natus ſane ab intacta eſt fœmina, vt eum pariter & hominem reſtaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas. Nam, ſicut non poterat niſi caro de carne naſci: ita non poterat Dei caro de fœmineo vtero niſi ſine generante prodire. Propter quod ait Angelus beatiſſimæ Mariæ: *Luca 1.* Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: Et quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei: Spiritus, inquit, ſanctus ſuperueniet in te. Idcirco tibi, frater, virtute ſancti ſpiritus angelicus ſermo protexit, ne coniecturis carnalis diſputationis hebetatus, cæleſte *Al. confundas.* tibi ipſe myſterium terrena argumétatione * confingas. Aut non putas eum nouum puerum in aluo virginis potuiſſe formare, qui, quum primum conderet hominem, nec ſemen patris, nec viſcera materna quęſiuit? Dic itaque quicunque es ſupernæ diſpenſationis arbiter, & diſcuſſor, quæ tibi videtur virtus eminentior partum dediſſe virgini, aut perfectum hominem creaſſe de terra? Primus *1. Cor. 15.* enim homo, vt ait Apoſtolus, de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Si contra naturam eſſe contendis quod in myſterio redemptionis noſtræ ſine viro puella aſſeritur concepiſſe, cuius quæſo naturæ eſt, quod in parente generis noſtri caro ſine carne formata eſt? Quæ iſta eſt ratio, immò quàm cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem poſſe de fœmina, quem creditur feciſſe de puluere: Si omnipotentis, ô homo, tali in negotio eſſe perſpicis voluntatem, de opere cur *Psal. 134.* retractas? Omnia enim (ſicut legitur) dominus, quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra. Et, ſi ſolicitius perſcruteris, præter hūc legitimum humanæ cóceptionis vſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies operatam reperies trinitatem. Et prima eſt quidem, quòd Adam figuratus ex limo eſt: ſecunda quòd mulier formata eſt de maſculo: tertia quæ & cæleſtis eſt, quòd Chriſtus proceſſit ex virgine. Quid horum non nouum? Quid horum non mirabile? Quid horum niſi fidem ſequamur, inquiſitio poterit humana complecti? Quod autem myſtico hoc conceptu viſitare mundum ſuum Dei dignatus eſt filius, noſtræ hoc ſalutis neceſſitas flagitabat, nimirum vt cæleſtis tandem generatio repararet, quod natiuitas terrena perdiderat. Sed fortaſſis hunc, qui natus prædicatur ex fœmina, dum vilibus obuoluitur pannis, dum iacere contentus eſt in præſepi, dum lachrymoſis vagitibus concrepat, dum maternis lactatur vberibus, Deum eſſe diffidis? Immò per iſta, frater, aduerte eum, & vt hominem infirma pro infirmis pertuliſſe, & vt Deum potentiam exercuiſſe cæleſtem. Hic nanque, qui ſordentibus circundatur *Matth. 2.* pannis, regiis per Chaldæos muneribus honora- *Luca 2.* tur. Hic, qui in præſepi humilis iacet, lumine no- *Ioan. 6.* ui ſyderis coruſcat è cælo. Hic, qui vagitus reddit *Rom. 11.* infantiæ, angelici exercitus vocibus collaudatur. Hic, qui fœmineo lacte nutritur, multa hominum millia paruiſſimo pane ſatiauit. Quid illud adi- *Luca 18.* ciam, quod Deum illum, & verum Dei eſſe filium *Matth. 14.* reſurgens à mortuis Lazarus probat, receptus ad lumen cæcus annunciat, venerandis eius calcata veſtigiis maris vnda teſtatur, & quod præcellit hæc omnia reſultans è cælo vox paterna confir- *Matt. 3.* mat? Propter quod, dilectiſſimi, tam magnum hoc natiuitatis dominicæ ſacramentum dignis vocibus honoremus, diligamus præ omnibus caſtitatem, quia, vt placere hanc ſibi Chriſtus oſtéderet, pudicitiam vteri virginalis elegit. Sectemur miſericordiam, quia pietatis eſt, quòd ſaluamur. Iuſtitiam ſolicite teneamus, quia ob hoc vnigenitus Dei effici dignatus eſt homo, vt veritatem prædicans, vniuerſam mundi faciem, damnata iniquitate, purgaret.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 4.

HOdierni myſterij ſacramentũ, fratres chariſſimi, ſicut credidiſtis ſemper, & creditis, reparatio eſt ſalutis humanæ, virtutum natiuitas, ruina vitiorum. Hodie nanque Chriſtus Ieſus dominus noſter, in quo diuinitatis eſt plenitudo, carnis noſtræ infirma ſuſcipiens, nouus natus eſt homo. Hodie refulſit ſecundus ille Adam non incola, ſed dominus paradiſi, quem interdictæ arboris pulchritudo non fallat, ſerpens non decipiat, mulier non ſeducat. Hodie exortum eſt in tenebris lumen, hodie illud, quod cælum, & cæli cælorum ſe habere gaudebant, mundus dum neſcit, accepit. Neque enim vt temporalis quidam, aut qui ante non fuerit, de fœmina nobis repentinus emerſit, ſed qui ſemper erat cum patre Deus, ſemperque regnabat, nouo per virginem voluit mortalibus apparere myſterio. Nouus quidem homo, ſed dominus ſempiternus, nouus Chriſtus, ſed rex omnium ſæculorum. Ipſe eſt in fine temporum natus ex Maria, qui ante omnia ſęcula vnigenitus proceſſit è patre. Hic eſt prædictus à Patriarchis, a Prophetis prædicatus, annunciatus ab angelis, ab

Apoſtolis approbatus. De vno, eodémque legis, *Ioan. 1.* in principio erat verbum: & verbum caro factum eſt. Gaude ergo nunc, & exulta ad Deum tuum *Ioan. 6.* tandem conuerſa gentilitas. Percepiſti donum, quod Abraham in ſpiritu ſe vidiſſe lætatus eſt, meruiſti per Chriſtum, quod mereri quondam Hebræorum gens electa non potuit. Timens enim Iſrael, & tremens mirabatur, vt legimus, quòd *Exod. 19.* Moyſes populi princeps reconditus in nube, & in vertice montis altiſſimi ſolus cum domino loqueretur. Tibi vero ſic natus eſt Chriſtus, & tanta ſe nobis dignatione conceſſit, vt loqueretur omnibus, & ab omnibus videretur. Ad illum tūc montem Sina quicunque acceſſiſſet ex populo, præſenti puniebatur interitu. Ad hunc vero montem, qui hodie natus eſt mundo, quicunque non acceſſerit, morietur. Et tūc quidem vnus populus erudiebatur ad fidem, nunc vero omnes gentes vo- *Exod. 16. & 17.* cantur ad vitam. Viderunt venerabiles patres noſtri innumera, magnáque mirabilia. Cælum illis angelicas rorauit eſcas, dulcia pocula lapis duriſ- *Ioſue 3.* ſimus miniſtrauit. Iordanis perpetem meatum *Ioſue 6.* ſuum retorſit in fontem, validiſſimi hoſtium muri tubarum ſtrepitu corruerunt. Sol quoque com- *Ioſue 10.* moratus in cælo, longiorem triumphanti populo præſtitit diem. Hoc vero nullis antea videre ſæculis datū eſt, vt vnigenitus altiſſimi, quem trementes Archangelorum ſuſcipiunt poteſtates, hominem ſe hominibus exhiberet, & carnem, quam aſſumpſit ab homine, transformaret in Deū. Amplectere ergo dignationem maieſtatis æternæ, & ne archanam Dei tu diſcutias voluntatem: quia omnibus quidem natus eſt Chriſtus, ſed fidelibus dat ſalutem. Quod ſi tibi ſenſuum tuorum fragilitate minus dignum videtur filium Dei natum de fœmina credere, virginem cogita peperiſſe. Si tibi panni, quibus obuolutus eſt, fortaſſe vileſcunt, angelos collaudantes, & multitudinem cæleſtis exercitus admirare. Si præſepe, in quo infans iacuit, deſpicis; erige paulíſper oculos, & nouam in cælo ſtellam proteſtantem mundo natiuitatem dominicam contuere. Si credis vilia, crede mirifica. Si de his, quæ humilitatis ſunt, diſputas, quæ alta ſunt, & cæleſtia venerare. Iiſdem enim referentibus, iiſdémque autoribus de domino ſaluatore, quæ humilia, & quæ glorioſa ſunt, didiciſti, vniuerſa, quæ ad ſalutis tuæ myſterium pertinebant, ſacra tibi Euangelia prodiderunt. Habes in his vnde dominum Ieſum & natum hominem credas, & Deum eſſe dubitare non poſſis.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 5.

INueſtigabiles humanis ſenſibus diſpoſitiones eſſe diuinas ipſa operum Dei altitudo teſtatur. Sed eo magis nobis Chriſti ſunt veneranda myſteria, quo magnitudine ſui capacitatem ingenij mortalis excedunt. Et ideo, fratres, cum annunciatur nobis ſempiternus ille vnigenitus Dei patris, cui ſubiacent omnia, & per quem creata ſunt vniuerſa, ſub fine temporum naſci voluiſſe de fœmina, infantiam perpeti noſtræ carnis, tantæ dignationis gratiam non debemus examinare, ſed credere: nec diſcutere, ſed mirari. Quid enim eſt æquius, quidve tam congruum, quam vt in rebus diuinis omnipotentiam magis ſequamur Dei, quàm ſapien-

tiam mundi? Hodie igitur nobis (ſicut decurſa Euangelij lectione cognouimus) ſecundum carnem natus eſt Chriſtus, incipiens quidem eſſe, quod non erat, ſed non deſinens eſſe, quod erat. Nec enim natiuitas hominis imminuere, aut ſeparare indiſcretæ maieſtatis poterat vnitatem. Quòd Deus de Deo patre proceſſit, ineffabilis, ac permanentis eſt ſecretum virtutis: quòd homo eſt natus ex fœmina, noſtræ ſalutis eſt gratia. Illic gloria naturæ: hic myſterium voluntatis. Quis ergo, fratres, profundum hoc cæleſtis conſilij valeat æſtimare, quod immortalitatis dominus, incorruptæque ſubſtantiæ, vt conditione carnis mortem ſuſcipere pro mortalibus poſſit, de fœmineo vtero nulla corporeæ generationis lege conceptus, humana ſub lege prodire, atque hoc ita vt eum beata mater, quæ intacta conceperat, inuiolata proferret? Obuoluitur præterea pannis, & ponitur in *Luc. 2.* præſepi. Vilitas iſta infantis precioſum Dei eſt ſacramentum. In pannis enim noſtras infirmitates, noſtra ſe indicat ſuſcepiſſe peccata. Quod vero in præſepi, vbi paſtus eſt animalium, ſua collocari membra permittit, in æternam refectionem veſcendum à mortalibus ſuū corpus oſtendit. Quid illud dicam, quod in terras angelica multitudo deſcendens vagientem paruulum glorioſa laude proſequitur? Stupet enim omnis creatura tam grande miraculum, quod vnus, idémque & Deus regnat in cælo, & homo nutritur in terra. Cuius myſterij beatus Dauid annuncians nouitatem omne hominum genus ad concentum cantici ſpiritualis inuitat dicens: Cantate domino canti- *Pſal. 95.* cum nouum, cantate domino omnis terra. Quid tam nouum, chariſſimi, quàm quod omnipotens Deus maieſtatis immenſæ patri coæternus, & perpetui regni dominus ad infirmitates corporeas, & humilitaté ſe inclinauit humanam? Quid tam nouum quàm concipiente, & parturiente fœmina, illæſam virginitatem permanere? Et talis vere ſaluatorem mundi decebat ingreſſus, vt, qui humani generis veniebat peccata mundare, præ cæteris mundus naſceretur. Bene etiam propheta ſubiunxit, cantate domino omnis terra. Cui enim alij omnis debet cantare terra, niſi qui vniuerſo terrarum orbi delictorum veniam, & ſpem ſempiternæ ſalutis inuexit? Magnificemus ergo, fratres, dominum, ac Deum noſtrum, pſallamus ei, atque cantemus. Dignum eſt enim, vt eorū præcipue laudibus honoretur, quos proprij corporis paſſione, & ſanguinis ſui effuſione ſaluauit.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 6.

IN aduentu dominico, fratres chariſſimi, cuius honorem debitum præſenti feſtiuitate deferimus multimoda cæleſtium myſteriorum gratia reuelatur. Hodie enim, hoc eſt, in fine temporum editus eſt ille, cuius æternitatem nulla ſæculorum tempora comprehendunt. Hodie cæli, terrarúmque dominus pro libertate ſeruorum formam induit ſeruitutis. Hodie noua fœminei ſexus gloria peperit virgo, & quod vniuerſa nobiſcum creatura miratur, natus eſt homo nō per hominem procreatus. Sed quamuis nouum videatur, non tamē incredulum, quod Chriſtus in vtero Mariæ ſine generante conceptus eſt, qui de Deo patre ſine

conceptione

cõceptione proceſſit. Quòd enim Deus eſt, ſolius patris eſt vnigenitus, quòd homo eſt, ſolius matris eſt filius. Atq; ideo illum, qui ex patre Deus eſt, & ex matre homo eſt, hoc eſt, Deum, & hominem vnum dominum confitemur. Hoc autem totum factum eſt, vt & Deus per carnem hominis myſterium ſalutaris ſuſciperet paſſionis, & homo per virtutem Dei æternitatis ſuæ reciperet dignitatem. Naſci ne itaq; Chriſtus ex Maria, vt & ſexus fœmineus hominem daret, & Deum proderet integritas virginalis. Naſcitur Chriſtus ex fœmina, vt, ſicut Adam decipientem per Euam diabolum non potuit præcauere, ita diabolus aduentãtem per Mariam Deum non deprehenderet eſſe præſentem. Parturit igitur fœmina ſalutem mundi, vt, quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret miniſtra iuſticiæ, & per quam mors ſibi in hunc mũdũ aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingreſſum. Atque vt oſtenderet creator humani generis vtriuſque ſe ſexus curam habere, & vtrunque velle ſaluare, vir naſcitur, & procedit ex fœmina, quatinus aduerteremus nullam eſſe apud Deum inter virum, ac fœminam in percipiẽda ſalute diſtantiam. Cur autem non tota deuotione credamus ſaluatorem puerum naſci potuiſſe de virgine, qui perfectum hominẽ credimus de puluere fuiſſe formatum? Exultemus ergo, fratres, & lætemur celebrantes natalem domini noſtri Ieſu Chriſti; quia in eius natiuitate nos omnes natos ſentimus ad vitam. Factus eſt enim homo, non vt ſibi viueret, qui autor eſt vitæ, ſed vt morte ſua vitam redimeret mortuorum. Tantis enim vinculis humanum genus vinxerat inimicus, tantaque nos mole immanium preſſerat peccatorũ, vt nullus nobis eſſet reditus ad ſalutem, niſi naſceretur ille, qui virtute propria ad vitam poſſit redire poſt mortem.

S. LEONIS PAPAE IN *eodem feſto, Serm. 1.*

SAluator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus. Neque enim fas eſt locũ eſſe triſtitiæ, vbi natalis eſt vitę: quæ, conſumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promiſſa æternitate lætitiam. Nullus ab huius alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio: quia Dominus noſter, peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberãdis omnibus venit. Exultet ſanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei nanque filius ſecundum plenitudinem temporis, quam diuini conſilij inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam autori ſuo naturam generis adſumpſit humani, vt inuentor mortis diabolus, per ipſam, quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno, & mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens dominus cum ſæuiſſimo hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obiiciens ei eandem formã, eandémque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac natiuitate eſt, quod de omnibus legitur; Nemo mũdus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Nihil ergo in iſtam ſingularem natiuitatem de carnis concupiſcentia tranſiuit, nihil de peccati lege manauit. Virgo regia Dauidi eæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro grauidanda fœtu, diuinam, humanámque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et, ne ſuperni ignara conſilij, ad inuſitatos paueret * affatus, quod in ea operandum erat à ſpiritu ſancto, colloquio diſcit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genetrix mox futura. Cur enim de conceptionis nouitate deſperet, cui efficientia de altiſſimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præeuntis atteſtatione miraculi, donatúique Elizabeth inopinata fœcunditas, vt, qui conceptum dederat ſterili, daturus non dubitaretur & virgini. Verbum igitur Dei Deus, filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo, ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione ſuæ maieſtatis inclinans, vt manens quod erat, aſſuménſque quod non erat, veram ſerui formam ei formæ, in qua Deo patri eſt æqualis, viniret: & tanto fœdere naturam vtranque conſereret, vt nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salua igitur proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas & ad rependendum noſtræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili, Deúſque verus, & homo verus, in vnitatem domini temperatur, vt, quod noſtris remediis congruebat, vnus, atque idem Dei, hominúmque mediator, & mori poſſet ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. Merito igitur virgineę integritati nihil corruptionis intulit partus ſalutis, quia cuſtodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectiſſimi, natiuitas decuit Dei virtutem & Dei ſapientiam Chriſtum, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret: niſi enim eſſet Deus verus, non afferret remedium: niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum. Ab exultantibus ergo angelis naſcente domino gloria in excelſis Deo canitur: & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur. Vident enim cæleſtem Hieruſalem ex omnibus mundi gentibus fabricari, de quo inenarrabili diuinę pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, quum tantum gaudeat ſublimitas angelorum? Agamus ergo, dilectiſſimi, gratias Deo patri per filium eius in ſpiritu ſancto, qui propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos, miſertus eſt noſtri: &, cum eſſemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura, nouúmque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus ſuis, & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus. Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinę conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Memento, cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarũ, tranſlatus es in Dei lumen, & regnum. Per baptiſmatis ſacramẽtum, ſpiritus ſancti factus es tẽplum. Noli tãtum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubiicere ſeruituti, quia precium tuũ ſanguis eſt Chriſti, qui in veritate te iudicabit, quia miſericordia te redemit, qui cũ patre, & ſpiritu ſancto regnat in ſecula ſeculorũ, Amen.

EIVSDEM

Marginal notes: * effectus. — Ioan. 1. — Philip. 2. — 1. Tim. 2. — 1. Cor. 1. — Luca 2. — Ephes. 2. — Ephes. 4. — Coloſ. 3.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 2.*

EXultemus in domino, dilectiſſimi, & ſpiritali iucunditate lætemur, quia illuxit nobis dies redemptionis * nouæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis ſalutis noſtræ annua reuolutione ſacramentum, ab initio promiſſum, in fine redditum, ſine fine manſurum. In quo dignum eſt, nos erectis ſurſum cordibus, diuinum adorare myſterium, vt, quod magno Dei munere agitur, magnis Eccleſiæ gaudiis celebretur. Deus enim omnipotens, & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia eſt, ſtatim vt nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificauit inuidiæ, prædeſtinata renouandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignauit, denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxij capitis elationem ſua virtute contereret, Chriſtum ſcilicet in carne venturum Deum, hominemque ſignans, qui natus ex virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam, quia gloriabatur diabolus, hominem ſua fraude deceptũ, diuinis caruiſſe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis ſubiiſſe ſententiam, ſéque in malis ſuis quoddam de præuaricatoris conſortio inueniſſe ſolatium, Deum quoque iuſtè, ſeueritatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutaſſe ſententiam: opus fuit, dilectiſſimi, ſecreti diſpenſatione conſilij, vt incommutabilis Deus (cuius voluntas non poteſt ſua benignitate priuari) primam pietatis ſuæ diſpoſitionem, ſacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret. Aduenientibus ergo temporibus, dilectiſſimi, quæ redemptioni hominum fuerant præſtituta, ingreditur hæc infima Ieſus Chriſtus dominus noſter, de cæleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuiſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris. Incomprehenſibilis voluit comprehendi: Ante tempora manens, eſſe cœpit ex tempore. Vniuerſitatis dominus ſeruilem formam, obumbrata maieſtatis ſuæ dignitate, ſuſcepit. Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis mortis legibus ſubiacere. Noua autem natiuitate genitus eſt, conceptus à virgine, natus ex virgine, ſine paternæ carnis concupiſcentia, ſine maternæ integritatis iniuria, quia futurum hominum ſaluatorem talis ortus decebat, qui & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta neſciret. Autor enim in carne naſcenti, Deus eſt, teſtante Archangelo ad beatam virginem Mariam; Quia ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Origo diſſimilis, ſed natura conſimilis: humano vſu, & conſuetudine, quod credimus, caret, ſed diuina poteſtate ſubnixum eſt, quod virgo conceperit: quod virgo pepererit, & virgo permanſerit. Non hic * conſideretur parientis cõditio, ſed naſcentis arbitrium, qui ſic homo natus eſt, vt volebat, & poterat. Si veritatem quæris, humanæ naturæ cognoſce materiam: ſi rationem ſcruteris originis, virtutem confitere diuinam. Venit enim dominus Ieſus Chriſtus contagia noſtra auferre, non perpeti: nec ſuccumbere vitiis, ſed mederi. Venit, vt omnem languorem corruptionis, & vniuerſa vulnera ſordentium curaret animarum; propter quod oportuit, vt nouo naſceretur ordine; qui nouam impollutæ ſynceritatis gratiam humanis corporibus inferebat. Oportuit enim, vt primam genitricis integritatem, naſcens incorruptio cuſtodiret, & complacitum ſibi clauſtrum, pudoris, & ſanctitatis hoſpitium, diuini ſpiritus virtus infuſa ſeruaret, quæ ſtatuerat deiecta erigere, confracta ſolidare, & ſuperandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: vt virginitas, quæ in aliis non poterat ſalua eſſe generando, fieret aliis imitabilis confitendo, renaſcendo. Hoc ipſum autẽ, dilectiſſimi, quod Chriſtus naſci elegit ex virgine: nonne apparet altiſſimæ fuiſſe rationis? vt ſcilicet humano generi natam ſalutem diabolus ignoraret, & ſpiritali latente conceptu, quem non alium videret quam alios, non aliter crederet natum eſſe quam cæteros. Cuius enim ſimilem cum vniuerſis aduertit naturã, parem habere arbitratus eſt eum omnibus cauſam. Nec intellexit à tranſgreſſionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis non inuenit alienum. Verax nanque miſericordia Dei, cum ad reparandum humanũ genus ineffabiliter multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli, non virtute vteretur potẽtiæ: ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis allexerat. Non itaque iuſte amitteret originalem deditij generis ſeruitutem, niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur. Quod vt fieret, ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex virgine: quàm non humanus coitus, ſed ſpiritus ſanctus fœcundauit. Et cum in omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, vnde concepit. Quo enim paterni ſeminis tranſfuſio non peruenit: peccati ſe illis origo non miſcuit. Inuiolata virginitas concupiſcentiam neſciuit, ſubſtantiam miniſtrauit. Aſſumpta eſt de matre * domini natura, non culpa: creata eſt forma ſerui ſine conditione virili, quia nouus homo ſic contemperatus eſt veteri, vt & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis. Quum igitur miſericors, omnipoténſque ſaluator ita ſuſceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inſeparabilis à ſuo homine deitatis, per velamen noſtræ infirmitatis abſconderet, illuſa eſt ſecuri hoſtis aſtutia, qui natiuitatem pueri, in ſalutem generis humani procreati, non aliter ſibi, quàm omnium naſcentium putauit obnoxiam. Vidit enim vagientem, atque lachrymantem, vidit pannis inuolutum, circũciſioni ſubditum, & legalis ſacrificij oblatione perfunctum. Agnouit deinceps ſolita pueritiæ incrementa, & vſque in viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blaſphemias, conuitia, omnem poſtremo in ipſum vim furoris ſui effudit. Omnia tentamentorum genera percurrit, & ſciens, quo humanam naturam

Marginal notes:

* Noſtræ

Geneſ. 3.

In vulgata autem editione ad ipſā mulierem id refertur.

Luca 1.

* cogitetur.

* hominis

Videtur agnoſcere peccatũ originalem in B. Maria: quod quidem reuocari poteſt in dubium, non ita ſit.

Sane intelligendum, A ſuo homine, ne duas in Chriſto perſonas cogitemus.

Luca 2.

tam infeciſſet veneno, nequaquã credidit primæ tranſgreſſionis exortem, quem tot documentis didicit eſſe mortalem. Perſtitit ergo improbus prædo, & auarus exactor in eum, qui nihil ipſius habebat, inſurgere: & dum vitiatæ originis præiudicium generale perſequitur, chirographum, quo nitebatur,* excidit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque letiferæ pactionis maleſuada conſcriptio, & per iniuſtitiam plus petendi, totius debiti ſumma vacuatur. Fortis ille nectitur ſuis vinculis, & omne commẽtum maligni in caput ipſius retorquetur. Ligato mundi principe, captiuitatis vaſa rapiuntur. Redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte deſtruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam ſimul & redemptio aufert ſeruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iuſtificat peccatorem. Quiſquis igitur Chriſtiano nomine piè, & fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iuſto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi extruſo à paradiſi ſedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in puluerem, & cinerem diſſoluto, cui iam nulla erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem verbi poteſtas data eſt, vt de longinquo ad tuum reuertaris autorem, recognoſcas parentem, liber efficiaris ex ſeruo, de extraneo proueharis in filium: vt, qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei ſpiritu renaſcaris, & obtineas per gratiam, quod nõ habebas per naturam: vt, ſi te Dei filium per ſpiritum adoptionis agnoueris, Deum patrem audeas nuncupare. Malæ conſcientiæ reatu abſolutus, ad cæleſtia regna ſuſpires: voluntatem Dei facias diuino fultus auxilio: imiteris angelos ſuper terram: immortalis ſubſtantiæ virtute paſcaris: ſecurus aduerſus inimicas tentationes * propria libertate confligas: & ſi cæleſtis militiæ ſacramenta ſeruaueris, non dubites te in caſtris triumphalibus regis æterni pro victoria coronandum, cum te reſurrectio piis parata ſuſceperit in regni cæleſtis conſortium prouehendum. Habentes ergo tantæ ſpei fiduciam, dilectiſſimi, in fide, qua fundati eſtis, ſtabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam à vobis dominationem Chriſtus excluſit, aliquibus vos iterum ſeducat inſidiis, & hæc ipſa præſentis diei gaudia, fallaciæ ſuæ arte corrumpat, illudens ſimplicioribus animis de quorundam * perſuaſione peſtifera, quibus hæc dies ſolennitatis noſtræ, non tam de natiuitate Chriſti, quam de noui, vt dicunt, ſolis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vaſtis tenebris obuoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena ſunt, trahuntur enim adhuc ſtultiſſimis gentilitatis erroribus. Et quia ſupra id, quod carnali intuentur aſpectu, nequeunt aciem mentis erigere, miniſtra mundi luminaria diuino honore venerantur. Abſit ab animis Chriſtianis impia ſuperſtitio, prodigioſumque mendacium. Vltra omnem modum diſtant à ſempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à dominatore ſubiecta. * Quæ etſi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus, illa ſapientia, illa eſt colenda maieſtas, quæ vniuerſitatem mundi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas, atque menſuras, terrenam, cæleſtemque ſubſtantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, & luna, & ſydera, ſint commoda vtentibus, ſint ſpecioſa cernentibus, ſed ita, vt de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura, quæ ſeruit. Laudate igitur Deum, dilectiſſimi in omnibus operibus eius, atque iudiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis, & partus. Reformationis humanæ ſacrum, diuinumque myſterium ſancto, atque ſyncero honorate famulatu. Amplectimini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, vt eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua maieſtate regnantem, Qui cum patre, & ſpiritu ſancto manet in vnitate deitatis in ſecula ſeculorum, Amen.

*excidit.

Alludit ad legem de Acilonibus, cum quis plus petit, aut ante diem.

*pro pietate

*præſumptione

*Quia

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate, Sermo 3.*

NOta quidem ſunt nobis, dilectiſſimi, & frequenter audita, quæ ad ſacramenta pertinent ſolennitatis hodiernæ; ſed, ſicut illæſis oculis voluptatem adfert lux iſta viſibilis: ita cordibus ſanis ęternum dat gaudium natiuitas ſaluatoris, quę à nobis nunquam eſt reticenda. Non enim ad illud tantummodo ſacramentum, quo filius Dei conſempiternus eſt patri, ſed etiam ad hunc ortum, quo verbum caro factum eſt; credimus pertinere, quod dictum eſt; Generationem eius quis enarrabit? Deus itaque Dei filius, par, atque eadem de patre, & cum patre natura, vniuerſitatis creator, & dominus, totus vbique præſens, & vniuerſa excedens, in ordine temporum, quæ ipſius diſpoſitione decurrunt, hunc ſibi diem, quo in ſalutem mundi ex beata virgine naſceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis. Cuius virginitas ſic non eſt violata partu, vt non fuerat temerata conceptu, vt impleretur, ſicut ait Euangeliſta, quod dictum eſt à domino per Eſaiam prophetam; Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, nobiſcum Deus. Hic enim mirabilis ſacræ virginis partus, verè humanam, verè diuinam, vna edidit prole naturam, quia non ita proprietates ſuas tenuit vtraque ſubſtantia, vt perſonarum in eis poſſit eſſe diſcretio: nec ſic creatura in ſocietatem ſui creatoris eſt aſſumpta, vt ille habitator, & illa habitaculum eſſet, ſed ita, vt naturæ alteri altera miſceretur. Et quamuis alia ſit, quæ ſuſcipitur, alia verò, quæ ſuſcipit: in tantã tamen vnitatem conuenit vtriuſque diuerſitas, vt vnus, idémque ſit filius, qui ſe, & ſecũdum quòd verus eſt homo, patre dicit minorem: & ſecundum quod verus eſt Deus, patri profitetur æqualem. Hanc vnitatem dilectiſſimi, qua creatori creatura conſeritur, intelligentię oculis cernere cęcitas Arriana non potuit, quæ vnigenitum Dei, eiuſdem cum patre gloriæ, atque ſubſtantiæ eſſe non credens, minorem dixit filij deitatem, de iis argumenta ſumens, quæ ad formam ſunt referenda ſeruilem, quam idem filius Dei, vt oſtendat in ſe non diſcretæ, neque alterius perſonæ, ſic cum eadem dicit; Ego, & pater vnum ſumus. In forma enim ſerui, quam noſtræ reparationis cauſa in fine ſeculorum ſuſcepit, minor eſt patre: in forma autem Dei, in qua erat ante ſecula, æqualis eſt patri. In humilitate humana factus eſt ex muliere, factus ſub lege: in maieſtate diuina, manens Dei verbum, per quod facta ſunt omnia. Proinde qui in forma Dei fecit hominẽ, in forma ſerui factus eſt homo, ſed vtrun-

Eſa. 53.

Eſaie 7.

Impropria mixtionis verbũ: ſignificat autẽ vnionẽ.

Galat. 4.
Ioan. 1.
Philip. 2.

P que

que Deus de potentia ſuſcipientis, vtrunque homo de humilitate ſuſcepti. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura. Et ſicut formam ſerui, forma Dei non adimit: ita formam Dei, ſerui forma non minuit. Sacramentum itaque vnitæ cum infirmitate virtutis, propter eandem hominis naturam minorem patre dici filium ſinit. Deitas autem, quæ vna eſt in Trinitate patris, & filij, & ſpiritus ſancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Nihil enim ibi habet æternitas temporale, nihil natura diſſimile: vna illic voluntas eſt, eadem ſubſtantia, par poteſtas, & non tres dij, ſed vnus eſt Deus: quia vera, & inſeparabilis eſt vnitas, vbi nulla poteſt eſſe diuerſitas. In integra igitur veri hominis, perfectáque natura, verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa, quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admiſit, nullum habuerunt in ſaluatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubijt infirmitatum, ideo noſtrorum particeps fuit delictorum. Aſſumpſit formam ſerui ſine ſorde peccati, humana prouehens, diuina non minuens. Exinanitio enim illa, qua ſe inuiſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis. Vt ergo ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, & à mundanis reuocemur erroribus, ipſe ad nos deſcendit, ad quem nos non poteramus aſcendere: quia, etſi multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas, fallentium dæmonum decipiebatur aſtutia, & falſi nominis ſcientia in diuerſas, compugnantéſque ſententias humana ignorãtia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captiuæ mentes ſuperbienti diabolo ſeruiebant, non ſufficiebat doctrina legalis, nec per ſolas cohortationes propheticas poterat natura noſtra reparari, ſed adijcienda erat veritas redemptionis moralibus inſtitutis, & corruptam ab initio originem nouis renaſci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hoſtia, quæ eſſet noſtri generis ſocia, & noſtræ contaminationis aliena, vt hoc propoſitum Dei, quo peccatum mundi in Ieſu Chriſti placuit natiuitate, ac paſſione delere, ad omnium generationum ſecula pertineret: nec turbarent nos, ſed potius confirmarent myſteria, pro temporum ratione variata, quum fides, qua viuimus, nulla fuerit ætate diuerſa. Ceſſent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis diſpenſationibus obloquentes, de dominicæ natiuitatis tarditate cauſantur, tanquam præteritis temporibus non ſit impenſum, quod in vltima mundi ætate
*ſit * eſt geſtum. Verbi incarnatio hęc contulit facienda, quæ facta, & ſacramentum ſalutis humanæ in nulla vnquam antiquitate ceſſauit. Quod prędicauerunt Apoſtoli, hoc annunciauerunt prophetæ, nec ſero eſt impletum, quod ſemper eſt creditum. Sapientia verò, & benignitas Dei hac ſalutiferi operis mora, capaciores nos ſuæ vocationis effecit, vt, quod multis ſignis, multis vocibus, multiſque myſteriis per tot fuerat ſecula pręnunciatum, in his diebus Euangelij non eſſet ambiguum: & natiuitas, quæ omnia miracula, omnémque intelligentiæ erat exceſſura menſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius & antiquior præceſſiſſet & crebrior. Non itaque nouo conſilio Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit, ſed à conſtitutione mundi vnam, eandémque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia autem Dei, qua ſemper eſt vniuerſitas iuſtificata ſanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis ſacramentum, quo totus iam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, vt non minus adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum. Vnde, cum *Intelligit de ſaluatione, nõ quò ad cætera dona maiora ſunt poſt Chriſtum natum, quam ante.* manifeſta pietate, dilectiſſimi, tantæ in nobis diuinæ bonitatis effuſæ ſint gratiæ, quibus ad æternitatem vocandis, non ſolum exemplum præcedentium vtiliter miniſtrauit, ſed etiam ipſa veritas, viſibilis & corporalis apparuit, non ſegni neque carnali lætitia diem dominicæ natiuitatis celebrare debemus, quod dignè, ac intelligenter fiet à ſingulis, ſi meminerit quiſque cuius corporis membrum ſit, & cui capiti coaptatum, ne ſacræ ædificationi diſcors compago non hæreat. Conſiderate, dilectiſſimi, & ſecundum illuminationem, ſpiritus ſancti prudenter aduertite, quis nos in ſe ſuſceperit, & quem ſuſceperimus in nobis. Quoniam ſicut factus eſt dominus caro noſtra naſcendo: ita & nos facti ſumus ipſius renaſcendo: Ideo *1.Cor.6.* & membra Chriſti, & templum ſumus ſpiritus ſancti. Et ob hoc beatus Apoſtolus dicit; Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Qui formam nobis ſuæ manſuetudinis, & humilitatis inſinuans, ea nos virtute imbuit, qua redemit, ipſo domino pollicente: Venite ad me omnes, qui la- *Matth.11.* boratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Suſcipiamus ergo regentis nos veritatis non graue, nec aſperum iugum, & ſimus eius humilitati ſimiles, cuius gloriæ volumus eſſe conformes: ipſo auxiliante, & perducente nos ad promiſſiones ſuas, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam potens eſt peccata noſtra delere, & ſua in nobis dona perficere, Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 4.*

SEmper quidem, dilectiſſimi, diuerſis modis, multiſque menſuris humano generi bonitas diuina conſuluit, & plurima prouidentiæ ſuæ munera omnibus retro ſeculis clementer impartiit, ſed in nouiſſimis temporibus omnem abundantiam ſolitæ benignitatis exceſſit, quando in Chriſto, ipſa ad peccatores miſericordia, ipſa ad errantes veritas, ipſa ad mortuos vita deſcendit, vt verbum illud coæternũ, & coæquale genitori in vnitatem deitatis ſuæ naturam noſtræ humilitatis aſſumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam de homine naſceretur. Promiſſum quidem hoc à conſtitutione mundi, & multis ſignificationibus rerum, atque verborũ ſemper fuerat prophetatum, ſed quantam hominum portionem figuræ illæ, & myſteria obumbrata ſaluarent, niſi longa, & occulta promiſſa aduentu ſuo Chriſtus impleret? & quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris iam fidelibus prodeſſet effectum. Iam ergo nos non ſignis, neque imaginibus ad fidem ducimur, ſed Euangelica hiſtoria cõfirmati,

quod

quod factum credimus, adoramus, accedentibus ad eruditionem noſtram propheticis inſtrumentis, vt nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis ſcimus eſſe prædictum. Hinc enim
Geneſ. 22. eſt, quod dominus Abrahæ ait; in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Hinc Dauid promiſſionem Dei prophetico ſpiritu canit, dicens; Iurauit
Pſal. 130. dominus Dauid, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Hic idem
Eſaiæ 7. dominus per Eſaiam; Ecce virgo, inquit, in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod interpretatur nobiſcum Deus.
Eſaiæ 11. Et iterum; Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. In qua virga non dubiè beata virgo Maria prædicta eſt, quæ de Ieſſe, & Dauid ſtirpe progenita, & ſpiritu ſancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ, vtero quidem materno, ſed partu eſt enixa virgineo. Exultent ergo in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius cõfiteantur filij hominum: quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas noſtra cognoſcit, quanti eam ſuus conditor æſtimarit. Qui cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem ſuam fecit, reparationi noſtræ longè amplius tribuit, cum ſeruili formę ipſe ſe dominus coaptauit. Quãuis enim ex vna, eadémque pietate ſit, quicquid creaturæ creator impendit, minus tamen mirum eſt, hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana deſcendere. Hoc autem niſi facere dignaretur omnipotens, nulla quemquam ſpecies iuſtitiæ, nulla forma ſapientiæ à captiuitate diaboli, & à profundo æternæ mortis erueret. Condemnatio enim ex vno in omnes cum peccato tranſiens permaneret, & letali vulnere tabefacta natura, nullum remedium reperiret, quia conditionem ſuam ſuis viribus mutare non poſſet.
Geneſ. 2. Primus namque homo carnis ſubſtantiam accepit è terra, & rationali ſpiritu per inſufflationem creantis animatus eſt, vt ad imaginem, & ſimilitudinem ſui authoris viuens, formam Dei bonitatis, atque iuſtitiæ in ſplendore imitationis tãquam in ſpeculi nitore ſeruaret. Quam naturæ ſuæ ſpecioſiſſimam dignitatem ſi per obſeruantiam legis datæ perſeueranter excoleret, ipſam illam terreni corporis qualitatem ad cæleſtem gloriam mens incorrupta perduceret. Sed, quia inuido, & deceptori temerè, atque infeliciter credidit, & ſuperbiæ conſiliis acquieſcens, repoſitum honoris augmentum occupare maluit quàm mereri, non ſolum ille homo, ſed etiam vniuerſa in illo poſteri-
Geneſ. 3. tas eius audiuit; Terra es, & in terram ibis. Qualis
1. Cor. 15. ergo terrenus, tales & terreni: & nemo immortalis, quia nemo cæleſtis. Ad hunc itaque peccati, & mortis vinculis reſoluendum, omnipotens filius Dei omnia implens, omnia cõtinens, æqualis per omnia patri, & in vna ex ipſo, & cum ipſo conſempiternus eſſentia, naturam in ſe ſuſcepit humanam, & creator, ac dominus omnium rerum, dignatus eſt vnus eſſe mortalium, electa ſibi matre, quam fecerat: quæ, ſalua integritate virginea, corporeæ eſſet tantum miniſtra ſubſtantię, vt, humani ſeminis ceſſante contagio, nouo homini & puritas ineſſet, & veritas. Non ergo in Chriſto ex vtero virginis genito, quia natiuitas eſt mirabilis, ideo eſt natura diſſimilis. Qui enim verus eſt Deus, idem verus eſt homo, & nullũ eſt in vtraque ſubſtantia mendacium. Verbum caro factum eſt prouectione carnis, non defectione deitatis: quæ ſic potentiam ſuam, bonitatémque moderata eſt, vt & noſtra ſuſcipiendo proueheret, & ſua communicando non perderet. In hac natiuitate Chriſti
ſecundum prophetiam Dauid, Veritas de terra *Pſal. 84.*
orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. In hac natiuitate etiam Eſaiæ ſermo completus eſt dicentis;
Producat terra, & germinet ſaluatorem, & iuſtitia *Eſaiæ 45.*
oriatur ſimul. Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc ſolo beatæ virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum. Cuius ſpiritalem originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcẽti aqua baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem ſpiritu ſancto replente fontem, qui repleuit & virginem, vt peccatum, quod ibi vacuauit ſacra cõceptio, hic myſtica tollat ablutio. Ab hoc ſacramento, dilectiſſimi, inſanus Manichęorum error alienus eſt, nec vllum habent in Chriſti regeneratione conſortiũ, qui eum de Maria virgine negant corporaliter natum: vt, cuius non credunt veram natiuitatem, nec veram recipiãt paſſionem, & quem non confitentur verè ſepultum, abnuant veraciter ſuſcitatum. Ingreſſi enim præruptam execrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebroſum, nihilque non lubricum eſt, ruunt in profunda mortis per præcipitia falſitatis: nec aliquid ſolidum, cui innitantur, inueniũt, qui propter omnia diabolici probra commenti, in ipſo præcipuo obſeruantiæ ſuæ feſto, ſicut proxima eorum confeſſione patefactum eſt, vt animi, ita & corporis pollutione lætantur, neque in pudore, neque in fide integritatem ſeruantes, vt & in dogmatibus ſuis impij, & in ſacris inueniantur obſcœni. Aliæ hęreſes, dilectiſſimi, licet merito omnes in ſua peruerſitate damnandæ ſint, habent tamen ſingulæ in aliqua ſua parte, quod verum eſt. Arrius Dei filium minorem patre, & creaturam eſſe definiens, & ab eodem inter omnia creatum putans ſpiritum ſanctum, magna impietate ſe perdidit: ſed ſempiternã, atque incõmutabilem deitatem, quam in trinitatis vnitate non vidit, in patris eſſentia non negauit. Macedonius à lumine veritatis alienus diuinitatem ſancti ſpiritus non recepit, ſed in patre, & filio vnam potentiam, & eandem confeſſus eſt eſſe naturam. Sabellius inexplanabili errore confuſus, vnitatem ſubſtantiæ in patre, & filio, & ſpiritu ſancto inſeparabilem ſentiens, quod æqualitati tribuere debuit, ſingularitati dedit. Et cum veram trinitatem intelligere non valeret, vnam, eandémque credidit ſub triplici appellatione perſonam. Photinus mentis cæcitate deceptus, in Chriſto verũ & ſubſtantiæ noſtræ confeſſus eſt hominem, ſed eundem Deum de Deo ante omnia ſecula genitum eſſe non credidit. Apollinaris fidei ſoliditate priuatus, filium Dei ita veram humanæ carnis credidit ſuſcepiſſe naturam, vt in illa carne diceret animam non fuiſſe, quia vicem eius expleuerit ipſa diuinitas. Hoc modo ſi omnes, quos catholica fides damnat, retractẽtur errores, in aliis atque aliis quiddam inuenitur, quod à damnabilibus poſſit abiũgi: In Manichæorum autem ſceleſtiſſimo dogmate prorſus nihil eſt, quod ex vlla parte poſſit tolerabile iudicari. Sed vos, dilectiſſimi, quos nul-
lis dignius quàm beati Petri alloquor verbis, ge- *1. Petr. 2.*
nus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis ædificati ſuper inuiolabilem petram Chriſtum, ipſique domino ſaluatori no-

ſtro per veram ſuſceptionem noſtræ carnis inſerti, permanete ſtabiles in ea fide, quam confeſſi eſtis coram multis teſtibus, & in qua renati per aquam,& ſpiritum ſanctum,accepiſtis chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ. *Ioan 3.* *Galat.1.* Si quis autem vobis aliud annunciauerit præter id, quod didiciſtis, anathema ſit. Nolite impias fabulas præponere lucidiſſimę veritati,& quicquid contra regulam catholici,& apoſtolici ſymboli aut legere,aut audire contigerit,id omnino mortiferum, & diabolicum iudicare. Non vos ſeducant deceptoriis artibus ficta,& ſimulata ieiunia,quæ non ad purificationem,ſed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem ſibi pietatis, & caſtitatis aſſumunt, ſed hoc dolo actuum ſuorum obſcœna circuntegunt, & de prophani cordis penetralibus *Pſal.10.* iacula, quibus ſimplices vulnerētur, emittunt:vt, ſicut ait propheta, ſagittēt in obſcuro rectos corde. Magnum præſidium eſt fides integra, fides vera,in qua nec augeri ab vllo quicquam,nec minui poteſt:quia niſi vna eſt, fides non eſt,dicēte Apo- *Epheſ.4.* ſtolo; Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma: vnus Deus & pater omnium,qui ſuper omnes,& per omnia,& in omnibus nobis. Huic vnitati, dilectiſſimi, inconcuſſis mentibus inhærete, & in hac omnem ſectamini ſanctitatem,& in hac præ- *Hebr.11.* ceptis domini deſeruite:quia ſine fide impoſſibile *Abac.2.* eſt placere Deo. Et nihil ſine illa ſanctum, nihil caſtum eſt,nihil viuum. Iuſtus enim ex fide viuit. Quam qui,diabolo decipiente,perdiderit, viuens mortuus eſt. Quia,ſicut per fidē iuſtitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente *Ioan.17.* domino ſaluatore; Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Qui vos proficere, & perſeuerare faciat vſque in finem, qui viuit, & regnat cum patre, & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Serm. 5.*

QVamuis, dilectiſſimi, ineffabilis ſit natiuitas domini noſtri Ieſu Chriſti,in qua ſe naturæ noſtræ carne veſtiuit, audeo tamen non de facultate mea,ſed de ipſius inſpiratione præſumere, vt in die, qui in ſacramentum humanæ reſtaurationis electus eſt,aliquid à nobis,quod audientes poſſet ædificare, promatur. Non enim quia maior pars Eccleſiæ Dei, quod credit, intelligit, ideo neceſſarium non eſt, etiam quæ dicta ſunt dicere,cum vtique nunc multis ad fidem primum venientibus,oris noſtri officium debeamus, meliuſque ſit doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare diſcendis. Quod ergo filius Dei,qui cum patre, & ſpiritu ſancto non vnius perſonæ, ſed vnius eſſentiæ eſt, dignatus eſt humanitatis noſtræ particeps fieri,& vnus paſſibilium, vnus voluit eſſe mortalium,tam ſacratum, tamque mirabile eſt, vt ratio diuini conſilij ſapientibus mundi patere non poſſit, niſi humanæ ignorantiæ tenebras lux vera diſcuſſerit. Non enim in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſta,& ardua via eſt, *Matth.7.* quæ ducit ad vitam & magni laboris eſt, magnique diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones,& veriſimiles falſitates per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare, & cum vndique ſe laquei,errorēque opponāt,omne periculum deceptionis euadere. Quis autem ad hæc idoneus,niſi qui ſpiritu Dei & docetur,& regitur? dicente Apoſtolo; Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus,ſed ſpiritum,qui ex Deo eſt,vt ſciamus,quæ à Deo donata ſunt nobis: Ca- *1. Cor. 2.* nente etiam Dauid; Beatus homo, quem tu erudieris,domine, & de lege tua docueris eum. Ha- *Pſal. 93.* bentes itaque, dilectiſſimi, inter pericula erroris præſidia veritatis, & non humanæ ſapientiæ verbis,ſed doctrina ſpiritus ſancti eruditi, quod didicimus, credimus: quod credimus, prædicamus, Dei filium Deum ante ſecula genitum, & patri ſempiterna,& conſubſtantiali æqualitate coæternum veniſſe in hunc mundum per vterum virginis,in hoc ſacramentum pietatis electæ,in qua,& ex qua ædificauit ſibi ſapiētia domum, & formam *Roma. 8.* ſibi ſerui in ſimilitudinem carnis peccati, incommutabilis verbi deitas coaptauit,in nullo apud ſe, & patrem, & ſpiritum ſanctum minor gloria ſua, quia diminutionem,& varietatē ſummæ,& æternæ eſſentiæ natura non recipit. Propter noſtram autem infirmitatem extenuauit ſe incapacibus ſui, & velamine corporis ſplendorem maieſtatis ſuæ,quem viſus hominum non ferebat, obtexit. Vnde etiam exinaniſſe ſe dicitur,tanquam ſe pro- *Philip. 2.* pria virtute euacuauerit, dum in ea humilitate, qua nobis conſuluit, non ſolum patre,ſed etiam ſe ipſo factus eſt inferior. Nec aliquid illi hac inclinatione deceſſit: cui cū patre,& ſpiritu ſancto, hoc quod eſt,commune eſt, vt hoc ipſum intelligamus ad omnipotentiam pertinere,quod qui ſecundum noſtra minor eſt, ſecundum propria minor non eſt. Quia enim lux ad obcæcatos, virtus ab imbecilles, miſericordia reſpexit ad miſeros, de magna factum eſt poteſtate, vt Dei filius ſubſtantiam humanam,cauſamque ſuſceperit,qui & noſtram naturam,quam condidit,reformaret: & *1. Cor. 2.* mortem,quam nō fecit,aboleret. Repudiatis igitur,longéque abiectis omnibus opinionibus impiorum, quibus aut ſtultitia eſt crux Chriſti, aut ſcandalum, exultet rectarum mentium fides, & verum,vnumque Dei filium,non ſolum ſecūdum deitatem,qua à patre genitus,ſed etiam ſecūdum humanitatem, qua de matre virgine eſt natus, intelligat. Ipſe eſt enim in humanitate noſtra,qui eſt in maieſtate diuina, verus homo, & verus Deus, ſempiternus in ſuis, temporalis in noſtris: vnum cum patre in ſubſtantia,qua nunquam fuit minor patre: vnum cum matre in corpore, quod creauit. In aſſumptione enim naturæ noſtræ nobis factus eſt gradus, quo ad ipſum per ipſum poſſimus aſcendere. Nam illa eſſentia,quę ſemper vbique tota eſt, locali deſcenſione non eguit, & tam ei proprium fuit, totam homini inſeri, quam ei proprium eſt, totam à patre non diuidi. Manet ergo,quod in principio erat verbum,& non eſt ei accidens, vt quod eſt,aliquando non fuerit. Sempiterne enim filius,filius eſt, & ſempiterne pater, pater eſt. Vnde cum ipſe filius dicat; Qui videt *Ioan. 14.* me, videt & patrem:excæcauit te, ô hæretice,impietas tua,vt, qui maieſtatē filij non vidiſti, patris gloriam non videres:dicendo enim genitum eſſe, qui non erat, filium aſſeris temporalem: & dum filium aſſeris temporalem, credidiſti patrem eſſe mutabilem. Mutabile enim eſt, non ſolum quod minuitur, ſed etiam quicquid augetur, & ſi ideò

patri

patri impar eſt genitus, quia ſi vt tibi videtur, generando eum, qui nō erat, genuit, imperfecta erat etiam generantis eſſentia, quæ ad habendum, quod non habuit, generando profecit. Sed hanc impiam peruerſitatem tuam fides catholica execratur, & damnat, quæ in deitate vera nihil temporalitatis agnoſcit, ſed vnius ſempiternitatis & patrem confitetur, & filium, quia ſplendor ex luce ortus, non eſt luce poſterior. Et lux vera, nunquā eſt ſui ſplendoris indiga: ſic ſubſtantiale ſemper habens fulgere, ſicut ſubſtantiale ſemper habet exiſtere. Huius autem ſplendoris manifeſtatio, miſſio dicitur, qua Chriſtus mundo apparuit: & cum omnia inuiſibili maieſtate ſua ſemper impleret, tamen quaſi de remotiſſimo, altiſſimóque ſecreto, iis, quibus erat ignotus, aduenit, cum cæcitatem ignorantiæ ſuſtulit, ſicut ſcriptum eſt; Sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis
Eſaia 9. lux orta eſt eis. Quamuis enim etiam prioribus ſeculis ad illuminationem ſanctorum patrum, & prophetarum lumen veritatis emiſſum ſit, dicente Dauid; Emitte lucem tuam, & veritatem tuam:
Pſal. 42. & diuerſis modis, multiſque ſignis opera præſentiæ ſuæ deitas filij declarauit, omnes tamen illæ ſignificationes, cunctáque miracula, teſtimonia fuerunt iſtius miſſionis, de qua dicit Apoſtolus;
Galat. 4. Cum ergo venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege. Quid verò hoc eſt, niſi verbum carnem fieri? conditorem mundi per vterum virginis naſci? dominum maieſtatis, humanis ſe coaptare primordiis? licet conceptui ſpiritali nulla ſint terreni ſeminis mixta contagia, ad ſuſcipiendum tamen veræ carnis ſubſtantiam, ſolam ſumpſit de matre naturam? Hac miſſione, qua Deus vnitus eſt homini, filius impar eſt patri, non in eo, quòd ex patre, ſed in eo, quòd eſt factus ex homine. Æqualitatem enim inuiolabilem, quam habet deitas, non corrumpit humanitas: & creatoris ad creaturam deſcenſio, credentium eſt ad æterna prouectio. Nam quia,
1. Cor. 1. ſicut ait Apoſtolus: In ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Mundo ergo, id eſt, prudentibus mundi, ſapientia ſua cæcitas facta eſt, nec potuerunt per illam cognoſcere Deum, ad cuius notitiam non niſi in ſapientia eius acceditur. Et ideo, quia mundus de vanitate ſuorum dogmatum ſuperbiebat, in eo conſtituit dominus ſaluandorum fidē, quod & indignum videretur, & ſtultum, vt & deficientibus omnibus opinionum præſumptionibus, ſola Dei gratia reuelaret, quod comprehendere humana intelligentia non valeret. Agnoſcat igitur catholica fides in humilitate domini gloriam ſuam, & de ſalutis ſuæ ſacramentis gaudeat Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, quia niſi verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis, niſi in communionem creaturæ creator ipſe deſcenderet, & vetuſtatem humanam ad nouum principium ſua
Rom. 5. natiuitate reuocaret, regnaret mors ab Adam vſque in finem, & ſuper homines condemnatio inſolubilis permaneret, cum de ſola conditione naſcendi, vna cunctis eſſet cauſa pereundi. Solus itaque inter filios hominum dominus Ieſus innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus. Factus eſt homo noſtri generis, vt nos diuinæ naturæ poſſimus eſſe conſortes. Originem, quam ſumpſit in vtero virginis, poſuit in fonte baptiſmatis. Dedit aquæ, *Luca 1.* quod dedit matri. Virtus enim altiſſimi & obumbratio ſpiritus ſancti, quæ fecit, vt Maria pareret ſaluatorem, eadem fecit, vt regeneret vnda credentem. *Aquæ efficacia in baptiſmo.* Quid enim ſanandis ægris, illuminandis cæcis, viuificandis mortuis aptius fuit, quàm vt ſuperbiæ vulnera, humilitatis remediis curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem: Ieſus factus ſub lege, reddidit iuſtitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans vſque ad præuaricationem, meruit vt in ipſo omnes morerentur: hic patri obediens vſque ad crucem, fecit vt in ipſo omnes viuificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ ſuæ perdidit dignitatem: hic infirmitatis noſtræ ſuſcipiens conditionem, propter quos ad inferna deſcendit, eoſdem in cæleſtibus collocauit. Poſtremo, illi per elationem lapſo dictum eſt; Terra es, & in terram ibis: huic per ſubiectionem exaltato dictum eſt; *Pſal. 109.* Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Hæc domini noſtri opera, dilectiſſimi, non ſolum ſacramento nobis vtilia ſunt, ſed etiam imitationis exemplo, ſi in diſciplinam ipſa remedia transferantur, quodque impenſum eſt myſteriis, proſit & moribus: vt meminerimus, nobis in humilitate, & manſuetudine redemptoris noſtri eſſe viuendum, quoniam *Rom. 8.* ſicut ait Apoſtolus; Si compatimur, & conregnabimus. Fruſtra enim appellamur Chriſtiani, ſi *Ioan. 14.* imitatores nō ſimus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe, vt conuerſatio magiſtri, forma eſſet diſcipuli, & illam humilitatem eligeret ſeruus, quam ſectatus eſt dominus. Qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 6.*

OMnibus quidem diebus, dilectiſſimi, atque temporibus, animis fidelium diuina meditantium, domini, & ſaluatoris noſtri ex matre virgine ortus occurit, vt mens ad confeſſionem ſui autoris erecta, ſiue in gemitu ſupplicationis, ſiue in exultatione laudis, ſiue in ſacrificij oblatione verſetur, nihil crebrius, nihilque magis fidenter ſpiritali attingat intuitu, quam quod Deus Dei filius, genitus de patre coæterno, idem etiam partu eſt natus humano. Sed hanc adorandam in cælo & in terra natiuitatem nullus nobis dies magis quàm hodiernus inſinuat, & noua etiam in elementis luce radiante, totam ſenſibus noſtris mirabilis ſacramenti ingerit claritatem. Non ſolùm enim in memoriam, ſed in conſpectum quodammodo redit angeli Gabrielis cum Maria ſtupente colloquium, & conceptione de ſpiritu ſancto tam mirè promiſſa quam credita, autor mundi editus eſt vtero virginali. Et qui omnes naturas condidit, eius eſt factus filius, quam creauit. Hodie verbum Dei carne apparuit veſtitum, & quod nunquam fuit humanis oculis viſibile, cœpit etiam manibus eſſe tractabile. Hodie genitum in noſtræ carnis, animæque ſubſtantia ſaluatorem angelicis vocibus didicere paſtores, & apud dominicorum præſules gregum hodie euangelizandi forma præcondita eſt, vt nos quoque cum cæleſtis militiæ dicamus exercitu; Gloria in excelſis *Luca 2.* Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quamuis igitur illa infantia, quam filij Dei non

eſt dedignata maieſtas, in virum perfectum ætatis adiectione prouecta ſit, & conſummato paſſionis, & reſurrectionis triumpho, omnes ſuſceptæ pro nobis humilitatis tranſierunt actiones, renouat tamen nobis hodierna Feſtiuitas nati Ieſu ex Maria virgine ſacra primordia, & dum ſaluatoris noſtri adoramus ortum, inuenimur nos noſtrum celebrare principium. Generatio enim Chriſti, origo eſt populi Chriſtiani, & natalis capitis, natalis eſt corporis. Habeant licet ſinguli quique vocatorum ordinem ſuum, & omnes Eccleſiæ filij temporum ſint ſucceſſione diſtincti, vniuerſa tamen ſumma fidelium, fonte orta baptiſmatis, ſicut cum Chriſto in paſſione crucifixi, in reſurrectione reſuſcitati, in aſcenſione ad dexteram patris collocati, ita cum ipſo ſumus in hac natiuitate congeniti. Quiſquis enim hominum, in quacunque mũdi parte credentium, regeneratur in Chriſto: interciſo originalis tramite vetuſtatis, trãſit in nouum hominem renaſcendo, nec iam in propagine habetur carnalis patris, ſed in germine ſaluatoris, qui ideo filius hominis eſt factus, vt nos filij Dei eſſe poſſimus. Niſi enim ille ad nos hac humilitate deſcenderet, nemo ad illum vllis ſuis meritis perueniret. Nihil hic vocatorum cordibus caliginis inferat terrena ſapientia, nec ſe contra altitudinem gratiæ Dei, mox in ima rediturus terrenarum cogitationum puluis attollat. Impletum eſt in fine ſeculorum, quod erat ante tempora æterna diſpoſitum, & ſub præſentia rerum, ſignis ceſſantibus figurarum, lex, & prophetię veritas facta eſt, vt Abraham fieret omnium gentium pater, & in ſemine eius daretur mundo promiſſa benedictio, ne ij tantum eſſent Iſrael, quos ſanguis, & caro genuiſſet, ſed in poſſeſſionem hæreditatis fidei filijs præparatæ, vniuerſitas adoptionis intraret. Nec obſtrepant ineptarum calumniæ quęſtionum, nec effectus diuini operis, ratiocinatio hu-

Rom. 4. mana diſcutiat. Nos cum Abraham credimus Deo, nec hæſitamus diffidentia, ſed pleniſſimè ſcimus, quoniam quod promiſit dominus, potens eſt & facere. Naſcitur ergo non de carnis ſemine, dilectiſſimi, ſed de ſpiritu ſancto ſaluator, quem primæ tranſgreſſionis condemnatio non teneret, vnde ipſa collati muneris magnitudo dignam à nobis exigit ſuo ſplendore reuerentiam. Ideo enim,

1. Cor. 2. ſicut beatus Apoſtolus docet, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt: vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis: qui non aliter piè colitur, niſi id ei, quod ipſe tribuit, offeratur. Quid enim in theſauro dominicæ largitatis ad honorem præſentis feſti tam congruum poſſumus inuenire, quam pacem, quæ in natiuitate domini prima eſt angelico prædicata concentu? Ipſa enim eſt, quę parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix vnitatis: requies beatorum, & æternitatis habitaculum, cuius hoc opus proprium ſpiritale beneficium eſt, vt iungat Deo, quos ſecernit de mundo. Vnde Apoſtolus ad hoc bonum nos in-

Rom. 5. citat dicens; Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, cuius ſententię breuitate, omnium ferè mandatorum continetur effectus: quia vbi fuerit veritas pacis, nihil ibi poteſt deeſſe virtutis. Quid eſt autẽ, dilectiſſimi, pacẽ habere ad Deum, niſi velle, quod iubet, & nolle, quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates nec vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt venire concordiam: quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent, & vis appetit delectari, quibus illum nouit offendi? Non eſt iſte animus filiorum Dei, nec talem ſapientiam recipit adoptiua nobilitas. Genus electum, & regium, regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati. Diligat, quod diligit pater, & in nullo ab autore ſuo diſſentiat, ne iterum dicat dominus; Filios genui, & exaltaui, *Eſaia 1.* ipſi autem ſpreuerunt me. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Magnũ eſt, dilectiſſimi, huius muneris ſacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem. Per has enim appellationes ſentitur, & dicitur, quis ad tantam altitudinem aſcendat affectus. Nam, ſi in progenie carnali, & ſtirpe terrena claris parentibus genitos vitia malæ conuerſationis obſcurant, & ipſo maiorum ſuorum lumine ſoboles indigna confunditur: in quem exitum venient, qui propter amorem mundi à generatione Chriſti non metiunt abdicari? Si autem *Opera bona neceſſaria filijs Dei.* ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole reſplendeat, quanto magis glorioſum eſt, ex Deo natos in autoris ſui imaginem refulgere? & illum in ſe, qui illos generauit, oſtendere, dicente domino; Sic luceat lux veſtra coram hominibus, *Matth. 5.* vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Scimus quidem, quod, ſicut Ioannes Apoſtolus dicit; Totus mundus in *1. Ioan. 5.* maligno poſitus eſt: & inſidiante diabolo, & angelis eius, hoc innumeris tentationibus laboratur, vt hominem ad ſuperna nitentem aut aduerſa terreant, aut ſecunda corrumpant: ſed maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui aduerſum nos eſt: & pacem cum Deo habentibus, ac ſemper patri cum toto corde dicentibus; Fiat voluntas tua: nulla *Matth. 6.* præualere certamina, nulli poſſunt nocere conflictus. Accuſantes enim nosmetipſos confeſſionibus noſtris, & conſenſum animi carnis concupiſcentijs denegantes, inimicitias quidem aduerſum nos eius, qui peccati autor eſt, commouemus, ſed inexpugnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipſius ſeruiendo firmamus, vt regi noſtro non ſolum obedientia ſubijciamur, ſed etiam iudicio copulemur. Quoniam, ſi in eadem ſententia ſumus, ſi quod vult, volumus, & quod improbat, improbamus, ipſe iam pro nobis omnia bella cõficiet, ipſe, qui dedit velle, donabit & poſſe, vt ſimus coope- *Cooperatores Dei ſumus.* ratores operum eius, & propheticum illud, cum fidei exultatione dicamus; Dominus illuminatio *Pſal. 26.* mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus defenſor vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui ergo non ex *Ioan 1.* ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, offerant patri pacificorum concordiam filiorum, & in primogenitum nouæ creaturæ, qui venit non ſuam, ſed mittentis facere voluntatem, vniuerſa adoptionis membra concurrant: quoniam gratia patris non diſcordes, neque diſſimiles, ſed vnum ſentientes, vnúmque amantes, adoptauit hæredes. Ad vnam reformatos imaginem oportet animum habere conformem. Natalis domini, natalis eſt pacis. Sic *Epheſ. 2.* enim ait Apoſtolus, Ille eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, quoniam ſiue Iudæus, ſiue gentilis, per ipſum habemus acceſſum in vno ſpiritu ad patrem: qui ante paſſionis diem, voluntaria diſpoſitione præelectum, diſcipulos ſuos hac præcipuè doctrina

Ioan.14. doctrina ſua informauit, vt diceret; Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et ne ſub nomine generali, pacis ſuæ qualitas lateret, adiecit; non quemadmodum mundus dat, ego do vobis. Non habet, inquit, mundus amicitias veras, & multos fecit peruerſo amore concordes. Sunt enim in vitiis pares animi: & ſimilitudo deſideriorum, æqualitatem gignit affectuum. Etſi quidam forſitan repetiantur, quibus praua, & inhoneſta non placeant, quique illicitas conſenſiones à fœdere ſuæ charitatis excludant: tamen etiam tales, ſi vel Iudæi ſint, vel hæretici, vel pagani, non de amicitia Dei, ſed de pace ſunt mundi. Pax autem ſpiritalium, & catholicorum, à ſupernis veniens, & ad ſuperna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos vult communione miſceri, ſed omnibus obſtaculis reſiſtere, & ad vera gaudia à pernitioſis delectationibus euolare, dicente do-
Matth.6. mino; Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Hoc eſt, ſi deorſum ſunt, quæ amas, ad ima deſcendes: ſi ſurſum ſunt, quæ diligis, ad ſumma peruenies. Quo nos vnum volentes, vnum ſentientes, & in fide, ac ſpe, & in charitate concordes, ſpiritus pacis agat, atque perducat: quoniam quicunque ſpiritu Dei aguntur, ij filij ſunt Dei, qui regnat cum filio, & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 7.*

FEſtiuitatis hodiernæ, dilectiſſimi, verus venerator eſt, & pius cultor, qui nec de incarnatione domini aliquid falſum, nec de deitate aliquid ſentit indignum. Paris enim periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum ſacramentum natiuitatis Chriſti, qua de matre virgine eſt ortus, accedimus: abigatur procul ter-
** Illuminata* renarum caligo rationum, & ab * illuminato fidei oculo mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat. Diuina eſt enim autoritas, cui credimus: Diuina eſt doctrina, quam ſequimur. Quoniam ſiue legis teſtificationi, ſiue oraculis prophetarum, ſiue Euangelicæ tubæ, interiorem admoueamus auditum, verum eſt, quod Ioannes plenus ſpiritu ſancto in-
Ioan.1. tonuit; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et ſimiliter verum eſt, quod idem prædicator adiecit; Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. In vtraque ergo natura idem eſt DEI filius, noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens. In homine hominem renouans, in ſe incommutabilis perſeuerans. Deitas enim, quæ illi cum patre communis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubiit, nec Dei formam ſerui forma violauit: quia ſumma, & ſempiterna eſſentia, quę ſe ad humani generis inclinauit ſalutem, nos quidem in ſuam gloriam tranſtu-
Ioan.14. lit, ſed quod erat, eſſe non deſtitit. Vnde cum vni-
Ioan.10. genitus Dei minorem ſe patre confitetur, cui ſe dicit æqualem, veritatem in ſe formæ vtriuſque demonſtrat, vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Maieſtati igitur filij Dei, corporea natiuitas nihil abſtulit, nihil contulit: quia ſubſtantia incommutabilis nec minui potuit, nec augeri. Quod enim verbum caro factum eſt, non hoc ſignificat, quod in carnem ſit Dei natura mutata, ſed quod à verbo in vnitatem perſonæ ſit caro ſuſcepta, in cuius vtique nomine homo totus accipitur, cum quo intra virginis viſcera, ſancto ſpiritu fœcundata, & nunquam virginitate caritura, tam inſeparabiliter Dei filius vnitur, vt, qui erat intemporaliter de eſſentia patris genitus, ipſe ſit temporaliter de vtero virginis natus. Aliter enim ab æternæ mortis vinculis non poſſemus abſolui, niſi in noſtris fieret humilis, qui omnipotens permanebat in ſuis. Naſcens itaque dominus noſter Ieſus Chriſtus homo verus, qui nunquam deſtitit eſſe Deus verus, nouæ creaturæ in ſe fecit exordium, & in ortus ſui forma dedit humano generi ſpiritale principium, vt ad carnalis generationis abolenda contagia, eſſet regenerandis origo ſine ſemine criminis, de quibus dicitur; Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate *Ioan.1.*
carnis neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Quæ hoc ſacramentum mens cõprehendere, quæ hãc gratiã valet lingua narrare? Redit in innocentiam iniquitas, & in nouitatẽ vetuſtas: in adoptionem veniũt alieni, & in hereditatem ingrediuntur extranei. De impiis iuſti, de auaris benigni, de incontinẽtibus caſti, de terrenis incipiunt eſſe cæle- *1.Ioan.3.*
ſtes. Quæ autẽ eſt iſta mutatio, niſi dextræ excelſi? Quoniã venit filius Dei diſſoluere opera diaboli: & ita ſe nobis, nos quoque inſeruit ſibi, vt Dei ad humana deſcẽſio, fieret hominis ad diuina prouectio. In hac autẽ, dilectiſſimi, miſericordia Dei, cuius erga nos magnitudinẽ explicare non valemus, multa ſolicitudine præcauendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eiſdem rurſus, quibus renunciauerant, erroribus implicentur: Non enim deſinit hoſtis antiquus, transfi- *2.Cor 11.*
gurans ſe in angelum lucis deceptionum laqueos vbique prætẽdere, & vt quoquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Nouit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit cõſuetudinem, vẽtilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſius occupari. Habet etenim multos ex eis, quos tenacius obligauit, aptos ſuis artibus, quorum ad alios decipiendos & ingeniis vtatur, & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, & depulſiones promittuntur vmbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de ſtellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod eſt aut diuinæ voluntatis, aut noſtræ, indeclinabilium dicunt eſſe fatorum. Quæ tamen vt cumulatius noceant, ſpondent poſſe mutari, ſi illis, quæ aduerſantur, ſyderibus ſupplicetur. Vnde commentum impium ſua ratione deſtruitur, quia ſi prædicta non permanent, non ſunt fata metuenda: ſi permanent, non ſunt aſtra veneranda. De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, vt ſol inchoatione diurnæ lucis exurgens, à quibuſdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Chriſtiani adeò ſe religioſè facere *Baſilica B.*
putant, vt priuſquam ad beati Petri Apoſtol: Baſi- *Petri vni*
licam quæ vni Deo viuo, & vero eſt dedicata, per- *Deo eſt dedicata.*

 uenient,

uenient, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum
Ara pœni in eccleſia. areæ ſuperioris aſcenditur, conuerſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, & curuatis ceruicibus, in honorem ſe ſplendidi orbis inclinēt. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus, & dolemus. Quia, etſi quidam fortè creatorem potius pulchri luminis, quam ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur: abſtinendum tamen eſt ab ipſa huiuſmodi ſpecie officij, quam cum in noſtris inuenit, qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc ſecum partem opinionis vetuſtæ tanquam probabilem retentabit, quam Chriſtianis, & impiis videret eſſe communem? Abijciatur ergo à cōſuetudine fidelium damnanda peruerſitas, nec honor vni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis deſeruiunt,
Matth. 4. miſceatur. Dicit enim ſcriptura diuina; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et Beatus
Iob 31. Iob; Homo ſine querela, vt ait dominus, & continens ſe ab omni re mala. Nunquid vidi inquit, ſolem, cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & & lætatum eſt cor meum in abſcondito? Et oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum. Quid autem eſt ſol, vel quid eſt luna, niſi viſibilis creaturæ, & corporeæ lucis elementa? quorum vnum eſt maioris claritatis, & aliud minoris eſt luminis. Sicut enim alia diurna, alia nocturna ſunt tempora: ita diuerſam in luminaribus qualitatem creator inſtituit, cum tamen prius, quam hæc fierent, & dies ſine ſolis officio, & noctes ſine lunæ miniſterio præceſſiſſent. Sed condita ſunt iſta ad faciendam hominis vtilitatem, vt rationale animal, in diſtinctione mēſium, nec in recurſu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur, cum
** æqualium* per * inæqualium horarum impares moras, & diſſimilium ortuum ſigna manifeſta, & annos ſol concluderet, & menſes luna renouaret. Quarto
Geneſ. 1. nanque, vt legimus, die, dixit Deus; Fiant luminaria in firmamento cęli, & luceant ſuper terram, & diuidant inter diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos: & ſint in firmamento cæli, vt luceant ſuper terram. Expergiſcere, ô homo & dignitatem tuæ cognoſce naturæ. Re-
Ibidem cordare te factum ad imaginem Dei: quæ etſi in Adam corrupta, in Chriſto tamen eſt reformata. Vtere quomodo vtendum eſt viſibilibus creaturis, ſicut vteris terra, mari, cælo, aere, fontibus, atque fluminibus, & quicquid in eis pulchrum, atque mirabile eſt, refer ad laudem, & gloriam conditoris. Noli eſſe deditus illi lumini, quo volucres, & ſerpentes, quo beſtię, & pecudes, quo muſcæ delectantur, & vermes. Lucem corpoream ſenſu tange corporeo, & toto mentis affectu illud verum lumen amplectere, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &
Pſal. 33. de quo dicit Propheta; Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcet. Si enim
1. Cor. 3. templum Dei ſumus, & ſpiritus Dei habitat in nobis, plus eſt, quod fidelis quiſque habet in ſua anima, quam quod miratur in cælo. Non vtique vobis, dilectiſſimi, hoc aut indicimus, aut ſuademus, vt deſpiciatis opera Dei, aut contrarium aliquid fidei veſtræ in iis, quæ Deus bonus bona condidit, æſtimetis, ſed vt omni creaturarum ſpecie, & vniuerſo huius mundi ornatu rationabili-
** temporaliter* ter, & * temperanter vtamini. Quæ enim viden-
2. Cor. 4. tur, ſicut ait Apoſtolus, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Vnde, quia ad præſentia ſumus nati, ad futura autem renati, non temporalibus bonis dediti, ſed æternis ſimus intenti. Vt & ſpem noſtram poſſimus propius intueri, in ipſo ſacramento natalis domini cogitemus, quid naturæ noſtræ gratia diuina contulerit. Audiamus Apoſtolum dicentem; Mortui enim *Coloſſ. 3.* eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Qui viuit, & regnat cum patre, & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 8.*

CVm ſemper nos, dilectiſſimi, gaudere in domino, omnia diuina eloquia cohortentur, hodie proculdubio ad ſpiritalem lætitiam copioſius incitamur, natiuitatis dominicæ ſacramento nobis clarius coruſcante, vt recurrentes ad illam diuinæ miſericordiæ ineffabilem inclinationem, qua creator hominum homo fieri dignatus eſt, in ipſius nos inueniamur natura, quem adoramus
in * noſtra. Deus enim Dei filius, de ſempiterno, ** terra.* & ingenito patre vnigenitus, ſempiternus manens in forma Dei, & incommutabiliter, atque intemporaliter habens non aliud eſſe quam pater, formam ſerui ſine ſuæ detrimēto maieſtatis accepit, vt in ſua nos proueheret, nō ipſe in noſtra deficeret. Vnde vtrique naturæ in ſuis proprietatibus permanenti, tanta eſt vnitatis facta communio, vt, quicquid ibi eſt Dei, non ſit ab humanitate diſiunctum: quicquid autem eſt hominis, non ſit à deitate diuiſum. Celebrantes igitur, dilectiſſimi, natalem diem domini ſaluatoris, partum beatæ virginis integrè cogitemus, vt carni, animæque cōceptæ virtutem verbi nullo temporis puncto defuiſſe credamus, nec prius formatum, atque animatum templum corporis Chriſti, quod ſibi ſuperueniens vendicaret habitator, ſed ipſum, & in ipſo, nouo homini datum eſſe principium, vt in vno Dei, atque hominis filio, & ſine matre Deitas, & ſine patre eſſet humanitas. Simul enim per ſpiritum ſanctum fœcundata virginitas, ſine corruptionis veſtigio edidit & ſui generis ſobolem, & ſuæ ſtirpis autorem. Vnde & idem dominus, ſicut Euangeliſta commemorat, quæſiuit à Iudæis, cuius filium Chriſtum ſcripturarum autoritate *Mat. 22.* didiciſſent, & eiſdem reſpondentibus, quod ex *Pſal. 109.* Dauid venturus ſemine traderetur: Quomodo, inquit, illum dominum ſuum Dauid in ſpiritu vocat, dicens; Dixit dominus domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nec potuerunt Iudæi propoſitam ſoluere quæſtionem, quia non intelligebant in vno Chriſto & progeniem Dauidicam, & naturam propheticam eſſe diuinam. Maieſtas autem filij Dei æqualis patri, veſtiens ſe humilitate ſerui, nec metuebat minui, nec indigebat augeri: ipſumque effectum miſericordiæ ſuæ, quem reſtitutioni impendebat humanæ, ſola exequi poterat virtute deitatis, vt creaturam ad imaginem Dei *Geneſ. 1.* conditam, à iugo diræ dominationis erueret. Sed, quia non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, vt eum in partes ſuas ſine liberi arbitrij conſenſione transferret: ſic deſtruendum

peccatum

peccatum fuerat voluntarium, & hoſtile conſilium, vt dono gratiæ non obeſſet norma iuſtitiæ. In totius igitur humani generis ſtrage communi, vnum ſolum fuit remedium ſub diuinæ rationis occulto, quod poſſet ſubuenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam, originalis præuaricationis alienus, atque innocens naſceretur, qui cæteris exéplo prodeſſet, & merito. Sed, quia hoc naturalis generatio non ſinebat, nec poterat vitiatę radicis ſine ſemine propago eſſe, de quo ſcriptura dicit; *Iob 14.* Quis poteſt facere mũdum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? dominus Dauid, factus eſt filius Dauid, & de promiſſi germinis fructu proles eſt orta ſine vitio, in vnam perſonam gemina conueniente natura, vt eodem conceptu, eodémque partu gigneretur dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui vera ineſſet deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam paſſionũ. Fides igitur catholica, dilectiſſimi, oblatrantium hæreticorum ſpernat errores, qui mundanæ ſapientiæ vanitate decepti, à veritatis Euangelii receſſerunt, & incarnationem verbi intelligere nõ valentes, de cauſa illuminationis fecerunt ſibi materiam cæcitatis. Nam omnium ferè falſa credentium opinionibus, quæ etiam in ſancti ſpiritus negationem proruunt, retractatis, neminem penè deuiaſſe cognoſcimus, niſi qui duarum in Chriſto naturarum veritatem ſub vnius perſonæ *a Photinus.* confeſſione nõ credidit. [a] Alij etenim domino ſo- *b Marcion.* lam humanitaté, [b] alij ſolam adſcripſere deitatem. *c Manichæus.* [c] Alij veram quidem in ipſo diuinitatem, ſed car- *d Arius.* nem dixerunt fuiſſe ſimulatam. [d] Alij profeſſi ſunt veram eum ſuſcepiſſe carnem, ſed Dei patris non habuiſſe naturã: & deitate eius, quæ erant humanę ſubſtantiæ, deputãtes, maiorem ſibi Deum minoremque finxerunt, cum gradus in vera diuinitate eſſe non poſſint. Quoniã quicquid Deo minus eſt, *e Sabellius.* Deus non eſt. [e] Alij cognoſcẽtes patris, & filij nullam eſſe diſtantiam, quia non poterant vnitatem deitatis intelligere niſi in vnitate perſonæ, eundem aſſeruerunt eſſe patrem, quem filium, & naſci, & nutriri, pati, & mori, ſepeliri, & reſurgere, ad eundem pertinere, qui per omnia & hominis per- *f Valentinus.* ſonam impleret, & verbi. [f] Quidam putauerũt dominum Ieſum Chriſtum non noſtræ ſubſtantiæ corpus habuiſſe, ſed ab elementis ſuperioribus, ac ſubtilioribus ſumptum. [g] Quidam autem æſti- *g Origenes & Apollinaris.* mauerũt in carne Chriſti animam humanam non habitaſſe, nec fuiſſe, ſed partes animæ ipſam verbi ** Quorum imprudentia.* impleſſe deitatem.* Quorundam imprudentia in hoc tranſiit, vt animam quidem fuiſſe in domino faterentur, ſed eandem dicerent mente caruiſſe, quia ſufficeret homini ſua deitas ad omnia rationis officia. Poſtremo, iidem aſſerere præſumpſerunt, partem quandam verbi in carnem fuiſſe conuerſam, vt in vnius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum, animæque natura, ſed etiam ipſius verbi ſolueretur eſſentia. Multa ſunt & alia prodigia falſitatum, quibus enumerandis charitatis veſtræ non eſt fatigandus auditus, ſed poſt diuerſas impietates, quæ ſibi iunctæ ſunt multiformium blaſphemiarum cognatione connexæ, & de iis potiſſimum erroribus declinandis obſeruantiam veſtræ deuotionis admoneo, quorum vnus dudum Neſtorio autore conſurgere non impunè tentauit. Alius nuper pari execratione damnandus, Eutyche aſſertore prorupit. Nam ille beatam Mariam virginem tantummodo auſus eſt hominis prædicare genitricem, vt in conceptu eius, & partu nulla verbi, & carnis facta vnitio crederetur. Quia Dei filius non ipſe factus eſt hominis filius, ſed creato homini ſola ſe dignatione ſociauerit. Quod catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ ſic euangelio veritatis imbutæ ſunt, vt firmiſſime nouerint, nullam eſſe humano generi ſpem ſalutis, niſi ipſe eſſet filius virginis, qui creator eſt matris. Hic autem recentioris ſacrilegij prophanus adſertor, vnitionem quidem in Chriſto duarum confeſſus eſt naturarũ, ſed ipſa vnitione id dixit effectum, vt ex duabus vna remaneret, nullatenus alterius exiſtente ſubſtantia, quæ vtique fieri niſi aut conſumptione, aut ſeparatione non poſſet. Hæc verò tam inimica ſunt ſanæ fidei, vt nequeant recipi ſine excidio nominis Chriſtiani. Si enim verbi incarnatio non vnitio eſt diuinæ humanęque naturæ, ſed hoc ipſo concurſu, quod erat geminum, factum eſt ſingulare, ſola diuinitas vtero virginis nata eſt, & per ludificatoriam ſpeciem ſola ſubiit nutrimenta, & incrementa corporea: vtque omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, ſola diuinitas crucifixa, ſola diuinitas mortua, ſola diuinitas eſt ſepulta, vt iam ſecundum talia ſentientes, ſperandæ reſurrectionis nulla ſit ratio, nec ſit primogenitus ex mortuis Chriſtus: quia *Rom. 8.* non fuit, qui deberet reſuſcitari, ſi non fuit, qui *Coloſ. 1.* poſſet occidi. Abſint à cordibus veſtris, dilectiſſimi, diabolicarum inſpirationum virulenta mendacia: & ſcientes, quòd ſempiterna filij deitas nullo apud patrem creuit augmento: prudenter aduertite, quod cui naturę in Adam dictum eſt; Ter- *Geneſ. 3.* ra es, & in terram ibis: eidem in Chriſto dicitur; *Pſal. 109.* Sede à dextris meis. Secundum illam naturam, qua Chriſtus æqualis eſt patri, nunquam inferior fuit vnigenitus ſublimitate genitoris, nec temporalis eſt ei cum patre gloria, quæ eſt ipſa patris dextera. De qua in Exodo dicitur: Dextera tua *Exod. 15.* domine glorificata eſt in virtute. Et in Eſaia; Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium *Eſaie 53.* domini cui reuelatum eſt? Aſſumptus igitur homo in filium Dei, ſic in vnitatem perſonæ Chriſti ab ipſis corporalibus eſt receptus exordiis, vt nec *Rom. 10.* ſine deitate conceptus ſit, nec ſine deitate editus, nec ſine deitate nutritus. Idem erat in miraculis, idem in contumeliis, per humanam infirmitatem crucifixus, mortuus, & ſepultus, per diuinam virtutem die tertia reſuſcitatus, aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris, & in natura hominis accepit à patre, quod in natura deitatis etiam ipſe donauit. Hæc, dilectiſſimi, pio corde meditantes, Apoſtolici ſemper memores eſtote præcepti, qui vniuerſos admonet dicens: Videte, *Coloſ. 1.* ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis repleti in illo. Non dixit, ſpiritaliter, ſed, corporaliter, vt veram intelligamus ſubſtantiam carnis, vbi eſt plenitudinis diuinitatis inhabitatio corporalis. Qua vtique tota etiam repletur Eccle- *Epheſ. 1.* ſia, quæ inhærens capiti, corpus eſt Chri- *Coloſ. 1.* ſti, qui viuit, & regnat cum patre, & ſpiritu ſancto Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

* * *

EIVSDEM IN EADEM *ſolemnitate.* *Sermo 9.*

EXcedit quidem dilectiſſimi, multúmque ſupereminet humanam eloquij facultatem diuini operis magnitudo, & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi. Quia in Chriſto Ieſu filio Dei non ſolū ad diuinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictum eſt
Eſaiæ 53. per prophetam, Generationē eius quis enarrabit?
Vtranque enim ſubſtantiam in vnam conueniſſe perſonam, niſi fides credat, ſermo non explicat: & ideo nunquā materia deficit laudis, quia nunquam ſufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur, quod ad eloquendum tantæ miſericordię ſacramentum impares ſumus, & cum ſalutis noſtræ altitudinem promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe, quòd vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis, etiam ſi multū proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe, quod quærat. Nam, qui ſe ad id, in quod tendit, perueniſſe pręſumit, nō quęſita reperit, ſed in inquiſitione defecit. Ne autē infirmitatis noſtrę perturbemur anguſtiis, Euāgelicæ nos, & prophetica adiuuāt voces, quibus ita accendimur, & do-
Ioan. 1. cemur, vt nos natiuitatē domini, qua verbum caro
factum eſt, non tam præteritam recolere quā præ-
Lucæ 2. ſentē videamur inſpicere. Quod enim paſtoribus
pro gregum ſuorum cuſtodia vigilantibus nūciauit angelus, etiam noſtrum impleuit auditum: & ideo dominicis ouibus pręſumus, quia verba diuinitus edita, cordis aure ſeruamus, tanquam & in
Ibidem. hodierna feſtiuitate dicatur; Euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Cuius prædicationis ſummitati exultatio innumerabilium iūgitur angelorum, vt excellentius fieret teſtimonium, cui militiæ cæleſtis multitudo concineret angelorum in honorem Dei vna benedictione dicētium, Gloria in excelſis Deo, & terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dei ergo gloria eſt ex matre virgine Chriſti naſcētis infantia, & reparatio humani generis merito in laudem ſui refertur autoris, quia & ipſe beatæ Mariæ miſſus à Deo Gabriel angelus dixerat, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctū, vocabitur filius Dei. In terra autem illa pax cōceditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quo enim ſpiritu de intemeratæ matris viſceribus naſcitur Chriſtus, hoc de ſanctæ Eccleſia vtero renaſcitur Chriſtianus, cui vera pax eſt, à Dei voluntate non diuidi, & iis ſolis, quæ Deus diligit, delectari. Natalem igitur, dilectiſſimi, diem domini celebrantes, qui ex omnibus pręteritorum temporum diebus electus eſt, licet diſpenſatio actionum corporalium, ſicut æterno conſilio fuerat præordinata, tranſierit, totáque redemptoris humilitas in gloriam paternæ maieſta-
Philip. 11. tis euecta ſit, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris: indeſinenter tamen ipſum partum ſalutiferæ virginis adoramus, & illam verbi, & carnis indiſſolubilem copulam non minus ſuſcipimus in præſepe iacentem, quam in throno paternæ altitudinis conſidentem. Immutabilis enim Deitas quamuis intra ſemetipſam & claritatem ſuam, & potentiam contineret, non tamen ideo non erat conſerta naſcenti, quia humano aſpectui non patebat, vt per veri hominis inſita primordia ille agnoſcerentur genitus, qui regis Dauid & dominus eſſet, & filius. Ipſe enim pro-
phetico ſpiritu cantat, dicens; Dixit dominus do- *Pſal. 109.*
mino meo, Sede à dextris meis. Quo teſtimonio, ſicut Euangelium refert, cōfutata eſt impietas Iudæorum. Nam cum Ieſu interrogante Iudęos, cu-
ius filium dicerent Chriſtum, reſpōdiſſent, Dauid, *Matt. 22.*
cōfeſtim dominus cæcitatem illorum arguēs, ait; Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eū dominum, dicens; Dixit dominus domino meo, Sede à dextris meis? Interclusiſtis vobis, ó Iudæi, intelligentię viam, & dum ſolam naturam carnis aſpicitis, tota vos veritatis luce priuatis. Expectantes enim ſecundum veſtræ perſuaſionis fabuloſa figmenta, Dauid filium de ſola ſtirpe corporea, dum ſpem veſtram in homine tantum conſtituiſtis, Deum Dei filium repuliſtis, vt, quod nobis confiteri glorioſum eſt, vobis prodeſſe nō poſſit. Nam & nos interrogati, cuius filius ſit Chriſtus, voce Apoſtoli confitemur, quod factus eſt ex ſemine
Dauid ſecundum carnem: & de ipſo initio Euan- *Rom. 1.*
gelicæ prædicationis inſtruimur, legentes; Liber
generationis Ieſu Chriſti filij Dauid. Sed ideo à *Math. 1.*
veſtra impietate diſcernimur, quia, quem ex progenie Dauid hominem nouimus natum, eundem
ſecundum quòd verbum caro factum eſt, Deum *Ioan. 1.*
Deo patri credimus coęternum. Vnde, ſi teneres, ô Iſrael, tui nominis dignitatem, & propheticas denunciationes non obcæcato corde percurreres,
Eſaias tibi Euangelicam panderet veritatem, & *Eſaiæ 7.*
non ſurdus audires diuina inſpiratione dicentem;
Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet filium, & *Math. 1.*
vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus. Quem ſi in tanta proprietate ſacri nominis non videbas, in Dauidica ſaltem voce didiciſſes, ne contra teſtificationem noui, & veteris teſtamenti, Ieſum Chriſtum Dauid filium denegares, quem Dauid dominum non fateris. Quapropter, dilectiſſimi, quoniam per ineffabilem gratiam Dei, Eccleſia fidelium gentium conſecuta eſt, quod carnalium Iudæo-
rum ſynagoga non meruit, dicente Dauid; No- *Pſal. 97.*
tum fecit dominus ſalutare ſuum, in conſpectu
gentium reuelauit iuſtitiam ſuam: & Eſaia ſimi- *Eſaiæ 9.*
liter prædicante, Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: qui habitabant in regione
vmbræ mortis, lux orta eſt eis, & iterum; Gentes, *Eſaiæ 55.*
quæ te non nouerunt, inuocabunt te, & populi, qui te neſciunt, ad te confugient: exultemus in die ſalutis noſtræ, & per nouum teſtamentum in conſortium eius aſſumpti, cui dicitur à patre per
Prophetam; Filius meus es tu, ego hodie genui te: *Pſal. 2.*
poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: in adoptantis nos miſericordia gloriemur: quia ſi-
cut Apoſtolus ait; Non accepiſtis ſpiritum ſerui- *Rom. 8.*
tutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba pater. Dignum enim eſt, atque conueniens, vt teſtantis patris voluntas ab adoptionis filiis im-
pleatur, & dicente Apoſtolo; Si compatimur, & *Ibidem.*
conglorificabimur. Sine humilitatis Chriſti compartícipes, qui ſunt futuræ gloriæ cohæredes. Honoretur in infantia ſua dominus, omnes ad deitatis

referan

referantur iniuriam exordia.& incrementa corporea. Quoniam naturæ incommutabili nec addidit aliquid noſtra natura nec minuit, ſed qui in ſimi- *Ibidem.* litudinem carnis peccati dignatus eſt hominibus eſſe conformis, in vnitate deitatis patri permanet æqualis, cum quo,& ſpiritu ſancto viuit,& regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 10.*

SÆpe, vt noſtis, dilectiſſimi, de excellentia feſtiuitatis hodiernæ officium vobis ſermonis ſalutaris impendimus, nec ambigimus ita cordibus veſtris diuinæ pietatis reſplenduiſſe virtutem, vt, quod vobis fide eſt inſitum, id ſit etiam intelligentia comprehenſum. Sed, quia domini, ſaluatoriſque noſtri natiuitas non ſolum ſecundum deitatem de patre, ſed etiam ſecundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquij, vt merito ad vtrumque referatur, quod dictum eſt; Generationem eius quis enarrabit? In eo enim *Eſaia 53.* ipſo, quod dignè non poteſt explicari, ſemper exuberat ratio differendi, non quia liberum ſit diuerſa ſentire, ſed, quia dignitati materiæ nulla poteſt lingua ſufficere. Magnitudo igitur ſacramenti, in ſalutem humani generis ante ſecula æterna diſpoſiti, in ſeculorum fine reſerati, & integritati ſuæ nec auferri aliquid patitur, nec augeri: & ſicut propria non amittit, ita aliena non recipit. Sed multi opinionum ſuarum ſequaces,&, quod nondum intellexerunt, paratiores docere quam diſce- *1.Tim.1.* re, ſicut ait Apoſtolus, circa fidem naufragauerunt: quorum prauas, compugnantéſque ſententias breui ſignificatione perſtringam, vt errorum tenebris à veritatis luce diſcretis, & religiosè honorentur beneficia diuina, & ſcienter caueantur *Photinus.* mundana mendacia. Quidam enim ex documentis natiuitatis domini Ieſu Chriſti, quæ eum verum hominis filium demonſtrabant, nihil ipſum amplius quàm hominis filium crediderunt, non putantes illi aſcribendam eſſe deitatem, quem & primordia infantiæ, & incrementa corporea, & paſſionum vſque ad crucem, mortémque conditio, non diſſimilem cæteris mortalibus approbaſſent. Alij verò virtutum admiratione permoti, & originis nouitatem, & dictorum, factorúmque potentiam, ad diuinam intelligentes pertinere naturam, nihil illi putauerūt noſtrę * ineſſe ſubſtan- ** eſſe* tiæ, totúmque illud, quod corporeæ fuit actionis, *Valentinus.* & formæ, aut de ſublimioris generis prodiiſſe materia, aut ſimulatam carnis ſpeciem habuiſſe, vt *Manichæus.* videntium, & tangentium ſenſus ludificatoria *Apollinarius.* imagine fallerentur. Fuit autem in quibuſdam errantibus etiam illa perſuaſio, qua conarentur aſſerere, ex ipſa verbi ſubſtantia quiddam in carnem fuiſſe conuerſum, natóque Ieſu ex Maria virgine, nihil maternę fuiſſe naturę, ſed & quod erat Deus, & quod erat homo, vtrumque ad id pertinuiſſe, quod verbum eſt: vt ſcilicet in Chriſto & per diuerſitatem ſubſtantiæ falſa fuerit humanitas, & per defectum mutabilitatis non vera diuinitas. Has ergo, dilectiſſimi, aliáſque impietates diabolica inſpiratione conceptas, & in multorum noxam per vaſa perditionis effuſas, olim catholica fides, cui Deus, & magiſter eſt,& auxiliator, obtriuit, exhortante, & inſtruente ſpiritu ſancto per legis teſtificationem, per vaticinia prophetarum,& per Euangelicam tubam, Apoſtolicámque doctrinam, vt conſtanter, intelligentérque credamus, quia, ſicut ait beatus Ioannes, Verbum caro *Ioan.1.* factum eſt,& habitauit in nobis. In nobis vtique, quos ſibi verbi diuinitas coaptauit, cuius caro de vtero virginis ſumpta nos ſumus. Quæ ſi de noſtro, id eſt, verè humana non eſſet, verbum caro factum non habitaſſet in nobis. In nobis autem habitauit, qui naturam noſtri corporis ſuam fecit, *Ibidem.* ædificante ſibi ſapientia domum, non de quacunque materia, ſed de ſubſtantia propriè noſtra, cuius aſſumptio eſt manifeſtata, cum dictum eſt; Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Huic autem ſacratiſſimæ * aſſertioni & beati Pauli Apoſtoli doctrina concordat, dicentis; Videte, ** prædicatione etiam.* ne quis vos decipiat per philoſophiam,& inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi,& nō ſecundum Chriſtum: quia in Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis repleti in illo. Totum igitur corpus implet tota diuinitas, & ſicut nihil deeſt illius maieſtatis, cuius habitatione repletur habitaculum, ſic nihil deeſt corporis, quod non ſuo habitatore ſit plenum. Quod autem dictū eſt; Et eſtis repleti in illo, noſtra vtique ſignificata eſt natura, ad quos illa repletio non pertineret, niſi Dei verbū, noſtri ſibi generis & animam, & corpus vniſſet. Agnoſcendum ſanè, dilectiſſimi, & toto corde eſt confitendum, quod hæc generatio, qua & verbum & caro, id eſt, Deus,& homo vnus Dei filius, vnúſque Chriſtus efficitur, ſupra omnem originē humanæ creationis excellit. Nec *Geneſ.2.* enim aut Adæ de limo terræ formatio, aut Euæ de viri carne plaſmatio, aut cæterorum hominum de vtriuſque ſexus permixtione conditio, Ieſu Chriſti poteſt ortui comparari. Genuit Abraham ſenex *Geneſ.21.* diuinæ promiſſionis hæredem, & tranſgreſſa fœcunditatis annos, ſterilis Sara concepit. Iacob di- *Geneſ.25.* lectus eſt à Deo, antequam natus, & præueniente *Malach.1.* gratia voluntarias actiones ab hiſpida congeniti *Rom.9.* fratris aſperitate diſcretus eſt. Hieremiæ dicitur, *Hier.1.* Prius, quàm te formarem in vtero, noui te,& antequam exires de vulua, ſanctificaui te. Anna diu fœcunditatis aliena, Samuelem propheram, *1.Reg.1.* quem Deo offerret, enixa eſt, vt & partu clara eſſet,& voto. Zacharias ſacerdos de Elizabeth ſte- *Luca 1.* rili ſanctam ſuſcepit prolem: & præcurſor Chriſti futurus Ioannes, ſpiritum propheticum intra viſcera matris acceperat, & nondum editus puer, genitricem domini ſigno clauſæ exultationis oſtenderat. Magna hæc omnia, & diuinorum operum ſunt plena miraculis: ſed hoc ipſo immoderatius ſtupenda, quo plura. Natiuitas enim domini noſtri Ieſu Chriſti omnem intelligentiam ſuperat, & cuncta exempla tranſcendit. Nec poteſt vllis eſſe comparabilis, quæ eſt inter omnes ſingularis. Electæ nanque virgini de ſemine Abrahæ, ac de radice Ieſſe, per propheticas voces, & per myſtica ſigna promiſſæ, denunciatur ab archangelo ſine damno pudoris beata fœcunditas, ſacram virginitatem nec conceptu violatura, nec partu. Superueniente quippe in eam ſpiritu ſancto, & altiſſimi obumbrante virtute, incommutabile Dei verbum de incontaminato cor- *Luca 1.* pore habitum ſibi humanæ carnis aſſumpſit, quæ & nullum contagium de concupiſcentia carnis traheret, & nihil eorum, quæ ad animæ, corporiſque

poriſque naturam pertineat, non haberet. Recedant, atque procul in tenebras ſuas eant hæreticarum monſtra opinionum, & inſanarum ſacrilegia falſitatum. Nos, exultans in laudem Dei cœleſtium multitudo, & inſtructi ab angeli docuere paſtores, vt, cognitis naturæ vtriuſque documentis, & verbum in Christo homine, & Chriſtum hominem adoremus in verbo. Nam, ſi, vt Apoſtolus ait,
1. Cor. 6. qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt: quanto magis verbum caro factum vnus eſt Chriſtus? vbi nihil eſt alterius naturæ, quod non ſit vtriuſque. Non ergo infirmemur in conſiliis miſericordiæ Dei, quæ nos & innocentiæ reformat & vitæ, nec quia in ſaluatore noſtro manifeſtè cognoſcimus geminæ ſigna naturæ, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitatis maieſtate dubitemus. Idem eſt in forma Dei, qui formam ſuſcepit ſerui: idem eſt incorporeus manens, & corpus aſſumens. Idem eſt in ſua virtute inuiolabilis, & in noſtra infirmitate paſſibilis. Idem eſt à paterno non diuiſus throno, & ab impiis crucifixus in ligno. Idem eſt ſuper cælorum altitudines victor mortis aſcendens, & vſque ad conſummationem ſeculi vniuerſam Eccleſiã non relinquẽs. Idem poſtremo eſt, qui in eadem, qua aſcẽdit, carne venturus, ſicut iudicium ſuſtinuit impiorum, ita iudicaturus eſt de omniũ actione mortalium. Vnde, ne plurimis teſtimoniis immoremur, vnum
Ioan. 5. ſufficit ex Euangelio beati Ioannis adhiberi, quo ipſe dominus noſter dicit; Amẽ amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Ergo ſub vna ſententia oſtendit, quia filius Dei, atque filius hominis eſt. Vnde apparet, quemadmodum Chriſtum dominum in vnitate perſonæ credere debeamus, quia cũ ſit filius Dei, per quem facti ſumus, etiam filius hominis per aſſumptio-
Rom. 4. nem carnis eſt factus, vt moreretur, ſicut ait Apoſtolus, propter delicta noſtra, & reſurgeret propter iuſtificationem noſtram. Hæc confeſſio, dilectiſſimi, nullas metuit contradictiones, nullis cedit erroribus. Agnoſcimus enim miſericordiam Dei ab initio promiſſam, & ante ſecula præparatam, per quam reſolui captiuitatis humanæ vincula potuerunt, quibus primum hominem, omnémque eius poſteritatem male ſuaſus peccati autor obſtrinxerat, & propaginem deditıtiam originali ſibi præiudicio vendicabat. Quia igitur iuſtificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quod vnigenitus Dei, etiam filius hominis eſſe dignatus eſt, vt ὁμοούσιος patri Deus, id eſt, vnius ſubſtantiæ, idem homo verus & ſecundum carnem matri conſubſtantialis exiſteret, vtroque gaudemus, quia non niſi vtroque ſaluamur, in nullo diuidentes viſibilem ab inuiſibili, corporeum ab incorporeo, paſſibilem ab impaſſibili, palpabilem ab impalpabili, formam ſerui à forma Dei. Quia, etſi vnum manet ab æternitate, aliud cœpit à tempore: quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec ſeparationẽ poſſunt habere, nec finem, dum exaltans, & exaltatus, glorificans, & glorificatus, ita ſibimet inhæſerunt, vt ſine in omnipotentia, ſine in contumelia, nec diuina in Chriſto careant humanis, nec humana diuinis. Hæc credentes, dilectiſſimi, Chriſtiani ſumus, veri Iſraelitæ, & in conſortium filiorum Dei veraciter adoptati. Quia & omnes ſancti, qui ſaluatoris noſtri tempora præceſſerunt, per hanc fidem iuſtificati, & per hoc ſacramentum Chriſti ſunt corpus effecti, expectantes vniuerſalem credentium redemptionem in ſe-
mine Abrahæ, de quo dicit Apoſtolus; Abrahæ Galat. 3.
dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, & ſeminibus eius, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Propter quod
Matthæus Euangeliſta, vt promiſſionem ad Abra- Matth. 1.
ham factam oſtenderet in Chriſto eſſe completam, generationum ordinem percurrit, & in quo omnibus gentibus diſpoſita fuiſſet benedictio,
demonſtrauit. Lucas quoque Euangeliſta ab ipſo Luca 3.
domini ortu ſeriem generis ſui ſurſum verſus retexuit, vt etiam illa ſecula, quæ diluuium præuenerunt, & huic ſacramento doceret fuiſſe connexa, omnéſque ab initio ſucceſſionum gradus, ad eum, in quo vno erat ſalus omnium, tetendiſſe.
Non ergo dubitandum eſt, quia præter Chriſtum Act. 4.
non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Qui cum patre, & ſpiritu ſancto æqualis in Trinitate viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

S. HILARII EPISCOPI
Arelatenſis in eodem feſto, Hom. 1.

AVdiuimus ſpiritum ſanctũ per prophetam de natiuitate domini ſaluatoris ſub profunda myſteriorum obſcuritate proferentem, & nouum cæleſtis ſolis iubar, velut de ſua nube monſtrantem, & dicentem: Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. Hoc loco propheticus ſermo, Dei, & hominis inuenitur expreſſiſſe perſonam: vtrumque enim fides catholica & credit, & prædicat. Nam, ſi hominem tantum dixeris Chriſtum, negas potentiam, qua creatus es. Si Deum tantum dixeris Chriſtum, negas miſericordiam, qua ſanatus es. Quid ergo eſt, paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis? Natus eſt nobis, qui ſibi erat, datus eſt ergo ex diuinitate, natus ex virgine. Natus, qui ſentiret occaſum: datus, qui neſciret exordium. Natus, qui ex matre eſſet iunior: datus, quo nec pater eſſet antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita naſceretur. Ac ſic qui erat, datus eſt: qui non erat, natus eſt. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, & mihi militat. Quod verò audiuimus, paruulus natus eſt nobis: paruulus datur, quia exinaniuit ſemetipſum, & formam ſerui, non depoſita, ſed abſcondita maieſtate, ſuſcepit: vt & humanis oculis videri poſſet, & ſeruũ domini claritate veſtiret. Hic eſt paruulus: quem etiam ſermo euangelij grano ſinapis comparauit. Simile eſt regnum cælorum, inquit, grano ſinapis: ſicut enim granum ſinapis paruam præfert in exteriori ſpecie quantitatem, ſed magnam dum conteritur profert de ſui contritione virtutem: & quod plus eſt, magis intra ſe vim ſuam poſſidet: ita & dominus noſter Ieſus Chriſtus exiguus putatur eſſe, dum ex homine procreatur: ſed cum Deo totus impletur, dum per vitæ huius labores tribulationum afflictione conteritur, fortior inuenitur. Viuendo eruditionem protulit, moriendo patientiam, potentiam reſurgendo: & per infirmitatem ſuſceptæ carnis fortis quaſi minimus

mus, & deſpectus apparuit, ſed vigorem diuinitatis immenſæ intus abſcondit. Ideo ergo dixit, ſimile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in agrum ſuum & creuit, & factum eſt in arborem magnam. Ager hic mundus eſt, in quem Chriſtus aduenięs per ſuſceptam fragilitatem humani generis adminiſtrauit ſalutem. Granum ſinapis eſt, propter contritionem mortis. Arbor eſt, propter fructum immortalitatis. Caro illa quaſi flos cecidit, ſed poma vitæ de radice diuinitatis exhibuit. Videamus quomodo illum paruulum deſcribat Apoſtolus: humiliauit, inquit, ſemetipſum factus obediēs vſque ad mortem. Videamus quomodo magnum ſubliméque commemoret, Propter quod, inquit, exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Itaque minimum ſinapis granum eſt, dum in terram cadit: arbor magna eſt, dum reſurgit. Seminatur dum in agro mentis abſconditur, dum in ſpe creditur, dū quaſi ſub ceſpitis gleba ſub litera ſacræ legis operitur. In arborem ſtupendam attollitur, dum per omnes gentes ac ſæcunda ſanctorum dilatatur: dum Deus in homine per ſigna & miracula cognoſcitur, dum in opera, virtutéſque diffunditur: dum de conualle ſeculi in cæli verticem ſublimatur. Quod autem propheta commemorat, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: manifeſtū hominem demunſtrat humerus, latentem Deum loquitur principatus. Sed quia non ab omnibus creditus, neque ab omnibus eſt receptus, ideo alio loco propheta conqueritur, dicens: quis credit auditui noſtro, & brachium domini cui reuelatum eſt? brachium dicitur, quia Dei virtus, quia paternæ operationis effectus eſt, quia ſicut de corpore brachium ſine ſui ſeparatione porrigitur, ſicut per compaginis vnitatem extenditur & tenetur: ita ſaluator noſter inſeparabilis cum patre ſubſtantiæ, & ad terrena deſcendit, & cæleſtia non reliquit: & hic affuit, & inde non defuit. Nam ſicut dicit propheta, à ſummo cælo egreſſio eius, deſcribitur quidem eundi ac redeūdi velocitas, ſed diſcurſum neſcit immenſitas, quia Deus vbique totus eſt. Accedere ad nos miſericordia potuit, recedere à ſe plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quo recedit? ac ſic vnigenitus à patre miſſus eſt, non amiſſus. Et ideo dixit propheta: eructauit cor meum verbum bonum, ſicut enim ex vſu prolatiuum hominis verbum ita ad audientem à loquente transfertur, vt nihilominus in eo, de quo progreditur, corde teneatur: ſicut ſermo, quem loqueris, & à te exiit, & tecum eſt, nouo, & ſtupendo genere, & tranſit & remanet: transfunditur, nec elabitur: & quo dirigitur peruenit, & vnde emittitur non recedit. Ita & dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in principio erat verbum, Deus apud Deum, ad nos prodiit, à patre non exiit: illic aſtitit, huc proceſſit: & quia ad cælos remeans dixit, ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, ad noſtra deſcendens in ſuis remanſit, ſicut ad ſua regrediens nobiſcum remanſit. Et ad nos ergo verbum incomprehenſibile percurrit, & à patris pectore non receſſit. Ait ergo ſermo diuinus, & peperit filium ſuum primogenitum, vbi ſunt hæretici, qui recente errore decepti, & nouo antiqui ſerpentis dente percuſſi, dicere auſi ſunt carnem domini ſaluatoris nihil habuiſſe de Maria? hoc dicunt illi orientales hæretici, nihil illum participaſſe de matre. Hic peſtifer ſenſus orientales eccleſias occupauit, nihil Chriſtum de matris conſanguinitate traxiſſe, ſed per virginis tranſiſſe vterum, quaſi per corpus alienum. Et quid egit illis nouem menſibus intra illud materni corporis genitale ſecretum? illic vtique de eius oſſibus, & medullis ratione operante collectus, illic natura ſtupente compoſitus, illic per legitima naſcendi ſpatia de carne carnis incrementa mutuatus eſt. Quòd ſi nihil attracturus erat de propriæ parentis materia, quid opus erat longa hoſpitij mortalis iniuria? Si inquam nihil de ſuo erat corporeus matris ſinus cæleſti puero quotidianis horarum ac dierum profectibus collaturus, vbi primum legitur conceptus, ſtatim conſummatus, ſtatim ſuit & genitus. Sed non ita eſt. De prima dicatur paruuli conformatione, vnde oſſium compago, membrorúmque perfectio produit noua ſolennis temporis conſuetudo: itaque cum animam aliunde ſuſceperit, ſi corpus de matre non habuit, ergo ſermo diuinus caret veritate, cùm veritas ſit quæ eum filium hominis proteſtatur. Quo quidem loco debemus aduertere, quòd dum non hominum, ſed hominis dicitur, ex vno creari parente monſtratur. Legimus, & peperit (inquit) filium ſuum primogenitum. Si nihil in eum de ſe tranſtulit mater, non peperit proprium, ſed profudit alienum. Sed non ita eſt. Nam ſicut totus Deus ex Deo, ita totum hominis corpus ex homine. De carne Mariæ coagulatus, de eius formatus viſceribus, de eius ſubſtantia conſummatus, & ſanguinem, quē etiam pro matre obtulit, de ſanguine matris accepit. Quòd ſi inter hæc quid fuerit rationis, interrogetur, qua proprietate corporis noſtri naturam induere deberet, id cauſæ eſt, vt per illā, quam in noſtra carne peragebat de mundi hoſte victoriam, noſtram poſſet conſecrare naturam: & roboraret fragilem conditionem, dum exercet in fragilitate virtutem. Ac ſic & homo contra diabolum fiducialiter auderet congredi, ſi & diabolus ab homine cognoſceret ſe poſſe ſuperari. Sed & quoniam legimus, paruulus natus eſt nobis, non nobis natus eſt ſi nihil ſumpſit ex nobis: nihil de noſtro ſuſcepit, nihil nobis contulit. Quod enim induit, hoc liberauit: quod Deo iunxit, ſpecialiter hoc redemit. De noſtro eſt quod appendit, de ſuo eſt quod donauit. Meum teſtor eſſe quòd de cognata mihi carne proceſſit, vt meum ſit quòd triumphauit. Meum inquam teſtor eſſe, quod cecidit, vt meum ſit, quod reſurrexit. Meum inquam teſtor eſſe, quod iacuit intra tumulum, vt meum ſit, quod aſcendit in cælum. Quæ cùm ita ſint, dirigamus conuerſationem noſtrā ſub Deo, qui & in cælo, & in terra eſt teſtis viuens, iracūdiam, crudelitatem, inhoneſtos & cruentos actus refugiamus, pectora à malitia, à luxuria, & iniquitate mūdemus: Chriſtum dominum ſuſcipiamus, fide pariamus, confeſſione, & ſpe nutriamus, charitate portemus: quem etiam corpore geſtare præcipimur. Glorificate, inquit, & portate Deum in corpore veſtro. Sed videamus quomodo hoc fieri poſſit: qui vitia extinguit in carne, qui Chriſti virtutibus habitaculum procurat in corde, Chriſtum portat in corpore.

Fuit ergo author occidentalis, non orientalis.

EIVSDEM DE EADEM

Homil. 2.

BEne noſtis, fratres chariſſimi, & mecum fideliter retinetis, beatum prophetam ante multa ſecula de præſenti ſolennitate cecinisſe: Hic eſt dies, quem fecit dominus. Ego autem dico, hic eſt dies, in quo factus eſt dominus. Genuit poſterior antiquum, occiduus ſempiternum. Hic, inquam, eſt in quo factus eſt dominus ſeruus, vt perſona ſerui tranſiret in dominum. Hic itaque dies origini rerum originem dedit in ſe naſcentium. Ortum ergo ſuum in hac ſumpſit luce fons luminis, hodie ex ſe mundo protulit diem cæli. Sed hunc ipſum diem quem natiuitati ſuæ dominus elegit, intelligere debemus nõ paruum nobis inter gaudia ſua præferre myſterium. Hodie enim noctis damna in diei tranſeunt lucra. Hodie nox, deficientibus tenebris, minoratur, & dies additus lucis producitur: vt naſcente lucis auctore, omnis illa, quæ totum mundum operuerat, & texerat, infidelitatis nocte diſcuſſa, fides noſtra velut dies luceat, velut meridies ferueat, nóſque appropinquante die filij lucis effecti abiiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus, vt ſint lucernæ in manibus noſtris, id eſt, luceat gratia in operibus noſtris. Superbia, malitia, obtrectatio, inuidia, opera tenebroſa ſunt, & lumen mentis obcæcant, atque hominem in æternam pertrahunt mortem. E contrario humilitas, & humilitatis comes patientia, caſtitas, benignitas, charitas, ad lucis opera pertinent, præcedunt & illuminant nos. Omniũ enim ſeculorum anteceſſor, & conditor hanc diem ſibi, in qua naſceretur elegit: vt, ſicut proficiebat luce, proficeret etiam dignitate. Sed libet ipſam natiuitatis dominicæ dignitatem propius intueri. Ecce itaque nullius ſeminis incremento, de intacta, ac rudi terra fœcundum germen aſcendit, & de radice mortali vitæ arbor effloruit, & ſalutifera propago nullo plantāte proceſſit. Obſtupeſcit natura rerum, virgo procreat ſobolem, nullũ procreandæ ſobolis experta conſortem, & venienti in vitam homini per vnius conſertur myſterium munus duorum. Creator ex creatura ſua naſcitur, & fructus vētris ſui mater innupta miratur, ac fœmina auctoris ſui auctor efficitur. Quid primũ miter, quidve poſtremum? quòd ſine conceptu eſt collata fœcunditas? an quòd per partum magis eſt glorificata virginitas? ſed non mirum, ſi ita peperit: talis erat ille, cui nupſerat. Ait enim angelus ſtupenti Mariæ: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ecce præbitura Deo naſcenti corporis ſui habitaculũ, prius mente efficitur Dei templum. Subſequitur euangeliſta dicens: & beata quæ credidit. Videamus ergo an ſimplicem nobis hominem naſci indicet ordo ipſe naſcendi, filius virgini ab angelo promittitur, à ſpiritu ſancto donatur, & quaſi verè Deus credendo concipitur. Non ergo vſquequaque miremur, ſi is qui fide ſemine adquiritur, ſalua materni pudoris fide inuiolabiliter procreatur. Itaque ad euangelium recurramus: miraculum illud quod euangeliſta protulit tempore reſurrectionis, dignè mihi vſurpem etiam tempore natiuitatis, cum Ioanne dicendo: Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio. Ecce iam nunc ianuis clauſis proceſſit in mundum, materni pudoris ſignaculo minimè reſignato: ſimúlque illud impletur propheticum Ezechielis oraculum: & porta erat clauſa & non eſt aperta, quia dominus tranſiuit per eam. Eadem nunc potentia mundi iſtius ianuam per partũ inuiolatæ matris intrauit, qua poſtmodum ad diſcipulos clauſis foribus penetrauit. Quid hic rationem quærimus? quid intellectum fatigamus humanum? generationem eius quis enarrabit? Quid nouitatem ſtupemus, vbi cernimus maieſtatem? Miramur dominum noſtrum abſque vllius viri ſemine intra virginea viſcera hominem conſummaſſe, quem ſcimus cæli terræq; immenſitatem ex nihilo condidiſſe. Quis ei vllum initium, quis præbuit incrementum, quando ipſa rerum initia atque incrementa faciebat, quando vere quaſi dominus rerum iubebat eſſe quę non erant? Quæramus in conditione vniuerſæ fabricæ, quo ſeminatio vſus ſit: ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Itaq; nulla obſequitur materia: ſubſtantia operis ſola fuit potentia conditoris. Secundum hanc ergo potentiam credamus dominum noſtrum abſque vllo ſexus initio ex ſola fœmina virum creaſſe, quem ſcimus inter ipſa initia generis humani ex ſolo viro fœminam condidiſſe. Recedat ergo omnis infidelitas. Agnoſce, ô verè beata Maria, gloriam tuam: illam inquam gloriam, quam tibi vel angelus nuntiauit, vel Ioannes per os Helizabeth matris adhuc de ſecreto vteri prophetauit. Benedicta itaque tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui & vnde mihi hoc vt veniat mater domini ad me? Exulta, mater ſalutis humanæ: ecce domini mei vniuerſo mundo per tanta retro ſecula promiſſum prima ſuſcipere mereris aduentum: habitaculum immenſæ maieſtatis efficeris: ſpem terrarum, decus ſeculorum, commune omnium gaudium peculiari munere nouem menſibus ſola poſſides: initiator omnium rerum abs te initiatur; & profundēdum pro mũdi vita ſanguinem de corpore tuo accepit: ac de te ſumpſit, quod etiam pro te ſoluat. A peccati enim veteris nexu per ſe non eſt immunis, nec ipſa genitrix redemptoris. Solus ille licet ex debito renaſcatur, lege tamē veteris debiti non tenetur: parum tamen tibi cum cæteris commune matribus eſt; medicum enim dolorum noſtrorum ſine dolore paris: ſanatorem deprauati ſeculi, atque corrupti, ſine vlla pudoris corruptione progeneras. Nec enim decebat, vt, qui ad hoc venerat, vt violata in integrum reſtitueret, aliquid de materna integritate violaret. Ecce vno partu tuo vniuerſorum naſcitur vita ſeculorum: profers in lucem lucis parentem: & ſaluatorem hominum, angelorum patrem, vocare mereris filium tuum. Hic eſt ille etiam ab initio quaſi Deus ſignis, & prodigiis demonſtratus, in patriarchis prętentus, prophetarum vocibus nunciatus, Hic eſt ille, qui ſub nubilo legis coruſcans, ſcripturarum omnium claues in ſe & aperiens, & claudens, ac teſtamenti veteris vmbras aduentus ſui luce diſcutiens, verbum caro factum, venit in mundum, non depoſita, ſed ſepoſita maieſtate: perfectus Deus, & verus homo, vnus Chriſtus: non alter ex patre, alter ex virgine: ſed aliter ex patre, aliter ex virgine: inde diuina, hinc humana ſubſtantia: duplex natura, ſed tamen Dei, & hominis vna perſona: ita coniunctus Deus homini, ſicut anima corpori. Ita eſt pro noſtra ſalute miſericors

Videtur author ſentire. B. Mariam fuiſſe in peccato originali cõceptā contra clariorũ multi piè opinantur.

cors humiliata maieſtas, vt tunc non adimeret dignatio dignitatem: aſſumpta eſt enim humanitas, non abſumpta diuinitas: ad nos quidem per matrem venit, ſed tamen cum patre regnauit. Et quid mirum? lux ipſa quamlibet infundatur terris, ordine tamen ſuo nihilominus fulget in cælis. Hic eſt ille agnus Dei, qui tollit peccata mundi: qui ante reges, & principes pia pro impiis ſtetit victima: qui & ſacerdotem egit ſemetipſum offerendo, & ſacrificium obtulit moriendo.

S. FVLGENTII EPISCOpi *Ruſpenſis, in eodem feſto. Ser. 1.*

CVpientes aliquid de huius diei ſolennitate narrare, ſimulque conſiderantes illud vnum verbum, de quo dicere volumus, nulla inueniemus verba, quibus ſufficienter aliquid dicere valeamus. Eſt enim hoc verbum, non quod deſinit prolatum, ſed quod permanet natum, non tranſitorium, ſed æternum, non factum à Deo patre, ſed genitum, nec ſolum genitum, ſed etiam vnigenitum. Vnum quippe verbum, Deus pater genuit de ſeipſo, per quod omnia creauit ex nihilo. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ, hoc erat in principio apud Deũ: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In hoc autem quod per illud verbum Deus pater omnia fecit, oſtenditur, quia hoc verbum genuit ipſe, non fecit. Illud igitur verbum de Deo Deus eſt, de creatore creator eſt. Vnde hoc in ſe naturaliter habet eſſe, quod pater eſt. Natus eſt itaque de patre Deo filius Deus: alter in perſona, non alius in natura, ſemper apud patrem, ſemper cum patre, ſemper de patre, ſemper in patre: Semper apud patrem, cum quo eſt illi vna naturalis immenſitas: Semper cum patre, cum quo illi vna eſt naturalis æternitas: Semper de patre, de quo illi eſt naturaliter æqualiſque diuinitas. Et alter quidem ille qui pater eſt, alter ille qui filius eſt: Neuter tamen alter Deus, quia pater & filius vnus eſt Deus. Quapropter quando de patre Deo & filio Deo naſcitur ſermo, digne dicimus alterum eſſe patrem & alterum filium, & nihil hominus digne dicimus vnum Deum eſſe patrem & filium. Cum enim dicimus, alterum eſſe patrem, alterum filium, diſcretas perſonas genitoris genitique mõſtramus. Cum vero dicimus, vnũ Deum eſſe patrem & filium, ipſam vnam naturam indiſcretę diuinitatis oſtendimus. Altera eſt enim perſona genitoris & geniti, ſed vna eſt natura genitoris & geniti. Quomodo vero ſufficiẽter aut digne loqui poterit quis? de quo? homo de Deo, mortalis de immortali, viſibilis de inuiſibili, mutabilis de incommutabili, opus de opifice, de creatore creatura, de factore factura, paruus de immenſo, temporalis de æterno, humilis de altiſſimo, plaſmatus è limo, de illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius eſt inenarrabilis omnipotentia, quæ nos gratuita bonitate fecit: Nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentiſſima miſeratione ſaluauit: qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ ſaluatricis omnipotenter impleuit. Illic habens poteſtatem condendi & regendi creaturam ſuam, hic habens poteſtatem ponendi & ſumendi animam ſuam pro nobis. Omnipotentia vero dicimus, qua verbum, quod in principio erat, & apud Deũ erat, & Deus erat, fecit omne quod nouerat. Gratiam vero, qua verbum caro factum eſt, venit quærere & ſaluum facere quod perierat. Omnipotentiam, qua fecit omnem diem: Gratiam, qua certo die concipi, & certo die dignatus eſt naſci. Idem igitur minoratus paulo ab angelis, in die factus eſt hominum: qui coæternus & æqualis deo patri, dies ſanctorum ſemper eſt angelorum. De ipſo quippe Propheta dicit: Bene nunciate diem de die, ſalutare *Pſal 95.* eius. Quid eſt diem de die, niſi filium de patre? Eſt igitur de patre filius, de die dies, ſed tamen pater & filius non duo dies, ſed vnus eſt dies. Eſt de patre filius, de Deo Deus, Pater tamen & filius non duo dij, ſed vnus eſt Deus. Vnus igitur dies æternitatis ſimul pater & filius à nobis agnoſcitur, in die autem temporis ſolus filius inuenitur. Dies etenim æternus, pater & filius, noſtrum corpus & animam fecit: In die vero temporis, ſolus filius noſtrum corpus animámque ſuſcepit. Chriſtus dies æternus, vnigenitus, in forma Dei manẽs: Chriſtus in die temporis vnigenitus, formã ſerui accipiens. Chriſtus dies æternus, diues permanens, vt conderet nos: Chriſtus in die temporis, pauper factus vt redimeret nos. Dies æternus Chriſtus Deus de Deo patre Chriſtus in die temporis Deus homo, de virgine matre. Chriſtus dies æternus, verbum eructatum de corde patris: Chriſtus in die temporis verbum caro factum, de vtero virginis matris. Chriſtus dies æternus, Deus verus de Deo vero: Chriſtus in die temporis ſponſus, procedens de thalamo ſuo. Dies æternitatis Chriſtus, in ſanctos angelos creans: Dies in tempore Chriſtus homines ſaluãs. Dies æternitatis Chriſtus, in cælo ſanctos angelos paſcens: Dies temporis Chriſtus homines in terra reficiens. Vt enim panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus eſt homo, vtroſque paſcens, & integer permanens. Quam bonus panis, qui & angelos paſcit per ſpeciem, vt de ſeipſo ſatientur in patria: & nos paſcit per fidẽ, ne deficiamus in via. Ille panis, qui ſeipſum dat angelis ad gaudium ſtabilitatis: ſeipſum dedit hominibus, ad remedium ſanitatis. Et qui eſt angelorum eſca, nobis eſt factus medicina. Verumtamen hic dilectiſſimi fratres, attendite magnitudinẽ gratiæ, & agnoſcite, quid Deus homini dignatus eſt prærogare. Chriſtus enim Dei filius, de Deo vero Deus verus, & vnus cum patre naturaliter Deus, ſemper ex ſeipſo ſanctos angelos paſcit, ſed tamen angelicam naturam Dei filius nõ accepit. Vt autem ſuam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam noſtram ſuſcepit ex nobis, & Deus vnigenitus, qui panis eſt angelorum vt etiam hominum ſe faceret panem, ſimul hominis animã ſuſcepit & carnem. Accepit vtramque veram, vtramque ſanctam, vtramque mundam. Accepit animam noſtram ſine iniquitate: accepit carnem noſtram cum mortalitate: accepit animam iuſtam per quam noſtris animabus iuſtitiam redderet: Carnem vero propterea dignatus eſt habere mortalem, vt ſecundum ipſa moriens, mortem vinceret, ſecundum etiam ipſam reſurgeret, per quam noſtra quoque corpora ſuſcitaret. Magnum myſterium dilectiſſimi fratres, magnum diuinæ dilectionis indicium. Homo Deum contemnens à Deo diceſſit: Deus hominem diligens ad homines venit. Dilexit impium, vt faceret iuſtum: dilexit infirmum vt face-

ret ſanum: dilexit peruerſum, vt faceret rectum; dilexit mortuum, vt faceret viuum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Deus vnigenitus humanam naturam tantum dilexit, vt eam non ſolum à poteſtate mali angeli liberaret, verum etiam in ſeipſo ſuper omnes bonos angelos, in patris dextra collocaret. Natura enim quæ in primo homine à malo angelo captiuata fuerat, ipſa nunc in ſecundo homine ſuper omnes bonos angelos regnat: natura quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipſa in ſecũdo homine mundum à peccato mundauit. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Primum hominem mulier corrupta mente decepit, ſecundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge, nequitia diaboli ſeductam deprauauit mentem: in ſecundi autem hominis matre, gratia Dei & mentem integram ſeruauit & carnem. Menti contulit firmiſſimam fidem, carni abſtulit omnino libidinem. Quoniam igitur miſerabiliter pro peccato damnatus eſt homo: Ideo ſine peccato mirabiliter natus eſt Deus homo. Attendite, fratres medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate monſtratas. Tunc ad Euam angelus malus acceſſit, vt per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo ſepararetur: Nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, vt in ea, humanæ naturæ Deus vnigenitus vniretur. Venit ad Euam diabolus, vt vitam nobis malignus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret. Per primi hominis culpam, cœpit diabolus homini dominari: per ſecundi hominis gratiam, cœpit ab homine ſeparari. Super primum ſuperbus, ſub ſecundo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit, per iſtum nos liberatos amiſit. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, nouiſſimus Adam nobis auctor extitit gratiæ. Ille de limo plaſmatus, terrenos protulit: iſte de ſpiritu ſancto natus, cæleſtes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem, per iſtum recepimus ampliorẽ. Ille quippe intulit nobis peccati maculã, cum qua naſceremur ad ſupplicium: iſte nobis contulit iuſtificationis gratiam, vt renaſceremur ad regnum. Per illum nos filius ſæculi generatio carnalis effecit: per iſtum nos filios Dei generatio ſpiritalis exhibuit. Ille nos vitiis ſubdidit, iſte nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia deiecit, quo primus cecidit: iſte nos per virtutes eleuat, quo primus aſcẽdit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iſte primus conſcendit in cęlum. Interea, fratres, dignum eſt, vt in die dominicæ natiuitatis, diẽ quoque dominicæ reſurrectionis ſolenniter audiatis. Vnigenitus enim Deus ſicut pro nobis dignatus eſt naſci, ſic pro nobis ſecundum carnem dignatus eſt mori, dignatus eſt etiam ſuſcitari. Iſte quippe dies eſt viſitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiæ, qua nos vnigenitus Deus ſaluos fecit, conceptus in vtero cœpit, ipſumque opus gratiæ de ſepulchro reſuſcitatus impleuit. Conceptus in vtero, factus eſt particeps mortis noſtræ: reſurgens de ſepulchro, fecit nos participes vitæ ſuæ. Nunc itaque omnes Deum exoremus, vt ſicut in iſto die gaudium ſuo populo tribuit, ad illum quoque diem omnes cum gaudio & pace perducat, populúmque ſuum in fide & charitate cuſtodiat, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto de laudibus B. Mariæ ex partu ſaluatoris. Sermo. II.*

NAtiuitas domini noſtri Ieſu Chriſti, totum mundum noua aduẽtus ſui luce hodie perfudit. Hodie de cælo Deus deſcendit ad hominem, vt in cælo homini præpararet aſcenſum. Hodie accepimus natum Dei, virginis filium, omnium credentium ſaluatorem, Deus de patre, homo de matre, Deus occultus, homo manifeſtus. Et quoniam diabolus per ſerpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis ſeculis vitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum virgo concepit. O coniunctio ſine ſordibus facta, vbi maritus ſermo eſt, & vxor auricula. Hoc ſplendore concipitur Dei filius, hac munditia generatur. Nulla fieri grauedo potuit concipiẽti, nulla triſtitia parturienti. Qui enim venerat triſte lætificare ſeculum, vẽtris non contriſtauit hoſpitium. De cælis medicus trãſiens per virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam fecit virginem permanere. Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in ſua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare naſcendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius quam decreuit. Et virginitas ampliata eſt potius quam fugata. In anguſto corporis membro ſuſtinuit, quidquid ſuſtinent cæli. Plena ſunt viſcera, & nullum nouit contagiũ virginis conſcientia. Cum eſſet grauida, ſalubri leuitate plaudebat. Lumen enim quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat. Facta eſt Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen. Facta eſt Maria ſcala cęleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines mereantur aſcendere ad cælos. Ipſis enim licebit aſcendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per virginem Mariam deſcendiſſe. Facta eſt Maria reſtauratio fœminarum, quia per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. Tria denique mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euæ dictum eſt, in doloribus & in triſtitia paries, & ad virum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Tribus ergo his malis ſe ſubiugant fœminæ, quæ Mariam non ſequuntur, dolori, triſtitiæ, ſeruituti. Maria autem è contrario, quàm præclariſſimis tribus bonis ſublimetur auſculta, ſalutationis angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur ſalutaſſe: Aue Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cum dixit aue, ſalutationem illi cæleſtẽ exhibuit. Cum dixit gratia plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam. Cum dixit, benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expreſſit, vt ex eo dicatur benedicta inter mulieres, quæcunque perſeuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeaſſe. Venite virgines ad virginem, & lætamini, ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionẽ reſtaurationis aſſumite. Proiicite dolores, quos Eua per ſerpentem accepit, & quos per angelum Maria ſuſcepit honores aſſumite. Pellite triſtitiam, concipientes,

Maria refugium & reſtauratio fœminarum.

cipientes, gemitus parturientes abiicite, vt ſolus vobis iſte virginis filius dominetur. Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem venite parturientes ad parturientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuẽculam. Ideo omnes curſus naturæ virgo Maria, in domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium, noua Eua ſeruãdo virginitatem, ſicut omne genus virorum Adam nouus recuperat dominus Ieſus Chriſtus, qui cũ patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

B. Maria ad ſe confugientibus fœminis ſubuenit.

S. GREGORII PAPAE, *in eodem feſto Homil.*

Eſt Hom. 8. in Euangelia.

QVia, largiente domino, Miſſarum ſolennia ter hodie celebraturi ſumus, loqui diù de Euangelica lectione non poſſumus: ſed nos aliquid breuiter dicere, redemptoris noſtri natiuitas ipſa cõpellit. Quid eſt, quòd, naſcituro domino, mundus deſcribitur, niſi hoc quòd apertè monſtratur, quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate? Quo contrà de reprobis per prophetam dicitur; Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Qui bene etiam in Bethleem naſcitur. Bethleem quippe domus panis interpretatur. Ipſe nanque eſt, qui ait; Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi. Locus ergo, in quo dominus naſcitur, domus panis antè vocatus eſt: quia futurum profectò erat, vt ille per materiam carnis appareret, qui electorum mẽtes interna ſatietate reficeret. Qui nõ in parentum domo, ſed in via naſcitur: vt profectò oſtenderet, quia per humanitatem ſuam, quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur. Alienum videlicet, non ſecundum poteſtatem dico, ſed ſecundùm naturam. Nam de poteſtate eius ſcriptum eſt; In propria venit. In natura etenim ſua ante tempora natus eſt, in noſtra venit ex tempore. Qui ergo æternus permanẽs, temporalis apparuit, alienum eſt, vbi deſcendit. Et quia per prophetam dicitur, Omnis caro fœnum: factus homo, fœnum noſtrum vertit in frumentum, qui de ſemetipſo ait, Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Vnde & natus in præſepio reclinatur, vt fideles omnes, videlicèt animalia ſancta, carnis ſuę frumento reficeret, ne ab internæ intelligentiæ pabulo ieiuna remanerent. Quid autem eſt hoc, quòd vigilantibus paſtoribus angelus apparet, eóſque Dei claritas circunfulget: niſi quod illi præ cæteris videre ſublimia merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſolicitè ſciunt, dúmque ipſi piè ſuper gregem vigilant, diuina ſuper eos gratia largiùs coruſcat? Regem verò natum angelus nunciat, eiuſque voci angelorum chori concinunt, & congaudentes clamant, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Piùs quippè quàm redemptor noſter per carnem naſceretur, diſcordiam cum angelis habuimus, à quorum claritate, atque mundiția, per primæ culpæ meritum, & per quotidiana delicta longè diſtabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabant angeli, ciues Dei. Sed, quia nos cognouimus regem noſtrum, recognouerunt nos angeli ciues ſuos. Quia enim rex cæli terram, noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa iam angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram angeli redeunt, intentionem prioris diſcordiæ poſtponunt: & quos priùs infirmos, abiectóſque deſpexerãt, iam vt ſocios venerantur. Hinc eſt enim, quòd Lot, & Ioſue angelos adorãt, nec tamen adorare prohibentur: Ioannes verò in Apocalypſi ſua adorare angelum voluit, ſed tamen idem hunc angelus, ne ſe debeat adorare compeſcit, dicens; Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum. Quid eſt, quòd ante redemptoris aduentum angeli ab hominibus adorantur, & tacent: poſtmodùm verò adorari refugiunt, niſi quòd naturam noſtram, quàm priùs deſpexerant, poſtquàm hãc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt. Nec iam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicèt in cęli rege venerãtur: nec habere dedignantur hominem ſocium, qui ſuper ſe adorãt hominem Deum. Curemus ergo, fratres chariſſimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in ęterna preſcientia & Dei ciues, & angelis ęquales ſumus. Vindicemus moribus dignitatẽ noſtram. Nulla nos luxuria inquinet, nulla nos turpis cogitatio accuſet: non malitia mentem mordeat, non inuidiæ rubigo conſumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamẽta dilaniet, non ira inflammet. Dij etenim vocati ſunt homines. Defende ergo tibi, ô homo, contra vitia honorem Dei, quia propter te factus eſt Deus homo.

Pſal. 68. *Ioan. 6.* *Ioan. 1.* *Eſaia 40.* *Ioan. 12.* *Geneſ. 19.* *Ioſ. 5.* *Apoc. 19. & 22.*

S. ISIDORI EPISCOPI *Hiſpalenſis in eodem feſto Sermo.*

Habetur in Homiliario Alcuini.

NAtalis domini dies ea de cauſa à patribus votiua ſollennitate inſtitutus eſt, quia in eo Chriſtus pro redemptione mundi naſci corporaliter voluit, prodiens ex virginis vtero, qui erat in patris imperio: cuius ſuſceptæ carnis cauſa hæc eſt. Poſtquam enim inuidia diaboli parens ille primus ſeductus vaniter cecidit, confeſtim exul, & perditus in omni genere ſuo radicem malitiæ, & peccati traduxit, creſcebatque in malum vehementius omne genus humanum, diffuſis vbique ſceleribus, & quod eſt nequius, omnium cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, cõſuluit verbo, lege, prophetis, ſignis, plagis, prodigiis. Sed cum ne ſic quidem errores ſuos admonitus agnoſceret mundus, miſit Deus vnigenitum filium ſuum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, & peccatores ſanaret. Qui ideo in hominẽ venit, quia per ſemetipſum ab hominibus cognoſci non potuit. Vt autem videretur, verbum caro factum eſt, aſſumendo carnem, non mutatum in carnem. Aſſumpſit enim humanitatem, non amiſit diuinitatem. Ita idem Deus, & idem homo: in natura Dei æqualis patri, in natura hominis factus eſt mortalis in nobis: pro nobis enim manens quod erat, de nobis ſuſcipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc eſt ergo dominicæ natiuitatis magna ſollennitas: hæc eſt diei huius noua, & glorioſa feſtiuitas, aduentus Dei factus ad homines. Itaque dies iſte pro eo quod in eo Chriſtus natus eſt, Natalis dicitur. Quem ideo obſeruare per reuolutum circulum anni feſta ſol-

lennitate debemus, vt in memoriam reuocetur, qood natus eſt Chriſtus, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

SOPHRONII EPISCOPI *Hieroſolymitani in Chriſti Seruatoris natalitia, quæ tum in Dominicam diem inciderant, Oratio. Theodoro Peltano interprete.*

Habetur in orig. Declamat. patrum.

LÆtam illuſtremque præſentem diem cernos vtpote gemino nos ſplẽdore, & luce perfundentem, geminaque lętitia, & iocunditate genus noſtrum cumulantem. Non quòd duplicem nobis Solem oſtendat, eaque ratione duplici nos gratia irradiet, ſed quòd vnus, idemque iuſtitiæ Sol, quem offeri, dupliciter quodammodo nobis, qui in terris ætatem degimus, exoriatur, duplicemque ſplendorem, & gloriam mortalium generi ſubminiſtret: & duplex tandem ſpiritale gaudium eidem adferat: Hinc quidem ex vtero virgineo exortus; inde verò ex abditis inferorum antris excitatus. Vt exortus, immenſa mortalium animos lætitia delibutos reddidit; vt verò excitatus, triſtem mortem peremit, omnesque, quos detinebat, mortoos illi ademit; & nobis, qui in terreſtri hac regione verſamur, ad incorruptam, immortalemque vitam iter aperuit. In vnum namque vtraque coierunt, iuxta illud, quod in pſalmis fertur: Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi; iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus (noſter Ieſus Chriſtus) dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Chriſti oamque exortus, eiuſdemque ex mortuis reſurrectio, in vnum diem inciderunt. Iure proinde, meritoque lucem hanc, dierum dominam appellaueris; vt quæ communem omnium Dominum nobis ex mortuis exhibeat rediuiuum, natalitiáque, ob illius ex virgine ortum, ſolennitate aucta, & cumulata ſit. Nihil videri his poteſt ſplendidius; nihil mentis oculis obuerſari iucundius. Ecquid enim diuiniſſimo Dei Opt. Max. exortu, animo pertractari poteſt illuſtrius? quid celebratione dignius? Quid rurſum eiuſdem Dei ex mortuis reſurrectione, cogitari poteſt lætius? Quid obiri feſtiuius? Eſt enim ille vera lux, quæ ex vera luce, æternè, indiuulſéque naſcitur; quæque nobis hodie bifariam oritur, per natiuitatem nimirum, & reſurrectionem, duplicesque ſalutares radios impertitur: vtraque enim ſalutari gaudio referta eſt. Quamobrẽ lætæ quoque, feſtiuæque voces, præſentem hanc ſolennitatem illuſtrant, fideleſque duplici nomine ad feſtum hunc diem celebrãdum inuitant. Hic virgo, quæ eum in lucem edidit, Angelum, non abſque iuſtiſſima cauſa, eiuſmodi oratione ſe compellantem accipit: Aue gratia plena, Dominus tecum; quaſi dicat, maledictio, quæ Euæ iam olim irrogata fuerat, iam tandem per te finem facit. Hîc rurſum paſtores vigilantes, nocturnasque cuſtodias obſeruantes, Angelum eiuſmodi nuntium ad ſe deferentem audiunt; Ecce euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Per quem & ſeruamur, &, excuſſo ſeruitutis iugo, in Dei filios gratis cooptamur. Illîc verò illuſtres fœminæ Chriſti Redemptoris diſcipulæ, ipſummet Dominum, Auete, clamantem exaudiunt. Qui ſanè Chriſtus omnibus tantæ huius lætitiæ auctor exiſtit. Nam & per ipſum mors mortua eſt, & terribile illud condemnationis noſtræ iudicium, quaſi exterritum abolitum eſt, & legale maledictum diſſolutum eſt, & Euæ pœna reſtincta eſt, & mortis imperium euerſum eſt, & mortuorum reſurrectio, mortem in ſeipſam ſæuire, amplius non ſinens, luculenter inchoata eſt. Ibi propter admiſſam in Paradiſo præuaricationem, maledictio illa; In dolore paries filios, omnino proſcripta eſt; quippe cùm lætitia, & gaudium Chriſti natalitia exceperint: hîc verò alterum illud maledictum, nempe; Terra es, & in terram reuertẽris, penitus euacuatum eſt, eò quòd vita reſurrectionem ex mortuis propalàm oſtenderit, ſiquidem Euæ maledictio, & pœna erat illud; In dolore paries filios: Adami verò alterum illud; Terra es, & in terram redibis: Vtriuſque autem; parcam, & miſeram vitam perpetuò ducere. Verùm enimuero potentiſſimus horum liberator, & Redemptor, per ſuam natiuitatem, & reſurrectionem in medium ſe tulit, verumque Redemptorem, & liberatorem ſeſe declarauit. Nihil enim extat, quod Dei potẽtiam vincat. Dominus naoque mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit, vt ſcriptum eſt. Sed neq; quicquam comperiri quoque poteſt, quod omnipotenti illius nutui obſiſtere valeat. Manus eius, propter peccata, hominem verberant; eædem rurſus, propter ingentem eiuſdem benignitatem, percuſſum ſanant. Aſt quis ſum ego, qui, quæ videmus, & audimus, pro dignitate exponam? Deſtituor enim oratione, & lingua, & ore, quibus diuinorum illorum feſtorum miracula, pro merito ediſſeram. Ea propter maximè perplexus, ſummáque in rerum difficultate conſtitutus, Angelorum hymnum mutuò accipiam, illumque Deo humanam naturam ſortito, nec non è ſepulchro, & mortuis hodierna luce exuſcitato, ingenti voce decãtabo, claréque, & perſpicuè perſonabo; Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nam quò nos ſublimes efficeret, magiſque cæleſtes, quàm terrenos eſſe oſtenderet, è ſublimi ad nos viles, abiectoſque deſcendit. Bello rurſum, quod ſub aſpectum non cadit, impetitos, ſecuritate, & pace donauit, ſuóque patri reconciliauit, & noſtram cum Deo Patre pacificationem in ſeipſo faciens, ſe pacem noſtram eſſe demonſtrauit. Et nos æquè, qui longiſſimè à diuino aſpectu reiecti, proſcriptique eramus, ita ſuis virtutibus exornauit, & inſtaurauit, vt & Deo probaremur, & clementi oculo ab eodem aſpiceremur; Et ſepis maceria è medio ſublata, illud quoque, præter cætera, nobis impertitus eſt, vt Dei claritatem reuelata facie cõtemplari queamus. Denique nos, qui pridem ob delicta noſtra in mortem incurreramus, eademque vltrò, & quaſi data opera nobis aſciueramus; Deus enim mortem non fecit, neque (cùm ſit optimus) in viuorum perditione lætatur, denuo in vitam aſſeruit, & è ſepulchro, & interitu exuſcitauit, dicereque nos iuſſit: Vbi eſt, mors, victoria tua? vbi eſt ſtimulus tuus, inferne? Chriſtus enim, ad nos humiles ſeſe demittens, noſtrumque ortum ſponte ſubiens, & vt verus homo mortem oppetens, vtraque defregit, & obſcura-

De omnibus loquitur, qui in vina fide mediatoris de functi erant.
Pſal. 84.
Dominica dierũ domina.
Luca 1.
Luca 2.
Matt. 28.
Geneſ. 3.
Geneſ. 3.
1. Reg. 2.
Luca 2.
Epheſ. 2.
Sap. 1.
1. Cor. 15.
Oſee. 13.

Rom 11. ſcurauit. O altitodo diuitiarum ſapientiæ, & potentiæ diuinæ! ô benignitatem verè immenſam! Etenim, cùm antea non eſſemus, ex nihilo nos produxit. Inſano rurſum, temerarióqne cooſilio, in interitum prolapſos, nec non in mortis barathrum præcipites actos, ex tumulo denuo exuſcitauit; mortéque, qua validè tenebamur, debellata, ipſam vioendi naturam iterum nobis reſtituit, atqne adeò ipſam ſpiritalem vim, æquè vt antè, infundere nunquam deſiit. Cùm enim Deus ſit, iis, qui ope illius indigent, dona, & beneficia verè diuina, & magna iugiter impertit. Ea propter rurſum clamo, ſempérque cũ cœleſtibus illis exer-
Lucæ 2. citibus clamabo; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluotatis. Ecquid enim coouenienous, veréque decentius, & reipſa quoqoe illuſtrius dicere poſſuot, qui natum Deum celebrare, laudibúſque euehere cupiunt, quàm; Gloria in altiſſimis Deo, & io terra pax hominibus bonæ voluntatis? Deus in terra agit; & quis io cœlum non euadat? Deus è virgine natus io medium prodit; & quis hodie diuinus noo efficia-
Virginitas iter ad Deũ pandit. tor? Quis, quò propius ad eom accedere queat, ad virginitatis ſanctitatem oon anhelet? cõtinentiámque alacri animo non complectatur? Deus vilibus, abiectisq̃ne panniculis inuoluitur; & qnis eſt, qui, ſi quid fortè vile, abiectúmque quandoque occurrat, qoò dioinitatis particeps fiat, obuiis vlnis illud non excipiat? Nec enim alia de cauſa humana paupertate ſeſe conueſtiuit Deus, quàm vt ſua nos gratia Deos efficeret. Atque hoc pſalmiſta Dauid, idémque Chriſti parens, prophetiæ dooo illuſtratus, Chriſtique ex ſe naſcituri beneficia edoctus, ac præclara, diuináque eiuſdem facta liquidò per ſpiritum conſpicatus,
Pſal. 81. diſertis iam olim verbis expoſuit; Ego, ait, dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Deus inter nos eſt, veterem hominem exuti, ipſúmque, quoad eius fieri poteſt, æmulari, diuini efficiamur. Celſiſſimus factus eſt terrenus; & nos noſtræ quoqoe mentis propoſita, animique deſideria ſurſum ſubrigamos, diuinorúmqoe munerũ capaces nos reddere ſtudeamus. Deus in præſepio palàm proponitur, nobiſque, qui & fame tabeſcimus, & iumentorum more nulla penè ratione ducimur, ſeipſum vltrò in cibum exhibet. Ecquis ergo, bruto illo alimento, tanquam diuinis dapibus, diuináque charitate prorſus indigno, abiecto, in illius diuinitate ſe
Lucæ 2. nõ oblectet? Verè dixerim; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tripudio, paſtorúmqne more exulto, dũ voces eiuſmodi planè diuinas audio; & ad præſepe, quod Deum excepit, ſtatim coouolare geſtio, nec non ad cæleſte illud ſpecus, toto animi impeto raptus, myſterium, quod in ipſo latet, coràm conſpicari, atque Hymoum illum; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, in recens nati gloriam, & honorem depromere ardẽter deſidero. Quin diuinos quoque Magos veneror, magoique facio; & curſum, quo Deo addicti, diuináque edocti viri illi vſi, ad cœleſtem Bethleem deuenerunt, maiorem in modum admiror. Acceſſerunt huc autem, Herodis quidem furorem, infantúmque trucidatorem gladiũ, nihil quicquam veriti; ſtellam verò luce ſua viam præmonſtrantem, ducem vtique ſublimem, planeque cœleſtem, ad ſublime illud, cœleſtéque iter cõmodè cõficiendom, peropportunè nacti. Horum ego comes eſſe peropto, natóque Deo munera quædam offerre percupio; Etſi ille hoc tempore ab amicis non exigat aurum, aut myrrham, aut thus (hæc enim, aliaque ad vitæ vſum neceſſaria, tanquam vniuerſorum Conditor, & Dominus, egẽnbus familiariùs ipſe donare ſolet, quàm ab vllis omnino poſtulare.) Auri autem loco, fidei ſinceritatem exigit. Pro myrrba autem, incorruptam animæ, corporiſque integritatem depoſcit: Tum doctrinæ rurſum, & prædicationis puritatem: Tum orthodoxum tandem circa fidem ſenſum, & intellectum. Thuris autem vice, bonorum operum ſuaueolentiam à nobis efflagitat; non quò horum acceptione diues euadat: Verùm quò oos per ea opulentiores reddat. Ecquid enim extat vnquam ſublimium, cæleſtiúmve rerum, aut illuſtrium beneficiorom, quorum theſauros, & fons, immenſúmque pelagus non eſt Deus? Neqoe horum ſolùm origo, & cauſa eſt, ſed magnificus quoque, liberaliſque, ſi egentes adſunt, corundem dator. Verùm Magi, diuinique paſtores ad Bethleẽ, quæ Deum excepit, proficiſcantnr, ſtellámque Comitem, & itineris Ducem habeant, & miraculum illud planè ſtupendum coràm cõtempletur, cõtẽplantéſqoe obſtnpeſcãt, & dona Magis digna hilariter of-
ferant, & Angelorũ doxologiam ingeminẽt; Glo- *Lucæ 2.*
ria in excelſis Deo, tecinentes, & in terra pax hominibus bonę volũtatis. Nihil illi formident, nihil extimeſcant, non inſani Herodis furias, non aliud vllum metũ incutere ſolitum, animo pertractent; ſed diuinis tantùm meditationibus ſe occupent, infantémque pannis inoolntum, & in diuino præſepio poſitum, defixa oculorum acie ſpectent. Quis infans vniuerſorum eſt ſeruator, Deúſque, & Dominus verè inexplicabilis; etſi noſtri cauſa, qui carnales ſnmus, adeóque puram nudámque illius diuinitatem intueri nequibamus, homanæ carnis, corporiſqne velamine ſit obtectus. Nos autem propter innumera peccata noſtra, grauiſſimaque errata, earum rerum cõtemplatiooe iodigni effecti, curſu illuc contendere, præſtóque adeſſe, prohibemur; ſed vel inuiti, & nolentes domi manere cogimnr; nullis ſanè corporis vinculis aſtricti, verùm Saracenico metu abſterriti, & compediti; triſtioáqne, noſtra quidem infelicitate digna, indigna autem bonis, qoæ nobis alioqui debebantur, veluti tempeſtate qnadam iactati. Quandoqnidem, ſi miſeria ooſtra bonis illis digna fuiſſet, omnino nos quoqne prope loca illa poſiti (nec enim à longinqno illa aſpicimns) cum paſtoribus choros duceremus, & cum Magis Deo dona offerremns, & cum Angelis odam illam; Gloriã in excel-
ſis Deo, & in terra pax hominibos bonæ volunta- *Lucæ 2.*
tis, decãtaremus. Verùmenimuero eiuſmodi voces vel hoc loco depromere iooffensè ſinimur: at ipſum verò præſepe, & ſpecum illam verè ſnblimem, cæleſtémqoe contueri, & cœli, terræque Regem coràm iſthic contemplari, tanquam ſpectaculo eiuſmodi indigni, omnino vetamnr. Verè generis noſtri principem, primúmque parentẽ Adamum, à Paradiſi habitatione miſerabiliter proſcriptum, hîc imitamur. Etenim ob nefaria peccata, lapſúſque, quæ praua, præpoſteráque mente ſubiode deſignamus, tam grauia, vel mnltò qooque grauiora, triſtioráque patimur, quàm ille. Nã, vt ille à Paradiſi deliciis proſcriptus, exúlqoe factus, & grauiſſima, irreuocabiliqne Dei ſenteotia inde eiectus, oculis quidem Paradiſi hortum

vſurpabat (è regione enim illius habitabat) ad ipſum autem denuo regredi non valebat, vt qui flammeam illam, verſatilémque rhomphæam, quæ aditum ad eiuſmodi locum præcludebat, ipſúmque ob deſignatum præuaricationis peccatum, bono illo ardenter cupito orbabat, ob oculos verſari cerneret, ita nos quoque hodierna die mulctamur: Quandoquidem ciuitatem Bethleem, quæ Deum excepit, vicinam habemus, neque in ipſam tamen ingredi permittimur, non quidem ardentem illam, verſatilémque Paradiſi rhomphæam conſpicantes, ſed efferatum, planéque barbarum, atque omni reuera crudelitate plenum, Saracenorum gladium extimeſcentes. Hic enim gladius horrendum fulminans, cædémque ſpirans, & intentans, beatæ illius viſionis exortes nos reddit, domíque citra vlteriorem progreſſionem, manere compellit. At verò licet Agarenorum ſica æquè nunc fulminet, ac rhomphæa illa, quæ Paradiſi oſtium quondam aſſeruabat, attamen, ſi nos voluerimus, hoc eſt, ſi conuerſi Deum noſtri cauſa natum, per ſtudioſa opera ex animo quæſiuerimus, vt antea fuerat, ſedata mox, & mitis euadet. Si, inquam, nos peccatorum flammas, per pœnitentiam reſtinxerimus, & Deum Opt. Max. propter nos, & ſecundùm nos natum, religioſe coluerimus, operúmque, quæ ille execrari ſolet, ſtudium intermiſerimus, ardoris ſui ſenſum facilè deponet. Qua, quæſo, fronte ad Deum accedere audemus, qui nullam neque animi fœcunditatem, neque corporis caſtimoniam, muneris loco deferimus? Quo modo ipſi appropinquare non veremur, qui operum, quæ illi lætitiam, & voluptatem parere dignoſcuntur, ſuaueolentiam nullam obtinemus? Præſertim cùm flagitioſorum operum graueolentiam, infeſtiſſimè odiſſe non ignoremus? Metuo autem, magnóque tremore conſtringor, ne, qui orthodoxam fidem habere videmur, ſecundum illam quoque laborare deprehendamur: vt qui eam ſolam, hoc eſt, ab honeſtarum actionum coniugio ſeiunctam, bonorúmque operum comitatu deſtitutam, oberrare permiſerimus: Si enim fides, ſtudioſa fragantium operum

Iacob. 2. actione orbata, ſecundùm Iacobum, fratrem Domini, qui huius quoque gregis paſtor aliquando extitit, eſt mortua; quomodo nos rectum curſum tenebimus, qui fidem operibus, quaſi alis quibuſdam exornare non curamus? neque animos noſtros pernicibus operum miſericordiæ pennis obarmamus? Quamobrem, fratres, animo meo exoptatiſſimi, opera, quæſo, cum fide conſociemus, neque ob operum, quæ adeſſe oportebat, abſentiam, eam infirmemus: ita enim fiet, vt, quemadmodum fide fortes, validíque conſiſtimus, (neque enim Chriſti gratia defenſi, conſeruatíque, vlla illam ex parte labefactauimus) ſic bonis quoque operibus firmemur; & Chriſtum ipſum, qui honeſtis actionibus impensè delectatur, fide ſimul, & operibus non parum recreemus, clementiſſimámque eiuſdem celſitudinem nobis promereamur. Ipſe enim eſt, qui tanquam Legiſlator, hæc decreta diſertè pronunciat, Non omnis, qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlo. Rurſum, Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Item, Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Si itaque paternam illius voluntatem fecerimus, verámque, & orthodoxam fidem, conſtanter retinuerimus, Iſmaëlitarum rhómphæam facili negotio amoliemur, Saracenicámque ſicam a nobis auertemus, & Agarenorum arcum confringemus, & diuinam Bethlehem non longo poſt tempore contemplabimur, & quæ in illa ſunt admirabilia, contuebimur, & admirandorum operum opificem Chriſtum conſpicabimur, & vnà cum Angelis doxologiam illam, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, magna, ſonoráque voce decantabimus, operámque ea re Chriſto cum primis gratam nauabimus. Eſt enim ille iis rebus, quæ ſalutem noſtram promouere, & procurare natæ ſunt, addictiſſimus. An non, cùm Dei verbum eſſet, æternúmque ex æterno Patre ortum haberet, impollutum matris Virginis vterum propter nos inhabitauit? Veramque in illa, & ex illa carnem ſuſcepit? Suſcepit autem ex ea carnem non priùs quidem formatam, & exiſtẽtem, quàm indiſſolubili vinculo illi coniungeretur, ſed vnà cum ipſo, & in ipſo verbi complexu, exiſtentiam ſortitam. Ipſius namque conſtitutio, & ratio, cum ipſa compoſitione ad punctum coibat, ipſíque coæua erat. Quam etiam carnem, rationalis vitæ ſpiritu animatam, ſibi ſecundùm hypoſtaſin adiunxit, vt illuſtre illud fidei lumen Leo docet, & ſapientiſſimus Cyrillus, magnus ille cæleſtis doctrinæ præco, præclarè, veræque pietati, & religioni admodum conſentaneè, confirmat. Chriſtus nanque ſalutis noſtræ cauſa, nobis per omnia aſſimilatus, & ſeminis expertem conceptionem habuit (viri enim, vt naſceretur, ſynergia nulla egebat) & Virginis vtero ſe circumſcribi ſuſtinuit, & hominum more pro ſua clementia in lucem edi voluit, & in manifeſtiſſimum omnipotentis diuinitatis ſuæ indicium, & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, integram, incorruptámque conſeruauit, ipſámque nihilominus Deiparam eſſe palàm oſtendit. Quin & ipſa viciſſim virgo luculentum, ineffabili illius diuinitati teſtimonium perhibuit; Teſtatum, inquam, orbi fecit, ipſum eſſe verum Deum, verúmque Dei Filium, eiuſdem cum Patre naturæ, & ſubſtantiæ, etſi ab illis, in quorum oculos incurrebat, homo tantùm, noſtri ſimilis fuerit habitus. Coruſcat autem, & lucet hic Filius duabus naturis, diuina vna, humana altera. Interim nulla ex parte eſt diuiſus, manet enim vnus Chriſtus, & vnus Filius, omnis expers mutationis, confuſionis, ſectionis, & diuiſionis. An non idem ille, cùm diues eſſet, vnáque cum Regno imperium in omnes obtineret, quo nos, qui pauperrimi eramus, immortales illius opes conſequeremur, in noſtrã mendicitatem vltro ſeſe demiſit? Nónne, cum increatus, imò verò Creator, vniuerſæque creaturæ Conditor eſſet, quò nos in increatæ naturæ ſuæ conſortium eueheret, inter creaturas cenſeri voluit? Nónne, cùm omnis materiæ, corporeæque concretionis exors degeret, quò nos caducis iſtis, fluxíſque corporibus, & carnibus ſuperiores efficeret, noſtráque corpora incorruptione veſtiret, & carnem noſtram immortalitate donaret, caro, & corpus fieri in animum induxit? An non, cùm ſecundùm diuinitatem nullis limitibus circunſcriberetur, quò ad immenſum Regnum ſuum aditum nobis patefaceret, carnem mole definitam ſibi aſciuit? An non, cùm ab omni peccato vacuus, ſanctuſque, & per omnia impollutus eſſet, Peccatum enim non fecit, neque inuentus

Margin notes: *Luca 2.* — *Leo Pontifex illuſtre fidei lumẽ in epiſtola, quæ dicitur columna fidei.* — *Chriſtus honeſtis actionibus impensè delectatur.* — *Matth. 7.* — *Ioan. 14.* — *Ioan. 15.* — *Hebr. 7.* — *1. Petr. 2. 2.*

inuentus eſt dolus in ore eius) noſtri cauſa peccatoribus annumeratus eſt? & in peccatricis carnis *Rom.8.* ſimilitudinem, in lucem fuſus eſt? Qui enim peccatum ignorabat, cum pater, in quem nullū peccatum cadit, propter nos peccatum fecit, vt carne, ab omni peccato immuni, peccati condemnationem euacuaret, nóſque peccatores à contractis peccatorum ſordibus expiaret. Nónne, cum Filius, & liber foret, naturaliſque Domini poteſtate polleret, quò nos libertatis dono ornatos, Deo Patri quaſi filios offerret, inter ſeruos cenſeri ſuſtinuit? Per ipſum enim id conſecuti ſumus, vt Altiſſimi filij nominemur, & ſimus. Interim illud adoptionis donum non natura, ſed gratia nacti ſumus. An non, cùm æternus, & impatibilis, & immortalis eſſet, quò nos ab interitu, omníque patiendi neceſſitate liberaret, & à mortis vinculis, multiplicibúſque catenis, quibus irretiti tenebamur, expediret, & vindicaret, carnem noſtram patibilem, mortalémque induit? An nō hæc omnia præſtitit, modóque diuiniſſimo impleuit, & conſummauit? Vtique, nec enim contingit, Deum propoſito ſuo fruſtari. Nam quid animo concipi poteſt, quod Deus, ſi velit, non efficiat? Aut quis eſt, qui omnipotenti, efficaciſſimæque eiuſdem voluntati, ſua voluntate, vt maximè id contendat, obſiſtere valeat? Huius tanti numinis, Fratres, feſtū diem nos hodie obimus, etiam ſi magna cum triſtitia illud faciamus, vt qui locum, in quo Deus Verbum, & dominus per exortum, qui verbis explicari nequit, apparuit, propinquum habeamus, neque ad illum tamen accurrere valeamus. Sanè idem ferè hîc nobis vſu venit, quod diuiniſſimo Moyſi: Hic enim in montem præcelſum ſubnectus, promiſſionis terram oculis quidem vſurpabat, auidiſſiméque in illam ingredi cupiebat, verùm, quòd virgæ *Num.20.* ſuæ verbere, aquarum fluéta, & riuos è petra eductūrus, Deum non benedixiſſet, nequaquam huc ingredi permiſſus eſt. Et ille quidem ad eum modum, terra multùm deſiderata orbatus, mœroréque exhauſtus, hinc ad Deum emigrauit. Nos autem, qui his nō diſſimilia patimur, quid faciemus? Nam, etſi de cæleſtibus donis animo voluptatem capimus, & lætamur, & religioſè nos oblectamus, & quaſi continuum gaudium haurimus, contriſtamur tamen, & turbamur non parum, quòd locum cominus aſpicere non licet, ibique feſtiuum conuentum agitare, vbi vera illa lux exorta eſt, vbi æterna vita floruit, vbi tandem donorum, & gratiarum omnium theſaurus, aſpectabili forma apparens, omnes, qui cum fide, & pietate intuentur, illuſtrat, & recreat, cæleſtique gaudio vberrimè exatiat, ac tales illis opes impertitur, quæ neque defluunt, neque deficiunt, efficitque vt non abſque gaudio, & oblectatione, cū Angelis, Paſtoribus, & Magis, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, concinant. Sed neque Adamo tantùm, primo generis noſtri parenti, diuinóque Moyſi, miſerè admodum hodierna luce aſſimilamur, verùm Dauidis quoque Dei parentis ſortem cumprimis exactè exprimimus: Vt qui eiſdem penè difficultatibus hoc tempore inuoluamur, obſtaculíſque præpediamur, quibus *2.Reg.23.* olim ille. Etenim Dauid in Regem à Deo aſſumptus, cùm Philiſtæorum acie vndique circumiecta aliquando coërceretur, ſpiritali ſiti, quali forſan nos modo, arens, ardénſque, ſalutarem aquam ex ciſterna, quæ erat in Bethlehē, bibere deſiderabat. Aqua autem, quam myſticè ille expectebat, & viua erat, & omnes, qui ex ea bibebat, Diuina virtute viuos efficiebat: Si ſcires donum Dei, aiebat *Ioan.4.* Chriſtus, fons ille vitæ nunquam deficiens ad Samaritanam; Et quis eſt, qui dicit tibi; Da mihi bibere, tu forſan petiuiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Omnis, qui bibet ex aqua hac, ſitiet iterum; Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ciſterna hæc ſacra, ſanctiſſimam Virginem deſignabat, quæ & vterum geſtura, & Deum paritura erat. Quod enim hîc tranſigebatur, prophetia, & figura erat de Chriſto, qui eſt aqua viua omnibus vitam infundens, déque myſtica, & ſpiritali ciſterna, quæ aquam illam, quæ nunquam deficit, vtero comprehenſam, in lucem dedit, hoc eſt, de impolluta virgine. Hanc autem ciſternam, & aquam, bifariam Rex Dauid videre deſiderabat, incenſéque geſtiebat, ſpiritalibus nimirum, & corporeis oculis: Illis quidē, vt illuſtriſſimus Propheta, his verò, vt conſummatiſſimus iuſtus: Hoc ergo deſiderio intus ardens, aiebat; O ſi quis mihi daret potū aquę de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam! Cognoſcere hinc licet, quàm aptè nos hoc tempore iis aſſimilemur, qui Chriſtum quondam, cùm ſpiritalibus, tum corporeis quoque oculis contueri exoptabant. Ad quod veterum deſiderium, Chriſtus dominus aqua illa viua alludens, alicubi ita cōcionatur, Multi Prophetæ, *Matth.13.* & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis & non audierūt. Huc etiam ſpectant, quę Apoſtolus Petrus ad eos, qui in Chriſtum Seruatorem crediderāt, ea de reſcribit: Quem ait, cùm non videritis, diligitis, in *1.Pet.1.* quem nunc quoque non videntes creditis. Credentes autē exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum, de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerūt, ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prenuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones & poſteriores glorias. Quibus reuelatum eſt, quòd non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc annūtiata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quæ deſiderant Angeli proſpicere. Si ergo iuſti, & Prophetæ, & Angeli, Chriſti natiuitatem, & locum, in quo exoptatiſſimus eiuſdem ortus contigit, contueri deſiderabant, & deſiderant, quid mirum eſt, ſi nos abiecti minimíque, qui eiuſdem religionis, & pietatis participes, orthodoxæque fidei cohæredes effecti ſumus, ardenter iſtuc deſideremus. Et quænam cauſa, quæſo, diuinum Dauidem, cum & germanus Bethlehemita eſſet, ortúmque è deifera Bethlehē duceret, impediebat, quò minus Bethlehemiticę ciſternę aquam, quam tantopere expetebat, tantáque auiditate ſitiebat, biberet? Eadem protſus, quæ nos hoc tempore: nam & ipſe quoque æquè, ac nos modò, ob hoſtilem metum, ad ſacram Bethleem curſu contendere, aquámque concupitam haurire prohibebatur. (Quid autem homini contingere poteſt miſerabilius, quàm bonum deſideratum ob oculos poſitum habere, neque deſiderato tamen frui poſſe?) Quandoquidem tum temporis quoque, perinde ac nunc, Philiſthæorum ſtatio Bethlehem obſidebat,

Ciſterna Bethlehemitica deſignabat Virginē matrem, aqua intra eam contenta, Chriſtū.

Dauid Chriſtum, & Virginē matrem bifariā videre deſiderat. 2.Reg.23.

Loca Chriſti natiuitate cōſecrata, cæleſti gaudio, & gratia piè intuentes perfundunt.

bat, eáque res illum, quemadmodum nos quoque hac tempeſtate, quò minus bonum illud vſque adeò beatum, & deſideratum: (quippe quo nihil nobis obtingere potuiſſet felicius, aut honoratius, aut oblectabilius) conſequamur, impedit, & abſterret, ne ad diuinam Bethleem accederet, abſterrebat, & impediebat. Verùm, licet ille è Bethlehemitica ciſterna aquam bibere deſiderās, propter infeſtam Philiſthæorum aciem, quę Betbleem ſummis ſemper laudibus prædicandam, tunc obſeſſam tenebat, ad Deiferam illam ciuitatem, per id tempus peruenire non poſſet, nihilominus expetitam aquam, ſiquidem ſenſilem aquam bibere placuiſſet, obtinuit. Etenim tres fortiſſimi ſatellites, validiſſimíque propugnatores, Regis deſiderio comperto, ipſúmque non ſine æquiſſima cau-

3.Reg.23. ſa dicere audientes; O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Betblebem iuxta portam! rati aquæ, quæ ſenſu percipitur, deſiderio illum teneri, cùm eſſent, vt conücere, & dicere licet, ad mortem illius cauſa ſubeundam promptiſſimi, in manifeſtum vitæ diſcrimen proruerūt; Regi per hoc animi ſui robur, infractámque audaciam probare volentes; vel certè eximiam, & admiratione dignam in principem ſuum beneuolentiam, inuictámque erga ſalutarem eiuſdem ſermonem, ſtudium, & ardorem demonſtrare inſtituentes. Siquidem maiorem hac, dilectionem ne-

Ioan.15. mo habet, ait Saluator, quàm vt animam ſuam

2.Reg.23. ponat quis pro amicis ſuis. Irruperunt ergo tres fortes, ait Scriptura, in caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Hîc tu iam Dauidis pietatem, virtutúmque omnium reginam diſcretionem conſidera: Nam, vt Regnorum habet hiſtoria, noluit aquam illam bibere, verùm libauit eam Domino, dicens, Propitius ſit mihi dominus, ne faciam hoc, num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo vir ille planè diuinus, aquam eam bibere. At cur noluit? quia, prophetiæ lumine illuſtratus, fore præuidebat, vt Iudęi aquæ illi viuenti, omniáque viuificanti, ſecundum carnē è Bethlehem exoriturę, & è lacu virgineo naſcituræ, & in lucem proditurę, hoc eſt, Chriſto fidem denegaturi eſſent: Vt vates ergo ſanctiſſimus, Iudęorum in Chriſtū perfidiam facto adumbrabat. Ob id, inquam, diuinus ille vir aquam ad ſe delatam haurire noluit, quia inſanos, ſceleratóſque Iudæos Chriſti prædicationi, in ſuum ipſorum interitum & perditionem, nequaquam credituros præſagiebat, certóque præuidebat. At nos verò, qui & Chriſtum Seruatorem gratanter ſuſcipimus, & orthodoxa fide ornati ſumus, & execrandam Iudæorum incredulitatem auerſamur, & ſpuriam, fœdámque eorundem amentiam modis omnibus deteſtamur, ſacram Betblehem adire enixè auemus, diuinámque ciſternam, quæ iuxta portam extat, Deiparámque virginem myſticè deſignat, (hæc namque aquam viuam, quæ vitam dat mundo, effudit) mentis oculis contemplari, & ſalutē, quæ in ipſa apparuit, hoc eſt, Chriſtum, qui humanum ortum hac luce in ea ſubiit (hic enim noſtra eſt ſalus, & vita, & redemptio) accuratè contueri, adire nequaquam poſſumus. Tenemur profectò deſiderio, & ſiti æquè nos torrente, atque altera illa torrebat Regem; videre autem aquam; vt decantatus ille Dauid, & vel ſolo aſpectu animam, viſúmque inde paſcere, propter Saracenorum metum omnino nō valemus. Etenim impiorum Agarenorum ſtatio æquè nunc, vt dictū eſt, illuſtrem Bethlehē occupat, & obſidet, vt quondam Philiſtæorum; nec vllū prorſus tranſitū ad illam indulget. Interminatur enim cædem & interitum, ſi quis ad ſanctam illam ciuitatem egredi, diuiniſſimæq́; ac nobis optatiſſimę Bethlehē appropinquare auſus fuerit. Quare intra ciuitatis huius portas concluſi, nec non in diuino hoc Dei Genitricis templo cōſtituti, feſtum hunc diem, anniuerſariámque ſolennitatem, non citra triſtitiam obimus, publicéque celebramus: Veſtram proinde in Chriſto Deo noſtro dilectionem hortor, rogóque, & obſecro, &c.

Tēplū Hieroſolymis matri virgini dicatum.

In codice Græco, quo vſus ſum, deeſt orationis epilogus, quem ex chartæ ſpatio, quod reliquum erat, tres, aut quatuor periodos exceſſiſſe non puto.

BEDAE VENERABILIS
presbyt. ſuperioris Euang. expoſitio.

In comment. in Lucam.

F*Actum eſt autem in diebus illis exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Naſciturus in carne Dei filius ſicut parentes ſibi quos voluit, & locum natiuitatis, quem voluit, elegit, eóſque ad ipſum locum, priuſquam naſceretur, quomodo voluit, aduexit, ita etiam tempore, quo voluit, immo quo ipſe vna cum patre, & ſpiritu ſancto à ſæculis diſpoſuerat, perque ora prophetarum prædixerat, mundū vt ſaluaret intrauit. Quomodo enim de virgine matre natus virginitatis ſibi gloriam, & angelicū caſtimoniæ decus oſtendit eſſe gratiſſimum, ſic quoque pacatiſſimo ſeculi tempore procreatus, quia pacē magnopere quæreret, atque amaret edocuit, quia pacis, charitatiſque ſectatores ſemper inuiſere dignaretur indicauit. Iuxta quod ipſe fidelibus promittens ait. Vbi enim ſunt duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi ſum in mēdio eorum. Quod enim maius regni quietiſſimi, & pulcherrimæ, quantum ad homines, potuit eſſe pacis indicium, quàm vna totum orbem deſcriptione concludi, eodem cunctos lōge, latéque mundi fines cenſus nomiſmate comprehendi? Cuius auctor, ac moderator Auguſtus, tanta iuxta fidem hiſtoriarum duodecim annos circa tempus natiuitatis dominicæ pace regnauit, vt tam forinſecis quam ciuilibus bellis toto orbe ſopitis, ſpiritale prophetæ præſagium etiam ad literam videatur impleſſe. Qui videlicet propheta cum myſtica diſpenſationem Chriſti voce præcineret dicens; Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gētes. poſt pauca etiam temporis illius ſacratiſſimi ſtatum deſcribere curauit. Et conflabunt (inquit) gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob, venite, & ambulemus in lumine domini. Non ſolum autem hæc noua mundi deſcriptio illius ſummi regis aduentui teſtimonium perhibebat, qui cōgregatos à mundi plagis omnibus electos ſuos æternæ beatitudinis albo conſcriberet, verum etiam eiuſdem regni duces, quieta ſui moderaminis pace iuuabat, quia nimirum compreſſis à præliorum turbine gentibus vniuerſis, prædi-

caturos

captiuos orbi Chriſti diſcipulos quolibet propter verbum ire vellent ab ingruentium feruore ſeditionum, tremenda id temporis (vt ita dixerim) Romani nominis vmbra protegebat. *Exijt ergo edictum à Cæſare Auguſto, vt cenſum profiteretur vniuerſus orbis*, quia innuebat edictum regis Chriſti, quo ſalutem conſequeretur vniuerſus orbis. Qui vocabulum Auguſti perfectiſſime complés, vtpote ſuos & augeſcere deſiderans, & ipſe augere ſufficiens, cenſitibus ſuæ profeſſionis nó ablatione pecuniç ſubiectos, ſed fidei oblatione ſignare præcipit. Euntes, inquiens, in mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Hæc deſcriptio prima, facta eſt à præſide Syriæ, &c.* Hunc Cyrini temporibus habitum cenſum, etiam Ioſephus inluſtris Hebræorum hiſtoriographus, in octauodecimo antiquitatū libro hoc modo memorat. Cyrinus autem vir vnus ex conſenſu curiæ Romanæ per ſingulos magiſtratus vſque ad gradum conſulatus aſcendens, per cætera quoque honorabilis, cum paucis Syriam venit, à Cæſare ius dare gentibus miſſus, & cenſor ſimul patrimoniorum futurus. Itaque quod ait, *Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino*, ſignificat hanc deſcriptionem, vel primam eſſe earum, quæ totum orbem concluſerint, quia pleræque iam partes terrarum ſæpe leguntur fuiſſe deſcriptæ, vel certe primo tunc cœpiſſe, quando Cyrinus Syriam miſſus eſt. Quomodo autem tunc imperante Auguſto, & Cyrinu præſidente, ibant omnes vt cenſum profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem, ita & nunc imperante per eccleſiæ præſides, id eſt, doctores, immo ſuadente, & præmia pollicente Chriſto, eamus omnes, nullus excipiatur à cenſu iuſtitiæ. Veniamus ad eum, qui laboramus, & onerati ſumus, & ipſe reficiet nos. Tollamus iugum eius ſuper nos, & diſcamus ab eo, quia mitis eſt, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus noſtris. Hæc eſt enim noſtra ciuitas & patria, requies videlicet beata, & cæleſtis animarum, ad quam in ſæculi naſcentis exordio à Deo Chriſto creati, ad quā ab homine Chriſto ſumus in fine ſæculorum recreati. Ad quam nimirum ciuitatem pacis, & quietis ire, & deuota regi noſtro theſaura ferre, eſt creſcétibus quotidie virtutis, ac fidei profectibus, ſupernæ lucis quæ ſint gaudia æterna ſpeculari, & pro his adquirendis proſpera mundi ſimul, & aduerſa contemnere, & his adquiſitis, mundatos nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, precioſius auro Deo munus offerre. Quod ſi etiam genus nomiſmatis quòd Cæſari pendebatur, diligentius inſpexerimus, nó parum nobis deuotionis & ipſum mandare probabimus, quod non aliūde melius quàm de ipſo euangelio quærere, & inuenire valemus, vbi tentantibus ſe de tributo Cæſari reddendo, dominus ait, Oſtendite mihi nomiſma cenſus. At illi (inquit) obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus. Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Vbi primum notandum, quòd Cæſari denarius, qui decem nummos habebat, quòd etiā nomine prodit, imagine eius, & ſubſcriptione titulatus, ſoluebatur. Deinde inferendum, quia iubente domino, quæ Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo eſſe reddenda, nobis quoque ſolerter intimatur, in ſimilitudinem denarij regalis Deo Regi noſtro decalogum legis offerendum, hoc eſt, amoré Dei, & proximi, quorū vnus tribus præceptis, ſeptem alius complectitur, integro eſſe corde ſeruādum. In quo videlicet ſcripturæ ſacræ denario, decem mandatis cæleſtibus quaſi totidem aureis nummis inſignito, vultum, noménque regis æterni, hoc eſt, agnitionem diuinæ voluntatis quiſquis intueri nouit, inueniet. Quod & in tabulis ſui cordis quiſque perfecte credit, ſperat, diligit, ſtilo ſedulæ caſtigationis exarat. Et hunc nobiſcum denarium quaſi ſacculo incluſum in via portamus, quando dicere ſcientes cum Pſalmiſta; Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, domine; dediſti lætitiam in corde meo; ipſum tamen hactenus fidei ſignaculum, gaudiúmque ſpei, & charitatis, in occulta noſtræ conſcientiæ meditatione ſeruamus, Deo teſte reconditum. Verum patriam peruenientes, regi noſtro, cuius viſionem ſitimus, ad quem in ſuo decore cótuendum toto niſu virtutis, tota mentis intentione properamus, quæ in terris latuerant, in cælis coronanda noſtræ bonæ conuerſationis donaria proferemus, quando quæ in tenebris diximus, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti ſumus in cubiculis, prædicabitur in tectis. *Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, &c.* Superna diſpenſatione profeſſio cenſus ita deſcripta eſt, vt ſuam quiſque patriā ire iuberetur. Non tantum propter myſterium, quod diximus, verum etiā vt dominus alibi conceptus, alibi natus, inſidiantis ſibi Herodis furorem facilius euaderet. Qui ſi Bethlehemitis parétibus naſceretur, fugam eorum ſubitam callidus ſcrutator potuiſſet habere ſuſpectam, præſertim cū eos de ſtirpe Dauid, vnde Chriſtus erat futurus, cuncti genus ducere noſſent. Cui Dauid ipſe, ſuo & nomine, & patria, & officio, teſtimonium perhibet. Dauid quippe, manu fortis, ſiue deſiderabilis, interpretatur. Nomen quidem inde mutuans, quod & giganté fortiter ſtrauerit, & pulcher aſpectu decoráque facie fuerit: ſed altiori myſterio illum de ſua domo ac familia naſciturum præfigurans, qui ſingulariter mundi principem debellaret ſpecioſus forma præ filiis hominum, & ipſe in Bethlehem natus, & intellectualiū paſtor ouium, hoc eſt, ſimplicium rector animarum. Cuius non prætereunter tanta támque benigna eſt humilitas intuenda, qui non ſolum incarnari pro nobis, ſed & eo tempore dignatus ſit incarnari, quo mox natus cenſu Cæſaris adſcriberetur, atque ob noſtri liberationem, ipſe ſeruitio ſubderetur. Quam etiam nobis humilitatis eius ſemitam (neq; enim conditiones venit mutare, ſed animos) Petrus inſinuat. Subditi (inquiens) eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tamquàm ab eo miſſis. Sed & coapoſtolus eius Paulus. Reddite (inquit) omnibus debita. Cui tributum, tributū. Cui vectigal, vectigal. Cui timorem, timorem. Cui honoré, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicé diligatis. *Factum eſt autē cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret, &c.* Bene non ſolùm propter iudicium regij ſtemmatis, ſed & propter nominis ſacramétum dominus in Bethlehem naſcitur. Bethlehem nanque domus panis interpretatur. Ipſe nanque eſt, qui ait; Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Locus ergo in quo dominus naſceretur, Domus panis ante vocatus eſt, quia futurum profecto

fecto erat vt ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna ſatietate reficeret. Sed vſque hodie, & vſque ad conſummationem ſæculi, dominus in Nazareth concipi, naſci in Bethlehem non deſinit, cum quilibet audientium verbi flore ſuſcepto, domum ſe æterni panis efficit. Cotidie in vtero virginali, hoc eſt, in animo credentium per fidem concipitur, per baptiſma gignitur. Cotidie Dei genitrix eccleſia ſuum comitata doctorem, de tota mundanæ conuerſationis, quod Galilæa ſonat, in ciuitatem Iuda, confeſſionis videlicet, & laudis aſcendens, cenſum ſuę deuotionis æterno regi perſoluit. Quæ in exemplum beatæ ſemper virginis Mariæ nupta ſimul, & immaculata, concipit nos virgo de ſpiritu, parit nos virgo ſine gemitu, & quaſi alij quidē deſponſata, ſed ab alio fœcundata, per ſingulas ſui partes, quæ vnam catholicam faciūt, præpoſito ſibi pontifici viſibiliter iungitur, ſed inuiſibili ſpiritus ſancti virtute cumulatus. Vnde & bene Ioſeph auctus interpretatur. Indicans nimirum hoc vocabulo quod inſtantia magiſtri loquentis nil valet, ſi non augmentum ſuperni iuuaminis, vt audiatur, acceperit. Quod autem filium ſuum primogenitum Maria peperiſſe deſcribitur, non iuxta Heluidianos accipiendum eſt, alios quoque filios eam procreaſſe, quaſi nequeat primogenitus dici, niſi qui habeat fratres, ſicut non vnigenitus niſi qui caret fratribus, ſolet appellari. Quia & teſtimonium legis, & aperta ratio declarat omnes vnigenitos etiam primogenitos, non autem omnes primogenitos, etiam vnigenitos poſſe vocari. Hoc eſt non ſolum eſſe primogenitum, poſt quem alij, ſed omnem, ante quem nullus è vulua proceſſerit. Denique, quia omne maſculinum, quod aperit vuluam, ſanctum domino vocari præcipitur, ſiue fratres ſequantur, ſiue non ſequantur, quod primum de vulua naſcitur, primogeniti eſt iure conſecrādum. Verum alio ratione Dei filius in carne apparens, & iuxta diuinitatis excellentiam vnigenitus a patre, & iuxta fraternam ſocietatem primogenitus eſt omnis creaturæ. De hac dicitur. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. De illa autem, Et Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Eſt ergo vnigenitus in ſubſtantia deitatis, primogenitus in ſuſceptione humanitatis. Primogenitus in gratia, vnigenitus in natura. Inde eſt, quod frater nuncupatur, & dominus. Frater, quia primogenitus; dominus, quia vnigenitus eſt. *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum, &c.* Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Qui enim maior eſt omni laude, paruulus natus eſt nobis, vt nos viri poſſimus eſſe perfecti. Qui totum mundum vario veſtit ornatu, pannis vilibus inuoluitur, vt nos ſtolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta ſunt, manus, pedéſque eius adſtringitur, vt noſtræ manus ad opus bonum exertæ, noſtri ſint pedes in viam pacis directi. Cui cælum ſedes eſt, dum præſepis anguſtia continetur, vt nos per cæleſtis regni gaudia dilatet. Qui panis eſt angelorum, in præſepio reclinatur, vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat. Qui ad dexteram patris ſedet, in diuerſorio loco eget, vt nobis in domo patris ſui, multas manſiones præpararet. Quamuis hoc, quod non in parentum domo, ſed in diuerſorio, & in via naſcitur, per ſignificationem intelligi altius poteſt. Ipſe nanque ait; Ego ſum via, & veritas, & vita. Qui ergo per diuinitatis eſſentiam veritas, & vita permanet, per incarnationis myſterium via factus eſt, qua nos ad patriam, vbi veritate, & vita frueremur, adduceret. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, &c.* Pulcherrima ratione domino nato, paſtores vigilant, gregémque ſuum ab inſidiis noctis cuſtodiendo defendunt. Vt videlicet etiam per hoc oſtendatur illud adeſſe tempus, quod verus, & ſolus bonus paſtor olim promiſit dicens; Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis, & caliginis. Et paulopoſt; Et ſuſcitabo ſuper ea paſtorē vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra, & cætera. Quæ mirabiliter à propheta prædicta, mirabilius a domino videmus impleta. Meminit & Micheas propheta loci huius & temporis dicens; Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion vſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima regnum filiæ Sion. Turris quippe gregis, quæ Hebraice turris Ader vocatur, mille circiter paſſibus à ciuitate Bethlehem ad oriētem diſtat vaticinio ſui nominis paſtores hos multo ante demonſtrans, ad quā vſque filiæ Sion angelicæ videlicet poteſtates paſtoribus apparendo venerunt. Vigilent itaque nato domino paſtores ſupra gregem ouium ſuarum, ſignificent eius diſpenſatione manifeſtata, vigilaturos in Eccleſia paſtores animarū caſtarū. Quibus dicatur; Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. Bene autem vigilātibus paſtoribus angelus apparet, eóque Dei claritas circūfulget. Quia illi præ cæteris videre ſublimia merētur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicite ſciūt, dúmque ipſi pie ſuper gregē vigilant, diuina ſuper eos gratia largius coruſcat. Aliter angelus Mariam, angelus Ioſeph, angelus paſtores inſtruit. Et concipiendum, & conceptum, & natum, cæli ciues dominum teſtantur, vt & mortales ſufficienter imbuant, & ſuum auctori ſeruitium inceſſanter impendant. Nam & in ſequentibus, tentato, paſſuro, reſurgenti, atque ad cælos aſcendenti, ſemper adeſſe perhibentur. *Et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, &c.* Non omni populo Iudæorum, quorum plurimi rebelles extitere, ſed omni fidelium populo de cunctis tribubus, gentibus, & linguis in vnam CHRISTI eccleſiam congregato, æternum gaudium euangelizatur, & magnum. *Quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt* CHRISTVS *dominus, in ciuitate Dauid.* Hæc eſt poteſtas prima, hoc regnum filiæ Sion, quod præfato prophetæ teſtimonio promiſſum eſt in turre gregis venturum. Vbi notandum, quod angelus, qui in noctis vtique vigiliis paſtores affatur, non ait hac nocte, ſed, *hodie natus eſt vobis ſaluator.* Non aliam ſcilicet ob cauſam, niſi quia gaudium magnum euangelizare veniebat. Nam vbi triſtia quæque nocturnis temporibus geſta, vel gerenda ſignificantur, ibi ſæpe nox vel adiūgitur, vel etiam ſola nominatur. Vt eſt illud; Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte Et alibi; Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. Neque enim fruſtra angelus tanto lumine cinctus apparuit, vt claritas Dei paſtores circūfulſiſſe, hoc hoc eſt, ex omni parte illorū radios luminis aſperſiſſe dicatur, quod nunquam in tota teſtamenti

Et in huius ſymbolū Epiſcopus, cū cōſecratur, annulum ſumit.

veteris ſerie toties angelis apparentibus adiungitur. Sed myſtice præmonuit, quod aperte poſtea muniit apoſtolus dicens. Nox præceſſit, dies autem adpropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur nos arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. *Et hoc vobis ſignum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Crebris infantia ſaluatoris & angelorum præconiis, & euangeliſtarum nobis eſt inculcata teſtimoniis, vt noſtris altius cordibus quid pro nobis ſit factus infigatur. Quia videlicet vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Et notandum ſollertius, quod ſignum nati ſaluatoris datur, infantem non Tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſqualentibus inuolutum, non in ornatis auro ſtratoriis, ſed in præſepibus inueniendum. Hoc eſt non tantum humilitatis eum, & mortalitatis, ſed & paupertatis habitum ſuſcepiſſe pro nobis. Quia, cum diues eſſet, pauper factus eſt pro nobis, vt nos illius inopia ditaremur. Cum eſſet dominus cælorum, pauper factus eſt in terris, vt terrigenas edoceret paupertate ſpiritus regnum adquirere poſſe cælorum. *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis &c.* Vno euangelizante nuncio, natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cæleſtis aduolans, conſono in laudem creatoris ore prorumpit, vt & ſui ſicut ſemper obſequij deuotionem Chriſto impendat, & nos ſuo pariter inſtituat exemplo, quoties vel aliquis fratrum ſacræ eruditionis verbis inſonuerit, vel ipſi lecta, ſiue audita, quæ pietatis ſunt, ad mentem reduxerimus, Deo ſtatim laudes ore, corde, & opere reddendas. Et bene chorus adueniẽs Angelorum militiæ cæleſtis vocabulum accipit, qui & duci illo potenti in prœlio, qui ad debellandas aëreas poteſtates apparuit, humiliter obſecundat, & ipſe poteſtates eaſdem contrarias ne mortales tantum tentare valeant, quantum volunt, fortiter armis cæleſtibus proturbat. Nam ſicut imperatoris optimi prouiſione cuncta manu militari loca aduerſus hoſtilem muniuntur aduentum, ita & Deus quoniam immũdi ſpiritus ad pacis euerſionem vbique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus angelorum, quorum præſentia & dæmonum confringatur audacia, & nobis pacis gratia miniſtretur. Quia vero Deus, & homo naſcitur, iure hominibus pax, & Deo gloria canitur. Glorificant Angeli Deum pro noſtra redemptione incarnatum, quia, dum nos conſpiciunt recipi, ſuum gaudent numerum repleri. Optant pacem hominibus, quia quos infirmos prius, abiectosq́; deſpexerant, naſcente in carne domino, iam ſocios venerantur. qui enim pacem hominibus poſcunt, exponunt & quibus videlicet *bonæ voluntatis*, hoc eſt, eis, qui ſuſcipiunt natum Chriſtum, non autem Herodi, pontificibus, & Phariſæis, cæteriſq́ue antichriſtis, qui, eius natiuitate audita, turbati ſunt, cúmque quantum valuere gladiis inſecuti. Non eſt enim pax impijs, dicit dominus. Pax autem multa diligentibus nomen tuum, domine, & non eſt in illis ſcandalum. Quibus & hoc, quod ſequitur, aptiſſime congruit. Expectabam ſalutare tuum, domine. hoc eſt, venturum Chriſti aduentum, longa votorũ præſtolatione ſuſpirabam.

¶ *Et factũ eſt vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, paſtores loquebantur ad inuicem, &c.* Verba paſtorum quam ſint rationabilia, & paſtoribus Eccleſiæ digna, diligenter inſpice. Vere enim quaſi vigilantes non dixerunt videamus puerum, videamus quid dicitur, ſed, *videamus verbum, quod factum eſt.* In principio erat verbum, & verbum caro factum eſt. Verbum, quod ſemper erat, videamus quomodo pro nobis factum eſt, *quod fecit dominus, & oſtendit nobis.* Verbum hoc, ipſum ſe fecit. ſiquidem hoc ipſum verbum, dominus eſt. Videamus igitur quomodo hoc ipſum verbum, hoc eſt dominus ipſe ſe fecerit, & oſtenderit nobis carnem ſuam. Quod enim videre non poteramus, dum erat verbum, videamus factum, quia caro eſt. Cui ſimile eſt, quod Ioannes ait; Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod proſpeximus, & manus noſtræ tractauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & adnunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. *Et venerũt feſtinantes, & inuenerunt Mariam &c.* Feſtinant paſtores Chriſti, quem cognouere, tota mentis intentione videre aduentum deſiderant. Neque enim cum deſidia, Chriſti eſt quærenda præſentia. Et ideo forte nonnulli quærentes inuenire non merentur, quia deſidioſe Chriſtum requirant. Ideo paſtores iſti ſine mora inuenerunt, quia ad illum fide inficta currebant, ad quem feſtinanter ire, eſt non pedum greſſus accelerare, ſed in fide ſemper ac virtute proficere. *Inuenerunt* (inquit) *Mariam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio.* Sed & dominici gregis paſtores quo crebrius, ac ſuauius inter huius vitæ tenebras cæleſti adtolluntur oraculo, eo feruentius ſublimem patrum præcedentiũ vitam, in qua panis vitæ ſemper & ſeruatur, & reficit, quaſi portas Bethlehem contemplando ſubeũt, nihilq́; in hac aliud quam virginalem catholicæ eccleſiæ pulchritudinem quaſi Mariam, virilem ſpiritalium doctorum cœtum quaſi Ioſeph, & humilem mediatoris Dei, & hominum, hominis Ieſu Chriſti aduentum ſcripturæ ſacræ paginis inſertum, quaſi in præſepio poſitum infantem Chriſtum prima viſione reperiunt. De quo videlicet ſanctarum ſcripturarum præſepio eximium illud animal & ſacroſanctis hoſtiis aptiſſimũ paſcebatur, quod exultãdo proclamabat. Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Et paulo poſt, Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. *Videntes autem* (inquit) *cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* quia nimirum iuſtus eſt ordinis, vt cognita, amata, & honore digno celebrata verbi incarnatione, ad ipſam quandoque verbi gloriam contuendam capacioris longo exercitio mentis acumine pertingatur. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt. & de ijs, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.* A paſtoribus populus ad Dei reuerẽtiam cogitur. Nun mediocre fidei tibi hoc videatur exemplũ, non vilis perſona paſtorũ. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretioſior ad fidem. Non ſapientes, ſed ſimplices, qui fucare audita neſcirent, dominus ſui præcones elegit, non rhetores, ſed piſcatores ad Euangelizandum deſtinauit. Denique & in veteri teſtamento, præcipuos quoſque ſuæ diſpenſationis nuncios paſtores ordinauit. Protomartyr Abel, qui innocuam paſtoralis officij conuerſationem proprio ſanguine dicauit, cuiuſque in figuram dominicæ paſſionis ſanguis clamat de terra, quaſi doctiſſimus, ac primus opilionum primitias gregum ſuo-

rum domino deuotus offerebat. Abraham pater
fidei, qui exultauit, vt videret diem Chriſti, &
vidit, & gauiſus eſt, non auri metalla, quibus ſui
cultui ornamenta conquireret, ſed aquarum fon-
tes, quibus pecora potaret, in terræ venis fodien-
do quęſiſſe deſcribitur. Iacob duodecim tribuum
pater bis denis annis in paſcendis pecoribus æſtu
vrebatur, & gelu, quorum in figuram veri paſto-
ris habitum, oſtenſa inter doctrinę ſalutaris aquas
virtutum ſuarum varietate, ſtatu ſublimiore do-
nabat. Legiſlator Moyſęs, qui prius in typum ec-
cleſiæ ſepoformis ſorores ſeptem paſcentes ab in-
ruentium paſtorum donec ſuas oues adaquarent,
improbitate defendit, poſtmodum inter paſcua
deſerti dominum videre, & alloqui, atque in vir-
ga paſtorali ſigna facere, ac populum Dei libera-
re promeruit. Ipſe Dauid, cuius dominus noſter
vocari, & eſſe dignatus eſt filius, arietem ſui patris
de mano vrſi, vel leonis eripiens, oſtendit eum de
ſua ſtirpe, & ciuitate naſciturum, cui ſimilis non
eſt, eripiens inopem de manu fortioris eius, ege-
num, & pauperem à rapientibus eum. Et ideo non
eſt parui ducenda paſtorum atteſtatio, qui tunc
vigilare, & angelicæ exultationis hymnum audi-
re meruerunt, quando, relictis in deſerto nona-
ginta nouem ouibus, ad requirendum ouem cen-
teſimam bonus paſtor apparuit. Cuius ſemper
aduentum totus fidelium grex deſiderans implo-
rat, Errani ſicut ouis, quæ perierat, require ſer-
num tuum, domine. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferēs in corde ſuo.* Quid vult hoc, quod
dicit, *conferens*? Debuit dicere, cōſiderabat in cor-
de ſuo, & conſeruabat in corde ſuo, ſed quia ſan-
ctas ſcripturas legerat, & ſciebat prophetas, cōfe-
rebat ea, quæ ſecum ſunt acta de domino, cum
iis, quæ nouerat à prophetis ſcripta de domino,
& collata adinuicem cognouit inſtar cæleſtium
Cherubim ſocia ſui vultus luce concordia. Dixe-
rat enim Gabriel; Ecce cōcipies in vtero, & paries
filium. Prædixerat Eſaias; Ecce virgo concipiet,
& pariet filium. Prædixerat Micheas filias Sion in
turre gregis aduenturas, & poteſtatem primam
tunc eſſe venturam. Dicebant paſtores ſupernæ
ſibi ciuitatis in turre gregis apparuiſſe cohortes,
quæ natum canerent Chriſtum. Legerat Maria,
Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſe-
pe domini ſui. Videbat in præſepi Dei filium va-
gientem, qui homines ſaluat, ac iumenta. & in his
ſingulis, atque huiuſmodi, conferebat, quæ lege-
rat, & comparabat iis, quæ audiebat, & videbat.
Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes &c. Glorificant
paſtores, & laudant Deum in omnibus, quæ au-
dierant ab angelis, & viderant in Bethlehem, ſicut
dictum eſt ad illos, id eſt, & in hoc glorificāt, quod
non aliud venientes inuenerant, quam dictum eſt
ad illos: ſiue ſicut dictum eſt ad illos, gloriā Deo,
laudéſque referunt. Et hoc enim illis facere dictū
eſt ab angelis, non quidem verbo imperantibus,
ſed formam ſuæ deuotionis offerētibus, cum Deo
in excelſis gloriā vnamini exultatione reſonarēt.
Nam & qui dicit, Euangelizo vobis gaudium ma-
gnum, quod erit omni populo, ad glorificandum
vtique Deum, laudandumq́ue prouocat. Sed &
magiſtri ſpiritalium gregum modo cæteris dor-
mientibus contemplando cęleſtia ſubeunt, modo
fidelium caſtra luſtrando & probitatis exempla
quærendo circumeunt, modo ad publicum paſto-
ralis officij docendo redeūt, vt memoriam abun-
dantiæ ſuauitatis Dei, quam raptim licet intuen-
do guſtauerant, prædicando proximis eructent.

EIVSDEM IN SVPErius Euang. Homilia. 1.

AVdiuimos ex lectione euangelica, fratres Tom.7.hiem
chariſſimi, quia naſcituro in mundum re-
dēptore mundi Deo & domino noſtro Ieſu Chri-
ſto, exiit edictū à Cæſare Auguſto, qui tunc mun-
dani regni apicem tenebat, vt mundus deſcribere-
tur. Quod non caſu contigiſſe putandum eſt, ſed
certiſſima diſpenſatione eiuſdem noſtri redem-
ptoris intelligendum eſſe prouiſum. Ipſe etenim 1.Tim.2
mediator Dei, & hominum, ſicut matrem ſibi di-
uinitus quam voluit præuidit, de qua naſceretur,
quando vellet humanitus, ita etiam tempora di-
uinitatis, quæ voluit, elegit: imò ipſe ea, qualia vo-
luit eſſe donauit, talia videlicet in quibus ſopito
turbine bellorum, vna pacis tranquillitas totum
cōtegeret orbē. Quod enim maius in hac vita po-
tuit eſſe pacis indicium quam ab vno homine or-
bem deſcribi vniuerſum, atque vnius cenſus nu-
miſmate concludi? Matrem quippe elegit virgi-
nem, quia non aliter Dei filiū naſci in carne quam
de intemerata genitrice decebat. Tempus quando Ephe.2.
naſceretur ſummæ pacis elegit, quia hęc nimirum
ei naſcendi in mundo cauſa fuit, vt genus huma-
num ad ſupernæ pacis dona reduceret. Hinc ete-
nim ſcriptū eſt: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtra-
que vnum, id eſt, qui de angelis, & hominibus
vnam Dei domum pius mediator, & reconciliator
inſtituit. Pacis temporibus natus eſt dominus no-
ſter, vt etiam ſtatu temporis ipſum eſſe ſe doceret,
de quo præmiſſa prophetia dicebat: Multiplicabi-
tur eius imperium, & pacis non erit finis. Vnde
bene idem propheta alias, cum incarnationis il-
lius ac noſtræ redemptionis ſacramenta myſtico
ſermone deſcripſiſſet, dicens: Et erit in nouiſſimis
diebus præparatus mons domus domini in verti- Idem 2.
ce montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent
ad eum omnes gentes. Serenitatem quoque pacis,
quæ tunc eſſet futura, manifeſtè deſignauit, ſubii-
ciens: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, &
lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens cōtra gen-
tem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.
Propter quod & nos exhortando ſubiunxit: Do- Ibidem.
mus Iacob venite & ambulemus in lumine domi-
ni. Præmiſit ergo tempora pacis, & ſic apparens
in carne ipſe autor pacis, & temporum conditor,
primo domui Iacob, id eſt, plebi Iſraeliticæ, dein-
de cunctis gentibus ad ſe confluentibus ianuam
lucis aperuit, & pacis æterna gaudia prædicauit.
Nec prætereundum, quod eius pacis terrena ſere-
nitas nato regi cæleſti, non ſolum teſtimonium
gratiæ perhibuit, ſed & obſequium impēdit: quia
prædicatoribus verbi illius peragrandi orbem fa-
cultatem tribuit, & vbicunque vellent euangelij
gratiam diſſeminandi. Quod fieri minime poſſet,
ſi non vno totus orbis regeretur imperio. Sed &
ipſa totius orbis deſcriptio, quæ à terreno rege fa-
cta memoratur, cæleſtis opera regis manifeſtè de-
ſignat: qui ad hoc nimirum apparuit in mundo, vt
de cunctis per orbem nationibus electos in vni-
tatem fidei ſuæ colligeret, ac nomina ſua, ſicut ipſe Luca 10.
promiſit, in æternum ſcriberet in cælo. Hoc quo-
que quòd ad edictum Auguſti ibant omnes, vt
profiterentur

profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem, in noſtri regis eſt nobis ſeruitio ſpiritaliter agendum. Noſtra quippe ciuitas ſancta eccleſia eſt, quæ partim adhuc peregrinatur a domino in terris, partim iam cum domino regnat in cælis, & poſt finem huius ſeculi perfecta, in æternum tota cum illo regnabit. In hanc ergo ciuitatẽ debemus omnes ire, nullum à tam ſalubri itinere oportet excuſari. Omnes nos neceſſe eſt nato regi debitum pendere cenſum, hoc eſt, & in vnitate nunc eccleſiæ præſentis iuſſis obtemperare diuinis, & ad ingreſſum patriæ cæleſtis infatigabili bonorum operum curſu properare. Dabatur autem in profeſſione cenſus denarius, qui decem nummorum in ſe pondus habebat, Cęſaris imaginem continens, & nomen. Quod nos quoque ſpiritaliter oportet imitari: ſoluimus enim regi noſtro denarium, cum decem præcepta legis illius implere ſatagimus. In quo videlicet denario nomen eiuſdem regis noſtri conſcriptum geſtamus, cum in cunctis actibus noſtris meminerimus nos à Chriſto chriſtianos vocari, & dignitatem nominis ipſius intemera-
Leuit. 19. tam in nobis cõſeruare curamus. Imaginem quoque eius in eodem denario bonæ noſtræ conuerſationis exprimere debemus, illam vtique, quam ipſe docuit, dicens: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum dominus Deus veſter. Hæc eſt namque imago Dei, ad quam in primo homine conditi ſumus, vt videlicet participatione diuinæ ſanctitatis per-
Pſal. 4. petuo ſancti eſſemus. Hinc etenim Pſalmiſta ait: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Sed quia hoc lumen diuini vultus homo peccando amiſit, placuit Deo humani vultus habitum in
Ephes. 2. carne naſcendo aſſumere, quo nos doceret in ſpiritu debere renaſci: placuit in ſimilitudine carnis peccati ſine peccato apparere, vt nos emundaret ab omni peccato, & claritatẽ nobis ſuæ reformaret imaginis. *Aſcendit autem*, inquit, *Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quòd eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Diuinitus conſtat eſſe procuratum, vt ad ſuam quiſque ciuitatem pergens ibi cenſum profiteretur, quatenus hoc edicto generali parentes noſtri ſaluatoris de Nazareth in Bethlehẽ venire contingeret, ſicq́ue ad complenda vaticinia prophetarum vtraque ciuitas incarnationis eius inſigniretur arcanis, vna videlicet conceptionis, alte-
Eſaiæ 11. ra natiuitatis honore præfulgens. Teſtatur nanque Eſaias propheta, quod redẽptorem noſtrum in Nazareth concipi oporteret cum dicit: Egredietur virga de radice Ieſſe, & Nazareus de radice eius aſcendet. Interpretatur autem Nazareus flos ſiue mundus. Quo vocabulo incarnatus pro nobis Dei filius rectè potuit cognominari, quia & ipſe mundus vitiis omnibus naturam ſuſcepit hominis, & in ſe credentibus cunctis flos ſpiritalium fructuum origóque proceſſit, quibus rectè ac beate viuendi & monſtrauit exempla & dona conceſſit. Egreſſa eſt ergo virga de radice Ieſſe, & Nazareus de radice eius aſcendit, quia intemerata virgo Maria de ſtirpe Dauid orta eſt, de cuius carne dominus in ciuitate Nazareth veritatem carnis
Michee. 5. ſine inquinamento carnis aſſumpſit. Quòd vero
Matth. 2. in Bethlehem eſſet naſciturus, hoc quoque propheticis deſignatur oraculis, cum dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda: ex te enim egredietur, qui ſit dominator in Iſrael. Qui bene in Bethlehem naſcitur, non ſolum propter indicium regij ſchematis, quia Dauid inde fuit, ſed & propter nomen ipſum, quia Bethlehem domus panis interpretatur. Ipſe nanque ait:
Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Quia Ioan. 6.
ergo propterea de cælo ad terram deſcendit, vt nobis vitæ cæleſtis alimoniam donaret, nóſque æternæ dulcedinis munere ſatiaret, merito locus, in quo naſcitur, domus panis vocatur. Eſt & alia ratio ſupernæ diſpoſitionis, qua dominus noſter non in ea, qua conceptus erat ciuitate, ſed in alia naſceretur, vt videlicet ex hoc inimicos inſidiantes facilius natiuitatis eius conſcij vel miniſtri de-
uitarent. Præuidebat quippe, quòd eum mox na- Matth. 2.
tum Herodes perſequi atque ad mortem quærere inciperet: & propterea ſic natiuitatis eius myſterium voluit in ciuitate Dauid peragi, vt parentes eius non ibi domum, non poſſeſſionem haberent, ſed tantummodo tempore natiuitatis ipſius illò nouicij aduentantes, hoſpites manerent, ſtatímque completa eadem natiuitate, ac declaratis ſignis cęleſtibus, quæ ei teſtimonium dare decebat, Ægyptum cum ipſo ſecederẽt. Sic etenim factum eſt, vt non ſolum eum dum quæreret Herodes, minime reperiret, ſed nec vllam cognatos eius vexandi occaſionem haberet, cuius parentes qui eſſent explorare non poterat. Nec prætereunda ſilentio maxima conditoris & redemptoris noſtri dignatio, quæ non ſolum incarnari pro nobis, ſed eo tempore voluit incarnari, quo mox natus profeſſione cenſus aſcriberetur. Induit enim carnem, vt nos virtute ſpiritus indueret: deſcendit de cælo ad terras, vt nos de terris eleuaret ad cælum: ſoluit tributum Cæſari, vt nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret: ſeruiuit Dei filius in homine regi, qui diuinæ ſeruitutis ignorabat obſequium vt nobis per hoc humilitatis formam tribueret: Inſinuans videlicet quantum per charitatem ſeruire debeamus inuicẽ, cum ipſe non deſpexerit ei, qui veræ charitatis erat neſcius, impendere ſeruitium. Vbi hoc quoque ſuo præmonſtrauit
exemplo, quod poſtmodum principis apoſtolo- 1. Petri 2.
rũ erat verbo docturus. Subditi eſtote omni crea- Rom. 13.
turæ humanæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tãquam ab eo miſſis. *Factum eſt autem*, inquit, *cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum.* Primogenitum vocauit dominum, non quia credendum ſit beatam Dei genitricem alios poſt eum peperiſſe filios, quam perpetua caſtitate vna cum viro ſuo Ioſeph conſtat eſſe memorabilem, ſed ob id
eum recte primogenitũ appellat, quia ſicut Ioan- Ioan. 1.
nes ait, Quotquot autem eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. In quibus filiis ipſe iure primatum tenet, qui & antequam naſceretur in carne Dei filius, abſque initio natus extiterat. Deſcendit autem ad terras, factus eſt noſtræ par-
ticeps naturæ, largitus eſt nobis ſuæ participium Rom. 8.
gratiæ, vt ſicut Apoſtolus ait, ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. *Et pannis eum*, inquit, *inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Et hic intuenda eſt, fratres chariſſimi, magna redemptoris noſtri dignatio, hic ex
totis medullis cordis vnicuique noſtrum cũ Pro- Pſal. 115.
pheta dicendum: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Ille enim cui veraciter canimus, Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, paruulus

natus eſt nobis, vt nos renaſcendo de paruulis magnos, hoc eſt, de peccatoribus faceret iuſtos. Qui ad dexteram patris ſedet in cælo, loco egebat
Pſal. 103. in diuerſorio, vt nobis copiam felicium manſionum in domo patris ſui donaret. Qui omnem creaturam ſiue in cælis inuiſibilem, ſiue viſibilem in hoc mundo, multifariis induit ornatibus, qui in ſua maieſtate, ſicut de eo Propheta dicit, amictus lumine ſicut veſtimento, ipſe in aſſumptione noſtræ fragilitatis exiguis contegitur pannis, vt primam nobis ſtolam reſtituat, id eſt, ad gratiam nos immortalitatis, quam in primo parente amiſimus, miſeratus reducat. Ille, per quem omnia facta ſunt, manus, pedéſque ſuos, imò totum corpus, quod induit, cunis inuolui diſpoſuit, vt manus noſtras in bono opere promptas redderet, pedes noſtros in viam pacis dirigeret, cuncta corporis noſtri mēbra diuinis manciparet obſequiis. Ille, quem cælum, & cæli cælorum non capiunt, parui præſepis anguſtia continetur, vt amplitudinem nobis ſupernarum ſedium retribueret. Et quadam præcipui gratia ſacramenti in præſepio ſibi ſedem elegit, vbi animalia ſolent ad veſcendum conuenire. Inſinuauit enim iam tunc, quia fideles omnes in ſacroſancta altaris mēſa eiuſdem incarnationis ſuæ myſteriis eſſet refecturus: indicauit etiam quia cum cunctos ſibi humiliter ob-
Eſaia 1. ſequentes internæ ſuauitatis ſoleat gratia recreare, de quibus bene per prophetam dicitur: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. In boue etenim deſignat populū Iudæorum, qui iugum legis portare, & eius conſueuerat verba ruminare: in aſino autem exprimit populū gentium, qui ſordibus idololatriæ ſemper manebat immūdus. Et quo vtroque populo plurimi ad euangelij gratiam cōuerſi, & poſſeſſorem à quo creati ſunt, cognouerunt, & cæleſtibus eius
Luca 2. quærebant alimoniis ad perpetuam creſcere ſalutem. Quorum primitias ei conſecratas accipimus in paſtoribus illis merito venerandis, qui natum eum primi angelo nunciante videre, & prædicare meruerunt, & in magis, qui ad eius cunabula de
Matt. 2. oriente cum muneribus & precibus ſtella duce venerunt. Hi nanque de Iudæis ad dominum, illi venere de gentilibus. Verum de magis die ſancto Epiphaniæ ipſo ad quem venere, domino propiciante, plenius audiemus: interim de paſtoribus, qui primi ad eum venientes prioris populi fideles deſignant, quæ ſint geſta videamus. Sequitur: *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum. Et ecce angelus domini aſtitit iuxta illos, & claritas domini circunfulſit illos.* Apte autem ſatis hoc ſuperna eſt prouidentia diſpoſitum, vt naſcente domino paſtores in vicinia ciuitatis vigilarent, ſuóſque greges à timore nocturno vigilādo protegerent. Oportebat nanque, vt, cum magnus paſtor ouium, hoc eſt, animarum nutritor fidelium in mundo natus eſt, te-
Ioan. 10. ſtimonium eius natiuitati vigilātes ſupra gregem ſuum paſtores darent. Ipſe eſt enim qui ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Nam & futurum tunc erat, vt per orbem vniuerſum electi paſtores, id eſt, prędicatores ſancti mitterentur, qui ad ouile dominicum, videlicet ſanctam eccleſiam, populos credentium cogerent. Quorum primo, hoc eſt beato Petro, cum ſe dominum amare profiteretur, idē dominus, ac prin-

ceps paſtorum ad comprobandum eundem amo- Ioan. 21.
rem præcepit, dicens: Paſce oues meas. Quia nimirum ſolus ille conditorem perfectè diligit, qui & proximis curam puri amoris impendit. *Et ecce,* inquit, *angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerūt timore magno.* Quid eſt, quod apparente angelo, diuinæ quoque claritatis eos ſplendor circundedit, quod nunquam in tota teſtamenti veteris ſerie reperimus, cum tam innumeris vicibus angeli prophetis, & iuſtis apparuerunt, nuſquam eos fulgore diuinæ lucis homines circundediſſe legimus, niſi quòd hoc priuilegium rectè huius temporis dignitati ſeruatum eſt? Cum enim vera lux mundi naſcebatur in mūdo, dignum profectò fuit, vt præco natiuitatis illius etiam corporales hominum viſus nouitate cæleſtis perfunderet lucis. Dicit nanque de illius nati- Pſal. 111.
uitate Propheta: Exortum eſt in tenebris lumen Ibid.
rectis corde. Et quaſi quæreremus quod eſſet lumen, de quo diceret, continuo ſubdit; Miſericors, & miſerator, & iuſtus dominus. Cum ergo miſericors & iuſtus conditor ac redemptor generis humani, mundum gloria nouæ natiuitatis illuſtrare dignatus eſt, decebat omnimodis, vt ipſam etiam, in qua natus eſt, regionem, claritas lucis nouæ compleret. Apparens ergo cum claritate, quid angelus paſtoribus dicat audiamus. *Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnū, quod erit omni populo.* Verè gaudium magnum, quia gaudium cæleſte, gaudium æternum, gaudium quod nulla triſtitia interueniente turbatur. *Quod erit omni populo.* Non omni populo Iudæorum, neque omni populo gentium, ſed omni populo credentium, qui vel de Iudæis, vel de gentibus orbis totius ad vnam Chriſti confeſſionem aggregatur, ab vna eadémque myſteriorum Chriſti perceptione Eſaia 9.
chriſtianus vocatur, de quo dicit propheta: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucē magnam. Quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Benè dixit hodie natus eſt. Non dixit hac nocte, quia videlicet cum luce cæleſti apparuit, qui diem natum euangelizabat his, qui vigilias noctis agebant, illum videli-
cet, de quo pſalmiſta præcinit, dicens: Bene nun- Pſal. 95.
ciate diem ex die ſalutare eius. Salutare quippe Dei, id eſt, dominus Ieſus, dies eſt ex die, quia qui temporaliter in ciuitate Dauid homo ex virgine matre apparuit, ipſe ante omnia tempora non localiter lumen de lumine, Deus verus de Deo vero natus eſt. Quia ergo habitantibus nobis in regione vmbræ mortis lux orta eſt vitæ, aptè nuncius ortus eiuſdem dicit; *Quia natus eſt vobis hodie ſalua-* Rom. 13.
tor, vt hoc quoque verbo admoniti, ſemper recordemur, quia nox præceſſit antiquæ cæcitatis, dies autem appropinquauit æternæ ſalutis: & ipſi abiiciamus opera tenebrarum, & vt filij lucis ambulemus. Fructus enim lucis eſt, ſicut idem Apoſtolus ait, in omni iuſtitia, & bonitate, & ſanctitate. *Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Hoc nobis ſignum nati in carne ſaluatoris ſemper animo retinere condecet, vt ſemper eius beneficiis gratias rependere bene viuendo diſcamus: quia ita voluit habitum noſtræ fragilitatis aſſumere, vt paupertatis quoque generalis ſtatum nō refugeret. Eſt enim indicium aſſumptæ infirmitatis, quòd infans & pannis in-
uolutus eſt: & paupertatis, quòd non in ſtratu, ſed Pſal. 88.
in præſepio poſitus inuenitur. Miſericordias ergo
domini

domini inæternum cantemus, quia vt nos perpetuò beatè viuamus, ipſe abiectionis, ac mortalitatis noſtræ ſocius fieri non abnuit. Annunciante autem angelo vno gaudium dominicæ natiuitatis, repente multitudo militiæ cæleſtis adfuit, quæ eidem nato domino obſequium ſuæ deuotionis redderet: & quem in cælo ſemper glorificare conſueuerat, nunc ſoluta hymnorum laude apparente in terra concelebrat. Vbi nos quoque ſua laudatione cæli ciues inſtituunt, qualiter huius ſacratiſſimæ ſolennitatis gaudia celebrare, quantas verbo

Ioan.1. Dei laudes dicere debeamus, quòd in ea caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt nos ad ſuæ gloriæ viſionem ſubleuaret, nobis participium gratiæ, & veritatis, qua ipſum plenum eſt, donaret. Laudant ergo Deum, & dicunt: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et aperte gloriam Deo dicunt, pacem prædicant hominibus, quia illum, in cuius natiuitate lætātur, mediatorem Dei, & hominum, hoc eſt, Deum eſſe verum, & hominem norunt. Gloriam in excelſis Deo cantant, quia iam veniſſe tempus illud exultant, quo mundus abiectis diis, qui ab hominibus facti ſunt, conditorē ſuum, qui eſt in cælis, cognoſceret. Pacem optant hominibus, quia quos eiectos prius ab æterna felicitate merito peccati deſpexerant, iam nunc redimente domino in eiuſdem ſupernæ habitationis gaudiis ſecum futuros intelligunt. Pacem hominibus mandant, quos in cæleſti Hieruſalem, hoc eſt, in viſione perpetuæ pacis, ſocios habere deſiderant, vt ipſos quoque homines admoneant per obſeruantiam pacis ad ſuum debere peruenire conſortium. Et benè cum dicerent, *Et in terra pax hominibus*, adiungunt, *bonæ voluntatis*: quia cum illis ſocietatem pacis angelici ſpiritus habere feſtinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis ineſſe conſiderant. Illos ſecum poſt abſolutionem carnis ad contemplationem veræ pacis ſubuehere lætantur, quos in carne commorantes omnia, quæ agunt, aut loquuntur, de radice bonæ voluntatis proferre conſpiciunt. Tales nāque & infirmitas forte aliquando vel ignorantia, à perficiendo ea, quam cupiunt, bona actione retardat, ante interni tamen arbitri oculos integritas, quam corde tenent, bonæ vo-

Deut.6. luntatis excuſat. Bona autem voluntas eſt diligere

Matth.22. conditorem noſtrum ex toto corde, tota anima,

Marci 12. tota virtute, diligere & proximos tanquam nos

Luc.10. ipſos, atque eiuſdem dilectionis in nobis vigorem indiciis quibus valemus, piæ actionis oſtendere. Quod cum omnibus horis ac momentis facere debeamus, quanto magis cum natiuitatem domini ac ſaluatoris noſtri, vel annua feſtiuitate cōlimus, vel frequentiore deuotione recolimus: in qua ſpecialiter angelica exhortatione docemur dona ei bonæ voluntatis offerre, in qua ciues patriæ cæleſtis eidem bonæ voluntati noſtræ conſortium ſuæ pacis promittunt, in qua ipſi quoque eundem hymnum angelici concentus Deo dicere ſolemus. Sit igitur nobis, fratres chariſſimi, communis iſta ſolennitas, ſit terreſtribus cum cæleſtibus nec tantum iſta ſolennitas, ſed & omnis noſtra conuerſatio ſit supernorum ciuium apta conſortio: Meditemur interim in via quod habere deſideramus in patria, concordemus etiā nos quantum valemus, vitæ illi mundiſſimæ beatorum ſpirituum, cui tunc aſſociari ſperamus interna puritate mutuæ dilectionis, ſi diuinæ laudationis dona, quibus in futuro vocare cupimus, etiam in præſenti ſectemur, diſcamus cum Apoſtolo dicere: Noſtra conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam ſal- Philip.3. uatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Illi nanque ſaluatorem ad iudicium venientem cum gaudio expectant, qui ſe ad eius voluntatem cæleſtem in terris vitam egiſſe meminerunt. Dat autem etiam fragilibus nobis, ac minus perfectis magnam ſpem percipiendæ ſalutis ipſe conditor, & ſaluator noſter, qui pro noſtra confirmatione fragilis apparens, mox ore conſono militiæ cæleſtis bonæ noſtræ voluntati dona ſuæ perpetuæ pacis promiſit Ieſus Chriſtus Deus, & dominus noſter, qui viuit, & regnat cum patre in vnitate ſpiritusſancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EVANG. *ad II. Miſſam. Homilia 2.*

NAto in Bethlehem domino ſaluatore, ſicut Tom.7.hiem. ſacra Euangelij teſtatur hiſtoria, paſtoribus, qui in regione eadem erant vigilantes vigilia noctis ſuper gregem ſuum, angelus domini magna cum luce apparuit, exortūmque mundo ſolem iuſtitiæ non ſolum cæleſtis voce ſermonis, verum etiam claritate diuinæ lucis aſtruxit. Nuſquā enim in tota veteris inſtrumenti ſerie reperimus angelos, qui tam ſedulo apparuere patribus, cum luce apparuiſſe: ſed hoc priuilegium rectè hodierno tempori ſeruatum eſt, quando exortum eſt in te- Pſal.111. nebris lumen rectis corde, miſericors & miſerator dominus. Verum ne parua vnius angeli videretur autoritas, poſtquam vnus ſacramentum nouæ natiuitatis edocuit, ſtatim multitudo cæleſtium agminum, quæ gloriā Deo caneret, pacémque ſimul hominibus prædicaret, adfuit, aperte demonſtrans, quia per hanc natiuitatem homines ad pacem vnius fidei, ſpei, & dilectionis, atque ad gloriam diuinæ laudationis eſſent cōuertendi. Significant autem myſticè paſtores illi gregum doctores quoſque, ac rectores fidelium animarum. Nox, cuius vigilias cuſtodiebant ſuper gregem ſuum, pericula tentationum indicat, à quibus ſe, ſuóſque ſubiectos omnes, qui perfecte vigilant, cuſtodire non deſiſtunt. Et bene nato domino, paſtores ſuper gregem vigilant. Ille etenim natus eſt, qui dicit: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor Ioan.10. animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Sed & tempus imminebat, quo idem paſtor ſummè bonus miſſis in mundum paſtoribus oues ſuas, quæ longe, latéque diſperſæ errabant, ad ſemper virentia cæleſtis vitæ paſcua reuocaret. Quorum ſummo pa- Petrus ſummus paſtor. ſtori præcepit: Si diligis me, paſce oues meas. Ioan.21. Quod apertius aperiens ait, confirma fratres tuos. Luca 22. *Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis angeli in cælum, paſtores loquebātur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit dominus, & oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio*. Paſtores quidem illi felici gaudio feſtinarunt videre, quod audierant, & quia ardenti amore quæſierunt, continuo ſaluatorem, quem quæſierunt, inuenire meruerunt. Sed intellectualium paſtores gregum, imò cuncti fideles qua mentis induſtria Chriſtum quærere debeant, dictis pariter ſuis oſtenderunt, & factis. *Tranſeamus*, inquiunt, *vſ-*

que Bethlehem,& videamus hoc verbum,quod factum eſt. Tranſeamus ergo & nos, fratres chariſſimi, cogitando vſque Bethlehem ciuitatem Dauid, atque eius incarnationem dignis celebremus honoribus. Tranſeamus abiectis concupiſcentiis carnalibus toto mentis deſiderio vſque Bethlehem ſupernam,id eſt,domũ panis viui non manufactam, ſed æternam in cælis,& recolamus amando,quia verbum caro factum eſt. Illuc carne aſcendit, ibi in dextera Dei patris ſedet. Illo eum tota virtutum inſtantia ſequamur, & ſolicita cordis & corporis caſtigatione procuremus, vt quem illi in præſepio videre vagientem,nos in patris ſolio mereamur videre regnantem. Et *videamus*, inquiunt, *hoc verbum,quod factum eſt.* Quoniam recta,& pura

Ioan. 1. fidei ſanctæ confeſſio,In principio erat verbum,& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Hoc verbum natum ex patre,non factum eſt,quia creatura Deus non eſt. In qua natiuitate diuina videri ab hominibus non potuit, ſed vt videri poſſet,verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Videamus ergo*, inquiunt, *hoc verbum, quod factum eſt*, quia antequam factum eſſet, hoc videre nequiuimus. *Quod fecit dominus,& oſtendit nobis*,quod incarnari fecit dominus,& per hoc viſibile nobis exhibuit. *Et venerunt feſtinantes,& inuenerunt Mariam & Ioſeph,& infantem poſitum in præſepio.* Venerunt paſtores feſtinantes,& inuenerunt Deum hominem natum,ſimul & eiuſdem natiuitatis miniſtros. Feſtinemus & nos,fratres mei, non paſſibus pedum, ſed bonorum profectibus operum videre eandem glorificatam humanitatem cum eiuſdem miniſtris digna ſeruitutis ſuæ mercede remuneratis: feſtinemus videre illum in diuina patris, ac ſua maieſtate fulgentem. Feſtinemus,inquam, nam tanta beatitudo non cum deſidia ac torpore quærenda, ſed alacriter ſunt Chriſti ſequenda veſtigia. Nam ipſe curſum noſtrum data manu iuuare deſiderat,

Cantic. 1. delectatúrque audire à nobis: Trahe me poſt te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Citius ergo virtutum greſſibus ſequamur, vt mereamur conſequi. Nemo tardet conuerti ad dominum,ne-

Eccleſ. 5. mo differat de die in diem, ipſum per omnia, & ante omnia precantes, vt greſſus noſtros dirigat ſecundum eloquium ſuum, & nõ dominetur no-

Pſal. 108. ſtri omnis iniuſticia. *Videntes autem cognouerunt de verbo,quod dictum erat illis de puero hoc.* Et nos,fratres dilectiſſimi,quę dicta ſunt nobis de ſaluatore noſtro Deo vero, & homine, interim pia fide percipere, & plena dilectione feſtinemus amplecti, vt hæc in futuro perfectæ cognitionis viſu comprehendere valeamus. Hæc etenim ſola, ac vera eſt beatorum non ſolum hominum, ſed & angelorum vita, faciem perpetuò ſui cernere creatoris, quam deſiderabat ardenter Pſalmiſta qui dicebat:

Pſal. 41. Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam,& apparebo ante faciem Dei. Cuius ſolius viſione non autem vlla terrenarum rerum affluentia deſiderium ſuum ſatiari ſignauit,cum ait:

Pſal. 16. Satiabor,dum manifeſtabitur gloria tua. Verum quia non ocioſi,ac deſides,ſed virtutum operibus inſudantes diuina contemplatione ſunt digni, ſo-

Ibidem. licite præmiſit: Ego autem cum iuſticia apparebo in conſpectu tuo. Videntes ergo paſtores cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de Chriſto, quia viſio Dei cognitio eius eſt, & hæc eſt ſola beata hominis vita,ipſo dicente,ac teſtante,qui

Ioan. 17. nos patri commendans, dicit inter alia: Hæc eſt autem vita æterna,vt cognoſcant te eſſe verum,& vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt,& de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.* Non celauere ſilentio paſtores arcana, quæ diuinitus agnouerant,ſed quibuſcunque potuere dicebant: quia & ſpiritales eccleſiæ paſtores in hoc maxime ſunt ordinati, vt verbi Dei myſteria prædicent, & mira, quæ in ſcripturis didicerunt, miranda ſuis auditoribus oſtendant. Non ſolum autem paſtores, Epiſcopi, preſbyteri, & diacones, vel etiam rectores monaſteriorum ſunt intelligendi, ſed & omnes fideles, qui vel paruulæ ſuæ domus cuſtodiam gerunt,paſtores recte vocantur, in quantum eidem ſuæ domui ſolicita vigilantia præſunt. Et quicunque veſtrum ſaltem vni, aut duobus fratribus quotidiano regimine præeſt, paſtoris eiuſdem debet officium implere. Quia in quantum ſufficit, paſcere hos verbi dapibus iubetur: Imò vnuſquiſque, fratres, qui etiam priuatus viuere creditur, paſtoris officium tenet, & ſpiritalem paſcit gregem, vigiliáſque noctis cuſtodit ſuper illum, ſi bonorum actuum,cogitationúmque mundarum ſibi aggregans multitudinem, hæc iuſto moderamine gubernare cæleſtibus ſcripturarum paſcuis nutrire, & peruigili ſolertia contra immundorum ſpirituum inſidias ſeruare contendit. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc,conferens in corde ſuo.* Maria virginalis pudicitiæ iura cuſtodiens,ſecreta Chriſti, quæ nouerat, nemini diuulgare volebat, ſed ipſum hæc, quando vellet, & quomodo vellet diuulgari,reuerenter expectabat. Ipſa autem eadem ſecreta ore tacito, vigili tamen corde ſedula ſcrutabatur. Et hoc eſt,quod ait, *conferens in corde ſuo.* Conferebat quippe ea, quæ acta videbat his, quæ agenda legerat. Videbat nanque ſe de ſtirpe Dauid ortam in Nazareth de ſpiritu ſancto filiũ Dei concepiſſe. Legerat in propheta: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazareus de radice eius deſcendet, *Eſaiæ 11.*
& requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Legerat &,Tu Bethlehem Ephrata paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in *Mich. 5.*
Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Videbat ſe in Bethlehem peperiſſe dominatorem Iſrael, qui æternus ex patre Deus ante ſecula natus eſt, videbat ſe virginem concepiſſe,peperiſ- *Matth. 1.*
ſe filium & vocaſſe nomen eius Ieſum. Legerat in *Eſaiæ 7.*
prophetis: Ecce virgo concepiet,& pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Legerat: Bos *Eſaiæ 1.*
cognouit poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe domini ſui. Videbat dominum poſitũ in pręſepi,quo bos,& aſinus ſolent nutriendi aduenire. Meminerat *Luc. 1.*
ſibi dictum ab angelo: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Legerat modum natiuitatis eius, non niſi angelo reuelante potuiſſe cognoſci, dicente Eſaia: Generationem autem eius quis enar- *Eſaiæ 53.*
rabit. Legerat: Et tu turris gregis nebuloſa filia *Mich. 4.*
Sion vſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima regnum filiæ Hieruſalẽ. Audiebat angelicas virtutes,quæ ſunt filiæ ſupernæ ciuitatis,apparuiſſe paſtoribus in loco, qui à conuentu pecorum antiquitus turris gregis vocabatur: & eſt vno miliario ad orientem Bethlehem, vbi etiam nunc tria paſtorum illorum monumenta in eccleſia monſtrantur. Nouerat tunc veniſſe in carne dominum, cui vna,& æterna eſt cum patre poteſtas,qui regnum daret

daret eccleſię, filiæ ſcilicet, & cæleſtis Hieruſalem. Cōferebat ergo Maria ea, quæ fienda legerat eum his, quæ iam facta cognouit: non hæc tamen ore promens, ſed clauſo ſeruans in corde ſuo. *Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.* Diſcamus & nos, fratres chariſſimi, à contemplatione dominicę diſpenſationis, qua nobis piè ſubuenire dignatus eſt, ad agendas ſemper beneficiis eius gratias reuerti. Si enim ſola adhuc natiuitate eius cognita, reuerſi ſunt glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderāt, quanto magis oportet nos, qui totam incarnationis illius ſeriem ex ordine cognouimus, qui ſacramentis illius imbuti ſumus, in omnibus gloriam eius, ac laudem non ſolum verbo ſed etiam factis prædicare: neque vnquam obliuiſci quòd ideo Deus homo natus eſt, vt nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuæ diuinitatis renaſcendo reficeret: ideo baptizatus eſt aqua, vt ad noſtrorū ablutionem ſcelerum omnium fluenta fœcundaret aquarum: ideo tentatus in eremo, vt vincendo tentatorem nobis quoque vincendi peritiam, virtutémque tribueret: ideo mortuus, vt mortis deſtrueret imperium: ideo ſurrexit, & aſcendit in cælum, vt nobis reſurgendi à mortuis, atque in cæleſtibus perpetuo regnandi ſpem, exemplúmque præberet. Pro quibus ſingulis reuerſi ad intuitum piiſſimæ diſpenſationis eius, glorificemus, & laudemus ipſum Deum, ac dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit, & regnat cum patre in vnitate ſpiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI *Halbeſt. ſuperioris Euang. expoſitio.*

Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Exiit edictum, id eſt, mandatum vel imperiale pręceptum, à Cęſare Auguſto Octauiano, qui Auguſtus vocatus eſt ab augendo, eò quòd auxit imperium Rom. Omnes enim gentes præter Armenios, & Gothos ſubiugauit Romano imperio. Non dico de iſtis Gothis qui ſunt in occidentali parte. Illi Gothi, quos tunc non potuit ſubiugare ſibi Octauianus, vocantur Oſtrogothę, id eſt, Orientales Gothi. *Vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, id eſt, ſub cenſum redigerentur vniuerſi habitatores orbis. *Hæc deſcriptio prima*, quæ totum orbem tenuit. Prima ideo dicitur, quia quędam partes fuerant iam deſcriptæ ſub tributo, ſed non occupauerant totum mundum: hæc tenuit totum mundum. *Et facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.* Cyrinus vocatus eſt, quia per ſingulos gradus aſcendens, peruenit vſque ad conſulatus honorem, vt ſecundus eſſet à rege. Iſte dedit conſilium Octauiano imperatori, vt, quia omnem mundum ſuo ſubiugauerat imperio, omnes gentes redderent illi tributum. Et quia ſalubre illi conſilium dedit, ideo meruit regnum. Præſes Syrię eſt factus, id eſt, princeps ſuper Syriam. *Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam.* Vbi dicit, *profiterentur*, ibi deberet habere, deſcriberentur, vt Beda dicit: Ille interpres, qui de Græco ſermone tranſtulit in Latinum Euang. præſcripſit, ibi tamen nos non audemus aliter emendare: quia ita tenet vniuerſalis

Editionis vulgatæ quāta authoritas.

eccleſia, vt profiterentur, id eſt, deſcriberentur ſinguli in ciuitatem ſuam ſub tributo. Verbi gratia: Eſt modò aliquis in hac ciuitate natus, aut in hac regione, ex hac ducit originem patris & matris, pòſt quam circuit, perrexit in aliam ciuitatem, & ibi habitat: modò ille talis non daret ſuum cenſum in illa ciuitate, vbi habitat, ſed in illa, vbi duxit originem, & vbi natus fuit. Liberi ſoluebāt tributa, ſerui non: quia domini ſoluebant pro ſe, & pro ſeruis. Vnuſquiſque liber pro ſe, & pro vxore ſua, & pro omni domo ſua, & familia ſua ſoluebat vnum denarium. Per quinquennium faciebant hoc, id eſt, per quinquennium ſoluebant vnum denarium. Et dominus in perfecta ætate poſitus ſoluit pro ſe tributum, dicens Petro: Vade ad mare, &c. vſque id: Da eis pro te, & me. Quaſi diceret: *Matth. 17.* Pro me, & pro omnibus diſcipulis, in Petro comprehendit omnes. Per quinquennium æreum, & per quinquennium argenteum, & per quindecim annos agebant hoc, & deinde redibant ad caput. Et habebat ille denarius decē nummos noſtros in ſe, vndè & à numero decem denariorum dictus eſt denarius. Quid agebatur de illo tributo? Militibus Romanorum & illis dabatur ad ſtipendia, quando pergebant in hoſtem. Vndè dicit Paulus apoſtolus. Nemo ſuis ſtipendiis militat vnquam. *1. Cor. 9.* Ex omnibus gentibus erant ſcholæ in Roma. Quidam exercitabantur ſagittis vt fierent ſagittarij, quidam verò cum dardis, & cæteris exercitiis, quę fiunt militari cauſa. Illi viuebant de tributo, quod dabatur à populis. *Aſcendit autem & Ioſeph cum Maria.* Quam iam acceperat in vxorem, ſed non cognouerat eam, *à Galilæa in Iudæam ciuitatem Dauid.* Quare dicit, *aſcendit*? Quia Galilæa in planicie eſt, Iudæa montuoſa. In Bethlehem perrexerunt de Nazareth, vbi habitabant vt ibi ſoluerent ſuum cenſum, quia inde duxerunt originem patrum, Ibi natus fuit rex, de cuius familia B. Ioſeph & B. Maria orti ſunt. Licet pauperes eſſent, tamen de ſtirpe Dauid deſcenderunt. *Vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam*, vt deſcriberetur ibi ſub tributum, non alio in loco. Naſciturus in carne filius Dei, ſicut ante mundi conſtitutionem elegit matrem virginem, de qua naſceretur, id eſt, Maria, & locum, in quo naſceretur, id eſt, Bethlehē: ita & elegit tempus, quo naſceretur, tempus ſcilicet pacis. quæ enim maior pax eſſe poterat, quam vt ſub tributum vnius regis omnes gentes deſeruirent? Tanta etenim pax fuit dominicæ natiuitatis & antè, & pòſt circa ſpatium duodecim annorum, vt omnia externa bella ceſſarēt, & ciuilium turma quieſceret. Tunc impleta eſt prophetia Eſaiæ, quæ dicit. *Eſaiæ 2.* Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, & non leuabit gēs contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad bellum. Subaudis, ſicut antea facere conſueuerant. Quia ante natiuitatem domini multa bella erant in mundo, nemo audebat de regione ad regionem tranſire, ſicut modo ſine exercitu. Tempus pacis elegit dominus in ſuam natiuitatem, quia pacem diligit. Et vt demonſtraret, quia ad hoc veniebat vt per ſuam natiuitatem & paſſionem Deo patri reconciliaret genus humanum. Spiritualiter iſte Auguſtus dominum Ieſum Chriſtum ſignat, qui auget electos ſuos virtutibus bonis, id eſt, per ſpem, & fidem, & charitatem, & cętera bona. Sicut tunc regnante Octauiano imperatore, & præſidente Cyrino omnes reddebāt debitū, hoc eſt tri-

butum in ſua ciuitate. Sic modò regnante domino Ieſu Chriſto in cordibus electorum ſuorum, & præſidentibus Epiſcopis, & presbyteris, & cæteris præpoſitis eccleſiarum, reddamus denarium noſtrum, id eſt, obſeruationem præceptorum legalium quod deſignatur per denarium. Quorum mandatorum tria pertinent ad dilectionem Dei, ſeptem ad amorem proximi. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ecce vnum præceptum. Et vbi hæc reddere debemus Deo? In ciuitate noſtra, id eſt, eccleſia. vbi renati ſumus ex aqua, & ſpiritu ſancto, & exordium religionis, & ſanctitatis ſumpſimus in illa domo. Nomen & imago regis continebatur ibi, & poſtmodum præcepta legis obſeruamus, imaginem Dei habemus in ſanctitate, quia ſancti ſumus, & tūc rectè Chriſtiani vocamur, quando opera Chriſti facimus. Aſcendens autem Ioſeph in ciuitatem Dauid quę vocatur Bethlehem. Bethlehem ciuitas fuit Dauid quia ibi natus eſt Dauid, qui & nomine & officio præceſſit in typo ſaluatoris. Dauid enim interpretatur manu fortis, vel deſiderabilis. Manu fortis ideo dicitur, quia Goliad interfecit & multos *1. Reg. 17.* alios debellauit. Deſyderabilis, quia pulcher aſpectu fuit. quæ duo bene congruunt filio Dei. Ipſe dicitur manu fortis, quia diaboli ſuperbiam strauit, & nos ab eius poteſtate eripuit. Ipſe dicitur deſyderabilis, quia ſpecioſus forma præ filiis hominum fuit. Officio typum domini ſaluatoris Dauid habuit, quia paſtor fuit, & dominus verus paſtor fuit, quia ipſe dicit, Ego ſum paſtor ouium, id eſt, ſimplicium animarum. *Factum eſt autem cùm eſſet ibi, impleti ſunt dies vt pareret*, id eſt, impleti ſunt *Ioan. 10.* nouem menſes. Octauo Kalendas Aprilis fuit dominus conceptus. Octauo Kalendas Ianuarij natus. Quare natus eſt dominus in Bethlehem in *Iohel. 7.* in via? Quia dictum erat à Propheta. Et tu Bethl. *Mich. 5.* ter. Iuda, &c. *Et pannis eum inuoluit*. Panni ſunt vilia veſtimenta, quibus teguntur infantes. Qui totum mundum vario veſtu ornatu, vilibus induitur veſtibus. Hîc exclamandum eſt nobis cū Pſal. *Pſal. 115.* Quid retribuam do. pro om. quę re. mihi? Qui erat magnus, paruus factus eſt, vt nos faceret magnos in regno ſuo. Qui erat diues, factus eſt pauper, vt nos diuites faceret in fide & bonis operibus. Diuerſorium dicitur à diuertendo. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*. in regione ſcilicet Bethlehemitica, *cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*, ne aliquam ouē, vel arietē raperet lupus. Et quædam turris diſtans à Bethlehē mille paſſus, iuxta quam erant paſcua vberrima, & vocabatur illa turris Ader. & paſtores paſcebant ibi pecora ſua tem- *Mich. 4.* pore hyemis. De hac turre prædictū eſt à Michea propheta. Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion, ad te veniet, & veniet poteſtas prima regnum filiæ Sion. Turrim gregis eam appellauit, quia circa eam accubabant greges. Nebuloſam eā dixit, quia nebuloſus eſt ibi aër. Filiæ Sion ad te veniēt, id eſt, angelicæ poteſtates. Et veniet poteſtas prima, id eſt, Chriſtus regnum filiæ Sion, quia Chriſtus filiæ Sion, id eſt, præſenti eccleſiæ, quę filia eſt Hieruſalem cæleſtis, dabit regnum cæleſte. *Ecce angelus domini aſtitit iuxta illos*. Iſte angelus Gabriel intelligitur. *Et claritas Dei circumfulſit illos*, id eſt, ex omni parte reſplenduit circa illos. Legimus in veteri teſtamento angelos apparuiſſe hominibus, ſicut B. Abrahæ, B. Moſi, B. Danieli, ſubaudis non in tanta claritate ſicut tēpore dominicæ natiuitatis. Quare hoc? vt demōſtraretur, quia ille naſcebatur in carne, per quē tenebræ infidelitatis erant receſſuræ, & lux fidei ventura. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*. Euangelizare, eſt bona docere. Bona docebat, quia Chriſti natiuitatem annunciabat. Gaudium magnum. Gaudium electorum eſt Chriſtus, iuxta illud quod ipſe dixit diſcipulis ſuis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor *Ioan. 16.* veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Quod erit omni populo*, non Herodi, neque ſcribis, & Phariſæis, qui dominum perſecuti ſunt vſque ad mortem, ſed, *omni populo*. Subaudis credenti. *Quia natus eſt vobis hodie*. In nocte loquebatur angelus. Et quare dicebat, *hodie*? quia nox ſæpe in ſacra ſcriptura pro tribulatione vel pro aduerſitate ponitur, dies pro lætitia vel proſperitate. *Saluator* qui vos ſaluabit à poteſtate diaboli. *Qui eſt Chriſtus dominus*, id eſt, vnctus, *in ciuitate Dauid*, id eſt, in Bethlehem. *Et hoc vobis ſignum*. Quia ita eſt vt dico. Multitudo militiæ cæleſtis. Militia dicitur pugna, ſicut rex habet milites, cum quibus pugnat contra hoſtes. Similiter & dominus Ieſus Chriſtus rex regum habet milites ſuos angelos, cum quibus pugnat contra malignos ſpiritus, ne tantum valeant homines impugnare quantùm volunt. Ideo dicuntur angeli milites, quia pugnāt contra dæmones verbo, dicentes: Recedite ab homine iſto. *Et ſubitò facta eſt cum angelo multitudo cæleſtis*, id eſt, multitudo exercituum Dei omnipotentis angelorum. Vno annunciante Chriſti natiuitatem, cæteri omnes proſiluerunt in laudem Dei omnipotentis dicentes: *Gloria*, id eſt, laus *in altiſſimis Deo* patri. qui miſit filium ſuum ad terras pro ſalute generis humani. *Et in terra pax*, id eſt, tranquillitas mentis, quia die natiuitatis domini omnes Chriſtiani concordiam debent habere in ſe. *Hominibus bonæ voluntatis*. Qui veraciter credunt in dominum Ieſum Chriſtum, & præcepta eius cuſtodiunt, qui non faciunt aliis, quod ſibi nolunt fieri, illi ſunt homines bonæ voluntatis. Ante aduētum filij Dei nō optauerunt angeli pacem hominibus, ſed potiùs quaſi diſcordantes erant, quia ſciebant eos abiectos de paradiſo à Deo omnipotente, propter peccatum primi hominis. Cùm autem humanam naturam videbant aſſumptā à filio Dei, offerūt pacem hominibus, quia gaudēt de eis per aduentū domini & paſſionem ſuorum numerū repleri, qui pereunte diabolo, erat imminutus.

¶ *Paſtores loquebātur ad inuicē: tranſeamus vſque Bethlehem*. Narrat Lucas in ſuperioribus quia domino in Bethlehem nato, mox angelus eiuſdem glorioſæ natiuitatis prænuncius, paſtoribus ſuper gregem ſuum excubantibus apparuit, quique verum Deum ſolùm modò innoteſceret ortum. De quo & dicitur, quia angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulſit illos. Cùm enim toties legamus in veteri teſtamēto, angelos hominibus apparuiſſe, nuſquam tamē comperimus cum tanta claritate viſos. Quia ſcilicet tale priuilegiū natiuitati Chriſti reſeruabatur, quia verus ſol iuſtitiæ ſua claritate mundum irradiaret. Sed ne præconium vnius angeli à paſtoribus paruipenderetur, facta eſt cum eo multitudo militiæ cæleſtis, gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis canentium. Hoc in loco paſtores typum doctorum atque rectorum eccleſiæ tenent, mox perſecutionis tribulationē inſinuat.

Nato

Nato domino, paſtores ſupra gregem ſuum vigilabant, quoniam Archimandritę, id eſt, patres ſpiritualium ouium in nocte tribulationis ac perſecutionis, ſibi ſubditos regere, ac gubernare ſatagunt, quatenus veniēte paſtorum principe remu- 1.Petri 5. nerentur, ſecundum B.Pet. ſententiam. Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. *Tranſeamus vſque Bethlehem.* Bethlehem ciuitatula erat Iudæ, in qua olim potentiſſimus rex Dauid ortus fuerat. Interpretatur autem domus panis, quæ vocata eſt quondam Euphrata. Sed cū ibi Iacob veniſſet ob abundantiam, fertilitatémque paſcuæ, appellauit eam Bethlehem, hoc eſt domum panis, quoniam in il- Ioan. 6. la verus panis eſt, qui de ſe ait: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Pòſt quam hi paſtores natum dominum in Bethlehem cognouerunt: illico ad videndum eum venire ſtuduerunt. Et nos ſtudeamus tranſire in Bethlehem cæleſtem, vbi verum panem conſpiciamus. Tranſeamus autem nobiliſſimo, ac neceſſario tranſitu, de vitio ad virtutes, ab affectu præſentium ad deſyderium ſupernorum, *& videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Ioan. 1. Verbum filium Dei accipiamus, de quo Ioan. In principio erat verbum, quod factum eſt. Fides catholica habet hoc verbum non à patre factum, ſed ex arcanis ſinibus patris ſubſtantia genitum. Factum autem dicit, hoc eſt, incarnatum, quoniam qui non poterat videri in diuinitatis magnificentia, humanatus eſt, quò videri poſſet. *Et venerunt feſtinantes.* Quòd feſtinantes venerunt, egregium nobis monſtrat exemplū. Quotienſcunque Chriſtum quærimus non ſegniter, aut pigrè, ſed ſtudiosè & ſolerter requiramus, Et quia iſti piè quæſierunt, idcirco inuenire meruerunt. Vnde & bene ſubditur. Inuenerunt Mariam & Ioſeph & infantem poſitum in præſepio. Natus dominus noſter in cunabulis reclinatus eſt, ſed in præſepio reclinatus collocatur, nec obuoluitur precioſis holoſericis, ſed vilibus circūdatur pānis. Cùm enim eſſet diues ſecundum maieſtatis potentiam, pauper pro nobis factus eſt (vt Apoſtolus ait,) vt nos ſua 2.Cor. 8. paupertate ditaret. Et non ſine myſterio in præſepio collocatus eſt, ibi enim animalia reficiuntur. Dominus ergo non in cunabulis, ſed in præſepio collocatus eſt, vt oſtenderet ſe cibum eſſe piorum iumentorum. Per Mariam & Ioſeph miniſtri ſcilicet doctores fidei notantur. Sicut illi dominum requirentes, Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio adinuenerunt, ſic & nos pia deuotione Chriſtum quærimus, mox cum eo miniſtros, hoc eſt doctores verbi remuneratos reperimus. *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Videntes cognouerunt, quoniam viſio illius cognitio eſt. Idem eſt, videre illum & cognoſcere. Ille videt qui cognoſcit. Et ille veraciter cognoſcit, qui videre meretur, quòd autem omnis noſtra perfectio in viſione, & cogni- Pſal. 16. tione Dei conſiſtat, Pſalm. aperit qui ait. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. *Et omnes qui audierunt mirati ſunt, & de his quæ dicta erāt à paſtoribus ad ipſos.* Paſtores ea quæ dicuntur à domino perceperant, nequaquam ſilentio texerunt, ſed omnibus longè, latéque manifeſtauerunt. Nos ergo, ſi aliquid donum cælitus percipimus, non infructuoſo ſilentio tegamus, ſed aliis manifeſtemus, quatenus multos in laude participes, & in ſalute conſortes Tob. 12. habere mereamur. Hinc eſt quòd dicitur: Secretum regis celare bonum eſt, opera autem Dei hominibus manifeſtare gratiſſimum. *Maria autē conſeruabat omnia verba hæc conferēs in corde ſuo.* Illa quæ paſtores nouerant, vt dictum eſt, aliis intimare ſatagebat, quę virgo didicerat in ſe impleta, Chriſto filio congruo tempore quomodo & qualiter vellet manifeſtare ſeruabat. Quod autem dicit, *conferens in corde ſuo*, tale eſt quaſi dicatur, ea quæ in ſe completa nouerat, cū oraculis prophetarum conferebat, id eſt, cōparabat, quia in ſe facta cernebat, quæ olim per prophetas prędicta fuerant, ſciens ſe virginem cōcepiſſe, recolebat oraculū vatis. Ecce virgo cōcipiet. Videt ſe in Bethlehem peperiſſe, re- Eſaia 7. miniſcebatur illud. Et tu Bethlehē ter. Iuda. Re- Mich. 4. cordabatur etiam illius prophetici ſermonis. Audiebat à paſtoribus apparitionem angelorum, & tu turris nebuloſa filiæ Sion, ad te venient. Filiæ Mich. 4. Sion angelicæ ſunt poteſtates. Turris autem nebuloſa, turris gregum dicitur, propter multitudinem pecorum vndique ibi conuenientium ita vocata. Diſtat autem hæc turris vno miliario à Bethlehem, in qua etiam hodie trium paſtorum corpora requieſcunt, qui dominum vagientem videre meruerunt. *Et reuerſi ſunt paſt. glor. & laud. Deum in om. quæ aud. & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.* Illi ſancti paſt. pòſt quam dominum ; repererunt natum, voti ſui compotes effecti, non ingrati extiterunt beneficiis Dei: ſed indefeſſas gratias illi retulerunt, dantes vtiliſſimum nobis exemplum, vt, ſi quando piis precibus dominum quærimus, & inuenire meremur, ſecundum eius præcepta laudes ei referamus. Nam quæcunque filius Dei in carne poſitus egit, propter nos omnia adimpleuit. Natus eſt vt primatum diaboli auferret, cuius tyrannide mūdus opprimebatur, & per ſimilitudinem noſtræ carnis, quam aſſumpſerat, conſortes ſuæ diuinitatis efficeret. Baptizatus eſt, vt nobis ablutionem ſcelerum condonaret. Tentatus eſt, vt ſua tentatione noſtras euinceret tētationes: Mortuus eſt, vt ſua morte noſtram mortem ſuperaret. Reſurrexit, vt nobis iuſtificationem conferret, & reſurgendi ſpem quandoque tribueret. Cęlos aſcendit, quo manſionem patris nobis præpararet, atque aditum introeundi faceret, in quo viuit cum patre, & ſpirituſancto Deus, Per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

FActum eſt autem in diebus illis, Exijt decretum à Cæſare Auguſto, &c. Propterea fit deſcriptio, vt, quum omnes in ſuas patrias irent, aſcenderet & virgo Bethlehem, quæ eius patria erat, naſcereturque ſic dominus in Bethlehem, ac impleretur prophetia, quæ dicebat, ceſſaturo multorum deorum cultu, vnum etiam regem, nempe Cæſarem, imperaturum. Porrò Chriſtus cum omnibus deſcribitur. Oportebat enim eum toto orbe cenſeri, vt ſanctificaret eos, qui cenſentur, aboleretque ſeruitutem: quoniam, ſicut circunciſionem aboleuit, ita deſcriptus ſicut ſeruus, ſeruitutem naturæ noſtræ aboleuit. Non enim vltrà ſunt ſerui, qui domino ſeruiunt, ſicut Apoſtolus dicit: Nolite Galat. 5. fieri ſerui hominum. ſed tametſi corpore ſimus ſerui, ſpiritu tamen ſumus liberi, neque cum impietate

pietate dominorum ſimul adducimur. Primogenitum vero filium nnminauit virginis, dominum, quamuis nollum ſecundum peperit, idque merito. Primogenitus enim dicitur, qui primus natus eſt, etiam ſi non naſcatur poſtea ſecundus. In præſeptum autem reclinatur, forte vt ſtatim ab initio vitæ frugalitatem nos doceret: forte etiam quodam ſymbolo declarauit, quòd peregrinatus ſit in hoc mondo, qui locus noſter eſt: nos autem brutis animantibus comparati ſimus. ſicut & præſepe proprius brurorum locus eſt, ita noſtrum præſepe eſt mundus, nos vero bruta: ipſe autem redemit nos, qui brutis aſſimilamur: propterea & ipſe tali loco fuit reclinatus. *Et paſtores erant in regione eadem ruſticantes, &c.* Paſtores erant ruſticantes, hoc eſt, vel ruſticam agentes vitam, vel in agro ſtabulantes, & verſantes: quibus apparet angelus, propter ſimplicitatem, & innocentiam morum, & qoòd iuſtorum vitam imitari videantur. Etenim priſci patriarchæ paſtores erant, vt Iacob, Moſes, Dauid. Neque in Hieruſalem apparuit phariſæis, vel ſcribis, qui omnis malitiæ receptacula erant. Illi autem, quum ſimplices eſſent, diuinis ſpectaculis potiti ſunt: monſtrante Deo, quòd ſtatim ab initio eos agreſtiores præ aliis elegerit, præconeſque fecerit. Abierunt enim, & de omnibus illis prędicarunt. Angelus vero magnum illis gaudium euangelizauit, quod futurum omni populo, qui propriè populus Dei. Non enim omnes Iudæi populus Dei. Nam & omnium hominum populo incarnatio facta eſt gaudium. Quid autẽ hymnus angelorum declarat? Vel omnino gratiarũ actionem ſupernorum exercituum, & gaudiũ, eo quòd terreni beneficia tanta conſequamur. Gloriam enim Deo dicunt. Super terram autem pax nunc facta eſt: & quum prius humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita cõciliata eſt, vt & Deo adiuncta ſit, & incarnato vnita. Vides igitur pacem Dei
Ioan 16. 20. cum homine? Et aliter qooque intelligitur: Pax eſt ipſe filius Dei. Ego enim, inquit, pax. Iſta igitur pax, filius Dei inquã, ſuper terrã facta eſt. *Et hominibus bona volũtas*, hoc eſt Deo requies in illis hominibos. Et cui prius non beneplacitom erat in hominibus, nunc pro beneficiis, & refocillationibus
Deus grata habet bona hominum opera. hominum habet opera, in qoibus, & quietem habet. ¶ *Et factum eſt, vt diceſſerunt ab eis angeli in cælum, &c.* Paſtores illi figura ſunt ſpiritualium paſtorum. Oportet igitur Epiſcopos cuſtodire gregem ſuum ἀγραυλεῖν, in agro cauere, hoc eſt, cauere ſpiritualia, & docere populum, & ſic audire diuinas viſiones, & auditus. Bethlehem interpretamur domum panis. Quæ autem alia eſt domus panis quàm eccleſia, in qua panis repoſitus eſt? Officiom itaque ſpiritualium paſtorum fuerit, quærere panem cæleſtem, quem cum viderint, debent illum & aliis, prædicare: ſicut & paſtores qui viderunt infantem, loqooti ſunt de eo & aliis. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.* Quæ verba conſeruabat virgo? Quidam dicunt, quòd ea, quæ angelus ei dixerat, & quæ paſtores narrauerant, conſeruarit, & contulerit ſecum, inuenerítque in omnibus ſententiam vnam, qoòd Deus ſit filius ſuus. Mihi autem videntor verba hoc loco res, vel geſta dici, & id eſſe quod dicitur: *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc*: quæ nũc ego dico, & geſta eſſe facio. Geſta enim quãdo narrantur, dicũtur verba. Porro paſtores reuerſi ſunt gratias agẽtes Deo in omnibus: neque enim erãt Iudæorũ inſtar inuidi.

INCERTI CVIVSDAM

ſub nomine Euſebij Emiſeni eiuſdem Euang. expoſitio.

QVod mundus vniuerſus deſcribitur, & ſub vnius poteſtatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium eſt. Si enim mundus adhuc repugnaret, & cõtra Romanum imperium dimicaret, nequaquam eios edicto deſcribi, & ſub tributum redigi potuiſſet. De hac enim parte propheta prędixerat: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Et pſalmiſta: Orietur in diebus ioſtitia, & abundantia pacis. Quia enim princeps pacis oriebatur, pacem vtique fieri oportebat. *Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilaa de ciuitate Nazareth in Iudaam ciuitatem Dauid, qua vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* His enim verbis apertè mõſtratur, quod hæc deſcriptio ſecundum familias facta fuerat: vnde ad proprias ciuitates, atque familias, vbicunque eſſent, ſingulos redire oportebat, quatenus commonicato conſilio omnes ſimul tributom dare promitterent, & facta deſcriptione ſecũdum vnamquanque familiam totius tributi ſummam colligerent. Venit itaque & Ioſeph cùm Maria deſponſata ſibi vxore prægnante in Bethlehem ciuitatem Dauid, vbi eorum familia habitabat, vt & ipſi, ſicut cæteri, eandem facerent profeſſionem. *Factum eſt autem, dum eſſet ibi, impleti ſunt dies vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Ibi enim Chriſtum naſci oportebat, quia ſic per prophetam nuotiatum fuerat. Et tu Bethlehem terra Iuda, non eris minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël. Primogenitus autem ſecundum legem filius dicitur: qui primus de matris vtero procedit, ſiue alij ſequantur, ſiue oon ſequantur. Cum enim lex ſtatim poſt vnum menſem omne primogenitum domino offerre præcipiat, qois non intelligat ſine alicuius relatione primogenita dici, cum nihil adhuc genitum ſit, cui hoc primogenitum referri poſſit. Quid enim ſi mater illico mortua fuerit, vel ſi vlterius filium non genuerit? Nuoquid idcirco primogeoitus ille non erit, qui ex eo iam natus, & poſt vnum mẽſem Deo oblatus, ab ipſa lege primogenitus eſt vocatus. Igitur aut lex mentitur, aut primogenitus aliquando ſine relatione dicitur. Peperit itaque beatiſſima virgo, coocipiens virgo, pariens virgo, & in æternum permanens virgo. Clauſa ante partum, clauſa in partu, clauſa poſt partum. *Peperit enim filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.* O pietas immenſa! ô humilitas ineffabilis! ô ſacramentum inenarrabile! Deus homo fit, æternus, temporalis: immenſus, localis, immortalis, paſſibilis: paruis pannis inuoluitur, qui cæli ambitu pro magnitudine non continetur. Quis audiuit vnquam tale? Quis vidit huic ſimile? Reclinatur in præſepio: & panis viuus, qui de cælo deſcendit, non hominibus, ſed pecoribos anteponitur, id eſt, non Iudæis ſed gentibus miniſtratur. Tunc cognouit bos poſſeſſorẽ ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Sed quid dicam,

quod

quod cæli, terræque creator, quod rex regum, & dominus dominantium non habuit locum in diuerſoriu? Sic enim Apoſtolus ait: quia cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, &c.* Quantum enim ad literã ea cauſa eſſe videtur, vt prius paſtoribus hæc verba angelus nuntiaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, & in præſepe adire tentarent, in quo puer poſitus erat: ſpiritualiter autem ſtabulum Eccleſia, præſepe ſcriptura diuinã, paſtores vero epiſcopi, & doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Eccleſia, ad quam Dei animalia vndique fluunt, ibique ſtant, & morantur in ea. Vnde ſcriptum eſt, Animalia tua, domine, inhabitabunt in ea, hæc autem animalia, quaſi in præſepio, in diuina ſcriptura cibis ſpiritualibus nutriuntur: ibi poſitum inueniunt Chriſtum, ibique comedunt panem viuum. Beati, qui huius præſepis cibis aluntur, & de delitiis ibi poſitis reficiuntur. Vos autem Eccleſiæ paſtores, vos epiſcopi, & ſacerdotes, audite, & intelligite, vobis angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum euangelizat: quia vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei, vobis datum eſt noſſe, & intelligere ſecreta cæli. Nuntiate ergo quod audiſtis, prædicate quod vidiſtis, nolite cælare, quod cognouiſtis. Totiens enim Chriſtus in ſtabulo oritur, totiens vt páruulus in præſepio ponitur, quotiens virginis partum & Chriſti natiuitatem alius nuntiatis. Inde enim hodierna feſtiuitas, natiuitas domini vocatur, nõ quod hodie dominus naſcitur, nõ quod dominus iterũ de virgine oriatur, ſed quod eius natiuitatis memoria hodie innouatur, & in illius cõmemoratione celebratur & prędicatur. *Et hoc vobis ſignum: inuenietis, infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Vtinam hoc ſignum Iudæi ſuſciperent, & Chriſtum nobiſcum in præſepio quærerent. Quamuis enim pannis ſit inuolutus, & ſub velamine literæ iaceat occultus, inuenirent tamen ſi eum quærerent: & intelligerent, ſi credidiſſent. Quiſquis igitur es qui vis videre Ieſum, accede ad hoc pręſepe, ſcrutare ſcripturas, remoue pannos, pelle literam. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat, & tunc videbis quod videre non poteras. Sic enim Eccleſiæ paſtores eum quærunt, & quærentes inueniunt, & inuenientes venerantur & credunt. *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium dominum & dicentiũ: Gloria in excelſis Deo, &c.* ¶ Paſtores, inquit, loquebantur adinuicem & de his, quæ audierant, & viderant inter ſe tractãtes, dicebant: Mira ſunt, quæ audiuimus, ſtupenda, quæ vidimus, cælis gloria, pax terris promittitur. Saluator hodie natus eſt, nobis rex nouus hodie datus eſt nobis, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Quid igitur facimus? Cur moramur? *Tranſeamus vſque Bethlehem*, ipſa eſt enim ciuitas Dauid. *Et videamus hoc verbum*, & credamus quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. *Quod factum eſt*, quantum enim ad ſe neque factum, neque creatum eſt. Factum tamen quodammodo eſt, quia verbum caro factum eſt, quod dominus oſtendit nobis. Videamus corporaliter, quod dominus oſtendit ſpiritualiter, & quod mente concepimus, & fide tenemus, reſtat vt oculis intueamur. *Et venerũt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.* In ſtabulo ſtellam, in præſepio ſolem inuenerunt, quia Maria ſtella maris, Sol iuſtitiæ Chriſtus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia ſtella in ſtabulo, & Sol in præſepio fulget. Fœtor quoque ibi eſſe non poteſt, vbi eſt flos campi, & lilium cõuallium, cuius odore ſuauiſſimo nimiũ delectata Eccleſia dicit: Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Sed quid de matre domini dicam, cuius odoris flagrantiam rex ſapientiſſimus Salomon admirans ait: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fœtoris indicium eſſe non poteſt. *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Hic eſt enim ille puer, de quo ſcriptum eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis cõſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, à modo vſque in ſempiternum. Zelus domini exercituum faciet hoc. His enim paucis verbis natiuitas, & nobilitas, virtus, & fortitudo, imperium, & iuſtitia, & cætera, quæ ad laudem & gloriam huius pueri pertinent, deſcribuntur. *Et omnes, qui audierant, mirati ſunt, & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.* Quis enim vſque hodie non miretur audiens paſtores in Eccleſia prędicare? Quis non miretur audiens preſbyteros, & epiſcopos Chriſti magnalia, & verba Euãgelica nuntiare? Quis non miretur, quod ille qui omnia fecit, hodie natus eſt, & quod verbum caro factum eſt, & quod ille qui cælum palmo concluſit, hodie in præſepio poſitus eſt, & paruis pannis inuolutus eſt? Sed pauca ſunt illa, quæ tunc illi paſtores nuntiabant: multò plura noſtri paſtores, epiſcopi videlicet, & ſacerdotes prædicant, & nuntiant, valde miranda, multúmque ſtupenda, & cunctis fidelibus fideliter, firmitérque credenda, & tenenda. Vnde & ſubditur. *Maria autem cõſeruabat omnia hæc verba in corde ſuo conferens.* O mater ſapiẽtiſſima, & ſola talis filij digniſſima, quæ omnia verba hæc in corde ſuo ideo conferebat, nobíſque conſeruabat, & memoriæ commẽdabat, vt poſtea ipſa docente, ipſa narrante, & nũtiante, ſcriberentur, & in vniuerſo mundo prædicarentur, cunctiſque nationibus nũtiarentur ab ipſa enim hęc apoſtoli audierunt, & ipſa dictante ſcripſerunt, nobiſque legenda mandauerũt. Quis igitur Euangeliis non credat? Quis eis contradicere præſumat, quæ aut matris aut filij auctoritate muniuntur? Quædam enim apoſtoli, & euangeliſtæ à matre domini audierunt, quemadmodum iſta, & cetera, quæ de ſaluatoris noſtri infantia ſcripta ſunt: plurima verò viſu, & auditu ab ipſo domino didicerãt. Nos quoque à matre domini exemplum capiamus, & ea, quæ de ſaluatore noſtro nobis annuntiantur, fideliter in corde ſeruare, memoriæ & commendare ſtudeamus. De illis enim, qui verbũ Dei audiunt, & memoriæ non commendant, ſcriptum eſt: quia venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Vnde & illa animalia, quæ non ruminant, immunda eſſe dicuntur, quia ſuſcepti cibi oblata poſtquã illum tranſferunt, eius vlterius non recordantur. Mũda verò

animalia

animalia non ita faciunt, ſed cibum ſuſceptum iterum comedendo, & tenuiſſime comminuẽdo, eius nullatenus obliuiſcuntur. Tales igitur ſunt veri catholici, qui verba ſacra eloquij ſine intermiſſione, perſcrutantur, & in lege domini die ac nocte meditantur. Sequitur: *Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes dominum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.* Beati illi paſtores qui vſque hodie in præſepio, id eſt, in ſacris voluminibus Chriſtum quærunt, & in eum fideliter credunt, eius natiuitatem nuntiantes, & eius fidem prædicantes, & eum vbique laudantes & glorificantes. Beati iſti paſtores, qui Chriſtum dominum videre meruerunt, & dominum laudantes & glorificantes, ea quæ audierant, & viderant crediderunt.

PETRI DAMIANI IN *eadem feſto Sermo.*

NOn poterit explicari ſermone, quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me, & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduẽtus eius? Ideo fit elinguis lingua, memoria immemor, inſenſibilis ſenſus. Inſueta natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obſequuntur. Fiunt mirabilia in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & vniuerſa in naſcentis Dei obſequium iurauerũt. Inſigniuntur conuexa cælorum ſtella lucentiori, & multo lumine loca flammantia præſtringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radij rutilantiores, & pluralitatem ſtellariorum ignium nouus ignis obtundit. Miratur orbis, cælos nouum peperiſſe ſplendorem, & inconuertibilem eorum ſtatum ad ſigna, & prodigia fuiſſe conuerſum. Vident Chaldæi in cælis quod Balaam reliquit in ſcriptis. Orietur, inquit, ſtella ex Iacob, & conſurget homo ex Iſraël, & erit omnis terra poſſeſſio eius. Naſcitur ſtella in excelſis, & Deus in terris, cuius poſſeſſio à mari vſque ad mare. Præparant ſe Reges Tharſis, vt enim nouitate munerum videant nouam matrem, filij nouam natiuitatem. Fons olei de terra erumpit. Templum Romæ, quod vocabatur æternum, corruit, omnibus impenſis & vrbis, & orbis mirabiliter conſummatum. Cùm enim Romani in victorioſę antiquitatis memoriã templum ſingulari ſchemate facere decreuiſſent, ab omni illa Deorum, imò dæmoniorum multitudine quæſierunt, vſquequo durare poſſet tam excellentis operis operoſa conſtructio. Reſponſum eſt: Donec virgo pareret. Illi ad impoſſibilitatem oraculum retorquentes, templum æternum ſolennem illam machinam vocauerunt. Nocte autem illa, cùm de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egreſſus eſt, ita cecidit, & confractum eſt illud murale, & columnarum opus, vt vix appareant veſtigia ruinarum. O Bethlehem ciuitas Dei ſummi, & in te, & in ſuburbijs tuis viſa ſunt mirabilia hodie. Deus pendet ab vberibus, ponitur in præſepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis faſciolis felices manus, & ſancta brachiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit virgini, matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tãtis miraculis Regina cælorum, confert in corde ſuo ſalutationem Archangeli, conceptionem Dei, natiuitatem pueri, & miratur quòd ille, qui ſic potuit ad nos venire, ſic voluit ſubuenire. Adeſt & Ioſeph, ſed ab vtroque remotus, & in exceſſu mentis miratur, & mirari ſatis non poteſt, qualiter ſit ad tantę dignationis admiſſus arcanum. Adeſt multitudo cæleſtis exercitus, & vocibus glorioſis Gloria in excelſis Deo auditur. Paſtores veniunt, & inueniunt puerum, & puellam. Procedit ſtella; Reges accedunt; adorant filium; matrem venerãtur, offerunt munera; deferunt maieſtati. Cruciatur Herodes; Hieroſolyma turbatur; requiruntur ſcribæ; locus prædicitur; inducitur ſimulatio; ſimulator ad nihilum deducitur; deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam viam reuertuntur. Pax inaudita à ſeculo regnat; vniuerſus orbis ad cenſum deſcribitur, riuus olei de terra perſudat, & in diuerſam venam liquor ſanctificatus ebullit. Quid eſt hoc, niſi quia vera pax in terris apparuit, niſi quia ad ſupernum regnum ciues aſcribuntur, niſi quia fons miſericordię de Virgine emanat, oleum effuſum nomẽ tuum? Spiritus ſanctus ſcripturæ iſtius vnus, & vnicus fabricator, nonnullam ſuæ pinguedinis dulcedinem ſub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigilijs ita defatigati eſtis, vt vix poſſitis ſomnum ab oculis remouerę. Euigilate tamen paulisper, & ſomni torporem excutite. Aderit ille, de cuius natiuitate loquimur, vt illuminet oculos noſtros, ne obdormiamus. Totus autem ſententiæ ſenſus ex illius area mutuabitur, cuius conſilium eſt, quaſi conſilium Dei. Ipſe ille eſt, Dominus videlicet Clareuallenſis, cuius religio, & diſcretio, ſapientia, & eloquentia, vita, & fama per totam latinitatem non immeritò decucurrit; libenter enim illius ſarcinas adoro. Sed ad propoſitum reuertamur. Benignus ille ſpiritus, de cuius ſecretiori fonte Canticorum flumen euadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen ſponſi, quare oleo comparetur, & quomodo effundatur, quia & nomen tacet, de comparatione nil loquitur, nihil dicit de effuſione. Primùm de nomine videamus. Multa, vt arbitror, vocabula ſponſi per diuinam ſcripturam ſparſa leguntur, ſed in duo vobis vniuerſa complector. Nullum profectò reperietis, quod non ſonet aut maieſtatis potentiam, aut gratiam pietatis. Puer Domini, de quo frequentiùs facio mentionem, ad Regis cubiculum introductus, duo quaſi ſublimiora de ipſius ore diuinitatis audiuit; Poteſtas Dei eſt, inquit, & tibi, domine, miſericordia. Sed & ipſe Saluator propheticæ veritati atteſtans ait: Vos vocatis me Magiſter, & domine, & benè dicitis. Sum etenim. Dominus nomen eſt maieſtatis, pietatis magiſter. Si enim pium eſt prębere eſcam corpori, multò miſericordius eſt eſcam animæ impartiri, quod eſt propriè magiſtrorum, qui mentes indiſciplinatas ſub diſciplinæ rigore coërcent. Videamus quod horum nominum effundatur, vtrum nomen potentiæ in nomẽ gratiæ, vel nomẽ pietatis in maieſtatis vocabulum. Abſit vt miſericordia in potentiã includatur, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Certũ eſt ergo, quia poteſtas Dei in maiorem hodie pietatẽ effuſa eſt, cùm cæli diſtillauerũt à facie Dei, & de virgineis membris vetuſtus dierum exoritur. Non eſt qui ſe abſcondat à calore iſto, quia largior olei effuſio à capite deſcendit in barbam; quæ etiam extremam veſtimenti fimbriam largius irrorauit. Tanta eſt

abundantia

abundantia miſerantis, vt non ſolùm ſub nomine affuſionis, ſed & exinànitionis cenſeatur. Exinaniuit ſemetipſum (ait Apoſtolus) formam ſerui hodierna die accipiens, & cum tota multitudine miſerationum ſuarum de thalamo proſilit virginali; non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyſſus illa conſiliorum Dei, quia quicquid in diuinitatis theſauro pietatis inuentum eſt, totum in vtero virginis eſt aggeſtum. Non me capio præ lætitia, quòd illa maieſtas naturam ſuam exinaniens in naturam meæ carnis & ſanguinis ſuperueniat, & me miſerum in diuinas gloriæ ſuæ non ad horam, ſed in ſempiternũ includat. Fit frater meus, dominus meus, & timorem domini, fratris vincit affectus. Domine Ieſu, libenter te audio regnantem in cælis, libentiùs naſcentem in terris, libentiſſimè Crucem, clauos, & lanceam ſuſtinentem; hæc ſiquidem effuſio rapit affectum meum, & iſtorum memoria cõualeſcit cor meum, vinentis, & viuidæ potionis aſperitate purgatum. Viuẽs eſt iſte ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum ſcrutator. Vnus illorum, qui prophetalis chori, aut magiſter, aut inter magiſtros eſt, ſub ſenaria diuinorum nominum partitione, de hac effuſione mirabiliter quidem, ſed ſubtiliter prophetauit. Vocabitur, inquit, nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Erat quidem admirabilis dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ ſuæ, admirabilis illi mirabili creaturæ, faciens mirabilia in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Ego autem in luto fecis, & miſeriæ obuolutus, miſer, & miſerabilis om[illegible] ſpem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miſeria, ille admirabilis, ego miſerabilis. Sanctum, & terribile nomen eius, quod vix audeat illa dignior nominare natura. Nomen iſtud clauſum, & integrum, quomodo capere poteram, quem vix Angelicus oculus proſpicere, nedum perſpicere poteſt? Sed vide effuſionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cælos, & fit conſiliarius hominum. Maieſtatiuum nomen in pietatiuum effunditur; & qui mirabilis eſt in cælis, cõſulare venit in terris; abſcondit purpuram ſub miſeriæ veſtimentis, & ad lutum, vbi iacebam, inclinatus, non mergitur. Is (audeo dicere) infixus in limo profundi operi manuum ſuarum porrigit dexteram, de profũdis aquarum extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cùm naſcitur, cùm loquitur extrahit, abluit cùm moritur, induit cùm reſurgit, cum aſcendit reportat, confirmat cùm ſpiritum emittit de cęlis. Bonus quidem conſiliarius, qui conſilium, quod voce dederit, & morte defendit. Erat enim docens, ait Euangeliſta, ſicut poteſtatem habens, non ſicut eorum ſcribæ, & phariſæi. Deus, & fortis, nomina ſunt poteſtatis, ſed Deus effunditur in patrem futuri ſeculi, fortis in principem pacis. Breuiter curro, quia & fatigatis, & ſcientibus legem loquor. Quid tibi, muſſitabunde lucifer, in tãta diffuſione? Clauſum eſt tibi totum itinerarium Dei, & malignans oculus tuus hic nimium caligauit. Sed & dominus meus admirabilis fuit in natiuitate, conſiliarius in prædicatione, Deus in miraculorum coruſcatione, fortis in paſſione, pater futuri ſeculi in reſurrectione, princeps pacis in illa æterna beatitudine. Non terreamini nouitata verborum, quia nihil nouum introducitur. Sic & olim nomina commutata, & effuſa ſunt, Abram in Abrahã, Sarai in Saram, & ſi quas alias mutationes in illa veteri officina vos legiſſe recolitis. Sed & ab ipſis penè mũdi principiis, in arcano quodam ſcripturarum loco, diuini nominis effuſionem inueniſſe me recolo. Loquitur Deus ad Moyſem de liberatione Iſraëlis, & poſt multam Dei, & Moyſi confabulationem, Propheta ſubtiliter inquirit nomen eius, & dominus dicit: Ego ſum, qui ſum; hoc mihi nomen in æternum. Hæc dices filiis Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos. Perterritus Moyſes inextricabilis auctoritate vocabuli, ac ſi diceret, Hoc excedit intellectum meum, non poſſum capere, niſi effundatur, audit à maieſtate: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Vides effuſionem? Ecce Deus Angelorum, vocat ſe Deum hominum. Curramus ergo, fratres, in odorem vnguentorum iſtorum. Curramus ad oleum de oliua ſpecioſa in campis expreſſum, nulla infectum amurca, nulla ſubſtantiatum amaritudine, oleum quod exhilarat faciem hominis, quod ſanat vulnera, dolorem tollit, reddit ſuauitatem. Non ne Samaritanus noſter nobis à latrone peſſimo vulneratis attulit oleum, & vinum, ad purgandum, & mitigandum vulneris magnitudinem? Sed multum olei, parum vini, multum miſericordiæ, iuſtitiæ parum. Sic quippe decebat miſerantem, ſic miſero expediebat. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, domine (ait iuſtus) quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, ſed corona me in miſericordia, & miſerationibus. Veniens quippe hodie quinque vaſa attulit olei, non niſi duo vini. Spiritus enim ſapientię, & intellectus, conſilij, ſcientię, & pietatis, non ne dulcedinem ſonat, miſericordiam fragrat, eructat abundantiam ſuauitatis: Fortitudo & timor vinum ſunt. Sed hoc vino potatus eſt potens ille, cùm Chriſtus in ſpiritu fortitudinis deſcendit ad inferos, non timidus, ſed timẽdus. Videamus nunc quare oleo comparetur oleum. Si vos melius non habetis, lucet, paſcit, & vngit. Idem facit Chriſti nomen, & per omnia conſonat comparatioui. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit, & vngit. Vide quando prælata luminaria lumen nominis huius ſuper eloquentiæ candelabrum portauerint, ſi non illuxerunt coruſcationes Dei orbi terræ, ſi non in ſplendore fulguris commota eſt, & contremuit terra. In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula, dicit claudo princeps Apoſtolorum. Non ne quaſi fulgur exiluit ab ore Petri, cùm nominatum eſt nomen, quod os Domini nominauit? Et ſtatim, inquit, conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Vocabulum Ieſu (ſicut Origenis lingua nobilior diffiniuit) dulce, & glorioſum, omni adoratu, cultúque digniſſimum, quod non priùs ab hominibus decuit efferri in mũdum, ſed à quadam ſublimiori, excellentiorique natura. Omnes quippe Prophetæ nomen iſtud ante neſcierunt, aut penitus tacuerunt, & reſeruata eſt prærogatiuæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui ſancto ore ſanctiſſimæ Virgini illud primum euoluit. Non ne Eſaias in exceſſu mentis raptatus, verbis Archangelicis, eiſdem penè ſyllabis conſentit vſque ad ſancti nominis nouitatem? Paſcit reuera, nec eſt felicior paſtio in loco paſcuæ, vbi nos dominus colloca-

uit. Quid æquè mentẽ cogitantis impinguat? Nomen Ieſu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Omnis cibus, qui non conditur hoc ſale, infatuatus eſt. Scriptura, quæ non fuerit intincta oleo tãtæ deuotionis, aut inſipida eſt, aut amara. Olim mihi Tullius dulceſcebat, blandiebantur carmina poëtarum, philoſophi verbis aureis inſplẽdebant, & ſirenes vſque in exitum dulces meum incantauerant intellectum. Lex, Prophetæ, Euangelium, Epiſtolæ, & omnis gloria ſententiarum domini mei, & ſeruorum eius, aut parua videbantur, aut nulla. Neſcio modò quid dulcius immurmurat filius Ieſſæ, qui vario ſermonum, & ſententiarum concentu omnes illos, quos diligere cõſueueram, ineloquẽtes reddit, & mutos. Lenit, & vngit, quia nihil ſic recreat in tribulatione. Denique & probare licet. Inuoca me, inquit, in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me. Hoc eſt nomen, hoc eſt oleũ, hæc olei effuſio. Amen dico vobis, nõ deficiet hic lecythus olei, nec minuetur, donec pluuiam voluntariam, quæ ſegregata eſt hæreditati eius, diffuſiùs inſtillet, donec faciat cęlum nouum, & terram nouam, quia miſericordia eius ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum. Sed iam ſurgamus, & præparemus nos ad ſolennioris Miſſæ iubilationem, nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus eſt nobis, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

EVTHYMII ZIGABONI *ſuperioris Euang. expoſitio.*

F*Actum eſt autem in diebus illis. Exijt edictum, &c.* Vt cenſum penderent, vt tributum exoluerẽt, qui iam Romanorum ſubiecti erant poteſtati, quorum princeps erat Cæſar. Præfigurabat autem vniuerſi orbis erga Cæſarem ſubiectio, ac deſcriptio, totius mũdi ad Chriſtum ſubiectionem, ac recenſionem eorum, qui in cælos deſcribuntur. Facta eſt autem huiuſmodi deſcriptio, quum naſciturus erat Chriſtus: vt, dum omnes in ſua metropoli deſcribi oporteret, abiret & virgo in Bethlehem, ac ipſum in ea pareret: & prophetia impleretur, quæ ait, Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es inter principatus Iuda: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum

Mich. 5. Iſraël. *Hæc deſcriptio prima facta eſt.* Quæ vſque illud tempus facta non erat. *Præſide Syriæ Cyrenio.* Principatum deſcripſit Cyrenij, ad ſignificãdum, quòd ipſe fecerit Syriæ deſcriptionem, in qua ſita eſt Palæſtina. *Et ibant omnes vt deſcriberentur quiſque in ſuam ciuitatem.* In tribus ſuæ metropolim, vt nota fieret cuiuſque tribus multitudo. *Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa, &c.* Quum Dauid in Bethlehem imperaſſet, ſuam appellauit ciuitatem. Simul autem deſcriptus eſt Chriſtus, vt eos, qui deſcripti eſſent in ſeruitutem principis Cæſaris, liberaret à ſeruitute diaboli, qui princeps eſt mũdi. *Quæ erat prægnans.* De ſpiritu ſancto videlicet, ſicut dictum eſt.

† *Et faſcijs eum inuoluit ac reclinauit eum in præſepe* † *&c.* Diuerſorium dicitur hoſpitium, in quo, quum non eſſet locus propter domus anguſtiam, reclinauit ipſum in præſepe irrationalium, quod ibi erat. Futurum enim erat, vt verbum paſceret nos

† verbo euangelij † & ab irrationalitate, ac brutalitate affectionum liberaret.

† *Præſepe eſt mundus, nos vero irrationalia. Vt ergo nos ab irrationalitate liberaret; ideo voluit ibi reclinari.* †

† *Non poſſumus vno verbo eam reddere conſonantiam, vel alluſionem, quæ pulchra apud Græcos apparet, quum dicunt λόγος, καὶ ἄλογος, hoc eſt, verbum, ſine ratio, & irrationalis.* †

Et paſtores erant in ea regione in agro degentes, &c. Verbum ἀγραυλεῖν quidam interpretantur ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν in agro tibia canere, ſiue fiſtula vti. Alij vero ἐν ἀγρῷ αὐλίζεσθαι, in agro degere, ſiue pernoctare. *Et ecce angelus domini adſtitit illis, &c.* Claritatem domini intellige hic diuinum lumen. Circunfulſit autem illos, vt angelum domini eſſe ſcirent eum, qui illis adſtaret. *Et timuerunt timore magno.* Propter viſionis nouitatem. *Dixitq́ illis angelus, Ne timueritis, &c.* Quod autem ſit nuntium, audio; *Quia natus eſt vobis hodie ſaluator, &c.* Natus eſt vobis in ciuitate Dauid ſaluator, qui eſt Chriſtus, vtpote vnctam habens humanitatem ſuam diuinitate. Dominum autem, vtpote Deus. Scribis vero, & phariſæis non annunciant hoc gaudium: quum enim peruerſi eſſent, & inuidi, non erant credituri: ſed paſtoribus, qui verſutia, ac inuidia carebant, quique veterem patriarcharum viuendi modum apprehenderant. Quia etiam paſtor, ac dux factus eſt populi, paſtoribus primum ea, quæ de ſe erant, myſteria manifeſtauit. Significatur quoque & aliud: quòd videlicet paſtoribus rationalium ouium diuina myſteria primum ante alios reuelantur. *Et hoc vobis ſignum.* Hoc vobis argumentum, quòd vera dicam. *Inuenietis infantem faſcijs inuolutum iacentem in præſepe.* Faſcijs alligatum, vt faſcias noſtrorum ſoluat peccatorum. Iacebat autem, vt eos, qui in peccata ceciderant, erigeret. *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo cæleſtis militiæ.* Facta eſt cum angelo, id eſt, coniuncta eſt illi angelo. *Laudantium Deum.* Laudes canentium vni ſanctę trinitatis diuinitati, propter ordinatam hominum ſalutem. *Et dicentium, Gloria in altiſſimis Deo.* Laus in cælis Deo. *Et in terra pax.* Vt hæc hymno, ſiue laudi correſpondeat. Quia & in terra pax facta eſt, quæ in cælis verſabatur, hominibus pacem iam ad Deum habentibus. Vel quia etiam in terra Dei filius apparuit, qui eſt pax mundi, mediator Dei, & hominũ factus: qui pacificauit terreſtria cæleſtibus, diſſidentia coniũgens, eóſque, qui inuicem hoſtes erant, reconcilians. Vel, *Et in terra pax:* quia, omnipotente Chriſto nato, bellum omne diſſolutum eſt: omnibus ſimul gentibus Romanorum ditioni ſubiectis. *In hominibus beneplacitum.* In hominibus nunc eſt quod olim patris erat beneplacitum: hoc autem eſt, vt incarnaretur Dei filius, ac ſaluaretur homo perditus. Nunc enim completum eſt, quod olim illi beneplacuit, ſiue quod definiuit, aut voluit. ¶ *Et factum eſt, poſtquam diſceſſerunt ab illis angeli, &c. Videamus rem,* hoc eſt, inquiramus factum de nato nobis hodie ſaluatore. Inquiramus autem hoc, per datum nobis ſignum. *Et venerunt feſtinantes, &c.* Cognouerunt, ſiue certiores facti ſunt de verbo, quod dictum erat eis de puero hoc, quòd natus erat populo ſaluator. †

† *Potius tamen διεγνώρισαν, hoc eſt, notum fecerũt, Vel diuulgauerunt. ob id potiſſimum, quod protinus ſequitur; Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt, &c.* †

Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt, &c. Statim enim annunciauerũt Ioſeph, & matri pueri, quæcunque dicta erant ipſis ab angelo, & de multitudine

dine cæleſtis militiæ. Nec his ſolum, verum etiam omnibus, quibus occurrebant, qui etiam mirabantur de iis, quæ audiebant. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.* Quæ à paſtoribus dicta erãt. Conſeruabat autem apud ſeſe. *Conferens in corde ſuo.* Examinans hæc apud ſeipſam, & comparans ad Gabrielis ab exordio ſalutationem, ſe ſine ſemine conceptum, & abſque doloribus puerperii, partumque ſine corruptione: & paulatim certitudinem ſuſcipiebat perfectiorem. *Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes, &c.* Reuerſi ſunt ad gregem ſuum.

IN EODEM FESTO AD TERTIAM MISSAM.

IOAN. I.

a In patre, qui principium ſine principio eſt: vel in principio omnium creaturarum vel temporum, id eſt, cum inciperent omnes creaturæ vel tempora, iam erat verbum: vel quia ab ipſo habent omnia principium exiſtendi. Non in Maria incepit vt quidam volebant. Vnde[m] in ſubſtantia, etſi alius in perſona, quod quidam negabant. Nota conſubſtantialitatis. b Filius qui eſt principium de principio. c Filius. Verbum non prolatum, ſed ſemper apud eum manens ſcilicet ſapientia qua de creandis omnia ſciebat, vel de ſe. d Vt alia perſona, non tamen alia ſubſtantia.

IN [a] principio erat [b] verbum, & [c] verbum [d] erat apud Deum, &

e Ipſe filius erat Deus. Ne dicatur eſſe cum Deo, & non Deus. f Hoc idem verbum non eſt nouus Deus, ſed erat apud Deum in principio, id eſt, in patre exiſtens principium omnium cum patre. g Iam erat vnum cum patre, vt omnium creaturarum principium ſua præiret eſſentia. h Id eſt, omnis creatura viſibilis & inuiſibilis, omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium.

[e] Deus erat verbum. [f] Hoc [g] erat in principio apud Deum. [h] Omnia per ipſum facta ſunt, & [i] ſine ipſo factum eſt nihil. [k] Quod [l] factum eſt in

i Nulla res ſubſiſtens ſine ipſo eſt facta. k Et omne. l In tempore.

m In ſpirituali factoris ratione ſemper viuit & vixit. n Hæc id eſt ſapientia Dei. o Non alterum rerum. p Tamen à tenebris non cernebatur. q Ante incarnationem, ſicut nec cæcus comprehendit lucem ſuper ſe lucentem.

[m] ipſo, vita erat, & [n] vita erat lux [o] hominum, & lux in [p] tenebris lucet, & [q] tenebræ eam non [r] comprehenderunt. Fuit [s] homo miſſus à [t] Deo: cui [v] nomen

r Sed vt etiam tenebræ comprehenderent. s Præcurſor humanati verbi. t Non ab hominibus. v Non ab homine impoſitum, ſed à Deo, quaſi ſubſtantialiter datum.

x Id eſt, gratia qui totum à gratia habet & gratiam prædicat. y Cur miſſus? Agens libera voluntate. Hic miſſus eſt, hic venit in teſti. z Cuius rei? a Quicunque contradiceret.

erat [x] Ioannes. Hic [y] venit in teſtimonium, [z] vt teſtimonium [a] perhiberet de [b] lumine, [c] vt omnes [d] crederent per [e] illum. [f] Non erat ille lux, [g] ſed vt teſtimonium perhiberet de [h] lumine. [i] Erat [k] lux [l] vera, quæ illuminat [m] omnem

b Id eſt, Chriſto nato iam nomen verbi mutauit in lumen. c Quare? d Lumen Chriſtum eſſe. e Teſtificantem, quia Deum nemo vidit vnquam. f Magnus quidem erat iſte, non tamen ex ſe lucens. Sunt tamen ſancti lux illuminata. g Miſſus erat.

h De quo? i Autem. k Chriſtus. l Quia eſt non vera lux ſcilicet quæ non eſt ex ſe, ſed aliunde lucet. m Non quod omnem, ſed quia nullus ſine illo illuminatur. Vt etiam ipſum Ioannem.

n Id eſt, qui à Deo recedens & cadens in mundum, cæcatus eſt, alioquin non indigeret illuminari. o Et hæc lux. Præſentia deitatis. Non vt pars eius, ſed vt factor omnibus creaturis infuſus regens quæ fecit.

hominem [n] venientem in hunc mundum. In mundo [o] erat, & mundus per ipſum factus eſt, & [p] mundus eum non cognouit. In [q] propria [r] venit, & [s] ſui eum non receperunt. [t] Quotquot autem receperunt eum, dedit [v] eis poteſta-

p Dilectores mundi, quia omnem ſenſum & intellectum diuina lux excedit. q In humanam naturam, id eſt, in mundum qui ſuus eſt. r Chriſtus per carnem. s Id eſt, quicunque homines, præſertim Iudæi quos omnibus prætulit. Eius cognati. Sui, non quod nulli: quia aliqui, ſed rari: Et quotquot recepe.

t Siue Iudæi ſiue Gentiles. Per fidem. v Per ſpiritum ſanctum non tantum reformati, ſed.

x Adoptiuos. Vt ſint fratres eius & cohæredes per gratiam, ſicut & ipſe filius vnigenitus per naturam, vt iam non ſit ſolus. y ſcilicet. z Deum eſſe & hominem. a Id eſt, iure eius nominis, id eſt, Emmanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. b Pluralium, vt ſignificet maris & fœminæ materiam. Sunt nati de materia patris & matris. Hic miſera conditio apponitur.

tem [x] filios Dei fieri, [y] his qui [z] credunt in [a] nomine eius. Qui non ex [b] ſanguinibus, neque ex [c] voluntate carnis, neque ex volũtate [d] viri, ſed ex [e] Deo [f] nati ſunt. Et [g] verbum [h] caro factum eſt, & [i] habitauit in nobis. Et [k] vidimus

c Concupiſcentia carnis, id eſt, fœminæ quæ eſt caro Adæ, & regitur. d Vir dicitur ſpiritus qui regit. e Operante per baptiſmum. f Nominati ex Deo, & Deo ex homine.

g Id eſt, filius Dei. h Homo. i Habitu inuentus vt homo. k Et per hoc ſanati. Nos quos elegit. Id eſt, agnouimus Deum eſſe glorioſum.

l Maieſtatem eius per humanitatem, in qua docuit & miracula fecit, in qua transfiguratus eſt, in qua ſurrexit. Vel altitudinem. m Non vt cuiuſlibet ſancti. n Vidimus illum hominem. o Secundum humanitatem. p Secundum deitatem.

[l] gloriam eius, gloriam quaſi [m] vnigeniti à patre, [n] plenum [o] gratiæ & [p] veritatis.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euangel.*

IN *principio erat verbum.* Contra eos qui propter temporalem Chriſti natiuitatem dicebant Chriſtum non ſemper fuiſſe, incipit de æternitate verbi dicens: In principio erat verbum. Verbum dicitur: Vel quod profertur & tranſit: vt quando dicitur Deus, vel aliquid huiuſmodi; vel cogitatio ſeu conceptio mentis quæ ex mente nata cum ipſa mente permanet, vt quando cogitas vel diuinam ſubſtantiam, vel aliam rem. Hac ſimilitudine ratio & ſapientia Dei quæ ex Deo nata omnia comprehendit verbum dicitur. Hoc dicitur eſſe in principio contra eos, qui (quia ex tempore dicitur naſci ex virgine) dicunt non ſemper fuiſſe. In pr. in patre qui eſt principium non de principio: ipſe cum eo eſt principium de principio. In quo ſolum notatur æternitas verbi, quæ omnia præcedit. Sed quia alij dicebant, quòd idem Deus aliquando eſt pater, aliquando filius, vt alter notetur in perſona, ſubdit: Et verbum erat apud Deum, vt alius apud alium. Sed quia alij concederent, & ſemper alium fuiſſe ſed non Deum eſſe, ſubdit: Et Deus erat verbum. Sed quia iterum alij etiam Deum concederent, ſed factum Deum, vt ex hominibus fiunt dij: cõtra eos addit: hoc, id eſt, verbũ erat apud Deum. in principio, id eſt, ante omnia natus ex Deo, in quo & coomnipotens & conſubſtantialis & coæternus indicatur. Poſtquam autem dixit de natura filij, de operatione ipſius ſupponit: omnia per ipſum facta ſunt. omnia, id eſt, quidquid eſt ſiue in ſubſtãtia, ſiue in aliqua naturali proprietate. Ecce autor bonorum. Et ſine ipſo factum eſt nihil, quia non ab eo eſt quod non eſt naturaliter: ſed quod eſt peruerſio naturæ, vt malum ſiue idolum. Ecce non eſt autor malorum. Sed ne quia iſta facta ſunt mutabilia, ipſa voluntas & ratio & ſapientia Dei videretur eſſe mutabilis, addit, quòd factum eſt, in tempore & eſt mutabile, erat viuẽs & permanens in ipſo, vt arca facta in opere mutatur & perit, arca in mente artificis permanet: ita vt ex ea alia & alia fieri poſſit, illa prius facta pereunte. & ita conſtat, quòd creatura non eſt coæterna creatori, ſed ars & ratio ſapientia ex qua fit, eſt coæterna Deo. Dicto quæ ſit natura verbi, quæ etiam eius operatio, ſupponit quid faciat humanæ rationali creaturæ: & hæc vita, id eſt, ſapientia Dei in qua viuunt omnia, erat lux, quantum in ſe eſt: & ſi iniqui non ſentiũt. lux, id eſt, illuminatio hominum, non pecorum vel aliarum rerum. Et hæc quidem lux lucet quantum in ſe eſt in tenebroſis, ſicut ſol ſuper cæcum, & tamen illi mali vt cæci non ſentiunt ſolem. Si enim comprehenderent, tenebræ nõ eſſent. Vt autem & ipſæ tenebræ poſſent comprehendere, præmiſſus eſt homo in teſtimonium huius lucis. Et ipſa lux, id eſt, verbum, factum eſt caro, quaſi mutatum in lac propter paruulos: In forma enim deitatis non poſſet noſci à paruulis. Alij euangeliſtæ deſcribunt Chriſtum natum ex tempore. Ioannes affirmat eum fuiſſe in patre, vt in principio. Non fuit ante pater quam filius. Ecce filius alia perſona à patre, vna ſubſtantia cum patre. *Erat.* Sum verbum ſubſtantiuum duplicẽ habet ſignificationem: Aliquando enim temporales motus ſecundum analogiam aliorum verborum declarat. Aliquando ſubſtantiam vniuſcuiuſque rei de qua prædicatur non vllo temporali motu deſignat: ideo & ſubſtantiuum vocatur. tale eſt quod dicitur: In principio erat verbum quaſi in patre ſubſiſtit filius. Non enim per tempore, ſed per ſubſtantia ponitur, erat. Quare ponitur erat ſubſtantiuum verbum, vt intelligas omnia tempora prçueniſſe coęternum patri verbum. *Verbum.* Vel quia per eum pater mundo innotuit, vel quia ipſum dicẽdo, id eſt, generando Deus pater omnia creauit, verbum dicitur. *Et verbum erat.* Alij ſubitò inter homines apparuiſſe: Ioannes dicit apud Deum ſemper fuiſſe. Alij verum hominem: Ioannes Deum verum aſſerit dicẽs: Deus erat verbum. Alij hominem inter homines conuerſatum, Ioannes apud Deum manentem dicit: hoc erat in principio apud Deum. Alij dicunt miracula quæ fecit homo in mundo: Ioannes per ipſum omnia facta teſtatur: Omnia per ipſum facta ſunt. Ecce autor bonorum. Sine ipſo factum eſt nihil. Non eſt autor malorum. *Omnia per ipſum.* Aug. Non eſt creatura, per quem omnis creatura facta eſt. Malum non eſt factum per ipſum, neç ipſum idolum, quia nihil ſunt: nulla ſua natura ſubſiſtũt. Tamen quidquid mente concipitur, dicitur eſſe: hoc modo peccatum poteſt eſſe. Ea quæ ſunt, per ipſum facta ſunt. Illa autem ſunt quę à natura propria non recedunt, id eſt, quæ concordant cunctipotentiæ diuinitatis. *Et ſine ipſ.* Origenes ita diſtinguit: Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Ordo: Nihil quod factum eſt, factum eſt ſine ipſo. Aug. Quod factum eſt, erat vita in ipſo. Ioannes Chry. & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Hilarius: ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo. *Quod fa.* Auguſt. Si audis mutabilem creaturam per filium factam, non tamen credas mutabilem eius voluntatem: quia non ſubito aliquid voluit facere, ſed omnia ab æterno fecit. Quod factum eſt, tempora tranſit. quod in ſapientia immutabili eſt, tranſire non poteſt. Faber enim arcam prius facit in mente, poſt in opere. Quod in mẽte eſt, viuit cum artifice: quod fit, mutatur cum tempore. *Fuit homo miſſus.* Poſtquam ſublimi volatu vltra omnem naturam in altitudinem theologiæ aſcendit, quia verbum apud patrem ſemper fuiſſe contemplatus eſt, mox ad humilitatem humanæ naturæ, & ſpecialiter præcurſoris verbi deſcendit, contra illos, qui dicebant humanam naturam in primo parente ex toto perditam & ad nihilum redactam. *Homo miſſus.* Homo, non angelus, vt Hæretici volunt, miſſus à Deo. Ideo potuit dicere de Deo: *Erat lux vera.* Omnis homo dicitur illa natura in homine, quæ ad imaginem & ad ſimilitudinem Dei facta eſt. Alia omnia quæ ſunt in homine, inferiores partes hominis ſunt, & quodammodo extra hominem ſunt. In illa, ſcilicet, anima velut in quodam mundo ſuperiori vera lux lucet, & in illum mundum venientes & per gratiã renaſcentes illuminat, quia quorum vita & conuerſatio in cælis eſt, quaſi in alio mundo ſunt. *Et mundus eum non,* Non quòd creatura non cognouerit, ſed homo qui in mundum mente amãdo deſcendit. Prius mundus ipſa creatura dicebatur. omnis enim creatura ſuum creatorem recognoſcit: homo verò minime. *Et ſui eum.* Ab initio mundi nullum tempus erat in quo receptores diuini verbi non eſſent. vnde addit; *Quotquot autem re. Filios Dei.* Mirabilis poteſtas, vt qui filij diaboli

erant,

erant, & filij Dei & fratres Chriſti per eum liberati dicantur, quo autem ordine filij Dei fiant, & quomodo hæc generatio diſtat à carnali, ſubditur: Qui non ex ſan. *Et verbum.* Vt autem ſecure credamus homines naſci ex Deo, ſubdit Deum naſci ex homine. ex hac ſuſceptione infirmitatis ſanatur noſtra infirmitas, vt poſſimus filij Dei fieri. Et hoc eſt: *Et ver. ca. fa. eſt.* Quod ſuperius erat, inferius deſcẽdit. Quid mirum, ſi quod erat inferius, in id quod ſuperius eſt aſcendit? Nec mirum, ſi homines naſcuntur ex Deo: quia Deus ex homine eſt natus. *Plenum gratiæ.* Homo Chriſtus plenus fuit gratia, quia nullis præcedentibus meritis ex quo cõceptus eſt, fuit deitas in eo implens hominem illum omni plenitudine redundante in omnes ſanctos. vnde & mater eius non tantũ dicitur mater hominis, ſed & mater Dei. Nec mirum ſi dicitur, homo etiam Deus, cum Deus dicatur etiam homo: hęc autẽ gratia dicitur & veritas, quia ſic olim promiſſum eſt, & modo exhibitum, ſcilicet, vt Deus ſit in homine implens eum omni bono, & per eum ſuos.

CATENA AVREA IN *idem Euangelium.*

IN *principio erat verbum.* Chryſ. Omnibus aliis euangeliſtis ab incarnatione incipiẽtibus, Ioannes tranſcurrens cõceptionem, natiuitatem, educationem, augmentationem, mox de æterna nobis generatione narrat, dicens: In principio erat verbum. Augu. 83. quæſt. Quod Græcè logos dicitur, Latinè & rationem & verbum ſignificat, ſed hoc loco melius verbum interpretatur, vt ſignificetur non ſolùm ad patrem reſpectus, ſed ad illa etiam quæ per verbum facta ſunt operatiua potentia. Ratio autem & ſi nihil per eam fiat, rectè ratio dicitur. Augu. ſuper Ioannem. Quotidie autem dicendo verba viluerunt nobis, quia ſonando & tranſeundo viluerunt. Eſt verbum & in ipſo homine quod manet intus: nam ſonus procedit ex ore. Eſt verbum quod verè ſpecialiter dicitur illud quod intelligis de ſono, nõ ipſe ſonus. Aug. 15. de tri. Quiſquis autem poteſt intelligere verbum, non ſolum tanquam ſonet, verum etiam antequam ſonorum eius imagines cogitatione voluantur, iam poteſt videre per hoc ſpeculum atque in hoc ænigmate aliquam verbi ſimilitudinem, de quo dictum eſt: In principio erat verbum. Neceſſe eſt enim, cum id quod ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcatur verbum, quod eiuſmodi ſit omnino euiuſmodi eſt illa ſcientia de qua naſcitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam ſcimus verbum eſt: quod in corde dicimus, quod nec Græcum eſt, nec Latinum, nec linguæ alicuius. Sed cum id opus eſt in eorum quibus loquimur proferre notitiam, aliquod ſignum quo ſignificet, aſſumitur. Proinde verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi quod intus latet, cui magis verbi competit nomen: nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi eſt, verbũmque & ipſum dicitur propter illud à quo vt foris appareat, aſſumptum eſt. Baſi. in hom. Hoc autem verbum non eſt humanũ verbũ. Quomodo enim erat in principio humanum verbum, vltimo loco accipiente humanæ generationis principium? non igitur in principio verbum erat humanũ, ſed nec angelorũ. Omnis enim creatura infra ſeculorum terminos eſt, à creatore eſſendi ſumens principiũ. Sed audi euangeliũ decenter. Ipſum enim vnigenitum verbum dixit. Chryſ. Si autem quis dixerit cur patrẽ dimittens mox nobis de filio loquitur? Et quoniam ille quidem manifeſtus omnibus erat & ſi non vt pater, ſed vt Deus, vnigenitus autem ignorabatur: ideò decenter ea quæ de iſto eſt cognitionem confeſtim in initio ſtuduit imponere his, qui neſciebant eum: ſed neque patrem in his quæ de filio ſunt ſermonibus tacuit. Propter hoc autem & verbum eum vocauit. Quia enim dicturus erat, quod hoc verbum vnigenitus eſt filius Dei, vt non paſſibilem ęſtimet quiſquis generationem, præueniens verbi nuncupatione deſtruit pernicioſam ſuſpicionem, eſſe ex Deo filium impaſſibiliter oſtendens. Secunda verò ratio eſt, quia ea quæ ſunt patris, nobis annunciare debebat: non ſimpliciter verò eum verbum dixit, ſed cum articuli adiectione à reliquis ipſum ſeparans. Conſuetudo enim eſt ſcripturæ, verba vocare leges Dei & præcepta, hoc autem verbum ſubſtantia quædam eſt hypoſtaſis ens, ex ipſo proueniens impaſſibiliter patre. Baſ. Quare igitur verbum? quia impaſſibiliter natum eſt, quia eſt generantis imago, totum in ſeipſo generantem demonſtrans, nihil inde ſeparans, ſed in ſeipſo perfectum exiſtens. Aug. 15. de trin. Sicut enim ſcientia noſtra illi ſcientiæ Dei, ſic & noſtrum verbum quod naſcitur ex noſtra ſcientia, diſſimile eſt illi verbo Dei quod natum eſt de patris eſſentia. Tale eſt autem acſi dicerem de patris ſcientia, de patris ſapientia, vel quod eſt expreſſius de patre ſcientia, de patre ſapientia. Verbum ergo Dei patris vnigenitus filius, per omnia patri ſimilis & æqualis: hoc enim eſt omnino quod pater, non tamen pater: quia iſte filius, ille pater: ac per hoc nouit omnia quæ nouit pater, ſi ei noſſe de patre eſt, ſicut eſſe: noſſe enim & eſſe, ibi vnum eſt: Et ideo patri ſicut eſſe non eſt à filio, ita nec noſſe. Proinde tanquã ſeipſum dicens, pater genuit verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſeipſum integrè perfectéque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in eius verbo quàm in ſeipſo. Noſtrum autem verbum internum quod inuenimus eſſe vtcunque illi ſimile, quantum ſit etiam diſſimile non pigeat intueri. Etenim verbum mentis noſtræ quandoque formabile, nondum formatum quidem mentis noſtræ, quod hac atque hac volubili quadam motione iactamus, cum a nobis nunc id, nunc illud, ſicut inuentum fuerit, vel occurrerit, cogitatur: & tunc fit verum verbũ, quando illud quod nos diximus volubili motione iactare, ad id quod ſcimus peruenit, atque inde formatur, eius omnimodam ſimilitudinem capiens: vt quomodo res quæque ſcitur, ſic etiam cogitetur. Quis nõ videat quãta ſit hæc diſſimilitudo ab illo Dei verbo quod in forma Dei ſic eſt, vt non antè fuerit formabile, poſtquam formatum, non aliquando poſſit eſſe informe, ſed ſit forma ſimplex æqualis ei de quo eſt? Quapropter ita dicitur illud Dei verbũ, vt Dei cogitatio non dicatur: ne aliquid eſſe quaſi volubile dicatur in Deo quod nunc habeat, nunc accipiat formam vt verbum ſit, eámque poſſit amittere, atq; informiter quodammodo volutari. Augu. de verb. do. Eſt enim verbum dei forma quædam non formata, ſed forma omnium formarum, formam incommutabilis, ſine lapſu, ſine defectu, ſine tẽpore, ſine loco

ſuperans omnia, exiſtens in omnibus: fundamentum quoddam in quo ſunt, & faſtigium ſub quo ſunt. Baſil. Habet autem & verbum noſtrum exterius diuini verbi ſimilitudinem quandam. Nam noſtrum verbum totã declarat mentis conceptionem: quæ namque mente concepimus, ea verbo proferimus: & quidem cor noſtrum quaſi fons quidam eſt, verbum verò prolatum quaſi quidam riuulus manans ex ipſo. Chryſ. Conſidera etiam in euangeliſta prudẽtiam ſpiritualem, nouerat homines id quod antiquius eſt, & quod eſt ante omnia maximè honorantes & ponentes Deum: propter hoc primùm dicit principium. In principio (inquit) erat verbum. Orig. plura autem ſunt ſignata ab hoc nomine principium. Eſt enim principium, ſicut itineris & longitudinis: ſecundum illud: Initium boni itineris iuſtorũ exercitium. Eſt autem principium & generationis, iuxta illud. Hoc eſt principium creaturæ domini: ſed etiam Deum non enormiter aſſeret aliquis omnium principium. Illud etiam ex quo ſicut ex præiacente materia alia fiunt, principium eſt penes eos qui credunt illam ingenitam. Eſt etiam principium ſecundum ſpeciẽ, ſicut Chriſtus principium eorum eſt, qui ſecundum imaginem Dei formati ſunt. Eſt etiam principium diſciplinæ, ſecundum illud: Cùm deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis vt doceamini quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei. Duplex enim eſt documenti principium: hoc quidem natura, hoc verò quo ad nos: vt ſi dicatur initium ſapiẽtiæ fore natura quidem Chriſtum, inquantum ſapiẽtia & verbũ Dei eſt: quoad nos verò inquantum verbũ caro factũ eſt. Tot igitur ſignificatis ad præſens nobis de principio occurrentibus poteſt accipi illud ex quo quod eſt agens. conditor enim Chriſtus eſt velut principium, ſecundum quod ſapientia eſt vt verbum in principio quaſi in ſapientia ſit: plura enim bona de ſaluatore dicũtur. velut igitur vita in verbo eſt, ſic verbum in principio, id eſt, in ſapientia erat. Conſidera verò ſi poſſibile eſt ſecundum hoc ſignificatum accipere nos principium, prout ſecundum ſapientiam, & exempla quæ in ea ſunt fiunt omnia, vel quia principium filij pater eſt: & principium creaturarum & omnium entium per illud, in principio erat verbum: verbum filium intelligas in principio, id eſt, in patre dictum fore. Aug. vi. de trini. Aut in principio ſicut dictum eſt, ac ſi diceretur ante omnia. Baſi. Præuidit enim ſpiritus ſanctus futuros quoſdam inuidentes glorię vnigeniti, qui proferrent ſophiſmata ad ſubuerſionem auditorum: quia ſi genitus eſt, non erat: & antequam genitus eſſet, non erat. Ne igitur talia garrire præſumant, ſpiritus ſanctus ait: In principio erat verbum. Hila. 2. de trin. Tranſeunt tempora, tranſeunt ſecula, tolluntur ætates: pone aliquod quod voles tuæ opinioni principium, non tenes tempore: erat enim vnde tractatur. Chryſ. Sicut autem quis, cùm ſtat in naui ſecus littus, videt ciuitates & portus. Cum verò eum aliquis in medium pelagi duxerit, à prioribus quidem deſiſtere facit. non tamen alicubi defigit ei oculum: ita euangeliſta hîc ſuper omnem nos ducens creaturam, ſuſpenſum dimittit oculum, non dans ſuſcipere aliquem finem ad ſuperiora: hoc enim in principio erat, ſemper & infinitè eſſendi ſignificatiuum eſt. Aug. de verb. do. Sed dicunt: Si filius eſt, natus eſt. hoc fatemur: adiũgunt deinde, ſi natus eſt patri filius, erat pater antequã ei filius naſceretur. hoc reſpuit fides. Ergo (ait) rationem mihi redde, quomodo & filius naſci potuit patri, vt coæuus eſſet ei à quo natus eſt. Poſt patrem enim naſcitur filius vtique patri moriturо ſucceſſurus. ſimilitudines adhibent de creaturis, & nobis laborandum eſt, vt & nos inueniamus ſimilitudines earum rerum quas aſtruimus. Sed quomodo poſſumus in creatura inuenire coæternum, quando in creatura nihil inuenimus æternum? Sed ſi poſſunt inueniri hîc duo coæua, generans & generatum, ibi intelligimus ęterna. Ipſa quidem ſapientia dicta eſt in ſcripturis candor lucis æternæ: dicta eſt imago patris. Hinc capiamus ſimilitudinem, vt inueniamus coæua, ex quibus intelligamus coæterna. Nemo autem dubitat quòd ſplendor de igne exit: ponamus ergo ignem patrem illius ſplendoris, mox quidem vt lucernam accendendo, ſimul cum igne & ſplendor exiſtit. Da mihi hîc ignem ſine ſplendore, & credo tibi patrem ſine filio fuiſſe. Imago exiſtit de ſpeculo: hominis intuentis ſpeculum exiſtit imago, mox vt aſpector extiterit: ſed ille qui inſpicit, erat antequam accederet ad ſpeculum. Ponamus ergo aliquid natum ſuper aquam vt virgultum aut herbam, nonne cum imagine ſua naſcitur? Si ergo ſemper eſſet virgultum, ſemper eſſet & imago de virgulto. quod autem de alio eſt, vtique natum eſt: poteſt ergo ſemper eſſe generans, & ſemper cum illo quod de eo natũ eſt. Sed dicet aliquis, ecce intellexi æternum patrem, coęternum filium: tamen ſicut effuſum ſplendorem minus igne lucẽtem, aut ſicut effuſam imaginem minus quàm virgultum exiſtentem dicimus. non: ſed æqualitas omnimodo. non credo, ait, quia non inueniſti ſimilitudinem. Fortaſſis autem inueniimus in creatura quomodo intelligamus filium & coæternum patri, & nequaquam minorem, ſed non illud poſſumus inuenire in vno genere ſimilitudinum. Iungamus ergo ambo genera: vnum vnde ipſi dant ſimilitudines, & alterum vnde nos dedimus. Dederunt enim illi ſimilitudines ex his quæ præceduntur tẽpore ab his à quibus naſcuntur, ſicut homo de homine: ſed tamen homo & homo eiuſdem ſubſtantiæ. Laudamus ergo in iſta natiuitate æqualitatem naturæ, deeſt æqualitas temporis. In illo autem genere ſimilitudinis quod nos dedimus de ſplendore ignis, & de imagine virgulti, æqualitatem naturæ non inuenis, inuenies coæuitatem. Totum ergo ibi quod hîc ex partibus ſingulis, & rebus ſingulis inuenitur: & non hoc ſolum quod in creaturis totum inuenio ibi, ſed tanquam in creatore. Ex geſtis concilij Epheſini. Propterea alicubi quidem filium appellat patris, alicubi autem verbum nominat, alicubi autem ſplendorem vocat ſcriptura diuina, ſingula horum nominum de ipſo dicens, vt intelligas ea quæ de Chriſto dicuntur eſſe contra blaſphemiam. quia enim tuus filius eiuſdem tibi naturæ ſit, volens ſermo oſtendere, vnam ſubſtãtiam patris & filij, dicit filium patris qui ex eo natus eſt vnigenitus. Deinde quoniam natiuitas & filius apud nos oſtentationẽ prębent paſſionis, ideóque hunc filium appellat & verbum, impaſſibilitatem natiuitatis eius nomine iſto demonſtrans. Sed quoniam pater quiſpiam factus vt homo, indubitanter ſenior filio ſuo demonſtratur: ne hoc ipſum etiam de diuina natura eſſentia putares, ſplendorem

rem vocat vnigenitum patris. Splendor enim naſcitur quidem ex ſole, non autem intelligitur ſole poſterior. Coexiſtere ergo ſemper patri filium ſplendor tibi denunciet, impaſſibilitatem natiuitatis oſtendat verbum, conſubſtantialitatem filij nomen inſinuet. Chry. Sed dicunt illi quoniam hoc, id eſt, in principio, non æternitatem oſtendit ſimpliciter. Etenim & de cælo illud, & de terra dictum eſt: In principio (inquit) fecit Deus cælum & terram. ſed quid commune habet erat ad fecit? ſicut quod eſt, cùm de homine quidem dicitur, tempus præſens ſignificat tantum: cùm autem de Deo, id quod eſt ſemper & æternaliter ita & erat. De noſtra quidem cùm dicitur natura, præteritum ſignificat tempus: cùm autem de Deo, æternitatem oſtendit. Orig. in ho. Sum enim verbum, duplicem habet ſignificationem: aliquando enim temporales motus ſecundum analogiam aliorum verborum declarat, aliquando ſubſtantiam vniuſcuiuſque rei de qua prædicatur ſine vllo temporali non deſignat, ideo & ſubſtantiuum vocatur. Hil. 2. de tri. Reſpice igitur ad mundum, intellige quid de eo ſcriptum eſt. In principio fecit Deus cælum & terram. Fit ergo in principio quod creatur, & ætate continet, quod in principio continetur vt fieret. Piſcator autem illiteratus, indoctus, liber à tempore, ſolutus à ſeculis eſt, vicit omne principium: erat enim quod eſt, neque in tempore aliquo concluditur, vt cœperit quod erat potius in principio quàm fiebat. Alcu. Contra eos ergo qui propter temporalem natiuitatem dicebant Chriſtum non ſemper fuiſſe, incipit euangeliſta de æternitate verbi, dicens: In principio erat verbum. *Et verbum erat apud Deum.* Chry. Quia maximè Dei hoc eſt proprium, æternum & ſine principio eſſe, hoc primum poſuit: deinde ne quis audiens, *In principio erat verbum.* ingenitū verbum dicat, cōfeſtim hoc remouit, dicens: *Et verbum erat apud Deum.* Hil. 2. de trin. Sine principio enim eſt apud Deum, & qui abeſt à tempore, non abeſt ab authore. Baſ. Rurſus hoc dicit propter blaſphemantes, quod nō erat: vbi ergo erat verbum, non in loco incircunſcriptibilia continentur. ſed vbi erat? apud Deum, neque pater loco, neque filius circunſcriptione aliqua continentur. Orig. Vtile eſt etiam inducere quod verbū dicitur ad aliquos fieri, puta ad Oſee vel Eſaiam aut Hieremiam. ad Deum autem non fit, quaſi prius non ens apud ipſum: ex eo igitur quod iugiter eſt in eo, dicitur *Et verbum erat apud Deum*: quia nec à principio à patre ſeparatum eſt. Chryſo. Non etiam dixit, In Deo erat, ſed apud Deum erat: eam quæ ſecūdum hypoſtaſim eſt æternitatē nobis oſtendens. Theo. Videtur autem mihi quòd Sabellius ex hoc dicto ſubuerſus eſt. Ipſe enim docebat, quòd pater & filius & ſpiritus ſanctus vna eſt perſona, quæ aliquando vt pater apparuit, aliquando vt filius, aliquando vt ſpiritus ſanctus. Manifeſtè verò confunditur ex hoc verbo, *Et verbum erat apud Deum.* Hic enim euangeliſta alium declarat eſſe filium, alium Deum ſcilicet patrem. *Et Deus erat verbum.* Hila. 2. de trin. Dicens verbum ſonus vocis, eſt enūtiatio negotiorum & elocutio cogitationum, hoc verbum in principio apud Deum erat, quia ſermo cogitationis æternus eſt, cum qui cogitat ſit æternus. Sed quomodo in principio erat quod neque ante tempus, neque poſt tempus eſt? Et neſcio an ipſum poſſit eſſe in tempore. Loquentium enim ſermo neque eſt, antequam loquantur, & cum locuti erunt, non erit. In eo enim ipſo quòd loquuntur, dum finiunt iam non erit id vnde cœperunt. Sed ſi primam ſententiam rudis auditor admiſeras, In principio erat verbum: de ſequenti quid quæris? Et verbum erat apud Deum? Nanquid audieras de Deo, vt ſermonem reconditæ cogitationis acciperes? aut fefellerat Ioannem quid eſſet momēti inter ineſſe & adeſſe? Id enim quod in principio erat, non in altero eſſe, ſed cum altero prædicatur. ſtatum igitur verbi, & nomen expecta: dicit nanque, *Et Deus erat verbum.* Ceſſat ſonus vocis & cogitationis eloquium. Verbum hic res eſt non ſonus, natura non ſermo, Deus non inanitas eſt. Hila. 7. de trin. Simplex autem nuncupatio eſt, & caret offendiculo affectionis alienæ. ad Moyſen dictum eſt, Dedi te Deum Pharaoni. ſed nunquid non abiecta nominis cauſa eſt, cū dicitur Pharaoni: Moyſes enim Pharaoni Deus datus eſt, dū timetur, dū oratur, dum punit, dū medetur? Et aliud eſt Deū dari, & aliud Deum eſſe. Memini quoque & alterius nūcupationis vbi dicitur, Ego dixi, dij eſtis. ſed in eo indulti nominis ſignificatio eſt. Et vbi refertur ego dixi, loquētis potius ſermo eſt quàm rei nomē: cum autē audio. Et Deus erat verbum: non dictum ſolum audio verbum, ſed demōſtratum eſſe intelligo quòd Deus eſt. Baſil. Sic igitur excludens accuſationem blaſphemantium quærentium quid eſt verbum? reſpondet: Et Deus erat verbum. Theo. Vel aliter continua: Poſtquam verbum erat apud Deum, manifeſtum eſt quòd duæ perſonæ erant, quamuis vna natura duabus exiſtat. vnde dicitur: *Et Deus erat verbum,* ita vt vna natura ſit patri & filio, cum ſit vna deitas. Orige. Adiiciendum etiam quòd verbum in eo quòd fit ad prophetas, illuſtrat prophetas ſapientiæ lumine. apud Deū verò eſt verbum, obtinens ab eo quòd ſit Deus. vnde prælocauit hoc quod eſt, Verbum erat apud Deum: ei quod eſt, Deus erat verbum. Chryſ. Et non vt Plato hoc quidem intellectum quendam, hunc verò animam mundi eſſe dicens: Hæc enim procul ſunt à diuina natura. ſed dicunt: pater cum articuli adiectione dictus eſt Deus, filius autem ſine hac. quid ergo Apoſtolus dicit, Magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti? & rurſus: Qui eſt ſuper omnia Deus? ſed & Romanis ſcribens dicit: Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, ſine adiectione articuli: aliter & ſuperfluum erat hîc apponere ſuperius continuè adiectum, non igitur & ſi non eſt adiectus filio articulus propter hoc filius minus Deus eſt. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hila. 2. de tri. Quia dixerat, Deus erat verbum: trepido in dicto, & me inſolens ſermo commouit, cum vnum Deum prophetæ nunciauerunt. ſed ne quò vltra trepidatio mea progredi poſſit, reddit ſacramenti tanti piſcator diſpenſationem: & refert ad vnum omnia: ſine contumelia, ſine abolitione, ſine tempore, dicens: *Hoc erat in principio apud Deum*: apud vnum ingenitum Deum, ex quo ipſe vnus ingenitus Deus eſt prædicatur. Theo. Et rurſus ne ſuſpicio diabolica aliquos conturbaret, ne forte cum verbum Deus ſit, inſurrexerit contra patrem, vt aliqui fabulantur gentilium: & ſeparatus à patre fuerit ipſi patri contrarius, dicit: *Hoc erat in principio apud Deum.* quaſi dicat hoc Dei verbum nunquam à Deo extitit ſeparatum. Chryſo. Vel ne audiens, In principio erat verbum, æternum qui-

dem æſtimes, ſeniorem verò ſpacio aliquo patris vitam ſuſcipias, induxit: *Hoc erat in principio apud Deum.* non enim fuit vnquam ſolitarius ab illo, ſed ſemper Deus apud Deum erat. vel quia dixerat, Deus erat verbum: & non æſtimet quis minorem eſſe deitatem filij, cõfeſtim cognoſcitiua propriæ deitatis ponit, & æternitatem aſſumens, cùm dicit, *Hoc erat in principio apud Deũ*, & quod factum eſt adiiciens, Omnia per ipſum facta ſunt. Orig. Vel aliter: Poſtquam præmiſerat tres propoſitiones euangeliſta, reſumit tria in vnum, dicens: *Hoc erat in principio apud Deum.* In primo enim trium didicimus, in quo erat verbum, quia in principio erat: in ſecundo apud quem, quia apud Deum: in tertio quia erat verbum, quia Deus. Velut ergo demonſtrans verbum prędictũ Deum per hoc quod dicit hoc, & colligens in propoſitionem quartam, hoc quod eſt, In principiu erat verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, ait: *Hoc erat in principio apud Deum.* Quærat autem aliquis cur non eſt dictum, In principio erat verbum Dei, & verbum Dei erat apud Deum, & Deus erat verbum Dei? Quiſquis autem vnicam veritatem fatebitur eſſe, palàm eſt quoniam & demonſtratio eius quæ eſt ſapientia, vna eſt. Sed ſi veritas vna eſt & ſapientia vna, verbum quoque quod veritatem enuntiat ſapientiam expandit in his qui ſuſceptibiles ſunt: vnum ſiquidem erit nec hoc dicimus inficiantes verbum Dei fore, ſed oſtendentes vtilitatem omiſſionis huius vocabuli Dei. Ipſe quoque Ioannes in Apoc. dicit: Et nomen eius verbum Dei. Alcui. Qualiter autem ponit ſubſtãtiuum verbum, erat? vt intelligeres omnia tempora præueniſſe coæternum Deo patri verbum. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Alcui. Poſtquam dixit de natura filij, de operatione eius ſubiungit, dicẽs: *Omnia per ipſum facta ſunt*, id eſt, quicquid eſt ſiue in ſubſtantia, ſiue in aliqua proprietate. Hila. 2. de trini. Vel aliter, Erat quidem verbum in principio, ſed potuit non eſſe ante principium, ſed quid ille? *Omnia per ipſum facta ſunt.* Infinitũ eſt per quod fit omne quod factum eſt, & cum ab eo ſint omnia, & tempus ab eo eſt. Chry. Moyſes quidem incipiens ſcripturam veteris teſtamenti de ſenſibilibus nobis loquitur, & hoc enumerat per multa. In principio enim ait, fecit Deus cælum & terram: deinde inducit, quoniam & lux facta eſt & firmamentum & ſtellarum naturæ, & genera animalium. Euangeliſta verò hæc omnia excedens, vno verbo cõprehendit vt cognita auditoribus, ad altiorem feſtinans materiam, totum hunc librum inſtituens non de operibus, ſed de conditore. Augu. 1. ſuper Gene. ad lit. Cùm enim dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſatis oſtenditur, & lux per ipſum facta: cùm dixit Deus, Fiat lux, & ſimiliter de aliis, quod ſi ita eſt, æternum eſt quòd ait Deus, fiat lux: quia verbum Dei Deus apud Deum patri coæternus eſt quamuis creatura temporalis facta ſit. Cùm enim verba ſint temporis, cum dicimus, quando & aliquando: æternum tamen eſt in verbo Dei, quando aliquid fieri debeat, & tunc fit quando fieri debuiſſe in illo verbo eſt, in quo non eſt quando & aliquãdo, quoniam totum illud verbum æternũ eſt. Aug. ſuper Ioan. Quando ergo poteſt fieri vt verbum Dei factu ſit, quando Deus per verbum fecit omnia? & ſi verbum ipſum factum eſt, per quod aliud verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia eſt verbum verbi, per quod factum eſt illud, ipſum dico ergo vnigenitum filium Dei: ſi autem non dicis verbum Dei, concede nõ factum verbum per quod facta ſunt omnia. Augu. 1. de trin. Et ſi factum non eſt, creatura non eſt: ſi autem creatura non eſt, eiuſdem cum patre ſubſtantiæ eſt, omnis enim ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt: & quę creatura non eſt, Deus eſt. Theo. Solent autem Arriani dicere, quòd ſicut per ſerram oſtium fieri dicimus, quaſi per organum, ſic & per filium omnia facta fuiſſe dicuntur: non quòd ipſe ſit factor, ſed organum: & ſic factum aiunt filium tanquam factum ad hoc vt per eum omnia fierent. Nos autem ad huiuſmodi fictores mendacij ſimpliciter reſpondemus: ſi enim vt dicitis, pater creaſſet ad hoc filium vt eo tanquam organo vteretur, videretur quòd inhonorabilior ſit filius quàm quæ facta ſunt: ſicut ea quæ per ſerram ſunt facta, ipſo organo nobiliora exiſtunt, nam ſerra propter ipſa eſt: ſic & propter ipſa quæ facta ſunt, vt aiunt, pater creauit filium: tanquam ſi non deberet Deus cuncta creare, nequaquam filium produxiſſet: quid his verbis inſanius? ſed aiunt, quare non dixit quòd omnia verbum fecit, ſed vſus eſt hac præpoſitione per? ne filium ingenitum intelligeres & ſine principio & Deo aduerſum. Chryſ. Sed ſi præpoſitio per cõturbat te, & quæris in ſcriptura quòd ipſum verbum omnia faceret, audi Dauid: Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Quòd autem hoc de vnigenito diſerat addiſces ab apoſtolo vtente hoc verbo in epiſto. ad Hebræ. de filio. Si verò de patre hoc prophetam dixiſſe dicis, Paulum verò filium adaptaſſe, idem fit ſurſus. Neque enim id filio conuenire dixiſſet, niſi vehementer cõſideraret, quoniam quæ ſunt dignitatis, cohonorabiliora ſunt vtrique. Si rurſus per, præpoſitio aliquam ſubiectionem tibi videtur inducere, cur Paulus eam de patre poſuit? Fidelis inquit dominus, per quem vocati ſumus in ſocietatem filij eius. Et iterum: Paulus apoſtolus per voluntatem Dei. Orig. Errauit etiam in hoc Valentinus dicens, verbum eſſe quod mundanæ creationis præſtitit cauſam creatori: ſed ſi ſic ſe habet veritas rerum prout ipſe intelligit, oportebat ſcriptum fore per creatorem vniuerſa conſiſtere à verbo, non autem econtra per verbum à creatore. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Chryſ. Vt non æſtimes, cum dicit: Omnia per ipſum facta ſunt, illa omnia ſolum dicere eum quæ à Moyſe dicta ſunt, conuenienter inducit, *Et ſine ipſo factum eſt nihil*, ſiue viſibile quid, ſiue intelligibile. Vel aliter: Ne hoc quod dixit, Omnia per ipſum facta ſunt, de ſignis ſuſpiceris hunc dici, de quibus reliqui euangeliſtæ locuti ſunt, inducit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Hila. Vel aliter dicitur hoc quod dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt, non habet modum: eſt ingenitus qui factus à nemine eſt, eſt & ipſe genitus ab innato, reddidit actorem eũm omnium profeſſus eſt, dicens: *Sine ipſo factum eſt nihil*, cùm enim nihil ſine eo, intelligo non eſſe ſolum quia alius eſt per quẽ, alius ſine quo non. Orig. in hom. Vel aliter: Ne exiſtimares ea quæ per ipſum facta ſunt per ſe exiſtentia non contenta à verbo, ait: & ſine ipſo factum eſt nihil, hoc eſt nihil factum eſt extra ipſum, quia ipſe ambit omnia conſeruãs ea. Aug. de quæſt. no. & vet. teſt. Vel dicens: *Sine ipſo factum eſt nihil*, nullo modo ipſum facturã eſſe ſuſpicari debere edocuit. Quomodo enim

poteſt

poteſt dici, Ipſe eſt factura, cũ nihil dicatur Deus ſine ipſo feciſſe? Orig. ſup. Ioan. Vel aliter: Si omnia per verbum facta ſunt: de numero verò omnium eſt malitia & totus fluxus peccati, & hæc per verbum facta ſunt, & hoc eſt falſum: quantum igitur ad ſignificata, nihil & non ens, vnum ſunt. Videtur autem Apoſtolus non entia praua dicere, vocat inquit Deus ea quæ non ſunt, tanquam ea quę ſunt. Totáque prauitas nihil dicitur, cum abſque verbo facta eſt. Auguſt. ſup. Ioan. Peccatum enim non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant. Et idolum non per verbum factum eſt, habet quidem formam quandam humanam: & ipſe homo per verbum factus eſt. Sed forma hominis in idolo non per verbum facta eſt, ſcriptum eſt enim: Scimus quòd nihil eſt idolum, ergo iſta non ſunt facta per verbum, ſed quæcunque facta ſunt naturaliter, vniuerſa natura rerum omnis omnino creatura ab angelo vſque ad vermiculum. Orig. Valentinus autem excluſit ab omnibus per verbum factis quæ ſunt in ſeculis facta, quæ credit ante verbum extitiſſe, præter euidentiam loquens ſiquidem quæ putantur ab eo diuina, remouētur ab omnibus; quæ autem velut ipſe putat, penitus deſtruuntur, verè dicuntur omnia. quidam enim falsò dicũt diabolum non eſſe creaturam Dei: in quantum enim diabolus eſt, creatura Dei non eſt. Is autem cui accidit eſſe diabolum, diuina eſt creatura: ac ſi diceremus, homicidam, creaturam Dei non eſſe, qui tamen in eo quòd homo eſt, creatura Dei eſt. Auguſt. de natura bo. Non autem ſunt audienda delyramenta hominum, qui nihil hoc loco aliquid intelligendum eſſe putant, quia ipſum nihil in fine ſententiæ poſitum eſt: nec intelligunt nihil intereſſe vtrum dicatur, *Sine ipſo nihil factum eſt*, an ſine ipſo factum eſt nihil. Orig. Si accipiatur verbũ pro eo quod in quolibet hominum eſt, quia & ipſum inſitum eſt cuilibet ab eo quod in principio erat verbum, etiam ſine hoc verbo nihil committimus, ſimpliciter accipiendo quod dicitur, *Nihil.* Ait enim Apoſtolus, quòd ſine lege peccatum mortuum erat, adueniente verò mandato, peccatum reuixit. Non enim reputatur peccatum lege non exiſtente, ſed nec peccatum erat non exiſtente verbo, quia dominus dicit: Si non veniſſem & eſſem illis locutus, peccatum non haberent: quælibet enim excuſatio deficit volenti dare reſponſum de crimine, dum verbo præſente adiudicante quid eſt agendum, nõ obedit quis illi: nec propter hoc inculpandum eſt verbum, ſicut nec magiſter per cuius diſciplinam non remanet locus excuſationis diſcipulo delinquenti velut de ignorantia. Omnia ergo per verbum facta ſunt: non ſolùm naturalia, ſed etiam quæ ab irrationabilibus fiunt. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Beda. Quia Euangeliſta dixit omnem creaturam factam eſſe per verbũ: ne quis fortè crederet mutabilem eius voluntatem quaſi qui ſubitò vellet facere creaturam, quam ab ęterno nunquam antè feciſſet: ideo docere curauit factam quidem creaturam in tempore, ſed in æterna creatoris ſapientia, quando & quos crearet ſemper fuiſſe diſpoſitum. vnde dicit, Quod factum eſt in ipſo, vita erat. Aug. ſuper Ioan. Poteſt autem ſic punctuari, Quod factum eſt in ipſo, & poſtea dicatur, Vita erat: ergo totum vita eſt, ſi ſic pronuntiauerimus: quid enim non in illo factum eſt? ipſe eſt enim ſapientia Dei, & dicitur in pſalmo, Omnia in ſapientia feciſti, omnia igitur ſicut per illum, ita in illo facta ſunt: ſi ergo quod in illo factum eſt vita eſt, ergo & terra vita eſt, lapis vita eſt. Inhoneſtum eſt ſic intelligere, ne nobis ſubrepat ſecta Manichæorum, & dicat quia habet vitam paries. ſolent enim iſta delirantes dicere. Et cùm reprehenſi fuerint ac repulſi, quaſi de ſcripturis proferũt dicentes, vt quid dictum eſt, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*? Pronuntia ergo ſic: *Quod factum eſt.* Hic ſubdiſtingue, & deinde infer, In ipſo vita erat. Facta eſt enim terra, ſed ipſa terra quæ facta eſt, non eſt vita: eſt autem in ipſa Dei ſapiẽtia ſpiritualiter ratio quædam qua terra facta eſt, hæc vita eſt. ſicut arca in omni opere non eſt vita, arca in arte vita eſt, quia viuit anima artificis, ſic ergo quia ſapientia Dei per quam facta ſunt omnia, ſecundum artẽ continet omnia quæ fiunt per ipſam artem, nõ hæc continuò ſunt vita: ſed quicquid factum eſt, vita eſt in illo. Orig. in hom. Poteſt autem & ſic diſtingui ſine errore. Quod factum eſt in ipſo, & poſtea dicatur, Vita erat. vt ſit ſenſus: Omnia quæ per ipſum. & in ipſo facta ſunt in ipſo vita ſunt, & vnum ſunt. Erant enim, hoc eſt in ipſo ſubſiſtunt cauſaliter, priuſquã ſint in ſeipſis effectiuè. Sed ſi quæris quomodo & qua ratione omnia quæ per verbum facta ſunt, in ipſo vitaliter & vniformiter & cauſaliter ſubſiſtunt? accipe exempla ex creaturarum natura. Conſpice quomodo omnium rerum quas mundi huius ſenſibilis globoſitas comprehendit, cauſæ ſimul & vniformiter in iſto ſole qui eſt maximum mũdi luminare ſubſiſtunt: quomodo numeroſitas herbarum & fructuum in ſingulis ſeminibus ſimul continetur; quomodo multiplices regulæ in arte artificis vnum ſunt, & in animo diſponentis viuunt, quomodo infinitus linearum numerus in vno puncto vnum ſubſiſtit: & huius varia perſpice exempla, ex quibus velut phyſicæ theoriæ pennis poteris arcana verbi mentis acie inſpicere, & quantum datum humanis rationibus videre, quomodo omnia quæ per verbum ſunt facta, in ipſo viuunt & facta ſunt. Hila. Vel aliter poteſt legi: In eo quod dixerat, Sine ipſo factum eſt nihil. Poſſet aliquid perturbatus dicere: eſt ergo aliquid per alterum factum, quod tamen non ſit ſine eo factum: & ſi aliquid per alterum licet non ſine eo, iam non per eum omnia: quia aliud eſt feciſſe, aliud eſt interueniſſe facienti. Enarrat ergo Euangeliſta quid non ſine ea factum ſit, dicens: Quod factum eſt in eo: hoc igitur non ſine eo quod in eo factum eſt. Nam id quod in eo factum eſt, etiam per eum factum eſt omnia enim per ipſum, & in ipſo creata ſunt. In ipſo autem creata, quia naſcebatur creator Deus, ſed ex hoc ſine eo nihil factũ eſt: quod tamẽ in eo factum eſt, quia naſcẽs Deus vita erat, & qui vita erat non poſtquam natus eſt factus eſt vita, nihil ergo ſine eo fiebat ex his quæ in eo fiebant, quia vita eſt in quo fiebant: & Deus qui ab eo natus eſt, non poſtea quam natus eſt, ſed naſcendo quoque extitit. Chryſoſt. Vel aliter: Non apponemus hic ſtigmam vbi dicitur, Sine ipſo factum eſt nihil, ſecundum hæreticos. Illi enim volentes ſpiritum ſanctum creatum dicere aiunt, Quod factum eſt in ipſo vita erat: ſed ita non poteſt intelligi: primum quidem neque tempus erat hic ſpiritus ſancti meminiſſe: ſed ſi de ſancto ſpiritu hoc dictum eſt, age ſecundum eorum interim legamus modum, ita

enim

enim nobis hoc inconueniens erit: cùm enim dicitur, Quod factum eſt in ipſo vita erat, ſpiritum ſanctum dicunt dictum eſſe vitam; ſed vita hæc & lux inuenitur eſſe. Induxit enim, Vita erat lux hominum, quocirca ſecundum eos lucem omniũ hunc ſpiritum dicit: quod autem ſuperius verbum dicit, hîc cõſequenter & Deum & vitam & lucẽ nominat. Verbum autem caro factum eſt: erit igitur ſpiritus ſanctus incarnatus, non filius: adeo dimittentes hunc modum legẽdi, ad decentẽ veniamus lectionem & expoſitionem, hoc autem eſt cum dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. ibi quieſcere fac ſermonẽ: deinde ab ea quæ deinceps eſt dictione incipe quæ dicit, In ipſo vita erat: ac ſi dicat, Sine eo factũ eſt nihil quod factũ eſt, id eſt, factibilium. Vides qualiter hac breui adiectione omnia correxit ſuperuenientia inconuenientia. Inducẽs enim, ſine eo factum eſt nihil: & adiciens, Quod factum eſt: & intelligibilia comprehẽdit, & ſpiritum ſanctum excepit. Spiritus enim ſanctus factibilis non eſt: hæc igitur quæ dicta ſunt, de conditione rerum dixit Ioannes. Inducit autem & eum qui eſt de prouidentia ſermonem, dicẽs: In ipſo vita erat, quemadmodum in fonte qui generat abyſſus, & in nullo minoratur fons: ita & in operatione vnigeniti quæcunque credas per eum facta eſſe, non minor ipſe factus eſt, nomen autem vitæ hîc non ſolùm conditionis eſt, ſed prouidentiæ rerum, quę eſt ſecundum permanentiam earum. Cum autem audis quoniam in ipſo vita erat, ne compoſitum exiſtimes: ſicut enim pater habet vitam in ſeipſo, ita dedit & filio vitam habere: ergo ſicut patrem non vtique dices compoſitum eſſe, ita nec filium. Orig. Vel aliter: Oportet ſcire quòd ſaluator quędam dicit non ſibi eſſe ſed aliis, quædam verò & ſibi & aliis. In hoc ergo quòd dicitur: Quod factum eſt in verbo, vita erat: ſcrutandum eſt, an ſibi & aliis vita eſt, vel aliis tantum: & ſi aliis, quibus aliis: idem autem eſt vita & lux. Lux autem hominum eſt: fit itaque hominum vita quorum eſt lux, & ſic in eo quòd dicitur vita, ſaluatori nõ ſibi ſed aliis. hæc quidem vita verbo præexiſtenti aderit, ex eo quòd expiata à peccatis anima fit ſerena, vita inſeratur ei qui verbi Dei ſe ſuſceptibilem ſtatuit. vnde verbum quidem in principio non dixit factum: non enim erat quando principium verbo careret. Vita autem hominum non ſemper erat in verbo, ſed hęc vita hominum facta eſt: eo quòd vita eſt lux hominum. Cum enim homo non erat, nec lux hominum erat: luce ſecundum habitudinem ad homines intellecta, & ideo dicit: Quod factum eſt in verbo vita erat, non autem quod erat in verbo vita erat. Inuenitur autem alia litera non incongruè habens, Quod factum eſt in eo vita eſt. Si autem intelligamus vitam hominum quæ in verbo fit, eum eſſe qui dixit, Ego ſum vita, fatebimur neminem infidelium Chriſti viuere, ſed cunctos eſſe mortuos qui non viuunt in Deo. *Et vita erat lux hominum.* Theo. Dixerat in ipſo vita erat, ne putares quòd abſque vita ſit verbum, ſed vita ſit ſpiritualis & lux rationabilibus cunctis. vnde dicitur: Et vita erat lux hominum, quaſi dicat, Lux iſta non eſt ſenſibilis, ſed intellectualis, illuminãs ipſam animam. Auguſt. ſuper Ioan. Ea ipſa enim vita illuminantur homines, pecora nõ illuminantur: quia non habent rationales mentes, quæ poſſint videre ſapiẽtiam: homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam poſſit percipere ſapiẽtiam: ergo illa vita per quam facta ſunt omnia, lux eſt, & non quoruncunque animalium, ſed hominum. Theo. Non autem dixit lux eſt ſolum Iudęis, ſed omnium hominum. Omnes enim homines inquantum intellectum & rationem recepimus ab eo quòd nos condidit verbo, intantum ab eo illuminari dicimur. Nam ratio nobis tradita, per quam rationales dicimur, lux eſt ad operanda nos dirigens & non operanda. Orig. Non eſt autem prætermittendum quòd vitam præmittit luci hominum: inconſequens enim erat illuminari non viuentem, & aduenire illuminationi vitam. ſi autem idem eſt, *Vita erat lux hominum*, quod ſolum hominum, erit Chriſtus lux atque vita ſolorum hominum: hoc autem opinari hæreticum eſt. Non igitur quicquid dicitur aliquorum, illorum ſolum eſt. Scriptum eſt enim de Deo quòd ſit Deus Abraham Iſaac & Iacob, non tamen iſtorum tantum patrum dictus eſt Deus: non ergo ex eo quòd dicitur Lux hominum, excluditur quin ſit aliorum, alios verò continens, eo quòd eſt. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, quicquid ad imaginem ac ſimilitudinem Dei factum eſt, intelligi debet per hominem. Sic igitur lux hominum lux cuiuſlibet rationalis creaturæ eſt. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Auguſt. ſuper Ioan. Quia vita illa eſt lux hominum, ſed ſtulta corda capere iſtam lucem non poſſunt, quia peccatis ſuis aggrauantur, & eam videre non poſſint: ne ideo cogitent quaſi abſentem eſſe lucem quia eam videre non poſſunt, ſequitur: *Et lux in tenebris lucet, &c.* Quomodo enim homo poſitus in ſole cæcus, præſens eſt illi ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt: ſic omnis ſtultus cæcus eſt, & præſens eſt illi ſapientia. Sed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt: non quia illi ipſi abſens eſt, ſed quia ipſe abſens eſt ab illa. Orige. Tenebrę autem huiuſmodi hominum non natura ſunt, ſecũdum illud Pauli: Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Orig. in hom. Vel aliter; Lux in tenebris fidelium animarum lucet à fide inchoans, ad ſpem trahens. Imperitorum verò cordium perfidia & ignorantia lucem verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt, ſed iſte ſenſus moralis eſt. Phyſica verò horum verborum theoria talis eſt: Humana natura & ſi non peccaret, ſuis propriis viribus lucere non poſſet. Non enim naturaliter lux eſt, ſed particeps lucis: capax ſiquidem ſapientię eſt, non ipſa ſapientia. Sicut ergo aer per ſemetipſum non lucet, ſed tenebrarum vocabulo nuncupatur: ita noſtra natura dum per ſeipſam conſideratur, quædam tenebroſa ſubſtantia eſt, capax ac particeps lucis ſapientię: & ſicut aër dum ſolares radios participat, non dicitur per ſe lucere, ſed ſolis ſplendor in eo apparere: ita rationabilis noſtræ naturæ pars dum præſentiam verbi Dei poſſidet, non per ſe res intelligibiles & Deum ſuum: ſed per inſitum ſibi diuinum lumen cognoſcit. Lux itaque in tenebris lucet, quia Dei verbum vita, & lux hominum in noſtra natura, quæ per ſe inueſtigata & conſiderata informis quædam tenebroſitas inuenitur, lucere non deſinit: & quoniam ipſa lux omnis creaturæ eſt incomprehenſibilis, tenebræ eam non comprehenderunt. Chryſ. Vel aliter: Totum ab illo loco, Et vita erat lux hominum, primum nos de conditione docuerat, deinde dicit & quæ ſecundum

dum animam bona præbuit nobis veniens verbum. vnde dicit: Et vita erat lux hominum. Non dicit lux Iudæorum, ſed vniuerſaliter hominum. non enim Iudæi ſolùm, ſed & gentiles ad hanc venerunt cognitionem. Non autem adiecit, Et angelorum, quoniam ei de natura humana ſermo eſt, quibus verbum venit euangelizans bona. Orige. Quærunt autem, quare non verbum lux hominum dictum eſt, ſed vita quæ in verbo fit? quibus reſpondemus: quia vita ad præſens, non ea quæ communis eſt rationalium & irrationalium dicitur, ſed quæ adiungitur verbo quo in nobis fit per participationem verbi primatij, ad diſcernendum apparentẽ vitam & non veram, & cupiendam veram vitam. Prius ergo participamus vitam quæ apud quoſdam quidem eſt potentia non actu lux, qui ſcilicet non ſunt auidi perquirere quæ ad ſcientiam pertinent: apud quoſdam verò & actu lux efficitur, qui ſecundum Apoſtolum æmulantur dona meliora ſcilicet verbum ſapientiæ: ſi tamen & tunc idem eſt vita & lux hominum, nullus manens in tenebris perfectè viuere comprobatur, nec quiſquam viuentium conſiſtit in tenebris. Chryſ. Vita enim adueniente nobis ſolutum eſt mortis imperium: & luce lucente nobis non vltra ſunt tenebræ: ſed ſemper manet vita quam mors ſuperare non poteſt, nec tenebræ lucem. vnde ſequitur: Et lux in tenebris lucet. Tenebras mortem & errorem dicit: nam lux quidem ſenſibilis nõ in tenebris lucet, ſed ſine illis. Prædicatio verò Chriſti in medio erroris regnantis fulſit, & eum diſparere fecit, & in vitam mortẽ fecit mortuus Chriſtus, ita eam ſuperans vt eos qui detinebantur reduceret. Quia igitur neque mors eam ſuperauit, neq; error, ſed fulgida eſt eius prædicatio vbique: & lucet cum propria fortitudine, propterea ſubdit: Et tenebræ eam non comprehenderunt. Orig. Eſt enim ſciendum quòd ſicut hominum nomen eſt duarum ſpiritualium rerum, ſic & tenebrę. Dicimus enim hominem lucem poſſidentem opera lucis perficere, & etiam cognoſcere quaſi illuſtratum lumine ſcientiæ: & econtrario tenebras dicimus illicitos actus, & eam quæ videtur ſcientia, non eſt autem. Sicut autem pater lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ, ſic & ſaluator. Sed quia ſimilitudinem carnis peccati ſubiit, non incongruè de eo dicitur, quòd tenebræ in eo ſunt aliquæ, ipſo in ſe ſuſcipiente noſtras tenebras vt eas diſſipaaret. Hæc igitur lux quę ſacta eſt vita hominum, radiat in tenebris animarum noſtrorum, & venit vbi princeps tenebrarum horum cũ genere bellat humano. Hanc lucem perſecutæ ſunt tenebræ, quod patet ex his quæ ſaluator & eius filij ſuſtinent, pugnãtibus tenebris contra filios lucis. Verum quia Deus patrocinatur, non inualeſcunt: vnde non apprehendunt lucem: vel quia celeritatem curſus lucis ſubſequi non valẽt propter propriam tarditatem: vel quia ſi superuenientem expectant, fugantur luce appropinquante. Oportet autem in id conſiderare quòd non ſemper tenebræ in ſiniſtra parte ſumuntur, ſed quandoque in bona, ſecundum illud pſalmi: Poſuit tenebras latibulum ſuum: dum ea quæ ſunt erga Deum, ignota & imperceptibilia ſunt. De hac ergo laudata caligine dicam: quoniam verſus lucem pergit, illámque apprehendit: quia quod erat caligo dum ignorabatur, in lucẽ cognitam vertitur ei qui didicit. Aug. x. de ciui. Dei, Hoc autem initium ſancti euangelij quidam Platonicus aureis literis perſcribendum, & per omnes eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat. Bed. Nam alij euangeliſtæ Chriſtum in tempore natum deſcribunt: Ioannes verò eundem in principio teſtatur fuiſſe, dicens: In principio erat verbum. Alij inter homines eum ſubitò apparuiſſe commemorant: ille ipſum apud Deum ſemper fuiſſe teſtatur, dicens: Et verbum erat apud Deum. Alij eum verum hominem, ille verum confirmat Deum, dicens: Et Deus erat verbum. Alij hominem apud homines eum temporaliter conuerſatum, ille Deum apud Deum in principio manentem oſtendit, dicens: Hoc erat in principio apud Deum. Alij magnalia quæ in homine geſſit perhibent, ille quòd omnem creaturam per ipſum Deus pater fecerit docet, dicens: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes, &c.* Aug. Ea quæ dicta ſunt ſuperius, de diuinitate Chriſti dicta ſunt: qui ſic venit ad nos, ſecundum quòd apparuit homo. Quia igitur ſic erat homo vt lateret in illo Deus, miſſus eſt ante illum magnus homo, per cuius teſtimonium inueniretur pluſquam homo. & quis eſt hic? *Fuit homo.* The. Non angelus, vt ſuſpicionem multorũ deſtrueret. Aug. Et quomodo poſſet iſte verum de Deo dicere? *Miſſus à Deo.* Chryſ. Nihil de reliquo humanum eſſe æſtimo eorum quæ dicuntur ab illo: non enim quæ eius ſunt, ſed quæ mittentis omnia loquitur, ideo & angelus nuncupatus eſt à propheta dicẽte: Ego mitto angelum meum. Angeli enim virtus eſt nihil proprium dicere. Hoc autem quod dicit, *Fuit miſſus,* non eius qui adeſſe aliunde quàm à mundo proceſſus oſtenſiuum eſt. Sicut autem Eſaias miſſus fuit non aliundè quàm à mundo, ſed ſtatu quo vidit dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum ad plebem: ſic Ioannes à deſerto ad baptizandum mittitur. Ait enim: Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, Super quem videbis &c. Aug. Quid vocabatur? *Cui nomen erat Ioannes.* Alcui. Id eſt, gratia Dei, vel in quo eſt gratia, qui gratiam noui teſtamenti, id eſt, Chriſtum ſuo teſtimonio primum mundo innotuit. Vel Ioannes interpretatur cui donatum eſt, quia per gratiam Dei donatum eſt illi regem regum non ſolũ præcurrere, ſed etiam baptizare. Aug. Quare venit? Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Origen. Quidam improbare nituntur edita de Chriſto teſtimonia prophetarum, dicentes: Non egere teſtibus Dei filium habentem credulitatis ſufficientiam, tum in his quæ protulit ſalubribus verbis, tum in mirabilibus operibus ſuis. Siquidem & Moyſes credi meruit per verbum virtutes, non egens præuiis teſtibus. Ad hoc dicendum eſt, quòd multis exiſtentibus cauſis inducentibus ad credendum, plerunque quidam ex hac demonſtratione non admirantur, ex alia verò habẽt cauſam vt credant. Deus autem eſt qui pro cunctis hominibus homo factus eſt. Conſtat igitur quoſdam ex dictis propheticis ad Chriſti admirationẽ coactos, mirantes tot prophetarum ante eius aduentũ vocem, conſtituẽtes natiuitatis eius locum & alia huiuſmodi. Illud quoque animaduertendum quòd prodigioſæ virtutes ad credendum prouocare poterant eos qui tempore Chriſti erant, non autem poſt longa tempora, non fabuloſa quædã exiſtimata fuerunt. plura

enim

enim peractis virtutibus facit ad credulitatẽ quæ cum virtutibus quæritur prophetia. Eſt autem & tale quid dicere, quòd quidam in hoc quòd teſtimonium præbent Deo, honorati ſunt. Priuare vult ergo chorum prophetarum ingẽti gratia, qui dicit illos non oportere de Chriſto teſtimonium exhibere. Acceſſit autem his Ioannes, vt teſtimonium de luce perhibeat. Chryſ. Non ea indigẽte teſtimonio. Sed propter quod ipſe Ioannes docet, dicens: Vt omnes crederent per illum. Sicut enim carnem induit ne omnes perderet: ita & præconem hominem miſit, vt cognatam audientes vocem facilius aduenirent. Beda. Non autem ait, Vt omnes crederent in illum. Maledictus enim homo qui confidit in homine: ſed vt omnes crederẽt per illum, hoc eſt per illius teſtimonium crederent in lucem. Theo. Si verò aliqui non crediderint excuſabilis permanet ipſe. Nam & ſi aliquis includens ſe in domo caliginis, & ipſum ſolis radius non illuſtret, ipſe cauſam tribuit & non ſol: ſic Ioannes vt omnes crederent miſſus fuit, ſed minimè conſecutum eſt, ipſe huius rei cauſa non extitit. Chryſ. Quia verò multum apud nos maior qui teſtatur, eo cui teſtimonium perhibet & dignior fide eſſe videtur: ne quis & de Ioanne hoc ſuſpicetur, hanc ſuſpicionem deſtruit, dicẽs: Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Si verò non huic inſtans opinioni hoc reſumpſit, vt teſtimonium perhiberet de lumine, ſuperfluum eſſet quod dicitur, & magis iteratio ſermonis quàm explanatio doctrinæ. Theop. Sed dicet aliquis, ergo neque Ioannem, neque ſanctorum quempiam lucem eſſe vel fuiſſe dicemus, ſed ſi ſanctorum aliquem lucem velimus dicere, ponemus lucem abſque articulo, vt ſi interrogatus fueris vtrum Ioannes eſt lux? ſine articulo ſecurè concedas. Si verò cum articulo, non concedas. Non enim eſt ipſa lux principalior: ſed lux dicitur quia ſecũdum participationẽ lucem habeat à vero lumine. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum.* Aug. De quo lumine Ioannes teſtimonium perhibeat oſtẽdit dicens: *Erat lux vera.* Chryſ. Vel aliter: Quia ſuperius de Ioanne dixerat quòd venit & miſſus eſt vt teſtetur de luce: ne quis hoc audiẽs propter teſtãtis recentem præſentiam, & de eo cui teſtimoniũ perhibetur, talem quandam ſuſpicionẽ accipiat, reduxit mentem & ad eam quæ ſupra omne principiũ eſt, tranſmittit exiſtentiam, dicens: *Erat lux vera.* Aug. Quare additum eſt vera? quia & homo illuminatus dicitur lux, ſed vera lux illa eſt quę illuminat, nam & oculi noſtri dicuntur lumina: & tamen niſi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem ſol exeat, lumina illa ſine cauſa patent. vnde ſubdit: Quæ illuminat omnem hominem. Si omnem hominem, ergo & ipſum Ioannem. Ipſe ergo illuminabat, à quo ſe demonſtrari volebat. Quomodo enim plerunque fit vt in aliquo corpore radiato cognoſcatur ortus eſſe ſol, quem oculis videre non poſſumus, quia qui ſaucios habens oculos, idonei non ſunt videre parietem illuminatum aut aliquid huiuſmodi: ſic omnes ad quos venerat Chriſtus, minus erant idonei eum videre. Radiauit Ioannem, & per illum confitentem ſe illuminatum, cognitus eſt ille qui illuminat: dicit autem, *Venientem in hunc mundum*: nam ſi illinc non recederet, non eſſet illuminandus: ſed ideo hic illuminandus: quia illinc receſſit vbi homo poterat eſſe illuminatus: Theo. Erubeſcat Manichæus, qui conditoris maligni & tenebroſi nos aſſerit creaturas. Non enim illuminaremur, ſi veri luminis creaturę non eſſemus. Chryſ. Vbi ſunt etiam qui non dicunt eum verum Deum? hic enim lux vera dicitur. Sed ſi illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qualiter tot ſine lumine permanſerunt? Non enim omnes cognouerunt Chriſti culturam. Illuminat igitur omnem hominem, quantum ad eum pertinet: ſi autem quidam mentis oculos claudentes noluerunt recipere lucis huius radios, non à lucis natura obtenebratio eſt eis, ſed à malitia eorum qui voluntariè priuant ſeipſos gratiæ dono, nam gratia quidem ad omnes effuſa eſt. Qui verò nolunt dono hoc frui, ſibiipſis hanc imputent cæcitatem. Aug. Vel quod dicitur, illuminat omnem hominem ſic intelligimus, non quia nullus eſt hominum qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur. Bed. Siue naturali ingenio, ſiue ſapientia diuina, ſicut enim nemo à ſeipſo eſſe, ſic etiam nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt. Orig. in hom. Vel aliter: Nõ de his qui de occultis ſeminum cauſis in ſpecies corporales procedunt, debemus intelligere quòd illuminat hominem venientem in hunc mundum, ſed de his qui ſpiritualiter per regenerationem gratiæ quæ datur in baptiſmate in mundum veniunt inuiſibilem. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorum ruunt. Theo. Vel aliter: Intellectus nobis traditus ac nos dirigens, qui & naturalis ratio nominatur, dicitur lux tradita nobis à Deo. Sed quidam malè ratione vtentes ſeipſos obſcurauerunt. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Aug. Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, huc venit per carnem, quia dum hic eſſet per diuinitatem, à ſtultis cæcis & iniquis videri non poterat, de quibus ſupra dictum eſt: Tenebræ eam non comprehenderunt: & ideo dicitur, *In mundo erat.* Orig. in hom. Vt enim qui loquitur, dum loqui ceſſat, vox eius eſſe deſinit & euaneſcit: ſic cęleſtis pater ſi verbum ſuum loqui ceſſauerit, effectus verbi, hoc vniuerſitas verbo cõdita non ſubſiſtet. non autem putes, quia ſic erat in mundo quomodo in mundo eſt terra, pecora & homines: ſed quomodo artifex regens quod fecit. vnde ſequitur: *Et mundus per ipſum factus eſt.* Non enim ſic fecit quomodo facit faber: qui enim fabricat, extrinſecus eſt ad illud quod fabricat. Deus autem infuſus mundo fabricat vbique poſitus, & non recedit ab aliquo: præſentia maieſtatis facit quod facit & gubernat quod facit: ſic ergo erat in mundo, quomodo per quem factus eſt mũdus. Chryſ. & iterum quia in mundo erat, ſed non vt mundi contemporaneus, propter hoc induxit: *Et mundus per ipſum factus eſt*, per hoc & rurſus te deducens ad æternam exiſtentiam vnigeniti. qui enim audierit quoniam opus eius hoc totum, & ſi valde inſenſibilis fuerit, cogetur concedere ante opera eſſe factorem. Theoph. Simul autem hic & Marcionis ſubuertit rabiem, qui malignum cõditorem cuncta produxiſſe dicebat: necnon & Arrij, qui filium Dei dicebat creaturã. Aug. Quid eſt autem, mundus per ipſum factus eſt? Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt mundus dicitur. iterum in alia ſignificatione dilectores mundi mundus dicuntur: de quo ſequitur. *Et mundus eum non cognouit.*

Non

Non enim cæli aut angeli aut ſydera non cognouerunt creatorem, quem confitentur dæmonia, omnia vndique teſtimonium perhibuerunt. Sed qui non cognouerũt eum? qui amando mundum dicti ſunt mundus: amando enim mundum habitamus corde in mundo. nã qui non diligunt mundum, carne verſantur in mundo, ſed corde inhabitant cęlum: ſicut apoſtolus dicit, noſtra conuerſatio in cælis eſt: amando igitur mundum, hoc appellari meruerunt vbi habitant. Quomodo enim cum dicimus mala eſt illa domus aut bona, non parietes incuſamus aut laudamus, ſed inhabitantes: ſic & mundum dicimus, qui inhabitant mundum amando. Chryſ. Qui autem Dei erant amici, eum cognouerunt etiam ante corporalem præſentiam: vndè & Chriſtus ait, Quoniam Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meũ. Cum ergo nos interpellant gentiles dicentes: Quid eſt quod in vltimo tempore venit noſtram operaturus ſalutem tãto tempore negligens nos? dicimus quoniam & ante hoc in mundo erat, & prouidebat operibus ſuis, & omnibus dignis cognitus erat: & ſi eum mundus non cognouit, hi tamen quibus mundus non erat dignus, eum cognouerunt. Dicens autem, *Mundus eum non cognouit*, breuiter cauſam ignorantiæ præbuit. Mundum enim vocat homines qui ſoli mundo affixi ſunt, & quæ mundi ſunt, ſapiunt. Nihil autem ita turbat mentem, vt liqueſieri amore præſentium. *In propria venit, &c.* Chryſ. Dicit quod mundus eum non cognouit, de ſuperioribus loquens temporibus, ſed de reliquo ſermonem induxit ad prædicationis tempora & ait: *In propria venit.* Augu. Quia ſcilicet omnia per ipſum facta ſunt. Theo. Vt per propria; mundum intelligas, ſiue Iudæam quam pro hæreditate elegerat. Chryſ. In propria ergo venit, non gratia ſuæ neceſſitatis, ſed gratia beneficij ſuorum. Sed vnde venit qui omnia implet, & vbique adeſt? Ea quidem quæ ad nos deſcenſione hic operatus eſt: quia enim in mundo exiſtens, non putabatur adeſſe, eo quod nondum cognoſcebatur, dignatus eſt induere carnem. Manifeſtationem verò hanc & condeſcenſionem, præſentiam vocat. Miſericors autem exiſtens Deus omnia facit, vt nos ſecundum virtutem ſplendeamus: & propter hoc quidem nullum neceſſitate, ſuaſione verò & beneficiis volentes ad ſe attrahit: & propterea venientem eum hi quidem ſuſceperunt, alij verò non receperunt. Nullum enim vult inuitum neque coactum habere famulatum: inuitum enim trahi par eſt cum eo qui totaliter non ſeruit. vnde ſequitur: *Et ſui eum non receperunt.* Iudæos nunc ſuos dicit, vt populum peculiarem, ſed & omnes homines vt ab ipſo factos, & ſicut ſuperius pro communi verecundatus natura dicebat, quoniam mundus per ipſum factus conditorem non cognouit: ita & hic rurſus pro Iudæorum anxius indeuotione grauius ponit accuſationem, dicens: *Et ſui eum non receperunt.* Aug. Si autem omnino nullus recepit, nullus ergo ſaluus factus eſt. Nemo enim ſaluus fiet, niſi qui Chriſtum receperit venientem; & ideo addidit, *Quotquot autem receperunt eum.* Chryſ. Siue ſint ſerui, ſiue liberi, ſiue græci, ſiue barbari, ſiue inſipientes, ſiue ſapientes, ſiue mulieres, ſiue viri, ſiue pueri, ſiue ſenes, omnes eodem digni facti ſunt honore: de quo ſequitur, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ambr. Magna beneuolentia vnicus natus eſt, & noluit manere vnus, non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius non ſit anguſta ſi eã multi poſſederint. Chryſ. Non autem dixit quoniam fecit eos filios Dei fieri, ſed, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri:* oſtendens quoniam multò opus eſt ſtudio, vt eam quę in baptiſmo adoptionis formatam imaginem incontaminatã ſemper cuſtodiamus. Simul autem & oſtendens quoniam poteſtatem hanc nullus nobis auferre poterit, niſi noſipſi auferamus. Si enim qui ab hominibus dominium aliquarum rerum ſuſcipiunt, tantum habent robur quantum ferè hi qui dederunt: multò magis nos, qui à Deo potimur hoc honore. Simul autem oſtendere vult quoniam hæc gratia aduenit volentibus & ſtudentibus. Etenim in poteſtate eſt liberi arbitrij & gratiæ operatione, filios Dei fieri. Theo. Vel quia in reſurrectione filiationem perfectiſſimam conſequemur: ſecundum quòd Apoſtolus dicit, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri. Dedit ergo poteſtatem filios Dei fieri, id eſt, hanc gratiam in futura gratia conſequendi. Chryſ. & quia in his ipſis ineffabilibus bonis, hoc quidem eſt Dei, ſcilicet dare gratiam, illud verò hominis, id eſt, præbere fidem: ſubiungit, *His qui credunt in nomine eius.* Quid igitur non dicis nobis, ó Ioannes, quod eorũ ſit ſupplicium qui eum non receperunt? quia nunquid iſto ſupplicio fiet maius quando præiacente eis poteſtate filios Dei fieri non fiant, ſed volẽtes ſeipſos tanto priuant honore? ſed etiam inextinguibilis eos ſuſcipiet ignis, quod poſtea manifeſtius reuelabit. Aug. Credentes ergo quia filij Dei fiunt, & fratres Chriſti vtique naſcuntur. Nam ſi non naſcuntur filij, quomodo eſſe poſſunt? Sed filij hominum naſcuntur ex carne & ſanguine, & ex voluntate viri & complexu coniugij. Illi autem quomodo naſcuntur ſubdit: *Qui non ex ſanguinibus*, tanquam ex maris & fœminæ. Sanguina vel ſanguinea non eſt latinum, ſed quia græcè poſitum eſt pluraliter, maluit ille qui interpretabatur ſic ponere, & quaſi minus latinè loqui ſecundum grammaticos, & tamen explicare veritatem ſecundum auditum infirmorum. Ex ſanguinibus enim maris & fœminæ homines naſcuntur. Bed. Sciendum etiam eſt, quia in ſcripturis ſanctis ſanguis cum dicitur pluraliter, peccatum ſignificare ſolet, vnde, Libera me de ſanguinibus. Auguſt. In eo autem quod ſequitur, *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri:* carnem pro fœmina poſuit, quia de coſta cum facta eſſet, Adam dixit, Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Ponitur ergo caro pro vxore, quemadmodo aliquando ſpiritus pro marito: quia ille imperare debet, iſta ſeruire. Quid enim peius eſt domo, vbi fœmina habet imperium ſuper virum? Hi ergo neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Bed. Carnalis enim ſingulorum generatio, à complexu coniugij duxit originem: iſta verò ſpiritualis, ſpiritus ſancti gratia miniſtratur. Chryſo. Hoc autem narrat euangeliſta, vt vilitatem & humilitatem prioris partus qui eſt per ſanguinem & voluntatem carnis addiſcentes, & altitudinem ſecundi qui per gratiam & nobilitatem eſt cognoſcentes, magnam quandam hic ſuſcipiamus intelligentiam, & dignam dono ipſius qui genuit, & multam poſt hoc ſtudium demonſtremus. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Aug. Cùm dixiſſet, Ex Deo nati ſunt: quaſi ne

miraremur & horreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur quia homines ex Deo nati ſunt, quaſi ſecuritatem faciens, ait: *Et verbum caro factum eſt*. Quid ergo miraris quia homines ex Deo naſcũtur? attẽde ipſum Deum ex hominibus natum. Chryſ. Vel aliter, Cum dixiſſet, quoniam ex Deo nati ſunt qui ſuſceperunt eum, huius honoris poſuit cauſam, hoc ſcilicet verbum fieri carnem: factus eſt enim proprius filius Dei, hominis filius, vt filios hominũ faciat filios Dei. Cum autẽ audieris: Quoniam verbum caro factum eſt, ne turberis: neque enim ſubſtantiam conuertit in carnem: hoc enim verè impium eſt intelligere, ſed manens quod eſt, ſerui formam aſſumpſit. Quia enim ſunt qui dicunt, quoniam phantaſmata quędam fuerint omnia, quæ incarnationis ſunt: eorum blaſphemiam deſtruens, hac dictionem, *Factum eſt*, poſuit: non tranſmutationem ſubſtantiæ, ſed carnis veræ aſſumptionem repræſentare volens. Si verò dixerint, quoniam Deus omnipotens eſt, quare & in carnem tranſmutari non potuit? Dicemus quòd tranſmutari ab illa incommutabili natura omnino procul eſt. Aug. 15. de trin. Sicut autem verbum noſtrum vox quodammodo corporis fit, aſſumendo eam in qua manifeſtatur ſenſibus hominum: ſic verbum Dei caro factum eſt, aſſumendo eam in qua & ipſum manifeſtaretur ſenſibus hominum. Et ſicut verbum noſtrum fit vox: nec mutatur in vocem: ita verbum Dei caro quidem factum eſt, ſed abſit vt mutaretur in carnem: aſſumendo quippe illam non in eam ſe conſumendo, & hoc noſtrum vox fit, illud caro factum eſt. Ex geſtis concilij Epheſini. ſermo etiam quem proferimus quo in alterutris locutionibus vtimur, ſermo eſt incorporeus, non aſpectui ſubiectus, non tactu tractabilis: ſed cum ſermo induerit literas & elementa, viſibilis fit, aſpectu cõprehenditur, tactu tractatur: ſic & verbum Dei quod naturaliter inuiſibile eſt, viſibile fit: & quod natura incorporeũ eſt, inuenitur eſſe tractabile. Alcui. Cum etiam credamus animam incorpoream corpori coniungi, vt his duobus fiat vnus homo: facilius poſſumus credere diuinam ſubſtantiam incorpoream, animæ in corpore coniungi in vnionem perſonæ: ita vt verbum in carnem nõ ſit conuerſum, nec caro in verbum: cum nec corpus in animam, nec anima conuertatur in corpus. Theo. Apollinarius autem Laodicenſis in hoc verbo hæreſim ſtatuit: dicebat enim quòd Chriſtus animam rationalem non habuit, ſed tantum carnem, habens diuinitatem pro anima, quæ corpus dirigit & gubernat. Aug. contra ſer. Arriani; Si autem mouẽtur in eo quod ſcriptum eſt, quòd verbum caro factum eſt, nec ibi anima nominatur: intelligant carnem pro homine poſitã à parte totum figuratæ locutionis modo: ſicuti eſt, Ad te omnis caro veniet. Item ex operibus legis, quòd non iuſtificabitur omnis caro: quod apertius alio loco dicitur, non iuſtificabitur homo ex operibus legis. Sic itaque dictum eſt: *Verbũ caro factum eſt*: ac ſi diceret, Verbũ homo factum. Theoph. Euangeliſta verò volens oſtendere inenarrabilẽ Dei condeſcenſum, carnẽ commemorat, vt illius admiremur miſericordiã, quoniam propter noſtram ſalutem quod omnino remotum & diſtans eſt ab eius natura aſſumpſit, ſcilicet carnem: anima nanque habet aliquam propinquitatem ad Deum. Si autem verbum incarnatum eſt, & humanã animam nõ aſſumpſit, ſequeretur quòd adhuc animæ noſtræ curatæ non eſſent. quod enim non aſſumpſit, non ſanctificauit. Et qualis deriſio, cum anima prius peccauerit, vt carnem aſſumendo ſanctificaueri, id quod eſt principalius infirmum relinqueret? Subuertitur ex hoc dicto Neſtorius, qui dicebat quòd non Deus verbum ipſe idem factus eſt homo ex ſacro conceptus ſanguine virginis, ſed virgo peperit hominem, qui omnis virtutis dotatus erat ſpecie, & Dei verbum illi erat coniunctũ: & ex hoc duos filios aſſerebat, vnum natum de virgine, ſcilicet hominem, alterũ de Deo; ſcilicet Dei filium homini illi coniunctum ſecundum gratiæ habitudinem & amorem. Contra quem euangeliſta dixit, quòd ipſum verbum factum eſt homo, non quòd verbum inueniens hominem virtuoſum ſe ſibi coniunxit. Cyril. ad Ne. Carnem enim animatam anima rationali veniens verbum ſibi ſecundum ſubſiſtẽtiam, ineffabiliterque & intelligibiliter factus eſt homo, & appellatus eſt filius hominis, non ſecundum voluntatem aut ſolum beneplacitum, ſed neque in aſſumptione perſonæ ſolius, diuerſæ quidem quoad vnionẽ collatæ naturæ: vnus autem ex ambobus, Chriſtus & filius, non quaſi differentia naturarum interẽpta propter adunationem. Theo. Addiſcimus ergo per hoc quod dicitur, *Verbum caro factum eſt*, quia ipſum verbum eſt homo, & filius Dei exiſtẽs factus eſt filius mulieris, quæ principaliter Dei genitrix nuncupatur, tanquam Deum in carne genuerit. Hila. x. de trin. Quidam autẽ volentes vnigenitũ Deum qui in principio apud Deũ erat Deus verbum, non ſubſtantiuum Deum eſſe & ſermonem vocis emiſſæ, vt quod loquẽtibus verbum ſuum, hoc ſit patri Deo filius, argute ſubripere volunt: ne ſubſiſtens verbum Deus & manẽs in forma Dei Chriſtus homo natus ſit, vt cum hominẽ illum humanæ potius originis cauſa quàm ſpiritualis cõceptionis ſacramentum animaduertit: non Deus verbum hominem ſe ex partu virginis efficiens extiterit, ſed vt prophetis ſpiritus prophetiæ, ita in Ieſu verbum Dei fuerit. Et arguere nos ſolẽt quòd Chriſtum dicamus eſſe natum non noſtri corporis atque animæ hominem, cum nos verbum carnẽ factum, naturę ſimilitudinis natũ hominem, prædicemus, vt verè Dei filius verè hominis filius natus ſit, & vt per ſe ſibi aſſũpſit ex virgine corpus, ita ex ſe ſibi animã aſſumpſit, quæ vtiq; ab homine nũquam gignentiũ originibus præbetur: & cũ ipſe ille filius hominis ſit, quàm ridiculè præter Dei filium qui verbũ caro factum eſt, alium neſcio quem tãquam prophetã verbo Dei animatum prædicabimus, cũ dominus Ieſus Chriſtus & Dei filius & hominis ſit. Chry. Ne autem ab eo quod dictum eſt, verbũ caro factum eſt, inconuenienter ſuſpiceris verſionem illius incorruptibilis naturæ, ſubdit: *Et habitauit in nobis*. Qui enim habitat, non idem eſt cum habitaculo, ſed aliud: aliud autem dico ſecundum naturam, vnitione verò & copulatiuẽ vnum eſt Deus verbum caro, neque confuſione facta neque deſtructione ſubſtantiarum. Alcui. Vel habitauit in nobis, id eſt, inter homines conuerſatus eſt. *Et vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis*. Chry. Cum dixiſſet, filij Dei facti ſumus, & non aliter quàm per hoc, verbum caro factum eſt, rurſus ipſius dicit & aliud lucrũ: *Et vidimus gloriam eius*: quam vtique non vidiſſemus,

mus, niſi per conſortium humanitatis viſus eſſet nobis. Si enim Moyſis non ſuſtinuerunt faciem glorificatam videre, ſed velamine opus fuit: qualiter diuinitatem nudam exiſtentem inacceſſibilem etiam ipſis ſuperioribus virtutibus, nos lutei & terreſtres ſufferre poſſemus? Augu. Vel aliter: Quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Iſta natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis noſtri, vt poſſimus videre maieſtatem eius per eius humanitatem: & ideo dicitur, *Et vidimus gloriam eius*. Gloriam eius nemo poſſet videre, niſi humilitate carnis ſanaretur. Irruerat enim homini quaſi puluis in oculum de terra, oculus iſte ſauciatus erat, & terra illuc mittitur vt ſanetur: caro te obcæcauerat, caro te ſanat. Carnalis enim anima facta erat conſentiendo carnalibus affectibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus: medicus fecit tibi collyrium, quoniam ſic venit vt de carne vitia carnis extingueret. Verbum enim caro factum eſt: vt poſſis dicere, *Vidimus gloriam eius*. Chry. Subdit autem, *Quaſi vnigeniti* à patre: quia multi prophetarum glorificati ſunt: puta Moyſes, Elias, Eliſęus, & alij multi quicunque miracula oſtenderūt: ſed & angeli hominibus apparentes, & eam quæ eſt propriæ naturæ coruſcantem lucem manifeſtantes: ſed & Cherubim & Seraphim cum multa gloria viſa ſunt à propheta. Ab omnibus his nos abducens euangeliſta, & ſupra omnem naturam & conſeruorum noſtrorum claritatem erigens mentem, ad ipſum nos perducit verticem quaſi dicat. Non vt prophetæ aut alterius hominis vel angeli aut archangeli aut alicuius ſuperiorum virtutum eſt gloria quam vidimus, ſed quaſi ipſius dominatoris, ipſius regis, ipſius naturalis filij vnigeniti. Gregor. In ſacro enim eloquio, ſicut & quaſi, aliquando non pro ſimilitudine ponitur, ſed pro veritate: vnde & iſtud, Quaſi vnigeniti à patre. Chry. Ac ſi di. Vidimus gloriam qualem decebat, & conueniens eſt habere vnigenitum & naturalem filium. Conſuetudo enim multorum regem valde ornatum videntium, vbi eum aliis enumerantes non poſſunt vniuerſam repræſentare claritatem hoc induerũt: Quid oportet multa dicere? quaſi rex ibat: ſic & Ioannes dicit, *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre*. Angeli enim apparentes vt ſerui & dominum habentes omnia agebant, ipſe verò vt dominus cum humili forma apparens: ſed & creaturæ dominum cognouerunt, ſtella magos vocãs, angeli paſtores, puer exultans in vtero: ſed & pater teſtatus eſt de cælis, & paracletus ſuper ipſum adueniens: ſed & ipſa rerum natura omni tuba clarius clamauit, quoniam rex cælorum aduenerat. Etenim dæmones fugiebant, infirmitatis ſpecies ſoluebãtur, mortuos dimittebant ſepulchra, & animas à malitia ad virtutis verticem agebat. Quid vtique quis dicat præceptorum philoſophiam, cęleſtium legum virtutem, angelicæ vrbanitatis bonam ordinationem? Orige. in ho. Eius autem quod ſequitur, *Plenum gratia & veritatis*, duplex intellectus eſt. Poteſt enim de humanitate ac diuinitate incarnati verbi accipi, ita vt plenitudo gratiæ referatur ad humanitatem ſecundum quam Chriſtus caput eſt eccleſiæ, & primogenitus creaturæ vniuerſæ, quoniam maximũ & principale gratiæ exemplum qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus, in in ipſo primordialiter manifeſtum eſt. Poteſt etiam plenitudo gratiæ Chriſti de ſpiritu ſancto intelligi, cuius ſeptiformis operatio humanitatem Chriſti impleuit. Plenitudo verò veritatis ad diuinitatem refertur. Si verò plenitudinem gratiæ & veritatis de nouo teſtamẽto mauis intelligere, non incongruè pronuntiabis plenitudinem gratiæ noui teſtamenti eſſe per Chriſtum donatam & legalium ſymbolorum veritatem in ipſo eſſe impletam. Theo. Vel plenum gratia, prout eius verbum gratioſum erat dicente Dauid, Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Et veritate, ſecundum quod Moyſes & prophetæ loquebantur, aut operabantur in figura, Chriſtus autem cum veritate.

ORIGENIS PRESBYTERI eiuſdem Euang. explicatio.

IN *principio erat Verbum*. Non ſolùm Gentiles & qui à religione noſtra abhorrẽt homines multa principij nomine declarari dicunt, ſed ſi quis etiam obſeruet, colligens vndique hoc nomen, & diligenter conſyderans, velit in vnoquoque ſcripturarum loco perſpicere, in qua re poſitum ſit, is inueniet etiam in diuino ſermone verbum hoc multa declarare. Eſt enim principium quoddam, vt tranſitus: id autem eſt quaſi viæ & longitudinis. quod ex illo loco intelligitur, Initium viæ bonæ facere iuſta. Bona enim via cùm maxima ſit, & longiſſima, in principio quidem intelligendum eſt, eſſe partem eam quę ad agendum impellit, quę per ſe facit, vt res iuſtas agamus: in iis autem quæ deinceps ſequuntur * ea pars quæ concupiſcit & appetit, in quam deſinere arbitror etiam eius finem in ea quæ ἀναπαύσεις, id eſt, ſtatus & requies, dicitur, quòd nullus relinquatur. Ex tom. 1. in Ioan.

Deſunt.

vna erit actio earum quæ ad Deum per eius ſermonem pertinent, Dei cogitatio & conſyderatio, vt ita ſint in cognitione patris informati omnes accuratè filij: vt nunc ſolus filius patrem nouit. Si quis enim diligenter exquirat, quando cognoſcẽt ij, quibus enunciat is qui patrem nouit, & videt, eum qui nũc per ſpeculum & in ænigmate videt, vt videat, qui nondum cognouit, vt cognoſcere oportet: non errabit ſi dicat, neminem nouiſſe patrem ſiue Apoſtolum, ſiue prophetam, ſed quando fient vnum vt vnum ſunt pater & filius. Quòd Cant. 3. ſi quis nos ſignificationem vnam principij prętermiſiſſe putet, cùm rem declarabamus & hæc diximus, docendum eſt, prætermiſſionem in ea re quam agimus neceſſariam & vtilem fuiſſe. Si enim principium eſt vt tranſitus & viæ & longitudinis, principium autem viæ bonæ eſt facere iuſta: licet intelligere, quemadmodum via bona omnis principium quidem habet faciendi iuſta, poſt principium autem, contemplationem, & quemadmodum contemplationem. Eſt etiam principium, vt originis. vt in illo, In principio fecit Deus cælum & terram. Hanc autem ſignificationem apertiùs declarari in Iob exiſtimo, hoc in loco, Hoc eſt principium figmenti domini factum vt derideatur ab eius angelis. Exiſtimaſſet enim aliquis, eorum quæ in mundi ortu ſunt principio factũ eſſe cælum atque terram. Sed melius & aptius eſt, quòd ex ſecundo verbo multa eſſent corpore generata primum eorum quæ corpus habẽt, eum fuiſſe qui draco dicitur, qui etiã alicubi magnum

cete nominatur, quod dominus vicit. Sciendúmque eſt neceſſariò, cùm ſancti vitam omnis materię corporiſque expertem in beatitudine traducerent, onm is qui draco appellatur, poſteà quàm à vita pura excidit, dignus fuit, qui ante omnia in materia & corpore ligaretur, vt hac de cauſa oraculnm diuinum per ventum & nubes dicat, Hoc eſt principium figmenti domini factum vt rideatur ab eius angelis. Fieri quidem poterat, vt draco non eſſet omnino effictionis domini principiũ, ſed cùm multa facta ſint, vt ab angelis irrideantur, Cant. hune oportuit principium eſſe talium, quòd quędam in corpore ineſſe poterant non hoc modo. Etenim animus ſolis in corpore eſt, omníſque creatura, de qno ait Apoſtolus, Omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque nunc: & fortaſſe de eodem illud eiuſdem intelligitnt, Vanitati creatura ſubiecta & non volens, ſed propter eum qui ſubieeit

Deſunt.

Eſt in corpore, non ſponte facit ea quæ ſunt corporis: ob eámque eauſam vanitati ereatora ſubiecta eſt, non volens: ac non ſponte faciens ea quæ ſnnt corporis, qnod facit, ſpe fretus facit. Vt ſi dicamus Paulum velle in carne non ſponte permanere, ſed ſpe ductnm, quòd malit per ſe diſſolui & eum Chriſto eſſe: non fuiſſet contra rationẽ, velle permanere in carne propter vtilitatem & progreſſum qui in ijs qui ſperabãtur conſiſtebat, non ſolnm eius, ſed eorum etiã qni ab eo adiuti fuiſſent. Hac principij ſignificatione qua principiũ vt originis eſſe diximus, illnd etiam quod à Sapientia in Prouerbiis dicitur, explanare poterimus, Deus, inquit, creauit me principio viarum ſuarum in opera ſua. poteſt quidem etiam ad primam ſignificationem principij reuocari, id eſt, vt viæ, propterea qnòd dicitur, Deus creauit me in principio viarum ſuarum: ſed tamen non abſurdè etiam vniuerſitatis huius Deũ dicet aliquis principium eſſe ſapientiæ, qnòd pater principium eſt filij. & principium rerum effectarum artifex atque vno nomine Deus principium eſt eorum quæ ſunt omnium. Quod vt credat, admonebitur ex hoc, In prineipio erat Verbum, qui verbum intelligit filium, ex eo quòd eſt in patre, in principio eſſe dicit. Tertium autem ex quo, putant ex ſubiecta materia principium apud eos qui eam non habere ortum ſciunt: ſed non apud nos qui Deum ex ijs qnæ non erant ea quæ ſunt, effeciſſe credimus, vt mater ſeptem martyrum Maccabæorum aſſeuerauit, & pœnitentiæ angelus in Paſtore docuit. Præterea principium etiam dicitur id quod ad exemplar & ſpeciem. Siquidem boe modo imago eſt Dei qui videri non poteſt primogenitus omnis creaturæ, & principium eius eſt Pater. Itémque Chriſtus principium eſt eorum, qnæ ad imaginem Dei facta ſunt. Si enim homines ad imaginem effecti ſunt, imago autem ad patrem, quatenus ad quod, Chriſti pater eſt principium: quatenus autem Chriſtus ex hominibus natus eſt, non qua ex parte euius eſt, imago dicitur, ſed ad imaginem. Accommodabitur antem ad idem exemplum illud, In principio erat verbum. Eſt etiam principium, vt diſciplinæ, qua ratione elementa Grammatices principium eſſe dicimns. Hoc ſeqnutus Apoſtolus ſcribit hoc modo, Cùm deberetis magiſtri eſſe ſecundum tempus, rurſum indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei. Duplex eſt autem prineipium vt diſciplinæ, vnum natura, alterum ratione noſtra. Velnti ſi dieamus in Chriſto, natura quidem eius principium eſſe diuinitatem: ratione autem noſtra, illius humanitatem principium poſſe facere veritatis quæ de illo eſt ab eius magnitudine, quo quidem modo pueris Ieſus Chriſtns nunciatur, & is crucifixns.

Deſunt.

Ratione autem noſtra Verbum caro factum eſt, vt habitaret in nobis, ijs ſolùm qui ita ſolum eum capere poſſunt: ac fortaſſis ob eam rem non ſolùm primogenitns eſt omnis creatæ naturæ, ſed etiam Adam qni homo interpretatur. Adam autem eſſe, inquit Paulus, Nouiſſimns Adam in ſpiritum viuificantem. Eſt præterea principium, vt actionis principium. In actione enim eſt finia quidam poſt prineipium. Vide autem, num ſapientia quæ Dei actionum eſt principinm, hoc modo principium intelligi poſſit. Quoniam tot nobis principij nunc occurrerunt ſignificationes, quæramns in qua potiſſimùm accipiendum ſit, In principio erat Verbum. Hoc quidem perſpicuum eſt, non eſſe accipiendum principij nomen, vt principium tranſitns, aut viæ. nec dubium eſt, quin non vt principium originis, niſi qnòd accipi poteſt principium vt à quo, qnod quidem eſt efficiens. Siquidem mandauit Deus, & creata ſunt. Opifex enim eſt Chriſtus quodammodo, cui dicit pater, Fiat lux, &, Fiat firmamentum. Opifex autem Chriſtus eſt vt principium, quatenus eſt ſapientia, & hoe ipſo qoòd ſapientia eſt, principium dicitur. Sapientia enim apud Salomonem dicit, Deus creanit me principinm viarum ſuatnm ad opera ſua, vt in principio ſit Verbnm in ſapientia, ita tamen, vt ex conſtitntione contemplationis rerum omninm & animi perceptionum, ſapientia accipiatur: ex communione autem & ſocietate, quam res quæ animo cernuntur cum ijs qnæ rationis ſnnt compotes habent, λόγος, id eſt, Verbum intelligatur. Nec mirum, ſi, vt antè diximus, cùm multa bona ſit Seruator: prima, ſecunda & tertia in ſe intellecta habeat. Ioannes enim de Verbo ſubiecit, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Facta eſt igitur vita in Verbo, & Verbum non eſt diuerſum à Chriſto. Deus Verbum quod erat apud patrem, per quod omnia facta ſunt. nec vita diuerſa eſt à Dei filio, qui ait, Ego ſnm via, veritas & vita. Vt igitur vita in Verbo facta eſt, ſic Verbum erat in principio. Sciro autem num poſſimus etiam hac ſignificatione hoc totum, In principio erat Verbum, accipere, vt ad ſapientiam & formas coaceruatione animi perceptionum quæ in eo ſunt, fiant omnia. Sic enim exiſtimo, qnemadmodum ad exemplaria, & ſpecies architecturæ ædificatur vel conſtruitur domus & nauis, in artifice ſpecies & rationes prineipium habent: ſic omnia effecta eſſe ad ſpecies & rationes eorum quæ futura erant, quæ antè à Deo expreſſæ eſſent in ſapientia. Omnia enim, inquit, in ſapientia fecit. Dicendúmqne eſt, Deum qui IXSVM creauit ita, vt animatam ſapientiam, ei permiſit vt ab ijs quæ in ipſa

Deſunt.

Ego ſnm principium & finis, A & Ω, primus & nouiſſimus. Intelligendum eſt autem neceſſariò, eum non eſſe principium ex omni eo quod nominetur. Qui enim hoc ipſo qnòd vita eſt, principiũ eſſe

eſſe poteſt? quæ vita facta eſt in Verbo, ſcilicet quòd eius eſt principium quoddam. præterea hoc apertius eſt, eum quatenus primogenitus eſt ex mortuis, principium eſſe non poſſe. Ac ſi diligenter omnes eius intelligentias exquiramus, ſolum quatenus eſt ſapientia, principium eſt: nec qua ex parte Verbum eſt, principium dicitur. ſiquidem Verbum in principio erat, & vt aliquid audacter dicam, omnibus quæ intelliguntur in nominibus & appellationibus omnis creaturæ primigenij, antiquitate præſtat ſapientia. Ac Deus quidem omnino vnum eſt & ſimplex: Seruator autem noſter propter multa, quoniam propoſuit & conſtituit eum Deus propitiationem ſiue placationem, primitiáſque omnis creaturæ, multa eſſe dicitur: aut etiam quia his eius omnibus expiatur creata natura omnis quæ liberari poteſt: ob eámque rem lux efficitur mortalium, quando homines vitiis obſcurati & obtenebrati, luce egent, quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt: nec vnquam factus fuiſſet lux hominum, niſi in tenebris homines fuiſſent. Idem etiam intelligere eſt, cùm eundem primogenitum mortuorum eſſe dicimus. Si enim per hypotheſin mulier decepta nõ fuiſſet, neque Adam peccauiſſet: creatus autem homo particeps in immortalitate, immortalitatẽ retinuiſſet: profectò nec in puluerẽ mortis deſcendiſſet, nec mortuus eſſet non extante peccato: aut certè humanitate ductum eum mori oportuiſſet: quę ſi minimè fecisſet, nec mortuorum primogenitus fuiſſet. Videndum eſt etiam, num paſtor nunquam fuiſſet, ſi homo pecudibus & iumentis inſipientibus cõparatus eiſque ſimilis factus non fuiſſet. Si enim homines & iumenta Deus ſaluat: ſeruat quæ ſeruat iumenta, dato eis paſtore, quæ regem non capiunt. Quærenda ſunt igitur hæc diligenter, collectis IESV appellationibus & nominibus, quænam fuiſſent, ſi ſancti nunquam in beatitudine eſſe cœpiſſent, in eáque permanſiſſent. Fortaſſis enim ſapientia ſolùm manſiſſet, aut etiam Verbum, vel etiam vita, vel omnino veritas, non etiam alia omnia, quæ cauſa noſtra accepit & aſſumpſit. Beatique illi profectò omnes, qui Dei filio egentes, tales facti ſunt vt eum iam medicum ægroti curantem non deſyderent, nec paſtorem, nec redemptorem, ſed ſapientiam, Verbum, & iuſtitiam, aut ſi quid * iis qui propter perfectionem eius quæ ſunt optima & præſtantiſſima capere poſſunt. Atque hæc tot de illo, In principio erat Verbum, dicta ſint.

Deſunt.

conſyderanti ea quæ à nonnullis qui in Chriſtum volunt credere, dicuntur de eo, quid tandem ſit quòd cùm vix enumerari poſſint nomina quæ in Seruatore noſtro dicuntur, plurima tamen prætereunt & tacent, quin etiam ſi quando mentio eorum fiat, accipiunt & exponunt non propriè, ſed τροπικῶς, id eſt, vt ita dicam figuratè, his nominibus appellari: in ſolo autem Verbi nomine commorantes, quaſi Verbum ſolum Chriſtum Dei eſſe dicunt, nec conuenienter cæteris quæ nominantur, ſignificationis vim ex Verbi nomine ſeruant. Quod autẽ admirari me dico in multis, (apertius enim planiúſque dicam) eſt huiuſmodi. Ait quodam loco Dei filius, Ego ſum lux mundi. Et alio, Ego ſum reſurrectio. Et rurſus, Ego ſum oſtium. Dixit etiam illud, Ego ſum paſtor bonus. Et Samaritanæ dicenti, Scimus quia Meſias venit, qui dicitur Chriſtus: cùm venerit ille, annunciabit nobis omnia: reſpondet, Ego ſum, qui & loquor tecum. præterea cùm diſcipulorum pedes abluit, Dominum & magiſtrum eorum ſe eſſe profitetur his verbis, Vos vocatis me Magiſter & domine, & bene dicitis. Sum etenim. Quinetiam Dei ſe eſſe filium planè denunciat his verbis, Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quoniam dixi, Filius Dei ſum. Et, Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Inuenimus autem eum ſe etiam regem eſſe profitentem, vt cùm reſpondens Pilato ad illud, Tu es rex Iudæorum, dixit, regnũ meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Hoc etiam legimus, Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Et rurſus, Ego ſum vitis, vos palmites. Cum his quoque numeretur illud, Ego ſum panis vitæ. Et rurſum, Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Atque hæc quidem quæ nunc occurrerunt ex iis quę in euangeliis poſita ſunt, propoſuimus, ſe filius Dei eſſe dicit. In Ioannis autẽ etiam Apocalypſi dicit, Ego ſum primus & nouiſſimus, & viuo & fui mortuus. Ecce viuo in ſecula ſeculorum. Et rurſus, Ego ſum Α & Ω, & primus & nouiſſimus, principiũ & finis. poteſt etiam qui cum obſeruatione & diligentia ſancta biblia legerit, ex prophetis ſimilia dicere, velut quòd ſe ſagittam electam vocat, ſeruúmque Dei & lumẽ Gentium. Eſaias autem ſcribit his verbis, De ventre matris meæ vocauit me nomine meo, & poſuit os meum vt gladium acutum: ſub tegmento manus ſuæ protexit me: poſuit me vt ſagittam electam, & in pharetra abſcondit me, & dixit mihi, Seruus meus es tu Iſraël, & in te glorificabor. Et paulò pòſt, Et Deus meus erit mihi fortitudo. Et dixit mihi, Magnum tibi eſt hoc, quòd vocaris ſeruus meus, vt reſtituas tribus Iacob, & diſperſionem Iſraëlis reducas & colligas? Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus vſque ad finem terræ. Quinetiam in Hieremia ſe eum agno ſimilem facit, Ego quaſi agnus innocens qui ducitur ad victimam. Atque hæc quidem & his ſimilia ſe ipſum eſſe dicit. Poſſunt autem & in Euangeliis & in Apoſtolorum Prophetarúmque ſcriptis ſexcenta eiuſmodi nomina colligi, quibus appellatur Dei filius, cùm vel ij qui Euangelia ſcripſerunt, ſententiam ſuam de eo, quid nam ſit, exponant, vel Apoſtoli, ex iis quæ didicerunt eum honore & gloria afficiant, & prophetæ, qui aduentum eius prædicent, & ea quę ad illum pertinent, diuerſis nominibus nuncient. Veluti Ioannes eum agnum Dei prædicat, dicens, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi: ob eámque rem virum, Hic eſt, de quo ego dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quoniam prior me erat: & ego neſciebam eum. In catholica autem epiſtola aduocatum pro animis noſtris apud patrem eum eſſe dicit his verbis, Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: ſubiicit autem, Quia propitiatio eſt pro peccatis noſtris. Similique modo Paulus eum propitiationem eſſe dicit his verbis, Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei. prædicatus eſt autem ex Paulo, ſapientia eſſe,

& virtus Dei, vt in epiſtola ad Corinthios, Quoniam Chriſtus virtus eſt, & Dei ſapiẽtia, præterea etiam ſanctificatio eſſe, & redemptio. Qui factus eſt, inquit, nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio. Quin etiam pontificem eum magnum eſſe nos docet ad Hebræos ſcribens, Habentes igitur pontificem magnum qui penetrauit cælos Ieſum filium Dei, teneamus confeſſionem. prophetæ præter hæc aliis etiam eum nominibus appellant. Iacob quidem in ea benedictione, qua in liberis ſuis vſus eſt, Iudam. Illud enim, Iuda te laudauerunt fratres tui: manus tuæ ſuper dorſum inimicorum tuorum: catulus leonis Iuda, de cacumine aſcendiſti fili mi: cadens dormiſti vt leo & vt catulus: quis eum excitabit? Non eſt autem huius temporis exponere, quemadmodum ea quæ Iudę dicũtur, ad Chriſtum pertineant. Verum obiectionem etiam quæ commodè afferri poteſt, Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux de femoribus eius, alio loco commodius diluam. Sciuit autem Chriſtum Iacob & Iſraël

Eſa.42. nominari Eſaias dicens, Iacob ſeruus meus, ſuſcipiam eum: Iſrael electus meus, ſuſcepit eum ani-

Deſunt. ma mea. iudicium gentibus nunciabit. non contendet, nec clamabit nec audiet aliquis in plateis vocem eius. arundinem contritam non franget, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriã iudicium: & in nomine eius gentes ſperabunt. Chriſtum autẽ eſſe eũ de quo hæc prędican-

Matth.12. tur, perſpicuè docet Matthęus in Euangelio, mentione facta ex parte circumſcriptionis, cùm dixit, Vt impleretur quod dictum eſt, Non contendet, neque clamabit, & quæ ſequuntur. Dauid etiam Chriſtus vocatur. veluti cùm Ezechiel vſus prophetæ munere apud paſtores, ſubiicit ex perſona Dei, Suſcitabo Dauid ſeruum meũ, qui paſcet eos. Neque enim Dauid patriarcha excitabitur, qui paſcat ſanctos, ſed Chriſtus. Prætereà Eſaias virgam & florem Chriſtum nũcupat illo loco, Egredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum Spiritus Dei, Spiritus ſapientiæ & intellectus: Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Lapis quoque in pſalmis Dominus noſter eſſe dicitur, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Exponit autem Euangelium, & in Actis Lucas, non alium eſſe lapidem, niſi Chriſtum. Euangelium quidem hoc modo, Nunquam legiſtis, Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? Omnis qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, cõfringetur: ſuper quem autem ceciderit, conteret eum. In actis autem Lucas ſcribit, Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Vnum autem nomen eorum quę in Seruatore dicũtur, nec ab eo dicitur, ſed à Ioanne ſcriptum eſt, hoc etiam eſt, In principio Verbum, apud Deum Deus Verbum, dignúmque eſt quod ab iis ſciatur, qui tam multa nomina negligunt, & hoc quaſi præcipuo vtuntur: rurſúſque cùm illud quidem proponitur, explanationẽ quęrunt, ſi quis ipſa eis afferat, in his autem vt manifeſtum apertúmque recipientes, quid tandem Verbum Dei filius nominetur. & maximè quòd aſſiduè vtuntur his verbis, Eructauit cor meum verbum bonum exiſtimantes enunciationem paternam quaſi in ſyllabis eſſe ſitam, Dei filium. ob eámque rem perſonam ei, ſi illos diligenter interrogamus, nõ tribuunt: nec eſſentiam eiuſdem declarantem, nondum talem aut talem dicimus, ſed quomodocũque eſſentiam. Verbum enim enunciatum filium eſſe intelligere etiam conis non licet. Ac Verbum tale per ſe viuens, idémque aut non ſeparatum à patre, ob eámque rem quòd per ſe cohæreat, ne filium quidem eſſe: aut etiam ſeparatum & eſſentialem nobis Deum Verbum nuncient. Dicẽdum eſt ergo, quemadmodum in vnoquoque eorum nominum quæ antè enumerata ſunt, ex appellatione explicanda eſt intelligentia eius quod nominatur, & connectendum eſt demonſtratione quemadmodum filius Dei hoc nomine eſſe dicatur: ſic etiam cùm ipſe Verbum nominatur, eſſe faciendum. Quæ enim ſortitio eſt in vnoquoque quidem verbo non reſiſtendi in litera: veluti ſi quærendum ſit, quomodo exponendum ſit eum eſſe oſtium, & quomodo vitem & viam: in eo autem ſolo quòd Verbũ eſſe ſcriptum ſit, non idem faciendum eſt? Sed quo vehementius approbemus ea quę dicenda ſunt de illo, quonam modo Verbum ſit Dei filius, exordium ducẽdum eſt ab iis illius nominibus, quæ à nobis propoſita ſunt. Atque hoc quidem nonnullis vehementer aberrare à propoſito viſum iri, non ignoramus. Sed tamen attendenti ad propoſitam vtilitatem conducet, quęrere intelligentias, quibus impoſita ſunt nomina: rerúmque conſideratio erit via ferens ad ea quæ afferuntur. Quoniam autem ſemel in theologiam, diſputationémque de Deo incidimus, neceſſariò quoad eius fieri poterit inuentis cum diligentia iis quæ ad eum pertinent, magis eum non ſolùm quatenus Verbum eſt, ſed etiam cætera, intelligemus. Dicebat ergo ſe lucem eſſe mundi. atque ſimilia huic appellationi cõſideranda ſunt, quæ aliquibus non ſolùm ſimilia, ſed etiam eadem eſſe videantur. Eſt autem lux hominum, & lux vera, & lux gentium: lux quidẽ hominum principio Euãgelij quod nobis propoſitum eſt. Quod factum eſt, inquit, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ ipſum non comprehenderunt. Lux autem vera in iis quæ ſequũtur in eadem ſcriptura, dictus eſt. Erat lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Lux verò Gentium in Eſaia vt proponentes antè diximus, Ecce poſui te lucem gentium, vt ſis ſalus vſque ad vltimum terræ. Sol quidem lux eſt mundi, quæ ſenſus mouet, & poſt hunc non abſurdè * & ſtellæ eodem appellabuntur nomine, ſed cùm lux ſint quæ ſub ſenſum cadit, dicantúrque à Moſe factæ eſſe die tertio, quòd iis quæ in terra ſunt lucent, non ſunt vera lux. At Seruator, qui iis quæ ratione prædita ſunt, principatúmque obtinent, collucet, vt eorum mens ea quæ propriè cadunt ſub aſpectum, videant, eſt vera lux mundi, id eſt, animorum qui rationis ſunt participes & inſunt in mundo qui ſenſibus percipitur: & ſi qui prætereà mundum explet, ex quo nos eſſe Seruator docet. Fortaſſiſque ſol eius eſt pars maximè dominatrix, atque præſtantiſſima, ſol inquam, qui eſt magni diei Domini effector. quẽ diem intelligens, dicit iis qui ipſo qui lux eſt, participant. Operamini donec dies eſt. Venit nox, quando nemo operari poteſt. quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi. Quoniam autem etiam diſcipulis ait, Vos eſtis

lux

lux mundi, Et, Luceat lux veſtra coram hominibus ſimilitudinem eſſe lunæ & aſtrorum in eccleſia ſponſa atque diſcipulis exiſtimamus, qui propriam lucem habent, aut a vera luce aſſumptam, vt eos illuſtrent qui in ſe fontem lucis extruere non potuerunt: velut, exempli cauſa, Paulum & Petrum mundi lucem appellabimus: quoſuis autem eorum, qui ab eis docti & inſtituti ſunt, qui illuſtrantur illi quidem, ſed cæteros illuſtrare nequeunt, mundum vocabimus, cuius mundi erant lux Apoſtoli. Seruator verò qui eſt lux mundi, illuminat non quidem corpora, ſed vt incorporea incorpoream mentem: vt vnuſquiſque noſtrûm quaſi à ſole illuſtratus, alia etiam quæ ratione cernuntur, videre poſſit. Vt autem cùm ſol illuſtrat vis illuminandi lunę atque ſtellarum obſcuratur: ſic ij qui à Chriſto illuſtrantur, & ſplendorem eius acceperunt, quoſdam miniſtros Apoſtolos & prophetas non requirunt, neque, (audendum eſt enim verum dicere) angelos, eodem etiam addam, neque præſtantiores virtutes, cùm ab ipſa primigenia luce doceantur. Iis autem qui ſolares Chriſti radios non capiunt, ſancti miniſtrantes lucem præbent multò ſuperiore minorem, qui via & hanc capere poſſint, & ab ea impleantur. Eſt porrò Chriſtus qui lux eſt mundi, vera lux ad eius diſtinctionem, quæ ſub ſenſum cadit, quòd nihil quod ſenſu percipitur, verum ſit: ſed nō quia non vera eſt quæ ſub ſenſum cadit, idcirco falſa eſt ea quæ oculos mouet. Quæ enim ſub ſenſum cadit, rationem cum ea quæ animo & mente cernitur, habere poteſt, non tamen ea quæ falſa eſt, rectè omnino de ea quæ vera eſt, dici. Sed quæro, num idem ſit, lux mūdi, quod lux hominum? Equidem maiorem lucis vim explicari puto, cùm lux mundi, quàm cùm lux hominum dicitur. Mūdus enim vna intelligentia non ſolùm homines complectitur: Paulúſque in priore ad Corinthios epiſtola latiùs patere hac quàm altera mundum apud homines oſtendit his verbis, Spectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. Scito autem, num vna ſignificatione mundus ſit liberata creatura à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, cuius expectatio reuelationem filiorum Dei expectat. Addidimus verò hæc, Scito autem, quòd vicinum eſt illud, Ego ſum lux mundi, quod ſimul conſiderari poteſt cum eo quod diſcipulis à Ieſu dicitur, Vos eſtis lux mundi. Sunt enim qui putant maiores præſtantioréſque eſſe cæteris creatis naturis eos qui verè ac propriè à Ieſu docti ſunt: alij quidem, quòd natura tales facti ſint, alij pro ratione difficilioris grauioriſque certaminis. Plures enim labores ſunt, periculoſiórque eorum vita, qui in carne & ſanguine habitant, quàm eorum qui in æthere verſantur, cùm lumina quæ in cælo ſunt, in repetendis iterúmque ſumendis terrenis corporibus, ſine periculo ac ſine vllo prorſus errore & peccato vitæ huius curſum confecerint. Ij autem qui hac ratione maximè adducti ſunt, verbis ſcripturarum quæ de hominibus explicantur, aſſerúntque promiſſionem quæ differri non poteſt, nempe hominem præoccupare, vtentur: non tamen hoc idem etiam de creata natura, vel, vt recepimus, de mundo nunciant. Illa enim, Sicut ego & tu vnum ſumus, vt & ipſi in nobis vnum ſint: Et, Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit, apertè de hominibus ſcripta ſunt. Quod autem proferunt, creaturam liberatum iri à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, etiam addent, non ſi liberatur iam etiam participem eſſe filiorum Dei gloriç: nec tacebunt iſti etiam illud primogenitum omnis creaturæ propter maximum honorem omnium quem homini tribuit, hominem quidem factum eſſe, non tamen animal aliquod eorum quæ in cælo ſunt, ſed & ſecundam & miniſtram, & ſeruam Ieſu cognitionis ſtellam eam, quæ in oriente apparuit, effectam eſſe aut ſimilem aliis ſtellis, aut fortaſſis etiam præſtantiorem, cùm eius qui præſtat omnibus extiterit ſignum & ſignificatio. Quòd ſi gloriatio ſanctorum in diuerſis rebus & oppreſſionibus conſiſtit, quòd ſciant tribulationem patientiam operari, patientiam autem probationem, probationem verò ſpem, ſpem autem non confundere: nec patientiam, nec probationem, nec ſpem, creatura malis oppreſſa, parem, ſed diuerſam habebit: quandoquidem vanitati ſubiecta eſt creatura non volens, ſed propter eum, qui eam in ſpe ſubiecit. Qui autem non audet tanta homini beneficia data confiteri, is conceſſa ſumptione dicet vanitati ſubiectam creaturam ingemiſcentem magis malis opprimi, quàm ij qui in tabernaculo ſiue corpore ſunt, ingemiſcant, cùm etiam plurimùm temporis ac multis partibus diuturniore quàm ſit humanum, vanitati ſeruiat. Cur enim non volens nec ſponte hoc facit? An quòd ei contra naturam eſt, vanitati ſubiici, nec præcipuum vitæ ſtatum habere? quem accipiet cùm liberata erit in mundi interitu, & ſoluta à vanitate corporum. Sed quoniam plura, nec ad propoſitam quæſtionem pertinentia dixiſſe videmur: ad ea quæ principio nobis propoſuimus, reuertamur, commemoremúſque cur lux mundi Seruator & lux vera, lúxque hominum vocetur. Expoſitum eſt enim, eum lucem veram dictum eſſe a luce mundi quæ ſub ſenſum cadit: atque aut idem eſſe lucem mundi quod lucem hominum, aut vt idem recipere intentionem: neceſſariò autem propter eos qui nihil explanarunt ea eo, quòd Verbum eſt Seruator, hæc inueſtigata ſunt, vt hoc nobis perſuadeamus, non ex munere inſiſtere quidē in Verbi intelligentia, & * ſine interpretatione, quæ tranſumi poſſit: reuocare autem & per allegoriam exponere hoc verbum, Lux mundi, multáque alia quæ propoſuimus. Vt autem ex eo quòd illuſtrat, & illuminat ea quæ in hominibus principatum obtinent, omnino hominum qui rationis ſunt participes, lux eſt, & lux vera, lúxque mundi: ſic ex eo quòd omnis mortis amotionem efficit, & vitam quæ propriè dicitur, eis qui à mortuis excitantur, eúmque verè receperunt, reddat, reſurrectio dicitur. Hoc porrò non ſolùm nunc operatur in iis qui poſſunt dicere, Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum, & Conſurreximus cum eo: ſed multò magis eum aliquis depoſita prorſus omni mortificatione, in ipſius etiam filij vitæ nouitate verſatur & ambulat. Mortificationem autē IESV in corpore ſemper hîc circunferimus, cum pro dignitate ac verè proficimus, vt & vita IESV in corporibus noſtris appareat. Quinetiam iter quod duce ſapientia fit, quódque vim habet efficiendi eos qui per eam ſalutem adipiſcuntur, ſi fiat per curſum veritatis in verbo diuino, actionéſque veræ iuſtitiæ conſentaneas, nobis aperit mentis oculos vt intelligamus, quemadmodum ipſe eſt via, in qua nihil portandum

Cant. Ioan. 17. Cant.

dum eſt, neque pera, neque tunica: quin nec virgam habentes iter facere oportet, neque calceos inductos in pedes. Satis enim eſt hæc via pro omni viatico, nec quicquam requirit is qui in ea incedit, cùm ſit veſte ornatus, quæ eo digna eſt, qui inuitatus abiit ad nuptias, neque in hac via quicquam mali & moleſtiæ interuenire poſſit. Difficile eſt enim, vt eſt à Salomone ſcriptum, in petra ſerpentis vias inuenire, ego autem dico etiam, cuiuſuis feræ beſtiæ. Itaque nec virga opus eſt in via, quæ ne veſtigia quidem aduerſariorum impreſſa habeat, ei etiam qui non ſit capax, propter firmitatem. Itaque petra etiam dicitur deteriorum eſſe. veritas autem eſt vnigenitus, quòd omnem rationem rerum omnium patris voluntate cum omni perſpicuitate comprehendit, & pro ſua cuique dignitate veritatem largitur. Si quis verò quærat, num omnia quæ patri pro diuitiarum ſuarum, ſapientiæque ac ſcientię altitudine cognita penitus, & comprehenſa ſunt, Seruator noſter ſciat, gloriæque tribuendæ patri ſpecie, nonnulla quæ à patre ſciantur, ignorari cenſeat à filio, qui contentus ſit non æquari ingenitis Dei comprehenſionibus: ei reſiſtendum eſt ex eo, quòd Seruator eſt veritas, & aſſerendum eſt, ſi integra eſt veritas, nihil eam ignorare, ne claudicet veritas, quam ea deficiant, quæ ignorat, & quæ illorum ſententia in ſolo patre inſunt: aut doceat aliquis, eſſe quædam ſciuntur, veritatis non appellentur nomine, ſed eam ſuperent. Perſpicuum eſt autem, ſynceræ atque nulli alij admixtæ vitæ principium proprnè in primogenito omnis creaturę ineſſe, à qua Chriſti participes accipientes, veram vitam degunt, cùm ij qui præter ipſam viuere putantur, quemadmodum vera luce carent, ſic etiam veram vitam non habeant. Quoniámque in patre non iam ſunt aut apud patrem, ea quæ profecta ſunt primùm deorſum & aſcendunt in filij diuinitatem qua aliquis quaſi manu etiam ad paternam beatitudinem duci poteſt: oſtium Seruator dictus eſt. cúmque humanus ſit, animorúmque propenſionem quomodocunque in melius probet, eorum etiam qui ad rationem non properant, ſed omnium ritu quæ non conſyderatæ ſunt, verùm à ratione auerſam mentem habent, paſtor efficitur. Homines enim & iumenta ſaluabis Domine. Iſraël etiam & Iudas ſemen ſpargunt non ſolùm hominum, ſed etiam pecudum. Conſyderandum eſt præterea principio Chriſti nomen, regiſque verbum ſimul ſumendum eſt, vt ex appoſitione & comparatione differentia intelligatur. Scriptum eſt igitur in quarto & quadrageſimo pſalmo, Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, præ participibus, cauſam eſſe, cur vnctus ſit, quòd ad eum acceſſerit iuſtitia, eam habuerit, oderítque iniquitaté, quaſi non ſimul atque fuit, vnctionem & perfuſionem quæ inerat, ſimul creatam non accepiſſet: quæ vnctio in iis qui geniti ſunt regni eſt ſignificatio, eſt autem etiam interdum ſacerdotij. Eſt ne igitur aduentitium Dei filij regnum, ac non ei inſitum & innatum? Qui id fieri poteſt, vt primogenitus omnis creaturæ cùm rex non eſſet, poſtea rex factus ſit, quòd iuſtitiam dilexiſſet, præſertim cùm ipſe ſit iuſtitia? Sed nunquam hoc ignoremus, hominem quidem ipſum Chriſtum ex animo qui propterea quòd humanus & perturbatus eſt, & particeps doloris factus eſt, regem autem ex diuinitate, maximè intelligi. Hoc autem vt credam & dicam, me admonet primus & ſeptuageſimus Pſalmus, his verbis, Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, Iudicare populum tuú in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Apertè enim hic pſalmus qui in Salomonem inſcriptus eſt, de Chriſto prædicitur: atque operæprecium eſt, cui regi iudicium prophetia à Deo datum eſſe dicat, & cui regis filio, cuiúſque regis iuſtitiam, conſiderare. Regnum ergo mea quidem ſententia, præcipua primogeniti creaturæ omnis natura dicitur, quæ datur propterea quòd iudicium excellit: homo autem quem aſſumpſit ab illa effictum, & ad iuſtitiam figuratum, regis filius. Atque vt hôc approbetur, ad illud confirmandum affero, in vnū vtrúque coaluiſſe, atque ea quæ ſubiiciuntur, nō iam vt de duobus aliquibus, dici, ſed vt de vno. Vtrúque enim Seruator vnū fecit ad primicias quæ vtrunque ſunt, cùm vnum eorum ante omnia feciſſet. Vtrunque autem dico etiam in hominibus in quibus vniuſcuiuſque animus cū ſancto Spiritu commixtus & tēperatus eſt: factúſque eſt ſpiritalis vnuſquiſque eorum qui ſalutē adipiſcuntur. Vt igitur ſunt nonnulli, qui à Chriſto paſcuntur, quòd, quemadmodum antè diximus, animi eorum pars ſedata quidem & tranquilla eſt, ſed tamen à ratione aberrat: ſic ſunt alij qui ei vt regi parent, quòd ea parte animi, quæ eſt rationis particeps, ad Dei cultū religionémque accedant. Eorum qui ei vt regi parent, genera ſunt duo, vnum eorum qui magis in myſteriis, & in rebus magis abſtruſis & Deo dignioribus: alterum eorum qui in talibus minùs, reguntur. Atque eos quidem, qui ea contemplati ſunt, quæ ſine corporibus ſunt, quæ Paulus ἀόρατα, & μὴ βλεπόμενα, id eſt, vt ita dicam, inuiſibilia & quæ non cernuntur appellat extra omne id quod ſub ſenſum cadit, ratione à prima vnigenij natura regia poteſtate rectos fuiſſe dixerim: eos autem qui vſque ad rationem rerum quæ ſenſu percipiuntur, peruenerunt, atque ex his effectorem gloria afficiunt, hos inquam, etiam qui à ratione reguntur, à Chriſto dominatu regio gubernari. Nemo autem offendatur, diſcernens noſtras de Seruatore intelligentias, quòd nos idem quod eſſentiam facere arbitretur. Ille autem qui tandem iis qui quod clarum apertúmque eſt tenent, erit doctor & explanator eorum quæ ad * pertinent? Dominus noſter, dominus eſt etiam ſeruorum eorum, qui ſpiritum ſeruitutis habent in timorem, & progreſſum faciunt, & ad ſapientiam contendunt, eáque digni iudicantur. Quoniam ſeruus neſcit quid dominus ſuus velit: dominus qui factus eſt, eorum amicus non manet. Atque hoc ipſe docet, vbi quidem etiam ſerui erant ij qui audiebant, dicens, Vos vocatis me, Magiſter, &, domine, & bene dicitis. Sum etenim. vbi autem non erant, Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit voluntatem domini ſui. Vos autem dico amicos, quia perſeuerastis mecum in omnibus tentationibus meis. Qui ergo metu & timore viuunt, quem Deus à ſeruis non bonis exigit, vt in Malachia legimus, Si dominus ſum ego, vbi eſt timor meus? ij ſerui ſunt domini qui ſeruator eorum vocatur. Verùm his omnibus non planè filij nobilitas oſtenditur, ſed cùm illud, Filius meus es tu: ego hodie genui te ei à patre dicitur, cui hodie ſemper eſt: neque enim eſt Dei veſpera: ſed, vt mihi videtur, nec manè, ſed quod ęquè diuturnum eſt, atque ingenita & ſempiterna

piterna

piterna eius vita, vt ita dicam, tempus & dies ei hodie eſt, in quo genitus eſt filius quòd ortus eius principium, quemadmodum nec diei, non tepetiatur. Addendum eſt ad ſuperiora, quomodo vitis vera ſit filius. Hoc autem perſpicuum erit iis qui pro muneris prophetici dignitate illud intelligunt, Vinum lætificat cor hominis. Si enim cor eſt pars ea, quæ eſt rationis & cogitationis, id autem quod ipſam lætificat, eſt verbum quod potu dulciſſimum eſt, quódque ab humanis rebus mentem dimouet, atque eam afflatu & inſtinctu diuino concitat, & inebriat ebrietate non à ratione auerſa, ſed diuina, qua, vt opinor, Ioſeph fratres ſuos obruit: conſentaneum eſt, vt quæ vinú quod hominis cor lætitia afficit ferat, vera ſit vitis. Ob eámque cauſam vera vua veritatem continet, & palmites diſcipulos eius imitatores eoſdémque fructum ferentes veritatem. Difficile eſt autem panis & vitis dare diſſimilitudinem: quandoquidem non ſolùm vitem, ſed etiam panem ſe eſſe dicit. Vide autem ne fortè vt panis alere, & fortem reddere, atque confirmare cor hominis dicitur: vinum autem & ſuaue eſt & lætificare, & diffundere ſolet: ſic etiam diſciplinæ ac doctrinæ quæ ad vitam & mores pertinent, & ci qui diſcit ac facit, vitam afferunt, & panis vitæ rectè ſunt, nunquam hæ fructus vitis dicantur: & quæ lætificant, mentémque diuino inſtinctu permouent rerum abſtruſarum, atque myſteriorum contemplationes, cùm ebibuntur, Dominum oblectant: nec ſolùm ali, ſed etiam voluptate deliciíſque abundare licet iis qui bibunt ea quæ à vera vite proficiſcuntur, & vinum vocantur. Præterea quomodo in Apocalypſi ſcriptum eſt, Primus & nouiſſimus, alter ea eo quod primus ſit, atque A principiúmque antecedat: & ea eo quòd ſit nouiſſimus, nó idem quid Ω & finis. exiſtimo quidem in multis generibus animantium qui rationis ſunt participes, aliquid eſſe conſignatum quod ſit primum, quod ſecundum, quod tertium, & quæ deinceps ſequuntur ad poſtremum: & accuratè quidem explicare quid primum ſit & quale ſecundum, & in quo rerum ſit tertium, atque ita perueniendo ad extremum, non humanæ eſſe naturæ, ſed ſuperioris: inſiſtere autem & circumloqui ea quæ ad locum pertinent, quoad eius fieri poterit, conabimur. Sunt nonnulli dij, quorum Deus eſt Deus, quemadmodum prophetiæ loquuntur, Confitemini Deo deorum: & Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. Deus autem ex Euangelio non eſt mortuorum Deus, ſed viuentium. Viuūt igitur etiam dij quorum Deus Deus eſt. Et Apoſtolus ſcribens in epiſtola ad Corinthios, Dij, inquit, multi ſunt, & domini multi: nos prophetica verba ſequuti, deorum nomen vt eatantium expreſſimus. Sunt autem præter Deos quorum Deus eſt Deus, alij etiam nonnulli, qui vocātur Throni, & alij qui dicuntur Principatus, Dominationéſque & Poteſtates, præter hos alij. Propter autem illud Pauli, Super omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & alia præter hæc non admodum ſoliti ſumus ea quæ nominantur, rationem habere credere. quorum vnum genus quoddam Hebræus Sabæ vocabat, à quo formatū eſt Sabaoth, quo nomine illorum princeps declaratur. Non diuerſum quid à Deo & in omnibus mortale rationis particeps eſt homo. Deus igitur vniuerſi primum aliquo honore genus particeps rationis affecit, quod quidem Deos qui vocantur eſſe arbitror: & ſecundum nunc Throni vocentur, ac tertium ſine ordine principatus. Sic verò ab eo quod rationis eſt particeps deſcendendum eſt, ad poſtremū genus quod rationis eſt particeps, quod fortaſſis non aliud eſt, niſi homo. Cooſeruator igitur multo diuiniùs quàm Paulus, omnibus factus eſt omnia, vt omnia aut lucrifaceret, aut perficeret: planéque hominibus homo, angelis angelus factus eſt. Ac de illo quidem, eum hominem factum eſſe, nemo eorum qui crediderunt, ambiget. Hoc autem, eum factum eſſe angelum, credamus obſeruantes angelorum viſiones & apparitiones atque ſermones, cùm angelorum poteſtas in quibuſdam ſcripturæ locis apparuit, angelis loquentibus, vt in illo, Apparuit angelus Domini in flamma ignis rubi. Et dixit, Ego ſum Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob. Quinetiam Eſaias ait, Et vocabitur nomen eius, magni conſilij angelus. Quapropter primus & nouiſſimus Seruator eſſe dicitur, non quòd non ſint aliqua extremorum media, ſed vt ipſe factus eſſe omnia intelligatur. Scito autem, vtrùm homo ſit extremum genus, an ea quæ καταχθόνια, id eſt, inferi vocantur, in quibus ſunt etiam dæmones aut omnes, aut aliqui. Quærenda ſunt ea in quæ & * factus Seruator, per Dauid prophetam dicit, Et factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber, quaſi plus habens quàm homines & eo ortu quem ex virgine habuit, & reliqua vita quam admirabilem egit. Sic inter mortuos, ex eo quòd ſolus erat liber, non eſt eius anima relicta apud inferos. Hoc igitur modo primus & nouiſſimus dicitur. Quòd ſi Dei literæ ſunt, ſicuti certè ſunt, quas legentes ſancti dicunt, ſe legiſſe elementa illa quæ in cœli tabulis erant, vt cœleſtia legerentur: ſunt cogitationes, quæ in A & quæ ſequuntur vſque ad Ω Dei filij diuiduntur. Rurſus autem idem principium & finis, ſed non eodem ſenſu, dicitur Principium enim ea eo quòd eſt ſapientia, quemadmodum ex Prouerbiis cognouimus. Scriptum eſt enim, Dominus crea- *Prou. 8.*
uit me principium viarum ſuarum in opera eius. Quatenus autem Verbum eſt, non eſt principium. In principio enim erat Verbum. Itaque eius intelligentia principium habet & aliquid ſecundum præter principium, tertiúmque & ita deinceps ad extremum, quaſi diceret, Sum principium, quatenus ſum ſapientia: ſecundum autem ſi ita res ferat, quatenus aciem oculorum effugio, ſúmque inuiſibilis: tertium, quatenus vita: quandoquidem quod factum eſt, in ipſo vita erat. Ac ſi quis poteſt exquirendo ſcripturarum ſententiam cernere, fortaſſe multa ordinis, atque finem inueniet. Neque enim arbitror, omnia. Planiùs autem atque apertiùs principium ac finis ea conſuetudine, vt in eo quod coagmentatum eſt, dici videntur, Velut domus principium eſt fundamentum, & finis coronis: accommodandúmque eſt profectò, quod angularis lapis eſt Chriſtus, omni coniuncto corpori eorum qui ſalutem aſſequuntur, exemplum. Omnia enim & in omnibus Chriſtus vnigenitus, vt principium quidem eſt in eo homine quē aſſumpſit: vt autem finis, in poſtremo ſanctorum: & in iis qui interiecti ſunt, vt principium eſt in Adam, vt finis in aduentu, ex illo verbo, Nouiſſimus *1. Cor. 15.*
Adam

Adam in ſpiritum viuificantem. Quanqnam hoc
verbũ expoſitioni primi & nouiſſimi conueniret:
tamen obſeruatis iis quæ de primo ac nouiſſimo,
& de principio finéque dicta ſunt, partim quidem
ad genera eorum quæ ratione vtuntur, partim ad
diuerſos Dei filij ſenſus contulimus diſputatio-
nem: tenemúſque primi & principij nouiſſimique
ac finis diſtinctiones. Prætereà A etiam & Ω non
eſt obſcura differentia: nec viui & mortui, qui po-
ſteà quàm mortuus eſt, viuit in ſeculorum ſecula.
Quoniam enim non profuit nobis prior vita no-
ſtra, facti in peccato, mortis noſtræ tolleodæ cau-
ſa deſcendit, vt cùm mortuus peccato fuiſſet, mor-
tificationẽ Ieſu in corpore circunferentes, eius vi-
tam quæ mortẽ conſequuta eſt in ſecula ſeculorũ
ordine poſſimus adipiſci. Qui enim IESV morti-
ficationẽ in corpore ſemper circunferunt, ij etiam
Ieſu vitam in ſuis corporibus euidentem clarám-
que habebunt. Atque hæc quidem ex noui teſta-
menti libris ab eo de ſe dicta ſunt. In Eſaia autem
dicebat, à patre poſitum eſſe os ſuum vt gladium
acutum, ſeque protectum ſub manus ipſius vm-
bra, ſicut ſagittam electam, & in pharetra patris
reconditum, atque Dei rerum omnium ſeruum,
Heb. 4. ab ipſo vocatum, Iſraëliſque lucem & Gentium.
Gladius quidem acutus eſt os Dei filij, quoniã vi-
uus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior om-
ni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſio-
nem animæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac me-
dullarum, & diſcretor cogitationum & intentio-
num cordis. nam cùm venerit, non vt pacem in
terram, id eſt, in ea quæ corpori obediant, & ſen-
ſui obſequantur, mitteret, ſed gladium, & dirime-
ret, vt ita dicam, ob detrimentum & damnum
contractam animi & corporis amicitiam, vt ani-
ma tradens ſe aduerſario carnis, ſpiritu cum Deo
amicitia coniuncta ſit: gladium vel vt gladium
acutum ex prophetico verbo, os habuit. Quin-
etiam qui aſpiciet tam multos qui diuino amore
vulnerati ſunt, ſimili modo quo ea quæ hoc ſibi
eueniſſe in Canticis canticorũ fatetur. Quia amo-
Cant. 5. re langueo ego, ſagitta quæ vulnerauit animos
tam multorum in Dei amorem: non aliquid aliud
eſſe inueniet, niſi eum qui dixit, poſuit me vt ſa-
gittam electam. Prætereà omnis qui intellexe-
rit, Ieſum diſcipulis factum eſſe non vt accum-
bentem, ſed vt miniſtrum, cùm Dei filius ſerui ha-
bitum & figuram pro eorum qui peccato ſeruie-
rant, libertate induiſſet: is quomodo pater ei di-
cat, Seruus meus es, non ignorabit. Et paulò pòſt,
Magnum tibi eſt, quòd puer meus vocaris. Au-
dendum eſt enim dicere, maiorem atque diuinio-
rem, & ve è ad patris imaginem factam bonita-
tem Chriſti extitiſſe, tom cùm ſeipſum humilia-
uit & abiecit factus obediens vſque ad mortem,
mortem autem crucis, quàm ſi rapinam arbitra-
tus eſſet, ſe eſſe parem & æqualem Deo, nec vo-
luiſſet pro mundi libertate ſeruus fieri: ob eám-
que cauſam docere nos volens, magnum ſe à pa-
tre beneficium accepiſſe, hoc modo ſeruiſſe, ait,
Et Deus meus erit mihi fortitudo, Et dixit mihi,
Magnum tibi eſt vocari puerum meum. Si enim
ſeruus factus non eſſet, nunquam tribus Iſraëlis
conſtituiſſet, nec diſperſionem Iſraëlis conuertiſ-
ſet: quin nec in lucem Gentium factus eſſet, vt eſ-
ſet ſalus vſque ad extremum terræ. Ac mediocre
quidem eſt, eum factum eſſe ſeruum, etiamſi ma-
gnum hoc à patre eſſe dicatur, ouis innocentis &
agni comparatione. Tanquam enim agnus inno-
cens factus eſt, ductúſque eſt agnus Dei ad victi-
mam, vt peccatum mundi tolleret: is qui omni-
bus verba ſuppeditat ſimilis factus eſt agno qui
in conſpectu ſe tõdentis obmuteſcit, vt eius mor-
te nos omnes purgemur dato remedio aduerſus
contrarias actiones, & peccatum eorum qui ve-
ritatem approbare volunt. Mors enim Chriſti
poteſtates quæ cum genere hominum pugnant,
debilitauit, nouáque vi in vnoquoque eorum qui
credunt, vitam peccato abſtulit. Quoniam autem
dum omnes eius hoſtes & inimici deleantur, &
tandem mors ipſa, peccatum tollit, vt mundus
omnis liber & ſolutus ſit à peccato: proptereà
Ioannes eum oſtendens, ait, Ecce agnus Dei,
qui tollit peccatum mundi, non qui ablaturus
eſt, nec qui iam tollit: nec qui abſtulit quidem,
non autem etiam tollit. Operatur enim, vt tollat
ab vnoquoque eorum qui ſunt in mundo, vt ab
omni mundo auferatur peccatum, & tradat patri
paratum regnum Seruator, ne in id quod à patre
regia poteſtate regitur vllum prorſus peccatum
recipiatur: ac rurſus in ſe ipſum totum omnia Dei
recipiat, cùm illud complebitur, Vt ſit Deus om- 1. Cor. 15.
nia in omnibus. Præterea vir poſt Ioannem ve-
nire dicitur, qui ante ipſum factus eſt, & ante eum
erat, vt etiam filij Dei hominem diuinitate quæ ei
adiuncta eſt, ortu quem ex Maria habuit, prio-
rem antiquiorémque eſſe intelligamus, quem
hominem Baptiſta ſe neſciſſe & ignoraſſe dicit.
Quo autem pacto neſciuit is qui etiam in aluo
Elizabet matris infans lætitia geſtiuit, cùm ad Za-
chariæ vxorem vox ſalutationis Mariæ peruenit?
Diſce ergo, num illud, Neſciebam, de iis quæ
ante corporis aſſumptionem habebat, poſſit di-
cere. Si verò eum antè quàm corpus aſſumpſiſ-
ſet, neſciuit, & cognouit eum tum etiam cùm ipſe
Chriſtus in matris aluo continebatur: fortaſſis
aliquid aliud de eo diſcit, præter id quod cogni-
tum habebat, Super quem videris ſpiritum de-
ſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui
baptizat in Spiritu & igni. Etenim ſi eum nouе-
rat quòd ex matris aluo, non modò non omnia
quæ ad eum pertinent cognita habebat, ſed for-
taſſis etiam ignorabat eum eſſe, qui in Spiritu &
igne baptizaret, cùm vidit Spiritum deſcenden-
tem & manentem ſuper eum: tamen virum eum
eſſe & primum Ioannes non cognouit. Nullum
autem nomen eorum quæ commemorata ſunt,
eius apud patrem pro nobis patrocinium decla-
rat, cùm pro hominum natura poſtulet, atque
placet ei Deum patrem * aduocatus, & placa-
tio, & vt hoc verbo vtar, propitiatorum eſſe dica-
tur: aduocatos quidem in Ioannis epiſtola, Si 1. Ioan. 2.
quis autem peccauerit, aduocatũ habemus apud
patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, Et ipſe eſt pro-
pitiatio pro peccatis noſtris. Itemq; in epiſtola ad
Romanos propitiatio dicitur his verbis, Quem
propoſuit Deus propitiationem per fidem. cuius
propitiationis in intimis & ſanctis ſanctorum
vmbra quædam erat aureum propitiatoriũ quod
duo Cherubim ſuſtinebant. Quomodo autem
aduocatus, placatio, & propitiatio ſine Dei po-
teſtate quæ imbecillitatem noſtram expellat, fie-
ri poterat, quæ eadem & animos credentium
influeret, & à Ieſu miniſtraretur, cuius ipſe eſt pri-
mus per ſe Dei vis & poteſtas? per quem aliquis
poſſit dicere, Omnia poſſum in eo qui me confor-
tat

rat CHRISTVS IESVS. Itaque Simonem Magum eum qui ſe prædicabat vim eſſe Dei quæ magna vocaretur, ſimul cum pecunia ad interitum & perniciem accepiſſe ſcimus. Qui autem Chriſtum verè Dei vim & virtutem eſſe fatentur, eos illo in omnibus quæ quomodocunque confirmant, participare quatenus vis eſt, credimus. Nec verò illud à nobis reticeatur, quòd Dei ſapientia iure etiam propter hoc ipſum eſſe dicitur. Neque enim in ſolis ac nudis Dei atque patris omnium cogitationibus ſtatum habet eius ſapientia pro iis opinionibus, quæ cum humanis cogitationibus conſentiunt. Quòd ſi quis eſt, qui corporis expertem perſonam variarum contemplationum, quæ rerum omnium rationes complectatur, viuam & quaſi animatam cogitare poſſit: is Dei ſapientiam quæ omni creatæ naturæ præſtat, rectè de ſe hæc dicentem intelliget, Deus creauit me principium viarum ſuarum ad ſua opera: propter quam creaturam etiam creata natura omnis cõſtare potuit, cùm diuinæ ſapientię per quam facta eſt, ſit capax. Omnia enim, vt ait Dauid, fecit Deus in ſapientia. Sed multæ naturæ factę ſunt ſapientiæ participes, quæ tamen nihil eius quæ creata eſt, accipiunt. Paucæ autem admodum non ſolùm eorum quæ ad ipſas pertinent, ſed etiam quæ ad multa alia, ſapientiam percipiunt, cùm Chriſtus ſit omnis ſapientia. Vnuſquiſque verò quantum compos eſt ſapientiæ, tantum etiam Chriſti eſt particeps, quatenus ſapientia eſt: quemadmodum vnuſquiſque eorum, qui vim præſtantiorem habent, quantam vim accepit, tantum Chriſti qua ex parte vis eſt & virtus, eſt particeps. Quod etiam de ſanctificatione, redemptionéque ſentiẽdum eſt eodem modo. Ieſus enim nobis factus eſt & ſanctificatio, qua ſancti ſanctificantur, & redemptio: vnuſquiſque verò noſtrûm & illa ſanctificatione ſanctus efficitur, & illa redemptione redimitur. Diſce autem num fruſtra à nobis Apoſtolus proferatur, qui ait, Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio. * * * Quòd ſi non in aliis de Chriſto, quatenus ſapientia & virtus eſt, abſolutè dicerentur, eum eſſe Dei vim ac ſapiẽtiam: certè ſuſpicati eſſemus, omnino ipſum neque Dei ſapientiam eſſe, neque virtutem. Verùm modò quidem de ſapientia & virtute cauſa noſtra abſolutéque nobis ſcriptum eſt: de ſanctificatione autem & redemptione eadem dicta non eſt enunciatio. Itaque videto, quoniam qui ſanctificat & qui ſanctificãtur, ex vno omnes, num ſanctificationis noſtræ pater ſit ſanctificatio, quemadmodum cùm Chriſtus caput noſtrum ſit, pater eius eſt caput. Redemptio autem noſtra eſt Chriſtus, qui quòd captiui eramus, indiguerimus redemptionis: eius verò redemptionem non quęro, qui tẽtatus eſt per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, nec vnquam ab hoſtibus in captiuitatem redactus eſt. Hæc autem diſtinguuntur eo quod nobis, & eo quod omnino conuenit, ita tamen, vt ſapientia quidem & redemptio ſit Chriſtus noſtrum cauſa non omnino ac per ſe: noſtra autem cauſa, & per ſe ſit & virtus & ſapientia. Nec verò non conſyderatum iuſtitiæ verbum relinquendum eſt. Chriſtum quidem nobis factum eſſe iuſtitiam, ex illo Pauli loco perſpicuum eſt, Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo & iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio. Quòd ſi eum per ſe atque omnino iuſtitiam non inueniamus, quemadmodum abſolutè Dei ſapiẽtiam atque virtutem, quærendum eſt, num etiam ipſi Chriſto quemadmodum pater eſt ſanctificatio, ita etiam ſit iuſtitia. Non enim eſt apud Deum iniquitas: & iuſtus eſt ac pius ſiue ſanctus dominus: & in iuſtitia iudicia eius ſunt. Cùm autem iuſtus ſit, iuſtè omnia adminiſtrat. Illud autem, Quod erat, quod hæretici de iuſto alio atque diuerſo à bono dicunt, nec explanatum eſt ab eis, qui putauerint iuſtum quidem eſſe effectorem & opificem, bonum autem Chriſti patrem: id ſi accuratè ſubtiliterque conſyderatũ ſit, in patre & filio poſſe dici opinor, quòd filius quidem ſit iuſtitia, qui iudicandi poteſtatem acceperit, quia filius hominis eſt, & iudicabit orbem terrarum in iuſtitia: pater autem in eos qui in filij iuſtitia eruditi ſint, poſt Chriſti regnum beneficia conferat, re ipſa boni declarata appellatione, cùm erit Deus omnia in omnibus. ac fortaſſis iuſtitiæ ſuæ Seruator parat omnia idoneis temporibus & verbo & ordine & ſuppliciis, &, vt ita dicam, ſpiritalibus eius medicinam afferentibus auxiliis, vt capiant tãdem patris bonitatem, quam intelligens, et qui vnigenito dicebat, Magiſter bone, Quid me, inquit, bonum dicis? Nemo bonus niſi vnus Deus pater. Simile autem aliis in locis demõſtrauimus, & in hoc maiorem aliquem opifice eſſe, opificem quidem Chriſtum intelligẽtes, maiorem autem eo patrem. Quoniam igitur is qui tam magna habet, & eſt aduocatus, placatio, propitiatorium, compaſſus noſtris infirmitatibus, quod tentatus eſt per omnia humana pro ſimilitudine abſque peccato, magnus eſt pontifex cùm nõ pro hominibus ſolis, ſed etiam pro omni quod rationis eſt particeps hoſtia quæ ſemel oblata eſt, ſemetipſum obtuliſſet. Nam excepto Deo pro omnibus mortem guſtauit, vt in quibuſdam epiſtolæ ad Hebræos exemplaribus poſitum eſt, Dei munere & gratia. Siue autem Deo excepto pro omnibus mortem guſtauit, non ſolùm pro hominibus mortem perpeſſus eſt, ſed etiam pro reliquis quæ ratione vtuntur: ſiue Dei gratia pro omnibus mortem guſtauit, pro omnibus præter Deum mortem pertulit. Gratia enim Dei mortem guſtauit pro omnibus. Etenim abſurdum eſt eum pro humanis quidem peccatis mortuum eſſe dicere, non autem etiam pro aliquo alio, quod præter hominẽ in peccato fuit, veluti pro ſtellis, cùm nec ſtellæ omnino mundæ ſint coram Deo, vt in Iob legimus, Stellæ autem non ſunt mundæ coram ipſo, niſi fortè hyperbolicè hoc dictum eſt. Ob eam cauſam magnus eſt põtifex, quòd in patris regno reſtituat omnia prouidens, vt ea quæ deſunt in vnoquoque eorum quæ orta ſunt, ſuppleantur, vt paternam gloriam cõſequantur. Hic pontifex alio ſenſu præter ea quæ dicta ſunt, Iudas nominatur, vt ij qui ſunt in occulto Iudæi, non à Iuda Iacob filio Iudæi, ſed ab hoc vocentur: qui ſunt eius fratres, cùmque laudant, & libertatem recipiunt, qua ab eo liberati ſunt, erepti ex eius hoſtibus, impoſitis illorum ceruici ipſius manibus, eíſque ſubactis. quinetiam ſupplantata oppoſita actione, ſolúſque patrem videns, etiam cùm homo factus eſt, Iacob & Iſraël dicitur: à quo qui eſt lux mundi quemadmodum generamur, ſic etiam ab eodem qui Iacob, & Iſrael vocatur, Iacob & Iſrael efficimur. Quoniam autem regnum à rege accipit, quem noluerunt ſibi filij Iſraël regia poteſtate præeſſe, cùm nec Dei voluntate

luntate imperium adminiſtraſſent, & præfuiſſent, nec ſe Deo notos effeciſſent: bella etiam domini gerens, populo filio ſuo pacem parat. Fortaſſis autem ex hoc Dauid dicitur: & poſtea virga iis qui laborioſam duriorémque viuendi rationem requirunt, nec ſeipſos ad charitatem clementiámque patris receperunt. Ob eámque cauſam ſi virga vocatur, exibit. Non enim in ſe manet, ſed extra priſtinum ſtatum videtur eſſe. Cùm autem venit, & virga factus eſt, non virga, ſed poſt virgam flos efficitur aſcendens, & poſteaquam virga eſſe deſiit, flos iis oſtenditur, qui quòd ipſe virga viſitationis fuit, diſciplinam ſequuti ſunt. Viſitabit enim Deus in virga ferrea iniquitates eorum, quos viſitabit. miſericordiam autem ſuam non diſperget ab eo. Eius enim miſeretur, cùm eorum pater miſeretur, quibus vult filius miſericordiam dari. Licet autem etiam non in iiſdem intelligere eum & virgam & florem fieri, ſed virgam quidem in iis qui animaduerſionis indigent, florem autem iis qui ſalutem conſequuntur, Hoc autem melius eſſe ſuperius arbitror. Quamquam hoc addendum eſt loco fortaſſis, propter finem, ſi cui virga eſt, flos eſt omnino, qui non ſi cuipiam flos eſt, illi omnino etiam eſt virga: niſi fortè quia eſt flos flore perfectior, & floreſcere in iis quæ nondum perfectè fructum ferunt, dicitur: perfecti magis quam florem, Chriſtum capiunt. qui autem eius virga tentari & probari ſunt vnà cum virga non eius perfectionis, ſed floris, qui eius fructus antecedit, participes fient. Extrema prima diſputatione, Chriſtus erat lapis qui reprobatus eſt ab ædificantibus & in capite anguli locatus. Quia enim viui lapides ædificantur in fundamento diuerſis lapidibus ab apoſtolis & prophetis, lapide angulari Ieſu Chriſto domino noſtro, quòd ipſe pars ſit ædificij ex viuis lapidibus, in agro viuentibus: lapis appellatur. Hæc autem omnia à nobis dicta ſunt, quòd multorum ſortè ac ſine iudicio dictam ſententiam vellemus refellere, quòd cùm tam multa nomina ei attribuantur, tamen in ſola Verbi appellatione commorentur, non exquirentes, quid tandem Verbum quod erat Deus apud patrem, per quod facta ſint omnia, Dei filius dicatur. Vt igitur ab effectu illuſtrationis mundi, cuius lux eſt, lux mundi appellatur: & ex eo, quòd facit, vt ij qui verè ad ſe veniũt, mortificationem deponant, & excitati vitæ renouationẽ recipiant, & recuperẽt, reſurrectio vocatur: atque ex alia actione & officio, paſtor, & magiſter, atque rex, ſagittáque electa, ac ſeruus, & præterea aduocatus, placatio & propiciatorium: ſic etiam Verbũ, quòd & omnia quæ ſunt in nobis auerſa à ratione auferat, & verè nos rationis participes paret, ita vt omnia in gloriam Dei vſque ad cibum & potum faciamus, atque ad Dei gloriam propter verbum omnia vitæ opera atque facta, & vulgaria & perfecta referamus. Si enim eo participantes, excitamur & illuſtramur, atque etiam paſcimur & regimur: non eſt dubium, quin diuino inſtinctu rationis participes efficiamur, quòd ipſe quatenus eſt Verbum & reſurrectio, ea quæ in nobis ſunt rationis aliena mortificationem exterminet. Diſce autem, num participes eius ſint omnes homines quodammodo, quatenus eſt Verbum. Itaque eum quæri non extra eos qui quærunt, ab iis qui eum inuenire

Rom. 10. conſtituunt, nos docet Apoſtolus his verbis, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum? hoc eſt Chriſtum deducere. aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Prope te eſt vehementer verbum in ore tuo & in corde tuo: quaſi idem ſit Chriſtus etiam verbum quod quæritur. Quinetiam cùm dominus ipſe ait, Niſi veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberẽt. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo: non aliud intelligendum eſt, quam Verbum dicere iis in quibus nondum eum plenum & perfectum eſt, non eſſe peccatum, hos autem eius reos eſſe, qui cùm eius iam eſſent participes, contra cogitationes & notitias, quibus Verbum ipſum in nobis perficitur agant. Atque ita demum verum eſt illud, Niſi veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Age enim in Ieſu qui aſpectabilis eſt, vt multi putabunt, hoc conſyderetur. Quomodo igitur verum eſt, eos non habere peccatum, ad quos non venerit? Omnes enim qui aduentum Seruatoris anteceſſerunt, ab omni peccato ſoluti erunt ac liberi, quippe cùm non veniſſet Ieſus carne ſpectabilis. Quinetiam omnes ij quibus nondum de eo nunciatum eſt, peccato & culpa vacabunt. illúdque perſpicuum eſt, eos qui in culpa non erunt, non ſubiectum iri iudicio. Verbum autem quo in hominibus genus noſtrum non participare diximus, duobus modis dicitur, aut ex notitiarum & cogitationum cumulo, qui eſt in omnibus, qui ex pueris exceſſerunt, monſtris ablatis: aut ex perfectione, quæ in perfectis ſolis inuenitur. Ad ſuperius, hæc verba, Si non veniſſem & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, dirigenda ſunt: ad poſterius autem, illud, Omnes qui ante me venerunt fures ſunt & latrones, & non audierunt eos oues. Nam ante verbi perfectionem humana omnia in vitio erant, cùm minùs plena eſſent, & deficerent, quibus non plenè & perfectè obediunt ea quæ in nobis à ratione auerſa ſunt quæ per tropum oues dicta ſunt. Ac fortaſſis ſuperiore ſenſu, Verbum caro factum eſt: poſteriore autem, Deus erat Verbum, Sequitur autem vt quæramus id quod interiectum eſt his duobus locis, Verbum caro factum eſt, & Deus erat verbum. In humanis licet videre, Verbo quaſi diſſoluto in elementa, ex quo caro factum eſt, & in minutas partes diuiſo, quoad factum eſt id quod erat in principio Deus Verbum quod apud patrem eſt, cuius verbi gloriam vidit Ioannes quaſi vnigeniti à patre. poteſt autem etiam Verbum filius eſſe ex eo quòd occulta patris ſui enunciet, qui eodem modo mens eſt, quo verbum mentis filius vocatur. vt enim verbum noſtrum eorum quæ à mente cernuntur, eſt nuncius: ſic Dei verbum, quod patrem nouit, ad quem ſine duce nemo eorum qui orti ſunt, poteſt accedere, patrem quem nouit, enunciat. Nemo enim nouit patrem niſi filius, & cui filius reuelauerit. Et quatenus Verbum eſt, magni conſilij eſt angelus, cuius factus eſt principatus ſuper humerum eius. Regiam enim dignitatem obtinuit, quòd crucem pertulit. In Apocalypſi autem in equo ſedere dicitur Verbum credibile & verum: quod, vt arbitror, oſtendit patefactionem vocis, quam Verbum veritatis quod ad nos venit prædicat. Sed non eſt huius temporis docere, multis locis ſcripturæ in voce * quibus iuuabimur, ſi diuinas inſtitutiones diſciplinaſque

náſque audiamus: poſitum eſt equi verbum. Tantùm autem vnius atque alterius falſi equi ſalutis cauſa facienda eſt mentio. Et, Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei noſtri magnificabimur. Illud autẽ, Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi, in quarto & quadrageſimo pſalmo ſcriptum, & à multis vt intellectum, ſemper fertor, non debemus non conſideratum prætermittere. Faciamus enim hæc patrem dicere. Quod igitur eſt cor eius, vt congruenter cordi, bonum verbum appareat? Si enim Verbum non eget, vt illi exiſtimant, explanatione, perſpicuum eſt neque cor egere. quod quidem abſurdiſſimum eſt, cor eodem modo quo in corpore noſtro, Dei partem eſſe exiſtimare. Atqui admonendi ſunt, quemadmodum manus, & brachium atque digitus Deus nominatur, non defigentibus nobis in ſolo verbo mentem noſtram & ſententiam, ſed exquirentibus, quomodo hæc rectè ac pro Dei dignitate explananda ſint: ſic etiam Dei cor vim eius qua intelligit & proponit & ſtatuit de omnibus rebus, eſſe intelligendam, verbum autem id quod ea quæ in ea ſunt, enunciat. Quis verò patris eorum quæ orta ſunt conſilium, iis qui digni ſunt, & ab eo facti, præter Seruatorem enunciat? Fortaſſis autem etiam verbum hoc Eructauit, non fruſtra dictum eſt. Sexcenta enim alia dici potuiſſent præter illud, Eructauit, veluti propoſuit cor meum verbum bonum: loquutum eſt cor meum verbum bonum, ſed ne fortè quemadmodum Spiritus alicuius occulti in publicum progreſſus fit, rei quæ ructu emittitur, quaſi hoc ipſo efflet, & reſpiret: ſic veritate percepta non continens eructat, eorúmque ſpeciem in verbo præbet, quod ob eam cauſam imago vocatum eſt Dei qui non videtur: atque id vt multorum approbatione impulſi dici à patre intelligamus, Eructauit cor meum verbum bonum, ſed non omnino eis concedendum eſt hæc eſſe quaſi certò enunciantis Dei. Cur enim propheta plenus Spiritus non dicet, ac proferet verbum bonum, qui de prophetia Chriſti ipſum continere non poteſt, Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Speciosus forma præ filiis hominum. Deinde ipſi Chriſto, Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Quomodo enim ſi hæc pater dicebat, ſubiiciebat, Diffuſa eſt gratia in labiis tuis: proptereà benedixit te Deus in æternum. & paulò pòſt, Proptereà vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis. Si quis verò occurrat, contendátque ex perſona patris dici ea quę in pſalmo dicuntur, ex illo loco, Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui: nō enim propheta Eccleſiæ dicet, Audi filia: non eſt difficile docere etiam ex aliis pſalmis perſonarum fieri in loquendo viciſſitudines, vt etiam poſſit his ex illo loco, Audi filia, pater loqui. Addendum eſt etiam illud ad quæſtionem quæ de Verbo poſita eſt, Verbo domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: quæ quidem nonnulli de Seruatore & Spiritu ſancto dici exiſtimãt, cùm poſſint declarare, Verbo domini cælos eſſe firmatos, vt ſi verbo architecti domũ & verbo eius qui nauẽ ædificat, eam factam eſſe dicamus. Sic igitur Verbo Dei cælos, quòd eſt diuinius corpus, ob eámque cauſam firmamẽtũ vocatur, nec vt cætera corpora, multis modis fluere & diſſolui poteſt: & infra firmatos eſſe, & ob id à Verbo diuino habuiſſe vt eximio quodã modo eſſent. Quoniã igitur propoſitum eſt nobis illud, In principio erat Verbũ, apertè planéque explicare, principium autem, teſtimoniis ex Prouerbiis explicatum eſt dici Sapientiam, & ſapientia ante Verbum quod eam enunciat, intelligitur: illud intelligẽdum eſt, Verbum eſſe ſemper in principio, id eſt, in ſapientia, ipſum autem cùm eſt in ſapientia, quæ principium vocetur, non impediri quo minus ſit apud patrem, quod ipſum etiam Deus ſit, nec nudum ipſum eſſe apud Deum, ſed cùm in principio, id eſt, ſapientia ſit, apud Deum eſſe. Subiicit enim, & ait, *Hoc erat in principio apud Deum.* Poterat enim dicere, Hoc erat apud Deum, ſed quemadmodum erat in principio, ſic etiam in principio erat apud Deum. Et omnia per ipſum quod erat in principio facta ſunt. Omnia enim in ſapientia, vt ait Dauid, fecit. & præterea vt accipiamus Verbum propriam deſcriptionem habens, veluti, quod per ſe viua ſit: de virtutibus etiam ſiue poteſtatibus, non ſolùm de virtute dicendum eſt. Hæc dicit domi- *Caue.*
nus virtutum: multis locis ponitur, diuinorum quorundam animalium quæ rationem habent, virtutéſque nominantur, quibus & ſuperior erat Chriſtus & præſtantior, non ſolùm Dei ſapientia, ſed etiam virtus nominatus. Vt igitur virtutes Dei plures ſunt, à quarum vnaquaque deſcriptione Seruator differt: ſic etiam Verbum, etiam ſi verbum noſtrum extra nos ex deſcriptione non ſit, Chriſtus intelligetur, habétque ob ea quæ antè conſyderata ſunt, in principio, id eſt, in ſapientia, ſtatum ſuum. Hæc autem nunc nobis ſatis multa erunt, in illud, In principio erat Verbum.

Et *verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbum.* Quo- *Tom. 2. in*
niam pro virili parte quæ in me eſt, ſacer frater *Ioan.*
Ambroſi & ad Euangelij normam formate, ſatis multis ſuprà expoſuimus, quid ſit Euangelium, quódque ſit principium, in quo Verbum erat, & quod Verbum eſſet in principio: ſequitur, vt quomodo Verbum erat apud Deum, videamus. Vtile autem eſt ad hoc colligere verbum quod ad aliquos factum eſſe ſcripturæ docent, veluti verbum quod factum eſt ad Oſee Beeri filium, Verbum quoque quod factum eſt ad Eſaiam Amos filium de Iudæa & Hieruſalem, atque verbum quod ad Hieremiam de ſiccitate factum eſt. Quo igitur modo verbum domini factum ſit ad Oſee, & verbum quod ad Eſaiam Amos filium factum eſt, rurſúſque verbum quod ad Hieremiam factum eſt de ſiccitate, videndum eſt, vt quemadmodum propoſitũ eſt, quomodo ſit Verbum apud Deum inuenire poſſimus. Multi quidem paulò ſimpliciùs explanabunt ea quæ prophetis dicta ſunt, quaſi verbum Domini, aut Verbum cum eis factum ſit: ſed nunquam hoc cum illo fieri. Ita filius Verbum Dei de quo nunc dicitur, cùm Oſee factum eſt, cùm à patre ad eum miſſus eſſet, ſi hiſtoriam ſpectemus, cùm Oſee propheta Beeri filio ſi verbum myſticum, cum eo qui ſalutem adipiſcitur, (Oſee enim idem valet quod is qui ſeruatur) Beeri filio, quod nomen idem quod puteus efficit. Sapientiæ enim Dei, quæ fons eſt ex profundo erumpens, vnuſquiſque eorum, qui ſalutem conſequuntur, efficitur filius. Nec mirum eſt, ſi tam ſanctus vir puteorum ſit filius, qui multis locis ex bonis præclariſque factis filius nominetur: ex eo

quidem, quòd eius opera coram hominibus luceant, lucis; ex eo autem quòd Dei pacem habeat, quæ omnem ſenſum ſuperet, pacis: præterea propter vtilitatem quæ ex ſapientia percipitur, ſapientiæ filius. Iuſtificata eſt enim, inquit, ſapientia à ſuis filiis. Sic ergo is qui omnia diuino ſpiritu ſcrutatur etiam profunda Dei, Vt ipſe dicat, O altitudo ſcientiæ & ſapientiæ Dei: puteorum filius ad quem verbum fit, eſſe poteſt. Simili modo verbum etiam ad Eſaiam venit, docens ea quæ Iudææ atque Hieruſalem nouiſſimis diebus euentura ſunt. Itémque ad Hieremiam, qui diuina excellitate elatus erat. Exponitur enim ſublimitas

* Sed ad homines quidē, qui prius Verbi quod Dei filius eſt, aduentum non capiebant, venit: ad Deum autem non venit, quaſi priùs apud eum non eſſet. Ex eo verò quòd ſemper cum patre eſt, dicitur, Et verbum erat apud Deum: atque hoc verbum, Erat, de Verbo dicitur, quòd in principio erat, nec ſeparatus à principio, nec à patre relictus: & rurſus nec ex eo quòd in principio non eſſet, in principio fuit, nec quia apud patrem non erat, fuit apud patrem. Ante enim omne tempus ac ſeculum & verbum erat, & erat apud patrem. Quoniam igitur ad inuentionem illius, Et Verbum erat apud Deum, protulimus prophetica dicta, quomodo factum ſit & ad Oſee & ad Eſaiam & ad Hieremiam, obſeruauimúſque non quamuis differentiam horum verborum, factum eſt, & erat: hoc addemus, ipſum Verbum cùm ad prophetas venit, illuſtrare prophetias luce cognitionis & ſcientiæ, faceréque vt ipſi qui antè vident, ea cernant quæ ante eius aduentum non intelligebant. Apud Deum autē Deus eſt ex quo eſt apud ipſum. Ac fortaſſe Ioannes cùm talem ordinem vidiſſet, non prætexuit hoc, Deus erat verbum, illi, Verbum erat apud Deum, quaſi in enuntiationibus non impediat ſeries, quo minùs per ſe vniuſcuiuſque enunciationis vis intelligatur. Vna enim enunciatio eſt, In principio erat Verbum: altera, Verbum erat apud Deum, ac deinceps, Et Deus erat Verbum. Sed quoniam fortaſſis ordinem quendam declarat, primum locatum eſſe, In principio erat Verbum, ex eo quod ita deinceps ſequitur, Et verbum erat apud Deum, & tertio illo, Et Deus erat verbum: idcirco vt ex quo apud Deum erat, Verbum Deus eſſe intelligi poſſit, dicitur, Et Verbum erat apud Deum: deinde, Et Deus erat Verbum. Magna autem cum obſeruatione, non vt Græcæ ſubtilitatis ignarus Ioannes, aliquo in loco articulis vſus eſt, in aliis eos tacuit, nomini quidem λόγου, id eſt, Verbi ὁ adiungens, Dei autem verbo alicubi adiungens, alicubi detrahens. *Adhibet enim articulum cùm Dei nomen in ingenita omnium cauſa dicitur: eundem autem non adhibet, cùm Verbum Deus nominatur. Vt autem his modis differunt ὁ Θεὸς & Θεὸς, id eſt, eodem modo quo primum ὁ λόγος, id eſt, verbum cum articulo, nominatum eſt, Deus cum articulo, & Deus ſine articulo: ſic nunquam ὁ λόγος & λόγος,
Caue. id eſt, Verbum cum articulo, & Verbum ſine articulo, differunt. Quemadmodum enim qui eſt in omnibus Θεὸς, eſt ὁ Θεὸς ac non abſolutè Θεὸς: ſic fons Verbi quod in vnoquoque eorum quæ rationem habent, eſt ὁ λόγος, id eſt, Verbum, nec vnquam id verbum quod in vnoquoque eſt propriè eodem modo quo primum ὁ λόγος, id eſt, Verbum cū articulo, nominatur ac dicitur. Quódque multos conturbat, ne Deum non ament, dum precantur, quòd vereantur, ne duos Deos prædicent, ob eámque cauſam in falſa & impia dogmata incidant aut negantes filij proprietatem à patris proprietate diuerſam eſſe, dum Deum fatentur eſſe eum, qui verbo tenus & vſque ad nomē apud eos filius appellatur, aut negantes filij diuinitatem, ponentes autem eius proprietatem & eſſentiam, quæ aliam habeat quam pater deſcriptionem: hinc explicari poteſt. Eis enim reſpondendum eſt, eum quidem qui per ſe Deus eſt, eſſe τὸν Θεόν, id eſt, Deum: itaque Seruator in ſua ad pa- Ioan. 17.
trem oratione dicit, Vt cognoſcant te ſolum verum Θεόν: omne autem quod præter ipſum Deum illius diuinitatis participatione Deus efficiatur, nō τὸν Θεὸν ſed Θεὸν magis propriè dici. * omnino ὁ πρωτότοκος, id eſt, primogenitus omnis creaturæ, cùm primus ſit, quòd apud Deum erat, tracta ad ſe diuinitate, & præterea honoratior eſt cæteris præter ipſum diis, quorum Deus eſt Deus, quemadmodum illud declarat, Deus deorum dominus locutus eſt, & vocauit terram, cùm miniſtrauerit vt dij fierent, hauſeritque vt ipſi abundanter fierent, atque eis pro ſua bonitate ac beni-
gnitate impartitus ſit. Verus igitur Deus eſt ὁ Θεὸς: Caue.
qui autem ad illum formati effictique ſunt dij primæ ſpeciei & exemplaris ſunt imagines. Sed rurſus multarum imaginum principium, ſpecies, & imago, eſt Verbum quod eſt apud Deum: quod in principio erat, quòd apud Deum eſſet, idémque ſemper quidem Deus erat, ſed nunquam id habuiſſet, niſi apud Deum fuiſſet: nec Deus manſiſſet, niſi in non interrupta & intermiſſa paternæ altitudinis viſione permanſiſſet. Quoniam autem veriſimile eſt fore, vt iis quæ dicta ſunt nonnulli occurrant, ſi vnus quidem verus Deus pater nuncietur, præter autem verum Deum plures dij Dei participatione fiant, veriti, ne eius qui omnem creatam naturam ſuperat gloriam cæteris qui Dei nomen obtinent, exæquent: ad eam differentiam atque diſtinctionem quæ expoſita eſt, qua cæteris diis omnibus Deum Verbū diuinitatis miniſtrum eſſe diximus, hæc etiam addēda eſt. Verbum enim quod in vnoquoque eorum quæ ratione vtuntur, ineſt, eandem habet rationem ad Verbum quod erat in principio & ad Verbum Deum quod Deus erat, quā Deus Verbum ad Deum habet. Vt enim ipſe Deus ac verus Deus pater ad imaginem ſe habet, & ad imagines imaginis: itaque ad imaginem homines facti eſſe dicuntur, non imagines: ſic etiam ipſum Verbum ad verbum quod eſt in vnoquoque noſtrum. Vterque enim fontis locum obtinet, pater diuinitatis, Verbi filius. Quemadmodum igitur multi dij ſunt, nobis autem vnus eſt Deus pater: & multi ſunt domini, ſed nobis vnus eſt dominus, Ieſus Chriſtus: ſic multa Verba ſunt, ſed precamur, vt nobis Vnum ſit Verbum quod eſt in principio, quódque apud Deum eſt Deus Verbum. Qui enim hoc Verbum quod erat in principio, non capit, is vel ei quod caro, factum eſt, non attendet, vel alicuius eorum quæ hoc Verbo participauerunt, eſt particeps, vel abductus ab eo vt particeps eius ſit, quod eo participauit, erit atque verſabitur in eo omni, quod a Verbo alienum vocatur. Quod dictum eſt, perſpicuum erit ex exemplis quæ de Deo feruntur & Deo Verbo, & diis aut iis quæ Deo participant, aut quæ dicuntur quidem ſed nullo

nullo modo dij ſunt:& rurſus Verbi Dei, Verbique quod Deus caro factum eſt, & verborum vel ſecundorum quæ quodammodo Verbo participauerunt, vel tertiorum præter id quod omnia antecedit, quæ exiſtimantur quidem verba, ſed verè verba non ſunt. Sed vt ita dicam, hoc totum, verborum quæ à ratione auerſa ſunt, quemadmodum etiam in iis quæ dicuntur illa quidem, ſed dij non ſunt, aliquis pro verbis quæ rationis aliena ſunt, non Deos, Deos poſſit ponere. Ac Deus quidem rerum omnium effectiuus eſt Deus, multóque magis quàm Seruator benedictionis. Deinde eorum Deus eſt, qui verè dij ſunt: atque om-
Canti. nino viuorum Deus eſt, non mortuorum. Deus autem Verbum eorum fortaſſis qui in ipſo vniuerſum firmauerunt, & patrem eum eſſe cenſuerunt, eſt Deus. Sol verò & luna, ac ſtellæ, vt quidam ante nos explanauerũt, iis quæ indigna ſunt, quæ tribuant ſibi Deum Deorum Deum eorum eſſe, attributa ſunt. Ita autem approbauerunt impulſi iis quæ in Deuteronomio habent hoc modo, Ne cùm in cælum ſuſpexeris, ſolémque ac lunam, omnémque cæli ornatum deceptus ea adores, eiſque ſeruias, quæ tribuit Deus tuus omnibus gentibus: vobis autem non ita dedit Dominus Deus veſter. Quomodo enim diſtribuebat cunctis nationibus ſolem ac lunam, omnémque cæli ornatum Deus, cùm ſic ea non dediſſet Iſraëli? quòd qui ad naturam quæ ratione intelligitur, aſcendere non poſſunt per ſenſum mouentes Deos, de diuinitate fluctuabant: certè ſatis fuiſſet, eos in his hærere, nec in idola & dæmonia incidere. Aliqui igitur Deum omnium Deum habent. Alij autem præter hos ſecundi ſtant in Dei filio eius Chriſto. Tertij ſunt, qui ſolem ac lunam omnémque ornatum cæli, à Deo quidem aberrantes, ſed errore multùm diſſimili ac meliore, quàm ij qui Deos vocant opera manuum hominum aurum & argentum artis diligentiam. poſtremi ſunt ij, qui eos qui dicuntur dij, ſed nullo modo ſunt, venerantur, & colunt. Sic ergo alij quidem Verbi quod erat in principio, ſunt participes, & Verbi quod apud Deum erat, & Deus Verbum eſt: Veluti Oſee, Eſaias, & Hieremias, ac ſi quis alius talem ſeipſum præſtitit, vt Verbum Domini, aut Verbum ad ipſum veniret. Alij autem qui nihil aliud ſcientes, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, id eſt, Verbum quod caro factum eſt, vniuerſúmque Verbi eſſe exiſtimantes, Chriſtum ſecundum carnem tantùm cognoſcũt. Talis eſt multitudo eorum, qui credidiſſe exiſtimantur. Tertij quoque verbis quæ aliquid habent cum Verbo commercij, vt quæ omne verbum ſuperent, ſe dediderunt: atque haud ſcio ſintne hi, qui hæreſes & diſciplinas in philoſophia apud Græcos celebres atque præclaras excolunt. Quarti autem præter hos ſunt, qui verbis ac rationibus crediderunt quæ & omni ex parte labefactant & impiæ ſunt, & euidẽtem ac ferè cadentem ſub ſenſum prouidentiam tollunt funditus, & finem alium præter honeſtum approbant. Etſi autem digredi à propoſito viſi ſumus, tamen commodè id à nobis factum eſſe arbitror, vt planè res quatuor ex Dei, & quatuor ex Verbi nomine intelligantur. Erat enim ὁ Θεὸς & Θεοί. deinde dij bifariam, quorum meliorem ordinem Deus Verbum ſuperat, à Deo rerum omnium ipſe ſuperatus. Erat rurſus ὁ λόγος, fortaſſis autem & λόγος, eodem modo, quo ὁ Θεὸς & Θεός. Verborum etiam duo ſunt genera, quorũ humana propria ſunt alia quidem patris, quòd eius partes ſint, & his ſumma quæ nunc Verbum apertius & planius nobis explanat, quæ ad Seruatorem venerunt, & totum in eo firmauerunt. Ac tertia ſunt, quæ antè commemorauimus, ſolem ac lunam & ſtellas Deos eſſe exiſtimantia, & in eis hærentia. Sed præter hæc omnia, ſunt etiam in loco inferiore, quæ inanima & mortua idola venerantur. Eadem quoque ratione ex verbo dicta inuenimus. Alia enim ipſo Verbo ornata ſunt, alia aliquo ei vicino ac ſummo quod primum Verbum eſſe videtur, quæ nihil ſciunt, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, eadémque Verbum carnem vident. Tertia etiam quæ paulò antè diximus. Quid verò attinet de iis dicere, qui in Verbo eſſe exiſtimantur, ſed non ſolùm ab honeſto, verùm etiam ab eius veſtigiis, atque iis qui eius ſunt participes, aberrarunt? *Hoc erat in principio apud Deum.* Poſteaquam Euangeliſta tribus propoſitionibus quas dixit, ordines tres nos docuit, tres in vnum colligit his verbis, Hoc erat in principio apud Deum. primum autem trium didicimus, in quo Verbum erat, nempe in principio: & apud quem idem erat, id eſt, apud patrem, & quid erat Verbum, ſcilicet Deus. Quaſi igitur oſtendens per pronomen illud, hoc, Verbum Deum quod antè dictum eſt, & in quartam enunciationem colligens tria hæc, In principio erat Verbum, &, Verbum erat apud Deum, &, Deus erat Verbum, ait, Hoc erat in principio apud Deum. Poteſt quidem tale principij nomen etiam in mundi principio accipi, cùm ex iis quæ dicuntur, Verbum iis quæ ab initio facta ſunt antiquius fuiſſe intelligamus. Si enim in principio Deus cælum & terram fecit, quod autem in principio erat, planè antiquius eſt eo quod in principio factum eſt: certè non ſolùm firmamento atque arida, ſed etiam cælo terráque Verbum eſt antiquius. Fortaſſis autem non iniuria aliquis quæret, cur non dictum ſit, In principio erat Verbum Dei: & Verbum Dei erat apud Deum, & Deus erat Verbum Dei: ſed hoc conſentaneum eſt, vt qui quærat, cur tandem non ſcriptum ſit, In principio erat verbũ apud Deum & quæ ſequuntur, plura verba eſſe cenſeat, ac fortaſſis diuerſi generis. Vnum quidem Dei Verbum, angelorum aliud, aliud hominum, atque ita deinceps in cæteris rebus. quòd ſi Verbum, etiam ſapientiam, ac iuſtitiam. Atqui abſurdum eſt fateri plura eſſe propriè Verbi nomina ſapientiæque ac iuſtitiæ: eóque compellemur, vt dicamus non oportere quæri plura verba, pluréſque ſapientias & iuſtitias quæ propriè hoc modo à veritate nominentur. Omnes enim veritatem vnam eſſe profitebuntur. Neque enim quiſquam eſt qui in ea auſit dicere, aliam eſſe Dei veritatem, aliam angelorum, & aliam hominum. In rerum enim natura vna eſt vniuſcuiuſque veritas. Quòd ſi vna eſt veritas, perſpicuum eſt, & confirmationem eius, & demonſtrationem ſapientiæ vnam eſſe, conſentaneum eſſe intelligi, cùm ſapientia omnis quæ habetur, & indicatur, non obtineat veritatem, nec ſapientia rectè eſſe ſtatuatur. Si verò veritas vna eſt, vnáque ſapientia, Verbum etiam vnum eſt quod veritatem & ſapientiam enunciat explicans & explanans iis qui ipſa capere poſſunt. Neque verò hęc dicimus,

quòd veritatem, ſapientiam & Verbum Dei eſſe negemus, ſed vt demonſtremus vtile fuiſſe hoc Verbum Dei tacere nec ſcriptum eſſe hoc loco, In principio erat Verbum Dei. Idem autem Ioannes in Apocalypſi ipſum etiã cum adiũctione Dei vocat his verbis, Et vidi cælũ apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur Fidelis, & Verax & eum iuſtitia iudicat & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocabatur nomen eius, Verbum Dei. Et exercitus eius in cælo ſequebantur eũ in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo. Et de ore eius procedit gladius acutus, vt in ipſo percutiat gentes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotẽtis & habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium. Neceſſariò verò & abſolutè dictum eſt, Verbum, & cum adiunctione, Verbum Dei, quorum ſi alterum omiſſum fuiſſet, occaſiones habuiſſemus approbandæ quæ de Verbo eſt veritatis, & ab ea aberrandi. Etenim ſi Verbum quidem ſcriptum eſt, Verbum autem Dei non dictum eſſet, non planè, Verbum hoc Dei Verbum eſſe cognoſceremus: contráque ſi Verbum quidem Dei appellatum eſſet, ſed verbum abſolute dictum fuiſſet, multa etiam verba ex ratione quam habent ad vnumquodque eorum quæ ratione vtuntur, fingentes, fruſtra ea quæ hoc modo propriè nominata eſſent, probaremus. Pręclarè autem deſcribens ea quæ de Verbo Dei ſunt, in Apocalypſi Apoſtolus & Euangeliſta, atque etiam propter patefactionem propheta ait ſe Verbum Dei vidiſſe in cælo aperto cùm in equo albo ſederet. Quid verò obſcurè ſignificet cælum quod apertum eſt, & equus albus, & qui in eo ſedet, is qui Verbum Dei vocabatur, vt ſit Dei Verbum & fidele & verax, quod eum iuſtitia iudicare & pugnare dicatur, conſyderandum eſt, vt multò etiam inſtructiores veniamus ad ea exponenda quæ de Dei Verbo diſſeruntur. Equidem cælum clauſum eſſe arbitror impiis, atque iis qui terreſtris imaginem ferunt: apertum autem eſſe iuſtis & iis qui agni imagine ornati ſunt. Illis enim quia ſunt deorſum, atque etiam in carne verſantur, meliora occluſa ſunt, quòd ea non intelligant, nec eorum pulchritudinem poſſint, quia nolunt, perſpicere, deorſum aſpicientes, nec ſe ipſos promouentes, vt ſuperiora ſpectent. Diſſimilibus autem quia conuerſationem in cælis habent, cæleſtia quæ contemplantur, claue Dauidis patefacta ſunt, dum ea Dei Verbum aperit, explanans his verbis, in equo albo ſedere, ea quæ ſignificantur, quæ per candorem declarant claritatem, illuſtrationémque ſcientiæ. Sedet autem in equo albo is qui Fidelis nominatur, tractus vehementiùs, &, vt ita dicam, regio more vocibus quæ & reueri non poſſunt, & omni equo celeriùs currunt, & omnem æmulum in certamine, Verbi ſimulatorem, qui Verbum eſſe exiſtimatur, ac veritatis quæ veritas videtur: motu atque impulſu ſuo omni gloria priuaut. Fidelis porrò vocatur is qui in equo albo ſedet, non tam quòd credat quàm quòd credendus ſit, id eſt, dignus cui habeatur fides. Dominus enim, vt ait Moſes, fidelis & verax. Verax enim ad vmbræ, figuræque & imaginis diſtinctionem dicitur. quandoquidem tale eſt Verbum, quod in cælo aperto videtur. Quod enim in terra eſt, non eſt tale quale eſt id quod eſt in cælo, cùm factum ſit caro, & per vmbram, figuras, & imagines loquatur. Multitudines autem eorum qui credidiſſe exiſtimantur, vmbra Verbi, non vero Verbo Dei quod eſt in cælo patefacto, docentur. Itaque Hieremias ait, Spiritus vultus noſtri Chriſtus Dominus, cuius, diximus, in vmbra viuemus in Gentibus. Hoc autem Verbum, quod fidele vocatur, etiam verax appellatur, & eum iuſtitia iudicat & pugnat, ipſáque iuſtitia & ipſo iudicio vnicuique eorum quæ ſunt tribuit pro dignitate, accepta à Deo etiam poteſtate iudicandi. Nemo enim eorum, qui iuſtitiæ participes ſunt, iudicandique populi poteſtatem acceperunt, ita omni ex parte in animo ſuo iuſtitiæ iudicandíque formam imprimere imitaríque poterit, vt ab ipſa iuſtitia ipſóque iudicio non abſit, vt neque is qui imaginem ſcribit aut pingit, ſcripturæ omnes eius quod deſcriptum eſt, proprietates impertire poſſit. Ob eamq́; cauſam Dauidem arbitror illud dicere, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Neque enim omnino dixit, Omnis homo, vel omnis angelus, ſed omnis qui viuit, quòd etiam ſi quiſpiam vitæ ſit particeps omníque ex parte vt ita dicam, mortificationem excuſſerit, tamen ne tum quidem apud te iuſtus eſſe poterit, eodem modo quo vita: nec fieri poteſt, vt is qui vitæ eſt particeps ob eámque cauſam viuere iudicatur, vita fiat: atque is in quo iuſtitia eſt, atque ipſum ius quod vocatur, omni iuſtitiæ exæquetur. Opus autem & officium Verbi eſt, vt iudicare in iuſtitia, id eſt, iuſtè, ſic in iuſtitia pugnare, vt ex eo quòd hoſtes & inimici cum Verbo & iuſtitia ita pugnare ſublatis iis quæ à ratione auerſa ſunt, & iniquitate, dicatur, habitet & iuſtificet, expulſis iis quæ animo eius qui vt ita dicã, ſalutis cauſa à Chriſto captiuus factus eſt, ſunt contraria. Sed multò etiam magis cernere licet Verbi bellum quod gerit, cùm ipſum quidem pro veritate legationem obit. quod autem Verbum ſe eſſe fingit, neque Verbum eſt, & veritas eius quæ ſe veritatem eſſe prædicat, cùm non ſit veritas, ſed mendacium, falſo veritatem ſe eſſe iactat. Tum enim armatum Verbum contra mendaciũ, ipſum interficit Spiritu oris ſui, & deſtruit illuſtratione aduentus ſui. Vide autem, num hæc poſſint ex eo quod animo intelligitur ab Apoſtolo in epiſtola ad Theſſalonicenſes demonſtrari. Quid eſt enim quod oris Chriſti Spiritu interficitur, cum Chriſtus ſit Verbum & veritas, atque ſapientia, niſi mendacium? quid etiam eſt quod deſtruitur aduentus Chriſti illuſtratione, qui ſapientia & Verbum intelligitur, niſi omne id quod ſapientiam quidem ſe eſſe promittit, ſed tamen vnum eſt horum, quæ Deus faciet in eorum aſtutia? proptereà quòd Ioannes præclariſſimè in iis quæ de Verbo quòd in equo albo ſedet narrantur, hoc etiam ait, Oculi autem eius ſicut flamma ignis. Vt enim flamma ſplendorem atque vnà illuſtrationem, & præterea ignis ſpeciem habet, & vim conſumendi ea quæ plurimum materiæ habent: ſic, vt ita dicam, Verbi oculi quibus cernit, & omnis qui eius eſt particeps, ad ferendum auxilium per ea quæ animo cernuntur & in eo inſunt, conſumunt & conficiunt quæ paulò craſſiores ſunt, nimiúmque in ſe materiæ continent, cogitationes.

Omnem

Omnem autem veritatis exilitatem atque tenuitatem ignorant ea quæ quomodocunq; falſa ſunt. Sed valde conuenienter ordini, poſt illud, In iuſtitia iudicat, & congruenter iudicio in iuſtitia pugnat, ac deinceps, pugnat illuſtrans, hoc ſubiicitur, Multa eſſe in eius capite diademata. Si enim vnum eſſet vniúſque generis falſum, quo ſuperato & victo, contra illud coronã ſumpſit Verbum fidele & verax: profectò iure ac meritò diademate vno amictũ fuiſſe Verbum quod Dei aduerſarios & hoſtes vicit, ſcriptum eſſet. Nunc eùm multa falſa ſint, quæ veritatem profiteantur, in quæ bello geſto Verbum corona donatur, multa ſunt diademata, quibus caput Verbi quod vicit omnia redimitur: atque etiam victa vnaquaque operatione, quæ defecerat, multis diadematibus cingitur. Deinceps poſt diademata ſcribitur habere nomen quod nemo præter ipſum nouerit. Verbum enim hoc animatũ quædam ſolus ſcit, propterea quòd in iis quæ genita & orta ſunt deinceps, naturam ipſius nemine capiente, omnia, quæ illud ipſum comprehendit, contemplatur. Fortaſsis autem ij qui illius Verbi ſunt participes, ſoli præter eos qui participes nõ ſunt, ſciunt ea quæ ad illos non perueniũt. Non nudum autem à Ioanne Verbum Dei quod in equo ſedet, videtur. Amictum enim eſt veſte aſperſa ſanguine, quandoquidem veſtigia imprimuntur in Verbo quod caro factum eſt: & quia caro factum eſt, mortem pertulit, vt etiam eius ſanguis profuſus ſit in terram, cùm eius latus in illa eius paſſione miles percuſsiſſet. Nos enim forſitan etiã quoquomodo in excellisſima & ſumma Verbi contemplatione fuimus, nec omni ex parte inſtitutionis introductionis veritatis quæ in corpore noſtro per ipſum facta eſt, obliuiſcemur. Verbum hoc Dei cæli exercitus, Verbi ducentis comites ſequuntur, ipſúmque imitantur cùm in omnibus, tum maximè vt eodem modo quo ſedit, in equis albis ſedeant. Omnia enim præſentia ſunt intelligentibus, & quemadmodum fugit dolor, triſtitia & gemitus in fine rerum, ſic, vt opinor, fugit incertitudo & dubitatio omnium ſapientiæ Dei myſteriorum, quæ aſsiduè & perſpicue incurrunt. Inſpice autem equos albos eorum, qui Verbum ſequuntur, amictos byſsino albo & mundo, num quoniam byſſus ex terra oritur, byſſinæ veſtes linguarum quæ in terra ſunt, quibus amictæ ſint voces quæ planè res ſignificant, ſigna figuræq; ſint. Hæc igitur pluribus ex Apocalypſi quæ docet, de Dei Verbo, dicta ſunt, quò accuratius ea quæ ad illud pertinent intelligamus. *Hoc erat in principio apud Deum.* Iis qui non accuratè exquirunt diſsimiles diuerſáſque enunciationes in iis quæ enunciantur, Euangeliſta idem dicere non neceſſariò videbitur, non plus in hoc dicens, Hoc erat in principio apud Deum, quàm quod ait, Et Verbum erat apud Deum. Sed obſeruandum eſt, nos ex hoc quidem loco, Verbũ erat apud Deum, non intelligere quando, aut in quo apud Deum eſſet, quod in quarta enunciatione additur. Quatuor enim pronunciata, quæ à quibuſdam propoſitiones vocantur, ſunt hoc in loco, quorum hoc quartum eſt, Hoc erat in principio apud Deum. non eſt autem idem hoc, Verbũ erat apud Deum, quod illud, Hoc erat, nõ ſimpliciter apud Deum, ſed quando vel in quo apud Deum. Hoc enim, inquit, erat in principio apud Deum. Quinetiam, Hoc, pronomen * prolatum in Verbo dictum eſſe vel in Deo putabitur ab eo qui non exterbriùs ſcrutatur, vt etiam inueniat comprehenſionem ſuperiorũ factam in Hoc pronomine, & Verbum Deique intelligentia, vt in vnum ea quę ſenſu differunt demonſtratio colligat. Neque enim eiuſdem ſignificationis & intelligentiæ Verbum eſt, cuius Deus: neque Deum eadem notione & ratione, qua Verbum intelligimus. Eſt autem fortaſſe trium enũciationum hæc collectio, Hoc erat in principio apud Deum. Qua enim ex parte in principio eſſet Verbum, non intelleximus ex eo quòd apud Deum erat: quatenus autẽ apud Deum Verbum eſſet, non planè noueramus ex eo, quòd In principio eſſet apud Deũ: quatenus verò Deus eſſet Verbum, neque illud, In principio erat Verbum, neque hoc, Et Verbum erat apud Deum, indicabat. At verò hæc, Hoc erat in principio apud Deum, eſt & Hoc pronominis in Verbo & in Deo intellecti, & illius vocabuli, In principio ita copulati, & illius, Apud Deum, additi declaratio. Sic nihil prætermittitur eorũ quæ ſunt in tribus enunciationibus, quod non eis cõtractis in vnum colligatur. Vide autem num ex eo quòd duplex In principio nominatur, res duas intelligere poſsimus, vna quidem, quòd In principio erat Verbũ, quaſi per ſe eſſet, non omnino apud aliquem altera, quòd in principio erat apud Deum. Equidem exiſtimo non falſo dici poſſe, ipſum & in principio fuiſſe, & in principio fuiſſe apud Deum, cùm nec apud Deum tantum eſſet, quoniam etiam in principio erat, nec in principio ſolùm eſſet, ac nõ apud Deum eſſet, quãdoquidem hoc erat in principio apud Deum. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Nunquam primum locum obtinet, per quod, ſed ſecundum ſemper, veluti in epiſtola ad Romanos, Paulus ſeruus, inquit, Ieſu Chriſti, Vocatus apoſtolus ſegregatus in Euangelium Dei quod antè promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiam & apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. Deus enim Euangelium ſuum antè promiſerat per prophetas, qui miniſtrabãt, & habebant Verbum eius per quem rurſum Deus gratiam & apoſtolatum ad obediendum fidei in gentibus Paulo ac cæteris dedit: deditque per Chriſtum Ieſum Seruatorem qui illud, Per quem, habet. Idem quoque Paulus in epiſtola ad Hebræos ait, Nouiſsimis autem diebus loquutus eſt nobis in filio, quem poſuit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula, docens nos Deum feciſſe per filium ſecula, quòd per vnigenitum qui illud, Per quem, habet, ſecula facta ſint. Ita igitur hoc etiam loco ſi omnia per Verbum ipſum facta ſunt, non ab ipſo Verbo facta ſunt, ſed à ſuperiore & maiore quàm ſit Verbum. Quis autem hic eſt, niſi pater? Caue.

* Conſyderandum eſt autem, hoc extante vero, Omnia per ipſum facta ſunt, num etiam Spiritus ſanctus per ipſum factus ſit. Neceſſe autem ei exiſtimo qui Spiritum factum eſſe concedat, fateatúrque illud verum eſſe, Omnia per ipſum facta ſunt, Spiritum ſanctum à Verbo quod illo antiquius ſit, factum eſſe concedere & probare. Qui Caue. autem nolit Spiritum ſanctum per Chriſtum factum eſſe concedere, ſequitur, vt non factum eſſe

 dicat,

dicat, quòd ea quæ in hoc Euangelio ſcripta ſunt, vera eſſe iudicet. Erit autem etiam aliquis tertius præter hos duos, qui per Verbum Spiritum ſanctum factum eſſe concedat, eumdémque non factum eſſe exiſtimet: ita ſtatuet is, nullam eſſentiam conſtare Spiritus ſancti propriam, quæ à patre & filio diuerſa ſit: ſed ſi addat, fortaſſis magis diuerſum eſſe à filio patrem exiſtimabit quòd is idem quod pater ſit, quòd ſine controuerſia diſtinctio declaretur Spiritus ſancti à filio hoc loco, Qui Verbum dixerit in filium hominis dimittetur ei: qui autem blaſphemiam dixerit in Spiritum ſanctum, non dimittetur ei nec in hoc ſeculo nec in futuro. Nos autem qui tres perſonas, patrem, & filium atque Spiritum ſanctum eſſe credimus, & ingenitum nihil præter patrem, vt pium, & verum nobis perſuaſimus: Spiritum ſanctum & iis omnibus quæ per Verbum facta ſunt, & ordine iis
Caue. omnibus quæ à patre per Chriſtum condita ſunt, præſtantiorem eſſe concedimus, & approbamus. Atque hæc forſitan cauſa eſt, cur ipſe Dei non dicatur eſſe filius, quòd ſolus vnigenitus à principio natura filius ſit, nec videtur oportere ſanctū Spiritum, quòd miniſter ſit, non ſolùm per eſſentiam in lucem prolatum eſſe, verùm etiam ſapientem eſſe, & rationis participem, & iuſtum atque quiduis eſſe, intelligi, ex Chriſti notionum quæ à nobis paulò antè commemoratæ ſunt, participatione. Ego autem exiſtimo Spiritum ſanctum, vt ita dicam, materiá gratiarum quæ à Deo proficiſcuntur, ſuppeditare iis qui per ipſum, eiúſque communionem ſancti ſunt, dum materia quam dixi, charismatum, à Deo quidem operatur, à Chriſto autem miniſtratur, per Spiritum verò ſanctum exiſtit. Quod quidem vt ita eſſe putem, facit Paulus, qui quodam loco de gratiis ſcribit his verbis.
1.Cor.12. Diuiſiones autem gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationū ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Habet autem dubitationem, quòd omnia per ipſum facta ſint, & ex eo ſequatur, vt Spiritus ſanctus qui factus eſt, ab ipſo factus ſit: quomodo Chriſto in quibuſdam ſcripturis quaſi anteponatur, cùm Chriſtus ipſe in Eſaia quidem ſe non ſolùm à patre, ſed etiam à Spiritu ſancto miſſum eſſe fateatur: Ait enim, Et nunc Dominus miſit me, eiúſque Spiritus. In Euangelio autem, cùm remiſſionem promiſit in peccato, quod in ipſum committitur, pronunciat autem de blaſphemia in ſanctum Spiritum, non fore vt pateat non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro ad eius veniam, & remiſſionem aditus ei qui in illum dixerit. Nec verò propterea ei qui in Spiritum ſanctum peccauerit, non ignoſcitur, quòd ipſe Chriſto ſit honoratior, eíque anteponatur, ſed quòd omnia in quibus eſt ratio, Chriſto participant, eis cùm à peccatis diſcedunt, venia datur: eos autem qui ſancto Spiritu digni iudicati ſunt, non conſentaneum ſit veniam conſequi cum tanto & tali inſtinctu &, vt ita dicá, inſpiratione, quæ eos etiam ad honeſtum incitet, cùm præſertim conſilia Spiritus ſancti qui in eis ineſt, reſpuant. Quòd ſi id quod eſt apud Eſaiam ſcriptum, ait Seruator noſter, ſe à patre miſſum eſſe, & ab ipſius Spiritu, reſpondēdum eſt etiam hoc loco miſſum eſſe Chriſtum à Spiritu, non quòd natura differat, ſed propter filij Dei conſeruatoris noſtri, qui ſe infra eum minuit, in humanitate ſumenda diſpenſationem. Quòd ſi quis ex eo offenditur, quòd in ſumenda natura humana infra ſpiritus dignitatem Seruatorem imminutum dixerim: hoc ei probandum eſt, ex iis quæ ſcripta ſunt in Pauli ad Hebræos epiſtola, in qua etiam angelis minorem Ieſum fuiſſe propter mortis perpeſſionem pronunciat. Ait enim, Eum autem qui modico quàm angeli *Heb.2.*
minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatū. Aut hoc etiam dici poteſt, creatæ naturæ, vt à ſeruitute interitus corruptioníſque liberaretur, atque etiam hominum generi beata ac diuina virtute, vt ita dicam, incarnata opus fuiſſe, quæ ea etiam quæ in terra ſunt, corrigeret: & quodammodo hanc actionem ad ſanctum Spiritum pertinere, quam cùm ferre non poſſet, Seruatorem offerri & proponit, vt qui ſolus hoc certamen poſſet ſuſtinere: pater etiam vt princeps filium mittens, vnà ſpiritum quoque mittit, quem certo tempore deſcenſurum ad Dei filium, & vnà hominum ſalutem operaturum effecturúmque promiſerat. Id quod perfecit tum, cùm corporea ſpecie columba ad eum poſt lauacrum volauit, & inſiſtens non præteriit: quod fecit fortaſſe apud homines, qui eius maieſtatem aſſiduè ferre non poterant. Itaque ſignificans Ioannes & loquēs de cognitione quis nam Chriſtus eſſet, non ſolùm Spiritus ad Ieſum deſcenſum narrat, ſed cum deſcenſu illius in ipſo māſionem. Scriptum eſt enim hoc dixiſſe Ioannem, Qui miſit me baptizare, dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu & igne. Non enim dicitur, Super quem videris Spiritum deſcendētem ſolùm, quòd fortaſſe etiam ad alios ipſe deſcenderet, ſed deſcendentem & manētem ſuper ipſum. Hæc autem multùm ac diu probata ſunt iis qui planiùs & apertiùs videre velint, ſi omnia per ipſum facta ſunt, Spiritum etiam per Verbum factum eſſe qui vna rerum omnium, inferior eo per *Caue.*
quem factus eſt, intelligatur, etiamſi verba quædam nos in contrariam partem trahere videantur. Quòd ſi quis Hebræorum Euangelium proferat, in quo Seruator ipſe hæc dicit, Modo accepit me mater mea ſanctus Spiritus, vno capillorum meorum, & me in mōtem magnum Thabor portauit, is dubitabit, qui Spiritus ſanctus qui per Verbum factus eſt, mater Chriſti eſſe poſſit. Sed hæc atque hoc non eſt difficile interpretari. Si enim is qui facit voluntatem patris qui in cælis eſt, eius eſt & frater & ſoror & mater: & fratris Chriſti nomen non ſolùm ad genus hominum venit, ſed etiam ad ea quæ eo diuiniora ſunt: nihil iam abſurdum alienúmque erit, cùm omnis Chri-
ſti mater cenſeatur, quòd patris qui in cælis eſt *Caue.*
voluntatem faciat, matrem eſſe ſanctum Spiritum. Hoc præterea in loco, Omnia per ipſum facta ſunt, hæc etiam quærenda ſunt, quo ſenſu Verbum aliud ſit quàm vita, &, quod factum eſt, in ipſo vita erat, &, Vita erat lux hominum: vtrùm igitur, vt omnia per ipſum facta ſunt, ſic etiam vita quæ eſt lux hominum, per ipſum facta ſit, & aliæ Seruatoris notiones: an ex vendicatione proprietatéque eorum quæ in eo ſunt, illud, Omnia per ipſum facta ſunt, ſit intelligendum: id quod mihi melius videtur eſſe. Vt enim conceſſum ſit, quòd vita lux hominum facta ſit, quid dicendum eſt de ſapientia cuius eſt prior quàm Verbi,

intelligenda? Non enim quidem certè per Verbum id quod in Verbo ineſt, factum fuit. Omnia igitur præter quæ in Chriſto intelliguntur, per Dei Verbum facta ſunt, quæ pater in ſapientia fecit. Omnia enim, inquit, in ſapientia feciſti, non, per ſapientiam feciſti. Sed cur illud, Et ſine ipſo factum eſt nihil, additum ſit, age videamus. Nonnullis enim ſuperuacaneum videatur illud, Et ſine ipſo factum eſt nihil, ei loco ſubiectum, Omnia per ipſum facta ſunt. Si enim quicquid eſt, factum eſt per Verbum, nihil ſine Verbo factum eſt. Non tamen conſequens eſt, ex hoc, Sine Verbo nihil factum eſt, illud, Omnia per ipſum facta ſunt. Fieri enim poteſt, vt, ſi nihil ſine Verbo factum ſit, non ſolùm per Verbum omnia, ſed etiam à Verbo quædam facta ſint. Intelligendum eſt igitur, quomodo illud, omnia, & illud, nihil, accipiendum ſit. Poteſt enim non expoſita & explanata vi vtriuſque Verbi, approbari, ſi omnia per Verbum facta ſunt, & omnium nomine vitium comprehenditur, peccatique * & ea quæ mala ſunt, ea etiã facta eſſe per Verbum: quod falſum eſt. Non enim abſurdum eſt creatas naturas per Verbum factas eſſe: quinetiam neceſſe eſt beatis per Verbum bona opera rectéque facta omnia perfici intelligere: peccata autem & delicta nõ item. Nonnulli quidem expoſuerunt nullam habere ſoliditatem, atque, vt ita dicam, exiſtẽtiam vitium. Neque enim erat ab initio, neque in perpetuum erit. Hæc autem nulla eſſe. Et quemadmodum Græci quidam aiunt eſſe in iis quæ nulla ſunt, genera & ſpecies, veluti animal & hominem: ſic nihil eſſe putauerunt omne quod non à Deo, neque per Verbum concretionem accepiſſet quæ videretur. Nos aggredimur, ſi fieri poſſit, hęc ipſa ex ſcripturis * oſtendere. Igitur quod ad ſignificationis horum verborum, Nihil, & quod non eſt, attinet, ſynonyma eſſe videbuntur, cùm & quod non eſt nihil, & nihil non eſſe dicatur. Videtur autem Apoſtolus ea quę nõ ſunt, non in iis quę nullo modo ſunt, nominare, ſed in malis ea quæ mala ſunt non eſſe exiſtimare. Quæ enim non ſunt, inquit, Deus tanquam ea quæ ſunt, vocauit. Quinetiam Mardochæus in libro Eſter ex Septuaginta interpretatione, hoſtes Iſraelis non eſſe dicit his verbis, Ne tradas ſceptrum tuum, domine, iis qui non ſunt, proferri etiam poteſt, quemadmodum improbi qui propter maliciam & vitium nõ ſunt, ex Dei nomine quod in Exodo ſcriptum eſt, appellentur. Dixit enim Moſi dominus, Qui eſt, hoc mihi eſt nomen. Noſtra autem ratione & ſententia, qui vt Eccleſiæ ſumus optamus & precamur, hæc Deus bona dicit: cui gloriam tribuens Seruator ait, Nemo eſt bonus, niſi vnus Deus pater, Bonus igitur idem eſt, quod qui eſt. Bono autem malum vel improbitas eſt contrarium, & contrarium eſt ei quod eſt, id quod non eſt, ex quibus ſequitur malum & vitium non eſſe. Atque hoc forſitan eos qui diabolum Dei opus non eſſe dixerunt * Quatenus enim eſt diabolus, Dei opus non eſt. Cui autem accidit, vt ſit diabolus, quoniam factus eſt, nec cuiuſquam creatoris eſt præterquam Dei noſtri, creatura Dei eſt: vt ſi parricidam Dei opus eſſe negaremus, non hoc negantes, eum qua ex parte homo eſt, factum eſſe à Deo. ponentea enim etiam eum quatenus homo eſt, ſtatum & originem à Deo accepiſſe, eundem hoc ipſum à Deo accepiſſe non concedimus.

Ac omnes quidem qui eius quod eſt, participes ſunt, (ſancti autem ſunt participes) iure ac meritò eſſe dicentur. Qui autem alienati & auerſi ab eius quod eſt participatione, quòd priuati ſunt eo quod eſt, facti ſunt; non eſſe. Nos autem paulo antè diximus ſynonymiam eſſe eius quod non eſt, & nihili: ob eámque cauſam ij qui non ſunt, nulli ſunt. Omne etiam vitium nihil eſt, præſertim cùm non ſit id quod eſt; & cùm nihil vocetur, ſine Verbo factum eſt, annumeratum in iis quæ non ſunt. Nos quidem pro virili expoſuimus quæ ſint ea omnia quæ per Verbum facta ſunt, & quid ſine ipſo factum quidem ſit, ſed nunquam ſit, ob eámque rem nihil vocetur. Exiſtimo autem Heracleonẽ qui Valentini familiaria eſſe dicitur, etiam ſine teſtimonio illud explanantem, Omnia per ipſum facta ſunt, interpretatum eſſe omnem mundum, & quæ in eo ſunt excludendo, ab illo, omnia, quicquid in hypotheſi eius continetur, id eſt, ea quæ mundi ſunt etiam ab iis quæ ſunt in eo diffe * At enim non æuum, nec ea quæ in æuo ſunt, facta eſſe per Verbum, quæ quidem ante Verbum facta eſſe exiſtimat. Impudentiùs autem in hoc loco hærens, Et ſine ipſo factum eſt nihil, nõ veritus illud, Ne addideris verbis eius, ne te redarguat, & mendax fias: addit huic verbo nihil, hæc omnia, eorum quæ in mundo ſunt & in creata natura. Quoniámque perſpicuè ſunt quæ ab eo dicuntur vehementer violenta & importuna, & quæ non præſtantur promittunt, ſi ea quæ ab illo diuina exiſtimantur, ex hoc verbo, Omnia excluduntur, ea autem quæ vt ille putat, penitus intereunt, propriè omnia vocantur, non * * euerſione eorum quæ hic ſunt, quæ eadem abſurditatem declarant. Putatur autem ipſe, cùm ad hunc etiam locum ſcripturæ, Et ſine ipſo factum eſt nihil, addiderit non admonitus ab vllo ſcripturæ loco, hoc totum, eorum quæ mundus complectitur & creata natura, nulla cum probabilitate cenſere, quòd æquę ſibi fidem haberi velit, atque Prophetis aut Apoſtolis, qui cum poteſtate ac liberè ſalutaria ſcripta iis qui ipſorũ ætate viuunt, & poſteris relinquunt, præterea illud etiã, Omnia per ipſum facta ſunt, propriè accepit, dicens, Verbum quod opifici cauſam originis rerum præbuit, eſſe non id ἀφ' οὗ, ἢ ὑφ' οὗ, id eſt, à quo, ſed id per quod, accipiens id quod ſcriptum eſt de iis quæ fert conſuetudo dicendi. Si enim ita eſſet rerum ipſarum veritas, vt ipſe intelligit & cogitat: ſcriptum eſſe oporteret, per opificem à Verbo facta eſſe omnia, non contrà, per Verbum ab artifice. Ac nos quidem hoc verbo, Per quod congruenter conſuetudini vſi, non inteſtatam intelligentiam reliquimus. Ille autem ne ipſius intelligentia ex diuinis ſcriptis culparetur, videtur & verum ipſum nouiſſe, & impudenter ei reſtitiſſe. Ait enim Verbum feciſſe, non quòd ab alio efficeret, vt ita illud, Per quod intelligatur, ſed quòd ipſo faciente alius operaretur. Non eſt autem huius loci & temporis refellere, non ipſum opificem, qui Verbi miniſter factus eſſet, feciſſe mundum: & docere, Verbum mundum fabricaſſe cùm opificis miniſter factus fuiſſet. Nam vt eſt ſcriptum à propheta Dauide, Deus dixit, & *Cant.*
facta ſunt: mandauit & creata ſunt. Præcepit enim Deus qui ortum non habet, primogenitu omnia creaturæ, & creata ſunt, non ſolùm mundus & ea quæ complexu ſuo continet, ſed etiam

cætera omnia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, Principatus, ſiue Poteſtates. Omnia enim per ipſum & in ipſum facta ſunt, & ipſe eſt ante omnia. Iam in hoc loco, Sine ipſo factum eſt nihil, non conſiderata relinquenda eſt de vitio diſputatio. Quanquam enim plana videtur, tamen non nimis contemnenda mihi videtur eſſe. Quærendum eſt enim, num etiam vitium & malum per Verbum factum ſit, verbo ſemper accepto eo quod in vnoquoque ineſt, vt etiam ipſum à verbo quod erat in principio, vnicuique factũ eſt. Apoſtolus quidem ſcribit, Siue lege peccatum erat mortuum: & ſubiicit, Cùm autem venit mandatum, peccatum reuixit, generalem intelligentiam docens peccati hanc, peccatum nullam ante legem & mandatum habuiſſe vim, operationem & efficientiam. Quodammodo autem cùm Verbum debeat eſſe & lex & mandatum, nunquam lege non extante peccatum fuiſſet. Peccatum enim non imputatur non extante lege. Et rurſus nunquam fuiſſet peccatum, niſi lex fuiſſet. Si enim non veniſſem, inquit, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Omnis enim cauſa & excuſatio tollitur eius qui culpam velit deprecari, cùm inſito verbo & oſtendente quid agendum ſit, aliquis ei non obtemperat. ergo omnia fortaſſis vſque ad deteriora per Verbum facta ſunt: Et ſine ipſo, ſimplicius illud nihil accipientibus, factum eſt nihil. Nec vlla ex parte culpãdum eſt Verbum, ſi omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: quemadmodum nec præceptori dandum eſt vitio, qui ea quæ docenda ſunt docuit diſcipulum, quandoquidem propter eius diſciplinam & doctrinam non iam vllus diſcipulo aberranti, vt de ignoratione aut ignoranti defendendi locus relinquitur, præſertim ſi præceptorem à diſcipulo diſparatũ diiunctúmque eſſe intelligamus. Quaſi enim præceptor à diſcipulo, diſiunctum eſt verbum quod ineſt, in natura eorum quæ rationem habent, ſemper ſuggerens quæ agenda ſunt, etiam ſi dedẽtes nos voluptatibus, eiúſque optima conſilia dimittentes, eiuſdem præceptis non obtemperemus. Quemadmodum autem oculo miniſtro cùm in iis quæ vtilia & ſalutaria nobis ſunt occupatus eſt, & in iis quæ non honeſtè videmus, eodem modo vtimur: & auditu, cùm eas audimus cantiones quæ ſunt damnationis, & quæ vetita ſunt: ſic verbum quod nobis eſt inſitum cõtumelijs afficiẽtes, nec eo in iis quę debemus non vtentes, peccamus per ipſum, quod in peccantibus iudicij cauſa ineſt, ob eámque cauſam enim qui ſe non antepoſuit, honoréque affecit, iudicat. Hinc etiam ait, Verbum quod loquutus ſum, vos iudicat: idem docens quod illud, Ego Verbum quod ſemper in vobis inſono, vos cõdemnabo, qui nullum defenſionis relictum habetis locum. Sed violentior hæc explanatio videbitur, cùm aliud quidem Verbum quod erat in principio, nos acceperimus, id quod apud Deum erat, alterum autem ipſum intelligamus, quippe qui non ſolùm in primis & principalibus operibus illud, Omnia per ipſum facta ſunt, dici confirmauerimus, verùm etiam in iis omnibus, quæ ab iis quæ rationem habent, aguntur. ſine quo Verbo non peccamus: quærẽdúmque eſt, num illud etiam verbum quod in nobis eſt, & idem eſſe dicendum ſit, quod id quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & quod eſt Deus Verbum: præſertim cùm Apoſtolus hoc diuerſum eſſe ab eo Verbo quod erat in principio apud Deum, docere videatur his verbis, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum? hoc eſt, Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in infernum hoc eſt, Chriſtum à mortuis renocare. Sed quid dicit ſcriptura? prope te eſt Verbum vehementer in ore tuo & in corde tuo. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Sunt apud Græcos dogmata & decreta quædam, quæ paradoxa vocantur ab eo qui eorum ſententia fuit ſapientiſſimus, omnia quæ cum aliqua demonſtratione vel demonſtratione quæ ſpeciem veræ habeat, connectuntur. Veluti cenſet ſolum & omnem ſapientem eſſe ſacerdotem: quòd ſolus atque omnis ſapiens diuini cultus habeat ſcientiam, ſolúmque & omnem ſapientem eſſe liberum qui poteſtatem ipſius actionis à diuina lege acceperit: poteſtatem autem legitimam permiſſionem conceſſionémque definiunt. Quid nunc attinet nos de paradoxis quæ vocãtur dicere? cùm nimia cura ſit ea quæ in eis ponitur, & egeant comparatione cum ſcripturæ voluntate ea quę ab ipſis ex paradoxis promittuntur. Vt in quibus diuinæ religionis verbum cognatum ſit, & in quibus pugnantia cum iis quæ ab illis dicuntur, velit, docere poſſimus. Horum autem à nobis facta eſt mentio, quærentibus illud, Quod factum eſt in ipſo vita erat, quòd quaſi figura paradoxorum & forma dicamus admirabilius iis quæ ab illis feruntur, poſſe aliquem qui ſcripturam ſequatur, plura eiuſmodi oſtendere. Si enim Verbum quod erat in principio, & apud Deum Verbum eſſe cogitemus, fortaſſis poterimus eum ſolum qui eius eſt particeps, hoc ipſo quòd talis eſt, rationis participem eſſe dicere: Ita etiam pronunciare ac cenſere ſanctum bonúmque virum ſolum participem eſſe rationis. Rurſum ſi intelligamus vitam quæ in Verbo fuit, quod ait, Ego ſum vita, neminem eorum qui à Chriſti fide abhorrent dicemus viuere, omnéſque mortuos eſſe qui non viuant Deo, atque eos viuere, eſſe peccato viuere, ob eámque cauſam viuere eſſe, vt ita dicam, mortem habere. Vide autem num hoc multis in locis diuinæ ſcripturæ doceant, cùm aliàs Seruator dicat, An non legiſtis quod dictum eſt in rubo, Ego ſum Deus Abraham & Deus Iſaac & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuẽtium: & illud, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuẽs. Quid verò de Deo aut de Seruatore dicendum eſt? De vtro enim ſit ſcriptura quæ in prophetis ait, Viuo ego, dicit dominus, ambigitur. Ac primum quidem illud videamus, Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium, quod idem valet, quod illud, Non eſt peccatorũ, ſed ſanctorum Deus. Magnum enim in patriarchas beneficium extitit, Deum illorum nomen cum Dei nomine quod eius eſt propriũ, copulare, quemadmodum etiam Paulus ſcribit his verbis, Ideo non confunditur *Heb. 11.*
Deus, Deus vocari eorum. Deus ergo eſt patrum, ſanctorúmque omniũ: nec vnquam ſcriptum reperire poſſis, Deum eſſe alicuius impiorum aut malorum Deum. Quòd ſi Deus ſanctorum eſt, & Deus viuorum eſſe dicitur, ſancti ſunt viui, & ij qui viuunt, ſancti, cùm nec ſanctus ſit extra eos qui viuunt, nec ſanctus ſolùm enuncietur, niſi habeat cum vita etiam ſanctitatem. Simile eſt autem etiam in illo, Placebo domino in regione viuorum, videre, vt ſi diceret, in viuorum ordine, vel in loco

loco viuorum vel in ordine viuorum, vel in loco viuorum poſita domini approbatione, quòd nondum planè placeat is qui non in ſanctorum ordinem receſſerit, aut is qui non eſt in viuorum loco, in quem ſecedere oportebit omnẽ eum, qui quaſi vmbram & imaginem veræ approbationis in hac vita anticipauerit. Illud etiam, Non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuẽs, declarat, ad Deum eiúſque iuſtitiam iuſtificatum iri eorum qui valde beati ſint neminem: vt ſi etiam diceremus in alio exemplo hoc tale, non illuſtrabit nec lucebit omnis lucerna præſente ſole. Lucebit enim omnis lucerna, ſed non quando à ſole non illuſtratur. Iuſtificabitur etiam omnis viuens, ſed non in conſpectu Dei. Sed quando iis qui infrà ſunt, & à tenebris circumfuſis, comparatur, apud quos eorum lumẽ lucebit: vide, num ex hoc illud etiam Euangelij intelligendum ſit, Luceat lux veſtra coram hominibus. Non enim dixit, Luceat lux veſtra coram Deo. Si enim hoc præcepiſſet, præceptum, cui parẽte minimè potuiſſent, dediſſet. Vt ſi lucernæ animatæ eſſent & eis præciperet, vt coram ſole lucerent. Non igitur quiuis ſolum eorum qui viuunt, in conſpectu Dei iuſtus erit, ſed ij etiam, qui inter viuos antecellunt. Aut quod verius eſt, vniuerſa viuorum iuſtitia ſi Dei iuſtitiæ comparetur, nõ erit iuſtitia: quemadmodum ſi vniuerſis etiam naturis quæ noctu lucent, vnum in locum collatis, dicerem, eas ad ſolis radios non poſſe lucere. Vt autem ad ſuperius propoſitum reuertamur, ex iis quæ dicta ſunt, illud quoque intelligendum eſt, Viuo ego, dicit dominus, quòd fortaſſis maximè ex iis quæ dicta ſunt, propriè viuere ſit apud Deum qui ſolus viuit, viuere. Vide etiam num propterea poſſit is qui ſupra modum excellentem Dei vitam cogitauerit, & pro dignitate Dei illud, Viuo ego, dicit dominus, intellexerit, de Deo dicere, Qui ſolus habet immortalitatem, quòd nihil eorum quæ viuunt præter Deum, omni ex parte mutabilem & cõmutabilem vitam habeat. Quid verò dubitamus de cæteris, cùm ne Chriſtus quidem patris habuerit immortalitatem? Guſtauit enim mortem pro omnibus. Quoniam exquirimus de Deo qui viuit, & de vita quæ eſt Chriſtus, & viuis qui in regione propria ſunt, viuíſque qui in conſpectu Dei iuſti non ſunt: congruenter his, propoſito illo, Qui ſolus habet immortalitatem, ea quæ quodam modo intelliguntur, aſſumemus ad probandum, quicquid eſt rationis particeps id non, vt ita dicam, eſſentialiter habere quaſi accidens non ſeparabile, beatitudinem. Si enim inſeparabilem beatitudinem habet, atque antecedentem primámque vitam: quónam pacto iam verum erit, quod de Deo dicitur, Qui ſolus habet immortalitatem? Intelligendum eſt tamen, Seruatorem quædam eſſe non ſibi ſed aliis: quædam & ſibi & cæteris. Quærendum eſt autem, ſitne nonnulla ſibi ac nemini. Nam planè quidem aliis eſt paſtor, non vt ij qui apud homines paſtores ſunt, vtilitatem capiens ſibi ex paſcendi munere: niſi fortè eorum qui paſcuntur vtilitatem pro ſua humanitate, ſuóve in homines amore, ſuam eſſe deputat. Via etiam eſt aliis eodem modo, & oſtium, & virga conſenſu omnium. Sibi autem & aliis eſt ſapientia, & fortaſſe Verbum. Sed quærendum eſt, cùm in eo hoc ipſo quòd ſapientia eſt, inſit perceptorum contemplationúmque coaceruatio, num ſint quædam contemplationes, quas reliqua natura quæ orta & genita eſt, præter eum capere non poſſit, quas ipſe ſibi nouerit. Nec verbum non inueſtigatum & conſyderatum relinquendum eſt, propter metum & religionem quæ nobis de ſancto Spiritu inceſſit. Nam eum quidem per ſe etiam ab eo doceri perſpicuum eſt ex eo quod dicitur, Paraclitus, & ſanctus Spiritus de meo accipiet, & annunciabit vobis. An autem ipſe qui docetur, omnia capiat, quæ filius qui venit & patrem aſſiduè intuetur cognoſcit, diligentius quærendum eſt. Si ergo Seruator eſt quædam aliis, aliqua fortaſſis quodam modo ſibi, atque aut nemini, aut certè paucis, quatenus vita eſt, quæ nata eſt in Verbo: conſyderandum eſt, vtrùm vita ſit & ſibi & aliis, ánne cęteris, & ſi aliis, quibus eiuſmodi. Si igitur idem eſt vita & lux, ait enim, Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: lux autem hominum lux eſt nonnullorum atque ea non omnium quæ ratione vtuntur, quantum ſed lux eſt hominum: ſit etiam neceſſe eſt hominum vita, quorum lux quoque eſt: & quatenus vita eſt, Seruator non ſibi, ſed aliis vita, quorum etiam eſt lux, eſſe dicatur. Hæc igitur vita ad Verbum accedit, & ab eo ſeparari poſtea quàm acceſſit, non poteſt. Verbum enim quod animum expiat, in animo antè ineſſe oportet, vt poſt ipſum & eius expiationem, omni mortificatione imbecillitateque ſublata ſyncera & integra vita ingeneretur in omnibus qui Verbi capaces ſunt, quòd eos quatenus eſt Deus effecit. Obſeruanda ſunt autem duo, eorúmque exquirenda eſt diſtinctio. Primum enim eſt in hoc, Verbum ἐν, id eſt, in principio: ſecũdum autem in illo, vita ἐν, id eſt, in Verbo. Verbum autem in principio factum non eſt: neque enim fuit, cùm principium ſine Verbo aut ratione eſſet: Itaque dicitur, In principio erat verbúm. Vita verò in Verbo non erat, ſed vita facta eſt: ſiquidem vita lux eſt hominum. Cùm nondum homo eſſet, ne lux quidem hominum erat, quippe cùm lux hominum ex ratione quam ad homines habet, intelligatur. Nemo autem nobis faceſſat negocium, ratus nos ex tempore hæc narrare, quòd ordo primum & ſecundum & quæ ſequuntur, exigat. etiam ſi tempus non inueniatur, cùm ea tertia & quarta quæ à Verbo ſubiiciuntur, nullo modo eſſent. Quemadmodum ergo omnia per ipſum facta ſunt, nec per ipſum erant omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil, nõ autem ſine ipſo quicquam erat: ſic quod factum eſt in ipſo, non quod erat in ipſo, vita erat. Ruſus non quod factum eſt in principio, Verbum erat, ſed Verbum erat id quod erat in principio. Quamquam nonnulla exemplaria habent, atque id fortaſſe non ſine probabilitate, Quod factum eſt, in ipſo vita eſt. Quòd ſi vita idem eſt, quod vita hominum, nemo in tenebris viuit, nec quiſquam eorum qui viuunt, eſt in tenebris: ſed omnis qui viuit, etiam in luce eſt, & omnis qui eſt in luce, viuit. Solus ergo & omnis qui viuit, lucis eſt filius. Lucis porrò filius eſt, cuius in conſpectu hominum opera lucent. Ruſus quoniam contraria quæ prætermiſſa ſunt, ex iis quæ de contrariis commemorauimus, intelligi poſſunt: diſputatur autem de vita & luce hominum, & contrarium vitæ eſt mors, lucíſque hominum tenebræ hominum ſunt contrarium: perſpicuum eſt eum qui ſit in hominum tenebris, in morte eſſe. Quique ea quæ mortis ſunt, facit, is

Cant.

facit,is non procul eſt à morte. Qui verò Dei memor eſt, ſi quid memoriam eius colere, ſciamus, in morte non eſt, ex illo Dauidis verbo, Non eſt in morte,qui memor eſt tui. Siue autem tenebræ hominum,ſiue mors, non ſunt natura eiuſmodi: certè non Verbi nos qui eramus aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino,maximéque ſancti & ſpiritales iam ita nuncupamur, quicunque in tenebris fuerit. Vt Paulus cum tenebræ eſſet, idoneus factus qui lux fieret in Domino. Eorum autem ratione & ſententia,qui naturas Spiritales eſſe putát,vt Paulum,& ſanctos Apoſtolos, haud ſcio an illud, Spiritalem aliquando tenebras fuiſſe,& poſtea lucē factum eſſe obtineatur. Si enim ſpiritalis aliquando tenebræ erat,terreſtris aliquis eſt. Si vero verum eſt tenebras lucem factas eſſe, quid obſtat quo minus tenebræ omnes in lucem
Ephe. 4. mutētur? Nam ſi in Paolo quidem diceretur, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,in iis autem naturis quas putant, cùm interierunt,Tenebræ erant,aut,tenebræ ſunt:locū etiam naturarum hypotheſis, haberet. Núc autem Paulus ait eos fuiſſe aliquando tenebras, nunc verò lucem in Domino, quòd fieri poſſit, vt tenebræ mutentur in lucem. Difficile autem non eſt diligenter perſpicere ex iis quæ dicta ſunt ea quæ ad omnes hominum tenebras, & ad mortem quæ idem eſt, quod hominum tenebræ, pertinent, ſi quis animaduertat id quod accidit in ea quæ in melius aut deterius fit,mutatione. Heracleon verò valde importunū & violētum ſe præbuit in hoc loco, Quòd factū eſt ipſo,vita erat, accipiens pro hoc verbo,in ipſo,homines Spiritales, quaſi idem eſſe Verbum & Spiritales exiſtimaret,etiamſi hoc non apertè planéque dicat, & tanquam rationem afferens,aiat, Verbum enim primam effictionem eam, quæ in ortu erat, eis dedit, cùm ea quæ ab alio prætermiſſa erant,in ſpeciem & lucem à præſcriptionem ſuā redegiſſet,atq; deſignaſſet. Quod autem ſcriptum eſt apud Paulum de Spiritalibus, etiam non obſeruauit,quòd homines eoſdem eſſe
1.Cor.2. non dixit. Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Stultitia enim eſt ei. Spiritualis autem iudicat omnia. Nos enim non ſine cauſa eum in verbo Spiritalis verbum hominis non adiunxiſſe dicimus. Spiritalis enim quiddam eſt homine & melius & præſtātius,cùm homo vel in animo,vel in corpore, vel in vtroque deſignetur,non etiam in Spiritu,qui his eſt diuinior,cuius ex participatione dominante Spiritalis dicitur. Quinetiam ea quæ ſunt huius talis materiei & argumēti,ſublata etiam ea demōſtratione quæ apparet,demōſtrantur, cum ne ad quamuis quidem probabilitatem in ea quæ de his eſt diſputatione potuerit peruenire. Atque hæc quidem de illo. Nos autem etiam age hoc quæramus, eſſétne vita lux tantùm hominum,non etiam cuiuſuis qui erat in beatitudine. Si enim idem erat vita & lux, & hominū tantummodo erat Chriſtus lux, ſolorū etiam hominum erat vita. Hoc autem exiſtimare ſtultum eſt ſimul & impium, aliis ſcripturis contra hanc interpretationem teſtibus. Siquidem cùm fructum tulerimus & in virtute progreſſi fuerimus, pares angelis erimus. Hoc autem modo quæſtio explicanda eſt: Non ſi quid aliquorum eſſe dicitur,illorum eſt tantummodo id quod dicitur. Ita igitur nó ſi hominum lux dicitur eſſe: idcirco hominum eſt lux tantummodo,poterat enim addi, Vita erat lux tātùm hominum. Lux enim hominum etiam aliorum quam hominū lux eſſe poteſt, ſicuti hæc animalia,atque hæ ſtirpes,cùm ſint hominum cibus, aliorum etiam quàm hominum cibus eſſe poſſunt. Atque hæc quidem ſimilitudo ex conſuetudine. Operæprecium eſt autem ex verbis diuinis ſimile altera ex parte conferre. Hoc quidem loco quærimus,num quid impediat quò minùs lux hominum,lux etiam aliorum ſit, dicētes, non quia lux hominum dicatur,iam excluſum eſſe,& aliorum quàm hominum ſimiliter lucē eſſe, qui hominibus præſtent. Literarum quidem monumentis proditum eſt, Deum, Deum eſſe Abraham,& Deum Iſaac & Deū Iacob. Qui ergo vult, quoniam dictum eſt, Vita erat lux hominum, locem nullius eſſe niſi hominū, eadem ratione Deū Abraham,& Deum Iſaac Deúmque Iacob nullius eſſe Deum niſi horum trium patrum putabit. Pręterea & ſolis Deus eſt, & vt Iudith ait, Simeonis eius patris, & Hebræorum Deus. Simili ergo ratione ſi nihil prohibet eū eſſe aliorum etiam Deū, nihil prohibet lucem hominum, aliorum etiam quàm hominum eſſe lucem. Quidam autem alius aſſumpto hoc loco, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, omne quod ad imaginem & ſimilitudinem Dei effectum eſt,hominem eſſe dicit,innumerabilibúſque ad hoc docendum exemplis vtitur,nihil intereſſe ſcripturæ, angelum,an hominem dicat. In eadē enim ſubiecta re angeli & hominis nomen non ponitur: vt in tribus qui ab Abrahami hoſpitio recepti ſunt, & in iis quis in Sodomis fuerunt. Itaque in tota ſcripturæ ſerie interdum angeli, interdum homines dicuntur: Veruntamen is qui in hac ſententia eſt,concedet,quemadmodum apud homines qui ſunt conſenſu omnium,ſunt angeli, vt Zacharias, qui hæc ſcribit, Angelus Dei ego vobiſcum, ſi non dicit Dominus omnipotens: & Ioannes, de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: ſic etiam Dei angelos ex hoc munere cenſeri, qui præter naturam appellati ſunt viri, ac multo etiam maiorem probationem ex hoc accipiet,quòd in melioribus præſtātioribúſque virtutibus nomina, nō naturarum animantium ſunt vocabula, ſed ordinum, quorum quædam & quæ rationis eſt particeps natura à Deo facta ſit. Thronus enim non genus animalis, nec Principatus, nec Dominatio, nec Poteſtas, ſed rerum quibus præpoſiti ſunt ij qui ita ſunt appellati, nomina, quorum ſubiectum nō aliud eſt quàm homo, acciditque vt id quod ſubiectū eſt, Thronus ſit, aut Dominatio,aut Principatus, aut Poteſtas. Atque etiam in libro Ioſue poſitū eſt, Apparuit Ieſu homo in Hiericho,qui ait,Ego ſum princeps exercitus Domini exercituum, qui nunc venio. Ex hoc igitur, vt quod idem valeat, lux hominum etiam lux omnis qui rationis eſt particeps intelligetur, omnis inquam,qui rationis eſt particeps, qui homo eſt,quòd factus ſit ad Dei imaginem & ſimilitudinem. Eadem tamen lux triſariam nominatur, lux hominum,& omnino lux & lux vera: lux quidem hominum, vel vt paulò antè demonſtratum eſt,nulla re impediēte,quò minùs accipiatur aliorum etiam quàm hominum eſſe lux: vel omnium eorum quæ rationē habent,quæ quia ad Dei imaginem & ſimilitudinē facta ſunt,homines vocantur. Quoniam autem lux abſolutè hìc quidē Seruator,in catholica autem eiuſdem Ioannis epiſtola Deus

la Deus lux eſſe dicitur:aliquis putat hinc confirmari,patrē eſſentia non diſtinctum eſſe à filio:qui autem accuratius obſeruauit,& verius dicit,natu-
Cant. ra non idem eſſe lucem quæ in tenebris lucet,nec à tenebris comprehenditur,& lucem in qua nullo modo ſunt tenebræ. Nam lux quidem quæ in tenebris lucet, quaſi ad tenebras accedit, & ab eis exagitata,atque, vt ita dicā, inſidiis appetita,non comprehenditur. Lux autem cui nullæ tenebræ admixtæ ſunt,nec lucet in tenebris,nec principio ab eis exagitatur, vt etiam qui vincit referatur ex eo quòd ab illis perſequentibus non comprehendatur. Tertia lux erat hæc lux quæ vera dicitur. Cui autem Verbo pater veritatis Deus,copioſior eſt & maior quàm veritas. & pater qui eſt ſapientiæ,melior eſt ſapientia atque prǽſtantior:hoc ſtatu vera lux ſuperat. Euidentius autem planiúſque duo lumina patrem & filium eſſe ex Dauid intelligemus. Is enim in quinto & triceſimo pſalmo ſcribit his verbis, In lumine tuo videbimus lumē. Hęc autem lux ipſa hominum quæ in tenebris lucet,& vera lux, deinceps in Euangelio lux mundi dicitur,cùm ait Ieſus,Ego ſum lux mundi. Sed ne hoc quidem non explanatum relinquamus, quòd cùm ſcribere potuiſſet, Quod factum eſt in ipſo vita erat,& lux hominum erat vita, contrà fecerit: præponit enim hominum luci, vitam, & ſi idem eſt vita & lux hominum: antè occurramus & reſpondeamus,eos qui vitæ ſunt participes,quæ eadem eſt etiam lux hominū, diuinam vitam quam paulò antè diximus, degere, cùm interea illuſtrati non ſint: ſubeiſſe enim vitam oportet, vt is qui viuit, illuſtretur: non erat autem hoc conſentaneum, vt is illuminatus eſſet,qui nondum intelligatur viuere, & ad illuſtrationem vita accederet. Etſi enim idem ſunt vita & lux hominum, tamen eorum rationes & intelligentiæ ex alio alióque ſumuntur. Lux igitur hæc hominum, lux etiam Gentium apud Eſaiam prophetam dicitur his verbis, Ecce poſui te in teſtamentum generis & lucem Gentium: Atque Dauid hac luce fretus ait in ſexto & viceſimo pſalmo, dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Quod autem ad eos attinet,qui de ſeculis fabulam confinxerunt, in coniugationibus, putántque à mente & veritate Verbum atque vitam prodiiſſe, non alienum erit etiam hæc quærere. Quo enim pacto vita quæ eorum ratione coniugatum eſt Verbi,hoc accipit, vt factum ſit in coniugato? Quod enim factum eſt, inquit, in ipſo, videlicet Verbo quod antè dictum eſt, vita erat.Reſpondeant igitur nobis, quomodo vita, quæ Verbi eſt compar, in Verbo facta ſit:& quomodo Vita lux ſit hominum potiùs quàm Verbum. Veriſimile eſt autem eos qui in diſputationibus æquiores ſe præbent, accepta plaga à quæſtione relato pede, nos eſſe interrogaturos, ipſóſque moleſtia affectum iri, niſi cauſam inueniamus, cur Verbum lux hominum eſſe dictum non ſit, ſed quæ in Verbo facta eſt, Vita. quibus hoc reſpondebimus, vitam hoc in loco non communem hominum atque eorum quæ ratione vtuntur, dici,ſed eam quæ accedat ad Verbum quod in nobis completur, dum à primo verbo eius communio ſumitur:atque ex eo quòd vitam quæ videtur eſſe illa quidem, ſed verè non eſt,deteſtamur,eiúſque cupiditate ac deſyderio teneamur, quæ verè vita eſt,primum eius participes efficimur, quæ cùm in nobis eſt, tum denique lux ſcientiæ re ipſa oritur. Atque hæc vita fortaſſe apud nonnullos quidem poteſtate lux eſt,non re ipſa,qui ea quæ ſcientiæ ſunt & cognitionis exquirere non ſtudent. in aliis autem reipſa lux gignitur:quod perſpicuū eſt in iis fieri, à quibus illud quod a Paulo præſcriptū eſt, perficitur, Æmulamini chariſmata meliora. Atqui in melio- 1.Cor.12.
ribus donis eſt, id quod etiam omnibus anteponitur, Verbum ſapientiæ, quod verbum ſcientiæ comitatur. De eorum autem diſtinctione,comparatis inter ſe ſapiētiæ ſcientiæq́; ſignificationibus, non eſt huius temporis diſputare. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* De luce hominum,quoniā præſcripta eſt, nūc etiam quærimus,atque vt mihi videtur,de tenebris quæ eius vocantur contrarium. Si autem ita conſyderatæ ſint tenebræ hominum, hoc cenſeo, lucem fortaſſe hominum genus eſſe duarū rerum quæ ſpecies ſint,itémque eorum tenebras. poteſt enim is qui lucem hominum nactus ſit,eorumq́; ſit particeps,ipſius lucis opera perficere,atque is qui illuſtratus eſt, lucem ſcientiæ cognoſcere. Simile autem ex contrariis etiam intelligendum eſt,cùm vitioſæ actiones,& ſcientia quæ ſcientia habetur, neque eſt reuera, tenebrarum rationem habeant. Ac ea quidem quæ ad agendum impellunt, lucem, id eſt, ſacrum verbum ſcite Eſaias ſcribit his verbis,Lux ſunt mandata tua ſuper terram:& Dauid in pſalmo decimo octauo,Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Eſſe autem lucem præter præcepta & mandata aliquid ſcientiæ, in quodam XII. prophetarum ſcriptū legimus his verbis,Seminate vobis in iuſtitiam,vindemiate in fructum vitæ, lucete vobis luce ſapientiæ. Quaſi enim ſit alia etiam lux ſcientiæ, quam mandata dicitur,Illuminate vos luce non omnino & abſolutè, luce, ſed qua luce? nempe ſcientiæ. Si enim lux omnis,qua ſe homo illuſtrat, lux ſciētiæ eſſet, fruſtra additum fuiſſet,Illuminate vos luce ſcientiæ. Rurſus tenebras in malis improbiſque actionibus accipi, idem Ioannes in epiſtola docet his verbis, Si dixerimus, quoniam ſocietatem habe- 1.Ioan.1.
mus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem. Et rurſus, Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit: in tenebris eſt vſque adhuc. Et, Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat:quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. In tenebris enim ambulare, vitioſam actionem declarat.Et odiſſe fratrem ſuum eſt delictum ſcientiæ,quæ non propriè vocatur.Eum autem etiam qui res diuinas ignorat, hoc ipſo quòd ignorat, in tenebris ambulare, Dauid ſcribit hoc modo, Non cognouerunt, non intellexerunt,in tenebris ambulant. Scito verò ait ex hoc, Deus eſt lux, & tenebræ non ſunt in eo vllæ,nonnullæ tenebræ eſſe dicantur,ſed quia nomen hoc, duo, quod genus eſt, ait etiam vnumquodque eorum quæ ſpecies ſunt,multę ſunt vitioſę actiones, multáque falſa dogmata, multæ ſunt tenebræ, quarum nullæ ſunt in Deo: cùm in ſancto nunquam dictum ſit quod Seruator ait, Vos eſtis Lux mundi,Lux eſt mundi ſanctus, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quæret autem aliquis, ſi in patre illud dictum eſt,Tenebræ non ſunt in eo vllæ, quomodo in eo quod præcipuum eſt, ineſſe dicemus,cùm etiam Seruatorē omni ex parte peccare non poſſe intelligamus Itaque in eo etiā dicemus,

Lux

Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Nos quidem ſuprà ex parte differentiam docuimus: audacius autem ad illa etiam nunc addendum eſt, ſi Chriſtum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ſi eum, inquam, pro nobis peccatum fecit Deus, de eo dici non poteſt, Tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si enim in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnauit Ieſus peccatū, quòd ſimilitudinem carnis peccati aſſumpſit: certe non iam verè de ſe dicta habebit, Tenebræ in eo non ſunt vllæ. Eòdem addemus, eum & infirmitates accepiſſe noſtras, & morbos portaſſe, & animi imbecillitates, & occulti hominis cordis noſtri morbos: propter quas imbecillitates atque morbos, cùm ea pertuliſſet, à nobis animum triſtem habere ſe & perturbatum fatetur. Sordidas etiam veſtes induiſſe apud Zachariam ſcribitur, quas cùm detracturus eſſet, peccata eſſe dicuntur. Illic enim ſcriptum eſt, Ecce abſtuli peccata tua. Quoniam enim ipſe populi eius qui in ipſum credidit, peccata recepit, ſæpe dicit, Longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Et, Tu cognouiſti inſipientiam meam, & delicta mea à te nōn ſunt abſcondita. Nemo autem hæc exiſtimet nos impiè in Dei Chriſtum dicere. Cui enim Verbo ſolus Deus immortalitatem habet, quòd Dominus noſter pro ſuo in homines amore mortem pro nobis pertuliſſet, pater ſolus illud habet, Tenebræ in eo non ſunt vllæ, cùm Chriſtus pro ſuis in homines beneficiis tenebras noſtras in ſe recepiſſet, vt poteſtate vique ſua mortem noſtram deleret, & tenebras quæ in animis noſtris ſunt, diſcuteret, vt impleatur illud Eſaiæ, Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Hæc igitur lux quæ in Verbo cùm etiam vita eſſet, facta eſt, in animorum noſtrorum tenebris lucet, venitq́; vbi erant mundi principes, harum tenebrarum, qui quòd luctantur cum genere hominum, hoc arguit, vt in tenebras veniant ij qui non omni ratione ſtant, vt illuſtrati lucis filij cenſeantur. Et *lucet in tenebris*. Lux hæc à tenebris quidem exagitatur, ſed ab eis non comprehenditur. Quòd ſi quis exiſtimat à nobis additum eſſe illud, exagitari lucem à tenebris, quod non eſt ſcriptum, is ſciat illud, Et tenebræ eam non comprehenderunt, ſi nullo modo tenebræ lucem non conſequutæ eſſent, fruſtra dici: Ioannem verò hæc ipſa, Et tenebræ eam non comprehenderunt, ſcripſiſſe ea intelligētia quam habent & quæ accipi poſſet conuenienter iis quæ ſcripta ſunt, ea etiam quæ prætermiſſa exiſtimantur. Si enim non comprehenderunt, profectò cùm inſequutæ eſſent, non comprehenderunt. Tenebras autem lucem inſequutas eſſe, perſpicuum eſt ex iis quæ & Seruator pertulit, & ij qui eius diſciplinam doctrinámque acceperunt, cùm tenebræ filios ſuos in lucis filios concitarēt, velléq; ne à lucis hominibus fugare & diffugere. Sed quia ſi Deus pro nobis facit, nemo etiam ſi velit contra nos poterit: quò illi ſummiſſius ſe gerebant & abiiciebant, eò magis eorum numerus creſcebat & confirmabatur. Duobus autem modis tenebræ lucem non comprehenderunt, aut quòd ab ea relictæ erant, nec propter tarditatem curſus lucis velocitatem celeritatemque vlla ex parte aſſequi poterant: aut quòd ſicubi tenebris inſidias lux parare inſtituiſſet, atque ex induſtria eas imminentes expectaſſet, appropinquantes luci tenebræ euanuerunt. Sed tamen neutro modo lucem tenebræ comprehenderunt. Notandum eſt autem nobis, quoniam huc venimus, non omnino ſicubi tenebræ nominentur, eas in malo accipi eſſéque cùm in bono accipiantur in ſcripturis: quod quidem ſi ij qui in alia ſunt ſententia non explicatis contumelioſis de Deo decretis aut dogmatibus, approbaſſent, ab eis diſceſſiſſent, cùm ſemetipſos commentis fabularū dedidiſſent. Quomodo igitur, & quando etiam in bono tenebrarum nomen accipiatur, iam demonſtrandum eſt. Tenebræ, caligo, & procella in Exodo circum Deum eſſe dicūtur: Et in decimo & ſeptimo pſalmo, Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſam aquam in nubibus aëris. Si quis enim conſideret multitudinem cōtemplationum quæ in Deo ſunt, ac ſcientiæ, quæ à natura humana comprehendi non poteſt, & ab aliis fortaſſe quæ facta ſunt præter Chriſtum & ſanctum Spiritum: is intelliget tenebras Deum ambire ex eò quòd Verbū copioſum quod pro ipſius dignitate in eo eſt, ignoretur, in quibus tenebris latibulum ſuum poſuerit, idque eum feciſſe quòd ea quæ in ipſo ſunt ignorentur, cùm capi comprehendíque non poſſunt. Quòd ſi quis eſt, qui his talibus interpretationibus intelligentiíſque offendatur, aliquid ex verbis tenebrarum obſcuritatibus inuolutis & ex theſauris tenebricoſis, occultis, & ſub aſpectum non cadentibus, qui Chriſto à Deo dati ſunt, proferatur. (neque enim aliud eſſe arbitror tenebricoſos theſauros qui in Chriſto abſconditi ſunt, quàm illud, In te- *Coloſſ. 2.* nebris poſuit latibulum ſuum:) ac tum denique ſanctus parabolam tenebricoſúmque Verbum intelliget. Conſydera autem num hac de cauſa diſcipulis Seruator dicat, Propter quod quæ audiſtis in tenebris, dicite in lumine. Ea enim myſteria quæ multis difficilia cognitu & obſcura, eis in abſtruſo loco, non in publico tradita fuerant, iubet eos qui illuſtrati eſſent, ob eámque cauſam in luce eſſe dicerentur, omnibus qui lux fuerint, nunciare. Ego verò aliquid mirabilius de tenebris quæ laudantur, dicam, illas ad lucem properare, eamq́; aſſequi & comprehendere, atque interdum ita mutari ipſas tenebras, quòd ab eo ignorentur qui earum vim non videt, vt cùm didicerit & cognouerit, fateatur id quod cognitum eſt, & aliquando ipſi erat tenebræ, in lucem eſſe mutatum. *Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes.* Acriùs & diligentiùs quiſpiam exaudiens hoc verbum, Miſſus, quoniā is qui miſſus eſt alicunde aliquò mittitur, vnde Ioannes & quò miſſus ſit requiret. Quoniam autem quæſtio illa, qua quò miſſus ſit, quæritur, plana & aperta eſt, ex litera quidem & hiſtoria reſpondendo, eum miſſum eſſe ad Iſraëlem, eóſque qui eum ſolitudinem Iudææ incolentem, & ad Iordanem fluuium baptizantem audire vellent: ea altiore autem verbo, in mundum, accepto mundo pro terræ loco in quo ſint homines: quæret quomodo illud, vnde, accipiendum ſit. Verbum verò magis exquirens & conſyderans, fortaſſis etiam dicet, quemadmodum de Adam ſcriptum eſt, Et emiſit eum dominus Deus de paradiſo voluptatis vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt: ſic Ioannem miſſum eſſe aut ex cælo, aut ex paradiſo, aut ex alio quouis loco ad hunc terræ locum, & miſſum eſſe, vt teſtimonium perhiberet veritati: ſed verbum obiectionem habet, quæ cōtemni & negligi facilè nō debeat: quandoquidem

quidem etiam apud Eſaiam ſcriptum eſt, Quem mittam, & quis ibit ad populum iſtum? cùm propheta reſpondens dixit, Ecce ego, mitte me. Dicet enim is qui in altiore intelligentia quæ ſe offert, inſiſtit, quemadmodum Eſaias miſſus eſt, non ab alio loco quam ſit hic mundus, ſed poſteaquam dominum in ſolio excelſo ſedentem vidit, venit ad populum, vt diceret, Auditu audietis, & non intelligetis: ſic Ioannem, quòd principium miſſionis eius, quæ amabatur, ad legationem Eſaiæ rationem proportionémque habebat, mitti, qui baptizaret. Pararétque domini populum perfectum, & veritati teſtimonium diceret. Hæc autem cùm ita ſint, ad primam rationẽ eiuſmodi explicationes adhibẽtur, quę aſſenſionẽ ad id quod altius de Ioanne intelligitur, ita habẽt. Hoc quidẽ ſubiicitur, *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet veritati.* Si enim venit, vnde venit? Reſpõdendũ eſt ei qui ægrè approbat, id quod paulò infra à Ioanne dicitur, cùm Spiritum ſanctum columbę ſpecie ad Seruatorem deſcẽdentẽ vidit. Ait enim, Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto & igne. Tum enim qui miſit, mandatum dedit. Sed reſpondendum eſt ad hanc quæſtionem, eum miſit eum qui baptizandi principium faceret, tum hæc verba protuliſſe eum qui oraculum ei edidit. Iam verò quò maiore cum ſtupore & admiratione intelligamus, ex aliquo alio loco miſſum eſſe Ioannem corpore figuratum, argumentum non aliud aduentus progreſſúſque ad vitam & in hanc lucem habentem, quàm teſtimonium veritatis, illud declarat, Spiritu ſancto repleri eum adhuc ex vtero matris ſuæ, dictum à Gabriele, qui Zachariæ quidem Ioãnis ortum & natiuitatem, Mariæ autem Seruatoris noſtri ad homines aduentum nunciabat: Et illud, Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Qui enim obſeruat, nihil iniuſtè nec caſu, nec fortè fieri, ei neceſſe eſt, antiquiorem prioremque corpore Ioannis animum,

Cant. approbare, eundémque animum cùm prius cohæreret & eſſet, miſſum eſſe ad teſtimonij de veritate miniſteria. Præterea ne illud quidem contemnendum eſt, Hoc eſt verbum quod venturum eſt. Quòd ſi ratio quæ eſt de toto genere animorum, valeat, eos non ſimul cum corporibus ſpargi & ſeri, ſed eis priores eſſe, multiſque ac variis de cauſis in carnem & ſanguinem inſeri: illud, Miſſus à Deo, non iam vt præcipuum de Ioanne dictum eſſe videbitur. Omnium enim deterrimus, homo ſceleratus, filius perditionis apud Paulum à Deo

2. Theſ. 2. mittendus dicitur, Ideo enim, inquit, mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Quod autem quæſitũ eſt, vide num hoc modo explicare poſſimus: quemadmodum ſimpliciùs omnis homo quòd à Deo creatus eſt, homo eſt Dei, ſed non cenſetur omnis homo Dei, verùm is qui in Deo acquieſcit, vt Elias & ij quos literarum diuinarum monumentis proditum eſt eſſe Dei homines: ſic vulgari quidem ratione dicendi à Deo miſſus eſſe poteſt, propriè autem miſſum dici à Deo non alium, niſi eum qui ob diuinum miniſterium & munus ſalutis generis hominum, veniat in lucem atque vitam. Non igitur inueniemus mitti à Deo, pro alio, niſi pro ſanctis poſitum, pro Eſaia quidem, vt paulò antè commemorauimus, pro Hieremia autem, Ad omnes quoſcunque miſero te, ibis: pro Ezechiele verò, Ecce ego mitto te ad Gẽtes apoſtatrices, & quæ reliquerunt me. Quanquam autem videbuntur non ad id quod propoſitum eſt, aſſumpta eſſe exempla miſſionis, quæ ad vitam requiritur, cùm de miſſione loquantur non ſimpliciter quæ fiat à vitæ priuatione ad vitæ vſuram: tamen hoc etiam modo non alienum erit, rationem ad quæſtionem traducere, ſi dicamus, quemadmodum ſolos ſanctos in iis quos propoſuimus, Deus mittere dicitur: ſic etiam in iis qui ad vitæ vſuram mittuntur, eſſe intelligendum. Et quoniam ſemel ac penitus in ſermone qui de Ioanne illatus eſt, verſamur, quærentes eius miſſionem: commodè ſententiam noſtram quam de eo habemus, addemus. Quoniam enim prophetiam de illo hanc legimus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit viam tuam ante te, attendamus, num ipſe qui ſanctorum angelorum vnus eſſet, Seruatoris noſtri præcurſor ad miniſterium mittatur. Nec mirum eſt, ſi eùm primogenitus omnis creaturæ pro ſuo in genus hominum amore corpus induiſſet, Chriſti æmuli aliqui & imitatores fuerint, qui voluerunt, ſimili corpore ipſius in homines benignitati miniſtrare, aliquem verò non imitatum eſſe, qui veneratus ſit geſtiens lætitia non enim cùm in aluo eſſet, quaſi communem hominum naturam ſuperans. Quòd ſi quis approbat etiam eorum myſteriorum, quæ apud Hebræos feruntur, aſcriptam Ioſeph orationem, is illinc ſimile huic dogma decretúmque ſumet, nempe eos qui ab initio fuerunt, eùm præcipuum aliquid præter alios homines habuiſſent, eſſéntque multo meliores cæteris animis, ex angelorum natura in hominum naturam deſcendiſſe. Ait enim Iacob, Ego enim vobiſcum loquor, Iacob & Iſraël, Dei ſum angelus, & ſpiritus principalis: & Abraham atque Iſaac ante omne opus creati ſunt. Ego autem Iacob non ab hominibus, Iacob vocatus, ſed Iſraël eſt nomen meum, vocatúſque ſum Iſraël à Deo, Vir videns Deum, Ego enim ſum primigenius omnis animalis quod à Deo vitæ vſuram accipit. Et ſubiicit, Ego verò cùm venirem ex Meſopotamia Syriæ, exiuit Vriel Dei angelus, méque in terram deſcendiſſe dixit, & inter homines habitaſſe, atque appellari Iacob nomine. Me porrò æmulatus eſt, ac mecum pugnauit, & luctatus eſt, dicens fore vt nomen ſuum meo nomini atque ei quod omne Euangelium anteiret anteponeretur. Eique nomen ſuum expreſſi, principatúmque in Dei filiis obtinet. Num tu Vriel es, à me uctauus? Ego quoque ſum Iſraël exercitus domini archangelus, ſúmque in Dei filiis præfectus mille miliũ. nunne ſum ille Iſraël, in Dei cõſpectu primus miniſter? Et Deum meum nomine immortali inuocaui. Veriſimile eſt enim cùm hæc verè à Iacob dicerentur, ob eámque cauſam literarum monumentis prodita ſint, illud etiam, In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, ſapienter eſſe factum. Scito autem, num vulgatus ille & celebris de Iacob & Eſau ſermo explicationem habeat, Cùm nondum nati Rom. 9.
fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed vocante dictum eſt ei, Quia maior ſeruiet minori, Sicut ſcriptum eſt, Iacob

dilexi,

dilexi, Eſau autē odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Si autem cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: & ſi non currimus ad opera quæ hanc vitam antecedunt, quomodo illud verum eſt, non eſſe iniquum apud Deum, maiorem ſeruire minori & odio haberi antè quàm ea quæ digna ſunt & ſeruitute & odio fecerit? Sed longius à propoſito aberrauimus aſſumpta de Iacob diſputatione, teſtéque nobis producta non contemnenda ſcriptura, quò maiorem quæ de Ioanne habita eſt oratio, habeat authoritatem, confirmans eum qui Eſaiæ voce, angelus eſſet, in corpore fuiſſe, vt teſtimonium de lumine perhiberet. Atque hæc quidem de Ioanne homine. quemadmodum autem in nobis vox & verbum differunt, quòd vox quidem quæ nihil ſignificat, interdum ſine verbo & ſermone proferri poteſt: verbum autem etiam poteſt ſine voce, vt cùm nobiſcum animo loquimur: ſic cùm Seruator aliquo ſenſu Verbum ſit, ab eo Ioannem differre arbitror, vt qui ex ratione quam ad Chriſtum qui verbum eſt, habet, vox eius ſit. Atque in hanc me ſententiam Ioannes ipſe adducit, qui reſpondens iis qui eum quis eſſet, interrogabant, his verbis vſus eſt, Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Ob eámque cauſam fortaſſis Zacharias qui ortum & natiuitatem vocis, quæ Dei Verbum demonſtrat, non credidiſſet, vocem perdit, eam recuperans, cùm vox Verbi præcurſor gignitur. Vox enim auribus percipienda eſt, vt mens poſtea Verbum quod à voce oſtenditur, accipere poſſit. Itaque Chriſto paulò maior natu eſt Ioannes. Vocem enim ante verbum & ſermonem accipimus. Ioannes etiam Chriſtum monſtrat. Voce enim ſermo oſtenditur. Baptizatur quoque à Ioanne Chriſtus, ſibi opus eſſe ab eo baptizari profitente. Hominibus enim à voce ſermo purgatur, cùm ſermo natura vocem omnem quæ ſignificat, purget. Atque vt ſemel finiam, cùm Chriſtum Ioannes monſtrat, homo Deum monſtrat, & ſeruatorem incorporeum, & vox verbum. Vtile autem eſſet, vt in multis vim nominum, ſic hoc in loco quid Ioannes & Zacharias declarent, videre. Etenim quaſi non eſſet quod contemni ac negligi oporteret, ex nominis impoſitione cognati quidem Zachariam ipſum appellari volunt, alienati quòd Elizabeth eum Ioannem vocari vellet. Zacharias autem, cùm hoc ſcripſiſſet, Ioannes erit nomen eius, à ſilentio moleſto liberatur. Inuenimus quidem in nominum interpretatione nomen hoc Ἰωάννης & Ioa ſine ſyllaba comprehendi, quod idem eſſe quod nomen Ioannis, putamus: quippe cùm alia etiam nouum teſtamentum Hebræorum nomina Græca figura & forma produxerit, veluti in Iacob Iacobus, & in Simeon Simon. Zacharias autem memoria eſſe dicitur: Elizabet verò Dei mei iuſiurandum, vel Dei mei ſeptimum. A Deo igitur gratia ex Dei memoria, ex Dei noſtri iureiurando quod cum patribus ſancitum eſt, natus eſt Ioannes, Domino plebem perfectam præparans, in fine teſtamenti quod vetus factum eſt, aut etiam ſabbati coronis. Itaque non poteſt fieri à Dei noſtri hebdomada requies quæ ſabbatum ſequitur, Seruatore noſtro per requiem ſuam afferēte iis qui ſimiles eius morti facti ſunt, etiam reſurrectionis ſimilitudinem. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per ipſum.* Nonnulli eorum qui diuerſa ſentiunt, qui ſe in Chriſtum credere dicunt, & quòd fingunt alium præter opificem, vt eis conſentaneum non probant eius aduentum à prophetis prædictum eſſe: prophetarum de Chriſto teſtimonia refellere & euertere conantur, quòd negent opus eſſe teſtibus Dei filio, qui quidem id quod valet ad faciendam fidem haberet & in ſalutaribus verbis quæ prædicauerit, quæq́ue virtutis & poteſtatis plena fuerint, & in operibus mirabilibus ac inuſitatis, quæ hîc quemuis ſtupore & admiratione afficere poterant: afferúntque, ſi Moſi fides habita eſt oratione & virtutibus, nec ei opus fuit teſtibus qui ipſum antè quàm eſſet, prædicerent & nunciarent: quinetiam vnuſquiſque prophetarum à populo vt à Deo miſſus probatus eſt: quomodo non magis Chriſtus qui Moſi & prophetis antecellit, poteſtque ſine prophetis teſtimonium dicentibus iis quæ ad eum pertinent, id quod vult perficere, & hominum generi conſulere ac prodeſſe? Redundare igitur putant à prophetis eum prædictum eſſe exiſtimari, qui hoc egerint, ſicuti etiam illi poſſint dicere, vt nouitatem diuinitatis approbarent ij, qui in Chriſtum credere non vellent, ſed etiam in Deum ipſum quem Moſes & prophetæ ante Ieſum docuerant, incurrere eíque obſiſtere. Iſtis igitur reſpondendum eſt, cùm multæ cauſæ eſſe potuerint, quæ ad fidem prouocarent & inuitarent, interdum nonnullæ quæ hac quidem demonſtratione non impellerent ſed alia: Deum plures occaſiones hominibus offerre præberéque poſſe, quibus impulſi & adducti, Deum, cuius ſunt quæ ortum habuerunt omnia, hominem factum eſſe comprobarent. Licet enim perſpicuè nonnullos cernere, qui ex prophetarum prædictionibus in Chriſti admirationem veniunt, & cum ſtupore tam multorum prophetarum qui anteceſſerunt, vocem admirentur, quæ commendet confirmétque & locum eius natiuitatis, & conuerſationis atque habitationis locum, & vim doctrinæ & virtutum mirabilium operationem, & humanam paſſionem à reſurrectione deletam. Hoc etiam conſyderandum eſt, inuſitatas quidem inauditáſque virtutes, eos qui domini temporibus fuerunt, adducere ad fidem potuiſſe, ſed non ſalutem dediſſe: id quod poſt multa iam tempora etiam fabulas eas eſſe intelligi ſignificat. Plus enim virium quàm eæ virtutes quæ tum editæ ſunt, ad perſuadendum dominum habebat prophetia, quæ cum virtutibus conſyderabatur. & illæ quo minus crederentur ab eis qui eas ſcrutabātur, obſtabat. prophetarum autem teſtimonia non ſolùm forſitan Chriſtum venturum eſſe prędicant, neque hoc & aliud nos docent: ſed multam theologiam rationémque & quam pater ad filium habet, & quam filius ad patrem, licet cognoſcere non minorem ex prophetis, quibus ea quæ ad illum pertinent, nūciant, quàm ex Apoſtolis, qui filij Dei magnitudinem exponunt. Licet etiam audentē his ſublatis & prętermiſſis, tale quid dicere, eos eſſe Chriſti martyrum honore hoc ipſo quòd de eo teſtimonium dicant, ornati: nec omnino aliquid illi quod de filio Dei teſtantur, gratum faciunt, & omnes de iis qui propriè martyres Chriſti nominātur, conſentient. Quid ergo mirū, ſi vt ornati laudatique ſunt quòd

quòd Chriſti martyres eſſent, multi Chriſti diſcipuli: ſic prophetæ cùm Chriſtum intellexiſſent & cognouiſſent, quòd eum antè nuciauerunt, à Deo donum acceperunt, docentes non eos modò qui Chriſti aduentum ſecuti ſunt, quid de Dei filio ſentiendum ſit, ſed eos etiam qui ſuperioribus ſeculis? quemadmodum is qui nunc filium non nouit, neque patrem habet, ſic etiam prius intelligendum eſt. Itaque cur Abraham exultauit vt diem Chriſti videret, & vidit & gauiſus eſt? Fraudare igitur vult Chriſtum prophetarum maximo beneficio, qui eos de Chriſto teſtificari vult non oportere. Quid enim etiam prophetia, quæ Spiritus ſancti inſtinctu profecta eſt, tam magnum haberet, ſi ex ea detracta ſint ea quæ ad domini noſtri diſpenſationem pertinent? Vt enim diuina religio, quæ ornata eſt ex iis qui per ſequeſtrem atque pontificem aduocatúmque etiam conſultò ad Deum rerum omnium accedunt, titubaret & claudicaret, niſi quis per oſtium ad patrem accederet: ſic etiam veterum religio Chriſti & intelligentia & fide, & expectatione ſacra erat, Deóque grata & accepta, quandoquidem Deum ſe etiam Chriſti teſtem eſſe confiteri obſeruauimus, inuitátque & hortatur omnes vt idem facere conſtituant, vt ipſum atque Chriſtum imitentur, hoc ipſo quòd teſtimonium de ipſo dicant, quibus dicendum eſt. Ait enim, Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis ero, ait dominus Deus & ſeruus, quem elegi. Omnis autem, qui veritati dat teſtimonium ſiue verbo, ſiue re, ſiue alio quouis modo, hac ex parte martyr. iure cenſebitur. Sed iam propriè qui ex fratrum conſuetudine mirãtur eorum animi conſtitutionem, qui pro veritate aut fortitudine vſque ad mortem decertant, propriè eos ſolos martyres nominauerunt, qui ſanguinis ſui profuſione diuini cultus myſterio teſtimonium dediſſent: cùm Seruator omnem qui teſtimonium iis quæ de ſe nunciarentur, diceret, martyrem nominauerit. Ait enim Apoſtolis cùm aſſumeretur in cælum, Eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad extremũ terræ. Eſt porrò quemadmodum leproſus mundatus, munus quod à Moſe præſcriptum eſt offerens, teſtimonio dum hoc facit iis qui Chriſto non crediderunt: ſic teſtimonium contra eos qui à religione Chriſti abhorrẽt, martyres dicunt & ſancti omnes, quorum opera coram hominibus lucent. Viuunt enim & Chriſti cruce freti, & de vera luce teſtimonium dantes. Ioãnes igitur etiam venit, vt teſtimonium lumini daret: qui teſtificans clamauit his verbis, Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat, quoniam de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiã pro gratia, quia lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit vnquã: vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Hæc igitur verba omnia ex Baptiſtæ perſona, teſtimoniũ Chriſto dantis dicta ſunt, id quod nonnullos fugit, qui ab hoc loco, De plenitudine eius nos omnes accepimus, vſque ad illum, Ipſe enarrauit, ex Ioannis Apoſtoli perſona dici arbitrantur. Cum eo autem Baptiſtæ teſtimonio quod expoſitum eſt, incipítque ab his verbis, Qui poſt me venit, ante me factus eſt, & hoc loco deſinit, Ipſe enarrauit, hoc etiam teſtimonium eſt Ioannis ab illo ſecundum, cùm apud ſacerdotes & leuitas Iudæorum, qui eos Hieroſolymis miſerant profitetur non negans

[illegible] potius quàm [illegible]

veritatem, ſe non eſſe Chriſtum nec Eliam, nec prophetam, ſed vocem clamantis in deſerto, Dirigite viam domini, ſicut dixit Eſaias propheta. Sequitur deinceps aliud eiuſdem Baptiſtæ de Chriſto teſtimonium, quod eius principalem eſſentiam etiam docet, ad omnem mundum, quod ad animos rationis participes attinet, pertinentem. Ait enim, *Medius autẽ veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Vide etiam, num, quia cor eſt in totius corporis medio, & in corde id quod principatum obtinet: verbum ſiue ratio quæ in vnoquoque ineſt, illud intelligi poſſit, Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Quartum præterea Ioannis etiam de Chriſto teſtimonium quódque humanam eius paſſionem deſcribit, eſt, cùm ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic eſt de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum. Sed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Quintum etiam teſtimonium literis diuinis deinceps mandatum eſt, hoc in loco, Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum; & ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, Quia hic eſt filius Dei. Sextum verò teſtimonium Chriſto Ioannes dixit coram duobus diſcipulis, cùm intuens Ieſum ambulantem, dixit, Ecce agnus Dei. Quo dato teſtimonio, ita vt duo Ioannis diſcipuli exaudirent, eum ſequuti ſunt, conuerſoque ore Ieſus, cùm duos ſequentes animaduertiſſet, reſpondit his verbis, Quid quæritis? Nec ſine cauſa fortaſſis Ioannes quidem poſt ſex teſtimonia finem teſtificandi facit: Ieſus autem ſexto loco propoſuit, Quid quæritis? quæ quidem vox digna eſt iis quibus Ioãnis teſtimonium profuerat, cùm & Chriſtum magiſtrum nunciaret, & domicilium Dei filij iis qui eius videndi cupiditate tenerentur concederet. Ei enim dicunt, Rabi, quod interpretatur magiſter, vbi habitas. Et quoniam omnis qui quærit, inuenit, diſcipulis Ioannis qui Ieſu domicilium quæſierant, oſtendit dicens, Venite & videte. Quod cùm ait, fortaſſis hoc verbo, Venite, eos ad actionem hortatur, illo autem verbo, Videte, ad contemplationẽ, quæ actionum profectionem ſequitur, quam iis qui velint fore deſcribit, quæ fit in Ieſu domicilio. Propoſitum autem erat iis qui quæſierant vbi habitas? cùm Ieſum ſequuti eſſent, ſi vidiſſent, apud Ieſum manere, & illo die cum Dei filio morari. Porrò autem quoniam denarius oomerus obſeruatus eſt vt ſanctus, nõ paucorum myſteriorum quæ in decade fuiſſe memoriæ eſt proditum, par eſt intelligi non fruſtra etiam in Euangelio decimam horam deſignatam eſſe Ioãnis diſcipulorum apud Ieſum diuerſorij. In his erat Andreas Simonis Petri frater. Is cùm ex eo quòd cùm Ieſu cõmoratus eſſet, vtilitatem cepiſſet, inuẽto Simone fratre (fortaſſis enim prius non inuentus fuiſſet) ei ſe Meſiam inueniſſe dicit, quod eſt interpretatum Chriſtus. Quoniam enim qui quærit, inuenit: quæſiuit autem vbi Chriſtus maneret, eúmque ſequutus, contemplatus eius domicilium, decima hora apud Dominum manet, filiúmque Dei Verbum

& ſapientiam inuenit, ab eo regitur, ob eámque cauſam ait, Inuenimus Meſiam. Hoc autem verbum ab omnibus qui hoc Dei Verbum inuenerunt, dicatur, & ab iis qui à diuinitate eius reguntur. Et ſtatim adducit fratrem ad Chriſtum. Simoni Ieſus hoc dedit, vt eum intueretur, quod eſt aſpectu ipſo inſpicere & partem illam eius quæ principatum obtinet, illuſtrare: vimque eam accepit Simon Petrus quòd à Chriſto viſus eſſet, vt confirmaretur. Itaque facti confirmationis & corroborationis quaſi gentilis factus eſt, appellatúſque eſt Petrus. Sed dicet aliquis, cùm propoſitum ſit illud explanare, Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, cur hæc omnia narrauerimus. Cui reſpondendum eſt, Ioannis de lumine teſtimonia oportuiſſe proferri, exponique eorum ordinem, atque vtilitatem quæ poſt Ioannis teſtimonium à Ieſu profectam iis quibus de illo teſtimonium dediſſet, acciderit, vt vis Ioãnis teſtimonij indicaretur. Atque hoc quidem loco primû teſtimonium de Ieſu fuit, Ioannis Baptiſtæ in Elizabet matris aluo in Mariæ ſalutatione cum lætitia cõiuncta exultatio, qui eius conceptus & ortus diuinitati teſtimonium dedit. Cur enim Ioannes qui vbique Ieſu teſtis & præcurſor eſt, eius ortum anteuertens, & moriens paulò ante mortẽ Dei filij? Vt non ſolùm iis qui in eius ortu erant, verùm etiam iis qui à morte per Chriſtum procuratam libertatem expectant, ante Chriſtum veniens, vbique Domino plebem perfectam pararet. Lucebit autem etiam in ſecundo Chriſti aduentu, atque diuiniore Ioannis teſtimonium. Si enim vultis, inquit, recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat. Sed cùm principium ſit, in quo erat Verbum, quod quidem ſapientiam eſſe ex prouerbiis docuimus, ſit etiam Verbum, in quo Vita facta eſt, vitáque ſit lux hominum: cur tandem is qui homo factus à Deo miſſus eſt, Ioannes nomine, venit vt teſtimonium perhiberet de lumine? cur, inquam, non vt teſtimonium vitæ, aut Verbo, aut principio, aut alij cuilibet Chriſti notioni daret? Vide autem an non populus qui ſedebat in tenebris, lucem magnam viderit, & quia lux in tenebris lucet, nec ab eis comprehenditur, ij qui ſunt in tenebris, id eſt, homines lucis indigeant. Si enim lux hominum in tenebris lucet, vbi nullo modo tenebrarum vis eſt, aliarum Chriſti rationum notionúmque erimus participes, nec propriè atque accuratè earum nũc participes ſumus. Quomodo enim vitæ participes ſumus, qui corpore mortis induti ſumus, & quorũ vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo? Cùm enim Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria. Non igitur poterat cùm venit, vitæ dare teſtimoniũ, quæ etiam nunc cum Chri-
Coloſſ. 3. ſto in Deo latet. Nec etiam venit in teſtimonium, vt Verbo teſtimonium diceret, cùm Verbum noſtrum id quod erat in principio apud Deum, & Deum Verbum intelligamus. In terra enim Verbum caro factum eſt: fuiſſétque teſtimonium, tametſi viſum eſſet Verbo dari, propriè dicendum dari Verbo quod caro factum eſt, non Dei Verbo. Quî enim fuiſſet teſtimonium de ſapiẽtia iis qui etſi videntur ſcire, non tamen non id quod integrè planéque verum eſt perſpiciũt, ſed vident per ſpeculum in ænigmate? Veriſimile tamẽ eſt, Ioannem aut Eliam ante alterum diuiniorémq; Chriſti aduentum venturum eſſe, vt teſtimonium vitæ dicat paulò antè quàm Chriſtus vita noſtra appareat: atque tum Verbo eſſe teſtimonium daturum, perhibiturúmque teſtimonium de ſapiẽtia. Operæprecium eſt autem quærere, ſit'ne Ioannis teſtimonium quaſi præcurſor vnicuique Chriſti rationum atque notionum. Atque hæc quidem de illo dicta ſint, Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Nunc ſequitur, vt quomodo illud, Vt omnes crederent per ipſum, intelligendum ſit, conſideremus.

Reliqua vſq; ad finem huius euangelij deſiderantur.

EIVSDEM DE EODEM
Euangelio Homilia.

VOx ſpiritalis aquilæ auditum pulſat eccleſię. Exterior ſenſus tranſeuntem accipiat ſonitum: interior animus manentem penetret intellectum. *Eſt hom. 2. in diuerſos falsò illi adſcripta.* Vox altiuidi volatilis non aërem ſolum corporeum, vel æthera, vel totius ſenſibilis mundi ambitum ſuperuolitãtis: ſed & omnem theoriam vltra omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt citiuolis intimæ theologiæ pennis clariſſimæ ſupernæque contemplationis obtutibus tranſcendentis. Dico enim quæ ſunt, quæ ſiue humanum, ſiue angelicum non omnino fugiunt ſenſum. Quæ vero non ſunt, quæ profecto omnes intelligentiæ vires relinquunt: cum poſt Deum ſint, vt eorũ numerum quæ ab vna omnium cauſa condita ſunt, non excedant. Superuolat itaque beatus Ioannes Theologus non ſolum quæ intelligi, ac dici poſſunt, verumetiam ea quæ ſuperant omnem intellectum & ſignificationem ſuperuehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana vnius omnium principij exaltatur, incomprehẽſibilemque ipſius principij & verbi, hoc eſt patris & filij vnicam ſuperſubſtantialitatem pure dignoſcens, euãgelium inchoat dicens, In principio erat verbum. O beate Ioannes non immerito vocaris Ioannes, Hebræum nomen eſt. Latine vero, cui donatum eſt. Cui enim theologorum donatum eſt, quod tibi donatum eſt? abdita videlicet ſummi boni penetrare myſteria, & ea quæ tibi reuelata, & declarata ſunt, humanis mentibus ac ſenſibus intimare? Dic quæſo cui talis, ac tanta donata eſt gratia? Fortaſſis quis dicet ſummo vertici Apoſtolorum, Petro dico, qui Deo interroganti quem ſe exiſtimaret eſſe: Reſpondit, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Sed non temere (vt opinor) quis dixerit plus in typo fidei, & actionis, quàm ſcientiæ, & contemplationis Petrum talia dixiſſe. Quare? Ea ſcilicet ratione qua Petrus in forma actionis ac fidei ponitur: Ioannes autem contemplationis atque ſcientiæ typum imitatur. Vnus ſiquidem recumbebat ſuper pectus dominicum, quod eſt contemplationis ſacramentum: alter ſæpe titubabat quaſi trepidæ actionis ſymbolum. Actionemque mandatorum diuinorum prius quàm perueniat in habitum, puras aliquando diſcernit ſpecies virtutum: aliquando fallitur eius iudicium, carnalium cogitationum nebulis obumbratum. Intimę vero theoriæ acies poſtquam ſemel veritatis perſpexerit vultum: nequaquam repercutitur, nunquam fallitur, nulla caligine obcæcatur in perpetuũ. Ambo tamen currunt ad monumentum. Monumentum Chriſti eſt diuina ſcriptura, in qua diuinitatis & humanitatis

humanitatis eius myſteria denſitate literæ veluti quadam muniuntur petra. Sed Ioannes præcurrit citius Petro. Acutius nanque atque velocius intima diuinorũ apicum penetrat ſecreta virtus contemplationis penitus purificatæ, quàm actionis adhuc purificandæ. Verumtamen primo intrat Petrus in monumentum, deinde Ioannes: ac ſic ambo currunt, ambo intrant. Petrus ſiquidem fidei eſt ſymbolum, Ioannes ſignat intellectum. Ac per hoc quoniam ſcriptum eſt, Niſi credideritis, non intelligetis; neceſſario præcedit fides in monumentum ſanctæ ſcripturæ: deinde ſequens intrat intellectus, cui per fidem præparatur aditus. Petrus quidem Chriſtum Deum & hominem iam factum in temporibus cognoſcens, & dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, altiſſime volauit: ſed Ioannes altius illo, qui eundem Chriſtum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit dicens, In principio erat verbum. Nemo nos exiſtimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis eſſet altior Apoſtolorum illo qui eſt & dicitur vertex eorum? Non præferimus Petro Ioannem: ſed conferimus actioni contemplationem: purgandum adhuc animum, perfecte purgato: aſcendenti adhuc virtuti, ad incommutabilem habitum peruenientem iam virtutem. Non enim nunc conſideramus apoſtolicarum perſonarum dignitatẽ: ſed inueſtigamus pulcherrimam diuinorum myſteriorum differentiam. Petrus itaque (hoc eſt actio virtutum) Dei filium mirabili & ineffabili modo carne circunſcriptum per virtutem fidei & actionis conſpicatur: Ioannes vero, hoc eſt altiſſima veritatis contemplatio, Dei verbum per ſe ante carnem abſolutum & infinitum in principio ſuo, hoc eſt in patre, miratur. Petrus æterna ſimul ac temporalia in Chriſto vnum facta diuina reuelatione introductus inſpicit: Ioannes ſola eius æterna in notitiam fidelium animarum introducit. Spiritale igitur petaurum, citiuolum, deiuidum: Ioannẽ dico Theologum, omnem viſibilem & inuiſibilem creaturã ſuperat, omnem intellectum penetrat, & deificatus in Deum intrat ſe deificantem. O beate Paule raptus es (vt tu ipſe aſſeris) in tertium cęlum, & paradiſum: ſed non es raptus ſuper omne cælum, & paradiſum. Ioannes omne cælum conditum, omnemque creaturam paradiſum: hoc eſt omnem humanam angelicamque tranſgreditur naturam: in tertium cælum raptus. O vas electionis, & magiſter gẽtium, audiſti verba quæ non licet homini loqui. Ioannes intimæ veritatis inſpector vltra omne cælum in paradiſo paradiſorũ, hoc eſt in cauſa omnium, audiuit vnum verbum per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibuſque prædicare quantum hominibus prædicari poteſt: ac fiducialiter clamat, In principio erat verbum. Non ergo Ioannes erat homo, ſed plus quàm homo, quando & ſeipſum & omnia quæ ſunt ſuperauit, & ineffabili ſapientiæ virtute puriſſimoque mentis acumine ſubuectus in ea quæ ſuperiora ſunt ſecreta, videlicet vnius eſſentiæ in tribus ſubſtantiis, & trium ſubſtantiarum in vna eſſentia, ingreſſus eſt. Non enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi prius fieret Deus. Vt enim radius oculorum noſtrorum ſpecies rerum ſenſibilium coloreſque non prius poteſt ſentire quàm ſe ſolaribus radiis immiſceat, vnumque cum ipſis, & in ipſis fiat: ita animus ſanctorum puram rerum ſpiritalium, omnemque intellectum ſuperãtium cognitionem non ſufficit accipere, niſi prius incomprehenſibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere. Sanctus itaque theologus in Deum tranſmutatus, veritatis particeps, domini verbum ſubſiſtere in Deo principio, hoc eſt Deum filium in Deo patre pronunciat. In principio (inquit) erat verbum. Intuere cælum apertum, hoc eſt ſummæ ac ſanctæ trinitatis, & vnitatis reuelatum mundo myſterium. Animaduerte angelum diuinum ſuper filium hominis aſcendentem, nobis videlicet annunciantem ipſum eſſe ante omnia in principio verbum, ac mox deſcendentem ſuper eundem filium hominis, clamantemque, Et verbum caro factum eſt. Deſcendit euangelizans Deum verum hominem factum ſupernaturaliter inter omnia ex virgine: aſcendit proclamans Ioannes verbum ſupereſſentialiter genitum ex patre, ante & vltra omnia. In principio (inquit) erat verbum. Et notandum quòd in hoc loco non temporis ſed ſubſtantiæ ſignificationem beatus euangeliſta inſinuat per hanc vocem quæ eſt, erat. Nam & poſitiuum eius, id eſt ſum, inæqualiter duplicem continet intellectum, aliquando temporales motus ſecundum aliorum verborum analogiam declarat. Tale eſt ergo quod ait, in principio erat verbum: ac ſi aperte diceret, in patre ſubſiſtit filius, Quis enim ſapiens dixerit filium in patre temporaliter vnquam ſubſtitiſſe? Illic enim ſola cogitatur æternitas, vbi ſola intelligitur immutabilis vnitas. Et ne quis exiſtimaret ita in principio verbum ſubſiſtere, vt vlla ſubſtantiarum differentia intelligatur ineſſe, cõtinuo ſubiunxit, Et verbum erat apud Deum: hoc eſt, & filius ſubſiſtit cum patre in vnitate eſſentiæ, & perſonali diſtinctione. Et iterum ne talis ſerperet venenoſa contagio in quemquam, verbum ſolummodo inquit cum patre eſſe, & in Deo eſſe. Non autem ipſum verbum ſubſtantialiter, & coæternaliter ſubſiſtere cum Deo patre. Hic nanque error per verbum perfidos inuaſit Arrianos. Ideo protinus adiecit, Et Deus erat verbum. Videns item quòd non defuturi eſſent qui dicerent, non de vno eodemque verbo euangeliſtam ſcripſiſſe, In principio erat verbum, ſed quòd aliud verbum in principio voluit, aliud Deus erat verbum: hæreticam opinionem deſtituens, conſequenter adiungit, Hoc erat in principio apud Deum: ac ſi diceret, hoc verbum quod Deus eſt apud Deum, ipſum eſt & nõ aliud, quod erat in principio. Sed ſignificantius ex Gręcorum exemplaribus poteſt intelligi: in eis enim, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν, ſcribitur: & poteſt referri ad vtrumque, ad verbum videlicet, & Deum. Hæc quippe duo nomina θεὸς & λόγος, Deus, & verbum, apud græcos maſculini ſunt generis. Ac per hoc ita poteſt intelligi, Et Deus erat verbum, hic erat in principio apud Deum: tanquam ſi luce clarius dixerit, Hic Deus verbum apud Deum: hic eſt de quo dixi, In principio erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, per ipſum Deum verbum, vel per ipſum Deum omnia facta ſunt. Et quid eſt, per ipſum omnia facta ſunt, niſi eo naſcẽte ante omnia ex patre, omnia cum ipſo, & per ipſum omnia facta ſunt? Nam ipſius ex patre generatio ipſa eſt cauſarum omniũ conditio, omniumque quæ ex cauſis in genera & ſpecies procedunt operatio, & effectus: per generationem quippe Dei verbi ex Deo principio facta ſunt omnia. Audi diuinum,

diuinum, & ineffabile paradoxum, irreſerabile ſecretum, inuiſibile profundum, incomprehenſibile myſterium. Per non factum ſed genitum, omnia facta ſed non genita. Principium ex quo omnia, pater eſt: Principium per quod omnia, filius eſt: patre loquente verbum ſuum, hoc eſt patre gignente ſuam ſapientiam, omnia fiunt. Propheta ait, Omnia in ſapientia feciſti, & alibi perſonam patris introducens, Eructauit cor meum. Et quid eructauit cor ſuum, ipſe exponit, Verbum bonum dico, verbum bonum loquor, filium bonum gigno. Cor patris eſt ſua propria ſubſtantia, de qua genita eſt filij propria ſubſtantia. Præcedit pater verbũ non natura, ſed cauſa. Audi ipſum filium dicentem, Pater maior me eſt. Subſtantia eius cauſa eſt meæ ſubſtantiæ. Pater (inquit) præcedit filium cauſaliter, præcedit filius omnia quæ per ipſum facta ſunt naturaliter: & inchoauit in ipſo eſſe ante tempora, non in tempore, ſed cum temporibus. Tempus ſiquidem inter cætera quæ facta ſunt, factum eſt, non ante factum, non prçlatum, ſed cõcreatum. Et quæ eſt conſequentia verbi quod locutum eſt os altiſſimi? Non enim in vanum locutus eſt pater, non infructuoſe, non ſine magno effectu. Nam & homines inter ipſos loquentes in auribus audientium efficiunt. Tria itaque credere & intelligere debemus, patrem loquentem, filium genitum, & ea quæ efficiuntur per verbum. Pater loquitur, verbum gignitur, omnia efficiuntur. Audi prophetam, Quia ipſe dixit, & facta ſunt: hoc eſt verbum ſuum genuit, per quod facta ſunt omnia. Et ne forte exiſtimares eorum quæ ſunt, quædam quidem per ipſum Dei verbum facta eſſe, quædam vero extra ipſum facta eſſe aut exiſtentia per ſeipſa, ita vt non omnia quæ ſunt ad vnum principium referantur: conclusione totius prædictæ theologiæ ſubdit, Et ſine ipſo factum eſt nihil: hoc eſt nihil extra ipſum eſt factum, quia ipſe ambit omnia intra ſe, comprehendens omnia: & nihil ei coæternum vel conſubſtantiale intelligitur, vel coeſſentiale præter ſuum patrem, & ſuum ſpiritum, à patre per ipſum procedentem. Et hoc facilius in grçco datur intelligi: vbi enim latini ponunt ſine ipſo, ibi græci χωρὶς αὐτοῦ, hoc eſt, extra ipſum. Similiter & ipſe dominus diſcipulis ſuis dixit, Extra me nihil poteſtis facere. Qui per vos (inquit) extra me non potuiſtis fieri, quid extra me facere poteſtis? Nam & ibi non χωρὶς, hoc eſt nõ ſine, ſed extra, grçci ſcribunt. Facilius propterea dixi, quia dum quis audierit ſine ipſo, poteſt putare ſine ipſius conſilio, vel adiutorio: ac per hoc non totum, non omnia illi diſtribuit: audiens vero extra, nihil omnino relinquit quod in ipſo & per ipſum factum non ſit. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Poſtquam remotiſſima oratione, & intellectu beatiſſimus euãgeliſta diuina reuelauit myſteria, Deum verbum videlicet in Deo loquentem, & in ambobus intelligentiam ſancti ſpiritus diuinæ ſcripturæ contemplatoribus relinquens: vt enim qui loquitur, in verbo quod loquitur neceſſario ſpiritum proflat: ita Deus pater, & filium ſuum gignit, & ſpiritum ſuum per genitum filium producit: & poſtquam per Dei filium omnia facta eſſe, & nihil extra ipſum ſubſiſtere aſtruxit: velut ab altero primordio ſuæ Theologiæ ſerie direxit, dicẽs, Quod factum eſt in ipſo vita erat. Prædixit enim, Omnia per ipſum facta ſunt; ac veluti à quopiam interrogatus de iis quæ per Deum verbum facta ſunt, quomodo & in ipſo quæ per ipſum facta ſunt, reſpondet, & ait, Quod factum eſt in ipſo vita erat. Quæ ſententia dupliciter pronunciatur. Poteſt enim ſubdiſtingui, quod factũ eſt: ac deinde ſubiungi, in ipſo vita erat. Poteſt etiam ſic, Quod factum eſt in ipſo, ac deinde ſubinferri, vita erat. Ac per hoc in duabus pronunciationibus duos ſpeculamur intellectus. Non enim eadem theoria eſt quæ dicit, quod factum eſt locis temporibúſque diſcretum, generibus, formis, numeris diſtinctum, ſenſibilibus intelligibilibuſque ſubſtantiis ſeu compactum ſeu ſegregatum, hoc totum in ipſo vita erat: & ea quæ declarat, Quod factum eſt in ipſo, non aliud erat niſi vita: vt ſit ſenſus, Omnia quç per ipſum facta ſunt in ipſo vita ſunt, & vnum ſunt. Erant enim, hoc eſt in ipſo ſubſiſtunt cauſaliter priuſquam ſint in ſemetipſis effectiue. Aliter enim ſub ipſo ſunt ea quæ per ipſum facta ſunt, & in ipſo viuunt incommutabiliter, & vita ſunt, in quo neque fuerunt omnia temporalibus interuallis, ſeu localibus: nec futura ſunt, ſed ſolummodo ſuper omnia tempora & loca vnum ſunt in ipſo, & viſibiliter ſubſiſtunt viſibilia inuiſibilia, corporalia incorporalia, rationabilia irrationabilia: & ſimpliciter cçlum, terra, abyſſus, & quæcunque in eis ſunt in ipſo viuunt, & vita ſunt, & æternaliter ſubſiſtunt, & quæ nobis omni motu vitali carere videntur, & in verbo viuũt. Sed ſi quæris quomodo, & qua ratione omnia quæ per ipſum verbum facta ſunt in ipſo vitaliter, & vniformiter, & cauſaliter ſubſiſtunt, accipe paradigmata ex creaturarum natura, diſce factorem in iis quæ in ipſo, & per ipſum facta ſunt. Inuiſibilia enim eius (vt ait Apoſtolus) per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Cõſpicare quomodo omnium rerum quas mundi huius ſenſibilis globoſitas comprehendit, cauſæ ſimul & vniformiter in iſto ſole, qui maximum mundi luminare vocitatur, ſubſiſtunt. Inde nanque formæ omnium corporum procedunt: inde diſtantia colorum, pulchritudo, & cætera quæ de ſenſibili natura prædicari poſſunt. Conſidera multiplicem, & infinitam ſeminum virtutem, quomodo numeroſitas herbarum, fructuum, animarũ in ſingulis ſeminibus ſimul continentur, quomodo ea eis ſurgit formarum pulchra & innumerabilis multiplicitas. Intuere interioribus oculis quomodo multiplices regulæ in arte artificis vnum ſunt, & in animo diſponentis viuunt: quomodo infinitus linearum numerus in vno puncto vnum ſubſiſtit. Ex huiuſmodi naturalia perſpice exempla, ex quibus veluti phyſicæ theoriç pennis vltra omnia ſubuectus, diuina gratia adiutus & illuminatus, poteris arcana verbi mentis acie inſpicere: & quantum datur humanis argumentationibus Deum ſuum quærentibus videre quomodo omnia quæ per verbum ſunt facta in ipſo viuũt & vita ſunt. In ipſo enim vt os loquitur diuinum, viuimus, mouemur, & ſumus: & vt ait magnus Dionyſius Areopagita, eſſe omnium eſt ſupereſſentia, & diuinitas. Et vita erat lux hominum. Dei filium quem ô beate Theologe prius vocaſti verbum: nunc vitam nominas, & lucem: nec immerito mutaſti appellationes, vt diſtantes nobis inſinuares ſignificationes. Verbum ſiquidem Dei filium nominaſti, quia per ipſum locutus eſt pater omnia. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt. Lucem vero, & vitam quoniam idem filius lux eſt

& vita

& vita omnium quæ per ipſum facta. Et quid illuminat? Non aliud niſi ſeipſum & patrem ſuum. Lux itaque eſt, & ſeipſum illuminat, ſeipſum mundo declarat, ſeipſum ſe ignorantibus manifeſtat. Lux diuinæ cognitionis de mundo receſſit, cum homo Deum deſeruit. Dupliciter ergo lux æterna ſeipſam mundo declarat, per ſcripturam videlicet, & creaturam. Non enim aliter in nobis diuina cognitio renouatur, niſi per diuinæ ſcripturæ apices, & creaturæ ſpecies. Eloquia diſce diuina & in animo tuo eorum concipe intellectum, in quo cognoſces verbum ſenſu corporeo. Formas ac pulchritudines perſpice ſenſibilium, & in eis intelliges Dei verbum. Et his omnibus nihil aliud tibi veritas declarabit præter ipſum qui cuncta fecit, extra quẽ nihil contemplaturus es: quia ipſe eſt omnia in omnibus quæ ſunt: ipſe eſt quicquid eſt. Vt enim nullum bonum ſubſtantiale, ita nulla eſſentia præter ipſum eſt, vel ſubſtantia. Et vita erat lux hominũ. Quaſi ſpecialiter ac proprie lux hominum dicitur: quia in homine non ſolum hominibus, verumetiã angelis, omnique creaturę diuinæ cognitionis participem fieri valẽti ſeipſum declarauit. Non enim per angelum angelis, neque per angelum hominibus, ſed per hominem hominibus & angelis: non in phantaſia, ſed in ipſa vera humanitate, quam totam ſibi in vnitatem ſubſtantiæ ſuſcepit, apparuit: ſuamque cognitionem omnibus cognoſcentibus ſe præſtitit. Lux itaque hominum eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui in humana natura omni rationali & intellectuali creaturæ ſeipſum manifeſtauit, ſuæque diuinitatis, qua patri eſt ęqualis, abdita reſerauit myſteria. Et lux in tenebris lucet. Audi Apoſtolum, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Audi Eſaiam, Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Lux in tenebris lucet. Totum genus humanum merito originalis peccati in tenebris erat, non exteriorũ oculorum quibus ſenſibilium formæ coloreſque ſciuntur, ſed interiorum quibus intelligibilium ſpecies & pulchritudines diſcernuntur: non in tenebris huius caliginoſi aëris, ſed in tenebris ignorantię veritatis: non in abſentia lucis quæ mundum corporeum illuminat. Poſt cuius ortum ex virgine lux in tenebris lucet, in cordibus ſcilicet ſe cognoſcentium. Quoniam vero totum genus humanum in duas veluti partes diuiditur: in eos videlicet quorum corda cognitione veritatis illuminata ſunt, & in eos qui adhuc in obſcuriſſimis impietatis atque perfidiæ tenebris permanent: Euangeliſta ſubiunxit, Et tenebræ eam non comprehenderunt. Ac ſi euidenter diceret, lux in tenebris fidelium animarum lucet, & magis ac magis lucet, à fide inchoãs, à ſpe trahens. Imperitorum vero cordium perfidia, & ignorantia lucem verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt. Obſcuratum eſt enim (vt ait Apoſtolus) inſipiens cor eorum, & ſapientes ſe eſſe dicentes, ſtulti facti ſunt. Sed iſte ſenſus moralis eſt. Phyſica vero horum verborum theoria talis eſt: lux humana, etſi non peccaret, ſuis propriis viribus lucere non poſſet. Non enim naturaliter lux eſt, ſed particeps lucis. Capax ſiquidem ſapientię eſt non ipſa ſapientia, cuius participatione ſapiens fieri poteſt. Sicut ergo aër iſte per ſemetipſum non lucet, ſed tenebrarum vocabulo nuncupatur: capax tamẽ ſolaris luminis eſt: ita noſtra natura dum per ſeipſam conſideratur, quædam vere tenebroſa ſubſtantia eſt, capax ac particeps lucis ſapientiæ: & quemadmodum præfatus aër dum ſolares radios participat, non dicitur per ſe lucere, ſed ſolis ſplendor dicitur in eo apparere, ita vt naturalem ſuam obſcuritatẽ non perdat, & lucem ſuperuenientem in ſe recipiat: ſic rationabilis noſtræ naturæ pars dum præſentiam Dei verbi poſſidet non per ſe res intelligibiles & Deum ſuum, ſed per inſitum ſibi diuinum lumen cognoſcit. Audi ipſum verbum. Non vos (inquit) eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Hac vna ſententia voluit nos docere idipſum in cæteris intelligere, hac ſemper in aure cordis noſtri ineffabili modo ſonare, Non vos eſtis qui lucetis, ſed ſpiritus patris veſtri qui lucet in vobis. Hoc enim meum in vobis lucere, vobis manifeſtat quòd ego ſum lux intelligibilis mundi: hoc eſt rationalis & intellectualis naturæ. Non vos eſtis qui intelligitis me, ſed ego ipſe in vobis per ſpiritum meum meipſum intelligo: quia vos non eſtis ſubſtantialis lux, ſed participatio per ſe ſubſiſtentis luminis. Lux itaque in tenebris lucet, quia Dei verbum vita & lux hominum in noſtra natura, quæ per ſe inueſtigata, & conſiderata informis quædam tenebroſitas reperitur, lucere non deſinit: nec ea quamuis delinquentem deſerere voluit, nec vnquam deſeriut formãs eam per naturam continendo, reformanſque per gratiam deificando: & quoniam ipſa lux eſt omni creaturæ incomprehenſibilis, tenebræ eam nõ comprehenderunt. Superat itaque Deus omnem ſenſum, & intellectum: & ſolus habet immortalitatem, cuius lux per excellentiam tenebræ nominatur: quoniam à nulla creatura quid vel quale ſit comprehenditur. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Ecce aquilam de ſublimiſſimo vertice montis theologiæ leui volatu deſcendentem in profundiſſimã vallem hiſtoriæ, de cælo vtique ſpiritalis mundi pennas altiſſimæ contemplationis relaxantem. Diuina ſiquidem ſcriptura mundus quidam eſt intelligibilis, ſuis quatuor partibus veluti quatuor elementis conſtitutus: cuius terra eſt velutì in medio, imoque inſtar centri, hiſtoria: circa quam aquarum ſimilitudine abyſſus circunfunditur moralis intelligentiæ, quæ à græcis Ethica ſolet appellari: circa quas, hiſtoriam dico & Ethicam, veluti duas præfati mundi inferiores partes, aër ille naturalis ſcientiæ circumuoluitur. Quam naturalem dico ſcientiam, Græci vocant Phyſicam. Extra autem omnia, & vltra, æthereus ille igneus ardor Empyrei cæli, hoc eſt ſupernæ contemplationis diuinæ naturæ quam Græci Theologiã nominant, circumglobatur: vltra quã nullus ingreditur intellectus. Magnus itaque theologus (Ioannem dico) in primordio euangelij ſui excellentiſſima theologiæ cacumina tangens, cælique cælorum ſpiritalium ſecreta penetrans, vltra omnem hiſtoriã & Ethicã aſcendens & Phyſicam, ad ea quæ paulo ante incarnationẽ verbi facta ſũt, ſcilicet ad hiſtoriã narrandam veluti in quandam terrã ſuum intelligibilem deflectit volatum, & ait. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen Ioãnes. Ioannem conſequenter in ſuam introducit theologiam. Abyſſus abyſſum inuocat, diuinorum myſteriorum Euangeliſta præcurſoris narrat hiſtoriam: ille cui donatum eſt verbum in principio cognoſcere, illum cui donatum eſt verbum incarnatum præire, commemorat. Fuit, inquit, homo.

Non dixit ſimpliciter, fuit miſſus à Deo, ſed fuit homo: vt diſcerneret hominem ſolius humanitatis participem qui præcucurrit, ab homine diuinitate & humanitate coadunato & compacto, qui poſt me venit, vt ſegregaret vocem tranſeuntem, à verbo ſemper & incommutabiliter manēte: vt inſinuaret matutinam ſtellam in ortu regis cælorū apparētem, & declararet ſolem iuſtitiæ permanentem. Teſtem ab eo diſcernit, de quo teſtimonium perhibet, miſſum ab eo qui mittit, lucernam lucubrantem à luce clariſſima mundum implente, totius generis humani tenebras mortis & delictorum demoliente. Præcurſor itaque domini fuit homo, non Deus. Dominus autem cuius præcurſor erat, homo ſimiliter & Deus fuit. Præcurſor homo fuit tranſiturus in Deum per gratiam qua præcucurrit. Deus erat per naturam, accepturus hominem per humilitatem, & noſtræ ſalutis & redemptionis voluntatem. Homo erat miſſus. A quo? A Deo verbo. Quæ præcucurrit miſſio eius? Præcurſor clamās præmittit vocem: Vox clamantis in deſerto nouum præparat domini aduentum. Cui nomen erat Ioānes. Cui donatum eſt vt regi regum fiat præcurſor, incarnati verbi manifeſtator, & in ſpiritalem felicitatem baptizator, æterni luminis voce & martyrio teſtator. Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet, Chriſti videlicet. Audi teſtimonium, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et iterum, Qui poſt me venit, ante me factus eſt. Quod euidentius in græco legitur ἔμπροσθέν μου γέγονεν, hoc eſt coram me, ante conſpectum meum factus eſt. Ac ſi aperte diceret: qui in ordine temporum poſt natiuitatem meam natus eſt in carne, ante conſpectum meum dum adhuc eſſem in viſceribus meæ matris ſterilis prophetico viſu vidi illum coram me conceptum, & hominem factum in vtero virginis. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. A ſuperioribus ſubaudi, ac ſic intellige. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Præcurſor luminis, non erat ille lux. Quare ergo lucerna ardens aſtrumque vocitatur matutinum? Lucerna ardens erat, ſed non proprio igne ardebat ſuccēſus, non propria luce lucebat. Stella erat matutina, ſed non à ſeipſo proprium lumen accepit, gratia ipſius quem præcurrebat in eo ardebat, & ſplendebat. Non erat ille lux, ſed vt particeps luminis; ſuum non erat quod in ſe & per ſe fulgebat. Vt enim ſuperius diximus, nulla rationalis & intellectualis creatura per ſeipſam ſubſtantialiter lux eſt, ſed participatio vnius ac veri luminis ſubſtantialis, quod vbicunque in omnibuſque intelligibiliter lucet. Propterea ſubditur. Erat autem lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Veram lucem dicit Dei filium per ſe ſubſiſtentem ante omnia ſecula genitum: veram lucem dicit eundem filium hominem ex homine propter homines factum. Ipſe eſt lux vera, qui de ſeipſo ait, Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ æternæ. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quid eſt venientem in mundum? Et quis eſt omnis homo veniens in hunc mundum? Et vnde venit in mundum? Et in quem mundum venit? Si de his quæ de occultis naturæ finibus in hunc mundum per generationem locis temporibúſque veniunt, acceperis: qualis illuminatio eſt in hac vita naſcentibus vt moriantur, creſcentibus vt corrumpantur, compoſitis vt ſoluantur, de quietudine ſilentis naturæ in inquietudinem tumultuantis miſeriæ cadentibus: dic quæſo qualis lux eſt ſpiritalis & vera procreatis in vita tranſitoria & falſa? Nunquid mundus iſte alienatus à vero lumine conueniens habitationi? nunquid non regio vmbræ mortis, & lachrimarum vallis, & ignorantiæ profundum, & terrena habitatio humanum animum grauās, & ex veri luminis conturitu interiores oculos eliminans non immerito dicitur? Non ergo de his qui de occultis ſeminum cauſis in ſpecies corporeas procedunt, debemus intelligere, Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſed de his qui ſpiritaliter per generationem gratiæ quæ datur in baptiſmate, in mundum veniunt inuiſibilem: qui natiuitatem quæ ſecundum corruptibile corpus eſt ſpernentes, natiuitatem quæ eſt ſecundum ſpiritum eligunt: mundum qui deorſum eſt calcantes, vmbras ignorantiæ & mortis deſerentes: lucem ſapientiæ & vitæ appetentes, filij hominum eſſe deſinentes, filij Dei fieri inchoantes: mundum vitiorum poſtponentes, & in ſemetipſis deſtruentes: mundum virtutum ante oculos mentis cōſtituentes, & in eum totis viribus aſcendere inhiantes. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorum ruunt. In mundo erat. In hoc loco mundum appellat non ſolum generaliter ſenſibilem naturam, verumetiam ſpecialiter rationalis creaturæ quæ in homine eſt ſubſtantiam. In his ſiquidem omnibus, & vt ſimpliciter dicam in vniuerſitate conditum verbum lux vera erat: idem ſubſiſtit, & ſemper erat, quia nunquam in omnibus ſubſiſtere deſiſtit. Vt enim qui loquitur, dum loqui ceſſat vox eius eſſe deſinit, & euaneſcit: ſic cæleſtis pater ſi verbum ſuum loqui ceſſauerit, effectus verbi, hoc eſt verbo vniuerſitas condita non ſubſiſtet. Vniuerſitatis nanque conditæ ſubſtitutio eſt & permanſio Dei patris locutio, hoc eſt æterna & incommutabilis ſui verbi generatio. Poteſt etiam non irrationabiliter de hoc mundo ſolummodo ſenſibili hæc ſententia intelligi, quæ ait, In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Ne forte quis putaret Manichææ hæreſis conſors mundum corporeis ſenſibus ſuccumbentem à diabolo fuiſſe creatum, & non à creatore omnium viſibilium & inuiſibilium: Theologus ſubnectit, In mundo erat, hoc eſt in mundo ſubſiſtit ille qui continet omnia. Et mundus per ipſum factus eſt. Non enim in alienis operibus vniuerſitatis conditor habitabat, ſed in ſuis quæ fecit. Animaduertere debemus beatum Euangeliſtam quater mundū nominaſſe, tres tamen mundos oportet nos intelligere. Quorum primus, qui abſolute ſolis inuiſibilibus & ſpiritalibus virtutum impletur ſubſtantiis: in quem quicunque venerit, plenam veræ lucis poſſidet participationem. Secundus qui præfato ponitur e diuerſo, quoniam abſolute ex viſibilibus & corporalibus conſtituitur naturis: & quamuis vniuerſitatis infimam obtineat proportionem, in eo tamen erat verbum, & per verbum factus eſt, & eſt primus gradus ad cognitionem veritatis aſcēdere per ſenſum volentibus. Species nanque viſibilium ratiocinantem attrahit animum. Tertius mūdus eſt, qui ratione medietatis, & ſuperiorem ſpiritalium,

& infe-

& inferiorem corporalium in ſeipſo copulat, & de duobus vnum facit, & in homine ſolo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur. Corpore enim conſtat & anima. Corpus de hoc mundo, & animam de altero mundo colligens vnum facit ornatum & corpus. Quæ de compagine vna conglobantur omnem mundanum hominis conficiunt ornatū, ideoque homo dicitur omnis. Omnis nanque creatura in ipſo veluti in officina quadam conflatur. Hinc & ipſe dominus prædicaturis diſcipulis præcepit, Pędicate euangelium omni creaturæ. Iſte igitur mundus, hoc eſt homo, creatorem ſuum non cognouit: neque per legis ſcriptæ ſymbola, neque per viſibilis creaturæ paradigmata Deum ſuum voluit cognoſcere carnalium cogitationum vinculis detentus. Et mundus eum oon cognouit. Noo cognouit Deum verbum, neque inhumanationem eius, per ſe ſola diuinitate nudum, nec poſt inhumanationem ſola incarnatione veſtitum: inuiſibilem ignorabat, viſibilem negabat: noluit quærentem ſequi, noluit audire vocantem, noluit colere deificantem, noluit recipere recipientem. In propria venit. In ea videlicet quæ per ipſum facta ſunt, ac per hoc propria illius non ſunt immerito. Et ſui eum noo receperunt. Sui ſunt omnes homines, quos voluit redimere, & redemit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius. Iam diuiditur non humanitas rationabilis mundi, ſed voluntas: ſegregantur receptores incarnationis à reſpuentibus eam: fideles credunt aduentum verbi, & libenter recipiunt dominum ſuum: impij negant, & contumaciter renuunt, Iudæi per inuidiam, Pagani per ignorantiam. Recipientibus dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: non recipientibus dat adhuc ſpacium recipiendi. A nullo enim aufertur poſſibilitas credendi Dei filium, & poſſibilitas eſſendi Dei filium. Hoc enim in arbitrio hominis, & cooperatione gratiæ conſtitutum eſt. Quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri? Recipientibus ſe videlicet, & credentibus in nomine eius. Multi recipiunt Chriſtum, ſed oon credunt in nomine eius, non credunt in oomine vnigeniti, qui filium Deo patri conſubſtantialem, id eſt, ὁμοούσιον negant, hoc eſt patri conſubſtantialem: ὁμοπάτριον eum affirmant, hoc eſt eſſentiam quæ pater eſt. Ac per hoc noo prodeſt eis Chriſtum recipere, dum conantur eius veritatem negare. Qui vero recipiunt Chriſtum verum Deum, & verum hominem, & hoc firmiſſime credunt: eis poſſibilitas data eſt filios Dei fieri. Qui noo ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Neque ex ſanguinibus (inquit) hoc eſt non corporalibus procreationibus, qui adoptionem filiorum Dei merito fidei adipiſcuntur, ſed à Deo patre per ſpiritum ſanctum in cohereditatem Chriſti, hoc eſt in confelicitatem vnigeniti Dei filij nati ſunt. Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Duplex introducitur ſexus, ex quo in carne naſcentium carnaliter numeroſitas propagatur. Carnis quidem nomine fœmineum, viri vero Euangeliſta maſculinum ſignificauit habitum. Et ne forte dicas, impoſſibile videtur mortales fieri immortales, corruptibiles corruptione carere, puros homines filios Dei eſſe, temporales, in æternitate poſſidere: ex his quæ maiora ſunt accipe argumentum, quo rei de qua dubitas poſſis fidem accommodare. Et verbum caro factum eſt. Si itaque quod plus eſt procul dubio præceſſit, cur incredibile videtur quod minus eſt poſſe conſequi? Si filius Dei factus eſt homo (quod nemo eorum qui eum recipiunt ambigit) quid mirum, ſi homo credens in filium Dei, filius Dei futurus ſit? Ad hoc ſiquidem verbum in carnem deſcendit, vt in ipſum caro, id eſt homo credens per carnem in verbum aſcendat, vt per naturalem filium vnigenitū multi filij efficiantur adoptiui. Non propter ſeipſum verbum caro factum eſt, ſed propter nos, qui non niſi per verbi carnem potuiſſemus in Dei filios tranſmutari. Solus deſcendit, vt cum multis aſcenderet: de hominibus facit Deos, qui de Deo fecit hominem. Et habitauit in oobis. Id eſt, naturam noſtram poſſedit vt ſuæ naturę participes faceret nos. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Vbi vidiſti beate Theologe gloriam incarnati verbi? gloriam inhumanatá filij Dei quomodo vidiſti, qualibus oculis perſpexiſti? Corporalibus (vt opinor) in monte, transformationis tempore. Tunc enim tertius aderas teſtis diuinæ glorificationis, præſens eras (vt exiſtimo) in Hieruſalem, & audiſti vocem patris filium ſuum glorificantem & dicentem, Et clarificaui, & iterum clarificabo, Audiſti turbas infantium glorificantium, & Oſanna filio Dauid dicentium. Quid dicam de gloria reſurrectionis? vidiſti eum reſurgentem à mortuis, dum ad te cæteróſque tuos condiſcipulos clauſis intrauit ianuis. Vidiſti gloriam eius aſcendentis ad patrem, quomodo ab angelis eſt aſſumptus in cælum: & ſuper hæc omnia altiſſimo mentis contuitu contemplatus es illud dico verbum in principio ſuo apud patrem ſuum, vbi gloriam eius vidiſti. Quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Duplex huius periodi intellectus eſt. Poteſt enim de humanitate ac diuinitate incarnati verbi accipi: ita vt plenitudo gratiæ referatur ad humanitatem, plenitudo vero veritatis, ad diuinitatem. Verbum quippe incarnatum dominus noſter Ieſus Chriſtus plenitudinem gratiæ ſecundum humanitatem accepit, quoniam caput eſt eccleſiæ, & primogenitus eſt creaturæ vniuerſæ: hoc eſt totius vniuerſaliter humanitatis, quæ in ipſo, & per ipſum ſanata & reſtituta eſt. In Chriſto dico, quoniam maximū & principale exemplum gratię qua nullis præcedētibus meritis homo efficitur Deus, ipſe eſt, & in ipſo primordialiter manifeſtatum eſt. Per ipſum vero, quoniam de plenitudine diuinitatis eius nos omnes accepimus, gratiam deificationis per gratiam fidei qua in eum credimus, & actionem qua mandata eius cuſtodimus, Poteſt etiam plenitudo gratiæ Chriſti de ſpiritu ſancto intelligi. Spiritus nanque ſanctus quoniam diſtributor eſt & operator donationū gratiæ, gratia ſolet appellari: cuius ſpiritus ſeptiformis operatio humanitatem Chriſti impleuit: & in quo requieuit, ſicut ait Propheta, Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris domini. Si ergo de Chriſto per ſeipſum vis accipere quod dictum eſt, Plenum gratię: de plenitudine deificationis & ſanctificationis ſecūdum humanitatem cognoſce, Deificationis dico, quia homo & Deus in vnitatem vnius ſubſtantiæ adunati ſunt. Sanctificationis vero, quia non ſolum de ſpiritu ſancto

ſto conceptus, verum etiam plenitudine donationum eius repletus eſt: ac veluti in ſummitate myſtici eccleſiæ candelabri gratiarum lampades in ipſo, & de ipſo fulſere. Si vero plenitudinem gratiæ & veritatis incarnationem verbi de nouo teſtamento mauis intelligere, ſicut idem Euangeliſta paulo poſt videtur ſenſiſſe (ait enim, Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt) non incongrue pronunciabis plenitudinem gratiæ eſſe noui teſtamenti per Chriſtum donatam, & legalium ſymbolorum veritatem in ipſo eſſe impletam: ſicut ait Apoſtolus, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat: Plenitudinem videlicet diuinitatis myſticos legalium vmbrarum intellectus appellans, quos Chriſtus in carnem veniẽs in ſeipſo corporaliter, hoc eſt veraciter, habitaſſe & docuit, & manifeſtauit: quoniam ipſe eſt fons & plenitudo gratiarum, veritas ſymbolorum legalium, finis & propheticarum viſionũ. Cui gloria cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

S. IOANNIS CHRYSOS.

in idem Euang. Hom. 1.

Eſt Hom. 1. in Ioan. IN *principio erat verbum.* Cùm Ioannes hoc libro doctrinam ſuam nobis annunciaturus ſit, neceſſe eſt & genus patriámque & vitam eius oſtendere. Verùm cùm non ipſe, ſed per ipſum Deus humanam alloquatur naturam, ſuperuacaneum videri poteſt huiuſmodi in præſentia diſquirere. Sed profectò admodum peropus eſt, quippe cùm quis *Ioan. 7. g* Ioannes fuerit, & vnde, & quibus ortus parentibus, deinde eius vocem ſapientiámque didiceris, non illius eſſe doctrinam, ſed diuinæ virtutis, quæ *Ibidem. 1. g* eius animam inſpirauit, planè cognoſces. Quæ igitur fuit patria? Nulla quidem, ſed è villa & regione abiecta, nulli rei vtili. Galilæam enim contemnunt ſcribæ cùm inquiũt, Interroga, & vide quod ex Galilæa non ſurgit propheta. Nec non & verus Iſraelita: Ex Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Huiuſmodi Ioannes patria non modo nõ inſigni aliqua familia, ſed ne nota quidem, ortus eſt patre piſcatore adeò paupere, vt eandem artem filios erudiret. Nemo autem ignorat nullum opificem cupere ſibi filium ſuæ artis hæredem relinquere, niſi nimia paupertate cogatur, maximè ſi ars eius vilis ſit & abiecta: piſcatoribus verò nihil pauperius, nihil abiectius: addo etiã indoctius, in eorum autem numero alij aliis præſtant, hunc autẽ Apoſtolum ex vilioribus fuiſſe, id argumentum eſt, quod non in mari, ſed paruo quodam in ſtagno, cum patre & Iacobo fratre piſcabatur, ſciſſaque reſarciebat retia, quod non modicæ erat paupertatis indicium. Sic eum vocauit Chriſtus. Ex his ſanè intelligi poteſt, quam expers fuerit externæ doctrinæ, & omnium penitus ſtudiorum. Lucas etiam non ſolum indoctum, ſed ignarum omnino literarum fuiſſe teſtatur, & rectè quidem. Nam qui cum adeò inopia laboraret, vt nec in foro verſaretur neque virorum præſtantium vllam haberet conſuetudinem, ſed piſcationi toto animo intenderet, vel ſi cui aliquando congrederetur, ſi piſcatores eſſent & coqui, quid nam feris & brutis præſtare debuiſſet? Quid non piſcium potius more obmutuiſſet? Hic tamẽ piſcator circum ſtagna, retia, piſces, ſemper verſatus à Bethſaida Galilææ patre piſcatore paupere & rudi, qui literas, neque antè, neque poſtquam Chriſtum ſecutus eſt, vſquam didicit, videamus quid loquitur quam aggreditur diſputationem. Nunquid de rebus agreſtibus aut fluuialibus, quibúſve inſtrumentis piſces capiantur? Huiuſmodi enim à piſcatore cognoſcere quiſpiam expectaret. Verùm aliud narrantem audiemus, hoc eſt, qui in cælo ſunt, & quæ nemo vnquam ante hac intellexit. Talem enim & tam profundam doctrinam, vitam optimam, & philoſophiam ad nos affert, qualẽ credibile eſt ab ipſis ſpiritus ſancti theſauris accepiſſe, tanquam modo ex ipſo cælo deſcẽderit, imò neque omnes, qui in cælo ſunt, ſcire ea credendum eſt, vt iam diximus. Nunquid hæc tibi piſcatoris videntur, an oratoris potius, an philoſophi, an alius cuiuſpiam in hac exteriori edocti ſapiẽtia? Nequaquam: non enim humanæ ſimpliciter eſt animæ de immortali & beata illa natura, & quæ cum illa ſunt poteſtatibus de natura corporum mortalium, & eorum futura immortalitate, de ſupplicio, de futuro iudicio, per verborum, operum, cogitationum, & ſententiæ, vniuſcuiuſque examinibus intelligere, quid homo ſit, quid mundus: quid vere ſit, quid cùm non ſit, eſſe videatur, quid vitium, quid virtus. Horum nanque nõnulla Platonici & Pythagorei inueſtigare contenderunt. Neque enim reliqui nobis philoſophi memorandi ſunt, qui in huiuſmodi diſputationibus perridiculi reperiuntur. hi etiã qui apud eos præ cæteris admirationi fuerunt, & illius ſcientiæ habiti ſunt principes, hi maximè ſunt, qui & reſpublicas & leges condiderunt in quibus longè magis, quàm pueri ſunt deridendi, cum mulieres omnibus communes inſtituerint, & mores nuptiarũ pudorem omnémque denique vitam tam ridiculis corrũperent ſanctionibus. Vt autem doctrinam aliquam de animo afferrent, nihil turpitudinis reliquerũt. Quippe qui mures, culices, frutices hominum animas fieri, & Deum ipſum animam eſſe, & alia quædam huiuſmodi turpiſſimè aſſererent. Neque hoc ſolùm vituperandum eſt, ſed magnus eſt ipſorum verborum Euripus. Quemadmodum enim qui in Euripo ſunt, huc illuc iactantur: itidem hi nunquam ſibi conſtant, vt pote incerta, & fragili ſententia omnia loquentes. Verùm hic piſcator omnia abſque vlla dubitatione diſſerens, tanquam petræ innixus, nulla ex parte titubat. Ipſis nanque ſupernis penetralibus dignus habitus eſt, & quum omnipotentem Deum in ſe loquentem habeat, nihil terrenum ſentit, vt illi, qui ne per quietem quidem regias ingredi meriti ſunt: ſed extra in foro & in aliorum hominum cõſuetudine pro captu ſuo inuiſibilia coniectantes, multis ſe ambagibus inuoluerunt, quum de ſupernis myſteriis diſputare contenderint, & tanquam cæci & ebrij non mutuo duntaxat errore, ſed pleriſque in locis ſecum iiſdem ſemper rebus diſſideant. Atqui illiteratus hic, & rudis à Bethſaida Zebedæi filius, etſi ſæpenumero nominum aſperitatem Græci deriſerint, audenter tamen dicam. Quanto enim magis noſtra gens barbara illis videtur, & gentili ornatu & cultu abſtinet: tãto noſtra apparent clariora. Hic, inquam, barbarus & ineruditus hæc loquitur, quæ nemo vnquam mortalium nouit: neque loquitur tantùm, ſed perſuadet. Quod ſi illud duntaxat aſſecutus eſſet, & non paruam de ſe concitaſſet admirationem. Nunc quum alterum accedat longè

mirabilius

mirabilius quod maximè arguit diuina eſſe, quæ ab eo dicuntur, quod per omne huius vitæ curriculum, doctrinam ſuam vniuerſis perſuaſerit auditoribus. Quis infuſam ei virtutem incredibili admiratione non proſequatur? Et profectò hoc maximum eſt argumentum, nihil ex ſeipſo Ioannem locutum, qui ex media barbarie Euangelio ſuo vniuerſum comprehēdit orbem. Corpore autem habitauit Aſiam, vbi antiquitus omnes philoſophorū ſectæ philoſophatæ ſunt: ideirco locus is dæmonibus obnoxius eſt, & admodū formidabilis. In medio tamē inimicorum claruit, illorum fugata caligine, arcē euertit quàm munitiſſimam. Animo verò in eum ſeceſſiſſet locum, qui idoneus & accommodatus ei eſſet qui eiuſmodi operaretur: vt gentilium opiniones penitus abolerentur, ſua autem indies fierent clariora. Ex quo enim & hic & reliqui piſcatores fuerunt, & Pythagoreæ & Platonicæ ſiluerunt diſciplinæ, quæ ſuperiori tempore tanti nominis & authoritatis ferebantur, vt ne nomine quidem à pleriſque ſint cognitæ. Atqui & Plato ad tyrannos ſe contulit accitus, vt aiunt, & multis cum ſociis in Siciliam nauigauit. Pythagoras verò magnam Græciam inhabitans, innumera magicæ genera nouit. Cum bobus enim loqui, hoc enim ipſum feciſſe aiunt, nihil aliud eſt quam magica, & inde maximè conſtat. Nam qui bruta ita allocutus eſt, nulli hominum profuit plurimum. Atqui aptior ad philoſophicas rationes humana natura eſt: ille tamen cum aquilis & bobus, vt ferunt, diſputans præſtigiis alliciebat: neque enim rationis expertem naturam, vt oratione vteretur, effecit: neque enim humanis viribus fieri poteſt, ſed mendaciis decepit ignaros, & nulla ex parte humanæ conſulens vtilitati, æquum non eſſe, & fabas edere, & plantarum capita auditoribus perſuaſit. Quódque præceptoris anima nunc in fruticem, nunc in puellam, nunc in piſcem verteretur. Nónne meritò illa omnia extinxit, aboleuítque vera & perfecta doctrina? Meritò ſanè & rectè quidem optima, ſed non itidem indocti, & illiterati viri doctrina euanuit. Verùm Syri, Ægyptij, Indi, Perſæ, Æthiopes & innumeræ aliæ gentes, in ſuam transferentes linguam homines barbari philoſophari didicerunt. Non temerè igitur dixeram Ioāni theatrum eſſe vniuerſum orbem. Non enim ſuis omiſſis hominibus, ad brutorum naturas inueſtigandas elaborauit: quod ſuperuacaneæ, & inanis philoſophiæ, & ſummæ amentiæ eſt: ſed cum cæteris omnibus, hoc quoque morbo expulſo, id tantum adniſus eſt, & totis viribus contendit: vt vniuerſus orbis vtilitatem & virtutem à terra in cælum transferre diſceret. Idcirco nulla caligine, nullis tenebris ſuam operuit doctrinam, vt illi ratione ſua prauis opinionibus obſcuritatem, tanquam velum quoddam indiderūt. Huius autem doctrina ſolis radiis clarior eſt atque illuſtrior, ideóque in omnes mortales propagata. Non enim his qui ſibi cum conſuetudinem habebat, quinque annorum indixit ſilentium, quemadmodum ille. Nec ſic docuit tanquam inſenſibilibus aſſideret lapidibus, neque numeris omnia contineri fabulatus eſt: ſed omni eiecto ſatanæ faſtidio atque illuuie, tanta doctrinam ſuam perfudit facilitate, vt non modo ſapiētibus, ſed & mulierculis & adoleſcentulis, quicquid dixerit antè oculos poneret. Ea enim & vera eſſe & vtilia audituris omnibus confirmauit: quod omnia poſt illum ſecula teſtimonia perhibent. Vniuerſum nanque ad ſe orbem allexit, & ab omni calamitate vitam noſtram liberam reddidit, poſtquam nobis ſuam communicauit doctrinam. Quapropter mortem potius quàm Ioannis præcepta contemnere malumus, quæ planè conſtat nihil abiectum, nihil humanum ſapere, ſed diuinum & cæleſte eſſe, quicquid è ſacro eius pectore emanauit. Nullum hic tumorem verborum atque fucum, nullam ſuperfluam compoſitionem & ſtilum ineptū videbimus (longè enim hæc ab omni abſunt philoſophia) ſed diuinum & inexpugnabile robur, & ſacrorum dogmatū tantam vim, vt nullo poſſit pacto ſuperari: præterea innumerabilium bonorum ſocietatem. Verborum ſanè & orationis curioſitas ſuperflua eſt, & ſophiſtis digna, vel potius ignaris adoleſcentibus, vt ipſe quoque apud eos philoſophus inducat magiſtrum ſuum admodum hanc artem apud iudices coarguentem, quòd verba ab ipſo audiāt ſimplici, vt ita dicam, doctrina ſubruſtica, nullis vocabulorū fucata illecebris. Haud enim decet, inquit ô viri hac in ætate, ficta fucatáque oratione adoleſcētuli more me audiatis. Et animaduertite quàm ſit ridiculus. Quod enim tanquam turpe, philoſophiáque indignum, & adoleſcentulorum opus fugere profeſſus eſt, huic ipſe maximè operam dedit, hoc vnum ſummo ſtudio cōtendit, & nihil in Platone præter hoc admiratione dignum videre licet. Et quemadmodum ſepulchra extrinſecus ornata, ſi exteriorem illam faciem amoueris, cadauerum ſanie, & exeſorum oſſium plena reperiuntur: itidem in philoſophorum opinionibus, detecta verborum ſuperficie & ornatu, multa inana abſurdáque deprehenderis, maximè vbi de anima philoſophantur, nunc honore, nunc cōtumelia, nullo modo modeſtiáve adhibita eam afficientes. Hoc diabolicum rectè eſt, nulla ex parte mediocritatem ſeruare, ſed in alterutrum extremorum aliectos animos ad errorem trahere, cum nunc ad diuinam ſubſtantiam, neque modo, neque pietate ſeruata eam afferat, nunc in ſues & aſinos, & abiectiora quæque animantia turpiter inducat. Verū de his ſatis ſupérque. Si quid enim ab his vtilitatis accipi poſſet, amplius huic ſermoni eſſet immorandum: ſin adeo friuola, turpia, ridicula, deſpicienda ſunt & ſuperuacanea. Quare tādem eorum fabulis omiſſis, veram aggrediamur doctrinam, quæ ad nos per huius piſcatoris linguam cælitus deducitur. Nihil enim humanum, nil terrenum ſapit. Agite igitur ipſam Ioannis orationem in medium proferamus, & quod principio hortati ſumus, vt diligenti attentione his ſermonibus vacaretis, id vobis in præſentia in memoriam reducimus. Qua nanque ratione Ioannes ita in Euanlio ſuo exorſus eſt, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*? Animaduerte euangeliſtæ fiduciā, & verborum vim. Nihil dubitat, nihil coniectatur: ſed certa omnia aſſertione proloquitur. Magiſtri ſiquidem eſt in his quæ dicit, nihil ambigere. Nam ſi his qui alios docet, alterius indiguerit doctrina: non præceptoris, ſed diſcipuli ſe munere fungi (ſi rectè iudicabit) intelliget. At ſi quis ambigeret, quid tandem prima omiſſa cauſa, ad ſecundam quàm primùm tranſit? Primum quidem & ſecundum in hac re prætermittamus. Non enim noſtra hæc. Nam & numero & omni temporū conſequentia diuinitas prior eſt & ſuperior.

Quapropter

Quapropter his omiſſis, patrem à nullo eſſe, filium à patre genitum confiteamur. Rectè, inquit, Verum, quonam pacto nulla habita patris mentione, de filio ſermonem aggreditur? Quoniam omnibus patrem eſſe conſtabat, ſi non vt patrem, ſaltem vt Deum, vnigenitus autem ignorabatur. Quare haud immeritò ad eius cognitionē à principio ſtatim feſtinauit, vt neſcientibus eum oſtenderet. Præterea neque patrem in filij mentione ſubticuit: & cognoſce, quæſo, ſpiritualem ſapientiam. Nouit homines antiquitus præ omnibus maximè Deum & venerari, & aſſerere. Idcirco hinc principium fecit, & proſequens Deum, inquit, eſſe, non qualem Plato, qui alterum mentem, alterum animum eſſe profitetur. Hæc enim à diuina & immortali natura, quæ nihil habet nobiſcum commune, longè abſunt: ſed receſſit communicatione ad creaturam: ſecundum ſubſtantiam dico, non ſecundum habitudinem. Præterea verbū ipſum appellauit. Cùm enim nos docturus eſſet hoc verbum vnigenitum eſſe Dei filium, ne paſſibilem quiſpiam naturam ſuſpicaretur, præoccupata verbi appellatione omnem auferri ſuſpicionem. Vnde enim & filium & nulli paſſioni ſubiectum ſignificat. Vidéſne, vt dixi, qui eum de filio loquitur, patrem non ſubticet? Quod ſi hæc ſatis non ſunt ad omnia oſtendenda, nulla te admiratio teneat. De Deo enim nobis ſermo eſt, quem neque dicere, neque intelligere pro ipſius magnitudine quiſquam poteſt, ideo Ioannes ſubſtantiæ nequaquam nomen ſufert. Quippe quum dici nequeat, quænam Dei ſit ſubſtantia, vbique autem eum nobis ex operibus manifeſtat. Siquidem hoc verbum paulò pòſt videri licet lumen appellatum, & lucem vitam, & vitam veritatem. Non tamē hac duntaxat cauſa his eum nominibus appellauit, ſed hac quidem prima, altera quoniam nobis patrem annunciaturus erat.
Ioan. 15. b. Omnia enim, inquit, quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Vocat autem ipſum, & vitam, & lucem. Nam à notione lux nobis largita eſt, & à luce vita. Et profectò non vnum nobis nomen, non duo, nō etiam plura, ſatis ſunt ad diuinas res edocendas: ſed acquieſcamus, ſi vel multis, quamuis obſcurè, quæ Deo attribuuntur, poſſumus percurrere. Non autem ſimpliciter eum appellauit, ſed cum articuli adiectione à reliquis ipſum hoc loco ſeparans. Age quàm verè dixerim, à cælo hunc nos euangeliſtā allocutum. Contemplare quomodo ab ipſo ſtatim exordio ſupernè aduolans, auditorum animos, mentéſque ſupra omnia, quę ſenſu percipiuntur, erexerit ſupra terram, mare, cælum, angelos, Cherubin, Seraphin, omnem denique creaturam: & vt eo aſcenderet, perſuaſit. Quid igitur? Nunquid cùm ad tantam nos erigeret altitudinem, ibi nos ſiſtere potuit? Nequaquam. Sed quemadmodum ſi quis eum, ex litore ciuitates, ora, portúſque conſpicatus ſit, in medium poſtmodum pelagus proueheret, priorum conſpectu amoto in nullum certū obiectum, ſed in infinitum eius dimittit intuitum: ſic Euangeliſta ſupra omnem nos creaturam ad cæleſtia erigens, ad ſupernum erectum oculum dimittit: nullo fine, vt arcana illa aſſequamur, nobis adhibito, quippe qui nullus eſt. Aſcendens igitur ad verbum, quod in principio erat, hoc inquirit principiū: quo inuento, cùm ſemper eius mētis aciem, magis perſtringat, nō habet vbi ratione innitatur, ſed intentè ſuſpiciens, cùm ceſſare nequaquam ab inquirendi labore poſſit, rurſum ad inferiora deſcendit. *In principio enim erat verbum.* Nihil aliud quam quod ſemper ſit, ſignificat. Ecce veram philoſophiam, & diuina dogmata, non qualia Gentilium, qui tempora, & Deos hos antiquiores, alios iuniores poſuerunt, ſed nihil tale in noſtra religione. Nam ſi Deus eſt, quemadmodum eſt, nihil eo ſuperius: ſi omniū conditor, primus: ſi dominus & princeps omniū, omnia poſt ipſum & creaturæ, & ſecula. Volebam & alia in præſentia vobis exponere, niſi vererer animos veſtros audiendo defatigatos. Quare his admonitis, quæ ſint vobis ad dictorum dicendorúmque attentionem vtilia, finem noſtræ imponamus orationi.

Quænam igitur ea ſunt? Scio plurimos verborum longitudinē faſtidire, quod eo fit, quoniam anima multis ſecularibus curis oneribúſque opprimitur. Sicut enim oculorum acies pura & lucida acutè omnia intuetur, neq; etiā in tenuiſſimis deprehendendis corporibus elaborat: verùm ſi quis malus à capite humor, vel caligo aliqua ad oculum aſcendit, denſa quædam ante pupillam nebula obiicitur, quæ ne craſſiora quidem corpora videre ſinit: Ita animæ vſu venit, cùm omnis perturbatio quæ eam offenderat, purgata eſt, intimè opportuna omnia proſpicit: verùm cum plurimis turbatur affectibus, vim omnem illam amittit, vt nihil altum valeat intueri, ſed quam primum nebula obiecta, & ſomno, atque ſegnicie, quæ ad virtutem & vitam vtilia ſunt, nulla in his capeſſendis alacritate contēdit. Hoc ne vobis accidat: non enim omittā, quin ſemper vos admonitos faciam, animum adhibeatis diligenter, ne ea vobis dicantur, quæ fidelibus Hebręorum à Paulo, cùm multa ſe ad eos interpretatu difficilia locutum diceret: non quod ſuapte natura talia eſſent, ſed quod deſidiæ eos & negligentiæ in his accipiendis argueret. Qui enim infirmus imbecilliſque eſt, non ſecus breui, quàm longa oratione perturbatur. & quæ manifeſta & facillima ſunt, difficilia eſſe autumat. Nemo in hac concione huiuſmodi affectibus coinquinetur, ſed omni huius ſeculi cura, ſolicitudinéque abiecta, diligenter huic aures doctrinæ adhibeat. Quippe cùm pecuniarum fames auditorum animos occupauit, nulla profectò ratione huiuſmodi in aliis rebus accipiendis deſiderio flagrare poterunt. Neque enim vnius anima multis ſufficere poteſt cupiditatibus, ſed ab alia, alia opprimitur, & diuiſa fit imbecillior, cùm alia dominetur, & totum ad ſe animum trahat, quod in liberorum amore vſu venit. Nam qui vnū duntaxat habet, eum incredibili animi ardore proſequitur: qui plures, in eo diuiſi affectus inferiores redduntur. Quod ſi in naturali charitate & vi, & cognato amore euenire conſueuit, quidnam in eo, quod à voluntate & arbitrio noſtro proficiſcitur æſtimandum eſt, maximè cùm harum rerum amatores pugnantes inter ſe affectus, & cupiditates habeant? Contrarius pecuniarum amor huiuſmodi attentionis deſiderio eſt. Huc ingreſſi, cælum ingredimur: non in hanc concionem dico, ſed ſi animos ad eam attentè audiendam præparabimus, terreſtrem vitam agentes cælum aſcendere, & cæleſtia deprehendere, & audire poſſimus, quibus nemo terrena admiſceat. Nemo in hoc conſeſſu domeſticarum rerum cura impediatur, hinc emolumentum & ad domeſticos

ſticos parietes, & ad forum afferre, & nobiſcum tenere oportuit, non animam domeſticis, & fori oneribus cogitationibúſque opprimere. Ideo doctrinæ ſedem ingredimur, vt omni penitus ſorde abluamur. Nam ſi parum ſtudij diligentiæque diuinis ſermonibus, huius ſeculi occupationibus diſtracti, adhibuerimus, longè ſatius hac concione abſtinuiſſemus. Nemo igitur in eccleſia ſuper domo & familia cogitet, ſed domi eccleſiam, & diuinas res animo complectatur. Hæc cæteris rebus omnibus ſint nobis precioſiora: hæc enim animæ ſunt, illa verò corporis, imò & animæ & corpori hæc plurimum conferunt: idcirco ea nobis omnium potiſſima ducamus, reliqua, ſupervacanea. Diuina nanque & præſenti & futuræ vitæ accommodata ſunt: terrena verò neutri, niſi ab illis præſcripta lege moderentur. Non enim duntaxat quales futuri ſimus, & quo pacto illam victuri ſimus vitam cognoſcere oportet, ſed quanam ratione in hoc quoque ſeculo peregrinandum nobis eſt. Et profectò ædes hæc huius vitæ ſpiritualis eſt medicina, vt quæ exterius acceperimus vulnera, hic curare poſſimus, non vt nouis acceptis diſcedamus. Quod niſi ſpiritus ſancti ſermonibus vacauerimus, non modo priores non ablueremus nequitias, ſed & aliis coinquinabimur. Sũma itaque diligentia his quę nobis cælitus reuelata ſunt, attendamus. Neque multum laboris ſupererit, ſi principium & materiam ipſam curabimus intelligere, ſed paruo primum labore ſuſcepto, alios deinde ſecundum Paulum admonere poterimus (hic enim Apoſtolus quàm altiſſimè erigitur, & incredibilem effundit doctrinam, in qua longè magis, quàm cæteri immoratur) ne friuolis & ſuperuacaneis imbuamur. Quamobrem hæc paulatim exponimus, vt facilia ante oculos nobis ponantur, néve excidant. Magna nos formido teneat ne diuinæ ſententiæ ſiamus obnoxij, cùm inquit: Si non veniſſem, & locutus eis non eſſem, peccatum non haberent. Et quidem amplius quàm qui nihil audierunt, conſequemur: cùm auditis diuinis ſermonibus, nihil ex his domum referimus, ſed verba tantum admiremur. Date igitur nobis, vt in bonam terram ſemen iaciamus: curate, vt ad id recipiendum præparemini, & ſi quis ſpinas fouerit, ſpiritui ſancti ignem iniciat: ſi quis durum & contumax cor habuerit, eodem igne & molle reddet & placabile: ſi quis ſecus viam multis cogitationibus conculcatur, interiora petat, neque his aſſideat quæ ipſum vnco, ad ſe trahere annituntur, vt bonarum ſegetum in vobis exuberantium prouentum pulcherrimum conſpicemur. Hoc pacto noſipſos eutabimus, & incredibili deſiderio hos ſpirituales ſermones hauriemus: & ſi nó vno ſtatim momento, paulatim ſaltē omnibus

Ioan. 15. d

ſecularibus moleſtiis liberabimur. Quare ſumma nobis attentione elaborandum eſt, ne nobis dicatur, quod aſpidis ſurdę aures habeamus. Quid enim à fera talis differt auditor? Nónne omnibus brutis eſt rationis expertior, qui loquẽtem Deum audire dedignatur? Si Deo placere hominis eſt qui audire negligit, quanam ratione id aſſequetur? is profectò nil differt à belua. Cõſidera igitur quàm turpe quàm ſceleſtum ſit: cùm Chriſtus nos ex hominibus angelos fieri velit, ex hominibus in beluas ſponte noſtra mutari. Ventri enim ſeruire, & pecuniarum cupiditati ſemper inhiare, iraſci, mordere, calcitrare, non hominum, ſed beluarum potius eſt. Atque ſingulæ belue ſingulos, vt ita dicam, habent affectus, tu diuina vita primùm abiecta, omnia, ſi pro arbitrio indulges non modo belua, ſed monſtrũ multiforme & varium euadit, neque vllam à natura veniam meretur. A voluntate enim & ſentẽtia omnis ea malitia proficiſcetur. Sed abſit, vt hoc vnquam de Chriſti eccleſia ſuſpicemur: de vobis quidem meliora, & quæ ad ſalutem faciãt, perſuaſimus. Verùm quò magis hoc nobis perſuademus eò vehementius rationibus, quę ab omni immũdicia præſeruare poſſint, inuigilabimus: vt ipſum virtutum cacumen euadẽtes, quę nobis promittunt, bona conſequamur, gratiâ & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 2.

Eſt. Hom. 1. in Ioan.

IN *principio erat verbum.* Superuacaneum iam mihi videtur vos admonitos facere, vt æquo animo, attẽtè meam accipiatis orationem. Siquidem quamprimum eius audiendæ re ipſa incredibilem præ vobis tuliſtis cupiditatem. Hic enim concurſus frequens, & diligens attentio, impulſióque & pręparatio, vt ea à vobis loca occupẽtur, vnde clarius exaudiamur, necnon veſtra in tanta anguſtia perſeuerantia, quoúſque ſpirituale hoc dimittatur ſpectaculum: adhæc plauſus, tumultus, & alia huiuſmodi maximum animi, & feruoris veſtri ſunt argumentum. Quocirca ſuperflua hac admonitione omiſſa, illud vos admonendos hortandóſque cenſeo pernecceſſarium, vt quo nũc eſtis animo perſeueretis, neque in hoc tantum conſeſſu, ſed domi quoque, vir cum vxore, pater cum filio inuicem de his frequenter loquantur, & vltro citróque ſuam & ferant & inquirant ſententiam, velíntque probatiſſimam hanc & pulcherrimam inducere conſuetudinem. Nec mihi quiſpiam dicat, pueros in hoc occupari non oportere, Non enim tantum opus eſt, vt his vacent admonitionibus, verumetiam ſolis imbecillitatis tamen veſtræ gratia hoc non dicimus, neque eos à ſecularibus & terrenis rebus, quemadmodum neque vos à ciuilibus negotiis abducimus. Atqui è ſeptem his diebus vnum ad communis omnium domini cultum, ſeruitiúmque collocandum meritò arbitramur. Nónne ridiculum eſt, vt ſeruulos noſtros in noſtris ſemper negotiis occupatos velimus, nos verò nullum Deo exhibere ſeruitium, præſertim cũ noſtra omnis ſeruitus nihil ei quicquam conferat? Deus enim nulla re indiget, ſed ad noſtram penitus redundat vtilitatem. Vos autem ad ſpectacula filiis adductis, neque ad doctrinam, neque ad vllam bonam frugem eos vnquam hortamini. Verùm ſi quid ſanctum, ſi quid ſpirituale comparandum, cogendúmve fuerit: inanem id appellatis ſolicitudinem. Nónne iram Dei in vos meritò prouocatis, cùm cæteris rebus & certo tempore & diligenti cura adhibita, in diuinarum rerum doctrina pueros exerceri, moleſtũ intempeſtiuúmque ducitis? Non ſic, non ſic, inquam fratres dilectiſſimi. Hæc profectò ætas his maximè admonitionibus indiget: tenera eſt, & citò quæ ei inſtillantur, imbibit, & audita accipit: tanquam ſigillo auditus ceræ, hoc eſt puerorum animis

 impreſſo.

impreſſo. Præterea & vita eius inaudita eſt, & in ipſis fieret inanis, vt vel ad virtutem, vel ad vitium facilè poſſit deflectere. Si quis igitur eos ab ipſis incunabulis & quaſi vitiorum veſtibulis, ad vitam virtutis abſtraheret, in habitu quodam & natura recta viuendi eos confirmaret: neque ſponte ſua facilè in deteriora prolaberentur, cùm eiuſmodi à teneris aſſuetudo ad virtutem eos alliceret. Hoc pacto & maiores diligentius obſeruabunt, & reuerebuntur, & ciuilibus in rebus vtiliores reperientur. Siquidem ab ineunte ętate ſeniorum mores edocebuntur. Neque enim fieri, vt ſic dicam, poteſt, qui his aures adhibet, hiſque ſe apoſtolicis admonitionibus prompto animo offert: quin incredibile quoddam bonum, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue iuuenis, huius menſæ particeps conſequatur. Nam ſi beluas verbis & ratione nonnunquam manſuetudinem erudimus, longè magis ſpiritualis hac doctrina cum hominibus communicata id efficiemus, cùm vtriuſque medicinæ ſcilicet & eius qui curatur, maxima ſit differentia. Neque enim in nobis ea eſt, quæ in illis feritas: altera naturæ eſt, altera voluntatis. Neque rationis vis eadem, illa humanæ eſt ſententiæ, hæc ſpiritus ſancti gratiæ & virtutis: Quam ſi quiſpiam ſe conſecuturum deſperet, intelligat feras manſueſcere ſolere, & nunquam ſibiipſi diffidet, frequenter hanc ſibi medicinam capetat, ſpiritus ſancti leges omni tempore audiat, & repetita domo, quæ audierit, memori tandem menti inſcribat. Hoc pacto & ſpe bona, & ſecuritate viuet plurima, ipſáque experiẽtia planè quàtopere proficiat, intelliget. Quippe cùm diabolus diuinã legem animæ inſcriptam, & cor hominis Dei tabulam factum conſpicatur, eò ſe amplius conferre formidat. Vbi enim literæ regiæ, non aureo titulo, ſed dilecti ſeruuli Ieſu menti animóque impreſſæ, cauperanti ſpiritus ſancti gratia effulſerint: ille nullo pacto perpeti aut conſiſtere poteſt, ſed longè formidoloſus effugit. Nihil enim adeò eius cõſilia perturbat & proterit, quàm qui ad diuinarum rerum cogitationem animus erigitur, & ſupernum hunc atque vberrimum fontẽ haurire ſemper deſiderat. Eum, inquam, animum nihil humanum, quamuis moleſtiſſimum perturbare, nihil quamuis magnum & exoptabile, inflare & ſuperbia efferre poterit: ſed in tantis huius ſeculi fluctibus, perturbationibúſque in multa viuit tranquillitate. Neque enim natura, ſed mentis noſtræ imbecillitate perturbamur. Nam ſi natura id nobis inditum eſſet, omnes quidem homines neceſſariò perturbarentur. Omnes enim idem nauigamus pelagus, cuius & fluctuum & tempeſtatum immunes nullo pacto eſſe poſſemus. Quod ſi extra huius inſani maris fluctus tempeſtatéſque multi reperiuntur, proculdubio conſtat eos affectus, non à rebus humanis, ſed animi tãtùm vitio inſaniáque proficiſci: quem ſi tam firmo ſiſteremus propoſito, vt omnes caſus facilè toleraret, nihil nobis hyemis, nihil tempeſtatis, quieto & tranquillo mari relinqueret. Verùm neſcio quo pacto, cùm nihil de his dicere propoſuerim, in hanc diuerterim admonitionem. Ignoſcite quæſo orationis noſtræ longitudini. Etenim non parum veritus ſum, ne quando hoc vobis remiſſius ſtudium fieret, néve faſtidio afficeremini, cuius niſi dubius fuiſſem, nulla huiuſmodi nobis orta eſſet diſputatio. Satis enim id nobis omnia facilia & reddere & ſubminiſtrare poſſet. Sed iam tempus eſt propoſitam aggredi orationem: quare indefeſſos vos huiuſmodi certaminibus exhibeatis: & profectò certamina nobis propoſita ſunt, aduerſus veritatis inimicos, qui pro viribus omnia machinantur, vt filij Dei gloriã, imò potius ſuam aboleant. Perpetua enim diuina gloria eadem permanet, nihil ob maledicam & ſceleſtam linguam minor: illi autem quem ſe adorare profitentur, euertere conati: corpus ſuum ignominia, animam ſupplicio afficiunt. Quidnam igitur hi nobis qui hanc veram doctrinam profitemur, dicunt: In principio erat verbum? Hoc non omnino æternum ſignificat: idem nanque & de cælo, & de terra dictum eſt. O dedecus, o impietatem incredibilem. De Deo tecum mihi ſermo eſt, & tu terram mihi, & terrenos homines affers in medium. Igitur cùm homo filius Dei dicatur, & Deus vtique ſit: (Ego enim dixi dij *Pſal.13.b* eſtis, inquit, & filij altiſſimi omnes) eum vnigenito de filiatione contendis, & nihil ipſum hac in parte amplius, quàm tu, habere dicis? Minimè, inquis. Dicis tamen, quamuis verbo inficieris. Quonam pacto? Quid tu quoque per gratiam profiteris adoptionem accepiſſe, & ipſum ſimiliter? Cùm enim dicas non natura ipſum filium, nihil aliud quàm gratiæ eſſe confirmas. Veruntamen videamus quæ nobis adducuntur teſtimonia. In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram, terra *Geneſ.1.a* autem erat inanis & vacua. Et fuit vir vnus de Ra- *1.Reg.4.a* mathaim ſophim. Hæc ſunt quæ putant firmiſſima eſſe argumenta. Sed vt doctrinæ noſtræ veritas oſtendatur ad comprimendam eorum blaſphemiam, quid habet ſimilitudinis, creauit, & erat? Quid Deus & homo? Quid pura cõmiſces? Quid diuiſa & ſeparata confundis, & cæleſtia ad terrena deducis? Hoc enim in loco, erat, proprium ſolùm ſignificat: ſed, In principio erat, & verbum erat. Quemadmodum igitur, eſt, verbum, ſi de homine dicatur, præſens duntaxat tempus ſignat: ſin autem de Deo, ſempiternum atque perpetuum: itidem & erat. Nam cùm de humana natura ſermo habetur, præteritum tempus, & hoc ipſum finitum: quando verò de Deo, æternitatẽ ipſam oſtendit. Satis ergo fuerat ei, qui terram & hominem audiret, nihil amplius de his cogitare, quàm eorum naturæ conueniat. Nã quod factum eſt, quocunque tempore vel ſeculo factum ſit, factum eſt tamen: filius autem Dei non temporibus tantum, ſed ſeculis quoque omnibus ſuperior eſt: quippe qui eorum omnium conditor, & opifex eſt. Per *Heb.1.a* quem, inquit, fecit & ſecula. Creatorem enim ante creaturas omnino eſſe conſtat. Cùm verò quidam adeò ſtulti & inſenſati ſint, vt propterea maius quiddam de ſua dignitate opinentur, his verbis, creauit, & fuit homo, auditoris præoccupant ſententiam, & omnem impudentiam exacunt. Omne enim creatum, & cælum & terra tẽpore creatum, & temporale habet principium, neque principio caret, quoniã creata ſunt: itaque cùm audis, creauit & fuit homo, non delirat, neque ſtulta & ſuperflua ingerit. Ego etiam & aliud maius afferre poſſum. Quidnam? quod ſi de terra dictum eſſet, In principio fuit terra: & de homine, Quod in principio fuit homo: neque ſic quicquam maius præſtantiúſque de his, quàm quæ in præſenti cognoſcimus, opinari nos oportuit. Terræ enim & hominis appellatio quæcunque de ſe dicuntur, comprehendens, non ſinit nos quicquam

quam, quàm quæ & intelligimus, & videmus excellentius coniectari: quemadmodum etiam ſi exiguum quiddam & minimum de Deo dicatur, nihil tamẽ humile, nihil abiectum de ſe ſinit exiſtimari. Accedit ad hoc, quod de terra loquens, proſequitur: Terra autem erat inanis & vacua. *Gene. 1. a.* Cùm enim aſſeruerit, quod terram Deus creauerit, eique proprios ſtatuerit terminos: ſecurè iam quæ ſequuntur, enarrat, non ignarus neminem adeo ſtultum, qui ſine principio ipſam & ingenitam arbitretur: terrę enim nomen, & creauit ſufficiẽtia ſunt, vt cuiuis etiam ſtolido perſuaderi poſſit, neque æternam, neque ingenitam eſſe, ſed ex eorum numero, quæ tempore condita ſunt. Præterea hoc verbum, fuit, de terra quidem, & de homine dictum nõ omnino eſſe ſignat, ſed & hominem inde oriundum: de terra autem qualis ea ſit, nobis oſtendit. Neque enim ſolùm dixit terram fuiſſe, ſed etiam qualis fuerit, tenebroſa ſcilicet, & informis, aquiſque operta & admixta. Et de Elchana non dixit ſolùm quod fuit homo, ſed etiam *1. Reg. 1. a.* vnde, de Ramathaim, inquit, ſophim. De verbo autem nõ ita loquitur, & profectò hęc inuicem conferre erubeſcimus. Nam ſi eos reprehendimus, qui illos conſerunt, quorum magna eſt & virtus & motum differentia, cùm tamen vna ſit & eadem ſubſtantia: qui quorum & natura, & cætera omnia prorſus differunt, in comparatione adducũt, nónne vltimæ ſunt dementiæ arguendi? Sed benignus nobis, & propitius is adſit, quem illi tam perperam impièque calumniantur. Huiuſmodi nanque diſputationis neceſſitatem, non ſponte noſtra aggreſſi ſumus, neque nos eam inuenimus, ſed coacti eorum perfidia, qui redemptori ſuo bello indicto, hanc nobis purgandæ calumniæ dederunt occaſionem. Quid ergo dicimus? Quod erat, cùm de verbo dicitur, perpetuum & æternum eſſe ſignat. Inquit enim, In principio erat verbum, conſequens autem erat apud aliquem eſſe: eum enim maximè hoc Dei ſit proprium, æternum, & ſine principio eſſe, hoc primum poſuit: deinde ne quis audiendo, In principio erat verbum: etiam ingenitum diceret, hoc mox expoſuit, antequam quid eſſet dicatur: Erat, inquit, apud Deum. Et ne omnino quiſquam verbum ipſum id eſſe, quod profertur, aut quod intra hominem eſt, arbitraretur: per articulum primum, vt iam diximus, & per ſecundam hãc adiectionem eam admonet ſuſpicionem. Nõ enim dixit, in Deo erat: ſed, apud Deum, in perſona eius æternitatem nobis oſtẽdens: quod apertius quoque ſignificauit, cùm ſubdidit: *Et Deus erat verbum.* Sed factum eſt, inquit. Quid ergo obſtitit, quin diceret, in principio fecit Deus verbum? Cùm de terra Moſes loqueretur, non dixit, *Gene. 1. a.* in principio erat terra: ſed in principio creauit Deus terram, & creata fuit. Quid prohibuit Ioannem quoque eodem modo exordiri, in principio creauit Deus verbum? Nam ſi de terra ita locutus eſt Moſes, ne quis ipſa increatam arbitraretur, longè magis de filio loquentem timere Ioannem oportuit, ſi creatus erat. Mundus nanque cùm ſit viſibilis, per ſe conditorem ſuum prædicat. Cæli, *Pſal. 18. a.* inquit, enarrant gloriam Dei: filius autem inuiſibilis eſt, & creaturam longè ſupra quàm dici poſſit, excedit. Quod ſi illic, & ſi neque verbo nobis, neque doctrina opus erat, vt creatum mundum diſceremus, tamen manifeſtè id nobis ante oculos ponit propheta: multo magis de filio idem à Ioanne dicendum fuerat, ſi creatus fuiſſet, ſanè quidem. Verùm Petrus id manifeſtè, apertéque profeſſus eſt. Quonam in loco, & quomodo? Quando cum Iudęis diſputans his verbis vſus eſt, Quod dominum ipſum, & Chriſtum Deus fecit. *Act. 2. a.* Quicquid ſequitur non addidiſti? Ieſum ſcilicet, quẽ crucifixiſtis: an ignoras eorum (de quibus ſermo habetur) partim immortalis naturæ eſſe, partim carnẽ accepiſſe? Quod ſi negas, & omnia ſimpliciter ad diuinitatem trahis, paſſibilem diuinam naturam feceris, quod ſi non paſſibilem neque actiuam dixeris, verùm ſi ex ipſa diuina & ineffabili natura ſanguis emanauit, ipſáque carnis loco in cruce clauis transfixa, & diſcerpta eſt, admittendum profectò eſſet commentum tuum: ſiu neque ipſe quidem diabolus hoc affinxerit, quanam ratione ipſe ignorare aſſimulas? Indignam ſanè cui ignoſcatur ignorantiam, & qualem neque dæmones vnquam ſimularunt. Præterea hæc nomina, dominus & Chriſtus, non ſubſtantiæ ſunt, ſed dignitatis: alterum potentiæ, alterum vnctionis: quid igitur de filio Dei dixeris? Nam ſi, vt dicitis creatus eſſet, nullum locum hoc haberet: non enim prius fuit, deinde ipſum fecit Deus, neque ſeruuli habet principium, ſed eiuſdem naturæ atque ſubſtantiæ. Interrogatus enim an eſſet rex. Ego ad hoc natus ſum, inquit. Petrus autem *Ioan. 18. g.* de eo tanquam creatura quadam loquitur. Nam omnis ei de Chriſti humanitate ſermo eſt. Et quid admiraris Petrum ita loquentem? Quippe & Paulus cum Athenienſibus diſputans, hominem tan- *Act. 17. g.* tum ipſum his verbis appellat: In viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis: nihil de Dei forma, neque quod ei æqualis ſit, neque quod ſplendor gloriæ eius, meminit. Neque immeritò: nondum enim tempus venerat, vt hæc diceret, ſed ſatis adhuc erat, vt & hominem fuiſſe, & à mortuis ſuſcitatum intelligerent. eodem quoque modo Chriſtus fecerat, cuius exemplo Paulus opera ſua diſpoſuit. Non enim continuò ſuam reuelauit diuinitatem, ſed ab ipſo principio propheta Chriſtus & ſimpliciter homo habitus eſt: deinde & verbis, & operibus quod erat oſtendit. Idcirco Petrus hoc ordine vſus, hanc primam ad Iudæos concionem habuit. Nam cùm nihil de diuinitate eius adhuc manifeſtè accipere poſſent, in humanitatis eius ſermonibus immorantur, vt eorum auditus his exercitus, demum ſe diuinitatis doctrina imbueret. Quod ſi quiſpiam omnem concionem altius percurrere voluerit, perſpicuè hanc noſtram deprehenderit ſententiam. Etenim hominem ipſum appellat, & paſſioni eius, reſurrectionique, & ſecundum carnem generationi inſiſtit. Atqui & Paulus cùm eum ex *Rom. 1. a.* ſemine Dauid ſecundum carnem factum diceret, nihil aliud nos admonuit, quàm id factum à Chriſti humanitate ſumptum eſſe, quod & nos confitemur. Verùm tonitrui filius de Dei ineffabili, & ſempiterna eſſentia nũc loquitur. Propterea non, fecit, ſed erat, poſuit. Oportebat enim, ſi creatus eſſet, id maximè definire. Quòd ſi Paulus veritus eſt, ne ſtultorum aliquis ſuſpicaretur filium patre maiorem fore, & genitorem ei ſubiectum, & idcirco ad Corinthios ſcribens, inquit: Quod om- *1. Cor. 15. d.* nia Chriſto ſubiecta ſunt, præter illum qui ſubiecit ei omnia: licet abſurdũ fuiſſet, quempiam ſuſpicari, patrem vnquam filio cum cæteris omnibus ſubiectum iri: has tamen, etſi nulli nixas ra-

tioni, ſuſpicationes formidauit, addiditque, præter eum qui ſubiecit ei omnia: longè magis Ioannem, ſi creatus eſſet filius Dei, timere, ne quis increatum æſtimaret, & hoc ante omnia edocere oportuiſſet. Nunc autem cùm genitus ſit, meritò ſanè neque ipſe, neque alius, ſiue Apoſtolus ſiue propheta, creatum eum aſſeruit; ſed neque ipſe vnigenitus, ſi eſſet creatus, ſubticuiſſet. Qui enim tam humilia, & abiecta propter humilitatem loquitur, id nullo pacto prætermiſiſſet. Neque enim abſurdè arbitror quàm habere magnitudinem & præſtantiam tacuiſſe potius, quàm eam, quam non haberet ſilentio præteriſſe, neque ſignificaſſe qualis eſſet. Illud enim non immeritò ſileri poterat, vt humanum genus humilitatis admoneretur: hîc autem ne minimã quidem ſilentij cauſam inuenies. Quanam enim gratia, ſi creatus eſſet, id tacuiſſet, & multa de ſe prætermiſiſſet? Nam ſi vt nos humilitatem edoceat, abiecta quædam ſæpenumero de ſe: etiam minimè digna loquitur: multò magis ſi creatus eſſet apertè dixiſſet. Nónne vides ipſum, ne quis ingenitum crederet, ad id oſtendendum, & re & verbis ſumma ope contendere, vt etiam & dignitate, & ſubſtantia ſua indigna loquatur, & in prophetæ humilitatem deſcendat? Illud enim, ſicut audio iudico: & ille mihi dixit, quid dicam, & quid faciam, & à meipſo non loquor: & alia huiuſmodi prophetarum duntaxat verba ſunt. Si ergo vt hanc tolleret ſuſpicionem tam viles de ſe ſermones, tam humiles non eſt dignatus: longè magis ſi creatus eſſet, ne quis ipſum increatum ſuſpicaretur, multa huiuſmodi protuliſſet in medium, vt exẽpli gratia. *Ioan. 14. a.* Nolite arbitrari me genitum eſſe à patre, creatus ſum non genitus, neque illius ſubſtantiæ ſum. Nunc aũt omnino contra ea loquitur, quæ etiam inuitos contrariam accipere cogant ſentẽtiam: vt *Ioan. 14. b.* illud, Quia ego in patre, & pater in me eſt: &, Tã- *Ibidem. a.* to tempore vobiſcum ſum, & nõ cognouiſtis me: *Ibidem. 5. d.* Philippe, qui videt me, videt & patrem: &, Sicut *Ibidem. c.* pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & filius *Ibid. 10. e* quos vult viuificat: &, Pater operatus eſt vſq; modo, & ego operor: &, Sicut cognoſcit me pater, & ego cognoſco patrem, & in omni ſcriptura vnum & idem ſe eſſe cum patre aſſerit. Authoritatem autem & poteſtatem & his, & aliis plurimis locis manifeſtat: vt cùm inquit, Tace, obmuteſce. Volo, mundare. Surde & mute ſpiritus, ego tibi præ- *Luc. 4. f* cipio, exi ab eo: &, Audiſtis quia dictũ eſt antiquis *Matt. 8. a.* nõ occides: ego autẽ dico vobis, qui iraſcitur fra- *Mat. 9. d.* tri ſuo, reus erit iudicio, & plura huiuſmodi. Addo *Matt. 5. c.* etiam miracula, hæc omnia ſatis idonea ſunt ad eius virtutem, potentiámque oſtendendam, imò & minima eorum pars, plurimũ etiam inſipientiores & adducere, & perſuadere poſſe, vt crederent: ſed profectò earum eſt inanis gloria virium, vt vel ad manifeſtiſſima quæque eorum, qui ipſi ſuccũbunt, mentis aciem perſtringit, & in rebus luce clarioribus diſſentire, ac contendere perſuadeat: eos autem qui veritatem probè tenent & intelligunt, in diſſimulationem contradictionémque adhortetur: quod Iudæis vſu venit, non enim ignorationis gratiã, Dei filium abnegarunt, ſed vt apud populum plurimum & authoritatis, & *Ioan. 12. f.* honoris conſequerentur. Ex principibus enim, inquit, multi crediderũt in eum, ſed propter phariſæos non confitebantur, vt de ſynagoga non eijcerentur: potius enim hominum quàm Dei gloriam optarunt, ſiquidem nullo pacto fieri poteſt, vt is qui tanto ſtudio ſeculari gloriæ ſeruiat, diuinam vnquam aſſequatur. Id circo his verbis reprehenduntur: Quomodo poteſtis vos credere, *Ibidem. 5. g.* qui gloriam inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Intolerabilis quædam ebrietas eſt inanis gloria: Ideóque quem ſuæ ſubiecit ditioni, is ægrè in ſanitatem reſtituitur. Et quam peſtifera tabe inficit animam, à cælo abſcindens, terræ affigit: neque eam amplius ſinit, vt ad veram lucem dirigere poſſit intuitum: ſed in huius ſeculi ſordibus ſemper eius perſuaſione deuoluitur, & dominos nobis tam potentes imponit, vt etiam ſine iuſſu aliquo nos exuperent, nobiſque perpetuò dominẽtur. Qui enim hoc morbo afficitur, nullo præceptore omnia ſua ſponte operatur, quæ dominis ſuis placere, quibúſque plurimum eos lætari arbitratur. Etenim pulchra veſte eorum cauſa induitur, faciémque ornat, non ſibi, ſed aliis: caterua ſequẽtium ſtipatur, quò omnes ipſum admirentur: quicquid denique facit, aliorum tantùm gratiã facit. Num quicquã poſſet eſſe moleſtius? Vt aliis admirationi ſit, præceps frequẽter agitur. Vis eius intelligere tyrannidem? Satis tibi ex Chriſti verbis conſtabit. Audi & quæ ſequuntur. Nam ſi quempiam negociatorem, qui precioſiſſimas ſibi merces magno auri pondere compararit, rogaueris, quanam gratia tantùm auri profundat, quidve tantùm ſibi ſumptus velit: nullam aliam ab eo rationem accipies, quàm vt populo placeat. Quòd ſi deinde quid populus ſit, percontaberis: quid iam, inquit, tumultus perturbationiſque plenum, è ſtultitia maiori ex parte conſtans, atque compoſitum temere, per maris fluctus varia, & pugnante ſententia ſæpenumero iactatum. Qui igitur ſub eiuſmodi dominij ſeruitio premitur, nónne omniũ eſt ſanè miſerrimus? Veruntamen qui ſecularem vitam agunt, ſi his ſe affectibus deuinxerint: etſi graue ſit, lenior tamen eſt reprehenſio. Qui verò terrena ſe abiecisse profeſſi, ea tamen auidi inhiant, hi grauius ſunt accuſandi: illis enim pecuniarum tenus damnum, his autem ad animam vſque periculum extenditur. Nam cum ſeculari gloria fidei rectitudinem mutarint, & Deum vt ipſi laudentur, contempſerint: dic, quæſo, quo damno, qua inſania afficiuntur? Alij animæ affectus: & ſi magno ſint homini nocumento, aliquam ſaltem afferunt voluptatem, quamuis temporalem atque breui duraturã. Nam qui pecuniarum aut mulierum flagrant deſiderio, eaſque ſectantur, nõnullam tamen cum damno voluntatem, licet breuiſſimam capiunt: quos verò hic morbus irretiuerit, hi ſemper omni priuati voluptate vitam viuunt quàm miſerrimam. Neque enim quod tantopere exquirunt, multitudinis gloriam aſſequuntur, ſed cum ea frui videantur, ea tamen omnino carent: cum id nulli prorſus gloriæ ſit adnumerandum. Ideóque non gloria, ſed inanis gloriæ opus appellatur. Inanem gloriam hanc maiores noſtri omnes meritò dixerunt: Inanis namque eſt, nihil in ſe habens neque clarum, neque glorioſum, tanquam perſonæ, quæ pulchræ quidem viſu, & decoræ, intus inanes reperiuntur. Quare cum aſpectu ipſo elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad ſe amandum allexerũt. Ita nihil etiam miſerius, quę à multitudine comparatur gloria, difficilem nobis, & violẽtum affectum ſignificat: aſpectu namque ſolo pulchra,

pulcra, atque elegans videtur, intrinſecus autem non inanis modò, verumetiam ignominioſa crudelitatis & violētiæ plena. Vnde igitur iam temerarius, tam inſanus abſque vlla voluptate affectus? Non aliunde ſanè quàm à vili & abiecto animo. Neque enim fieri poteſt, vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid & egregium ſapiat, ſed ignominia illico ipsū notari neceſſe eſt, & animi abiecti, infamis, atque exigui exiſtimari. Qui enim nil propter virtutem, ſed vt hominibus & rudibus, & indoctis placeat, operatur, quíve in omni re fallacem hominum, atq; erroris plenam exquirit ſententiam quam is gloriam meretur? Animaduerte ſi quis eum percontaretur, quid tu multitudinem eſſe arbitraris? Proculdubio & deſidem, & nullæ bonæ rei deditam reſponderet. Quid autem? An ex illius numero fieri optares, ſi quis eundem iterum interrogaret, non vtique mihi aſſenſurum perſuadeo. Nónne igitur maximè ridiculum eſt, eorum gloriam aucupari, quorum ne ſimilis quidem eſſe velles? Si autem dixeris, multos etiam conſtantes viros hac eſſe ſententia, idcirco longè magis contemnēdos dicimus. Nam ſi ſponte ſua contemptibiles ſunt, cùm multi fuerint maiorem in modum digni ſunt qui contemnantur. Singulorum enim amētia ſimul collecta, multitudine ipſa fit auctior. Quamobrem ſi quis eos ſigillatim caſtigaret, facilè quod vellet, aſſequeretur, ſin cūctos ſimul, nullus eſſet correctioni locus, cum numero ipſo ſtultitia creſcat, & pecudum more ducantur, quocunque inuicem ſecularem gloriam, atque opinionem ſecuti. Agite, quid hanc popularem gloriam tantopere deſideratis? Nolite, inquam, fratres, obſecro. Glorię namque cupiditas omnia commiſcuit, auaritiam, inuidiam, calumniam, inſidias peperit: & qui nulla affecti ſunt iniuria, in illos qui nihil de ipſis malè meriti ſunt, & armat & efferat. Hæc amicitiæ & conſuetudinis obliuiſcitur. Nihil ſe pudet, ſed omni abiecta virtute, omnibus bellū indicit, ſemper inconſtans, ſemper inuiſa. Et ſanè ira & violentus & intolerabilis morbus eſt, non tamen ſemper nocumento eſſe ſolet, duntaxat quum irritatur. Inanis enim gloria omni tempore peſtifera eſt. Nunquam ceſſat, nunquam remittitur, niſi ratione & cohibeatur, & ſedetur: ſemper præſto eſt, non ſolùm peccandi ſe hortatricem exhibens, verumetiam ſi quid rectè faciamus: id è manibus ſumma vi eripere contendit, vel nihil rectè à nobis inchoari perficique permittit. *Epheſ.5.b* Quod ſi auaritiam Paulus idolorum ſeruitutem appellat: eius matrem, radicem, fōtem, hoc eſt inanem gloriam, quo nomine merebitur appellari?, Nullo quidem, ſi rectè eius malitiam contemplabimur, dignum inueniemus. Abſtineamus ergo dilectiſſimi, & pernicioſum hoc exuamus veſtimentum, quo diſciſſo, & procul abiecto fiamus aliquando liberi, veram induti libertatem, & veræ nobilitatis, quæ à Deo nobis elargita eſt, cognitionem non negligamus, ſed ſecularem gloriam, qua nihil riſu dignius, nihil turpius, nihil ignominioſius. Hoc multis ſanè rationibus videre licet. Si quidem huius gloriæ cupiditas, ignominia eſt. Eſt autem vera gloria, eam vt nullius momenti contemnere, & ad diuinam voluntatem omnia & verba & opera noſtra dirigere: hoc pacto ab eo qui cuncta certa ratione intelligit mercedem accipere poterimus, ſi eo ſolo erimus ſpectatore contenti. Quid enim nobis opus eſt, vt alij opera noſtra inſpiciant, quum is nos intueatur, qui vnicuique pro meritis retributurus eſt præmium? Nónne hoc ridiculum atque abſurdum, quum quicquid ſeruus operatur, ad gratiam & amorem ſui domini conciliandum faciat, eóque vidente & probante ſeruitium ſuum contentus ſit, neque aliorum laudibus moueatur. Nos cùm tantum, tamque ſummum dominum habeamus, alios qui nos, & opera noſtra videant, & probent quæſquirere: maximè cum nihil vel nobis vtilitatis afferre, ſed tantùm inſpicere poſſint quæ facimus. Accedit ad hoc quod omnis noſter labor inanis fit, & irritus. Non ita obſecro dilectiſſimi, nō ita: ſed vnde præmium nobis futurū eſt, inde totis viribus id comparare curemus, Deum operū noſtrorum & laudatorem & ſpectatorem adhibeamus, nihil nobis cum humano iudicio. Quod ſi hanc gloriam aſſequi voluerimus, tunc profecto conſequemur, quum diuinam tantum implorabimus. Qui me glorificat, glorificabo & eum, inquit, Et quemadmodum tunc maximè diuitiis affluimus: quum eas contemnimus, & diuinas tātùm efflagitamus. Quærite, inquit, regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Itidem in gloria vſu venit, quando iam ſine periculo & diuitiæ nobis, & gloriæ largiri poſſunt, tunc eas plena & exuberanti manu diuina nobis benignitas elargitur. Sine periculo autem tunc his fruimur, quum nos capere & exuperare nequeunt: neque tanquam ſeruis imperant, ſed nobis ſeruiunt, eáſque & domini & liberi poſſidemus. Propterea earum nobis amorem prohibet Deus, ne turpi his ſeruitio ſubiiciamur. Quod ſi aſſequimur, incredibili nobis libertate omnia inſtaurat. Quid enim Paulo clarius, quid glorioſius, Qui non humanam gloriam ſe quærere profitetur? Quid nihil habente, & omnia poſſidente locupletius? Quum enim, vt iam dixi, neque pecuniæ, neque glorię cupiditate vincimur, tunc eas affatim accipimus, tunc eis fruimur. Si igitur nobis gloriam comparare cupimus, gloriam fugiamus: hoc enim pacto diuina ſeruare præcepta, & pręſentibus bonis & futuris frui poterimus. Quorum vtinam fiamus participes, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem & cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto in ſecula, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia. 3.

Eſt hom.3. in Ioan.

IN *principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Bonarum artium præceptores, cùm pueros doctrinæ rudimentis accipiunt erudiendos, non grauiori primùm lectionum onere eorum mētes implicant: ſed breuibus & iiſdem ſæpenumero repetitis pręceptis, paulatim eos aſſuefaciūt, quo fit vt eorum animis facilè doctrina imprimatur, ne ab ipſo eruditionis principio ad lectionū multitudinem capeſſendam memoria nimia laborante perterriti, ad colligenda præcepta ſegniores reddantur, & doctrinę difficultate torpeſcāt. Hunc & nos morē ſecuti, vt vos labore leuemus, paulatim hoc diuinum pabulum diſtribuamus, veſtriſque inſtillemus pectoribus. Quare eadem iterum verba proponam, nō vt idem repetam, ſed vt omiſſa adiiciantur. Agite igitur: In principio erat verbum,

& verbum erat apud Deum. Quanam ratione, quum reliqui euangeliſtæ ab humanitate Chriſti ſuum orſi ſunt Euangeliũ. Nã Matthæus incipit, Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid: Lucas de Maria prima verba facit: Marcus ſimili ferè vtitur principio & de Ioãne Baptiſta illic nobis intexit hiſtoriã. Ioannes id breui proſequẽs, his verbis ſignificauit, Et verbum caro factum eſt, & reliquis prætermiſſis omnibus, conceptione, partu, educatione, incremento, quam primum ſupernam nobis generationem aggreditur. Cur ita fecerit, iam vobis aperiam. Cùm reliqui Euangeliſtæ circa carnem immorati eſſent, timendum erat ne idcirco nonnulli nihil altum, ſed terrena duntaxat & caduca coniectantes, in ea ſolùm doctrina confirmarentur: quod & Paulus Samuſatenſis opinatus eſt. Ex hac igitur humilitate, qui lapſuri erãt, in cælum erectis, non immeritò ab æterna & diuina eſſentia facit nobis narrationis principiũ. Cùm enim Matthæus ab Herode rege, Lucas à Tyberio Cæſare, Marcus à baptiſmate Ioannis exordiatur: his omnibus omiſſis Ioãnes ſupra omne tempus, & ſeculum aſcẽdit, auditorum animos ad id quod in principio erat erigens, neque vſquam eos ſinit cõſiſtere, neque terminum aliquem ponit, quemadmodum illi Herodem, Tyberium, Ioannem. Illud autem admiratione dignum eſt, quod neque Ioãnes in ampliori narratione humanitatem contempſit, neque illi quum huic vacarent, ſempiternam omnino ſiluerũt eſſentiam. Et ſanè quidem, vnus enim ſpiritus eſt, qui omnium mentes mouet: propterea valde in narrationibus ſuis concordant. Tu autem dilectiſſime, cum verbum hoc in loco audis, noli, quæſo, iis acquieſcere, qui dicunt id verbum eſſe, quod ore profertur, aut ſimpliciter verbum: multa enim Dei ſunt verba, quæ & angeli faciunt, nullum tamen eorum Deus eſt: ſed & prophetiæ & præcepta, verba dicuntur. Mos enim ſcripturæ eſt diuinitas leges, & præcepta, & prophetias verbum appellare. Quare de angelis loquens: Potẽtes, inquit, virtute qui facitis verbum
Pſal.110 eius: hoc autem verbum ſubſtantia quædam eſt in perſona, ex ipſo patre ſine paſſione proueniens, hoc vt iam dixi per verbi appellationem manifeſtauit. Quemadmodum igitur, In principio erat verbum, æternitatem ſignificat: hoc erat in principio apud Deum, coæternitatem nobis oſtendit. Sed ne hac particula, In principio erat verbum, æternum quidem, antiquiorem tamẽ aliquo temporis ſpatio patris vitam ſuſpicareris, & vnigenito dares principium, addidit: Hoc erat in principio apud Deum, itidem eius æternitatem quemadmodum patris ſignificans. Nunquam enim ſolus, & ſine verbo fuit, ſed ſemper Deus apud eum erat, & in perſona quidem propria. Qua ergo ratione ſubdidit: In mundo erat, ſi apud Deum erat: quia & apud Deum erat, & in mũdo? Neque enim aut pater, aut filius ſine vllo comprehẽditur. Nam
Pſal 146.a ſi magnitudinis eius non eſt finis, & ſapientię eius non eſt numerus, neque etiam ſubſtantiæ: ſatis conſtat eſſe aliquod temporale principium. Cùm audis, Quod in principio creauerit Deus cælum & terrã: quidnã per hoc principiũ intelligis? Certè quod ante omnia viſibilia ea creauerit. Sic cũ de vnigenito dicatur, ꝙ in principio erat: ante omnia intelligibilia, & ante ſecula fuiſſe intelligas neceſſe eſt. Quod ſi quis diceret: Si filius eſt, quonã pacto fieri poteſt quin patre ſit minor? Quod enim ab aliquo eſt, omnino eo à quo fit, poſterius eſſe oportet. Reſpondemus, has maximè humanarum eſſe cogitationum inquiſitiones: & qui hoc quærit, inquirit etiam abſurdiora: neque auribus tantum accipienda hæc ſunt. De Deo enim nunc nobis ſermo eſt, non de humana natura, quæ noſtrarum rationum conſequentiæ neceſſitatique ſubiecta eſt. Verumtamen pro infirmorum intelligentia, aliquod ad hæc exemplum adducemus. Age dic, quæſo, Nunquid Solis ſplendor ex ipſius Solis natura emanat, an aliunde? neceſſario fatendum eſt, niſi penitus decipiamur, ex Solis natura: quod cùm ita ſit nunquam tamen ipſo Sole poſterius ipſius radios fulgorémque dixerimus exoriri, quum ſine his nunquam appareat. Quod ſi in his quæ ipſo viſu & ſenſu percipiuntur in corporibus, quod ex aliquo fit non poſterius eo à quo fit eſſe aliquid manifeſtè deprehenditur: perſuaderi nõ poterit inuiſibili, ineffabilique naturæ, eãdem ineſſe poteſtatem, vt par eſt illius eſſentiæ? Propterea Paulus quoque ipſum, & ex eo, & coæternum aſſeruit. Quid autẽ? Nónne & ſecula & temporum ſpatia per ipſum facta ſunt? omnia confiteamur neceſſe eſt, niſi inſaniamus. Nulla igitur inter patrem & filium eſt differentia. Si nulla non eſt filius poſterius, ſed coæternus patri. Ante enim & poſt, tempus ſignificant & oſtendunt. Sine ſeculo, vel tempore, nemo poſſet neque ante, neque poſt intelligere. Temporibus autem & ſeculis omnibus ſuperior eſt Deus, atque antiquior. Quod ſi omnino filio principium eſſe contendis, caue ne patrem quoque ſub principio antiquiori quidem, ſub principio tamen comprehendere eadem ratione cogaris. Age, nunquid terminum aliquem, vel principium filio conſtituis, à quo ad ſuperius illud procedens patrem ſuperiorem eſſe dicis? Quid? Dic igitur, quæſo, quanto pater prior eſt, breue ne an longum inter patrem & filium temporis ſpatium fuiſſe dicis? alterutrum alteras ſub principio, patrem comprehendas neceſſe eſt, Medium nanque interuallum quantumcunque ſit, proculdubio metiris. Dimẽſio autem fieri non poteſt, niſi ſit vtrinque principium, ſub quo hoc pacto quantum in te eſt, patrem conſtituis, neque iam ſecundum nos pater ſine principio intelligi poterit. Nónne aſſeris id verum eſſe, quod à ſaluatore dicitur vbique poteſtatis ipſius argumentum: Qui non honorat me, non honorat patrem? Nec ignoro hoc verbum non facile à multis intelligi: idcirco pleriſque in locis ſententias noſtras afferre differimus, eo quod reliquum vulgus eas Ioan.5.d
capere atque aſſequi nequeat, neque ſi aſſequeretur, firmitudinis aliquid habet aut certitudinis. Humanæ nanque rationes, & ſententiæ incertæ ſunt, atque imbecilles, libenter autem & illud negantibus veritatem afferam, quod à propheta dicitur: Ante me non eſt factus alius Deus, & poſt me non eſt. Quod ſi filius patre minor eſt, quo pacto, inquit, poſt me non eſt alius Deus? Nunquid Eſa.43.b
ipſius vnigeniti tollens ſubſtantiam? Neceſſe eſt enim aut hoc iam impiè audere, aut in propria patris & filij perſona vnam intelligere diuinitatem. Quonam etiam pacto id verum eſt, Et omnia per ipſum facta ſunt? Nam ſi patris æuum antiquius, quomodo quæ ante ipſum filium facta fuerunt, per ipſum facta ſunt? Videtis ne in quantam temeritatem ſe adducant, qui ſemel veritatem abiecerunt? Sed quamobtem non inquit Euangeliſta, ex

nihilo

nihilo factum eſſe, quemadmodum Paulus his *Rom. 4. c* verbis oſtendit: qui vocat quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: ſed in principio erat, inquit. Hoc illi cõtrarium eſt, nec immerito: ſiquidẽ Deus neque ſit neque ſe quicquã habet antiquius, ſed huiuſmodi Gentiũ verba ſunt. Age & illud, Nónne rerũ omnium conditorem longe omnium excellentiſſimum præſtantiſſimúmque dixeris? Quod ſi itidem vt alia ex nihilo factus eſſet, vbi eius incom- *Eſa. 41.* putabilis eſſet excellentia? quid item illud: Ego primus, & ego poſt hæc: &c. Antè me non eſt factus alius Deus. Si enim filius non eſſet eiuſdem ſubſtantiæ, alter eſſet Deus: ſi non coæternus, poſt illum: ſi non ex ſubſtantia proceſſiſſet, factum eſſe conſtaret. Quod ſi ad idolorum ſimulachrorúmque differentiam hæc facta aſſerunt, cur eiuſdem differentiæ gratiâ vnum verum Deum dicere non conſentiunt? Ac ſi ad eam differẽtiam hoc dictum eſſet, quonam pacto verba omnia interpretaberis? Poſt me, inquit, non eſt alius Deus: non filium his verbis excludit poſſe non eſſe, ſed Deum fictum. Eſto ſane. Quid ergo quod ait, Antè me non eſt factus alius Deus? Itáne hoc quoque intelliges, quod fictus Deus ante eum factus non ſit, ſed tamen filium factũm? Et quiſnam hoc dixerit? neque enim ipſum diabolum hoc dicturum arbitror. Præterea ſi filius non eſt coæternus patri, infinitam eius vitam quonam modo dixetis? Nam & alicunius principium ducit, quamuis ſine fine ſit, non tamẽ eſt infinitus. Quod enim infinitum eſt, vtrinque fine careat oportet. Hoc Paulus his ver- *Heb. 7. a* bis manifeſtauit: Neque principium dierum, neque finem habens: quibus verbis & principiu & fine carere planè demonſtrauit. Quemadmodum enim hoc non habet finem, ita neque illud, cùm neque hîc finis, neque illic principium. Quonam autem pacto vita erat aliquando, cùm non eſſet? Vitam nanque ſemper, & ſine principio, & ſine fine eſſe omnes confitentur. Si profectò vita ſit, quemadmodum eſt. Si verò eſt, quando non eſt? Qua ratione alius vita eſſe poteſt, cùm aliquando ipſa non fuerit? Quid ergo cauſę fuerit, quod principium Ioannes poſuit. In principio inquit, erat. Conſideraſti hanc particulam, In principio erat, & verbum erat nõ intelligis. Quid autem de patre *Pſal. 89. a* propheta diceret, A ſeculo & vſque in ſeculũ tu es? Nunquid ei terminum aliquem his verbis præſcripſit? Nequaquam, ſed eius ſignificat æternitatem, itidem hoc in loco intelligi neceſſe eſt: quippe cum nullum ei terminum conſtituat, neque dicat principiũ habuiſſe, ſed in principio erat. Hinc te adducit, tibi ſuadet, vt filium ſine principio intelligas. Sed dixerit quiſpiam, patrem articuli adiectione, filium ſine articulo poſitum. Quid ergo? cum Apoſtolus, inquit: Magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: & iterum, Qui eſt ſuper om- *Tit. 2.* nes Deos: ſine articulo filij meminit. Itidẽ de pa- *Pſal. 104. a* tre ad Philippenſes ſcribens: Qui cum in forma *Philip. 2. a* Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua- *Rom. 1. a* lem Deo. Et ad Romanos: Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto: neglexit articulum. Superuacaneum nanque eſt vbique id pręponere, præſertim cùm ſuperius eo frequenter vſus ſit. Quemadmodum enim de ſpiritu pa- *Ioan. 4. c* ter loquens, inquit, Spiritus Deus: neque eum ſpiritui articulum non adiiciat, idcirco Deum eſſe incorporeum negamus: ita hoc in loco, quamuis filio articulus non præponatur, non propterea patre minor eſt Deus. Quid tum, cùm & hunc & illum appellet, neutrius nobis diuinitatis vllam facit differentiam, ſed prorſus contra? Nam cùm dixiſſet, *Et Deus erat verbum*. Ne quis filij diuinitatem patre aliqua ex parte minorem arbitraretur, mox id affert, per quod eius ſuprema diuinitas manifeſtè ſignificatur, & eius demonſtrat æternitatem. *Hoc enim erat* (inquit) *in principio apud Deum*: & opificium addit, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Quod potiſſimum pater per prophetas vbique eius ſubſtantiæ indicium eſſe prædicat, & frequenter in hoc demonſtrando prophetę verſantur, neque hoc duntaxat, ſed etiam ſumma ope ad idolorum ſimulacrorúmque gloriam tollendam, contendunt. Dij, in- *Hier. 10. b* quit, qui cælum & terram non fecerunt, pereant. Et iterum: Ego manu mea extendi cęlum. Vt diui- *Pſal. 103. a* nitatem per hoc ſignificari oſtendant, idem fre- *& Hier. 51. a* quenter meminerũt. Ioannes autem bis ſolis verbis non contentus, etiam vitam ipſum, & lucem appellat. Si igitur ſemper cum patre fuit, ſi omnia condidit, produxit, continet: hoc enim per vitam ſignificatur: ſi vniuerſa illuminat, quiſnam adeo ſtultus, adeo temerarius eſt, vt dicat ex his Euangeliſtam minorem diuinitatis virtutem intellexiſſe, per quæ & æqualitas, & idem eſſe vel maximè poteſt oſtendi? Nolimus, quæſo, creaturam cum creatore cõfundere, ne id audiamus, quod ſeruierunt creaturæ potius quam creatori. Quod ſi de cælis hoc dictum exiſtimant, veruntamen cùm de his ſermo haberetur, prorſus tanquam gentile & *Rom. 1. c.* impium creaturæ cultum exhibendum negauit. Abſit igitur vt huiuſmodi noſipſos maledicto ſubiiciamus. Propterea venit Dei filius, vt nos ab hoc cultu liberaret: propterea ſerui formam accepit, vt ab hac nos eriperet ſeruitute: propterea inſputus eſt, propterea alapis cæſus, propterea mortem paſſus ignominioſam, atque turpiſſimam. Minimè committendum eſt, vt nullum hæc nobis fructum afferant, & in priſtinam rurſus impietatem recidamus, imò longè grauiorem. Non enim creaturæ ſeruiendum eſt, & ipſum creatorẽ, quantum in nobis eſt, in creaturæ vilitatem adducendum. Ipſe nanque qualis eſſet permanet. Tu autem idem ipſe es, inquit, & anni tui non deficient. Ei igitur gloriam demus, vt à patribus & maiori- *Pſal. 101. d* bus noſtris accepimus, demus, inquam, gloriam & fide, & operibus. Nulla enim nobis bonorum dogmatum ad ſalutem vtilitas, ſi vita vitiorum ſordibus ſcateat, & inquinetur. Quamobrem eam ita formemus, & erudiamus, vt Deo placeat, omni turpitudine, iniquitate, auaritia longè abiecta, & tanquam hoſpites & aduenas, & à terrenis rebus alienos nos exhibeamus. Et ſi quis diuitus plurimis, & poſſeſſionibus affluit, haud aliter his quàm colonus vtatur, tanquam paulò pòſt ea omnia velit nolit relicturus. Et qui fuerit iniuria laceſſitus, non modo memor non infigat pectori, ſed quamprimum eam obliuioni prorſus mãdet. Non amplius vna nobis die ad iram indulſit Apo- *Epheſ. 6. f* ſtolus, Sol, inquit, non occidat ſuper iracundiam veſtram. Et meritò quidem: nihil enim tam breui fieri poteſt moleſtius. Quod ſi noa ira pereitos nos comprehenderet, omnes operationes noſtræ grauiores ſubſequẽtur, cùm ignis plurimum memoria excitetur, ſi per ocium omnia animum prouocantia, atrocius nobis repræſentur. Priuſquam igitur tam exitiali vacemus ocio, & vehementio-

rem flammam accendamus, præueniendum præcepit, & quicquid pectus noſtrum vrit, penitus extinguendum. Vehemens enim iræ affectus eſt, & omni flamma vehementior: quare nobis celeritate opus eſt, vt hunc ignem extinguamus, néve ad ſummum eum euadere ſinamus. Ira enim morbus, niſi mox ſedetur, multas generat calamitates, domos & familias totas euertit, veteres diſſoluit conſuetudines, & breui momento res infandas molitur: eius nanque furoris impetus ipſi ruina, inquit, eſt. Quamobrem huic indomitæ beluæ nolimus habenas remittere, ſed prædura freno, metu ſcilicet futuri iudicij, eâ cohibeamus. Quoties cùm dolore aliquo amicus te, vel familiaris affecerit, ad irámque concitarit, veniat in mentem quæ tu contra Deum commiſeris, quódque ſi à proximo offenſam & contumelias æquo animo toleraueris, leuius in te Dei iudicium prouocabis.

Luc. 6 f Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Cùm hoc ſuccurrerit, omnis vltionis cupiditas cótinuò euaneſcet. Illud præterea animo frequenter volutes velim, & ſi quando in immanitatem aliquam, & furorem mox lapſurus te continueris, & ſi quando ita percitus, in alicuius iniuriam perniciémve præceps irrueris, & vtraque inuicē tempora conferas, id enim non parum tibi ad correctionem proficiet: age, dic quæſo, vtrum tibi laudabilius duxeris, an, cùm ab ira victus es, an cum eam viciſti? Nónne victi noſipſos reprehédimus vehementius, & nemine nos accuſante erubeſcimus, & multa nos operum & verborum noſtrorum ſubit pœnitentia? Verùm cùm affectus ſtrenuè ſuperauimus, victoris more & gaudemus plurimum, & exultamus. Victoria enim cérta itá eſt, & quidem maxima non cùm vlciſcimur iniurias, ſed eùm eas æquo animo toleramus. Hoc nanque magnum eſt, hoc laudabile. Neque cùm ita exandeſcit, cuipiam mineris interitum, neque in eum furibundus irruas. Neque admonentem vt iram cohibeas, contemnere velis, eâ gratiâ ne quis te fortè irrideat. Nemo te hac cauſa irridebit, ſed cùm ira te traxerit in vindictam, vel ſi quis irriſerit, ſtultus erit æſtimádus. Tu verò noli inter ſtultos & amentes victoriæ gloriam quærere, ſed ea contentus ſis, quam ſapientum tibi iudicio comparaueris. Verùm quid in paruo & humili hominum ſpectaculo te conſtituo? in ipſum continuò Deum oculos dirigas, qui te laudabit, neque præterea vllam ab hominibus gloriam quærere oportebit. Siquidem huius ſeculi gloria ad gratiam ſæpe, nonnunquam ad odium tribuitur, neque quicquam affert vtilitatis: quòd verò Deus nobis indicat, nullam huiuſmodi habet dubitationem, & plurimum qui à Deo laudatur, vtilitatis conſequitur: hác nos laudem, hunc honorem ſequamur. Viſne manifeſtè intelligere quantum mali afferat iracundia? Adſis cùm aliquando quiſpiam rixatur, neque enim in temetipſo facilè hanc poſſis deprehendere turpitudinem tenebris & ebrietate ratione obuoluta, ſed cùm tui tibi affectus non dominantur, tunc in alijs rem tuam planiſſimè cognoſcas licet, cùm incorruptè & verè iudicare poteris. Videbis nanque iratos non ſecus ac inſanos turpiter in medium præcipites fieri. Cùm enim circa præcordia ita efferbuerit, os ignem emittit, tota inflatur facies, incompoſitè manus mouētur, ridiculè proſiliunt ...s, monitoribus & rixam dirimere conantibus inſultant, in eóſque nulla ab inſanientibus differentia irruunt: & cùm hæc faciunt, tanquam amentes nihil ſentiunt, nihil intelligunt, ſed aſinorum more calcibus, morſibuſque inuicem inſultant. Et profectò iracúdia percitus, nullum neque decorē ſeruare poteſt, neque modeſtiam. Hi igitur homines poſthanc ignominiá & damum & ad ſe reuerſi, dolore ſimul anguntur & metu, cùm intelligant quos læſerint, quos furoris & inſaniæ ſuæ teſtes habuerint. Quippe qui in illo furore non ſecus ac mente capti, quid faciant non aduertunt: cùm ad ſe redierint, tum demum omnia ſecum reputát, nū amici, nū inimici ei inſanienti affuerint, num viderint: pari enim ratione vtroſque formidant, alios tanquá reprehēſores, & eos quorū præſentia magis ſibi erubeſcendū ſit: alios tanquam qui ipſorum malo, & ignominia plurimum gaudeant. Quod ſi ad plagas & verbera inuicem proruperint, longè maiore formidine anguntur, ne quid grauius ei qui cæſus eſt accidat, ne aut febris in mortem, aut vlcus inſanabile, in vltimum eum adducat periculum. Et quid, inquit, mihi pugna opus erat? quid iniurijs? quid contentionibus? Hæc & illa pereant, & omnibus his terrenis rebus maledicunt, quæ ipſis diſcordiæ præbuerunt materiam, & de dæmonibus conqueruntur: ſtultiòres autem cùm perperam quod operátur, temporum malitiæ inſimulant: non tamen malitia temporum cauſa eſt. Neque enim mala ſunt ipſa, neque malus dæmon duntaxat, ſed eorum malitia, qui à prauis ſe vinci patiuntur affectibus: hi dæmones alliciunt, & ſibiipſis malorum omnium ſunt authores. Sed intumeſcit cor, inquit, & iniurijs excandeſcit. Nouimus quid ira poſſit, & idcirco qui inanem hanc beluam exuperát, eos maximè admiramur, neque deeſt, modò velimus, facultas. Quamobrem cùm domini nos, & principes contumelijs proſequuntur, non iraſcimur: an formido iræ nō minor nos abſterret, neque à principio iræ locum dare permittit? Quamobrem ſerui ſæpenumero à nobis maledictis affecti, ſilentio omnia perpetiuntur, an quod ſeruitutis vinculo continentur? Tu autē noli ſolum Dei timorem cogitare, ſed etiá quod ipſe tibi iniuriam faciat, cùm ſilentium indicit, & omnia æquo animo perferes. Dic te vrgēti. Quid faciam tibi? alius mihi & dexteram, & linguam cohibet: hoc profectò verbum & tibi, & illi fiet philoſophiæ materia. Nūc autem hominum gratia etiá intolerabilia ferimus, & ad eos qui nos laceſſunt, huiuſmodi ſæpenumero verbis vtimur: ille me, non tu, laceſſiuit. Verùm Deo non tantam adhibemus reuerentiam, & quænam nobis venia ſperanda eſt? Agite, quæſo, noſipſos alloquamur. Deus nūc nos laceſſit, cùm manus noſtras continet, ne proſiliamus contrà, néve nobis Deus, quàm homines ſit deſpectior. Exhorruiſtis hoc verbum? Verùm ego non verbum tantū, ſed operationes exhorrere has velim. Dei præceptum eſt, non modò nobis percutiētem maxillam, ſed grauiorem etiam contumeliam perferendam: nos verò volendo penitus metui, diuinæ repugnamus voluntati, vt non modò mala perpeti recuſemus ſed grauius etiam iniurias vlciſci nitamur: qui niſi omni conatu vltioni inuigilemus, humilis noſipſos, & abiecti animi eſſe ducimus: & quod grauiſſimum eſt, noſtram calamitatem, victoriá nobis ducimus: & cùm maximè ab ira vincimur, tunc maximè viciſſe exiſtimamus: & cùm humi miſerè proſtrati iacemus, innumeris à diabolo Luc. 6 d

bolo

bolo plagis vulneribúſque acceptis, victoriam reportaſſe contendimus. Quamobrem fratres vos ego & hortor, & moneo, vt victoriam ipſam cognoſcere non negligatis: eámque proſequamini: ſiquidem malorum perpeſſio victoria nobis eſt. Si igitur à Deo laudum præconia cupimus, nō æterna certamina, ſed diuinam legem in his ſeruemus certaminibus, & quicquid eueniat, æquo animo perferamus: hoc pacto veteri proſtrata malitia, & præſentis ſeculi, & quæ in futuro nobis promittuntur bona conſequemur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cùm quo patri, ſimul & ſpiritui ſancto gloria, honor & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 4.

Eſt Hom. 4. in Ioan. Geneſ.1.& ſequen.

O*Mnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Moſes veteris teſtamenti librum Hiſtoriámque exorſus, quæ ſenſu percipiuntur, eo nobis pluribus verbis numerat. In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram. Inde ſubdit lucem ſecundum cælum, ſtellarum naturam, varia animantium genera creata, & cætera denique omnia, ne ſingillatim proſequentes ſimus longiores. Hic autem euangeliſta omnibus his præciſis, atque omiſſis, vno verbo & ea, & longè altiora cōprehendit, nec immeritò: vtpote cùm ſatis cognita eſſent auditoribus, & ipſe ad altiorem, præſtantiorémque materiam properet, & omni conatu non circa creata, ſed ipſum omnium creatorem incumbat: idcirco ille quanuis minorem creationis partē aggrederetur: nihil enim nobis de inuiſibilibus diſputat virtutibus, his tātùm immoratur. Verùm Ioannes ad ipſum omnium conditorem aſcendere feſtinans, meritò & quæ ille proſecutus eſt, & quæ conticuit, prætermiſſis paucis, omnia comprehendit. Omnia, inquit, per ipſum facta ſunt: & ne putares quæcunque Moſes dixit, ea duntaxat Ioannem intelligere: infert, Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, hoc eſt, eorum quæ creata ſunt, ſiue viſui ſiue intellectui tantùm ſubiecta, nihil ſine filij virtute productum eſt, vel conditum. Neque cùm dixerimus. Sine ipſo factum eſt nihil: profectò id puncto notabimus, vt hæretici opinantur. Hic enim cùm velint ſpiritum creatum eſſe, ſic legūt: Quod factum eſt in ipſo vita erat: verùm cùm nulla profectò ratione hæc intelligi poſſit oratio, Primùm nanque neque temporis huius, neque propoſiti erat, ſpiritus meminiſſe: quod ſi ita ei viſum eſt, ſi ita placuit, quanam gratia tam obſcurè ſpiritus mentionem fecit? vnde autē conſtat de ſpiritu dictum eſſe? Præterea in hoc euangelio inuenimus, non ſpiritum, ſed filium: & ſeipſum factum. Verùm excitemini ne hæc vos ſententia fugiat, & agite quæſo, primùm hunc textum ſecundùm eorum legamus opinionem: hoc pacto quàm perperam, impiéque eum interpretentur, planè intelligetis. Inquiunt igitur, Quod factum eſt in ipſo vita erat: hanc vitam ſpiritum intelligi cōtendunt: ſed hæc vita lux etiam inuenitur appellata, cùm ſubdidit: Et vita erat lux hominum. Itaque ſecundum eorum poſitionem, lux hominum ſpiritus dicitur: Quid ergo cùm proſequitur, Fuit Homo miſſus à Deo, qui teſtimonium perhiberet de lumine? quod etiam de ſpiritu dictū cōfiteantur, neceſſe eſt: quod enim ſuperius, verbum, appellauit, id deinde, & Deum, & vitam, lucē appellat. Vita erat, inquit, hoc verbum: & vita, lux. Si igitur verbum vita eſt: verbum autem hoc, & vita, caro factum eſt: vita facta caro eſt, hoc eſt verbum, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre.* Quod ſi ſpiritum dicant hoc in loco vitam appellari, conſidera quod ſequerentur abſurda. Erit enim ſpiritus incarnatus, non filius, erit vnigenitus ſpiritus. Quod ſi negaretur, in aliud longè abſurdius, hoc euitato, prolaberentur. Nam ſi de filio hoc in loco intelligendum, & punctum illic faciendum contenderent, filium à ſeipſo factum fateri cogerentur. Nam ſi vita eſt verbum, & quod factum eſt in ipſo vita erat, ſecundum eorum lectionem, ipſe in ſeipſo, & per ſeipſum factus eſt. Deinde poſt nonnulla in medium adducta, ſubdit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre.* Ecce vnigenitus filius, eorum ſententia ſpiritus ſanctus eſſe inuenietur, de eo enim hæc omnia narrata ſunt. Animoduertíſne cùm ſemel veritas deprauatur, quo res euadat? quod impia, quod abſurda patiantur? Quid ergo? non erit lux ſpiritus? Eſt ſanè lux, ſed hoc in loco nequaquam de eo loquitur euangeliſta: etenim Deus ſpiritus, hoc eſt, incorporeus, appellatur: non tamen vbicunque mentio fit de ſpiritu, Deus quoque intelligitur. Et quid admiraris ſi de patre hoc dicimus, cùm ne de paracleti quidem appellatione id dicere poſſemus, vt vbicunque ſpiritus, illic omnino paracletus ſignificetur, quanuis hoc nomen illius potiſſimum ſit demonſtratiuum? ſiquidem & Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia nuncupatur, non tamen ſemper ſapientiæ, & virtutis Dei appellatione filium dixeris intelligendum. Itidem hoc in loco, quanuis illuminet ſpiritu, minimè tamen de eo intelligitur: ſed quando eos iam his erroribus liberauimus, vndique contra veritatem inſurgere admittentes: eo quo primam aſſeruerunt modo legendum, pertinaciter inſiſtunt, videlicet: Quod factum eſt in ipſo vita erat: quid igitur & Sodomorum ſupplicium, & diluuium, & gehenna & innumera huiuſmodi? Sed de mundi opificio ſermo nobis, inquit, eſt ſanè quidem & illa opificij ſunt. Sed vt vehementius eorum reprehendamus poſitionem, percontemur eos, nunquid lignum vita ſit? nunquid lapis? in anima hæc & immobilia. Verùm & hæc omnino eſſe nata, & quiſnam hoc diceret? Non enim ipſa vita homo eſt, ſed vitam ſuſcepimus, Et vt ordine hoc etiam in loco orationem proſequamur, animaduerte quàm ineptè, quam abſurdè, quámque nulla ex parte ſpiritui quicquam conſentaneum loquantur. Nam cùm inde decidunt, ea hominibus attribuunt, quæ meritò de ſpiritu dici arbitrati ſunt. Veruntamen etiam ſic ipſorum ſententiam inquiramus, Vita, creatura hoc in loco intelligitur, ergo & lux creatura eſt, & de ea venit teſtimonium perhibiturus Ioannes: quamobrem igitur ipſe lux non eſt? Non erat, inquit, ille lux, atqui ex creaturarum erat numero. Quomodo ergo non eſt lux? Quomodo in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt? Nunquid creatura in creatura erat, & creatura per creaturam facta erat, vel eſt? quomodo & mundus eum non cognouit? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Sed iam ſatis riſimus: vobis has ineptias,

hæc

hæc monſtra conſideranda dimittimus, ne riſus mouendi duntaxat gratia hæc dixiſſe videamur, & tempus conteramus incaſſum. Nam ſi neque de ſpiritu id dictum eſt: vt planè oſtendimus, neque de creatura, & eo quo aſſerunt puncto eſſet is textus diſtinguendus, Illud vnum ſequeretur abſurdiſſimum, quod ante diximus, filium per ſeipſum factum eſſe. Si enim lux vera filius eſt, lux autem hæc erat vita: vita autem facta eſt in ipſo: eorum proculdubio ſententiâ hæc coniungi, & in idem venire neceſſe eſt. Quamobrem hac reiectâ, veram aggrediamur expoſitionem. Quænam autem ea eſt? vt poſt eam particulam, quod factum eſt, perfectum pũctum apponamus: deindè clauſulam incipiamus, In ipſo vita erat: cuius particulæ ſententia huiuſmodi eſt: Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Si quid factum eſt, inquit, ſine ipſo factum non eſt. Vides quo pacto hac breui adiectione omnia corrigit inconuenientia: Ex ea enim particula, Sine ipſo factum eſt nihil: & adiectione, quod factum eſt: intelligibilia comprehendit, ſpiritum ſubtrahit. Quippe quũ dixiſſet, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Ne quis ſuſpicaretur, ſi omnia per ipſum: ſpiritum quoque per ipſum factum eſſet, ea fuit adiectio neceſſaria. Ergo ſi quid factum eſt, id per ipſum factum dicit, ſiue inuiſibile ſit, ſiue corporeum, ſiue cæleſte. Præterea non ſimpliciter dicit, omnia: ſed ſi quid factum eſt, hoc eſt genitum: ſpiritus verò ingenitus eſt. Videſne doctrinam qua certiſſimam in memoriam reduxit ſenſibilium creationem, quã antè Moſes edocuerat? Inde quum ſatis in his profecerimus, ad altiora nos erigens, ad incorporea ſcilicet atque inuiſibilia, ſpiritum ſanctũ ab omni creatura ſeiunxit. Itidẽ Paulus gratia hac inſpiratus inquit vniuerſa in ipſo condita eſſe, cuius animaduerte, quæſo, certitudinem: ipſe enim ſpiritus in Paulo loquebatur. Ne quis igitur eorum quæ à Deo creata factáque ſunt, quicquam ſubtraheret, eo quod ſint inuiſibilia: neque hic admiſceret paracletum, ſenſibilibus & quæ cognitu facilia ſunt
Coloſ. 1. c. prætermiſſis, cæleſtia his verbis enumerat: Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Hæc autem particula, ſiue, ſingulis addita, nil aliud nobis ſignificat, quàm omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil: quod factum eſt. Si verò hanc præpoſitionem Per, ſignificare diminutionem arbitraris, audi Prophetam dicentem: Initio terram tu fundaſti, & opera
Pſal. 103. a. manuum tuarũ ſunt cæli: quod de patre tanquam
Hebr. a. de conditore dictum eſt. Idem de filio Paulus atteſtatur: nunquam profectò id aſſerturus, niſi cõditorem ipſum non miniſtrum opinaretur. Per ipſum autem hoc in loco nulla alia ponitur gratia, quàm ne ingenitum quiſpiam ſuſpicaretur. Nam quod ex opificij & generationis dignitate nihilo ſit patre inferior, audi loquentem: ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult
Infra 5. d. viuificat: quod ſi de filio etiam in veteri teſtamento: Initio terram tu fundaſti domine, dictum eſt, manifeſta eſt opificij dignitas. Sin de patre prophetam id locutum dixeris, quod de illo dictum eſt: Paulus filio attribuit, & ita idem efficietur: neque enim filio id Paulus tam conſtanter attribuiſſet, niſi proculdubio patri & filio pares eſſe intelligeret dignitates. Vltimæ nanque & amentiæ eſſet & audaciæ, quæ incorporali conuenirent naturæ, ea ad minorem, & quæ illa indigeret deducere. Verùm neque minor eſt filius, neque patris indiget ſubſtantia: quocirca non hoc modo de filio Paulus audet profiteri, ſed alia quoque huiuſmodi: hoc enim verbum, ex quo, quod tanquam dignum quoddam, & præcipuum ſoli patri attribuis, filio quoque proprium his verbis oſtendit: ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructũ creſcit in augmentum Dei: neque hoc ſolo contentus, aliunde etiam nobis os obſtruat, quum illud verbũ: Per quem, quod diminutionem ſignificare arbitraris, patri attribuat. Fidelis enim Deus (inquit) per quem 1. Cor. 1. d.
vocati eſtis in ſocietatem filij eius. Et item per voluntatem eius. Et alibi, Quod ex ipſo & per Rom. 11. d.
ipſum, & ad ipſum omnia. Itaque nõ filio tantùm hoc verbum, ex quo, ſed ſpiritui quoque attributum inueneris. Dixit enim ad Ioſeph angelus: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Matt. 1. c.
quod enim in ea genitum eſt, ex ſpiritu ſancto eſt. Quemadmodũ certè hoc verbum, In quo, quanuis ſpiritus ſancti ſit proprium, id tamẽ Deo attribuere nõ recuſat propheta, quum inquit: In Deo Pſal. 59. c.
faciemus virtutem, Et Paulus obſecrans, inquit: Rom. 1. b.
Si quomodo tandem aliquando proſperum iter Gal. 5. b.
habeam in voluntatem Dei venire ad vos. Et iterum, In Chriſto Ieſu. Et huiuſmodi frequenter verba indifferenter accepta inuenimus: quod minimè fieret, niſi vbique eadem eſſet ſubſtantia. Ne autem ex ea particula: Omnia per ipſum facta ſunt: de ſignis dictum ſuſpicaberis: de his enim reliqui euangeliſtæ verba fecerunt, non multo poſt ſubdit: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt.* Non autem ſpiritus qui factus non eſt, ſed omnem longe excedit creaturam. Verùm iam reliqua proſequamur. Cùm de rerum creatione Iohannes verba feciſſet, quod ſcilicet: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, de prouidentia iam ſermonem aggreditur. *In ipſo, inquit, vita erat.* Quod ideo addidit, ne quis forte diffideret, quonam pacto tanta & talia per ipſum facta ſunt. Nam quemadmodum ſi ea profundiſſimo & iugi fonte quantumuis aquæ hauſeris, nihil tamen iis diminuitur: ita in vnigeniti operibus, quodcunque ea his productũ factúmve crediderìs, nihilominus effecit. Imò vt propriori vtamur ſimilitudine, lucis ſcilicet, quam mox ipſe ſubdidit: *Et vita erat lux hominũ.* Quemadmodum, inquam lux quãtumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil ſplendoris remitteret: ita idem Deus & antequam mundum conderet, & poſtquam condidit, idem perfectus atque integer permanet, nihil tanto & admirabili opificio minor, nihil imbecilior: Quod ſi innumeros huiuſmodi eſſet mundos conditurus: omnibus tamen ſufficeret, non modo ad creandos, ſed ad gubernandos. Vitæ enim nomen hoc in loco non modo creationis eſt, ſed prouidentiæ ad perpetuitatem. Necnon & reſurrectionis rationem iam afferre incipit, & admiranda hæc euangelia exorditur: adueniente autem ad nos vita, vis mortis periit: & luce nos illuminante, tenebræ euanuerunt: ſed manet ſemper in nobis vita, & mors ei dominari non poteſt. Itaque quod de patre dictũ eſt: de hoc Acto. 17. f.
quoque propriè dicitur, quod in ipſo viuimus, &
mouemur, & ſumus. Quod & Paulus his verbis Coloſ. 1. c.
ſignificauit: quia in ipſo condita ſunt vniuerſa, & omnia in ipſo, & per ipſũ creata ſunt: quapropter

& radix

& radix dicitur,& fundamētum. Verùm cùm audis, *Quod in ipſo vita erat.* Noli ſuſpicari compoſi-
Infra. 5. c. tum: alibi enim de patre dicit, Sicut pater habet vitam in ſe, ſic dedit & filio vitam habere: ſed vt patrem idcirco non dixeris compoſitum, quia vi-
1. Timo. 6. c. tam habeat, ita nec filium. Etenim alibi inquit, quòd lux eſt Deus:& iterum,quòd lucem habitat inacceſſibilem. Hæc autē omnia ſingillatim proſecuti ſumus,non quòd compoſitionem vllam in Deo ſuſpicemur,ſed vt paulatim ad doctrinæ altitudinem euehamur. Cùm enim nō facilè à multitudine intelligi poſſet, quanam ratione in eius perſona vita ſit primū, id humilius tetigit, quum
Infra. 5. c. inquit: Dedit ei vitam habere. Inde eruditos al-
Infr. 14. a. tius erigit his verbis:Ego ſum vita. Et iterū: Ego
Ibid. 8. b. ſum lux.Et quænam eſt hæc lux? Non quæ ſenſu, ſed quæ animo percipitur, quæ ipſam illuminat animam. Cùm enim dicturus eſſet Chriſtus: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum.
Ibid. 6. e. Idcirco hinc exorſus Euangeliſta, inquit ipſum eſſe qui illuminat: vt quanuis de patre aliquid eiuſmodi audieris,non ſolius patris id eſſe, ſed fi-
Infra. 16. lij quoque profitearis. Omnia, inquit, quæcunque habet pater meus, mea ſunt. Primùm igitur creationem nos edocuit, deinde beneficia quæ in aduentu ſuo nobis largitus eſt, vno verbo commemorauit, ſignificauitque Euangeliſta,cùm ait: *Et vita erat lux hominum.* Non Iudæorum, ſed hominum omnium. Non enim Iudæi duntaxat, ſed Gentiles quoque in hanc cognitionē deuenere,& communis omnibus propoſita eſt hæc lux. Quanam autem gratia non angelorum, ſed hominum tantum lucem dixit? quoniam ei in præſentia de humana natura ſermo habetur:& ad homines venit, vt vera & perpetua eis bona annunciaret. *Et lux in tenebris lucet.* Tenebras, & mortem & errorem appellat. Siquidem ſenſibilis hæc lux, non lucet in tenebris, ſed omni luce penitus tenebræ carent. Prædicatio autem inter eum qui omnia comprehenderat,errorem effluxit, eúmque penitus aboleuit: & moriens Chriſtus ſic mortem vicit,vt eos qui iam pridem morte detinerentur, liberaret.Cùm igitur neque mors, neque error hāc lucem exuperet, ſed charitate incredibili propria vi vbique effulgeat: idcirco inquit, *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quæ & ſi vinci nequeat,non tamen illorum qui illuminari nolunt, animis patitur immorari. Quamobrem ſi non omnes comprehenderit, nolite turbari, Non enim neceſſitate & vi, ſed quum volumus, quum aſſentimur, Deus ad nos venit. Nolimus huic luci, & tantis deliciis oſtium claudere: hæc lux per fidem nobis exoritur,& exorta in eorum,à quibus piè ſuſcipitur,animis affatim radios diffundit: cui ſi puram & immaculatam vitam exhibeas, ſemper tecum
Infr. 14. c. permanet,ſemper in te habitat.Qui diligit me,inquit, præcepta mea ſeruabit, & pater meus diliget eum,& ad eum veniemus, & māſionem apud eum faciemus. Quemadmodum enim ſolaribus radiis nemo clauſis oculis frui poteſt, ita neque huius claritatis particeps abunde vnquam fuerit, niſi animi oculum ad eum & dirigat & intendat: tunc enim quocunque ſe vertit, facilis ei proſpectus patebit: quod eueniet, cum omnibus malis affectibus animum purgauerimus. Peccatū enim tenebræ & vorago quædam profunda: quod vel inde planiſſimè conſtat,quod clam & ſine arbitris peccata committuntur. Quicunque enim in facinora, ſceleráque prolabitur, odio habet lucem, neque luci ſe credit,& quæ occultè, & in abſcondito fiunt, etiam ſunt dictu turpia. Sicut enim in tenebris neque amicus, neque inimicus agnoſci-
Ephe. 5. c.
tur,ſed omnia penitus ignorantur, itidem in peccato vſu venit. Quippe qui lucro inhiat, nullam amici,inimicíve intelligit differentiam:& inuidus familiariſſimum non ſecus quàm inimicum conſpicatur, & latrones ſimiliter in omnes bellū gerunt,omnibus inſidiantur:& omnino quicunque ſe vitiorum ſordibus coinquinant, nihil ad rerum differentias dignoſcendas ab ebriis,inſanientibúſque differunt. Et quemadmodum noctu amoto lumine lignum,plumbum, ferrum, argentum,lapides precioſos,& alia omnia eodem modo & videmus,& diiudicamus:ita qui ſordidè, & vitioſè vitam viuit,neque modeſtiæ vim,neque ſapientię diſcernit pulchritudinem. In tenebris enim, vt iam dixi, precioſi etiam lapides nullam ſpeciem, nullum præ ſe ferunt fulgorem,non ſua, ſed caligantium oculorum culpa. Neque hoc duntaxat nobis dum ſub impia vitiorum tyrannide viuimus, moleſtum eſt, verumetiā illud quod formidine propterea angimur, & veluti qui per obſcuram noctem iter faciunt, vt nihil metuendum ſit, metu tamen concutiuntur: ſic qui ſcelus aliquod admittunt,& ſi nemo id videat, nemo reprehendat, nihilo tamen melius ſibi fidunt, ſed omnia formidant,omnia ſuſpicantur: quippe qui perpetuis conſcientiæ ſtimulis agitantur,omnia formidoloſè circunſpiciunt. Propulſemus igitur tam grauem,tam moleſtam vitam, cuius angorē mors ſequitur, mors,inquam, immortalis & perpetua, cui nullus ſupplicij finis eſt. Adde quod in hac vita nihil ab inſanientibus hi differunt,qui terrenas res & breui duraturas tanquam in ſomnis ſuſpicantur: videntur diuitiis affluere, cùm nullis affluant:in deliciis eſſe,cùm non ſint:neque antè ſe deceptos intelligunt,quàm ab inſania liberentur, quàm ſomnum diſcutiant. Quocirca & ſobrij ſi- *Matt. 24. d.*
mus & vigilemus, nobis Paulus præcipit, & iti- *& 1.*
dem dominus. Qui ſobrius eſt & vigilat, quanuis *1. Cor. 16. e.*
à peccato capiatur,mox tamen ipſum abiicit, fugátque: qui verò ſomno aut inſania comprehenditur, nō intelligit quo pacto ſub eius detineatur ſeruitute. Quamobrem nobis nullus ſit ſomni locus:non enim noctis tempus eſt, ſed diei, vt in die honeſtè ambulemus. Etenim nihil peccato turpius eſt, nihil ignominioſius. Et profectò ſi ad turpitudinis rationem referatur, tolerabilius eſt nudos,quàm in peccato & ſcelere deprehendi:Illud enim non ita in culpa eſt, interdúmque paupertatis gratia contingit: eò autem qui peccatorum ſordibus inquinatur, nihil obſcœnius,nihil contemptu dignius. Veniat nobis in mentem & diligenter conſideremus eos qui rapinæ & cupiditatis cauſa in iudicium vocantur quam obſcœni, quàm ridiculi appareant, cùm omnia turpiter & iniuſtè fecerint, omnes feſellerint, in omnia temere prolapſi ſint.Nos autem tam miſerè,tam infœliciter vitam agimus,vt veſtem præpoſtere indui non patiamur, imò alios ſi id faciant, reprehendemus: quum verò & nos,& proximi noſtri, capite ambulemus, non aduertimus. Quid enim eo turpius, qui aſſiduè meretricios petit fornices? Quid contumelioſo, quid maledico, quid inuido riſu dignius? Sed quamobrem non tam hæc turpia,quàm nudus ambulare videatur?ex conſuetudine,

dine, vnde nemo vnquam ſponte ſua nudus ambulare conſueuit. Illud autem omnes omni tempore, & ſanè confidẽter audent. Quòd ſi quiſpiam cum angelis haberet conſuetudinem, apud quos vel nunquam tale committitur, certò tunc quoniam ridiculum ſit, intelligeret. Et quid de angelorum loquor conſuetudine? in ipſis enim regiis apud nos, ſi quis introductam meretricẽ cognoſceret, vel ebrietate, vel aliqua huiuſmodi turpitudine dehoneſtaretur, vltimũ daret ſupplicium. Quod ſi hæc in regiis intolerabilia ſunt, longè magis in conſpectu ſummi & omnipotẽtis regis cùm vbique præſto adſit, & quæcunque audemus intueatur, meritis pœnis afficiemur. Quare vos & hortor & admoneo, vt in hac vita & ſobrios uos & quietos exhibeamus, rex enim noſter omnia noſtra opera conſpicatur. Vt igitur hæc lux perpetuò nos illuminet, hos diuinæ clementiæ radios & quæramus, & efflagitemus, ita vt præſentibus his, & futuris bonis affatim fruamur, gratiâ & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto & in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 5.

Eſt Hom. 5. in Ioan. F*Vit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Cùm de verbo Dei in euãgelij ſui principio ea Ioannes diſſeruiſſet, quæ mentes noſtras facilè allicere poſſent ad credendum, via & ordine procedens ad ipſius verbi præconem ac nuncium, & eodem quo ipſe nomine appellatur, Ioannem ſcilicet venit. Tu autem cùm à Deo miſſum intelligas, nihil iam humanum ab eo dici, annuntiarive exiſtimes. Non enim ſuum quicquam, ſed mittentis arcana denũciat. Idcirco angelus appellatur, hoc eſt nuncius. Eſt enim nuncij officium nihil ex ſe dicere. Fuit autem hoc in loco non tranſitus ad eſſe, ſed ipſius Apoſtolatus eſt ſignificatiuũ. Fuit miſſus, Philip. 2.a. inquit, pro miſſus eſt. Quomodo igitur textum illud Apoſtoli, Qui enim in forma Dei eſſet, non eandem eum patre eſſentiam ſignificare dicunt: eo quod non præponatur articulus? Ecce hoc in loco nullus præponitur, nunquid igitur de patre hîc non loquitur? quid igitur dicemus propheMala. 3.a. tæ dicenti: Ecce ego mitto angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te? Meum nanque & tuum duas perſonas ſignificat. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Quid hoc, dicet fortaſſe quiſpiam, ſeruus de domino teſtimonium perhibet? Verùm quum non ſolum à ſeruo teſtimonio perhibitus ſit, ſed ad ſeruum etiam venerit, & cũ Iudæis baptizatus, nónne magis & commoueris, & dubitabis: Sed quid perturbari commouerique oportet? Admirare potius ineffabilem Dei benignitatem. Quod ſi quis adhuc in perturbatione dubius perſiſteret, dic ad illum id quod ad Matt. 3. Ioannem dixit: Sine modo, ſic enim opus eſt nobis implere omnem iuſtitiam. Si verò amplius quis perturbabitur, & illud ad Iudæos dictum adducet: Ego non ab homine teſtimonium accipio, dicétque, Si hoc non indiget teſtimonio, quanam gratia miſſus eſt à Deo Ioannes? Reſpondendum eſt, non propterea quod ipſius teſtimonio indigeret: prophanum enim id aſſerere, ſed ea (quam ipſe Ioannes ſubdit) cauſa. *Vt omnes crederẽt per illum.* Ipſe autem Chriſtus quum dixiſſet, Ego non ab homine teſtimonium accipio: ne apud indoctiores ſubinde ſibi repugnare videretur, quum nunc dicat. Alius de me perhibet teſtimonium, & ſcio quia verum eſt teſtimonium eius, Ioannem ſignificans: nũc, non ab homine teſtimonium accipio, mox adiectione eam ſoluit dubitationẽ, inquiens: Sed hæc dico propter vos, vt ſalui ſitis: quaſi dicat, Deus ego ſum, & Dei vnigenitus filius, & ſupernæ & immortalis ſubſtantiæ, nulliúſque indigeo teſtimonio, & quamuis nemo hoc profiteretur: nihil propterea natura mea ſit minor, nihil deterior: ſed cùm mortalium ſalus mihi curæ eſſet, in hanc deſcendi humilitatem, vt hominis teſtimonio me ſubiicerem. Nam propter Iudæorum imbecillitatem, hoc pacto melius faciliúſque fides in eum extendi propagarique poterat. Sicut igitur carnem induit, ne ſi nuda ſe diuinitate exhiberet, omnes perderet: ita virum qui ſe annunciaret miſit, vt cùm familiarem vocem populi audirent, facilius ad credẽdum adducerentur. Nam quod nihil illo teſte indigeret, ſatis, quis nam eſſet, nuda duntaxat & aperta ſubſtantia potuit oſtendere, atque ita omnes in admirationem conuertere: non tamen id fecit, quoniam, vt iam dixi, omnes perdidiſſet, cum nemo poſſet inacceſſam illius lucis præſentiam tolerare. Propterea, vt dictum eſt, carnem induit, & vni conſeruorum noſtrorum de ſe teſtimonium mandauit, quoniam ad ſalutem noſtram omnia operatus eſt, neque ſuæ duntaxat dignitati, ſed auditorum vſui facilitatíque conſuluit. Quod ipſe quoque his verbis ſignificat: Hæc dico propter vos, vt ſaluemini. Et Euangeliſta quum de domino locutus dixiſſet. *Vt teſtimonium perhiberet, de lumine.* addidit, *Vt omnes crederent per illum.* Quaſi dicat, ne putes hac cauſa teſtificatum veniſſe Ioannem Baptiſtam, vt fidei ratione aliquid domino adderet, ſed vt ſui homines crederent per ipſum. Quod autem ad hanc tollendam ſuſpicionem hoc dixerit, ex ſequẽtibus conſtat, addit enim: *Non erat ille lux.* Nam ſi non huius ſuſpicionis gratia in hoc inſtitiſſet, præteriſſet ſimpliciter, & potius eſſet eiuſdem rei repetitio, quàm doctrinæ clarior ſignificatio. Quippe quum dixerit, *Miſſus eſt vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Proſequitur: *Non erat ille lux.* Neque id temere: ſed quoniam frequenter apud nos qui teſtimonium perhibet, maior eo eſt, de quo perhibetur, & maioris plerunque authoritatis apparet, ne qua de Ioanne huiuſmodi oriretur ſuſpicio, ab ipſo ſtatim principio eam penitus tollit, oſtendítque & quis perhibuerit, & de quo perhibitum ſit teſtimonium, & quæ ſit inter eos differentia, & in hoc eius incomparabilem enarrat eſſentiam. Et ita audenter iam reliquam aggreditur orationem. Necnon ſi quid abſurdum temerariúmve oriebatur, quo ſtultorum mẽtes cõmoueri potuiſſent, è medio diligẽter ſublato, ita omnia perſequitur, vt facilè iam nullo impedimento doctrinæ ſuæ rationem edoceat. Oremus itaque cum horum ſenſum reuelatione, & doctrinæ huius veritate, puram etiam vitam nullis his ſordibus inquinatam. Siquidem nullus eorum vſus eſt, niſi bonis illuſtrentur operibus. Quamuis enim fidem firmiſſimam, quamuis ſcripturarum ſenſus haberemus, à vitæ autem patrocinio & deſerti eſſemus, & nudi, nihil nos à gehennæ ignibus

Infra 5.f (beside "lum. Ipſe autem Chriſtus quum dixiſſet")
Ibidem.c (beside "Sed hæc dico propter vos")
Infra.5.f (beside "præſentiam tolerare. Propterea")

ignibus eriperet, quin perpetua & inextinguibili flamma conſumeremur. Quemadmodum enim qui bene operantur, reſurgent in vitam æternam: ita qui malè, in ſupplicium æternum, quod nullo vnquam fine præſcribitur. Quare omni diligentia, curáque adhibita contendamus, ne quod ex vera & firma fide lucrum accipimus, operum prauitate perdatur, ſed in hac vita totis viribus Chriſti ſectemur veſtigia, cui beatitudini nihil eſt conferendum. Atque vitam purè & ſanctè viuentes, quęcunque dicta ſunt, ad Dei gloriam referamus, cui honor ſimul & vnigenito filio, & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 6.

Vid. Hom. 6. in Ioan. *ERat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū.* Propterea mihi iamdiu dilectiſſimi filij, paulatim vos per ſcripturarum paſcua ducimus, nec omnia ſimul diffundimus, vt facilè, quæ vobis committimus, & cuſtodiatis, & ſeruetis. Quippe qui ædificando nondum primis compactis lapidibus, alios ſuperimponunt, iam quaſſatum & breui ruiturum ſtruunt parietem. Qui autem his firmatis, & calce compactis opus reliquum proſequuntur, tutam & diu duraturam domum ædificant. Huiuſmodi & nos architectos ad noſtras confirmandas animas imitemur. Etenim nonnunquam vetiti ſumus, ne recente, & adhuc imbecilli priore fundamento, aliarum ſpeculationum acceſſu, cùm mens ſimul omnia aſſequi nequeat, priora illa offendantur, & pereant. Quid igitur hodie nobis propoſitum eſt? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Siquidem cùm ſuperius Ioannem veniſſe dixiſſet, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & quod miſſus fuit: ne quiſpiam ex teſtimonij nouitate, de eo qui teſtimonium perhibiturus eſt, aliquid ſuſpicionis exoriretur, mentes erexit, & ſupra omne principium æternam, & nullo fine per ſcripturam Dei proſecutus eſt eſſentiam: & quonā pacto filius hoc habere poteſt, inquis? De Deo loquimur, & quonam pacto, interrogas? nónne times? nónne exhorreſcis? quod ſi abs te quiſpiā quæreret, quomodo immortalem vitam, & corpora noſtræ habituræ ſint animæ: nónne ridicula eſſet quæſtio? ac ſi non humani eſſet ingenij eiuſmodi inquirere, ſed credere tantùm oporteret: neque eſſet curioſius inueſtigandum, quod ſufficientem habeat ſui demonſtrationem, & immenſam promittentis poteſtatem. Nam cùm animarum & corporum noſtrorum conditorem, qui omnem incorporalem excedit creaturam, ſine principio eſſe aſſeramus: quanam ratione id factū ſit, efflagitabis? Quiſnam hoc inconſtantiſſimi eſſe animi, & inſanæ mentis indicium negauerit? Audiſti: *Et lux vera.* Quid ſtultè & temerè æternam hanc vitam humana ratione coniectari, atque inuenire contendis? Haud fieri poteſt. Quid ſcrutaris imperſcrutabilia? Quid circa incomprehenſibilia inané ſubis laborem? Quid inueſtigas quæ nulla ratione poſſint deprehendi? Inquiras quanta poteſt diligentia ſolarium radiorum originem: non ſanè poteris, neque indignaris, neque tuā iniquo fers animo imbecillitatem. Quid igitur in maioribus tam audax es, & temerarius? Tonitrui filius Ioannes tuba perſonās ſpirituali nihil aliud, quàm quod audierat à ſpiritu, inueſtigauit: tu autem illius gratię expers, & penitus vacuus, manifeſtis humanæ naturæ rationibus illius cognitionis terminos ſuperare contendis: propterea eo peruenire nunquam poteris. Tale enim diaboli ingenium eſt, tales inſidiæ, vt eos qui nobis cōſtituti ſunt fines, tranſire perſuadeat, ac ſi ad longè meliores ſimus peruenturi: cùm verò hac nos ſpe allexerit, & diuinā gratiā priuanerit, tunc nō ſolùm nobis nihil amplius præſtantiúſve elargitur (quonam enim pacto diabolus?) ſed ne in priſtinā quidem conditionem, vbi tutè, & ſecurè commorabamur, reditum permittit, ſed paſſim trahit errantes, cùm non habeamus vbi peſſimus cōſiſtere. His fraudibus primum è paradiſo hominem expulit. Maioris nanque cognitionis & gloriæ ſpe allectum, ab his quibus tranquille fruebatur bonis deiecit: & non modo cum Deo ſimilem, vt pollicitus erat, non reddidit, ſed ſub mortis ditionem compulit. Gene. 3. a. Non modo nihil amplius à ligni fructu aſſecutus eſt, ſed ne cognitionem quidem, quam prius habuerat, retinuit, cùm multa ſe cogniturū ſperaret: tum primum erubuit, cùm ſe nudum abſcondit, cùm antea nullo fuiſſet pudore confuſus. Cùm enim ſe nudum & veſtibus carētem cognouit, & triſtitia & dolore contabuit: quod ne nobis accidat, conditori noſtro Deo pareamus, & eius præcepta omni diligētia obſeruemus. Neq; præterea quicquam inueſtigemus curioſius, ne accepta beneficia amittamus. Quemadmodum hi qui cùm ſempiternæ vitę principiū inuenire contenderint, etiam quæ aſſequi licuerat, amiſerunt: neque tamē quæſita aſſecuti ſunt, cùm minimè potuerint, & à vera vnigeniti fide deciderint. Nos verò nullo pacto velimus perpetuos, quos nobis patres noſtri poſuerunt terminos præterire, ſed omni tempore ſpiritusſancti legibus pareamus: & cùm audierimus, Erat lux vera, non vlterius inquirendo, quod inueniri non poteſt, perſiſtamus: Nam ſi genitus eſſet vt homo, neceſſariò differētiā aliquam eſſe inter genitorem genitumq; oportuiſſet: cùm verò ineffabili ratione, & vt Deum decet, genitus ſit, meritò & ante & pòſt, quæ particulę temporis indicia ſunt, in eum cadere nequeunt. Nam filius ſeculorū omnium eſt conditor. Ergo non pater, inquit, eſt, ſed frater. Quænā hæc neceſſitas? ſi patrem, filiumq; aliunde ortos diceremus, id ſanè ſequeretur: ſin hanc negamus impietatem, & patrē quidem ſine principio eſſe, neq; ex alio genitum, filium antē ſine principio, genitum tamē ex patre & ſentiamus, & profiteamur: quid nos tā impiam cogit inducere neceſſitatem? nihil profectò, ſplendor eſt, ſplendor autem cum natura ſimul cuius eſt ſplendor intelligitur. Præterea Paulus filium ſplendorem appellauit, vt nullam ſuſpicareris patris & filij differentiam. Quod autem à ſuperiori Hebr. 1. a. exēplo ſequitur, abſurdè à ſtultis motā obiectionem tollit. Non enim ex ſplendoris, inquit, appellatione propria ipsū priuari perſona exiſtimabis: hoc impium eſt, & Sabellianorū Marcellianorumq; inſania, qua nos abiecta, in propria eſſe filium perſona dicimus. Idcirco cùm ſplendorem ipſum appellaſſet, addidit figuram eſſe ſubſtantiæ eius, quo propriā eius perſonā oſtenderet, & eius eſſe ſubſtantię, cuius eſt figura. Non enim ſatis eſt vno, vt iam dixi, verbo Dei doctrinam hominibus

oſtendere,ſed multa ex ſingulis collecta,quę huic accommudentur materiæ eligamus, ſi potuimus de diuina gloria dignè loqui: dignè autem dico, quantû in noſtris viribus eſt. Quod ſi quis Dei reſpectu dignè ſe verba facturû arbitraretur, contenderétque ita ſe Deû intelligere, vt ipſe ſeipſum nouit, is maxime Deum ignorat. Cum igitur hæc apertè videamus dilectiſſimi, ſummo nobis ſtudio inſiſtendum eſt in iis quæ nobis verbi miniſtri,& qui certò id conſpicati ſunt,tradiderunt, & nihil vlterius contendamus. Duo nanque mala & quidem grauia, hoc morbo laborantes circumueniunt. Primùm quod dùm his fruſtra inquirendo laborant,miſeri fiunt,cùm ea inuenire nequeant. Alterum quod Deum irritant,cùm conſtitutos ab ipſo terminos excedere conentur: quod quantopere Deum ad iram prouocet, cùm planè omnibus conſtet,in præſentia omittamus:& eorû contempta dementia, quo perpetuò nos corroboret, eius ſermones formidemus,quoniam,inquit: Ad quem aſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & [Eſa.66.a] metuentem ſermones meos? Hac igitur pernicioſa inquirendi cura abiecta, noſtra côteramus corda, peccata deploremus, vt à Chriſto nobis præceptum eſt,& eorum gratia quæ perperam & iniquè egimus, compungamur: & ſumma cum diligentia quicquid ſuperiori tempore auſi ſumus, quicquid malignè cômiſimus animo repetamus, atque abiiciamus. Ad quod multas nobis Deus vias aperuit. Primùm enim errata tua in Deû confiteare, vt iuſtificeris. Et iterum: Dixi pronunciab aduerſum me iniquitatem meam domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Neque enim parum nobis confert ad magnitudinem peccatorum imminuendam frequês eorum memoria & accuſatio. Eſt & alia operoſior, vt nemini qui nos offendit ſuccenſeamus, ſed iniurias omnes magno & generoſo animo obliuioni mandemus. Vis & [Dan.4.] tertiam? audi Danielem: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Accedit & alia, iugis ſcilicet oratio, & in deprecationibus ad Deû, cùm puritate perſeuerantia, quæ non paruam nobis affert conſolationem, & à peccatis nos abluit: ieiuniû ad hæc cum proximi charitate maiorem in modum diuinam in nos iram extinguit. Ignem nanque ardentem extinguit aqua, & eleemoſynis purgantur peccata. Decurſis igitur his viis omnibus, & repetitis, in iiſdem aſſiduè perſeueremus: hoc pacto non modò prætenta abluemus peccata, ſed in poſterum maximum conſequemur emolumentum. Quippe qui nullam dabimus diabolo occaſionem, vt nos in vitæ deſidiam, vel in exitialem aliquem affectum pelliciat. Præterea neque inſanas diſputationes, neque noxias inducet controuerſias, vt ei moris eſt,cùm ocioſos nos & oſcitantes, nullámque, quomodo ad virtutis viam dirigamur, ſolicitudinem habere conſpicatur. Huic nos eius inſidiis aditum obſtruamus, vigilemus: ſobrij ſimus, vt in hac breui vita paruo labore perpetua in ęterno illo ſeculo bona nobis comparemus gratiâ & & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri ſimul & ſpiritui ſancto gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

***

EIVSDEM IN IDEM

Homilia. 7.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. [Eſt hom. 7. in Ioan.] Nihil prohibet quin hodierna die eadê verba repetamus,cùm heſterna propter opinionum expoſitionem, omnia complecti non potuerimus. Vbi ſunt hi,qui ipſum verum Deum negant? Ecce hîc lux vera appellatur, alibi ipſa veritas & vita,ſed cùm in eû locû venerimus apertius explicabimus. In præſentia autê neceſſariû eſt id charitati veſtræ exponere, Si illuminat omnê hominem venientê in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent? Neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt, quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt: ſed malicia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt. Nam ſi gratia in omnes diffuſa eſt, non Iudæum, non Græcum, non Barbarû, non Scytham, non liberum, non ſeruum, non virum, non mulierem, non ſenem, nô iuuenem effugit aut dedignatur, omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore aduocat. Qui autem eius munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatê æquo librent examine. Quum enim omnibus aditus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam & nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recuſant. In mundo erat, ſed non tanquam mundo æqualis, id circo addidit. Et mundus per ipſum factus eſt, quibus verbis iterum te ad æternam vnigeniti reducit eſſentiam. Qui enim audit hunc mundum eſſe opus, niſi penitus inſaniat, niſi inimicus gloriæ Dei, atque hoſtis ſit omnino velit nolit ante opera ſua eorum conditorem fuiſſe confiteatur neceſſe eſt. Quocirca magis magiſque indies admiratus ſum Pauli Samoſatêſis inſaniam, quo vultu tam manifeſtè audeat repugnare veritati, ſi quę ipſum ſpôte ſua in errorem præcipitem dare. Non enim ignoratione, ſed conſultò errauit, non ſecus ac Iudæi. Nam quemadmodum hi hominum gratia, fidei firmitudinem prodiderunt, & Chriſtum vnigenitum, & Dei filium intelligêtes, principum tamen gratia fateri noluerunt, ne è ſynagoga eiicerentur: ita & illum, vt mulieri cuidam rem gratam faceret, ſalutem ſuam inquiunt contempſiſſe. Grauè profectò & moleſtum quiddam eſt inanis gloriæ vis, quæ facilè etiam ſapientum oculos poſſit perſtringere, niſi temperetur: & ſi ambitio hoc poteſt, longè magis hic, qui ea violentior eſt affectus. Idcirco ad Iudæos Chriſtus: Quomodo, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? *Et mundus eum non cognouit.* Hoc [Infra 5.g] loco mundum, peccantium multitudinem, & terrenis rebus deditam, ſtultúmque & abiectum, & omnibus obnoxium perturbationibus vulgus appellat. Nâ Dei amici & venerabiles illi viri, etiam ante Chriſti incarnationem ipſum cognouerunt, & patriarcham eius præuidiſſe aduentum ipſe Chriſtus nominatim teſtatur. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. [Ioan.8.g] Et quod Dauid Iudæos arguens, inquit: Quomodo Dauid in ſpiritu dominum ipſum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dex-

Matth. 22. d & 1. 4. m. 109 a tus me? Et frequenter in eos inuectus, Moſi meminit: & quod reliqui prophetæ eandem habuiſſent cognitionem Apoſtolus Petrus, omnes prophetas à Samuele cognouiſſe eum, & eum, & eius aduentum multo ante tempore dixiſſe, his verbis atteſtatur: Et omnes prophetæ à Samuele, & deinceps qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. Act. 3. d Iacob autem & patri quemadmodum auo & apparuit Deus, & locutus eſt, multa & magna eis ſe daturum bona pollicitus, quæ quidem re executus eſt. Ad hæc obiecerit quiſpiam: Quo igitur pacto multi prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & Luc. 10. d non audierunt? Nunquid non fuerunt eius cognitionis participes? Fuerunt ſane. Quod hac eadem particula ex qua nonnulli ea cognitione priuatos fuiſſe prophetas arbitrati ſunt, manifeſtum facere contendemus. Multi, inquit, cupierunt videre quæ vos videtis: nouerunt ergo ipſum ad nos venturum, & quæ fecit, facturum. Niſi enim nouiſſent, nullo pacto videndi flagraſſent deſiderio. Nemo enim quod ignorat, capere poteſt. Nouerunt igitur ipſum Dei filium ad humanum genus deſcenſurum. Sed quænam ſunt quæ neque viderunt, neque audierunt? ea quæ nunc vos & videtis & auditis: ſiquidem & vocem eius illi audierunt, & ipſum viderunt, non tamen in carne, neque cùm hominibus conuerſantem, neque nobiſcum tam familiariter liberéque loquentem. Quod ſignificauit cùm non ſimpliciter dixit, cupierunt videre me, ſed quæ vos videtis: neque audire me, ſed quæ vos auditis. Itaque licet non ipſius aduentum in carne conſpicati ſunt, viderunt tamen ipſum futurum, quem cupiebant, & in quem credebant. Cæterum cùm nos gentiles accuſant, & his verbis percontantur: Quid ſuperiori illo tempore, cùm nondum humanum genus aſpiceret, faciebat Chriſtus? Quid tandem finem ipſum expectauit, vt noſtræ ſaluti conſuleret, cùm tandium nos neglexerit? Reſpondebimus, quod ante id tempus in mundo erat, & opera ſua ſumma curabat prouidentia, neque à venerabilibus illis & ſanctis viris ignorabatur. Si verò quod non omnes, eum tunc temporis, ſed boni tantum, & virtute præditi, & ſanctimonia cognouerunt, idcirco incognitum dixeris: hac etiam ratione nunc incognitum dixerimus, cùm non ab omnibus cognoſcatur. Sed quemadmodum in præſentia, nemo eorum gratia qui Deum ignorant, cognoſcentibus non crederet: ita neque de ſuperioribus illis temporibus dubitandum eſt. Multis enim, & vt rectius dicam, claris illis & præſtantibus viris cognitus eſt. Quod ſi quis percontaretur, quamobrem non omnes ei tunc crediderunt neque cognouerunt, ſed iuſti duntaxat: eum rurſus interrogabo, quid hoc etiam tempore non omnes eum cognoſcunt? & quid de Chriſto loquimur? cur ipſius patris non omnes, neque nunc, neque antiquitus habuerunt cognitionem? Verùm alij omnia ſponte ſua fieri aiunt, alij dæmonibus vniuerſi orbis prouidentiam permittunt. Sunt qui alium præter hunc Deum effingant, nonnulli oppoſitam poteſtatem Deum impiè aſſeuerant, & leges eius mali cuiuſdam dæmonis arbitrantur. Quid ergo hac nos cauſa Deum eſſe negabimus, quoniam nonnulli ipſum negant: & malum ipſum eſſe profitebimur, quoniam malum impiè autumant? Mitte, quæſo, ſtultitiam, & vltima re inſania liberum reddc. Nam ſi ſtultorum iudicio ad noſtras mentes doctrina informandas duceremur, nihil eſſet reliqui, quin eadem ſimiliter comprehenderemur inſania. Nemo ſolem dixerit oculis noxiú, eo quod nonnulli viſu ſunt hebetiori, ſed quàm accommodatiſſimum, & ex acutè intuentibus eius vtilitas iudicatur. Neque mel quiſpiam amarum guſtu iudicauerit, quoniam tale ægrotantibus videatur. Deum autem ex infirmorum & ignorantium iudicio vel non eſſe vel malum eſſe, aliquãdo rebus humanis prouidere, aliquando eas negligere opinari, non ſani hominis ſed inſani potius, & vltimo furore percitι meritò dixerimus: Et mundus eum non cognouit, inquit, ſed hi quibus mundus dignus non erat, eum cognouerũt: & cauſam ignorationis intexuit. Non enim ſimpliciter, inquit, Nemo eum cognouit: ſed, mundus eum non cognouit: hoc eſt, qui tantùm mundo inhærent, qui mundo innituntur, qui terrena duntaxat ſapiunt: ſic etiam Chriſtus eos appellare conſueuit. Pater ſancte, inquit, & mundus te non cognouit. Neque filium tantum, ſed & patrem mundus ignorauit, Infra 7. A quemadmodũ diximus. Nihil etenim adeo mentem perturbat, quam ſecularibus his rebus inhærere. Cùm igitur hæc nobis luce clarius pateant, huius mundi illecebras, carnaliaque, & terrena totis viribus abiiciamus. Neque enim in parua re, & nullius momenti, ſed in maxima bonorum detrimentum accipimus, ſiquidem nullo pacto fieri poteſt, vt qui omnia ad præſentis vitæ voluptatem refert, is cœleſtibus bonis fruatur: ſed neceſſarium eſt, qui terrenis rebus inhiat, à cœleſtibus decidat. Non poteſtis, inquit, Deo ſeruire, & mammonæ: vnum teneamus, alterum odio habeamus oportet. Hoc quoque ipſa rerum clamat experientia. Luc. 16. c Quippe qui pecuniarum derident cupiditatem, hi maximè ſunt qui Dei flagrant deſiderio: ac contra qui illas præcipuè admirantur, hi maximè ſunt, qui in Deum amorem habent remiſſiorem. Animus enim qui pecuniarum cupiditate diſtrahitur, non facile ab his abſtinet, quæ Deum ad iram prouocant: vtpote qui alterius ſeruus ſit domini, omnia ipſi cõtra diuinas leges præcipientis. Sobrij igitur ſitis aliquando, & excitemini, & cui noſtrum debeamus ſeruicium, intelligamus: eiuſque duntaxat regnum deſideremus, clamemus, præterita defleamus tempora, quibus mammonæ ſeruiuimus, cuius graui & intolerabili iugo abiecto, Chriſti iugum & leue & facile ſubeamus. Nihil enim eorum quę mammona, nobis Chriſtus præcipit: ſiquidem illud omniũ inimicitias, hic contra omnium amorem, omnibus ſalutem dicere. Illud nos luto & terrę affigens, neque enim aliud aurum eſt, ne noctu quidem vel minimum reſpirare nos ſinit: hic nos inani & ſuperuacanea cura liberat: iubétque vt in cœlo theſauros ſine cuiuſquam iniuria, propria iuſticia recondamus. Illud poſt innumeros ſudores atque miſerias, neque nobis adeſſe, neque auxilium in neceſſitatibus præſtare poteſt, quamuis multa & grauia perpetiamur, vt eius legibus pareamus, imò vehementiori afficit ſupplicio: hic & ſi nobis amaritudinis calicem promittat non quam tamen nos ſine mercede dimittit, ſed incredibili liberalitate nos donat. Nónne ſummæ profectò dementiæ eſt tam leue, tam gratum imperium, & tantis redundans bonis, vt ingrato & fœdiſſimo ſeruias tyranno, contemnere: quum nihil neque in hac, neque

in æterna illa vita his, qui ipſi parent & ſeruiunt, afferre poſſit vtilitatis? Neque id ſolum graue eſt, & moleſtum quod nullum laborum præmium reddat, verùm quod innumeris ſibi obſequentes, vt iam diximus, malis accumulat: plurimi enim ex his qui illic cruciantur, eo quod pecuniis ſeruierunt, earúmque cupiditati indigentibus nihil erogarunt, pœnas luunt. Quod ne nobis accidat, diſpergamus, demus pauperibus, & noxiis huius vitæ curis, ſolicitudinibus, & eo quod illic nobis impendet, ſupplicio animam liberemus, & pro terrenis pecuniis iuſtitiam cælo recondamus: perpetuos colligamus theſauros, qui vna in cælum nobiſcum euadere, & proſilire, & nobis periclitantibus præſto adeſſe, & iudicem conciliare poſſint: quem ſi nobis propitium, vt optamus, & in hac vita, & in die illa habuerimus, fidenter his bonis fruemur, quæ in cælis diligentibus ſe præparauit: quæ vtinam omnes conſequamur: gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homilia 8.

Eſt Hom. 8. in Ioan.

IN *propria venit, & ſui eum non receperunt.* Si priorum meminiſtis ſermonum, fratres dilectiſſimi, fidentius iam quæ ſequuntur, ſuper eis magno cũ emolumento ędificabimus: ſic enim & vos melius edoceri poteritis, & nobis nõ multo opus erit labore, quum ex diſcẽdi cupiditate acutius inſpiciendi via pateat. qui enim id quod accepit, amittit, ſemper indigeat, oportet, nec vllo vnquã tempore quicquam conſequetur: qui verò accepta cuſtodit, & his indies aliquid ſuperaddit, ex diſcipulo quamprimum magiſter proculdubio euadet, non modo ſibi, ſed omnibus vtilis. Huiuſmodi ego hanc omnem concionem futuram expecto, hoc eſt incredibili veſtro audiendi deſiderio, & mira attentione coniectatus. Agite ergo tanquam ſub certa & tuta cuſtodia in animis veſtris Chriſti theſaurum deponamus: & quæ nobis hodie propoſita ſunt, ea quantum nobis ſpiritus ſancti gratia ſuppeditabit, explicemus. Dixerat euangeliſta: Et mundus eum non cognouit: quod de ſuperioribus illis temporibus locutus eſt, non immeritò iam ad prædicationis tempora deſcendit, atque in propria venit, & ſui eum non receperũt. Suos huc in loco Iudæos appellat, tanquam populum potentem, & ſub quo omnes fermè homines comprehenderẽtur. Et quemadmodum ſuperius multitudinis amentiam admiratus, & de communi natura erubeſcens, inquit, quod mũdus per ipſum factus eſt, nec tamen conditorem ſuum cognouit, ita in hoc iterum loco Iudæorum multitudinis ægrè ferens perfidiam, in grauiorem prorumpit accuſationem: inquit enim, Et ſui eum non receperunt. Quum ad eos veniſſet: Nec Ioãnes ſolùm, ſed prophetæ quoque, & deinceps Paulus hoc idem cõqueſti ſunt: & quotquot prophetę ex perſona Chriſti clamauerũt: populus quẽ ego nõ cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerũt à ſemitis ſuis. Et iterum: quibus non eſt narratum de eo, videbunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt, & inuentus ſum

Pſal.17.g

Eſa.65.d

à non quærentibus me. Palam apparui his qui me non interrogabant: Paulus autem ad Romanos: Quid ergo, inquit? quod quærebat Iſrael: hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt. Et iterum, Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam? iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectans legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Et ſanè plurima admiratione dignum eſt, quo pacto, qui in prophetarum libris educati, Muſem & reliquos deinceps prophetas ſingulis diebus plurima de Chriſti aduentu locutos audierant: præterea Chriſtum ſigna & miracula quotidie facientem, & ſecum duntaxat verſatum viderant, neque ſinentem adhuc diſcipulos, vt in gentes diſpergerentur, & in Samaritanorum ciuitatem ingrederentur, neque ipſum eas ingreſſum, ſed vbique aſſerentem miſſum ſe ad oues quæ perierant de domo Iſraël: tum cùm ſigna viderent, prophetas frequẽter audirent, quotidie ab ipſo admonerentur, tam ſurdi penitus, & cæci perſtiterunt, vt nihil eos ad Chriſti fidem poſſet adducere. Gẽtiles autem nihil eiuſmodi viderant, nullos de Deo ſermones, ne in ſomnis quidem acceperant, ſed in inſanientium fabulis verſati (hęc enim gentilium philoſophia eſt) ac poëtarum deliramenta euoluentes, lignis & lapidibus aſſiduè incubuerant, neque doctrinæ, neque vitæ gratia quicquam vtile, bonúmve conſpicabantur. Eorum nanque vita, quàm porcina, immundior erat, & ſceleſtior. Et quid ita non eſſet? quum viderent Deos ſuos in omnibus flagitiis, ſceleribúſque delectari, & verbis quidem obſcœnis, rebus autem obſcœnioribus coli, quibus & feſtum diem, & cultum ipſis ſe exhibere arbitrabantur, præterea nephãdis etiam puerorum cædibus venerari: mirum, ſi in his illos imitabantur? Hi tamẽ quum in imum malitiæ pelagus demerſi eſſent, repentè tanquam machina quadam ad ſuperna impulſi ab ipſo cælo clari apparuerunt. Quonam pacto hoc factum eſt, audi Paulum. Etenim beatus ille eſt, qui hæc diligenter inquirit, neque ceſſat quo vſque eorum cauſas inuenerit, & in omnes diffugerit. Quę igitur eſt cauſa? & quamobrẽ Iudæi tam obſtinate indurauerũt? Audi, inquam, illum, cui miniſterium hoc creditum eſt, & qui hæc aperit, hanc multitudinis ſoluens dubitationem. Ignorantes, inquit, iuſtitiam Dei, & quærentes propriam iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, propterea ita indurauerunt. Et iterum hoc idem aliter interpretatus, ait: Quid ergo, quòd gentes quæ non ſectabantur iuſtitiã, apprehẽderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitię, in legẽ iuſtitię non peruenit? Dic quare? Quia non ex fide. Offenderant enim in lapidem offenſionis: hoc eſt, diffidentia eis horum malorum fuit cauſa, quã ſtultitia peperit. Quũ enim antiquitus quàm Gẽtiles & legem, & Dei cognitionem, & alia quæ Paulus commemorat, amplius & perfectius Iudęi habuiſſent, inde poſt Chriſti aduẽtum eodem honore, & hos illóſque ex fide vocatos viderẽt, nihilque circuncisionis gratia fide ſe Gẽtibus ſuperiores, ſtultitia ſua in inuidiam exarſerunt, & ineffabilem, immenſámque domini non tulerunt benignitatem, quod nulla alia cauſa quàm ex ſuperbia & prauitate ſua eis accidit. Quid enim omnium ſtultiſſimi ob humanitatem, clementiámque in alios collatam offendimini? Nunquid veſtra bona

aliorum

Rom.11.a

Ibidem 9.g

Rom.10.a

Rom.9.g

aliorum communicatione muniebantur? Sed cæca profectò malitia eſt, quæ nihil opportunum, nihil vtile intelligere poteſt, ſed quamprimum omnium obliuiſcitur. Offenſi itaque quod ſocios eiuſdem habituri eſſent familiaritatis, contra ſe enſem ſtrinxerunt, & longè à ſe diuinam *Matth. 20.b* abiecerunt benignitatem. Nec immeritò: Amice enim, inquit, non tibi facio iniuriam: volo etiam & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Imò neque digni ſunt hi, quibus ita reſpondeatur. Ille enim etſi ægrè ferebat, narrare tamen poterat totius diei labores, ærumnas, æſtus ſudores: hi autem quid afferre potuiſſent, niſi deſidiam, luxuriam, iniuriam, vitia, quæ ſemper omnes prophetę ſuis proſecuti ſunt accuſationibus, quibus non *Rom. 13.d & 10.c* minus quàm gentes Deum offenderunt? Quod Paulus his verbis ſignificauit: Nō enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiā ipſius, in qua epiſtola & vtiliter admodum, & ſcitè diſputat. Cæterum ſuperius grauiori eos ſupplicio di- *Ibidem 2.b* gnos oſtendit. Quicunque enim in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, hoc eſt grauius: quippe qui cum natura etiam legem habent, quæ eos accuſat, neque hac tātum cauſa, ſed quod fuerunt apud gētes authores vt Deo malediceretur. *Eſa. 52.b* Nomen meum, inquit, per vos blaſphematur in- *Rom. 2.d* ter gentes. Cùm igitur hoc maximè eos offenderet (etenim ex circuncisione credentibus nouum *Galat. 2.c* & admirabile videbatur) idcirco Petrum accuſabant cùm ad ipſos à Cæſarea rediret, quod ad homines habētes præputium diuertiſſet, & cum his comediſſet. Qui cùm Dei intellexiſſent diſpenſationē, rurſus admirabantur, quomodo inter gentes donum ſpiritus ſancti diffuſum eſſet, & ſtupore quodam nunquam tam inopinatam rem ſe expectaſſe ſignificabāt: hoc cùm intelligeret Paulus maximè eos tangere, in eo immoratur, vt eorum tam inflatam contundat ſuperbiam: & quonam pacto hoc faciat: vide eum de gentibus diſputauerit, oſtenderitque nullam eas habere excuſationem, neque ſalutis ſpem, & accuratè eorum peruerſam doctrinam, & immundam vitam accuſauerit, ad Iudæos ſermonem vertit, inde à prophetis omnibus collectis, quibus ille aſſerit ſceleſtos quoſdam & doloſos, & ſubdolos, & quaſi omnes ſimul inutiles factos, & neminem Deum requirere, & declinaſſe omnes, & alia huiuſmodi, addidit: *Pſalm. 5.c & 13.a* Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mūdus Deo. Om- *Rom. 3.b* nes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Quid *Ibidem c* te efferς Iudæe? Quid ſuperbis? etenim os tuum obſtruſum eſt, & tua periit audacia, & cum omni mundo etiam tu factus es ſubditus, nec ſecus, ac cæteri omnes, vt gratis iuſtificeris indiges. Oportebat ſi benignus eras & rectus, & debitam habebas in Deo fiduciam, non hoc pacto his qui conſecuti erant, & miſericordiam & ſalutem pro humanitate inuidere. Maximę enim prauitatis eſt, vt aliorū commoda iniquo animo quis ferat, præcipuè ſi nullo ſuo detrimento id fiat. Nam ſi aliorum ſalus tuis commodis officeret, eſſet fortaſſe dolori tuo indulgendum, quanquam neque hoc ſapientem deceat. Quòd ſi neque proximi damno aliquid tibi lucri, neque felicitate detrimenti prouenit, quamobrem torqueris ſi quis gratis ſalutem aſſequitur? Oportebat ſanè, vt dixi, ſi bonis, ſi probatis eſſes moribus, quæ gratis gentibus ſalus elargita ſit, ea minimè iniquo animo ferre. Quum autem domino eiuſdem ſis reus criminis, eúmque offenderis, alienis commodis doles & ſuperbis, tanquam tibi ſoli ſit obnoxius, cui gratiam largiatur: hoc profectò non inuidiæ tantum, ſed vltimæ dementiæ eſt, & quantumuis dignum ſupplicis. Superbiam nāque malorum omnium in te plantaſti radicem. Idcirco ſapiēs principium eam pec- *Eccl. 10.b* cati, hoc eſt radicem, fontémque & matrem appellauit, per hanc primus homo à tanta illa paradiſi ſede deiectus eſt, per hanc, qui eum decepit, diabolus à tantæ dignitatis faſtigio decidit. Quare *Eſa. 41.d* cùm verſutus ipſe, atque ſceleſtus huius peccati naturam vímque intelligat, quod ex ipſo etiam cælo poſſit creaturam deiicere, hanc viam aggreſſus eſt. Quum Adam è tanta gloria deturbauit, *Geneſ. 3.a, b* quippe cùm Deo ſimilem eum futurum polliceretur, ſuperbia extulit, & ad ima præcipitem deuoluit. Nihil enim tam alienum à diuino amore hominem reddit, nihil tam facilè in gehennam intrudit, quàm ſuperbiæ inſania, ſub qua omnis noſtra vita immunda eſt, quamuis pudicitia, virginitate, ieiunio, orationibus, eleemoſyna, quamuis omni denique virtute præſtemus. Immundus, inquit, apud Deum omnis ſuperbus. Coerceamus ergo hanc animi elationem, hunc faſtum penitus tollamus, ſi mundi eſſe, & eo quod diabolo paratum eſt, ſupplicio volumus liberari. Superbus enim eodem quo diabolus cruciatu damnatur: audi Paulum, non neophytum: ne in iudicium incidat, & in laqueum diaboli. Quod in iudicium? *1. Tim 3.b* quem in laqueum? In ipſam damnationem, & in ipſum ſupplicium. Quonam igitur pacto hoc euitare diſcrimen poteris? ſi tecum eius naturam, multitudinem ſcelerum, tormentorum magnitudinem, & eorum (quæ in hac vita pulchra videntur) fluxum, imbecillitatémque, nihil à fœno differentem, & vernis floribus languidiorem reputabis. Si hæ frequenter animo inſederint cogitationes, & eorum qui rectè vixerint meminerimus: nullo nos conatu, nullis viribus diabolus inflare poterit, neque occaſionem vllam aut cauſam qua nos oppugnet, inuenerit. Bonus autem & mitiſſimus humilium Deus, ipſe & vobis & nobis cor contritum præbeat & humiliatum, ſic enim & hæc & alia bona opera de nobis extare poterunt, ad gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 9.

Eſt Hom. 9. in Ioan.

IN *propria venit, & ſui eum non receperunt.* Clementiſſimus & benigniſſimus Deus, dilectiſſimi, omnia & facit & molitur, vt nos ad ſectandas virtutes illuminet, & vnumquenque bonum eſſe vult, neminem tamen cogit. Suadet autem, vt rectè faciamus: quicunque ipſi aſſentiuntur, & allicit, & trahit. Propterea cum veniret in mundum, alij eū receperunt, alij neglexerunt. Nullum enim ſeruorum Deus vult inuitum, nullum coactum: ſed eos tantum, qui ſponte ſua ipſum optāt, ipſum amplectuntur, & gratiam ſe ei ſeruitutis habere intelligunt. Homines enim, vtpote quibus neceſſario ſeruorum opera & ſeruitio opus eſt, impro-

bos & dicto non audientes seruos poſſeſſionis iure coercent. Deus autem cùm ſibipſi ſufficiat, & nullius indigeat, noſtræ duntaxat ſalutis gratia omnia operatur, nóſque ipſos noſtri arbitrij & iuris eſſe liberè permittit. Idcirco cogit neminem, ad noſtram tãtummodo ſpectat vtilitatem. Quod ſi nolentes ad ſeruiendum traheret, non ſecus eis deberet, ac ſi nullum præſtiuiſſent ſeruitium. Quanam igitur cauſa, dicet quiſpiam, qui ipſi parere nolunt, ſupplicio afficit? Quid minatur gehennam his, qui præcepta tranſgrediuntur? Quoniam maiorem in modum eorum, qui hortatu & ſuaſionibus ſuis non adducantur, curam habet: & quum bonus benignúſque ſit, nec reſilientes miſſos facit, neque fugientes negligit. Quamobrem cùm priorem, hoc eſt, beneficij viam contemnamus, nullíſque aut ſuaſionibus, aut præmiis obaudire velimus, alteram pœnæ ſcilicet & ſupplicij aggrediatur, amariſſimam quidem, maximè tamen neceſſariam: priore enim contempta, neceſſariò ſecunda agenda eſt. Nam & legum latores multis & grauibus contra errantes ſuppliciis animaduerterunt, non tamen eos propterea aſpernamur, ſed longè magis ſanctionum illarum gratia veneramur: qui nulla noſtra re indigentes, vel potius neſcij qui futuri ſint, qui ex ipſorum legibus fructum ſint percepturi, tamen vitæ noſtræ curam habuerunt, eóſque qui honeſtè & probè viuunt, laudibus: qui malè & perperam, ſupplicio proſequuntur, & à ſceleribus arcent, ac ſi humanam offendant ſocietatem. Quòd ſi hos & diligimus, & admiramur, nónne longè maiori Deus ob immenſam noſtri curam amore nobis complectendus eſt? Etenim maxima & illorum, & huius erga nos prouidentiæ differentia eſt. Ineffabiles profectò, & quæ omnem excedunt cogitationem, diuinæ bonitatis diuinæ ſunt. Conſidera quæſo. *In propria venit.* nõ ſuæ neceſſitatis gratia: ſufficiens enim eſt, vt dixi, per ſe diuinitas, ſed ſuorum vtilitate: neque tamen ſui eum receperunt, neque eum tantùm expulerunt, verum etiam extra vineam

Matth. 21.d eiectum occiderunt. Non tamen Dei benignitas eos à pœnitẽtia excluſit, ſed benignum, & tam facilem ſe eis exhibuit, vt modò velint poſt tantam iniquitatem omnia abluere & delere peccata, per fidem poſſint, & tanquam nihil vnquam ſcelens commiſiſſent, amicis annumerari. Quod autem non falsò, neque inanis ſpei gratia hæc loquamur: ex Apoſtolo Paulo planiſſimè conſtat, qui cùm Chriſtum poſt eius mortem perſecutus eſſet, &

Act. 7.b eius teſtem Stephanum multitudinis manibus tradidiſſet, quum primùm pœnituit, & errata cognouit: atque reprehendit: necnon ei quem tantopere perſecutus erat, ſe ſubiecit, & paruit, inter primarios & familiariſſimos in prædicatorem & magiſtrum vniuerſi orbis aſſumptus eſt, cùm paulò antè blaſphemus fuerit, perſecutor, contumelioſus: vt ipſe de Dei ſalute benignitateque exultans, nullo rubore teſtatur, ſed literis tanquam monumento cuidam quæ ſuperiori tempore temerè commiſerat, mandauit: melius ratus priſtinam vitam ſuam ab omnibus accuſari, diuini muneris magnitudinem oſtendendo, quàm ſi ineffabilem Dei benignitatẽ veritus, errorem ſuum palàm gẽtibus facere tacuiſſet. Propterea aliquoties perſecutiones, inſidias, bella, quæ in eccleſia molitus eſt, meminit, & nunc quidẽ: Non ſum dignus

1. Tim. 1. c. d vocari Apoſtolus, inquit, eo quod perſecutus ſum eccleſiã Dei: nunc quod venit Ieſus, vt ſaluos faceret peccatores, quorum primus ego ſum. Et ite- 1. Corint. 15. a

rum: Audiſtis meam conuerſationem aliquando in Iudaiſmo, quod maximè perſecutus ſum eccleſiam Dei, & expugnabam illam. Tanquam enim vicem Chriſto redderet patientiæ, quam ipſe in ſe habuerat, ita promptè & ingenuè, quantopere à principio Chriſtum oppugnauerit, & quo pacto hoſtis & inimicus ſit ſalutem conſecutus, profitetur, ex quo bonam etiam ſpem deſperantibus præbet. Nam propterea inquit ſe miſericordiã à Chri- Galat. 1. a

ſto conſecutum, vt & patientia, & immenſæ bonitatis eius diuitiæ in ipſo primum oſtenderẽtur, ad informandum eos qui credituri erant in illum in vitam æternam. Grauiora enim commiſſa erant, quàm quæ venia digna eſſent: quæ quidem euangeliſta oſtendens, inquit: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Vnde venit qui omnia implet, qui vbique præſens eſt? Quem locum aduentu ſuo vacuũ reddidit, qui omnia manu comprehendit, omnia ſuſtinet? Locum quidem iſtum quomodo deſcẽſu ſuo ad nos ſuũ fecit? Quoniam etſi in mundo erat, adeſſe tamen non videbatur, cùm adhuc nõ cognoſceretur: poſt autem ſeipſum oſtendit, quum noſtram carnem induere dignatus eſt, & hanc eius apparitionem & deſcenſum aduentum appellat. Admiratione profectò dignum, vt diſcipulus in magiſtri ſui contumeliis commemorandis non erubeſcat, ſed apertè omnia literis mandet. Etenim non paruum veritatis argumentum. Nam quem pudet, gratia accipientium, non facientium contumeliam pudere oportet. At hic poſt tantam iniuriam magis etiam claruit, quum adeò hominibus contumelioſis conſuluerit. Illi autem iniqui & ſceleſti omni iudicio apparuerũt, quum tam beneficum, tam liberalem tanquam inimicũ, atque hoſtem expellerent. Neque in hoc tantùm ſibiipſis obfuerunt, ſed quod non aſſecuti ſunt, quæ eſſent aſſecuti, ſi eũ recepiſſent. *Quotquot autem receperũt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Quid non dicis nobis Ioannes eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt: ſed tantũ quod ſui erant, & in propria veniens, à ſuis minimè receptus eſt? quod autem ex hoc eis ſupplicium maneat, ſilentio præteriſti? Ita enim maiorem in modum eos perterrere, & duritiem illã ingratitudinis mollire poteras. Quanã igitur gratia id ſubticuiſti? Et quodnam maius ſupplicium eſſe poſſet, quàm ſi in eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint, ſed ſponte ſua, tanta ſe nobilitate, tanto honore indignos efficiant? Verumenim vero non in hac duntaxat vita cruciabuntur, quum nihil acceperint, ſed in ignem damnabuntur perpetuum, vt in ſequentibus patebit. Hoc autem in loco, eum recipientium immenſa bona breui enarrat. *Quotquot autem receperunt eum* (inquit) *dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri.* Siue ſerui ſint ſiue liberi, ſiue Græcis ſiue Barbari, ſiue ſapiẽtes, ſiue inſipientes, ſiue viri ſiue mulieres, ſiue pueri ſiue ſenes, ſiue diuites ſiue pauperes, ſiue principes ſiue priuati: omnes, inquit, eodem dignati ſunt honore. Fides enim & ſpiritus ſancti gratia mortalium omnium diuerſitatem comprehendens, in vnam redigit formam, & vno regio charactere imprimit. Quid huic humanitati par? Rex eodem (quo nos) luto formatus eſt. Serui eandem cùm rege naturam communicant, & nonnunquam melioribus præditi ſunt moribus. Non dignatur rex in exercitum ſuum

adſcribere

adſcribere, qui ſeruili ſunt cõditione. Vnigenitus autem Dei filius neque publicanos, neque magos, neque ſeruos, & his etiam deſpicatiores, & pauperiores homines nõnullos etiam manco, diſtorto & ſordido corpore in filios accipere non dedignatur. Tanta fidei vis, tanta gratiæ exuberantia. Et quemadmodum ignis ſi metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: ſic & longè magis pro luteis aureos eos baptiſma facit, quos abluent, quum ſpiritus ſanctus tanquam ignis illa ipſa hora animos noſtros ingrediatur, & terrena abſumpta ſimilitudine, cæleſtem illam nouam & claram tanquam ex fornace fulgentem referat. Et cur non dixit, Facit eos filios Dei fieri? Vt oſtenderet multa nobis opus eſſe diligentia, vt adoptioni nobis per baptiſma impreſſam imaginem, puram ſeruemus atque intactam. Præterea quòd nemo hanc nobis poteſt auferre poteſtatem, niſi primùm nobiſipſis abſtulerimus, ſi enim qui ab hominibus authoritatem aliquam accipiunt, tantùm ferè poſſunt, quantùm qui dederint: longè magis nos, qui hunc à Deo honorem aſſecuti ſumus, ſi nihil hac indignum fecerimus poteſtate, omnium erimus potentiſſimi: quum qui hoc nos honore dignatur, inter omnes maximus ſit & præſtantiſſimus. Accedit ad hoc quod per eam particulam, gratiam non temerè, neque ſine labore noſtro in nos infundi ſignificatur, ſed quum ipſi volumus, tum eam inquirimus. In noſtra enim poteſtate eſt filios Dei fieri. Quippe niſi primum ad eam accipiẽdam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Vbique igitur non violentum, non coactum, ſed voluntarium penitus & liberum nobis oſtẽdit arbitrium, quod in hoc loco ſignificauit. In ipſis enim arcanis & ſupernis bonis, Dei quidẽ eſt dare gratiam: hominis autem fidem exhibere. Præterea nõ parua opus eſt diligentia. Siquidem ad animę puritatem ſeruandam, non ſatis eſt baptizari duntaxat & credere: ſed ſi perpetuò ea frui mundicia & pulcritudine volumus, dignam ſe vitam exhibere oportet. Talem ſe nobis Deus exhibuit. Quod enim per myſticam generationem omni priori crimine abluamur, per baptiſma nobis largitus eſt. Quod autem in puritate mentis in poſterum perſteinus, neque vllis amplius ſordibus vitam coinquinemus, noſtræ virtutis eſt & diligentiæ. Idcirco & generationis modum meminit, & carnalium partum comparatione hanc ſignificat excellentiam, cùm inquit. *Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hoc autem fecit, vt vilitate & humilitate prioris partus ex ſanguinibus, & carnis voluntate, & magnitudine præſtantiáque alterius per gratiam cognita, magnum quiddam inde de Deo & genitoris noſtri beneficio ſentiamus, neque paruam deinceps curam adhibeamus: verùm maiorem in modum nobis formidandum eſt, ne pulchra hac ſtola ſegnicie poſtmodum & ſceleribus noſtris ſordidata, è cubiculo thalamóque eiiciamur: vt quinque illæ virgines fatuæ, & is qui nuptialem veſtem non habebat: ſiquidem ille ex conuiuis erat, excluſus tamen eſt. Et quoniam inuitatus, & tanto acceptus honore dominum, qui ſe inuitauerat, contumelia affecit, audi quàm miſeram, quàm luctuoſam pœnã dederit. Cùm enim ad tam ſplendidam, & tam lautam menſam veniret, non modo conuiuio prohibitus eſt, verùm & manibus ligatis & pedibus in tenebras mittitur exteriores, vbi & perpetuus fletus eſt, & ſtridor dentium. Nolimus igitur, nolimus, inquam, dilectiſſimi, fidem nobis ad ſalutem ſatis eſſe exiſtimare. Nam niſi vitam puram exhibuerimus, & hac cæleſti vocatione digna nos induerimus veſtimenta, quibus ad nuptias admittamur: nihil nos eripiet, quin eodem quo miſer ille, afficiamur ſupplicio. Etenim indignum eſt, quum Deus & rex, viles & abiectos, & nullo honore dignos homines conuocare, & à triuio ad menſam ſuam acerſere non erubeſcat: nos tantam præferamus temeritatem, vt ne tanto quidem honore allecti, meliores efficamur, ſed poſt vocationem in eadem perſeueremus malicia, adeóque in incredibilẽ vocantis inſaniamus humanitatem. Non enim idcirco nos ad ſpiritalem hanc & verendam myſteriorum vocauit ſocietatem, vt veteri coinquinati malicia ingrediamur: ſed vt omni abiecta turpitudine, non indignas regiis conuiuiis veſtes induamus. Quod ſi vocantis gratia volumus, noſtri ſaltẽ nos vocatione illa dignos exhibeamus. Siquidem non ille nos à tam admirabili cõuiuarũ cœtu, ſed nos ipſos eiiciemus. Ille quod ſuum ſuit, ſumma parauit diligentia, nuptias fecit, menſam ſterni iuſſit, ſeruos vocatum nos miſit, venientes benignè, & maximo honore accipere dignatus eſt: nos autem, ipſum, conuiuas, nuptias, ſordidarum veſtium cõtumelia, huc eſt, ſceleribus noſtris afficientes, non iniuria eiicimur. Hoc enim pacto & nuptias & cõuiuas honorat, quum temerarios & impudẽtes expellit: aliter reliquos inuitatos offenderet. Sed abſit, vt quiſpiam talem experiatur vocationem. Idcirco priuſquam hęc fierent, mandata ſunt literis vt eorum minis perterriti, noſtros compeſceremus affectus: neque hãc ignominiam ac ſupplicium re ipſa, ſed verbo tenus experiri ſineremus. Candida igitur & pura ſtola induti in vocationem illam proficiſcamur, quam vtinam omnes conſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſpiritui ſancto gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Math. 25. a
Ibidem 22. b

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 10.

11 Hom. 10 in Ioan.

ET *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Vnum vos in præſentia antequam ad euangelica verba veniamus, rogatos volo, id ne contemnatis, obſecro. Quippe quum nihil graue nihil factu difficile petamus, neque accipienti mihi ſolum vtile, verùm exhibentibus vobis longè vtilius. Quid igitur à vobis contendimus? vt vna dierum in hebdomada, vel ſaltem ſabbato, curæ vobis ſit euangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum diſquirere, quid clarum, quid obſcurum in his ſit, adnotare velitis, quid pugnare videatur, quum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quam attentiſſimos exhibeatis. Hoc pacto non parum vtriſque noſtrum emolumenti prouenerit. Siquidem nobis non multo opus erit labore, vt Euangelij vim oſtendamus, cùm domi ipſam vobis ſentẽtiam quantum ad verba iam familiarem reddideritis: vos autem acutiores &

perſpicatiores efficiemini, non ad audiendum, & doctrinam duntaxat percipiendam, ſed ad docendum alios. Nam multi in præſentia hic audiunt, qui ſimul omnia Euangelij verba, & quæ ſuper his à nobis dicuntur, memoriæ mandare conantur: non tamen etiam ſi annum in hoc conſumeremus, admodum proficerent. Quamobrem? quoniam intempeſtiuè, & in ſola tantum eccleſia breui tempore meis vacant ſermonibus. Quod ſi qui ſunt qui negocia occupationéſque, & publicarum priuatarúmque rerum curas cauſantur: Primùm in hoc non parum errant, quod in tot rebus verſantur, & ita ſemper ſecularibus negocijs affixi ſunt, vt ne minimum quidem in his quæ maximè neceſſaria ſunt, ſtudium impendant. Deinde friuolam & nullius momenti accuſationem afferunt, quum accuſari potius hac in parte eorum cum amicis poſſent cõſuetudine, & more in theatris, & conſeſſus vt equorum certamina ſpeculentur, in quibus ſępenumero diem totum conſumunt: non tamẽ in his alias cauſantur occupationes. Præterea rebus vilibus & abiectis diligẽs adhibere ſtudium poteſtis: diuinis autem ſi quando vacandum eſt, adeò vobis inutilia & nullius momenti videntur, vt ne minimam quidem curam in his ponendam ducatis: & quonam pacto, qui ita ſentiunt, ſpirare, ſolémve conſpicari digni ſunt? Eſt & alia his oſcitantibus inepta excuſatio, librorum videlicet inopia. Et diuitibus quidem ad hoc reſpondere ridiculum eſt. Verùm cùm multos pauperes hac frequenter accuſatione vti exiſtimem, cum his parumper iocari atque ita eos percontari placet, nunquid omnia artis ſuæ habeant inſtrumenta, etſi inopia in his comparãdis admodum impediantur: nónne igitur abſurdum eſt, hic non cauſari paupertatem, ſed diligenter attendere, ne quid ſibi ad artem ſuã neceſſarium deficiat: vbi autem tantam ſint conſecuturi vtilitatem, occupationes deflere, & inopiam? Verùm ſi quis tam pauper eſſet, vt nullo pacto libros ſibi comparare queat, ei ex continua quæ hic habetur lectione, nihil ex diuinarum literarum ſententiis ignorare licet. Quod ſi impoſſibile vobis videtur non immeritò videtur: plerique enim paruam his ſermonibus attentionem adhibent, ſed vix paucis auditis, quam primum domum reuertuntur: ſi qui remanſerint, nihilo attentiores ſunt, corpore ſolo adſunt. Sed ne amplius querimonijs vos tædio afficiam, & tempus fruſtra conteratur, agite Euangelium aggrediamur. Tempus enim iam propoſitis verbis noſtram accommodare orationem. Sed excitemini quęſo, ne quid vos pręterea. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Cùm dixiſſet ex Deo, & filios Dei factos, qui eum receperunt: tanti honoris cauſam adiecit, Quod verbum caro factum eſt, & ſerui formam dominus accepit. Factus eſt enim filius hominis dilectiſſimus Dei filius, vt filios hominum filios Dei faceret. Supernum nanque cùm homini copulatum eſt, illud quidem nullo in propriam gloriam detrimento affectum: hoc autem ex multa elatum humilitate, quod certè in Chriſto factum eſt: ſuam nanque naturã deſcenſu ſuo nihilo inferiorẽ reddidit, nos autem quum in ignominia antè & in tenebris eſſemus, ad ſupernam erexit gloriam. Non aliter quam quum rex inopem mendicúmque ſtudio & beneuolentia quadam alloquitur, nihil ſe indignum facit, illum verò omnibus admirandum

reddit: quod ſi in contingenti hominum dignitate nihil honoratiorem abiectioris conſuetudo offendit, multo minus immortalem illam ſubſtantiam, quum nihil non proprium habeat quod adſit, nihil quod abſit, cùm omnia bona firma, ſtabiliaque in æternum poſſideat: itaque quum audieris: Et verbũ caro factum eſt: ne perturberis néve titubes: non enim ſubſtantia tranſiuit in carnem, hoc etiam cogitatu impium eſt: ſed eadem permanens ſerui formam accepit. Sed quanam gratia hoc verbo, factum eſt, vtitur? Vt hæreticorum os obſtruat. Quum enim ſint, qui dicant imaginationem quandam, & figmentum eſſe quæcunque de incarnatione ſcruntur: ab ipſo principio eorum percepta blaſphemia eſſe aſſerit, neque ſubſtantiæ mutationem quod abſit, ſed veræ carnis vult acceptionem oſtendere. Quemadmodum enim cum inquit: Chriſtus nos redemit ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum: non intelligit ſubſtantiam eius à propria gloria ſeparatam in maledictum verſam: hæc enim neque dæmones ipſi, neque ſtultiſſimi & naturali ſenſu penitus carentes opinarentur, tantam ea opinio ſapere vnà cum impietate ſtultitiam. Non igitur hoc dicit, ſed quod pro nobis maledictum accipiens, non ſinit nos amplius maledictos eſſe. Itidem hoc in loco, carnem inquit ipſum factum eſſe: non quod mutauerit carne ſubſtantiam, ſed quod carnem accepit, nulla parte coinquinata ſubſtantia. Quod ſi qui dicerent omnia in Dei eſſe poteſtate, & idcirco in carnem potuiſſe transferri, id eis reſpondebimus: Deum profectò omnia poſſe, quouſque Deus permanet: ſi autem mutaretur & in deterius, quonã pacto Deus amplius eſſe poſſet? Lõge enim ab immortali illa natura eſt tranſmutatio. Vnde propheta? Omnes, inquit, vt veſtimentum veteraſcent: & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es & anni tui nõ deficient. Hæc enim ſubſtantia omni mutatione ſuperior. Ideóque ad hoc venit, vt prodeſſet. Sed quid dico pręſtantius? Neque eſt quicquam Deo præſtantius. Nihil ei, ne minima quidẽ in re æquiparatur. Sequitur ergo ipſum in deterius mutatum eſſe, ſi mutatus eſſet. Hoc autem nullo pacto Deus eſſet, ſed blaſphemia, quæ in eorum qui hæc dicerent, caput verteretur. Sed quoniam propter hoc duntaxar factum eſt, inquit, ne id opinareris, animaduerte ex his quæ ſequuntur, quo pacto rationem illam, & omnem auferat ſuſpicionem: Subdit enim: *Et habitauit in nobis.* tantùm non dicens, nihil abſurdum ſuſpiceris, quum factum dicimus. Non enim immutabilis illius naturæ mutationem, ſed diuerſorium & habitationem mutatam dixi. Habitare autẽ non idem eſt quod habitatio, ſed alterum in altero habitat, aliter non eſſet habitatio. Siquidem nihil in ſeipſo habitat. Alterum dixit ſecundum ſubſtantiam: vnitate nanque & coniunctione vnum eſt, Deus verbum, & caro: non confuſione, aut interitu ſubſtantiarum, ſed arcana quadam & inexplicabili vnitate. Quomodo autem hoc fit, noli diſquirere, factum eſt vt ipſe nouit. Sed quãnam habitationem inhabitauit? audi prophetam, Suſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit. Cecidit profectò natura noſtra, eo caſu vt reſtitui nullo pacto à quoquam, niſi ab illa potentiſſima manu poſſet: neque enim aliter exurgere poterat niſi qui in principio eam effinxerat, manũ porrexiſſet,

& cæli-

Philip. 2. b

Galat. 3. b

Pſal. 101.

& cœlitus aquę & ſpiritus regenerationem informaſſet. Et animaduerte quæſo admirandum, atque arcanum myſterium: perpetuò enim hoc habitat tabernaculum, Carnem noſtram induit, non vt rurſum dimitteret, ſed omni cum ea tempore habitaturus: alıter enim regio eam throno feciſſet indignam, & omnium angelorum exercitui angelis, & archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, poteſtatibus inferiorem conſtituiſſet. Quæ oratio, quæ mens, quátum honorem humano generi Deus exibuit, mirificum profectò & admirandum explicare potuiſſet? Quis angelus? quis archangelus? Nihil quod in cælis eſt, nihil quod in terra. Eiuſmodi Dei noſtri beneficia ſunt, tam magna, tam excellentia, vt non ſolùm mortalium linguam, ſed angelorum virtutem eorum exuperet explanatio. Quamobrem iam orationi noſtræ finem imponemus, ſi prius vnum vos faciemus admonitos, vt ſcilicet ei vicem reddamus, qui tam bene de nobis meritus eſt: quod ſi fecerimus, ad nos rurſus omne lucrum refertur. Tunc autem ei vicem reddiderimus, cum anima noſtra nobis curæ fuerit. Et profectò in hoc quoque domini videre licet benignitatem, qui cum nemine noſtrum indigeat, referri tamen ſibi vicem dicit, quum animam noſtram nō neglexerimus. Quare vltimæ amentiæ eſt & innumeris dignum ſuppliciis, niſi pro viribus contendamus tales nos exhibere, qui tanto frui honore mereamur. Et maximè quum operum noſtrorum ad nos omnis reditura ſit vtilitas, & multa præterea nobis bona proponantur. Pro quibus omnibus gloriā diuinę demus clementiæ, non verbis ſolùm, ſed re ipſa: vt futurorum bonorum fiamus participes: gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti cum quo patri gloria ſimul & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. II.

Hom. 11, in Ioan.

E*T vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.* Fortaſſe vehementius quàm opus ſit nuper vobis & graues viſi ſumus & moleſti, acrioríque contra vos & deſidiam veſtram accuſatione orationem noſtram proſecuti ſumus. Quod ſi ea tantum gratia feciſſemus, vt dolore afficeremini, non immeritò eſſet ab omnibus iniquo animo ferendum. Verùm ſi quū omnium veſtrum communem ſpectaremus vtilitatem, veſtram nobis conciliare gratiam contempſimus, ſi non volūtati noſtræ veniam: ſaltem, ſi æqui iudices eritis, amori dabitis. Etenim non parua nos formido incuſſit, ne quando orationi noſtræ negligentius vobis aures adhibentibus, attentione & induſtria remiſſiore grauius in vos diuinam irritaretis indignationem. Quamobrem frequenter vos excitare admitimur, & ſomnum excutere, vt ne minimum quidem concionis noſtræ verbū inauditū prætereat. Hoc enim pacto fidenter & hanc vitam agere, & in die illa ante Chriſti tribunal impauidi adeſſe poterimus. Quum igitur ſuperiori die ſatis vos admonitos fecerimus, agite hodie ab his verbis exordiamur. *Et vidimus atque, gloriā eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre.* Cùm dixiſſet Euangeliſta nos filios Dei factos, neque aliter quàm per verbum, quod caro factum eſt: alterum item emolumentum affert, quod inde conſequimur. Quidnam id eſt? Et vidimus gloriā eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Non vtique niſi per ſocium corpus vidimus. Nam ſi Iudæi glorioſam Moſi, cum noſtræ eſſet naturæ particeps, faciem conſpicari non potuerunt, ſed homini etiam iuſto opus fuit velamento, quod eius gloriæ magnitudinem obumbraret, vt illis qui eius aſpectum non perferebant, ſpectabilem redderet: quonam pacto & ipſis ſupernis virtutibus inacceſſibilem diuinitatem, nos ex luto & terra facti ferre poſſemus? Idcirco habitauit in nobis vt ad ipſum accedere, cū ipſo loqui & conuerſari audenter liceret. Quid autem ſignificat, gloriam quaſi vnigeniti à patre? Quoniam multi etiam prophetarum glorificati ſunt: vt idē ipſe Moſes, vt Elias, vt Heliſæus: ille ab igneo curru tractus, hic autem ſimpliciter receptus: & poſt hos Daniel, & tres pueri, & alij complures quicunque miracula fecerūt, & angeli hominibus apparuerunt, & ſuæ naturæ clariſſimam lucem ſpectantibus oſtenderunt. Neque angeli ſolùm, ſed & Cherubin & Seraphin multa cū gloria à propheta viſa ſunt. A quibus omnibus hoc in loco Euangeliſta abducit, & à creatura & conſeruorum noſtrorum claritate mentibus noſtris amotis, in ipſo nos bonorum culmine conſtituit: ac ſi dicat. Non prophetæ, non angeli, non cæleſtium virtutum, non creatæ alicuius naturæ, non cuiuſpiam alterius rei, ſed ipſius domini, ipſius regis, ipſius dilectiſſimi vnigeniti filij gloriam vidimus. Id autem verbum, quaſi, hoc in loco non ſimilitudinis eſt, neque parabolæ, ſed confirmationis & definitionis certiſſimæ, quaſi dicat. Vidimus gloriam qualē deceat, & credibile ſit habere vnigenitū, & dilectiſſimū omnium regis Dei filium. Neque hoc loquendi genus præter morem inuenitur. Neque recuſabo à communi etiam conſuetudine id confirmare. Neque enim ad verborum ſpeciem, neque ad compoſitionis ornatum propoſitum eſt nobis in præſentia orationem habere, ſed ad veſtram duntaxat vtilitatem. Quapropter nihil prohibet ex vulgi verbis hunc dicendi morem oſtendere. Quonam pacto qui regem aliquādo precioſiſſimo cultu ornatum, precioſiſque vndique fulgentem lapidibus conſpicati, aliis ſpeciem illam ac maieſtatem enarrare volunt, purpureum florem, gemmarum magnitudinem, albas mulas, auratos currus, ſolium adſtantium oculos nimio fulgore perſtringens, pro viribus enarrant. Cum verò & his & alij collectis, cultū illum omnem maieſtatémque verbis comprehendiſſe ſibi non videantur, continuò addunt: Quid multis opus eſt, vno verbo dicam, quaſi rex: Cum ex hoc verbo, quaſi non regi ſimilem, ſed ipſum regem velint ſignificare: ita hoc in loco Euangeliſta, quaſi, inquit, ad gloriæ maieſtatem & incomparabilem excellentiam ſignificandam, Reliqui nanque omnes & angeli, & prophetæ, iuſſi omnia operabantur, ipſe autem ea poteſtate quæ & regem deceret & dominum. Quod quidem & turbæ admiratæ ſunt, quod ita loqueretur quaſi ipſe vim haberet & poteſtatem. Apparuerunt, vt dixi angeli cum gloria multa in terra, vt in Daniele, in Dauid, in Moſe, ſed tanquam ſerui, & qui domini mandata exequerentur: ipſe autem tanquam omnium dominus & princeps, & licet ſub vili & abiecta ſpecie ſe oſtēdiſſet, creatura tamē dominum ſuum agnouit. Quonā pacto? Stella è cælo Magos vocauit,

Exod. 34, d

4. Reg. 2. b

vocauit,qui eum adorarét, Angelorum cæleſtium cœtus in terra apparuerút,qui & dominu ſeruirét, & gratias referrent. Alij item præcones ſurrexerunt, omnes admirabile hoc myſterium teſtimonio perhibentes. Paſtoribus enim angeli, ciuibus paſtores, Mariæ & Elizabeth Gabriel, his qui in templo erant, Anna & Simeon annunciauerunt. Nec viri tantùm & mulieres lætati ſunt, verùm nondum infans in hanc venit cognitionem. Cuius, inquam, eremi, & eodem quo hic Euangeliſta nomine appellatus, adhuc, in vtero matris gaudio exultauit, & omnes ſpe maximè erigebantur, & hæc quidem circa partus tempora. Verum quum ſeipſum magis oſtendit, longè prioribus maiora miracula apparuerút. Siquidem non amplius ſtella, non cælum, non angeli, non archangeli, non Gabriel, non Michael, ſed ipſe, cùm cœlitus pater, & cum patre paracletus loquens, irradiánſque, & in eo permanens, prædicauit hàc profectò gratiâ: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre. Accedit ad hoc quod non paſtores tantum, neque viduę, neque ſenes nobis Chriſtum annunciant: ſed ipſa quoque rerum vox omni tuba clarius proclamat, quæ tanta fuit, vt quam primum hic quoque exaudiretur, abiit in Syriam auditus
Matth. 4. d eius, inquit. Tunc cælum terra facta eſt, quum cæli dominum continerent, quem omnibus manifeſtauit, vbique clara voce profeſſa, cælorum regem aduenisse, dæmones vndique exilientes diffugerút, diabolus opreſſus abſceſſit, ipſa mors primum ſuccubuit, mors pœnitus abolita eſt, omne morborum genus diſperiit. Siquidem mortuos ſepulturæ, inſanos dæmonia, ægrotos morbi reliquerunt, & plurima admirationis plena & ſtuporis, & præter omnium expectationem apparuerunt, & quæ non immeritò deſiderarunt videre prophetæ & non viderunt. Videre enim licuit factos oculos, & quod in omnium votis eſſe poterat, videre ſcilicet quoſnam Adam Deus effinxerit, id breui omnibus, & in potiore corporis parte oſtenſum eſt. Membra præterea abſciſſa reſtitui, & corpori conglutinari, manus emortuæ moueri, pedes contorti repente proſilire, ſurdę aures aperiri, & muta lingua clara voce proloqui. Siquidē quemadmodum optimus architectus domum ſitu & vetuſtate labantem, ita communi hominum natura accepta, eius perditas reſtituit partes, diſiūcta & abſciſſa copulauit: & quæ prorſus ceciderant, erexit. Quid autem opus eſt, vt animę formationem longè corpore admirabiliorem verbis perſequamur? Magna ſanè corporis præſtantia, anima tamē tanto præſtantior, quanto corpore melior. Nemo hac tātum ratione, ſed quoniam corporis natura, quocunque ipſam opifex ducere velit, eo ſequitur, neque reſiſtit: anima autem ſui iuris vim in ſe habet operandi, neque vlla in re Deo, niſi velit, obtemperat: inuitam enim & coactā minimè vult Deus bonam, & virtutibus præditam reddere: neque id animæ virtuti eſſet adſcribendum, ſed ſponte ſua bona ſit, & virtutem complectendam perſuadeat, oportet. Quamobrē difficilior huius eſt, quàm illius cura. Veruntamen omnis emendata eſt, omnis fugata malitia: & quemadmodum corpora bene curata non in bonam tantum valetudinem, ſed in bonum quamoptimū habitum reſtituuntur: itidem animas Deus non à vitiis ſolum purgauit, ſed ad ipſum mox virtutis cacumen extulit: & publicanus Apoſtolus factus eſt perſecutor, blaſphemus, calumniator, orbis terrarū prædicator apparuit: Magi Iudęorum magiſtri effecti: latro paradiſi ciuitate donatus: meretrix fide incredibili effulſit: Cananæa & Samaritana & ipſa fornicatrix, hęc ad ciues ſuos prędicatoris munere functa, ciuitatē totā irretiēs, vniuerſos in Chriſti fidē traxit. Illa fide & ſedulitate effecit, vt filię anima à malo dæmone liberaretur. Et alij lōgè his peiores ſtatim in diſcipulorum numerū accepti, omnes repēte corporis ægritudines, omnes animi affectus mutauerunt, & in ſanitatem ipſúmque virtutis apicem euaſerunt. Nec duo tantum, aut tres, non decem, non centum, ſed totæ ciuitates & gētes facillime Chriſti fidem acceperunt. Quid ego præceptorum ſapientiam, cæleſtium legum virtutem, angelicæ vitæ ordinem enarrem? Talem enim nobis vitam propoſuit, tales apud nos leges condidit, & tales mores inſtituit, vt qui his vtentur, angelorum mox naturam induant: & quātum homini liceat, Deo ſimiles reddantur, etſi omnium hominum maliciā exceſſerint. His igitur omnibus ab Euangeliſta collectis, in corporibus videlicet & in animis, in elementis, Chriſti miraculis, præceptis arcanis illis, & cælo altioribus donis, legibus, moribus, perſuaſionibus, futurorum promiſſionibus, eiuſque tormentis & cruciatibus, in admirandam hanc & cæleſtis doctrinæ plenam vocem prorupit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratia & veritatis.* Neque enim miraculorum gratia Chriſtum duntaxat admiramur, ſed & paſſionis, vt cùm affixus eſt cruci, flagellis & alapis cæſus, & inſputus ab his, de quibus tam bene merebatur. Siquidem in his ipſis, quæ probri & ignominiæ plena eſſe videbātur, ipſum rurſus verbum clariſſimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit. Non enim charitatis ſolùm & amoris fuerat, ſed immenſæ etiā virtutis. Tūc enim mors abolita eſt, maledictum periit, dæmones confuſi ſunt, & de his triumpharum eſt, chirographum cruci affixum. Verum cùm ſenſu ipſo viſus, hæc non deprehēderentur, etiam corporea ipſum vnigenitum Dei filium, & totius naturæ dominum certiſſimè demonſtrarunt. Quippe cùm primum ſanctiſſimum corpus cruci affixū eſt, ſol radios abſcondit, vniuerſa terra concuſſa & tenebris operta eſt, ſepulchra aperta ſunt, & mortuorum multitudo ſurrexit, ciuitatem ingreſſa, & cùm lapis monumento impoſitus & cuſtodibus ſignatus eſſet, qui crucifixus, qui diſtractus, qui mortuus erat reſurrexit. Præterea poteſtate multa vndecim implens diſcipulos, per vniuerſum orbem dimiſit, qui humano generi ad meliorem frugem vita directa mederentur, & cæleſtis doctrinæ cognitionem quocunque terrarum diſſeminarent, dæmonum euerterent poteſtatem, magnas illas, & arcanas diuitias edocerent, nobis animæ immortalitatem, ſempiternam corporis vitam, & quæ intellectum noſtrum excedunt, nunquam finem habitura præmia annunciarent. Hæc & alia plura reputans beatus hic Euangeliſta, quæ is quidem nouit, ſcribere autem non eſt auſus, eo quod mundus ea
non caperet: omnia enim ſi ſcribantur per ſingula, Ioan. vlt. g
nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt libros, Hæc, inquam, omnia reputans exclamauit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenū gratia & veritatis.* Qui igitur tanta & tā admiranda audire, & tot muneribus frui meriti ſunt, eos etiam vitam ea dignam doctrina exhibere

hibere oportet, vt illis fruantur bonis. Idcirco dominus noſter Ieſus Chriſtus in mundum venit, vt nó ſolùm in hac vita eius gloriá, ſed futuram quoque videamus. *Ioan. 17. d* Propterea inquit: Volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint, vt videát gloriam meá. Quę ſi tam clara, tam eximia eſt, quidnam de ea quiſpiá dicere? Non enim in hac terra corruptibili, neque in fluxis & caducis corporibus in quibus ſumus, ſed in perpetua & immortali creatura apparuit, & tanto ſplendore, vt nulla poſſit ratione comprehendi. O beati, ter, inquam, & ſæpius, qui gloriæ illius digni habiti ſunt ſpectatores fieri, de qua exclamans *Iſa. 26. b* propheta inquit: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Sed abſit, hoc cuiquam veſtrum accidat, vt eam aliquando non videat: ad quam aſſequendam niſi ſumma vtamur diligentia, poſſemus ſanè dicere, bonum eſſe, ſi nati non eſſemus. Quid enim viuimus? Quid ſpiritum ducimus? Quid ſumus, ſi illo priuamur aſpectu, ſi dominus noſter tunc à nobis videri non permittet? Nam ſi illi qui Solis lucẽ conſpicari nequeunt, omni morte miſeriorẽ vitam degunt, quid eos perpeti credendú eſt, qui illa luce priuantur? Siquidẽ in hoc ſeculo cæcitatis duntaxat damnum eſt, in illo autem non in viſu tantum lædimur: quanuis hæc ſola priuatio ſit grauiſſima, vt neque etiam ſic par eſſet ſupplicium: ſed tanto id grauius, quanto ſol ille, quam hic, eſt ſine comparatione præſtantior. Verùm illud quoque ſupplicium expectandum eſt, quippe qui luce illa caruerit, nó modo in tenebras intrudetur, ſed perpetuò ardebit, conſumetur, dentibus ſtridebit, innumeris pœnis cruciabitur. Nolimus, quæſo, noſipſos contemnere, & breui huius vitæ deſidia in æternum damnari ſupplicium, ſed vigilemus, ſobrij ſimus, omnia & faciamus, & operemur, vt æternis illis potiamur bonis, & fluuium illum igneo flagrore perfluentem, ante horrẽdum tribunal longè diffugiamus: in quem qui ſemel inciderit, ei nunquam reditus datur. Nemo eum inde, non parentes, non frater, eximere amplius poterit, quod & ipſi prophetæ clamitant: Frater non redimit, redimet homo? Et Ezechiel quiddam etiam amplius: Si ſtaret Noë & Iob & Daniel, filios ſuos & filias non liberarent. Siquidem vnum duntaxat illic patrocinium eſt, operum videlicet, quo qui caruerit, aliunde nuſquam ſaluti locus eſt. His itaque frequenter animo agitans, vitam noſtram nullis coinquinatam ſordibus: claram, mundámque reddamus, vt fidenter dominum noſtrum cernere, & promiſſa aſſequi bona poſſimus, gratiá & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto & in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipp. in idem Euang. Hom. 1.

Eſt Tract. 1. in Ioan. INtuentes quod modo audiuimus ex lectione Apoſtolica, quòd animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & cogitantes in hac ipſa præſenti turba charitatis veſtræ, neceſſe eſſe, vt multi ſint animales, qui adhuc ſecundum carnem ſapiant, nondúmque poſſint ad ſpiritalem intellectum ſe erigere: hæſito vehementer quo modo vt dominus dederit, poſſim dicere, vel pro modulo meo explicare quod lectum eſt ex Euangelio, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hoc enim animalis homo non percipit. Quid ergo fratres, ſilebimus hinc? quare ergo legitur ſi ſilebitur? Aut quare auditur, ſi non exponitur? Sed & quid exponitur, ſi non intelligitur? Itaque quoniam rurſum eſſe non dubito in numero veſtro quoſdam, à quibus poſſit non ſolum expoſitum capi, ſed & antequam exponatur intelligi, non fraudabo eos qui poſſunt capere: dum timeo ſuperfluus eſſe auribus eorum, qui non poſſunt capere. Poſtremo aderit miſericordia Dei, fortaſſe vt omnibus ſatisfiat, & capiat quiſque quod poteſt: quia & qui loquitur, dicit quod poteſt: nam dicere vt eſt, quis poteſt? Audeo dicere fratres mei, forſitan nec ipſe Ioannes dixit vt eſt, ſed & ipſe vt potuit, quia de Deo vt homo dixit: Et quidem inſpiratus à Deo, ſed tamen homo: quia inſpiratus, dixit aliquid: ſi non inſpiratus eſſet, dixiſſet nihil. Quia vero homo inſpiratus, non totum quod eſt dixit, ſed quod potuit homo dixit. Erat enim iſte Ioannes, fratres chariſſimi, de *Pſal. 71.* illis montibus de quibus ſcriptum eſt, Suſcipiant montes pacem populo tuo, & colles iuſtitiam. Mótes, excelſæ animę ſunt, & colles paruulæ animæ ſunt. Sed ideo mótes excipiunt pacem, vt colles poſſint excipere iuſticiá. Quæ eſt iuſticia quam colles excipiunt? Fides, quia iuſtus ex fide viuit. *Abacuc. 2.* Non autem acciperent minores animę fidem, niſi *Roma. 1.* maiores animæ quæ montes dictæ ſunt, ab ipſa ſapientia illuſtrarentur, vt poſſint paruulis traijcere quod poſſent paruuli capere, & viuere ex fide colles, quia montes pacem ſuſcipiunt. Ab ipſis montibus dictum eſt Eccleſiæ: pax vobiſcum, Et ipſi montes pacem annunciando Eccleſiæ, non diuiſerunt ſe aduerſus eum à quo ſuſceperunt pacem, vt veraciter non ficte nunciarent pacem. Sunt autem alij montes naufragioſi, quò quiſque nauim cum impulerit, ſoluitur. Facile eſt enim cum videtur terra à periclitantibus, quaſi conari ad terram: ſed aliquando videtur terra in monte, & ſaxa latẽt ſub monte, & cum quiſque conatur ad montem, incidit in ſaxa, & ibi nó inuenit portum, ſed planctum. Sic fuerunt quidam montes, & magni apparuerunt inter homines, & fecerunt hæreſes & ſchiſmata, & diuiſerunt Eccleſiam Dei. Iſti qui diuiſerunt Eccleſiam Dei, non erant illi montes, de quibus dictum eſt, Suſcipiant montes pacem populo tuo. Quo modo enim pacem ſuſceperunt, qui vnitatem diuiſerunt? Qui autem ſuſceperunt pacem nunciandam populo contemplati ſunt ipſam ſapiẽtiam, quantum humanis cordibus potuit contingi, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Si in cor hominis *1. Cor. 2.* non aſcendit, quo modo aſcendit in cor Ioannis? An non erat homo Ioannes? An forte nec in cor Ioannis aſcẽdit, ſed cor Ioannis in eam aſcendit? Quod enim aſcendit in cor hominis, de imo eſt ad hominem: quò autem aſcendit cor hominis, ſurſum eſt ab homine. Etiam ſic fratres dici poteſt, quia ſi aſcẽdit in cor Ioannis, ſi aliquo modo poteſt dici, intantum aſcendit in cor Ioannis, inquantum ipſe Ioannes non erat homo: Quid eſt, non erat homo? Inquantum cœperat eſſe angelus: quia omnes ſancti angeli, quia annunciatores Dei: ideo carnalibus & animalibus non valentibus percipere quæ ſunt Dei, quid ait Apoſtolus? Cum enim dicitis, ego ſum Pauli, ego Apollo, *1. Cor. 3.* nónne homines eſtis? Quid eos volebat facere, quibus exprobrabat, quia homines erant? Vultis noſſe

noſſe quid eos facere volebat? audite in pſalmis *Pſal.81.* Ego dixi dij eſtis,& filij excelſi omnes. Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne ſimus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, ſi prius nos homines eſſe agnoſcamus, id eſt, vt ad illam celſitudinem ab humilitate ſurgamus: ne computemus nos aliquid eſſe cum nihil ſimus, non ſolum non accipiamus quod non ſumus, ſed & amittamus quod ſumus. Ergo fratres de his mōtibus & Ioannes erat, qui dixit, In principio erat verbū, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Suſceperat pacem mons iſte, contemplabatur diuinitatem verbi. Qualis iſte mons erat, quam excelſus? Trāſcenderat omnia cacumina montium terrarum, tranſcenderat omnes campos aëris, tranſcenderat omnes altitudines ſyderum, tranſcenderat omnes choros & legiones angelorum. Niſi enim tranſcenderet iſta omnia quæ creata ſunt, non perueniret ad eum per quem facta ſunt omnia. Non poteſtis cogitare quid tranſcenderit, niſi videatis quò peruenerit. Quæris de cælo & terra? facta ſunt. Quæris de his quę ſunt in cælo & terra? vtique multo magis & ipſa facta ſunt. Quæris de ſpiritalibus creaturis de angelis, de archāgelis, ſedibus, dominationibus, virtutibus, principatibus? *Pſal.32.* & ipſa facta ſunt. Nā cum enumeraret hæc omnia pſalmus, concluſit ſic, Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Si dixit & facta ſunt, per verbum facta ſunt: ſi autē per verbum facta ſunt, nō poterat Ioānis cor peruenire ad id quod ait, In principio erat verbum, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbum, niſi tranſcendiſſet omnia quæ ſunt facta per verbū. Qualis ergo iſte mons, quàm ſanctus, quàm altus inter illos montes qui ſuſceperunt pacem populo Dei, vt colles poſſent ſuſcipere iuſtitiam? Videte ergo fratres, forte de iſtis montibus eſt Ioannes, de quibus pauloante can-*Pſal.120.* tauimus. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ergo fratres mei, ſi vultis intelligere, leuate oculos veſtros in montem iſtum, id eſt, erigite vos ad Euangeliſtam, erigite vos ad eius ſenſum. Sed quia montes iſti pacem ſuſcipiunt: non poteſt autem eſſe in pace, qui ſpem ponit in hominem, nolite ſic erigere oculos in montem, vt putetis in homine ſpem veſtram eſſe collocandam, & ſic dicite. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, vt ſtatim ſubiungatis. Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram. Ergo leuemus oculos in mōtes, vnde veniet auxilium nobis: & tamen non ipſi montes ſunt, in quibus ſpes noſtra ponenda eſt. Accipiunt enim montes quod nobis miniſtrent. Ergo vnde & montes accipiūt, ibi ſpes noſtra ponenda eſt. Oculos noſtros cum leuamus ad ſcripturas, quia per homines miniſtratæ ſunt ſcripturæ: leuamus oculos noſtros ad montes, vnde veniat auxilium nobis. Sed tamen quia ipſi homines, qui ſcripſerūt ſcripturas, non de ſe lucebant: ſed ille erat verum lumen, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Mons erat & ille Ioannes Baptiſta qui dixit, Non ſum ego Chriſtus, ne quiſquam ſpem in montem ponens, caderet ab illo qui montes illuſtrat, & ipſe confeſſus ait. Quoniam de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ita debes dicere, Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi: ne auxilium quod tibi venit, montibus imputes: ſed ſequaris & dicas, Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram. Ergo fratres ad hoc iſta monuerim, vt quando erexiſtis cor ad ſcripturas, cum ſonaret Euangelium. In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbum, & cætera quæ lecta ſunt, intelligatis vos leuaſſe oculos ad montes. Niſi enim montes iſta dicerent, vnde omnino cogitaretis non inueniretis. Ergo ex montibus venit vobis auxilium, vt hæc vel audiretis, ſed nondū poteſtis intelligere quod audiſtis. Inuocate auxilium à domino, qui fecit cælum & terram: quia mōtes ſic potuerunt loqui, vt non poſſent ipſi illuminare. Quia & ipſi illuminati ſunt audiendo inde, vnde qui hæc dixit, accepit Ioannes ille fratres: qui diſcumbebat ſupra pectus domini, & de pectore domini bibebat quod propinaret nobis, ſed propinauit verba: intellectum autem inde debes capere, vnde & ipſe bibebat qui tibi propinauit, vt leues oculos tuos ad montes, vnde veniet auxilium, vt inde tāquam calicem, id eſt, verbum propinatum acciperes: & tamē quia auxilium tuum à domino, qui fecit cælum & terram, inde impleres pectus, vnde impleuit ille; vnde dixiſti, Auxilium meū à domino, qui fecit cælum & terram. Qui poteſt ergo fratres, impleat hoc quod dixi, leuet quiſque cor ſuum quo modo illud videt idoneū, & capiat quod dicitur. Sed forte hoc dicitis, quia ego vobis ſum præſentior quàm Deus. Abſit, Multo eſt ille præſentior: nā ego oculis veſtris appareo, ille conſcientiis pręſidet. Ad me aures, ad illum cor leuate, vt vtrunque impleatis. Ecce oculos veſtros, ſenſus iſtos corporis leuatis ad nos: nec ad nos: nō enim ſumus de illis mōtibus, ſed ad ipſum Euāgeliū, ad ipſum Euangeliſtam: cor autem implendū ad dominum, Et vnuſquiſq; ſic leuet, vt videat quid leuet, & quò leuet. Quid dixi, quid leuet, & quo leuet? Quale cor leuet videat, quia ad Deum leuat, ne ſarcina voluptatis carnalis prægrauatū, ante cadat quàm fuerit ſubleuatū. Sed videt ſe quiſque geſtare onus carnis, det operā per cōtinentiam, vt purget quod leuet ad Deum. Beati enim mūdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Nam ecce quid prodeſt, quia *Matth.5.* ſonuerūt verba, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū: & nos diximus verba cū loqueremur. Nunquid tale verbum erat apud Deum? Nónne ea quæ diximus ſonuerunt atque tranſierūt? Ergo & Dei verbum ſonuit & peractum eſt. Quomodo omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil? Quomodo omne per illud regitur, quod per illud creatū eſt, ſi ſonuit & tranſiit? Quale ergo verbū quod & dicitur, & non tranſit? Intendat charitas veſtra, magna res eſt. Quotidie dicendo verba viluerunt nobis, quia ſonando verba, & tranſeundo viluerunt, & nihil aliud videntur quàm verba. Eſt verbum & in ipſo homine quod manet intus, nam ſonus ex ore procedit. Eſt verbum quod vere ſpiritaliter dicitur, illud quod intelligitur de ſono, non ipſe ſonus. Ecce verbum dico, cum dico, Deus. Quàm breue eſt quod dixi, quatuor literas & duas ſyllabas: nunquid nam hoc totū eſt Deus, quatuor literæ & duæ ſyllabæ? An quantum hoc vile eſt, tantum charum eſt quod in eis intelligitur? Quid factum eſt in corde tuo cum audiſſes, Deus: quid factum eſt in corde meo cum dicerē, Deus? Magna & ſumma quędā ſubſtantia cogitata eſt, quæ tranſcendit omnem mutabilem creaturā carnalem & animalem. Et ſi dicam tibi, Deus cōmutabilis eſt, an incom-

an incommutabilis? Reſpondebis ſtatim, Abſit vt vel ego credam vel ſentiã commutabilẽ Deum: incommutabilis ergo eſt Deus. Anima tua quamuis parua, quamuis forte adhuc carnalis, non mihi potuit reſpõdere niſi incõmutabilem Deum: omnis autem creatura mutabilis. Quo modo ergo potuiſti ſcintillare in illud quod eſt ſuper omnem creaturam, vt certus mihi reſponderes incommutabilem Deum? Quid eſt ergo illud in corde tuo, quando cogitas quandã ſubſtantiam viuã perpetuã, omnipotẽtem, infinitam, vbiq; præſentẽ, vbique totam, nuſquam incluſam? Quando iſta cogitas, hoc eſt verbũ de Deo in corde tuo: nunquid autem hoc eſt ſonus ille, qui quatuor literis conſtat & duabus ſyllabis? Ergo quęcunque dicuntur & tranſeunt, ſoni ſunt, literæ ſunt, ſyllabæ ſunt. Hoc verbum trãſit, ſonat. Quod autem ſignificauit ſonus, & in cogitante eſt, qui dixit, & in intelligente eſt, qui audiuit, manet hoc tranſeuntibus ſonis. Refer animum ad illud verbum, Si tu potes habere verbum in corde tuo, tanquam conſilium natum in mente tua, vt mens tua pariat tibi conſilium, & inſit conſilium quaſi proles mentis tuæ, quaſi filius cordis tui: prius enim cor generat cõſilium, vt aliquam fabricam conſtruas, aliquid amplum in terra moliaris, iam natum eſt conſilium, & opus nondum completum eſt. Vides tu, quid facturus es, ſed alius non miratur niſi cum feceris & conſtruxeris molem, & fabricam illã ad exculptionem perfectionémque perduxeris. Attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur conſilium fabricantis: ſtupent quod vident, & amant quod nõ vident. Quis eſt qui poteſt videre conſilium, & non ſola facta? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum conſilium: vis videre quale conſilium Dei eſt? Dominus Ieſus Chriſtus, id eſt verbum Dei: Attẽde fabricã iſtam mundi: vide quæ ſint quæ facta ſunt per verbum, & tunc cognoſces quale ſit verbum. Attende hęc duo mundi corpora, cælum & terram. Quis explicat verbis ornatum cæli? quis explicat fœcunditatem terræ? quis digne collaudat temporum vices? quis digne collaudat ſeminum vim? Videtis quæ taceam, ne dio commemorando parum dicam, forte quàm poteſtis cogitare. Ex fabrica ergo iſta animaduertite, quale verbum eſt per quod facta eſt, non ſola facta eſt. Omnia enim iſta videntur, quia pertinent ad ſenſum corporis. Per illud verbum & angeli facti ſunt, per illud verbum & archangeli facti ſunt, poteſtates, ſedes, dominationes, principatus. Per illud verbum facta ſunt omnia: hinc cogitate quale verbum eſt. Reſpondet mihi modo, forte neſcio quis, & quis hoc verbum cogitat? Noli ergo tibi quaſi vile aliquid facere, cum audis verbum formare. Verba quæ audis quotidie, ille talia verba dixit, talia verba locutus eſt, talia verba mihi narras? aſſidue enim dicendo nomina verborum, quaſi viluerũt verba: & quando audis, In principio erat verbum, ne vile aliquid putares quale cõſueſti cogitare, cum verba humana ſoleres audire, audi quid cogites, Deus erat verbum. Exeat nunc neſcio quis infidelis Arrianus & dicat: Quia verbum Dei factum eſt, quo modo poteſt fieri, vt verbum Dei factum ſit, quando Deus per verbũ fecit omnia? Si & verbum Dei ipſum factũ eſt, per quod aliud verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia hoc eſt verbum verbi, per quod factum eſt illud, ipſum dico ego vnicum filium Dei. Si autem non dicis verbum verbi: concede non factum per quod facta ſunt omnia. Non enim per ſeipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia: crede ergo Euangeliſtæ, poterat enim dicere, In principio fecit Deus verbum, quo modo dixit Moyſes, In principio fecit Gen. 1.
Deus cælum & terram, & omnia ſic enumerat. Dixit Deus, fiat, & factum eſt. Si dixit, quis dixit? Vtique Deus. Et quid factum eſt? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam quid eſt per quod factum eſt? niſi verbum, quia dixit Deus, Fiat, & factum eſt. Hoc verbum incommutabile, quamuis mutabilia per verbum fiant, ipſum incõmutabile eſt. Noli ergo credere factũ, per quod facta ſunt omnia, ne non reficiaris per verbum, per quod reficiuntur omnia. Iam enim factus es per verbum, ſed oportet te refici per verbum. Si autem mala fuerit fides tua de verbo, non poteſt refici per verbum: & ſi tibi contigit fieri per verbum, vt per illud factus ſis, per te defeceris: & ſi per te defeceris, ille te reficiat qui te fecit: ſi per te deterior efficeris, ille te recreet qui te creauit. Quomodo te autem recreet per verbum, ſi male aliquid ſentias de verbo? Euangeliſta dicit, In principio erat verbum: & tu dicis, In principio factum eſt verbum. Ille, Omnia per ipſum facta ſunt, dicit: & tu dicis, quia & ipſum verbum factum eſt: poterat dicere Euangeliſta, In principio factum eſt verbum: ſed quid ait, In principio erat verbum. Si erat, non eſt factum, vt iſta omnia per ipſum fierent, & ſine ipſo nihil. Si ergo erat in principio verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: ſi non potes cogitare quid ſit, differ vt creſcas. Ille cibus eſt, accipe lac vt nutriaris, vt ſis validus ad capiendum cibum. Sanè fratres quod ſequitur, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Videte ne ſic cogitetis, quia nihil aliquid eſt: ſolent enim multi male intelligentes, ſine ipſo factum eſt nihil, putare aliquid eſſe nihil. Peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per verbum factum eſt. Habet quidem formam quandam humanam, ſed ipſe homo per verbum factus eſt: nam forma hominis in idolo, non per verbum facta eſt: & ſcriptum eſt, Scimus 1. Cor. 8.
quia nihil eſt idolum. Ergo iſta non ſunt facta per verbum: ſed quæcunque naturaliter facta ſunt, quæcũque facta ſunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cælo ſunt, quæ fulgẽt deſuper, quę volitant ſub cælo, & quæ mouentur in vniuerſa natura rerum, omnis omnino creatura. Dicam planius, dicam fratres vt intelligatis, ab angelo vſque ad vermiculum. Quid præclarius angelo in creaturis? Quid extremius vermiculo in creaturis? Per quẽ factus eſt angelus, per ipſum factus eſt & vermiculus: Sed angelus dignus eſt cælo, vermiculus terra. Qui creauit, ipſe diſpoſuit. Si poneret vermiculũ in cælo, reprehenderes. Si vellet angelos naſci de putreſcentibus carnibus, reprehenderes: tamen probe hoc facit Deus, & non eſt reprehendendus. Nã omnes homines de carne naſcentes, quid ſunt niſi vermes? Et de vermibus angelos facit. Si enim ipſe dominus dicit, Ego autẽ ſum vermis & non homo: quis dubitat hoc dicere, quod Psal. 21. Iob. 25.
ſcriptũ eſt in Iob, Quãto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Primo dixit, homo putredo: & poſtea, filius hominis vermis, quia vermis de

putredine naſcitur: ideo homo putredo, & filius hominis vermis. Et ecce quod fieri voluit propter te, illud quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbũ. Quare hoc factum eſt propter te niſi vt ſugeres qui manducare
Sap. 11. non poteras? Omnino ergo fratres ſic accipite, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Vniuerſa enim creatura per ipſum facta eſt maior, minor: per ipſum facta ſunt ſupera, infera: ſpiritalis, corporalis, per ipſum facta ſunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla cócordia partium, nulla qualiſcunque ſubſtantia, quæ poteſt habere pondus, numerum & menſuram, niſi per illud verbum, & ab illo verbo creatore, cui dictum eſt, Omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti. Nemo ergo vos fratres fallat, quádo forte tædium patimini a muſcis. Etenim aliqui deriſi, à diabolo decepti ſunt, & à muſca capti ſunt. Solent enim aucupes ponere in muſcipula muſcas, vt eſurientes aues decipiant: ſic & iſti ad muſcas à diabolo decepti ſunt. Nam neſcio quis tędium patiebatur à muſcis, inuenit illum Manichæus tędio affectum, & cum diceret ſe non poſſe pati muſcas, & odiſſe vehementer illas, ſtatim ille. Quis fecit has, inquit? Et quia tædio affectus eſt, & quia oderat illas, non auſus eſt dicere, Deus illas fecit: erat autem catholicus. Ille ſtatim ſubiecit, Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille, Ego credo quia diabolus fecit moſcas. Et ille ſtatim, Si muſcas diabolus fecit, ſicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior eſt muſca? Non auſus ille eſt dicere, quia Deus fecit apem, & muſcá non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locuſtá à locuſta ad lacertá, à lacerta ad auẽ, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, poſtremo ad hominem, & perſuaſit homini, quia non a Deo factus eſt homo. Ita ille miſer cum tædium paſſus eſt à moſcis, moſca factus eſt, quẽ diabolus poſſideret. Beelzebub quippe Interpretatum, dicitur princeps muſcarum: de quibus ſcriptum eſt, Mu-
Eccleſ. 10. c. ſcæ morientes exterminát oleum ſuauitatis. Quid igitur fratres, quare iſta dixi? Claudite aures cordis veſtri aduerſus dolos inimici, intelligite, quia Deus fecit omnia, & in ſuis gradibus collocauit. Quare autẽ patimur multa mala à creatura quam fecit Deus, niſi quia offendimus Deum? Nunquid hæc angeli patiuntur? Fortaſſis & nos in illa vita, iſta nó timebimus. De pœna tua peccatum tuum accuſa, non iudicem. Nam propter ſuperbiam inſtituit Deus iſtam creaturam minimam & abiectiſſimam, vt ipſa nos torqueret: vt cum ſuperbus fuerit homo, & ſe iactauerit aduerſus Deum: & cum ſit mortalis, mortalem terruerit: & cum homo ſit, proximum hominem non agnouerit: cum ſe erexerit, pulicibus ſubdatur. Quid eſt quod te inflas humana ſuperbia? Homo tibi dixit conuicium, & tumuiſti, & iratus es: pulicibus reſiſte vt dormias. Cognoſce qui ſis: nam vt noueritis fratres, propter ſuperbiam noſtrá domandam creata iſta, quæ moleſta nobis eſſent. Populum Pharaonis ſuperbũ potuit Deus domare de vrſis, de leonibus, de ſerpentibus, muſcas & ranas illis immiſit, vt rebus viliſſimis ſuperbia domaretur. Omnia ergo per ipſum fratres, omnia omnino per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sed quo modo per ipſum facta ſunt omnia? *Quod factum eſt, in ipſo vita eſt.* Poteſt etiam ſic dici, Quod factum eſt in illo, vita eſt, ergo totũ vita eſt, ſi ſic pronunciauerimus. Quid enim non in illo factum eſt? Ipſe eſt enim ſapientia Dei, & dicitur in Pſalmo, Omnia in ſapientia feciſti. Si ergo Chriſtus eſt ſapien- Pſal. 103.
tia Dei, & pſalmus dicit, omnia in ſapiẽtia feciſti, omnia ſicut per illũ facta, ita in illo facta ſunt. Si ergo omnia in illo fratres chariſſimi, & quod in illo factũ eſt, in illo vita eſt, ergo & terra vita eſt, ergo & lignum vita eſt. Dicimus quidam lignũ vitæ, ſed ſecũdum intellectũ lignũ crucis, vnde accepimus vitam: ergo & lapis vita eſt. Inhoneſtum eſt ſic intelligere, ne rurſum nobis ſubrepat eadẽ ſordidiſſima ſecta Manichæorũ, & dicat: quia habet vitam lapis, & habet animá paries, & reſticula habet animam, & lana & veſtis. Solẽt enim deliráter dicere, & cũ reprehẽſi fuerint & repulſi, quaſi de ſcripturis proferunt dicentes, Vt quid dictũ eſt, Quod factũ eſt in ipſo vita eſt? Si enim omnia in ipſo facta ſunt, omnia vita ſunt. Ne te abducát, pronũcia ſic, Quod factum eſt, hic ſubdiſtingue, & deinde infer, in illo vita eſt. Quid eſt hoc? Facta eſt terra, ſed ipſa terra quæ facta eſt, non eſt vita. Eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritaliter ratio quædam, qua terra facta eſt, hæc vita eſt. Ergo quod factum eſt, in illo vita eſt. Quo modo poſſum, dicam charitati veſtræ. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam: ſi enim in arte arcam non haberet, non eſſet vnde fabricando illam proferret. Sed arca ſic eſt in arte, vt non ipſa arca ſit quæ videtur oculis. In arte inuiſibiliter eſt, in opere viſibiliter erit. Ecce facta eſt in opere, nunquid deſtitit eſſe in arte? Et illa in opere facta eſt, & illa manet quæ in arte eſt: nam poteſt illa arca putreſcere, & iterum ex illa quæ in arte eſt, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere nó eſt vita, arca in arte vita eſt: quia viuit anima artificis, vbi ſunt iſta omnia antequam proferantur. Sic ergo fratres chariſſimi, quia ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundũ artem continet omnia antequam fabricet omnia. Hic quæ fiunt per ipſam artem, non continuo vita ſunt: ſed quicquid factum eſt, vita in illo eſt. Terram vides, eſt in arte terra. Cælum vides, eſt in arte cælum. Solem & lunam vides, ſunt & iſta in arte: ſed foris corpora ſunt, in arte vita ſunt. Videte ſi quo modo poteſtis, magna enim res dicta eſt, & ſi non à me magno, aut non per me magnum, tamen à magno. Non enim à me paruulo dicta ſunt hæc: ſed ille non eſt paruulus ad quem reſpicio, vt dicam, Capiat quiſque quod poteſt, inquantum poteſt: & qui non poteſt, nutriat cor vt poſſit. Vnde nutriat? De lacte nutriat, vt ad cibum perueniat, à Chriſto per carnem nato non recedat, donec perueniat ad Chriſtum ab vno patre natum, verbum Deũ apud Deum, per quod facta ſunt omnia: quia illa vita eſt quæ in illo eſt lux hominũ: hoc enim ſequitur, *Et vita erat lux hominum.* Et ex ipſa vita homines illuminátur. Pecora non illuminátur, quia pecora non habẽt rationales mẽtes, quæ poſſint videre ſapientiá. Homo autem factus ad imaginẽ Dei, habet rationalẽ mentem, per quam poſſit percipere ſapientiá. Ergo illa vita, per quam facta ſunt omnia, ipſa vita lux eſt, & non quorumcunque animaliũ, ſed lux hominum: vnde paulopoſt dicit, Erat lumen verũ, quod illuminat omnem hominẽ venientẽ in hũc mundum. Ab illo lumine illuminatus eſt Ioannes Baptiſta: ab illo & ipſe Ioannes Euangeliſta: ex ipſo lumine plenus erat qui dixit, Non ſum ego Chriſtus, ſed

qui poſt

qui poſt me venit, cuius nō ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere. Ab illo lumine illuminatus erat qui dixit, In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: ergo illa vita lux eſt hominum. Sed forte ſtulta corda adhuc capere iſtam lucem non valent, quia peccatis ſuis aggrauantur, vt eam videre non poſſint: non ideo cogitent, quaſi abſentē eſſe lucem, quia eam videre non poſſunt: ipſi enim propter peccata tenebræ ſunt. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo fratres, quo modo homo poſitus in ſole cæcus, præſens eſt illi ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt: ſic omnis ſtultus, omnis iniquus: ſic omnis impius, cæcus eſt in corde. Præſens eſt illi ſapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis eius abſens eſt: nō quia ipſa illi abſens eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt. Quid ergo faciat iſte? mūdet vnde poſſit, videri Deus: quo modo? ſi propterea videre non poſſit, quia ſordidos & ſaucios oculos haberet, irruente puluere aut pituita vel fumo, diceret illi medicus, Purga de oculo tuo quicquid mali eſt, vt poſſis videre lucem oculorum

Matth. 5. tuorum. Puluis, pituita, fumus, peccata & iniquitates ſunt. Tolle inde iſta omnia, & videbis ſapientiam quæ præſens eſt, quia Deus eſt ipſa ſapientia. Et dictum eſt, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia. 2.

Eſt tract. 2. In Ioan.

BOnum eſt fratres chariſſimi, vt textum diuinarum ſcripturarum, & maxime ſancti Euangelij, nullum locum prætermittentes pertractemus, vt poſſumus: & pro noſtra capacitate paſcamur, & miniſtremus vobis, vnde & nos paſcimur. Capitulum primum præterito die dominico tractatum eſſe meminimus, id eſt, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: In illo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: hucuſque tractatum eſſe credo. Recordamini omnes qui affuiſtis: & qui non affuiſtis, credite nobis & his qui adeſſe voluerunt. Nunc ergo quia non poſſumus ſemper omnia replicare propter eos qui hoc volunt audire quod ſequitur, & oneri eſt illis, ſi repetantur priora cum defraudatione poſteriorum, dignentur & qui non aderant non præterita exigere, ſed cum his qui aderant & nunc audire præſentia. Sequitur, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Etenim ea quę dicta ſunt ſuperius, fratres chariſſimi, de diuinitate Chriſti dicta ſunt ineffabili, & propè ineffabiliter. Quis enim capiat, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Et ne vileſcat tibi nomen verbi per conſuetudinem quotidianorum verborum, & Deus erat verbum. Hoc verbum idipſum eſt, vnde heſterno die multum locuti ſumus, & præſtiterit dominus vt vel tanta loquendo aliquid ad corda veſtra perduxerimus. In principio erat verbum: Idipſum idipſum eſt, eodem modo eſt ſicut eſt, ſemper ſic eſt, mutari non poteſt, hoc eſt, Deus eſt. Quod nomen ſuum

Exod. 3. dixit famulo ſuo Moyſi. Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me. Quis ergo hoc capiet? cum videatis omnia mortalia mutabilia, cum videatis non ſolum corpora variari per qualitates, naſcendo, deficiendo, moriendo: ſed etiam ipſas animas per affectum diuerſarum voluntatum diſtendi atque diſcindi: cum videatis homines & percipere poſſe ſapientiam, ſi ſe illius luci & calori admouerint: & amittere poſſe ſapientiam, ſi inde malo affectu receſſerint. Cum videatis ergo iſta omnia eſſe mutabilia, quid eſt quod eſt, niſi quod tranſcendit omnia, quæ ſic ſunt vt non ſint? Quis ergo hoc capiat, aut quis quomodocunque intenderit vires mentis ſuæ, vt attingat quo modo poteſt ad id quod eſt, vt eum ad id quodcūque mēte attigerit, poſſit peruenire? Sic eſt enim tāquam videat quiſque de longinquo patriam & mare interiaceat, videt quò eat, ſed nō habet quà eat: ſic ad illam ſtabilitatem noſtram vbi quod eſt, eſt, quod hoc ſolum ſemper ſic eſt vt eſt, volumus peruenire: interiacet mare huius ſeculi quà imus, & ſi iam videmus quò imus: nam multi nec quò eant vident. Vt ergo eſſet & quà iremus, venit inde ad quem ire volebamus. Et quid fecit? Inſtituit lignum quo mare tranſeamus. Nemo enim poteſt tranſire mare huius ſeculi, niſi cruce Chriſti portatus. Hanc crucem aliquando complectitur & infirmus oculus, & quia non videt longe quò eat, non ab illa recedat, & ipſa illum perducet. Itaque fratres mei, hoc inſinuauerim cordibus veſtris, ſi vultis pie & Chriſtiane viuere, adhærete Chriſto ſecundum id quod pro nobis factus eſt, vt perueniatis ad eum ſecundum id quod eſt, & ſecundum id quod erat. Acceſſit, vt pro nobis hoc fieret: quia hoc pro nobis factus eſt vbi portentur infirmi, & mare huius ſeculi tranſeant, & perueniant ad patriam, vbi iam naui non opus erit, quia nullum mare tranſibitur. Melius eſt ergo non videre mente id quod eſt, & tamen à Chriſti cruce non recedere, quàm videre illud mente, & crucem Chriſti contemnere. Bonum eſt ſuper hoc & optimum, ſi fieri poteſt, vt & videatur quò eundum ſit, & teneatur quò portetur qui pergit. Hoc potuerunt mentes magnæ montium qui montes dicti ſunt, quos maxime illuſtrat lumen iuſticiæ, potuerunt & viderunt illud quod eſt: nam videns Ioannes dicebat, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Viderunt hoc, & vt peruenirēt ad id quod videbant de longe, à cruce Chriſti non receſſerunt, & humilitatem Chriſti non contempſerunt. Paruuli ergo qui hoc non poſſunt intelligere, non recedētes à cruce & à paſſione & à reſurrectione Chriſti, in ipſa naui perducuntur ad id quod non vident, in qua naui perueniunt & illi qui vident. At vero quidam philoſophi huius mūdi extiterunt, & inquiſierunt creatorem per creaturam: quia poteſt inueniri per creaturam, euidenter dicente Apoſtolo, Inuiſibilia enim eius à conſtitutione mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, vt ſint inexcuſabiles. Et ſequitur, Quia cum cognouiſſent Deum, non dixit, quia non cognouerunt Roma. 1.
Deum: ſed quia cum cognouiſſent Deū, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Et vnde obſcuratum eſt? Sequitur & dicit apertius, Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: viderunt enim quò veniendū eſſet, ſed ingrati ei qui illis præſtitit quod

viderunt, ſibi voluerunt tribuere quod viderunt, & facti ſuperbi amiſerunt quod videbant, & conuerſi ſunt inde ad idola & ſimulacra & culturas dæmonum, adorare creaturam, & contemnere creatorem: ſed iam iſti eliſi iſta fecerunt. Vt autem eliderentur, ſuperbi erant: cum autem ſuperbirent, ſapientes ſe eſſe dixerunt. Hi ergo de quibus dixit, Qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, viderunt hoc quod dicit Ioannes, quia per verbũ Dei facta ſunt omnia. Nam inueniũtur iſta & in libris philoſophorũ. Et quia vnigenitum filium habet Deus, per quem facta ſunt omnia, illud potuerunt videre quod eſt, ſed viderunt de longe: noluerunt tenere humilitatẽ Chriſti, in qua naui ſecuri peruenirent ad id quod longe videre potuerunt, & ſorduit eis crux Chriſti. Mare tranſeundum eſt, & lignum contemnis? O ſapientia ſuperba, irridẽs crucifixum Chriſtum, ipſe eſt quem longe vidiſti. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Sed quare crucifixus eſt? Quia lignum tibi humilitatis eius neceſſarium erat: Superbia enim tumueras, & longe ab illa patria proiectus eras, & fluctibus huius ſeculi interrupta eſt via, & qua tranſeatur ad patriam, non eſt niſi ligno portetis. Ingrate, irrides eum qui ad te venit vt redeas:
Matt. 4. Ipſe factus eſt via, & hoc per mare. Inde in mari ambulauit, vt oſtenderet in mari eſſe viam. Sed tu qui quo modo ipſe ambulare in mari non potes, naui portare, ligno portare: crede in crucifixum, & poteris peruenire. Propterea crucifixus eſt, vt humilitatem doceret, & quia ſi ſic veniret vt Deus non agnoſceretur. Si enim ſic veniret vt Deus, non veniret eis qui videre Deum non poterant: Non enim ſecundum id quod Deus eſt, aut venit aut diſcedit, cum ſit vbique præſens, & nullo loco contineatur. Sed ſecundum quid venit? Quod apparuit homo. Quia ergo ſic erat homo vt lateret in illo Deus, miſſus eſt ante illum magnus homo, per cuius teſtimonium inueniretur plus quàm homo. Et quis eſt hic? Fuit homo. Et quo modo poſſet iſte verum de Deo dicere, niſi miſſus à Deo? Quid vocabatur? Ioannes. *Cui nomen erat Ioannes.* Quare venit? *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Qualis iſte qui teſtimoniũ perhiberet de lumine? Magnum aliquid iſte Ioannes, ingens meritum, magna gratia, magna celſitudo. Mirare, planè mirare ſed tanquam montem. Mons autem in tenebris eſt, niſi luce veſtiatur: Ergo tantum mirare Ioannem, vt audias quid ſequatur: *Non erat ille lumen*: Ne cum montem putes lumen eſſe, naufragium in monte facias, non ſolatium inuenias. Sed quid debes mirari? Montem tanquam montem. Erige autem te ad illum qui illuminat montes, qui ad hoc erectus eſt, vt prior radios excipiat, & oculis tuis faucijs nunciet. Ergo non erat ille lumen: Quare igitur venit? Sed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Vt quid hoc? Vt omnes crederent per illum. Et de quo lumine teſtimonium perhiberet? *Erat lux vera.* Quare additum eſt, vera? Quia & homo illuminatus dicitur lux, ſed vera lux illa eſt quæ illuminat. Nam & oculi noſtri dicuntur lumina, & tamen niſi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem ſol exeat, lumina iſta ſine cauſa patent. Sic ergo & Ioannes erat lux, ſed non vera lux, quia per eum non illuminantur tenebræ, ſed illuminatione factus eſt lux: niſi enim illuminaretur, tenebræ erat, ſicut omnes impij, quibus iam credentibus
dixit Apoſtolus, Fuiſtis enim aliquando tenebræ. Ephe. 5.
Modo autem quia crediderant, quid? Nũc autem lux, inquit, in domino. Niſi adderet in domino, non intelligeremus. Lux, inquit, in domino tenebræ non in domino eratis. Fuiſtis enim aliquando tenebræ: ibi enim non addidit, in domino? Ergo tenebræ in vobis, lux in domino. Sic & ille non erat lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Vbi autem eſt ipſa lux? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si omnem hominem venientem, & ipſum Ioannem: Ipſe ergo illuminabat, a quo ſe demonſtrari volebat. Intelligat charitas veſtra: Veniebat ad mentes infirmas, ad corda ſaucia, ad aciem animæ lippiẽtis. Ad hoc venerat, vnde poſſet anima videre quod perfecte eſt: quo modo plerũque contingit, vt in aliquo corpore radiato cognoſcatur ortus eſſe ſol, quem oculis videre non poſſumus: quia & qui ſaucios habent oculos, idonei ſunt videre parietem illuminatum & illuſtratum à ſole, vel montem vel arborem, aut aliquid huiuſmodi idonei ſunt videre, & in alio illuſtrato demõſtratur illis ortus, cui videndo adhuc minus idoneam aciem gerunt. Sic ergo illi montes, ad quos Chriſtus venerat, minus idonei erãt eum videre: radiauit Ioannem, & per illum confitentem ſe radiatum, ac ſe illuminatum eſſe, non qui radiaret, & illuminaret. cognitus eſt ille qui illuminat, cognitus eſt ille qui illuſtrat, cognitus eſt qui implet. Et quis eſt? Qui illuminat, inquit, omnem hominem venientem in hunc mundum: nam ſi illinc non recederet, non eſſet illuminandus. Sed ideo hic illuminandus, quia illinc receſſit, vbi homo ſemper poterat eſſe illuminatus. Quid ergo ſi venit huc, vbi erat? *In hoc mundo erat.* Hic erat & venit: Hic erat per diuinitatem, & huc venit per carnem: quia cum hic eſſet per diuinitatem, à ſtultis cæcis & iniquis videri non poterat, Ipſi iniqui tenebræ ſunt, de quibus dictum eſt: Et lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ecce hic eſt & modo, & hic erat, & ſemper hic eſt, & nunquam recedit, & nuſquam recedit. Opus eſt vt habeas vnde videas quod tibi nunquam recedit. Opus eſt vt tu non recedas ab eo, qui nuſquam recedit. Opus eſt vt non deſeras, & & non deſeteris. Noli cadere, & non tibi occidet: Si tu feceris caſum, ille tibi facit occaſum: Si autẽ tu ſtas, præſens eſt tibi. Sed non ſteuiſti, recordare vnde cecideris: vnde te deiecit qui prior te cecidit. Deiecit enim te, non vi, non impulſu, ſed voluntate tua. Si enim malo non conſentires, ſtares, illuminatus maneres. Modo autẽ quia iã cecidiſti, & factus es ſaucius corde, vnde videri illa lux nõ poteſt venit ad te talis, qualem poſſis videre, & talem ſe hominem præbuit, vt ab homine quæreret teſtimoniũ. Ab homine quærit teſtimonium Deus, & Deus teſtem habet hominẽ. Habet Deus teſtẽ hominem, ſed propter hominem. Tã infirmi ſumus, vt per lucernam quæramus diem, quia lucerna dictus eſt ipſe Ioannes domino dicente, Ille erat lu- Ioan. 5.
cerna ardens & lucẽs, & vos voluiſtis exultare ad horam in lumine eius: Ego autem habeo teſtimoniũ maius Ioanne. Ergo oſtendit quia propter homines voluit per lucernã demonſtrari ad fidẽ credentium, vt per ipſam lucernã inimici eius cõfunderentur. Illi enim inimici qui illum tentabant, & Matt. 12.
dicebant,

Mat. 21. dicebãt, dic nobis in qua poteſtate iſta facis? Interrogabo vos & ego, inquit, vnum ſermonem dicite mihi: Baptiſmum Ioannis vnde eſt, de cælo an ab
Luce 20. hominibus? Et turbati ſunt, & dixerunt apud ſemetipſos: Si dixerimus de cælo, dicturus eſt nobis: Quare ergo nõ credidiſtis illi? Quia ille Chri-
Ioan. 1. ſto perhibuerat teſtimonium, & dixerat. Non ſum ego Chriſtus, ſed ille. Si autem ex hominibus dixerimus eſſe, timemus populum ne lapidet nos, quia tanquam prophetam habebant Ioannem. Timentes lapidationem, ſed plus timentes veritatis confeſſionem, reſponderunt mendacium veritati, & mentita eſt iniquitas ſibi. Dixerũt enim,
Pſal. 26. Neſcimus. Et dominus quia ipſi contra ſe clauſerant, negando ſe ſcire quod nouerant, nec ipſe il-
Matth. 7. lis aperuit, quia non pulſauerũt. Dictum eſt enim, Pulſate, & aperietur vobis. Non ſolum autem illi, non pulſauerunt vt aperiretur, ſed negãdo oſtium ipſum contra ſe aſtrinxerunt. Et ait eis dominus: Nec ego dico vobis, in qua poteſtate iſta facio. Et confuſi ſunt per Ioãnem impleruntque in illis eſt,
Pſal. 131. Paraui lucernam Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione. *In mundo erat, Et mũdus per ipſum factus eſt*, Ne putes quia ſic erat in mundo quo modo in mũdo eſt terra, in mũdo eſt cælum, in mundo eſt ſol & luna & ſtellę, in mundo arbores, pecora, homines. Non ſic iſte in mundo erat. Sed quo modo erat? Quomodo artifex, regens quod fecit: Non enim ſic fecit quomodo facit faber arcam. Forinſecus eſt arca quam facit, & illa in alio loco poſita eſt cum fabricatur, & quanuis iuxta ſit, ipſe alio loco ſedet qui fabricat & extrinſecus eſt ad illud quod fabricat: Deus autem mundo infuſus fabricat vbique poſitus, fabricat & non recedit aliquò, nõ extrinſecus quaſi verſat molem quam fabricat: Præſentia maieſtatis facit quod facit, præſentia ſua gubernat quod facit. Sic ergo erat in mundo, quo modo per eum mũdus factus eſt: Per ipſum enim mũdus factus eſt, & mũdus eum non cognouit. Quid eſt, mundus factus eſt per ipſum? Cęlũ & terra, mare & omnia quę in eis ſunt, mundus dicitur. Iterum alia ſignificatione, dilectores mũdi mundus dicũtur. Mundus per ipſum factus eſt. *Et mundus eum non cognouit*. Num enim cæli non cognouerunt creatorem ſuum, aut angeli non cognouerũt creatorem ſuum, aut non cognouerunt creatorem ſuum ſidera, quem confitentur dæmonia? Omnia vndique teſtimonium perhibuerunt. Sed qui eum non cognouerunt? Qui amando mundum dicti ſunt mundus. Amando enim habitamus corde. Amando autem hoc appellari meruerunt, quod ille vbi habitabant, quomodo dicimus, mala eſt illa domus, aut bona eſt illa domus. Non in illa quam dicimus malam parietes accuſamus, aut in illa quam dicimus bonam parietes laudamus: ſed malam domum, inhabitantes malos: & bonam domum, inhabitantes bonos. Sic & mundum, qui inhabitant amando mundum: qui ſunt qui diligunt mundum? Ipſi enim corde habitant in mundo: Nam qui non diligunt mundum carne verſantur in mundo, ſed corde inhabitant cælum ſicut apoſtolus dicit. Noſtra autem
Philip. 3. conuerſatio in cælis eſt. Ergo mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit. *In ſua propria venit*: quia omnia iſta per eum facta ſunt. *Et ſui eum non receperunt*. Qui ſui? Homines quos fecit. Iudæi quos primitus fecit ſuper omnes gẽtes eſſe, quia aliæ gentes idola adorabant, & dæmonibus ſeruiebant. Ille autem populus natus erat de ſemine Abrahæ, & ipſi maxime ſui, quia & per carnem quam ſuſcipere dignatus eſt, cognati. In ſua propria venit, & ſui eũ non receperunt. Omnino nullus recepit? Nullus ergo ſaluus factus eſt? Nemo ergo ſaluus fiet, niſi qui Chriſtum ſuſceperit venientem. Sed addidit, *Quotquot autem receperũt eum*. Quid eis pręſtitit? Magnam beneuolentiam, magnam miſericordiã. Vnicus natus eſt, & noluit manere vnus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant ſibi, & voluntate faciunt quod natura non potuerũt: hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filiũ vnicum, gaudet de illo magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt, & non habebit qui cum eo diuidat hereditatem, vt pauperior remaneat. Non ſic Deus, vnicũ eundem ipſum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, miſit in hunc mũdum, vt non eſſet vnicus, ſed fratres haberet adoptatos. Non enim non nati ſumus de Deo quo modo ille vnigenitus, ſed adoptati per gratiam ipſius. Ille enim venit vnigenitus vt ſolueret peccata, quibus peccatis implicabamur ne adoptaret nos, propter impedimentum eorum, quos ſibi fratres facere volebat, ipſe ſoluit & fecit cohęredes. Sic enim dicit Apoſtulus,
Si autem filij, & hæredes per Deũ. Et iterum, Hæ- *Rom. 8.*
redes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Non timuit ille habere cohæredes: quia hæreditas eius non fit anguſta, ſi multi eam poſſederint, Illi ipſi certè illo ipſo poſſidente fiunt hæreditas ipſius, &
ille viciſſim fit hęreditas ipſorum. Audi quomodo, *Pſal. 2.*
ipſi fiant hæreditas ipſius, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſ-
ſionem tuam terminos terræ. Ille quomodo fit *Pſal. 15.*
hæreditas eorum? Dicit in pſalmo, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Et nos illum poſſideamus, & ipſe nos poſſideat. Ille nos poſſideat ſicut dominus: Nos illum poſſideamus ſicut ſalutem, nos eum poſſideamus ſicut lucem. Quid ergo dedit his qui receperunt illum? *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, vt teneant lignum & mare tranſeant. Et quomodo illi naſcuntur? Iſti quia filij Dei fiunt & fratres Chriſti, vtique naſcuntur: Nam ſi non naſcuntur, filij quomodo eſſe poſſunt? Sed filij hominũ naſcuntur ex carne & ſanguine, & ex voluntate viri & complexu coniugij. Illi autem quo modo ei naſcuntur? *Qui non ex ſanguinibus*, tanquam maris & fœminæ. Sanguines non eſt Latinum, ſed quia Græce poſitum eſt pluraliter, maluit ille qui interpretabatur ſic ponere, & quaſi minus Latine loqui ſecundum Grammaticos, & tamen explicare
veritatem ſecũdum auditum verborum.* Si enim ** al. infirmorum.*
diceret ex ſanguine, ſingulari numero, non explicaret quod volebat. Ex ſanguinibus enim homines naſcuntur maris & fœminæ. Dicamus ergo, non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem ſolidam & certiorem perueniamus. Reprehendit qui intelligit, ingratus quia intellexit: *Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*. Carnem pro fœmina poſuit,
quia de coſta eius facta eſſet, Adam dixit, Hoc *Geneſ. 2.*
nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Et *Ephes. 5.*
Apoſtolus ait, Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit: nemo enim vnquam carnẽ ſuam odio habet. Ponitur ergo caro pro vxore, quomodo & aliquãdo ſpiritus pro marito. Quare? Quia ille regit,

hæc regi: ut ille imperare debet, iſta ſeruire: nam vbi caro imperat, & ſpiritus ſeruit, peruerſa domus eſt. Quid peius domo, vbi fœmina habet imperium ſuper virum? Recta autem domus vbi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ipſe homo vbi ſpiritus imperat, caro ſeruit. Hi ergo non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, *Sed ex Deo nati ſunt.* Vt autem homines naſcerentur ex Deo, primo ex ipſis natus eſt Deus. Chriſtus enim Deus, & Chriſtus natus ex hominibus, non quæſiuit quidem niſi matrem in terra, quia iam patrem habebat in cælo: natus ex Deo per quem efficeremur, natus ex fœmina per quam teneremur. Noli ergo mirari ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia naſceris ex Deo ſecũdum verbũ eius. Prius ipſum verbũ voluit naſci ex homine, vt tu ſecurus naſcereris ex Deo & diceres tibi. Non ſine cauſa Deus naſci ex homine voluit, niſi quia alicuius momenti me exiſtimauit, vt immortalem me faceret, & pro me mortaliter naſceretur. Ideo cum dixiſſet, ex Deo nati ſunt, quaſi ne miraremur & exhorreremus tantã gratiam, vt nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati ſunt, quaſi ſecurum te faciens, ait, *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Quid ergo miraris, quia homines ex Deo naſcuntur? Attende ipſum Deum natum ex hominibus. Et verbum caro factum eſt. & habitauit in nobis: quia vero verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ipſa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis noſtri, vt poſſimus videre maieſtatem eius per eius humilitatem. Ideo factum eſt verbum caro, & habitauit in nobis: ſanauit oculos noſtros. Et quid ſequitur? *Et vidimus gloriam eius.* Gloriã eius nemo poterat videre, niſi carnis humilitate ſanaretur, vnde nõ poteramus videre. Intendat ergo charitas veſtra, & videre quod dico. Irruerat homini quaſi puluis in oculũ, irruerat terra, ſauciauerat oculum, videre non poterat lucem. Oculus ille ſauciatus inungitur: terra ſauciatus erat, & terra illuc mittitur vt ſanetur. Omnia enim collyria & medicamenta nihil ſunt, niſi de terra. De puluere cæcatus es, de puluere ſanaris: ergo caro te cæcauerat, caro te ſanat. Carnalis enim anima facta erat conſentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus: Verbum caro factum eſt. Medicus iſte tibi fecit collyrium. Et quoniam ſic venit vt de carne vicia carnis extingueret, & de morte occideret mortem: ideo factum eſt in te, vt quoniam verbum caro factum eſt, tu poſſis dicere, Et vidimus gloriam eius. Qualem gloriam? Qualis factus eſt filius hominis. Iſta humilitas ipſius eſt, non gloria ipſius. Sed ad quod perducta eſt acies hominis curata per carnem? *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritatis.* De gratia & veritate alio loco vberius in ipſo Euangelio, ſi dominus dignatus fuerit donare, tractabimus. Hæc nunc ſufficiant, ædificamini in domino Ieſu Chriſto, & confortamini in fide, & vigilate in bonis operibus, & à ligno nolite recedere, per quod poſſitis mare tranſire.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexandr. eiuſdem Euang. expoſitio.

IN *principio erat verbum.* quid igitur ad hæc, qui nouiſſimum nobis filium ita eſſe prædicant: vt nec Deus quidem eſſe credatur, quid inquam dicere poſſunt. Non erit tibi Deus recens, ſcriptura *Pſalm. 10.* clamat. quomodo autem non erit recens: ſi nouiſſimis natus temporibus eſt? Quomodo etiam non mentiebatur dicens ad Iudæos, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum? Neminem enim fugit: multis ſeculis poſt Abraham, à ſanctiſſima virgine Chriſtũ natum fuiſſe. Si ergo in nouiſſimo vnigenitus natus eſt ſeculo, quomodo in principio ipſum fuiſſe, veritatem habebit? Sed nugas eorum etiam ex ſequentibus refutabimus. Illud vero & ſubtilius enodetur: quod Euangeliſta dixit, In principio erat verbum, principio nempe, ſiquidem diffinitionem principij tenet, nihil antiquius eſt. Nunquã enim principij principiũ poterit excogitari. Nã ſi aliud quiddam ante principium intelligitur, excidet profecto, nec erit vere principium. Præterea ſi ante vere principium aliud inueniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud ſemper ante aliud quærentibus, nec in vno ſimpliciter principio conſiſtentibus: quare ne infinita quærentes inexplicabilis nobis fiat conſideratio, quæ nunquam poſſit in exitum peruenire, nec principium principij dabimus, nec filium in tempore à patre genitum concedemus, ſed æternaliter cum patre ipſum eſſe confitebimur. Si enim in principio erat, quæ mens poterit vnquam vltra illud erat, conuolare? Aut quando illud erat, mente ita tenebimus, vt cogitationes noſtras non antecedat? merito igitur ſtupore perculſus clamat Eſaias, *Eſa. 53.* Generationem autem eius quis enarrabit? quia ſublata eſt à terra vita eius. tollitur enim profecto à terra generationis vnigeniti ratio: omnem enim mentem excedens, omnemque rationem humanam ſuperans, ineffabilis eſt. quomodo igitur factum creatumque nonnulli aſſerunt? cum mẽs noſtra ratione ac tempore creata omnia facile circũſcribat, generationem vero vnigeniti nullo modo comprehẽdere queat? In principio inquit erat verbum. Principium ſane temporis nullo pacto poſſumus in vnigenito Dei filio intelligere, qui enim ante cuncta ſecula eſt, eius æterna ſubſtantia eſt. Præterea cum ad exitum peruenire diuina recuſet natura (eodem enim ſemper modo ſe habet, iuxta illud, Tu autem idem ipſe es & anni *Pſal. 101* tui non deficient) à quonam principio, temporis *Ioan. 14.* ſpacijs menſurato filius incipiet? qui veluti natura Deus ac ideo vere clamans ego ſum vita, peruenire in exitum non poteſt. Principium enim temporis quantitate ſignificatum, nunquam in ſeipſo ſic eſſe poteſt, imo vero nec intelligi quidem, vt finem & exitum ſuum non reſpiciat. quaſi enim ad finem, principium dicimus, & finem rurſus quaſi ad principium referẽtes nũcupamus. Quoniam igitur ante ſecula filius eſt, in tempore genitus eſſe non poteſt, ſed eſt ſemper in patre quaſi in fonte, ſicuti ab ipſo dictum eſt: ego ex patre exiui ac veni. Quaſi enim fontem patrem intelligimus, *Ioan. 5.* in quo verbum eſt ſapientia, virtus, character, ſplendor, & imago eius exiſtens. quare ſi nullum vnquam erat tempus, quando abſque ſapientia, virtute, charactere, ſplendore, ac denique imagine ſua erat pater, fateri neceſſe eſt coæternum & eſſe filium, qui ſapientia, virtus, & cetera patris æterni eſt. quomodo enim character, aut quomodo imago exquiſitiſſima patris eſt, niſi pulchritudinem illius perfecte conſecutus ſit, cuius imago eſt? non

eſt

eſt autem abſurdũ, quod diximus in patre filium tanquam in fonte intelligendum eſſe. Nihil enim aliud nomen fontis nobis ſignificat, quam vt ex quo: filius vero in patre & ex patre eſt, non profluens foras, ſed aut quaſi à ſole ſplendor, aut quaſi ab igne inſita ſibi caliditas. In his enim exemplis vnum ab vno produci, & ambo conſempiterna ſic eſſe conſpicimus: vt aliud abſque alio nec eſſe poſſit, nec naturæ ſuæ rationẽ retinere. Quomodo enim erit ſol, ſplendore priuatus? vel quomodo erit ſplendor: niſi ſol ſit, à quo defluat? ignis vero quomodo erit, calore carens? vel calor vnde manabit, niſi ab igne aut ab alio forſan nõ procul à ſubſtãtialitiali qualitate ignis diſiecto? Sicut igitur quæ ab iſtis profluunt ſimul cum illis ſunt vnde profluunt, ac ſemper vnde fluant oſtendunt: ſic in vnigenito intelligendum eſt: ex patre enim eſſe intelligitur, ſed in patre etiam eſſe creditur. Non alienus natura neque poſt patre natura ſecundus, ſed in ipſo patre ſemper & cum ipſo, & ex ipſo ſecũdum ineffabilis generationis modum. Dicitur autem filij principium pater à ſcriptura: nulla prorſus alia ſignificatione quam vt ex quo.

Pſal. 109. Quod pſalmiſta de ſecundo ſaluatoris noſtri aduentu ſpiritus ſancti gratia commotus oſtendit, ſic ad filium dicens. Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendore ſanctorum tuorum. dies enim virtutis filij, illa eſt in qua orbem terrarum iudicaturus, merita ſingulis ſecundum opera ſua retribuet. Venturus autem ſic eſt: vt & ipſe in patre ſit, & pater in ipſo. Ita æternum ei principium

Ioan. 5. pater eſt, ſola (vt diximus) illa ſignificatione vt ex quo. quoniam ex patre eſt, *in principio inquit erat verbum.* Multa nobis atque varia vndique veritatem dogmatum indagantibus, principij ſignificatio ſubiicit. recte namque ſaluator inquit, Scrutamini ſcripturas, quia in ipſis vos putatis vitam æternam habere. & ipſæ ſunt, quę teſtimoniũ perhibent de me. Videtur igitur principij hic nomine beatus euangeliſta patrem ſignificare. Hoc enim modo ſuper omnia, natura diuina collocabitur: ſi omne quod creatum eſt, ſub pedibus eius intelligatur. Vt quaſi omnibus inſidens quæ creauit, omnia foueat atque conſeruet. in hoc igitur quod omnium principium eſt, quodque ſuper omnia eſt: in hoc inquam principio verbum erat, nõ cum omnibus ſub pedibus eius, ſed abſque creatis vniuerſis, quaſi coæternus arboris fructus in ipſo eſt naturaliter, locum (vt ita dixerim) genitoris naturam poſſidens. Idcirco cum liber ſit, libero patre genitus, omnium rerũ principium ſecum habet. Quod inde maxime approbatur, quia vt diximus, tunc primum eſſe incœpiſſe nonnulli Dei verbum impie contendebant, cum ex intemerata virgine templum hoc hominis propter ſalutem noſtram aſſumpſit. Quod ſi ita, eſſet creatus, & eius eſſet naturę, quã omnes res habent, quia ex nihilo productæ ſunt: nec domini, ſed ſerui vocabulũ ei vere applicaretur. Nulla enim creaturarum creatoris Dei ac domini ſeruitutem recuſat. Nihil omnino

Prouerb. 8. factũ eſt, quod principio & poteſtati diuinæ non ſubiaceret. quam Solomon ſignificans, dicebat cum iuſticia ſedem principij præparari. Parata enim valdeque ad iuſtitiam decora, principij omnium

Eſaiæ 66. ſedes eſt: quę nam vero ſedes illa eſt, de qua modo dicitur: ipſum Deum dicentẽ audias, Cælum mihi eſt ſedes. Cælum igitur ſancti videlicet ſpiritus, quos & angelos appellare ſolemus, ad iuſticiam ſeruitutemque paratiſſimi ſunt. Quamobrem ne vna cum alijs creaturis ſubiectũ Deo patri filium putes, ac quemadmodum alia in ſeruilem locum deducas, nuperrime ac in tempore natum exiſtimans (ſic enim neceſſario creatura eſſet) non iniuria diuinus euangeliſta Ioannes vehementius huiuſmodi cogitationes expellens: ab omni ſeruili conditione filium vendicat, atque à libera omnique principante ſubſtantia emanare oſtendit, & in ipſa cum naturaliter eſſe aſſerit dicens, In principio erat verbũ. Principij autem vocabulo commodiſſime verbum, erat, connectit: ne ſolum decorus, verum etiam æternus, & ante ſecula filius intelligatur: in profundiſſimam enim atque incomprehenſibilem generationem, quæ cuncta ſuperat tempora, erat illud, cogitantis ſententiam adducit. Erat enim per ſe indeterminate prolatum, nullis vnquam terminis circũſcribetur: cum natum ſit ſcrutantem ſemper intellectum præcedere. adeo vt quocunque arbitreris quaſi ad vltimum exitum & quietem ipſum erat iam perueniſſe: inde ſuperioris curſus initium ſtatim factum eſſe videatur. Erat igitur verbum in principio illo ſcilicet, quod ſuper omnia eſt, vnde ipſum verbum eſt dominicam naturaliter poſſidens maieſtatem. Quod ſi ita eſt, ſicuti certe eſt: quomodo factus aut creatus filius putabitur? aut quomodo ſi de verbo id eſt de filio Dei vnigenito vere ac abſolute erat prædicatur, poterit vnquam non erat prædicari? *Et verbum erat apud Deum.* Inanẽ iam & procul a veritate ſententiam illorum oſtendit: qui ex nihilo productũ filium arbitrantur. Quare quemadmodũ optimus ſolertiſſimuſque agricola cum omnes ab horto eradicare vepres deſideret, diligenter longis raſtrorum dentibus radices euellit: ſic beatiſſimus quoque Ioannes acutiſſime ac ſolertiſſime germinaturas conſpiciens falſas hæreticorum opiniones, hoc Euangelio quaſi raſtris eas euertit, ac in recta fide ſtudioſum cõſeruat lectorẽ. Nam cũ mentis oculos diuina gratia illuminatos haberet: nõ ignorabat vẽturos hic nunc quoſdam, qui vnum ac eundem patrẽ & filium eſſe, ac ſolis ſanctiſſimam trinitatẽ nominibus, non hypoſtaſibus proprijs diſtingui dicere auderent. Vt igitur pater vere & non filius, & filius rurſum proprie filius & non pater intelligatur: quaſi ad præſentem iam quæ futura erat hæreticorum prauitatem accinctus, ad id quod dictum eſt in principio erat verbum, in Deo ſcilicet patre, ſicut iam diximus, ſtatim adiũxit. *Et verbum erat apud Deum.* Neceſſario autem vbique ac exactiſſime erat, repetit: vt æternam verbi generationem expreſſius deſignaret. Cum autem apud Deũ, verbum eſſe prædicet: vnum quidem eſſe filium ſubſiſtentemque in ſeipſo, & vnum rurſus Deũ patrem, apud quem verbum eſt, apertiſſime oſtendit. Quomodo enim quod vnum numero eſt, ipſum apud ſeipſum eſſe intelligetur? Sed non erit ab re latius ac exquiſitius falſitatem huius pernicioſæ opinionis oſtendere. Conſubſtantialis quidem filius patri, & pater filio recte creditur, adeo enim ſumma in eis identitas eſt: vt in filio pater, & in patre filius conſpiciatur. qui enim videt me, ſaluator inquit, pa- *Ioan. 14.*
trem meum videt. Et rurſus. Ego in patre, & pater in me eſt. Quod cum ita ſit: non tamen idcirco aut filius in propria hypoſtaſi, aut rurſus pater per ſeipſum ſubſiſtere negabitur, nec ſumma illa identitas, perſonas id eſt hypoſtaſes confundet, nec

quoniam vnum ſubſtantia ſunt pater, & qui ex
eo eſt filius: idcirco numero etiam vnum erunt,
ſed natura quidem eadem in vtroque: proprie au-
tem & vere vterque ſubſiſtit. Ita enim pater vere
pater, & filius vere filius erit, connumeratoque
ſancto ſpiritu, plenitudinem ſancta trinitas, maie-
Pſalm. 2. ſtatemque ſuam conſequetur. Præterea, ſi qui
eſt filius, ipſe quoque pater eſt: quæ ratio varieta-
tem nominũ induxit? Si enim nullo modo genuit,
quare pater vocatur? aut quomodo filius dicitur
ſi genitus à patre non eſt? Hanc enim nomina ipſa
ſententiam neceſſario nobis declarãt. Quare quo-
niam genitum à patre ſcriptura prædicat, & veri-
tas ita ſe habet quod neceſſario à generante geni-
tum re ipſa diſtinguitur, tã filius per ſeipſum quàm
Philipp. 2. pater vere ſubſiſtit. Accedit quod beatus Paulus
ad Philippẽſes in forma Dei eſſe filium, nec rapi-
na conſecutum vt ſit æqualis Deo affirmat: nonne
igitur neceſſe eſt alium eum eſſe, qui non rapina
æqualitatem Dei conſecutus eſt, alium ipſum, in
cuius forma eſſe cognoſcitur? non ſunt ergo idem
numero pater & filius, ſed ſubſiſtit vterque: & al-
Ioan. 10. ter in altero, propter identitatem ſubſtantię inſpi-
citur, & eſt alter ex altero, filius à patre videlicet.
Saluator quoque idipſum nobis aperiens, ego, in-
quit, & pater vnũ ſumus. niſi enim vterque ſubſi-
ſteret, non ſumus, ſed, ſum, vnum ego & pater di
xiſſet. Verum, quoniam plurali numero, ſumus
vnum, dixit: commodiſſime tam vnitatem naturę,
quàm pluralitatem perſonarũ oſtẽdit. Nunquam
enim de vno, ſumus, etiam ſi diſrumpantur hære-
Geneſ. 1. tici, prædicari poterit. Inſuper verba Dei ſcriptu-
ra recitat dicentis, faciamus hominem ad imagi-
nem & ſimilitudinem noſtram. Si ergo in vnum
numero trinitas ſancta contrahitur, vt impij con-
tendunt, quis eſt qui dicit, & ad quem dicit, facia-
mus hominem ad imaginem noſtram? Aut cur,
noſtram, & non, meam imaginem, ſcriptum eſt?
faciamus igitur plurali numero dictum, & imagi-
nem noſtram adiectum ideo eſt: vt clara magnaq;
hac voce, tu audire atq; intelligere queas trinum
eſſe perſonarum in ſancta trinitate in vna ſubſtã-
Ad Heb. 1. tia numerum. Adde quod ſplẽdor patris quaſi lu-
men è lumine filius appellatus, quomodo alius
quam pater non erit? Quod enim ſicuti ſplendor
emanat, ab alio non à ſeipſo neceſſario emana-
Ioann. 16. bit. Cum vero ex patre exiuiſſe, de ſe dicat filius
atq; veniſſe, ac rurſus ad patrem ſe proficiſci oſtẽ-
dat: quomodo non alia quam pater erit hypoſta-
ſis? Nulla enim ratio patitur: vt, quod ab alio ef-
fluxit, ab eo à quo effluxit, non diſtinguatur. Præ-
Matth. 28. terea in patre & filium & ſpiritum ſanctum cre-
dentes ſaluamur. Idcirco ad diſcipulos Chriſtus
inquit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes
eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.
Quod ſi vna hypoſtaſis atque perſona, horum no-
minum diuerſitate intelligitur: quare non in vni-
tatem, ſed in trinitatẽ baptizari fideles voluit? Ma-
nifeſtũ igitur eſt in trinitatem nos ideo baptizari:
quoniã ad eum numerum, perſonarum ratio exit.
quæ quidẽ perſonæ quia in identitate naturæ co-
gnoſcuntur, in vnum Deum credimus, & vnum
Geneſ. 19. Deum pie adoramus. Ad hęc per irã Dei Sodomi-
tarum vrbes exuſtas fuiſſe, ſcriptura narrat. Pluit
Pſal. 10. inquit dominus à domino ignem ac ſulphur. Hęc
enim pars calicis eius, eis conſeruatur: qui talia
committũ flagitia. quis igitur dominus à domi-
no ignem deſcendere fecit? patet quia pater per

filium omnia peragit: brachium enim & virtus
patris, filius cum ſit: ipſe in Sodomitas ignem im-
miſit. Quod ſi dominus à domino ignem pluit, *Eſaia. 53.*
quomodo alius à patre filius, & pater à filio non
eſt? cum enim dicitur dominus à domino, vnus ex
vno profecto ſignificatur. Adde quod prophetiæ
commotus ſpiritu quo futura præuidebat beatus
ille pſalmiſta, quoniam non aliter humanum poſ-
ſet ſaluari genus, quam per apparentiam filij Dei
cognoſcebat: idcirco mitti ad nos illum qui ſolus
à ſeruitute in libertatem poſſet nos vẽdicare ora-
bat, ad Deum ac patrem dicens. Emitte lucem *Pſal. 42.*
tuam & veritatẽ tuam. Quænam vero iſta ſit tam *Ioann. 8.*
lux quam veritas, ipſum audi filium, Ego ſum lux,
inquit, & ego ſum veritas. quod ſi lux & veritas
patris vnigenitus videlicet filius eius, ab eo ad nos
mittitur: quomodo alius quàm pater non eſt? Et ſi
id, quomodo ipſe per ſe non ſubſiſtit? quamuis
vnum cum patre ſit identitate ſubſtantiæ. Quod *Ioann. 14.*
ſi vnus Pater & filius numero eſſet, nonne orans
propheta, veni ad nos lux atque veritas dixiſſet?
Cum vero emitte dixerit: patet quia diuinitus
inſtitutus alium mittere, alium mitti, miſſioniſ-
que modum, vt Deum decet, intelligebat. Po-
ſtremo per filium vniuerſa viſibilia atque inuiſi- *Ad Coloſ. 1.*
bilia & ſcripturæ facta teſtantur, & omnes credi-
mus, qui veritati pietatique diuinorum dogma-
tum adhæremus. Scrutemur ergo diligenter, quid
iſta vox, per filium, poſſit. Nonne illico alium eſſe
qui facit, alium per quem facit demonſtrat? Ita
cum per filium cuncta fieri ſcriptum ſit, duæ per-
ſonæ proculdubio deſignantur: quomodo enim
vnus numero proprie atque vere per filium cũcta
creaſſe dicitur, ſi nulla prorſus alia perſona intelli-
gitur? Nihil ad hęc arbitror aduerſarios, ſi ſcriptu-
ram admittunt, reſpondere poſſe. Per filium ſane *Ad Heb. 1.*
à patre cuncta fieri & ſcriptura prædicat, & nos
credimus. Quomodo igitur neceſſe non eſt pa-
trem per ſe, ac filium ſimiliter ſubſiſtere? Non
enim identitas ſubſtantiæ læditur, ſi trinitatem
perſonarum ſancte atque pie fatemur. *Et Deus erat
verbum.* Non ignorauit diuinus euangeliſta ven-
turos poſterioribus ſeculis nonnullos, qui deita-
tem filij negantes, non natura Deum verbum pa-
tris, ſed quaſi adulterinum ac nomine ſolummo-
do Deum contenderent: qui filium deumque ap-
pellatum quidem, non autem verum Deum puta-
rent. Quod præcipue Arriani iudaicam impieta-
tem in animo concipientes, paſſi mihi videntur.
A tenebroſo enim eorũ corde non viuificans pie-
tatis verbum, ſed mortificans diaboli doctrina
profluit. doloſa omnino eſt lingua eorum, & ver-
ba oris eorum quaſi iacula. Quemadmodum igi-
tur, ſi hoc pacto aduerſus euangeliſtam cõtendiſ-
ſent, quamquam apud Deum verbum ſit (credi-
mus enim hoc tibi dicenti) ac alius pater, alius
perſona filius ſit, non ſequitur tamen hinc eiuſ-
dem cum patre ipſum eſſe ſubſtantiæ. Quare cum
vnum Deum prædicare ſcripturam inueniamus:
patri ſolummodo id nomẽ vere attribuimus, apud
quem erat verbum. Quaſi ergo hæc dicturos au- *Deuter. 6.*
diens non modo inquit verbum erat apud Deum,
verumetiam Deus erat. Sic quoniã apud patrem,
inquit, eſt, per ſeipſum ſubſiſtit. quoniam vero
Deus eſt, & ex Deo patre, conſubſtantialis patri,
& natura Deus eſſe intelligitur. Cum enim vna
Dei natura omnibus creditur, nõ poteſt profecto
ſanctiſſima trinitas identitate ſubſtantiæ nõ con-
tineri.

tinet. Deus igitur erat verbum, non nupertime
factum ſed æternum: quamquam qui Deus eſt, is
neceſſario æternaliter eſt. Quod enim in tempore
factum eſt, aut quod à nihilo productum reperi-
tur, id natura Deus eſſe nō poteſt. Dei autem ver-
bum quoniam æternum eſt & quoniam Deus
eſt, patri conſubſtantiale omnino eſt. Quibus er-
go ſupplicijs digni non ſunt, qui minorem quo-
dammodo aut diſſimilem genitori vnigenitum
arbitrantur? qui eo impietatis profecti ſunt: vt in
medium hæc proferre non dubitent, parum de
rebus tam magnis attendentes. Nullo enim mo-
do minorem patre filium eſſe, rationibus multis
atque firmiſſimis à fonte ſcripturarum ſcaturien-
tibus diſcemus. Multis enim atque varijs filium
1. ad Cori. 1. Dei, nominibus nuncupare ſolent. Virtus enim
Dei & ſapientia eſt, vt Paulus oſtendit. Chriſtus,
inquit, Dei virtus eſt & ſapientia. Veritas etiam &
Pſal. 42. lux & iuſticia eſt: vt in pſalmis ſcribitur. Emitte
lucem tuam, & veritatem tuam. Et rurſus, In tua
iuſticia viuifica me. Pater enim in Chriſto fideles
viuificat. Conſilium etiam dicitur, iuxta illud,
Pſal. 118. Conſilium autem domini in ſeculū manet. Quo-
Pſal. 32. niam igitur hæc omnia filius & dicitur & eſt, vir-
tus videlicet, ſapientia, lux, veritas, iuſticia, & con-
ſilium patris, dicant nobis Arriani, quomodo pa-
tre minor eſt? Aut quomodo ſi minor eſt, perfecte
ſapiens pater, perfecte lux, perfecte veritas, perfe-
cte iuſtus eſt? Sed nec conſilij quidem perfecti pa-
ter erit, ſi minor eo filius eſt. Perfectus autem pa-
ter & eſt & creditur, quia omnia, quæ habet, per-
fecte habet. Perfectus etiam filius, ſapientia, vir-
tus, lux, veritas, iuſticia, & conſilium patris. Quo-
modo igitur patre minor eſt, quo pater perfectus
eſt? Præterea ſi, cum minor ſit patre filius, à ceteris
creaturis, & à nobis adoratur, duos colere Deos
inueniemur. Nullo enim modo identitate natu-
re, imperfectus id eſt minor filius cum perfecto
patre contineri poterit. Magna vero diuerſitate à
ſeipſis ea deciduntur: quæ ratione naturæ diuerſa
1. Cori. 8. diſſeparantur. Fides autem noſtra nullum deo-
rum numerum ſuſcipit, ſed vnus eſt Deus pater,
& ad eandem vnitatem filius vna cum ſpiritu ſan-
cto conſcendit. Quomodo igitur minor, qui ſub-
ſtantia perfecto patri naturaliter atque abſolute
Ioan. 1. vnitur? Ad hæc plenitudo filius dicitur. a plenitu-
dine inquit eius, omnes accepimus. Quomodo
igitur perfecto patre minor, ſi ipſe plenitudo eſt?
Non enim poſſunt in eodem ſimul ſubiecto, quæ
inter ſe contraria ſunt, inueniri. Inſuper, ſi cum
minor patre ſit filius, vniuerſa replet, vbi excellē-
tior magnitudo patris locabitur? licet enim ad-
uerſus furentes quaſi de corporibus loqui: quam-
quam non ſumus neſcij maius & minus lōge ali-
ter in rebus incorporeis quam in corporibus in-
Ad Phil. 2. telligi. Præterea ſi ſuper omne nomen Deus eſt,
cuius cum heres filius ſit, perfectus tamen nō eſt,
quia minor: nihil magni eſt ſuper omnia eſſe. non
erit igitur magnum quiddam Deus: quod quo-
niam plenum eſt inſaniæ atque furoris, neceſſe
eſt filium, qui cum Deus ſit, ſuper omne nomen
Ioan. 3. eſt, perfectum confiteri. Accedit, quod de filio
Ioannes ait Quia non ex menſura dignis homini-
bus ſpiritum præbet. Immenſus ergo filius eſt, in
quo menſura non eſt. Quomodo igitur minor,
qui immenſus eſt? Præterea ſi filius quidem mi-
nor eſt, pater autem maior: non eadem profecto
menſura, ſed magis quidem pater quam filius, mi-
nus vero filius quam pater nos ſanctificabit. Qua-
re ſpiritus quoque, in quo ſanctificamur, ſimplex
non erit, quippe qui minor in filio, maior vero in
patre neceſſario erit. Ita perfectius à patre quam
à filio ſanctificabimur. magna certe amentia his
verbis ineſt: vnus enim ſpiritus ſanctus eſt, vna
perfecta ſanctificatio, quæ à patre per filium natu-
raliter præbetur. Non eſt igitur filius, qui eandem
cum perfecto patre habet operationem, quique
genitoris ſpiritum vt proprium bonum nō aliter
certe quam ipſe genitor habet: non eſt inquam
patre aliquo modo minor. Adde quòd in forma Ad Phili. 2.
& æqualitate patris ſecundum Paulum filius eſt.
Quomodo igitur minor eo erit? Nequaquā enim
hominis aſſumptio, propter quam ſe humiliaſſe
filius dicitur, maieſtate ac perfectione deitatis, fi-
lium denudauit. Nam & humiliauit ſe factus ho-
mo: veniet tamen in maieſtate atque gloria patris.
Quomodo igitur in maieſtate atque gloria patris
erit, qui eo minor eſt? præſertim cum Deus magna
voce per prophetam iam dixerit, Non dabo glo-
riam meam alij. Interrogandi ſunt ergo omnes, Eſaia 48.
qui aduerſus filium impij ſunt, imo etiam aduer-
ſus patrem (qui enim filium non honorat, is nec
patrem quidem honorat) vtrum cum minor ſit
patre filius vt ipſi credunt, conſubſtantialis patri
eſt an non? Nam, ſi conſubſtantialis eſt, mente
capti videbuntur, qui minorem eſſe opinantur:
quæcunque enim eiuſdem naturæ atque ſubſtan-
tiæ ſunt, quantum ad rationem ſubſtantiæ perti-
net, nullo modo maius & minus ſuſcipiunt: hoc
autem eſt, quod quærimus. Sin vero conſubſtan-
tialem eſſe negabunt, quod eos facere conſequēs
eſt, quia minorem dicunt: erit omnino à ſubſtan-
tia patris alienus. Quomodo igitur gloriam eius
habebit? Aut quomodo honor & regnum ipſi da- Daniel. 7.
tum eſt, vt Daniel aſſerit? Vel ergo Deus pater mē-
titur, qui ſe gloriam ſuam alij daturum pernegat:
aut ſi verus eſt, ſicuti certe eſt, & gloriam ſuam fi-
lio ſuo dedit, neceſſe eſt eiuſdem eſſe ſubſtantiæ
filium, qui fructus id eſt germen patris eſt. Quod
ſi ita eſt, quomodo minor quam pater erit, qui
eiuſdem naturæ cum eo eſt? Ad hæc ſi, cum pater
omnipotens ſit, filius quoque omnipotens eſt,
quomodo minor eſt? Nūquam enim potenti per-
fecto imperfectus, ſecundum potentiam exæqua-
ri. Si etiam pater dominus eſt, & filius quoque ſi-
militer, nónne furor erit, minorem appellare? Si
enim minor eſt, libertas dominationiſque digni-
tas, minor ſit in eo quam in patre neceſſe eſt.
Quomodo ergo dominus eſt, qui dominationis
dignitatem plenam nō habet? Pater præterea lux,
& filius ſimiliter: quare ſi minor eſt, perfecte lux
non erit, & deprehendetur aliquo modo à tene-
bris: ac ita falſitatis vicium euangelio accommo-
dabitur. Dicitur enim, Et tenebræ eum non com-
prehenderunt. Vita etiam filius, ſicuti & pater eſt. Ioan. 1.
Quomodo ergo minor? aut quomodo fideles,
quoniam Chriſtus in interiore homine habitauit,
viuunt, ſi filius perfecta vita non eſt? Si enim non
perfecta vita eſt, quo viuimus, non omnino viui,
ſed mortui quodammodo ſumus. Hæc abſurda &
inconuenientia toto animo fugientes: perfectum
eſſe filium, & perfecto patri ſecundum ſubſtātiam
æqualem confitemur. Accedit, ſi minor eſt filius
quam pater, & propterea non conſubſtantialis,
nec filium quidem eum eſſe, nec omnino Deum
neceſſe eſt. Quomodo enim viuere filius erit, ſi ex
patre

patre genitus non eſt? Aut qoomodo Deus erit, qui non eſt ea Deo naturaliter? Credimus autem omnes in filiũ:erramus igitur omnes, nec verum Deum adhuc cognouimus. Quod quoniã abſurdum eſt, qui credunt in filium, illi etiam in patrem pie credunt, & in ſpiritum ſanctum videlicet. Non eſt ergo alienus à patre filius, nec minor eo, ſed vnum cum eo. quoniam ex eo ſecundum naturam, ac ideo æqualis ei atque perf. ctus. Nam ſi ea Deo patre vnigenitus filius vere effulſit, etiam nolentes confiteri oportet ex ſubſtantia naturaque patris ipſum eſſe. Id enim filiatio vera ſignificat. Quomodo ergo minor, qui ea ea ſubſtãtia naturaliter prodiit, in qua nihil minus aut maius, ſed omnia perfecta inueniuntur? Quòd ſi ex ſubſtantia patris ſecundum naturam non eſt, nec vere quidem filius erit. quare nec pater, vere pater. Si enim filius non eſt, propter quem pater, pater eſt: quomodo patrem eſſe intelligemus? ſed Deus verus pater eſt. Id enim vbique diuina ſcriptura clamitat. quare filius, vere filius eſt, & à patre naturaliter. non eſt ergo minor patre, qui ea eo eſt: & quia ea eo, idcirco ei omnino conſubſtantialis. Prǫterea paternitatis nomẽ non à nobis in Deum, ſed à Deo in homines defluxit. Ab eo enim & in cęlo & in terra omnis paternitas eſt, vt Paulus ait. *Ad Epheſ. 3.* Cuius imitatione quadã atque ſimilitudine nos, qui ad imaginem eius facti ſumus, patres appellamur. Dic igitur quæſo, quare nos patres filiorum noſtrorum ſecundum naturam ſumus, ſi exemplari, cuius imitatione id habemus, hoc nõ ineſt? Quomodo autem paternitatis nomen à Deo in alios defluat, ſi Deus vere pater non eſt? Nam ſi ita eſt, non à Deo in nos, ſed à nobis in Deum paternitatis nomen aſcendit, eritque Deus non re, ſed ad ſimilitudinem noſtram pater appellatur. Mentitur ergo veritatis teſtis, qui tã in cælo quam in terra omnem paternitatem à Deo eſſe teſtatur. ſed non mẽtitur ille, in quo Chriſtus loquebatur. *2. Corint. 13.* Paternitatis ergo nomen à Deo in nos defluxit. quare verbum patris, ſecundum naturam ab eo eſt: genuit autem non minorem neque diſſimilem ſibi. quoniam & nos qui patris nomen inde per incarnationem aſſecuti ſumus, æquales nobis ſecundum rationem naturæ, non inæquales filios edere poſſumus. Quas ob res non armentur cauillationibus aduerſus veritatem hęretici: nec nudis verbis filium Dei fateantur, nec ea ſubſtantia patris eſſe pernegent. Quomodo enim vere filius, qui filius natura nõ eſt? aut ergo ſimulationis huius velamina proiiciant, ac nec Deum nec filium confitentes nudo (vt dicitur) capite blaſphement, aut ſi auctoritate ſcripturarũ, & doctrina ſanctorum victi filium cõfiteantur, minorem patre non dicant. Nam ſi Deus erat verbum, qua ratione minus ſuſcipietur? Nam neque filius hominis ea ratione qua homo eſt, minor patre eſt. Nullo enim modo homo homine minor aut maior inquantum homo, nec aliud quicquam minus aut maius eo eſſe poteſt, cuius ſubſtantiæ atque naturæ rationem ſuſcipit. Quare ſi filius vere filius eſt, neceſſe eſt à patris ipſum ſubſtantia confiteri. vnde ſi pater natura Deus eſt: & qui ex eo genitus eſt filius, natura Deus, neceſſario cuncta illius naturæ propria poſſidens. Quomodo igitur Deus Deo ea ratione qua vterque Deus eſt, minor erit? Dicite quæſo, vnde ad hoc perueniſtis? aut quomodo id ita eſſe credidiſtis? Non enim video qua ratione minorem patre filium putatis. An tempore id dicitis? Sed ante ſecula filius eſt, & ſeculorum ipſe eſt conditor, nec contineri tempore poteſt, qui in tempore natus non eſt. An quantitate? Sed incorporea natura nullam vnquam ſuſcipiet quantitatem. quomodo igitur minor, ſi his minor non eſt? Gloria forſan, virtute & ſapientia, dicetis? Exponatis igitur nobis quantus qualiſque (vt ita dicerim) in iſtis eſt pater, vt ad illud menſuratus à vobis filius minor reperiatur. Aut ſi incomprehenſibilis, immenſaque gloria, virtus & ſapientia patris eſt, qua vos ratione menſi audetis minorem filium dicere, ac inſita naturalique ſibi dignitate, quantum in vobis eſt, eum priuare? minus enim menſuratione maioris, quę collectione minoris fit, comprehenditur. Cum igitur immẽſa ſit dignitas patris, vnde minorem eſſe filium didiciſtis? Iure igitur atque vere de huiuſmodi hęreticis, quod vulgo fertur, poſſumus exclamare, Amentes inſanique aduerſarij noſtri. Quomodo enim non inſaniunt? cum neque quid dicant nec de quibus diſceptent intelligant. Hæc nos dicere illud commouit, quod Deum de Deo filium ex patre natum confitentes, minorem eſſe patre contendunt. Qua ex re multa nefaria, etiam auditu horribilia conſequuntur. Nam ſi filius, cum natura Deus ſit, minus aliquo modo ſuſcipit, erit neceſſario aliquid maius Deo. Quod ſi ita eſt, pater etiam ipſe, quoniam natura Deus ſit, progredi poſſe ad maius intelligetur. Nam ſi tã pater quam filius Deus eſt, & Deo aliquid maius intelligitur, patre quoque maius aliquid intelligetur. Quod ſi adhuc non ſuſcepit, tamen ſuſceptiuus eſt: quod per filium, qui eius imago eſt, ita eſſe oſtenderetur. Quomodo autem potẽtia huiuſmodi erit in Deo, *Coloſ. 1.* quæ in actum adhuc nõ exiuerit? ſed magna in his cogitationibus blaſphemia ineſt. Nunquã enim maius aut minus pater ſuſcipiet, quoniam natura Deus eſt. quare nec filius, cũ & ipſe ſimiliter Deus ſit. Ad hęc ſi, enim ex Deo patre ſecũdum naturam filius ſit, aut dignitate aut ſubſtantia aut quouis modo minor eſt: non tantum ipſe deprimitur, quantum ſubſtantia, vnde eſſe creditur, dehoneſtatur. Nam, cum omnia, quæ generãt, ſimilia ſibi, æqualiaque ratione ſubſtantiæ producant, ſola diuina natura minus ſeipſa generabit. Sed natura patris nullius vicij eſt ſuſceptiua, bona vero, quæ in nobis ſunt, multo perfectius in eo vt in primitiuo, à quo ad nos defluunt, quam in nobis ſunt. non ergo minorem ſe filium generabit, ſed æqualem ac conſubſtantialem: ne, qui naturam humanam in infinitum excedit, non parum deficere ab eo bono, quod aliis largitus eſt, comperiatur. Adde quòd æqualem ſe Deo patri Chriſtus oſtẽdens, *Ioan. 14.* qui me videt, ad diſcipulos ait, videt & patrem meum. Si ergo talis natura eſt, vt, qui eum intellexerit, patrem intellexerit, vt ipſe aſſerit, quomodo minor? Si enim in ſeipſo patrem oſtendit, nullo ſubintellecto diſcrimine (videtur enim in immutabili ſua imagine pater) minus ipſum, quod filio ineſt ſecundum hæreticos, patri etiam neceſſario inerit. quod omnino impoſſibile eſt: filius ergo, in quo vt per imaginem pater conſpicitur, ſicuti pater omnino perfectus eſt, alioquin nunquam vere dicere filius potuiſſet, omnia, quæ habet pater, mea ſunt. Et rurſus ad ipſum patrem verſa oratione, Omnia mea, inquit, tua ſunt: & tua mea. Si er- *Ioan. 16.* go minor patre filius eſt, & filio pater maior, vt *Ioan. 17.*

hæretici

hæretici ſentiunt, quoniam quæ filij ſunt, patris ſunt, & quæ patris, filij, minus ipſum, quod in filio eſt, patri etiam inerit, & econuerſo maius ipſum, quod in patre eſt, filio quoque neceſſario accommodabitur. Nihil ergo prohibebit patrem quoque minorem filio credere, & filium patrem maiorem. Quæ omnia cum abſurdiſſima ſint, neceſſe eſt, æqualem omnino patri filium eſſe, cum omnia, quæ patris ſunt, communia ſibi cum filio ſint. Quare ſi pater perfectus eſt, filius quoque perfectus eſt. Sed dicant nobis, qui æternum ignem in caput ſuum præparantes, diuinorumque dogmatum euertentes veritatem, varias ad decipiendos ſimpliciores, cauillationes excogitát, vtrum cum maior filio pater ſecúdum eos ſit, melior quoque eſt an non? Nam ſi nullo pacto melior eſt, neque filius quidem minor eo erit. Sin vero melior, quod eos dicere conſequens eſt, cuius rei gratia pater non æqualem ſibi, ſed minorem genuit filium? Nam cum melius erat æqualem ſibi ſecundum omnia generare, quid enim prohibuit? Prohibens enim illud quicquid fuit: maius patre neceſſario confitebuntur. Quod ſi nihil prohibuit, ſed ipſe pater quamuis non ignorauerit melius eſſe æqualem ſibi quam minorem parere filium, minorem tamen genuit quàm voluit, liuor eum detinuit, ne filio daret, quam potuit, æqualitatem. ita pater aut vi, aut inuidia minorem filium genuiſſe videbitur. quæ quoniam procul ab immortali, diuinaq; abſunt natura, fatédum eſt æqualem ſibi, patrem *Ioan. 14.* in omnibus filium genuiſſe. Præterea ipſe ſaluator dixit ſeipſum in patre, & patrem in ipſo eſſe. Palam autem omnibus eſt non tanquam corpus in corpore, aut in vaſe, & in loco, alterum in altero eſſe, ſed identitate ſubſtantiæ immutabili & ſimilitudine ac vnitate naturæ: quemadmodum ſi quiſpiam cum formam ſuam in imagine aſpiciat, & exquiſitam imaginis ſimilitudinem admiratus clamet, ego in hac ſum, & ipſa in me: aut quemadmodum ſi dulciſſima mellis qualitas de ſeipſa diceret, ego in melle ſum, & mel ſimiliter in me. Aut ſi calor ignis, qui ei naturaliter ineſt, diceret, ego in igne ſum, & ignis in me. Singula enim, quę dicta ſunt, vnum ab vno ſunt: & quamuis diſtinguátur, vnum tamen natura ſunt, & alterum in altero eſt. Sic igitur imo vero in infinitú ſublimius propter identitatem ſubſtantię, & quoniam character & imago patris ſummam identitatem patris gerit, pater in filio eſt. Quomodo igitur audent dicere minorem eſſe filium? aut quomodo maior pater in minore filio erit? Neceſſe eſt enim, ſi in eo eſt, vt æqualis in æquali, & perfectus in perfecto ſit. *Hoc erat in principio apud Deum.* Cum hoc erat in principio dicit euangeliſta, breuiſſime ſub hac demonſtratione ſuperiora repetere videtur, quaſi magna voce clamans, hoc dico verbum, quod in principio erat, hoc quod apud patrem erat, hoc quod erat Deus ex Deo, hoc inquam, & non aliud eſt, de quo librum iſtum conſcribimus. Nam quoniam diuinitus futura proſpiciens, non ignorauit, vt mihi quidem videtur, & vere videtur vt arbitror, futuros nonnullos laqueos mortis ad barathrum inferi ſimpliciores detrudéres, qui ad damnationem ſuam aliud audeant dicere interius atque inſitum Deo patri verbum, alium filium: & verbum Dei per quod cuncta Deus creauit interiori atque inſito ſimillimum, vt quaſi verbum verbi & imago imaginis, & ſplendor ſplendoris intelligatur. Tales inquam hæreticos, qui hæc dicturi eſſent, futuros proſpiciens, cũ iam determinauerit breuiter vnũ, ſolumque eſſe verum & ex Deo, & in Deo & apud Deũ verbum, miro quodã modo atque diuino velociter intulit. Hoc erat in principio apud Deum, ſicut filius videlicet apud patrem, ſicut inſitum atque interius, ſicut ex ſubſtantia patris, ſicut vnigenitum: hoc inquit, quia nullum aliud ſecundum eſt. Sed vt impietas iſta pateat apertius, vtque faciũus quaſi a venenoſo ſerpente, omnes ab ea fugiant, ne latere poſſit, rationes ſuas perſtringamus, vt liquidius refutatę, veris ſcripturarum rationibus, quas ſapientia Dei nobis conceſſerit: nullam perniciem eccleſiæ Dei afferant. Vnigenitus inquit Dei filius non eſt proprie ipſum Dei verbum, ſed interius atq; inſitum Dei patris verbum in ipſo Deo eſt ſemper. qui autem ex ipſo genitus eſſe filius dicitur: is interius illud verbum ſuſcipiens, cuncta ab eo dicit, atque ideo ad ſimilitudinem eius verbum eſt, & etiam nuncupatur. Hanc peruerſam ſententiam ſuam rationibus poſtea firmare conatur, vt catenis peccatorum ſuorum (vt dicitur) miſer conſtringatur. Si verbum inquit naturale interius, atque inſitum *Prouerb. 5.* Deo patri ipſe filius eſt, & eſt cõſubſtantiale genitori: quid prohibebit ne pater verbum ſit, & vocetur? Deinde ſi verbum filius Dei eſt, nec præter ipſum aliud eſt, quo verbo inquit pater ad filium dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te? Cum *Pſal. 2.* enim omne, quod dicitur, verbo non aliter dicatur: patet non abſque verbo ita patrem ad filium fuiſſe locutum. Ipſe quoque ſaluator, ſcio patrem, *Ioan 8.* ait, & verbum eius ſeruo. Et rurſus, Verbũ, quod *Ioan. 14.* auditis, nõ eſt meum: ſed eius, qui me miſit. Quoniam igitur verbo pater filium alloquitur, & ipſe quoque filius fatetur modo, quia patris verbum ſeruat, modo quia non ſuum, ſed patris verbum Iudæi audiebát, quomodo proculdubio non erit concedendum alium eſſe filium, quàm interius atque inſitum, id eſt, in motu intelligẽdi verbum, quo ſuſcepto, & completum prolatum verbum & ſubſtantiæ patris expreſſiuum, verbum vocatur, & Dei filius? Talia vecors ille mala ſibi connectit, nec veretur ſcripturis omnibus repugnare: vt illud in eo veritatem habuiſſe videatur., cum in profundum malorum impius venerit, tunc omnia *Prou. 18.* deſpicit. In eum nanque Dei atque hominum inimicus ſeipſum amẽtiæ profundũ immerſit, vt veritatis rationes depellens, inanes ſuas cogitationes ſequatur, Id enim omnino eſt vnigenitus Dei filius, & verbum eius, quod a ſequentibus facile poteſt cognoſci. quamuis etiam ea, quæ perſpicua ſunt, difficilia cognitu hæreticis ſint. Quomodo *Sap. 1.* enim in malignam animam ſapientia ingredietur? Quid autem malignius iſtis vnquam excogitari *2. Tim 4.* poterit? qui vt ſcriptum eſt, auditum ſuum à veritate auertunt, & ad ſuarum cogitationum fabulas ita confluunt; vt iure illud ſcripturæ in eos dici poſſit. Væ, qui prophetatis à corde veſtro, & non ab ore domini. Quis enim ab ore domini loquẽs, *Hierem. 23.* anathema dicit Ieſu? quod nonnulli faciunt: aduerſus pietatis dogmata inſultantes (ſicut quidam propheta dicit) omnia recta peruertentes. ſed ad illos quidem nõ iniuria dicemus, O qui dereliquiſtis vias rectas, vt ambularetis in via tenebrarum. *1. Cor. 12.* nos autem æquum eſt, ad cæleſtem doctorem clamare, Conuerte oculos noſtros, ne videant vanitatem. vanitas enim & nugæ verè ſunt, quæ ab *Mich 3.*

impetitia

Pet.2. imperitia eorum innouātur. Non enim, quia verbum aliud in ſeipſo haberet, filius patris verbum cōſeruare aſſerebat, nec quaſi pædagogum quendam ſecum afferens ad nos, vna cum eo veniſſe *Pſal.118.* vnquam affirmauit. Sed ſicut ille, qui ſolus ſecundum naturā in patre eſt, quique ſimiliter in ſeipſo nulla re penitus intercedente, patrem habet: ego inquit in patre, & pater in me eſt, nō aliud quoddam verbum interius atque inſitum, ſed ego ipſe, inquit, in patre ſum. Quomodo igitur, inquit, intelligendum eſt: quod ad Iudæos dixit, Ego patris verbum ſeruo? docebat ſaluator duriſſimum Iudæorum populum, & paulatim à legali obſeruatione ſtudens liberare, ſæpenumero cla- *Ioan.14.* mabat, ego ſum veritas. Ac ſi diceret, excutite legis, ô Iudæi, iugum, ſuſcipite cultum ſpiritalem, vmbras atque figuras procul abiicite, & veritatem iam præſentem ſequimini. Sic veritas quidem clamabat. Illi autem parum credentes, ſi à Deo eſſet iſte, dicebant, non ſolueret ſabbata. ita eum criminabantur, qui peccatum penitus ignorauit. *Ioan 8. Ioan.14.* Ad hæc igitur ille reſpondens (ne, ſi apertius longe ſe abeſſe à peccato dixiſſet, furore incitarentur, ſoli Deo id cōuenire dicētes) occultius quoniam homo & ſub lege factus eſt, verbum ſe patris conſeruare aſſeruit. vt oſtēderet nulla in re quicquam ſe dicturum aut facturum, quod præter volunta- *Ioan.9.* tem patris eſſet. Peccatum enim tranſgreſſione legis committitur. Ipſe vero cum natura Deus ſit, *Galat.4.* longe ab omni delicto aberat. Quare nemo iure increpare poterat eum, qui cum ſecundum naturam legis auctor ſit, aſſumptione hominis ſub lege factus eſt. Scire autem patrem ſe dicit non ſimpliciter ſicuti homines, quia Deus eſt: ſed quia ipſe ex patre eſt, ipſam ſe patris naturam ſcire confirmat. Ita, quemadmodum immutabilem eſſe patrem cognouit, ſic ſe quoque immutabilem eſſe inſinuat, qui ex immutabili patre eſt: immutabilis autem cum ſit, delinquere nullo pacto poteſt. Quare Iudæorum accuſatio, qui aduerſus Deum patrem ipſum prædicare putabant, inanis omnino erat & falſa. Seruat enim verbum patris, & naturaliter longe à peccato abeſt: qui ſcit patrem ſimiliter longe à delicto abeſſe, cui vt verus filius conſubſtantialis eſt. Sed age iam ad illud veniamus quod pater ad filium dicere à ſcriptura introducitur, ex vtero ante luciferum genui te. Non enim idcirco, quia hæc ad filium pater loquitur, aliud innatum patri verbum, & alium eſſe filium intelligere debemus. Sed illud primo ſciamus, nobiſcumque diligenter voluamus, quòd myſteria nobis in ſpiritu prędicens propheta, perſonam induit filij, ac ita ſe audiuiſſe à patre aſſerit: filius meus es tu. Non ergo, quæ ſecundum humanum *Pſal.109. Pſal.2.* habitum ac poteſtatem oratio ſuſcipitur, duo nos verba intelligere compellet. Sed noſtris moribus diſpenſationem ſermonis attribuentes, non iniuria imbecillitati humanæ naturæ huiuſmodi locutionis verba accommodabimus. Quippe qui nec verbis exprimere, nec mente, diuina myſteria concipere poſſimus, ſuperat enim diuina res, & verba & ingeniū noſtrum. vnde fit, vt multa non vt dicuntur, ſed vt rebus conuenit intelligantur. Hæc qui recte dici negant, cum generare patrem ex vtero audiant, vterum & dolores partus intelligant. Sed reſpondebunt: nihil aliud in Deo vterum ſignificare quam propriam filij ex eo generationem. Sic igitur pie illud etiam ſi humano more conſcriptum ſit, intelligatur, & omnis præſtigioſa cauillatio diſſoluetur. Sed ad hoc iam ſatis dictum eſt: nunc ardentius in cetera inſurgamus, ac ſua ratione præpoſita fluentem hæreſis magno impetu amnem retrudamus. Niſi aliud inquit inſitum, atque interius Dei verbum ſit quam filius vnigenitus, qui eius imitatione verbum appellatur, erit neceſſe fateri patrē quoque verbum eſſe, verbumque vocari oportere, quia filio ſuo, qui verbum & eſt & nuncupatur, conſubſtantialis eſſe conceditur, Hæc ille. Nos vero ad hæc dicimus, nullam eſſe rationem, quæ cogat, quia pater verbo ſuo conſubſtantialis ſit, idcirco ipſum quoque verbum appellari: non enim quę eiuſdem naturæ ſunt, in alterutrum mutari poſſunt, vt à multitudine aut à dualitate in vnitatem contrahantur. Nam & pater noſter Adam filio ſuo conſubſtantialis fuit: nec idcirco in filium ipſe decidit, nec filius in locum patris aſcendit: ita cum pater filio eiuſdem ſubſtantiæ ſit, proprietatem ſuam retinet, quemadmodum & filius. Qui enim ex patre eſt, is filius eſſe intelligitur. ille vero qui genuit, pater dicitur. Quod ſi conſubſtantialitas nullum eſſe inter conſubſtantialia diſcrimen vos cogit conſiteri, quid induxit iudicem omnium non punire patrem pro filio, nec à filio ſupplicium pro patre ſumere? Anima inquit, quæ peccauit, ipſa *Ezech.18.* morietur: nec pater peccatum filij eius aſſumet. Vides quamuis conſubſtantialis pater filio ſuo ſit, non tamen quæ alter peccauit, ex altero expoſtulari. Cur igitur putas quoniam conſubſtantiale verbum Deo patri ſit, Deum quoque patrem verbum eſſe appellandum? Deus enim pater ſemper pater eſt: & verbum eius. & quia verbum, idcirco filius, ſemper filius. Aliter in peiori eſſe ſtatu diuina quam noſtra intelligerentur. Quia ſumma identitas inter patrem & filium ſecundum naturam eſt (imago enim exquiſitiſſima & character perſonæ patris, filius eſt) idcirco ad diſcipulos eius dicebat, Qui me videt, videt & pa- *Ioan.14.* trem meum. Si ergo quia hæc ita ſe habeant, nihil *Pſal.109.* prohibebit patrem verbum ac filium dicere, & intelligetur filius in patris locum aſcendiſſe, attribuantur ſibi verba illa vt ipſe ad patrem dicat, ex vtero ante luciferum genui te. quo facto ita omnia confundentur, vt ſanctiſſima conſubſtantialiſque trinitas, quæ ſemper trinitas eſt, ad vnitatem contrahatur. Et ſic quod vnicuique trium perſonarum proprie ineſt, conſubſtantialis ratione deſtruetur: naturæque identitas perſonarum diſtinctionem euertet: quod omnino abſurdū eſt. non ergo, quia conſubſtantialis pater verbo ſuo eſt, idcirco verbū ipſe erit, ſed erit ſemper idipſum quod eſt, immutabiliter pater. Ad hæc ſi omne verbum alicuius verbū eſt, eius videlicet qui lingua loquitur, aut eius qui corde cogitat, eſt antē pater verbū, quoniā verbo ſuo conſubſtantialis eſt: erit ipſe verbum ſuiipſius, aut potius nullius, & ſic nec erit omnino aliquid. quomodo enim erit verbum, niſi alicuius ſit verbum? quamuis ergo conſubſtantialis verbo ſuo pater ſit, nūquam tamen ipſe in verbum decidet, ſed erit ſemper pater, ſicut & verbū ſuum ſemper filius eſt. Præterea longe ab omni mutatione ac alteratione ſemper diuina abeſt natura: quomodo ergo pater in verbum mutabitur? Non enim erit ipſe pater, niſi ſeruet quod erat. *Ioan.15.* Quare ſi nefarium eſt, mutationem diuinæ naturæ accommodare, nūquam pater in verbum mutabitur,

tabitur, ſedens immutabiliter ſemper pater. Ad hæc cum ſe Deum verum & ex Deo vero vnigenitus Dei filius voluerit oſtendere: omnia, inquit, quæ pater habet, mea ſunt. Omnium enim, quæ patri naturaliter inſunt, quoniam ex eo ſecundum naturam eſt, heres eſt filius: pater ſolummodo eſſe nunquam poterit. Id enim vnum eſt, quod pater eſt. Erit autem filius omnium, quæ inſunt patri, ſic heres: vt nullo careat, etiamſi pater nunquam ſit. Et quemadmodum ipſe omnia patris poſſidet bona, eodem modo, quæ filij ſunt, omnia patri natura inſunt, quamuis nunquam in verbum & in filium pater mutari poſſit, ſed maneat ſemper id, quod eſt pater. Hoc enim modo & pater & filius immutabilitatem habere intelli-
Ezech. 22. gentur. Poſtremo non ignoramus, à legis auctore Deo nonnullos, quia inter ſanctum & prophanum non diſtinguebant, accuſatos fuiſſe. Magna enim inter hæc differentia, contrarietaſque omnibus, qui recte iudicant, eſſe videtur. Sed ſi poſſibile omnino ſit vt cõſubſtantialiũ natura in ſeipſam confundatur, vt ſingularium & hypoſtaſium propria ad alias hypoſtaſes eorundem generum aut ſpecierum tranſeant: quænã ratio ſanctum à prophano diſtinguere poterit? Si nulla ſingulorũ differentia, quæ hoc aut hoc cõſtituat propter identitatem ſubſtantiæ comperietur: erunt igitur omnia (nobis ſingularium rerum ablata cognitione) inter ſe cõfuſa, vt Iudas proditor, Petrus aut Paulus ſit, Petruſque rurſum vel Paulus, Iudas proditor, quoniam eiuſdem cum eo naturę ſunt. Quod ſi omni furore furioſius dictum eſt, eiuſdem generis aut ſpeciei atque naturæ ſingularia nõ amittent, quia eiuſdẽ naturæ ſunt, ſingulares propriaſque ſuas differẽtias, quibus hoc & hoc ſunt. Quare nulla humana ratio tantum vnquam valebit, vt cogere poſſit verbum & eſſe & vocari Deum patrem oportere, quoniam verbo ſuo conſubſtantialis pie ac vere creditur. manet enim ſemper pater, nunquam enim diſtinguentem proprietatem qua hoc eſt, amittere poteſt. Nec propter identitatem ſubſtantiæ nihil proprium patri eſſe, vnquam concedemus. Nec, quoniam ita ſe res habet, plus quicquam quam filius habebit. Qui cum ex eo proprie ſit, immutabilitatem & æternitatem genitoris poſſidens, filiationem ſuam ita conſeruat, vt in patrem mutari non poſſit, ſicuti nec pater in filium. Sed non iure, inquient, quaſi hæreticis nobis inſultas, qui inſitum atque internus Dei verbum aliud præter filium dicimus, cũ audias ipſum magna voce clamare, Scio ego patrem & verbum
Ioan. 8. eius ſeruo. Nam ſi neceſſe eſt alium eſſe, qui ſeruat, aliud quod ſeruatur, nec iſta conuenire vnquam poſſunt: non potens negare alium eſſe filium Dei, & aliud verbum eius. Sed dicatis nobis quæſo, ſi ita ſit, vt ipſi contenditis, verum verbum illud internus, quod ex imperitia Deo patri ineſſe fingitis, ſubſiſtat an non? nam ſi ſubſiſtit, cum in propria eſſe intelligatur hypoſtaſi, non vnus ſed duo prorſus erunt filij. Sin vero minime ſubſiſtit, cum nihil interſit inter filium & patrem, quod alterum ab altero diſſeparet, quomodo tertius erit à patre filius, & non immediate veluti filius patri connexus? Nam cum inſitum atque interius verbum ineſſe Deo patri contendant: quomodo voluntatem patris filius dicit? Nonne magna ex dementia inſanire videntur? Patris enim nomen ad filium ita refertur, vt nihil penitus intereſſe patiatur. Quod ſi ſecundum eorum ſtultam ſententiam verbum quoddam internus paternum expoſitiuum conſilij inter patrem & filium eſt, & filium à patre tanquam materia quædam diſſeparat: ſi quidem propria hypoſtaſi conſilium Dei & expoſitiuum conſilij verbum ſubſiſtere intelligantur, nec pater erit amplius, nec filius proprietaté filij retinebit. Sin vero non ſubſiſtunt, inerit immediate filius patri. quo igitur abibit verbum illud internus? aut quemnam locum, Dei conſilium, ſi aliud eſt à filio, conſequetur? Præterea conſubſtantialem eſſe, ſanctam, adorabilemque trinitatem, recte credimus, etiamſi hæretici diſrumpantur. Quæcunque autem conſubſtantialia ſunt, ratione naturæ in omnibus ad vnguem conueniunt. Si ergo vt temeritas aliquorum prædicat aliud præter filium interius ineſt patri verbum, filius quoque aliud internus quoddam verbum in ſeipſo continebit. Imago enim patris exquiſitiſſima eſt, & character hypoſtaſeos eius, vt ſcriptum eſt. Sed ſpiritus quo- Heb. 1.
que ſanctus, tale quid ſimiliter internus verbum habebit. Ita nobis trinitas duplicabitur: & compoſitione, diuina non carebit natura, quod longe abſurdum eſt, & cogitatu nefarium. In ſimplici enim ſubſtantia nihil aliud pręter ipſam ineſſe poteſt. Sancta igitur conſubſtantialiſque trinitas immediate nulla re intermediante ſibi cõiũgitur. Illud apptime tenendum eſt, quod quando diuina ſcriptura nominibus ſecundum græcæ linguæ vſum articulos præponit, tunc & vnum & quod ſolum proprie atque vere tale quid dicitur, ſignificat, articulo autem non adiecto, generalius cuncta deſignat. vt verbi cauſa, Multi vocati ſunt dij: 1. Cor. 8.
ſed quando cum articulo græca lingua Deus dicitur, tunc ſolus & proprie Deus deſignatur. Cum vero abſque articulo Deus profertur, qui ad hoc gratia vocatus eſt, intelligitur. Sic cum homo ſine articulo dicitur, homo quiſpiã deſignatur, quando autem articulus accedit, vnicum atque ſingularem hominẽ denotat. Ideo videmus filium hominis, articulo ad vtrunque nomen præpoſito à ſaluatore noſtro proferri, quando ſe ſolum ab infinita hominũ multitudine velit ſignificare. Hæc cũ ita ſe habeant, dicant quæſo, quomodo intelligẽdũ eſt, In principio erat verbũ, cum huic voca- Ioan. 1.
bulo verbũ articulus ſit adiectus. Nõ enim poteſt niſi ad vnum verbum, quod proprie atque vere in principio erat, articulata referri oratio. Cur igitur fruſtra contendunt aliud nobis verbum adducentes, vt à dignitate naturaque patris filium depellant? Præterea ſi vnigenitus Dei filius idcirco verbum eſt & vocatur, quoniam (vt ipſi dicunt) inſitum patris verbum ſuſcipiens, ad illud formatur, cur non dixit ad diſcipulos, ego & verbum patris vnum ſumus, & qui me videt, is etiam verbum patris videt? Quoniam igitur non ita dixi, ſed omnia prætergreſſus, ipſi ſoli patri identitate ſe confert, impium profecto eſt alium neſcio quo verbo quaſi confirmati aut doceri, filium credere, qui abſque vllo medio ipſi genitori conſubſtantialitate coniungitur. Sed alium inquit eſſe filium præter interius atque inſitum verbum, non rationibus noſtris, ſed ſcripturæ authoritate perſuaſi credidimus. Cum enim filium ſic patri dicere au- Ioan. 12.
diamus, Pater, glorifica filium tuum, ac patrem rurſus reſpondere videamus, & glorificaui & iterum glorificabo: nonne fateri neceſſe eſt per verbum filio patrem reſpondere? Quomodo igitur

aliud quam filius verbum non eſt, quo pater filiu
reſpondet? Non adeo mirandum id mihi quã flen-
dum videtur. Plorandi enim certe ſunt, qui hæc
fingunt. Et illud propheticum ſuper ipſis dicen-
Hierem. 22. dum. Nolite flere mortuum, nec plorate ipſum.
Flete plorateque illos, qui talia de vnigenito dice-
re audent, quid enim illis miſerius excogitari po-
terit? qui cum oporteret eos non moribus noſtris
diuina ſubiicere, ſed altius atq; ſublimius (quam-
uis humana conſuetudine dicantur) intelligere,
eam vocem quam non ſaluator ſolus, ſed multitu-
do etiam diſcipulorum audiuit, verbum patris in-
terius eſſe putarunt. corporea enim vox & ſonus
à labiis aut quodã alio ictu in aerem profuſus, au-
ditum mouere ſolet, Patris vero conſilium quod
ineffabili voce in mentem ipſius vertitur: ſolus
filius, qui in ipſo patre naturaliter eſt, ſicuti ſa-
pientia eius, cognouit. Voce autem, ictu aeris
cõformata Deum uti, omnino incredibile eſt. non
enim oportet ignorare ſuper omnem creaturam
creatoris eſſe naturam: quamuis etiam ipſe domi-
nus & ſaluator noſter non Dei patris vocem illam
eſſe affirmauit, nec ſibi ea opus fuiſſe aſſeruit. non
Ioan. 12. enim vocem patris audiſſe, nec propter ſe ſed pro-
pter illos factam ſignificans, non propter me, in-
quit, iſta vox, ſed propter vos facta eſt. Quod ſi
omnia per ipſum Deus pater operatur: vocem
quoque illam per eum operatus eſt. Imo vero
ipſe vox illa erat, qua nõ ſibi voluntatem genito-
ris quam velnit filius nouit, ſed diſcipulis aperit,
vt facilius in fidem adducantur. Ad hæc ſi verbo
quodam filius inſito indiget, vt per illud patris
voluntatem perdiſcat: quid ſibi vulnit, dicens.
Chriſtus Dei virtus & ſapientia? Quomodo enim
filius ſapientia patris erit: ſi ſapientia ipſe carens,
1. Cor. 1. ab alio vel per aliud quæ neſciat diſcit? Aut quo-
modo neceſſario non ſequetur: ſapientiam patris
in ipſo patre perfectam non eſſe? Deinde ſi filius,
patris ſapientia eſt, quomodo conſiliũ patris aliud
eſſe pręter filium intelligunt, niſi forſan in ſapien-
tia conſilium patris eſſe affirmare audeant? quæ
omnia impie & dicuntur & cogitantur. Non ergo
ab alio vel per aliud doctus, patris conſilium no-
uit filius. ſed cum ipſe ſit verbum, ſapiẽtia & con-
1. Cor. 2. ſilium, profunditatẽ etiam ipſam Dei patris ſcru-
tatur. ſicut de ſpiritu ſancto ſcriptũ eſſe non igno-
Ad Heb. 1. ramus. Præterea imaginem characteremque pa-
tris filium ſcripturæ vocitant. & qui me videt, pa-
trem etiam videt, ſaluator ait. tantam ergo cum
patre identitatem habens, ſi quæ ſunt patris, non
per ſeipſum ſcit, ſed quaſi alio narrante perdiſcit,
non erit incongruum, ſi quis patrem quoque in-
digere expoſitore affirmauerit, vt ea ſciat quæ in
Ioan. 14. filio recondita ſunt. Nam cũ filio ſuo ſimilis om-
nino ſit: eadem ignorantia qua filius, detinebi-
tur. Ita diuina natura ignorantię ſuſceptibilis erit.
Fugienda igitur, fugienda impia hæc hæreſis om-
nibus viribus eſt, præſertim cum ſpiritus omnia,
1. Cor. 2. profunditates etiam ipſas Dei ſcrutari ab apoſto-
lo ſcribatur. Sicut enim nemo hominum, ait, quæ
hominis ſunt nouit, niſi ſpiritus hominis, qui
in eo eſt: ſic & quæ Dei ſunt, nullus nouit, niſi
ſpiritus Dei, qui in eo eſt. Quoniam ergo ſpiritus
ſanctus, qui profunda Dei ſcrutatur, non ſolũ pa-
tris eſt verumetiam filij, quomodo filius, qui ſpiri-
tum in ſeipſo naturaliter habet, eorum, quæ pa-
tris ſunt, aliquid ignorabit? non recte igitur dici-
tur ab alio, vel per aliud voluntatem patris filiu

ſignificari. Quid enim opus eſt aliud interius cõ-
fingere verbum, cum ipſe per ſe ſapientia ſit, &
ſcrutantem omnia ſpiritum communem cum pa-
tre habeat? Dicant nobis præterea, qui vnigeniti
ſubſtantiam idcirco deiicere conantur, quoniam
voluntatem ipſe patris per ſe neſciat vt aiunt, ſed
& verbo (neſcio quo) quaſi magiſtro atque do-
ctore vtatur. vtrum illud verbũ, quod interius ap-
pellant (ſupponatur enim per ſe ſubſiſtere) æqua-
litatem habeat cum filio, an minus maiuſve ſit.
Nam ſi minus dicent, in ipſum patrem hęc impie-
tas aſcendet. Erit enim aliquid in eo, aliud ab eo,
& minus eo. Sin vero maius eſſe quam ſit filius
contendant: dupliciter in patrem peccabunt. pri-
mum enim minorem genuiſſe filium comperie-
tur quam ipſe ſubſtantia ſit, deinde ipſe quoque
verbo ſuo interiore minor videbitur, cum filio
ſuo conſubſtantialis ſit: quem interiore verbo mi-
norem dicunt. Hæc ſi fugientes æquale ſubſtantia
inſitum illud verbum filio affirmauerint, omnia
ſibi continuo delabẽtur. Quomodo enim, ſi ęqua-
les natura ſunt, alter quaſi natura neſcius, ab alte-
ro quaſi natura ſciente docetur. Ita vndique falſi-
tas opinionis ſuæ apparet. Impium igitur eſt inter
patrem & filium quicquam quaſi intermedium
intelligere: pium autem credere ipſum filium eſſe
verbum patris, quod in principio erat. in quo qui-
dem verbo Paulus ait, omnis cognitionis atque *Ad Colo. 2.*
ſapientiæ theſauros eſſe reconditos. Quod ſi ita
eſt (non enim mentitur Paulus) Quomodo ſibi
opus eſt, vt ab alio doceatur? aut in quonam per-
fectam cognitionem atque ſapientiam eſſe dice-
mus: ſi qui ſapiẽtia eſt, aliena doctrina ſit ſapiens?
vel quomodo ſapientię verè ac proprie nomen ſi-
bi accommodabitur, ſi aliunde diſcit? non igitur
nugis hominum, ſed ſpiritu ſancti doctrinę atten-
dere oportet, quare quoniam ſpiritus ſanctus per
Paulum nos docuit cognitionis ac ſapientiæ the-
ſauros in filio eſſe abſconditos, credere oportet,
nõ ab alio ipſum diſcere, ſed cum in patre ſit, om-
nia patris tanquam perfecta eius ſapientia natura-
liter ſcire. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo fa-
ctum eſt nihil.* Cum varias impiarum hæreſum ra-
tiones breuiter euerterit beatus euangeliſta, &
exquiſitam de vnigenito nobis doctrinam tradi-
derit, ad diſſoluẽdum iam alium diaboli laqueum
accedit, qui à priſco errore ortus multos decepit,
ligauit, ac demum ad inferos deduxit. Quoniam
igitur gentilitas ſapientię huius mundi adhęrens,
& ſpiritum principis huius ſeculi poſſidens, veri-
tate contempta, inanimata idola coluit, & alius
quidem ligno dicebat; Deus meus es tu alius vero *Eſaiæ 44.*
lapidi, tu produxiſti me, & nonnulli non meliores
multitudine quamuis ita viderentur, deitatis glo- *Hierem. 2.*
riam celo ac elementis tribuebant: neceſſario
Ioannes ſummus veritatis Theologus vt fraudes
illorum retundat, & viam attendentibus rectam
aperiat, creatorem natura, magna voce oſtenden-
dum putauit, dicens omnia per vnigenitum pro-
ducta, & ſine ipſo nihil penitus factum eſſe. Cum
autem ab eo factas eſſe creaturas cenſeat, omnes
liquido docet, alium præter naturas eum eſſe, cu-
ius ineffabili virtute à nihilo ſimpliciter ad eſſe
vniuerſa producta ſunt. Sic enim in pulchritudi- *Sapient. 13*
ne creaturarum opificem, quo vniuerſa facta ſunt,
& quo conſeruantur, cognoſcimus. Ita ergo ad-
uerſus gentiles hanc ab euangeliſta vocẽ ſcriptam
eſſe credimus, Verum, quoniam hæreticorũ quo-
que

quoque facile hinc falſa refutatur opinio: nō eſt ab
re nonnihil etiam aduerſus eos cōſcribere. omnia
inquit per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt
nihil. deitatis enim maieſtatem, etiam hæc verba
vnigenito Dei filio attribuūt: cum omnia natura-
liter ac vere ineſſe ipſi oſtendant, quæ Deo patri
dicūtur ineſſe. Nō enim deforis ſicuti hominibus
per gratiā hæc appellatio illi accedit: iuxta illud,
Pſal. 81. ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Si enim om-
nia per ipſum facta ſunt, nō poteſt ille cum omni-
bus ſimul enumerari. Cū enim omnia dicatur: ni-
hil eſt, quod in omnibus nō contineatur. Sic certe
1. Cor. 15. etiam Paulus omnia intellexiſſe cōperitur. Nam,
cum ſub pedibus ſaluatoris noſtri ſubiecta eſſe
omnia dixerit, illico intulit. In eo enim quod om-
nia ei ſubiecit, nihil dimiſit nō ſubiectum ei. qua-
re? quoniam per filium facta eſſe omnia credimus:
nullo pacto aliquid omnium ipſum eſſe intelligi-
mus. ſed ab omnium numero ipſum ſeparantes,
& à natura creaturarum longe ſeorſum ponen-
tes, nihil aliud eſſe ipſum quam Deum ex Deo na-
turaliter confitemur. Quid enim inter Deum &
creaturam inueniri poteſt: vt præter vtrumque
aliud intelligatur? aut in qua nam ſubſtantia fi-
lium collocabimus, ſi naturam creaturarum in
infinitum vt creator excedit? Omnia enim per
ipſum facta ſunt, vt per virtutem, vt per ſapiētiam
Dei patris: quæ non quemadmodum in homini-
bus quaſi quædam qualitas Deo ineſt, ſed per
ſeipſam vere ſubſiſtit, quamuis ineffabili genera-
tionis modo à patre prodeat. Sic enim ſapientia &
virtus patris vere filius eſſe creditur. Nec tamen,
quia omnia, quæ ſunt, per ipſum facta dicuntur:
quaſi alienæ voluntatis miniſter, aut quaſi ab alio
vires accipiat, quibus creare queat, credendus eſt.
Imo vero, quoniam virtus ipſe patris ſicuti vnige-
nitus filius eſt: vniuerſa cum patre ſimul & ſpiritu
ſancto creauit. cuncta enim ex patre per filium in
Rom. 11. ſancto ſpiritu ſunt. Nec vna cum patre in creando
filium idcirco intelligimus, quia pater ad crean-
dum impotens ſit: ſed quia propter incommuta-
bilitatem atque ſubſtantiæ identitatem natura ſi-
bi coniunctus eſt. Quemadmodum ſi quis in ol-
factione odoris, qui ex flore quodam eſt operatio-
nem odoris ab ipſo flore, à quo naturaliter odor
profunditur, nullo modo ſeiungat. Nec ignoto
paruam exempli eſſe ſimilitudinem: ſed, cum na-
tura diuina cuncta ſuperet, neceſſe eſt nobis ſe-
cundum vires noſtras etiam minimarum rerum
ſimilitudines non deſpicere. Quomodo enim ali-
Ioan. 5. ter recte illud intelligemus, pater meus vſque mo-
do operatur, & ego operor. Non enim ſeorſum at-
que per ſe ipſum operari patrē, aut filium rurſus,
quaſi quieſcente patre, intelligēdum eſt. Sic enim
duo creatores & non vnus, pater & filius eſſe vi-
derentur. Et ad hęc non eſſet neceſſe in patre ſem-
per filium eſſe, & in filio patrem ſimiliter. ac ita
falſum illud inueniretur, Ego in patre, & pater in
Ioan. 14. me. Non enim ſecundum identitatem ſubſtantiæ
ſolum quaſi character in patre filius eſt, aut rurſus
pater in filio quaſi exemplar tantummodo: ſed
etiam ex ſubſtantia patris effulgere filium, & in
ipſa & ex ipſa in propria hypoſtaſi Deum verbum
ſubſiſtere confitemur. patrem quoque ſimiliter ſi-
cut filio conſubſtantiali, natura quidem vniri: ſola
vero ea ratione diſtingui, qua pater eſt, intelligi-
mus, pater enim pater eſt, quamuis naturaliter in
filio ſit: ſicut in ſplendore ſolem eſſe concedimus.
filius quoque ſimiliter: quanquam in patre ſicut
in ſole ſplendor ſit, non alia ratione quam ea, qua
filius eſt, à patre diſtinguit. Sic enim pater vere pa-
ter eſt atque intelligitur: & filius ſimiliter vere fi-
lius. Ita ſpiritu quoque ſancto commemorato, tri-
nitatis numerus ad vnam & eādem deitatem col-
ligitur. Quomodo enim aliter vnus eſſe Deus in-
telligeretur: ſi ſingulæ trinitatis perſonæ ad ſepa-
ratam omnino quādam ita proprietatem abibunt,
vt integre à naturali nexu ſubſtantialique habitu
diſſeparatæ, Deus vnaquæque nominaretur? Se-
cundum rationem igitur qua per ſe ſingulæ deita-
tis perſonæ ſubſiſtūt: & patrem & filium & ſpiri-
tum ſubſiſtere intelligamus, non cofundētes per-
ſonarum id eſt nominū diſtinctionem, ſed conſer-
uātes vnicuique, vt illud proprie & ſit & dicatur,
quod eſt, atque ita credentes, in vnam naturaliter
deitatem contineri trinitatem confitebimur: præ-
ter nominum, id eſt, perſonarum, omnem aliam
diſtinctionē recuſantes. verbum enim & ſapien-
tia, & ſplendor, & character, & virtus patris, filius
appellatur, verbum quidem ac ſapientia: quoniam
ex intellectu immediate atque indiuiſibiliter eſt:
& propter iſtarum rerum (vt ita dixerim) recipro-
cam immiſſionem, mens enim & intellectus in
verbo ſi ſapientia eſt: & verbum rurſus ac ſapien-
tia in intellectu conſpiciuntur. Nec quicquam in-
tereſt aut intermediat, quod alterum ab altero ſe-
paret. Virtus autem, quoniam indiuiſibiliter ineſt
ei, qui naturaliter eam habet, nec quaſi accidens,
abſque ſubiecti corruptione poteſt ab eo ſepa-
rari. Character vero, quia ſemper naturaliter
coniungitur, nec poteſt ab ea ſubſtantia ſeparari,
cuius character eſt. quas ob res quoniam natura-
liter atque neceſſario alter in altero eſt: cum pater
operatur, tunc filius quoque vt naturalis, ſubſtan-
tialis, ſubſiſtenſque virtus eius operatur. Similiter
operante filio, pater quoque vt operantis verbi
fons, qui naturaliter ſuo filio ineſt, velut ignis ſuæ
caliditati, quę in eo eſt, ſemper cooperatur. Quare
patet falſas hæreticorum eſſe cogitationes, qui fi-
lium ab alio diſcere, & miniſtri loco, quoniam
per ipſum facta cuncta dicūtur, creare, impuden-
ter cōtendunt. Ego autem non poſſum ſatis ipſo-
rum impudentiam admirari. Nam quæ humi-
lius quodammodo de vnigenito afferri à ſcriptu-
ra videntur, magno vndique cuncta ſtudio aucu-
pantur, & vndique perditioni ſuæ venena colli-
gunt, quibus autem apertiſſime in gloria patris fi-
lius collocatur, ea omnia miro quodam premunt
ſilentio, vt nihil aliud videantur intendere: quam
maieſtatem filij conculcare. Nam cum per ipſum
vniuerſa fieri audiant, miniſtrationis nomini cal-
lide inhęrent, ſeruum pro libero, & cultorem pro
domino ipſum ſomniantes. Cū vero ſtatim euan-
geliſtam videant intuliſſe, quia ſine ipſo factum
eſt nihil: ad ſublimiora extolli nequeunt. Nam,
quoniā Deus pater aliter creare non poteſt quam
per proprium filium, qui virtus & ſapientia eius
eſt, idcirco nihil prorſus ſine verbo euangeliſta fa-
ctum aſſerit. Idcirco etiam gloria patris & eſt &
dicitur vnigenitus, glorificatur enim creator pa-
ter per filium vniuerſa operans, & à non eſſe ad
eſſe producens. Sed ad hoc euāgelicum quia ſine
ipſo factum eſt nihil, illud recte poteſt afferri, fa-
ciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Geneſ. 1.
noſtram, non enim imperat, nec tanquam ad ſer-
uum ac miniſtrum dicit, fac hominem: ſed vt cum

indiuiſibiliter & ſecundum naturam coniuncto (dicam enim humano more) colloquitur atque deliberat. non antecedens quidem, cum aliquid intelligat, cognitionem filij, ſed ſicuti mens, indiuiſibiliter impreſſo & inſito verbo ſemper manifeſtus. Semper autem ſuperari à diuinis in infinitum, exempla atque ſimilitudines iſtæ credendæ ſunt. Cooperari autem filio patrem dicimus, non diuiſim duos intelligentes, ne duos Deos introducamus, nec in vnum duas perſonas contrahentes, ne aut pater in filium, aut in patrem filius cõpellatur: ſed illo potius modo, quo ſplendor lumini, à quo effulget, cooperatur. In hoc enim & in ſimilibus diſtingui quidem intelligitur, quod effulget, ab eo, à quo indiuiſibiliter prodit. Vnum autem atque idem vtrúque natura eſt, & alterum abſque altero eſſe non poteſt: excedit tamen creaturarum ſimilitudines, qui nullam in creaturis exquiſitam habet ſimilitudinem. atque ideo ad declarandum quod volumus; non ad imaginem trinitatis perfectam exemplis vtimur. quod ſi putant quoniam per ipſum ſcriptum eſt, ad miniſtri locum à patre aſſumi filium, atque ideo à naturali patris æqualitate decidere, quid de ipſo patre dicentes cũ particula per, ei quoque à ſcripturis accõmodetur? fidelis enim inquit Deus, per quem vo-*1. Cor. 1.* cati eſtis. Et rurſus. Paulus apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei. & alibi. Itaque non eſt ſeruus *Ad Ephe. 1.* ſed filius, Paulus, inquit. Si natura filius, & heres per Deum, hæc enim omnia ad perſonam patris referuntur, & nemo adeo inſauit: vt propter particulam per, ad miniſtri locum patrem deducat. indifferenter enim plerũque dictionibus abuſionis modo diuina ſcriptura ita vtitur: vt probe res *Ad Gal. 4.* grandes, quantum poſſibile homini eſt, verbis ſignificet. his illud adiungendum eſt: quod gloria domini verbum obſcurat. nulla namque fere verborum vis tanta eſt: vt exquiſite ineffabilem Dei gloriam poſſit exprimere. non debemus igitur verborum humilitate turbari: cum ſciamus, pieque credamus omne mentis acumẽ, in exponenda re diuina hebeſcere. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Adhuc de verbo Dei verba exquiſitiſſime facit euangeliſta; vt, cum omnia, quæ illi natura inſunt, diligenter explanet, & hæreticos deterreat, & recte credentes, non humana ſapientia, nec eloquentiæ viribus, ſed ſpiritus virtute confirmet.

Cum igitur creatorem omnium modo oſtenderit: quod à non eſſe ad eſſe cuncta produxit, & ſine ipſo factum eſt nihil: nunc, quoniam creatura durandi nullam virtutem in ſe per naturam continet: ſed ipſe cunctis quaſi commixtus vita eorum ſit, & in propriæ naturæ conditione conſeruat, idcirco clamat: *quod factum eſt, in ipſo vita erat.* non ſolum inquit per ipſum facta ſunt vniuerſa, ſed quęcunq; facta ſunt, vnigenitus Dei filius principium & ſubſiſtentia omnium tam viſibilium quàm inuiſibilium in ipſis vita erat. Nam, cum ipſe ſit per naturam vita: tam eſſe quam viuere & moueri rebus benigniſſime atque varie largitur, non diuiſibiliter aut commutabiliter in ſingula, quæ natura differunt, immiſſus, ſed cum ipſe vita vna ſit omnium, omnia penetrans, à ſingulis, prout fieri poteſt, ac decet, recipitur. Ipſa vero creatura ineffabili ſapientia & virtute creatoris in ſeipſa variatur atque commutatur. Et quia quod à nihilo productum eſt, corruptibile eſt, omniaque orta in exitum feſtinant (ſola enim diuina natura abſque principio & fine eſt) quaſi arte quadam perpetuitatem rebus attribuit. Succeſſiones enim & mutationes rerum in alterutras adinuenit, quibus ſingulas rerum ſpecies perpetuas efficit. & hoc eſt etiam, quod de plantis ſcribitur, Cuius ſemen *Geneſ. 1.* in ſemetipſo ſit ſuper terram, & ineffabili creatoris voluntate fieri quotannis videmus. Erat igitur in omnibus vita, vt dicitur. Sed quid ad hæc inſania hæreticorum dicet: cum ſpiritus ſancti euangelicam vocem audiat, quod in creatis omnibus verbum Dei, quod in principio eſt, vita erat? An etiam nunc non ex ſubſtantia Dei ac patris filium eſſe: ſed factum atque creatum affirmare audebit? Et quomodo non iniuria imperitiæ crimine non condemnabitur? nam ſi verbum Dei vt per naturam vita, participatione ſui viuere omnibus præbet: alius certe eſt quàm ea ſunt, quæ præſentia ſua viuere creduntur. Qui vero alius quàm creatura naturaliter eſt, quomodo is, qui ſuper omnia eſt, Deus non erit? Si vero & creatum contendis, & vitam eſſe rerum non negas: quoniam creaturarum vna per te eſt, vitam etiam ipſe, ſuipſius participatione habere intelligetur. Quod quoniam abſurdum eſt, neceſſe eſt vt participabilis Dei filius, alius natura quàm participantia ſit. Non ergo creatus: ſed vt per naturam vita in creaturis eſt. quod ex ſequentibus magis patebit. Nam ſi ex ſubſtantia patris filius non eſt, ſed factus, vt illi dicunt, atque creatus: quomodo vniuerſa ipſe viuificat? aut quomodo id Paulus quaſi præcipuum Deo attribuit, eum viuificantem ipſum appellet? Nã, ſi cũ creatus filius ſit, omnia viuificat, ſeipſam creatura viuificat. quare nihil præcipuum vltra creaturam in Deo erit. Creatura etiam Deo ad viuendum nequaquam egebit: cum non minus ſibi quam Deus, ipſa per ſe vitam afferat. ſed indiget ſemper creatura creatore. Non ergo collocandus in creaturis filius Dei, cum per ſe vita ſit, atque etiam intelligatur. Præterea diuinæ admiratus naturæ dignitatem pſalmiſta canebat: quoniam apud te fons vitæ. Si ergo filius cum ſit crea- *Pſal. 35.* tura, quæ facta ſunt, viuificat, & vt viuificans ſecũdum naturam vita eſt fruſtra: quaſi præcipuum ſoli Deo fontem vitæ pſalmiſta attribuit. Siquidem filius etiam, qui ſecundum ipſos creaturis connumeratur, fons vitæ erit, quia viuificat. Sed fons vitæ, ſolus Deus eſt. per naturam ergo filius vita eſt, vt Deus ex Deo & vita ex vita. Ad hæc ſi cum vita ſecundum naturam filius ſit, nõ ex ſubſtantia Dei ac patris, vt illi blaſphemant, ſed creatura eſt: erit creaturarum natura vita, & ſi nõ actu, attamen potentia. Nam & ſi nondum omnis creatura vita eſt: quia tamen creatura quędam vita eſt, non erit alienum à natura creaturæ vt vita poſſit eſſe. Ita vitá eſſe, Deo & creaturæ cõmune quiddam erit. Cur igitur fruſtra ſe iactat filius, dicens: *Ioan. 14.* ego ſum vita: cum potius dicendum eſſet, ego & vos vita ſumus. Sed quoniã non ita, ſed quaſi proprium bonum ſibi vitam attribuit: manifeſtum eſt, quia non creaturis ſe connumerat, ſed naturæ Dei patris coniungit, quæ ſola naturaliter vita eſt. Accedit quod participãs vita, ipſum vita eſſe proprie non poteſt. aliud enim eſt a participante, id quod participatur. Si ergo creaturæ participabilis filius eſt vt vita: erit aliud à participantibus vita, participantia autem creaturæ ſunt. Non ergo ipſe creatus, nec ab alio vita indigens. Deus ergo viuificans & conſubſtantialis patri concedetur. Hoc

enim

enim modo vnum adorabimus Deum: nec alium colemus quam eum, qui eſt. Præterea cum rerum omnium diligenter naturam cõſideramus, Deum & creaturam & nihil vltra hęc aliud conſpicimus. quicquid enim natura Deus non eſt, id certe creatum eſt. ac rurſus quicquid creatura eſſe negatur, id certe Deus eſt. Quoniã igitur optime iſta partiti ſumus, reſpondeant quæſo quomodo vt vita viuificare poterit filius, cum id naturæ diuinæ ſolummodo proprium ſit? Si vero cũ creatus ſit, vita eſſe poteſt, prædicabitur etiam de altero partitionis mẽbro vita, & erunt omnia ſecundũ naturam vita. Quid opus eſt ergo participatione filij: aut quid magis hac participatione creatura poſſidebit, ſi per ſuam naturã vita eſt? eget autẽ neceſſario participatione vitæ, quæ filius eſt, omnis creatura. Nihil ergo creatum ſed ſolus filius ſecundum naturam vita eſt: & pater conſubſtantialis ſimiliter. Præterea cum filius vita ſit: vt creatura eſt, aut non
Ioan.6. creatura ſed Deus verus. Si primum, falſo illud ſibi dicitur, ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendo, & mundo vitam præbeo. habet enim per ſe creatura vitam: nec participare vita opus eſt ei, quæ vita eſt. Sin vero creatura non eſt, proprium id præter creaturas bonum habebit, vt ſint ſecundum naturam vita. Creaturæ autem proprium,
Pſal.101. vita indigere: cuius participatione viuificetur. Ad hæc ſi, cum ſecundum naturam vita filius ſit, creaturis connumeratur, quare pſalmiſta quaſi veſtimentum veteraſcere cælos aſſerit? cum de filio dicat, tu autem idẽ ipſe es, & anni tui non deficient. Nam aut etiam ipſe quemadmodum & nos deficiet & corrumpetur: & ita vita ipſe non eſt. aut ſi creatura vt ipſe vita eſt, perpetua & incorruptibilis erit. Sed ipſe quidem eodem ſe modo ſemper habet: creatura vero deficit, non eſt ergo creatus, ſed cum vita ſecundum naturam ſit: quæ vita indigent, cuncta viuificat. Accedit quod nihil ſeipſo participat. creatura vero omnis filio vt vita participat, nec ergo filius creatura: nec creatura vita eſt. Poſtremo aliud eſt viuificare, aliud viuificari: ſicut agere atque pati, viuificat autem filius, creatura autem viuificatur. Aliud ergo filius eſt quam creatura. quoniam & quod facit, & quod fit, idem eſſe non poteſt. *Et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet &c.* Deum naturaliter & bonorũ patris ſubſtantialium heredem, nobis etiam per hæc filium euangeliſta demonſtrat. Dixit enim iam natura ipſum vitam eſſe, & omnia, quæ creata ſunt, ab ipſo viuificari & conſeruari, cum in ipſo quicquid factum eſt, verbũ erat vita. Verum, quoniam homo in terris rationale animal eſt, mentis & diſciplinæ capax, & ſapientia Dei participans: neceſſario rationis ac ſapiẽtię humanæ largitorem filium his verbis oſtendit, vt facilius Deus pater omnia in omnibus per filium eſſe intelligatur. Vita quidem in iis, quæ vita indigent. Lux vero rurſus ac vita in iis, quæ vita & luce indigẽt, ac ideo magna prędicat voce, *& vita erat lux hominum*: Ita qui vniuerſa viuificat Dei filius, qui in omnibus vita eſt,
1.Cor.4. hic ipſe rationale quoque illuminat animal. Et intelligendi virium capacibus, intellectum largitur: vt vndique verum eſſe videatur, quod de creatura dicitur, quid enim habes, quod non accepiſti? nihil enim eſt quod à ſeipſa creatura poſſideat: ſed tam eſſe quam eſſendi modum quẽdam, largitione Dei conſequitur. Probe autem rurſus, erat, de vita ſcribitur: vt vndique verbi ęternitas, falſas hęreticorum cogitationes qui ſcripturis omnibus aperte repugnantes, ex nihilo filium Dei productum confingunt, quaſi acuta incidat ſecuris. Sed de verbi æternitate & in ſuperioribus breuiter, & in libro quem Theſaurum appellauimus, latius nobis conſcriptum eſt. Quare quod propoſitum eſt, quodque tam præſentibus quam futuris non omnino inutile fore putamus, Deo noſtrum os aperiente dicamus. Si Deus natura filius non eſt, nec ſubſtantiæ genitoris fructus. Si præterea non lux ipſe vera ex vera effulſit luce, ſed quaſi deforis vt nonnulli affirmant productus, creaturis connumeratur: quomodo ipſe creaturas illuminat, & creaturæ ab ipſo illuminantur? An non eſt aliud, quod illuminat quã quod illuminatur? Ita prorſus arbitror. Nam ſi idem ſubſtantia & ratione eſſe viderentur: quicquid in altero eorum ſeorſum eſt, id etiam in altero coniunctum reperietur. ita lux quidem erit, quod luce indiget: & lux ipſa indifferenter & illuminabit & illuminabitur. quam quidem rerum confuſionem nemo mentis compos veram eſſe concedet. Neceſſaria enim quæ dicta ſunt, ratione diſſeparari demõſtrantur, cum aliud natura ſit, quod per ſe illuminat quam illud, quod illuminatur. Quare cum lux vera ex vera luce filius effulſerit: non creaturis connumerabitur, ſed patri cõſubſtantialis iure credetur. Sed nõ eſt forſan difficile, quæ modo de vita dicta ſunt, quibus alia eſſe, quæ vita participãt quã vitam ipſam demonſtrabamus: de luce quoque nũc dicere. Quare ne vos deſidia ab vtilitate legentium remouiſſe videatur, breuiter ad hunc locum illa transferre conabimur. nam quemadmodum vita aliud eſt quam vitæ ſuſceptibilia: ſic quæ lux luminum & eſt & dicitur, aliud eſt præter ea, quæ cum lucis ſuſceptibilia ſint, luce participãt. quod ex ſequentibus explanatius confirmatur. Nam ſi verbum vt natura lux in creaturis eſt, participatione ſui ipſis illucens, aliud profecto natura eſt quam ea, quæ illuminantur. Cum igitur aliud quam creatura ſit: quomodo Deus non erit? Præterea ſi cum lux natura filius ſit & creaturas luce indigentes illuminet, creatus eſt vt ipſi dicunt: primum quidem aliquid ipſum eſſe intelligemus. deinde quoniam de numero creaturarum ſit, quarum natura eſt participatione lucis illuminari: erit ipſe ſuiipſius reſpectu tam participans quam participatus. Quod quoniam penitus impoſſibile eſt: non creatum, ſed natura Deum & lucem, verbum Dei confiteri neceſſe eſt. Ad hæc ſi ex ſubſtantia Dei patris filius non eſt, ſed de foris, vt creatura factus, quomodo creaturas illuminat? Aut quid maius in natura diuina, quam in re facta inueniemus? Aut
quomodo Pſalmiſta de Deo canebat, in luce tua Pſal.35.
videbimus lucem? Nam ſi cum creatura ſecũdum eos filius ſit, omnia illuminat, non indigebit creatura luce creatoris. Hæc abſurda omnino ſunt. Quare non eſt creatura filius: ſed Deus verus & naturaliter lux, quemadmodum & Deus pater.
Accedit quòd ſi ſecundum illud, in luce tua vide- Pſal.42.
bimus lucem, & emitte lucem tuam & veritatem tuam, Dei patris lux filius eſt, & tamen creaturis connumeratur: quid prohibebit omnia, quæ creata ſunt, Dei patris lucem appellari? Si enim lux eſt filius, cum creatura ſit: de omni profecto creatura communiter lux prædicari poterit. Verum hoc falſum eſſe, nemo negabit, ſoli enim filio id attribuitur vt Dei patris lux & ſit & vocitetur,

non eſt igitur creatura filius, ſed Deus de Deo & lux de luce, quæ per ipſum creaturas illuminat. Præterea ſi & natura lux, & creatura filius eſt: quomodo lux eſt & vocatur? cũ de Baptiſta ſcri-
Ioan. 1. ptum ſit, nõ erat ille lux. atqui tam Baptiſta quam ceteræ creaturæ, natura lux merito poſſent appellari. quod enim creaturæ vt creaturæ cõuenit, omnibus creaturis commune ſit neceſſe eſt, ſed lucem fuiſſe Ioannem negatur. Filius autem Dei lux eſt. nequaquam ergo creaturis connumerabitur. Ad hæc ſi, cum creatura filius ſit, lux eſt: omnis creatura lux eſſe poterit, etiamſi nondum actu lux ſit. Quod ſi lucem eſſe, cõmune omnibus eſt: cur
Ioan. 8. ſe fruſtra iactat filius dicens, ego ſum lux: cum potius dicẽdum eſſet, ego & vos lux ſumus. Verum quoniam non ſic, ſed ſeipſum ſolummodo lucem appellat, id ſibi quaſi proprium bonum attribuẽs, manifeſtum eſt, quia ſe non creaturis connumerat, ſed naturæ patris coniungit, quæ ſola lux naturaliter eſt. Accedit quod aliud eſt participans quam participatum. Quare quod lucem participat, illud proprie lux eſſe non poteſt. participatur autem filius à creaturis vt lux, non eſt ergo creatura: nec luce, vt ipſa indiget: ſed Deus quo vniuerſa illuminantur, & de ſubſtantia patris non defotis, hoc enim modo vnũ adorabimus Deum: vnam naturam eſſe lucem credentes. Præterea naturam rerum omnium conſiderantes, Deum & creaturam, & nihil vltra hæc aliud conſpicimus. Cum ergo hæc partitio rerum optima ſit: dicant quæſo, qui longe à natura patris filium depellunt, quomodo ipſe veluti lux illuminat: cum id ſoli diuinæ naturæ conueniat, quod ſi filius creatura & lux eſt: omnis creatura lux erit. Ita lux tam de Deo quam de creaturis æqualiter prædicabitur. quid opus eſt ergo participatione filij aut lucis: vt quid maius ex hac participatione creatura conſequetur, cum & ipſa non aliter quam filius lux eſſe videatur? ſed indiget creatura luce: cum à ſeipſa non habeat. quare filius qui natura lux eſt, & qui creaturas illuminat, Deus verus eſt, non creatura.
Ioan. 12. Ad hæc filius, qui natura lux eſt, aut creatura ſecundum rationem ſubſtantiæ, vt ipſi contendunt,
1. Cor. 4. eſt, aut non. Si primum: falſo illud ſibi dictum eſt, ego lux in mundum veni. habet enim mundus lucem in ſe tanquam creatura. Quod autem lux eſt, luce participare non poteſt. nõ enim erit lux quod luce participat. Sin vero filius creatura non eſt (lux enim ipſe eſt: creatura vero luce ſecundum illud indiget, quid enim habes, quod non accepiſti) neceſſario ipſe Deus eſt, & proprium hoc ſibi bonum eſt: vt natura lux & ſit & vocitetur. Creatura vero luce indiget cum in propria natura lucẽ non habeat. Ad hæc nihil ſeipſo participat. omnis autem creatura filio vt luce participat. nec ergo filius creatura eſt, nec creatura lux. Poſtremo aliud eſt illuminare, aliud illuminari, ſicut agere atque pati: illuminat autem filius, creatura vero illuminatur. Aliud ergo filius eſt quam creatura: quoniam & quod facit, & quod fit, idem eſſe non poteſt.

Et lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Non immerito diuinus euangeliſta, quoniam non putauit illud ad confirmationem rectæ ſentẽtiæ omnibus ſufficere, quod vita erat lux hominum: latius modo eandem rem multoq; latius exponit. Nam, ne quis lucem quidem eſſe verbũ Dei putaret, ſed non omnibus ſed quibus velit, quoſque dignos iudicaret, lucem largiri, cetera vero vniuerſa, vel à ſeipſis ſapere, ratiocinarique poſſe, vel quaſi minus id poſſit filius facere, à Deo patre tantummodo intelligendi vim rationalia conſequi. ne igitur hæc aliaque huiuſmodi falſo quiſpiã putaret, ac vt omnes clare videant non horum aut illorum ſed omnium ſimpliciter rationalium lucem, qua ſapiunt atque intelligũt, filium Dei eſſe, qui modo ineffabili participationis vt ſapientia & intellectus quam lucem in rationalibus vocamus, ideo ſeipſum (vt ita dicam) immiſcet, vt mentem habere poſſint, quæ mentis ſuſceptibilia ſunt, non enim id aliter poſſent conſequi. propter hæc itaquam omnia neceſſario intulit, *& lux in tenebris lucet. & tenebræ ipſam non comprehenderunt.* ita quaſi magna voce clamat vitam non ideo lucem hominum eſſe dictam, quia viuendi quiſpiam diſciplina lucem à filio Dei mereatur: ſed vt omnes diſcant, quemadmodum in omni re creata verbum vita eſt omnia viuificans quæ vitæ ſuſceptibilia ſunt, ſic in omnibus, quæ rationis ſuſceptibilia ſunt, ipſe lux eſt, quæ rationis participantia: idipſum quod ſunt, id eſt rationalia facit, omnia autem in omnibus pater per filium in ſpiritu eſt. Tenebras autem, naturam, quæ illuminationem indiget, appellauit, quæ vniuerſaliter à nihilo ad eſſe producta eſt. Nam quoniam verbum Dei lucem appellauit: vt indigentem eo naturam aliam eſſe oſtendat, in contrarium verſo ſermone, tenebras eam appellauit. tenebræ namque verè ſunt, quæ lucem non habent, vnde mea quidem ſententia, creaturarum naturam nihil in ſe penitus per ſeipſam habere docuit. Sed tam totum (vt ita dicam) eſſe quam totum bene eſſe à creatore ſuſcipiens: merito poteſt audire, quid enim habes, quod non ac- *1. Cor. 4.*
cepiſti? Cum ergo lucem à Deo conſequatur: patet quia ex ſeipſa non habet, quod aliunde accipit. Quod autem ex ſeipſo lucem non habet, id certe lucis contrarium eſt, & tenebrarum nomine non iniuria vocitatur. nec veriſſimile ſolum, verumetiam neceſſarium eſt: vt creatura tenebræ, filius vero Dei qui in tenebris lucet, lux & ſit & videatur. Nam ſi natura creaturarum filium Dei vt lucem accipit: nõ eſt dubium quin & ipſa tanquam tenebræ accipiat, & filius Dei tanquam lux in tenebris in illa luceat, quamuis tenebræ filium Dei non cognouerunt. Hoc enim, vt puto, ſignificat, *& tenebræ eam non comprehenderunt.* Quamquam enim omnia verbum Dei illuminat, quæ naturam habent lucis ſuſceptibilem: ignoratur tamen à tenebris. Rationalis enim creatura, quæ in terris eſt, creatore ignorato, qui eſt fons ſapientiæ, intellectus origo, prudentiæ radix, creaturas coluit. & tamen Dei miſericordia factum eſt: vt lucem ac intelligendi vim productioni ſuæ ad eſſe concurrentem, ſibique inſitam, non amiſerit. Hinc etiam notandum diligentiſſime rurſus eſt: nulla ratione filium Dei creatum factumque intelligi poſſe, ſed longe à natura creaturæ ſemotum, aliud eſſe penitus quam creaturam, tantũque abeſſe vt creatura ſit, vt quemadmodum lux ad tenebras ſe habet, contraria enim tenebrarum eſt, ſic vltra omnem comparationẽ naturam creaturæ, filius Dei excedit. *Fuit homo miſſus à Deo.* Cũ multa iã de Dei verbo, quibus de natura Dei patris, filius oſtenditur, nobis euãgeliſta expoſuerit: nunc ad legentium fidem grauiſſimo teſte vtitur. Nã quoniã per Moſen *Deut. 19.*
dictum diuinitus eſt, in trium ore aut duorũ omne verbum ſtare: magnæ authoritatis ſibi teſtem adiungit

adiungit. Hoc enim putauit oportere ſibi ſoli mirabilia vltraque hominem narranti fidem auditorum exigere, ac quaſi debitam expoſcere, Sed eum ipſe teſtetur, quia in principio erat verbũ, & Deus erat verbum, & erat in principio apud Deum, & quia omnia per ipſum facta ſunt; & quia erat in rebus creatis vt vita, & quia vita lux erat hominum, quibus omnibus natura Deum, filium eſſe
Eſaia 40. oſtendit: grauiſſimo Baptiſtæ quoque vtitur teſtimonio, præparate viam domini clamantis, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Non enim poteſt Deus non eſſe verus: cui dominationis dignitas ſecundum naturam ineſt. Nam etſi multi gratia dij, & multi domini nuncupantur: vnus tamen cum patre atque ſpiritu, filius vere Deus eſt, vnus vere dominus. Nec præter eũ proprie atque vere Deus
1. Cor. 8. quiſquam, aut dominus eſt. vnus enim Paulus inquit Deus pater, & vnus dominus Ieſus Chriſtus. Digna ergo ſanctorum virorum dualitas eum propter auctoritatem legis tum propter ſanctimoniam claritatemque perſonarum, fide auditorum omnino eſt. laudibus deinde ſuis ſilentio traditis, ne quis dicat: tu de teipſo loqueris, Baptiſtæ laudes non omiſit. Sed à Deo ipſum iuſſum fuiſſe, nec vltro ad teſtandũ acceſſiſſe, ſed diuinę voluntati miniſtraſſe affirmat. fuit enim (inquit) homo miſſus à Deo. Aduertendum certe diligenter arbitror: quomodo idonea, ſecura, tutaque ac rerum naturæ accõmodata vtitur oratione. Nam, cũ de verbo Dei diceret, erat, conſequenter ſubiunxit, vt & æternitatem eius oſtẽderet, & vltra omne temporis principium eſſe creatorẽ, non creaturã eſſe ſignificaret. Quomodo enim quod ſemper eſt, adeſſe ex nihilo productũ intelligetur? de beato vero Baptiſta, congrue nimiũ vt de mortali homine atque creato, fuit, exclamat. Nec iſto ſolo contentus tutiſſime adiecit, homo, temeritatem non nullorum euertens. Iam enim rumores fuerunt non natura hominem, ſed de numero ſanctorum angelorum Baptiſtam fuiſſe, ac humano corpore vſum prædicaſſe: quod inde affirmabant quia dictum
Malach. 3. eſt, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Ignorantes videlicet nomen angeli miniſterium magis quam ſubſtantiam ſignificare. Sic enim alium
Iob 1. ſuper alium ad beatum Iob angelos cucurriſſe legimus, calamitates nouas ſibi atque inauditas nunciantes. Beatus etiam Paulus tale quid de ſan-
Heb. 1. ctis angelis determinat, Nõnne inquit omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hereditatem capiant ſalutis? Angelus igitur beatus Baptiſta nuncupatus eſt, non quia natura angelus eſſet, ſed quia ad nunciandum clamandumque venit, præparandam eſſe domini viam. A Deo autem miſſus fuit: ne quid Deo, qui miſit, alienum nunciaſſe illum exiſtimes, verum enim eſt teſtimonium eius: qui quæ à Deo didicit (id enim, à Deo miſſum eſſe ſignificat) ea prędica-
Galat. 1 uit. Sic & Paulus per Ieſum Chriſtum ſe miſſum eſſe affirmans, non ab alio, ſed Ieſu Chriſto, qui miſit reuelante, virtutẽ ſe myſterij didiciſſe oſtendit. Sequitur enim omnino: vt qui ad prædicandum nunciandumque aliquid à Deo miſſus eſt, is à Deo ipſo, quæ dicenda ſunt, didicerit. *Erat autem*
Luca 1. (inquit) *homini nomen Ioãnes.* Nomine ipſo miſſum à Deo nuncium, vt magnam ſibi oratio fidem acquirat, notum facere voluit. ſic enim angelus Gabriel, qui coram Deo vt ipſe dixit aſſiſtit, filium Zachariæ annuncians ceteris adiunxit, Ioannes, dicens, erit nomen eius, nec aliud ſcilicet quam quod diuinitus accepit, naſcituro nomen puero indidit. quãto igitur honore dignum, quanta pollere authoritate illum arbitramur, qui vel antequam in vtero conciperetur, nomen à Deo cõſecutus eſt. his de cauſis nominis modo neceſſario meminit. Verum quoniam in teſtimonium miſſum fuiſſe affirmauit, ac vt omnes per ipſum crederent adiecit, illo temeritatis nonnulli proruperunt, vt obiicere non dubitarent, cur ergo vniuerſi diuinitus miſſo non crediderunt? aut quomodò Dei nuncius omnibus non perſuaſit? non culpa Ioannis ſed audientium duritie id factum eſt. Nam quoniam ſuæ poteſtatis eſt vnuſquiſque, prauitate animi multi, qui Ioannem audierunt, non crediderunt, de quibus illud propheticum dicendum Ezech 3.
eſt, qui audit audiat: & qui non credit, non credat. *Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Singularem atque pręcipuam virtutem iſta dictio, hic, ſignificare mihi videtur. Hic enim inquit, qui miſſus à Deo fuit, qui excellentia ſuę virtutis commouit Iudæam, qui prophetarum voce venturus ſcribebatur, de quo Eſaias, vox clamantis Eſaia 40.
in deſerto: prædixit, quem pſalmiſta lucernam Chriſto præparatam nominauit. hic inquam in teſtimonium venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine, de verbo videlicet ac filio Dei, vnũ enim verbum Dei, & ipſum ſolummodo ſecundum naturam lumen eſſe oſtendit. Quomodo igitur ſi Pſal. 131.
ipſum proprie lumen eſt: luminis autem particeps omnis creatura, creatura erit? aut quomodo ſi omnem creaturam excedit in actu lumen omnes illuminans, de lumine id eſt de Deo patre genitus non eſt? quod ſi de Deo genitus non factus eſt, ſicuti certe eſt: quomodo vere Deus & patri conſubſtantialis non eſt? *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Vrbes contempſit, & eremum habitare voluit diuinus ille Baptiſta: tantoque virtutum excelluit numero, vt, cum ad ſummam iam humanæ iuſtitiæ perueniſſet, maximam de ſe admirationem non iniuria ho- Luc. 3.
minibus concitauerit. Vnde factum eſt, vt nonnulli Chriſtum fuiſſe putauerint: ac ideo interro- Ioan 1.
gatus etiã fuiſſe ſcribitur, an eſſet Chriſtus. Quod euangeliſta nequaquam ignorans, vt & hunc errorem radicitus euellat, & authoritatẽ eius, quanta eſſet, oſtendat, neceſſario ſubiunxit, *non erat ille lux.* quomodo enim magnus ille nõ fuit: aut quomodo authoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulſit, vt lux ipſa à nonnullis eſſe crederetur? Non erat igitur, inquit, ille lux: ſed ad teſtimonium luminis miſſus, luminis autem, lucisque nomen idcirco adiectione ſemper articuli protulit: vt vnam eſſe natura veram lucem Matth. 5.
oſtendat. Nam quamuis & beatus ille Baptiſta & viri ſancti omnes, lux eſſe à ſcriptura dicuntur? (vos enim lux mundi eſtis, ſaluator inquit, & de Pſal. 131.
Baptiſta rurſus ſcribitur: paraui lucernam Chriſto meo, & ille erat lucerna ardẽs & lucens) nõ ignoramus tamen vnde gratiam largitionẽque lumi- Ioan. 5.
nis conſecuti ſunt. Non enim propria ſancti luce illuminãtur, nec propriũ lucerna poſſidet lumen: ſed illuminatione veritatis ſplendentes, quaſi luminaria mundi ſunt vitæ verba retinentes: Vita Ioan. 14.
vero cuius verba retinentes lux efficiuntur: nulla profecto alia eſt, quam ille, qui dicit, ego ſum vita, vita igitur vere lux eſt, cuius participatione non

conſecutione naturæ cetera lux eſſe profectò videntur. *Erat lux vera*. Apertius modo veram lucem à creaturis, quæ lux non ſunt, Euangeliſta diſſeparat. Illa enim natura lux eſt, iſtæ per gratiam. iſtæ participant, illa participatur. indigent iſtæ luce: illa indigentibus ſeipſam largitur. Nihil ergo præter illam vera lux eſt: nec quicquam aliud propria virtute atque natura fructum luminis edere poteſt. Sed quemadmodum ex nihilo producta ſunt: ſic à tenebris ſplendore veri luminis accepto, & participatione illius illuſtrata, imitatione quadam in lucem tranſeunt. Ita Dei quidem verbum ſubſtantialiter, non participatione quæ per gratiam fit, nec per accidens lux eſt. Creatura vero non ſic: ſed accipit, quod non habet. Illuminatur vt tenebræ, deforis gratiam acquirit, largitoris miſericordia huiuſmodi dignitatem conſequitur. Quare filius quidẽ Dei, lux vera eſt: creatura vero eius illuminatione, per gratiam lux eſt. Cum igitur tanta inter lucẽ & lucem differẽtia ſit: quomodo non inſanire videbuntur, qui parum vt mihi videtur attendentes, impie creatorem creaturis cõnumerant? præſertim cum vndique diligenter conſideranti, pietatis veritas emergat: nullo videlicet pacto creaturis filium Dei poſſe connumerari. quod

Heb. 1. ex ſequẽtibus latius patet. Nam ſi filius, quia gloriæ Dei patris ſplẽdor eſt, idcirco vera lux eſt: non erit profectò creatura. nam aliter creatura quoque, gloria Dei patris erit, poteritque illud eſſe ſecundum naturam quod Dei filius eſt. Præterea ſi creatura, vera poteſt lux eſſe: quamobrem id de ſolo filio dicitur, cum æqualiter, ſicut filius vera lux creatura poſſit appellari? ſed proprie atque vere ſubſtantia filij lux eſt, creatura vero minime. quomodo igitur creatura filius erit? Ad hæc permultum intereſſe neceſſe eſt inter veram lucem & non veram. Aliud ergo eſt filius Dei qui vera lux eſt, aliud creatura. Accedit quod non poſſit reddi ratio, quare filius Dei illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſi creatura quoque lux vera eſt. fruſtra enim illuminari per filium diceretur: ſi per ſe ſubſtantialiter lucem haberet. Sed filius quidem Dei nos illuminat: nos autem ab eo illuminamur. non ſunt ergo ſecundum ſubſtantiam affinia filius Dei & creatura: quemadmodum nec participans & partici-

Pſal. 33. patum. Adde quod ſi vera lux etiam creatura ſit: inanis quidem eſſet pſalmiſta dicens, accedite ad eum & illuminamini. quod enim vera lux eſt, nunquam participatione alterius lux fiet: cum ſplendore alterius non illuſtretur, ſed perfecte ſua natura luceat. Videmus autẽ falſum hoc eſſe. non enim dubitamus luce humanum genus egere: nec pſalmiſtam mẽtiri putamus, cum ad verbum Dei magna clamitet voce; quoniam tu illuminas lucernam meam, domine, Deus meus, illumina te-

Pſal. 17. nebras meas. Non ergo ſumus nos vera lux, ſed alieni naturaliter à vera luce, qui filius Dei eſt, participatione illuſtramur. Quòd ſi lucerna mens humana nuncupata eſt, cum dicitur, quoniam tu illuminas lucernam meã domine: quomodo erimus vera nos lux? deforis enim lucernæ lumen conceditur. ſi etiam tenebras noſtras ſolus illuſtrat vnigenitus: quomodo non ſolus vera lux eſt, nos vero tenebræ? quod ſi ita eſt, ſicuti certe eſt: quomodo verbum Dei, quod creaturas tantum excedit, creatura erit? Ad hæc ſi creatura vera lux eſſet, ac homo etiam, qui creaturæ non contemnenda pars eſt, quibuſnam Deus pater promiſit

Malach. 4. dicẽs, & orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſticiæ? Non enim illuſtrante ſole vera lux indiget: ſed vt vere indigentibus Deus pater ſolem nobis, vt pollicitus eſt, dedit, quo illuminati ſumus. aliud ergo natura vera lux eſt, quæ indigẽtes luce illuſtrat, aliud creatura, quæ illuſtratur. Præterea ſi creatura & nos vt creati lux vera ſumus, cur ad Deum magna voce ſancti conclamant,

Pſal. 42. emitte lucem tuam, & veritatem tuam? Nam ſi non indiget illuminante creatura, vt vera lux: cur fruſtra vocabant, nullo ad hoc indigentes? ſed non fuerunt amentes ſanctiſſimi illi viri, qui illuminari petebant, quibuſque rurſus ipſe Deus pater luce indigentibus filium miſit. Non eſt igitur creatura filius. Accedit quod aperte videmus creaturam luce indigere: Non eſt ergo ipſa, lux vera: ſed vnigenitus filius, qui eam illuminat, quæ per ſeipſam accedere ad lucem non poteſt. Ad hæc cum vere ac naturaliter lux minime obtenebretur, ſi creatura etiam vera lux eſt: quamobrem de filio ſcribitur, & tenebræ ipſum non comprehenderunt? de

2. Cor. 4. hominibus autem apud Paulum dicitur. in quibus Deus huius ſeculi, excæcauit mentes infidelium. quibus ipſe quoque ſaluator ait; donec lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebræ vos

Ioan. 12. comprehendant. hæc dicta non eſſent, niſi tenebris humanum genus eſſet inuolutum. quomodo igitur affinia ſunt natura vnigenitus & creatura, cum vnigenitus immutabilis ſit, creatura vero mutabilis? Nõ enim natura inſitum habet lumen creatura, cum poſſit à tenebris comprehendi. Præterea quomodo ſi lux vera hominibus natura ineſt, ad Deum clamamus: in lumine tuo videbimus

Pſal. 35. lumen? Lumen enim ipſum verum alio lumine illuminari non poteſt. Non ſumus ergo natura & ſubſtantia, filio Dei coniuncti. Inſuper hoc eſt in- Ioan. 3.

dictũ in Euangelio, inquit ſaluator: quia lux venit in hunc mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quam lucem. quod dicitur: quia perpe-

ram operabantur. Omnis enim, qui praua facit, Ioan. 3.

odit lucem. quomodo igitur, ſi creatura etiam lux vera eſt, ad illuminandum eam venit filius Dei, quæ lucem odit? Aut quomodo, ſi lux vera eſt, ad lucem venire negatur? cum quæ natura inſunt, vna cum natura durent, quæ vero voluntate adhibentur, facillime (mutata voluntate) commutentur, rationalis enim homo non volun-

tate ſed natura eſt. quare dum homo ſit, id ſibi *Liberum arbitri aſſeritur.*

neceſſario ineſt: prauus autem aut probus electione atque iudicio eſt: ac ideo poteſtatis eius æqualiter eſt, vtrum velit proponere. Si ergo creatura vere id eſt naturaliter atque ſubſtantialiter lux eſt: quomodo ad lucem non venit, aut quomodo tenebras non odit? Manifeſtum igitur eſt, quia verè ac naturaliter ipſa lux non eſt, ſed poteſtate libertatis ſuæ, modo meliora, modo peiora

perſequitur. Aut igitur ſupernaturalia bona ineſſe Pſal. 11.

naturaliter filio apertius negent, vt tanquam maioris impietatis rei ab omnibus audiant, diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa & linguã magniloquam. aut ſi firmiter credunt ſubſtantialiter filio ſupernaturalia bona ineſſe, nolint ei creaturum ſecundum naturam coniungere. Ad hæc ſi Ioan 8.

creatura etiam vera lux eſt, quomodo ſaluator inquit, ego ſum lux mundi? Aut quomodo patiuntur: quaſi veram, hanc vocem ſaluatoris audire? ſed veritas eſt ſaluator noſter, & falſa dicere non poteſt.

poteſt. Dicit autem mūdi ſe lucem eſſe, quare ha-
bitudine quadam ad ipſum, creatura & eſt & dici-
tur lux. Non ergo eiuſdem eſt cum ipſo naturæ.
Præterea ſi, cum lux vera filius ſit, etiam creatura
1. Petr. 2. ſimiliter eſt, quid reſpōdebimus Petro nobis ſcri-
benti, vos autem eſtis genus electum, regale ſacer-
dotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt vir-
tutes eius annuncietis, qui de tenebris vos voca-
uit in admirabile lumē ſuum. Si enim lux ipſi na-
turaliter ac vere ſumus: quomodo vocati quaſi à
tenebris ad lucem ſumus, qui nunquam in tene-
bris fuimus? Sumus autem vocati ad lucem. pro-
prie igitur atque vere lux filius eſt, qui ad ſe vocat:
creatura vero luce participans, ſubſtantialiter illi
Pſal. 4. nullo modo coniungitur. Inſuper, cum pſalmiſta
dicat, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui,
domine: quemnam vultum Dei patris intelligit,
cuius lumē ſuper nos ſignatum eſt? An patet om-
nibus, quia vnigenitus Dei filius, vultus patris ap-
pellatur, incommutabilis illa imago, qui de ſe di-
cit, qui videt me, videt patrem: is in nobis ſignatus
Ioan. 14. eſt. Nam conformes ſibi nos faciens, & illumina-
tionem ſui ſpiritus quaſi diuinam imaginem in
credentibus imprimens, Deos, deique filios per
gratiam reddit. quomodo igitur in nobis ſignata
lux eſt: ſi vera etiam nos lux ſumus? Non enim
in lumine lumen ſed in tenebris lucet. Ad hæc
lumen eſſe ortum iuſto, apud pſalmiſtam cani-
Pſal. 96. tur. Si ergo habenti atque non indigenti oritur,
fruſtra id fit. ſin autem vt non habenti: quod ne-
ceſſario reliquum eſt, ſolus vnigenitus lux erit.
quæ vero luce participat creatura, idcirco quia
participat, conſubſtantialis eſſe filio Dei non po-
Pſal. 43. teſt. Præterea apud eundem Pſalmiſtam canitur.
non enim in gladio ſuo poſſederunt terram: &
brachium eorum nō ſaluabit eos: ſed dextera tua,
& brachium tuum, & illuminatio vultus tui, illu-
minationem certe vultus Dei patris hic rurſus no-
minat reuelationem filij per ſpiritum, & ductio-
nem quaſi manu ad ſingulas res factam. Sic enim
ab auaritia Ægyptiorum Iudæos liberauit. Cur
ergo ſi lux, natura creaturæ inſita eſt: propria luce
liberati non ſunt, ſed quaſi carentes lumine, non
neceſſario illuminantur? ſed negari non poteſt, in-
digentibus Dei filius illuxiſſe. ipſe igitur vera lux
eſt: & per gratiam ab eo creatura lucem conſequi-
Pſal. 88. tur. quare illi conſubſtantialis non eſt. Item pſal-
miſta, beatus ait, populus qui ſcit iubilationem.
in lumine vultus tui ambulabunt. cur ergo in ſua
luce non ambulant: aut cur ab alio, lumē quærен-
tes vix ſalutem conſequuntur? ſed neminem du-
bitaturum puto, filium Dei creaturis illuminatio-
nem largiri, quam cum acceperint, ſaluātur. quo-
modo ergo eiuſdem erit ſubſtantiæ vnigenitus, &
Pſal. 111. quæ ab eo facta ſunt? Miſit præterea in tenebris
lumen rectis ait. Quomodo autem rectus homo
in tenebris eſt: ſi, quemadmodum filius, ita etiam
lux creatura, vera eſt? Si vero rectis lumen quaſi
non habentibus mittitur: quid opus nobis pluri-
bus verbis eſt? cum ipſa rerum natura magna cla-
miter voce, nec perfectum & imperfectum ſecun-
dum naturam, nec indigens atque propter pleni-
tudinem ſuam largiens eiuſdem eſſe ſubſtantiæ,
Eſaia 60. Illuminare, inquit, illumināre Hieruſalem: venit
enim lux tua, & gloria domini ſuper te orta eſt. ſed
ſi creaturarum natura per ſeipſam id eſt natura ſui
vt vnigenitus, lux vera eſt: quid opus eſt, vt lumen
accedat, quo Hieruſalem illuminetur? ſed illumi-
natur per gratiam. qui ergo eam illuminat, is ſo-
lus lux vera eſt, atque ideo ſuper eam eſt natura
atque ſubſtantia. Ecce dedi te, inquit, in teſtamen- Eſaia 42.
tum generis, in lucem gentium. Quomodo igitur
rationalis hæc & mortalis natura ſi ipſa vera lux
eſt lumine ita indiguit, vt nunc tanquam non ha-
benti ſuum Deus filium ei præbuerit? Et nunc, in- Eſaia 2.
quit, domus Iacob, venite ambulemus in lumine
domini. quare ſuo lumine nō ambulāt, ſed vnige-
niti luce tāquam lumine carentes proficiſcuntur?
Ego ſum lux mundi, ſaluator inquit: qui me ſe- Ioan. 8.
quitur, non ambulabit in tenebris, ſed habebit
lumē vitæ. Cur etiam creatura ſi ipſa quoque ve-
re lux eſt: huiuſmodi vocem emittere non poteſt?
ipſa ergo, quoniam dicere ſimilia horreat: nullam
aliam præter filium veram eſſe lucem, aptiſſime
clamitat. Quouſque lucē habetis, ſaluator inquit, Ioan. 12.
credite in lucem, vt filij lucis ſitis. An futurū erat,
ſi non crederent: vt natura inſitam lucem amitte-
rent? Et quonam pacto id fieri vnquam poſſet? Pri-
uationes enim ex deſidia in iis rebus fieri nequeūt
quæ ita ſubſtantialiter inſunt, vt abeſſe non poſ-
ſint abſque ſubiecti corruptione: ſed in iis, quæ
voluntate acquiruntur, & quæ corrupta ſubſtan-
tiam non corrumpunt. vt verbi cauſa, rationalis
homo natura eſt, electione gubernator, æger
per accidens. irrationalis igitur nullo fieri caſu
vnquam poterit. gubernandi autem peritiam de-
ſidia facile amittet: & ægrotationis accidens cu-
ratione depellet, ita quæ ſubſtantialiter radices in
natura egerunt, abſque ſubiecti corruptione non
corrumpuntur. Quomodo igitur qui credere
in lucem recuſant, lucem amittunt, ſi lux ipſi ve-
re, id eſt ſubſtantialiter ſunt? Aut quomodo lucis
filij fiunt credētes? Nam ſi ipſi lux ſunt, ſuipſorum
filij efficientur. Quid erit ergo præmium fidei?
Nullum profecto. Sui enim ipſorum filij, etiam fi-
dem recuſantes poterunt eſſe. Solum ergo Dei
verbum, lucem veram dicemus: creaturam vero
longe alterius naturæ confitebimur. Similiter ex Ioan 12.
illo euangelico ratiocinari licet. adhuc modico
tempore lumē in vobis eſt. ambulate dum lucem
habetis: vt non tenebræ vos comprehendant. lux
enim vera & naturaliter nunquā à tenebris com-
prehenderetur. Et ex illo apud Ioannem in epiſtola, 1. Ioan 2.
qui dicit ſe eſſe in lumine: ſi fratrem ſuum oderit,
adhuc in tenebris eſt. Electione igitur luci adhæ-
remus: & volūtate magis quam ſubſtantia, lumen
rationalis accipit creatura. Quod ita eſſe oſtendi-
tur. quia cum fratrem odio perſequeris, adhuc in
tenebris es. vnigenitus autem non electione ſed
ſecundum ſubſtantiam lux dicitur: quare ſuper
omnem creaturam eſſe demonſtratur. Poſtremo
qui fratrem diligit ſuum, is in luce (inquit) manet,
ita charitas lucem creaturæ accommodat. lux au-
tem vnigenitus eſt. Quare longe aliud eſt, quam
ea, in quibus propter charitatem inhabitat, *Qua il-
luminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
In mundo erat.* Rectiſſime atque tutiſſime beatus
euangeliſta non ſolum ipſam veram lucem, vni-
genitum nobis eſſe declarauit: ſed ſtatim demon-
ſtrationem quoque adiunxit, illam (clamans) ve-
ram lucem affirmo, quæ illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc mundum. Nonne igitur Act. 10.
dicet quiſpiam, qui ſcripturarū peritiam habeat,
etiam angeli mentem humanam illuminant? Per Iudicum. 13.
quem ergo Cornelius didicit baptizari ſe oporte-
re, ſi ſalutem vellet acquirere? Manue vero ille Iudicum. 13.
nonne

Zacha. 1. nonne voce angeli futura docebatur? Sed Zacharias quoque prophetia nō celauit id dicēs, & dixit angelus qui loquitur in me, ego hæc ſibi oſtendā. Deinde cognitionem rerum occultatum ab angelis in animum ſuum infundi oſtendens, ecce (inquit) angelus qui loquebatur in me, ſtabat, & alius angelus ingrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum: curre & loquere ad puerum iſtum
Zacha. 2. dicens. abſque muro habitabitur Hieruſalem præ multitudine hominum & iumentorum. Similiter
Daniel. 8. etiam Daniel ab angelo viſionum ſignificationes diſcebat. Dicit enim. & factum eſt, cum viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligētiam, ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri, & audiui vocem viri interrogantis, & vocauit & dixit, Gabriel fac intelligere iſtum viſionem. Nec
Act. 8. ſolum angeli, verumetiam homo hominem illuminat. probus enim eunuchus ille prophetiam de domino non intelligens, à Philippo didicit. Et doctores tam fidei, quam diſciplinæ vitę, innumeri pene fuerunt: quibus orbis terrarum inſtitutus eſt. Sed cur hæc tam multa nobis congeruntur, cum diuina poſſit hoc authoritate comprobari? vos enim ait ſaluator apoſtolis dicens, lux mundi
Math. 5. eſtis. Ad hæc reſpondentes dicimus, nihil eſſe in creaturis, quod ſimplex ſit atque incompoſitum, ſed omnia compoſitione certe conſtare. Quemadmodum igitur creatura, quę doctiorem ſapientioremque alium reddit, non eſt ipſa ſapientia, ſed ſapientiæ quæ ineſt ſibi, miniſtra, in ſapiētia enim ſapiēs ſapit: & qui alios docet, nō eſt ipſa doctrina, ſed doctrinæ miniſter, per quā docta eſt. ſic qui alios illuminat, nō eſt ipſe proprie lux, ſed luminis quod in eo eſt miniſter, in alios per doctrinam ipſum diffundens communeque faciens, quod ac-
Math. 10. ceperat bonum. Idcirco ad apoſtolos dictum eſt, gratis accepiſtis, gratis date. quicquid enim habuerunt, diuinitus illud conſecuti fuerunt. Nulla enim creatura proprio quodam bono gloriari poteſt: nec ſanctorum quidem angelorum natura. ſed omnia à Deo à non eſſe ad eſſe vocata: non aliunde quoque quam à Deo naturam, qua bene ſunt, conſequuntur. cum nihil in creatura ſubſtantialiter ſit, quod à creatore, diuino non defluat, quodque in creatoris gratia radicem non habeat. Cum igitur in compoſitione omnis creatura inueniatur, nulla lux in ea eſt proprie atque ſimpliciter, id eſt ſine aliqua compoſitione ſed participatione lucem habet: non aliter quam alia bona etiam lucem à Deo accipiens. lux autem vera eſt, quæ illuminat non illuminata, ea vnigenitus eſt Dei filius, qui natura ſimplex eſt: id eſt, longe ab omni cōpoſitione vt Deus conſtitutus. Sed obiiciet quiſpiam: ſi ſancti non ſunt lux ſecundum naturam, quamobrem non luminis participes, ſed lumen ſaluator eos appellauit? Aut quomodo non eiuſdem naturæ cum eo eſt creatura, ſi lux, quem-
Math 5. admodum ipſe, nuncupatur? Vos enim, inquit, eſtis lux mundi. Sed non vident, qui hæc aduerſus ſeipſos excogitant, quod etiam dij & filij Dei apud ſcripturas, omnes appellantur, ſecundum illud; ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. negabimus ne igitur propter hæc verba id, quod ſu-
Pſalm. 81. mus? & Deos filios Dei ita nos putabimus, vt verbo & vere filio Dei à deitate coniunctioneque patris depulſu, loco illius patri aſſidere velimus, & gratiam qua honorati ſumus in filios adoptari, in materiam impietatis vertemus? Procul abſit à nobis hæc cogitatio. filium enim Dei vere Deum colimus, & nos ita cognoſcimus, vt adoptione filios & Deos non natura ſed gratia factos non ignoremus. Sic igitur etiam lucem eſſe ſanctos fatemur: & illud addimus quod rationalis quidem creatura omnis illuminata illuminat, traditioneque à mente ſua in mentem alterius doctrinā transfundit. Quam quidem illuminationem diſcendi vim potius quam reuelationem nominamus: Dei autem verbum omnem hominem venientē in hunc mundum non docendo vt homines, aut forſan angeli, ſed potius creando, vt Deus, vnicuique ſemen ſapientiæ id eſt, pietatis atque intelligendi radices inſerit. Et hoc modo rationalem efficit creaturam, naturę ſuæ participem faciens, & ineffabilis ſui ſplēdoris quaſi lucidos vapores eo modo quem ſolus nouit, in mentem hominis immittens, propterea noſter pater Adam non tempore (quemadmodum nos) prudentiam didicit: ſed ſtatim à ſui creatione perfecte ſapiens fuit, datum ſibi diuinitus lumen adhuc conſeruans, naturæque dignitatem integram retinens. filius igitur Dei creatiue (vt ita dicam) illuminat: lux enim ipſe vere eſt. creatura vero participatione luminis ſplendet: atque ideo etiam ipſa lux appellatur, ſuper naturam ſuam glorificantis Dei gratia & variis donorum honoribus coronantis aſcendens: ita vt in medium prodire tanquam ſummis coronati honoribus magnifice poſſimus. Quare magna voce gratias agētes, illud dicamus,
Benedic anima mea dominum: & noli obliuiſci Pſalm. 102.
omnes retributiones eius, qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum. miſericors enim vere dominus eſt, qui creaturam paruam atque abiectam ſecundum naturam, magnam atque mirabilem ſua efficit bonitate. qui etiam nos bonis abunde atque cumuloſe ſuis decorauit: adeo vt etiam Deos & lucem nominet. Deinde, quoniam dixit; *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quoniam vocabulum hoc, *venientem*, tam homini quam luci, grææ linguæ cōſuetudine accommodari poteſt: ne ambiguum fieret, vtrum venientem hominem in mundum illuminet, accuratiſſime quaſi ſua exponens verba: de luce ſubiicit, quia ipſa in mondo erat. Ita venientem in hunc mundum non lucem ſed hominem intelligamus: qui à nihilo ad eſſe producitur. locus enim quaſi quidam creaturarum confingitur ipſum nihil: à quo modo quodam profecte, locum vt ita dicam eſſendi acquirunt. Accommodatius ergo atq; decentius de natura hominis dici poteſt, quod à primo ſtatim creationis tempore illuminata, vna cum eſſe vim etiam intelligendi ab vnigenita luce, quæ in mundo eſt, adipiſcitur. quæ ineffabili dignitatis virtute omnia replet: cum angelis eſt in cęlo, nō derelinquit terreſtres, inferis adeſt, nihil penitus ſui vnquam vacuū deſerit. Cuius rei miraculo commotus pſalmiſta: Pſalm. 138
non dubitauit clamare, Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es. ſi deſcendero ad infernū, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Omnia enim loca, & omnem creaturam diuina profecto manus tenet: cō-

tinens

tinens conſeruanſque in eſſe, quæ facta ſunt, vitam infundens iis, quæ vita indigent, & intellectualem lucem ſuſceptibilibus immittens. nec in loco eſt, nec trāſeundi tranſgrediendique motum patitur. Corporum enim hæc proprietas eſt: Deus
Ioan 12. autem omnia (vt diximus) replet. Sed quid dicis, quiſpiam obiiciet, cum ipſe ſaluator dixiſſe innematur, Ego lux in mundum veni, cum etiam pſal-
Pſalm. 42. miſta erat dicens; Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, manifeſte nanque veniſſe in hunc ſe mundum filius dicit: quare non erat in hoc mundo, antequam veniſſet: mitti etiam orat propheta non eum, qui aderat, ſed eum profecto, qui aberat. Nos autem idoneo hic vſum verbo, & commode locutum Euangeliſtam aſſerimus, cum filium Dei naturaliter vitam, ſubſtantialiter lucem, non circunſcriptibilem loco, non menſurabilem ſpaciis, nulla quantitate retentum, non tranſeuntem de loco in locum, ſed vbique ſemper præſen-
Baruch. 3. tem, in mundo eſſe affirmauerit. Veniſſe igitur in mundum, quamuis in eo præſens ſemper ſit, dicitur incarnationis myſterio. viſus enim eſt in terra, & veluti homo cum hominibus conuerſatus eſt, manifeſtiorem nobis præſentiam ſuam in mundo efficiens. Nam qui olim ſolo intellectu adeſſe videbatur, ipſis poſtea corporeis oculis cernebatur, rudiorem (vt ſic dixerim) pietatis cognitionem ſenſibiliter nobis immittens, & ſignis atque miraculis cognitus. & hoc modo ipſum ad illuminandum mundum emitti, propheta orabat. Ad hæc illud etiam dicendum cenſeo, quod multo velocior mens quam oratio eſt, & ingenij motus, lingua multo acutior. Quare quantum humanis viribus licet, ingenij acumine ſublimitatem diuinarum rerum ſpeculemur. loquamur autem oratione hominum: quoniam aliter quæ cogitamus, nullo modo efferre poſſumus. ac quoniam lingua longe abeſt ad exprimendam veritatem, Paulum imitemur, qui cum fuerit myſteriorum ſaluatoris receptaculū, verbum à Deo pete-
Coloſſ. 4. bat in apertione oris ſui. Nihil ergo dignitati vnigeniti detrahit noſtræ orationis anguſtia: ſed intelliguntur quidem omnia, quæ de ipſo dicuntur decenter, verbis autem tam ab ipſo ſaluatore ad nos quam à ſanctis de ipſo iuxta humanæ naturæ menſuram humilius proferuntur. Verum, quoniam non lucem venire in mūdum ſed hominem, intelligendum eſſe aſſeruimus: non grauabimur friuolas cordis hominum cogitationes refutare. Hac enim authoritate ſcripturæ nonnulli non ab ore domini ſed à corde ſuo eructantes, ſic abutuntur, vt ante corpora humana in beata vita fuiſſe animas in cælo commendant, & has quamuis perfectiore bono fruebantur: tamen ſatietate melioris ſtatus, turpi cogitatione alterius vitæ cupiditate, ad peiora eſſe delapſas. Depulit enim eas id ipſum moleſte ferēs creator, & corporibus quaſi in quadam ſpelunca vel carcere incluſit, vt inflammatæ cupiditates earum extinguerentur. voluit enim (aiunt) creator, vt periculo animæ diſcerent, quam amarum ſit, quantique doloris plenum, bonum contemnere, ac ad peiora declinare. Hæc partim hinc (vt diximus) confirmare conantur: quia omnem hominem venientem in hunc mundum il-
Pſal 118. luminari dictum eſt. Partim alios quoque locos ſcripturarum male intelligentes adducunt, ac maxime illum, Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Ecce inquiunt, antequam humiliatus ſit, id eſt, antequam corpori animus connexus fuerit, deliquiſſe fatetur, atque ideo iure humiliatum fuiſſe mortali corpore coniunctum. Mortale namque corpus eſt, imo vero mors ipſa, vt Paulus oſtendit dicens, Quis me liberabit de corpore mortis hu- Rom. 7.
ius? Si ergo, inquiūt, deprimitur anima, humiliorque fit, in mundum veniens, quia deliquit ante-quam deprimeretur, & corpori coniungeretur: patet ipſam ante corpus profecto eſſe. Præterea ſi in mundum hunc aliunde venit, fuit ergo, antequam corpori connecteretur. Hæc aduerſus vera eccleſiæ dogmata dicentes, ac ſimpliciores huiuſmodi nugis decipientes, vere ita increpabuntur, Væ qui prophetatis à corde veſtro. Prodigia Hierem. 23
enim quædam quaſi prophetias à corde ſuo fingentes, diuinæ ſpiritalique apponunt doctrinæ, non animaduertentes ad quantam hi ſui conatus impietatem erumpunt. Cuius opinionis falſitatem modo redarguere tempus eſt. Si ergo ante corpora hominum animæ fuerunt, & quadam inclinatione ad malum (vt ipſi dicunt) loco ſupplicij corporibus connectuntur, quomodo venientes in hunc mundum illuminari dicuntur? Illuminatio enim maiorem afferre gratiam videtur: & honoris certe non ſupplicij eſt. non punitur autem qui honoratur, nec cruciatibus vexatur, qui lumine diuino participat. Quare certum eſt non puniri connexu corporis animā, quæ in ipſo corpore honoratur. Accedit quòd falſum omnino eſſet illuminari animam in hunc mundum venientem: ſi quidem mens atque integer intellectus antea fuit. Si enim, dum in corpus veniat, illuminatur: neceſſe eſt antequam veniat, lumine carere. Quomodo ergo intellectus integer ac purus erit: ſi tunc tandem illuminari cœpit, quando in hunc mundum & in molem carnis deſcendit? Pręterea ſi ante corpus anima fuit: & ſicuti mens pura, & intellectus integer, ipſi bono coniunctior erat, ſed prauitate cupiditateque peiorum ad terrena depreſſa eſt: quomodo non magna ſibi iniuria fit, quæ modo in hoc corpore depreſſa, recte viuere ac non peccare iubetur? cum tunc potius oportuiſſet, quando nōdum corpori alligata longius ab omni aberat perturbatione. Non potuerunt profecto dicere aut opportunitatem admonendæ animæ ignotam Deo fuiſſe, aut iniurioſe ab eo tractatam, qui peccare non poteſt. Opportune igitur atque iuſte non peccare in hac carne iubemur: quoniam eo cœpimus eſſe tempore, quo vna cum corpore in hunc mundum venimus, ac quaſi à loco quodam, à nihilo ad eſſe peruenimus. Præterea libenter ab eis quærerem, quam veriſimilitudinem oratio habeat: cum dicant propter delicta, quæ prius anima commiſerat, in corpus eam intrudi, vt rerum experientia, cupiditatis ſuæ turpitudinē diſcat. Quomodo non erubeſcunt hęc dicere? liberanda enim potius à prauis cogitationibus fuiſſe videtur, quā in profundum turpiſſimarum voluptatum detrudenda. Non enim hic, ſed ille modus curare eam potuiſſet. Quod ſi vt corporis voluptatibus frueretur ac eo modo magis ægrotaret, in corpus detruſa eſt, tam ignorantiæ quam iniuriæ crimine medicus iure accuſari poterit, qui ea ratione ſanari ægram poſſe putauit, ſi in maiora plura que delicta per iniuriam ab eo depelleretur. Sin autem vt delinquendi finem faceret, quomodo ab vltima profunditate miſeriæ ac cupiditatis emerſuram potius putauit, quam in ipſo malorum principio,

quando

quando peccati fomite, id eſt, corpore carebat, parua caſtigatione ſuum ſtatum retenturam? Ad hęc ſi ante corpus deliquit anima, & vt pęnas lueret, corpori coniuncta eſt: oporteret certe credentes, qui fide à peccatis liberati ſunt, à ſupplicio ſtatim id eſt à corpore liberari. Quomodo enim (dic quæſo) remiſſionem peccatorum penitus conſecuta eſſe anima intelligeretur, cum adhuc propter peccatū in corpore incluſa teneatur? Videmus autē multo ſecus fieri, non modo enim illico fideles à corporibus non euolant: verumetiā reſurrectionis profeſſione ac fide immortaliter ſe victuras cum corporibus credunt. Nō ergo ad cruciatum corpus animo coniungitur, præſertim cū ita diuinitus honoratū ſit: vt & ſaluatoris reuicturū omnipotētiæ atteſtetur, & vitā ſit immortalem habiturum. Adde quòd morte maiora delicta ſecundum legem plectuntur: eum qui leuius peccarūt, *Leuit. 20.* viuere permittantur. Qui autem omnino innocentes videntur, præmus etiam quaſi quibuſdam ad viuendum inuitamentis afficiantur. Oportebat autem ſi vt commiſſorum pœnas lueret, corpori anima coniuncta eſt, ſceleſtos homines ad viuendum potius inuitari vt magis mole corporis vexarentur: Innocentes vero contra citius ab hoc corpore, id eſt, à ſupplicio liberari. Sed iure lex homicidam cæteroſque huiuſmodi mori iuſſit: iuſtos autem honoribus decorari. Falſo ergo dicitur, ſupplicij cauſa corporibus animas annecti. Inſuper dicant quæſo, ſi ad ſupplicium corpus animę connectitur, quid boni nobis deſtructa morte ac immortalitate, corpori per reſurrectionem donata, ſaluator contulit? Corruptioni potius perpetuæ corporis, terminum ſupplicio imponenti, quam domino noſtro Ieſu Chriſto (quem credimus corporibus reſurrectionem donaſſe) gratias agere deberemus. non autem ita eccleſia facit, ſed Chriſto gratias agit, ſaluatorem te ipſa exiſtimans, quia nos à morte liberauit. nō ergo ad ſupplicium animis corpora data ſunt. Nā ſi ſic eſſet, maiora nobis inferret mala reſurrectio, perpetuo miſeras corporibus animas includens, & vnde per mortem euaſerunt en repellens, nihil autem mali, ſed ad renouationem naturæ à Chriſto pro ſingulari dono data eſt, non ergo ad pœnam animis corpora data ſunt. Præterea ſingulare nobis quidam propheta gaudium annuncians, reſurgent clamabat *Eſaia 26.* mortui, & ſuſcitabuntur, qui ſunt in monumētis, & omnes qui in terra ſunt, exultabunt. magna potius afficientur mæſticia dicendum erat, rurſus in corpora redeuntes. Aut ſi vera humanum genus afficere lętitia volebat, nō reſurrecturos mortuos, ſed perpetuæ naturam carnis datam eſſe corruptioni affirmaſſet. Cum vero diuino inflatus ſpiritu, carnis reſurrectionem ad gaudium annunciet, non ſumus ad ſupplicium corpori annexi, cuius immortalitate lætari exultareque iubemur. Accedit quòd Deus eum beatum Abraham benediceret, quaſi ſtellas cæli innumerabiles fore ſuos pol-*Geneſ. 15.* liceretur. Quare ſi ad corpus ceu ad ſupplicium anima introducitur, damnatarum diuinitus animarum turbam & quaſi fugitiuarum à bono, malignitatiſque ſeruum ac maledictionis potius quam benedictionis ſemen pollicetur. ſed re ipſa bene dictus à Deo Abrahā fuit. Omni ergo culpa, corporis atque animi caret coniunctio. Similiter di-*Deut. 1.* uinus ille vir Moſes cum non iniuria multitudinem Iudæorum admiratus eſſet, ecce nanque inquit, multitudine veluti ſtellæ cæli hodie eſtis. adiecit orans, dominus Deus patrum veſtrorum addat ad hūc numerum multa milia. quæ res, ſi animæ lapſæ in corpore puniuntur, non optanda ſed repellenda potius oratione intercesſioneque Moſi ad Deum fuit, ſed fuit optanda: non enim inanem quendam hominem fuiſſe Moſen dicemus. falſo igitur & à ſeipſis non à ſcripturis nequam homines, huiuſmodi falſitates excogitant. Præterea non ignoramus nihil concedi à Deo male petentibus. Petitis enim, inquit, & non accipitis: quia male *Iacob. 4.* petitis. Si ergo animæ (vt illi dicerent) incarnatio, ad luēdas pœnas datur, nō parum Anna Phanuelis filia peccauit, longa oratione à Deo filium po-*1. Reg. 1.* ſtulans. animæ nanque lapſum primo, deinde punitionem poſcebat, & ſi mulier quaſi homo errauit, quomodo Deum exorauit? Non enim poterat femina in vtero concipere, niſi anima in cælis deliquiſſet. vt propter delictum, vterum mulieris ingreſſa, corpus aſſumeret. Sed exoratus fuerat Deus quia bene illa petiit, non ergo carni cōiunguntur, quia peccauerimus antea, quippe qui ante corpus nō fuimus. Ad hæc ſi gratia ſupplicij corpori connectimur, cur Ezechias vir ſanctus atque probus prorogationem huius vitæ petiit? aut quomodo *4. Reg. 20.* Deus quindecim annos pietate & lachrymis illius cōmotus, beneficij loco illi adiecit? Calamitatem enim potius & cruciatū quam donū & gratiam, ſi aliquid veritatis iſtæ nugæ habent, illi contuliſſe videtur. Sed donum certe fuit ac gratia prorogatio vitæ. non ergo ad ſupplicium animis corpora dantur. Præterea ſi corpus animæ ad pœnam datum eſt, inanem gratiam Deus ei retribuit, qui Hieremiam à lacu eduxit, quemque à Chaldæo-*Hier. 39.* rum impetu euaſurum longiuſque victurum pollicetur, cum potius debuiſſet, ſi honorare ipſum volebat, quam primum à vexatione corporis liberare. Nec præterea tribus illis adoleſcētibus, quos à Babylonia flamma ſeruauit, nec Danieli, quem feritate leonum eripuit boni quicquam imparti-*Dan. 3.* tus eſt. falſum autem hoc omnino eſt. laudatur *Dan. 6.* enim, gratiæque ſibi aguntur, quia præcipuum eis contulit beneficium. falſum igitur etiam illud eſt: vnde hoc ſequitur. Adde quod pro tribunali dominico opera quæque noſtra patebunt, vt ait Paulus, Omnes enim nos manifeſtari oportet ante *2. Cor. 5.* tribunal Chriſti: vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Si ergo pro operibus, quæ perperam aut contra cum corpore geſſimus, retributio fiet, nec vlla erit mentio eorum, quæ ante corpus probe vel contra fecerimus: quomodo ante corpus fuiſſe animam audent dicere, ſi ea ſolummodo quæruntur, quæ cum corpore geſſit? Deinde quomodo idem Paulus ait, exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem? nam ſi ad ſuppli-*Rom. 12.* cium, animis corpora data ſunt: quomodo in odorem ſuauitatis id Deo offeremus, per quod punimur? aut quomodo virtutem poſſidebit, quod natum ad puniendum magnas in peccato egit radices? Ad hæc, propter tranſgreſſionem primi hominis corruptio genus noſtrum inuaſit, vt ait Paulus. ſed regnauit mors ab Adam vſque ad Moſem, *Rom. 5.* & in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. quomodo igitur vel ſuper eos, qui non peccauerunt, regnare mortem affirmat, ſi priſcorum gratia delictorum mortale nobis corpus annectitur? aut quomodo non peccauerunt

uerunt, ſi propter peccata in corpus deciderunt? Præterea de quodam ab utero matris cæco ſaluatorem diſcipuli interrogarunt, dicentes, Rabi quis peccauit, hic, aut parentes eius ut cæcus naſceretur? nam quoniam in propheticis ſcribitur libris,
Ioan. 9.
quod peccata parentum filiis Deus retribuet: hac de cauſa cæcum fuiſſe natu hominem illum, apoſto-
Exod. 20.
li arbitrabantur. Quid igitur Christus? neque iſte, inquit, peccauit neque parentes eius: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. quomodo autem non peccaſſe aſſerit eos, qui, cum homines fuerint, non erraſſe procul dubio non potuerunt? Manifeſtum igitur atque conſpicuum eſt, quia verba domini, tempus quod natiuitatem illorum præceſſerat, reſpicit, quo tempore nec fuerunt nec peccare potuerunt. Hoc enim modo veritatis integritas in verbis veritatis id eſt, Chriſti completur. Accedit quod Eſaias quam ob cauſam terra facta ſit oſtendens, non fruſtra inquit creata eſt, ſed ut ha-
Eſaiæ 45.
bitetur, nō autem à nudis ſpiritibus nec incorporeis animis, ſed animatis corporibus congruenter habitari poteſt. Quæ ex re ſequitur, ſi præfuiſſe animas, & delinquentes in corpora delabi dabimus, voluntate ipſas Dei delinquere, ut homines ſcilicet eſſent, quibus terrarum orbis habitaretur. Sed hoc falſum omnino eſt. verum igitur alterum. Adde quod omnium artifex ſapientia in libro parabolarum, huiuſmodi de ſe verba dicere intro-
Prouer. 8.
ducitur, Ego eram, inquit, quo gaudebat uniuerſorum ſcilicet creator. Quotidie lætabar coram eo in omni tempore, quia dum conſummato terrarum orbe gaudebat, & lætabatur ſuper filios hominum. Si ergo creato Deus homine gaudebat, quomodo non inſaniunt, qui peccatis ad corpora intrudi animas opinantur? Si enim gaudet, quia pœnas per corpora dant: non eſt bonus qui aliorum ſupplicio triumphat. Sed bonus eſt ipſe natura, & bonarum creaturarum productor. non igitur inſtrumentum puniendi, corpora ſunt: ut multi falſo prædicant. Præterea ſi quæ ante corpora deliquerunt animæ, corporibus annexæ pu-
Gen. 7.
niuntur: quamobrem aduerſus impios diluuium immiſſum eſt, & Noe iuſtus in retributione fidei ſaluatur? contra namque fieri oportuit, ut iuſti ſcilicet citius à corpore ſoluerentur, improbi vero longiore tempore mole corporis cruciarentur. Sed iuſtus dominus morte punijt impios, & longioribus huius vitæ ſpaciis iuſtum honorauit. Falſa igitur opinio, abijciendaque penitus ex animis noſtris eſt. Ad hæc quare ſaluator Lazarū, quem amabat, ſuſcitauit: & liberatum a ſuppliciis ami-
Ioan. 11.
cum in ſupplicia reduxit? ſed ſuſcitauit, honorans quem diligebat. Aduerſus ergo veritatem dicuntur animæ ante corpora deliquiſſe. Adde quod ſi
Rom. 5.
ita eſſet, rationale hoc animal homo, naturaque hominis per peccatum producta videretur. Sed per peccatum rurſus ingreſſa in mundum mors eſt. quare repugnare ſibi ipſi peccatum videretur,
Luc. 11.
cum priora poſterioribus diſſoluat, ſathanas quoque in ſeipſum diuiſus eſſet. Quomodo ergo ſtaret regnum eius? Sed hæc falſa ſunt. vera igitur, quæ eis opponuntur. Poſtremo mortem à Deo eccleſia negat productam. Inuidia enim diaboli veniſſe in mundum, eam ſcriptura confirmat. Quòd ſi ad
Sapien. 2.
puniendam animam, corpus ei coniungitur, quare diabolus inculpatur, qui morte ſupplicium animæ diſſoluit? Quare autem ſaluatori gratias agimus, per reſurrectionem rurſus, corpora nobis reſtituenti? Sed merito & agimus & debemus gratias ſaluatori, qui nos a corruptione, quam inuidia diaboli nobis intulit, ſuo ſanguine liberauit. non ergo inſtrumentum ſupplicij corpora ſunt, nec animæ ante corpora, quando non fuerunt, peccare potuerunt. *Et mundus per ipſum factus eſt.* Per vnigenitum Dei per ſuum verbum, factum eſſe mundum, neceſſariò euangeliſta ſignificat. Nam, etſi omnia per ipſum facta ſuperius dixerit, tamen ne quis erroris locus relinquatur, creatorem rurſus ipſum eſſe prædicat. Nam, quoniam de luce dixit, quia in mundo erat, ne quis vnam de partibus mundi hanc lucem eſſe ſuſpicari poſſit, ſicut ſol luna & ſtellæ in mundo ſunt, & mundi partes velut vnius corporis eſſe membra creduntur; neceſſario totius mūdi artificem, hanc lucem eſſe confirmat. Ita nos iterum ab vnigenito Dei factum eſſe mundum, inſtruxit. Quis enim à Deo rudis atque agreſtis eſt, qui non videat aliū eſſe à mundo eum, per quem mundus factus eſt? aut quis hæc audiens, creatorem à creatura ſecundum naturam non ſeparabit? Aliud enim natura eſt, quod facit & creat: aliud, quod creatur: alioquin idem crearet & crearetur, quod ſi ita eſt, nec eſt vlla ſecundum ſubſtantiæ rationem differentia: creatura profecto in creatoris naturam conſcendet, & creator in creaturarum naturam deſcendet, nec ſolus creabit Deus, ſed inerit etiam creaturis creandi vis, ſaltem potentia: ſi vllo modo Deo ſubſtantiæ ratione vnitur. ita creatura quoque creator erit. & nudis ſolummodo verbis creandi authoritatem ac dignitatem vnigenito euāgeliſta attribuit dicens, in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. ſed non nudis verbis id dixit, ſciuit enim vnum eſſe natura omnium creatorem. Non eſt ergo, nec intelligi à pijs poteſt creatura & creator idem natura. Sed creatura quidem, naturæ ſuæ terminum non ignorans, ſeruituti ſe ſubijciet. Regnabit autē ſuper ipſam filius: qui ſolus vna cum patre atque ſpiritu, quæ penitus nihil ſunt, ea quaſi entia poteſt vocare, & quod nihil prorſus eſt, ineffabili virtute ad eſſe producere. Verum, quoniā natura Deum nec creaturam eſſe filium Dei, latius in libro de trinitate demonſtrauimus: longiores modo non erimus. Illud tamen prætermittendum non eſt, quia cum per filium, factum eſſe mundum affirmet, ad patris nos facile reducit memoriam. Cum enim per quem dicitur, ex quo etiam intelligitur. vniuerſa enim ex patre, per filium, in ſancto ſpiritu ſunt. *Et mundus ipſum non co-* *Rom. 11.*
gnouit. Summa ſolertia ſummaque vigilia vanas hominum cogitationes præuenire atque antecurrere conatur. Mirabilis namque eſt hic rerum ſublimium ordo, & obiectionum euerſio. lucem modo veram vocabat filium, a qua illuminari omnem hominem venientem in hunc mundum ſubiungebat. & ad hæc quia etiam in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, adijciebat. Facile igitur opponere quiſpiam poſſet: ſi verbum Dei lux eſt, ſi hæc lux corda hominum illuminat, ac pietatem videlicet & rerum intelligentiam humano generi congruentem ingerit, ſi præterea ſemper erat in mundo, & ipſa opifex mundi eſt, quomodo tam longis temporum ſpacijs ignorata eſt? Sequitur enim potius, quoniam ignorata eſt: nec ab ipſa mundum illuminari, nec ipſam penitus lucem eſſe. Hoc ne quis obijcere poſſit, diuinitus intulit, *& mundus ipſum non cognouit.* Non verbum

Dei ait & æternam hãc lucem,ſed imbecillitatem
ſuam mundus accuſet. Illuminat enim filius: re-
pellit autem gratiam creatura, quæ intelligendi
acumine, vt natura Deum cognoſceret ſibi dato,
abuſa eſt:& vt prodiga, ad creaturas vim inſpiciē-
di conuertit. Neglexit vlterius currere:ſuffodit il-
luminationem ex deſidia,& contempſit hanc gra-
tiam. quod ne patiatur diſcipulus Pauli, vigilare
diligenter monetur. non ergo redundabit iure ad
1. Tim. 4. lucem illuminatorū nequitia. Nam quemadmo-
dum quamuis vniuerſis ſol oritur,nihil tamen in-
de cæcus vtilitatis cōſequitur. nec propterea me-
rito quiſpiam ſplendorem ſolis accuſabit:ſed non
videndi culpam cæcitati attribuet. Sic vt arbitror
de vnigenito etiam intelligendum eſt. lux enim
vera ille profecto, & ſplendorem ſuum ad omnes
emittit. Sed huius ſeculi Deus (vt ait Paulus) mē-
tes infidelium hominum obcæcauit:ne illumina-
2. Cor. 4. tio cognitionis Dei in ipſis fulgeat. Cæcitatem
autem aduenisse homini dicimus:non quia peni-
tus luce priuatus ſit. conſeruat enim natura ſem-
per intelligendi vim diuinitus ſibi conceſſam. ve-
rum,quia peiore habitu homo hebetat, & ad pe-
iora diuertens languefacit quodammodo gratiæ
Pſal. 118 menſuram. Quapropter quando huiuſmodi ſu-
bit hominem pſalmiſta,tunc iure illuminari orat,
clamans ad Deum,Reuela oculos meos:& conſi-
derabo mirabilia de lege tua. Lex enim data eſt,
vt per eam lux,quæ in nobis eſt, accendatur, lip-
pitudine oculorum mentis deterſa,& depulſis te-
nebris, quæ priſca ignorantia nos occuparunt.
Quaſi ergo ingratus atque inſenſatus his verbis
mundus accuſatur: qui ſuum authorem ignora-
uit, qui fructum illuminationis non probum edi-
dit. vt iam de omnibus vere dici poſſe videatur:
quod de Iudęis prophetica voce pręedicatur.expe-
ctaui vt faceret vuam:& fecit vepres. Probus enim
illuminationis fructus, vnigeniti fuit cognitio:
Eſaia 5. quaſi vua ex palmite ferulí, humana mēte depen-
dens. Temeritas autem cum ad errorem multitu-
dinis trahat deorum: quaſi acuti veptes ſuborti,
mentem hominis mortaliter vulnerant. *In propria
venit: & ſui eum non receperunt.* Explanatius modo
euangeliſta culpam ignorantiæ in mundum reij-
cit:qui ab vnigenito illuminatus vnigenitu igno-
rauit,& ab errore Iudęorum:gentium etiam pec-
catum oſtendit,& quaſi ante oculos ignorantiam
atque duritiem mundi ponit. Miro autem mo-
do in incarnationis orationem & expoſitionem
huius myſterij, quod propter nos factum eſt, à
ſumma illa theologia deſcendit. Non enim mirum
eſt,inquit, ſi mundus filiū Dei non cognouit:cum
à recta intelligendi via diuertit, nec ſe in honore
factum meminerit,ſed pecoribus (vt pſalmiſta di-
cebat) ſimilem ſe fecerit,cum etiam ipſe populus,
Pſal. 48. quem ſibi peculiarem Deus elegit, carne præſen-
tem, & ad ſalutem omnium venientem recipere
noluit,quamuis regnum eis cælorum pro fide re-
tribueret. Animaduertendum autem eſt, quam
tutiſſime ſermo contextus eſt. Mundus enim nul-
lo modo cognouiſſe accuſatur: & venia quædam
hinc ſibi præparata, ad cognitionis eum gratiam
adducere videtur. De Iudæis autē, quos vt popu-
lum peculiarem elegit, non receperunt adiecit.
Non enim omnino vere de ipſis ignorantia dici
poteſt:cum lex primo prædicauerit, deinde pro-
phetæ prædixerint. Iuſto igitur & illi iudicio ab-
ſcinduntur,& gentes veniam conſequuntur. Mun-
dus enim id eſt gentes,nequitię incurſu à coniun-
ctione Dei repulſus,illuminatorem penitus igno-
rauit.illi autem legis cognitione locupletati,& ad
placentem Deo vitam reuocati, proteruitate ani-
mi, cognitū iā in ſcriptura & in propria veniētem
filium Dei non receperunt. Proprius autem ac
ſuus Dei eſt ratione creationis, vniuerſus mūdus.
ex eo enim & per eum factus eſt. Sed multo con-
gruentius proprius atque ſuus propter ſanctorum
patrum electionem,Iſrael appellatur. Atque ideo
primogenitus inter filios Dei vocitatur: quem
præcipue ſuum nominabat,ad Pharaonem tyran- Exod. 4.
num Ægypti verba faciens, Emitte namque,in-
quit, populum meum. quod Moſes etiam confir-
mat dicens, Quando diuidebat altiſſimus gentes,
quando ſeparabat filios Adam: conſtituit termi-
nos gentium iuxta numeros angelorum Dei. Et Exod. 8.
facta eſt pars domini populus Iacob: funiculus
hereditatis eius Iſrael. Ad hos igitur tanquam ad Deuter. 32.
ſuos venit: propterea dicit, Non ſum miſſus niſi
ad oues, quæ perierant domus Iſrael. à quibus
minime receptus,ad gentes gratiam tranſtulit. Ita Pſal. 104.
mundus quidem fide ac pœnitudine illuminatur,
qui verbum Dei prius ignorauit, Iudæorum au-
tem populus ad tenebras,vnde educti fuerant,re- Matth. 15.
uertuntur: propterea etiam ſaluator dicebat, In
iudicium ego in mundum hunc veni: vt, qui non
vident,videant:& qui vident, cæci fiant. *Quotquot
autem receperunt eum,dedit eis poteſtatem filios Dei fie-
ri, ijs qui credunt in nomine eius.* A quo certe iudicio
deoque digno primogenitus eiicitur Iſrael. non
enim voluit in affinitate Dei permanere: non re-
cepit filium Dei ad ſua venientem, nobilitatis lar-
gitorem reprobauit,authorem gratiæ repulit,quē
gentes fide receperunt. Quare iure,huius temeri-
tatis colligit fructum:flebitque detrimentum hu-
iuſmodi, quo ab adoptione filiorum Dei depelli-
tur, fruentur autem gentes bonis fidei: præmia
obedientiæ non parua inuenient, ad locum illo-
rum tranſplantabuntur:ab oleaſtro ſecundum na- Rom. 11.
turam abſciſſi,& ſecundæ natura oliuæ inſerti. Et
Iſrael audiet. Væ gens peccatrix, populus pec- Eſaia 1.
catorum plenus, ſemen prauum, iniqui filij,dere-
liquiſtis dominum, & ſanctum Iſrael irritaſtis.
gentes autem longe aliter illud ab apoſtolis aut
eorum aliquo audient, vos autem genus ele-
ctum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus
acquiſitionis: vt virtutem eius annuncietis, qui 1. Petri. 2.
vos à tenebris ad lucem ſuam inuitauit. Nam
quoniam gentes filium per fidem receperunt,
poteſtatem etiam accipiunt, vt filij Dei fiant.
Accipiunt autem à filio, cui ſoli naturaliter hoc
ineſt: atque ideo poteſt in commune hoc propo-
nere, in ſignum miſericordiæ ſuæ atque charita-
tis. Non enim erat poſſibile aliter terreſtris ima-
ginem hominis,corruptionem ſcilicet,quam pec-
cato induimus, effugere: niſi celeſtis hominis
imago & pulchritudo eius,vocatione adoptionis
nobis impreſſa eſſet. Participes enim ipſius facti
per ſpiritū, & ſuo ſignati ſigillo,ad ſimilitudinem
eius & in primitiuam imaginis figuram conſcen-
dimus, ad quam fuiſſe creatos, diuina ſcriptura
teſtatur. Sic enim tādem priſcam naturæ pulchri-
tudinem recuperantes,& ad diuinam illam natu-
ram reformati: ea mala ſuperabimus, quæ maxi- Geneſ. 1.
ma,tranſgreſſionis vicio nobis acciderunt. Aſcen-
damus igitur ad ſupernaturalem dignitatem per
Chriſtum: non tamen vt propriè ſicut ille, ſed vt
ſimili-

ſimilitudine illius, per gratiam filij Dei ſimus. Verus enim ille filius Dei patris eſt: nos vero miſericordia eius adoptati per gratiam, audimus, Ego Pſal.81. dixi, dij eſtis. Creatura autem cum ſerua ſit, nutu ſolum & voluntate patris ad ſupernaturalia vocatur. filius autem & Deus & dominus, non ſolum quia pater voluit, Deus filius ac dominus eſt: ſed cum ab ipſa ſubſtantia patris effulſerit, proprium eius bonum ſecundum naturam cótraxit. Quem verum eſſe filium, comparatione quoque noſtri cognoſcimus. Alia enim naturæ ratio, alia adoptionis, & alia veri filij, alia adoptati: qui ſimilitudine atque imitatione filij, filius dicitur. Sumus autem nos filij Dei adoptione. Vere igitur ac naturaliter ille filius eſt, per quem nos in filiationem adoptati, filiationis vocabulo contra diſtinguimur. Filius enim aut natura, vt ipſe eſt, aut adoptione, vt nos: gratiæ bonú pro naturali dignitate conſecuti. *Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri: ſed ex Deo nati ſunt.* Qui fide Chriſti in adoptionem, inquit, filiorũ vocati ſunt: humilitatem naturæ ſuæ depoſuerunt, & honorantis Chriſti gratia quaſi ſplendida induti purpura, ad ſupernaturalem dignitatem aſcendũt. non enim carnis, ſed Dei filij, adoptione facti ſunt. ſed aduerte quam tutiſſime loquitur. Quoniam enim ex Deo natos eſſe fideles, dicturus erat: ne quis putaret aut ipſos ex Dei patris ſubſtãtia prodire, & incommutabiliter vnigenito ſimiles fieri, Pſal.190. aut ſimiliter abuſionis modo quodam de vnigenito illud dici, ex vtero ante luciferum genui te, & ſic ad naturam creaturarum, filium Dei adiungeret: neceſſario iſta præmiſit. Ita cum poteſtatem ipſis datam ac ſerui naturam filio enodauerit, & adoptionem ac gratiam per poteſtatem hanc intellexerit, tutiſſime poſtea intulit, *Ex Deo nati ſunt.* vt magnitudinem gratiæ oſtendat, quæ alienos à Deo coniungit, & Dei filios facit, & ſeruis nobilitatem domini ex charitate largitur. Sed quid maius (dicet quiſpiam) Chriſti fideles quam Iſrael conſecuti ſunt? Ex Deo enim etiam Iudæi nati eſſe dicuntur. filios enim (inquit) enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Primum illud patet: quia futurorum bonorum vmbram lex continebat, propterea non ſecundum veritatem ſed figurate aſcribebantur vſque ad gratię tempus, quo emerſuri erant, qui decentius atque verius propter inhabitantem vnigeniti ſpiritum, Deum patrem appellarent. ſpiritum enim ſeruitutis in formidinem illi habuerunt: fideles autem, adoptionis filiorum ſpiritũ in libertatem, in quo clamamus, abba pater. Populus ergo hic, qui fide Chriſti adoptatus eſt, in illo quaſi in vmbra depingebatur: quemadmodum circuncißio etiam quæ in ſpiritu fit, in carne illorum ſignabatur. ceteraque omnia (vt breuiter dicam) quę in nobis expreſſa ſunt, adumbrata in illis fuerunt. Deinde illud etiam addimus: vocatum in adoptionem Iſraelem quoque fuiſſe, mediatore Moſe. propterea in ipſum (vt ait Paulus) in nebula & mari baptizabantur, & ſic ad ſeruitutis legem à cultu idolorum ſeparabantur, miniſterio angelorũ mandata conſequentes. Qui vero fide Chriſti à Deo adoptantur, non in creaturam aliquam ſed in ipſam trinitatem Chriſto mediatore baptizãtur. qui & humana ſibi, aſſumptione hominis coniũgit, & patri natura coniunctus eſt. Et hoc modo natura ſeruiens in filiationem aſcendit: participatione vere filij ad dignitatem naturalem eius vocata. Quas ob res filij Dei & appellamur & ſumus: qui fide regenerationem ſpiritu factam ſuſcepimus. De quo quidem ſpiritu ſancto quoniam nonnulli etiam ipſum creaturis connumerare audent, tum ad noſtrum, tum ad legentium fructum, non alienum eſt modo pauca dicere. Si enim natura Deus ſpiritus non eſt, nec ſubſtantialiter Deo ineſt, ſed in creaturarũ numero collocatur: quomodo qui per eum regenerati ſumus, ex Deo nati eſſe dicimur? Aut enim mentiri Euangeliſtam dicetis, aut ſi verax eſt, ſicuti profecto eſt, Deus natura ex Deo ſpiritus ſanctus eſt. Quo per fidem Chriſti participantes, diuinam participamus naturam, & filij Dei efficimur, & dij ſumus: non ſolum, quia gratia ad ſupernaturalem gloriam euolamus, verum etiam quia Deum inhabitantem poßidemus, vt ſcriptum eſt, viuificabit Rom.8. & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Alioquin dicant quæſo, quomodo templa Dei ſecundum Paulum ſumus, quia habitantem in nobis ſpiritum habemus, niſi Deus natura ſpiritus ſit? Nam ſi creatura 1.Cor.3. eſt, quamobrem deſtruit nos Deus, tanquam templum Dei deſtruentes, quando corpus noſtrum inquinamus, in quo ſpiritus habitat? qui naturales proprietates patris & filij omnes poßidet. Quod ni ita eſſet, quomodo vera ſaluatoris eſſet Ioan.14. oratio? ſi quis diligit me, inquit, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & apud eum mãſionem faciemus. Et certe ſpiritus eſt, qui in nobis habitat: per quẽ ſimul patrem etiam ac filium habere credimus, vt hic ipſe Ioannes in Epiſtolis dicit, In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Quomodo 1.Ioan.4. autem vere ſpiritus Dei vocabitur, niſi ex ipſo & in ipſo natura ſit? Quod ſi creatura eſt, cur ceteræ creaturę, ſpiritus Dei non appellantur? Plura dicere non grauaremur, ſed quoniam in libro de trinitate ſufficienter (vt arbitror) hoc dictum eſt, breuiores nũc eſſe conuenit. *Et verbum caro factum eſt.* Sermonẽ incarnationis iam manifeſte ingreſſus, hominem factũ fuiſſe vnigenitum Dei filium, apertiſſime narrat. Cum enim dicat: *Et verbum caro factum eſt*, nihil aliud dicit præterquam quod filius Dei & Deus natura, homo factus eſt. nec noue quicquam profertur: cum ſæpe diuina ſcriptura ſolo carnis vocabulo integrum (vt ita dicam) & totum hominem ſignificet. Effundam (Iohel in- Ioel.2. quit) à ſpiritu meo ſuper omnem carnem. vbi niſi ex parte vna totum hominem intelligas: ridiculoſe inanimatæ carni ſpiritus dari videbitur. Quod autem rectius ita quam aliter dicatur: ratio nobis reddenda eſt. Rationale igitur animal homo ex anima & mortali hac carne compoſitus eſt: ſed à Deo ad eſſe productus, quoniam ſua natura incorruptibilis atque perpetua eſſe non potuit (ſoli enim Deo ſubſtantialiter hoc ineſt) ſpiritu vitæ ſignatus, habitudine ad eum, immortalitatis bonum & ſuper naturam ſuam conſecutus eſt. Suf- Gen.2. flauit enim (inquit) in faciem eius ſpiraculum Gen.3. vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem. Verum, quoniam propter tranſgreßionem, terram ſe eſſe & in terram reuerſurum iure audiuit: gratia denudatus, ſpiraculum vitæ ſecundum carnem amiſit, ſpiritum videlicet eius, qui dicit, Ego ſum Ioan.14. vita. Ita homo in mortem ex parte carnis ſolummodo incidit: immortalitate animæ conſeruata.

Gen.3. Ad ſolam enim carnem dictum fuit, terra es, & in terram reuerteris. Quare oportuit quod ex homine corrumpitur, coniunctione rurſus naturalis vitæ ad immortalitatem reuocari. Non aliter enim hoc malum diſſolui poterat: niſi vis illius dicti, terra es, & in terram reuerteris, aſſumptione ineffabili deſtrueretur, hominis carne mortali à viuificante omnia verbo aſſumpta. vt cum caro eius fieret, qui vere immortalis eſt, immortalitate illius participaret. Indecens enim omnino eſſet, ſi ignis quidem qualitatem ſuam coniunctæ ſibi materiæ immittere poſſit, ac eo modo in ſe materiam tranſmutare, verbum autem Dei proprium ſibi naturaleque bonum id eſt vitam, coniunctæ ſibi carni non poſſet infundere. Hac igitur maxime de cauſa ſcriptum eſſe ab euangeliſta arbitror: & verbum caro factum eſt, quod ex parte maxime corrupta & vnione verbi viuificata, totius reparationem ſignificare voluerit. Sic enim facilius & magnitudo vulneris & remedij vis conſpicitur, ſic ægrotans & medicus. ſic quod lapſum in mortem eſt: & qui à morte in vitã ſuſcitat. ſic quod corruptum eſt, & corruptionis expulſor. ſic quod mors ſuperauit, & qui mortẽ vicit. ſic quod vita priuatum eſt, & qui vitã largitur, quaſi oculis cernitur. Non dixit autem in carnem filium Dei veniſſe, ſed carnem factum fuiſſe: ne quis habitudine ſicut in prophetas, & in cæteros ſanctos veniſſe ipſum, ſed vere carnem, id eſt, hominem factum eſſe arbitretur. propterea etiã Deus eſt ſecundum naturam in carne, & cum carne. Propriam enim illam ſibi fecit; & tamen aliud præter ipſam intelligitur, & in

Eſaia 45. ipſa & cum ipſa (vt Eſaias dicit) adoratur. viri ſublimes (inquit) ad te tranſibunt, & tui erunt ſerui & poſt te ſequentur vincti manicis, te adorabunt, teque deprecabũtur, quoniam tantum in te Deus eſt, & non eſt Deus præter te. Ecce Deum inquit eſſe in ipſo, non diſſepatans à Deo carnem, id eſt, hominem. Et rurſus non eſſe alium Deum præter ipſum confirmat, coniungens verbo templum de virgine aſſumptum, vt eius proprium, vnus enim ex ambobus Chriſtus eſt. *Et habitauit in nobis.* Apertius modo, quod dixerat, euangeliſta exponit. Namque quoniam carnem eſſe factum verbum Dei ſignificauit: ne quis ex imperitia in carnem diuinam naturam penitus immutatam exiſtimet, quod omnino impoſſibile eſt (procul enim abeſt ab omni mutatione ſubſtantia Dei) tutiſſime illico intulit, *& habitauit in nobis.* vt cum duo neceſſario intelligas, habitantem ſcilicet, & in quo habitat: non putes in carnem, diuinam naturam commutatam fuiſſe, habitaſſe autem magis in carne, & tẽplo, quod à ſancta aſſumpſit virgine, vt pro-

Coloſ.2. prio vſam fuiſſe. In ipſo enim habitauit tota deitatis plenitudo corporaliter, vt ait Paulus. In nobis vero habitaſſe confirmat: ſublime quoddam reuelans myſterium. Sumus enim omnes in Chriſto,

1.Cor.15. & communis humanæ naturæ perſona reuixit. Propterea & Adam nominatur, quod per naturæ noſtræ communitatem gloria & immortalitate omnes ita locupletat, ſicut contra, morte

Rom.1. ac vituperatione omnes Adam primus mulctauit. In omnibus igitur verbum per aſſumptionem vnius habitauit: & cum vnus filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis definiatur, ad vniuerſum genus humanum hæc dignitas funditur. Et ſic per vnum generis noſtri, ad nos quoque

Pſal.81. illud peruenit; ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quare in Chriſto quidem ſeruiẽs natura noſtra vere liberata eſt, ad vnionem aſcẽdens myſticam eius, qui ſerui formam induit. In nobis autem propter affinitatem carnis, qua illi coniungimur. Nulla enim alia de cauſa non angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. vnde debuit per omnia fratribus aſſimilari, fratribus per omnia ſimilis, & vere homo factus, ita vt in ſer- Heb.2.

2.Cor.8. uientem naturam deſcendens ipſe quidem nihil acquireret: & ſeipſum nobis dono afferret, vt per paupertatem ſuam nos ditaret. qui ſimilitudine illius ad præcipuum bonum ſuum conſcendimus, Rom.8.

dij ac Dei filij per fidem conſtituti. habitauit enim in nobis, qui natura eſt Dei filius, propterea in ſpiritu clamamus, abba pater. habitauit autẽ in nobis Dei verbum in tẽplo vno quod propter nos & de nobis ſibi cõdidit, vt omnes in ſeipſo habẽs, in vno corpore patri (vt Paulus ait) racõciliaret. *Et vidimus gloriam eius gloriã quaſi vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis.* Quamquam verbum Dei carnem, id eſt, hominẽ factum eſſe aſſeruerit, conſeruare tamen etiam ſic integram deitatis dignitatem patris, non minus quam antea plenum bonis oſtendit, firma enim atque immutabilis, ſupernaturalis illa natura eſt, eodemque modo ſemper ſe habens, propriis ſemper dignitatibus æqualiter abundat. Quamuis ergo verbũ caro factum ſit, inquit: nec tamen infirmitate carnis ſuperatum eſt, nec de priſca maieſtate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factũ eſt: vidimus enim, inquit, gloriam Chriſti adeo ſublimiorem creaturarum gloria, vt mentis quiſque compos, nulli alij quam vnigenito Dei filio conuenire illam fateretur, Plenus enim erat veritate ac gratia. Nam ſi quis ſanctorũ multitudinem conſideret, & ſingulorum mirifice geſta diligenter enumeret, non negabit gloria illos Ioan.3.

Dei plenos fuiſſe. Gloriam tamen & gratiam filij longe abſque comparatione ſublimiorem videbit, non enim mẽſura ſibi datur vt ceteris, nec deforis accedit: ſed vt in perfecto perfecta ſubſtantialiter ineſt, à patre naturaliter habita. Accedit quod ſancti veluti vernæ in domo ſunt, filius autem in domo ſua verſatur, nam de vnigenito quidem ſcribitur, Benedictus qui venit in nomine Pſal.117.

domini: de ſanctis vero Deus pater ait, Et miſi ad vos, ſeruos meos prophetas. Præterea ſancti non Hier.7.

ſua ſed ſuperiore virtute ſigna operabantur: Chriſtus vero vt virtutum omniũ dominus. Si non facio, inquit, opera patris mei: nolite mihi credere: ſin autem facio, & ſi mihi non creditis, tamen Ioan.10.

operibus meis credite. Si tantæ igitur ſunt vires vnigeniti, quantæ patris, vt operibus demonſtratur, æquali cum patre glorificabitur gloria, qui Heb.2.

æqualiter operatur. Quare quamuis homo factus ſit, tãto tamẽ vocatis fratribus ſuperior eſt, quanto Deus vere & naturaliter hominibus præſtat, & quantum adoptione filios, vere filius excedit. Sed ſi plena eſt, inquies, gloria eius, gratiæ & veritatis: quomodo ſapientia, ætate, & gratia profeciſſe, apud Lucã ſcribitur? aut quid accedere poteſt ad Luc.2.

plenum, vltra quod nihil eſt? Sed non vt verbum & Deus profeciſſe intelligitur: verum quia magis eum indies homines admirabantur, illorum potius de Ieſu opinio quam illius perfecta creſcebat gratia: vt magis indies cognoſcentes, magis illum procedere, ac gratia creſcere arbitrarentur.

BEDÆ

BEDAE VENERABILIS
presbyteri de eodem Euang. Homilia.

QVia temporalem mediatoris Dei & hominum, hominis Ieſu Chriſti natiuitatem, quę hodierna die facta eſt, ſanctorum verbis Euangeliſtarum, Matthæi videlicet & Lucæ, manifeſtatam cognouimus, libet etiam de verbi, id eſt, diuinitatis eius æternitate, in qua patri manet ſemper æqualis, beati Ioannis dicta perſcrutari: qui
Meritò virginitatis in S. Ioanne.
ſingularis priuilegio meruit caſtitatis, vt cæteris altiùs ſcripturæ conditoribus, diuinitatis ipſius caperet ſimul & pateſaceret arcanum. Neque enim fruſtrà in cœna ſupra pectus Domini Ieſu recubuiſſe perhibetur, ſed per hoc typicè docetur, quia cæleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellentiùs de ſanctiſſimo eiuſdem pectoris fonte pota-
Ezech. 1.
uerit. Vnde & meritò in figura quatuor animaliũ, aquilæ volanti comparatur. Cunctis quippe auibus aquila celſius volare, cunctis animantibus clariùs ſolis radiis infigere conſueuit obtutus. Et cæteri Euangeliſtæ quaſi in terra ambulant cum domino, qui temporalem eius generationem pariter & temporalia facta ſufficienter exponentes, pauca de diuinitate dixerunt. Hic autem quaſi ad cælum volat cum domino, qui perpauca de temporalibus eius actis ediſſerens, æternam diuinitatis eius potentiam, per quam omnia facta ſunt, ſublimiùs mente volãdo, & lympidiùs ſpeculando cognouit, ac nobis cognoſcenda ſcribendo contradidit. Ergo alij Euangeliſtæ Chriſtum ex tempore natum deſcribunt: Ioannes eundem in principio fuiſſe teſtatur dicens: *In principio erat verbum.* Alij inter homines eum ſubitò apparuiſſe commemorant, ille ipſum apud Deum ſemper fuiſſe declarat, dicens: *Et verbum erat apud Deum.* Alij eum verum hominem, ille verum confirmat eſſe Deum, dicẽs: *Et Deus erat verbum.* Alij hominem eum apud homines temporaliter conuerſatum, ille Deum apud Deum in principio manentem oſtendit, dicens: *Hoc erat in principio apud Deum.* Alij magnalia, quæ in homine geſſit, perhibẽt: ille quòd omnem creaturam viſibilem & inuiſibilem per ipſum Deus pater fecerit oſtendit, dicens: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et meritè beatus Ioannes in initio Euangelij ſui, de diuinitate Saluatoris & fidem rectè credentium ſublimiter imbuit, & hęreticorum perfidiam potenter exuperat. Fuere nanque hæretici, qui dicerent: Si ergo natus eſt Chriſtus, erat tempus, quando ille non erat. Quos primo ſermone redarguit, cùm ait: In principio erat verbum. Neque verò ait: In principio cœpit verbum eſſe, vt videlicet eum non ex tempore ortum, ſed in exortu temporum exiſtentem, ac per hoc ſine vllo temporis initio de patre natũ monſtraret, iuxta quod ipſe loquitur in Prouerbiis: dominus poſſedit me initio viarũ ſuarum, antequàm quicquam faceret à principio, ab æterno ordina-
Prou. 8
tus ſum. Item fuerunt hæretici, qui tres ſanctæ Trinitatis perſonas eſſe negantes, dicerent: Idem Deus quando vult pater eſt, quãdo vult filius eſt, quando vult ſpiritusſanctus eſt: ipſe tamen vnus eſt. Quorum deſtruens errorem, ſubiungit: *Et verbum erat apud Deum.* Si enim alius apud alium erat, duo ſunt profectò pater & filius: & non ipſe vnus, modò pater, modò filius, modò etiam ſpiritusſanctus eſt, quaſi mutabilis ſit diuinæ ſubſtantiæ natura, cùm apertiſſimè Iacobus dicat Apoſtolus: *Iac. 1.* Apud quem nõ eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Item fuere quidã praui dogmatis authores, qui Chriſtum hominem tantùm confitentes, Deum prorſus eſſe non crederent, quos conſequenter opprimit, cùm ait: *Et Deus erat verbum.* Fuere alij, qui Deum quidem illum, ſed ex tempore incarnationis factum, non autem æternum ante ſecula natum à patre putarent. Vnde quidam talium dixiſſe commemoratur: Non inuideo Chriſto Deo facto: quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundùm ipſum. Et huius nefandam refellit ſententiam Euangeliſta, cùm ait: *Hoc erat in principio apud Deum*: id eſt: Hoc verbum, quod Deus eſt, non ex tempore cœpit, ſed in principio (inquit) erat verbum, Deus apud Deum. Item fuere veritatis inimici, qui Chriſtum & ante partum virginis fuiſſe iam non negarent, non tamen natum ex patre Deum, ſed factum à patre, & ideò minorem patre, quia creaturam crederent. Etiam hos damnat Euangelicus ſermo, qui dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Si enim nihil creaturarum ſine ipſo factum eſt, patet profectò, quia ipſe creatura non eſt, per quem omnis creatura facta eſt. Et ne quis audiens factam per dominum creaturam, mutabilem eius crederet voluntatem, quaſi qui ſubitò vellet facere creaturam, quam ab æterno nunquam ante feciſſet, manifeſtè docet Euangeliſta, factam quidem in tempore creaturam, ſed in æterna creatoris ſapientia, quando & qualis crearetur, ſemper fuiſſe diſpoſitum. Et hoc eſt, quod ait: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Id eſt: Quod factum in tempore, viuum, ſiue vita carens apparuit, omne hoc in ſpirituali factoris ratione quaſi ſemper vixerat & viuit: non quia coæternũ eſt creatori quod creauit, ſed quia coæterna eſt illi ratio voluntatis ſuæ, in qua habuit ab æterno, & habet, quid & quando crearet, qualiter creatum gubernet, vt maneat ad quem finem ſingula quæ creauit, perducat. Sequitur: *Et vita erat lux hominum.* Quo verbo apertiſſimè docetur, quòd ipſa vitalis ratio, per quam omnia diſpoſita ſunt & reguntur, non omnem creaturam, ſed rationalem tantùm, vt ſapere poſſit, illuminat. Homines nanque, qui ad imaginem Dei facti ſunt, percipere ſapientiam poſſunt, animalia non poſſunt. Sed & animalis quicunque eſt homo, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Vnde benè cùm *1. Cor. 2.* dixiſſet, vita erat lux hominum, ſubnixit & de his, qui ab humanæ conditionis honore procul *Pſal. 48.* recedentes, comparati ſunt iumentis inſipiẽtibus, & ſimiles facti ſunt illis, atque ideò rectè veritatis lumine priuantur. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux quippe hominum eſt Chriſtus, quia omnia, quæ illuminari merentur, corda hominum ſuæ præſentia cognitionis illuſtrat. Tenebræ autem, ſtulti ſunt & iniqui, quorum cæca præcordia lux æternæ ſapientiæ, quales ſint, manifeſtè cognoſcit, quamuis ipſos radios eiuſdem lucis nequaquam per intelligentiam capere poſſint: veluti ſi quilibet cæcus iubare ſolis obfundatur, nec tamen ipſe ſolem, cuius lumine perfunditur, aſpiciat. Sed nec tamen tales omninò ſuperna pietas deſpexit, verùm medelam eis ſalutis, qua ad videndam lucem peruenire poſſent, adhibuit. Ipſa lux inuiſibilis, ipſa Dei ſapientia carne, in qua videri poſſet, induta eſt, quæ in ho-

minis habitu apparens, & loquens hominibus, paulatim fide purificata eorum corda ad cognitionem ſuæ diuinæ viſionis proueheret. Miſſus eſt ante illum homo magni meriti, cuius teſtimonio pararentur omnes ad audiendam mox vt appareret ipſa Dei ſapientia, ad videndum ipſum ſolem iuſtitiæ nube iam corporis tectum, id eſt, ad videndum audiendumque hominem, qui Deus eſſet, plenum gratiæ & veritatis. *Fuit, inquit, homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes* *Ierem. 17* *crederent per illum.* Non ait, vt omnes crederent in illũ. Maledictus enim homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum: ſed vt omnes crederẽt per illum, hoc eſt, per illius teſtimonium crederent in lucem, quam nec dum videre nouerant, dominum videlicet Ieſum Chriſtum, qui de ſeipſo teſtatur: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur *Ioan. 8.* me, ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ vitæ. Sequitur: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet* *Matth. 5* *de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem homi-* *Ephes. 5.* *nem venientem in hunc mundum.* Et ſancti quidem homines lux ſunt rectè vocati, dicente ad eos domino: Vos eſtis lux mundi. & Apoſtolo Paulo: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Sed multùm diſtat inter lucem, quę illuminatur: & lucem, quæ illuminat, id eſt, inter eos, qui participatione veræ lucis accipiũt, vt luceant: & ipſam lucem perpetuam, quæ non ſolùm lucere in ſeipſa, ſed ſua præſentia quoſcunque attigerit, illuſtrare ſufficit. Ad cuius veræ lucis comparationem, non tantùm minores quilibet electi, *Matth. 11.* verumetiam ipſe Ioannes, quo maior inter natos mulierum non ſurrexit, lux non eſſe aſſeritur vt videlicet Chriſtus nõ eſſe, quod putabatur, monſtretur. Ille enim vt ſcriptum eſt, erat lucerna ardens & lucens. Ardens, ſcilicet, fide & dilectio- *Ioan. 5.* ne: & lucens verbo & actione. Gratiam verò lucis ** peccatoribus.* * peccatoribus infundere, ſolius eſt eius, de quo *Ioan. 1.* dicitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum: omnem videlicet, qui illuminatur, ſiue naturali ingenio, ſiue ſapientia diuina. Sicut enim nemo à ſeipſo eſſe, ita etiam nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt: ſed illo il- *Eccleſ. 1.* luſtrante, de quo ſcriptum eſt: Omnis ſapientia à domino Deo eſt. Cuius vtramque naturam, & diuinam ſcilicet, qua ſemper vbique totus manet, & humanam, ex qua in tempore natus, loco incluſus apparuit, conſequenter deſcribit Euangeliſta, dicens: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt.* In mundo quippe erat, & mundus per ipſum factus eſt: quia Deus erat, quia totus vbique, quia ſuæ præſentia maieſtatis ſine labore regens, & ſine onere continens quod fecit: *Ioan 1.* *Et mundus eum non cognouit*: quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Mundũ nanque dicit hoc loco homines mũdi amore deceptos, atque inhærendo creaturæ, ab agnoſcenda creatoris ſui maieſtate reflexus. *In propria venit.* Quia in mundo, quem per diuinitatem fecit, per humanitatem apparuit. In propria venit, quia in gente Iudæa, quam ſibi præ cæteris nationibus ſpeciali gratia copulauerat, incarnari dignatus eſt. In mundo ergo erat, & in mũdum venit. In mundo erat per diuinitatem, in mundum venit per incarnationem. Venire, quippe vel abire, humanitatis eſt: manere, diuinitatis. Quia ergo cùm in mundo eſſet per diuinitatem, mũdus eum non cognouit, dignatus eſt venire in mundum per humanitatem, vt vel ſic mundus eum cognoſceret. Sed videamus quid ſequatur: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Quem enim in potentia deitatis cuncta creantem regentémque non cognouerant, ipſum in carnis infirmitate miraculis coruſcantem recipere noluerunt. Et quod eſt grauius, ſui eum non receperunt, homines ſcilicet, quos ipſe creauit, Iudæi, quos peculiarem ſibi elegerat in plebem, quibus ſuæ cognitionis reuelauerat arcanum, quos mirificis patrum glorificauerat actis, quibus ſuæ legis doctrinam contulerat, ex quibus ſe incarnandum promiſerat, & in quibus ſe incarnatum vt promiſerat, oſtendit, ipſi eum recipere venientem ex magna parte recuſarunt. Neque enim eum omnes recuſarunt: alioquin nullus eſſet ſaluus, & ſuperuacua eſſet eius incarnatio. Nũc autem multi eum ex vtroque populo non credendo reſpuerunt, multi credendo receperunt, de quibus Euangeliſta conſequenter inſinuat, dicẽs: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Conſideremus fratres chariſſimi, quanta gratia redemptoris noſtri, quàm magna ſit multitudo dulcedinis eius. Vnicus ex patre natus eſt, & noluit remanere vnus. Deſcendit ad terram, vbi fratres ſibi, quibus regnũ patris ſui dare poſſet, acquireret. Deus ex Deo natus eſt, & noluit Dei tantùm filius manere. Hominis quoque filius fieri dignatus eſt, non amittens quod erat, ſed aſſumens quod non erat, vt per hoc homines in Dei filios transferret, gloriæque ſuæ faceret cohæredes, qui quod ſemper habebat per naturam, inciperent habere per gratiam. Conſideremus quanta eſt virtus fidei, cuius merito datur poteſtas hominibus filios Dei fieri. Vnde bene ſcriptum eſt, quia iuſtus ex fide viuit. Viuit enim iuſtus ex fide, non illa, quæ labiorum tantùm confeſſione profertur, ſed ea, *Gal. 15.* quæ per dilectionem operatur. Alioquin fides, *Iac. 2.* ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Nullus ſeipſum deſpiciat, nullus de ſua ſalute deſperet. Curramus omnes, curramus ſinguli, vt qui eramus longè, mereamur fieri propè in ſanguine Chriſti. Videamus quod dicitur, quia quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quotquot, inquit, receperunt. Non eſt *Act. 10.* enim perſonarũ acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Quo autem ordine credentes filij Dei poſſint fieri, & quantum hæc generatio à carnali diſtet, ſubſecutus Euangeliſta deſignat: *Qui non ex ſanguinibus, inquit, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Carnalis quippe noſtra ſingulorum generatio ex ſanguinibus, id eſt, ex natura maris & fœminæ à complexu coniugij duxit originem. At verò ſpiritalis generatio, ſpiritus ſancti gratia miniſtratur, quam Dominus à carnali diſtinguens, ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Verùm ne quis hominum dubitet filium ſe Dei & cohæredem Chriſti poſſe fieri, dat exemplum Euangeliſta, quia & ipſe filius Dei homo fieri, & inter homines habitare dignatus eſt: vt humanæ particeps exiſtendo fragilitatis, homines diuinæ virtutis ſuæ donaret eſſe participes. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit,*

Ioan. 3. *habitauit in nobis.* Quod eſt dicere: Et filius Dei homo factus, & inter homines conuerſatus eſt. Solet nanque ſcriptura modò animæ, modo carnis vocabulo totum deſignare hominem. Animæ *Gen 46.* videlicet, vt ſcriptum eſt, quia deſcendit Iacob in Ægyptum in animabus ſeptuaginta: Carnis *Eſaia. 40.* verò, vt ruſſus ſcriptum eſt: Et videbit omnis *iuxta 70* caro ſalutare Dei. Neque enim vel animæ ſine corporibus in Ægyptum deſcendere, vel caro ſine anima videre aliquid poteſt. Sic hîc per animã totus homo, ibi ſignatur per carnem. Sic ergo hoc loco quod dicitur, Et verbum caro factum eſt, nihil aliud debet intelligi, quam ſi diceretur, Et Deus homo factus eſt, carnem videlicet induendo & animam: vt ſicut quiſque noſtrûm vnus homo conſtat ex carne & anima, ita vnus ab incarnationis tempore Chriſtus ex diuinitate, carne & anima conſtet, Deus ab æterno in æternum exiſtens verus vt erat, hominem ex tempore aſſumens in vnitatem ſuæ perſonæ verum, quem nõ habuerat. Sequitur: (Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.) Gloriam Chriſti quam ante incarnationem videre non poterant homines, poſt incarnationem viderunt, aſpicientes humanitatem miraculis reſulgentem, & intelligentes diuinitatem intus latitantem, illi maximè qui & eius claritatem ante paſſionem transfigurati in monte *1. Pet 1.* ſancto contemplari meruerunt, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt fi- *Matth. 17. & 1.* lius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, *Mar 9.* & poſt paſſionem reſurrectionis, aſcenſioniſque *Luce 9.* ipſius gloria conſpecta, ſpiritus eius ſunt dono *Ioan. 1.* mirifice refecti. Quibus omnibus manifeſte cognouerunt, quòd huiuſmodi gloria non cuilibet ſanctorum, ſed illi ſoli homini, qui eſſet in diuinitate vnigenitus à patre conueniret. Quod autem ſequitur (plenum gratiæ & veritatis) gratia plenus erat idem homo Chriſtus Ieſus, cui ſingulari munere præ cæteris mortalibus datum eſt, vt ſtatim ex quo in vtero virginis concipi, & homo fieri inciperet, verus eſſet & Deus. Vnde & eadem glorioſa ſemper virgo Maria non ſolum hominis Chriſti, ſed & Dei genitrix recte credenda & confitenda eſt. Idem veritate plenus erat, & eſt ipſa videlicet verbi diuinitate, quæ hominem illum ſingulariter electum, cum quo vna Chriſti perſona eſſet, aſſumere dignata eſt, non aliquid ſuæ diuinæ ſubſtantiæ vt hæretici volunt in faciendam hominis naturam commutans, ſed ipſa apud patrem manens, totum quod erat, totam de ſemine Dauid naturam veri hominis, quam non habebat ſuſcipiens. Vnde oportet, fratres chariſſimi, vt qui humanam redemptoris noſtri natiuitatem hodie annua deuotione recolimus, & diuinam pariter & humanam eius naturam non annuo, ſed cõtinuo ſemper amplectamur amore. Diuinam, per quam creati ſumus cum non eſſemus: humanam, per quam recreati ſumus, cum perditi eſſemus. Et quidem diuina conditoris noſtri virtus, ſine aſſumptione humanitatis nos recreare erat idonea: humana autem eiuſdem redemptoris noſtri infirmitas, ſine aſſumente ſe, & inhabitante in ſe, & operante per ſe diuinitate nos recreare nequiuit. Atque ideo verbum caro factum eſt, id eſt, Deus homo factus eſt, & habitauit in nobis, vt per cognitum nobis hominis habitum nobis conuerſando congruere, nos alloquendo inſtruere, nobis viuendi viam præbere, pro nobis contra hoſtem confligere, noſtram mortem moriendo ac reſurgendo poſſet deſtruere: Per coæternam vero patri diuinitatem nos interius viuificando ad diuina ſuſtolleret, remiſſionem nobis peccatorum pariter ac ſpiritusſancti dona concederet, & poſt bonorum perfectionem operum non ſolum nos ad videndam gloriam clarificatæ ſuæ perduceret humanitatis, ſed & incommutabilem nobis eſſentiam ſuæ diuinæ maieſtatis oſtenderet, in qua viuit & regnat cum patre in vnitate ſpiritusſancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

HAYMOMIS EPISCOPI
Halberſt. eiuſdem Euang. expoſitio.

IN *principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.* Quare non dicitur in hoc euangelio: Sequentia ſancti euangelij? Quia non eſt præcedens lectio quam iſta ſequatur, quæ legitur. Hic inchoat euangelium ſancti Ioannis: ideo dicitur initium ſancti euangelij. In alijs autem euangelijs quæ leguntur in anno, ſequentia dicitur, quia præcedunt euãgelicę lectiones, quas illa ſequitur quæ legitur. *In principio erat verbum.* Ezechiel propheta cum eſſet iuxta fluuium in Ba- *Ezech. 1.* bylone, vidit viſiones Dei, & inter cæteras vidit ſimilitudinem quatuor animalium. Primum animal in ſimilitudinem hominis, ſecundum in ſimilitudinem leonis, tertium in ſimilitudinem vituli, quartum in ſimilitudinem aquilæ. Quæ animalia quatuor, quatuor euãgeliſtas præfigurabant. Animal quod habebat ſimilitudinem hominis, præfigurabat Matth. euang. qui ab humana generatio- *Matth. 1.* ne Chriſti, exorſus eſt ſcribere euangelium ſuum dicens: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Animal quod habebat ſimilitudinem leonis, præfigurabat Marcum euãg. qui dicit *Marc 1.* in initio ſui euangelij: Vox clamantis in deſerto. Quia ſicut leo in deſerto rugit, ita ipſe à prædicatione Ioannis qui in deſerto prædicauit, inchoauit euangelium ſuum dicens: Vox clamantis in deſerto, parate viam domini, rectas facite ſemitas eius ſcilicet Dei noſtri. Animal quod habebat ſimilitudinem vituli præfigurabat Luc. euang. quia à ſa- *Luc. 1.* cerdotio Zachariæ inchoauit euangelium dicens: fuit in diebus Herodis regis, Sacerdos nomine Zacharias, quia vitulus hoſtia Sacerdotum erat. Animal quod ſimilitudinem habet aquilæ præfigurabat B. Ioan. euang. qui imitatus eſt aquilam. Quomodo aquila omnibus auibus altiùs volare conſueuit: ita vt nubes aliquando tranſcendat: & irreuerberatis oculis radio ſolis intendit. Sic B. Ioan. tranſcendit omnia terrena mentis intuitu viſibilia & inuiſibilia, & omnes campos aeris, & omnes montes, & colles & omnes cælos, & omnes ordines angelorum, & ad Dei patris & verbi illius contemplationem peruenit mente, id eſt intellectu, & dixit. *In principio erat verbum*, id eſt, in patre erat filius. Principium dicitur Deus pater, quia ab ipſo omnis creatura ſumpſit exordium vt eſſet, dicitur & filius principium, vt in ſequentibus huius euangelij habetur, vbi interrogantibus Iudæis dominum quis eſſet, reſpondit dominus: Ego principium, qui & hoc loquor vobis, Id eſt, principium me credite. Et ſi pater principium, & filius principium, nunquid ſunt duo principia?

Non

Non vnum eſt principium. Sicut non duo dij: ſed vnus eſt Deus, Ita non ſunt duo principia pater & filius ſeparati à ſe, ſed vnũ principium. Faciam tamen diſtantiam inter principium patris & principium filij. Pater principium dicitur, ſed non de principio. Sicut Deus non de Deo, lumen non de lumine, Omnipotens non de omnipotente, Filius verò dicitur principium, ſed de principio, id eſt, de Deo patre, ſicut Deus de Deo, lumen de lumine, omnipotens de omnipotente. Et quare dicitur verbum patris? vt incorporalis credatur ſicut & Deus pater incorporalis eſt. Ideo dicitur verbum, quia ſicut homo per verbũ ſuum manifeſtat aliis conſilium ſuum vel voluntatem, ita per verbum, hoc eſt per filium ſuum manifeſtauit ſe hominibus, & cognitionem ſuam dedit. Et vbi erat illud verbum? Apud patrem erat. Non erat alicubi. Deus pater non genuit verbum extra ſe, ſed intra ſe, ſicut conſilium gignitur in mente hominis. Et iſtud verbum non eſt tranſitorium, ſicut verbum humanum, ſed æternum: Et quod erat illud verbum? Deus erat. Sicut Deus eſt pater, ita & filius Deus eſt. *Hoc verbum erat in principio apud Deum.* Si prius principium, de quo diximus in principio erat verbum, refertur ad patrem, ſequens principium referamus ad initium creaturarum. Hoc ergo verbũ Dei patris, id eſt, filius in principio temporis, id eſt, in initio quando factum eſt cælum & terra, apud patrẽ erat. Et non ſolum in initio temporis, ſed etiá ante initium, ante omnia tempora, ante omnem creaturam fuit filius Dei apud patrem, iuxta quod ei dicit pater. Ante luciferum genui te. Vndè & ad comprobandam æternitatem filij, quam habet cũ patre & ſpiritu ſancto, euangeliſta quater vſus eſt verbo præteriti temporis, erat, erat, erat, erat. *Hoc erat in principio apud Deum.* Vndè poſſumus hoc dicere, quod filius fuit apud patrem in exordio temporis? Ex ſequentibus. *Quia omnia per ipſum facta ſunt.* Cùm dicit omnia nihil excludit. Omnia ſiue viſibilia ſiue inuiſibilia, ſiue cæleſtia, ſiue terreſtria, ſiue infernalia, per ipſum, id eſt, per verbum Dei patris facta ſunt. Iuxta quod Pſal. dicit de eo ad Deum patrẽ. Omnia in ſapientia feciſti, id eſt, in filio. Et alibi: Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Dictio, Dei, nihil aliud eſt niſi verbum illius per quod fecit omnia. Per quod factus eſt angelus in cælo, per ipſum factus eſt vermiculus in terra. Sed angelus dignus effectus eſt cælo, vt ibi ſtaret vermiculus terræ. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ſine ipſo, id eſt, ſine verbo Dei patris, factum eſt nihil. Nihil non eſt aliquid, ſed nihil eſt peccatum, & ideo non eſt à Deo factum. Et homines cum peccant, nihil fiunt. B.
1. Cor. 8. Paul. apoſt. dicit: Scimus quia idolum nihil eſt, & peccatum nihil eſt. Si nihil ſunt, ideo à Deo non ſunt facta. *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Factum eſt cælum. Nunquid cælum eſt vita? Facta eſt terra. Nunquid terra eſt vita? Factum eſt mare. Nunquid mare eſt vita? Nõ. Quid eſt ergo quod dicit: Quod factum eſt in ipſo vita erat? Ita intelligendum eſt: Quod factum eſt ſiue viuens vt angelus, ſiue vita carens, vt cælum, terra, mare, omnia in verbo Dei viuebant antè quam fierent. Sicut verbi gratia, ars viuit in artifice. Ponamus modo in exẽplũ vnum fabrum, Fabrum dico carpentarium. Vult ædificare domum aut arcam, pergit in ſyluam, conſpicit arborem, quam viderit ſuo operi congruam, dicit: Certè de hac arbore poſſum ædificare domum aut Arcam facere, illa arbor necdum eſt inciſa, adhuc in ſua ſtatura permanet, & tamen iam viuit ars in anima artificis quid de illa debebat facere. Poſtquam autem fabricata fuerit domus ab illo ſiue arca, ſi vetuſtate perierint, aut igni traditæ fuerint, iterũ poteſt artifex ſimiles illis facere. Quare? quia in anima illius qui viuit, viuit ipſa ars qui priorem domum aut arcam fecit. Sic in Deo omnipotente qui eſt vita, viuebat omne antè quá fieret, qualiter ergo iſtum mundum faceret & qualiter gubernaret, & quem finẽ vſque perduceret totum, ſciebat Deus omnipotens antè quam illum crearet. Et ſi fieri poſſet vt iſte mundus periſſet pòſt quam factus eſt, in ſimilem ſtatum à Deo reformari poſſet. Sed Deus continet illum ne pereat. Plato dicit quod ſimilem mundum habuerit Deus omnipotens, ad cuius ſimilitudinem fecit iſtum mundum. Sed nos illum mundũ quem dicit Deum habuiſſe, ad cuius ſimilitudinẽ iſtum mundum fecerit, poſſumus intelligere ſuam ſapientiam, in qua habuit qualiter ipſe eum crearet.
Et vita erat lux hominum. Vita, id eſt, vitalis ratio Ioan. 14.
quæ eſt Chriſtus, qui dicit: Ego ſum via veritas & vita. Erat lux hominum. Quare lux hominum? Quia homo ad imaginem Dei eſt conditus, & habet rationalem mentem, per quam poſſit percipere ſapientiam, & diſcernere inter bonum & malũ, inter Deum & hominem, inter creatorem & creaturam, inter temporalia & æterna, inter terrena & cæleſtia. Animalium autem non eſt lux Chriſtus, quia non habent rationalem intellectũ, per quem poſſint illuminari. Neque etiam paganorum, Iudæorum, & Hæreticorum lux eſt Chriſtus, quia in tenebris ignorantiæ & infidelitatis manent. Et
completur in illis quod Pſal. dicit: Homo cum in Pſal. 48.
honore eſſet, non intellexit: cõparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis. *Lux in tenebris lucet.* Tenebras appellat hic infideles paganos: hæreticos, & falſos chriſtianos, homicidas, adulteros, periuros, rapaces, & cæteris implicatos criminibus, quòd infideles appellentur tenebræ, manifeſtat
Paul. quum dicit credentibus. Fuiſtis aliquando Ephe. 5.
tenebræ, id eſt, infideles, nunc autem lux in domino, id eſt, fideles. Lux eſt Chriſtus, qui dicit: Ego ſum lux mundi. Lux in tenebris lucet, id eſt, in cordibus infidelium & peccatorum hominũ: quia
omnia quæ cogitãtur ab illis & loquũtur & agũt, Hebr. 4.
omnia ſunt nuda & aperta oculis eius. Quicquid cogitamus & operamur, omnia ſcit ipſe, & ſemper præſens eſt operibus noſtris, cuius præſentiam non conſyderamus cum peccamus. *Et tenebræ eam non comprehenderunt*, id eſt, infideles, lucem quæ eſt Chriſtus, non comprehẽderunt intelligendo. Ponamus nos cæcum in exemplum. Si poſueris cæcum contra ſolem, & in omni parte perfuſus fuerit à ſole: ipſe abſens eſt ſoli, quia non videt eum, ſol autem præſens eſt illi, quia ex omni parte illuminat eum. Similiter Deus omnipotẽs omnia infidelium & peccatorum hominum opera intuetur, & ipſe à nemine videtur iniquorum & malignorum, quia non intelligunt eum. Si hoc ſpecialiter vis referre ad Iudæos: Lux in tenebris lucet, id eſt, Chriſtus. Multa mirabilia fecit in populo Iudæorum, & cæleſtem doctrinam protulit. Et tenebræ, id eſt, Iudæi, eam lucem, id eſt, Chriſtum, non comprehenderunt. Comprehenderunt corpore, quia morti tradiderunt, tamen non comprehẽderunt mente vt crederent in eum & ſaluarentur

tur

tur. *Fuit homo miſſus à Deo* quia dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt. Miſſus eſt ante illum magnus homo, id eſt, Ioannes, per cuius teſtimonium inueniretur plus quam homo, id eſt, verus Deus. Miſſus eſt. A quo? A Deo patre & filio & ſpiritu ſancto. *Cui nomen erat Ioannes.* Ioannes interpretatur gratia Dei. Et recte interpretatur gratia Dei, quia gratiam Dei, id eſt, Chriſtum, nunciare venerat. Gratia Dei dicitur Chriſtus, quia non noſtris meritis præcedentibus, ſed miſericordia Dei patris ad ſalutem noſtram datus eſt nobis. Quòd Chriſtus appellatur gratia Dei, Paul. apoſt. manifeſtat in epiſtola ad Heb. quum dicit.
Hebr. 2. Vt gratia Dei, id eſt, Chriſtus pro omnibus guſta-
Mala. 3. ret mortem. Sicut B. Ioannes appellatur angelus, quia aduentum filij Dei nunciauit: ſic dicitur gratia Dei, quia Chriſtum nunciare venit. *Hic venit.* Qualiter venit? Naſcendo, prædicando, baptizando. Quare venit? *Vt teſtimonium perhiberet de lumine,* id eſt, de Chriſto. Quando teſtimonium perhibuit de Chriſto? Quando vidit eum venientem ab baptiſmum ſuū, & dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et in ſequentibus: Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. *Vt omnes crederent per illum* Non ait, vt omnes crederent in illum. Quia maledictus homo qui cōfidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Deo recedit cor eius. Sed dicit: Vt omnes crederent per illum, id eſt, per illius teſtimonium crederent omnes in filium Dei vnigenitum. *Non erat ille lux.* Quid ergo erat? Lucerna erat, domino alibi teſtante. Erat ille lucerna ardens & lucens, lucens verbo & opere, ardens fide & dilectione. Lucerna enim ad tempus accendi poteſt,
Ioan. 5. & ad tempus extingui. Ita fuit B. Ioannes ad tempus accenſus, quia gratia Dei & ſpiritu ſancto eſt repletus in vtero matris. Iuxta quòd angelus dixit patri eius. Et ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex
Luc. 1. vtero matris ſuæ. Extinctus eſt, quia mortuus eſt. Et ſicut lucerna non poteſt habere à ſe lumen niſi extrinſecus accipiat, ſic B. Ioannes nihil boni ha-
Math. 5. bere poterat, niſi à Deo percepiſſet. Tales fuerunt & apoſtoli quibus dominus dixit: Vos eſtis lux mundi. Sicut enim lumina oculorum noſtrorum in vanum patent, niſi aut ſol in die exeat, aut lucerna aut candela accendantur. Sic Petrus & Ioannes & cæteri, niſi à vera luce, quæ eſt Chriſtus, illuminarentur, fruſtra dicerentur eſſe lux. *Erat lux vera,* id eſt, Chriſtus ad comparationem temporalis lucis quæ mane oritur & veſperè decidit. Dicitur Chriſtus lux vera, quia nec initio incipitur, nec fine terminatur, ſed ſemper permanet in ſua diuinitate. *Quæ lux,* id eſt, Chriſtus, *illuminat omnem hominem* aut per naturale ingenium, aut per ſtudium & lectionem. Sicut enim nemo à ſeipſo eſſe poteſt, niſi à Deo creatus: Sic nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, niſi ab eo illuminetur, de
Eccle. 1. quo dicitur: Omnis ſapientia à domino Deo eſt, & cum eo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Quom dicit omnem hominē, generalitatem poſuit pro ſpecialitate. Qui illuminat omnem hominem, ſubditur qui illuminari meretur. Talis loquutio eſt Pauli apoſt. vbi dicit: qui omnes homines vult ſaluos fieri, id eſt, qui ſaluantur. Et apparuit gratia
1. Timot. 2. ſaluatoris noſtri omnibus hominibus. Quibus apparuit? Subauditur qui crediderunt. *Venientem in hunc mundum,* id eſt, naſcentem. *In mundo erat.* Quando filius Dei accepit carnem & animam in vnitate ſuæ perſonæ. In mundo erat per diuinitatis plenitudinem. Fuerunt hæretici qui dixerunt dominum non fuiſſe antè quàm ex Maria virgine naſceretur. Hoc redarguit Euang. quum dicit. In mundo erat. Habes de immenſitate patris exemplum, dicente eo per prophetam. Cælum & ter- Hier. 3.
ram ego impleo. De immenſitate filij. Sapientia Sap. 8.
attingit à fine vſque ad finem fortiter, id eſt, ab oriente vſque ad occidentē, ab Aquilone vſque ad meridiē, à ſummo cælo vſque ad profundū abyſſi. De immenſitate ſpiritus ſancti, ſpiritus domini repleuit orbē terrarū. Sicut enim Deus pater omnia implet, ſic & filius, quia ipſe dixit: Ego & pater vnum ſumus. Nec localiter venit idem filius ad Ioan. 10.
Mariam, ſed in eo loco vbi erat ibi accepit carnem & animam. *In mundo erat* per diuinitatis plenitudinem & non per extēſionem, *& mundus per ipſum factus eſt.* Mundus hic appellatur vniuerſitas, quæ conſtat ex cælo & terra. Mundus per ipſum factus eſt, Cælum & omne quod in eo eſt, terra & omne quod in ea eſt, mare & omne quod in eo eſt, flumina & omne quod in eis eſt. Hoc eſt quod ſuperius dixit: Omnia per ipſum facta ſunt. *Et mundus eum non cognouit.* Nunquid cæli non cognouerunt qui in eius natiuitate nouam ſtellam protulerunt. Nunquid non angeli non cognouerunt Matt. 4.
qui acceſſerunt & miniſtrabant ei? Nunquid terra non cognouit, quæ eo moriente contremuit? Nunquid infernus non cognouit, qui hos quos tenebat vinctos, reddidit? Nunquid mare non cognouit, quod eius pedibus ſe calcabile prebuit? Nunquid ſol non cognouit, qui in eius paſſione obtenebratus eſt? Nunquid petræ non cognouerunt, quæ in eius morte ſciſſæ ſunt? Omnia iſta cognouerunt auctorem ſuum. Sed mundus hîc non ponitur pro his elementis, quæ modo diximus, id eſt, pro cælo & terra, ſed pro amatoribus mundi. Sicut enim electi appellantur cæli, iuxta quod Pſal. Dicit: Cæli enarrant gloriam. Similiter & reprobi appellantur mundus, hoc eſt, appellantur quòd & ipſum eſt in quo habitant. Et mundus eum non cognouit, id eſt, Iudæi, Normani, qui plus diligunt mūdum quam Deum. Mundi amatores non crediderunt in eum. *In propria venit.* Dupliciter poſſumus intelligere hoc. In propria venit, id eſt, in mūdum quem fecit per diuinitatem, venire dignatus eſt per humanitatem. Venire nanque & abire humanitatis eſt: manere verò & eſſe diuinitatis eſt, quia ſecundum diuinitatem non tranſit Deus in locum. *Et ſui eum non receperunt,* id eſt, homines quos ipſe creauit non receperūt eum per fidem. Deberent illum recipere vt dominum & patrem, ſed non fecerunt. Vndè etiam conque- Malach. 1.
ritur per prophetam: Si ego dominus, vbi timor meus? Et ſi ego pater, vbi amor meus? Vel aliter. *In propria venit,* id eſt, in populo Iudæorum incarnatus eſt quem ſibi elegit in plebem peculiarem, & cui dedit regnum & ſacerdotium, cui etiam ſe promiſit venturum. Ex illis elegit matrem virginem ex qua naſceretur, & apoſtolos, *& ſui,* id eſt, propinqui Iudæi, *non receperunt eum,* id eſt, non Luca. 10.
crediderunt in eum. De reprobis dicitur. Sed po- Ioan. 9.
tius tradiderunt eum Pontio Pilato, & reſpuerunt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Ioan. 9.
Et hunc neſcimus vnde ſit. Et non habemus regem niſi Cæſarem. Poterat quis dicere: Si nemo recepit eum per fidem, ergo ſuperfluus fuit eius aduentus? Nam multi ſpreuerunt eum, & multi recepe-

receperunt eum. De illis qui receperunt eum, ſicut ſancti Apoſtoli & cæteri credentes, dicit Euang. *Quotquot autem*, id eſt, quanticunque *crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt ſicut filius Dei eſt ipſe per naturam, ita & illi eſſent filij Dei per gratiam baptiſmatis & per adoptioné, id eſt, per electionem. *His qui credunt in nomine eius* his dedit hanc poteſtatem, vt filij Dei appellentur, qui credunt eum vnigenitum a patre. Quidam hæretici æſtimant Ioannem & Iacobum angelos fuiſſe natura. Ioannem propter hoc quod dicitur: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Pater hoc dicit ad filium ſuum per Mal. prophetam. Sed ad reprobandam hæreſim illorum dicit euangeliſta: fuit homo miſſus à Deo. Homo, ſcilicet, ex maſculo & fœmina procreatus, ſicut nos ſumus. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Duas natiuitates habemus, vnam carnalé alteram ſpiritualem. Prima natiuitas efficit nos filios perditionis, id eſt, filios diaboli. Secunda, qua naſcimur ex aqua & ſpiritu ſancto efficit nos filios reconciliationis & filios Dei. De prima natiuitate dicitur: Quòd natú eſt ex carne, caro eſt. De ſecunda. Quòd natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. De hac loquitur euang. hic. Qui non ex ſanguinibus, id eſt, ex ſemine viri & fœminæ, quia ſemen viri & fœminæ conuertitur in ſanguinem, & inde procreatur homo. Neque ex voluntate carnis. Carnem hîc poſuit pro vxore, vt eſt illud in Gen. Quum Eua

Gen.2. adducta eſſet ad Adam, dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro, id eſt, vxor de carne mea. Neque ex voluntate, id eſt, ex delectatione mariti & coitus, ſed ex Deo nati ſunt. Ex Deo naſcitur, qui ex aqua & ſpiritu ſancto regeneratur in baptiſmate. Quod dicit: Ex ſanguinibus, non eſt latinum, quia ars grammatica docet vt ſanguis ſemper ſingulariter efferatur: ſed Græcos ſequutus eſt ille interpres, qui Euangelium tranſtulit de græco in latinum. Sicut apud græcos inuenit, ita apud latinos poſuit. Voluit autem dominus loqui ſecundum grammaticos, vt veritatem explicaret ſecundum infirmos auditores. *Et verbum caro factum eſt*, poterat aliquis dicere B. Ioan. O Ioannes prædicator veritatis, quomodo poteſt hoc fieri, vt homines efficiātur filij Dei? Et ad hoc ſubiungit ille. Et verbum caro factum eſt. Et eſt ſenſus, Si filius Dei filius hominis factus eſt, quid mirum ſi filij hominum efficiūtur filij Dei per fidem & dilectionem? Et verbum, id eſt, filius, de quo ſuperius dixit: In principio erat verbum, factum eſt caro, non mutando naturam. Neque enim diuinitas per quam facta ſunt omnia, mutata eſt in humanitatem, neque humanitas in diuinitatem. Gloria eſt humanitati aucta, nó natura mutata. Et quare dicit: Verbum caro factum eſt, & non facta eſt? Quia conſuetudo eſt ſacræ ſcripturæ vt aliquando carnem, aliquando animam pro toto homine ponat. Anima ponitur pro toto homine, vt illud in Gen. lib: Deſcendit Iacob in Ægyptum in animabus. 70.

Gen.46 Non quòd in ſolis animabus ibi deſcendiſſet, ſed ſubauditur in carne & anima. Et in actis apoſtolorum, Luca dicente: Eramus omnes animæ du-

Act.27. centæ 76. Ecōtrà, carnem ponit pro toto homine, vt ibi: Et videbit omnis caro, id eſt, omnis homo ſalutare Dei. Et hic ſynecdochicè, pars pro toto ponitur. Verbum caro factū eſt. Quod nihil aliud eſt, niſi Deus homo factus eſt, aſſumendo carnem & animam in vtero virginali in vnitate perſonæ, vt eſſent duæ naturæ Dei, & hominis, & vna perſona. Sicut enim vniuſquiſque noſtrûm, conſtans ex carne & anima vnus appellatur homo, ita diuinitas, caro, & anima filij Dei vna dicitur perſona in duabus exiſtens naturis. *Et habitauit in nobis*, id eſt, conuerſatus eſt nobiſcum in terris. Natus eſt inter homines, creuit per interualla temporis, inter homines prædicauit, miracula fecit & paſſus eſt, & reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cælum videntibus hominibus. Et hoc eſt quod propheta dicit de eo: Et vocabitur Emanuel, id eſt, nobi- *Eſaia 7.*

ſcum Deus. *Et vidimus gloriam eius*. B. Ioan. qui hoc dicit, dominum Ieſum Chriſtum transfiguratum vidit in monte cum Petro & Iacobo fratre ſuo, *Mat.17.*

ipſe vidit eum poſt reſurrectionem, & vidit eum ante paſſionem miracula patrare, cæcos illuminare, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare. Audiuit etiam eum verba cęleſtia depromere, & ideo coniungens ſe cum aliis diſcipulis dicit: Vidimus gloriam eius quę fuit in verbis & in operibus. *Gloriam quaſi vnigeniti à patre.* Quaſi non ponitur hic pro ſimilitudine, ſed pro veritate. Ac ſi diceret Euang. Talem gloriam vidimus eum habere, qualis nullum decet alium, niſi eundem vnigenitum à patre ſine tempore, & vnigenitum à matre ex tempore. *Plenum gratia & veritatis.* Gratiam poſſumus referre ad humanitatem, veritaté ad diuinitatem illius. Plenus gratiæ fuit ille homo aſſumptus à verbo Dei, quia tāta gratia collata eſt ei, vt ex quo cōcipi & formari cœpit in vtero ex miniſterio ſpiritus ſancti, perfectus eſſet Deus ſicut perfectus homo. Plenus eſt etiam dominus Ieſus Chriſtus veritate, id eſt, diuinitate, quia vt ait B. Paulus: In ipſo ha- *Coloſ.2.*

bitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et quia ita eſt, gratias agamus illi, quia cum eſſet vnigenitus filius Dei, noluit manere ſolus, ſed deſcendens ad terras per incarnationé dedit nobis Deum patrem, & accepit à nobis hominem matrem, & elegit fratres adoptiuos, cum quibus poſſideret regnum patris. *Vidimus gloriam eius.* Gloria dicitur quicquid mirabile geritur à Deo, ſiue in cælo ſiue in terra. Verbi gratia. Vides ſolem, gloria Dei eſt, quia Deus laudatur per hoc quod tale opus fecit. Gloria filij fuit, id eſt, laus mortuos reſuſcitare, leproſos mundare. Illam gloriam vidit Beatus Ioan. cum cæteris, quam nullus potuit videre ante incarnationem filij Dei. Poſt incarnationem illius meruerunt videre ſancti apoſtoli cernentes humanitatem filij Dei, miraculis coruſcantem, intelligentes diuinitatem intus latitantem, audientes etiam cæleſtia verba promentem. Ipſi denique viderunt eam poſt reſurrectiônem in gloria ac claritate, & acceperunt ab eo ſpiritum ſanctum & propter virtute viderunt eum aſcēdiſſe in cælum. Hæc fuit gloria Dei, quia inde laudabilis extitit & extat ſemper, de quo dicit Euág. Et vidimus gloriam eius, ego & cæteri apoſtoli. maximè auté B. Ioan. cum Iacobo fratre ſuo & Petro, qui viderunt Ieſum transfiguratum, potuerunt dicere. Vi- *Math.17.*

dimus gloriam eius. Nos qui glorificatum vidimus, ſi conſideremus humanitatem illius, plenus eſt homo, ſi diuinitatem, plenus eſt Deus.

* * *

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulgarien. eiuſdem Euang. expoſitio.

IN *principio erat verbum.* Sicut & in prooemio dicebam, ita denuo dico, quòd quum Euãgeliſtæ alij inferiorem natiuitatem domini, conuerſationem, & incrementum latè narrarunt, ea Ioannes tranſcurrat quidem, vti ſatis à cõdiſcipulis ſuis dicta: de deitate autem eius qui propter nos homo factus eſt, diſſerat: tametſi ſi diligenter conſideraueris: neque illi de deitate vnigeniti dicere neglexerunt, ſed eius mentionem fecerunt, quamuis non diffuſe: neque iſte ita ſublimitati verbi intentus fuit, vt omnino poſthaberet diſpenſationem eius in carne. Vnus enim erat ſpiritus qui monebat omnium animas. Itaque nobis de filio diſſerit. Etenim pater nobis ex veteri lege notus erat: tametſi nec de patre obticeat, ſed & eius meminit de filio loquens, & oſtendens ſempiternitatem vnigeniti, dicẽdo, In principio erat, hoc eſt, à principio erat. Quod enim à principio eſt, eius omnino nullum tempus inuenium quando non erat. Et vnde, dixerit quis, manifeſtum quòd in principio idem ſit quod à principio? Vnde? Ex ipſa quidem communi conceptione, maximè autem ab 1. Ioan. 1. Euangeliſta illo. Inquit enim in vna ſuarum Epiſtolarum: Quod erat ab initio, quod vidimus. Vides igitur quomodo ille dilectus domini ſeipſum interpretetur? Etiam, inquit: Sed ego quod erat in principio, ſic intelligo, quemadmodum & à Moſe dictũ eſt, In principio fecit Deus. Sicut enim illic, quod erat in principio, non intelligitur quaſi cælum fuerit ſempiternum, ſic neque hoc loco quod ſempiternus ſit vnigenitus. Hæc quidẽ hæreticus. Nos autem ad hãc ſtultam inſtantiam nihil aliud dicimus, quàm hoc, O Sophiſta malitiæ, quomodo quod ſequitur, obſeruaſti? At nos etiam hæc te Geneſ. 1. nolente dicemus. Nam illic quidem Moſes dicit, In principio fecit Deus cælum & terram: hoc autem loco, In principio erat verbum. Quæ igitur communio verbi fecit, ad verbum erat? Et quidem ſiluiſſem, ſi hoc loco ſcriptum fuiſſet, In principio fecit Deus filium. nunc autem inquit, In principio erat. Ex quo intelligo ſempiternum fuiſſe verbum, & non poſterius conditum, ſicut vos nugamini. Quare autem non dixit, Ab initio erat filius, ſed, verbum? Audi, propter auditorum infirmitatem. Ne audito ſtatim ab initio filij nomine, cogitaremus natiuitatem corporalem, & ab affectionibus proficiſcentem. Et eius gratia ipſum vocauit verbum, quò diſcas, quòd ſicut verbum gignitur ex mente ſine paſſione, ita & hic à patre natus eſt abſque vlla affectione. Vel aliter, ideo verbum appellauit, quia paterna nobis annunciauit, quemadmodum omne verbum mentis voluntates annunciat. Inſuper vt oſtendat coæternum eſſe patri filium. Sicut enim dici nequit mentem aliquãdo eſſe abſque verbo, ita neque patrem & Deum abſque filio. Dictum eſt autem cum articulo, illud verbum. Sunt enim multa etiam alia verba Dei, vt prophetiæ & mandata: ſecundum Pſal. 102. quod dictum eſt de angelis, Potentes virtute, facientes verbum eius. ſed proprie verbum ſubſiſtentia eſt perſonam conſtituens. *Et illud verbum erat apud Deum.* Et hoc loco manifeſtius indicat coæternum patri filium. Ne enim exiſtimes quòd pater aliquando fuerit abſque filio, dicit: Et illud verbum erat apud Deum, hoc eſt cum Deo, in ſinibus paternis. Apud, enim intelligere debes pro cum: ſicut & alio loco dictum eſt, Nónne fratres Marc. 6. eius & ſorores eius apud nos ſunt? hoc eſt nobiſcum ſunt, & nobiſcum conuerſantur? Sic & hoc loco apud Deum intellige, hoc eſt, cum Deo erat, cum Deo in ſinubus eius. Impoſſibile enim eſt Deum abſque ſermone & ſapientia eſſe. Idcirco quia verbum & ſapientia & virtus patris exiſtit filius, credimus ipſum ſemper eſſe apud patrem, & cum patre. Et quomodo, inquit, poſſibile eſt, quòd quum filius, non ſit poſterior patre? Quomodo? Diſce à corporali exemplo. Splendor ſolis nónne ab ipſo ſole eſt? Etiam omnino. Nunquid ergo & poſterior ſole, ita vt ſine eo ſol non intelligatur? Aut quomodo ſol eſſet, ſplendorem non habens? Igitur multo magis hoc de patre & filio intelligetur. Filius enim, patris quum ſit ſplendor, ſicut & Paulus dicit: ſemper cum patre credendus eſt fulgere, nec eſſe illo poſterior. Attende hic & Sabel- Heb. 1. lium Liben hoc dicto confutari. Ille enim docuit quod pater, filius & ſpiritus vna perſona ſint, & quòd vnica illa perſona apparuerit aliquando vt pater, interdum vt filius, nonnunquam vt ſpiritus ſanctus. Hæc nugatur mendacis patris filius, malignóque ſpiritu plenus. arguitur autem manifeſte ex hoc quod dicitur, Et illud verbum erat apud Deum. Manifeſte enim Euãgeliſta hoc loco alium dicit eſſe verbum, & alium Deum, hoc eſt patrem. Nam quia verbum erat apud Deum, manifeſtum quòd duæ perſonæ introducantur, etiam ſi vna natura ſit in his duobus. Quòd autem vna natura ſit, audi. *Et Deus erat illud verbum.* Vides quòd & verbum erat Deus, & ita vna erat natura patris & filij, quia & vna diuinitas. Confundãtur igitur & Arius & Sabellius. Arius quidem, qui creaturam dicit filium Dei & facturam. Confutetur autem per hoc quod dicit, In principio erat illud verbum & Deus erat illud verbum. Sabellius vero negans perſonarum trinitatem, ſed aſſerens vnitatem, renciatur per hoc quod dicitur, Et illud verbum erat apud Deum. Manifeſte enim hoc loco alium eſſe verbum, & alium eſſe patrem declarat magnus Ioannes, etiamſi non ſit aliud & aliud. Alius enim & alius de perſona dicitur, aliud & aliud de naturis. Et vt exemplo manifeſtius faciamus, Petrus & Paulus ſunt alius & alius, ſunt enim perſonæ duæ: ſed non aliud & aliud. Vna enim eorum natura eſt humanitas. Sic igitur de patre ac filio dicendum. Alius enim ſunt & alius, duæ perſonę: non autem aliud & aliud, vna enim natura eorum deitas. *Illud erat in principio apud Deum.* Ille Deus verbum, nũquam ſeparatus eſt à Deo patre. Quia enim dixerat, Deus erat verbum: ne quis diabolica illuſione turbet quoſdam, dicẽs: Ergo quia & verbum Deus eſt, aliquando inſurget contra patrem, vt gentiles fabulantur, & ſegregãs ſe ab eo, aduerſarius erit: propterea dicit quòd licet Deus ſit verbum, nihilominus cum Deo patre eſt, & ab eo nũquam ſeparatus. Non minus facile fuerit & Arianis reſpondere. Surdi audite, qui dicitis opus & facturam eſſe Dei filium. Intelligite quale nomen impoſuerit euangeliſta filio Dei. Verbum enim ipſum vocauit: vos autem opus & facturam vocatis eum, qui neque opus eſt, neque factura. Nam quum duplex ſit verbum, aliud quidem mentale, quod habemus etiam nihil loquentes, intellige

autem

autem virtutem loquẽdi. Ita enim & dormiens & nihil loquẽs habet vim loquẽdi in ſeipſo ſitam, & virtutẽ non abiecit. Eſt igitur aliud mentale, aliud vero enunciatiuum, quod per labia proferimus, hoc eſt vis eloquendi, quum id quod intus ſitum eſt in mente, in opus producimus. Quũ igitur duplex ſit verbum, neutrum horũ congruit in filium Dei, Neque enim vel enunciatiuum vel mentale verbum eſt filius Dei. Verba enim illa naturalia ſunt, & qualia apud nos. Verbum autem patris ſuper naturam eſt, nec ſubiectum artificiis illis loquendi inferioribus. Atque ita cadit Porphyrij gentilis ſophiſma. Ille enim tentans ſubuertere euãgelium, talibus vtebatur diuiſionibus. Si enim (inquit) filius Dei verbum eſt, vel eſt pronunciatiuum, vel mentale: verum neque hoc eſt, neque illud: ergo neque verbum eſt. Solutum itaque prius eſt ſophiſma hoc, quia dicimus quòd mẽtale & pronunciatiuum verbum eſt de his quę apud nos de naturalibus dicuntur: de eo autem quod ſupra naturam eſt, nihil tale. Veruntamen & hoc dicendum: Si quidem nomen verbi dignum eſſet Deo, & proprie de illo ac ſubſtãtialiter diceretur, haberet vtique locum gentilis dubitatio: at neque vllum aliud proprium nomen quis inuenerit dignum Deo: neque verbum ipſum ſubſtantialiter & proprie eſt nomen vnigeniti, ſed tantum manifeſtat abſque affectione natũ de patre filium, quemadmodum verbum de mente, & quòd filius ſit paternæ voluntatis nuncius. Et proinde ô miſer quid vellicas nomen? Nam quum dicitur pater, & filius, & ſpiritus, ad materialia laberis, & carnales fingis patres, & filios, & ſpiritum aerium, meridionalem fortè, vel ſeptemtrionalem, vel alium excitantem tempeſtatem. Cæterum ſi ſcire vis quale ſit verbum Dei, audi reliqua quæ ſequuntur. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ne exiſtimes, inquit, verbum quod in aera diffunditur & diſſoluitur, ſed factorem omnium tam mentalium quam ſenſibilium. Hic iterum Ariani inſurgunt, & dicũt quòd ſicut dicimus ſecuri fabricari ianuam quaſi inſtrumento, & aliũ eſſe fabrum qui mouet hoc organum: ita & per filium fieri omnia: non quòd ipſe ſit factor, ſed inſtrumentum, ſicut ſecuris Dei & patris factoris, & vtentis filio tanquam organo. Et ita factura (aiunt) eſt filius, ab eo condita, eò quòd per ipſum fiant omnia, ſicut & ſecuris ad hoc fit vt per eam omnia artificialia elaborentur. Et hæc ſunt maligna Arij nugamenta. Nos autem quid illis dicemus? Simpliciter ac rectè, quòd ſi in hoc creauit (vt dicit) pater filium, vt inſtrumentum haberet ad completionem creaturæ, indignior fuerit filius creaturis. Nã ſicut ſecuri, quæ eſt inſtrumentum, alia quæ per eam fiunt, digniora ſunt (propter illa enim fit ſecuris, non illa propter ſecurim) ita & creatura dignior eſt vnigenito. propter illam enim (vt dicunt) ipſe pater creauit eum, & ita, vt ſi non fuiſſet omnia creaturus neque vnigenitum produxiſſet. Quid his verbis inſipientius? Etiam (inquit) & quomodo? Non dixit quòd ipſum verbum fecerit omnia, ſed vſus eſt præpoſitione per. Quomodo? Vt ne ſuſpiceris illum vnigenitum & abſque principio eſſe filium, & Deo aduerſarium, eius gratia dixit quòd pater per verbum fecerit omnia. Finge enim regem quendam qui habet filium regem, & conditurus eſt ciuitatem, & ei concredere illius extructionem. Sicut igitur dicens quòd per filium regis condita ſit ciuitas, non ſeruum dicit filium regis, ſed monſtrat quòd hic filius habeat patrem, & non ſit ſolus: ſic etiam hoc loco Euangeliſta dicens per filium facta omnia, manifeſtauit quòd pater mediatore illo ad conditionem rerum (vt ſic dicam) vſus fuerit, non ſe minore, ſed æqualis poteſtatis, & vt valente talia perficere. Inſuper hoc tibi dixerim, quòd ſi te offendit præpoſitio per, & quæris inuenire in ſcriptura ſermonem quendam qui dicat quod verbum ipſum fecerit omnia, audi Dauid, Principio tu domine terram *Pſal. 101.* fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Vides quomodo non dixerit, quia per te facti ſunt cæli, & fundata eſt terra, ſed tu fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. quia & hæc de vnigenito, & non de patre dicit. Diſces etiam hoc & ab *Hebr. 1.* ipſo quidem Apoſtolo, qui vtitur hoc dicto in epi- *Pſal. 101.* ſtola ad Hebræos. Diſces quoque ex eodem pſalmo quum dicit, Dominus in terram aſpexit, vt audiret gemitum, & vt ſolueret mortificatos, & vt annunciet in Sion nomen domini. Nunquid alium ſignificat quàm filium Dei? Hic enim in terram aſpexit, ſiue hãc dicas quam inhabitamus, ſiue hanc noſtram naturam quæ terræ inuoluta eſt, ſiue carnem, iuxta illud, Terra es. quam & aſ- *Gene. 3.* ſumpſit, ſoluitque nos compeditos peccatorum vinculis, & filios occiſorum ab Adam & Eua, vt annunciet in Sion nomen domini. Stans enim in templo docuit de patre ſuo, quemadmodum & ipſe dicit: Manifeſtaui nomẽ tuum hominibus. *Ioan. 17.* Hæc igitur cui congruunt? Patrine, an filio? Omnino filio, Nam ipſe annunciauit nomen patris in Hieruſalem docens. Itaque poſtquam hæc dixit Dauid, ſubdit. Et tu ab initio domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. An non manifeſtè filium inducit factorem, & non inſtrumentum? Quod ſi præpoſitio per, vnionem tibi inducere videtur, quid dices quum Paulus apponat hanc partem? Dicit enim, Fidelis Deus, per quem vocati ſumus in ſocietatem filij ſui. Nam inſtrumentum hoc loco facit patrem. Et ite- *1. Cor. 1.* rum, Paulus Apoſtolus per voluntatem Dei. Et de his quidem ſatis. redeamus ad ea vnde digreſſi ſumus. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Moſes quidem *Ibidem.* de viſibili creatura loquens, nihil nobis de mentalibus manifeſtauit: Euangeliſta autem vno verbo complexus omnia, inquit, Omnia per ipſum facta ſunt, tam viſibilia quam inuiſibilia. *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Quia dixit quòd omnia ipſe fecerit: vt ne quis exiſtimet quòd & ſpiritum ſanctum creauerit, apponit quòd omnia per ipſum facta ſint. Et quæ omnia? Quæ facta ſunt: perinde ac ſi diceret, Quòd ſi quid eſt ex natura condita, illud factum eſt à verbo: ſpiritus autem quia non eſt illius factæ naturæ, non factus eſt ab eo. Itaque ſine virtute verbi nihil factum eſt quod factũ eſt, id eſt, quod eſt naturæ illius creatę ac factæ. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Pneumatomachi, qui ſpiritum negant Deum, hãc particulam ſic legunt, Et ſine ipſo factum eſt nihil. deinde hoc loco facto puncto, legunt quaſi ab altero principio, Quod factum eſt in ipſo, vita erat. & interpretantur locum iuxta ſuam mentem, dicentes quod hoc loco de ſpiritu ſancto Euangeliſta diſſerat, dicens, Quod factum eſt in ipſo, hoc eſt, ſpiritus ſanctus, vita erat. Hæc autem dicunt Macedoniani, conantes oſtendere ſpiritum ſanctum eſſe creaturam, & annumerare eum his quæ

facta

facta ſunt. Nos autem non ſic, ſed puncto facto poſtquam dixit quod factum eſt, nouum principium legimus, In ipſo vita erat. Poſtquam enim dixit de opificio quòd omnia per ipſum facta ſint, dicit poſtea de eius prouidentia, quòd non ſolum condiderit, ſed etiam ipſe ſit is qui vitam omnium creaturarum conſeruet. Etenim in ipſo vita erat. Non enim, inquit, ſuſpiceris quòd expers vitæ ſit verbum hoc, ſed in ipſo vita erat. Scio autem à ſanctorum quodam particulam hanc ſic lectam: Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt in ipſo. deinde poſito ſigno, cœpta quæ ſequuntur. Vita erat. Opinórque etiam hanc lectionem non malam, ſed rectam habere ſententiam. Sanctus enim iſte orthodoxe intellexit, quia ſine verbo nihil factum eſt quod factum eſt in ipſo, Omnia enim quæcunque facta ſunt, & condita ſunt in ipſo verbo inquam, ſine ipſo non ſunt facta. Deinde aliud inituum erat, Vita erat, & vita erat lux hominum. Vitam Euangeliſta nominat dominum, eò quòd contineat vitam omnium in ſe, & quòd ſpiritualis vitæ conciliator fuerit omnibus ratione præditis. Lux autem, non aliqua ſenſibilis, ſed ſpiritualis, quæ ipſam animam illuſtret. Non dixit autem quòd Iudæorum lumen duntaxat ſit, ſed omnium hominum. Omnes enim homines ſecundum quod mentem accepimus, & rationem ab eo quod nos creauit verbo, dicimur illuſtrari ab eo. Nam ratio data nobis, ſecundum quam rationales vocamur, lux eſt, quæ ducit nos ad ea quæ ſunt facienda, & quæ non ſunt facienda. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux, hoc eſt verbum Dei: in tenebris, hoc eſt morte & errore apparet. Nam & in morte factus eſt quaſi fuiſſet victus, ita vt cogeret hinc illum emigrare, ſicut eos quos prius abſorpſerat. Et in errore gentili fulget prædicatio. Et tenebræ eum non cóprehéderunt. Mors enim eum non comprehendit, neque error. Inuictum enim eſt lumen hoc, Deus verbum inquam. Quidam autem tenebras exiſtimarunt & carnem & vitam. Verbum enim factum, in vita & carne hac fulſit. Et tenebræ, aduerſaria inquam poteſtas, tentarunt quidem & perſequutæ ſunt lumen, ſed inuictum & infatigabile offenderút. Tenebræ autem dicitur caro, non quòd ſecundum naturam ſit talis, abſit, ſed propter peccatum. Caro enim nihil omnino habet malum, ſi naturaliter moueatur: ſed ſi præter naturam moueatur, & peccato ſeruiat, tenebræ fit & dicitur. *Fuit homo miſſus à Deo, nomen ei Ioannes.* Poſtquam dictum eſt nobis de ſubſiſtentia verbi Dei ante ſecula: quia & de incarnatione verbi dicturus eſt, ſermonem de præcurſore interſerit. Et qui alius quàm Ioannes præcurſor haberet ſermonem de ſua natiuitate, qui præcurrit & ante natiuitatem domini? Dicit igitur de præcurſore Euangeliſta, quòd fuit homo miſſus à Deo, miſſus inquam à Deo. pſeudoprophetæ enim non à Deo miſſi erant. Cæterum quum audieris quod miſſus fuerit à Deo, nihil priuatum vel humanum dicere putes, ſed diuina omnia. Et idcirco etiam angelus dicitur. Angeli enim virtus eſt nihil proprium dicere. Item quum angelum audieris, ne putes quòd natura ſit angelus, vel ex cælo deſcenderit, ſed propter opus & miniſterium vocatur angelus. Quia enim miniſtrauit prædicationi, & prænuncius fuit domini, eius gratia dictus eſt angelus.

Propterea Euangeliſta ſubuertens quorundam opinionem qui ſuſpicantur Ioannem natura fuiſſe angelum, dicit, Fuit homo miſſus à Deo. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Hic, inquit, qui miſſus erat à Deo, venit vt teſtimonium perhiberet de lumine. Deinde ne quis exiſtimet quod huius teſtimonio opus habuerit ad gloriam vnigenitus, quaſi aliqua ex parte inops, idcirco addidit quòd venit teſtificaturus de filio Dei: non quòd illius teſtimonio habeat opus, ſed vt omnes credant in illú. Num & omnes crediderunt? Minime. Quomodo igitur inquit Euangeliſta, vt omnes credant? Quomodo? Quantum in illo erat, propterea teſtificabatur, vt omnes trahat. Quamuis autem quidam diſcredant, non tamen ideo ille reprehendédus: quoniam & ſol in hoc lucet vt omnes illuminet: at ſi quis in caliginoſa quadam domo ſe incluſerit, & iubare non fruatur, quid hoc ad ſolem? Sic igitur & hoc loco miſſus quidé fuit Ioannes, vt omnes credant; quamuis autem euenerit contrarium, ille in cauſa non eſt. *Non erat ille lux illa, ſed vt teſtaretur de luce.* Quandoquidem, vt ſæpe fieri ſolet, qui teſtatur, maior eſt eo cui teſtimonium perhibet: ne exiſtimes quòd & Ioannes teſtificans Chriſto, maior illo fuerit, malam ſuſpicionem illam intercimens inquit. Non erat ille lux illa. Sed dixerit quiſpiam: Igitur non erit vel Ioannes, vel quiſpiam ſanctorum vocádus lux? Lucem vtique recte dixerimus vnunquenque ſanctorum, ſed lucem illam cum articulo neutiquá dicemus. Vnde ſi quis tibi dixerit, Ioannes lux eſt? annue. Si autem interrogarit, nunquid Ioannes lux illa eſt? dic, non. Non enim ipſe proprie lux eſt, ſed lux per participationem, habés fulgorem à vera luce. *Erat lux illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Dicturus eſt de incarnatione virginis, quòd venerit in propria, quod caro factus ſit: ne igitur quis ſuſpicetur quòd non fuerit antequam incarnaretur, eius gratia ſubuehit mentem noſtram in ſubſtantiam quæ vltra omne principium eſt, & inquit. Erat etiam antequam incarnaretur, lux vera. Et per hoc Photini & Pauli Samoſateni ſubuertit hæreſim, qui docent in ſuis dogmatibus vnigenitum tunc cœpiſſe, quando de Maria natus eſt, & ante hoc non fuiſſe. Audi & tu Ariane, qui negas verum Deũ filium Dei, quid dicat Euangeliſta: Erat lux illa vera. Et tu quoque Manichæe, qui dicis quòd ſimus creaturæ opificis diaboli, audi, quia lux illa vera illuminat omnem hominem. Si igitur malignus ille opifex tenebræ eſt, nullum vtique illuminat: atque ita veræ lucis creaturæ ſumus. Et quomodo, inquit, illuminat omnem hominem, quum videamus tam multos obtenebratos? Quantum ad ipſum attinet, illuminat omnes: dic enim, obſecro, nónne omnes rationales ſunt? nóne omnes natura ſciétes bonũ, & non ſecus habet res: nónne omnes habent virtutem ex creaturis cognoſcendi creatorem? Et ita ratio data nobis, & natura nos inſtruens, quæ & naturalis lex vocatur, hæc vocata eſt lux nobis à Deo data. Quòd autem quidá ratione vſi nó ſunt, hi ſeipſos obtenebrarunt. Nonnulli hanc dubitationem ita ſoluunt: Illuminat (inquiunt) dominus omnem hominem venientem in mundum: hoc eſt eos qui ſunt in ſtatu meliori, & dantes operam vt illuminetur anima ſua, neque illam inornatam & turpem eſſe ſinentes. *In mundo erat, & mũdus per ipſum*

 factus

factum eſt, & mundus eum non cognouit. In mundo erat, ſicut Deus vbique præſens. Quin & propter prouidentiam, & conſeruatiuam vim qua omnia conſeruat, dicendus eſt in mundo eſſe: quamuis cum hoc, inquit, dico quòd in mundo fuerit, quoniam neque mundus ipſe fuiſſet, niſi ille ipſum condidiſſet. Vbique ipſum oſtendit opificem: partim vt Manichæi inſaniam reprimeret, qui dicit malignum opificem produxiſſe omnia: & Arium confutaret, qui dicit filium Dei eſſe creaturam: partim vt omnem hominem induceret vt confiteatur factorem, & non ſeruiat creaturis, ſed adoret conditorem. At mundus, inquit, eum non cognouit: hoc eſt, promiſcuus ille populus, qui mundanis addictus eſt negociis. Mundus enim ſignificat quidem & vniuerſum hoc ſicut hoc loco dictum eſt quòd mundus per ipſum factus eſt. ſignificat autem & eos qui mundana ſapiunt: ſicut hic dicit quòd mundus eum non cognouit, hoc eſt terreni homines, quoniam ſancti omnes & prophetæ agnouerũt. *In propria venit, & proprij eum non receperunt.* Hoc loco manifeſtiſſime ingreditur ſermonem de incarnatione: & eſt totus ſententiæ contextus is, Erat quidem abſque carne lux vera in mundo, & non agnoſcebatur: deinde in propria venit cũ carne. Propria autẽ eius, vel totum mundũ intellige, vel Iudæos, quos elegit vt funiculum hæreditatis, & vt portionem peculiumque ſuum. Et proprij eũ non receperunt, vel Iudæi, vel cæteri homines qui ab eo conditi. Igitur quemadmodum deplorat dementiam hominum, ita & admiratur miſericordiam domini. Qui proprij eius, inquit, erant, non omnes receperunt eum. Nullum dominus neceſſitate cogit & attrahit, ſed voluntatem reliquit & electionem. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem fieri filios Dei, his qui credunt in nomine eius.* Siue ſerui, ſiue liberi, ſiue pueri, ſiue ſenes, ſiue Barbari, ſiue Græci, quotquot receperũt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Qui autem ſunt illi? Hi qui credunt in nomine eius, hi ſcilicet qui ſuſcepto verbo lucem veram per fidem receperunt, & declararunt: cuius gratia non dixit, quod fecerit eos filios Dei, ſed quod poteſtatem dederit eis filios Dei fieri. Cuius gratia? audi: Quia non ſufficit ad cuſtodiam puritatis, baptizari, ſed & multo ſtudio eſt opus vt imago adoptionis in filium Dei, figurata in baptiſmate, incontaminata ſeruetur: idcirco multi quidem in baptiſmo gratiam receperũt adoptionis, per ignauiam autem non fuerunt filij Dei vſque ad finem. Fortaſſis autem quis etiam hoc dixerit, quod multi recipiunt eum per hoc quod ſolum credunt, quales ſunt qui dicuntur catechumeni, nondum autem facti ſunt filij Dei. poteſtatem autem tunc habent, quum voluerint baptizari, & hanc gratiam conſequi, adoptionem inquam in filios. Dicet autem quis & hoc: Quamuis in baptiſmo adoptionis beneficium accipiamus, tamen perfectam in reſurrectione accepturi ſumus, & perfectiſſimam adoptionem tũc recepturos nos ſperamus:

Galat. 4. ſicut & Paulus inquit, Quia adoptionem filiorum accipimus. Quapropter & hic Euangeliſta non dixit, Quotquot receperunt eum, fecit eos filios Dei: ſed, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, hoc eſt, dedit vt in futuro ſeculo gratiam illam ſuſcipiant. *Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Comparationem quodammodo facit diuinæ & carnalis generationis, non abſurde reducens nobis in memoriam carnales partus, vt agnita vilitate & humilitate carnalis generationis per comparationem, ad diuinam gratiam curramus. Dicit igitur, Qui non ex ſanguinibus nati ſunt, menſtruis ſcilicet. Ex illis enim embryo nutrimentum habet & incrementum. Dicunt autem quod & ſemen primum ſanguinis naturam abiiciat, & deinde in carnem & aliam diſpoſitionem transformetur. Quia autem probabile eſt quoſdam dicturos quòd & natiuitas Iſaac fere talis fuerit, quali generantur credentes in Chriſtum (etenim Iſaac non ex ſanguinibus natus eſt: defecerant enim Saræ menſtrua) itaque quia poſſibile Gene. 18. eſt quoſdam talia ſuſpicari, ſubdit, Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Etenim quamuis natiuitas Iſaac non fuerit ex ſanguinibus, erat tamen ex voluntate viri. Voluit enim vtique vir generare ſibi puerum de Sara. Ex vo- Gene. 21. luntate autem carnis, ſicut ex Anna Samuel. Di- 1. Reg. 1. xerit enim quis Iſaac ex voluntate viri, Samuelem vero ex voluntate carnis, hoc eſt Annæ. Sitiuit enim (inquit) vt poſſideret filium ſterilis iſta. Fortaſſis autem ambo ex vtriſque. Quod ſi & aliud quid volueris diſcere, audi: Carnalis coitus vel fit à naturali ardore (ſæpe enim quis calidioris complexionis eſt, & inde ad coitum eſt propenſior) & hoc appellat voluntatem carnis: vel propter malam conſuetudinem, & intemperantiam diætæ, impetus coeundi violẽtior fit, & illum nominat voluntatem viri, quòd non ſit ex naturali conſtitutione, ſed opus ſit virilis intemperantiæ. Fortaſſis autem quia mulier interdum inuenitur ad coitum propenſior, interdum vero vir: per voluntatem quidem carnis intellexit mulieris: per voluntatem autem viri, viri laſciuiam ſignificauit. intelliges autem recte per voluntatem carnis, cõcupiſcentiam incẽdentem ad coitum carnem: per voluntatem autẽ viri, cõgreſſum ac copulam concupiſcentis, qui operis eſt principium. Poſſunt autem ambo, quia multi concupiſcunt quidem, at non ſtatim à concupiſcentia abſtrahuntur, ſed imperant illi, & in opus non labuntur. Cæterum qui vincuntur, illi primum à carne & titillante concupiſcentia ſuccenſi concitantur vt coitum velint. Igitur recte adiunxit Euangeliſta voluntatem carnis voluntati viri, quia coitum natura præcedit concupiſcentia, & in copula neceſſario præcedũt vtraque. Hæc omnia dicta ſunt propter eos qui multa ſæpe interrogant ſtulte, quoniam proprie dicendo vna ex omnibus illis ſententia declaratur, ipſa, inquam, carnalis generationis quæ conſummatur, clarior manifeſtatio. Quid igitur plus habemus nos, qui in Chriſtum credimus, quam Iſraelitæ in lege? Etenim & illi dicebantur filij Dei. Magnum ſane inter nos & illos diſcrimen: quoniam lex in omnibus habebat vmbram Hebr. 10. futurorum, neque adoptionem filiorum Dei dabat Iſraelitis, ſed quaſi in figura & typo: nos autem ſecundum veritatem, accepto ſpiritu Dei per baptiſma, clamamus, Abba pater. Sicut autem illorũ baptiſma in vmbra & in figura erat, ita & adoptio- Gala. 4. nem quoq; noſtram præfigurabat, propterea quãuis vocati fuerint filij, hoc tamen contigit eis in vmbra, neque in veritate eandẽ filiorum adoptionem habuerunt, quam nos nunc per baptiſma. *Et verbum caro factum eſt.* Poſtquã dixit quod nos credentes in Chriſtum, ſi voluerimus, efficiamur filij

Dei;

Dei: ſubinfert nũc & cauſam tãti boni. Dicit enim. Vis dicere quid conciliauit nobis hanc adoptionem in filios? Quia verbum caro factũ eſt. Quando autem audieris quòd verbum caro factum eſt: ne opineris quòd à ſua natura deſtiterit, & in carnem verſum ſit. neque enim Deus fuiſſet, ſi verſum & alteratum fuiſſet: ſed manens quod erat, factum eſt quod non erat. Apollinarius autem Laodicenus hinc hęreſim excitauit. Dogma enim eius erat, dominum & Deum noſtrum non ſuſcepiſſe perfectam hominis naturam, videlicet corpus cum anima rationali: ſed carnem ſolam mentalis & rationalis animæ expertẽ. Quid enim opus habebat anima, inquit, qui habebat deitatem, quę gubernabat corpus, ſicut nos habemus animam corpus noſtrum dirigentem? Habebat autem anſam, vt exiſtimabatur, ex præſenti dicto, Et verbum caro factum eſt. Non enim, inquit, dixit, Et factum eſt homo: ſed, caro. & ita non ſuſcepit animam quę habet mentem ac rationem, ſed carnem abſque mente & ratione. Ignorabat autem miſerabilis ille quòd ſcriptura plerũque à parte totum nominet, vtpote commemoratura totum hominem, à parte, anima ſcilicet, ipſum nominat. vt, *Gen. 15.* Omnis anima quæ non circumciditur, occidatur. Ecce enim pro eo quod eſt omnis homo, dicit partem, animam ſcilicet. Et iterum a carne nominat totum, vt quando dicit, Et videbit omnis caro ſa-*Pſal. 64. Luc. 3.* lutare Dei. Dicere enim volẽs omnem hominem, carnis nomine vſus eſt. Sic & euangeliſta pro eo quod eſt, verbum homo factum eſt: dixit, verbum caro factum eſt: a parte totum hominẽ nominans, ex anima & corpore conſtitutum. Fortaſſis autem quia caro à diuina natura alienior eſt, volẽs Euangeliſta ſignificare immenſam Dei miſericordiam, carnis meminit, vt ineffabilem eius benignitatem obſtupeſcamus, quod propter noſtram ſalutem, alienum à natura ſua, & omnibus modis peregrinum, carnem dico, aſſumpſerit. Anima enim cognationem quandam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat: idcirco opinor Euangeliſtam hoc nomine vſum: non quod per omnia expers ſit aſſumptionis, ſed ad maiorem oſtenſionem mirandi & ſtupendi ſacramenti. Nam ſi non aſſumpſiſſet animam humanam verbum incarnatum, incurabiles forent animæ noſtræ. Nam quod non aſſumpſit, non ſanauit. Et quam ridiculum, quum anima prior ęgrotarit (illam enim, cum crederet ſermonibus ſerpẽtis, deciperetúrque in pa-*Gen. 3.* radiſo, vt dominam & reginam ſequuta eſt maritus, & fructum attigit) ſi relinqueretur domina, & non aſſumeretur, nec curaretur: aſſumeretur autem & ſanctificaretur & curaretur caro. Verum Apollinarius valeat: nos autem quando audimus quod verbum caro factum ſit, credimus quod totus homo factus? quandoquidem ſcripturæ mos eſt & carnem, & animam, vt à parte, totum hominem nominare. Conuincitur autem & Neſtorius ex hoc dicto. Dicebat enim ille quod non Deus verbum fuerit homo ille conceptus ex ſanctiſſimis ſanguinibus ſanctæ virginis, ſed peperit quidem virgo hominem: iſte autem homo gratiam aſſequutus in omni virtutum genere, habuerit verbum Dei ſibi coadunatum, quod poteſtatem ei dedarat contra immundos ſpiritus: atque ita dicebat duos filios, vnum virginis Ieſum hominem, & alium filium Dei, qui adunatus quidem fuerit homini inſeparabiliter, ſed per habitum & gratiam & charitatem, quemadmodum & in alio virtutibus prædito homine. Hæc ille, ſua ſponte ad veritatem ſurdus, Nam ſi voluiſſet, audiuiſſet vtique & beatum Ioannem Euangeliſtam dicentem, Verbum caro factum eſt. Nonne manifeſte hic conuincitur? Ipſum enim verbum factum eſt homo. Non dixit quod iuncto homine virtutibus prædito, illi ſe adiunxerit, ſed factum eſt ille ipſe homo. Confutantur inſuper & Eutyches & Valentinus & Manichæus hoc loco. Illi enim dixerunt quod apparuerit homo iuxta apparentiam. audiant igitur, Verbum caro factum eſt, non dicit quod apparenter fuerit caro, ſed quod fuerit veritas & ſubſtantia, & non phantaſia. Abſurdũ enim & ſtultum eſſet credere quod quum ſit & dicatur filius Dei, mentiatur incarnationem. In hunc ſe modum mendax phantaſia ſemper oſtentat. *Et habitauit in nobis.* Quoniam ſupra dixerat, Verbum caro factum eſt: vt ne quis ſuſpicetur quod vna natura facta ſit Chriſtus, ideo ſubdit, & habitauit in nobis: vt oſtendat duas naturas, noſtram ſcilicet ac verbi. Nam ſicut alterius naturæ eſt tabernaculum, & alterius is qui inhabitat in eo: ita & verbum in nobis habitare dicitur, hoc eſt in noſtra natura, & alterius eſt naturæ quàm ſit noſtra. Confundantur Armeni, qui vnam colunt naturam. Diſcimus igitur per, Verbũ caro factum eſt, quod ipſum verbum homo factum eſt: & quum ſit filius Dei, factum eſt filius mulieris, quæ proprie Deipara dicitur, eo quod genuerit Deum in carne. Per hoc autem quod dicit, habitauit in nobis, diſcimus duas naturas credendas in Chriſto. Nam & ſi vnus ſit ſecundum hypoſtaſin, hoc eſt ſecundum perſonam: ſecundum naturas tamen duo, Deus videlicet & homo. Diuina autem natura & humana non fuerunt vna, etiamſi apud vnum videantur, Chriſtum dico. *Et ſpectauimus gloriam eius velut vnigeniti à patre, pleni gratia & veritate.* Poſtquam dixit quòd caro factum ſit, ſubdit nunc, Et ſpectauimus gloriam eius, quum videlicet eſſet in carne. Etenim quum faciem Moſi ex colloquio *Exo. 34.* Dei factam clariorem Iſraelitę videre nequiuerint, multo magis apoſtoli nudæ deitatis vnigeniti capaces non fuiſſent, niſi per carnem apparuiſſet. Spectauimus autem gloriam, non talem qualem habebat Moſes, vel eum qua gloria Cherubim & *Ezec. 10.* Seraphim prophetæ apparuerunt, ſed talem gloriam, qualem decuit eſſe vnigeniti à patre, quæ illi naturaliter ineſt. Nam velut, hic non ſimilitudinis, ſed conformationis & determinationis indubitatæ verbum eſt: ſicut cum regem vidimus cum gloria magna venientem, dicimus quod velut rex prodeat, hoc eſt, quod vere ſit rex: ita etiam hoc loco intelligere debes, velut vnigeniti, quòd gloria quam ſpectauimus, reuera fuerit gloria filij. Pleni gratia & veritate. Gratia quidem plenus, ſecundum quod ſermo eius gratioſus erat, vt ſic dicam iuxta Dauid, Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Et euangeliſta, Admirabantur omnes ſuper ſer-*Pſal. 44.* monibus gratiæ qui procedebant ex ore eius. Et *Matt. 7.* omnibus ſanctis conferebat, prout congruebat eis. Veritate autem plenus erat, ſecundum quòd ea quæ prophetæ & Moſes ipſe vel dicebant vel faciebant, figuræ erant per omnia: at quę Chriſtus faciebat, dicebatque, plena erant veritate, quum eſſet ipſamet gratia, & ipſamet veritas, aliiſq; ſuppeditaret eam. Vbi autem ſpectarũt? Quidã ſuſpi-*Matt. 17.* cantur quòd fortaſſis in monte Thabor. Fortaſſis

autem & hoc verū eſt quòd non ſolum in monte, ſed etiam in omnibus quæ dicebat & faciebat, ſpectabant gloriam eius.

INCERTI SVB NOMINE

Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.

Luc. 1. & 2. Matth. 2. Luc. 2. Matth. 2. NArrant alij Euangeliſtæ dominum & Saluatorem noſtrum ab angelo nunciatum, de virgine natum, paſtoribus reuelatum, per ſtellam declaratum, à Magis adoratum, ad templum delatum, & Simeoni præſentatum. Narrant præterea, qualiter de Iudæa cum parentibus fugerit, qualiter de Ægypto in Iudæam redierit, qualiter creuerit, & virtute & ſapientia profecerit. Hæc autem & his ſimilia dum Euangeliſtæ ſcribebant, verum hominem eſſe, & veram carnem eum ſuſcepiſſe firmabant, & hæreticos aliter credentes & docentes ſuperabant. Ioannes autem Euangeliſta altius aſcendens, & vſque ad eius diuinitatem ſe extendens, aſcēdit ſuper Cherubin, & volās ſuper pennas ventorum, penetrauit cælos, tranſcendit archangelos, & peruenit vſque ad thronum Dei, ibique vidit verbum Dei, ibi vidit dominū noſtrum Ieſum Chriſtum in ſinu patris, & tunc intellexit *Pſal. 44.* quod ſcriptum erat: Eructauit cor meum verbum bonum, intellexit vtique & dixit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Ieſus Chriſtus dominus noſter, quemadmodum dicitur filius Dei, ſic dicitur verbum Dei, ſic & virtus & ſapientia Dei. Vnum enim idémque ſignificant, filius, verbum, virtus & ſapientia. De quo verbo ait Pſalmiſta: Verbo domini cęli firmati *Pſal. 32.* ſunt. Et vt verbū & ſapientiam idem eſſe oſten*Pſal. 103.*deret, ait: Omnia in ſapientia feciſti. Nunquam igitur pater ſine filio fuit, quia nunquam ſine verbo, nunquam ſine virtute, nunquam ſine ſapientia eſſe potuit. Hæc autem ſapientia, hæc virtus, hic Dei filius, quamuis temporaliter de virgine natus ſit, in principio tamē & ante tempora erat. Et hoc eſt quod ait: *In principio erat verbum.* Taceāt igitur, quicūque Saluatorem noſtrum, priuſquàm de virgine naſceretur, non fuiſſe contendunt. Hoc enim Iudæi, & gentiles, & quidam hæreticorum dicere ſolent: quorum quidem errores Euangeliſta deſtruit, dum eum in principio fuiſſe dicit. Sed vbi erat? *Et verbum erat apud Deum.* Semper enim in patre filius, ſemper in filio pater. Vnde ipſe ait: Ego ſum in patre, & pater in me eſt. Denique vbi debuit eſſe, niſi in Deo, virtus & ſapiētia Dei? Vbi *Ioan. 14.* enim eſt virtus, & ſapientia tua, niſi in te & in animo tuo? Sic igitur & verbum Dei, id eſt, virtus & ſapientia Dei, in principio erat apud Deum: Et quid erat? *Et Deus erat verbum.* Nihil enim in Deo eſt, quod Deus non ſit: Totus enim idem eſt, & ſubſtantialiter idem. Hoc autem verbum nec ſyllabis conſtat, nec voce profertur, ſed ſemper in ſinu manens & in corde patris, cuncta diſponit, regit & operatur. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hæc autem confirmatio eſt eorum, quæ dicta ſunt. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Si igitur omnia per verbum facta ſunt, & omnia in ſapientia dominus fecit, manifeſtum eſt, quia verbum & ſapientia idem ſunt: Ibi igitur verbum, vbi & ſapientia. In nobis autem non ita fit, quia verbum in ore, in corde ſapientiam habemus. Veruntamen ſicut ſapientia noſtra voce induitur, & fit verbum vt audiatur: ita & ſapientia Dei carne induta eſt, & verbum caro factum eſt, vt ab omnibus videatur. Siue igitur verbum, ſiue ſapientia vocetur Dei filius, nulla differentia eſt. Non enim loquendo, ſed ſciendo & volendo cuncta operatur Deus. Quod enim ſcriptum eſt, Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt: non ſic eſt accipiendum, quaſi motu linguæ & aëris percuſſione aliqua ex eius ore vox inſonuerit. Sed dicere Dei, voluiſſe eſt. Omnia enim per ipſum facta ſunt, quæcunque à patre facta ſunt, & ſine ipſo nihil a patre factum eſt: nihil enim ſine ſapientia fecit Deus. Deus igitur vnus eſt, qui in ſapientia ſua, & in ſpiritu ſuo omnia operatus eſt. Cuius ſapientia carnem ſuſcepit, cuius ſpiritus in igne apparuit. Qualiter autem ſapientiam ſuam, verbum ſuum, & filium ſuum ipſe genuerit, quia ſciri non poteſt, quæri non debet. *Quod factum eſt in ipſo, vita erat: & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Duæ nanque naturæ ſunt in Chriſto, diuina ſcilicet, & humana: quarum altera facta eſt, altera facta non eſt. Humanitas enim quæ in ipſo eſt, & facta & creata eſt. Ipſe enim fecit humanitatem ſuam, ipſe fecit & matrem ſuam, *per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil.* Hoc igitur ſolum in ipſo eſt, nihilque aliud eſt, quod in ipſo factum eſt. Hoc autem vita erat, quā vs hoc Iudæi non credebant. Chriſti nanque humanitas omnium in ſe credentium ſalus & vita eſt. Vnde ipſe ait: Ego ſum via, veri- *Ioan. 14.*
tas, & vita. Idémque: Ego ſum reſurrectio & vita. *Ioan. 11.*
Et vita erat lux hominum. Si enim Chriſti humanitas vita erat, & vita erat lux hominum, ergo & Chriſti humanitas erat lux hominum. Sed quare lux? Quia lucebat, quia docebat, quia prædicabat, quia populum, qui ſedebat in tenebris, illuminabat. Vnde propheta: Populus, inquit, qui ſedebat *Eſaia 9.*
in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Hinc ipſe quoque Dominus ait: Ego ſum lux mundi: qui ſe- *Ioan. 8.*
quitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. De qua ſubditur: *Et lux in tenebris lucet.* Lux enim in tenebris lucebat, quando inter peccatores Chriſtus Dominus prædicabat. Hanc *1. Pet. 2.*
autem lucem tenebræ non cōprehenderunt, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Ipſe enim ſolus inter peccatores ſine peccato viuere potuit. Hæc ſola lux nullis tenebris eſt obfuſcata, nulla caligine denigrata, nullis vitiis maculata. Alij autem hunc locum ita diſtinguūt, vt priùs dicant, *Quod factum eſt:* deinde ſubinferat, *In ipſo vita erat:* ſed videant quomodò his ſequentia contineantur. Omnia enim quæ temporaliter fiunt, vel facta ſunt, priuſquàm fierent, in ipſo & viuebant, & vigebant. Viuunt enim omnia, quæ in Dei diſpoſitione ſunt: quia ſicut diſpoſita ſunt, non euenire non poſſunt. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Omnes enim (ſicut Lucas ait) exiſtima- *Luc. 3.*
bant de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus. Erat enim lucerna lucens & ardens. Sed non erat ipſe *Ioan. 5.*
lux, qui ad hoc ſolummodò venerat, vt teſtimonium perhiberet de lumine. *Erat autem lux*, lux æterna & indeficiens, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hanc autem lucē, illud

cande-

cãdelabrum ſignificabat, quod de auro puriſſimo, *Exod. 37.* Moyſes fieri præcepit. Quid enim tam puriſſimũ quàm eſſe ſine peccato? quid tam puriſſimum, vt ſapientia, & ſol iuſtitiæ? Habebat autem hoc candelabrum ſeptem lucernas, quibus totum tabernaculum illuminabatur, per quas ſeptẽ ſancti ſpiritus gratias intelligimus, quibus totus mundus illuminatur. Habebat autem in haſtili ſuo quatuor ſcyphos, qui quatuor Euangeliſtas ſignificabant. Habebat igitur & lucernas, quibus mentis oculos illuminaret: habebat & ſcyphos, quibus ſitientium corda reficeret & ſanaret. Omnis autem homo in hunc mundum veniens, ſola huius candelabri luce interius & exterius illuminatur. Hæc oculis viſum, & cordi tribuit intellectum. Qui hac luce non illuminatur, cæcus eſt, & in tenebris manet. Venit autem homo tunc in hunc mundum, quando naſcitur: quia tunc primùm in *Ioan. 16* hoc mundo apparet. Vnde & de ſeipſo Dominus ait: Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Deus enim qui vbique eſt, quando ſe manifeſtat, venire, quando ſpectat, recedere dicitur. Venit igitur in mundum, quia ſecundum carnem quam aſſumpſit, mundo viſibilis apparuit. Et hoc eſt quod dicitur, *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Quid eſt, in mundo erat, niſi quia viſibilis inter homines in hoc mundo conuerſabatur? Mundus autem ſecundum quoſdam eum cognouit, & ſecundum quoſdam eum non cognouit. Mundi enim amatores Chriſtum ſequi & cognoſcere noluerũt: qui quoniam ſolam huius mundi voluptatem & gloriam diligunt, non *Mundus qui ſint.* immeritò mundus vocantur. Vnde & diſcipulis ſuis Dominus ait: Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mun*Ioan. 15.*dus. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Cùm enim omnia ſua ſint, eius tamen propria Iudæi dicebantur, & illi quidem eum non receperunt, ſed eum ſpernentes dixerunt, Nolumus hunc re*Luc. 19*gnare ſuper nos. *Quotquot autẽ eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Quid enim illis maius dari potuit, quàm vt *Rom. 8.* eſſent filij Dei? Si enim filij (ait Apoſtolus) & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si verò cohæredes ſunt, eandem habent beatitudinem & poſſeſſionem. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quantum enim ad hanc ſecundam natiuitatem, qua filij Dei homines fiunt, non ſecundum viri voluntatem, neque ex voluntate carnis & ſanguinis, ſed ſecundùm voluntatem Dei ex aqua & ſpiritu ſancto regenerantur & renaſcuntur homines. Quantum verò ad primam natiuitatem, vno & ſimili modo & boni & mali omnes naſcuntur. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Factum eſt vtique verbum caro, non quòd verbum mutaretur in carnem, ſed quia carnem ſuſcipiendo, & diuinitate & humanitate vna perſona facta eſt. *Et habitauit in nobis*, ſicut Hie*Baruch. 3.*remias ait: Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum: qui adinuenit omnem viã ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate.* Hãc enim *Matt. 17.* Chriſti gloriam illi viderunt, qui ſimul cum eo erant, quando in monte transfiguratus eſt, quando reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix: quando & vox patris audita eſt, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Erat autem plenus gratiæ, ſecundum hoc quod Pſalmiſta ait: Specioſus forma præ *Pſal. 44.* filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Erat autem & veritate plenus, ſecundum illud: Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, *Ibidem.* deducet te mirabiliter dextera tua.

EVTHYMII ZIGABONI

eiuſdem Euang. explicatio.

IN *principio erat verbum.* Nomen ἀρχὴ plura ſignificat; hic autem propriè ſignificat idem quòd Semper. Huic verò ἀρχὴ coniuncta dictio Erat, ipſum omninò reddidit incognitum. Quis enim reducens mente ſua illud Erat, quòd ante omnia & vbique præcurrens, non ſinit cogitationẽ ſuam inuenire terminum? Et in creaturis quidem Erat, præteritum tempus manifeſtat. In triade verò increata, hoc etiã ſignificat dictio Semper. In nulla intellectuali ſiue ac ſenſibili creatura, id nullo ſuſcipi poteſt, vt dictum ſit, Semper erat: ſiquidem omnia poſtmodum facta ſunt: ſed id ſoli beatæ trinitati aptatur: nam ſola ipſa infecta eſt ſiue increata. Similiter quoque nomen λόγος Verbum multa ſignificat. Nunc autem propriè ſignificat Dei filium. Dicitur namque verbum filius, dicit Gregorius Theologus, quòd ad patrem ita ſe habeat, ſicut verbum ad mentem: non tantum ob generationem quæ omni affectu caret humanoque, verum etiam propter connexionem & manifeſtationem. Omnia, inquit, quæ audiui à patre meo, *Ioan. 15.* nota feci vobis. Poteſt quoque dicere quiſpiam, quòd etiam ſit quaſi definitio aſſumi definitiuam & hoc ſignificat dictio λόγος: Qui enim vi*Ioan. 14.*dit filium, inquit, vidit & patrem, hoc eſt intellexit, vt ſit ipſe filius tanquam breuis ac facilis finitio naturæ patris. Omne enim quòd genitum eſt, eius qui genuit tacens verbum eſt. Quum autem dicit euangeliſta, In principio erat verbum, demonſtrauit quòd ſemper erat: nec erat tempus aliquod aut ſeculũ, quo ipſum non erat: ipſe enim effector eſt temporum ac ſeculorum. Quare autem non dixit, In principio erat filius? Ne quis arriperet ſuſpicionem carnalis aut temporalis generationis. Ob id ſiquidem quum ipſum nominaſſet verbum, atque hinc omni tempore, omnique affectu generationem ipſius ſupernaturalem carere docuiſſet, abiectis quoque cæteris indecentibus circa eam ſuſpicionibus, poſtmodum in ſequentibus ipſum etiam libere filium dicit. Volens quoque oſtendere non modo ipſum ſemper fuiſſe ſine æternum, ſed etiam inſeparabilem ac coæternum patri, ait: *Et verbum erat apud Deum.* Non dicit, quòd erat in loco: non enim in loco continetur, qui circumſcribi non poteſt: neque quòd in Deo, ne ſtatim in primordiis, perſonarum confuſionem quis imaginetur, ſed quòd apud Deum, hoc apud patrem, vt & quod proprium eſt perſonarum appareat, quòdque inſeparabiles ſint pater & filius: & omnino manifeſtum eſt, quòd etiam ſpiritus ſanctus: ſiquidem in principio erat trinitas, ſimulque erat trinitas: *Et Deus erat verbum.* Quum verbi nomine vſus fuiſſet ad docendum in ſuperna generatione intemporalitatem, affectuúmque carentiam,

riam, curat deinceps ac tollit damnum quod ad hoc nomen ſubrepit: puta ne quis blaſphemet, putans tale verbum eſſe quale noſtrum eſt, ſiue internum, ſiue id quod proferimus: neque enim tale eſt, ſed ſubſtantiale, eiuſdẽ cum patre naturæ ac dignitatis. *Hoc verbum erat in principio apud Deum.* Quum dixiſſet quod ſemper erat, quódque à patre inſeparabile, & quod Deus erat: breui mirandóque modo, theologiam quam de hoc expoſuit, in ſummam redigit: compendium diuinæ de eo cognitionis nobis præbens. Dicentibus autem, quod omnis filius patre poſterior eſt, reſpondebimus. Quum dicitis, Omnis filius, iam id quod quæritur diſſoluiſtis. Siquidem Dei filius non eſt talis, qualis eſt Omnis filius, ſed verè ſupernaturalis. Præterea contentioſe aſſerentibus eum qui ab aliquo eſt, neceſſe omnino eſſe vt ſit poſterior eo à quo eſt, reſpondendum eſt, quòd etſi hoc dicant, ſolis tamen radius quum ab ipſo ſit, nõ eſt eo poſterior: nunquam enim ſol ſine radio apparuit. Quod ſi in ſenſibilibus ita eſt, quidnam dicere quiſpiam poterit de his quæ maiora ſunt, quam vt dici poſſint? Ex quo autem Deum ipſum eſſe prædicauit, dat etiam ei diuinitatis inſigne: dico ſane creandi potentiam: dij enim, inquit, qui cælum &

Ierem. 10. terram non fecerunt, pereant. Id autem, ne putetur patre minor eſſe. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Quum omnia per ipſum facta dixiſſet: ne putaretur id de ſenſibilibus tantum dixiſſe, ſubdidit: Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, hoc eſt nihil eorum quę facta ſunt ſiue ſenſibile ſit, ſiue intelligibile. Excluditur autem ſpiritus ſanctus: neque enim factus eſt vt inter alia comprehendatur, ſed infectus aut increatus ſicut & filius & pater. Sola namque diuina trinitas infecta ſiue increata eſt. Quum autem demonſtrauerit filium creatorem omnis viſibilis atque inuiſibilis creaturę, nõ excluſit patrem à creandi dignitate, ſed docuit tantum filium eſſe creatorem ſicut & patrem: id enim tribus commune eſt, quum ſit diuinitatis inſigne, vt prædictum eſt. Ideo quoque in diuina ſcriptura creandi potentia quandoque de patre dicitur, quandoque de filio, interdum vero de ſpiritu ſancto, tanquam videlicet patre volente, filio autem operante, ſpiritu ſancto verò cooperante. Dicit ſiquidem capi-

Infrà 5. te etiam ſeptimo, Pater meus ad hoc vſque temporis operatur, & ego operor. Quidam vero deliri partem illam, Per ipſum, filij minorationem intellexerunt, dicentes, id non creationis, ſed ſubminiſtrationis eſſe ſignificatiuum. Nec vident quod id de patre quoque vſurpatur. Ait enim Apoſto-

1.Cor.1. lus Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius. Ne quis autem incredulus ſit, ambigẽs quomodo hæc & ſimilia per ipſum facta ſint, dicit: *In ipſo vita erat.* Quia non ſolum hæc produxit, verum etiam conſeruat, vt in eſſe permaneant. Nam quod de patre dictum eſt, de ipſo quoque dici poteſt: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.

Act. 17. Quum autem audieris quod in ipſo vita erat, ne compoſitum eum ſuſpiceris, ſed vitæ fontem: nam protinus etiam totum ipſum vitam nominat, dicens, Et vita erat lux hominum. Alibi quoque di-

Infrà 4. cit ipſe Chriſtus, Ego ſum vita. Qui autem Spiritui ſancto reſiſtunt, ciúſque naturam diminuunt, poſt id quod dicitur, Sine ipſo factum eſt nihil, diſtinctionem ſtatuunt: deinde quod ſequitur ſimul legunt, Quod factum eſt, in ipſo vita erat: vt ſpiritum ſanctum factum eſſe demonſtrent: nam de ipſo loqui dicũt huiuſmodi verbum. Facile autem refelluntur. Primum quia pars illa, Quod factum eſt, indiſiunctè poſita, omne quod factum eſt indicat. Deinde quia etiam vita dicitur eſſe lux: ſubdit enim quod vita erat lux hominum: poſt paululum autem de Ioanne loquens ait: Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de luce. Manifeſtum eſt autem, quod Ioannes non de ſpiritu ſancto, ſed de filio tulit teſtimonium, ſicut in ſequentibus inueniemus. *Et vita erat lux hominum.* Etiam ipſe filius erat lux hominum, vtpote mentem ipſorum illuminans, & ab errore deducens ad veritatem. Quod autem ipſum filium lucem nominauit, ipſe quoque filius alibi dicit, Ego ſum Infrà 8. lux mundi. Dicitur itaque & lux & vita: vita quidem tanquam viuificans ac continens vniuerſa: lux vero, quaſi illuminans, & exhilarans mentem hominum, qui ipſum recipiunt. Quidam autem vitam ac lucem dicunt euangelicam prædicationem, quam hominibus adduxit, vtpote cauſam vitæ ſpiritualis ac cognitionis lucis. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt.* Lucem quidem vocat prædicationẽ, propter dictam cauſam, & propter veritatem: tenebras vero errorem, propter falſitatem. Dicit ergo, Prædicatio in errore lucet, & error eam non comprehendit. Gregorius autem Theologus dictum verbum aliter intelligit ſermone quem facit in ſancta lumina. Verum poteſt & hanc & illam recipere interpretationem. Quum ergo hactenus euangeliſta de filij diuinitate diſſeruerit, conſequenter hinc euangelium aggreditur. *Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes.* Lucas autem ſcripſit, Factum eſt verbum Dei ſuper Ioannem Zachariæ filium in de- Lucæ 3. ſerto. *Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de luce.* Lux intelligitur hoc in loco Chriſtus, propter cauſam prius redditam. Perhibuit autem Ioannes teſtimonium de diuinitate ipſius, ſicut in ſequentibus patebit. Quum autem Chriſtus huius teſtimonio non egeret, ſubiungit etiam cauſa teſtimonij: addit enim. *Vt omnes crederent per illum.* Quemadmodum enim carne veſtitus eſt, ne nuda diuinitate appoſita omnes perderet: ita quoque teſtimonio vſus eſt, vt Iudæi cognati Ioannis vocem audientes, per eam crederent facilius in eum de quo teſtificabatur: Omnia ſiquidem ad hominum ſalutem diſpoſuit. Ioannes itaque teſtimonium perhibuit vt omnes crederent, non omnes tamen crediderunt: Fides enim non eſt coacta ſed voluntaria. *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de luce.* Adhuc miſſionis cauſam declarat. Neque enim venit vt luceret: non erat ſiquidem ipſe lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de luce. Simul quoque ne putaret quiſpiam eum qui teſtimonium ferebat, maiorem ac fide digniorem eo de quo ferebatur teſtimonium, vt plerumque ſolet accidere. Verum quia recens erat Ioannis teſtimonium, ne ſimilis quædam oriretur ſuſpicio & de eo de quo ferebatur teſtimonium, ait. *Erat lux vera †, quæ illuminat omnem hominem venientem in* †
mundum †. Semper erat, iuxta ſuprapoſitũ reconditiorem intellectum: ſiquidem tanquam Deus ſemper erat: tãquam homo vero, eſſe incepit. Verum ſi omnem hominem venientem in mundum illuminat, quomodo tot relicti ſunt non illuminati? Sane quod ad ipſum attinet, omnes illuminat: qui autem non illuminati manent, à propria †

hoc

hoc patiuntur voluntate: Nam lucis beneficium, quod ad ſolem attinet, ſuper omnes ſimpliciter diffunditur. Quod ſi qui luce frui nolunt, ipſi ſibi cauſa ſunt quod non illuminentur. Veram quoque lucem dixit, tanquam incomparabilem ac ſuper omnes, & quæ proprie lux eſt.

† † *Dicitur quoque vera imago, & vera ſapientia, & vera vita: non ad calumniam aliarum ſanctorum imaginum: neque ſapientiæ quæ à ſcripturis diuinis eſt, neque vitæ præſentis, vt ne dicā futuræ: ſed talis figura ſermonis: id quod incomparabile eſt, per amplitudinem manifeſtat.*

† † *Siue venientem in verum mundum virtutum.*

In mundo erat. Non tanquam loco circūſcriptus, ſed tanquam omnia replens. Quum autem dixiſſet, In mundo erat, ne quis ſuſpicaretur mundo contemporalem eſſe, quod accidit Paulo Samoſatenſi, addidit. *Et mundus per ipſum factus eſt.* Manifeſtum eſt autem quod factor ante id quod factum eſt fuerit. *Et mundus eum non cognouit.* Mundum hunc dicit eos, qui mundana ſapiunt, qui mundo affixi ſunt, qui à ſenſibilibus rebus abduci nequeunt, nec quicquam ſupra hæc intelligere poſſunt. Qui enim tales non ſunt, ipſum priuſquam etiā in carne aduenisset, cognouerunt. Et hinc eſt quod ad Apoſtolos iuxta Matthæum dixit Christus, Multi prophetæ & iuſti deſiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quod ſi ipſum non cognouiſſent, non deſideraſſent videre, vt dictum eſt vel audire. Itaque cognouerunt quidem eum, eiúſque in carne myſterium, verum id ſupernaturaliter: deſiderauerunt autem & ſenſibiliter videre ipſum mirabilia operātem, & audire ipſum docentem: & ſimpliciter in humana ſpecie. Intelligitur quoque quod indignatus Euangeliſta ſuper eorum cæcitate qui ipſum ignorauerunt, dicit, Et mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit: hoc eſt, qui facti ſunt, factorem non cognouerunt. *In ſua venit, & ſui eum non receperunt.* Adhuc verbum amplius manifeſtat. Nam Sua, mundus eſt, nempe factura ipſius. Sui quoque ſunt homines, vtpote etiam opera ipſius, & tanquam ad ipſius imaginem formati. Venit igitur in eos, ſiue ad eos tanquam homo: ſiquidem tanquam Deus, in mundo erat. Declaratur autem & alio modo: quod ex quo Chriſtus à Iudæis ſecundum carnem natus eſt, Sua, ſunt horum conuerſationes: Sui vero ipſi ſunt, tanquam ipſius cognati,

Matth. 15. eiuſdémque gentis. Nam & ipſe dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. In ſua igitur venit, non ob propriam neceſſitatem: Deus enim nullius eget, ſed propter ſuorum ſalutem. Sui autem eum non receperunt, quum veniſſet vt eis beneficia præſtaret, ſed more inſanientium ſaluatorem tanquam inimicum abiecerunt. *Quotquot autem receperūt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomen eius.* Quotquot receperunt eum ſuſcipiendo doctrinam ipſius: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: non ſtatim fecit eos Dei filios, ne per ignauiam perdant gratiam: ſed dedit ipſis poteſtatem fieri, quo diligētiores reddantur. Quid ergo, nonne omnes poteſtatem habent, vt filij Dei fiant? Non omnes, ſed hi tantum quibus datum eſt: ſolum autem datum eſt credentibus in ipſum. Hoc quoque manifeſtans quibus dederit, ſubdit, Credentibus in nomen eius, hoc eſt, in ipſum. Itaque ipſius quidem eſt dare poteſtatem: illorum vero, vti ea. Aliud eſt autem per baptiſmum aliquem à Deo adoptari, & aliud per Euangelicorum præceptorum obſeruātiam filium Dei fieri: nam illud principium eſt, hoc autem finis: & illud ſane Dei donum eſt, hoc vero ſtudij facinus egregium. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri ſed ex Deo nati ſunt.* Attenuat quidem humanam generationem tāquam naturalem, eam vero quæ ex Deo eſt, extollit tanquam ſupernaturalem, vt cognita deiectione primæ, & exaltatione ſecundę: intellecta quoque beneficij magnitudine: digne gratias agamus, & laboremus ne ipſum noſtra ignauia perdamus. Quū autem dixiſſet, Non ex ſanguinibus, ſubiecit manifeſtius, Neque ex voluntate carnis. Deinde hoc etiam amplius interpretatur addēs, Neque ex voluntate viri. Sanguis enim & caro, vir eſt. Voluntatē vero, intelligit nunc coitus concupiſcentiam. *Et verbum caro factum eſt* †. Vbi dixiſſet homines ex Deo natos eſſe, ait filium etiam Dei factum eſſe hominem. Nam hoc indicat quod ait, Verbum caro factum eſt: vt qui illud admirabatur, magis etiam hoc miretur, vtpote excellentiori modo magis admirandum, quia & hoc illius cauſa eſt. Ad hoc ſiquidem Dei filius homo factus eſt, vt homines filij Dei fierent. Quum vero audieris, Verbum caro factum eſt, ne tranſmutationem diuinæ eſſentiæ intelligas. Ipſa & enim immutabilis eſt ac impatibilis, ſed quod verbum permanens quod erat, factum eſt quod non erat: ſiue manēs Deus, factus eſt homo per carnis aſſumptionem, animatus videlicet. Tribus autem modis id quod iam eſt, fieri dicitur: Vno quidem modo natura eius quod eſt, in id quod fit tranſmutatur: iuxta quem modum lac efficitur caſeus: & lutum efficitur teſta. Altero vero quando manente eius quod erat ſubſtantia immutata, aliud per accidens efficitur: iuxta quem modum æs efficitur ſtatua: & homo efficitur iuſtus vel iniuſtus, aliáque ſimilia. Tertio vero modo, quando ſalua ac immutata vnius ſubſtantia, alia quoque additur ſubſtātia: & hoc modo miles efficitur armatus. Primo ergo modo non eſt verbum factum caro: non enim natura mutata eſt. neque ſecundo: non enim per accidens caro facta eſt, ſed ipſa quoque ſubſtantia. Reſtat igitur vt quod dictum eſt, tertio modo intelligatur. Nam more militis, carne veſtitus bellum noſtrum deuicit. Dixit autem Factum eſt, vt blaſphemiam tolleret nugantium ac dicentium, quod caro imaginatum eſt verbum. Vſus enim hoc verbo, Factum eſt, confirmauit quod vere & non phantaſtice incarnatum eſt. Verum ne diuinæ ſubſtantiæ mutationem intelligas, dicit. †

† *Non poterat aliter Dei erga nos dilectio ita manifeſtari, ſicut facta carnis mentione: & quod propter nos vſque ad id quod peius eſt, ſeſe deiecerit: caro ſiquidem longe vilior eſt anima.*

Et habitauit in nobis. Habitauit in noſtra carne, in ea quæ nobis propinqua eſt, in ea quæ à nobis aſſumpta eſt. Quod ſi aliud eſt is qui habitat, & aliud habitatio: verbum ſecūdum ſubſtantiam & naturam aliud manſit à carne. Nam ſecundum coniunctionem & vnionem, vnum eſt verbum ſuſcipiens, caróque ſuſcepta, ſeruatis etiam poſt vnionem, immutatis atque inconfuſis duabus ineffabiliter naturis. *Et vidimus gloriam eius.* Gloriam verbi, virtutem diuinitatis, quæ per carnem tanquam per velum illuxit: quæ autem erat illa? Certe nunquā antea viſa variaque miracula: per-

lucida ac ſupernaturalis transformatio: & tempore paſſionis ſolis præter naturam obſcuratio, formidabilis veli ſciſſio, horribilis terræ motus, petrarum ſciſſiones, monumentorum apertiones, mortuorum ſuſcitationes: quódque omnium caput eſt, mirabilior quàm dici aut cogitari poteſt, domini reſurrectio, & poſt hanc quæcunque glorioſa Apoſtoli deinceps conſpexerunt. *Gloriam tanquam vnigeniti a patre.* Gloriam, non qualis eſt ſanctorum beatorum vel angelorum, ſed gloriam verè vnigeniti. Nam hîc dictio *vt* Tanquam, idem ſignificat quod Verè. Vnigeniti autem à patre, id eſt, natura filij Dei. Vnigenitum enim à matre non nominari, declarat hunc naturę filium virginis: dicit verò vnigenitum à patre, hunc naturę Dei filium prædicat. *Plenum gratia & veritate.* Confirmatur amplius quod verbum caro factum, nihil ob hoc diuinitatem ſieyauit. Plenum erat gratia diuina & veritate: gratia quidem in admirandis operibus, veritate autem in doctrina. Et præterea gratia, quia cuncta poterat: veritate verò, quia nihil in eo phantaſticum erat.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

MATTH. 23.

IN illo tẽpore dixit Ieſus turbis Iudæorum & principibus ſacerdo-
a Qui ventura dicant. b Qui ſcripturas exponunt. Moralium latores.
tũ, ecce ego mitto ad vos [a] prophetas & [b] ſapiẽtes & ſcribas: & ex il-
c Vt Paulum. d Vt Petrum. e Vt apoſtolos in actibus apoſtolorum.
lis [c] occidetis & [d] crucifigetis, & ex eis [e] flagellabitis in ſynagogis
f De Iudæa ad gentes. g Debita vltio pro effuſione ſanguinis iuſti.
veſtris, & perſequemini [f] de ciuitate in ciuitatẽ, [g] vt veniat ſuper vos omnis ſan-
h Cuius & bet laus.
guis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine [h] Abel iuſti vſque ad ſan-
i Sacerdotis. k Benedicti domini. l Quem occidit veſtra generatio in atrio templi ſub diuo.
guinem [i] Zachariæ filij [k] Barachiæ, quem [l] occidiſtis inter templum & altare.
m Ne miremini ſuper his quæ dico. n Scelera. o Homines, non ſaxa, plangit affectu patris.
[m] Amen dico vobis: venient hæc [n] omnia ſuper generationem iſtam. [o] Ieruſa-
p Dominum nunciantes prophetarum. q Doctrina cordis à te repellis, vel corporaliter vt Stephanum.
lem Ieruſalem, quæ occidis [p] prophetas, & [q] lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt:
r Per prophetas: oſſendemi haſtenus. In vnitatem fidei. Patriarcharum hæredes.
[r] quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos
s In proximo. t Templum, vel ciuitas Romanis tollentibus gentem & locum. v Niſi pœnitentiam egeritis, & confeſſi fueritis me filium omnipotentis patris, meam faciem non videbitis.
ſuos ſub alas, & noluiſti. [s] Ecce relinquetur vobis [t] domus veſtra deſerta. [v] Di-
x Poſt paſſionem. y Confiteamini filium omnipotentis quem benedictum, id eſt, à peccato immunem, miſit pater ad liberandum nomen ſuum.
co enim vobis, non me videbitis [x] à modo, donec dicatis: [y] Benedictus qui ve-
nit in nomine domini.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euangelium.*

SAPIENTES, qui ſciunt quem proferant ſermonem. *Scrib.* in lege peritos. *Et ve. ſu vos.* Non hos tantum præſentes dicit, ſed omnem generationem malorum præcedentem & futuram: quia omnes vna ciuitas ſunt, vnum corpus diaboli. *Abel iuſti.* Iuſtitia Abel approbata eſt per munerum acceptionem. *Vſque ad.* Cur vſque ad hunc, cum multi poſt hunc occiſi ante natalem Chriſti, & Chriſto nato mox pueri ab hac generatione ſunt peremptię Sed quia
Gen. 4. b Abel paſtor ouium fuit, necatuſque in agro: Zacharias ſacerdos necatus eſt in atrio tẽpli, vtriuſque gradus martyres, & laicos, & officio altaris mancipatos, ſub eorum voluit intimare vocabulis. Zacharias qui occiſus eſt a rege Ioas inter templum & altare, vt hiſtoria Regum narrat, filius fuit Ioiade, & in euangelio quo vtuntur Nazarei, pro filio Barachiæ legimus filius Ioiade. Sed vt iuſtitia Ioiadæ ſacerdotis prędicetur ipſe Barachias vocatur, id eſt, benedictus domini. Iſte Zacharias de duodecim prophetis vnus erat, ſicut pater Ioannis de prophetis vnus erat. 2. Par. 24. f *Super ge.* quæ à primo parricida vſque ad vltimũ perditionis filium computatur. Quaſi dicat, ſimiles erũt in pęna ſicut ſunt & in culpa. *Ieruſalem.* Quia Rei eſtis ſanguinis, & meritò: quia multotiens miſi ad vos congregandos, & noluiſtis. *Quotiens.* Ac ſi dicat: Ego volui, & tu noluiſti: & quotquot congregaui mea voluntate ſemper efficaci, te nolente feci, quia ſemper ingrata fuiſti. *Gallina.* Hoc animal magnum affectum habet

habet in filios, ita vt eorum infirmitate affecta infirmetur, & eos alis protegens contra miluum pugnet. Sic Dei ſapientia per carnem infirmata, protegit nos, & defendit a Diabolo. *Relinquetur.* Ciuitas auxilio Dei nudata ſuæ ditioni relinquetur, quæ bene derelicta eſt, cum a Deo derelinquitur. *Benedictus qui venit.* Hoc turbæ dixerunt domino venienti Ieruſalem. Quod autem his tranſactis hic dominus dicit, cogit miſticè intelligi de aduentu claritatis ſuæ, vbi confitebuntur filium quem crucifixerunt.

CATENA AVREA IN *idem Euang.*

IDeo ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapiẽtes & ſcribas. Hila. Id eſt apoſtolos, qui de futurorum reuelatione prophetæ ſunt de Chriſti agnitione ſapientes, de legis intelligentia ſcribæ. Hiero. Vel obſerua iuxta Apoſtolum ſcribentem ad Corint. varia dona eſſe diſcipulorum Chriſti, alios prophetas, qui ventura prædicant: alios ſapientes, qui nouerunt quando debẽt proferre ſermonem: alios ſcribas, in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, Petrus crucifixus, flagellati in Actib. apoſtolorum diſcipuli: & perſecuti ſunt eos de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa vt ad Gentium populos tranſmigrarent. Origen. Vel ſcribæ qui mittuntur à Chriſto, ſunt ſecundum Euangelium quos & ſpiritus viuificat, & litera non occidit; ſicut litera legis, quam ſequentes in vanas ſuperſtitiones incurrunt. Simplex autem Euangelij narratio ſufficit ad ſalutem. Scribę autem legis, ſcribas noui teſtamenti adhuc per detractionem flagellant in ſynagogis ſuis: ſed & hæretici qui ſunt ſpirituales phariſæi, linguis ſuis Chriſtianos flagellant & perſequuntur de ciuitate in ciuitatem, interdũ corporaliter, aliquando autem ſpiritualiter volentes eos expellere, quaſi de propria ciuitate legis & prophetarũ & Euãgelij in aliud Euangeliũ. Chry. ſuper Matth. Deinde vt oſtendat quoniam non impunè hoc faciunt, ineffabilem eis ex his timorem incutit. vnde ſubditur, *Vt veniat ſuper vos, &c.* Raban Id eſt, omnis debita vltio pro effuſo ſanguine iuſtorum. Hier. De Abel quidem nulla eſt ambiguitas quin is ſit, quem Cain frater occiderit. Iuſtus autem non ſolum ex domini nunc ſententia, ſed ex Geneſis teſtimonio comprobatur, vbi accepta eius à Deo narrantur munera. Quærimus autem, quis fuerit iſte Zacharias filius Barachiæ, quia multos legimus Zacharias: & ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum eſt: *Quem occidiſtis inter templum & altare.* Alij Zachariam filium Barachiæ dicunt qui ex duodecim prophetis vndecimus eſt, patriſque in eo nomen conſentit: ſed vbi occiſus ſit inter templum & altare ſcriptura non loquitur, maximè cum temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt. Orige. Venit enim ad nos traditio talis, quaſi ſit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem licet adorare Deum, ex parte autem earum thorum virilem non permittebant in eo conſiſtere. Maria autem poſtquam genuit ſaluatorem, ingrediens ad orandum, ſtetit in illo virginum loco, prohibentibus autem eis, qui nouerant eam iam filiũ genuiſſe, Zacharias dixit, quoniam digna eſt virginum loco, cum adhuc ſit virgo. Ergo quaſi manifeſtiſſimè aduerſus legem agentem occiderunt eum inter templum & altare viri generationis illius. Et ſic verum eſt verbum Chriſti quod dixit ad præſentes, quem occidiſtis. Hiero. Hoc tamen quia de ſcripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alij iſtum volunt eſſe Zachariam, qui occiſus ſit à Ioas rege Iudæ inter templum & altare, id eſt, in atrio templi. Sed obſeruandum quòd ille Zacharias non fuit filius Barachiæ, ſed Ioiadæ ſacerdotis. Sed Barachias in lingua noſtra benedicens Deum dicitur: & ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia Hebræo nomine demonſtratur. In euangelio verò quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ ſcriptum reperimus. Rem. Quærendum eſt autem quomodo vſque ad ſanguinem Zachariæ dixerit, cum plurimorum ſanctorum ſanguis poſtea ſit effuſus? Soluitur autem ſic: Abel paſtor ouium in campo fuit occiſus. Zacharias fuit ſacerdos & in atrio templi interfectus. Ideo ergo dominus hos duos commemorat, quoniam per hos omnes ſancti martyres deſignantur, laicalis ſcilicet & ſacerdotalis ordinis. Chryſ. in hom. Abel etiam commemorauit, oſtendens quoniam ex inuidia eſſent Chriſtum & diſcipulos eius occiſuri. Zachariæ autem mẽtionem fecit, quoniam duplex præſumptio fuit in eius occiſione. non enim ſolum in ſanctum hominem facta eſt, ſed & in loco ſancto. Orig. Zacharias etiam interpretatur memoria Dei. omnis ergo qui memoriam Dei diſperdere feſtinat, in eis quos ſcandalizat, Zachariæ ſanguinẽ videtur effundere filij Barachiæ. Per benedictionem enim Dei, memores ſumus Dei. Ab impiis etiam memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à laſciuiis corrumpitur, & altare eius per negligẽtiam orationum ſordidarum ſordidatur. Abel autem luctus interpretatur. Qui ergo non recipit quod ſcriptum eſt, Beati qui lugent: ſanguinem effundit Abel, hoc eſt, veritatem luctus ſalutaris. Effundunt etiam aliqui veritatem ſcripturarum: quaſi ſanguinem earum, quia omnis ſcriptura niſi ſecundum veritatem intelligatur, mortua eſt. Chry. in hom. Et vt omnem excuſationem illis adimeret, ne dicerent quoniam ad gentes eos miſiſti, propter hoc ſcãdalizati ſumus, prædixerat quòd ad eos eſſent mittendi diſcipuli. & ideo de vltione eorum ſubditur: *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Glo. Non hos tantum præſentes dicit, ſed omnem generationem pręcedentem & futuram: quia omnes vna ciuitas ſunt, & vnum corpus diaboli. Hiero. Regula autem ſcripturarum eſt, duas generationes bonorum & malorum noſſe. De generatione bonorum dicitur, Generatio iuſtorum benedicetur: de malis verò in præſenti loco, generatio viperarum. Ergo & iſti quia ſimilia, ſicut Cain, & Ioas contra apoſtolos geſſerunt: de vna generatione eſſe referuntur. Chryſ. in hom. Vel aliter: quia gehennæ pœna quam eis comminatus fuerat, tardabat. Comminatur etiam eis præſentia mala, cùm dicit, *Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Chry. ſuper Matt. Sicut enim omnia bona quæ in ſingulis generationibus à conſtitutione mũdi omnes ſancti merebantur, illis nouiſſimis ſunt donata, qui receperunt Chriſtum: ſic omnia mala, quæ in ſingulis generationibus à conſtitutione mundi pati meruerũt omnes iniqui, ſuper nouiſſimos Iudæos venerunt,

venerunt, quia Chriſtum repulerunt. Aut ita, ſicut omnis iuſtitia præcedentium ſanctorum, imò omnium ſanctorum, tantum mereri non potuit, quantum gratiæ datum eſt hominibus in Chriſto: ſic omnium peccata impiorum tantum malum mereri non potuerunt, quantum venit ſuper Iudæos, vt corporalia paterentur, qualia paſſi ſunt à Romanis: & ſic poſtmodum omnes generationes eorum vſque in finem ſeculi proiicerentur à Deo, & ludibrium fierent gentibus vniuerſis. Quid enim peius poteſt fieri quàm filium cum miſericordia & humilitate venientem non ſuſcipere, ſed tali modo interficere? Vel ita, omnis gens, vel ciuitas nõ ſtatim cum peccauerit, perdit eam Deus, ſed expectat per multas generationes: quando autem placuerit Deo perdere ciuitatẽ illam aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ omnes merebamur, hæc ſola paſſa: ſic & generatio Iudæorum pro patribus ſuis videtur punita. Verè autem non pro illis, ſed pro ſe condemnati ſunt. Chry. in hom. Qui enim multos iã peccãtes vidit, & incorrectus permanſit, eadẽ rurſus vel grauiora faciens, maiori eſt pœna obnoxius. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas &c.* Chry. in hom. Poſt prædicta ad ciuitatem conuertit dominus ſermonem, ex hoc erudire volens auditores. vnde dicit, *Hieruſalem, Hieruſalem.* Hæc autẽ duplicatio miſerentis eſt, & valde diligentis. Hier. Hieruſalem autem non ſaxa & ædificia ciuitatis, ſed habitatores vocat, quã patris plangit affectu. Chr. ſuper Matt. Præuidens ruinam ciuitatis illius, & plagã quæ à Romanis superuẽtura erat, recordabatur quidem ſanguinis ſanctorũ ſuorum, qui effuſus erat ab illis & poſtmodũ effundẽdus. vnde addit, *Quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.* Miſſum ad te Eſaiam occidiſti, & ſeruum meum Hieremiam lapidaſti. Ezechielem tractum per lapides excerebraſti, quomodo ſaluaberis, quæ ad te medicum non venire permittis? & non dixit: Occidiſti aut lapidaſti, ſed, *occidis & lapidas*, id eſt, quaſi hoc propriam & naturalem conſuetudinem habes, vt occidas & lapides ſanctos. Eadem enim fecit apoſtolis quæ fecerat aliquando prophetis. Chryſ. in hom. Deinde cum vocaſſet eam & abominabiles eius occiſiones dixiſſet, quaſi ſe excuſando dixit, ſubdens, *Quoties volui congregare filios tuos?* quaſi dicat, neque prædictis occaſionibus me à tua beneuolentia auertiſti, ſed volui te mihi adiungere, non ſemel aut bis, ſed multoties. Magnitudinem autem amoris ſub ſimilitudine gallinæ oſtẽdit. Aug. de quæſt. euang. Hoc enim genus animantis, magnum affectum in filios habet: ita vt eorum infirmitate affecta, infirmetur & ipſa. Et quod difficile in cæteris animantibus inuenies, alis ſuis filios protegens contra miluum pugnat: ſic & mater noſtra Dei ſapientia per carnis ſuſceptionem infirmata quodammodo ſecundum illud Apoſtoli, Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus: protegit infirmitatem noſtram, & reſiſtit diabolo, ne nos rapiat. Orige. Filios autem Hieruſalem dicit, ſecundum quod dicimus ſemper ciuium ſucceſſores præcedentium filios. Dicit autem: Quoties volui, cum ſit manifeſtum ſemel eum docuiſſe in corpore Iudæos. Semper enim Chriſtus præſens fuit, & in Moyſe & in prophetis & in angelis miniſtrantibus ſaluti humanæ per ſingulas generationes. Si quis autem non fuerit congregatus ab eo, iudicabitur quaſi noluerit congregari. Rab. Ceſſent igitur hæretici Chriſto principiũ ex virgine dare: omittant alium legis & prophetarum Deum prædicare. Aug. in Enchi. Vbi eſt autem illa omnipotentia, qua in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit: ſi colligere filios Hieruſalem voluit & non fecit? An nõ potius illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed ea quoque nolẽte, filios eius collegit ipſe, quos voluit? Chry. in hom. Deinde comminatur pœnam quam ſemper formidauerũt ſcilicet ciuitatis & templi euerſionem dicens, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Chry. ſuper Mat. Sicut enim corpus, anima recedente, prius quidẽ frigeſcit, deinde putreſcit, & ſoluitur: ſic & templum noſtrum Dei ſpiritu recedente, prius ſeditionibus & indiſciplinatione replebitur, deinde veniet ad ruinam. Orige. Semper etiam eis qui noluerunt congregari ſub alis eius, comminatur Chriſtus: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, id eſt, anima & corpus. Sed & ſi quis ex vobis noluerit congregari ſub alis Chriſti, ex tempore illo ex quo congregationem refugit actu magis quàm corpore, non videbit pulchritudinem verbi, donec pœnitens à propoſito malo dicat, *benedictus qui venit in nomine domini.* Tunc enim verbum Dei benedictum venit ſuper cor hominis: quando fuerit quis conuerſus ad Deum. vnde ſequitur: Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis, *Benedictus qui venit in nomine domini.* Hier. quaſi dicat. Niſi pœnitentiam egeritis & confeſſi fueritis ipſum eſſe me, de quo prophetæ cecinerunt filium omnipotentis patris, faciem meam non videbitis. Habent ergo Iudæi datum ſibi tempus pœnitentiæ. Confiteãtur benedictum, qui venit in nomine domini, & Chriſti ora conſpicient. Chryſ. in hom. Vel aliter, Per hoc occulte ſecundum aduentum ſignificauit: quoniam tunc omnino eum adorabunt. Quod autem dicit, amodo ad tempus crucis refertur.

ORIGENIS PRESBYteri in idem Euang. Homilia.

QVantum ad primam faciem pertinet textus, non ſatis rationabiliter comminari videtur aduerſus eos qui ædificant ſepulchra prophetarum, & ornant monumenta iuſtorum. *Eſt hom. 26. in Matth.* Quantum ad hoc enim ſolum laudabile aliquid faciebant, quòd ſepulchra prophetarum ædificabant, & ornabant monumenta iuſtorum, operibus patrum ſuorum, quibus auſi ſunt contra prophetas, & ſanctos, non conſentientes, maxime in eo quod dicunt, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Quomodo ergo digni erant ſuſcipere væ? Si autem dicit aliquis: quantum ad opus quidem illud, & profeſſionem verborum ſuorum nõ erant rei: propter illud autem quòd teſtimonium ſibi reddebant, eſſe ſe eorum filios qui occiderũt prophetas, culpabiles erant: quod nec ipſum verum eſt. In re enim quæ ex arbitrio hominis non contingit, quomodo poteſt homo fieri reus? Nõ enim ex arbitrio vniuſcuiuſque hominis eſt, cuius ſit filius, boni viri, an mali viri. Ergo neque propter illud quòd edificabãt ſepulchra prophetarum, & dicebant, ſi fuiſſemus in diebus patrũ noſtrorum,

non

non eſſemus rei:vel rei erant, vel innocentes: ſed quia rebus ipſis & ſimilitudine facinorum teſtimonium ſibi reddebant eſſe ſe filios eorum, qui occiderunt prophetas, implentes menſuram patrum ſuorum, & adhuc adiicientes quod fuerat minus, ſupplentes interfectionẽ prophetarum atque iuſtorum interfectione Chriſti Dei. Propter quod poſſibile non erat, qui huiuſmodi actu deuinebantur obnoxij, fugere à iudicio gehennę. Quibus nec ſufficit ſanguis Chriſti, ſed adhuc illos prophetas, vel Scribas, qui fuerunt miſſi à Chriſto, interfecerunt, & crucifixerunt, in ſynagogis ſuis flagellauerunt, & perſecuti ſunt de ciuitate in ciuitatem. Pro quibus omnibus homicidialibus commiſſis, iuſtum fuerat eos pati excidium Hieruſalem, captiuitatem populi: patientia Dei magnitudinẽ, & multitudinem facinorum eorum vlterius non ſuſtinente. Venit autem in generationem eorum, qui impleuerant menſuram patrum ſuorum, & ſuperpoſuerunt Ieſu Chriſti prophetas, & ſapientes, & Scribas: omnis ſanguis iuſtus, qui effunditur ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zacharię filij Barachiæ: cuius interfectionem imputat Scribis & Phariſæis, quaſi non eſſet interfectus à patribus eorum, ſed ab ipſis illis. Sic enim ſcriptum eſt, *Quẽ occidiſtis inter templum, & altare.* Non autem poſſunt qui exprobrantur à Chriſto dicere Zachariam filium Barachiæ vnum fuiſſe ex prophetis duodecim, quorũ ſcripta habemus in manibus: ſed Zachariam dicit patrem Ioannis, de quo per ſcripturas quidem canonicas oſtendere non poſſumus, nec quòd filius fuit Barachiæ, nec quod Scribæ, & Phariſæi interfecerunt eum inter templum, & altare. Sed venit ad nos quædam traditio talis, quaſi ſit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem conſiſtere licet, & orare Deum: expertę autem thorum virilem, non permittebantur in eo conſiſtere. Maria autem, poſtquam genuit Saluatorem, ingrediens adorare, ſtetit in illo virginum loco: prohibentibus autem eis, qui nouerant eam iam filium genuiſſe, Zacharias ſtetit, atque dixit prohibentibus eam, quod digna eſt virginum loco, cum ſit adhuc virgo. Ergo quaſi manifeſtiſſime Zachariam aduerſus legem agentem, & in loco virginum permittentem ſtare mulierem, occiderunt inter templum, & altare viri generationis illius. Tamen ab eis, qui huiuſmodi traditioni non credunt, exigamus rationem, quomodo non quaſi filios eorum, qui interfecerunt prophetas etiam Zachariam exprobrat Ieſus propter Zachariam, ſed quaſi qui ipſi occiderint Zachariam inter templum, & altare. Si ergo verum eſt verbum Chriſti quod dicit ad præſentes tunc Phariſæos, & Scribas, *Quem vos occidiſtis inter templum & altare,* non eſt poſſibile illum intelligi Zachariã qui eſt ex duodecim vnus. Nec tamen eſt mirum, ſi contigit eiuſdem nominis eſſe & vtrumque Zachariam, & patres eorum. Tale aliquid dicere vult ſermo, quem loquitur Chriſtus: quoniam vos, qui vos à ſanguine prophetarum excuſatis, & dicitis, ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum: & ædificatis ſepulchra prophetarum interfectorum: per ipſa hęc, quę auſi eſtis aduerſum me, teſtimonium redditis vobis, quod homicidarum patrum veſtrorum filij eſtis: quod minus fuerat iniquitatibus eorũ, per meum, & meorum prophetarum ſanguinem adimplentes. Nec enim Chriſtum illi crucifixerunt: vos autem crucifixiſtis menſuram adimplentes, & facti earum viperarum, qui interfecerunt prophetas, genimina, ſerpentes peſſimi, viam fugæ à iudicio gehennæ vobis ipſi cludentes propter magnitudinem facinorum quæ cõmiſiſtis in Chriſtum, & in ſapientes eius, & in prophetas, & in Scribas ipſius, & adhuc auſi eſtis à ſocietate patrum veſtrorum diſiungere vos, & excuſare à ſanguine prophetarum. Sed conſequens eſt vt aliquis, qui ſecundum ſimplicem hiſtoriam ſcripturam intelligit: obiiciat, & requirat, quare non dixit vſque ad ſanguinem Ioannis filij Zachariæ? maxime cum lex & prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerint. Dicemus ad eũ, quòd manifeſta eſt res, quòd Scribæ & Phariſæi non occiderunt Ioannem, ſed Herodes. Nam etſi non crediderunt Ioanni Scribæ, & phariſæi, vt ſcriptum eſt. Si dicimus, baptiſmus Ioannis de cælo eſt, dicet nobis, quare ergo non credidiſtis ei? tamen adhuc reuerentiã quandam habebãt nominis eius, non audentes aduerſus interrogationem dicere Chriſti de baptiſmate ipſius, quod ex hominibus erat. Timebant enim populum, credentes, quod vere Ioannes erat propheta. Quomodo ergo improperaret eis, qui non occiderunt Ioannem, quaſi interfectoribus eius? Sed improperauit quaſi interfectoribus Zacharię dicẽs, *Quem occidiſtis inter templum, & altare.* Adhuc in textu dicendum eſt, quod non ſtatim vt factum fuerit peccatum, punitur peccantium generatio: ſed cum ſubſequens generatio debens emendare in ſe peccatum patrum ſuorum, adhuc adiecerit peccatis patrum ſuorum peiora: & ſic ſi multę generationes peccauerint in gente aliqua, vel in ciuitate, punitur gẽs, vel deſtruitur ciuitas. Sic ergo & gens Iudæorũ multa inferens mala prophetis, nõ vt cœpit homicidium contra eos ſtatim fuerat punienda, ſed poſt patientiã Dei: poſtquam addiderũt ſuper ſanguinem prophetarum ſanguinem Chriſti, & impleuerunt menſuram patrum ſuorum, tunc digni ſunt puniri. Non ergo peccatum, quod peccauit Cain, interficiẽs fratrẽ ſuum, aut peccatum eorum, qui interfecerunt prophetas, ſuſcepit hæc generatio Iudæorum, quæ fuit in tempore Chriſti: ſed oportebat patientiam Dei, quæ fuit in gente Iudæorum, finiri menſuris, vt poſt multas effuſiones ſanguinis prophetarum & iuſtorum, non deſolata prius Hieruſalem & Iudæa, hoc pateretur poſtea in ſanguine Chriſti: & propter hoc magnanimiter Deo agente, vt accipiant Scribæ, & Phariſæi, populo complacente, ſanguinem prophetarum Chriſti, & ſecundum euangelium ſapientium, & ſcribarum, quos occiderunt, & crucifixerunt, & caſtigauerunt in ſynagogis ſuis, & perſecuti ſunt de ciuitate in ciuitatem: vt electis omnibus de Iudæa, deſoletur locus euacuatus ab omnibus ſanctis, & patiatur quæcunque ſunt paſſi à Veſpaſiano, & Tito. Hæc corporaliter expoſuimus. Si autem & moraliter hæc ipſa oportet exponere: talia dicemus in loco. Arbitror ſicut Chriſtus cælatus venit in corpore, vt à carnalibus quidem ſpeciem corporis eius aſpicientibus, & non virtutes conſiderantibus homo videretur: à ſpiritalibus autem non ſpeciem corporis attendentibus, ſed opera virtutum eius conſiderantibus, Deus intelligatur: ſic eſt omnis ſcriptura diuina incorporata, maxime autem veteris teſtamenti. Spiritalis enim & propheticus ſenſus

ſcripturæ

ſcripturæ cælatus eſt in hiſtoria rei propoſitæ, vt omnis ſcriptura à mediocribus quidem ſecūdum hiſtoriam intelligatur: à ſpiritalibus autem & perfectis ſecundum myſterium ſpiritale. Hac præmiſſa præfatione, redeamus ad verbum. Quoniam ſicut in ipſis prophetis recedentibus ab hac vita, corpora quidem eorum erant in ſepulchris, animæ autem, & ſpiritus in regione viuorum: ſic & in propheticis dictionibus eſt animaduertēdum, vt narratio quidem eorum ſecundum hiſtoriam ſimplicem ſit corpus. ſpiritalis autem ſenſus, & ipſa ſcripturarum intima veritas, ſit anima, & ſpiritus qui inhabitat in narrationibus ſimplicioribus ſecundum hiſtoriam. Sepulcra autem prophetarum non inconuenienter poſſumus exiſtimare literas ipſas ſcripturarum, & libros, in quibus collocata narratio permanet, quaſi corpus aliquod poſitum in ſepulcris. Qui ergo ſpiritalia ſcripturarum, & veritatem earum interius cælatam intelligunt, & ſuſcipiunt habent in ſe animas & ſpiritus prophetarum, ipſi quaſi regio viuentium prophetarum effecti: Qui autem illa non capiunt, neque requirunt, ſed ſimplicem narrationē & hiſtoriam rei ſolam attēdunt: corpora prophetarum colunt in literis poſita, & in libris quaſi in quibuſdam ſepulchris: quales fuerūt & phariſæi, qui recte phariſæi ſunt appellati, id eſt præciſi: qui ſpiritalia prophetarum a corporali hiſtoria præciderant, quaſi animam prophetarum expellentes à corpore, & occidentes ipſas prophetias, & exanimes facientes quaſi nihil ſpiritale habentes. Et vere hypocritæ ſunt ſola ſepulchra prophetarum corporalem hiſtoriam continentia ædificantes & ornantes, id eſt, ſcripturas ipſas, & libros prophetarū ſtudentes: qui non intelligentes, quòd corpora mortua colentes, id eſt, hiſtoriales narrationes, videntur quidem pie agere circa memoriam prophetarum, impij autem ſunt: & non eſſe ſe ſocios eorum qui interfecerunt prophetas per hoc ipſum defendere volunt: arguuntur autem adiicientes ſuper facinora eorum, qui interfecerunt prophetas, & implentes menſurā iniquitatis ipſorū per hoc ipſum quòd non credunt in Chriſtum, quem non ſimplices hiſtoriæ prophetarum, ſed ſpiritalis earum prædicat ſenſus. Scio autem indubitanter, quòd vbique cauſa incredulitatis Iudæorum exiſtit iſta, vt non intelligerent Ieſum quaſi Chriſtum Dei: quoniam ſemper animum ſuum dederunt circa hiſtorias corporales, nihil ſpiritale in eis credere volentes. Verbi gratia exempli introducamus cauſa, quod in Zacharia prophetatur & dicitur, Quaſi ſuper aſinam, & pullū ingreſſurus in Hieruſalem, & exterminaturus currus ex Effrem, & equum ex Hieruſalem. Hoc ſi quis ſecundum literæ hiſtoriam intelligere velit de Chriſto, non conuenit. Nec enim exponitur Chriſtus exterminaſſe ex Effrem corporales ac ſenſibiles currus, nec equum corporalem ab Hieruſalem corporali. Sed ſi videris apud hæreticos conuentus ipſius mendacij quaſi quodā iugo copulatos, & inter ſe male concordes, quos ſermo veritatis deſtruere ſolet: videbis quomodo Chriſtus Dei verbū exterminat currus ſpiritales ex Effrem ſpiritali. Effrem enim ſemper in figura hæreticorum ponitur qui ſe ſeparauerunt a Chriſti eccleſia, ſicut Effrem à tribu Iuda. Sic enim ſpiritaliter equum, & aſcenſorem Ægyptiorum proiecit in mare ſermo diuinus, id eſt, impium virum cum diabolo aſcenſore, & indagatore ipſius. Sic & equum exterminauit ab Hieruſalem, quicunque diabolo aſcenſori ſubiectus fuerat, & nō Chriſto, ſicut illi equi acceptabiles Chriſti, de quibus dicit Abacuc, Quis aſcendet ſuper equos tuos? & equitatus tuus ſanitas: id eſt ſuper Apoſtolos, cæteroſque ſanctos in quibus habitat Chriſtus. Propterea dicimus, hi in curribus, oſtendentes Effrem: & hi in equis, oſtendentes aduerſarios Hieruſalem: nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur: ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos vero ſurreximus, & erecti ſumus. Qui teſtimonium ſibi reddūt, quòd filij ſunt eorum, qui interfecerunt prophetas, per hoc ipſum quòd implent menſuram patrum ſuorum, ſuper illorum incredulitatem adiicientes incredulitatem in Ieſum: quæ non aliunde deſcendit, niſi ex eo quòd non alibi vacant niſi circa ædificia ſepuchrorum propheticorum, id eſt, circa diligentias propheticarum literarum tantummodo atque librorum. Alij autem ſunt ſcribæ infelices legis, alij autem ſunt ſcribæ, qui mittuntur à Chriſto ſecundum euangeliū, cuius & ſpiritus viuificat, & litera non occidit, ſicut litera legis: quoniam literam legis ſequentes in infidelitatem & in vanas ſuperſtitiones incurrunt. Literam autem euangelij, qui ſequuntur, id eſt, ſimplicem narrationem ipſius, ſaluantur: quoniam & ipſa ſola euangelij narratio ſimplex ſufficit ſimplicioribus ad ſalutem. Et ſi videris ſcribas legis & phariſæos agentes non ſolum aduerſus ſapientes euangelij, & quæ Chriſti ſunt prophetantes, ſed etiam aduerſus ſcribas noui teſtamenti: videbis quomodo quantum ad ſe occidunt Chriſti prophetas, & ſcribas crucifigunt per detractionem verborum ſuorum, flagellant in ſynagogis ſuis. Frequenter ergo audire eſt apud hæreticos, qui ſunt ſpiritales phariſæi, quomodo linguis ſuis quaſi quibuſdam verberibus maliloquij ſui Chriſtianos flagellant, & perſequuntur de ciuitate in ciuitatem, interdum quidem & corporaliter, aliquando autem ſpiritaliter, volentes eos expellere quaſi de propria ciuitate legis, & prophetarum, & euangelij, & Apoſtolorum, & in aliam, & extraneam quandam ciuitatem euangelij alicuius alterius mendacibus perſuaſionibus ſuis quaſi perſecutionibus pellunt. Secundum quod & Apoſtolus dicebat propter falſos Apoſtolos, Miror quod ſic cito transferamini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidā qui conturbant vos. Propter quod venit ſuper eos omnis ſanguis iuſtus, quem effundunt per hoc ipſum quod euertere volunt veritatem ſcripturarum, quæ recte ſanguis & vita dicitur ſcripturarum: quia omnis ſcriptura, niſi ſecūdum veritatem intelligatur, mortua eſt. Effundunt ergo veritatem ſcripturarum quaſi ſanguinem earum, ſicut effuſus eſt ſanguis Abel. Et non ſolum tunc vox ſanguinis Abel clamabat ad Deū, ſed ſemper veritas ſcripturarum ab impiis effuſa, ſecundum quod diximus à ſanguine Chriſti, id eſt, à veritate euangelij cœpta, per omnes ſcripturas interpellat ad Deum, aduerſus eos qui auertere eam volunt: & ſanguis teſtamēti, id eſt, veritas ſcripturarum propheticarum, aduerſus eos qui immundam eam exiſtimauerunt, & noluerūt ſanctificari in ea quaſi in ſanguine viuo, & ſanctificanti. Sic effundunt etiam ſanguinem Zachariæ, qui interpretatur memoria Dei. Omnis enim, qui memoriam Dei perdere

dere feſtinat in eis, quos ſcandalizat, Zachariæ ſanguinem videtur effundere filij Barachiæ, qui & ipſe interpretatur benedictio Dei. Per benedictionem Dei memores ſumus Dei. Si autem nec Abel nomen indiſcuſſum debemus relinquere, dicimus quòd Abel luctus interpretatur. Qui ergo ſuſcipit quod ſcriptum eſt, Beati, qui lugent, ſaluat Abel: qui autem non recipit, ſanguinem effundit Abel, hoc eſt veritatē luctus ſalutaris. Propterea implebitur ſuper ipſum, quod ſcribit, Væh vobis, qui ridetis nunc, quoniam plangetis, & flebitis. Inter templum, & altare ab impiis memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à laſciuis corrumpitur, & altare ipſius per negligentiam orationum ſordidarum coinquinatur, quando & oratio alicuius fit in peccatum ipſius: ſicut & de oratione Iudæ dictū eſt, Et oratio eius fiat in peccatum eius. *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te mittuntur: quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub pennas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis: quoniam amodo non me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini.* Dignum eſt quærere, quomodo coram auditoribus loquens Saluator, inter quos erant Scribæ & Phariſæi, qui gloriabantur, quę legis ſunt, & propherarum caute cognoſcere: qua ratione dixit Hieruſalem occidiſſe Prophetas, & lapidaſſe ad ſe tranſmiſſos, cum non ſatis talis prophetetur hiſtoria in ſcripturis veteribus quæ legebantur in ſynagogis eorum. In lacum quidem luti miſſum Hieremiam legimus, non tamen interfectum in Hieruſalem. Sed nec Eſaiam, vel Ezechielem, vel aliquem Prophetarum tale aliquid legimus paſſum, inquantum ſuggerit memoria mea. Sed ſcrutans in ſecundo libro Paralipomenon, vbi multa de Prophetis claris ſcripta ſunt, inuenio quòd Aſa iratus Ananiam Prophetam ſe arguentem poſuit quidem in carcerem, nil tamen amplius fecit in eum. Sed & Michæam Achab prophetantem aduerſus ſe, iuſſit quidem in domum carceris ire, & manducare panem tribulationis, non tamen & occidit. Vnum autem legimus lapidatum Zachariam filium Ioiadæ ſacerdotis, populum arguentem. Non ergo inuenimus in Hieruſalem Prophetas occiſos amplius, vel lapidatos præterquam dixi tranſmiſſos ad Hieruſalem. Propter ea videndum ne forte oporteat ex libris ſecretioribus, qui apud Iudæos feruntur, oſtendere verbum Chriſti: & non ſolum Chriſti, ſed etiam diſcipulorum eius Stephani quoque martyris, & Pauli Apoſtoli. Stephanus enim ſic dicit, O dura ceruice, & non circuncisi corde, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri. Quē enim Prophetarum non ſunt perſecuti? & occiderunt eos, qui annunciabant aduētum iuſti, cuius nunc vos proditores, & interfectores eſtis. Et poſt hoc expulerunt eum extra ciuitatem, & lapidabant Stephanum clamantem, & dicentem. Paulus autem in Epiſtola ad Theſſalonicenſes prima, de interfectione Prophetarum, talia dicit, Vos imitatores facti eſtis eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu: quoniam eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris ſicut & ipſi à Iudæis, qui & dominum occiderunt Ieſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent. Ad Hebræos autem ita, Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in gladio mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, & anguſtiati, afflicti doloribus, quorum non fuit dignus mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & ſpeluncis, & foueis terræ. Fertur ergo in ſcripturis non manifeſtis ſerratum eſſe, Eſaiam, & Zachariam occiſum, & Ezechielem. Arbitror autem circuiſſe in melotis in pellibus caprinis Heliam, qui in ſolitudine, & in montibus vagabatur. Sed pone aliquem abdicare Epiſtolam ad Hebræos quaſi non Pauli, necnon & ſecretum abiicere Eſaiæ: ſed quid faciat in ſermones Stephani, vel Pauli ad Theſſalonicenſes de Prophetis interfectis prolatos, vel ipſius domini noſtri? Aut quomodo abdicet illud, quod ad Timotheum Paulus protulit dicens, Sicut Ioannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ſic & iſti reſiſtunt veritati? Nec enim ſcimus in libris canonizatis hiſtoriam de Ianne, & Mambre reſiſtentibus Moyſi. Si autem aſpiciat & quod ad Corinthios prima poſitum eſt, Quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nunquid poterit hæc omnia aliquis abdicare? Hæc omnia diximus diſcutientes ſermonem, non ignorantes, quòd multa ſecretorum facta ſunt à quibuſdam impiis, & iniquitatem in excelſum loquentibus: & vtuntur quibuſdam fictis Hypithiani, aliis autem qui ſunt Baſilidis. Oportet ergo caute conſiderare, vt nec omnia ſecreta, quæ ferūtur in nomine ſanctorum, ſuſcipiamus, propter Iudæos, qui forte ad deſtructionem veritatis ſcripturarum noſtrarum quædam finxerunt confirmantes dogmata falſa: nec omnia abiiciamus, quæ pertinent ad demonſtrationem ſcripturarum noſtrarum. Magni ergo viri eſt audire, & adimplere quod dictum eſt, Omnia probate, quod bonū eſt, tenete. Tamen propter eos, qui non poſſunt quaſi trapezitæ inter verba diſcernere vtrum vera habeātur an falſa, & nō poſſunt ſemetipſos caute ſeruare, vt verum quidē teneant apud ſe, ab omni autē ſpecie mali abſtineāt: nemo vti debet ad confirmationem dogmatum libris, qui ſunt extra canonizatas ſcripturas. Tamen ſi quis ſuſcipit ad Hebræos quaſi epiſtolam Pauli, dicit, quòd pluralia nō debemus omnino referre ad plures. Nec enim plures ſerrati ſunt, ſed Eſaias ſolus, nec plures lapidati ſunt, niſi Zacharias tantummodo filius Ioiadę, nec occiſione gladij, niſi Zacharias filius Barachiæ. Sed & in melotis, & in pelle caprina Helias, & cætera ſimilia. Adhuc autem quæramus, quod in Luca ſcriptum eſt dicente domino, quòd non capit Prophetam perire extra Hieruſalem. Si ergo non capit Prophetam perire extra Hieruſalem, id eſt, interfici: ſi poſt deſtrūctionem Hieruſalem iam nemo propheta eſt, ne forte qui interficitur extra Hieruſalem Propheta, falſum verbum Chriſti demonſtret: ſi autem cogunt nos ſcripturæ propter Agabum, & filias Philippi Euangeliſtæ, non propter falſos Phrygię prophetas, quęramus ne forte omnis iuſtus ſit in Hieruſalem, & non extra Hieruſalem. Quoniam non capit eum, qui eſt extra Hieruſalem, paſſionibus affici propter verbum. Sed quomodo Hieruſalem occidit Prophetas videndum. Exiſtimo autem, ſicut vulgariter dicere ſolent, clamauit ciuitas, tanquam ſi dicatur qui ſunt in ciuitate: item ciuitas egreſſa eſt obuiam ei, id eſt, qui ſunt in ciuitate: ſic Hieruſalem occidit Prophetas, id eſt, qui erant in Hieruſalem: quorum cauſa dictum eſt Hieruſalem occidiſſe Prophetas. Et ſi ciues pro ciuitate ponuntur,

iterum occurrit ad quæſtionem, qui ſunt dicendi filij Hieruſalem: de quibus dictum eſt, Quoties volui congregare filios tuos? Sed dicimus ſemper ciuium ſucceſſores, filios præcedentium dici. Hieruſalem autem, quæ libera eſt à ſeruitute peccati, quæ ſurſum eſt conuerſatione, quæ eſt mater noſtra, non occidit Prophetas, nec lapidat eos, qui mittuntur ad eam. Aliud eſt, quòd ſecundum ſimilitudinem illius Hieruſalem occidentis & lapidantis Prophetas frequenter ſunt quidem in iſta Hieruſalem imperiti conſtituti, & Deum non metuentes: qui quantum ad ſe, occidunt & lapidant verbis ſine iudicio prolatis viros verbo, & vita prouectos, & eccleſiarum quidem canonem non requirentes: propter profunditatem autẽ dogmatum ſuſpecto ab his, qui conſueti ſunt noua quædam dicere, & non attendentes verbum ſanum domini noſtri Ieſu Chriſti. Dicit ergo dominus ad Hieruſalem interfectricem, & lapidatricem Prophetarum, *Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina pullos ſub alas, & noluiſti?* Quomodo hic dominus Ieſus quaſi qui frequenter voluit congregare Iudæos, non autem congregauit propter contumaciam nolentium credere, ita dicit, *Quoties volui*: cum ſit manifeſtum ſemel eum docuiſſe in corpore Iudæos? Sed non ſolum in præſentia, verumetiam ſubſtantialiter ſemper Chriſtus præſens fuit & in Moyſe, & in Prophetis: magis autem & in angelis miniſtrantibus ſaluti humanæ, & per ſingulas generationes: & ſic impletur, *Quoties volui*. Per ſingulas enim generationes ſemper voluit, & feſtinauit perficere voluntatem patris in eis: & ſi non in corpore conſtitutus, ſicut nunc in fine ſeculorum, tamen ſemper feſtinauit congregare filios Hieruſalem. Ipſius enim volentis cogregare filios Hieruſalem voces habentur in lege, & in Prophetis. Et de ipſo ſcriptum eſt, Expandens alas ſuas accepit eos, & ſuſcepit eos ſuper ſcapulas ſuas, & quotidianum opus eſt Chriſti, congregare filios Hieruſalem: de quibus & in Eſaia & in reliquis Prophetis plura dicuntur: & quotidie Dei filius congregat diſperſos filios Dei, ſicut gallina pullos ſuos ſub pennas ſuas. Si quis autem non fuerit congregatus, iudicabitur quaſi qui noluerit congregari ab eo. Venit enim filius hominis quærere quod perierat, & ſaluare: & mortuus eſt non pro gente ſola, ſed vt diſperſos filios Dei congregaret in vnum. Iudæis quidem qui erant filij illius Hieruſalem quæ erat deorſum comminatur, & nolentibus congregari ſub pennas ſuas dicens, Ecce nunc relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Semper autem eis qui noluerunt congregari ſub pennas ipſius, comminari & dicere Chriſtus videtur, Ecce nunc relinquetur vobis domus veſtra deſerta: id eſt anima veſtra, & corpus. Non ſolum enim corpus, ſed etiam anima peccantium, deſerta relinquitur: & ſicut in deſerto, vulpes faciunt in eis foueas, & ſerpentes generatio viperarum cubationes. Dicit autem nolentibus congregari ad ſe, Non me videbitis à modo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini. Et nec Iudæi tunc Chriſtum viderunt: nec enim viſus eſt eis reſurgens à mortuis ſicut prius, ſed iudicio & gratia patribus tantummodo dignis: Et donec intelligentes deſertionem propriam dixerint pœnitentes, Benedictus qui venit in nomine domini: non videbunt filium Dei, nec videbunt verbum eius nec conſiderabunt pulchritudinem ſapientiæ Dei. Sed & ſi ex nobis noluerit aliquis congregari ſub pennas Chriſti, ſed operibus malis recuſauerit congregari ſub pennas eius: iſte non videbit verbum Dei maxime ex tempore illo ex quo congregantem illum per ſingulos dies refugit actu magis quam corpore: & tantiſper nõ videbit pulchritudinem verbi, id eſt, Chriſtum, donec conuerſus & pœnitens à propoſito malo dicat, Benedictus qui venit in nomine domini. Tunc enim verbum Dei benedictum, & benedicta ſapientia Dei veniens venit in nomine Dei patris ſuper cor hominis, quando fuerit quis conuerſus ad Deum.

S. HILARII EPISC. PI-
ctauorum ſuperioris Euang. expoſitio.

A Iudæis propter Apoſtolos, qui de futurorum reuelatione prophetæ ſunt, & de Chriſti agnitione ſapientes, de legis intelligentia ſcribæ, cæſos, lapidatos, crucifixos, & à ciuitatibus in ciuitates fugatos omnis ſanguis iuſtorum ab Abel vſque ad Zachariam redundauit: vt quibus obeditum ſi fuiſſent, propriorum criminum eſſet venia præſtita, ab his ob eoſdem interemptos pœna in eos qui peremerint, paternorum quoque facinorum cogeretur. *Hieruſalem, Hieruſalem quæ interficis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, &c.* Inter multa obiurgationum genera ſemper miſericordiæ ſuæ proteſtatur affectum, cuius hinc omnis querela eſt, quod regredi in ſalutem, quam præſtabat, obnuerent. Occiderant enim prophetas, & ad ſe miſſos lapidauerant. *Hieruſalem.* In Ciuitatis nuncupatione, habitantium facinus oſtenditur. Et idcirco Abel ſanguis & Zachariæ in hãc eorum poſteritatem venturus oſtenditur: quia iam in his habitãs Chriſtus & prædicans erat paſſus. Quòd ſi creditum ei fuiſſet, non ſolum extra pœnã necis prophetarum credentium fides fuiſſet: Sed illam ipſam dominicæ paſſionis ſentẽtiam eſſet venia conſecuta. At verò cùm nec poſt reſurrectionem creditum ei fuerit, etiam vitio ab his Abelis & Zachariæ ſanguinis repoſcitur. Quamuis enim corporeus hæc loquatur, & opem vniuerſis homo repertus exhibeat: Frequenter tamen congregare eos voluit prædicationibus prophetarum. Sed fruſtra hunc impẽdit affectum & in caſſum. Tanquam gallina congregans pullos ſuos continere eos ſub alis ſuis voluit: terrena videlicet nunc & domeſtica auis factus, quondam corporis ſui, tanquam alarum operimento, calorem vt pullis ſuis vitæ immortalis indulgens, & in volatum velut in noua generatione producens. Pullis enim alia naſcendi ratio eſt, alia viuendi. Nam primum ouorum teſtis tanquàm clauſtro corporis continentur: dehinc poſtea parentis ſedulitate confoti, exeunt in volatum. Huius igitur familiaris ac penè terrenæ auis more, congregare eos intra ſe voluit, vt qui conditione naſcẽdi editi iam fuiſſent, nunc alterius generationis ortu & calore confouentis renati, in cæleſte regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent. Quod quia noluerunt, domus eorum deſerta & vacua relinquetur, id eſt, indigni habitatione ſancti ſpiritus erũt: ſua enim domus, non Dei eſſe cœperũt & in contumacia infidelitatis manentes, vſque in id tempus eum non videbunt, quo in Domini nomine reuertentem, etiam inuita infidelitatis confeſſione benedicent.

S. HIERON. PRESBYTERI in idem Euang.

IDeo *ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, &c.* Hoc quod antea dicebamus: implete menſuram patrum veſtrorum: ad perſonam domini pertinere, eo quod occidendus eſſet ab eis: poteſt & ad diſcipulos eius referri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis in ſynagogis veſtris: & perſequemini de ciuitate in ciuitatem: vt impleatis menſuram patrum veſtrorum. Simúlque obſerua iuxta
1. Corint. 7. b Apoſtolum ſcribentem ad Corinthios, varia eſſe dona diſcipulorum Chriſti. Alios prophetas, qui ventura prædicent. Alios ſapientes, qui nouerunt quando debeant proferre ſermonem. Alios ſcribas in lege doctiſſimos: ex quibus lapidatus eſt Stephanus: Paulus occiſus: crucifixus Petrus: flagellati in Actibus Apoſtolorum diſcipuli: & perſecuti eos ſunt de ciuitate in ciuitatem: expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum tranſmigrarent. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel iuſti, &c.* De Abel nulla eſt ambiguitas, quin is ſit quem Cain frater eius occiderit. Iuſtus autem non ſolum ex
Gen. 4. a domini nunc ſententia, ſed ex Geneſis teſtimonio comprobatur: vbi accepta eius à Deo narrantur munera. Quærimus quis iſte ſit Zacharias filius Barachiæ: quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas additum eſt: quem occidiſtis inter templum & altare. In diuerſis diuerſa legi: & debeo ſingulorum opiniones ponere. Alij Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim prophetis vndecimus eſt: patris cùm in eo nomẽ conſentiat: ſed vbi occiſus ſit inter templum & altare, ſcriptura non loquitur: maxime cum temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam, patrem Ioannis intelligi volunt: ex quibuſdam apochryphorum ſomniis approbantes, quod propterea occiſus ſit: quia ſaluatoris prædicarit aduentum. Hoc quia de ſcripturis non habet autoritatem, eadẽ facilitate contemnitur, qua probatur. Alij iſtum volunt eſſe Zachariam, qui occiſus eſt à Ioas rege Iudæ inter
2. Par. 24. c templum & altare, ſicut Regũ narrat hiſtoria. Sed obſeruandum, quod ille Zacharias non ſit filius Barachiæ, ſed filius Ioiadæ ſacerdotis. Vnde & ſcriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quia ſibi feciſſet bona. Cum ergo & Zachariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus: quærimus quare Barachiæ dicatur filius, & non Ioiadæ? Barachia lingua noſtra, benedictus domini dicitur: & ſacerdotis Ioiadæ iuſticia, Hebræo nomine demonſtratur. In Euangelio quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ reperimus ſcriptum. Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris: ſiue in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt, rubra ſaxa monſtrantes, Zachariæ ſanguine putant eſſe polluta. Non cõdemnamus errorem, qui de odio Iudæorum, & fidei pietate deſcendit. Dicamus breuiter quare ſanguis Abel iuſti, vſque ad Zachariam filium Barachię ab illa generatione requiratur, cum neutrum eorum occiderit. Regula ſcripturarum eſt, duas generationes bonorum & malorum noſſe, hoc eſt, ſingulorum ſingulas. De bonis ſumamus exempla: Quis aſcendet in montem domini? aut quis requieſcet in monte ſancto eius? Cúmque plures Pſal. 23. a qui aſcenſuri ſunt in montem domini deſcripſiſſet, qui diuerſis fuere ætatibus, poſtea intulit: Hæc eſt generatio quærentium dominum: quærentium faciem Dei Iacob. Et in alio loco de omnibus ſanctis: Generatio iuſtorum benedicetur. De Pſal. 111. a malis vero, vt in præſenti loco: Generatio viperarum. Et: Requirentur omnia à generatione iſta. Et in Ezechiel cum peccata terræ deſcripſiſſet, ſermo Ezech. 14. e propheticus adiecit: Si Noë, & Iob, & Daniel ibi fuerint inuenti, non dimittam peccata terræ illi: Omnes iuſtos qui ſimiles forent virtutibus eorum, per Noë, & Iob & Daniel, volens intelligi. Ergo & iſti qui ſimilia Cain & Ioas contra Apoſtolos geſſerint, de vna generatione eſſe referuntur. *Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis, &c.* Hieruſalem, non ſaxa & ædificia ciuitatis, ſed habitatores vocat quã plorat patris affectu: ſicut & in alio loco legimus, quod videns eam fleuerit. In eo autem quod dicit: quotiens volui congregare filios tuos: omnes retro prophetas à ſe miſſos eſſe teſtatur. Gallinæ quoque ſimilitudinem congregantis ſub Luc. 19. f. alas pullos ſuos, in cãtico Deuteronomij legimus: Deut. 32. b Sicut aquila protegit nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos deſiderauit: expandens alas ſuas ſuſcepit eos: & tulit ſuper pennas ſuas. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Hoc ipſum ex perſona Hieremiæ Hier. 12. b iam ante dixerat: Reliqui domum meam: dimiſi hæreditatem meam: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi ſpelunca hyenæ. Deſertam Iudæorum domum, id eſt, templum illud quod fulgebat auguſtius, oculis comprobamus: quia habitatorem Chriſtum perdidit: & hæreditatem præripere geſtiens, occidit hæredem. *Dico enim vobis: non me videbitis, &c.* Ad Hieruſalem loquitur, & ad populum Iudæorum. Verſiculum autem iſtum, quo & paruuli atque lactentes in ingreſſu Hieruſalem domini ſaluatoris vſi ſunt: quando dixerunt: Benedictus qui venit in nomine domini, oſanna in excelſis: ſumpſit de centeſimo decimoſeptimo pſalmo: qui manifeſte de aduentu domini ſcriptus eſt. Et quod dicit, hoc vult intelligi: Niſi pœnitentiam egeritis: & confeſſi fueritis ipſum me eſſe, de quo prophetæ cecinerunt, filium omnipotentis patris: meam faciem non videbitis. Habent Iudæi datum ſibi tempus pœnitentiæ: confiteantur benedictum qui venit in nomine domini: & Chriſti ora conſpicient.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI Epiſcopi Conſtantinop. in ſuperius Euang. Hom.

NVnc per ex aggerationem Phariſæos redarguens, inquit, *Quia mittam ad vos Prophetas, & ſapientes, &c.* Nam, ne dicere poſſint, quia, & ſi dominum crucifiximus, ſeruis tamen, ſi tunc fuiſſemus, pepercissemus. Ecce, inquit, ſeruos vobis ipſos quoque Prophetas mittam, nec abſtinebitis à ſanguine ipſorum. His oſtendit non eſſe mirum, ſi à filiis illorum occiderit, cum ſimulatione, dolo, cupiditateque cædis non pari patres ſuperant ſuos, ad hæc inanis gloriæ iactantia incenti facilè monſtrantur. Quod enim dicunt, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non conſenſiſſemus effuſioni ſanguinis Prophetarum: verbis ſolum- Ex hom. 75. in Matth.

modo philoſophantes, opere autem contrarium facientes, oſtentationis gratia dicunt. Serpentes, genimina viperarum, hoc eſt, iniqui, ac iniquorum filij, & parentibus multò iniquiores. Fœdiora enim ſcelera perpetrarunt, tum quia poſt illos, tum quia poſt maiora commiſerunt, ac maximè, quia iactabant ſe nunquam, ſi temporibus patrum fuiſſent, in crimina illorum collabi potuiſſe. Deinde finem, atque apicem ipſi malorum omnium impoſuerunt. Illi enim ad vineam miſſos ſeruos, iſti filium interfecerunt: illi vocantes ad nuptias, iſti ſponſum necarunt. Hæc dicit, à cognatione Abrahæ operibus eos remouens, oſtendensque nullam ſibi vtilitatem inde futuram, niſi opere patriarcham imitentur: propterea ſubiũgit: Quomodo iudicium gehennæ vitabitis, ſi illos ſequimini, qui tanta ſcelera commiſerunt? Hinc repræſentationem quoque Ioannis in memoriam reduxit: ſic enim Ioannes illos appellabat, & futuri iudicij memoria terruit. Deinde, quoniam nec iudicij, nec gehennæ minis terrebantur: partim, quia non credebant, partim quia futuris non mouebantur, à præſentibus eos reprimit, dicens; *Ecce mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, &c.* Vide quot modis, ac argumentis reuocare, ſtabiliréque ipſos ſtudebat. Dixit, iam patres ſuos ab eis condemnatos, quia iſti non communicaſſent cum illis, quod ad cunicerrendum parum non eſt. Dixit, quoniam condemnantes alios, ipſi peiora faciunt, quod ad confuſionem ipſorum ſufficiebat. Dixit, quia non ferent iſta impunè: & vt terroris magnitudinem renouaret, gehennam eis intentauit. Verùm, quia gehenna futura eſt, ac alterius vitæ, præſentia poſuit: *Venient* enim *omnia hæc*, inquit, *in generationem hanc*, quæ ſupplicia cum acrimonia protulit, dicens, quoniam grauiora cæteris patientur: nulla tamen harum omnium rationum facti ſunt meliores. Quare, ſi quis diceret, cùrnam grauiora omnibus patientur? Reſpondendum eſt, quia iniquiora, fœdioraque, quam cæteri omnes perpetrarunt, & nihil eos à ſceleribus potuit reuocare.

Gen. 4. An non audiſtis Lamech dicentem; Vindicatum eſt ex Lamech ſeptuagies ſepties, hoc eſt, pluribus ego, quàm Cain ſupplicijs dignus ſum? Atqui fratrem ipſe non interfecit. Sed, quia nec exemplo quidem commonitus, prudentior factus eſt, punitur: idipſum eſt, quod alibi Deus ait; Reddens peccata parentum in filios, in tertiam, & quartam generationem, iis, qui me odio habent, nõ quoniam alieni peccati quiſquam ſupplicia luat; ſed, quoniam, qui multos propter peccata ſua vexatos eſſe non ignorat, neque idcirco factus eſt melior, ſed eadem committens non curat, illorum quoque pœnas iuſtè ſuſtinebit. Abel autem illum in medium produxit, vt oſtendat inuidia etiam iſtos in cædem incitari. Quid igitur, inquit, dicere poteſtis? an forſan, quia poſt commiſſa Deus conticuit, an quia exclamauit quidẽ, ſed grauiora ſupplicia non popoſcit? an quia ignoraſtis, quibus patres veſtri exagitati ſunt modis, quoniam Prophetas occiderunt? nonne mille cladibus traditi perierunt? quomodo igitur meliores facti non eſtis? Quur autem patrum veſtrorum ſupplicia, & quæ paſſi ſunt, ego enarrem? ipſi vos patres veſtros ſanguinis crimine condemnaſtis? Quur ergo peiora facitis? vos ipſi iam ſentẽtiam protuliſtis, quia malos male perdet. Quam igitur poſt hanc ſententiam atrocius furentes veniam impetrabitis? ſed Zacharias iſte quiſnam eſt? Alij Ioannis patrem opinantur, alij Zachariam, alij binominem quendam ſacerdotem, quem & Iodam ſcriptura nominat. Tu verò perpende duplex illud ſcelus fuiſſe: non enim viros ſolummodo ſanctos, verumetiam in loco ſacro necabant. Hæc dicens & illos terrebat, & diſcipulos cõſolabatur, oſtendẽs, quia iuſti viri iam antea talia perpeſſi ſunt. Illos verò terrebat: quia, quemadmodum & patres ſui pœnas dederunt, ſic etiam illi grauioribus vexabuntur. Prophetas autẽ, & ſapientes, & ſcribas miſſurũ ſe ait, omnem eorũ excuſationem abſcindens, ne ſcilicet dicant, gentiles quoſdam miſſos fuiſſe, ac ideo non fuiſſe ſuſceptos. Ita ſola cædis cupiditas, & ſanguinis nimia ſitis ad ſcelera illos impellebat, quod Prophetæ quoque omnes criminabantur, ſanguinem ſanguini miſceri ab eis dicentes, & ſanguinis eſſe viros. Propterea & ſanguinem ſibi offerri Deus voluit, vt oſtenderet, quia, ſi brutorum ſanguis ita precioſus eſt, quantò magis hominis? quod ad Noë multo expreſſius dixit; Vindicabo omnem ſanguinem effuſum: nulléque alia Gen. 9 inuenire facilè poſſumus diuinitus à Deo Iudæis iniuncta, vt ab effundendo ſanguinem remouerentur, quocirca nec ſuffocatum aliquid comedere præcepit. O inæſtimabilem miſericordiam Dei! qui, quamuis ſciret, nihil Iudæis hæc profutura, nihilominus prædicere, ac admouere nunquam ceſſauit. *Mitto* enim, inquit, quamuis occiſum eos iri, nequaquam ignorem. Ita hinc etiam falſo illud comprehendebantur dicere, quòd participes prophetarum ſanguinis non fuiſſent. Prophetas enim etiam iſti & in ſynagogis interfecerũt, nec locum, nec perſonas reueriti. Non enim abiectos quoſdam, ſed prophetas, & ſapientes, ne ab eis increparentur, interfecerunt: ſignificat autem Apoſtolos, & eos, qui cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolus fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant. Vt autem deinde hunc terrorem augeat; *Amen dico vobis*, intulit, *venient hæc omnia in generationem hanc*; in caput veſtrum hæc omnia conuertam, & apertam faciam vltionem. Nam, qui multos peccantes videt, nec illorũ opprobriis modeſtior factus eſt, ſed eadem, atque peiora machinatur, par eſt, vt maiora quam illi luat ſupplicia. Quemadmodum enim præcipuam laudem conſequutus eſſet, ſi aliorum exemplis factus eſſet melior, ſic quoniam emendare ſe noluit, maiori pœna obnoxius eſt: efficaciorem nãque admonitionem per mulctam præcedentium habuit, nec fructus quicquam capere voluit: ad vrbem deinde cõuertit orationem, vt illos ſaltem hac via commoneat, *Hieruſalem, Hieruſalem*, dicens. Quid ſibi vult hæc conduplicatio? Miſerantis, valdéque diligentis huiuſmodi orationis figura eſt: quaſi enim ad cõtinuè, ac valde dilectam, quæ quoniam diligentẽ ſemper contempſerit, pœnas datura ſit, ſupplicia illaturus: quare ita faciat, ſatisfactionem adducit: hoc apud Hiere. 3 Prophetas etiam facit; Dixi, conuertere ad me, & non es conuerſa: verùm, cum nomine ipſam conduplicato vocáuerit, ſcelera eius poſtea ſubiicit dicens; *Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*. Ita de iis, quæ aduerſus ipſum fecerunt, dicit quia neque his omnibus à diligẽdo vos, atq; amando me reuoluiſtis, ſed quamuis atrociter læſus non ſemel tantum, aut bis, ſed ſæpius, atque ſæpius ad me contrahere volui. *Quoties enim volui congregare filios veſtros, ſicut gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?*

& noluiſtis? Hinc patet, quia ſemper ſeipſos peccádo diſſeminabant, amorem autem ſuum ab imagine auiū ſignificauit, feruenti quanque amore aues pullos diligunt ſuos. Crebrò autem hæc imago auis, & alarum apud Prophetas inuenitur, & in cantico Moyſi, & in Pſalmis mirabilem prouidentiam, & eximiam protectionem denotans, *ſed noluiſtis*, ait; *Ecce derelinquetur domus veſtra deſerta.* A patrocinio ſcilicet meo derelicta: ipſe igitur erat, qui etiam ſuperiori tempore continebat eos, atq; protegebat: quare ipſe quoque eſt, qui continuè illos eo ſupplicio punit, quod valde ſemper timuerūt: hoc enim omnium rerum ipſorum euerſionem deſignabat. *Dico enim vobis, non me videbitis ammodo, donec dicatis; Benedictus, qui venit in nomine domini.* Valde diligentis etiam hoc verbum, valde que illos non à præteritis ſolùm ad pudorem impellentis, verumetiam à futuris ſtudioſè attrahentis. Futurum enim ſecundi aduentus diem hoc in loco ſignificat. Nonne igitur viderunt eum poſtea, dices? Sed illud *ammodo*, non illam horam, ſed vniuerſum vſque ad paſſionem tempus ſignificat. Nam, quoniam ipſum Dei aduerſarium, & hoſtem appellabant, vt ipſos ad amorem ſui hortetur, concordem ſe patri oſtendit: iiſdem enim verbis, quibus & Propheta vtitur, vt illum ſe eſſe demonſtret, qui in Prophetis eſt. Cæterùm reſurrectionem quoque ſuam occultius, ſecundum verò aduentum apertius denotauit, ſignificans eos etiam, qui vehementer increduli ſunt, tunc adoraturos. Quomodo autem id aperuit, futurumque comprobauit? Multa ventura prædixit, quia ſcilicet mittet Prophetas, quia eos interimet, quia extremas clades interfectores eorum patiantur, quia domus eorum deſolabitur, in grauioréſque quàm vnquam ærumnas incident, quæ omnia vel mente captis, nimiumque contentioſis ſecundum aduentum eius, & futuram omnium adorationem confirmant. Interrogabimus nanque ipſos, nonne miſit Prophetas, ac ſapientes? nonne occiderunt illos in ſynagogis ſuis? an domus ipſorum in deſolationem dimiſſa non eſt, vel clades fortè prędictæ in generationem illam non venerunt? Nullus audebit profectò iſta facta eſſe negare. Sicut igitur vniuerſa hæc re ipſa euenerunt, ſic illa certè futura ſunt, & videbitur, atque ipſum eſſe Chriſtum neceſſitate rerum facti certiores negare non poterunt. Quare, obſecro, quouſque nobis tempus conceditur, rectè viuamus. Nam, quemadmodum nihil ex illa cogitatione tunc illi lucrabuntur, ſic nihil ex illa pœnitentia nos conſequemur. Nam neque gubernator, poſtquam nauis ſubmerſa eſt, neque medicus, poſtquam ægrotus obiit, quicquam prodeſſe poteſt: ſed omnes, antequam res in exitū veniat, ſtudere, ac vigilare oportet, ne in mortem, ac naufragium deueniant: nam poſtea nihil amplius prouidere poſſunt. Similiter igitur etiam nos, quoniam in ægritudine vitam trahimus, & medicos congregemus, & pecunias erogemus, & omni ſtudio incubamus, vt ab ægritudine iniquitatis liberati, ſani ex hac vita recedamus: & quantum erga ſeruos, & vernas noſtros, cum ægrotant, ſtudium adhibemus, tantam diligētiam, cùm anima noſtra laboret, pro nobiſipſis aſſumamus. Certè, quāquam propinquiores noſipſi nobis ſimus, quàm ſerui noſtri, & corporibus animæ multò præſtantiores ſint: optabile tamen mihi eſt, ſi ſaltem æqualem vtrique rei diligentiam conferamus. Quòd ſi modò non faciemus, cùm illuc abierimus, nihil nobis ad ſatisfaciēdum relinquitur. Sed quis, inquies, adeò miſer, atque ignauus eſt, vt nec tantam quidem erga ſe diligentiam habeat, quantam erga ſeruos ſuos oſtendit? Sane idipſum eſt, quod ego etiam vehementer admiror, ita enim parui noſipſos facimus, vt magis nos, quàm ſeruos noſtros vilipendamus. Illis enim febricitantibus medicos conuocamus, cubiculum eis certum tribuimus, & medicinæ legibus parere impellimus: quas ſi negligunt, & iraſcimur, & cuſtodes apponimus, qui eos medicorum præceptis viuere cogant: quod ſi magni pretij opus medicina fuerit, libenter impenſam ſubimus, & medicis ipſis non paruam mercedem dependimus: quando verò noſipſi ægrotamus (ſemper autem ægrotamus) ne ad medicū quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere, ſed quaſi publico quodam inimico, & hoſte noſtro iacente, ſic anima laborante, afficimur. Hæc dico, non quia velim à cultu ſeruorum vos reuocare, ſed, quia valde deſiderem, tantam curam, tantamque diligentiam ſaltem habere de anima noſtra. Et quo pacto, inquies, id faciemus? Monſtra ipſam ægrotantem Paulo, accede Matthæum, Ioanni aſſideas, ab ipſis diligenter audias, quid eum oportet facere, qui laborat, dicent tibi libenter, nec te remedium celabūt. Non enim mortui ſunt, ſed viuunt, & prædicant. Sed non ſentit, inquies, quamuis febricitet anima mea: coge tu ipſam, & partē ipſius rationis capacem excita & Prophetas aduoca. Non exigunt pecuniam iſti medici, nec quicquam mercedis aut pro arte ſua, aut pro præparandis medicinis flagitant, nec vllæ erunt tibi impenſæ, niſi quòd eleemoſynam facere iubebunt. Nam alioqui ditiorem te faciunt. Cùm enim modeſtiorem reddant, cùm à multis te inutilibus impendiis liberēt, cùm abſtinere à vino, cum non vti delitiis perſuadeant: tunc certè ditiorem te faciunt. Vides mirabilem medicorum artem? & ſanitatem, & pecunias ſimul præbebunt. Aſſideas ergo eis, diſce ab eis ægritudinis tuæ naturam: vt verbi cauſa, pecuniarum feruore accēderis, nec minus copiis, quàm frigidam aquam febricitantes? audias quid remedij afferunt. Nam, ſicut medicus, ſi cupiditati obſequaris, illud, atque illud tibi euenturum prænunciat: ſic Paulus quoque: Qui ditari volunt, inquit, incidunt in tentationem, & concupiſcentias ſtultas, 2.Tim.6.
& noxias, quæ in profundum interitus, & perditionis homines præcipitant. Sed impatientiæ vitio laboras? audi rurſus eum adhuc parum; Et qui venturus eſt, veniet, & nō tardabit: dominus prope eſt, nihil ſoliciti ſitis, & rurſum; Tranſit mundi huius figura. Non enim ſolummodo illi alia quædam ad ſedandum ſitim, præter aquam frigidam excogitant: ſic & iſte à caducis, ad æternam concupiſcētiam traducit. Ditari deſideras? inquit, non prohibeo bonorum operum acquiſitionem. Ingentes vis theſauros condere? in cęlis eos repone. Et, quemadmodum medicus oſſibus, neruis, dentibus obeſſe frigidum aſſeuerat, ſic & iſte breuius quidem, quoniam breuitatis magiſter eſt, clarius autem multò, atque vehementius omnium malorum radicem, auaritiam eſſe affirmat. Qua igitur re, inquies, vti oportet? Neque id prætermiſit, ſufficiētia, inquit, pro auaritia: magnos enim quæſtus eſt ſufficiētia cum pietate. Quòd ſi repugnas, quia

Heb.10.
Phil.4.
1.Corinth.7.

plura deſideras,& nundum poteſt ſuperflua cuncta proiicere,etiam ſic ægrotanti quid faciendum ſit,dicit, Vt,qui lætantur in poſſeſſionibus, ſicut non lętantes ſint;& qui habent,tanquam non retinentes, qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes. Perſpicis qualia ſunt, quæ iubet? Vis vt alium etiam medicum conuocemus? mihi ita videtur. Non enim iſti ſicut medici corporis inter ſe ambitionis cauſa ita certant, vt plerũque diem ſuum ægrotus propter cõtentionem eorũ obeat, ſed ad laborãtium ſanitatẽ ſolummodo reſpiciũt. Noli ergo multitudinem eorum formidare, vnus in omnibus loquitur Chriſtos: agè igitur, audi quàm grauiter hunc morbum alius,imo magiſter omnium caſtiget. Non poteſtis,inquiens,Deo ſimul,& mammonæ ſeruire. Quomodo autem hæc erunt, & quomodo cõcupiſcentiam deponemus, inquies? Audi eum,nec enim id prætermiſit, ſed quomodo id poterimus facere perdocuit. Nolite, dicens,in terris theſaurizare, vbi tinea, & ærugo demolitur,vbi fures effodiũt,& furantur:Perpendis quomodo tum à loco, tum ab huius cupiditatis furore ab hac abducẽs auaritia, Deo affigit,vnde nihil poteſt aſportari. Nam, ſi diuitias veſtras eò transponetis, vbi nec tinea,nec ærugo demolitur, nec fures effodiunt, atque furantur, & hanc facilimè ægritudinem depelletis, & animam in magna rerum copia conſtituetis. Ad hæc quemadmodu medicus exemplo terret, quia ille,atque ille, inquit,aqua frigida vſus,periit:ſic etiam ipſe, vt moderatiorem te faciat,diuitem vitæ,ac ſanitatis cupidum inducit, quem auaritia impeditum, non fuiſſe optata conſequutum oſtendit. Alius

Luca 1. deinde Euangeliſta in flammis laborantem, diuitem in medium adduxit,qui nec ſtillam aquæ potuit inuenire. Facilia verò hæc eſſe oſtendit, dicens;Reſpice ad volatilia cæli:adeóque infirmitati tuæ condeſcendit, vt nec diuitem deſperare per-

Marc.10. mittat.Nam,quæ hominibus impoſſibilia ſunt,inquit,ea Deo poſſibilia ſunt. Ita, & ſi diues és, mederi tamen tibi facilè potes:non enim ditari prohibuit, ſed diuitiis ſeruire, & huic cupiditati affigi vetuit. Quomodo igitur poſſibile eſt diuitem ſaluari? Si, quæ habet, communia ſibi cum indigentibus ſint, qualem Iob illum fuiſſe non ignoramus. Si cupiditatem ſuperflui ab animo euellat,

Luc 5. ſi vltra neceſſarium vſum minimè procedat. Præterea publicanum etiam ægrotantem tibi proponit, qui, etſi magno æſtu auaritiæ febricitaret, (quid enim publicano rapacius?) velociter tamen liberatus, quoniam præceptis medici paruit, eximium habendi cõtemptum complexus eſt. Quid plura? omnes diſcipuli Chriſti his ægritudinibus, quibus & nos laborantes, facilimè curati fuerunt, quorum ſingulos, ne deſperemus, nobis propo-

Luc.19 nit. Hunc igitur ipſum publicanum cõſidera,quomodo quadruplum raptarum à ſe rerum, & mediam omnium rerum ſuarum partem daturum ſe pollicetur,vt Ieſum recipiat. Sed ardes tu, atque inflammaris cupiditate pecuniarum. Habes igitur, quæ omnium ſunt quaſi tua, plura ubi dat quàm poſtules, diuitum omnium orbis domos tibi aperit. Qui enim patrem, aut matrẽ,aut agros, aut domum dimiſerit,cẽtuplum accipiet. Ita non pluribus ſolùm potieris, verumetiam difficilem hanc ſitim reſtingues, omnia facilius ferens, non modò plura nõ deſiderans, ſed ipſa etiam plerun-

Phil.4. que neceſſaria contemnens. Nam & Paulus,cùm eſuriret,tunc magis lætabatur, quàm quando comedebat: ſic & athleta coronas ex certaminibus meriturus, certandi laborem non fugit,vt in otio viuat:& mercator, qui tranſmarinarum mercium lucra guſtauit, deſidioſè viuere non ſuſtinet. Et nos igitur, ſi fructus ſpiritales guſtabimus, præſentia certè vniuerſa vilipendemus, futurorum cupiditate, quaſi optima quadam ebrietate capti. Bibamus igitur de fonte ſpiritali,vt & pręſentium tumultu,atque turbatione liberemur,& futuram beatitudinem conſequamur,gratia, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti,Amen.

AVCTORIS DICTI IM *perfecti in Matthæum in idem Euang. Homilia.*

Hom. 46. in Matth. IDeo,*ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas,& ex ipſis occidetis, & crucifigetis.* Prophetas,& ſapientes, & ſcribas, Apoſtolos dicit. Prophetæ enim erant, quia prophetico ſpiritu erant repleti. Sapientes autem erant corde, ſicut Propheta dicit de eis: Et eruditos corde in ſapientia. *Pſal.89.* Scribæ autem erant corde, quia de theſauris ſuis noua & vetera proferebant. Sed primum videamus,qua cauſa dicit:*Ideo,ecce ego mitto ad vos*:ſuperius dixerat:Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum:id eſt,quoniam ædificatis ſepulchra Prophetarum, & per hoc non ſolùm verbis,ſed & ipſis ædificationibus dicitis,ſi in diebus patrum noſtrorum fuiſſemus, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum: volentes vos iuſtificare coram hominibus, qui ſecundum viſionem operum iudicant, & non coram Deo, qui corda cognoſcit: quod eſt hypocritarum. Ideo dixit Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotũ:*Ecce ego mitto ad vos Prophetas,& ſapientes,& Scribas,& ex ipſis occidetis, & crucifigetis,& perſequemini de ciuitate in ciuitatẽ*,vt menſuram homicidarum patrum veſtrorum non bene plenam impleatis,peiora facientes patribus veſtris. Quoniam illi quidem prophetas occiderunt, vos autem ipſum dominũ Prophetarum. Illi enim eos,qui annunciabant venturum filium Dei: vos autem eos,qui eum iam aduenisſe teſtantur, vt ſic per ipſa opera veſtra homicidialia, teſtimonium vobis reddatis, quia filij eſtis patrum homicidarum: vt non ſolum ſanguis iſtorum ſanctorum, verum etiam propter iſtorum ſanguinem, omnis ſanguis præcedẽtium ſanctorum veniat ſuper vos. Nunc virtutem ipſorum verborum videamus. Oſtendit eis, quia intelligit corda ipſorum, quia tales ſunt, vt faciant quod fecerunt patres eorum. Nam apud Deum, qui hominem occidere diſponit,antequam occidat, quaſi homicida habetur. Et qui adulteriũ committere auſus eſt, antequam committat, iá adulter eſt ante Deum. Et qui periurare paratus eſt,antequam periuret, iam periurus videtur: quia Deus non ex operibus iudicat, ſed ex cogitationibus cordis, dicente Apoſtolo: Teſtimonium reddente conſcientia eorum,etiam *Rom.2.* cogitationibus inuicé accuſantibus ſe, aut etiam defendentibus ſe in die,quum iudicabit dominus occulta hominum. Voluntas eſt enim, quæ aut

remunera-

remuneratur pro bono, aut cõdemnatur pro malo: opera autem teſtimonia ſunt voluntatis. Vt quid ergo expectat opera, qui conſciẽtiam nouit? Nunquid & tu in aliquo negocio teſtimonia quæris, quum tibi res ipſa fuerit manifeſta? Sed dicis: Si ſecundum voluntatem iudicat, & opera non expectat, non miſiſſet ad illos Prophetas, & ſapientes. Ideo expectat, vt duo bona fierent miſericordiæ, & vt Iudæi ſecundum conſcientias ſolas ſuas condemnarentur, & iuſti homines non occiderentur. Et quis ſcit, quia aut malus iuſtè damnatus ſit propter maliciam ſuam, aut bonus propter beneuolentiam ſuam iuſtè remuneratus ſit, niſi voluntas demonſtretur in opere? Quale eſt enim illud iudicium iuſtum, cuius iuſtitiam nemo cognoſcit? Non ergo Deus quærit opera propter ſe, vt ſciat quomodo iudicet, ſed propter alios, vt omnes intelligãt, quia iuſtus eſt Deus. Nam Deus eſt, qui omnium corda cognoſcit, & hominum, & angelorum, & ſpirituum cæterorum. Cor autem Dei nemo cognoſcit, neque homines, neque angeli. Ideo ergo & malis dat occaſionem, per quam in operibus oſtendatur propoſitum volũtatis ſuæ malæ: ſicut de ſcribis, & phariſæis, mittens ad eos prophetas, & ſapientes, & ſcribas: & bonis præbet occaſionem, per quam oſtendant propoſitum voluntatis ſuæ bonę, ſicut prophetis, & ſapientibus, & ſcribis ſuis præbuit, excitans ſuper eos perſecutionem ſcribarum, & phariſæorum, vt non ſine cauſa quantum ad homines coronarẽtur. Et ſicut homo habens benefaciendi propoſitum, certè iuſtum eſt, vt Deus prouideat ei occaſionem, per quam faciat bona. Vt quid pinguis terra iaceat ſine fructu? Sic iuſtum eſt, vt homini malam voluntatem habenti, prouideat cauſas, per quas faciat mala, dicente Salomone: Ad prauos, prauas vias

Pſal. 118. emittet dominus. Vnde Dauid rogat, dicẽs: Viam iniquitatis amoue à me, legem tuam, &c. Nam &

Pſal. 124. de beneuolis alibi Propheta ſic dicit: Quia nõ dimittit virgam peccatorum ſuper ſortẽ iuſtorum, vt non extendãt iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Id eſt, nõ dat poteſtatem dæmonibus ſuper iuſtos, ne quando contra voluntatem ſuam malum facere compellantur ab illis. De maleuolis autem ſtatim ſic dicit: Declinãtes autem ad ſuffocationem, adducet dominus cum operantibus iniquitatem. Id eſt, qui declinatus eſt ad malefaciendum, ſociat illum cum operantibus mala. Vt puta volenti tibi eleemoſynas facere, occurrit ante faciem tuam captiuus, aut deſolata vidua, aut miſerabilis orphanus: non tantum eum miſit ad vtilitatem illius, quantum illum tranſmiſit ad vtilitatẽ tuam: id eſt, non tantum præſtitit illi per te, quantum per illum tibi. Nam quod per te illi præſtitit, temporale eſt & terrenum: quod autem tibi præſtitit per illum, perpetuum eſt, & cæleſte. Ne putes quia propter vtilitatem pauperum Deus, diuitem fecit, quos & ſine diuitibus poterat ſuſtentare: ſed propterea vtilitatem diuitum pauperes fecit, qui infructuoſi, & ſteriles erant futuri, niſi pauperes facti fuiſſent. Si ergo benefacere volentibus, quando prouidet cauſas benefaciendi, iuſtus eſt Deus: ſine dubio, & quando malefacere paratis malefaciendi prouidet cauſas, nõ eſt iniuſtus. Sicut enim bonus rogat, ne occaſionem peccandi incurrat,

Pſal. 118. dicens: Viam iniquitatis amoue à me: ſic & malus optat, vt inueniat occaſionem nocendi. Ideo ergo dicit dominus: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex ipſis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effunditur ſuper terram.* Ergo Deus occaſionem prouidet peccandi? Etiam, ſed non vt peccare faciat, ſed vt peccatorem oſtendat. Ecce enim ſi tu vinoſum compares ſeruum, & volueris mores ſuos ſcire, nõnne ponis ante illum ſacculos cum ſolidis, aut aliquem concupiſcibilem cibum, & ſi quidem ſeruus ille incontinens fuerit, & ſine timore porrigat manum ſuam, & accipiet inde, nunquid male feciſti? Aut nunquid tu coëgiſti illum, vt faceret malẽ? Non, ſed propalaſti maliciam eius. Sic & Deus dans hominibus occaſionem peccandi, ſi peccare voluerint, non illos facit peccare, ſed manifeſtat pertinaciam cordis eorum. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effunditur ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.* Id eſt, non tantum ſuper Iudæos, qui iam non ſunt, ſed ſuper vos malos homicidas. Nam in tempore Abel Iudæi quidem non fuerunt, mali autem fuerunt. Nam quantum ad homines multæ generationes ſunt ſecundum diuerſitates terræ: quantum autem ad Deum duæ generationes ſunt. Vtputa per ſingulas generationes ſanctis ſuis bona promittens Deus per prophetas ad cõſolationem eorum Chriſtum eis prophetauit venturum. Vtputa: Conſtituam iudices tuos ſicut prius, tunc vocaberis ciuitas iuſtitiæ, &c. Ergo promiſit quidem, non autem præſtitit: præſtitit autem nouiſſimis ſanctis. Sicut & per ſingulas generationes peccantibus mala promittens Deus, ad terrorem eorum hunc eis propheticè minabatur interitum, quem Iudæi ſunt paſſi. Vtputa: Terra veſtra deſerta, &c. Ergo minatus eſt omnibus, nõ autem reddidit, ſed reddidit generationi nouiſſimæ. Sicut ergo omnia bona, quæ in ſingulis generationibus à conſtitutione mundi omnes ſancti merebantur, illis nouiſſimè ſunt donata qui receperunt Chriſtum: ſic omnia mala, quæ in ſingulis generationibus à conſtitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, & ſanctorum interfectores, ſuper nouiſſimos Iudæos venerunt, qui Chriſtum repulerunt. Aut ita: Nunquam ab initio mundi antè talis gratia Dei donata eſt hominibus, quali in Chriſto: aut talis interitus venit ſuper impios, qualis venit ſuper Iudæos, Chriſto repulſo. Exempla corporalia dico, quę paſſi ſunt à Romanis. Quid enim melius eſſe poteſt, quàm Deum in corpore veniẽtem ſuſcipere? Aut quid peius cõtingere poteſt, quàm Deum cum tanta humilitate & miſericordia venientem ad ſe, non ſolùm non ſuſcipere, ſed adhuc interficere, & tali modo interficere? Pone ergo Deũ dicere ad illos, qui receperunt Chriſtum: Ecce ego mitto ad vos filium meum in corpore velatum, & diſcipulos eius in nomine ipſius: & recipietis eos, & credetis in eum, vt veniat ſuper vos omnis iuſtitia, quæ facta eſt ab Abel vſque ad Zachariam. Nónne verum dicit? Vere enim, quantum ad magnitudinẽ gratiæ, quæ data eſt omnibus in Chriſto, non dicam omnes iuſtitiæ præcedentium ſanctorum, quæ ab initio venerunt ſuper illos: ſed puto, quòd omnium ſanctorum iuſtitiæ, tantum mereri non potuerunt, quantum illis ab eo donatum eſt. Sic & ſuper Iudæos, qui crucifixerunt Chriſtũ, & perſecuti ſunt diſcipulos eius venientes ad ſe: quantum ad magnitudinem iræ, quæ effuſa eſt ſuper eos, nõ dicam quia omnium impio-

rum præcedentium peccata venerunt ſuper illos, ſed magis omnium impiorum peccata tantum mali non meruerunt, quantum venit ſuper illos, vt talia paterentur, qualia paſſi ſunt à Romanis: & ſic poſtmodum omnes generationes eorum vſque in finem ſeculi prouocerentur à Deo, & ludibrium fierent Gentibus vniuerſis. Sic & modò fit in omnes Gentes, & ciuitates. Vel ita: Omnis Gens, vel ciuitas non quum peccauerint, ſtatim punit eas Deus: ſed expectat per multas generationes, & modò mandat, modò minatur, interdum ex parte caſtigat: vt quanto magis diutius eos expectauerit, tanto amplius & Dei iudicium iuſtius ſit, & illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere ciuitatem illam aut Gentem, videtur omnium generationum præcedentiũ peccata reddere illis: quoniá quæ illæ omnes generationes merebantur, hæc ſola paſſa eſt. Quid ergo? Iniuſtus eſt Deus, qui aliorum peccata vindicauit in iſtis? Abſit. Sed quoniam quę illi merebãtur, iſti ſunt paſſi, & ſoli paſſi ſunt talia, quum non ſoli peccaſſent: propterea quæ aliorum erant, dicuntur iſti perpeſſi. Res enim iſta moralis eſt, & ſic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim quum ſerui tui peccant, expolias vnum, & iterum parcis ei, dicens. Niſi obſeruaueris, hoc paſſurus es: ſimiliter facis & alteri: Non meliorantibus verò eis, ſi incurrerit vnus, caſtigatur ſecundum ſuum peccatum, & videtur quidem pro omnibus ille ſolus caſtigatus, quia quod aliis eſt promiſſum, illi eſt redditum. Reuera autem non pro aliis caſtigatus eſt, ſed pro ſe: quia ſecundum meritum culpæ ſuæ caſtigatus eſt. Ille enim pro aliis dicitur caſtigari, qui aliis peccantibus, ipſe caſtigatur non peccans: qui autem peccans caſtigatur, non pro aliis, ſed pro ſe caſtigatur. Sic & generatio iſta pro patribus quidem ſuis videtur punita, quia illi territi ſunt, iſti puniti. Verè autem non pro aliis, ſed pro ſe condemnati ſunt: quia ſic peccantes iuſtè damnati ſunt. Hæc eadem ad hæreticos conuenit dicere Chriſtum: *Ideo, ecce ego mitto ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effunditur ſuper terram.* Verè enim miſſi ſunt ſapiẽtes aduerſus hæreticos, ſcilicet patres veſtros. Sapientes autem non literati, quorum ſapientia non eſt in ſenſibus carnalibus poſita, & in lingua acquiſita per exercitationem carnalem: ſed ſapiẽtes circa Dei timorem, ſapientes circa Dei notitiam: ſapientes animo, non corpore: corde, non ore: fide, non verbis, de quibus dicit propheta: Dexteram tuam ſic notam fac mihi, & eruditos corde in ſapientia. Miſit
Pſal. 89.
ſcribas, id eſt, preſbyteros, & diaconos, & fecerunt eis, qualia fecerunt Prophetis, & Apoſtolis, & Martyribus patres eorum. Quanta paſſi ſunt ab hæreticis patres noſtri, nullus ignorat, recedente de medio teſtimonio ſcribarum. Ipſe enim actus hominum per ſingulas generationes decurrens ſufficit ad teſtimonium veritatis, qui ſunt filij Prophetarum, & Apoſtolorum, & Martyrum, perſecutionem patientium ſemper, & qui ſunt filij Iudæorum, atque Gentium perſequentium ſemper. Quid opus eſt verbis ad probationem generis veſtri, quum res ipſa loquatur? Quod autem dicit, *vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ*: non ita eſt intelligendum, vt omnium generationum præcedentium, & ſequentium merita, generatio vna perſoluat. Nec enim iuſtum eſt, vt alter pro alterius puniatur peccatis, ſed quum in die * iudicij vnaquæque generatio punita pro peccatis ſuis fuerit, de hac vna & ipſa generatione videbitur eſſe iudicatum. Omnium enim iniquorum, & perſecutorum, & homicidarum à Cain vſque ad finem vna generatio eſt: & ſi non ſint omnes in tempore vno, omnes tamen filij ſunt perſecutoris, & homicidæ illius Cain. Ideo & alibi dicit: Amẽ dico vobis, non tranſibit generatio hæc, donec omnia fiant, id eſt, donec impleatur omne myſterium vocationis ſanctorum. Verbi gratia Cain fuit perſecutor Abel, & mortuus eſt: facti ſunt gigãtes perſequentes filios Seth. Ecce Cain tranſit, ſed generatio ipſa ſtetit. Perierunt gigantes in diluuio, ſed nati ſunt ex * Cam Cananæi, & cæteræ Gentes perſequentes filios Sem. Gigantes tranſierunt, ſed generatio iſta ſtetit. Secundum animam enim Cananæi de generatione erãt eorum iniquorum, qui fuerunt ante diluuium. Interempti ſunt Cananæi ex parte à filiis Iſraël, ſicut legimus, & ex eis facti ſunt alienigenæ, qui perſequerentur Iudæos. Ecce & illi tranſierunt, ſed generatio eorum ſtetit. Poſtmodum conuerſæ ſunt gentes quędam ad Chriſtum, ſurrexerunt perfidi Iudæi poſt Chriſtum aduerſus Chriſtianos, ipſa vice habentes ipſam generationem quantum ad animam, quam habuerũt Gentes illæ, quæ prius perſequebantur Iudæos. Deinde Gentiles quidem crediderunt omnes, Iudæi autem defecerunt, qui perſequebantur eccleſiam, & ex ipſa eccleſia ſurrexerunt hæretici, qui perſequebantur eccleſiam, ſed generatio ipſa ſtetit. Ecce Iudęi, & Gentes perſecutores trãſierunt, ſed generatio ipſa ſtat. Nam de generatione impiorum Iudæorum, & Gentilium ſunt hæretici iſti. Ideo & mores, & perfidiam ſequuntur eorum, ſicut diximus ſupra. Poſtmodum autem & hæretici tranſituri ſunt, vt non ſint ſecundum quod modò eſſe videntur, & futuri ſunt, Gentiles & populi Antichriſti, & tranſeuntibus iſtis generatio iſtorum ſtabit in illis. De generatione enim iſtorum erant etiam illi, qui fuerunt, & impletur quod dictum eſt: Non tranſibit generatio iſta, donec omnia fiant. *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te mittuntur.* Omnia futura antè proſpiciens dominus, præuidit etiam ruinam ciuitatis Hieruſalem, & plagã, quæ à Romanis ventura erat ſuper populum illum: ideo extollens lamentum lugebat eam dicens, *Hieruſalem Hieruſalem.* Recordabatur quidem ſanguinem ſanctorum ſuorum, qui effuſus erat ab illis, & qui adhuc poſtmodum fuerat effundendus. Sed non tamen dolebat de iniuria ſanctorum ſuorum, ſciens qualem illis gloriá præparauerat pro morte temporali: ſed de illorum interitu flebat, quibus & in iſto ſeculo mala ventura fuerant, & in illo peiora. ſicut enim benefacientes, non Deo pręſtamus, ſed nobis: Deus autem gaudet, non de ſuo lucro, ſed de noſtra ſalute: ſic nos peccantes non Deo nocemus, ſed nobis. Deus autem triſtatur, non de ſua iniuria, ſed de noſtra perditione. Sicut rex benignus audiens criminoſas perſonas, lege quidem compellente, ipſe mortis ſentẽtiam dictat aduerſus eos: tamen miſericordia inſtigante, lachrymas fundit ſuper illos, & vult eos adiuuare, & non poteſt, contradicente ſibi iuſtitia: quoniam miſericordia tunc vera eſt miſericordia, ſi ſic facta fuerit, vt iuſtitia

* Vindicta
Matth. 24.
* Canaam.

vt iuſtitia per eam non contemnatur: ſi autem, contempta iuſtitia, miſericordia obſeruetur, ipſa miſericordia non eſt miſericordia, ſed fatuitas. Nam iuſtitia non eſt vera iuſtitia, niſi habuerit in ſe & miſericordiã: ſic & miſericordia non eſt vera miſericordia, niſi habuerit in ſe iuſtitiam. Iniuſtè agentibus, ac malefactoribus miſericordiam exhibere, nec eos punire, ipſa miſericordia non eſt miſericordia, ſed fatuitas. Sic & dominus ipſe quidem mortis ſententiam dictabat ſuper Iudæos, dicens. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ex ipſis occidetis, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus.* Ecce ipſe eos miſerabili lamentatione plangebat, dicens: *Hieruſalem Hieruſalem.* Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim ſic dolet, quia ipſe ab eis offenditur, ſed quia quaſi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit ſaluare. Nam quemadmodum in nobis contra naturam eſt benefacere, ſic & Deo contra naturam eſt malè facere, aut perdere. Sed dicet aliquis: Quum in poteſtate habeat Deus perdere, & ſaluare, quis eum inuitum compellit condemnare, ſi non vult? Tu, qui non deſideras miſericordiam Dei. Nam ſicut qui deſideranti miſericordiam Dei denegat, crudelis eſt: ſic qui nõ deſideranti miſericordiam Dei præſtat, iniuſtus eſt. Sed dicis: Quis eſt homo, qui non deſiderat miſericordiam Dei? Tu, qui permanes in peccatis. Deſiderare autem miſericordiam Dei, eſt conuerti ad Deum. Ille enim deſiderat miſericordiam Dei, qui timet iram eius: qui autẽ non timet iram eius, nõ deſiderat miſericordiã, ſed contemnit. *Hieruſalem Hieruſalem*, quæ vſque nunc luctata es contra miſericordiam meam tuis peccatis, nũc autem ipſam ſuperaſti. Volo enim in te miſereri, ſed vires miſericordiæ faciendæ non habeo, nec poſſum te amplius iam ſufferre. Inceſſabilibus enim iniquitatibus tuis miſericordia mea quaſi iam laſſata, à propoſito ſuo defecit. *Quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te.* Miſi ad te Eſaiam, & ſerraſti eum: miſi ad te Hieremiam, & lapidaſti eum: miſi Ezechielem, & tractum ſuper lapides excerebraſti eum. Quomodo ſanaberis, quæ nullum ad te medicum venire permittis? Quomodo curabo infirmitatem tuam, quę omnem medicinam conculcas? Sanctis meis non peperci, vt tibi parcam peccatrici. Illorum vitã neglexi, ne tuam mortẽ viderem. Omnes medici ſpirituales in te defecerunt, & tu curata non es. Inſanabilis eſt paſſio tua, vicit enim artem diuinam. Si de morte tua gauiſus fuiſſem, nunquam ad te miſiſſem prophetas. Si te perdere voluiſſem, nũquam ad te ego ipſe veniſſem. Ego tibi quid faciam, ſi tu ipſa viuere non vis? *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti?* Quum te in Ægypto quaſi ſanguinarius accipiter perſequebatur Pharao, miſi ſuper te Moyſen, & Aaron, quaſi duas molliſſimas pennas miſericordiæ meæ, & liberatos vos de vnguibus eius rapui in deſertum, & noluiſtis ſequi me, facientes vobis vitulum in Horeb, vt ſeruiretis potius idolo mortuo, quàm Deo viuenti. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti?* Percurre, ſi vis iudicium, quoties peccauerũt, & tradidit illos Deus, & iterum liberauit? Gallinam eccleſiæ ponit ſimilitudinem. Sicut enim pulli gallinarum paſtum ſuum quærentes, per diuerſa vagantur, & maternis vocibus congregantur ad ipſam, & iterum ſimiliter paſcentes diſperguntur, & iterum maternis vocibus congregantur: Sic & populus Dei carnalem voluptatem, & mundialem concupiſcentiam ſequẽtes, per diuerſos vagantur errores, quos eccleſia mater per ſacerdotes, modo increpationibus, modo blandimentis, quaſi quibuſdam vocibus congregare & allectare feſtinat. Et quemadmodum gallina habens pullos, vocandos illos non ceſſat, vt aſſidua voce vagoſitatẽ corrigat pullorum ſuorum: ſic & ſacerdotes in doctrina ceſſare non debent. vt ſtudio, & aſſiduitate doctrinarum ſuarum negligentiam populi errantis emendent. Et quemadmodũ gallina habens pullos, non tantũ pullos ſuos calefacit, ſed etiam cuiuſcunque volatilis filios excluſos à ſe diligit quaſi ſuos: ita & eccleſia non ſolum ſuos Chriſtianos ſtudet vocare, ſed ſiue Gentiles, ſiue Iudęi, ſi ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſuæ calore viuificat, & in baptiſmo generat, & in ſermone nutrit, & in materna diligit charitate. Vt autem & hæreticis hæc eadem coaptemus, Hieruſalem hic ſemper eccleſiam intellige, quæ dicitur ciuitas pacis, cuius fundamenta poſita ſunt ſuper montes ſcripturarum. Sicut ergo illi Iudæi, qui fuerant Hieruſalẽ ſpiritualis, ingreſſi crediderunt in Chriſtum: illi autem, qui erant Hieruſalem corporalis, manentes in corporali Iudaiſmo, perſequebantur ſpirituales Iudæos, id eſt Apoſtolos, cæteróſque ex circumciſione credentes: ſic & de iſta noua Hieruſalem, id eſt de eccleſia, qui ſpirituales Chriſtiani fuerunt, relicta corporali eccleſia, quam perfidi occupauerunt, violentia exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt à nobis, ſicut Ioannes exponit. Non enim ille de eccleſia exire videtur, qui corporaliter exit, ſed qui ſpiritualiter veritatis Eccleſiaſticæ fundamenta relinquit. Nos enim ab illis exiuimus corpore, illi autem à nobis animo. Nos ab illis exiuimus loco, illi à nobis fide. Nos apud illos relinquimus fundamenta patrum, illi apud nos reliquerunt fundamenta ſcripturarum. Nos ab illis egreſſi ſumus ſecundum aſpectum hominum, illi autem à nobis ſecundum iudicium Dei: Ideo & illi corporales Chriſtiani perſequuntur noſtros ſpirituales, ſpecie colorata, varietate fundata. propterea quæ ſuperius dominus cõmemorauerat ad illam Hieruſalem corporalem dicta eſſe videntur: *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur.* Non dixit, quæ occidiſti, & lapidaſti: ſed, *quæ occidis, & lapidas:* id eſt, quæ hoc proprium, & quaſi naturalem conſuetudinem habes, vt occidas & lapides ſanctos. Nõ enim occidit, aut lapidauit ſanctos ante Chriſtum, & ceſſauit facere poſt Chriſtum, quæ fecit aliquando prophetis, ſed eadem ipſa facit Apoſtolis, quæ fecit aliquando prophetis. Sic & hæreticorum eccleſia, non ſolum perſecuta eſt patres noſtros, & perſequi iam ceſſauit, ſed eadem filij eorum faciunt nobis, quæ patribus noſtris fecerunt patres eorum. Mittuntur enim ad illos viri fideles, quotieſcunque inter illos, & fideles certamen fidei commouetur, non ex ebrietate vini, ſicut fieri ſolet frequenter, ſed ex aliqua cauſa religionis. Mittuntur ad illos, ſicut mittebantur prophetæ, & Apoſtoli ad Iudæos, non ad ſalutem eorum, inſanabiles enim ſunt: ſed ad præiudicium ipſorum, vt ſine excuſatione ignorantiæ iudicentur. Item aliter: Hæretici prophetas, & Apoſtolos, & martyres occidunt, qui modo ſunt apud nos: ſine

Pſal. 86.

Hic videtur loqui de perſequutione, quam Ariani paſſi ſunt ſub imperatoribus Catholicis.

dubio

dubio occidunt in verbis ſuis,& actibus. Quoties enim leguntur in eccleſiis noſtris verba, & acta prophetarum,& Apoſtolorum,prophetę,& Apoſtoli miſſi nihilominus loquuntur ad nos, quos omnes miſſos ad ſe, hæretici dum legunt, & malè interpretantur, occidunt, & lapidant eos. Vt autem manifeſtè cognoſcas,quomodo prophetæ, & Apoſtoli ab hæreticis occiduntur,& lapidátur: primùm intellige, quomodo naſcitur Chriſtus in nobis, & quomodo occiditur. Quando enim credimus in Chriſtum, Chriſtum generamus, & formamus in nobis, ſicut dicebat Apoſtolus Galatis, *Galat. 4.* Filioli mei,quos iterum parturio,donec formetur Chriſtus in vobis. Conſequenter & quãdo perdimus fidem Chriſti,Chriſtũ occidimus in nobis,ſicut & prophetæ apud hę reticos occiduntur. Quando enim fidem, & veritatem verborum eorum praua interpretatione ſubuertunt,prophetas & Apoſtolos occidunt in ſe. Ipſius enim verbi quaſi ſanguis veritas eſt,quæ viuificat verbũ.Omne enim verbum, quod non habet in ſe veritatem Dei,mortuũ,eſt quemadmodũ ſine ſanguine corpus. Propterea omnia verba diuina, quãuis ruſtica ſint,& incondita, viua ſunt: quoniam intus in ſenſibus ſuis habent poſitam veritatem Dei,quaſi ſanguinem in venis incluſum,& ideo viuificát audientem,ſicut teſtatur Petrus ad Chriſtum, dicés: *Ioan. 6.* Quo ibimus? verba viua habes. Omnia autẽ verba ſecularia, quoniam non habent in ſe veritatem Dei, & quamuis ſint compoſita & ingenioſa,mortua ſunt: quoniam in venis ſenſuum ſuorum non habent veritatem Dei, propterea nec audientem ſaluant. Secundum hæc iam intelligis,quomodo hæretici occidunt, & lapidant prophetas,& Apoſtolos miſſos ad ſe. Quoties enim veritatem verborum eorum gladio maligni ſpiritus, & verbi peruerſi corrumpũt, occidunt prophetas & Apoſtolos, & ſanguinem verborum eorum,id eſt,veritatem effundunt in terram. Et quoties aliud intelligentes in verbis prophetarum & Apoſtolorum, & aliud proloquuntur in populo, blaſphemias ſuas quaſi lapides quoſdam iactant ſuper Apoſtolos & prophetas. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Quotieſcunque enim ſicut dicimus, inter hæreticos, & fideles fidei mouetur certamen, euidenter vult illos dominus congregare ſub veritate alarum ſuarum, id eſt,duorum teſtamentorum,quotieſcunque legũtur apud eos verba prophetarum & Apoſtolorum: illi autem non quaſi domeſtici pulli gallinæ, quæ eſt eccleſia,ſed quaſi ſylueſtres pulli ſanguinarij vulturis, aut accipitris,nõ ſolum ad veritatem duorum teſtamentorum venire non acquieſcunt, ſed adhuc irruunt ſuper ipſam gallinam,id eſt,eccleſiam,& diripiũt, & diſpergunt pullos eius, & cuellicant eam. Et quoties vult eos congregare,illi autem nolunt. *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*, id eſt, ecce nunc tempore inſtanti. Quum ego fuero crucifixus, ſcinderur velum templi,& ſecreta myſteria ſanctitatis eius publicabuntur, & recedet ab eo ſpiritus Dei. Et ſicut corpus anima recedente, prius quidem frigeſcit, deinde putreſcit, & ſoluitur: ſic & templũ veſtrum,Dei ſpiritu recedente ab eo,prius quidem ſeditionibus, & indiſciplinationibus replebitur tyrannicis, quaſi Deo iam illud non gubernante, deinde veniet ad ruinam. Sicut enim ante mortem hominis, inſanabilis præcedit infirmitas: ſic & ante ruinam aut hominis,aut loci alicuius,aut ciuitatis,inemendabilia præcedunt peccata. Sicut enim pulli frequenter à matre vocati, quum non obaudierint, neque ſecuti fuerint matrem,matre longius abeunte, aut venit accipiter, & diſpergit eos, aut longius euagãtur,vt pereant: ſic & domino frequenter Iudæos vocante, quoniam non audierunt, neque ſecuti ſunt eum, recedente illo ab eis ad gentes,venit quaſi accipiter rex Romanus, & partem quidem eorum comedit fames, & gladius, alij autem per ſingulas prouincias diſperſi ſunt, vt pereunt. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo,donec dicatis Benedictus, qui venit in nomine domini.* Præceſſores noſtri exponunt, circa ipſum diẽ iudicij,& reſurrectionis quoſdam Iudæorum credituros in Chriſtũ. Quod & Apoſtolus ſignificare videtur, dicens: Ex parte cæcitas contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. *Rom. 11* Et ſequens lectio illa tota hoc dicere videtur. Si quis autẽ myſterium hoc per illos putat impletum,qui in actibus Apoſtolorum, Petro prædicante, aut aliis Apoſtolis crediderunt, intelligat propter tres cauſas non eſſe verum quod dicit. Primùm, quia tunc pars modica ſecundum electionem credidit, non totus Iſraël. Secundò, quod illi ante gentes crediderunt, non poſt gentes. Plenitudo autem gentium tunc adhuc non introierat, ſed inchoauerat hoc. Tertiò,quia quando hæc futura prædicebat Apoſtolus, gentes iam crediderunt,& Iudæi qui fuerãt credituri: & tamen Apoſtolus adhuc credituros ſignificat Iudęos dicẽs ad gentes: Sicut enim vos aliquando non credidiſtis *Rom. 11* Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter illorum incredulitatem: ita & illi nunc non crediderunt in veſtra miſeratione, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnes in incredulitate, vt omnibus miſereatur. Dicens ergo: *Amodo non me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini.* hoc dicere vult,donec veniat tempus,in quo credentes dicatis: *Benedictus qui venit in nomine domini.* Spiritualiter enim videre Chriſtum, eſt ipſum in fide cognoſcere. Sicut autem ad illam Hieruſalem dictum eſt, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, ſcilicet quum occideritis filium Dei apud vos, quum de illo templo corporali templum exierit ſpirituale,quod fuerunt ſancti,qui ex circumciſione crediderunt in Chriſtum. Sic & ad eccleſiam omnium hæreſum dictum eſſe videtur. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, ex quo filium Dei occidiſtis: id eſt, ex quo viuum verbum veritatis illius, mendacis verbi gladio,veritate effuſa,mortuum feciſtis, ſicut ſuperius diximus ſpiritualiter prophetas ſuſcipi, aut occidi. Qui enim credunt ſecundum veritatem verbis prophetarum, ſuſcipiunt prophetas: qui autem corrumpunt veritatem ipſorũ,occidunt verba eorũ,& eos ipſos verbis ipſorũ.Sic & Chriſtus, aut ſuſcipitur,aut occiditur apud nos. Si enim credimus verbis eius, ſuſcipimus eum, & generamus in nobis: ſi autẽ non credimus,& adhuc veritatem verborum eius corrumpimus, repellimus eum, & occidimus apud nos. Vnde fit, vt quotidie Chriſtus apud fideles quidem ſuſcipiatur, atque naſcatur,apud hæreticos autem repellatur. Relicta eſt autem, & deſerta, ex quo de illa corporali eccleſia ſpiritualis exiuit: id eſt, de populo ſuo, qui videbatur Chriſtianus,& non erat,populus iſte exiuit,qui non videbatur,

batur, & erat: & magis autem ſecundum quod diximus, illi à nobis exierunt, quàm nos ab illis. Sicut autem membrum à corpore præciſum viuere non poteſt, neque ramus arboris viridis eſſe, ſic & omnes hæretici præciſi à corpore vnius eccleſiæ, nec vitam Chriſti in ſe habere poſſunt, nec viriditatem gratiæ ſpiritualis, ſed eſt eccleſia eorum deſerta: non ab hominibus: abundat enim peruerſis hominibus, quomodo ſemper malorum maior eſt copia, quàm bonorum, ſed deſerta eſt à ſanctis, deſerta à ſanctitate, à fide, à veritate, à gratia, à ſpiritu. Deſerta denique ab ipſo Deo, & a bonis omnibus quæ ſunt Dei. Sicut enim homo, qui Dei non eſt, mortuus dicitur eſſe, quamuis viuat: quia non Deo, ſed diabolo viuit: ſic omnis eccleſia quamuis abundet hominibus, tamen ſi ab illis bonis, quæ dicta ſont, defuerit, deſerta eſt: quia non Deo, ſed diabolo plena eſt. *Dico enim vobis: Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.* Verè enim ex tempore perditionis ſuæ hæretici nunquam Chriſtum viderunt. Vident enim eum fide, non oculis qui ſecundum veritatem eius credunt in eum: qui autem non credunt, cæci ſunt corde, non corpore, non neceſſitate, ſed voluntate. Cogniturí ſunt autem eum in die iudicij nolentes, quando videbunt eum in maieſtate patris, quãdo videbunt eum etiam omnes iniqui, & dominum eum confitebuntur nolentes: domine domine, nos in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c. ſed nihil illi proderit tarda confeſſio. Tunc & iſti dicturi ſunt Chriſto: Nos in nomine tuo docuimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus. Dicet autem ad eos: Nunquid in virtute mea? nũquid in ſpiritu meo? In nomine enim meo aliquid agere, ſeductorum eſt: ſed in virtute mea, & in ſpiritu meo, ſanctorum. Diſcedite à me, neſcio qui eſtis. Sicut enim vos cognoſcentes me, cognoſcere noluiſtis, non propter difficultates veritatis meæ, ſed propter iniquitates malitiæ veſtræ: ſic & ego cognoſcens vos, nolo cognoſcere, non propter extraneas perſonas veſtras, ſed propter odibiles malitias veſtras. *Matth. 7.*

S. AVGVSTINI EPISCOPI Hippon. *In feſto ſancti Stephani. Hom. 1.*

Serm. 1. de ſanct. quidã MS. tribuũt Fulgentio.

FRatres chariſſimi, celebrauimus heſterna die natalem, quo rex martyrum natus eſt in mundo, hodie celebramus natalem, quo primicerius martyrum migrauit ex mundo. Oportebat enim vt primum immortalis pro mortalibus ſuſciperet carnem, & ſic mortalis pro immortali contemneret mortem. Et ideo natus eſt dominus, vt moreretur pro ſeruo, ne ſeruus timeret mori pro domino. Natus eſt Chriſtus in terris, vt Stephanus naſceretur in cælis. Ingreſſus eſt dominus mundum, vt Stephanus ingrederetur in cælum. Altus ad humilia deſcendit, & humilis ad alta aſcendit. Filius Dei factus eſt hominis filius, vt filios hominum faceret filios Dei. Fecit Chriſtus mirabilia, fecit & Stephanus. Sed Chriſtus fecit ſine Stephano: Nunquid Stephanus potuit facere ſine Chriſto? Viuebat Stephanus de Chriſto, ſicut ſarmentum de vite. Miraris fructum de ſarmento pendentem, vide ſarmentum in vite manentem. Eia, ſancte Stephane, dic aliquid Iudæis, vt incipias lapidari, & poſſis coronari. Iaculare verba, & excipe ſaxa. Dic aliquid de incircumciſis cordibus, & morieris lapidibus. Dic aliquid de eo, cuius nomen nolunt audire. Erubeſcant, & ſileant, muta efficiantur labia doloſa. *Pſal. 30.* Dic eis vbi vides viuum, quem irriſerunt crucifixum. Dic eis vbi eum vides, & hic non viuis, ſed cum illo melius viuis. Dic eis, quia nihil eſt, quod fecerũt, viuit, quẽ occiderũt. Dic eis, quia vides ad dexteram patris ſtantẽ, quem irriſerũt in cruce pendentem. Et ille, inquit, Ecce video cælos apertos, & filiũ hominis ſtãtem ad dexteram Dei. *Act. 7.* At illi clamantes continuerunt aures ſuas, Aures clauſerunt, & ad lapides cucurrerunt, impetumque fecerunt omnes in eum, & lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Adhæſit anima mea poſt te, quia lapidatur caro mea pro te. *Pſal. 62.* Accipe ſpiritum meum, & redde mihi promiſſum tuũ. Orauit Chriſtus pro ſuis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Dominus Ieſus Chriſtus orauit affixus ligno, Stephanus genu flexo. *Luc. 23. Act. 7.* Qui ſtando ſuum ſpiritum commendauit domino, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat dominum pro inimicis vt amicus dicens, Certe ego patior, ego lapidor, in me ſæuiunt, & in me fremũt, ſed ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia vt hoc dicam tibi, à te primo audiui. Ego ſeruus tuus patior, ſed multum intereſt inter me & te. Tu dominus, ego ſeruus. Tu verbum, ego auditor verbi. Tu magiſter, ego diſcipulus. Tu creator, ego creatus. Tu Deus, ego homo. Multum intereſt inter peccatum iſtorum, qui lapidãt me, & illorum, qui crucifixerunt te. Quando ergo dixiſti, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: pro magno peccato petiſti, & me pro minimo petere docuiſti. *Luc. 23.* Domine, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum: tãquam diceret, Ego patior in carne, iſti non pereant in mente. *Act. 7.* Illi lapides mittebant, & ſanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas, fratres, magna clementia, Prorſus qualia in mẽſa domini ſui comedit, talia & ipſe in ſuo conuiuio præparauit. Scriptũ eſt in lege, Ad magnam menſam ſediſti? ſcito quoniam talia te oportet præparare. *Eccleſ. 31.* Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in ſui domini menſa comedit. Dominus Chriſtus dixit, Pater, ignoſce illis, quia neſciũt quid faciunt: ſanctus Stephanus dixit, Ne ſtatuas illis hoc peccatũ: & hoc dicto, obdormiuit in domino. O ſomnum pacis! Quid illo ſomno tranquillius? Quid illo ſomno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui ſic diligebat inimicos? Nam, vt nouerit ſanctitas veſtra, quãtum valuerit oratio ſancti Stephani martyris, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem perſecutorem nomine Saulum, ſicut ex libro dum legeretur audiuimus. Qui cum Stephanus lapidaretur, & ab ipſo omnium lapidantium veſtimenta ſeruarentur, vt tãquam in manibus omnium ipſe lapidare videretur: hic cũ iret in via, ſubito circumfulſit eum lumine de cælo, & audiuit vocem dicẽtem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi, contra ſtimulum calcitrare. *Act. 9.* Et ille, Et tu quis es, domine? Et dominus ad eum, Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris: Quid mihi, & tibi? Quare te erigis contra me, ad tanta mala, quæ cõmiſiſti in me? Olim quidem debui perdere te, ſed Stephanus meus orauit pro te. Saule, Saule, quid me perſequeris? Sed quia inſanis contra nomen meum, ego te faciam ſeruum meum. O Saule, lupe rapax, comediſti, expecta paululum & dige

& digeres. Dicam planè, eliſus eſt filius perditionis. Nam ſi ſanctus Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patitur Paulus. Quod fecit perſecutor, patitur prædicator. Quod fecit lupus, patitur agnus: quia ſic eſt in tali homine vindicandum, vt diſcat pati quod faciebat. Sentiat & ipſe quod aliis inferebat. *Act. 9.* Dicitur Ananiæ à domino Ieſu Chriſto, Vade ad eũ, & ſigna eum ſigno meo. Multa enim patietur pro nomine meo. Abiit Ananias, Baptizauit Saulum, & fecit ex lupo agnum. Cœpimus habere nos prædicatorem, quem ſanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiſerat Saulus. *Sanctorũ interceßio ad ſtruitur.* Commendemus ergo nos orationibus eius. Multumagis enim nunc exauditur pro bene oratoribus ſuis, à regnante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homilia 2.*

Serm. 2. de ſanct. reiectus à Louanienſ.

POſt extremum feſtiuiſſimum diem, quo ſalutaris noſtri Chriſti nobis natiuitas illuxit, & iã hodiernus dies beati martyris Stephani corona illuſtratur. Martyris illius merita nulla pars orbis ignorat: paſſus enim eſt ipſo principio Eccleſiæ, id eſt, in ipſa vrbe Hieroſolyma. Ibi enim diaconus miniſtrauit, & in ipſo iuuentutis flore decorem ætatis ſuę ſanguine purpurauit. Paſſio eius inſignis eſt, multúmque mirabilis. Hanc modo de libro *Act. 7.* Actuum Apoſtolorum cum legeretur audiuimus non ſolum, ſed etiam oculis ſpectauimus. *1. Pet. 2.* Chriſtus ergo caput martyrum prior paſſus eſt pro nobis, relinquẽs vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Cuius paſſionis veſtigia prior ſecutus beatus Stephanus confitendo Chriſtum, lapidatus à Iudæis coronam meruit tanquam ſuo ſibi nomine poſitam. Stephanus enim Græcè, Latinè corona appellatur: iam corona nomen habebat, & ideo palmam martyrij ſuo nomine præferebat. Qui cum lapidaretur, non ſolum non expectabat de perſecutoribus reportare vindictam, ſed eis potius de Deo veniã poſtulabat. Meminerat enim *Deut. 32.* dixiſſe dominum, Mihi vindictã, & ego retribuam *Rom. 12.* dicit dominus. Et iterum, Ne dixeris vlciſcar tue *Prou. 20.* de inimicis meis, ſed expecta dominum, vt tibi auxilium ſit. Expectare nos iubet dominus Deus, vt in die futuræ retributionis cum ſanctis martyri- *Matth. 5.* bus vindicemur. Beati enim, qui expectant dominum, quoniam ipſi hæreditate poſſidebũt terram: illam ſcilicet terram, quæ iuſtis eſt præparata. Tu autem, ó Chriſtiane, quæris vindicari de aduerſario tuo, qui tibi forſitan iniuriam fecit, æſtuas, furis, anhelas, feſtinas vindicari, attende Chriſtum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum, & talem magiſtrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ, demõſtraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentũ conficientem. Vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipien- *Luc. 23.* tem. Audi precantem, Pater, inquit, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sed potuit hoc Chriſtus, dicis mihi, Ego enim homo ſum, ille Deus homo. Deus ergo vt quid homo, ſi non corrigitur homo? Sed hæc tibi loquor ó homo: Multum eſt à te imitari dominum tuum. Attende Stephanum conſeruum tuum. Certe Stephanus homo erat, an Deus? Planè homo erat, hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fecit niſi donãte illo, quẽ rogas & tu. Vide tamen quid fecit: Loquebatur Iudæis, ſæuiebat, & diligebat. Vtrunque debeo demõſtrare, & ſæuientem, & diligentem. Audi ſæuientem, Duræ ceruicis. Verba ſunt ſancti Stephani quan- *Act. 7.* do loquebatur Iudæis, Duræ ceruicis, & non circũciſi corde & auribus, vos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto. Quem Prophetarum non occiderunt patres veſtri? Audiſti ſæuientem, audi & diligentem, Irati illi facti & grauius inardeſcentes & mala pro bonis reddentes ad lapides cucurrerunt, & Dei famulum lapidare cœperunt. Hic probemus ſancti Stephani patientiam & dilectionem. Hic victorem diaboli triumphatorémque cernamus. Audiuimus ſæuientem aduerſus tacentes, videamus ſi diligat ſæuientes. Sæuiebat aduerſus tacẽtes, videamus ſi diligat lapidantes. Ecce Stephanus lapidatur, ſic conſtitutus quaſi ante oculos noſtros. Ecce membrũ Chriſti, ecce athleta Chriſti. Inſpice illum, qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iſte lapidabatur. Ille dixit, Pater, ignoſce *Luc. 23.* illis, quia neſciunt quid faciunt. Iſte quid dicit? Audiamus illũ, ſi forte vel ipſum imitari valemus. Primò beatus Stephanus ſtans orauit pro ſe & ait, *Act. 7.* domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Deinde genu flexit, & flexo genu ait, domine, ne ſtatuas illis hoc peccatũ: & hoc dicto obdormiuit. Fœlix ſomnus, & requies vera. Ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis orare. Sed paululum, quæſo te ſancte Stephane, expone nobis hoc neſcio quid, quare pro te ſtãs oraſti, & pro inimicis genu flexiſti? Reſponderet fortaſſe quod intelligimus. Pro me ſtãs oraui, quis pro me, qui recte Deo ſeruiui orando, & impetrando non laboraui, quia qui pro iuſto orat non laborat, ideo pro ſe ſtans orauit. Ventum eſt vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Chriſti, pro interfectoribus ſanctorum, pro lapidatoribus ſuis, attendit tam multam, & magnam eſſe impietatem ipſorum, quæ difficile donari poſſet, genu flexit & ait, domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Ergo, chariſſimi, ſi non poteſtis imitari dominum, imitamini conſeruum, imitamini ſanctum Stephanum, imitamini omnes martyres ſanctos. Homines erant, conſerui tui erant. Sicut tu, nati erãt, ſicut tu, nati ſed à Chriſto ſunt coronati, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homilia 3.*

Ser. 3. ſanct. dubitant Louanienſ.

DOnet mihi dominus pauca dicere ſalubriter, qui donauit Stephano tanta dicere fortiter. Sic cœpit ad ſuos perſecutores loqui, quaſi timeret eos. Viri fratres, & patres, audite. Quid lenius? *Act. 7.* Quid clementius? Cõciliabat auditorem, vt commẽdaret ſaluatorẽ. Blãdè cœpit, vt diu audiretur. Et quia hinc fuerat accuſatus, quòd verba dixerat cõtra dominũ, & legẽ, ipſam legẽ expoſuit, vt eius legis eſſet prędicator, cuius accuſabatur eſſe vaſtator. Et audiuimus, & audiſtis, nõ ſunt noſtra multa neceſſaria,

neceſſaria, quia multa audiſtis, hoc tantum exhortandam video charitatem veſtram & ædificádam, vt ſciatis ſanctum Stephanum honorem Chriſti quæſiſſe, vt ſciatis ſanctum martyrem teſtẽ Chriſti fuiſſe, vt ſciatis tanta eum tunc miracula in nomine Chriſti feciſſe. Hoc enim ſalubriter ſcitis ſanctum Stephanũ feciſſe mirabilia in nomine Chriſti, nullum autem miraculum feciſſe dominum Chriſtum in nomine Stephani, vt diſcernatis ſeruum à domino, cultorẽ à Deo, adoratorẽ ab adorando. Quando enim diſcernitis, tunc vos amat. Non enim ille pro ſe ſanguinem, ſed pro Chriſto fudit. Videte cui animam ſuam commendaret: Ecce, inquit, video cælos apertos, & filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. Vidit Chriſtũ, confitens Chriſtum, moriturus pro Chriſto, perrecturus ad Chriſtum. *Luca 23.* Dominus in cruce pendens pro inimicis ſuis ait, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Stephanus ſub lapidibus genu flexo ait, Domine, ne ſtatuas illis hoc delictũ. Secutus eſt veſtigia paſtoris ſui, tanquam bona ouis. Bonus agnus ſecutus eſt agnum, cuius ſanguis tollit peccata mũdi. Impleuit, quod ait Apoſtolus Petrus, *1. Pet. 2.* Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquẽs vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Sequuntur ergo martyres veſtigia domini. Chriſtus in cruce ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Stephanus ſub lapidibus, Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Chriſtus in cruce, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Stephanus ſub lapidibus, domine Ieſu, ne ſtatuas illis hoc delictum. Quo modo non poſſet ibi iſte eſſe, vbi erat, quẽ ſecutus eſt, vbi erat quem imitatus eſt? Triumphauit, coronatus eſt. Sanè corona noſtra eſt ædificatio veſtra. Et gaudium noſtrum ſalus veſtra, ſalus & temporalis, & ſempiterna. Promiſſionem enim habemus, ſicut dixit *1. Tim. 4.* Apoſtolus, vitæ pręſentis, & futurę, ſed ſalutẽ pręſentẽ donat Deus & hominibus, & pecoribus donat Deus & bonis, & malis. Hanc autẽ ſalutẽ temporalẽ, pro æterna ſalute martyres cõtempſerunt. Gaudetis ſine dubio, quia ſaluos nos videtis, & nos in Chriſto de veſtra ſalute gaudemus, ſed ſatagite vt etiam in illo die de vobis gaudeamus, quia quod ait Apoſtolus, pro ſua diſpenſatione tam magna, & ampla vt eius vix veſtigia conſectemur, hoc nobis loquebatur quod dicebat. *Philip. 4.* Ei quem ædificabat dicebat, Gaudiũ & corona mea. Quicunque ergo proficiunt in Chriſto de laboribus noſtris, gaudium ſunt & corona noſtra, quia noſtrum eſt fideliter diſpenſare non noſtram, ſed dominicam pecuniam: veſtrum eſt cũ cura & ſolicitudine ſuſcipere. Ego enim poſſum eſſe dator, non exactor. Et dator non quaſi meæ rei, ſed do vnde & ego viuo, quia ad vnam domum magnam omnes pertinemus, vnum patremfamilias dominum habemus. Cellarium habet amplum, vnde nos & vos viuere poſſumus. Tantum enim rogemus faſtidium detergat, prius donet eſuriem, & porrigat panẽ. Vnde viuo, inde dico, Vnde paſcor, hoc miniſtro. Nam vobiſcum pauper ſum. Diuitiæ omnes Deus noſter, vita omnium noſtrum beata ęterna. *2. Corin. 10.* Ergo qui gloriatur, in domino glorietur, qui viuit, & regnat Deus per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 4.*

IEſus filius Naue in eremo pugnabat, & Moyſes orabat. *Serm. 4. de ſanct.* Non quia ambo pugnabant, nec ambo orabant, ſed vnus pugnabat, & alius orabat. *Exod. 17.* Merito qui pugnabat, non deficiebat, quia ille orando vincebat. Ita & ego loqui quidem videor, ſed aliis orantibus loquor, vt precibus eorum contingat mihi quod dominus ait, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. *Ezech. 2. Pſalm. 80.* Si ille ab vno tantum orante iuuabatur & non ſuperabatur, quanto magis ego vbi non vnus ſed multi rogant Deum mecum? Loquendo iam non timebit cor meum, quia laudem domini loquetur os meum. *Pſal. 144.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus iubet nobis aliquid, & promittit nobis aliquid. Quod iubet hic eſt, quod promittit alibi eſt. Quod iubet, finitur, quia temporale eſt: quod promittit, non finitur, quia æternum eſt. Quod iubet, opus eſt, quod promittit, merces eſt. Hinc aduertat veſtra ſanctitas, quanta eſt eius miſericordia erga nos, vt laborem hic poſuerit cum fine, mercedem in cælo ſine fine. Et ideo debemus potius hic laborare, & poſtea in cælo mercedem ſumere, quam hic mercedem velle accipere, & poſtea laborare. De quibuſdam enim dicit, Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam. Sed forte auidus es ad mercedem & piger ad laborem, qua fronte poſtulas quod promiſit Deus, ſi non facis quod iuſſit Deus? Prius audi monitiones, & ſic exige repromiſſiones. Prius, inquam, audi iubentem, & tunc exige pollicentem. Iubet enim nobis & dicit, *Matth. 5.* Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus, & calumniátibus vos. Audiſti opus, expecta mercedem: Vt ſitis, inquit, filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Attendite ipſum dominum, qui hoc iuſſit quod fecerit. Nonne poſt tanta quæ in eum commiſerunt impij Iudęi, qui retribuebant ei mala pro bonis, pendens in cruce ait, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt? Orauit in homine, qui exaudiuit eum patre. *Luca. 23.* Nam & modo orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Vt ſacerdos noſter orat pro nobis, vt caput noſtrum orat in nobis, vt Deus noſter oratur à nobis. Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat & præuidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos præuidebat, ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæuiebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato, crucifige: Ille clamabat, Pater ignoſce. In aſperis clauis pendebat, ſed lenitatem non amittebat. Illis iam petebat veniam, à quibus accipiebat iniuriam. Illi ſæuiebant, illi circumlatrabant, illi inſultando caput agitabant, quod ſanum non habebant, quia caput quod eſt Chriſtus, non habebant, & quaſi in vno ſummo medico in medio conſtituto phrenetici circunquaque ſæuiebant, pendebat ille, & ſanabat, Pater, inquit ignoſce illis. Attendite fratres, Magna pietas: Pendebat & tamen petebat. Et non deſcendebat, quia de ſanguine ſuo medicamẽtum phreneticis faciebat. Denique, fratres, poſt reſurrectionem ſanauit, quos pendens inſaniſſimos tolerauit, *Act. 2.* & ſanguinem, quem fuderunt ſæuientes, biberunt credentes, & facti ſunt ſequentes, qui erant perſequentes. Ecce quare venit Chriſtus *Luca 19.*

non perdere quod inuenerat, ſed quærere & ſaluare quod perierat, vt diligendo ſæuientes inimicos, faceret credentes amicos. *1. Petri. 2.* Sed ne multum graue eſſe dicas imitari dominum tuum qui propter te paſſus eſt, relinquens tibi exemplum vt ſequaris veſtigia eius, attende Stephanum conſeruum tuum. Homo erat ſicut & tu, de maſſa peccati creatus ſicut & tu, eo precio redemptus quo & tu. Diaconus erat, Euangelia legebat, quæ legis, vel audis & tu. Ibi inuenit ſcriptum, Diligite inimicos veſtros. *Matth. 5.* Didicit legendo, perfecit implendo. Qui cum à Iudæis ſaxorum grandine cæderetur, non ſolum non comminabatur, ſed inſuper lapidatoribus ſuis veniã precabatur, Poſitis enim genibus, orabat dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc delictum. *Acto. 7.* Illi lapidabant, & ille orabat. Illi eum furore perſequebãtur, ille pacatus Chriſtum ſequebatur. Illi malicia cæcabantur, ille aperto cælo viſo Dei filio, ſapientia illuſtrabatur. Illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat tanquam diceret, Domine ſi iſtos modo occideris inimicos, quos poſtea facies amicos? Denique fratres vt noueritis quantum valuerit oratio ſancti martyris Stephani, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem nomine Saulum. *Vbi ſuprà.* Qui cum ſanctus Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſeruabat, & tanquam manibus omnium lapidabat. Et poſtea ſicut noſtis accepit epiſtolas à principibus ſacerdotum, *Acto. 9.* vt quoſcunque inueniſſet Chriſtianos viros ac mulieres, vinctos adduceret in Hieruſalem, torquendos & puniendos. Hic cum iret in via, ſubito circumfulſit eum lumen de cælo, cecidit in terram & audiuit vocem dicentem ſibi, Saule Saule, quid me perſequeris? Et ille, Tu quis es, domine? Et dominus ad illum, Ego ſum, inquit, Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, quia non ſtimulum, ſed pedes quibus calcitras vulnerabis. Quid mihi & tibi? Quare me perſequeris? Quare te erigis contra me malo tuo? Sed contra tanta mala quæ committis in me, olim quidem debui perdere te, ſed Stephanus meus orauit pro te. Eliſus eſt ſæuiens, erectus eſt credens. Eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus. Eliſus eſt perſecutor, erectus eſt prædicator. Dicam planius, dicam apertius. Eliſus eſt filius perditionis, erectus eſt vas electionis. Eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus. Nam ſi martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus. Ecce quare dominus dicit Diligite inimicos veſtros, quia diligendo inimicum, facis amicum. Sed contra tanta, & talia hæc, tu quis es, qui non diligis? Figis genu, colliſis frontem in terram, & dicis, Oro vt moriatur inimicus meus. Deus ſi quid à te promerui, occide inimicum meum. Et vtique tu, qui oras vt homo moriatur, malus oras contra malum, & facti eſtis duo mali. Ille male agendo, tu male orando. Tu malus orando incipis eſſe quando dicis, Deus, occide malum. Reſpondet tibi ipſe: Quem veſtrum? Aduertat ſanctitas veſtra. Iudex homo per ſeipſum reum non occidit, ſed iubet, & ſpiculator occidit, Iudex dicit, Occide, & tortor occidit. Et tu quãdo dicis, Occide inimicũ meum, te facis iudicem, & Deum quæris eſſe tortorem. *Ez. ch. 33.* Reſpondet tibi Deus, Non ero prorſus, non ero peccatoris tortor, ſed liberator, quia nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Nam, ſi voluntatem tuam haberem, te prius occiderem, antequam inuitatus venires. Nonne me blaſphemaſti? Nónne me in tuis malis operibus irritaſti? Nónne nomen meum de terra delere voluiſti? Nóne me in præceptis, vel in ſeruis meis contẽpſiſti? Si tũc te occidiſſem inimicum, quem modo facerem amicum? Quid ergo male orando doces me, quod non feci in te? Immo ergo dicit tibi Deus, Doceam te vt imiteris me. In cruce pendens dixi, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. *Luca. 23.* Docui hoc milites meos, docui martyres, Prius eſto & tu martyr meus, tyro meus aduerſus diabolum, aliter inuicte nullo modo pugnabis, niſi pro tuis inimicis oraueris. Conuerſi ad dominum Deum patrem; & cætera.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homilia. 5.*

HEſterno Die natalem habuimus domini ſaluatoris, hodie ſumma deuotione veneramur ſancti martyris Stephani paſſionem. *Ex Ser. 5. de ſanct.* Heſterno, quo redimimur ad præmium, hodierno, quo prouocamur ad exemplum. Bene ergo heſternæ ſolennitati feſtiuitas hodierna coniuncta eſt, vt illa credentes eueheret ad vitam, hæc confitentes duceret ad coronam. Omni ergo Eccleſiæ beatus Stephanus datus eſt ad profectum. Adhuc laicus diaconij meruit electionẽ, & leuita martyris obtinuit principatum. In plebe adhuc poſitus erat, ſed iam virtutibus eminebat. Humilis erat, ſed celſus fide. Diſcipulus erat ordine, ſed factus eſt magiſter exemplo. Quò ſequebatur deuotione fidei, pręceſſit velocitate martyrij. Scriptũ eſt enim de eo in Actibus Apoſtolorum, quòd ad miniſterium viduarum ſit ab Apoſtolis deputatus. *Acto. 6* In hac etiam re quòd præpoſitus eſt fœminis, teſtimonium meruit ſynceriſſimæ caſtitatis. Beatus ergo erit, fratres chariſſimi, qui hunc ſectatus, qui hunc imitatus fuerit, & pudiciciæ palmam & martyrij conſequitur coronam. *Reliqua extant infra in Serm. S. Maximi.*

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 6.*

QVoniã video noſtras diſputationes graphio, ceráque ligari, & nequaquam ſumus idonei lectitare, adiuuate meipſum, quæſo, interceſſu veſtro apud martyrem iſtum, quem Gamaliel ſtolatus reuelauit, Saulus ſpoliatus lapidauit, & Chriſtus pannis inuolutus ditauit, & precioſo lapide coronauit. *Ser. 6. de ſanct. quidã M S. tribuũt Fulgentio. Orationes ad Martyrẽ factæ.* Triumphalis eſt dies iſte beatiſſimi, triumphalis eſt dies ſancto Stephano martyri à lapidibus mortuis cõdemnato, extra ciuitatem lapide pręcipitato, corpore pernecato, capite vulnerato, lapide conquaſſato, & angulari lapide coronato. Pulcher erat miniſter, quia pulcher erat & magiſter. Pulcher erat vbique Stephanus iſte, in corde, & in corpore. De magiſtri pulchritudine cantant in Pſalmo, Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Et ipſi cantamus in Pſalmo. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede & regna. Stephano ergo martyri, & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia ſermocinantis, & ſapientia ſanctiſſimæ

ſanctiſſimæ mentis, & operatio diuinitatis. Inuidia magna obſtetat Iudęis ob Chriſtianę cauſam profeſſionis. Videbant enim Stephanum Iudæi Iudæum, in medio Iudæorum in ciuitate metropolitana parentum ſuorum diſputantem contra ſacra Iudæorum, & contra ſacrificia, & contra legem, & contra circumciſionem, contra ſabbata, exurgentes in iracundiam & concipientes venenata ienſa, loquebantur ad inuicem ſibi talia verba, Quid eſt iſtud? quid eſt hoc, quod agimus? quid facimus? quid dicimus? quid vult ſibi iſte homo & iuuenis, & pulcher, & eloquentiſſimus, & ſapientiſſimus homo? Nam ſigna magna, & mirabilia facit iſte homo, & ſine cauſa Chriſtus mortuus eſt homo. Venite, inquiunt, fratres, ſimulque conueniamus in vnum, faciamus conſilium, confirmemus falſum teſtimonium. Fecimus contra Deum, faciamus & contra famulum. Diximus contra do-
Ioan. 11. minum, Expedit vt vnus moriatur, quam vt tota gẽs
Homi. 11. pereat: dicamus contra famulum, Exterminemus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Quando conſiliũ contra Ieſum fecimus, multũ nobis profuimus quia præualuimus, circumuenimus, dedimus, accepimus, ligauimus, tradidimus, ſuperauimus, oppreſſimus, crucifiximus. Amatori cupiditatis dedimus pecuniã, quam de mãmona iniquitatis diſtraximus vnuſquiſque. Ligauimus incapabilem filium virginitatis, tradidimus iudici iudicem æquitatis, ſuperauimus ſuperãtem imperiũ vanitatis, oppreſſimus opprimẽtem ſuperbiam calamitatis, conſpuimus faciem ſanctitatis, & crucifiximus cæci filium maieſtatis. Occidimus tamen, ſepeliuimus, eiuſque ſepulchrum annullo noſtro ſignauimus, ſed ab angelo reſignatum inuenimus. Dicamus, iudicemus ſepulchrum ſignatum cuſtodientibus cuſtodibus & miraculum reſurrectionis videntibus, tantam pecuniam vt Pilato mentirentur contulimus, teſtimoniaque produximus, & confuſione vigilantea caruimus. Sed & nunc, ô viri, quid agemus, quid faciemus, quid dicemus, qui vnum Chriſtum occidimus, & multos Chriſtianos conſpicimus? Ecce, inquiunt, in vno Chriſto à nobis occiſo, ducenti ſunt diſcipuli eius de ipſo numero noſtro trãſlati, & Nicodemus ſacerdos noſter eſt, & tria, & quinque millia hominum ad eorum baptiſmum concur-
Act. 6. rerunt, multas Iudæas, & Græcas, & barbaras nationes baptizauerũt, & ſuis ſacraris præpoſuerũt. Ecce adhuc quod eſt nobis peius, ac deterius, ſeptẽ diaconos ordinauerũt, inter quos vnus, qui vocatur Stephanus & iuuenis, & pulcher, & eloquentiſſimus, & ſapientiſſimus eſt præ omnibus, & ſignis miraculorum eſt plenus, & ſi eſt plenus, neceſſe eſt, vt confluat ad eum noſter populus, & in noſtram confuſionem apud omnes Iudæos ſit magnificatus, niſi noſtris manibus fuerit lapidatus. Cur ergo, inquiunt, adhuc ſtamus? Quę expectamus? Quare tardamus Stephanum iſtum noſtræ confuſionis demonſtratorem? Publicum publice rapiamus ad concilium, in noſtrũ ſtatuamus medium, pontificali perturbemus ſynodo, teſtimonio opprimamus falſiſſimo, faciamus miniſtro, quod fecimus & magiſtro. Si enim non dubitauimus magiſtrum lanceare, non debemus dubitare Stephanum lapidare. Conſenſeruntq; omnes Iudæi impij viri, ad homicidium ſemper parati. Rapiunt Stephanũ, ad ſuumq; perducunt concilium. Fatigant, & perturbant, & interrogant, audiunt, & accẽdũt. Audiunt ſapientiſſimũ, & conſpiciunt ſpecioſiſſimũ. O Iudæi ſemper inimici Dei, intẽdite bene, qui iudicatis nõ bene. Si ergo iuſtitiã lo- *Pſal. 54.*
quimini, recta iudicate, filij hominu, Intendite ſimul põtifices, & miniſtri, ſacerdotes, & populi omnes, ſimul Iudæi intẽdite faciẽ miniſtri Dei, intẽdi- *Exod. 34.*
te faciem Stephani, ſi poteſtis. Moyſes enim propter excæcationem veſtram contra faciem ſuam poſuit velamentũ: Stephanus vero ad confuſionem veſtram contra veſtrum conuentum reſurrectionis annunciat ſacramentum. Sed, ô Iudæi, fidem nullatenus miramur in vobis, per multa congruitis iniquitatibus veſtris. Qui enim faciem deſpicitis legiſlatoris, perſonam ſuſcipitis delatoris, perſonam Iudæi ſuſcipitis delatoris. Qui deſpexiſtis faciem Moyſi legiſlatoris, perſonam Iudæi ſuſcepiſtis crudeliſſimi delatoris, & ad dedecus veſtrum ſemper additis crimen veſtrum. Et Moyſes veſter quando velamentum poſuit contra ſanctam faciem ſuam, nolebat videre criminoſam faciem veſtrã: Stephanus vero reuelata facie ſua, ſpeculabatur in cælum gloriã Dei filij, ideo videbant vultum eius Iudæi tanquam vultum angeli
Dei. Et nunc tantummodo, beate martyr Stepha- *Act. 7.*
ne, terram deſpice, cælum conſpice, & pontificem ſperne, patrem attende. Deſpice Iudæum & ſacerdotem, & populum, conſpice in cælo patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Iudica tamen Iudæo, quid ſit illud, quod diu contẽplaris in cælo. Ecce, inquit Stephanus, video cælũ apertum, & Ieſum, quem crucifixiſtis, quem illuſiſtis morientem, quẽ ſignato ſepulchro poſuiſtis iacentem, video ego ad dexteram patris ſtantem. Quid ego vobis pro-
fuit Iudæi, quia crucifixiſtis filium Dei, & filij Dei *Ibidem.*
martyrem lapidatis? Ecce duplu labefacti eſtis, quia ciuitatem veſtram amiſiſtis, & ipſum lapidatorum principem perdidiſtis, & de ciuitate ſancta eradicata eſt veſtra planta. Impleta eſt enim in Iu-
dæa maledicta maledictio illa Dauidica, Propte- *Pſal. 51.*
rea Deus deſtruet te in finẽ, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Silentium autem fecerunt turbæ Iudæorum damnabili animoſitate ſua, & ſuper martyrem Stephanum dentibus colubrinis ſtridebant, quem quaſi ſerpentem in corde habebant, præcipitantq; martyrem ſanctum extra ciuitatem ſuã, præmittentes teſtimonia, dicentes falſitatem, prouciuntq; veſtimenta ante Sauli veſtigia, & currunt cum lapidibus, vlnas erigunt, brachia dirigunt, petras iactũt, lapidantque iuſtũ inuiſte procumbentem, morientem, orantem, atque dicentem, Domine Ieſu meus, oſtenſor meus, defenſor meus, propter quem ſæuit in me nudus lapidator meus, exaudi me, exaudi ſancte meus, virginis filius, lapis viuus, ad exaudiendum me vnus, intende in me ipſum tui fontis lauacro mundatum, tui ſalutaris gratia ſine macula conſecratum, pro tuo nomine ſpoliatum humanis lapidatum manibus, ſed ab amore Sauli non ſeparatum: Et ne ſtatuas illis hoc peccatum miſericors vſque in finem, Stephanus factus moriẽs, & in æterna pace dormiuit.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 7.*

DOnet mihi dominus pauca dicere ſalubriter, *Eſt Serm. 51.*
qui donauit ſancto Stephano tanta dicere *de diuerſis.*

 fortiter.

fortiter. Sic cœpit ad ſuos perſecutores loqui, quaſi timeret eos; *Act. 7.* Viri fratres & patres audite. Quid lenius? quid clementius? Conciliabat auditorem, vt commendaret Saluatorem. Blandè cœpit, vt diu audiretur: & quia hinc fuerat accuſatus quòd verba dixerat contra Deum & legem, ipſam legem illis expoſuit, vt eius legis eſſet prædicator, cuius accuſabatur eſſe vaſtator. Hoc & audiuimus & audiſtis: non ſunt noſtra multum neceſſaria, quia multa audiſtis. Hoc tantùm exhortor ad charitatem veſtram ædificandam, vt ſciatis ſanctum Stephanum honorem Chriſti quæſiſſe, vt ſciatis ſanctum martyrem teſtem Chriſti fuiſſe, vt ſciatis eum tanta miracula tunc in nomine Chriſti feciſſe. Hoc enim ſcitis ſalubriter, Stephanum ſanctum feciſſe miracula in nomine Chriſti, nullum autem miraculum feciſſe Dominum Chriſtum in nomine Stephani: vt diſcernatis ſeruum à domino, cultorem à Deo, adoratorem ab adorando. Quando enim diſcernitis, tunc vos amat. Non enim pro ſe ille ſanguinem fudit, ſed pro Chriſto fudit. Videte cui animam ſuam commendauerit. Ecce, inquit, video cælos apertos, & filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. Vidit Chriſtum confitens Chriſtum, moriturus pro Chriſto, perrecturus ad Chriſtum: & in extremis, cùm ictus crebreſcerent lapidum, & dura vulnera à duris cordibus iactarentur, vidit ſe vicinum non exitio ſed exitui, vidit animam ſuam iam exituram, & commendauit eam. Cui? Illi, quem vidit, illi quem coluit, illi, cui ſeruiuit, illi, cuius nomen prædicauit, illi, pro cuius Euangelio animam poſuit, illi *Ibidem.* commendauit ipſam animam. Domine, inquit, Ieſu, accipe ſpiritum meum. Feciſti me victorem, recipe in triumphum, Accipe ſpiritum meum. Illi perſequuntur, tu ſuſcipe; illi eiiciunt, tu intromitte. *Matth. 25.* Dic ſpiritui meo; Intra in gaudium domini tui. Hoc eſt enim, accipe ſpiritum. Sed ſpiritum illius quò accipit Ieſus? in quam manſionem? In quod cælum cæli? quis comprehendit? quis explicat? Vis *Ioan. 17.* audire compendium? Audi ipſum Chriſtum: Pater, volo vt, vbi ego ſum, & illi ſint mecū. Eſſe vbi eſt Chriſtus, quæ poteſt comprehendere cogitatio? Cuius ad hoc explicandum ſufficit ſermo? Fidei commendetur, à lingua non expectetur. Audi*Ioan. 12.* ſtis, cùm Euangelium legeretur, Vbi ego ſum, illic & miniſter meus. Græcum codicem legite, & Diaconum inuenietis: quod enim interpretatus eſt Latinus, Miniſter, Græcus habet Diaconus; quia verè Diaconus Græcè, Miniſter eſt Latinè: quomodo martyr Græcè, teſtis Latinè; Apoſtolus Græcè, miſſus Latinè. Sed iam conſueuimus nominibus Græcis vti pro Latinis. Nam multi codices Euangeliorum ſic habent, Vbi ſum ego, illic & Diaconus meus: hoc putate dictum, quia hoc eſt dictum; Vbi ſum ego, illic & Diaconus meus. Ergo bene Diaconus ipſius, domine Ieſu, accipe ſpiritum meum. Tu promiſiſti, Euangelium legi, Euangelium prædicaui, Vbi ſum ego, illic & Diaconus meus. Extiti tibi Diaconus tuus, miniſtraui tibi ſanguinem meum; poſui pro te animā meam, redde mihi promiſſionem tuam. Et pro Iudæis, pro lapidatoribus ſuis, pro cruentis cordibus, pro crudelibus animis quomodo orauit? Genu fixit. Tanta humilitas Stephani, magnus reatus eſt illius populi. Pro ſe ſtās rogauit, pro illis genu fixit. Illos ſibi prępoſuit? Abſit, non eſt credendum. Diligebat inimicos: ſed de proximo dictum eſt; Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quare ergo genu fixit? Quia ſciebat ſe pro ſceleratis orare: & quantò erant illi maligniores, tantò ſe difficilius ſciebat exaudiri. Dominus in cruce pendens; Pa*Luca 23.* ter, inquit, ignoſce illis: Stephanus ſub lapidibus genu fixo, domine, ne ſtatuas illis hoc delictum. Secutus eſt veſtigia paſtoris ſui tanquam bona ouis: bonus agnus ſecutus eſt agnum, cuius ſanguis tulit peccatum mundi. Impleuit quod ait *Ioan. 1.* Apoſtolus Petrus; Chriſtus pro nobis paſſus eſt, *1. Pet. 2.* relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Vide hominem ſequentem veſtigia domini ſui. Chriſtus in cruce; Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum: Stephanus ſub lapide; domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Chriſtus in cruce, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Stephanus ſub lapidibus, domine Ieſu, ne ſtatuas illis hoc delictum. Quomodo poſſet iſte non ibi eſſe, vbi erat quem ſecutus eſt, vbi erat quem imitatus eſt? Triumphauit, coronatus eſt. Latuit tanto tempore corpus eius, proceſſit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo charitati veſtræ, vt ſciatis quòd orationes eius multa impetrant, non tamen omnia. Nam inuenimus etiam in libellis qui dantur, fuiſſe illi difficultates impetrandi, & accepiſſe tamen poſtea beneficium, non deficiente ſupplicis fide. Non ceſſatum eſt, oratum eſt, & dedit poſtea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & reſponſum eſt illi; Pro qua oras, non eſt digna, hoc & hoc fecit, & tamen inſtitit, rogauit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cuius nomine faciebat, antequam carnem deponeret, in eius nomine faciunt orationes eius vt beneficia impetrentur, quibus nouit ea dari deberet: ille autem tanquam ſeruus orabat. † Apocaba*al. Alloquebatur.* tur angelus quidam cum Ioāne. Angeli tales ſunt apud Deum, vt ſi boni fuerimus, & perfectè eum promeruerimus, angelis æquemur: Erunt, dixit, *Luc. 20.* æquales angelis Dei. Angelus oſtendebat multa miracula ſancto Ioanni Euangeliſtę, turbatus mi*Apoc. 19.* raculis adorauit eum. Adorauit homo angelum, & angelus homini; Surge, quid facis? Illum adora, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum. Si tanta humilitas apparuit in angelo, quantam putatis eſſe debere in martyre ſicut eſt? Non ergo credamus ſuperbum eſſe Stephanum, cùm putamus, quia virtute ſua facit quod facit. Per conſeruum beneficia ſumamus, honorem & gloriam domino demus. Quid vobis plus dicam & multum loquar? Legite quatuor verſus, quos in cella ſcripſimus, legite, tenete, in corde habete. Propterea enim eos ibi ſcribere voluimus, vt qui vult legat, quando vult legat. Vt omnes teneant, ideo pauci ſunt; vt omnes legant, ideo publicè ſcripti ſunt. Non opus eſt, vt quæratur codex, camera illa codex veſter ſit. Aliquanto quidem tempeſtius ſolito proceſſimus: ſed quia longa lectio recitata eſt, & graues æſtus ſunt, Libellum beneficiorum Dei *Libellus.* per ipſum, quem lecturi hodie fuimus, in diem Dominicum differamus. Cōuerſi ad dominū, &c.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia, 8.

MArtyr Stephanus, beatus & primus, poſt Apoſtolos, ab Apoſtolis Diaconus ordina*Eſt Serm. 92. de diuerſis.* tus,

rus, ante Apoſtolos coronatus: illas terras paſſus illuſtrauit, iſtas mortuus viſitauit. Sed mortuus non viſitaret: niſi & mortuus viueret. Exiguus puluis tantum populum congregauit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate chariſſimi, quæ uobis Deus ſeruet in regione viuorum: qui tanta *al. præſtat.* † præſtitit de puluere mortuorũ. Caro ſancti Stephani per loca ſingula diffamatur: ſed fidei eius meritum commendatur. Sic expectemus conſequi temporalia beneficia, vt, eum imitando, accipere mereamur æterna. Quod nobis beatus Martyr imitandum in ſua paſſione propoſuit, hoc attendere, hoc credere, hoc implere: verè eſt ſollemnia ſancti Martyris celebrare. Dominus noſter Ieſus Chriſtus inter præcepta magna & ſalubria, diuina & altiſſima, quæ dedit diſcipulis ſuis, hoc videtur hominibus graue, quod iuſſit vt diligant *Matth. 5.* inimicos ſuos. Graue præceptum, ſed grande præmium. Denique cùm hoc moneret, videte quid dixerit; Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos. Audiſti opus, expecta mercedem. Et vide quid addat; Vt ſitis, inquit, filij patris veſtri, qui in cælis *Ibidem.* eſt: qui facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Hoc videmus, hoc negare non poſſumus. Numquid dictum eſt nubibus, pluite ſuper agros cultorum meorum, & recedite ab agris blaſphematorum meorũ? Numquid dictum eſt Soli, videant te, qui me colunt, non te videant, qui mihi maledicunt? Beneficia de cælo, beneficia de terra. Scatent fontes, agri pingueſcunt, arbores fructibus onerantur. Habẽt iſta boni, habent & mali: habent grati, habent ingrati. Qui præſtat tanta bonis & malis: putamus nihil ſeruat bonis? Hoc dat bonis & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani. Hoc verò ſeruat bonis, quod dedit Stephano. Maxime ergo, fratres, exemplo huius Martyris, inimicos noſtros amare diſcamus. Exemplum propoſitum eſt de Deo patre, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Dixit hoc etiam filius Dei, poſt acceptionem carnis ſuæ, per os carnis ſuæ, quã amando inimicos ſuos, ſuſcepit. Qui enim amator inimicorum ſuorum in mundum venit, omnes prorſus inimicos ſuos inuenit, neminem inuenit amicum. Pro inimicis ſanguinem fudit: ſed ſanguine ſuo inimicos conuertit. Inimicorum ſuorum ſuo ſanguine peccata deleuit. Delendo peccata, ex inimicis amicos fecit. De his amicis erat etiam iſte ſanctus Stephanus: immò eſt & erit. Oſtendit tamẽ primus ipſe Dominus in cruce, quod monuit. Vndique enim Iudæis frementibus, iraſcentibus, irridentibus, inſultantibus, crucifigentibus, ait; *Luca 23.* Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Cæcitas enim me crucifigit. Cæcitas crucifigebat: & crucifixus eis de ſanguine ſuo collyriũ faciebat. Sed homines pigri ad præceptum, auidi ad præmium, qui non diligunt inimicos ſuos, ſed de ſe illis vindicare affectant, nec attẽdunt Dominum, qui, ſi vellet, ſe vindicare de inimicis ſuis, non remanſiſſet, qui laudaret eum, quando audiũt locum iſtum Euangelij, quo Dominus in Cruce dixit: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, dicunt ſibi, Ipſe hoc potuit, tanquam filius Dei, tanquam vnicus Patris: Caro enim pendebat, ſed Deus intus latebat: Nos autem quid ſumus, qui iſta faciamus? Fefellit qui iuſſit? Abſit. Non fefellit. Si multum ad te putas imitari Dominũ tuum: attende Stephanum conſeruum tuum. Dominus Chriſtus, vnicus Dei filius: Nunquid hoc Stephanus? Dominus Chriſtus, de incorrupta virgine † procreatus: Nunquid hoc Stephanus? Dominus *al. natus.* Chriſtus, venit non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati: Nunquid hoc Stephanus? Sic natus eſt vt tu: inde natus eſt, vnde & tu: ab eo renatus eſt, à quo & tu, eo pretio redemptus quo & tu. Tanti valet, quanti vales. Vnum inſtrumentum nobis factum eſt. Euangelium inſtrumentum eſt, vbi omnes ſcripti ſumus. Vbi tu, ibi ille. Quia ſerui ſumus, inſtrumentum eſt: quia filij ſumus, teſtamentum eſt. Ipſum attende, conſeruum attende. Multum eſt ad te: quia infirmos oculos habes intueri ſolem: lucernam vide. Suis enim diſcipulis dixit Dominus, Nemo accendit lucer- *Matth. 5.* nam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Domus, mundus eſt: candelabrum, Chriſti crux eſt: lucerna in candelabro lucens, Chriſtus in cruce pendens. In ipſo candelabro lucebat etiam ille, qui prius lapidantium veſtimenta ſeruabat, de Saulo Paulus, de lupo agnus, & paruus & magnus; raptor agnorum, & paſtor agnorum. In ipſo candelabro lucebat, quando dicebat; Mihi autem *Gal. 5.* abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Sic luceat, inquit, lumen veſtrum co- *Matth. 5.* ram hominibus. Ecce lucet lumen Stephani: lucet lucerna iſta. Attendamus illam, nemo dicat, multum eſt ad me: homo erat, homo es. Sed non accepit à ſe. Nunquid accepit, & clauſit tibi? Fons communis eſt: bibe vnde bibit. Beneficio Dei accepit: abundat qui dedit. Et tu pete, & accipe. Dominus amarè & acerbè arguit Iudæos: ſed amando. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ. Quã- *Matth. 23.* do dicebat iſta: quis non diceret quia oderat illos? Venit ad crucem, & ait; Pater, ignoſce illis: quia *Luca 23.* neſciunt quid faciunt. Sic & Stephanus in ſermo- *Act. 7.* ne ſuo prius arguit, Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus. Verba ſunt ſancti Stephani, quando Iudæos alloquebatur; Dura ceruice, & non circumciſi corde, & auribus: vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri. Quem prophetarum non occiderunt patres veſtri? Iſta dicendo, quaſi odit, quaſi ſæuit. Lingua clamat: cor amat. Audiuimus linguam clamantem: probemus animum diligentem. Nam, cùm ad lapides cucurriſſent, duri ad duros; iactabant in illum pares ſuos. Petris lapidabatur, qui pro petra moriebatur, dicente Apoſtolo; Petra autem erat Chri- *1. Cor. 1* ſtus. Et cùm tanta eſſet in docendo conſtantia: videte qualis extiterit in morte patientia. Hi enim ictibus lapidum corpus ipſius quatiebant: & ille pro eis orabat: contundebatur homo exterior, & ſupplicabat interior. Sed † Dominus, qui cinxe- *al. Deus* rat, qui probauerat, qui et characterem, non in manu, ſed in fronte poſuerat, ſpectabat deſuper militem ſuum, iuuaturus certantem, coronaturus vincentem. Denique oſtendit ſe illi. Ecce enim, *Act. 7.* inquit, video cælos apertos: & filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. Solus videbat, quia illi ſoli apparebat. Et quid ait pro ſe? Domine, accipe Spiritum meum. Pro ſe rogans ſtetit: pro illis genu flexit; pro ſe erectus, pro illis curuus. Pro ſe celſus, pro illis humilis, genu flexit, & ait Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et hoc dicto, obdormiuit. O ſomnus pacis. Qui inter lapides ini-

micorum dormiuit: quomodo in ſuis Cineribus *al. vigilabit.* † vigilauit? Dormiuit ſecurus, quietus in pace: quia Spiritum ſuum Domino commendauit.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia. 9.

Eſt Serm. 93. de diuerſis. *Actor. 6.* BEatiſſimus Stephanus quomodo fuerit diaconus ordinatus cum aliis ſex etiam ipſe ſeptimus, & quomodo peruenerit ad ſupernam coronam, cùm ipſa lectio legeretur, audiſtis. Hoc primum primi Martyris meritum commendatum eſt charitati veſtræ: quia cùm aliorum Martyrum vix geſta inueniamus, quæ in ſollemnitatibus eorum recitare poſſimus, huius paſſio in Canonico libro eſt. Actus Apoſtolorum, liber eſt de Canone ſcripturarum. Ipſe liber incipit legi à Dominico Paſchæ, ſicut ſe conſuetudo habet Eccleſiæ. In hoc ergo libro cui titulus eſt, Actus Apoſtolorum, audiſtis quomodo ſunt electi, & ab Apoſtolis ordinati ſeptem Diaconi, in quibus ſanctus Stephanus erat. Priores Apoſtoli: ſequentes Diaconi. Et prior Martyr de Diaconis, quàm de Apoſtolis: Prior victima de agnis, quàm de arietibus. Quantam autem cum Domino ſuo & Saluatore ſuo habuit ſimilitudinem paſſionis! Falſi teſtes aduerſus iſtum, quomodo aduerſus illum. Et de ipſa re, Noſtis enim & recolitis, falſi teſtes contra Dominum Chriſtum quid dixerunt. Nos audiuimus eum dicere, Soluo templum hoc, & poſt triduum ædifico alterum nouum. Non autem hoc Dominus dixerat; ſed vicina eſſe voluit falſitas veritati. *Ioan. 2.* Quomodo ſunt falſi teſtes? Audierunt dixiſſe; Soluite templum hoc, & poſt triduum reſuſcitabo illud. Euangeliſta autem dicit: hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Falſi teſtes pro eo quod dictum eſt, ſoluite, dixerunt, ſoluo. Modicum in ſyllabis mutauerunt, ſed tanto falſi teſtes peiores fuerunt, quanto propinquare veritati per calum- *Actor. 6.* niam voluerunt. Et huic quid obiectum? Nos audiuimus eum dixiſſe, quia Ieſus Nazarenus deſtruet templum hoc, & mutabit conſuetudinem legis. Falſum teſtimonium dicebant, & vera prophetabant. Quomodo Caiphas ille, magiſter il- *Ioan. 11.* lorum, princeps ſacerdotum dans conſilium Iudæis, vt occideretur Chriſtus, hoc dixit; Expedit vnum mori, quàm vt tota gens pereat. Ait autem *Ibidem.* Euangeliſta: hoc non à ſemetipſo dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quia oportebat Chriſtum mori pro gente. Quid hoc eſt, fratres? Magna vis eſt veritatis. Oderunt veritatem homines: & veritatem prophetant neſciétes. Non agunt, ſed agitur de illis. Proceſſerunt ergo iſti falſi teſtes ſimiles falſis teſtibus: ſed pro quibus occiſus eſt Chriſtus. Illi adduxerunt eum in conci- *Actor. 6. &* lium: vt haberent maius iudicium. Amicus autem *Actor. 7.* Chriſti cùm dixiſſet cauſam ſuam, prædicauit veritatem Domini ſui. Moriturus erat. Quare impiis pia lingua taceret? Quare non pro veritate moreretur? Hoc vno impar Domino ſuo certi cauſa myſterij, quantum pertinet ad ſimilitudinem paſſionis. Nam ille Deus eſt excellentia maieſtatis. Dominus quádo ad paſſionem ductus eſt, interrogatus tacere maluit. ille non tacuit. Quare ille tacere *Eſa. 53.* maluit? Quia prædictum de illo erat: Sicut ouis ad immolandū ductus eſt, & ſicut agnus corā tōdente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Iſte autem quare tacere noluit? Quia ab ipſo Domino dictum erat: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine: Et quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta. *Matth. 10.* Quomodo ſanctus Stephanus ſuper tectum prædicauit? Quia domum luteam carnem calcauit. Qui enim mortem non timet, carnem calcat. Hic prius expoſuit illis ab initio legem Dei, ab *Actor. 7.* Abraham vſque ad Moyſen, vſque ad datam legem, vſque ad introitum in terram promiſſionis; vt commendaret quia non erat verum teſtimonium, vnde illi calumniam commouebant. Deinde de Moyſe dedit eis magnam ſimilitudinem ad Chriſtum. Reprobatus ab eis Moyſes, & ipſe eos liberauit. Non reddidit malum pro malo: immò reddidit bonū pro malo. Sic & Dominus Chriſtus reprobatus à Iudæis, ipſe illos eſt poſtea liberaturus. Sed modo qui moritur, mortuus eſt. Iudæi, quos vides, habebunt tempus liberationis ſuæ, per ipſum, quem reprobauerunt, ſed neſciunt. Modo qui blaſphemant, pereunt. Tunc alij erunt, non iſti. Quando iſta dicimus, non aliis ſed ſibi promittimus ſalutem. Gens liberabitur, non iſti. Intendite & accipite ſimilitudinem. Nunquid non modo Gentes liberat Deus? Credunt omnes Gentes in Chriſtum: & fiunt de filiis diaboli filij Dei. Tamen illi parentes noſtri, de quibus nati ſumus, qui idola coluerunt, cum idolis perierunt. Audiſtis, & ſpectacula cordis vidiſtis. Sonus erat in auribus, viſio in mentibus. Spectaſtis magnum agonem ſancti Stephani, qui in agone lapidabatur. Quis? Qui iam dudum legem docebat. Quam legem docebat? Quam illi in tabulis lapideis acceperunt. Merito lapidei facti, amicū Chriſti lapidauerunt. Dura ceruice. Poſtea quam do- *Actor.* cuit, obiurgare cœpit. Et non circumciſi corde, & auribus. Quem prophetarum non occiderunt patres veſtri? Sæuire videtur lingua. Ferox cor, lene cor: clamabat & amabat. Sæuiebat, & ſaluos fieri volebat. Quis non crederet iratum, quis non crederet odiorum facibus inflammatum, quando dicebat; Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus? Interea de cælo Dominus aſpexit, & vidit. Apertum eſt cælum: vidit Ieſum tanquam exhortantem athletam ſuum. Nec tacuit quod vidit. Ecce video, inquit, cælum aper- *Ibidem.* tum, & filium hominis ſtantem ad dexteram maieſtatis. Illi, hoc audito, quaſi blaſphemia eſſet, quod ille dixiſſet, aures obturauerunt, ad lapides cucurrerunt. In Pſalmo erat dictum; Sicut aſpidis *Pſal. 57.* ſurdæ, & obturantis aures. Prorſus exhibuerunt, quod de illis prædictum erat. Cœpit lapidari. Modo attēdite illum ſæuientem: recolite verba dura. Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus. Quaſi inimicus erat: quaſi ſi fieri poſſet omnes occidere cupiebat. Hoc dicat, qui cor non videt. Latebat cor eius: ſed audita ſunt nouiſſima verba eius, & patuerunt occulta eius, cum lapidaretur. Domine Ieſu, accipe Spiritum meum. Tibi vixi: tibi morior. Domine Ieſu, accipe Spiritū meum. *Act.* Quia adinuiſti, vicit quem ſuſcipis. Accipe Spiritum meum, de manu eorum, qui oderunt tuum. Hoc dixit ſanctus Stephanus ſtans. Et poſt hoc fixit genu, & ait; Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Vbi eſt, dura ceruice: Hoc eſt totum, quod clamabas, hoc eſt totum, quod ſæuiebas? Foris clamabas: & intus orabas. Domine Ieſu, accipe Spiritum meum, hoc ſtans. Exigebat enim debitum, quando dicebat; Domine Ieſu, accipe Spiritum

rum meum. Exigebat debitum, quod Martyribus promiſſum erat: debitum, de quo dicit Apoſtolus; Ego enim iam immolor, & tempus reſolutionis meę inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidẽ ſeruaui. De cætero, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex. Reddet, reddet, quod debet. Qui erat ante debitor ſuppliciorum, poſtea cœpit *Forte debitorem.* Deum tenere † largitorem pręmiorum. Vnde fuit Apoſtolus Paulus debitor ſuppliciorum? Quia *1. Cor. 15* inimicus Eccleſiæ, quia perſecutus. Ipſum audi; Non ſum dignus dici Apoſtolus: quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Non ſum dignus, dignus dicit. Quare non eſt dignus? Pœnas pati, intrare in gehennas, pro meis meritis cruciari, hoc etiam di- *For. add. dum* gnus †. Apoſtolus, non etã dignus. Vnde hoc tibi, quod non eras dignus? Secutus eſt: Sed gratia Dei ſum, id quod ſum. Malo meo fui, quod fui: dono Dei ſum, quod ſum. Vt ergo poſtea exigeret debitum, prius accepit indebitum. Quod debitũ poſtea? Supereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet *2. Tim. 4.* mihi Dominus in illo die iuſtus iudex. Reddet mihi, debetur mihi: indebitum prius. Quid? Non ſum dignus vocari Apoſtolus: ſed gratia Dei ſum id, quod ſum. Sic & ſanctus Stephanus; Domine Ieſu, ſtans ſecum ad fiduciam, quia bene militauerat, bene certauerat, hoſti non ceſſerat, timorem calcauerat, carnem ſpreuerat, mundum & diabolum vicerat. Inde cum diceret, Domine Ieſu, accipe Spiritũ meum, quando iſte exigebat debitum, Paulus Apoſtolus cumulabat ſibi debitum. Ille petebat debitum bonum: ille addebat ad debitum malum. Quid enim putatis, fratres? Quando lapidabatur Stephanus, audiſtis, ſed forte non aduer- *Act. 7.* tiſtis; Poſuerunt falſi teſtes lapidaturi Stephanum, poſuerunt veſtimenta ſua ad pedes cuiuſdam adoleſcentis nomine Sauli. Iſte Saulus, & poſtea Paulus. Perſecutor Saulus, prædicator Paulus. Saulus enim nomen eſt à Saule. Saul perſecu- *1. Reg. 18. 19.* tor erat regis Dauid. Talis fuerat Saul in Dauid, qualis Saulus in Stephanum. Poſtea verò, cum vocatus eſſet è cælo: vocatus proſtratus, mutatus, vbi cœpit Apoſtolus prædicare verbum Dei: mutauit ſibi nomen, & dixit ſe Paulum. Et hoc quare *1. Cor. 15.* elegit? Quia Paulus modicus eſt, Paulus paruus eſt. Nos ſolemus ſic loqui: videbo te poſt paulum, id eſt, poſt modicum. Vnde ergo Paulus? Ego ſum minimus Apoſtolorũ. Magna diuina ſpectacula. Qui erat in cæde Stephani perſecutor, factus eſt regni cælorum poſtea prædicator. Quantum ſæuiebat in illa cæde, vultis audire? Veſtimenta lapidantium ſeruabat; vt omnium manibus lapidaret. Ergo, poſteaquam Stephanus ſanctus ſtans exigeret debitum dicens, Domine Ieſu, accipe Spiritum meum: attendens inimicos ſuos, qui ſibi lapidando malum debitum faciebant, & addebant ad the- *Rom. 2.* ſaurum illum, de quo dicit Apoſtolus Paulus; Tu autem ſecundum duritiam tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei: attendit eos, & miſertus eſt eis, & fixit pro eis genu: pro ſe ſtabat, pro eis genua figebat. Diſcreuit iuſtum à peccatoribus: pro iuſto ſtans petebat, quia mercedem exigebat: pro peccatoribus genua fixit, quia ſciebat quam difficile pro tam ſceleratis poſſet exaudiri. Quamuis iuſtus, quamuis ſub ipſa corona conſtitutus, non præſumpſit, ſed genu fixit: non attendens quid ipſe dignus eſſet petendo accipere, ſed quid ipſi digni eſſent, à quibus volebat horrenda ſupplicia remouere. Domine, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Quod Stephanus humilis, Chriſtus ſublimis. Quod ille ad terram inclinatus, hoc Chriſtus in ligno ſuſpenſus. Nam recolite quia & *Luc. 23.* ipſe ait; Pater, ignoſce illis, qui neſciunt quid faciunt. Sedebat in cathedra crucis, & docebat Stephanum regulam pietatis. O Magiſter bone, bene pronunciaſti, bene docuiſti. Ecce diſcipulus tuus orat pro inimicis ſuis, orat pro lapidatoribus ſuis. Oſtendit quomodo te debuerit imitari, ſublimem humilis, creatorem creatura, mediatorem victima, Deum & hominem homo Deus; ſed tamẽ in cruce hominem, Deum Chriſtum; ſed in cruce hominem, quando dicebat clara voce; Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Dicit ſibi ille; Ille orauit pro inimicis ſuis, quia Chriſtus, quia Deus, quia vnicus: Ego qui ſum, qui hoc faciam? Si multum eſt ad te Dominus tuus; neſcis quia Stephanus eſt conſeruus tuus? Docuit Deus per Stephanum non exinanitum. Si iſta in Euangelio pręceſſiſſe videtis, fratres mei, nemo dicat in corde ſuo; Quis illud facit? Ecce Stephanus fecit de ſe: de ſuo fecit. Si autem de dono Dei fecit, nunquid intrauit, & contra te clauſit? Numquid pontem tranſiuit, & præſcidit? Multum eſt ad te. Pete & tu. Fons manat, non ſiccauit. Et verè dico charitati veſtræ, fratres mei, Exercete vos, quantum poteſtis, ad exhibendam manſuetudinem, etiam erga inimicos veſtros. Frenate iram, quæ vos ſtimulat ad vindictam. Ita enim ſcorpio eſt. Si te ſuis internis flammis excitauerit, magnum aliquid putas, ſi te de inimico tuo vindicaueris. Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipſam iram tuam te conuerte: quia ipſa eſt inimica tua, quæ occidit animam tuam. O homo bone, Nolo enim dicere, homo male. Melius hoc dico, quod te eſſe volo, quàm quod es. Homo bone, quid tibi facturus eſt inimicus tuus? Quid eſt facturus, vt multum poſſit: vt Deus illum ad totum permittat, quod cupit? Sanguinem tuum cupit fundere. Difficile eſt quidem, & ipſi rari inimici ſunt, qui vſque ad mortem ſæuiant. Solent & ipſi inimici, quando viderint eos, quos perſequuntur, affligi, conuertere iram in miſericordiam. Difficile inuenis inimicum, qui ſæuiat vſque ad mortem. Sed fac vſque ad mortem. Talem pone tibi inimicum qui ſæuiat vſque ad mortem. Quid facturus eſt? Quod Iudæi Stephano. Sibi pœnam: Stephano coronam. Occiſurus eſt te inimicus tuus, quaſi non moriturum, quaſi ſemper victurum? Hoc tibi facturus eſt inimicus, quod quandoque factura erat febris. Si te occiderit, febri tuæ ſimilis erit. Tibi ergo, occidendo te, erit nociturus? Non. Imò tibi, ſi bene mortuus fueris, eumq; dilexeris, ad cæleſte præmium aliquid additurus. Neſcis quantum præſtiterint iſti lapidatores ſancto Stephano? Numquid ſciebant illi pro bonitate reddendam eſſe coronam: illis pro malitia reddendam eſſe pœnam? Diabolus quanta præſtitit? Omnes martyres ipſe nobis fecit. Sed nunquid hinc † iturus eſt? Sed de bene- *Fort. adiutus.* ficiis ſuis quod nolebat illi imputabitur, quod ipſe cupiebat, non quod de illo Deus faciebat. Ergo inimicus tuus quicũque fuerit, vſque ad mortẽ, nihil tibi nocebit. Ira vide quid noceat. Agnoſce inimicam tuam: agnoſce cum qua pugnas, in theatro pectoris tui. Anguſtum theatrum: ſed Deus ſpectat. Ibi doma inimicam tuam. Vis vide-

re, quàm ſit iſta vera tua inimica? Modo oſtendo. Oraturus es Deum. Ventura eſt hora, vt dicas; Pater noſter, qui es in cælis. *Matth. 6.* Venturus es ad illum verſum; Dimitte nobis debita noſtra. Quid ſequitur? Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Ibi illa inimica ſtat contra te. Sepit viam orationis tuæ: murū erigit, & non eſt, qua tranſeas. Bene totum dixiſti; Pater noſter. Cucurrit. Dimitte nobis debita noſtra. Et quid poſtea? Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ipſa aduerſatis contradicit. Nec ante velum, ſed intus. In ipſo ſecretario cordis tui, ibi tibi clamat, contradicit. Qualis inimica, fratres, quæ contradicit? Sicut & nos dimittimus. Non permittit vt ſæuias contra inimicum tuum. In iſtam ſæuias. Melior eſt, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem, ſcriptura dicit. *Prou. 16.* Quod dixi modò, ſcriptū eſt; Melior eſt qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. Nunquid non bellator Imperator quando venit ad aliquos hoſtes, & inuenit ciuitatem munitam, armatis inſtructam, † optimam aduerſantem ſibi, *Fer. optimè.* ſi illam ceperit, ſi illā vicerit, ſi illam euerterit, triumphos quærit? Sicut autem narrat ſcriptura, melior eſt qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. In manu tua eſt. Non potes illam interimere, potes illam reprimere. Si fortis es, iram vince: & ciuitati parce: video vos attentos, ſcio quam bene accepiſtis. Deus aſſit certaminibus veſtris: vt proſit vobis, quod tanti martyris agonē ſpectaſtis: vt quomodo vincentem vidiſtis, & vincenti fauiſtis: ſic & vos in corde veſtro vincatis. Conuerſi ad Dominum, &c.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 10.

Eſt Ser. 94. de diuerſis. GLorioſiſſimus, & in Chriſto beatiſſimus martyr Stephanus iam ſermone ſuo ſaginauit nos: ſed poſt illam ſaginam appono vobis de ſermone miniſterij mei quaſi ſecundam menſam. Et quid dulcius inuenio quod in eam imponam, quàm Chriſtum, & martyrem ipſum? Ille enim dominus, iſte ſeruus: ſed Stephanus de ſeruo amicus. Nos autem ſine dubio ſerui: ille præſtet vt ſimus & amici. Tamen quales ſerui? Tales, qui poſſimus ſalua conſcientiæ fronte cantare; *Pſal. 138.* Mihi autem valde honorificati ſunt amici tui, Deus. Antequam occideretur S. Stephanus in aperto, & in occulto coronaretur, audiſtis qualis fuerit electus ab Apoſtolis. Inter Diaconos illos nominatus primus, ſicut inter Apoſtolos Petrus. Ergo, cùm eſſet ab Apoſtolis ordinatus, in breui ad paſſionem præceſſit ordinatores ſuos. Ab eis eſt ordinatus: ſed prior coronatus. *Actor. 6.* Quid ergo audiſtis, cùm eius paſſio legeretur? Stephanus autem plenus gratia & Spiritu ſancto, faciebat prodigia & ſigna magna in plebe, per nomen Domini Ieſu Chriſti. Intelligite quis, per cuius nomen. Qui noſtis amare Stephanum, in Chriſto amate. Hoc enim vult, hoc illi gratum eſt: inde gaudet, hoc acceptum habet. Non enim nomen ſuum voluit iactare apud lapidatores ſuos. Attendite quem confitebatur, quando lapidabatur, quem confitebatur in terra, quem videbat in cælo; pro quo tradebat carnem ſuam, cui commendabat animam ſuam. Nunquid enim legimus, aut in doctrina ſana alicubi legere poſſumus, quia faciebat aut facit ſigna Ieſus per nomen Stephani? Fecit Stephanus, ſed per nomen Chriſti, hoc facit & modò. Quicquid videtis, quia fit per memoriam Stephani, in nomine Chriſti fit: Vt Chriſtus cōmēdetur, Chriſtus adoretur, Chriſtus expectetur Iudex viuorum & mortuorum: & ab eis, qui illum diligunt ad dexterā ſtetur. Quando enim venerit, ſtabunt ad dexteram, ſtabunt ad ſiniſtram. Beati, qui ad dexteram: miſeri, qui ad ſiniſtram. Imitetur tamen Dominum ſuum beatiſſimus Stephanus. Miro modo inter lapides patiebatur duros mittentes. Quid, niſi quod erant? Vt ſciatis quia duros patiebatur: hoc illis dixit; Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus. *Actor. 7.* Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Mori vis, feſtinas lapidari, ardes coronari. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Talia cùm diceret, fremebāt illi, & ſtridebant dentibus ſuis. Adde, Stephane, adde quod non fuerant, adde quod ſuſtinere non poſſunt: adde vnde re poſſint lapidare, vt inueniamus quod † celebrare. Aperti ſunt cæli: vidit martyr, *Subaudi poſſimus.* martyrum caput: vidit Ieſum ſtātem ad dexteram patris: vidit, vt non taceret. Non illi videbant, ſed inuidebant: & ideo non videbant, quia inuidebāt. Non tacuit ille, quod vidit, vt perueniret ad eum, quem vidit. Ecce, inquit, video cęlos apertos, & filium hominis ſtantem ad dexteram maieſtatis. *Ibidem.* Illi continuerunt aures ſuas, quaſi contra blaſphemiam. Agnoſcitis illos in Pſalmo; Sicut aſpidis, *Pſal. 57.* inquit, ſurdæ, & obturantis aures ſuas, ne audiant vocem incantantis, & medicamētum † medicantis à ſapiente. *al. medicatū.* Sicut enim dicuntur aſpides, quando incantantur, vt non prorumpant & exeant de cauernis ſui, premere vnam aurem ad terram, & de cauda ſibi alteram obturare, & tamen incantator producit illas: ſic & iſti adhuc in cauernis ſuis † ſtridebant, quando in ſuis cordibus æſtuabant. *al. ſtupebant.* Nondum prorumpebant. Obturauerunt aures. Iam prorumpant, appareāt † quid ſint: ad lapides currant. *al. qui* Cucurrerunt, lapidauerunt. Quid Stephanus, quid? Attendite. Prius ille, quem bonus amicus imitabatur, dominus Ieſus Chriſtus, cùm penderet in cruce, dixit; Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. *Luca 23.* Hoc ſicut homo, ſicut crucifixus, ſicut natus ex femina, ſicut carne indutus: ſicut moriturus pro nobis, ſicut in ſepulchro futurus, ſicut reſurrecturus tertio die, ſicut in cælos aſcenſurus. Omnia enim iſta in homine. Homo ergo: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. *Actor. 7.* Ille dixit, pater: Stephanus, domine Ieſu. Quid & ipſe? Accipe Spiritum meum. Tu dixiſti patri; ego tibi. Mediatorem agnoſco. Veniſti iacentem leuare: non cecidiſti, cùm iacerem. Accipe, inquit, Spiritum meum. Hoc pro ſe orabat: Venit illi in mentem aliud, vnde imitaretur dominum ſuum. Recolite pendentis verba in ligno, & intendite verba eius, qui lapidabatur confitentis. Quid ille? Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. *Luca 23.* Fortè in ipſis erat tunc Stephanus, qui neſciebāt, quid faciebant. Multi enim poſtea crediderunt. Et incertum eſt nobis, vnde fuerit beatiſſimus Stephanus, vtrum ex illis, qui prius in Chriſtum crediderant ſicut Nicodemus, qui ad eum venit nocte, qui † ibi ſepeliri meruit *al. illum ſ[...] ibre [...] vnde [...] per ty[...]entu[...]* vbi & iſte, quia per illum & iſte inuētus eſt: vtrum ergo in his fuerit, an forte in illis, qui poſt aſcenſum Domini, veniente Spiritu ſancto, quādo impleti ſunt diſcipuli, & loquebantur linguis omnium gentium, & compuncti Apoſtolis dixerunt;

Viri

Viri fratres, quid faciemus? Indicate nobis. Deſperabant enim de ſalute: eò quòd Saluatorem *Actor. 2.* occiderant. Et ait illis Petrus; Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & accipietis Spiritũ ſanctum, & remittentur vobis peccata veſtra. Putas omnia? Quid peccatorum remanebat, quando & illud peccatum remittebatur, quo remiſſor occiſus eſt peccatorum? Quid peius, quàm occidere Chriſtum? Hoc deletum eſt. Quid igitur? Forte inter illos fuit Stephanus. Si inter illos fuit: & pro *al. hoc.* illo valuit † illa oratio, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Tamen & Saulus inter illos fuit. Cum lapidaretur Stephanus agnus, adhuc ille erat lupus, adhuc ſanguinem ſitiebat, adhuc manus ſuas quibus lapidaret, parum putabat: lapidantiũ veſtimenta ſeruabat. Ergo recolens quid pro ſe dictum ſit, ſi & ipſe inter illos erat, de quibus dixit Dominus, quando ait; Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, imitans ergo etiam in hoc ipſo Dominum ſuum, vt eius amicus eſſet, dixit & ipſe: Domine, ne ſtatuas illis hoc pecca- *Actor. 7.* tum. Sed quomodo dixit? Poſito genu in terra. Se ſtans commendauit: quando orauit pro inimicis, genu fixit. Quare ſe ſtans commẽdauit? Quia iuſtum commendauit. Quare pro illis genua fixit? Quia pro ſceleratis orabat. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Putas verba iſta audiuit Saulus? Audiuit ſubſannans, ſed irriſit: & tamẽ ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur. Noſtis enim iam vt aliquid dicam de Saulo, & poſtea Paulo. Vtique noſtis. In eodem libro ſcriptum eſt, *Actor. 8.* quemadmodum crediderit Paulus. Occiſo Stephano perſecutionem grauiſſimam Eccleſia Hieroſolymis paſſa eſt. Fugati ſunt fratres, qui ibi erãt: ſoli Apoſtoli remanſerunt: cæteri fugabantur. Sed tanquam ardentes faces, quocunque veniebant, accendebant. Stulti Iudæi, quando illos de Hieroſolymis fugabant: carbones ignis in ſyluam mittebant. Adhuc Saulus, cui nõ ſuffecit occiſus Stephanus, quod libenter recolimus, quia iam coli- *Actor. 9.* mus, quid fecit? Accepit epiſtolas à Sacerdotibus & Scribis, vt, vbicunque inueniret viros viæ huius, id eſt Chriſtianos, alligatos adduceret ad ſupplicia ſu[...]da, qualia ſumpſerat Stephanus. Et iratus ibat Saulus, ibat lupus ad caulas, ad greges domini. Vt rabidus lupus ſanguinem ſitiebat, cædes anhelabat, ibat per viam. Et ille de ſurſum, *Ibidem.* Saule, Saule, quid me perſequeris? Lupe, lupe, quid agnum perſequeris? Ego quando ſum occiſus, Leonem occidi. Quid me perſequeris? Exue te *al. lupe.* † lupo: eſto de lupo ouis, de oue paſtor. Dulciſſima pictura eſt hæc: vbi videtis ſanctum Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium veſtimenta ſeruantem. Iſte eſt Paulus Apoſtolus Chriſti Ieſu, iſte eſt ſeruus Chriſti Ieſu. Bene audiſtis vocem; Quid me perſequeris? Stratus es, erectus es: proſtratus perſecutor, erectus prædicator. Dic, *1. Cor. 1.* audiamus; Paulus ſeruus Chriſti Ieſu, per voluntatem Dei. Nunquid per voluntatem tuam? O Saule, per voluntatem tuam ſcimus, vidimus fructus tuos. Occiſus eſt Stephanus per voluntatem tuam. Per voluntatem Dei, videmus fructus tuos. Vbique legeris, vbique recitaris, vbique ad Chriſtum aduerſantia corda conuertis, vbique paſtor bonus magnos greges colligis. Cùm eo, quem lapidaſti, cum Chriſto regnas. Ambo ibi vos videtis, ambo modò ſermonem noſtrum auditis: ambo pro nobis orate. Ambos vos exaudiet, qui vos coronauit: vnum prius, alterum poſtea. Vnum qui perſecutionem paſſus eſt, alterum qui perſecutus eſt. Ille tunc agnus erat, ille autem lupus erat. Modò autem ambo agni ſunt. Agni agnoſcant nos, & in grege Chriſti videant nos; Orationibus ſuis commendent nos, vt quietam & tranquillam vitam impetrent Eccleſiæ domini ſui.

EIVSDEM DE EODEM

Homilia II.

NAtalem Domini Heſterna die celebrauimus: *Eſt Serm. 95. de diuerſis.* ſerui hodie Natalem celebramus. Sed Natalẽ Domini celebrauimus, quo dignatus eſt naſci: Natalem ſerui celebramus, quo coronatus eſt. Celebrauimus Natalem Domini, quo indumentum noſtræ accepit carnis: natalem ſerui celebramus, quo ſuę carnis abiecit indumentũ. Natalem Domini celebrauimus, quo factus eſt ſimilis nobis: celebramus ſerui Natalem, quo factus eſt proximus Chriſto. Sicut enim Chriſtus naſcendo, Stephano, ita Chriſto Stephanus moriendo coniunctus eſt. Sed Domini noſtri Ieſu Chriſti ideo Natiuitatis, & Paſſionis diem geminæ deuotionis obſequio frequentat Eccleſia, quoniam vtrunque medicina eſt. Nam & natus eſt, vt † naſceremur: *al. renaſceremur.* mortuus eſt, vt in perpetuum viueremus. Martyres autem ad mala certamina naſcendo venerunt, trahentes originale peccatum: moriendo autem ad bona certamina tranſierunt, finientes omne peccatum. Nam, ſi in perſecutione conſtitutos futuræ beatudinis præmia non conſolarentur quãdo illa de diuerſis paſſionibus ſupplicia ſuſtinerent? Si beatus Stephanus ſub imbre lapidum conſtitutus, futura præmia non cogitaſſet; quomodo illam grandinem pertuliſſet? Sed illius præceptum geſtabat in animo, cuius præſentiam cernebat in cælo: & ad eum flagrantiſſimo amore ſuſpenſus, carnem quantocyus relinquere, & ad ipſum cupiebat auolare: nec mortem iam timebat, quia Chriſtum, quem pro ſe occiſum ſciebat, viuentem videbat: ac per hoc feſtinabat etiã ipſe mori pro illo, vt viueret cum illo. Quid enim viderit beatiſſimus martyr in illo agone cõſtitutus, recolitis ſine dubio verba eius, quæ de Actuum Apoſtolorum libro ſoletis audire. Ecce, inquit, vi- *Actor. 7.* deo cælos apertos. Beatus homo, cui cæli patebant. Sed quis cælum aperuit? Ille, de quo in Apo- *Apoc. 3.* calypſi dicitur: Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Quando Adam de paradiſo eiectus eſt, poſt illud primum nefandumque peccatum, contra humanum genus clauſum eſt cælum: poſt paſſionem Chriſti latro primus intrauit: poſtea Stephanus apertum vidit. Quid miramur? Quod fideliter vidit, fideliter indicauit, & violenter inuaſit. Eia, fratres, ſequamur eum. Si enim ſequimur Stephanum, coronabimur. Maxime autem ſequendus & imitandus eſt nobis in dilectione inimicorum. Noſtis enim, quia frequentium inimicorum congregatione circumdatus, cùm crebris hinc & illinc ſaxorum ictibus tunderetur, placidus & intrepidus, mitis & lenis inter lapides, à quibus occidebatur, intuens illum, pro quo occidebatur, non ait; Domine indica obitum meum: ſed, accipe Spiritum meum. Non

ait;

Actor. 7. ait; Domine Ieſu, vindica ſeruum tuum, quem vides iſto ſupplicio mortis addictum: ſed ne ſtatuas illis hoc peccatum. Perſiſtens ergo beatiſſimus martyr in teſtimonio veritatis & charitatis, ardés Spiritu, ſicut noſtis, peruenit ad glorioſiſſimum finem: & qui vocatus vſque ad finem perſeuerauit, in finem, quod vocabatur, adeptus eſt, ſui nominis gloria Stephanus perductus eſt ad coronam. Quando ergo beatus Stephanus pro Chriſto primus ſanguinem ſuum fudit, quaſi corona proceſſit de cælo: vt eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis virtutem imitarentur in prœlio. Impleuerunt poſtmodum terram crebra martyria. Quicunq; poſtea ſanguinem pro Chriſti confeſſione fuderunt, impoſuerunt coronam illam capiti ſuo, & eam ſecuritatis integram ſeruauerunt. Et modo, fratres, de cælo pendet: quiſquis eam concupierit, ad eam velociter volabit. Erut ſanctitatem veſtram breuiter atque euidéter hortemur, multis non opus eſt verbis: ſequatur Stephanum, quicumque deſiderat coronam. Conuerſi ad Dominum, &c.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 12.

Eſt Ser. 96. de diuerſis.

MAgnifica martyrum ſolemnitas compellit affectionem noſtram, verbi diuini vobis tradere ſemina precioſa. Vnde rogamus, vt pluuiæ cæleſti corda veſtra præparetis, vt iactantes ſemina veſtra, fructum centeſimum afferatis. Pium ergo diem beatiſſimi martyris Stephani hodie celebramus: non quo natus eſt mundo, ſed quo per paſſionem migrauit ad cælum. Magnum decus meruit verbi diuini, vt & Leuiticum honorem placitum exhiberet, & egregium martyrium conſummaret. Duplicem gratiæ ſanctimoniam accepit in cæleſtibus regnis, quia ſanctè Deo vixit in terris anima eius ſecundum ſententiam Salomonis. Beati Apoſtoli vocem audiuimus; Deſpondi enim vos, dicit Chriſtianis, vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Beatus Stephanus Chriſtum meruit diligere, vt meruiſſet eum de terra videre, ſicut dicit; Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. O cor mundum, quod bene nouit Deum. Nunc illud Euangelij, quod dicit de lapide, qui reprobatus fuerat, hic factus eſt in caput anguli, completum eſt præconium. Et iterum; Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Videte, quid meruit beatiſſimus Stephanus poſt exitum corporalem, qui hic adhuc corpore poſitus, Trinitatem meruit ipſam videre. Tunc Iudæi alienati à vita ſanctorum, lapidare cogitauerunt beatum Stephanum. Iudæi virum Dei lapidabant: ille rogabat aſpiciés Deum. Ille aſpiciebat diuinitatem: & propriam exercebant Iudæi feritatem. Veniebant ſuper eum lapides quaſi nimbi, & ille fixis genibus orabat pro delictis populi ſcelerati. Beatus Stephanus orabat pro peccatis eorum: & illi pietatem nullam in eum ponebant. Quid agis, Saule, qui martyrem in martyrem ſæuis? Quia & tu lapidaberis manibus alienis. Iudæi lapidabant, & Saulus ſeruabat veſtes eorum. Beatus Stephanus Deum exorabat pro iniquitatibus eorum: qui à Domino Chriſto tale accepit vocabulum, vnde corona martyrij depingat triumphum. Sic enim per linguam Græcam nomē accepit corona, quod Latine interpretatur vita perpetua. Et ideo conuerſi mecum deprecemur beatiſſimum martyrem Chriſti, vt meritis ipſius nobis imploret coronam in vita perpetua, vt cum eo ſimus in ſeculorū ſecula, Amen.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 13.

Eſt Ser. 97. de diuerſis.

APoſtolica lectio, fratres mei, nuper auribus noſtris inſonuit, & quantum optatum eſt cordibus noſtris inſeri, hortabatur quippe nos cùm patientia ad promiſſum nobis præmiū agonis: in qua parte fateor puſillanimitatis meæ animum valde permouit. Quis enim poteſt cùm patientia currere? Solet in agone grande eſſe certamen: ſtudet vnuſquiſque ab alio non vinci. Quomodo ergo patiens erit, qui ſuperare contendit? Si lentus eſt, vincitur: ſi currit, impietas certat, ſudat, dimicat. Quam patientiam ſeruat, niſi quia fortè, fratres, certamen hoc noſtrum, non eſt corporis, ſed animi? Currere noſtrum, non eſt loci, ſed mentis. Superius oſtendit beatus Apoſtolus, ad quale nos certamen prouocaueit. Enumerat enim omnium ſanctorum certamina nominatim, & cum turbam ſanctorum enumeraſſet, ait; Tantam habétes & nos nubem teſtium. (*Hebr. 12.*) Si teſtes ſunt, obſcuri non ſunt. Quomodo ergo nubes ſunt? Non obſcuritate, ſed celſitudine. De iis enim loquebatur, qui iam cum Deo requieſcebāt, & † deſuper nos in terra abſcondebat, (*Locus corruptus.*) & tamen ait; Poſtquam certauerunt, expectant, ne ſine nobis perfecti perficiantur. Cucurrerunt, peruenerunt, & tamen nondum acceperunt, quia nos expectant. Et ibi ergo patientia, donec veniat Dominus, (*1. Cor. 4.*) & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordis: & tunc laus erit vnicuique a Deo. Laus erit tunc. Quid nunc? Requies & patientia. Tantam ergo habētes nubem teſtium, Abraham, Iſaac, & Iacob, Ioſeph, Heliam, Heliſæum, Paulum, Iacobum. Et quis numeret tantam nubem teſtium? De iſto numero ſanctorum virorum Stephanus beatiſſimus erat, qui primus in huius cucurrit cum patientia ſtadio ſeculi: qui dum ab incredulis ſaxeo cæderetur crebrius imbre, patientiam ſacro non amiſit ex corde. Tunc aduerſus eum excitatur infelix Iudæorum innumera multitudo, & fremens in delicatos duros mittit lapides artus. Cur, inſana Iudæa, fremis, cur in martyrem duros oculos figis? Quem putas tuis lapidibus mori, iam ſecreta cœpit conſpicere cæli; nec tuas iam formidat lapidiferas ſæuire ſuo in corpore manus, quia cælum iam ei aperuit Chriſtus. Et nos, fratres, cum patientia curramus ad propoſitum nobis fidei agonem. Quomodo currimus, qui onerati ſumus? Grauant nos pondera. Nam nemo currit onuſtus, dum vix cum ſudore perueniat leuis. Vocamur, veniamus: & no non peruenimus, curramus. Quod conſilium (*Matth. 11*) oneratis? Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Volumus, ô Domine, volumus; & non poſſumus: aut forte nec volumus, † præueniente ſarcina grauamur, (*forte preme- te.*) & nolumus. Adiuua nos, & miſerere noſtri. Tu dixiſti; Sine me nihil poteſtis facere. (*Ioan. 15.*) Propter hoc onus, imploremus Dei auxilium, & audiamus Pauli conſilium. Videte enim, quod ſecutus adiunxit. Dum nobis

oſtenderet

oſtenderet tantam nubem teſtium, quaſi cogitantibus & dicentibus, quis illuc ſurgit? quis ad illos attingit? Vidit onus & preſſuram noſtram: præſtitit conſilium debilibus & infirmis & grauatis, & ait, Exponentes onus omne. Et vt oſtenderet quid ſit onus, ſecutus adiunxit; Et agile peccatū. Onus tardum fortè peccatum poſſit quiſq; vitare. Quid eſt vitare agile peccatū? Surgit ſubitò in cogitatione. facit delectationem: mox trahit mentē. O agilitas + certa, curre contra iſtum, non te vincat, præueni, expecta, expone peccatum, proiice foras iniquitatem, ſuggeſtionem, delectationem: Sed vt hoc poſſis, implora eum, ſine quo nihil facere potes. Irrita peccatum, offer medicamentum. Cum patientia curramus, non ſtemus, ſed nec perturbemur: ſed cum patientia. Quid ergo? tua eſt patientia? Abſit. Audi beatum martyrem Cyprianum: In quodam capitulo ſuo ſic ait; Patientia, Dei res eſt. Vnde hoc & ipſe de ſpiritu S. per David; Tu es patientia mea. Et vt oſtenderet qua curreret, & quo perueniret: Domine, inquit, ſpes mea à iuuentute mea. Dicens autem multiplicem nubem teſtium Paulus, obtulit ſolem, per quem lumen videre debeamus. Ait enim tanquam in tenebris conſtitutis; Reſpicientibus ad principem fidei, & perfectorem Ieſum. Si ipſe Princeps, ipſe perfectio: verum eſt, quia ſine ipſo nihil poſſumus facere. Quid autem fecit, quod nos imitari debeamus? Nunquid quod Deus eſt? nunquid quod patri æqualis eſt? Nunquid quod creator cæli & terræ eſt? Quis hoc imitetur? O homo, quando creatura æquabitur creatori? Noli ſuperbè ſapere, audi quid debeas imitari. Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem: ad exemplum paſſionis ſarmentis obtulit vitem. Quod in ſarmentis ſuperfluum eſt, abſcindendum eſt: vt fructum afferat multum. Chariſſimi, quomodo ſuſtinuit paſſionem niſi per patientiam? De tali palmite fuit beatiſſimus & primus martyr Stephanus, qui primus ſecutus eſt cohærens viti. Securus cùm videret ſanguinem vitis, fudit ſanguinem ſuum, & lapidatus pro Chriſto Domino, ſeculorum rege, primus meruit martyrij ſui immarceſſibilem coronam accipere.

fer. citā.

Ipſe de bono patientiæ.

Pſal. 70.

Hebr. 12.

EIVSDEM DE EODEM *Homilia 14.*

Eſt Ser. 98. de diuerſis.

Si quis ſollicitus ſanctorum martyrum geſta percurrat: ſemper in eis quod plus miretur inueniet. Beatæ enim paſſiones cæleſtia tolerantibus regna parturiunt, & hæreditarium nobis bonum quod imitemur oſtendunt. Quid enim dignum tam pio Domino famulorum reddit obſequium: ſi maiora conſtat pro ſeruis Dominum, quam ſeruos pertuliſſe pro Domino? Oportet nos ergo cum omni veneratione narrare, qua deuotione B. Stephanus martyr, cuius natalem hodie celebramus, Domini fuerit exempla ſecutus, qua patientia mortem pertulerit. Quis non magno ſtupore & nimia admiratione teneatur, eum tam dulces impetus habuiſſet ſaxorum, & tam mina reſultantium tormenta petrarum, vt colliſo capite, fluente cruore omnia ſui corporis membra perfuſſa torperent? Tunc ille Chriſti deuotione tropheum geſtans in corde, medicinam pro vulneribus computabat. Eximi enim ſe hac luce cupiebat, vt ad illa clara æternitatis habitacula Domino iubente tranſiret, vbi ei parabat vnius horæ extima gaudium ſempiternum, nulla vetuſtate peritutum: quia & æternus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui martyres regni ſui æternitatis gloria coronare dignatus eſt.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homilia 15.*

Eſt Serm. 99. de diuerſis.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus paſtor bonus, mitis & pius, oues ſuas miſcet inter lupos in hoc ſeculo: vt eas adiuuet de throno ſuo. Vis videre, quicunq; Chriſtiane, Dominū Ieſum Chriſtum oues inter lupos miſcentem? Ipſe in præſenti Euangelij lectione clamat, dicens; Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Vis iterum videre Dominum Ieſum Chriſtum oues ſuas de luporum manibus educentem? Ipſe clamat & dicit; Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuā ponit pro ouibus ſuis. Lupus deſtruitur, quando paſtor crucifigitur. Non enim timere debent oues miſceri in medio luporum. Ad hoc enim lupis miſcentur, non vt in ipſorum malitia commutentur, ſed vt lupi in innocentia ouium conuertātur. Sed, ſi volunt fieri † agni oues: nō deficiant ſequentes agnum, qui tollit peccatū mūdi. Ecce enim prima ouis ſanctus Stephanus, quomodo teſtimonio fidei lupos excutit proclamantes, & oculis ſuis cælos cernit patentes. O prima ouis pugnans in medio luporum: ſequens, non adhuc perueniēs, ad Dominum, etiam amicus eſt angelorum. Quàm manifeſtè familiaris angelis erat amicus, qui in medio luporū vt angelus parebat. Adapertus etenim cælis, aſpectus mutatus eſt confeſſoris. Et cæpit tanquam ſole illuſtratus iuſtitiæ ita ſplendere: vt humanam ſpeciem nū haberet ipſis patentibus cælis, ipſis teſtantibus inimicis. Nam ſtabat in medio luporū, & erat facies eius tanquam facies angeli ſtātis in medio Iudæorum. Quid agitis, ô Iudæi? Nō timetis ouem Chriſti pediſſequam, quæ habet in fronte ſua nomen patris & filij & Spiritus ſancti? Ipſum eſt ſignum, quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc ſignum viderunt cæli, & patefacti ſunt: & tanquam oſtenſo ſignaculo in ſpecie angelorum, patefactæ ſunt portæ cælorū. Venit enim S. Stephanus cum clauib. fidei: & ipſe aperuit, quod fideliter credidit, & libenter aſpexit. Quod ergo vidit, nō tacuit. Ecce, inquit, video cælos apertos, & filium hominis ſtantem ad dexteram patris. Sed quid reſtabat vt cælis patentibus videret, niſi ipſum, qui in cælis aſcenderat Dominum Saluatorem? Nam iſtos cælos omnes videmus, ſed clauſos, nō patefactos: lucentes in ſtellis, non micantes in angelis. Eſt autem non homo, ſed angelus. Homo ſedem palatij Domini ſui non aſpicit clauſam, ſed patefactam: non videt angelos & archangelos. Siquidem & ipſos aſpicit: ſed ipſum prædicat cui teſtis erat. Ipſum præconat, cui eſt famulus in agone perfectus. Nam quanta fuerat ſancto Stephano gratia condonata. Videbat exercitum cæleſtis militiæ ſtantem, videbat hominis filium ad dexteram patris ſedētem. Ecce videt Deum, qui iam migrabat ad Deum, confeſſioniſque merito aſpicit congregationem cæleſtium poteſtatum: qui iā migraturus erat ad prouinciā mortuorum. Sed inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruſcabat. Ecce, inquit,

Matth. 10.

Ioan. 10

al. lupi.

Ioan. 1.

Act. 6.

Act. 7.

inquit, video cælos apertos: & filium hominis ſtātē ad dexteram patris. Gaudeant amici, ſi blaſphemant inimici. Non taceat ouis teſtificando, & ſi lupi clamant blaſphemando. Concluſerunt enim
Act. 6. mentes ſuas & dixerunt; Blaſphemauit. Hoc dixit & Cayphas princeps Iudæorum de filio hominis patiente, & omnia tolerante. Cùm enim diceret Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuſpenſus in cru-
Matth. 26. ce, Amen dico vobis, amodo videbitis cęlos apertos, & filium hominis ſtātem ad dexteram patris: clamauit Cayphas dicens; Blaſphemauit. Cayphas conſcidit veſtes: iſti ipſas clauſerunt mentes. Cayphas, vt nudus remaneret: iſti, vt in ſua duritia permanſiſſent. O magnum miraculum! Cæli ianuæ aperiuntur: & Iudæi mentes impias cōcluſerunt: ſed ſanctus Stephanus non tacuit, nō defecit, nec
Act. 7. blaſphemantib. ceſſit. Ibi attendebat, vbi oculos cordis aperiebat. Ecce, inquit, video cęlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris patris. Sed quid mihi iraſcimini pro tanta teſtificatione Iudæi? Nunquid mea iuſſione aut poteſtate patefacti ſunt cæli? Patefacti ſunt, non vt meam gloriam proderent: ſed vt paſtorem meum in me oſtentantem adiutorium demonſtrarent. Conſiderate igitur & videte, quantum longe ſim à cælis, poſitus vobiſcum in terris. Nūquid ego attingere potui, & ianuas aperire cælorum? Palatium ſuū ipſe mihi aperuit Dominus angelorū. Meritò quodāmodo video, & quod video non taceo. Nō enim contempſi in cruce pēdentem, ideo video ad dexteram patris ſedentem. Vobis iſtud datum eſt de cæleſtibus teſtimonium. Sed ſi non creditis, ego
Pſal. 87. quid feci vobis? Cæli aperti enarrant gloriam Dei: & ego taceo miſericordias Chriſti mei? Video Deū in ſua gloria ſedentem, pro mea ſalute aſtantem. Ipſe mihi teſtis eſt in cælis: ego ei non ero teſtis in terris? Si enim fuero confeſſus coram hominibus:
Matt. 10. confitebitur etiam ipſe me coram angelis ſuis. Si autem negauero eum in terris: & ipſe me negabit in cælis. Sed pro tantis fidelibus teſtimoniis lapides iactatis? Mentem clauditis, integra vobis & manifeſta dicētem audire nō vultis. Cædite, cædite lapidibus confitentem. habeo meum patris ad dexteram adiutorem. Vos cęditis caput meum: ego illi commendo Spiritum meum. Domine, inquit, Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum. Iſti maledicūt, tu benedicis: iſti perſequuntur, tu ſuſcipe perſecutum. Nō ſine cauſa Ieſu meus, Domine meus, pro me ad dexteram patris dignaris aſtare: quem noui & credo ad dexteram patris ſedere. Pro me eſt quod ſtare dignaris, qui ſtando non deficis, qui tuos adiuuando nō deſeris. Tu me, Domine meus, miſiſti in medio inimicorum, me dignatus es facere primum martyrem, poſt tuam aſcenſionem. Si vis vt non deficiam à te, adiuua me. Ceſſet contuſio petrarum, ne deficiat in me fortitudo mēbrorum. Pro me enim Domine meus, appellas dū ſtas. Vocis tuæ legationem audio, credo, ſuſcipio, cognoſco; pro me apud patrem poſtulantem, donātem, & adiuuantem, ne mea fides deficiat ſequendo te. Quid dicis, Ieſu meus, Domine meus, petēdo pro me apud patrem? Pater, ecce hic eſt primus pediſequus: Nouam pro me mundi intrauit palæſtram: dona miſericordiam, perueniat ad victoriam. Sentiat ouis mea ſe adiutorem, ne me inter lupos exiſtimet traditorem. Ecce, inquit, video ſtantem, præſumo pro me poſtulātem: Et ideo, Domine meus, qui expectas certamen meum, ſuſcipe Spiritum meum. Verum, quia nō timeo, Domine, lapidata membra: ſuſcipe Spiritum meum in requie ſempiterna. Inter illos ſum deputatus tanquā ouis occiſionis: apud te ponar in requie ſuauitatis, & pacis. Iudæi lapidabant, iſte ingemiſcebat: Iudæi cædebant caput, iſte commēdabat Spiritum. At vbi de Spiritu commendato cœpit eſſe ſecurus: pro inimicis factus eſt aduocatus. Et non ſicuti pro ſe petebat, ita pro inimicis interpellat. Hic ſtabat, quando Chriſtum videbat: hic genua figebat, quādo pro inimicis orabat. Ipſa enim neceſſaria aduocatio, pro tantis ac talibus inimicis. Sciebat nanque quod eum Dominus Ieſus nō citò poſſet audire: ſed pro ipſorum peccato, non pro merito ſuo. Adeo pro tanta iniquitate lapidantiū Iudæorum genua figebat, lachrymas effundebat, dicens. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Vide, quicunque Chriſtiane, quomodo ouis illa in omnibus agnum ſequitur, & paſtorem imitatur.
Dominus Ieſus Chriſtus ſuſpēſus in cruce clama- Luc. 23.
bat; Pater, in manus tuas commendo Spiritum
meum: iſte dicit; Domine, ſuſcipe Spiritum meū. Act. 7.
Dominus Ieſus Chriſtus pro inimicis clamabat, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: iſte dicit; Ne ſtatuas hoc illis in peccatum. Et manifeſtè, fratres mei, in medio lapidantium iſtorum, qui amplius ſæuiebat, beatus Apoſtolus Paulus præſens erat. Si ergo tunc daretur Stephano de lapidante vindicta, quomodo talem magiſtrum habuiſſet Eccleſia? His dictis, emiſit Spiritum, aſcendit in cælum, veniam meruit inimicis, gaudere meruit in cælis de amicitiis beati Pauli ſubſequentis: quia ipſe eſt Dominus, qui facit ſterilem matrem in domo filiorum lætan-
tem. Ecce hoc meruit S. Stephanus, qui videbat fi- Pſal. 112.
lium hominis ſtantem, quem nouimus ad dexteram patris ſedentem. Petamus eum, vt interpellet pro nobis, & pro peccatis noſtris, vt eruat nos à tātis periculis & parturitionib. vniuerſis: pro pietate ſua, non pro conſcientia noſtra. Nam qui aut quāti fontes, peccati noſtri flammam poſſunt extinguere? Ipſe dignetur noſtra crimina ſepelire: vt, ſicut in monumento nouo ad modicum commendauit membra ſua: ſic in fonte indulgentiæ ſepeliat peccata noſtra, vt vobiſcum ſemper gaudeamus in Eccleſia ſacroſancta.

S. MAXIMI EPISCOPI
Taurinenſis in eodem feſto Hom.

LEctio actuum apoſtolorum, quæ nobis hodie lecta eſt, dilectiſſimi fratres, quum plurimum habeat in ipſa ſpecie admirationis, non minus tamen continet in myſterio dignitatis. *Ecce* (inquit)
beatus Stephanus dicit; Video cælos apertos, & filium ho- Act. 7.
minis ſtantem à dextris virtutis Dei. Conſiderate attētius, fratres dilectiſſimi, quum beatus martyr dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ad dexteram Dei patris ſtare vidiſſet, cur ſe filium hominis videre teſtatus eſt, & non potius filium Dei: quum vtique plus honoris domino delaturus videretur, ſi ſe Dei potius quàm hominis filiū videre dixiſſet? Sed certa tantū poſtulabat, vt hoc ita & oſtenderetur in cælo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorū ſcādalum in hoc erat, cur dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſecundū carnē eſt filius hominis, eſſe etiā Dei filius diceretur. Ideo ergo pulchre

pulchre ſcriptura diuina filium hominis ad dexteram Dei patris ſtare memorauit, vt ad confundendam Iudæorum incredulitatem illi martyri oſtenderetur in cælo, qui à perfidis negabatur in mundo. Et illi teſtimonium cæleſtis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogarat. Vnde licet iuxta Pſalmum qui lectus eſt; Pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius ſit, ſi quid tamé diſtare inter martyres poteſt, præcipuus videtur eſſe, qui primus eſt. Nam, quum ſanctus Stephanus ab Apoſtolis diaconus ordinatus ſit. Apoſtolos ipſos beata, ac triumphali morte præceſſit, ac ſic, qui erat inferior ordine, prior factus eſt paſſione: & qui erat diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe martyrio, complês illud quod beatus Propheta in pſalmo dixit: Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr domino, quod cum omni humano genere accepit a domino. Mortê enim, quam ſaluator dignatus eſt pro omnibus pati, hác ille primus reddidit ſaluatori. Poſt hæc ſubiecit ſcriptura ſacra, & ait: *Poſitis genibus clamauit dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Videte, dilectiſſimi fratres, affectum beati viri: Videte magnam, & admirabilem charitatem. In perſequutione poſitus erat, & pro perſequutoribus ſupplicabat, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuiſci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille domino cômendabat inimicos. Quid enim dicebat, quum lapidaretur? *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Plus itaque tunc illorum dolebat peccata, quàm ſua vulnera: plus illorum impietatê quàm ſuam mortem. Et recte plus. In illorum quippe iniquitate erant multa, quæ plangi, in illius autem morte nô erat, quod debuiſſet doleri. Illorum impietatem mors ſequebatur æterna, huius autem mortem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo, dilectiſſimi fratres, tanti magiſtri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in eccleſia fratres noſtros, quo ille tunc dilexit inimicos ſuos. Sed quod peius eſt aliquotiens non ſolum inimicos non diligimus, ſed nec amicis quidem fidem integram cuſtodimus. Sed dicit aliquis: Non poſſum diligere inimicum meum quê quotidie velut hoſtem patior crudeliſſimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non conſideras quid tu feceris Deo. Quum enim tu multum grauiora in Deum peccata commiſeris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum. Recole quid tibi in euangelio veritas ipſa promiſerit, & quam tibi quodammodo cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si autem non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet debita veſtra. Videtis, fratres, quia cum Dei gratia in poteſtate noſtra poſitum eſt, qualiter à domino iudicemur. Si (inquit) dimiſeritis, dimittetur vobis. Iam ſæpe dixi, fratres, & frequentius dicere debeo, nemo ſe circûueniat, nemo ſe ſeducat, qui vel vnum hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totû perdit, quia nô mentitur Paulus apoſtolus dicens: Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperû, & ſi tradidero corpus meû vt ardeá, charitatê autê non habuero, nihil mihi prodeſt. Quam rê etiá beatus Ioannes confirmat dicens: Omnis, qui non diligit fratrem ſuum, manet in morte. Et iterum. Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi, omnes enim in Chriſto fratres ſumus. Nemo itaque ſine charitate de virginitate præſumat, nemo de eleemoſynis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque iſtis, neque aliis quibuſlibet bonis operibus placare ſibi dominum poterit. Sed ſi vult ſibi habere propitium Deum, non dedignetur audire conſilium bonum. Audiat non me, ſed ipſum dominum ſuum. Si (inquit) offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tûc veniens offeres munus tuum. At nos pugnas habentes intrinſecus, & dolos in corde verſantes, quaſi qui bonam conſcientiam habeamus, præſumimus accedere ad altare, non timentes quod ſcriptum eſt: Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit: Sed dicit aliquis: Grandis labor eſt inimicos diligere, pro perſequutoribus ſupplicare. Nec nos negamus, fratres. Non paruus quidem labor eſt in hoc ſeculo, ſed grande erit præmium in futuro. Per amorê enim hominis inimici efficeris amicus Dei, immò non ſolum amicus, ſed etiam filius, ſicut ipſe dominus dicit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt. Si te aliquis homo diues in hoc ſæculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo ſeruires, quas indignitates etiam ſeruorum eius, quæ ſeruitia duriſſima, & aliquotiens etiam turpiſſima ſuſtineres, vt ad caducam, & fragilem hæreditatem illius peruenires? Quod ergo alius ſuſtinet propter ſubſtantiam terrenam, tu ſuſtine propter vitam æternam. Conuincimur enim certiſſima ratione, quia propter Deum poſſumus quidem, ſed nolumus iniurias ſuſtinere. Denique ſi nobis aliqua potens perſona iniuriam faciat, ſi nobis etiam in facie maledicat, nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare? Ne ab illa perſona potente adhuc maiora quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, debuerat a nobis exigere Chriſti amor. Si ergo potens perſona ſæuit contra nos, tacemus, & nihil dicere auſi ſumus. Si vero aut æqualis, aut forte inferior vel leuem nobis contumeliam fecerit, quaſi fera beſtia ſine vlla patientia, ac ſine aliqua Dei contemplatione conſurgimus, & aut in præſenti noſtram iniuriam vindicamus, aut certe ad maiorem vicem reddendam noſtrum animum præparamus. Quid eſt hoc, quòd quâdo potens perſona nobis iniuriam intulit, patienter accipimus, quando inferior, nimio furore ſuccendimur? quòd ibi timemus hominem, hic Deum timere nolumus. Vnde ergo nos, fratres, quantum poſſumus, cum Dei adiutorio cor noſtrum ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus medicorum vicem agere ſtudeamus, & non ipſos homines, ſed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, vt ſemper ad meliora conſcendant: pro malis, vt cito ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Quam rem orantibus nobis ipſe præſtare dignetur, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pſal. 115. *Actor. 6.* *Pſal. 115.* *Matth. 6.* *Liberum hominum arbitrium aſſerit.* *1. Cor. 13.* *1. Ioan. 3* *Ibidem.* *Matth. 5.* *1. Cor. 11.* *Luca 6.*

S. FVLGENTII EPISCOPI *Ruſpenſis in eodem feſto Sermo.*

HEri celebrauimus temporalem ſempiterni regis noſtri natalem, hodie celebramus triumphalem militis paſſionem. Heri enim rex noſter, trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triũphator migrauit ad cælum. Ille ſempiternæ deitatis maieſtate ſeruata, ſeruile cinctorium carnis aſſumens, in huius ſæculi campum pugnaturus intrauit: Iſte depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad cęli palatium perenniter regnaturus aſcendit. Ille deſcendit carne velatus, iſte aſcendit, ſanguine laureatus. Aſcendit iſte lapidantibus Iudæis, quia ille deſcendit, lætantibus angelis. Gloria in excelſis Deo, heri ſancti angeli exultantes cantauerunt: hodie Stephanum lætantes, in ſuum conſortium ſuſceperunt. Heri dominus exiuit de vtero virginis: hodie miles egreſſus eſt de ergaſtulo carnis. Heri Chriſtus pro nobis pannis eſt inuolutus: hodie Stephanus ſtola eſt ab eo immortalitatis indutus. Heri præſepis anguſtia Chriſtum portauit infantem, hodie immenſitas cæli ſuſcepit Stephanum triumphantem. Solus dominus deſcẽdit, vt multos eleuaret: humiliauit ſe rex noſter, vt ſuos milites exaltaret. Qui enim corpori ſuo virginis præparauit vterum, ipſe martyri ſuo dignatus eſt aperire cęlum Dominus Chriſtus anguſtias intrare nõ dedignatus eſt vteri, vt animam Stephani latitudo ſuſciperet cæli. Neceſſarium tamẽ nobis eſt, fratres, agnoſcere, quibus armis pręcinctus Stephanus, ſæuitiam Iudæorum potuit ſuperare, vt ita meruiſſet fœliciter triumphare. Neque enim parui pendenda ſunt, talis virtus, taliſque triumphus. Haud vero vilibus armis potuit pręmuniri, qui à multis non potuit ſuperari. Inuictæ tãquam in eo enituit inſigne virtutis: quę nec frementium ſæuitiam formidauit, nec lapidãtium ictibus deuicta ſuccubuit. Vſque adeo enim inter frementes permanſit interrita, & inter lapidum cruciamẽta fuit ſecurus vt incredulitatem Iudæorum fidenter argueret, lapidantes non repercutiens, ſed patiens ſuperaret. Inſuper & occiſus, aulam cæleſtis regni, viuus & coronatus intraret. Proculdubio, munimine regio ſeptus, nullatenus eſt ab aduerſariis ſuperatus. Quoniam rex noſter, cum ſit altiſſimus, pro nobis humilis venit: ſed inanis venire non potuit. Magnum quippe donatiuum ſuis militibus attulit, quo eos nõ ſolum copioſe ditauit, ſed etiam ad certandum inuictiſſime confortauit. Atulit nanque donum charitatis, quæ perduceret homines ad conſortium deitatis. Quod ergo attulit, erogauit: nec ſibi aliquid minuit, ſed mirabiliter & ſuorum fideliũ pauperiem ditauit, & indeficientibus theſauris plenus ipſe permanſit. Charitas ergo, quæ de cælo ad terras depoſuit Chriſtum, ipſa Stephanum de terra eleuauit ad cælum. Charitas, quæ præceſſit in rege, ipſa ſubſequenter refulſit in milite. O admiranda vbique potentia Saluatoris. O prædicanda indeſinenter gratia redemptoris. Oſtendit in matre virginitatis æternæ miraculum: demõſtrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permanſit in virgine, dilectionis virtus inuicta perſeuerauit in martyre. Et ſicut in matre domini non potuit virginitas violari, ſic in martyris mente non potuit Chriſti charitas tanta ſæuientium agmine ſuperari. Stephanus ergo, vt nominis ſui coronam meruiſſet accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbique vincebat. Per charitatem Dei, ſęuientibus Iudæis non ceſſit: per charitatem proximi, pro lapidãtibus intercesſit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur: Per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute ſubnixus, vicit Saulum crudeliter ſęuientem: & quem * habuit in terra perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem. ** habebat.* Ipſa ſancta & indefeſſa charitas deſiderauit orando acquirere, quos nequiuit monẽdo conuertere. Neque enim fratres, exiſtimandus eſt Stephanus tunc inimicos dilexiſſe, cum pro eis oraret: & nõ dilexiſſe, cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Abſit hoc ab anima martyris ad cæli palatium feſtinantis. Ipſa enim ſancta charitas firmam ſeruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione cenſuram. Et ideo in oratione audiri meruit lenitas, quia ſine charitate non fuit in correctione ſeueritas. Ac per hoc, ſiue orando, ſiue corripiendo, charitatem beatus Stephanus reſeruauit: quia vtrobique ſalutem errantium cogitauit: Et indicio ſanctæ orationis oſtendit, increpationem illam non fuiſſe odij, ſed amoris. Hoc autem faciens, & præſentibus charitatẽ beatus martyr exhibuit, & vtile nimis exemplũ poſteris reliquit. demonſtrauit enim geminam eccleſiaſtici diſpenſatoris induſtriam, vt ad corrigẽdum cuiuſlibet peccati errorem, & non deſit in ore correptio, & ad Deum pro eo ſupplex effundatur oratio: vt qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Deum adiuuetur. Ac ſic ipſa charitas & in ore iuſtitiam ſonet, vt errãtem corrigat: & in corde patientiam ſeruet, vt pro errante orationẽ puro affectu dilectionis effundat. Qui enim errantem nõ corripuerit, de negligentia iudicatur: qui autẽ pro eo nõ orauerit, de pernicie condemnatur. Quocirca fratres, ſi quando aliquis pro animæ ſalute corripitur, non aſpernanter accipiat monita charitatis: nec præſentem triſtitiam ſuæ voluntatis attendat, ſed conſideret quæ lucra vtilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, vt à prauis operibus corrigatur. Nec cum videt correptionem aliqua verborum auſteritate feruere: exiſtimet charitatem in corde frigeſcere. Sic enim vigilet in ore correptio, vt in corde non dormitet oratio. Ac per hoc in vtroque peccanti conſultè proſpicitur, vt dum homo correptus de peccato confunditur, & à malis operibus ſeparetur, & per orationem (Deo miſerãte,) ſaluetur. Nam & ſancta ſcriptura dicit: quoniam quem diligit dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. *Prouerb. 3.* Chriſti ergo charitate compulſi, & bonos hortamur, vt in bono permaneant: & malos compellimus, vt à malo diſcedant. Pręſertim quoniam in iſtis duobus ſanctis geminum nobis mõſtratur ſalutis indicium: vt ſi quis bonus eſt, imitetur perſeuerantiam charitatis in Stephano: qui autem malus eſt, ſectetur exemplum conuerſionis in Paulo. Et qui bonus eſt, ęquitatem vſque ad finem teneat: qui autem malus eſt, quantocyus à ſua peruerſitate diſcedat. Nec bonum hominem pręſumptio iuſticię faciat negligẽtem: nec malum iniquitas faciat deſperantem: ſed ille bonum fortiter

teneat,

teneat, iſte malum celeriter deſerat. Bonus timeat, ne cadat: malus conetur vt ſurgat. Quiſquis ergo malus eſt, cum Paulo proſternatur in malo: vt cum eo erigatur in bono. Quoniam & ille cecidit malus & ſurrexit bonus: Proſtratus eſt iniquus, & erectus iuſtus. Cecidit ſæuiſſimus perſequutor, & ſurrexit veridicus prædicator. Cadens lumen corporis impius perdidit, ſurgens autem lumen corporis iuſtificatus accepit. Coniunctus eſt itaque Stephano, factus ouis, ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Chriſti claritate perfruitur: cũ Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo enim præceſſit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli, illuc ſequutus eſt Paulus, adiutus orationibus Stephani. Quam vera vita, fratres mei, vbi non Paulus de Stephani occiſione confunditur; ſed Stephanus de Pauli conſortio gratulatur, quoniam charitas in vtroque lætatur: charitas quippe in Stephano ſuperauit ſæuitiam Iudæorum, charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum: Charitas in vtroque pariter regnum meruit poſſidere cælorum. Charitas igitur eſt omnium fons & origo bonorum, munimen egregium, via quę ducit ad cęlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipſa dirigit, ipſa protegit, ipſa perducit. Quocirca fratres, quoniam ſcalam charitatis conſtituit Chriſtus, per quam ad cælum omnis poſſit conſcendere Chriſtianus, puram charitatem fortiter retinete: ipſam vobis inuicẽ exhibete & in ea proficiẽdo conſcẽdite: inſiſtite operibus bonis, vt ad præmia æterna peruenire poſſitis, adiuti gratia ſaluatoris, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

S. HILARII ARELA- *tenſis epiſcopi in eodem feſto, Hom.*

Animæ ſãctorum fruuntur beatitudine etiam ante vniuerſale iudicium.

SAtis notum eſt beatos martyres, & amicos Dei poſt emeritam militię præſentis adminiſtrationem in illud ſeculũ cum fauore cęleſti, cum pompa, & triũphali occurſu, cum angelica exultatione ſuſceptos, vbi nunc remuneraturis benedictione ſatiantur, & ineffabilibus gaudiis perfruuntur. Inter hæc itaque requiramus quid neceſſitatis, quidve rationis ſit, cum ſancti martyres in illo paradiſi lumine conſtituti humanis laudibus nõ indigent, cur tantis hominum ſtudiis celebrentur, cur tantopere mundo huic eorum reliquiæ, Deo reuelante prodantur: ſine dubio propter multiplices cauſas. Primùm ad hoc à ſollicitis fidelibus excoluntur, vt ſedulis cultoribus ſuffragentur: deinde vt, dum in exemplum deuotionis, & fidei poſteris proponũtur, nouis ſemper meritis augeantur: ac iam virtutibus ſuis clari, alienis etiam profectibus amplientur, vt, dum ſtupendo Dei munere eum eis ſtare neceſſe ſit vitæ curſum, nihilominus gloriæ adhuc currat augmentum: deinde vt antiquus ille religionis inimicus, etiam ante iudicium ſentiat pœnã malitiæ ſuæ, per quam ſe ſanctorum gloriæ intelligit militaſſe: vt quos hic iam perſpicit honoratos, illic nõ dubitet vindicandos: vt, cùm totus celebret mundus interempti coronã, neceſſe habeat interemptor propriam lugere victoriam: ſicut etiam circa hunc beatum martyrem intelligere in promptu eſt. Iudæi ergo illo adhuc ſpiritu ebrij quo dudum clamabant, *crucifige, crucifige*, in necem ſacri teſtis incumbunt. Beatus,

Sanctorũ cultus, & reliquiarum eorum veneratio.

Sanctorũ interceſſio apud Deum.

qui cæleſtia illius agonis proximo pediſequus interuallo, reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulo antè ſæuiente mundo ſaluator occubuit. Beatus qui fumantem adhuc dominici victimã ſanguinis, primus honorauit recẽti ſacrificio paſſionis: ideo dignus apparuit, de quo diceret ſermo diuinus. Viderunt faciem eius, tanquam faciem angeli, quanquam non fuit hoc illis gratia meriti, ſed pœna peccati: nam dum morientis proditur gloria, perſequentis torquetur inuidia. Aduerte concepta ſemel iniquitas in quantum captiuos poſſideat ſeu ſuos: impietatem ſuam in illius decore perſpiciunt, & tamen peragere triumphum eius in ſua immanitate nõ deſinunt. Aſpectu angeli facies impiorum cæduntur, & lapidantum conſcientiæ, lapidati lumine repercuſſæ, agnitionis ictibus lapidantur. Hoc genere vitare non poſſunt etiam oculorum fidem importuniſſimum criminis ſui teſtem. Videmus itaque humanam mentem tanta præditam eſſe ratione, vt nullus ſit etiam in medio facinoris tempore, cui facinus ſuum liceat ignorare. Viderunt faciem eius. Beatus, qui in ipſa colluctatione pugnantis, iam profert ſpeciẽ reſurgentis. Splendore angeli Deus ſanctificatum circunfudit aſpectum. Qui ſic magnificat moriturum, putas quomodo decorabit æternum? viderunt faciem eius: abundantia cordis tranſit in decus corporis: in exterioris gloria candor interioris exundat, & abſcondita pectoris ornamenta, ſpeculum frontis irradiant, habens intra ſe ſpiritum ſanctũ, os præ ſe geſtat angelicum. Nimirum tali eum vultu internus habitator induerat, qualem regni in templo tẽpli indicat pulchritudo, & ideo ineffabili repletus exultatione teſtatur: Ecce video cælos apertos. Iuſte incũctanter offert ſanguinem ſuum, qui præ oculis habet regem ſuum ſimul, & brauiũ ſuum, & filium hominis à dextris ſtãtem Dei. Vides quòd expectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis? digne patentibus cæli portis comparatur cælum, bella deſudans: ac ſic dum occupatur in ſtupore, & amore cæleſtium, merito ingruentium nõ turbatur duro imbre ſaxorum. Ecce video. Tali miraculo angeli decebat faciem honorari. Quid inter iſta dicemus? quòd apertũ martyri cæleſte ſecretum, futuri præmij fuerit teſtimonium: ſed Deum videre iam præmiũ eſt. Vide quantũ agat in pectoribus ſeruorũ ſuorũ diuinæ charitatis ardor, quod ſperabatur deſideriis, oculis demonſtratur: & ſpes in re, ſpiritu adhuc intra carnem militãte perficitur. Necdum explet famulus miniſterium ſuum, & iam dominus aperit regnũ ſuum. Aduertamus in quãtum à ſancto ſpiritu poſſidetur. Poſitis, inquit, genibus orabat, dicẽs: domine, ne ſtatuas eis hoc peccatum. Audierat dominum pro Iudæis de patibulo ſupplicantem: pater, inquit, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non ſolum per pietatis ac iuſtitiæ ſtudium, per vitæ mortiſque cõtemptum, ſed etiam per orationis affectum, Chriſti ſe probat eſſe diſcipulum. Quid agit fidei magnitudo, quę nõ vincitur à malo, ſed vincit in bono malum? Dum pro impiis Deo plenus exorat, etiã de alieno peccato iuſtitiam ſuam cumulat, & coronã ſuam perfecta Chriſti humilitate multiplicat. Intelligamus quãtum bonũ ſit dilectionis, quantæque res illa virtutis, quæ commendare adhuc poteſt paſſionem. Notum per iſta fit quia patrem, & opera martyris ſuſcipit, qui odium malis debi-

tũ generoſi cordis benignitate calcauerit. Domine ne ſtatuas illis hoc ad peccatum. In media intẽtione certaminis, ſicut futura cõfeſſio atque damnatio hos latuit, martyriẽ remuneratio futura non latuit. Nã qui pro inimicis ſub ipſo tempore conſummatæ perſecutionis orauit, beatitudinis ſuæ cauſa perſecutorem dilexit. Nec mirum, ſi eis neſciuit iraſci, per quos ſibi videt aulam regni cæleſtis aperiri, per quos ſe æternis ſeculis intelligit cõſeciari. Domine ne ſtatuas eis hoc ad peccatum. O admirabilem etiam circa impios charitatẽ? Excuſat ſupplicatione ſynagogam, paſſione confirmat & honorat eccleſiam, memor fratrum, immemor perſecutorum: recordans de qua radice proceſſerit, ſic oleaſtro nouus ramus cupit inſeri, vt oleam veterem nolit abſcĩdi. Domine ne ſtatuas eis hoc ad peccatum. Dum pro Iudæis ſupplicat, ſpem noſtram, ac fiduciam nutrit, nam, dum pro perſecutoribus deprecatur, manifeſta cultoribus ſuffragia pollicetur. De ipſo beatiſſimo teſte viſionis fide veridica relatio teſtatur, vt locum reliquiarum mira iocunditas anhelãtibus roſis, & croco olenti, vel florulento rore gratiæ vernalis infunderet, & tanquam de paradiſo ſpirans aura reſpergeret.

Miraculum apud reliquias S. Stephani. Ecce etiam nunc multo latius, multóque precioſius, dum fidei ſuæ præconio magnanimitatis trophæa paſſionis inſignia feruentibus pietate ſtudiis celebrantur ab oriente vſque in occidentem, velut cæleſtis fragantiæ balſama commouentur: tunc vnus locus ſepulchri odorum ſuauitatibus amœnus redditur, nunc à ſolis ortu aromatibus virtutũ totus orbis impletur, tunc imbribus terra vnius regionis infunditur, nunc à ſolis ortu vſque ad occaſum manſuris benedictionibus irrigatur.

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. de eodem feſto Serm.

Ser. 154. SIcut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipſa ſæpe ſanctorum merita indicant, teſtantur inſignia. Ita Abraham, quòd fide credidit, nominis adiectione monſtrauit; quando ex Abram Abraham diuinitus nuncupatur: vt dilatandus genere, nomine antè dilataretur, dicente domino; Et non vocabi-

Gen. 17. tur amplius nomen tuum Abram, ſed Abraham erit nomen tuum: quia patrem multarum gẽtium poſui te. Sic coniunx ſancta eius, cùm de ſterili fit fœcunda, ex Sarai vocitata eſt Sara, vt & ipſa antè creſcat nomine, quàm creſcat pignore, & quia, promittẽte domino riſum, credidit, ſi vetula conciperet, exarata iam rugis, ſi pareret deſperata iam fœcũditas, ſi ſterilitas iam penes ſenectutis extrema prægnans fieret, riſum mox, quod genuit, nuncupauit: & hoc aptauit in nomine, quòd ſenſu paſſa eſt, cùm rideret, & vocauit nomẽ eius Iſaac,

Gen. 21. quod interpretatur riſus. Sic Iacob, qui in vtero cœpit antè luctari, quàm viuere; antè viribus ſu-

Gen. 25. perare, quàm membris; etiam inter viſcera materna ipſa ſupplantatoris eſt vocabulum conſecutus, eò quòd, antequam naſceretur, noſcitur diuinitus reprobatum ſupplãtaſſe germanum. Et, quia lon-

Petrus primus meruit eccleſiam fidei firmitate fundare. gum eſt ire per ſingula, ſicut Petrus à petra nomen adeptus eſt, quia primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare: ita Stephanus vocatus eſt à corona, quia primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conflictum, primus meruit ſanguine militum Chriſti martyriũ dedicare. Petrus apoſtolici chori vetuſtum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cælorum, reos poteſtate vinciat, pœnitentes clementer abſoluat: Stephanus eſt martyrũ primus. Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro domini ſui adhuc calente ſanguine, ſanguinem ſuũ auidus bellator effudit. Et, quia cruore proprio tinctam, ſibi ipſe purpuram conquiſiuit, meritò à rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam, qui iam cùm naſceretur, nomen ſortitus eſt à corona verè, quem præſciuit, & prædeſtinauit, ipſum nunc martyrij primum vocauit ad gloriam.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri eiuſdem Euangelij expoſitio.*

I*Deo ecce ego mitto ad vos prophetas, &c.* Id eſt, Ipſe filius Dei miſit Apoſtolos, qui prophetas antè mittebat. Simúlque obſerua iuxta apoſtolum ſcribentem ad Corinthios, varia dona eſſe diſcipulorum Chriſti: alios prophetas, qui ventura prædicant, alios ſapientes qui nouerunt quando debeãt proferre ſermonem, alios ſcribas in lege doctiſſimos: ex quibus Stephanus, Petrus, Paulus occiſi ſunt, & perſequutione multa Iudæa expulſi ad gentium populum tranſmigrarunt. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, &c.* Quomodo à Iudæis exquiritur ſanguis quem non ipſi fuderunt? niſi quia moris eſt ſcripturarum, duas ſæpè generationes hominum, bonorum ſcilicet, malorumque computare. *A ſanguine Abel iuſti, &c.* Cur Abel, qui primus fuit, & Zachariã qui nequaquã vltimus fuit, ponere voluit: niſi fortè quia per Abel paſtorem, qui in campo: & Zachariam ſacerdotem, qui in atrio templi necatus eſt, vtriuſque gradus martyres eſſe debere ex laicis, & ex officio altaris mancipatis ſub eorum voluit intimare vocabulo. De iſto verò Zacharia multorum fuit contentio, quis fuerit: ſed nos illum putamus, qui à Ioas rege Iudæ inter templum & altare fuit occiſus. Sed quæritur, cur hic Barachiæ dicatur filius, cùm in hiſtoria Regum Ioiadæ filius aſſeratur? Barachia ſcilicet in lingua noſtra, benedictus Domini dicitur: & ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia, Hebræo nomine demonſtratur, & in Euangelio quo Nazaræi vtuntur pro filio Barachiæ filium Ioiadæ, Hieronymus ſcriptum ſe inueniſſe teſtatur. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Animantis ponit ſimilitudinem, quæ tam magnum in filios habet affectum, vt eorum infirmitate affecta, & ipſa infirmetur. Et quod in cæteris difficilius inuenies, alis ſuis filios protegens, contra miluum pugnat: ſic etiam mater noſtra ſapientia Dei, quæ per carnis ſuſceptionem infirmata eſt, protegit infirmitatem noſtram, & reſiſtit Diabolo, ne nos rapiat: & quod illa contra miluum conatur affectu, hæc aduerſus diabolum perficit poteſtate. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Prædixit enim, quòd hærede occiſo, Romani venire debuerunt, & quaſi nidum vacuum diripientes, tulerunt eorum locum, gentem & regnum. *Dico enim vobis, Non me videbitis, &c.* Hoc profectò myſticè de illo eius aduentu intelligere cogimur, quo in claritate venturus eſt. Aliter, habent Iudæi datum ſibi tempus pœnitentiæ, confiteantur benedictum, qui venit in nomine Domini, & Chriſti ora conſpicient.

HAYMO

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſt. ſuperioris Euang. expoſitio.

E*Cce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes ſcribas, &c.* Verba huius lectionis tam Beato Stephano protomartyri ſpecialiter congruunt, quàm cunctis generatim æque martyribus poſſunt aptari. Hæret ſanè præſens lectio ſuperiori narrationi, in qua dominus noſter legitur principes Iudæorum Scribas ſcilicet, & Phariſæos de ſuis peccatis *Matth. 23.* multimode increpaſſe, denũcians eis: Væ, hoc eſt, ſempiternum interitum, niſi emendatio eorum delictis ſuccurreret. Poſt multa igitur quæ eiſdem principibus præmiſerat, inter reliqua hoc ſubiunxit, quod caput illius lectionis paulò antè præcedit. Et vos, inquiens, implete menſuram patrum veſtrorum, id eſt, quod illi minus fecerũt, vos implete. Illi ſeruos occiderunt, vos interficite dominum. Illi prophetas, vos illum qui prædictus eſt per prophetas. Quod non præcipiendo dixiſſe intelligitur, ſed potius prænunciando rem futuram, quæ iam ipſius præſcientia certiſſimè tenebatur. Quaſi verò aliquis eorũ, quibus loquebatur hæc, ad ſuprà dicta poſſet obiicere, quomodo Deus præciperet eos implere menſurã patrum ſuorum, cum tunc temporis prophetæ deeſſent, quos interficere potuiſſet, ſubiunxit (inquiens. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas.* Quidam *Act. 21.* doctores ita intelligunt, vt aliud prophetæ, aliud ſapiẽtes, aliud ſcribæ ſignificent. Prophetas ſiquidem poſt domini aſcenſionẽ inter apoſtolos ſpecialiter nouimus extitiſſe, qualis fuit Agabus, qui per ſpiritum ſanctum nunciauit futuram famem, *Act. 21.* Paulũmque Hieroſolymis eius cingulo vinculatum vaticinabatur eſſe catenãdum. Quales etiam extiterunt quatuor filiæ Philippi, qui fuit vnus ex ſeptem diaconibus, quæ prophetantes fuiſſe referuntur. Sapiẽtes quoque inter apoſtolos plures extitiſſe nõ dubium eſt, quos cõnumerare ſuperſedimus, ſiue diſtulimus. Scribæ quoque eis non defuere, vtpote Nicodemus, Gamaliel, & ipſe Paulus, qui ad pedes illius, ſacris literis eſt inſtructus. Verum fides ſanior eoſdem prophetas, quos ſapientes, & ſcribas intelligit Apoſtolos videlicet, ſucceſſoréſque eorum, qui prophetæ fuerunt, quia futura præmia electorũ, ac ſupplicia reproborum præſago animo & prouiderunt, & prædixerunt, quamuis etiam de multis rebus futuris temporaliter quoque eos prophetaſſe legimus. Idem deniq; ſapientes fuerunt, quia tempus opportunum ſciebant, quando verbum prædicationis ſuis auditoribus proferre debebant. Iidem etiam ſcribæ extiterunt, quia legem domini ſpecialiter in cordibus ſuis ſcriptam continuerunt, de qualibus alibi dominus dicit: Omnis ſcriba doctus in regno, &c. De his ergo poſt aſcenſionem domini plurimi ad Iudæos miſſi ſunt prædicare, è quibus occiderũt Ia- *Act. 12.* cobum, Petrum crucifixerunt, Stephanum lapida- *Act. 7.* uerũt, cuius hodie natalitia celebramus. Alterum quoque Iacobum ſimili interitu peremerunt, ac cũctos apoſtolos, vt in actis eorum legitur, flagellis ceciderunt, & perſecuti ſunt eos, donec relictis illis, ad gentes tranſmigrarent, iuxta quod Apoſtolus ait: Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei, ſed quia repuliſtis illud, ecce cõuertimur ad gentes. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terrã à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ quem occidiſtis inter templum, & altare.* Quæritur à doctoribus: Cur omnis ſanguis ſanctorum ab Abel vſque ad Zach. ſuper *2.Par. 24.* vnam gentem Iudæorum venire dicatur, cum illa generatio, cui dominus hoc loquebatur, neutrum eorum occidere potuerit. Et certè multos tam in veteri teſtamento quam in nouo martyrea extitiſſe legimus, qui à gentilibus & non Iudæis ſunt interempti. Ad quod dicendum eſt, quia mos eſt ſacri eloquij, vt totam huius mundi vniuerſitatem in duas generationes partiatur, quarum vnam dicit eſſe bonorum, alteram malorum. De bonorum generatione ſcriptum habemus. Generatio rectorum benedicetur. Et hæc eſt generatio quærentium dominum. Et qui non ex ſanguinibus, ſed ex *Pſal. 111.* Deo nati ſunt. At contrà de malorũ generatione *Ioan. 1.* ſcriptũ eſt, Genimina viperarũ. Et generatio praua, atque peruerſa, hæccine reddis domino, popule ſtulte, & inſipiens? Et gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Et væ genti peccatrici. *Matth. 3. Luca. 3. Pſal. 77. Deut. 32.* Multaque his ſimilia. Duas generationes B. Aug. *Eſaiæ 1.* ſub nomine duarum deſcribit ciuitatum: quarum vna, quæ appellatur Hieruſalem incipit ab Abel vſque ad vltimum electum in fine mundi naſciturum, & habet Regem Chriſtum. Altera, quę Babylon dicitur, inchoans à Cain tranſit vſque ad nouiſſimum reprobum, habétque regem diabolum. Omnes ergo, qui in malitia ſunt vniti, in illa generatione reproborũ numerantur. Econtra, omnes, qui ſe in bonitate æquiparant, in vna eadem ſimiliter electorum generatione computantur. Ecce ergo quòd omnis ſanguinis iuſtus idest vindicta ſanguinis iuſti, requirenda ſit ab hac generatione omnium reproborum: inter quos etiã illi numerantur, quibus hæc verba dominus loquebatur. Verum & id quærendum eſt, quis fuerit ille Zacharias filius Barachiæ, quem dominus hîc commemorat. Plures namque legimus hoc nomine vocitatos, vt illum, qui eſt penè vltimus in ordine duodecim prophetarum, & filius dicitur Barachię. Verùm quomodo inter templum, & altare occiſus ſit, non apparet, præſertim cum id tẽporis vix ruinæ ipſius templi ſubſtiterint, quod nuper à Caldæis penè fuit complanatum. Alij hũc Zachariam patrem Ioannis intelligunt, aiúntque illum à Iudæis inter templum, & altare occiſum, eò quòd domini natiuitatem auſus fuerit prædicare. Cuius rei aſſertio firma non habetur. Pleríque qui ſaniùs ſentiunt, hunc Zachariam eſſe autumãt, qui à Ioas rege Iudæ in lib. reg. & Paral. interfectus *4.Reg. 11. 2.Par. 24.* narratur. Cui & ſi locus conſentit occiſionis, tamen quærendum eſt cur Barachiæ, & non potiùs Ioiadæ filius dicatur, quem patrem habuiſſe in præfatis lib. legitur. Scriptum namque eſt. Non fuit recordatus Ioas patris Ioadæ quæ ſibi feciſſet bona, ſed interfecit filium eius, nulla cauſa iuſta exiſtente. Ad hoc tamẽ dicere poſſumus, vel quòd Binominus fuerit, vt multos ſanctorum in veteri, ac nouo teſtamento binis nominibus appellatos inuenimus. Vel certè quòd Ioiada interpretatur iuſtitia Dei, & Barachias benedictio domini. Nihil obſtat, vt is, qui iuſtitiam domini perfectè cuſtodiebat, benedictus etiã domini appelletur. Quod ſiue alio modo ſit intelligendum, id tamẽ mouet, cur à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinẽ Zachariæ dicat ſanguinem omnium iuſtorum à praua generatione requirendum. De Abel enim quę-

 ſtio

ſtio nulla eſt, quòd ille martyr priùs effectus fuerit. De Zacharia verò valde quærendum eſt, poſt quem multi martyres in populo Iudæorum extitiſſe leguntur quales fuerunt Machabæi, quales & ipſi pueri, qui in ipſo primordio natiuitatis domini pro eodem ſunt iugulati. Sed hæc quæſtio ſoluitur, quòd per duos homines, duo martyrum ordines deſignentur. Per Abel quidem, qui paſtor fuit, & in campo fuit occiſus, deſignantur hi, qui de laicali habitu ad martyrium rapi meruerunt. Per Zachariam verò, qui ſacerdos extitit, & in templo lapidatus eſt, intelliguntur, qui ſacerdotali, vel clericali dignitate ad martyrij gloriam in vtroque ſexu, vel in vtroque populo prouecti ſunt. Et quare hi duo tantum ponuntur: nimirum propter piaculi æqualitatem, vterque namque ſimili iniuſtitia interemptus eſt. Ille à fratre inuido, iſte à rege ingrato. Quæri tamen poteſt cur tam ipſe dominus in Euang. quam Apoſtolus in epiſtolis ſuis Abel ſpeciali iuſtitiæ titulo exornent, vbique illum iuſtum appellantes. Ad quod dicendum, quòd tantus martyr qui Dei filium in tribus ſpecialibus, & præcipuis virtutibus præfiguraret, conuenienter tanto myſterio decoretur, fuit enim ſacerdos, virgo, & martyr. In quo eius typum geſſit, qui eſt flos virginitatis, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui martyr pro nobis fieri, fuſo in cruce ſanguine, dignatus eſt. Quod verò dicit de Zacharias *quem occidiſtis inter templum, & altare*, conſyderandum eſt, quod altare hic accipere debeamus. Duo ſiquidem altaria erant in templo domini. Vnum holocauſtorum exterius, quod erat æneum, alterũ interius incenſi, quod erat totum aureum. Magis autem hoc ita accipere debemus, vt intelligamus Zachariam inter templum interius & altare holocauſtorum exterius, fuiſſe occiſum. Vel ſi figurate accipere volumus, per templum populus, per altare ſacerdotes deſignantur. Inter cõſenſum ergo populi & ſacerdotum, quaſi inter templum & altare Zacharias interfectus eſt. Ipſi enim in hoc
Math.4. probantur morti illius conſenſiſſe, quòd regem ab hac temeritate nõ prohibuerunt, *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*, id eſt, ſuper generationem peſſimam, omnium reproborum. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Prędicens dominus ſuperuenturam captiuitatem & euerſionem impię ciuitati propter interfectionem Chriſti, & prophetarum, vicinum eius interitum plangens deplorat affectu dicens: Hieruſalem Hieruſalem quę occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Non autem ædificia ciuitatis plauxiſſe credendum eſt, ſed vt per id, quod continet, id, quod continetur intelligamus, populi ruinam cõdoluit, quam è proximo à Romanis principibus erat paſſurus. *Quæ occidis prophetas* (inquit) Multos Prophetarũ à Iudæis diuerſis mortibus legimus interemptos. Secuerunt Eſaiã ſerra lignea viuum: vel quia eos principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ vocauerat, vel quoniam Deum Sabaoth ſuper ſolium excelſum, & eleuatum ſe vidiſſe dixerat. Amos quoque prophetam aduentũ domini prædicantẽ, & populum pro ſuis ſceleribus increpantem, tranſmiſſo ferreo vecte per tempora, necauerunt. Michęam nihilominus impij fugientẽ ipſum
3 Reg. 21. in Ægyptum perſecuti ſunt, ibique eum occiderunt. Lapidauerunt in Ægypto Hiere. & Ezech. in Babylone. Naboth quoque, & reliquos, quos longum eſt memorare, quorum interitum Pſal. præuidens, dicebat in ſpiritu. Effuderunt ſanguinem ſanctorum tuorum, tanquam in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeliret. *Pſal. 78.* *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Quotiẽs hic pro ſæpe, id eſt frequẽter accipitur. Mirũ ſanè eſt quòd dominus dicit. Volui congregare filios tuos & noluiſti, cum vtique de illo ſcriptum ſit. Omnia quęcũque voluit, fecit. Hoc ideo dictum eſt, quia vnicuique hominum liberum arbitriũ à Deo tribuitur. *Liberum hominis arbitrium aſſeritur.* Acſi diceret: volui ex mea parte, ſed noluiſti ex tua, ſed licet Iudæa filios ſuos à Chriſto colligi noluerit, dominus etiã ipſa nolẽte, quoſcũque voluit ex ea collegit, quia in cælo & in terra, non quædã voluit, & fecit, quædam voluit, & non fecit: ſed omnia, quæ voluit, fecit: quòd autem Iudęi filios ſuos à Chriſto colligi noluerint, plurima Euangelij loca teſtantur: è quibus vnum eſt, quod Iudæi inuidentes domino dicebant: Ecce mundus totus poſt eum vadit, & ſi dimittimus eum ſic, omnes credẽt in eum. *Ioan. 12* Propter quod etiam ſtatuerũt, vt, quicunque eum Chriſtum eſſe diceret, extra ſynagogam pelleretur. *Ioan. 9.* *Quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas.* Notanda ſane comparatio, quòd dominus ſeipſum in hoc loco gallinæ comparare dignatur. Quod genus volucris vltra omnia volatilia in filios ſuos magnum dilectionis impẽdit affectum, adeò vt pro illis infirmetur, ſuáque ægritudinem raucitate vocis exprimat. Solent etiam gallinę pro pullis ſuis contra miluũ ex æquo pugnare. Quod vt ad myſterium inflectamus gallina eſt mater noſtra Dei ſapientia quæ eſt Chriſtus, qui tanto affectu erga nos quos creauerat, ductus eſt, vt pro nobis infirmaretur, nõ ſolum corpus mortale accipiendo, ſed etiam moriendo, quæ etiam mater noſtra quotidie alis, id eſt, protectionibus ſuis nos fouens, contra diabolum pro nobis pugnat qui deſignatur per miluum, ne nos in æternum interitum rapiat. Cui in Pſal. cantamus: Cuſtodi me vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me. *Pſal. 16.* Pulchre quoque ſe hic gallinę comparat, qui Herodem alibi vulpẽ appellat, dicens: Ite, dicite vulpi illi, id eſt, Herodi. *Matth. 13.* Quẽadmodum vulpes pullis inſidiatur, ita Herodes domino Ieſu Chriſto iuges prætendebat inſidias, vt eum morti traderet. *Luc 13* Vnde & in paſſione illius ſpreuit eum, veſtéque alba indutum remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt in ipſa die amici, qui antè diſcordabant. *Sub alas ſuas.* Si autẽ gallinam dominum Ieſum Chriſtum intelligimus, quid alas illius gallinæ eſſe dicemus? Nihil congruentiùs quàm aut Moſen aut Aaron, per quos Iudaicus populus de Ægypto eſt eductus. Aut certe Eſdrã & Neemiã, quibus pręſidentibus captiuitatem Babylonię euadere meruerunt. *Eſd. 1 &* Sub talibus alis omnipotentes Deus Hieroſolymitarum & Iſraelitarum populum congregare, & protegere materno affectu voluit, ſed illi ſalutis ſuæ ſemper immemores fuerunt, vt non ſolum propheta, ſed etiam ipſum filium Dei nequiſſime tradetẽt interfectioni. Vndè beatus Stephanus eoſdem ita alloquens increpabat: Dura ceruice, & incircumciſi corde, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. *Actu. 7* Et paulò poſt, quem prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? Et occiderũt eos, qui prenũciabat de aduẽtu iuſti. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Domu Iudęorum

benius

tũ vel Hieruſalẽ, vel tẽplum in ea conſtructũ debemus accipere, quæ domus primum à Deo quidem, qui eam custodiebat, derelicta eſt. Vnde & in templo voces angelorum auditæ leguntur dicentium: Transeamus ab his ſedibus. Deinde verò propter peccatum dominicæ paſſionis vaſtãtibus Romanis a proprijs habitatoribus eſt deſerta, & ita deſtructa vt non relinqueretur lapis ſuper lapidem. Factum eſt igitur Dei iudicio, vt qui alis huius gallinæ protegi deſpexerunt, à regibus gentium, tanquam à vulpibus deuotarẽtur, & eorum domus tanquam nidus vacuus diriperetur. Quam miſeri propheta Hieremias longè antè præuidens deflebat, dicens: Propterea mœſtum factum eſt cor noſtrũ in dolore, ideo obtenebrati ſunt oculi noſtri propter mõtem Sion, quia diſperiit, vulpes ambulauerunt in eo, id eſt, reges gentiũ. Itemque alibi dominus per eundem prophetam loquitur, dicens: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, facta eſt hæreditas mea quaſi ſpelunca Hienæ: quæ eſt beſtia humanis carnibus veſcẽs, & effodiens ea de ſepulchris. *Dico enim vobis, non me videbitis ammodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine domini.* Hæc verba ſi ad literam accipiantur, maximam difficultatem habent. Legimus poſtquàm dominus hoc dixit Iudæis, ſæpe illum ab eis viſum, nunquam tamen poſteà in laudem illius ab eodem populo legimus decantatum. Benedictus, qui venit in nomine domini. Et certè illud, quod in euangelio leguntur turbæ clamaſſe: Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini, ita factum erat, quando hoc prædicebat. Proinde ſpiritualiter hæc verba domini intelligenda, atque exponenda ſunt. *Ammodo*, inquam, id eſt, ab hoc tempore meæ paſſionis *non me videbitis*, hoc eſt, deitatem meam non intelligetis, *donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.* Hoc autem non ante finem mũdi, ſed circa ipſum terminum mundi adimplebitur, ſcilicet quando Iudæi ad vitam æternam prædeſtinati, prædicante Helia, & Enoch, cæteriſque doctoribus gẽtium relicta paterna perfidia fidem Chriſti recepturi ſunt, iuxta quod egregius prædicator dicit: Cùm plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. Tunc itaque, id eſt, cum in Chriſtum crediderint, fatebuntur illum benedictum, in nomine patris veniſſe. Fatebuntur autem hoc corde, ore, & opere. Nam in cogitationibus ſuis & ſermonibus atque operibus dominum Ieſum Chriſtum declarabunt, qui in nomine domini, hoc eſt, vice domini patris genus humanum venit ſaluare. Habent igitur Iudæi tempus pœnitentiæ ſibi conceſſum, & ſi in Chriſtum credere voluerint, videbunt illum, hoc eſt, intelligent maieſtatem illius quomodo ſcilicet pater manet in filio, filius in patre, & ſpiritus ſanctus procedit ab vtroque.
Rom. 14. Et quomodo in his tribus perſonis vna eſt ſubſtantia, vnáque deitas, vna poteſtas. Et quomodo de Maria virgine natus, paſſus, crucifixus fuerit, & ſepultus, & tertia die reſurrexit à mortuis, atque in cælum aſcendens ad iudicandum genus humanum quando venturus ſit.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem *Euangelij expoſitio.*

I*Deo ecce ego mitto ad vos ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis. Ideo*, ſubaudiunt dico vobis. Quia vos ita eſtis facturi. Mittam ad vos ſapientes & ſcribas doctos in lege veteri & in noua. *Et ex illis occidetis*: vt Iacobum fratrem domini, & Stephanum. *Et crucifigetis*: vt Simonem filium Cleophe Hieroſolymorum epiſcopum. *Et ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris.* Vt omnes apoſtolos feciſtis: quando ibant à conſpectu concilij gaudentes. *Et perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.* Non omnes iuſtos Iudæi interfecerunt: quia nec erant, quando Abel occiſus eſt. Sed ſicut iam dixi, omnes mali de vna generatione eſſe dicuntur, ſicut & omnes iuſti de alia. Denique cum pſalmiſta multos de diuerſis gẽtibus deſcriberet, qui montem domini aſcenſuri eſſent dicens. Innocens manibus, & mundo corde: & reliqua. Hæc eſt generatio quærentium dominum. Similiter ergo Iudęi quia occiderunt parentes ſuos prophetas, de Cain progenie eſſe dicuntur: & cum ipſo pœnas ſubibunt æternas, qui fratrem ſuum interfecit. *A ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ.* De Abel nota eſt hiſtoria omnibus. Zacharias fuit filius Ioiadæ ſacerdotis. Qui Ioiada accepit Ioas paruulum infantem, cum interficeret Athalia regina ſemen regium, vt regnaret ipſa. Quia mortuus erat vir eius & filius eius & abſcondit ipſum Ioas per annos ſemptem. In ſeptimo anno eleuauit eum regem, & iuſſit occidere reginam. Igitur quando Ioiada vixit, fecit Ioas quę Deo erant placita. Cum autem Ioiada defunctus eſſet, accepit rex malos conſiliarios, & dereliquit Deum: & miſit ad eum dominus prophetas, & nõ audiuit eos. Tunc venit ad eum filius Ioiadæ iſte Zacharias: & dixit ad eum, ſicut ſcriptum eſt in libro Paralipomenon: Hæc dicit dominus. Quare tranſgredimini præceptum domini, quod vobis non proderit. & dereliquiſtis dominum, vt derelinqueret vos? Qui congregati aduerſus eum, miſerunt lapides iuxta regis imperium, in atrijs domus domini. Et non eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ, quam fecerat Ioiada pater ſuus ſecum, ſed interfecit filium eius. Qui cum moreretur ait. Videat Deus, & requirat. Cumq; reuolutus eſſet annus, aſcendit contra eũ exercitus Syriæ: venitque in Iudæam & Hieruſalem, & interfecit cunctos principes populi. Et cum perueniſſet modicus numerus Syrorum tradidit dominus in manus eorum infinitam multitudinem, eo quòd reliquiſſent dominum. In Ioas quoque ignominioſa exercuere iudicia: & abeuntes dimiſerunt eum in languoribus multis. Surrexerunt autem contra eum ſerui ſui, in vltionem ſanguinis filij Ioiadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lecto ſuo. Tali modo occiſus fuit iſte Zacharias inter templum, & altare: id eſt in vna exedra theſaurorum, ſiue iuxta Gazophylacium. Quod autem dominus filium Barachiæ eum nominat pro laude ipſius ſacerdotis facit: quæ per omnia Barachias ſtuduit eſſe: id eſt benedictus domini: hoc enim interpretatur. Notandum autem quod iſte Ioiadas cum eſſet ſummus pontifex, reginam iuſſit occidi. *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Ac ſi dicat. Venient hæc omnia, quæ digna ſunt venire ſuper talibus, qui talia fecerunt. *Hieruſalẽ quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Hieruſalẽ Hieruſalem* vocatiui caſus ſunt, quamuis indeclinabiles. Et nõ debet habere aſpirationem in capite: quia non poteſt aſpirari, quod in

in loco conſonantis eſt: nec apud græcos habet aſpirationem. Quaſi dicat: ò Hieruſalem, quæ occidis prophetas ad te miſſos, & lapidas: quia ego volui frequenter congregare filios tuos ſub alas meæ defenſionis: vt gallina congregat filios ſuos, & noluiſti. Ceſſaſti à malis operibus: etiam ipſi qui videbantur congregati diſpergentur. Et relinquetur domus veſtra, in qua vos habetis fiduciam, deſerta. Per Hieruſalem habitatores alloquitur: & eſt ſpecies metonymia, per hæc quod continetur oſtendens. *Quoties*, multoties, frequenter oſtendit quòd prophetas ipſe miſerit. *Quemadmodum gallina*. Magnam pietatem oſtendit ſe operatum erga populum Iudæorum, qui gallinæ infirmanti erga pullos ſuos ſe aſſimilat: quia nulla auis ſic infirmatur erga filios ſicut gallina: ita vt ſi pullos non videas, matrem tamen intelligas. Et nullus eſt qui poſſit Dei pietati comparari. Ipſe enim in ſula pietate ſua ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. *Ecce* aduerbium demonſtrantis: quia iam inſtabat tempus: quo erant ipſum occiſuri, & Dei cuſtodia ab eis receſſura, & illud templum in proximo contemnendum: & non poſt multum incendendum, & ciuitas delenda. Quod factum eſt quadrageſimo ſecundo anno poſt eius aſcenſionem in cælum. Et ante per Hieremiam, ex perſona domini dictum fuerat: Reliqui domum meam: dimiſi hæreditatem meam: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi ſpelunca hienæ. Hiena beſtia eſt, quæ ſemper in ſepulchris mortuorum habitare ſolet. Et huic beſtiæ comparantur rectè Iudæi: qui frequenter dominum derelinquebant & ad idola conuertebantur. De quibus ſcriptum eſt. Quia non eſt ſpiritus in ore eorum: ſimiles illis fiant qui faciunt ea. *Dico enim vobis: non me videbitis amodo donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine domini*. Ad hoc quod dixerat, *quoties volui congregare filios tuos*. Ad hoc reſpicit, non me videbitis erga vos in tali voluntate, vt velim congregare filios veſtros, donec agatis pœnitentiam: & cognoſcatis quia ego ſum, de quo dictum eſt in pſalmo: Benedictus qui venit. Adhuc ſunt in tali tenore. Veniet Enoch, & Helias, & cognoſcent: & tunc congregabuntur ſub alis, & ſub protectione domini. Nam aliter non poteſt bene intelligi iſte verſiculus: quia corporali ſpecie ad eos reuerſus eſt: quando paſcha celebrauit: & iterum quando ligatus adductus ad eſt crucifigendum.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.*

I*Deo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, &c.* Arguit illos mendacij, dicētes, quòd ſi fuiſſemus in diebus patrum, non occidiſſemus prophetas. Ecce enim ego, inquit, mittā prophetas, & ſapientes, & ſcribas, attamen vos illos occidetis. De Apoſtolis autem hæc dicit, quos ſpiritus ſanctus ſcribas fecit, hoc eſt doctores populi, & ſapientia omni, & prophetia ornauit. Emitto autem, inquit, declarans ſuæ deitatis poteſtatem. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus &c.* Super Iudæos illos, qui tunc erant, dicit, veniet omnis ſanguis iniuſte effuſus. Plus enim punientur, quàm patres ſui. Nam neque poſt tanta exempla emendati fuerunt. Sic enim & Lamech poſt Cain plus punitus Gen. 4.
fuit, quamuis non interemiſſet fratrem, eò quòd non fuiſſet ad exemplum Cain emēdatus. Veniet igitur, inquit, ſanguis ab Abel vſque ad Zachariam. Opportunè autem meminit Abelis. Sicut enim Abel propter inuidiam interemptus eſt, ita & Chriſtus occiſus eſt. Cuius autem Zachariæ hoc loco meminit? Alij dicunt illum fuiſſe vnum de duodecim prophetis, alij patrem præcurſoris domini. Habet enim ita narratio nobis tradita, quòd locus quidam in templo fuerit, in quo ſtabant virgines. Igitur quum eſſet pontifex, poſtquam Deipara peperiſſet Chriſtum, & ſtatuiſſet illam in eo loco, indignati ſunt contra eum Iudæi, & occiderunt eum, quòd cum virginibus collocaſſet mulierē, quæ pepererat. Non eſt enim mirabile, quòd etiam pater præcurſoris habuerit patrem Barachiam, & ſicut is, qui ex duodecim erat, dicatur Barachiæ filius. Veriſimile enim, quòd ſicut illi fuerunt cognomines, ita & patres ipſorum. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, &c.* Bis ponit nomen Hieruſalem, miſerans eius, & magna cum cōpaſſione eam reuocans. Expoſtulans enim cum ea, quaſi cum dilecta quadam, quæ diligentem cōtemnat, reſpondet inducturum ſe pœnam: vnde arguit illam quaſi ſanguinariam, & quòd ſæpius volente ſe miſereri eius, ipſa noluerit, ſed diabolū potius audierit, à quo diſperſa, & à veritate fuerit abducta, congregantem autem dominum non ſuſceperit. Nil enim ſic à Deo diſpergit, vt peccatum: & nihil ita ad Deum aggregat, vt virtus. Oſtendens autem miſericordiam, auis exemplum ponit. Idcirco quia noluiſtis, relinquo templum deſertū. Hoc loco diſcamus, quòd propter nos Deus & templa inhabitat: quòd ſi nos pœnitendi fuerimus, relinquuntur & templa. Non igitur me videbitis vſque ad ſecundum aduentum. tunc enim etiam nolentes eum adorabunt, & dicent, Benedictus qui venit. Poſthac autem, intellige, poſtquam crucifixus fuero, non enim de hora, qua hæc dicebat, loquitur: nam poſtea ſæpius viderunt: poſt crucifixionem autem nequaquam, donec inſtet aduentus eius.

ERICI IN EODEM FEſto, *Homilia.*

EVangelicæ huius lectionis intellectus, ſuperiori narrationi hærere videtur. Suprà ſiquidem redemptor noſter ſcribas, & phariſæos plurimis increpationibus obiurgaſſe, atque inter cętera dixiſſe perhibetur; Væ vobis ſcribæ, & phariſæi, qui ædificatis monumenta prophetarum, & dicitis; Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus in ſanguine prophetarum ſocij eorum. Atque poſt pauca: Et vos, inquit, implete menſurā patrum veſtrorum, quod eſt dicere; Quæ illi minùs fecerunt, vos ſupplete. Illi occiderunt ſeruos, vos Dominum crucifigite. Illi homines, vos Deum. Et quaſi ad hæc illi poſſent obiicere; Nō habemus modò prophetas, quos occidamus, adiungit; *Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem*. Prophetæ hic Apoſtoli appellantur, quia per donum ſpiritus ſancti futurorum

habebant notitiam. Ipſi ſunt ſapientes corde quia ſermonem proferre nouerunt in tempore opportuno. Ipſi ſcribæ, quia legem Dei ſcriptam habent per ſpiritum ſanctum in cordibus ſuis. Ex illis ergo occiderunt Iacobum fratrem Ioannis, & Actor. 12. ipſum Ioannem Baptiſtam, lapidauerunt Stepha- Matth. 14 num, crucifixerunt Petrum, flagellauerunt duodecim Apoſtolos, quando ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt hæc Act. 5. pro nomine Domini pati, & perſecuti ſunt eos de ciuitate in ciuitatem: vt nō recepti ab eis, iuſtè ad gentes migrarēt. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.* Requirēdum cur ſanguis omnium iuſtorum a ſanguine Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ, ab vna Iudæorum generatione requirendus prædicatur, cùm neutrum eorum conſtet ab illis occiſum. Et certè innumerabiles martyres tam in veteri quàm in nouo teſtamento legimus, quos illi non interfecerunt. Sed mos eſt ſcripturarum duas tantùm generationes, bonorum ſcilicet, & malorum texere. De bonorū Psal. 111. ſiquidem generatione dictū eſt; Generatio recto- Psal. 23. rum benedicetur. Et, Hæc eſt generatio quærentium Dominum. At contrà de reprobis dicitur; Genimina viperarum, & generatio praua, atque peruerſa. Vniuerſi ergo reprobi, qui in malitia ſi- Matth. 23. miles ſunt, in vna generatione computātur: & om- Deut. 32. nes ſancti è diuerſò, qui ſe in virtutibus imitantur, vna generatio eſſe dicuntur. Quærendum rurſus, quis ſit iſte Zacharias, qui occiſus inter templum, & altare memoratur. Et quidem alij iſtum Zachariam opinantur illum ipſum eſſe, qui in ordine prophetarum vndecimus ponitur. Sed licèt in eo patris nomen cōſentiat, quia ſcilicet filius Barachiæ cognominatur, tamē quomodò inter templum, & altare occiſus ſit, non apparet, præſertim cū temporibus illis vix ruinæ templi ſubſtiterint. Alij hunc Zachariam patrem Ioannis intellexerunt, aſſerētes quod proptereà à Iudæis occiſus ſit, quia aduentum Saluatoris prænunciauerit. Sed hunc nos Zachariam intelligimus ſine dubio, quem Ioas rex Iudæ inter templum, & altare in- Par. 24. terfecit, ſicut in Regum hiſtoria ſcriptum eſt; Et non eſt recordatus Ioas, inquit, patris eius Ioiadæ, ſed interfecit filium eius, qui ſe eripuerat de morte, & in templo ſeptem annis abſcondītè nutrierat. Sed quæritur, cur hic Barachiæ dicatur filius, cùm in præfata hiſtoria filius Ioiadæ aſſeratur? Quod ita ſoluitur: Barachias nanque benedictus domini dicitur, Ioiada iuſtitia interpretatur. Qui ergo iuſtitia plenus eſt, benedictus domini rectiſſimè poteſt appellari. Vnus ergo, idémque homo iuxta nominis interpretationem, & Ioiada, & Barachias æque poteſt intelligi. Potuit etiam fieri, vt ipſe Barachias binominis fuerit, & ſi altero nomine appellatus Ioiada, ſicut & Matthæus Euangeliſta vocatus eſt Leui. Item quærendum cur dixerit, *à ſanguine Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ*, a Iudæis ſanguinem prophetarum exquirendum. Cur enim, *à ſanguine Abel*, dixerit, mirum non eſt: cur verò, *vſque ad ſanguinem Zachariæ*, quærendum eſt, cùm multi poſt eū extiterint martyres. Ad quod dicendum, quòd per hos duos, quorum alter in campo, alter occiſus eſt in templo duo ordines martyrum deſignantur. Per Abel quidem, qui in campo occiditur, laici: per Zachariam verò, qui in templo necatur, ij, qui ex ſacerdotali dignitate ad martyrij prouecti ſunt palmam, figurantur. Ideò autem hos duos tantùm nominatim poſuit, quia ambo innocentes, & nulla iuſta cauſa exiſtēte, interfecti ſunt, ambo ſacerdotes, ambo paſtores, ille ouium, iſte animarum. Et ſicut ille interfectus eſt à fratre ſuo in agro, ita & iſte à conſobrino, & collactaneo ſuo in templo, *Quem occidiſtis*, inquit, *inter templum & altare*. Duo erant altaria in templo, vnū incenſi internus, alterum holocauſtorum externus, inter quod, & templum Zacharias eſt interemptus. Vel inter templum, & altare, id eſt, inter cōſenſum populi, & ſacerdotum: quorū alij per templum, alij per altare ſignantur. Poſtremò, quid eſt, quòd in Euangelio, vel Epiſtolis Abel ſpeciali teſtimonio iuſtitiæ honoratur? Profectò quia decebat illum priuilegio quodam tanto cognomine decorari, qui tribus præclaris virtutibus typum Chriſti in ſe excellentiſſimè prætulit. Fuit enim virgo, ſacerdos, & martyr. Inter tot, & tam varias opiniones de Zacharias quinam fuerit, quoniam ad liquidum veritas hiſtoriæ ſeruari non poteſt, recurrendum eſt ad allegoriam. Hic enim eſt vnicus exitus earum rerum, quæ in ſancto Euangelio dicta tantùm, non autem facta leguntur. Per Abel deſignantur omnes ſancti, qui fuerunt ab initio mundi vſque ad paſſionem Chriſti, & redemptionem humani generis, quod ipſa nominis interpretatio demonſtrat. Interpretatur enim luctus, vapor, funiculus, vel funiculatiō, ſignificans ſanctos paſſionem Domini præcedentes: qui conſiderantes ſe exules, & à paradiſi beatitudine deiectos, in luctu, & mœſtitia erant, & præſentem vitam tanquam fumidam & tranſitoriam contemnentes, ad ſortem & funiculum ſupernæ hæreditatis quātocyùs properabant. Zacharias verò ſignificat ſanctos a paſſione Domini vſque ad finem ſeculi. Interpretatur enim Zacharias memoria Domini, ſiue memoriās, vel recordās Domini, eoſdē ſignificans ſanctos, qui cōſiderantes ſe ſui Domini paſſione redemptos, eum ſemper in memoria habere, ac condignas gratiarum actiones illi agere ſtudent. Hic Zacharias occiſus eſt inter templum, & altare. Altare deſignat aram dominicæ crucis, in qua ſingularis ille agnus pro ſalute humani generis Deo patri oblatus eſt. Templum verò exprimit ingreſſum regni cæleſtis, ad quod omnes ſancti peracto iudicio, intraturi ſunt. Inter templum ergo, & altare paſſus eſſe dicitur, qui, vt dictū eſt, eos deſignat, qui à tempore dominicæ paſſionis vſq; ad ingreſſum regni cæleſtis vel paſſi, vel paſſuri ſunt. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Quòd nomen ciuitatis Hieruſalem in cognominando replicat, id eſt, repetit, non ſaxorum ruinam, ſed populi perditionem deplangit. *Quæ occidis*, inquit, *prophetas*, vt Eſaiam, quem ſerra lignea viuentem per medium ſecuerunt: & Amos, quem ſimiliter tranſmiſſo vecte per tempora, nefandiſſimè necauerunt: & cæteros, quos diuerſis, & penè innumerabilibus referuntur vexaſſe ſupplicijs. *Et lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*, vt Naboth iuſtum virum, & Hieremiam prophetam in Ægypto, ſicut 3. Reg. 21. Epiphanius Cyprius teſtatur. *Quoties volui congregare filios tuos*, id eſt, ſæpè volui, *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ponit gallinæ ſimilitudinem, quæ circa pullos tanta affectione ducitur, vt pro eis ipſa quoque infirmetur,

Extat enim liber de vita prophetarum.

ipſa

ipſa etiam raucitate vocis exprimente affectum *Luc.13.* magnæ compaſſionis. Qui ergo alibi Herodem vulpem vocat, rectè ſe hic gallinæ ſimilat. Vt enim vulpes gallinis vorandis iuges prætendit inſidias, ſic Herodes redemptoris noſtri necem ſitiens, perennibus odiis inſectando infeſtabat. Cuius ſæuitia inde potiſſimùm claret, quòd, cùm Pilatus ad *Luc.23.* eius iudicium Chriſtum Dominum miſiſſet, ille eum ſpreuit cum exercitu ſuo, & illuſit. Hoc etiam genus animantis, cui ſe redemptor noſter comparat, quod in cæteris difficiliùs inuenitur, alis ſuis pullos protegit, & contra miluum ſe erigit. Sic & *1.Cor.1.* mater noſtra, id eſt, Dei ſapientia, quę Chriſtus eſt, per carnis ſuſceptionem infirmata quodammodò pro nobis (ſicut Apoſtolus ait, Quod infirmum eſt *Ibidem.* Dei, fortius eſt hominibus) protegit infirmitatem noſtram, & reſiſtit diabolo, ne nos in interitū rapiat. In qua tamen defenſione quod gallina contra miluum conatur affectu, hoc aduerſùm diabolum perficit poteſtate. Si autem gallina per ſignificationē Deus intelligitur: duę alę eius Moyſes, & Aaron, qui eduxerunt populum de Aegypto: ſeu Zorobabel, vel Eſdras, & Neemias, ac Ieſus filius Ioſedech duces, qui eduxerunt eos de Babylone, & ſub quibus idem populus Iſraëliticus de diuerſis captiuitatibus eſt liberatus, vel congregatus. Quid autem eſt, quod dicit, *Quoties volui, & noluiſti?* Nunquid humana volūtas voluntati Dei præualet, cùm ſcriptum ſit; Omnia, quæcunq; voluit, *Pſal.134.* fecit? Ad hoc dicendum, quòd liberum arbitrium *Liberum arbitrium eſt in homine.* Deus homini contulit, propter quod dicit, *Volui, & noluiſti.* Ac ſi diceret; Ea mea parte volui, ſed tu ea tua noluiſti. Aliter; Ego quidē volui, & quod volui etiam te nolente feci. Illa ergo filios quidem ſuos ab illo colligi noluit, ſed ea quoq; nolente, filios eius collegit ipſe, quos voluit. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Domū Iudęorū, vel ciuitatē Hieruſalem, quam iuxta aliū Euangeliſtam nidum vocauerat: vel auguſtum in ea templum ſignificat, quod primùm quidem merito infidelitatis eorum à Deo deſertum eſt, clamantibus ange- *Hoc habetur apud Ioſephū in libro de bello Iudaico.* licis poteſtatibus; Trāſeamus ab his ſedibus: dein de in vindictam crucis dominicæ Romanis vaſtātibus, & tanquam vacuum nidum diripientibus, cunctis ſuis habitatoribus eſt deſtitutum. *Dico autem vobis, non me videbitis amodò donec dicatis; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc de futuro tempore, propinquante ad iudicium Dominū, dictum eſt, quando ad prædicationem Eliæ, & Enoch, Iudæi conuerſi ad fidem, Chriſtum Domine benedictum non voce tantùm, ſed & operibus proclamabunt. Nam poſtquàm hoc dominus dixit, non legimus Iudæos huiuſcemodi confeſſionem in eius laudem protuliſſe. Poſteà enim hoc dixit, quā intrauit in templum cum laudibus turbarum, hūc ipſum verſiculum in laudem Chriſti decantantiū. Habent igitur Iudæi tempus pœnitentiæ ſibi datum, vt, ſi voluerint confiteri Chriſtum Dei patris filium benedictum in nomine Domini, faciem illius intueri mereantur, id eſt, potentiam diuinitatis eius intellectualibus oculis cōſpicere, & ęqualem patri credere. Tunc autem benedictum illum in nomine patris proclamabunt, cùm prædicatione Eliæ, & Enoch percepta, vt dictum eſt, fidē eius recipient, & gloriam prædicabunt, impleto *Rom.11.* Apoſtoli vaticinio, Quia, cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Iſrael ſalua erit. His de lectione Euangelica, prout poſſe fuit, præmiſſis, nouerimus, quia beati Stephani primi martyris feſtiuitati, quam colimus, non ſolùm venerationem debemus, ſed & imitationem. Hunc enim primū Dominus Ieſus poſt ſuam paſſionē pro ſe pati voluit, cuius dilectionem etiam circa inimicos inuictam, nobis omnibus imitabilē reliquit. Sed hunc cur primum martyrem vocamus, ante quem, millia paruulorum paſſa fuiſſe pro redemptore nominis? Merito certè in nouo teſtamento primus martyr dicitur, quia primus omnium poſt Domini prædicationem, paſſionem, ac reſurrectionem, per effuſionem ſanguinis meruit palmam perſequi ſupernæ retributionis, atque ad coronam ſuo & nomini, & labori dedicatam pertingere, prǽſtāte eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

INCERTVS QVIDAM

ſub nomine Euſebij Emiſſeni in idem Euangelium.

SVperius in hoc Euangelio ſcribis, & phariſæis dominus, & Saluator noſter loquitur, dicens, Væ vobis, & ſcribæ & phariſæi, hypocritæ, qui ędificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis, Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Ita teſtimonium eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Væ (inquit) vobis, non quia ædificatis, & ornatis ſepulchra prophetarum, (hoc enim pietatis opus eſt:) ſed quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Filij quidem non tantum natura, quantum imitatione, & iniquitate. Sicut enim omnes boni dicuntur filij Abrahę, quia imitantur Abraham: ita omnes iniqui, iniquorum filij dicuntur, quia imitantur iniquos. Vnde & dominus his talibus ait, Si filij Abrahæ eſſetis, opera itaque Abrahæ faceretis. Væ igitur illis, quia non Abraham, non prophetarum, non iuſtorum filij ſunt, quia non eos imitantur: imò verò eorum filij ſunt, qui prophetas occiderunt, in omni malitia, & iniquitate eos imitantes. Dicunt præterea, ſi fuiſſent in diebus patrum ſuorum, non fuiſſent ſocij eorum in ſanguine prophetarum, quum valde illis nequiores non ſolum prophetas occiderunt, verùm etiam ipſum dominum prophetarum. Vnde & ſubditur, Et vos igitur implete menſuram patrum veſtrorum. Currite, feſtinate, vt vſque ad eorum iniquitates integram perfectamque menſuram perueniatis. Turpe eſt enim vt à patribus veſtris degeneretis, & minores ab illis nequitia inueniamini. Hoc autem ideo dicit, quia in ſua, ſuorúmque diſcipulorum nece iam nimium eos per inuidiam accenſos eſſe videbat. Hic autem loquutionis modus à grammaticis Ironia vocatur. Serpentes, genimina viperarum: quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Serpentes enim ſunt, quia callidi & venenoſi: genimina viperarum, quia cūctis iniquis iniquiores, cùm nec vxor viro, nec filij parentibus parcant. Qui vnque gehēnæ iudicium aliter fugere non poterunt, niſi matrem ſuam occiderent, ſicut ipſa quoque eorum patrem interfecit. Viperarum enim hæc natura dicitur eſſe, vt, quando fœmina cōcipit, maſculum interficiat: quando verò parit, ipſa nihilominus à filiis occidatur.

datur. Neque enim expectant, vt aſſueto naturæ ordine oriantur, ſed rupto matris vtero, violenter foras erumpunt. Vipera igitur, Synagoga: vir eius, Chriſtus. Venit Chriſtus ad Synagogam, venit ad vxorem ſuam, quam poſtquam ſuo ſemine imprægnauit, totámque Euangelicæ prædicationis ſementem in eam infudit, illa ſicut vipera, ſicut venenoſa & impia, contra eum aſſurgens, eũ interfecit, de cuius impio vtero filij eius erumpentes, eam occidunt, quoniam Iudæi ad fidem venientes, eam excommunicant, & damnant. Vnde Apoſtolus ait, Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, &c. Omnes enim hæreſes damnãt, quicumque, ab hæreſibus ad eccleſiam redeunt: ideo ecce *ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas.* Ideo (inquit) vt & vos impleatis mẽſuram patrum veſtrorum, *ego mitto ad vos prophetas, ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris.* Talis erat beatus Stephanus, de quo modò cùm legeretur, audiuimus, quia plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, diſputantes cum eo, & non poterant reſiſtere ſapientię, & ſpiritui qui loquebatur. Vnde & dominus ait, Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Sic igitur pugnabant ſancti, ſic eos dominus pugnare docuit: non armis pugnabant, ſed voce. Sic antè pugnauerat Gedeon, cuius prælium hæc omnia ſanctorum prælia ſignificauit. Gedeõ nanque cõtra Madianitas pugnaturus, his qui ſecum erãt, tubas & lampades parare iuſſit. Pręcepit autem vt intra lagunculas lampadas occultarent, & ſic ad pręlium profectus eſt. Nocte verò inimicorum caſtra ingreſſi, langũculis fractis tenentes tubas dextris, lampadas verò ſiniſtris, tubarum clangore & lampadarum ſplendore omnia circunquaque repleuerunt. Quibus hoſtes perterriti, fugere incipiunt, & quaſi inſani propriis gladiis magna ex parte ſe viciſſim interficiunt. Talibus igitur armis vicit Gedeon: talibus & ſancti martyres vincebãt. Quid enim per tubas, niſi pręd icatorum voces intelligimus? quid verò per lampadas, niſi miraculorum ſplendor figuratur? Lagunculæ verò vaſa fictilia ſunt, de terra formata, per quæ ſanctorum corpora figurantur, de limo terrę plaſmata: de quibus apoſtolus ait, Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Quoniam autẽ dominus dixerat, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: neque lagunculaxum fractionem, neque corporis paſſionem, ſancti martyres metuentes, ad omnia tormentorum genera parati erant. Vide igitur quàm bene ſibi conueniant prælium protomartyris Stephani, & prælium Gedeonis. Si enim per tubas prædicatorum voces ſignificãtur, tunc nimirum beatus Stephanus tuba ſonabat, quando incredulos Iudæos arguebat, & prædicabat. Quando verò prodigia & ſigna magna faciebat, tunc vtique lampadas manu tenebat. Maior eſt enim ſplẽdor miraculorum, quàm ſplendor ignis: & multò longius refulget miraculorum fama, quàm lampadarum flamma. Tunc autem Iudæi ſæuientes, & ad lapides currentes, protomartyris lagunculam fregerunt, quia eum lapidauerunt, & lapidibus interfecerunt. Vicit tamen beatus Stephanus, quoniam coronatus cælos aſcendit. Iudæi autem victi ſunt, quoniam poſt paucos annos deſtructa ciuitate, in captiuitatem deducti ſunt. Sequitur: *Et perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.* Apoſtoli enim, martyres, & doctores, prophetæ, ſapientes, & ſcribæ fuerunt: quos ad Iudæos, omnéſque mundi nationes prædicandas dominus miſit. Hos autem Iudæi occiderunt, crucifixerunt, flagellauerunt, & de ciuitate in ciuitatem perſequuti ſunt. Nemo enim Chriſtianorum vſquam occiſus eſt, qui eorum vel manibus, vel affectu non ſit occiſus. Vnde & omnium rei eſſe dicuntur, omniúmque iuſtorum ſanguis ſuper eos venire dominus ipſe teſtatur. Hoc autem ex quo, & vſquequo exponit, dicens, *A ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Cùm enim alibi ſcriptum ſit, quòd filius non portabit iniquitatem patris, ſed vnuſquiſque in peccato ſuo morietur, quid eſt, quod modò hic dicitur, quòd omnis ſanguis iuſtus veniet ſuper generationem iſtam? His enim verbis ſaluator noſter dicere videtur, quòd hæc impia generatio tãtam pœnam pro ſuo ſcelere patiatur, quãtam pateretur ſi omnium iuſtorum ſanguinem fudiſſet, qui ab Abel fuſus eſt vſque ad Zachariam. Et hoc meritò: Maius enim fuit Chriſtum occidere, eiúſque corpus (quod eſt Eccleſia) iniquo odio perſequi, quàm ſi omnium iuſtorum præcedentium ſanguinem fudiſſent. Zacharias autem Barachiæ filius nuſquam legitur fuiſſe occiſus. At verò Zacharias filius Ioiadæ in atrio templi legitur interfectus: inter templum & altare videlicet, quod ſub diuo erat, vbi hoſtiarum ſanguis fundebatur. Sed quare dixit, *vſque ad Zachariam*, & nõ potius vſque ad ſeipſum, vel vſque ad ſeculi conſummationem? Multorum enim iuſtorum ſanguinem Iudæi fuderunt, non ſolùm vſque ad Zachariam, verum etiam poſt Zachariam. Hæc igitur quia hiſtoriæ non conueniunt, ſpiritualis intelligentia quærenda eſt. Puto enim quòd dominus noſter ſeipſum Zachariam vocat, & præterito pro futuro vtitur. Interpretatur enim Zacharias, memoria domini. Sicut enim Chriſtus Ieſus dicitur verbum domini, ſermo domini, virtus & ſapientia domini: ſic etiam dicitur memoria domini. Et iſte quidem eſt Barachiæ filius, qui benedictus dominus interpretatur. Vnde & principi ſacerdotum ſe interroganti, an eſſet Chriſtus filius benedicti, reſpondit, ego ſum. Hunc autem occiderũt Iudæi inter templum, & altare, quoniam ibi Chriſti mortẽ inter ſe conſiliati ſunt. Neque enim aliter Iudæi Chriſtum dominum occiderunt, niſi conſiliando, accuſando, & damnãdo. Vnde ipſi quoque dicebant, Nobis non licet interficere quemquam. Quòd verò in atrio templi de eius morte conſilium habitum ſit, ipſe per Pſalmiſtam oſtendit, dicens, Aduerſus me exercebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. Sic igitur Zacharias filius Barachiæ inter templum & altare occiſus eſt. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ego (inquit) filios tuos multoties congregare, & malignorum ſpirituum incurſus deſuper & circa volantium defendere volui, ſicut gallina pullos ſuos congregat, & ſub alas ſuas eos abſcondit, ne ab importunis auibus ei ſubripiantur,

piantur,ſed noluiſti. Ego igitur volui, ſed ea conditione,ſi tu quoque voluiſſes. Quia ergo tu congregari, & ſaluari noluiſti: ego quoque iam nunc congregare,& ſaluare nolo. Vnde & dico, diſperge illos in virtute tua, & deſtrue eos, protector meus domine. Dominus enim qui poteſt, quæcunque vult, nullum alium ſaluare vult,niſi eum, qui vult ſaluari ab eo. Vnde & per prophetam ait, Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd ſi nolueritis, gladius deuorabit vos. Sicut enim manifeſtum eſt, quòd dominus non vult mortē peccatoris,ſed vt conuertatur& viuat: & ſicut manifeſtum eſt, quia neminem vult perire, ſed omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,ſic tamen,ſi crediderint, & baptizati fuerint,ſi de peccatis pœnitentiam egerint,& eius voluntatem fecerint: ita etiam manifeſtum eſt, quòd eos,qui neque credere,neque baptizari, neque pœnitentiam agere volunt, qui de bonitate Dei deſperant, & de gloria, quæ promittitur ſanctis,non curant, ſi in hac praua voluntate vſq; in finem perſeuerant, manifeſtum (inquam) eſt quia hos tales Deus ſaluare non vult. Quis enim dicere audeat, quòd eos ſaluare velit, qui ſaluari non poſſunt? Impoſſibile eſt enim ſine fide vel ſaluari, vel placere Deo. Vnde & quibuſdam dominus ait,Quò ego vado,vos non poteſtis venire. Nota quod ait, & conſidera, quare non poſſint. Quia in eum credere nolunt, ideo ad illam beatitudinem peruenire non poſſunt. Similiter autem & Ioannes euangeliſta ait,Propterea Iudæi credere non poterant, quia ſic de eis Eſaias prædixerat, Excæca cor populi huius, ne forte conuertantur, & ſanentur. Sed quare credere non poterant, niſi quia credere nolebant? Fides igitur in voluntate eſt. Si enim voluiſſent, & non potuiſſent, peccatum non habuiſſent. De his autem breuiter in commentario diximus, de quo iſta ſumpta ſunt: quæ qui non intelligit, hæc legat vt intelligat. Sequitur: *Ecce relinquetur vobis veſtra domus deſerta.* Sic & in pſalmis, Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Relictis enim Iudæis, in gentibus habitat dominus. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis benedictus qui venit in nomine domini.* Poſtquam (inquit) hac corporali præſentia, qua vobiſcum ad tempus conuerſatus ſum, vos relinquam,non me videbitis amodò,donec me iterum ad iudicium venientem melius cognoſcatis, ſimúlque & vna conſona voce omnes dicatis, *Benedictus qui venit in nomine domini.* Hoc eſt quod alibi ait, Viuo ego, dicit dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.

Nota liberum arbitrium.

Apparet hinc, authorē ſcripſiſſe iuſta commentaria in Matthæū.

PETRI DAMIANI SERmo de eodem feſto.

ADbuc filium virginis habemus in manibus, & obſecutoria delinitione vagientis Dei honoramus infantiam,ducit nos virgo ad veneranda cunabula, & ſpecioſa præ filiabus hominum ad ſpecioſum forma,præ filiis hominum benedicta inter mulieres, ad benedictum inter homines nos conducit, ſubmurmurat nobis in aurem (ne forte domus exaſperans audiat, & concitetur) reuelata eſſe velamina prophetarum, & completum conſilium Dei,videre miraculum matris Domini,quia creatura creat, & creator creatur. ſcintillat ſidus, Magus adorat,exultat, polus, tellus reſultat, glorian tur angeli, paſtores adgaudent. Virgo parit, naſcitur Deus, & cælorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris proſequuntur. In iſtis bonis verſamur, Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis; ſcio quia dulce vobis eſt. In principio erat verbum: dulcius,verbum caro factum: dulciſſimum, verbum in cruce ſuſpenſum. A tanto puerperio quis inſanus oculos ſuos amouere,nedum euellere præſumat,niſi ipſe iubeat, qui dicit; Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerūt? Ecce dum oſculatur nos oſculo oris ſui, dum tantis miraculis, & ſtupidos nos facit, & attentos, Stephanus plenus gratia, & fortitudine facit prodigia,& ſigna magna in populo.Nunquid æquum eſt derelinquere regem,& ad militem oculos retorquere? Nequaquam, niſi imperauerit Imperator. Surgit ipſe Rex filius regia,& lapidantium acies interrumpens,triumphatoris certamini, non ſine dolore cordis aſſiſtit. Videt opprimi primum & primicerium purpuratæ cohortis,& grandinata lapidum denſitate fontes ſanguinis de corpore protomartyris ebullire,videt quia vniuerſa debacchatio redundat in ipſum. & ipſi ſoli improperia exprobrantiū cumulatur; vbi pietas & miſericordia tua,domine,ſi non compateris patienti? Vbi,& æquitas,& iuſtitia,ſi non iudicas,& vindicas de populo lapidante? Curramus ad ſpectaculum,ad quod currit,qui exultat vt gigas ad currendam viam, & videamus,quibus armis armatus vexillifer martyrum in campum pugnaturus deſcendit;& vt diligentiùs eluceſcat ſingularis martyrij prima prærogatiua,reuocemus ad memoriam Apoſtolicorum actuum deſcriptionē, in quibus hiſtoricis, & ſignalibus dictis conuerſatio,& paſſio belligeri militis cōtinetur. Stephanus,inquiunt,plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia,& ſigna magna in populo. Non paruum latet hic myſterium,nec vilipēdenda ſimplicioris ſcripturæ manifeſta poſitio. Ad Virginem quippe loquens Archangelus verba de cæleſtibus ſcriniis ſumpta,nec alterius,niſi ipſius Dei Spiritu fabricata,noua ſalutatione perorat. Nulli dubium, quin omnium verborum excedant altitudinem, vtpote de melioribus diſciplinis ſancti Spiritus euoluta, quorum enunciatione cōfœderandum erat illud vnicum ſacramentum verbi, & hominis,diuinitatis, & carnis. Aue, inquit fortitudo Domini, gratia plena.Quid autem de Stephano? Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Non ne Lucas eiſdē penè literis de vtriſque loquitur? Sed licet longè excellentior modus in Virgine prædicitur,ſecundariò tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus ſublimiori genere quàm reliqua martyrum multitudo, plenus gratia,refertus videlicet,& cumulatus, quòd rarò in ſcripturis canonicis ſubtilis inquiſitor inueniet. Iūgitur gratię fortitudo,quia infuſo ſpiritu libertatis,ignitus animus in lucem veritatis erūpit, nec patitur vllo pacto rigorem iuſtitiæ vel ſubmitti aliquando,vel dimitti.Sic loricatus gratia, & haſta fortitudinis ſapiēter infrendens, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Ille poteſt ſigna, & prodigia facere,in quo gratia,& fortitudo ſedē fortiſſimam ſtatuerunt.Sic exit Stephanus ad homicidas,ad legis adulteros,ad crucifixores filij Dei patris;loquitur gēti peccatrici in Ægypto,populo graui iniquitate in deſerto, ſemini nequā in terra

promiſ

promiſſiones, ſibi ſceleratis in morte Saluatoris. Dura ceruice, inquit, & incircuncisi corde, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, &c. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, vt que ſatanæ, & vndique conglobantur, vel ad conuincendum, vel potius, vt dicendum, faciunt parietem vnũ; impietatis ſquamæ ſquama coniungitur, ſibilans ſibi ſerpens, & conuocantur in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Veniunt ſimul impii, vt veritatem expugnent; iſtud in ſancto perſidi, & vanitas ſpiritus humani. Et non poterant ſapientiæ & Spiritui, qui loquebatur, reſiſtere. Non volebant, quod carnalibus ineſt, & perſectorum, ſed non poterant, vbi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur. Redarguebantur, at, abieria cum omni fiducia. Fiducialiter agit, nec mutat, nec ſimulat mentem perterrita, quæ magis amat iuſtitiam, quàm vitam, fidem, quàm ſanguinem, mortem, quàm iuſtitiæ tacituritatem. Concurrentes rapiunt eum, adducunt in concilium, & gaudent eum intra ſua tabernacula concluſiſſe. Sed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorũ. Tunc vox liberior, & illorum coniburn ſermo exacuitur veritatis, totumque martyrem rapit ſibi Spiritus Dei, & ex eius ore ſoda orgæno modulatur. Apparet ex vna facies ſcripturarum, & veterum ſcriptorum diſpendia in compendioſam redigit breuitatẽ. Replicat promiſſiones, & beneficia Dei, murmurationes, & maleficia populi, bona præſtita, reddita mala, & ad extremum diuini ſanguinis exprobrat effuſionem. Vocat refractarios Spiritus, dura ceruice, incircũciſos corde, & auribus, & ſublimi voce homicidas, & proditores appellat. Non veretur conuenticula congregata de ſanguinibus, & inter manus quęrentiũ animã eius, deliberatione ruſtitę cauſam veritatis aſcendit. Diſſecantur cordibus, & ſtridens dentibus in eũ, concipiunt dolorẽ, & propè eſt at pariãt iniquitatem. Mirum quia nõ tenebantur ſuiſſet ſerenitate miraculi, quòd luminoſa propter martyris facies nõ reſeruat inſanos. Videbant, inquit, faciem eius tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos. Quid eſt, Iudæi? Lumine vultus Dei inſignitur glorioſus leuita, & vibrantis ſplendoris Stephanus ſerenatur, reuerberantur oculi veſtri, & tamẽ inuidiæ magnitudo, viſionis maieſtatem occludit. Reſpondeant mihi diuinorum voluminum expoſitores, vbi reuoluerint, hominẽ in terris poſitum, vultum Angelicum induiſſe, & cùm in vtriſque legibus vel rarò, vel nunquam inuenerint, aſſiſtant gloriæ triumphantis. Sequitur: Cùm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cęlum, vidit gloriam Dei, &c. Mirum dictu, & totius ſupergreſſio creaturæ. Intendit in cælum, videt iam nõ cælum, ſed cælos apertos, videt gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Mouet me hęc intentio, quę de cordis puritate reſulſa, viam facit cælis, & ad ipſius diuinitatis conſiſtorium, penetrat, & attingit. Cæli aperiuntur, gloria Dei videtur, Ieſus conſpicitur, ſtans non ſolùm à dextris Dei, ſed à dextris virtutis. Hanc intentionem fecerat abiectio mundi, contemptus ſui, cordis munditia, dilectio Dei, amor proximi, veritatis defenſio, deſiderium Chriſti tetorquenda eſſet, hæc omnia ad communes floſculos moralitatis, niſi eſſet excellentia martyris commendanda. Felices oculi, ſubtilis viſus, viſio glorioſa. Simulque ſignãter recollige poſitionem verborum. Plenus eſt Spiritu, & ſic intendit in cælum, quia qui Spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terreſtribus, cæleſtibus inhiat, & æternis. Poſthæc apertionem cæli, nullaque præualet obfirmatio, vel clauſura, quàm non emmoliatur, aut rumpat mens illa ſummæ menti affectanter inhærens. Aperiuntur ergo cæli, & puto quòd omnes cæli, continuam apertionem ſequantur viſio gloriæ Dei, & videtur Dominus Ieſus ſtans à dextris virtutis Dei. Nè Patre minor eſſe putetur, ſtat cũ ſtante, cũ bellante bellator, qualis ſpectator in lapidato. Non mediocris ſtupor inuoluit me, vtrum penitiores ſtos martyrũ corporeis, an incorporeis oculis iſta proſpexerit. Grande quidẽ miraculũ, ſed mẽſa his incuiuſmodi ſenſibus ſe immerſit arcanis, & mundi corde beati ſolent intueri viſionẽ. Quòd ſi corporalibus, certum eſt huius omne humanum genus diſparitate gloriæ præuolaſſe, & pœnis ſidereis, & virtutum, incorporea corporeis, & ſi non comprehendiſſe, apprehendiſſe tamen. Nihil audeo temere diffinire, vel ex abrupto præcipitato ſententiam, cùm hiuiuſmodi regulam me non legerim inuenſſe. Securius tamen ſequor Apoſtolum venerando ſpiritum Dei in Apoſtolo, qui cum ſumma verborum deliberatione magis ſe oſtẽt ambiguitate, quàm periculoſe diffinitione iſta commiſit. Siue, inquit, in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit. Exclamant autem clamore horribili, continent aures ſuas, & eas obſtruunt veritati. Impetum fecerunt vnanimiter in eum; facti amici in morte illius; & eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Eiicitur martyr extra ciuitatem ſanguinum, in qua prius iuſtitia habitauerat, nunc autem homicidæ, de qua dicit ſanctus Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Hæc eſt ciuitas, quam die, ac nocte circundat iniquitas, ciuitas caſtellum deſpectiuè vocata quod contra Apoſtolos, & Apoſtolorũ Dominum duriſſimis inſidebantis veſtibus eſt mancipata. Extra portam ciuitatis huius paſſus eſt Dominus, extra eam lapidatur ſeruus exiens ad eum extra caſtra, & portans ſimilitudinem improperij eius. Deponuntur veſtimenta martyris ad pedes perſecutoris, qui ad tactum ſacrarum veſtium, & orationibus lapidandi fuerat conuertendus. Et lapidabant, inquit, Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu accipe ſpiritum meũ. Currebant illi ad lapides, & ille ad preces; lapides lapidẽ percutiunt, ſed lapidẽ molliorẽ, de quo fluit oleũ charitatis, & tinnitus redditur pietatis. Domine Ieſu, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. Rogat ſuſcipi ſpiritũ ſuum, ſpiritũ vtique, & ſpiritũ illum, quem ſignãter quaſi quoddam tertium Apoſtolus in homine præcipit conſeruari. Vt integer, inquit, anima, & ſpiritus, & corpus in diem domini ſine querela ſeruetur. O quanta pietas, quantus affectus, & quam denſiſſimæ charitatis integritas. Rectè martyri dicenti ſe ſibi prætendere, in quo ſingularitudo omnium pendentis in Cruce, mirabilibus formulis eſt impreſſa. In ligno enim ſpinis, clauis, lancea affixus, & crucifixus, diſſimulat illum vnicum dolorem, & obliuiſcitur mortis vicinæ, nouum introductus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertioti campo terminos traditæ legis amplificat, nõ iam ſolùm amicus amicis, ſed velint, nolint, amicus pariter inimicis. Pater, inquit, ignoſce illis,

HH quia

quia neſciunt quid faciunt. Non potuit eſſe ineſficax oratio morientis, vnde & inimicorum numeroſitas ad numerum amicorum tranſiuit. Vide quàm recto curſu Stephanus, etſi non æquat, ſequitur tamen Redemptorem. Volat ſaxorum imber, & fortiſſimus inuidorum manibus loca vulnerum duplicantur, ſed patienter patitur coronatus noſter, de corona nominis ad æternam regni minus transferendus. Neſcit affectum carnis, & mortis horam ignorat; & vide quid deliberet faciendum. Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt, quid faciunt. Clamat voce magna, quia magna vtique charitate: poſitis genibus, quia vera, & humili ſimplicitate. Pro ſe orans ſtat, & exigentes pro lapidantibus flectit genua. Quis audiuit vnquam talem, & quis vidit huic ſimilem? Plus dolet perſequentium peccata, quàm ſua vulnera, illorum iniquitatem, quàm ſuam mortem. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in domino. Felix ſomnus cùm requie, requies cum voluptate, voluptas cum ſacietate, ſacietas cum ſecuritate, ſecuritas cum æternitate. Obdormiuit, inquit, in domino, abſorptus in charitatis abyſſum, & inter Dei ſui brachia requieſcens. Sedebat à dextris Dei dominus Ieſus; ſed primo martyri martyrum caput. Recolatis quid illa Eccleſiæ lingua, Auguſtinum loquor, de hoc martyre ſenſerit, quem poſt mortem ſeptem mortuos aſſerit ſuſcitaſſe? Eia vos, qui Leuitico ordine præfulgetis, cantate huic canticum nouum, & tantæ feſtiuitati feſtiuis vocibus incumbite. Fortaſſis aderit canentibus, & ſuggeret de nobis domino ſuo, iudici noſtro: Ne ſtatuas illis aliquid ad peccatum: qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

PRopter hoc, ecce ego mitto ad vos prophetas, &c.* Propter hoc: propter quid? Quia impleturi eſtis menſuram malitiæ patrum veſtrorum. *Mitto* autem dixit, oſtendens diuinitatis dignitatem. Prophetas autem, & ſapientes, ac ſcribas dicit Apoſtolos, & qui eos ſequuti ſunt, paſtores, ac doctores eccleſiarum, vtpote dignos habitos propheticæ gratia, & quaſi ab eo edoctos, & tanquam ſcripturam intelligentes. Quod autem dicitur, *ex illis*: ſignificat quòd non omnes occiſuri erant, neque omnes flagellaturi. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis, &c.* Sanguinem, intellige ſanguinis ſiue cædis condemnationem. *Vt veniat* inquit, ſuper vos condemnatio cuiuſlibet iuſti ſanguinis, qui effuſus eſt ſuper terram. Lucas autem dixit; Vt exquiratur ſanguis omnium prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mũdi à generatione iſta. Docet autem quidam tremendum ſermo iſte. Qui enim peccatorum nouit pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus eſt, vt ab eo exigãtur omnium ſupplicia, hoc eſt, pro vnoquoque pœnam luat: eo quòd exemplo eius ſeſe non refrenauerit. Et ex illis occidetis inquit, vt expetatur à vobis vltio cuiuſlibet cædis, quæ prius contra iuſtos fuerat perpetrata. Audierat enim, quòd Cain ſeptem ſupplicijs dignus fuerat: Lamech vero ſeptuagintaſeptiẽ, eo q̃ ſeſe non refrenaſſet exẽplo. Dictionem autẽ ὅπως vt, aiunt quidã, non capi cauſaliter, ſed vt ſignificet id quod futurũ eſt. *A ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinẽ, &c.* Opportune Abel meminit, oſtendens quòd etiam cædes illius per inuidiã perpetrata eſt. Zachariam autem quidam dicunt eum, qui fuit vnus duodecim prophetarum: quidam vero eum, qui filius Ioiadæ dicebatur, qui etiam Zacharias appellabatur. Plures autem patrem Baptiſtæ. Scribunt enim ſe accepiſſe à patrũ traditione: quæ citra ſcripturam per manus peruenit ad poſteros (quę traditionum genera ἄγραφα nominantur) quòd erat in templo locus virginibus deſtinatus: à quo ſtantem quondam in eo Dei matrem poſt partum, non eiecit, dicens virginem eſſe, & ideo occiſus eſt inter templum, & altare exterius. *Amen dico vobis, venient omnia hæc, &c.* Quia timore gehennæ, quæ eis impendebat, eo quòd ventura eſſet, hos non commouebat, exterret, ac propulſat eos calamitatibus, quæ non longe poſt futurę erant: ideo confirmat, quod etiam ventura ſunt omnia hæc, videlicet, quæ miſerrimæ ſunt vltionis, ſuper generationem iſtam, ſiue ſuper hos ipſos. Sub Veſpaſiano enim, & Tito apprehenderunt eos, quæ à Romanis prouenere, mala. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, &c.* Ad ciuitatẽ cõuertens ſermonem deplorat hanc. Reduplicatio autem appellationis, demonſtratio eſt miſerationis. Eius etenim miſeretur, vt quæ olim dilecta erat, nunc vero extrema paſſura eſt, propter iniquitates inhabitantium in ea. Conſequenter autem exprobrat ei, quòd interemerit prophetas, quos ipſe ad eam miſerat. *Quoties volui congregare filios tuos, &c.* Volui inquit, congregare filios tuos ſub mea protectione, quos peccata diſperſerant à diuina cuſtodia. Exemplo autem gallinæ ſuum in Iudæos amorem oſtendit. Quidam autem ſermonem intelligunt de Iudæis per varias regiones diſperſis ſub prioribus captiuitatibus. *Et noluiſtis*; me non recipientes, ſed perſequentes & occidere feſtinantes. Ad ciuitatis habitatores rurſus ſermonem conuertit. *Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta.* Domus veſtra ſiue templum deſertum vobis relinquitur ab inhabitante in ea diuina gratia. Hoc autem domus illorum erat vt pote in ciuitate eorum ædificatum. *Dico enim vobis, nequaquam me poſthac videbitis donec, &c.* Et quando hoc dictum ſimile? Volentes quidem nunquam; nolentes autem tempore ſecundi aduentus eius, quando venturus eſt cum poteſtate, & gloria magna: quando eis nulla erit vtilitas cognitionis. Amantis vero dictum eſt, nequaquam me poſthac videbitis: Vehementer ſiquidem amabat, verum deſpiciebatur, & idcirco maxime dolebat. Poſthac autem dicens non ſolum tempus illud ſignificauit, ſed totũ vſque ad paſſionis tempus, poſt quod amplius non viderunt eum, quanquam enim viſus eſt quibuſdam poſt reſurrectionem, at non infidelibus Iudæis quod vero additur, *Benedictus qui venit in nomine domini*, Dauidicum eſt.

Gen. 4.

Pſal. 117

IN FESTO S. IOANNIS APOST. ET EVANGELISTAE.

IOAN. 21.

a Quaſi dicat ne timeas mori pro me, cum ego prius pro te.
IN illo tempore dixit Ieſus Petro, [a] Sequere me. Conuerſus Petrus
b Commendat priuilegium amoris ſui. c Commendat veritatem euangelij.
vidit illum diſcipulum, [b] quem diligebat Ieſus ſequentem: [c] qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: domine, hic
d Specialiter enim domino cum viſitante placidam accepit carnis abſolutionem.
autem quid? Dicit ei Ieſus: [d] Sic eum volo manere, donec veniam. Quid ad te?
e In crucis paſſione. f Ex prædictis hoc intellexerunt, & quod non eſſet ita intelligendum ipſe Ioannes admonet.
[e] Tu me ſequere. Exiit ergo ſermo inter fratres, [f] quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus, nõ moritur, ſed ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc. Et ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

ET *cum hoc dix.* His dictis cœpit Ieſus abire, & nondum intellecto quod audiuit: ſequere me: cœpit Petrus inceſſu pedum ſequi, ſecutus eſt & Ioannes qui ſciebat ſe diligi. *Quem dilig.* Diligebat & alios, ſed familiarius iſtum donauit potiore dulcedine ſui amoris, quia virgo electus ab ipſo, virgo permanſit, vnde & matrem ei commendauit. Augu. Tacito nomine diſcernitur Ioannes à cæteris, non quòd ſolum eum, ſed plus cæteris diligeret eum. Huius maioris dilectionis eſt indicium, quòd ſolus ſupra pectus Ieſu recubuit. Porrò Petrus plus dilexit Chriſtum, vt ipſe ſciens interrogat, qui dicit: Diligis me plus his? Videtur ergo melior, qui plus quã qui minus diligit Chriſtum. Item videtur melior, qui plus quam qui minus diligitur à Chriſto, vt anteponitur Ioannes Petro. Quod ſi conferendo ad inuicem quæritur, quis de duobus melior eſt. An qui minus diligit Chriſtum, & ab eo plus diligitur, an quem minus diligit Chriſtus, cum ipſe plus eum diligat? Dubia eſt reſponſio. Videtur quidem, qui plus diligit Chriſtum, melior. Quem plus diligit Chriſtus, felicior. Et eſt manifeſta miſericordia, ſed occulta iuſtitia minus diligentis eum à quo plus diligitur, & plus eum, à quo minus diligitur. Sed per iſtos duos commendat duas vitas eccleſiæ, de quibus myſticè loquitur. Vna eſt per fidem, altera per ſpeciem. Hæc agitur in corpore & peregrinatione, vbi beatitudo eſt tantum in ſpe, ſed miſeria præſto eſt de aduerſis & de peccatis. Illa eſt in immortalitate, vbi nihil mali ſed perfectio boni. Prior actiua ſignificatur per Petrum, qui eſt generalis perſona in petra Chriſto fundata. huic dicitur: Tu me ſequere, per imitationem perferendi temporalia mala, quæ terminabuntur cum ſeculo. Hic magis diligit Chriſtum, vt amando & ſequendo liberetur à malo: ſed ipſe minus hunc diligit qualis nunc eſt, & liberat ne ſemper talis ſit, & ob aliud non diligit, niſi vt ſaluet, & hinc transferat. Altera contemplatiua ſignificatur per Ioannem, cui dicitur: Sic eum volo manere. non dicit remanere, vel permanere: ſed expectare: quia non modo, ſed cum venerit Chriſtus implebitur. Quaſi dicat. Inchoata cõtemplatio maneat donec veniã, perficiẽda cum venero, vt ſit manifeſta plenitudo ſcientiæ. hanc autem plenè diligit Chriſtus, & ſeruat in æternum. In illa verò expectatione, quia nondum nouit futuram veritatem, homo minus diligit, & plus diliget, cum eum videbit ſicuti eſt. Quia verò vniuerſæ viæ domini ſunt mi- 1. Ioan. 3.
ſericordia & veritas, iuſtus in hac vita expertus Pſal. 24. b
vndique mala, plus diligit ex neceſſitate qua vrgetur: quia miſericordiam qua eſt liberandus à malis & quotidie poſcit & habet, & minus diligitur à miſericorde qui minus diligit miſerũ quam beatum. hic eſt Petrus plus amans & minus amatur. Quia verò iuſtus contemplationem veritatis quæ eſt futura, nondum nouit, minus diligit eam quam Petrus miſer miſericordiam, & in ipſa veritate beatus plenè diligetur à Chriſto, & hic eſt Ioannes minus amans, quam Petrus plus amatus. Et ſi hi duo apoſtoli ſinguli has duas vitas ſignificant, vtraque tamen vtrique conuenit ſicut & in omnibus ſanctis. Ad huius autem vitæ procelloſæ gubernaculum dantur claues ad liganda & ſoluenda peccata. Propter autem illam quietam Matth. 16. c
requiem ſuper pectus Ieſu diſcumbitur vnde bibitur veritas. Qui virgo eſt Ioannes conuenit fu- Matth. 22. c
turæ vitæ, vbi neque nubent neque nubentur. *Super pectus.* Col. 2. a
In pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcõditi, ſupra quod recubuit quem maiori cæteris ſapientiæ & ſcientiæ ſingu-

Vel aliter: Totum in hoc quòd dicit dominus Petro: Sequere me: cunctorum fidelium prælaturam ei inſtituit. Simul autem & ſequi intelligas hic imitationē in cunctis & verbis & operibus, oſtendit etiam affectionem ad ipſum: quia qui nobis aſtrictiores ſunt, hos ſequi nos volumus. Chryſo. Si verò dixerit quis, qualiter igitur Iacobus thronum aſſumpſit Hieroſolymorum? Illud vtique dicā, quoniam Petrus orbis terrarū inthronizauit magiſtrū. Sequitur: *Conuerſus Petrus, &c.* Nō ſine cauſa recolit illam accubationē, ſed vt oſtendat quantam Petrus habebat fiduciam poſt negationem. Qui enim in cœnatione audebat interrogare, ſed Ioanni interrogationem commiſit, huic & præpoſitura fratrum credita eſt: & non ſolùm non committit alteri interrogare quæ ad ipſum pertinent, ſed de reliquo ipſe pro aliis magiſtrum interrogat. Quia igitur magna ei prædixerat dominus, & orbem terrarum commiſerat, & martyrium prænūtiauerat: & amorem proteſtatus eſt ampliorem, volens & Ioannem communicatorem accipere, dixit: *Hic autem quid?* quaſi dicat. Nōne eadem nobiſcum veniet via? Valde enim Ioannem amabat Petrus, & per euangelium oſtenditur eorum colligatio, & in actibus apoſtolorum. Sic igitur nunc vicem reddit Petrus Ioanni. Æſtimans autem eū velle interrogare de ſeipſo, nec audere, ipſe pro eo ſuſcipit interrogationem. Quia verò debebāt orbis terrarum procurationem accipere, nec oportebat eos de reliquo ſibiinuicem eſſe coniunctos, quod eſſet damnum orbi terrarum, propterea dominus dicit ſecundum literam græcam: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* quaſi dicat. Opus tibi commiſſum attende & perfice, hūc verò ſi voluero manere hîc, quid ad te? Theo. Quod verò dicitur cum venero, quidam ſi intellexerunt, ac ſi diceret: Quouſque contra Iudæos qui me crucifixerunt veniam percutiens illos baculo Romanorum. Aiunt enim hunc apoſtolum vſque ad Veſpaſiani tempus cum Hieruſalem capienda erat in locis illis conuerſatum. Vel dicit: *Dum venero, id eſt,* dum hunc volēs dirigam ad prædicandum, te namque nunc dirigo ad orbis pontificatum. & in hoc ſequere me, ipſe verò maneat hîc, donec & eum educam ſicut te. Chry. Deinde euangeliſta diſcipulorum opinionem punit & corrigit, vt ſuprà dictum eſt. *Hic eſt diſcipulus qui teſtimonium perhibet de his, &c.* Chry. Quia ex multa certitudine ſcripſit Ioannes, non refutat ſuipſius teſtimonium in medium ferre. vnde dicit: *Hic eſt diſcipulus ille, &c.* Conſuetudo enim eſt, cum valde vera dicamus noſtrum teſtimonium non denegare, & multò magis ille qui ſpiritu ſancto ſcribebat. vnde & alij apoſtoli dicebant: Nos ſumus teſtes horum. Sequitur: *Et ſcribebat hæc.* Quod ipſe ſolus dicit: quia poſterior ad ſcribendum venit Chriſto monente: vnde & frequenter oſtendit Chriſti ad ſe amorem: occultè inſinuans cauſam ex qua ad ſcribendum proceſſit: & fide dignum faciens hūc ſermonem à ſua dignitate. Sequitur, *Et ſcimus quia verum, &c.* Omnibus enim aderat, & neque cum crucifigeretur, defuit: & mater ei commiſſa eſt, quæ ſunt ſigna amoris: & quod cum certitudine ſciat omnia.

S. IOAN. CHRYSOST.

Epiſcopi Conſtantinop. in ſuperius Euang. Hom.

Et quum hoc dixiſſet (inquit) *ei. Sequere me.* Quibus verbis iterum curam, & familiarem in eum affectum oſtendit. Quòd ſi quis percontaretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis accepit, reſponderem, hunc totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe. *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem: qui & recubuit in cœna &c.* Qua gratia recubitus illius meminit? Non abs re, ſed vt oſtendat Petri poſt negationem fiduciam: qui enim tunc non eſt auſus Ieſum interrogare, ſed id muneris alteri delegarat, hîc, commiſſa ſibi fratrum cura, non modò alteri vicem ſuam mādat, ſed & ipſe magiſtrū interrogat: & Ioannes quidem tacet, ipſe autem loquitur, præterea & ſuam in eum præ ſe fert dilectionem. Diligebat enim maiorem in modum Ioannem Petrus, quòd & ex ſequentibus apparet, & paſſim per euangelium, atque etiam in Actibus eorum vinculum demonſtratur. Nam, cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, quū vellet Petrus Ioannem ſocium, & collegam, inquit; *Hic autem quid?* Nunquid eandem viam aggredietur: & quemadmodum in cœna interrogare non auſus, Ioannem ſuffecit: ita nunc vicem reddit, arbitratus eum velle, ſed non audere de ſe ſciſcitari. Tum Chriſtus; *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Nā, cùm nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo diuidi vellet, oſtendens Chriſtus, quòd, quantauis eum dilectione proſequeretur, ſuam aſſequi non poſſet, inquit; *Si eum volo manere, quid ad te?* His verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curioſius præter diuinam voluntatem inueſtigādum. Nam, quum Petrus ſemper in huiuſmodi interrogationes feruentius proſiliret: ardorem eius feruorem retundens, quòd non ſit vlterius inquirendum, in hunc modum reſpondit. *Exijt ergo ſermo iſte inter diſcipulos, quòd ille non moritur. Et nō dixit ei Ieſus, &c.* Noli arbitrari, inquit, eodem modo me de vobis diſpoſuiſſe: hoc autem dixit, vt intempeſtiuum affectum, & conſuetudinis deſiderium tolleret. Quum autem eſſent orbis terrarum curam ſuſcepturi, ſimul amplius eſſe non oportebat: magnum enim fuiſſet mundo detrimentum, idcirco inquit; Opus ſuſcepiſti, id conſidera, perfice, labora, & te certaminibus expone. Quid ad te, ſi volo eum manere hic? tu officium tuum cura, & exequere. Tu autem hoc in loco euangeliſtę lenitatem intellige. Videns nanque diſcipulorum ſuſpicionem, corrigit eam, tanquàm quid dixerit, non intellexerint. *Non dixit,* inquit, *Ieſus, quia non moritur: ſed ſi volo eum manere. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibuit de his, &c.* Quid tandem præter aliorum morem, hic ſolus ſecundum de ſeipſo perhibet teſtimonium? Videtur enim auditoribus occurrere. Quænam hæc cauſa? Dicitur vltimus ſe ad ſcribendum diuina inſpiratione contuliſſe, ideo & ſuam dilectionem, & cauſam quare ad ſcribēdum venerit, frequenter oſtendit, ac meminit hinc ſibi fidem, comparans, quòd inde motus ſit. Et ſcio, inquit, quòd verum dico.

Ex Hom. 87. in Ioan.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponenſ. in ſuperius Euangelio Homil. 1.*

Tract. 124. in Ioan. NOn parua quæſtio eſt, cur Apoſtolo Petro quando ſe tertio manifeſtauit diſcipulis, dixerit Ieſus, *Sequere me*: de Apoſtolo autem Ioanne, *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Huic quæſtioni quantum dominus ipſe donauerit, ſiue pertractandæ, ſiue ſoluendæ, ſermonem nouiſſimum huius operis impendimus. Cum ergo prænunciaſſet dominus Petro, qua morte clarificaturus eſſet Deum, dicit ei, *Sequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit, Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autem quid? Dixit ei Ieſus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere. Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur: & non dixit ei Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere donec veniã, quid ad te?* Ecce quouſque in hoc Euangelio extenditur quæſtio, quæ ſua profunditate non mediocriter mentem ſcrutantis exercet. Cur enim dicitur Petro, *ſequere me*, nec dicitur cæteris, qui ſimul aderant, & profecto eum ſicut magiſtrum diſcipuli ſequebãtur. Sed ſi ad paſſionem intelligendum eſt, nunquid ſolus pro Chriſtiana veritate paſſus eſt Petrus? Nónne ibi erat in illis ſeptem alius filius Zebedæi frater Ioannis, qui poſt eius aſcenſionem ab Herode Acto. 12. manifeſtatur occiſus? Verum aliquis dixerit, quoniam Iacobus non eſt crucifixus, merito dictum eſt Petro, *ſequere me*, qui non ſolum mortem, ſed etiam mortem crucis ſicut Chriſtus expertus eſt. Sit hoc, ſi nihil aliud quod ſit conuenientius potuerit inueniri. Cur ergo de Ioanne dictum eſt, *ſic eum volo manere, donec veniã, quid ad te?* & repetitum eſt, *tu me ſequere?* Tanquã ille ideo non ſequeretur, quoniam eum manere voluit, donec veniat. Quis facile aliud dictum eſſe credat quàm quod fratres crediderant qui tunc aderãt, eo quòd ſcilicet non eſſet diſcipulus ille moriturus, ſed donec Ieſus veniret, iſte maneret in vita? Sed hanc opinionem Ioannes ipſe abſtulit, non hoc dixiſſe dominum aperta contradictione declarans. Cur enim ſubiungeret, *non dixit Ieſus non moritur*, niſi ne hominum cordibus quod falſum fuerat, inhæreret? Sed cui placet, adhuc reſiſtat & dicat verum eſſe quod ait Ioannes, non dixiſſe dominum quod diſcipulus ille non moritur, ſed hoc tamen ſignificatum eſſe talibus verbis, qualia eum dixiſſe narrauit, & aſſerat apoſtolum Ioannem viuere, atque in illo ſepulchro eius, quod eſt apud Epheſum, dormire eum potius quam mortuum iacere contendat. Aſſumat in argumentum, quod illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire perhibetur, atque hoc eius anhelitu fieri, ſiue conſtanter, ſiue pertinaciter aſſeueret. Non enim poſſunt deeſſe, qui credant, ſi non deſunt, qui etiam Moyſem aſſerant viDeut. 34. uere, quia ſcriptum eſt: eius ſepulchrum non inMatth. 17. ueniri, & apparuit cum domino in monte vbi & 4. Reg. 2. Helias fuit, quem mortuum legimus non eſſe, ſed raptum: quaſi Moyſi corpus non potuerit alicubi ſic abſcondi, vt prorſus homines lateret vbi eſſet, atque inde ad horam diuinitus excitari, quando Matt. 27. cum Chriſto Helias, & ipſe ſunt viſi, ſicut ad horam multa ſanctorum corpora ſurrexerunt, quando paſſus eſt Chriſtus, & poſt eius reſurrectionem apparuerunt multis in ſancta, ſicut ſcriptum eſt, ciuitate. Sed tamen vt dicere cœperam, ſi quidam Moyſem mortuum negant, quem ſcriptura ipſa, licet ſepulchrum eius nuſquam inueniri legimus, mortuum tamen eſſe ſine vlla ambiguitate teſtatur: quanto magis Ioannes ex iſtorum occaſione verborum vbi dominus ait, *ſic eum volo manere donec venio*, creditur viuus dormire ſub terra? Quem tradunt etiam, quod in quibuſdam ſcripturis quamuis apocryphis reperitur, quando ſibi fieri iuſſit ſepulchrum, incolumem fuiſſe præſentem, eóque effoſſo, & diligẽtiſſime præparato, ibi eum ſe tanquam in lectulo collocaſſe, ſtatímque eum eſſe defunctum. Vt autem iſti putant qui hæc verba domini ſic intelligunt, non defunctum, ſed defuncto ſimilem cubaſſe, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat, ſic manere, ſuámque vitam ſcaturigine pulueris indicare, qui puluis creditur vt ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, flatu quieſcentis impelli, huic opinioni ſuperuacaneum exiſtimo reluctari. Viderint enim qui locum ſciunt, vtrum hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur, quia & reuera non à leuibus hominibus id audiuimus. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus, ne rurſus aliud quod à nobis quæratur exurgat: cur ſuper humarum mortuum ipſa humus quodammodo viuere, ac ſpirare videatur? Sed nunquid hinc tanta ſoluitur quæſtio, ſi magno miraculo, qualia poteſt facere omnipotens, tandiu viuum corpus in ſopore ſub terra eſt, donec veniat terminus ſeculi? Quinimò ſit amplior & difficilior, cur diſcipulo Ieſus, quem diligebat præ cæteris, intantum vt ſuper pectus eius diſcumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donauerit ſomnum, cum beatum Petrum per ingentem martyrij gloriam ab onere ipſius corporis ſoluerit, eique conceſſerit, quod apoſtolus Paulus ſe concupiſſe dixit, & ſcripſit diſſolui, & eſſe cum Chriſto: Si Philip. 1. autem quod magis creditur, ideo ſanctus Ioannes ait, non dixiſſe dominum, moritur, ne illis verbis, quæ dixit, hoc voluiſſe intelligi putaretur, corpúſque eius in ſepulchro eius exanime ſicut aliorum mortuorũ iacet, reſtat, vt, ſi vere ibi ſit, quod ſparſit fama de terra, quæ ſubinde ablata ſuccreſcit, aut ideo fiat, vt ea modo commendetur precioſa mors eius, quam nequaquam commendat martyrium, non enim eum pro fide Chriſti perſecutor occidit, aut propter aliquid aliud quod nos latet, manet tamen quæſtio cur dixerit dominus de homine morituro, *ſic eum volo manere, donec veniam.* Illud enim in his duobus apoſtolis Petro & Ioanne quem non moueat ad quærendum, cur Ioannem plus dilexerit dominus, cũ ipſum dominum plus dilexerit Petrus? Vbicumque enim ſe commemorat Ioannes, vt nomine ſuo tacito ipſe poſſet intelligi, hoc addit quod eum diligebat Ieſus, quaſi ſolum diligeret, vt hoc ſigno diſcerneretur à cęteris, quos vtique omnes diligebat. Quid ergo niſi amplius ſe dilectum cum hoc diceret, volebat intelligi, quod abſit vt mendaciter diceret? Quod autem maius date potuit Ieſus maioris erga eum ſuæ dilectionis indicium, quam vt homo cum cæteris condiſcipulis ſuis ſocius tantę ſalutis, ſolus tamen diſcubuerit ſuper pectus ipſius ſaluatoris? Porrò quod apoſtolus Petrus plus alijs dilexerit Chriſtũ, poſſunt

poſſunt quidem documenta multa proferri, ſed vt longe in alia non eamus, in ipſius tertiæ manifeſtationis domini paulo ſuperiore lectione quæ iſtam præcedit, ſatis euidenter apparet, vbi interrogans eum, dixit, diligis me plus his? Quod vtique ſciebat, & tamen interrogabat, vt etiam nos qui legimus Euangelium, amorem Petri erga dominum, & illo interrogante & iſto reſpondente noſſemus. Quòd autem in eo quod reſpondit Petrus, amo te, non addidit, plus his, hoc reſpondit quod de ſeipſo ſciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur, ſcire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamē ſuperioribus verbis dicēdo, Etiam domine, tu ſcis quia amo te, ſatis & ipſe declarauit ſcientē dominū interrogaſſe quod interrogauit. Sciebat igitur dominus non ſolū quod diligeret, verumetiā quod plus illis eum diligeret Petrus, & tamen ſi proponamus quærentes, quis duorum ſit melior, vtrum qui plus an qui minus diligit Chriſtum quis dubitabit reſpondere, eum qui plus diligit eſſe meliorem? Item ſi proponamus quis duorū ſit melior, vtrum quem minus, aut quem plus diligit Chriſtus? Eum qui plus diligitur à Chriſto, meliorem proculdubio reſpondebimus. In illa ergo comparatione, quam prius poſui, Petrus Ioanni: in hac vero altera, Ioannes anteponitur Petro: proinde tertiā ſic proponimus. Quis eſt duorum diſcipulorum melior, qui minus quam condiſcipulus eius diligit Chriſtum, & plus quam condiſcipulus eius diligitur à Chriſto, an ille quem minus quam condiſcipulum eius diligit Chriſtus, cum plus ipſe quā ſuus condiſcipulus diligat Chriſtum? Hic planè cunctatur reſponſio, & augetur quæſtio. Quantum autem ipſe ſapio, meliorem qui plus diligit Chriſtum, fœliciorem vero quem plus diligit Chriſtus, facile reſponderem, ſi iuſtitiam liberatoris noſtri minus eum diligentis à quo plus diligitur, & eum plus à quo minus diligitur, quemadmodum defenderem, præuiderem. Aggrediar igitur in eius manifeſta miſericordia, cuius eſt occulta iuſtitia, de ſoluenda quæſtione tam ingenti pro viribus quas ipſe donauerit diſputare: hucuſque enim propoſita eſt, non expoſita. Exponendæ vero eius hoc ſit exordium, vt meminerimus in hoc corru-
Sapien. 6. ptibili corpore, quod aggrauat animam, vita nos miſera viuere. Sed quia iam redempti per mediatorem ſumus & ſpiritum ſanctum pignus accepimus, beatam vitam in ſpe habemus, etſi re ipſa
Roma. 8. nondum tenemus: ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes: quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. In malis autem quæ quiſque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus eſt patiētia, hāc
Iob. 7. itaque vitam de qua ſcriptum eſt: Nunquid non
Matth. 6. tentatio eſt vita humana ſuper terram? qua quotidie clamamus ad dominum, Libera nos à malo: cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamuis vt in eam veniret miſeriā, primum fuerit cauſa peccatum: productior eſt enim pœna quā culpa, ne parua putaretur culpa, ſi cū illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demōſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitę, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa. Hæc eſt iſtorū dierū, quos in hac mortalitate agimus malos, quāuis in ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem ſed non reprehendenda conditio: venit enim de ira Dei iuſta, de qua ſcriptura loquens, Homo inquit natus ex muliere, breuis vitæ, & plenus iræ, cum ira Dei non ſit vt *Iob. 14.*
hominis, id eſt, perturbatio concitati animi ſed tranquilla iuſti ſupplicij conſtitutio. In hac ira ſua Deus non continens, ſicut ſcriptum eſt, miſerationes ſuas, præter alia ſolatia miſerorum, quę generi humano præbere non ceſſat, in plenitudinem temporis, quo ipſe ſciebat hoc eſſe faciēdum mi- *Pſal. 76.*
ſit filium ſuum vnigenitum, per quē creauit vniuerſa, vt manēs Deus fieret homo, & eſſet mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, in *1. Tim. 2.*
quem credentes per lauacrum regenerationis ſoluto reatu omnium peccatorum, & originalis videlicet quod generatio trahit, contra quam maxime regeneratio eſt inſtituta, & cæterorum quæ male agendo contracta ſunt, liberarentur à damnatione perpetua, & viuerēt in fide, & ſpe, & charitate, peregrinantes in hoc ſeculo, atque in eius tentationibus laborioſis & periculoſis, conſolationibus autem Dei, & corporalibus, & ſpiritalibus ambularent ad conſpectum eius, viam tenentes quod eis factus eſt Chriſtus. Et quia in ipſa quoque via ambulantes non ſunt ſine peccatis, quæ de huius vitæ infirmitate ſurrepunt, dedit eleemoſynarum remedia ſalutaria quibus eorum adiuuaretur oratio, vbi eos dicere docuit, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debi- *Matth. 6.*
toribus noſtris. Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ęrūnoſa, cuius eccleſiæ Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatū gerebat figurata generalitate perſonā. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abūdantiore gratia vnus, idémq; primus Apoſtolus: ſed quādo ei dictum eſt. Tibi dabo cla- *Matt. 16.*
ues regni cœlorum: & quandcunq; ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis: vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diuerſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibúſque quatitur, & nō cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, vnde & Petrus nomen accepit: non enim à Petro petra: ſed Petrus à petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano: ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur: ideo quippe ait dominus, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, petram quam confeſſus es, ædificabo eccleſiam meam, Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe *1. Cor. 10.*
ędificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud *1. Cor. 3.*
nemo poteſt ponere, quàm id quo poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo regni cælorum accepit in *Matt. 6.*
Petro, id eſt, poteſtatem ligandi, ſoluendíque peccata, quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia quam ſignificabat Petrus quamdiu degit in malis, amando, & ſequendo Chriſtum liberatur à malis. Ma- *1. Cor. 13.*
gis autem ſequitur in eis, qui certant pro veritate vſque ad mortem: ſed vniuerſitati dicitur, ſequere me, pro qua vniuerſitate paſſus eſt Chriſtus: de quo dicit idem Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius: ecce propter quod ei dictum eſt, *Sequere me*

re me. Eſt autem alia vita immortalis, quæ non eſt in malis, ibi facie ad faciem videbimus, quod hic per ſpeculum & ænigmate videtur, quando multum in conſpicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas ſibi diuinitus prædicatas & cõmendatas nouit Eccleſia, quarũ eſt vna in fide altera in ſpecie: vna in tẽpore peregrinationis, altera in æternitate manſionis: vna in labore, altera in requie: vna in via altera in patria: vna in opere actionis, altera in mercede cõtẽplationis: vna declinat à malo & facit bonũ, altera nullũ habet à quo declinet malũ, & magnũ habet quo perfruatur bono: vna cũ hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat: vna fortis eſt in aduerſis, altera nihil ſentit aduerſi: vna carnales libidines frænat, altera ſpiritalibus delectationibus vacat: vna eſt vincendi cura ſolicita, altera victoriæ pace ſecura: vna in tentationibus adiuuatur, altera ſine vlla tentatione in ipſo adiutore lætatur: vna ſubuenit indigenti, altera ibi eſt vbi nullum inuenit indigẽtem: vna aliena peccata, vt ſua ſibi ignoſcãtur, ignoſcit, altera nec patitur quod ignoſcat, nec facit quod ſibi poſcat ignoſci: vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt ſine vlla tentatione ſuperbiæ cohæreat ſummo bono: vna bona & mala diſcernit, altera quę ſola bona ſunt cernit: ergo vna bona eſt, ſed adhuc miſera, altera melior & beata: iſta ſignificata eſt per Apoſtolũ Petrum, illa per Ioannẽ: tota hic agitur iſta vſque in huius ſeculi finẽ. & illic inuenit finem, differtur illa complenda poſt huius ſeculi finem, ſed in futuro ſeculo, non habet finem: ideo dicitur huic, *Sequere me*: de illo autem, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere*: quid enim eſt hoc? Quantum ſapio, quantum capio, quid eſt hoc, niſi tu me ſequere, per imitationem perferendo temporalia mala: ille maneat, donec ſempiterna venio redditurus bona? quod apertius ita dici poteſt, Perfecta me ſequatur actio, informata meæ paſſionis exemplo: inchoata vero contemplatio maneat, donec veniam perficienda cum venero. Sequitur enim Chriſtum perueniens vſque ad mortem pia plenitudo patientiæ, manet autem donec veniat Chriſtus, tunc manifeſtãda plenitudo ſciẽtiæ. Hic quippe tolerãtur mala huius mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona domini in terra viuentium: quod enim ait, *Sic eum volo manere, donec veniam*: non ſic intelligẽdum eſt quaſi dixerit, remanere vel permanere, ſed expectare, quoniam quod per eum ſignificatur, non vtique nunc, ſed cum venerit Chriſtus implebitur. Quid autem per hunc ſignificatur cui dictum eſt. *Tu me ſequere*: niſi nunc agatur, non peruenietur ad illud, quod expectatur. In hac autem actiua vita quanto magis Chriſtum diligimus, tanto facilius liberamur à malo. At ipſe nos minus diligit quales nunc ſumus, & hinc ideo liberat, ne ſemper tales ſimus. Ibi vero amplius nos diligit, quoniam quod ei diſpliceat, & quod à nobis auferat non habebimus: nec ob aliud nos hic diligit, niſi vt ſanet & transferat ab his quæ non diligit. Hic ergo minus vbi non vult remaneamus, ibi amplius quò vult tranſeamus, & vnde non vult pereamus. Amet ergo eum Petrus, vt ab iſta mortalitate liberemur: ametur ab eo Ioannes, vt in illa immortalitate ſeruemur. Sed iſta ratione illud oſtenditur, cur amplius Ioannem quàm Petrum amauerit Chriſtus, non cur amplius Petrus quam Ioannes amauerit Chriſtum. Neque enim ſi plus nos diligit Chriſtus in futuro ſeculo, vbi cum illo ſine fine viuemus, quàm in iſto vnde eruimur, vt illic ſemper ſimus, propterea nos tunc eum minus dilecturi ſumus, quando meliores erimus, cum meliores vtique niſi amplius eum diligendo nullo modo eſſe poſſimus. Cur ergo Ioannes minus eum diligebat quam Petrus, ſi eam vitam ſignificabat, in qua eſt multo amplius diligendus, niſi, quia propterea dictum eſt, volo eum manere, id eſt, expectare donec veniam: quoniam & ipſum amorem qui tunc multo amplior erit, nondum habemus, ſed futurum expectamus, vt cum ipſe venerit habeamus? nam ſicut in epiſtula ſua idem dicit Ioãnes Apoſtolus, Nondum apparuit quod erimus, *1. Ioan. 3.*
ſcimus quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eũ, ſicuti eſt. Tunc ergo amplius quod videmus, diligemus. Ipſe autem dominus illam quæ futura eſt vitam noſtram, qualis in nobis futura ſit ſciẽs, prædeſtinatione plus *Pſal. 24.*
amat, vt ad eam nos amando perducat. Quocirca quoniam vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas, miſeriam noſtram præſentem nouimus quia ſentimus: & ideo miſericordiam domini quam nobis de miſeria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maxime pro peccatorum remiſſione poſcimus & habemus. Hoc per Petrum ſignificatum eſt, plus amantem, ſed minus amatum, quia minus nos amat Chriſtus miſeros quàm beatos. Veritatis autem cõtemplationem qualis tunc futura eſt, minus amamus quia nondum nouimus nec habemus: hæc ergo per Ioannem ſignificata eſt minus amantem, atque ideo & ad ipſam & ad eius in nobis amorem qualis ei debetur implendum, donec veniat dominus & expectantem: ſed plus amatum, quia id quod per illum figuratum eſt, hoc efficit beatum. Nemo tamen iſtos inſignes Apoſtolos ſeparet, & in eo quod ſignificabat Petrus ambo erant, & in eo quod ſignificabat Ioannes, ambo futuri erant: ſignificando ſequebatur iſte, manebat ille: credẽdo autem ambo mala præſentia huius miſeriæ tolerabant: ambo futura bona illius beatitudinis expectabant, nec ipſi ſoli, ſed vniuerſa hoc facit ſancta eccleſia ſpõſa Chriſti ab iſtis tentationibus eruenda, in illa fœlicitate ſeruanda. Quas duas vitas Petrus & Ioannes figurauerunt ſinguli ſingulas: verum & in hac temporaliter ambulauerunt ambo per fidem, & illa in æternum fruentur ambo per
ſpeciem. Omnibus igitur ſanctis ad Chriſti corpus inſeparabiliter pertinentibus, propter huius *Matth. 17.*
vitæ procelloſiſſimæ gubernaculum, ad liganda & ſoluenda peccata claues regni cœlorum primus Apoſtolorum Petrus accepit, eiſdémque omnibus ſanctis propter vitæ illius ſecretiſſimæ quietiſſimum ſinum, ſuper pectus Chriſti Ioannes Euangeliſta diſcubuit, quoniam nec iſte ſolus, ſed vniuerſa eccleſia ligat ſoluítque peccata: nec ille in *Ioan. 11.*
principio verbum Deum apud Deũ, & cætera de Chriſti diuinitate, & de totius diuinitatis trinitate, atque vnitate ſublimia, quæ in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem donec veniat dominus in ſpeculo, atque in ænigmate contuẽda ſunt, quæ prædicando ructaret, de fonte dominici pectoris ſolus bibit, ſed ipſe dominus ipſum Euangelium pro ſua cuiuſque capacitate omnibus ſuis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Sunt qui ſenſerunt, & hi quidem nõ contemptibiles

ptibiles ſacri eloquij tractatores, à Chriſto Ioannem Apoſtolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Hoc quidem in ſcripturis canonicis non euidenter apparet, veruntamen id quoque multum adiuuat congruentiam huiuſce ſententiæ, quòd illa vita per eum ſignificata eſt vbi non erunt nuptiæ.

Ergo virginitas, & cælibatus habét meritum apud Deum.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homil. 11.

Ex Ser. 149. de temp. QVid deinde ait illi? *Sequere me*, ſciens eius maturitatem. Si enim meminiſtis, imò meminerunt qui legerunt, dixit Petrus: Sequar te, quocunque ieris. Et dominus ad illum, Non potes me ſequi modo, ſequeris autem poſtea. Modo, inquit, non potes, promittis, ſed ego video vires tuas. Ego venam cordis inſpicio, & quod verum eſt ægroto renuntio: Non potes me modo ſequi: ſequeris autem poſtea. Sed iſta renunciatio non eſt deſperatio. Adiunxit & ait, ſequeris autem poſtea. Eris ſanus, & ſequeris me. Iam quia vidit quid agatur in corde ipſius, & vidit quòd donum dederit dilectionis animæ ipſius, dicit ei, *Sequere me.* Ego certe dixeram, Non potes modo, ego modo dico, ſequere me. *Reſpexit Petrus ad diſcipulum quem diligebat Ieſus* id eſt, ad ipſum Ioannem, qui Euangelium hoc ſcripſit: *& ait domino, Domine iſte quid?* Scio quia diligis eum, quomodo ego ſequor, & ipſe non ſequitur? Ait dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam, tu me ſequere.* Ipſe vero Euangeliſta, ipſe, qui ſcribit de quo dictum eſt hoc: *Sic eum volo manere, donec veniam:* ſecutus adiunxit verba ſua in Euangelio & ait, natam fuiſſe famam inter fratres propter hoc verbum, quia diſcipulus ille non eſſet moriturus. Et vt tolleret iſtam opinionem adiunxit: non autem dixit eum non eſſe moriturum, ſed tantum dixit: *Sic eum volo manere donec veniam, tu me ſequere.* Hanc ergo opinionem qua putabatur Ioannes non eſſe moriturus, abſtulit ipſe Ioannes verbis ſuis conſequentibus, ne hoc credatur: & ait, Non hoc dicit dominus, ſed hoc dixit. Quare autẽ hoc dixerit, Ioannes non exponit, ſed nobis reliquit, propter quod pulſamus, ſi forte aperiatur nobis: Quantũ mihi dominus donare dignatur, quantũ mihi videtur, videtur autem & melius melioribus, ſic puto iſtam ſolui quæſtionem duobus modis: aut de paſſione Petri dixit dominus quod dixit, aut de Euangelio Ioannis, quod eſt de paſſione: vt hoc, ſequere me, ſit patere pro me, patere quod ego. Crucifixus eſt enim Chriſtus, crucifixus eſt & Petrus. Expertus eſt clauos, expertus eſt cruciatus. Ioannes autem nihil eorum expertus eſt, hoc eſt, *Sic eum volo manere,* ſine vulnere, ſine cruciatu, dormiat, & expectet me, tu me ſequere. Patere quod ego ſanguinem fudi pro te, funde pro me. Vno ergo iſto modo exponi poteſt quod dictum eſt: *Sic eum volo manere, donec veniam, tu me ſequere.* Nolo vt ipſe patiatur, tu patere. Secundum autem Euangelium Ioannis, hoc modo videtur intelligi: quod Petrus ſcripſit de domino, ſcripſerunt & alij, ſed ſcripta eorum magis circa humanitatem domini videntur occupata. Dominus enim Chriſtus & Deus eſt, & homo. Quid eſt homo? Anima, & caro. Quid autem Chriſtus eſt? Verbum, anima, & caro, Sed qualis anima? Nam & pecora habent animas. Verbum, rationalis anima, & caro, hoc totum Chriſtus. Sed de diuinitate in literis Petri non aliud: In Euangelio autem Ioannis multum memini. In principio erat verbum, ipſe dixit. *Ioan. 1.* Tranſcendit nubes, & tranſcendit ſydera, tranſcendit & angelos, tranſcendit omnem creaturam, peruenit ad verbum, per quod facta ſunt omnia. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deũ, omnia per ipſum facta ſunt. Quis videt, quis cogitat, quis digne ſuſcipiat, quis digne pronunciet? Tunc hunc qui bene intelligit quando Chriſtus venerit: Sic eum volo manere donec veniam, expoſui ſicut potui, poteſt ipſe melius in cordibus veſtris.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexand. ſuperioris Euangelij expoſitio.

ET *cum hoc dixiſſet, dicit ei; ſequere me, &c.* Seipſum rurſus euangeliſta ſignificat: hic enim & dilectus domini diſcipulus fuit, & ſupra pectus eius in cœna recubuit, interrogauitque, quis eum eſſet traditurus. Hunc igitur ita domino dilectum cum reſpexiſſet Petrus, ſtatim interrogauit, quis vitę illi terminus immineret. *Ioan 13.* Sed; quoniam curioſa magis quã vtilis rerum alienarum inquiſitio eſt, reſpondet quidem, ſed ita vt rogantis animum abducat ad alia, nec mortis experiem futurum Ioannem ait, *ſed ſic eum volo manere, donec venio: quid ad te?* id eſt, audiſti, Petre, quæ ad te pertinent: cur aliena quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris? Nam, ſi etiam vellẽ minime iſtum mori, quid tu vnquam emolumenti, aut quid conſolationis conſequereris? Non erit ergo prudens, curioſus; ſi, quid paſſurus ſit, verum etiam alij eadem ſubibunt, an non, inquirat, cum aliorum calamitate pericula ſua non mitigentur. Quamuis communiter inſitum eſſe hominibus videamus, vt optent, ſi quid periculi ſubituri ſint, nõ eſſe ſolos, ſed ceteros etiam aut videre ſimilia pati, aut ſaltẽ audire perpeſſos fuiſſe, vel omnino idem paſſuros. *Hic eſt diſcipulus, &c.* Neminem arbitror dubitare poſſe, quin propter præcipuam virtutem, & paratum ad benefaciendum animum, Ioannes à Chriſto diligeretur. Non enim vanis affectibus, vt homines nudi, dominus mouebatur: ſed rerum pondere, ac virtute diſcipulorum, dilectionem impartiebatur. Hic igitur veritatis prædicator hæc de domino ſcripſit, teſtimoniumque de his perhibuit: & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius. Non enim fuiſſet à veritate dilectus, niſi longe ab omni falſitate eſſet remotus.

BEDAE PRESBYTERI
ſuperioris Euangel. expoſitio.

CVm ergo prænunciaſſet dominus Petro qua morte clarificaturus eſſet Deum, dicit ei, *Sequere me, &c.* *Ex commen. in Ioan.* Cur enim dicitur Petro, *ſequere me,* nec dicitur cæteris, qui ſimul aderant, & profecto eum ſicut magiſtrum diſcipuli ſequebantur? Et ſi ad paſſionem intelligendum eſt, nunquid ſolus pro chriſtiana veritate paſſus eſt Petrus? non ne ibi erat in illis ſeptem alius filius Zebedæi, frater Ioannis, qui poſt eius aſcenſionem ab Herode *Act. 2.* manifeſta-

manifeſtatur occiſus? Verum aliquis dixerit, quoniam non eſt Iacobus crucifixus, merito dictum eſſe Petro, *ſequere me*: qui non ſolum mortem, ſed etiam mortem crucis, ſicut Christus, expertus eſt. Si hoc & nihil aliud quod ſit conuenientius, potuerit inueniri: cur ergo de Ioanne dictum eſt, *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* & repetitum eſt, *tu me ſequere*: tanquam ille ideo non ſequeretur, quoniam eum manere voluit donec veniat? Quis facile aliud dictum eſſe credat, quam quod fratres crediderunt, qui tunc erant, quod ſcilicet non eſſet diſcipulus ille moriturus: ſed donec Ieſus veniret, iſte maneret in vita? Sed hanc opinionem Ioannes ipſe abſtulit, non hoc dixiſſe dominum aperta contradictione declarans. Cur enim ſubiungeret, *Non dixit Ieſus, non moritur*: niſi, ne hominum cordibus quod falſum fuerat inhæreret? Sed cui placet, adhuc reſiſtat, & dicat verum eſſe, quòd ait Ioannes, non dixiſſe dominum, quod diſcipulus ille non moritur, ſed hoc tamen ſignificatum eſſe talibus verbis, qualia eũ dixiſſe narrauit: & aſſerat Ioannem apoſtolum viuere: atque in illo ſepulchro eius, quod eſt apud Epheſum, dormire potius eum, quam mortuum iacere contendat, aſſumátque in argumentum, quòd illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire perhibetur, atque hoc eius anhelitu fieri, ſiue conſtanter ſiue pertinaciter aſſeueret. Non enim poſſunt deeſſe, qui credant, ſi non deſunt, qui etiam Moyſen aſſerãt viuere: quia ſcriptum eſt eius ſepulchrum non inueniri, & apparuit cum domino in monte, vbi
Deu. 34. & Helias fuit, quẽ mortuum legimus non eſſe, ſed
Matt. 17. raptum. quaſi Moyſi corpus non potuerit alicubi
4. Reg. 2. ſic abſcondi, vt prorſus homines lateret vbi eſſet, atque inde ad horam diuinitus excitari, quando
Matth. 27. cum Christo Helias, & ipſe ſunt viſi, ſicut ad horam multa ſanctorum corpora ſurrexerunt, quando paſſus eſt Christus, & poſt eius reſurrectionem apparuerunt multis in ſancta, ſicut ſcriptum eſt, ciuitate. Sed nunquid hinc tanta iſta ſoluitur quęſtio, ſi magno miraculo, qualia poteſt facere omnipotens, tandiu viuum corpus in ſopore ſub terra eſt, donec veniat terminus ſeculi? Quinimo fit amplior & difficilior, cur diſcipulo Ieſus, quem præ cæteris diligebat, intantum vt ſupra pectus eius diſcumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donauerit ſomnum, cum beatum Petrum per ingentem martyrij gloriam ab onere ipſius corporis ſoluerit, eique conceſſerit
Philip. 1. quod apoſtolus Paulus ſe concupiſſe dixit & ſcripſit, diſſolui, & eſſe cum Christo? Si autem, quod magis creditur, ideo ſanctus Ioannes ait non dixiſſe dominum, *non moritur*, ne illis verbis, quæ dixit, hoc voluiſſe intelligi putaretur, corpuſq; eius in ſepulchro eius exanime, ſicut aliorum mortuorum, iacet: reſtat vt ſi vere ibi ſit, quod ſparſit fama de terra, quæ ſubinde ablata ſuccreſcit, aut ideo fiat, vt eo modo commendetur pretioſa mors eius, quoniam non eam commendat martyrium: (non enim eum pro fide Christi perſecutor occidit) aut propter aliquid aliud, quod nos latet: manet tamen quæſtio, cur dixerit dominus de homine morituro; *Sic eum volo manere donec veniam.* Illud etiam in his duobus Apoſtolis Petro, & Ioanne, quem non moueat ad quærendum, cur Ioannem plus dilexerit dominus, cum ipſum dominum plus dilexerit Petrus? Vbicunque enim ſe commemorat Ioannes vt nomine ſuo tacito, ipſe poſſit intelligi, hoc addit, quod eum diligebat Ieſus, quaſi ſolum diligeret: vt hoc ſigno diſcerneretur à cęteris, quos omnes vtique diligebat. Quid ergo niſi amplius ſe dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi? quod abſit vt mendaciter diceret. Quod autem maius dare potuit Ieſus maioris erga eũ ſuæ dilectionis indicium, quam vt homo cum cæteris condiſcipulis ſuis ſocius tantę ſalutis, ſolus tamen recubuerit ſuper pectus ipſius ſaluatoris? porro quod Apoſtolus Petrus plus aliis dilexerit Chriſtum, poſſunt quidem documenta multa proferri: ſed vt longe in alia non eamus, in ipſius tertię manifeſtationis paulo ſuperius lectione, quæ iſtam præcedit, ſatis euidenter apparet, vbi interrogans eum dixit, Diligis me plus his? quod vtique ſciebat, & tamen interrogabat, vt etiam nos, qui legimus euangelium, amorem Petri erga dominum, & illo interrogante, & iſto reſpondente noſſemus. Quod autem in eo, quod reſpondit Petrus; Amo te, non addit, plus his: hoc reſpondit quod de ſeipſo ſciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur, ſcire poterat, qui cor alterius videre non poterat: ſed tamen ſuperioribus verbis dicendo, Etiam domine, tu ſcis: ſatis & ipſe declarauit ſcientem dominum interrogaſſe, quod interrogauit. Sciebat igitur dominus non ſolum quòd diligeret, verumetiam quòd plus illis eum diligeret Petrus: & tamen ſi proponamus quærentes, qui duorum ſit melior, vtrum qui plus, an qui minus diligit Chriſtum: quis dubitabit reſpondere, eum, qui plus diligit, eſſe meliorem? Item ſi proponamus, quis duorum ſit melior, vtrũ quem minus, an quem plus diligit Chriſtus: eum qui plus diligitur à Chriſto, meliorem proculdubio reſpondebimus. In illa ergo comparatione quam prius propoſui, Petrus Ioanni, in hac vero altera Ioannes anteponitur Petro. Proinde tertiam ſic proponimus, Quis eſt duorum diſcipulorum melior, qui minus quam condiſcipulus eius diligit Chriſtum, & plus quam condiſcipulus eius diligitur à Chriſto: an ille, quem minus quam condiſcipulum eius diligit Chriſtus, cũ plus ipſe quam ſuus condiſcipulus diligat Chriſtum? Hic plane cunctatur reſponſio, & augetur quæſtio. Quantum autem ipſe ſapio, meliorem qui plus diligit Chriſtum, feliciorem vero, quẽ plus diligit Chriſtus, facile reſponderem, ſi iuſtitiam liberatoris noſtri minus eum diligentis, à quo plus diligitur, & eum plus, à quo minus diligitur, quemadmodum defenderem, peruiderem. Aggrediar tamen de ſoluenda quæſtione iam ingenij pro viribus, quas ipſe donauerit, diſputare. Hucuſque enim propoſita eſt, non expoſita. Exponendæ vero eius hoc ſit exordium, vt meminerimus, in hoc corruptibili corpore, quod aggrauat animam, vitam *Sapien.* 9.
nos miſeram viuere: ſed qui iam redempti per mediatorem ſumus, & ſpiritum ſanctum pignus accepimus, beatam vitam in ſpe habemus, etſi re ipſa nondum tenemus. Spes autem quæ videtur, *Rom.* 8.
non eſt ſpes. quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quòd non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Hanc itaque vitam, de qua *Iob* 7.
ſcriptum eſt, Nunquid non tentatio eſt vita hu- *Matth.* 6.
mana ſuper terram? in qua cotidie clamamus ad Deum, Libera nos à malo: cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quãuis vt in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſſa peccati. productior eſt enim pœna quam culpa, ne parua putaret ur

taret ur

taretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Hæc eſt iſtorum dierum, quos in hac mortalitate agimus malos, *Pſal. 33.* quamuis in eis diligamus videre dies bonos, flenda quidem, ſed non reprehendenda conditio. Venit enim de ira Dei iuſta, de qua ſcriptura *Iob 14.* loquens; Homo, inquit, natus ex muliere, breuis *Pſal. 76.* vitæ, & plenus iræ. In hac ira ſua continens, ſicut ſcriptum eſt, miſerationes ſuas Deus, præter alia ſolatia miſerorum, quæ generi humano præbere non ceſſat, miſit filiũ ſuum vnigenitum, per quem creauit vniuerſa, vt manens Deus, fieret homo, vt eſſet mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus: in quem credentes, per lauacrum regenerationis ſoluto reatu omnium peccatorum, liberarentur à damnatione perpetua, & viuerent in fide, & ſpe, & charitate. Et quia in iſta quoque ambulantes, non ſunt ſine peccatis, quæ de huius vitæ *Eleemoſyna ſatiſfactoria pro peccatis.* infirmitate ſubrepũt, dedit eleemoſynarum remedia ſalutaria, quibus eorum adiuuaretur oratio, vbi eos dicere docuit; dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa: cuius Eccleſiæ Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus, idémque primus apo*Matt. 16.* ſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum: & quod ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: vniuerſam ſignificabat eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diuerſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, & tentationibus quatitur, non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, vnde Petrus nomẽ accepit. Non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra: ſicut non Chriſtus à chriſtiano, ſed chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideo quippe ait dominus; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Super hãc ergo, inquit, petram, quam confeſſus eſt, ædifica*1. Cor. 10.* bo eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus: ſu*1. Cor. 3.* per quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fũdamentũ quippe aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro: id eſt poteſtatem ſoluendi, ligandíque peccata. Quod eſt enim per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus, quandiu degit in malis, amando, & ſequendo Chriſtum liberatur à malis. Magis autem ſequitur in eis, qui certant pro veritate vſque ad mortem. Sed vniuerſitati dicitur; *Sequere me*: pro qua vniuerſitate paſſus eſt Chriſtus: de quo dicit idem Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Ecce propter quod ei dictum eſt, *Sequere me*. Eſt autem alia vita immortalis, quæ non eſt in malis. ibi facie ad faciem videbimus, quod hic per ſpeculum, & in ænigmate videtur, quando multum in concupiſcenda veritate proficitur. Duas itaque vitas ſibi diuinitus prædicatas, & commendatas nouit Eccleſia, quarum vna eſt in fide, altera in ſpecie. Vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis. Vna in labore, altera in requie. Vna in via, altera in patria. Vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Vna declinat à malo, & facit bonum: altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum quo fruatur bonum. Vna cum hoſte depugnat, altera ſine hoſte regnat. Vna carnales libidines frenat, altera ſpiritualibus delectationibus vacat. Vna ſubuenit indigenti, altera ibi eſt vbi nullum inuenit indigentem. Vna aliena peccata, vt ſua ſibi ignoſcantur, ignoſcit: altera nec patitur quod ignoſcat, nec facit, quod ſibi poſſit ignoſci. Vna bona, & mala diſcernit, altera quæ bona ſunt, cernit. Ergo vna bona eſt, ſed adhuc miſera: altera melior, & beata. Iſta ſignificata eſt per apoſtolum Petrum, illa per Ioannem. Tota hic agitur iſta vſque in huius ſeculi finem, & illic inuenit finem: differtur illa complenda poſt huius ſeculi finem, ſed in futuro ſeculo non habet finem. Ideo dicitur huic; *Sequere me*. de illo autem; *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Quid enim & hoc, quantum ſapio, quantum capio, quid eſt hoc? niſi, tu me ſequere per imitationem perferendi temporalia mala: ille maneat, donec ſempiterna veniens reddituris bona. quod apertius ita dici poteſt; Perfecta me ſequatur actio informata meæ paſſionis exemplo: inchoata vero contemplatio maneat, donec venio, perficienda, cum venero. Sequitur enim Chriſtum perueniens vſque ad mortem pia plenitudo patientiæ: manet autem, donec veniat Chriſtus, tunc manifeſtanda plenitudo ſcientiæ. Hic quippe tolerantur mala huius mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona domini in terra viuentium. Quod enim ait; *Volo eum manere donec veniam*, non ſic intelligendum eſt, quaſi dixerit remanere, vel permanere, ſed expectare: quoniam quod per eum ſignificatur, non vtique nunc, ſed cum venerit Chriſtus, implebitur. Quod autem per hunc ſignificatur cui dictum eſt; *Tu me ſequere*, niſi nunc agatur, nec peruenietur ad illud, quod expectatur. In hac autem actiua vita quanto magis Chriſtum diligimus, tanto facilius liberamur à malo. At ipſe nos minus diligit, quales nunc ſumus: & hinc ideo liberat, ne ſemper tales ſimus. Ibi vero amplius nos diligit, quoniam, quod ei diſpliceat, & quod à nobis auferat, non habebimus. Nec ob aliud hic nos diligit, niſi vt ſanet, & transferat ab iis, quæ non diligit. Hic ergo minus, vbi non vult, remaneamus: ibi amplius, quò vult, tranſeamus, & vnde non vult, pereamus. Amet ergo eum Petrus, vt ab iſta mortalitate liberemur: ametur ab eo Ioannes, vt in illa immortalitate ſeruemur. Sed iſta ratione illud oſtenditur, cur amplius Ioannem quam Petrum amauerit Chriſtus, non cur amplius Petrus quam Ioannes amauerit Chriſtum. Neque enim ſic plus nos diligit Chriſtus in futuro ſeculo (vbi cum illo ſine fine viuemus) quam in iſto, vnde eruimur, vt illic ſemper ſimus: & propterea nos tunc eum minus dilecturi non ſumus, quando meliores erimus: cum meliores vtique, niſi amplius eum diligendo, nullo modo eſſe poſſimus. Cur ergo Ioannes minus eum diligebat quam Petrus, ſi eam vitam ſignificabat, in qua eſt multo amplius diligendus? niſi quia propterea dictum eſt, *Volo eum manere*, id eſt expectare, *donec venio*: quoniam & ipſum amorem, qui tunc amplior erit, nondum habemus, ſed futurum expectamus, vt cum ipſe venerit, habeamus. Nam ſicut in epiſtola ſua idẽ dicit Apoſtolus, Nondum

apparuit,

1. Ioan. 3. apparuit, quod erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Tunc ergo amplius quod videbimus diligemus. Ipſe autem dominus illam, quæ futura eſt vitam noſtram, quanta in nobis futura ſit, ſciens prædeſtinatione, plus amat, vt ad eam nos amando perducat. Pſal. 24. Quoniam vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas, miſeriam noſtram præſentem nouimus, quia ſentimus: & ideo miſericordiam domini, quam nobis de miſeria liberandis exhiberi volumus, plus amamus: eamque quotidie maxime peccatorum remiſſione poſcimus, & habemus. Hoc per Petrum ſignificatum eſt plus amantem, ſed minus amatum: quia minus amat nos Chriſtus miſeros quàm beatos. Veritatis enim contemplationem, qualis tunc futura eſt, minus amamus, quia nondum nouimus, nec habemus. Hæc per Ioannem ſignificata eſt minus amantem, atque ideo & ad ipſam, & ad eius in nobis amorem, qualis ei debetur, implendum, donec veniat dominus, expectantem: ſed plus amatum: quia id quod per illum figuratum eſt, hoc efficit beatum. Nemo iſtos tamen inſignes Apoſtolos ſeparat: & in eo quòd ſignificabat Ioánes; ambo futuri erant. Significando ſequebatur iſte, manebat ille. Credendo autem ambo mala præſentia huius miſeriæ tolerabant. Ambo futura bona illius beatitudinis expectabant. Nec ipſi ſoli ſed vniuerſa hoc facit ſancta eccleſia ſponſa Chriſti, ab iſtis tentationibus eruenda, in illa felicitate ſeruanda. quas duas vitas Petrus & Ioannes figurauerunt, ſinguli ſingulas, verum & in hac temporaliter ambulauerunt ambo per fidem, & illa in æternum fruentur ambo per ſpeciem. Omnibus igitur ſanctis ad Chriſti corpus inſeparabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procelloſiſſimæ gubernaculum, ad liganda, & ſoluenda peccata, claues regni cælorum primus Apoſtolorũ Petrus accepit, eiſdemque omnibus ſanctis, propter vitæ illius ſecretiſſimæ quietiſſimum ſinum, ſuper pectus Chriſti Ioannes Euangeliſta diſcubuit: quoniam nec iſte ſolus, ſed vniuerſa Eccleſia ligat, ſoluitque peccata: nec ille de Chriſti diuinitate, & de totius diuinitatis Trinitate atque vnitate ſublimia (quæ in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem, donec veniat dominus, in ſpeculo, atque in ænigmate contuenda ſunt) quæ prædicando ructaret, de fonte dominici pectoris ſolus bibit, ſed ipſe dominus ipſum Euangelium pro ſua cuiuſque capacitate omnibus ſuis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Sunt qui ſenſerint, & hi quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores, à Chriſto Ioannem Apoſtolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Hoc quidem in ſcripturis canonicis non euidenter apparet: veruntamen id quoque multum adiuuat congruentiam huiuſce ſententiæ, quod illa vita per eum ſignificata eſt, vbi non erunt nuptiæ.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Homilia.*

Tom. 7. hiemal. LEctio ſancti Euangelij quæ nobis lecta eſt, fratres mei, tanto maiori à nobis intentione debet per ſingula verba penſari, quanta magna gratiæ ſupernæ dulcedine tota redundat. Commendat enim nobis beatiſſimus euangeliſta, & apoſtolus Ioannes priuilegium amoris præcipui, quo cæteris amplius meruit honorari à domino: commendat etiam monitum euangelicæ deſcriptionis, quod veritate diuinæ ſubnixum nullus fidelium dubitare permittitur: commendat placidum ſuæ carnis abſolutionem, quam domino ſpecialiter ſe viſitante percepit. Sed vt perfectius lectionis huius principia conſiderare valeamus, libet ſuperiora paulo altius attendere. Apparuit dominus poſt reſurrectionem diſcipulis ſeptem, inter quos erat Petrus & Ioannes, quibus fruſtra in piſcando tota nocte laborantibus, & ſtans in littore copioſa rete eorum piſcium multitudine impleuit. Ioan. 21. Moxque egreſſos ad terram inuitauit ad prandium, & inter prandendum tertio Petrum an ſe amaret interrogauit, ac tertio amorẽ confitenti, quia ter eũ negauerat, ei tertio paſcendas ſuas oues commiſit. Ac deinde quia per earundem ouium, id eſt, animarum fidelium curam paſtoralem vſque ad martyrium crucis eſſet peruenturus, intimauit dicens: Amen amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis. In manuum namque extenſione deſignatur, quòd per mortem crucis martyrio coronandus; in cinctione alterius, quòd vinciendus à perſecutore: in ductu quo non vellet, quòd tormenta paſſionis contra voluntatem eſſet paſſurus humanæ fragilitatis. Sed ne grauis forte videretur Petro prædicta à domino paſſio crucis, hanc ſuo confeſtim lenire curauit exemplo, vt cruciatum martyrij eo leuius ferret, quo ſe meminiſſet ſimilem ſuo redemptori mortis excipere ſententiam. Poſtquã enim ſignificauit ei, qua morte clarificaturus eſſet Deum, protinus adiungit quod in huius capite lectionis audiuimus. Et dicit ei: *Sequere me.* Ac ſi aperte dicat: quia ipſe prius pro tua redemptione crucis ſupplicium ſubire non timui, cur tu pro mei confeſſione nominis crucem pati formides? Qui eo glorioſiore martyrij palma clarificaberis, quo in hac promerenda magiſtri iter ſequeris. Iam vero ab euangeliſta non ſubditur, quod poſt hæc dicta dominus & diſcipuli fecerint, ſed ex eo tamen innuitur, quod ſubiungit; *Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem.* Patet nanque quia cum dixiſſet Petro, *ſequere me,* id eſt, crucem patiendo imitare, ſurrexit de loco conuiuij, & abire iam cœpit. Secutus eſt autem eũ Petrus etiã inceſſu pedum, cupiens implere quod audiuit, *Sequere me.* Secutus eſt & ille diſcipulus quẽ diligebat Ieſus. Neque enim arcendũ ſe à conſectatu Chriſti putabat, qui non minori ſe gratia dilectionis à Chriſto complexum nouerat. Neque incredibile eſt ideo vtrunque diſcipulum corporali greſſu veſtigia domini ſecutum: quia necdũ intellexerat quid ſignificauerit in eo, quòd Petrum ſe ſequi præcepit. Notum autem nobis veſtræ fraternitati, qui ſit ille diſcipulus, quem diligebat Ieſus, Ioannes videlicet ipſe, cuius hodie natalicia feſta celebramus, qui hoc ſcripſit euangelium, atque ideo ſuam perſonam maluit indicijs rerum accidentium, quàm proprio deſignare vocabulo. Diligebat autem eum Ieſus non exceptis cæteris ſingulariter ſolum, ſed præ cæteris, quos diligebat familiarius vnum, quem ſpecialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum

dignum. Omnes quippe ſe diligere probat, quibus ante paſſionem loquitur: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. *Ioan.15.* Sed hunc præ omnibus diligit, qui virgo electus ab ipſo, virgo in æuum permanſit. Tradunt nanque hiſtoriæ, quòd eum de nuptiis volentem nubere vocauerit, & propterea quem à carnali voluptate retraxerit, potiore ſui amoris dulcedine donauit. *Ioan.19.* Denique huic moriturus in cruce matrem ſuam commendauit, vt virginem virgo ſeruaret, & ipſo poſt mortem, ac reſurrectionem cælos aſcendente, non deeſſet eius genitrici filius, cuius caſta vita caſtis eius tueretur obſequiis. Ponit & aliud ſuæ perſonæ beatus Ioãnes indicium, ſubiungens: *Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine quis eſt, qui tradet te?* Hoc quomodo geſtum ſit, ſuperiora huius euangelij loca plenius oſtendunt, quia videlicet in cœna, quam vltimam ante paſſionem cum diſcipulis ſaluator habuit, in qua eorum pedes lauit, eiſque corporis, ac ſanguinis ſui tradidit myſteria celebranda, diſcipulus ille, quem diligebat, ſupra pectus eius recubuerit. Et cum dixiſſet eis; Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, reſpondit ille diſcipulus, innuente Petro, vt interrogaret, & diceret ei: Domine, quis eſt? Ait dominus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Quòd autem diſcipulus ille ſupra pectus magiſtri recubuit, non præſentis ſolummodo dilectionis, ſed & futuri erat ſignum myſterij. Figurabatur etenim iam tunc euangelium, quod idem diſcipulus erat ſcripturus, vberius atque altius cæteris ſacræ ſcripturæ paginis arcana diuinæ maieſtatis eſſe comprehenſurum. *Colo.2.* Quia enim in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, merito ſupra pectus eius recubat, quem maiore cæteris ſapientiæ, & ſcientiæ ſingularis munere donat. Cæteros quippe euangeliſtas nonnimus plura de miraculis noſtri ſaluatoris, pauciora de diuinitate locutos. Ioannes autem perpauca de humanis ſcribens actibus, potius ſe exponendis diuinæ naturæ indidit arcanis, patenter inſinuans, quanta de pectore Ieſu fluenta doctrinæ cæleſtis, quę nobis ructaret hauſerit. Sequitur: *Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dicit Ieſu: Domine, hic autem quid?* Quia ſe beatus Petrus audierat per paſſionem crucis clarificaturum eſſe Deum, Voluit etiam de fratre & diſcipulo cognoſcere, qua eſſet ipſe morte perpetuam tranſiturus ad vitam. *Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.* Nõ, inquit, eum per paſſionem martyrij volo conſummari, ſed abſque violẽtia perſecutoris diem expectare nouiſſimum, quando ipſe veniens eum in æternę beatitudinis manſione recipiam. Et quid hoc ad te? Tu tantum crucis patibulum ſubeundo mea te veſtigia ſequi debere memento. Et quidem hanc domini reſponſionem fratres tunc temporis ita tractabant, quaſi Ioãnes nunquam eſſet moriturus. Quod non ita eſſe intelligendum ipſe Ioannes admonere curauit, qui cum præmiſiſſet exiiſſe ſermonem iſtum inter fratres, quia diſcipulus ille nõ moritur, ſolerter adiecit atque ait: *Et non dixit ei Ieſus, quia non moritur, ſed ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* *Pſalm.88.* Non ergo putandum, quia diſcipulus ille nõ ſit mortuus in carne, quia nec dominus hoc de illo futurũ prædixit, & Pſalmiſta ait; Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem, ſed ita potius intelligẽdum quod cæteris Chriſti diſcipulis per paſſionem conſummatis ipſe in pace eccleſiæ aduentum vocationis expectauerit. Et hoc eſt quod ait, dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam,* non quin & ipſe multos antea labores pro domino, preſſuraſque malorum tolerauerit, ſed quia vltimum in pace ſenium finierit, vt pote eccleſiis Chriſti per Aſiam, quam regebat, iam longe, latéque fundatis. *Acto.5.* Nam & in actibus apoſtolorum cum cæteris apoſtolis flagellatus inuenitur, quando ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et à Domitiano Cæſare in feruentis olei dolium miſſus, vt eccleſiaſtica narratur hiſtoria, ex quo tamen diuina ſe protegente gratia tam intactus exierit, quàm fuerat à corruptione concupiſcentiæ carnalis extraneus. Nec multo pòſt ab eodem principe propter inſuperabilem euangelizandi conſtantiam in Pathmos inſulam exilio relegatur, vbi humano licet deſtitutus ſolatio, diuinæ tamen viſionis & allocutionis meruit crebra conſolatione releuari. Denique ibidem Apocalypſim, quam ei dominus de ſtatu eccleſiæ præſenti, vel futuro reuelauit, manu ſua conſcripſit. Vnde conſtat promiſſionem ſic manendi, donec veniret dominus, non eo pertinere, quòd ſine labore certaminis victurus in mundo, ſed illò potius quò ſine dolore paſſionis tranſiturus eſſet è mundo. Sicut enim in patrum literis inuenimus, cum longo confectus ſenio, ſciret imminere diem receſſus ſui, conuocatis diſcipulis ſuis poſt monita exhortationum, ac miſſarum celebrationem, vltimum eis valefecit. Deinde deſcenderis in defoſſum ſepulturę ſuæ locum, facta oratione, appoſitus eſt ad patres ſuos, *Miſſam celebratio facta à S. Ioanne Apoſtolo.* tam liber à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus. Atque ita completa eſt veridica ſaluatoris ſententia, quia ſic eum voluerit manere, donec ipſe veniret. Poſſumus autem myſtice in his quæ Petro, & Ioanni à domino prædicta atque in eis ſunt geſta, duas eccleſiæ vitas, quibus in præſenti exercetur, actiuam ſcilicet, & contemplatiuam, deſignatas accipere, quarum actiua communis populo Dei via viuendi eſt. Ad contemplatiuam vero perpauci, & in hoc ſublimiores quique poſt reſurrectionem piæ actionis aſcendunt. Actiua quippe vita eſt ſtudioſum Chriſti famulum iuſtis inſiſtere laboribus, & prius quidem ſeipſum ab hoc ſeculo immaculatum cuſtodire, mentem, manum, linguam, ac membra corporis cętera ab omni inquinamento culpę tẽtantis continere, ac diuinis perpetuo ſubiugare ſeruitiis. Deinde etiam proximi neceſſitatibus iuxta vires occurrere, eſurienti cibum, potum ſitienti, algenti *Matth.25.* veſtitum miniſtrãdo, egenos, vagóſque in domum recipiendo, infirmum viſitando, mortuum ſepeliendo, eripiendo inopem de manu fortioris eius, *Pſal.34.* egenum, & pauperem à rapientibus eum, ſed & erranti viam veritatis oſtendendo, ac cæteris ſe mancipando fraternæ dilectionis obſequiis, inſuper & vſque ad mortem pro iuſticia certãdo. Contemplatiua autem vita eſt, cum longo quis bonæ actionis exercitio edoctus, diutinæ orationis dulcedine inſtructus crebra lachrymarum compunctione aſſuefactus, à cunctis mundi negociis vacare, & in ſola dilectione oculum mentis intendere didicerit, gaudiúmque perpetuæ beatitudinis, quod in futuro percepturus eſt, vita etiam in præſenti cœperit ardenter deſiderando præguſta-

re,& aliquando etiam, in quantum mortalibus fas eſt, in exceſſu mentis ſpeculando ſublimiter euolare. Hæc autem vita diuinæ ſpeculationis illos maxime recipit, qui poſt longa monaſticæ rudimenta virtutis, ſecreti ab hominibus degere norunt, eo liberiorem ad cæleſtia meditáda animum habentes, quo à terrenis ſeparantur tumultibus. Nanque actiua non ſolis in cœnobio monachis, ſed & cuncto, vt diximus, populo Dei generaliter ingredienda proponitur. Et quidem vtrunque apoſtolum, & Petrum videlicet, & Ioannem, quamuis inter homines poſitum pro excellentis culmine gratiæ conſtet in vtraque vita fuiſſe perfectum, attamé vna vita per Petrum, alia deſignatur per Ioannem. In eo etenim, quòd ait Petro dominus; Extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo non vis, perfectionem exprimit actiuæ conuerſationis, quæ tentationum ſolet igne probari. Vnde alibi de ea dicet apertius; Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam. Cui

1. Pet. 2. recte ſubiungit, dicés; Sequere me, quia nimirum iuxta eiuſdem Petri vocem Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum vt ſequamur veſtigia eius. Quod autem dicit de Ioanne; *Sic eum volo manere, donec venio*, ſtatum contemplatiuæ virtutis inſinuat, quæ non per mortem finienda vt actiua, ſed per mortem eſt perfectius domino veniente complenda. Actiuus nanque labor cum morte deficit, mercedem poſt mortem accepturus æternam. Quis enim in illa vita panem eſurienti dat, vbi nemo eſurit? quis aquam ſitienti, vbi nemo ſitit? quis mortuú ſepelit, vbi terra viuentium eſt? quis cætera opera miſericordiæ exercet, vbi nullus miſer inuenitur? Actionis ergo ibi labor nullus, ſed ſolus præteritæ actionis perpetuus remanet fructus. Speculatiua autem felicitas, quæ hic inchoatur, illic ſine fine perficitur, quando & ſupernorum ciuium & ipſius domini præſentia non per ſpeculum, & in ænigmate, ſicut nunc, ſed

1. Cor. 13. facie ad faciem videbitur. Vnde recte de ea ſub typo diſcipuli, quem diligebat, quémque ſupra pectus ſuum fecit diſcumbere, dicit dominus: *Sic eum volo manere, donec venio*. Ac ſi aperte dicat: nolo guſtum ſpeculatiuæ ſuauitatis, quam maxime in ſanctis meis diligo ſperantibus in protectione alarum mearum, inebriatis ab vbertate domus meæ, ſicut laborioſæ vſum actionis leti conditione finiri, ſed poſt mortem ſublimius me apparóre atque in meæ conſpectum maieſtatis illos perducente perfici. Sequitur: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc. Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Iam manifeſte beatus Ioannes ſuam perſonam deſignat ex officio, quam deſignare vitat ex vocabulo. Non autem prætereunter intuendum quod dicitur; *Qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc.* Perhibuit quippe teſtimonium verbo Dei prædicando, perhibuit ſcribendo, perhibuit denuo eadem, quę ſcripſerat docendo: perhibet etiam nunc Euangelium, quod deſcripſit eccleſiis legendum, pandendo. Siquidem à tempore dominicæ paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis in cælum vſque ad vltima Domitiani principis tempora per annos circiter ſexaginta quinque, abſque vllo ſcribendi adminiculo verbum Dei prædicabat. At vbi à Domitiano, qui ſecundus poſt Neronem chriſtianorum perſecutor extitit, exilio miſſus eſt, irrumpentes in eccleſiam hæretici, quaſi in deſtituta paſtore ouilia lupi Marcion, & Cherintus, & Hebion, cæterique antichriſti, qui Chriſtum fuiſſe ante Mariam negabant, ſimplicitatem fidei Euangelicæ peruerſa maculauere doctrina. Sed dum ipſe poſt occiſionem Domitiani permittente pio principe Nerua, rediret Epheſum, compulſus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum eccleſiarum legationibus, de coæterna patri diuinitate Chriſti altius facere ſermonem, eo quòd in trium Euangeliſtarum ſcriptis, Matthæi videlicet, Marci, & Lucæ de humanitate eius ac de his, quæ per hominem geſſit, ſufficiens ſibi viderentur habere teſtimonium. Quod ille ſe non aliter facturum reſpondit, niſi indicto ieiunio, omnes in commune dominum precarentur, vt ille digna ſcribere poſſet. Et hoc patrato, inſtructus reuelatione, ac ſancti ſpiritus gratia inebriatus, omnes hæreticorum tenebras, patefactæ ſubito veritatis luce diſpulit. In principio, inquiens, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Similémque initiis totum ſui ſermonis circulum faciens, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſicut verum hominem, vere ex homine temporaliter factum, ita etiam verum Deum, vere ex Deo patre æternaliter natum, vere cum patre, & cum ſpirituſancto ſemper exiſtentem clariſſima aſſertione perdocuit, imò omnia diuinæ veritatis, & veræ diuinitatis, quantum alteri mortalium nulli licuit, arcana reſerauit. Et hoc virgini priuilegium recte ſeruabatur, vt ad ſeruanda verbi incorruptibilis ſacramenta incorrupto ipſe non ſolum corde, ſed & corpore proderet. De cuius dictorum veritate quàm ſit nemini ambigendum, ipſe quoque curauit oſtendere, qui eum dixiſſet; *Hic eſt diſcipulus, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc*, continuo ſubiecit, & ait: *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Quia ergo & nos cum cæteris fidelibus ſcimus verum eſſe teſtimonium eius, curemus per omnia recta fide intelligendo, recta operatione exercendo, quę docuit ad dona ſempiterna quæ promiſit peruenire, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit, & regnat cum patre in vnitate ſpiritusſancti per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Nota ieiunij indictionem etiam in primitiua eccleſia frequentatam.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſtat. ſuperioris euang. expoſitio.

D*Ixit Ieſus Petro ſequere me.* Poſt quàm dominus celebrauit vltimum conuiuium cum ſeptem diſcipulis ad mare Tyberiadis poſt reſurrectioné ſuam, ſignificauit Petro, qua morte clarificaturus eſſet Deum, dicens illi: Cum eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autẽ ſenueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et ſtatim ſubiunxit. *Sequere me*, id eſt imitare me, vt ſicut ego pro tua redemptione pati non timui, ſed potius crucem aſcendere curaui pro tua ſalute, ita & tu pro confeſſione nominis mei crucis paſſionem ſubire non formides, quia in tantum glorioſior eris apud me, in quantum mea veſtigia ſecutus fueris. Mortuus ſum pro te, morere pro me. Qualia feci tibi, talia retribue mihi. *Conuerſus Pet. vidit illum diſcipulum quem diligebat Ieſus.* Ex his verbis euangeliſtæ datur nobis intelligi, quia vt dixit Ieſus Petro, *Sequere me*, ſurrexit de loco conuiuij, & cœpit

cœpit abire. Secutus eſt autem eum Pet. etiam inceſſu corporis ſecutus eſt, & ille diſcipulus, quem diligebat Ieſus. Ioan. ſcilicet, qui ſcripſit hoc euangelium. Conſuetudo eſt illorum, qui ſacras ſcripturas ſcribendo reliquerunt, vt, quando volunt perſonam ſuam demonſtrare, ſic de ſe, quaſi de alio loquantur. Sicut fecit Moſes, qui dixit: Erat autem Muſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Nõ dixit, ego eram.

Iob. 1. Et Iob, Vir erat in terra Hus nomine Iob. Non dixit: Ego eram in terra Hus. Similiter & B. Io. ſic de ſe quaſi de alio loquitur, cum dicit. *Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus.*. Omnes diſcipulos dilexit dominus, quibus dixit:

Ioan. 13. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Diligebat autem eũ, non exceptis cæteris ſingulariter ſolum, ſed præ cæteris familiariùs vnum. Sed hunc præ cæteris dilexit ob meritum caſtitatis, quia virgo electus eſt ab ipſo, virgo in æuum permãſit. Tradunt nanque hiſtoriæ, quod volentem eum nubere vocauerit dominus de nuptiis ad ſe ſequendum, & ideo dignum erat, vt quem ab amore carnali abſtraxerat, ſuo amore dignum faceret.

Ibidem. Qui & recubuit in cœna ſupra pectus eius. Hoc factum eſt ante paſſionem domini. Pridie nãque eum pateretur, cum cœnaret cum diſcipulis ſuis, recubuit ſupra pectus eius B. Ioan. Tunc dixit Ieſus: Vnus veſtrum me traditurus eſt. Innuit huic, id eſt, Beato Ioanni Petrus, vt interrogaret dominum, qui eſſet eum traditurus. Et dixit ille: Domine quis eſt, qui tradet te? Reſpõdit ei dominus: Cui intinctum panem porrexero, ipſe eſt me traditurus. In hoc quod Beatus Ioã. ſupra pectus domini recum requieuit, indicium maximæ dilectionis fuit, quia præ cæteris a domino diligebatur. Figurabatur etiam, quia altiùs erat præ cæteris Euangeliſtis euangelium ſuum ſcripturus. In pectore enim Ieſu ſunt omnes theſau-

Coloſſ. 2. ri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi. Ex pectore Ie-

Ioan. 1. ſu hæc hauſit Beatus Ioannes fluenta doctrinæ, quæ poſtmodum nobis eructauit, dicens: In principio erat verbum. Cæteri nanque euangeliſtæ, quaſi cum Deo in terra ambulant, quia pauca de diuinitate eius, tamen plura de humanis actibus ſcripta nobis reliquerunt, Ioannes verò quaſi cum domino ad cælum volat velut aquila, quia myſterium diuinitatis narrat. *Et dixit: Domine, hic autem quid?* Ac ſi diceret B. Petrus. Domine, dixiſti mihi, quia per mortem crucis ſequi debeam veſtigia tua, & ego ſcio, quia alta ſum facturus, crucifigendus ſum: volo autem vt dicas mihi, iſte meus frater, & condiſcipulus Ioannes, per quam mortem tranſiturus ſit ad patriam cœleſtem. *Hic autem quid?* id eſt, quid eſt paſſurus, per quod genus mortis trãſibit ab hac vita? Dic mihi. *Reſpondit ei dominus: Sic eum volo manere.* Ac ſi diceret, Nolo eum per occiſionẽ crucis conſummari ſicut te, nolo eum gladio feriente vitam finire tẽporalem, nolo vt lapidetur, nolo vt vſtuletur, neque vt præcipitetur, ſed tamdiu volo illum manere in præſenti ſeculo ſine morte corporis, donec longo ſenio confectus, me vocante, in pace tranſeat ad vitam perpetuam. Non ideo dixit dominus quaſi B. Ioannes nulla aduerſa huius ſeculi eſſet perpeſſurus pro Chriſti nomine, quia legi-

Act. 5. mus eum, in actis apoſtolorum flagellatum cum cæteris apoſtolis, quando ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Legimus in Eccleſiaſtica hiſtoria de Epheſo Romam eum adductum, & ibi à Domitiano in feruentis olei dolium miſſum. Vnde Chriſti gratia ſe protegente, ita exiuit illæſus à dolore corporis, ſicut fuit alienus à corruptione carnis. Legimus etiam eum à Domitiano principe propter euangelium in Patmos inſulam relegatum, vbi humano deſtitutus auxilio, diuina meruit conſolatione releuari, vbi ſcripſit Apocalypſim, de ſtatu præſentis eccleſiæ, atque futuræ. Legimus etiam eum ibi bibiſſe venenum, quo hauſto, nihil ei nocuit. Hæc omnia legimus eum pertuliſſe: ideo poſſumus ſcire, quia nõ dixit dominus: *Sic eum volo manere*, quaſi ipſe nihil tribulationis eſſet habiturus, ſed propterea dixit. *Sic eum volo manere*, id eſt, tam diu volo eum expectare, donec in pace eccleſiæ conſtitutus ſuſcipiam eum ad gaudia æterna. *Quid ad te?* pertinet de illo per quam mortem tranſiturus ſit ad vitam? *Tu me ſequere*, per mortem crucis. *Exiuit ergo ſermo iſte inter fratres &c.* Fratres hîc appellãtur apoſtoli, qui vnũ Deũ habebãt patrem quibus dominus alibi, Omnes autem vos fratres eſtis. *Exiuit ergo ſermo iſte inter fratres*, id eſt, inter diſcipulos: *quòd diſcipulus ille non moritur.* Matt. 23. Non rectè intellexerunt apoſtoli verba domini, quibus dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Putauerunt enim quod dominus dixiſſet B. Ioannẽ non moriturum, donec ipſe veniret ad iudicandum genus humanum, & tũc ſine morte corporis aſſumendus eſſet ad patriam cœleſtem, non bene interpretantes verba domini. Sed qualiter eſſent intelligenda, B. Ioannes curauit manifeſtare dicẽs, *Et nõ dixit Ieſus non moritur, ſed ſic eum volo manere*, id eſt, nolo eum conſummari per tormenta paſſionis, donec in pace veniam. redditurus ei cæleſtia. Legimus in libris patrum, quod cum eſſet B. Io. in ſenectute poſitus, quia quadraginta ſeptem annis vixit, poſt aſcenſionem domini, tunc venit ad eum dominus quinta feria (iam erãt cæteri apoſtoli cum eo in cœlis) & dixit ei dominus: Ioannes tempus eſt, vt epuleris ſuper mẽſam meam cum fratribus tuis, tamen expecta vſque ad diem reſurrectionis meæ, id eſt, dominicum, & tunc venies ad me. Quod audiens B. Ioannes adueniente die dominica, iuſſit venire omnes credentes tam clerum quàm populum de Epheſo in Eccleſiam, quæ in eius nomine dedicata fuerat, & monuit eos à pullorum cantu vſque ad horam tertiam, & celebrauit miſſam, & benedixit eis, & tradidit myſteria corporis, & ſanguinis domini. Ad vltimum valefaciens eis deſcendit in ſepulchrum, quod iuſſerat ſibi parari iuxta altare: & facta oratione, immenſa claritas de cælo occupauit totum illum locum, in quo erat ſepulchrum per ſpatium horarum duarum. In illa claritate venit filius Dei, ſicut promiſerat, cum duodecim apoſtolis, & traduxit eum ſecum ad cælum, tam à dolore mortis extraneus fuit B. Ioan. quàm fuerat à corruptione concupiſcentiæ carnalis alienus. Sublato ſplendore, apparuit locus ſepulchri complanatus ſicut cætera terra. Et eſt incertum vtrum corpore, & anima, an in anima ſola fuerit aſſumptus. Deus ſcit. *Hic eſt diſcipulus, qui teſtimonium perhibet de his*, id eſt, de miraculis Chriſti, & verbis ſuperius dictis. Teſtimonium perhibuit B. Ioan. Chriſto per quadraginta ſeptem annos poſt aſcenſionem domini ad cælos prædicando Euangelium, abſque vllo adminiculo ſcriptionis. Teſtimonium perhibuit poſtmodum ſcriben-

Eccleſia in nomine S. Ioannis etiã viuo dedicata.

S. Ioãnes miſſam celebrauit.

Altare erigebatur in eccleſia etiam à tempore Apoſtolorum.

do. Teſtimonium perhibuit exponendu auditoribus ſuis. Teſtimonium perhibuit Chriſto vſque ad finem ſeculi, quando Euangelium ſuum recitatur in ſancta eccleſia. Videamus modò quid deſignant iſti duo diſcipuli. Petrus qui plus dilexit dominum quàm cæteri apoſtoli, & Ioannes qui plus eſt dilectus à domino quàm cæteri, duas eccleſias ſignant & vitas. Per Petrum, qui cum labore paſſionis præſentem vitam finiuit, deſignatur præſens eccleſia, quæ à Chriſto peregrinatur in terris, & adhuc tribulationibus atteritur. Quia *2. Tim. 3.* qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Deſignatur etiam per Petrum actiua vita. Per Ioannem vero, qui ſine dolore paſſionis tranſiit ab hac vita, deſignatur eccleſia futura, quę regnat iam, & regnatura eſt cum Chriſto in æterna quiete. Deſignatur etiam per eum contemplatiua vita. Actiua vita eſt indigenti eleemoſynam prębere, eſurientem reficere, ſitientem potare, nudum veſtire, pauperem colligere, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, inſcium docere, per preſſuras tribulationum ad cæleſtem patriam tendere. Contemplatiua vita, eſt orationi, & lectioni, & lachrymis inſiſtere, à ſecularibus immunem ſe reddere: ſicut fecerunt ſancti apoſtoli, qui omnia reliquerunt pro nomine Chriſti. Et ſicut fecerunt boni eremitæ, & faciunt modò boni monachi, qui in contemplatione Dei omnipotentis poſiti, habentes victum, & veſtitum, his contenti ſunt, & toto niſu corporis ad cæleſtem patriam tendunt. Actiua hic in præſenti ſeculo incipitur, & in futuro finitur. Contemplatiua autem hic incipitur, & in futuro augetur: & quod hic ex parte ſumitur, illic perfectè capitur, quod hic videtur per ſpeculum, & in ęnigmate, illic videbitur facie ad faciem. Plus dilexit dominus Ioannem quàm Petrum, qui diligit plus eos, qui iam in contemplatione illius poſiti ſunt in cælis, quam eos, qui peregrinantur in terris. *Et ſcripſit hæc*, quę ſuperiùs ſcripta ſunt. Quęrendum eſt quę cauſa compulit beatum Ioannem ſcribere hoc euangelium. Cum ille (vt ſuperiùs diximus) miſſus fuiſſet in Patmos inſulam iuſſu Domitiani impiiſſimi Cæſaris, ſurrexerunt in ſancta eccleſia, quam ipſe ædificauerat ſua prædicatione hæretici, Marcion, & Ebion, & Cherintus, & alij Antichriſti, & cœperunt fidem eccleſiæ maculare ſuis peruerſis doctrinis. Dicebant enim: Si Chriſtus natus eſt temporaliter ex Maria virgine, ergo erat tempus, quando, non erat. Cum autem per Dei diſpoſitionē Domitianus mortuus fuiſſet, & Nerua pius rex ſucceſſiſſet in eius locū, iuſſit omnia acta Domitiani maligni Cæſaris irrita haberi. Et inter cætera accepit B. Ioan. de Patmos inſula ad patriam reduci. Cum autem reductus fuiſſet ad propriam ſedem Epheſum conuenerunt ad eum Epiſcopi, & presbyteri Aſiani, & religioſi laici, etiam de longinquis regionibus tranſmiſerunt ſuos legatos ad eum obſecrantes, vt ſcriberet eis aliquid de coæterna Chriſti diuinitate, quam habet cum patre, & ſpiritu ſancto: quia ſatis habebant de humanitate illius ab aliis euāgeliſtis. Iam ſcripſerat Matthæus euangelium ſuum Hebraico ſermone, Marcus, & Lucas in Græco, in quibus ſufficienter habebant de humanis actibus filij. Quod ille dixit ſe non aliter facturum, id eſt, non ſcripturum illis, niſi indicto ieiunio, omnes communiter dominum deprecarentur, vt ſpiritu ſancto repletus, vera & digna Chriſto poſſet ſcribere. Quo facto, id eſt, cum quatriduanum ieiunium peregiſſent, tunc gratia ſpiritusſancti B. Ioan. inebriatus dixit. (In principio erat verbum) Oſtendit per initium huius euangelij & per ſequentia eius, dominum Ieſum Chriſtum, qui temporaliter eſt natus ex matre, ante omnia tempora genitum ex patre, & coæternum illi. Tunc omnis error hæreticorum reſecatus eſt per dicta illius. *Et ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.* Ne alicui ambigendum, id eſt, dubitandum eſſet de dictis illius, ipſe proprio ore confirmare ſtuduit adiungens ſuam perſonam dicens nobis: *Et ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.* Vera enim loquutus eſt, quia Deus regebat linguam eius. Studeamus autem & nos pia fide intelligere ea quæ ſcripſit, & opere implere ea quæ docuit, vt ad gaudia æterna peruenire valeamus, quæ promiſit. Quare non poteſt mens humana Deum comprehēdere? quia maius eſt illud, quod comprehendit, eo, quod comprehenditur. Verbi gratia. Accipe alicuius digitum in manu tua, maior erit manu, quæ concludit digitū, quàm qui concluditur. Similiter ſi mens humana potuiſſet Deum comprehendere intellectu, maior eſſet mens quàm Deus.

Sepultura mortuorū inter opera miſericordia cōputatur.

Mos antiquiſſimus in eccleſia indicendi ieiunij pro neceſſitatibus eccleſiaſticis.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. ſuperioru Euang. expoſitio.

Deſiderantur quædam.

. . . . quod hoc ferme ſignificat, Veni, inquit, aſſume oues, egredere in mundum. Igitur, quia vidit dominus Petrum curam agentem Ioannis, & ab eo auelli nolentem, dirimit eos propter intempeſtiuam affectionem, & conſuetudinem. Opus, inquit, quod tibi concreditum eſt, perfice, & ſequere me, qui educo te, & prædicationem, & totum orbem in manus tuas trado. Illum autem ſi velim manere in hoc loco, Galilæa ſcilicet, & non mittere tecum, quid ad te? *Donec veniam*, quidam ſic exponunt, Donec, inquit, cōtra Iudæos, qui me crucifixerunt, veniam, percuſſurus eos in virga Romanorum, & ſubuerſurus eorum ciuitatem. Dicunt enim Apoſtolum illum vſque ad Veſpaſiani imperium, locaque ſuperiora peragraſſe, prædicantem, & manentem illic: quando autem capiendæ erant Hieroſolymæ, tranſiiſſe. Igitur quia magnū prædicationis opus, non erant coniungendi, ſed ſeparandi, vt vnus ad hos, alius ad alios iret. Quare autē meminit Euangeliſta recubitus ſupra pectus, & quòd interrogauerit, *Quis eſt, qui te tradet?* Non hoc ſimpliciter, neque fortuito euenit, ſed vt oſtendat libertatem Petri poſt negationem. Nam, qui antea non audebat interrogare de traditore, ſed alteri committebat interrogationem, illi omnium præfectura concreditur, & non ſolū committitur, ſed & pro illo ipſo, qui maxime diligebatur, interrogat, & fit mediator apud dominum. Admirare autem, quàm ſit alienus à faſtu Euangeliſta, quomodo quorūdam ſuſpicionem corrigit, quòd nō rectè cognouerint, quid de eo dominus dixerit, ſed putauerint, quòd non moriatur, id quod non erat, ſed manere iubet eum dominus, non ꝙ nō moriatur, ſed quòd non ſit iungendus comes Petro prædicationis tempore, manere autem debeat ſuo loco. Iam manere *donec veniam*, hoc eſt, donec mihi placuerit, vt & illum educam ad prædicationem. Te enim nunc educo, vt præſis orbi, & ſequaris me: ipſe autem maneat

Petro totus orbis à Chriſto in manus traditus.

Ioan. 13.

Præeſt Petrus orbi.

maneat hoc loco, donec redeam, & educam etiam ipſum ſicut te. Quidam autem ſic intelligunt, Quum audiſſet (inquit) Petrus, quòd moriturus pro Chriſto, dixit: & Ioannes quid? Num morietur & ipſe? Omnis enim, qui natus eſt, & moritur. Dixit autem: *Si voluero manere*, hoc eſt, viuere eum vſque ad conſummationem ſeculi, vt & tunc de me teſtetur. Vnde & dicunt viuere eum, & ab Antichriſto occidendum cum Helia prædicantem Chriſtum. Quamuis autem & monumẽtum eius oſtendatur, quid hoc? Nam viuens quidem ingreſſus eſt in illud, & deinde trãſlatus, ſicut & Enoch, & Helias. Igitur Euangeliſta euertit falſam opinionem exiſtimantium, quòd non moriatur diſcipulus hic, ſed immortalis ſit. Vere enim mendacium eſt, immortalem eſſe hominem. Quamuis enim Enoch, & Helias non ſint mortui, attamen mortales ſunt. Ita & hic quoque quamuis non fuerit mortuus, tamen morietur. Igitur, quòd non moritur, hoc eſt immortalis ſit, falſum eſt. Alij autem affirmant, quòd mortuus fuerit: & quod dicit; *Si eum voluero manere*, intelligunt ſicut interpretati ſumus. Omnes opiniones diximus: ne quam ignorent ſtudioſi. Nobis autem placet, vt, *donec veniam*, intelligatur ſicut Chryſoſtomo diuino, & aureo illi ori videtur, & nõ de vita, ſed quòd non ſit iungendus Petro. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet, &c.* Quare, quum nullus Euangeliſtarum alius de ſeipſo perhiberet teſtimonium, hic de ſeipſo teſtatur? Dicitur poſtremus ad ſcribendum acceſſiſſe, quum motus, & excitatus eſſet ad id per Chriſtum. Ea propter ſæpe dilectionis meminit, oſtendens cauſam, propter quam ad ſcribendum acceſſerit, quòd Chriſtus commiſerit hoc opus ei, qui præ alijs magis diligebatur. Et ſcio, inquit, quòd vera dicit, hoc eſt, certis indicijs compertum habens, ſcripſi quæ ſcripſi, vtpote qui interfui omnibus ſermonibus, & operibus, & paſſionibus, & iis, quæ poſt reſurrectionem acciderunt. Dilectus enim eram, & non excludebar, atque ita fidenter & de meipſo dico quòd vera dico, prouocatus vt exquirerem, quæ facta ſunt, & ſingula examinarem, vt ſolemus homines, omnes quando bene fidimus veritati, ne forte teſtimonia
Actu. 5. noſtra negentur, id quod & Apoſtoli dicebant. Nos ſumus teſtes eorum, quæ dicimus. Et ſpiritum dedit obedientibus ſibi. Vnde autem manifeſtum, inquit, quòd vera dicam, & non aduler præceptori? Ex eo quòd multa prætermitto, vnde perſpicuum, quòd non aduler. Qui enim ignominioſa omnia in medium protuli, & non abſcondi, quòd eum & præuaricatorem legis, & ſeductorem nominauerunt, & dæmoniacum, neutiquàm adu-
Ioan. 8. 59. latus fuerim. Qui enim adulatur, & ad gratiam loquitur, contrarium facit: poſitiſque contemptibilibus, glorioſa in medium adducit.

INCERTVS QVIDAM
ſub nomine Euſebij Emiſſeni in idem Euangel.

LEgitur ſuperius in hoc euangelio, quòd diſcipulos ſuos ad prãdium dominus inuitauerat. Et bene quidem ad prandium, quia dies paſchales erant. Dies, de quibus ipſe dixerat, non poſſunt ieiunare filij ſponſi, quandiu cum illis eſt ſponſus. Talibus enim diebus non ſemel, ſed tota die, ſi fieri poſſet, Chriſti conuiuiis intereſſe, & ſpiritualibus cibis refici debuiſſent Chriſti fideles. Cum autem prãdiſſent, interrogauit dominus Petrum, & ter interrogauit, an eum diligeret. Quo reſpondẽte, domine, tu ſcis, quia amo te, ait, Paſce agnos meos, paſce oues meas. Prius agnos, deinde oues ei commiſit: quia non ſolùm paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues: paſcit filios, paſcit & matres: regit & ſubditos & prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt. Nihil (inquam) quod non ſuis paſtoribus Chriſtus commiſerit. Ecce Petrus qui negauerat ter dominum, ter ſe amare reſpondit, quatenus amor deleat culpam, & dilectio tollat offenſam. Et dicit ei Ieſus, Amen amen dico tibi, quum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Quod quid ſignificet euangeliſta exponens ait, Hoc autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet Deũ. In crucis nanque patibulo poſitus beatus Petrus, ibique manus extendens, quum iam quidem ſenuiſſet, & ad vitæ finem perueniſſet, ab alio cinctus, & ligatus eſt. Et meritò poſtquam ter dominum ſe amaſſe reſpondit, mortem ſuam ei dominus nunciauit, in qua quantũ eum dilexerit, apertiſſimè demonſtrauit. Et quum hoc dixiſſet, dicit ei, *Sequere me.* Quod Petro dicitur, omnibus dicitur: quia enim Petrus præ cæteris maior erat, meritò tota Eccleſia in Petro ſignificabatur. Omnes igitur fideles ſibi dictum eſſe intelligant, id quod ſoli Petro dictum eſt, *Sequere me.* Si me (inquit) diligis, ſequere me, veni poſt me, imitare me: vt, ſicut ego propter te, ita & tu moriaris pro me. Hæc audiens beatus Petrus, & mente, & pedibus cœpit ire poſt Ieſum. *Conuerſus autem vidit alium diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit, domine quis eſt, qui tradet te?* Pluribus in locis beatus Ioannes Apoſtolus de ſeipſo loquens, ait, *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*: quaſi vel ſolum ipſum, vel præ cæteris ipſum vnum dilexiſſet. Chriſtus autem ſi aliquem plus diligebat, eum vtique plus diligebat, qui cæteris melior erat. Quòd autem omnes diligeret, ipſe oſtendens, ait, Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Perfectè igitur diligebat omnes. Non ergo plus diligebat Ioannem, quia perfecta dilectione nulla dilectio maior eſt. Sed dicis, Ille melior eſt, qui plus diligitur à domino. Et ego dico, quòd melior eſt ille, qui plus diligit dominum. Non facilè igitur patet, qui melior ſit, an Petrus, an Ioannes. Quòd enim Petrus plus diligat dominum, oſtendit & ipſe dominus, dum dicit, Simon Ioannis, diligis me plus his? Quòd verò Ioannes plus diligatur à domino, ipſe manifeſtat, dicens, *Hic eſt diſcipulus quem diligebat Ieſus.* Hoc ergo quia ad literam non procedit, ſignificationẽ videamus. Quid enim per Petrum, niſi vita actiua: quid per Ioannem, niſi vita contemplatiua deſignatur? iſte enim vxorem, & prolem habuit: ille ſemper in virginitate perſeuerauit: iſtum ad laborem, illum ad quietem dominus inuitat: iſti dicit, *Sequere me*: de illo dicit, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Fatigatur enim ſemper, & tranſit vita actiua: manet verò & quieſcit contemplatiua. Vnde in Canticis Canticorum dicitur, Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, per capreas, ceruóſque camporum, vt non

Petrus fuit Paſtorum paſtor.

ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit: Nota modò quòd ipſa quoque vita dilecta vocatur, quæ per huc dilectũ ſignificatur. Ipſe quoque Ioannes hoc in loco vitam contemplatiuam ſe ſignificare oſtẽdit, dum ſe ſupra pectus Ieſu recubuiſſe dicit. Illi enim recumbunt ſupra pectus Ieſu, qui ſapientiæ & ſcientiæ operam dant, & qui lectioni vacant & contemplationi. Si ergo Petrus ſignificat vitam actiuam, Ioannes autem contẽplatiuam, plus vtique diligit dominus Ioannem quam Petrum: id eſt, illam vitam quæ ſignificatur per Ioannem, quam illam, quæ ſignificatur per Petrum, quamuis æqualiter diligat & Ioannem & Petrum. *Hunc ergo quum vidiſſet, dicit Ieſu: domine hic autem quid?* De me (inquit) iam ſcio, certus ſum de morte mea: volo etiam ſcire qua morte te clarificet iſte frater & conſeruus & ſocius meus. *Dicit ei Ieſus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Tu (inquit) me ſequere, tu ſicut ego crucem aſcende, tu eandem quam ego mortem patere. Hunc autẽ ſic volo manere: non cruce, non perſequutoris gladio, non aliqua violentia volo eum vitam finire, ſed in pace & quiete diem vltimũ terminare. Veniam ad eum, & quando mihi placuerit, vocabo eum. Nemine cogente, ſed ipſo volente, & me vocante, de pace in pacem, de quiete in quietem transferam eum. Legitur enim quòd beatus Ioannes longo iam ſenio confectus, quum in pace, & quiete eccleſiam regeret apud Epheſum, populum ad ſe conuocans,
Ioannes miſſas celebrauit. poſt longam alloquutionem & miſſarum celebrationem in locum iuxta altare defoſſum deſcenderit, & ita quaſi ſomno quodam leui atque ſuaui ad dominum tranſierit. Quid eſt igitur, *ſic eum volo manere*? quid eſt ſic? Sic, inquit, vt à nemine occidatur, ſed me vocante ſuauiter, & iucundè de hac vita in aliam transferatur. *Exijt ſermo iſte inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur: & non dixit Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Non bene ergo diſcipuli intellexerant id quod dominus de Ioanne dixerat, ſic eum volo manere donec veniam. Non enim his verbis Ieſu ſignificatur quòd Ioannes non moriatur. Si enim hoc his verbis ſignificaretur, nequaquam Ioannes dixiſſet, *Et non dixit Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam.* Quid enim aliud dixit Ieſus, niſi id quòd eius verbis ſignificabatur? Non enim tantùm attendimus verba, quãtum verborum ſignificata. *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius.*

PETRI DAMIANI HOſtienſis epiſcopi de excellentia beati Ioannis Euangeliſtæ Serm. 1.

HOdie, dilectiſſimi, nobis lætitiæ gaudia geminantur, quia, recenti adhuc natiuitate dominica, beati Ioannis occurrit ſolennitas glorioſa. Hodie diſcipulus, quem diligebat Ieſus, dilectoris ſui amplexibus ſtringitur, ſocietate perfruitur, & quod viderat, quod audierat, quod manibus attrectauerat de verbo vitæ, tanto iam liquidius, quãto
1. Ioan. 1. ſublimius contemplatur. Hodie ſcilicet illa mirabilis aquila, quam & olim Ezechiel eminere cæte-
Ezech. 1. ris quatuor animalibus vidit, & ipſe Ioannes ſuimet (vt ita loquar) propheta factus, volantem in myſtica viſione conſpexit, ad vnicam angelorum, & hominum eſcam, penna librata ſublimiũ meri-
torum, feliciter euolauit. Licet enim vbicunque *Lucæ 17.*
fuerit corpus, illic neceſſario congregentur & aquilæ, ſed iſte tanto familiarius ad vitę pabulum, corruptionis vinculis iam ſolutus, accedit, quanto & in carne adhuc poſitus, in ipſum æterni ſolis orbem, hoc eſt, in diuinæ ſubſtantiæ claritatem radios purificatæ mentis infixit. O quàm miranda ſuper nos cęleſtis cõſilij diſpenſatio, ó quã profunda diuinæ ſapientiæ eſt altitudo! Deſcendit Deus ad hominem, vt occultam hominibus innoteſceret deitatẽ. Ad humanæ mortalitatis exire dignatus eſt publicum, vt nobis æternitatis ſuæ reuelaret arcanum. Sed, ſi mox vt in euangelicæ doctrinæ cæpit verba prorumpere, ac nouæ gratiæ myſteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, ſtatim diuinitatis ſuæ panderet ſacramentum, cuius, quæſo, ferret auditus, cuius vnquam cape-
ret intellectus? Nam, vt de diuinitate nũc taceam, *Ioan. 6.*
cum dominus diceret, quia, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, & qui manducat me, ipſe viuet propter me, protinus aſpernati ſunt
verbum, & exhorruere dicentes: Durus eſt hic ſer- *Ibidem.*
mo. Quis poteſt eum audire? Deinde ſcriptura
ſubiungit. Ex hoc, inquit, multi diſcipulorum *Ibidem.*
abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant: Videlicet non de turba, non quilibet imperiti, ſed ipſi etiam diſcipuli nequiuerunt capere verbum myſterij. Quid ergo iſti facerent ante ſolem, qui cæcati ſunt ad lucernam? Quomodo tonitrui ſuſtineant ſonitum, qui clangentis tubę pondus ferre nequeunt, imò qui ſuppreſſæ, ac temperatę humanæ vocis exilitate ſuccidunt? Propterea igitur redemptor noſter dilectum ſibi ſpeciali prærogatiua diſcipulum ad declarandam ſuæ diuinitatis eſſentiam, quoddam quaſi organum fecit, atque vt hic suppleret, quod ad tempus ipſe dominus diſpenſatiue ſuppreſſerat, ſibimet vicarium dereliquit, quatenus, expleto paſſionis, ac reſurrectionis, aſcenſioniſque myſterio, poſt tredecim ferè annorum luſtra, cum iam videlicet homines liberiorem ad capeſſendam veritatem haberent mẽtis obtutum, hic coëſſentialis, & coæterni Deo verbi
panderet ſacramentum, dicens; In principio erat *Ioan. 1.*
verbũ, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Humanæ quippe imbecillitatis ordo poſcebat, vt prius Chriſti humanitatis primordia curſum, conſummationẽmque pernoſceret, miracula etiam, quæ in hominem geſſit, addiſceret: ſicque paulatim ad comprehendendum diuinitatis occultæ myſterium, ſuis vegetata prouectibus, aſpiraret. Quapropter diuini fuit cauſa conſilij, vt cæteri euangeliſtæ, qui in deſcribenda ſaluatoris humanitate verſati ſunt, longe præcederẽt. Ioannes vero cum homines tanquam primo lactantes firmiora iam in via veritatis veſtigia figerent, eos ad conſcendendam diuinæ ſcientiæ gratiam promoueret; hanc denique ſuperemittentem diuinæ ſcientiæ celſitudinem tunc diuinitus illuſtrata mente concepit, cum in ſacroſancto myſticæ cœnæ conuiuio ſupra pectus recubuit redemptoris.
Et quia in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapiẽ- *Coloſſ. 2.*
tię, & ſcientiæ abſconditi, ex illo cæleſti gazophylatio ſummã traxit, vnde noſtræ paupertatis inopiam copioſa liberalitate ditauit. Ex illo, inquam, nobis ærario diuitiarum copias attulit, & in com-

munem

munem totius mundi ſalutem bene prodigus erogauit, imò ſuper fontem perennis vitæ recubuit, vt ipſe tunc ſemper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis poſtmodum præfixo certi temporis articulo propinaret. Magnus videlicet paradiſi fluuius, qui ex principali ſui fontis origine profluens, ac vberiori cæleſtium chariſmatum inundatione procedens, ſqualentia deſerta humanarum mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum tanquam nouatum frugum germina, vberrima fertilitate fœcundat. Et non immerito tam profunda, tam ſupereminens reuelatio deitatis virgini debebatur, vt qui carnis ſibimet imputauit illecebras, felici cõmercio pro carnali dulcedine cæleſtiũ epularum diuitiis frueretur. Ad tantum ſcilicet gratiæ prouectus eſt priuilegium, vt omnem tranſgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non propheta, non patriarcha, non denique quiſquam ab ipſo primordio cognoſcatur in carne poſitus aſpiraſſe. Nec mirum, ſi redemptor noſter beato Ioanni vicem ſuam ad declarandum diuinitatis ſuæ myſteriũ delegauit, quem ad cuſtodiendã venerabilem matrem ſuam, perpetuam ſcilicet virginem, quaſi alterum filium ſuo loco ſuppoſuit, *Ioan. 19.* mulier, inquiens, ecce filius tuus, ad diſcipulũ autem: ecce mater tua. Dignum quippe fuerat, vt, cui potiſſimum commiſit cæleſtia, committeret & terrena. Et quia mediator Dei & hominum ex duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana conſiſtit, vnus Emmanuel, beatus Ioannes vtriuſque naturæ fidelis miniſter exiſteret, qui & diuinitatis ſacramenta conſcriberet, & beatæ genitrici perpetuæ cuſtodiæ, ac ſedulitatis ſuæ miniſterium exhiberet. Cuiùs vtriuſque excellentiſſimi videlicet ſacramenti quodammodo miniſtrum ſe eſſe teſtatur, cum per omnem euangelici textus ſui ſeriem, ſic ſtili modum temperet, & quadam viciſſitudine myſticæ varietatis alternat, vt modo humana pronuntiet, modo diuina, modo quæ humanitatis ſunt, hiſtorialiter inſerat, modo quæ ſunt diuinitatis quadam ſublimium, ac ſubtilium verborum maieſtate depromat. Tantáque locutionis arte verborum vim temperat, ac libratæ moderationis ſobrietate diſpenſat, vt nec diuinitatis arcana vulgari, nec ea, quæ fidei noſtræ neceſſaria ſunt, patiatur abſcondi. Proinde, quum hiſtoriæ verba contexit, velut per tenuiſſimas rimas diuinitatis fulgorem ad oculos hominũ coruſcare permittit. Sicque, dum tenuiſſimo lucis æternæ radio oculus mentis noſtrę perſtringitur, ad indagandum mox illud inacceſſibile ſummæ veritatis lumen perſpicatius aperitur. Quia vero beatus Ioannes, alternato ſuę narrationis ordine, modo diuinitatẽ Chriſti ſublimiter intonat, modo quæ humanitatis ſunt, plane quodammodo, atque humiliter aſſeuerat: ſicut ipſe in euangelij ſui principio cœpit, ita ſeriatim vſque ad finem hunc eũdem modum per omnem ſuæ deſcriptionis articulum tenuit. Nam, ſicut noſtis, in capite *Ioan. 1.* ſui libri deificum illud, ac ſingulare ponit exordium. In principio, inquiens, erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce aquila Dei ad cæli verticem ſublimiter euolat: ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, vt preſſis alis, aliquando in imum ſubmiſſa deſcendat. *Ibid.* Vnde & paulo poſt, quid ſubdat, audite: Et verbũ, inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis. Hanc itaque diuerſitatem humanitatis, atque diuinitatis, vnitè ſibimet, atque inconfuſe ſponſa de ſpõſo dicit in *Cant. 5.* Canticis: Venter, inquit, eius eburnus, diſtinctus ſapphiris. In membris quippe humani corporis, vix aliquid ventre fragilius, ſiue tenerius inuenitur, ideóque per ventrem recte fragilitas in Chriſto aſſumptæ humanitatis accipitur. Ebur autem os eſt elephantis, quod videlicet animal fertur eſſe caſtiſſimum, frigidiſſimæque naturæ. Venter ergo eburneus eſt ſpõſi, quia ſuſcepta redemptoris humanitas, ab omni peccatorum cõtagio caſta prorſus, & inuiolata permanſit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Sapphirus autem lapis eſt, ſereni cæli habens colorẽ, vnde & in viſione domini dicitur. *Eſa. 53.* Erat ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum, cum ſerenum eſt. Per ſapphiros ergo opera diuinitatis intelliguntur, quę in carne dominus oſtendebat. Venter ergo ſponſi diſtinctus erat ſapphiris, quia Chriſti humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec plenus ſapphiris eſſe dicitur, ſed diſtinctus, ita videlicet vt inter ſapphiros candor eboris appareret: quia ſic dominus ex parte hominis aſſumpti operabatur humana, vt aliquando nihilominus ex parte deitatis oſtenderet & diuina. Nam eſurire, ſitire, *Ex Leonis epiſtola, quæ columna fidei dicitur.* flere, poſtremo crucifigi, & mori, humanitatis erant opera; miracula vero facere, & non ſolum alios, ſed etiam ſemetipſum à mortuis ſuſcitare, euidentiſſima erant diuinitatis indicia. Hoc itaque modo beatus Ioannes quaſi eburneum ventrem ſponſi ſapphiris diſtinguit, dum aliquando diuinitatis alta, aliquando humanitatis infirma deſcribit. Quia igitur hic beatus Ioannes de Deo mirabiliter, atque incomparabiliter cæteris mortalibus loquitur: iure factum eſt, vt non ſolum à Gręcis, ſed etiam à Latinis vndique theologus appelletur. Theotocos Maria, quia Deum veraciter genuit: theologus Ioãnes, quia Dei verbũ ante ſecula apud patrem eſſet, & Deũ eſſe, nõ ſolũ inenarrabiliter vidit, ſed & profunda ſublimitate deſcripſit. Vnde nõ immerito poteſt dicere cũ propheta: *Pſal. 44.* Eructauit cor meum verbum bonum. Recte ergo virgo virgini ad obſequium traditur, & pro domino ſeruus vice filij ſubrogatur, vt virginalis pudicitiæ ſplendor ex vtraque perſona ſibimet inuicem congruat, & floridus intimi candoris aſpectus, quod in ſe virere conſiderat, hoc vernare & in altero deprehendat. Libet hic, fratres mei, pulchram varietatem diuinæ diſpoſitionis corã charitate veſtra perpendere, & egregios duos redemptoris noſtri diſcipulos qualiter inter ſe quadam dignitatis ſimilitudine congruant comparare, Petrum videlicet, & Ioannem. Commiſit nanque dominus Petro claues eccleſiæ, voluit & beato Ioanni cuſtodiam Mariæ delegare. Vtraque nimirum mater: Mater Maria, mater eccleſia. Sed Maria mater Chriſti, eccleſia mater populi Chriſtiani. De Maria Chriſtus carnem ſuſcepit: eccleſiam vero de lateris ſui carne produxit. Ex iſta prodiit ſecundum carnem natus, illam protulit carne iam mortuus. Ex iſta voluit naſci: pro illa dignatus eſt mori. Ex vna ſemel natus eſt in perſona ſua: ex altera quotidie naſcũtur membra ſua. Traxit ex altera, quod pro altera moreretur, & quo vtraque communiter ſaluaretur. Magna igitur, & felix mater eſt beata virgo Maria, ex cuius viſceribus caro Chriſti aſſumpta

pta eſt, ea qua rurſus per aquam, & ſanguinem profluxit eccleſia. Hoc itaque modo & ex Maria prodiiſſe videtur eccleſia. Vtraque tamē caſta, vtraque munda, vtraque perpetuę virginitatis ſignaculo præmunita. Harum itaque duarum matrum, duarum perpetuo virginum, alteram Petro, alteram Ioanni voluit commendare, vt, perpenſo diligēter vtriuſque pondere miniſterij, excellentium meritorum dignitas in duobus cæli ſenatoribus videatur æquari. Dicit dominus Petro: Tibi dabo claues
Matth.16. regni cælorum. Nunquid & beata Maria cælum non fuit, in cuius vtero virginali nouē menſibus tota diuinitatis plenitudo permanſit? Ex ipſius quippe caſtis, mūdiſque viſceribus, Dei verbum, per quod facta ſunt omnia, immaculata ſe carne veſtiuit. In anguſta ſcilicet aluo concluſus, ſed totius orbis iura regebat immenſus. In breuiſſimo inquam virginalis vteri domicilio conſtitutus, & cæli gubernabat imperium, & terrenorum omnium non amiſerat principatum. Non ergo præſumptiuè cælum dicitur venerabilis virgo Maria, atque ideo beatum Ioannem dominus quodammodo cæli clauicularium eſſe conſtituit, cum beatæ genitricis ſuæ eum decreuit eſſe cuſtodem. Proinde vt beato Petro Ioānes multipliciter comparetur, quum diſcipulos ſuos redēptor noſter inquireret, qua circa ſe homines opinione ducerentur, illiſque protinus reſpondiſſent, alij Ioannem
Ibidem. Baptiſtam, alij autem Heliā, alij vero Hieremiam, aut vnum ex prophetis, donec ad Petrum ventum eſt, nutabat aſſertio, nec ambiguitatis vinculum ſoluebatur. At, vbi quid habeat diſcipulorum ſenſus exigitur, præcedit in veritatis confeſſionem, qui primus erat in apoſtolica dignitate, Petrus videlicet. Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei viui. Inter nutantis adhuc fidei ſinuoſa volumina, inter procelloſas ambiguitatum fluctuantium tempeſtates, piſcator ille veritatis ancoram fixit, & nauiculam fidei in tutiſſimo tranquilli portus gremio collocauit. Sed videamus vtrum Ioannes & huic operi aliquam cum Petro ſimilitudinem habeat. Conſtantiſſimæ itaque prædicationis arguitur: ſicque à Domitiano tunc Cæſare in exilium deſtinatur. Protinus hæretici Marcion, Cherintus, & Ebion, cæterique quam plurimi, quos ipſe conue-
1.Ioan.2. nienter antichriſtos appellat, caulas eccleſiaſtici gregis irrumpunt, & velut lupi graues ſuper omnia, paſtoris adminiculo deſtituta graſſantur, Chriſtum ſcilicet ante Mariam non fuiſſe dogmatizantes, & ita ſimplicem euangelicæ fidei puritatem, perfidiæ ſuæ ſqualoribus corrumpentes. Confunditur mundus, turbatur eccleſia, vacillat fides, &, velut inhorreſcente tempeſtate perfidiæ, plurimi naufragantur. Quid plura? Tandem, perempto Domitiano, diuina duce gratia redit Ioannes Epheſum, turbatamque gemit eccleſiam. Sed quicquid inuenit erroris turbine, atque tempeſtate turbatum, ſolidius, atque robuſtius ad priſtinæ fidei reuocat ſacramentum. Nam rogatus (vt ab hiſtoriographis traditur) à charitate ferè totius vniuerſitatis eccleſiæ, in illius tandem erupit diuinę
Ioan.1. inſpirationis eloquio: In principio, inquiens, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc itaque ſignaculo veritatis, & hæreticorum tergiuerſationibus metam fixit, & catholicorum fidem perpetua ex tunc, & deinceps certi-
Matt.16. tudine roborauit. Petrus igitur petra, Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Petra quoque factus eſt & Ioannes, ſupra cuius fidei fundamentum totius eccleſiæ ſtructura conſurgit, quam videlicet ſiue hæreticorum furor impingat, ſiue tentationum irruat impetus, non euertit. Hæc petra veri Dauid fun- 1.Reg.17.
dam implet, qua Philiſtæum Goliad ſignanter in frōte percutiat, vbi videlicet prophanus, & impius crucis vexillum non habebat. Hæc ſiquidem petra omnes eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſarios deſtruxit, hæc Iudaicā perfidiam cum omni prorſus hæreticorum prauitate proſtrauit, Nec mirum, ſi inſtar Petri, & Ioannis petra dicatur, quum hæc Ezech.3.
ad Ezechielem dominus dicat: Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, & vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam. Plane quod vterque diſcipulus protulit de ſacramento dominicæ fidei, quanquam profundiſſimum ſit, atque omnino diuinum, & vtrumque pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur diuerſum in excellentiæ diuinitate, quod eodem prolatum eſt ſpiritu dictante, illud tamen beati Ioannis ſingularitatis locum ſibi vendicare conſpicitur: quia neque ante illum, neque poſt illum hoc idē ſcripſiſſe aliquis inuenitur. Nam illā beati Petri apoſtoli ſententiam, & Martham ſororem Lazari eiſdem fere verbis legimus protuliſſe. Cui nimirum Ioan.11.
cum ſaluator diceret, omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum, atque ſubiungeret, credis hoc? illico eodem ſpiritu, quo & Petrus, inſpirante, reſpondit. Ego credidi, inquit, quia tu es Chriſtus filius Dei, qui in hunc mundum veniſti. Quid autem mirum, ſi Ioannem de diuinitate loquētem beato Petro pręferimus, cum illud Euangelij ſui ſingulare principium, ipſa etiam dominica verba, ſi dici liceat, excedere videamus. Nec iniuria fit redemptori noſtro, ſi dicatur aliquid ipſe ſublimius depromere per diſcipulum, quàm per ſemetipſum, & per illius linguam manifeſtè proferre, quod per ſemetipſum liquido noluit aperire. Nam & vt hic quædam adhuc inter eoſdem beatos apoſtolos comparatio videatur, hoc beato Ioanni dominus conceſſit in verbis, quod & Petro contulit in miraculis, videlicet, vt & iſte altiora proferret, & ille maioribus virtutum prodigijs coruſcaret. Nam & in apoſtolorum actibus inuenimus: quia in plateis eijciebant infirmos, & ponebant in lectulis, & in grabbatis, vt, veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Quod tamen dominum feciſſe nuſquam legimus, vt per vmbram videlicet ſui corporis remedium ſanitatis alicui attulerit. Sed, quod pṛędixit, exhibuit, quod promiſit, impleuit. Nam in eiuſdem Ioannis euangelio dicit: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Ioan.14.
patrem vado. Enimuero ipſe operabatur in Petro, ipſe locutus eſt in Ioanne. Non enim inquit, vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris mei, qui Matth.10.
loquitur in vobis. Merito nempe beatus Ioannes & præcedentes omnes, ac ſubſequentes diuinorum ſcriptores voluminum gloria ſingularis eloquij præcedit, quem non luxuria polluit, non libido corrupit, ſed virginalis integritas perpetuæ incorruptionis titulo decorauit. Qui nimirum nuptialis copulæ thalamum deſerens, omnem illecebræ carnalis ardorem in cæleſtium delitiarum

volupta

voluptatem tranſtulit, arctiſſiméque ſe in ſui redemptoris, ac dilectionis amore coniunxit, propter quem ſcilicet coniugalis thori fœdera abdicauit. Vnde diuinitus illi conceſſum eſt, vt tanta cor eius circa fratres charitatis gratia repleretur, vt ſacroſanctum pectoris eius templum velut caminus quidam diuini videretur incendij. Quod profectò in quibuſdam ſcriptoris eius patenter agnoſcitur, in quibus vtique per omnem ferè paginam quaſi per quaſdam rimas charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus æſtuare. Modo enim patres nominatim ad charitatem prouocat, modo non filios, ſed filiolos, quaſi teneré diligens appellat. Modo proprijs ætatum vocabulis infantes, modo iuuenes, modo ſingillatim admonet adoleſcentes. Modo etiam mulieribus epiſtolas deſtinat, eaſque ad cautelam fidei, & ſtudium ſynceræ dilectionis inuitat. Hic itaque inenarrabilis charitatis ardore ſuccenſus, huc, illucque ſe vertens, vndique circumiens, vbique diſcurrens, omnia hominũ genera ad ſalutem concitat, omnia ætatum incrementa perluſtrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curioſæ ſolicitudinis inueſtigat, & tanquam arcus vniuerſalis eccleſiæ factus, totius humani generis ſummam vlnis paternæ dilectionis amplectitur, atque ad redemptoris ſui conſortium trahere vnumquemque ſigillatim admonendo conatur. Amor quippe domini, quo eum præ cunctis mortalibus plus dilexit, & ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, vt nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in redemptoris amore, præcipuus fieret in fraterna charitate. Quantum autem apud dominum impetrandi locum, quem præcipue familiaritatis Ioannis obtinuerit priuilegiũ, hinc manifeſtius colligere poſſumus, quod idem beatus Ioannes euangeliſta teſtatur, quia in ipſo vitalis cœnæ conuiuio Ieſus conturbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Deinde ſequitur.
Ioan. 13. Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli, hęſitantes,
Ibidem. de quo diceret. Móxque ſubiungit. Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis Ieſu in ſinu Ieſu, quẽ diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis eſt, de quo dicit? Atque, vt hiſtoriæ ſtylo non tenear, Ioanni mox interroganti dominus mox reſpondit: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. O admirabilem, ô incomparabilem virum, & omni chriſtianæ deuotionis præconio præferendum! Ecce verbum profertur in medium, & totus tacet, ac ſub ſilentij cenſura reprimitur ſenatus apoſtolorum. Tanta ſiquidem magiſtri pręſidentis videbatur autoritas, vt ſub diſtricta ſe compeſceret beata diſcipulorum concio diſciplina. Hæſitant, ambigunt, atque inter ſe inuicem oculorum nutibus quodammodo interrogantes aſpiciunt, veruntamen lingua proferre, quod geſtiunt, vel dominum conſulentes inquirere non præſumunt. Tacet Petrus, tacet cæli clauicularius. Tacet denique lingua, quæ clauis facta cælorum, cælum ſimul, & terram ligat, & ſoluit. Tacet is inquam, cui portæ inferi non præualent, qui ligandi animas, atque ſoluendi obtinet principatum. Silet Andreas, qui ipſi fratri ad fontem
Ioan. 1. vitę præuius fuit. Non loquitur Thomas, qui viam
Ioan. 14. ſe neſcire profeſſus, eundem eſſe viam, veritatem,
Ibidem. & vitam, ipſo referente, cognouit. Non præſumit os aperire Philippus, qui, dũm patrem ſibi poſcit oſtendi, profunda myſteria indiuiduæ trinitatis audiuit. Omnes tacent, omnes dubitant, & latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, ſed tantum nutibus oculorum. Sed cum res diu ſub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quiſpiam abſolueret, tandem Ioannis patrocinium quæritur, & ſic ad rei dubiæ notitiam peruenitur. Ille nimirum, condiſcipulorum perſona in ſe ſuſcepta, conſultor accedit, qui de amplioris familiaritatis, atque dilectionis prærogatiua confidit. Vnde conſiderandum eſt, fratres mei, quantæ deuotionis inſtãtia beati Ioãnis *idi- * dilecti.
dę Dei flagitare debemus auxilium, quem ſibimet interuentorem & ipſi apoſtoli quæſierunt. Quantũ apud iuſtũ iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipſis cęleſtis curię ſenatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus eſt ſummis, quàm humiliter implorandus eſt à minimis? Hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum ſublimium celſitudinem angelos ille cognouit, qui ſe ab illo adorari prohibuit. Vide, inquit, ne feceris, Apo. 19.
conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium Ieſu; Deum adora. Refugit obſequium ab illo ſuſcipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrem recognouit, ſocium indicauit, ſubiectionis obedientiam non accepit. Quamuis enim in omnibus ſanctis ſemper ſit angelicę munditiæ contubernalis, & cognata virginitas, beatus tamen Ioannes tanto reliquos virgines ſuperat, quãnto virginitati beatæ Mariæ per ſedulitatis, ac perpetuæ cuſtodiæ meritum appropinquat. A qua ſola videlicet pręceditur: quia fœcunditas virginalis, quæ eſt in Maria, nullis eſt omnino meritis comparanda, & non ſolum, quia fœcunda eſt, ſed quia deifica. Virginem enim parere, nouum, ac ſingulare eſt, Deum vero parere, ita nouitatẽ ſingularitatis exuperat, ita omnia, quæ miranda ſunt, antecedit, atque incomparabiliter ſupereminet, vt nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenus explicari, ſed, ſicut venerandæ matris domini virginitas, beati Ioannis virginitatem excedit, ſic ipſe pro glorioſo eius contubernio cæteros à mundi primordio virgines antecellit. Huc accedit, quòd ille recubitus in pectore ſaluatoris, ille diuinus ardor, quem & arcana eius inſpiratione concepit, ita in eius viſceribus omnium libidinum fomenta decoxit, vt corpus eius tanquam reuera ſpiritus ſancti templum à cunctis vernaret æſtuantis luxuriæ ſqualoribus defæcatum. Nec vllum locum in eo vendicabat flamma libidinis, cuius gratia ſancti ſpiritus templũ iugiter obumbrabat. Quocirca dignum fuit, vt beatus Ioannes apoſtolus archãgelo Gabrieli ad cuſtodiam matris domini ſocius haberetur, quatenus ille cæleſtis olim paranymphus intactam virginem inuiſibiliter cuſtodiret, & iſte forinſecus fragilitati fœmineæ, obedientiæ ſuæ miniſterium exhiberet. Et congruum erat, vt, quæ talem genuit, qui cæli ſimul, & terræ dominus eſſet, vtriuſque patriæ ciues in ſuo conſortio haberet, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtaret omne verbum. Quapropter beatus Ioannes quãto familiarior cum matre verbi verſatur, tanto & ipſi vicinior verbo inuenitur. Et, quoniam non ab alio, ſed ab ipſa veritate Mariæ dictus eſt filius, Ioan. 19.
mulier enim, inquit, ecce filius tuus, atque idipſum iterando confirmat, ad diſcipulum autem: ecce

ecce mater tua, nemo iure videtur maior meritis eo, qui ſpeciali quadam gloria, frater eſt ſaluatoris. Huius igitur tam ſublimis, tam pij, tam caſti, tamque præcellentiſſimi Deo dilecti, fratres chariſſimi, laboremus præcepta ſeruare, per huius veſtigia, in quantum poſſumus, duce diuina gratia, ſtudeamus incedere. Sed, ſi omnes cum Ioanne virginitatem habere iam in carne non poſſumus: quia poſt naufragium ſecunda reſtat tabula, ſtudeamus florere virtutibus, & ſic diuinitus virginitatis amiſſæ diſpendium optimè cōpenſabimus. Non igitur nobis auaritiæ candor incandeat, non iracundiæ nos furor impellat. Non in nobis flamma libidinis ęſtuet, non turpis cogitatio pulchram animæ noſtræ coram Deo ſpeciem fœdet. Non nos terrenæ facultatis abundantia in ſuperbiam erigat, non tenacitas miſericordiæ viſcera à pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua caſtitas, humilitas, patiētia, ſobrietas, iuſticia cum pietate, ſeueritas cum manſuetudine. Inter hæc, fratres chariſſimi, cæterarúmque dona virtutum, charitas, quæ mater eſt omnium, in ſacrario pectoris noſtri ſemper teneat principatum, quia, ſicut Ioannes dicit, Deus charitas eſt, & quia per charitatem Dei filius deſcendit in virginem, per eam nos exaltet ad paternæ gloriæ charitatem, qui viuit, & regnat in trinitate perfecta, vnus, & verus Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. *1. Ioan. 4.*

SERMO II. EIVSDEM
de eodem.

GAudeamus, fratres chariſſimi, copioſum noſtræ fraternitatis adeſſe conuentū: quia, dum nos ad hodiernam feſtiuitatem B. Ioannis gloria prouocat, etiam ſpiritus ſanctus vt tam reuerēter, tam pacifice, tam deuote conueniatis, indubitāter inſpirat. Dignum quippe eſt, vt, qui à Chriſto præ cunctis mortalibus ſpecialiter eſt dilectus, à Chriſti dilectoribus permaxime diligatur, præſertim cum & ipſe circa nos tantæ charitatis extiterit, vt, diuinitus ſibi traditis ſapiētię & ſcientię clauibus, omnes ſacramentorum cæleſtium theſauros expenderet, & æternæ vitæ diuitias, quas ſolus acceperat, nobiſcum participando largitur, & fideliter erogaret. Quid enim diuinæ ſapientiæ quæris, quod apud Ioannē reperire non poſſis? Quę enim hæretica prauitas, quæ Arriana perfidia, quæ Iudæorum veſana calumnia, quę gentilium philoſophorum verſutia, quæ denique ſchiſmaticorum abominanda ſciſſura, B. Ioannis non eſt eloquio ſuperata, eiuſque doctrinis euidenter attrita? Si quando enim ab inimicis veritatis obijciuntur nobis volumina quæſtionum, ilico Ioānes accedit in medium, Ioan. occurrit, Ioan. ſilentium verboſis imponit. Quoties ſiquidem de vera humanitate, ac diuinitate Chriſti certamen quæſtionis oboritur, quæ videlicet omnibus pacis inimicis communis eſt materia dimicandi, protinus ad Ioannis euangelium curritur. Ioannis in pugna patrocinium quæritur, & ſic mox cuncta litigioſi certaminis iurgia conquieſcunt. Quid igitur neceſſarium in doctrinis, quod Ioannis volumina ſacroſancta non teneant? Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatiſſimus incomparabiliter non excellat? Apoſtolus ſiquidem in epiſtolis, euangeliſta in euangelio, propheta in Apocalypſi. Propheta inquam, & non qualiſcunque, ſed mirabilis, atque ad ſimilitudinem alterius, & pluſquam propheta. Nam quia prophetæ officium eſt, futura prædicere, non etiam pręſentia demonſtrare; beatus Ioannes Baptiſta idcirco cęteris prophetis eminuit: quia dominum digito, quem prophetabat, oſtendit. Nunquid & iſte Ioannes pluſquam propheta non eſt, qui præter cōſuetudinem omnium prophetarum ſemetipſum præuidit in ſpiritu, & inter plurima reuelationum cæleſtium ſacramenta, dum aquilæ volantis ſimilitudinem vidit, ſemetipſum veraciter agnouit. Ezechiel autem eandem aquilam, ſpiritu reuelante, conſpexit, non *Ezech. 1.* quidem volantem, ſed cæteris animalibus deſuper eminētem. Cum quo videlicet propheta beatus Ioannes, conſiderato vtriuſque volumine, in *Ezech. 3.* multis non ambigitur concordare. Cum eo nimirum & librum, qui quaſi mel dulcis erat in ore, comedit, & ſanctuarij loca deſcribit, atque in pluribus alijs propheta cum apoſtolo conſonantes incedit. O quàm admirabilis eſt immutatio dexteræ excelſi! ò quam terribilis dominus in conſilijs ſuper filios hominum! Quis enim digne conſideret, de tanta humilitate, ille piſcator ad quantæ celſitudinis culmen meruerit ſublimari? Enimuero, qui olim vili nauicula contentus, & retibus, maris profunda ſimpliciter ſcrutabatur, nunc illuſtratæ mentis radio ſecreta cæleſtia penetrat, myſteria intonat, diuini conſilij occulta hominibus reuelat, prophetica depromit oracula, apoſtolica tradit hominibus documenta, imò in ſpeculanda ſummæ diuinitatis eſſentia, præcedit prophetas, ſupergreditur patriarchas, apoſtolos ſuperat. Poſtremo totius humanitatis tranſcendit ingenia, & illuc vſque mentis aciem tendit, quo vix & angelica valet attingere creatura. O Dei plene *Philip. 4.* gratia! Pax enim Dei, ſicut dicit Apoſtolus, exuperat omnem ſenſum, vt illud ſponſæ dicere non immerito videatur. Introduxit me rex in cellaria ſua, exultabimus, & lætabimur in te. Penſemus *Cant. 1.* itaque, fratres, quantum ab eo, qui nunc eſt, homo iſte tunc differebat, quando, matre interueniente, rogabat, vt ipſum cum fratre dominus alterum à dextris, alterum ſedere cōcederet à ſiniſtris. Nam, *Matth. 20.* quantum ad verba hoc petere viſus eſt, vt vnum ex eis dominus cum dextris eligeret, alterum à ſiniſtris cum peccatoribus reprobaret. Sed quia inſipienter petijt, repulſam patiens, ilico cum filijs, quid merebatur, audiuit. Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Reſpondentibus autem, poſſumus, pręſto ſubiungit: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem mecum, nō eſt meū, dare vobis. Ecce hic in verbis dominicis patenter oſtēditur, quia & Ioānes martyr fuit, dum conſtat, quia calicem domini biberit, & reuera martyr fuit, quia multa pro domino perſecutionum ſupplicia pertulit. Martyr vtique fuit, quia crucem domini per ſui corporis afflictionem, & proximorum errantium compaſſionem diu viuendo portauit; & quò, cæteris apoſtolis in carne prolixius manſit, eo durioris martyrij tormenta ſuſtinuit. Vnde pie credendum eſt, quòd inter centum illa quadraginta quatuor millia virginum, qui habent nomen agni, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis, qui empti ſunt de terra, & cantant cāticum nouum ante ſedem Dei, *Apoc. 14. Ioannes prerogatiua inter virg.* & agni, hic beatus Ioānes egregius ſit, & inſignis, atque cum his omnibus tanto propinquior agnō, quocunque

quocunq; ierit, ſequitur, & quanto & idẽ agno dilectior, ac familiarior extitit, & inſuper matri eius, quæ virgo eſt virginum, perpetua filij ſub dilectione coniunxit. Nam ea vtriuſque matris videlicet, filijque conſortio, Ioannis virginitas excellenter enituit, & quouſque poſſunt merita humana prouehi, quaſi meta virtutum factis indeſinenter excreuit. Neque enim verba illa, quæ ſaluator noſter in cruce poſitus protulit; mulier, inquiens, ecce filius tuus; ad diſcipulum autem; ecce mater *Ioan. 19.* tua, ſic ſimpliciter ſunt accipienda, vt humano tãtum videantur more prolata, ſed prorſus efficacia ſunt, & diuinis virtutibus fulta, atque incommutabili *Ratione ſubſtantiæ ſuppoſiti, quæ corporis ſunt propria, verbo attribuūtur.* veritatis autoritate ſubnixa. Illud enim, quod in cruce patris vnicum pendebat, ſubſtantiuum, & conſubſtantiale patri, ac ſempiternum eſt, atque idcirco verba, quæ locutus eſt, quia ſpiritus, & vita ſunt, inaniter tranſire non potuerunt. Cælum, *Luca 21.* inquit ipſe pius Ieſus, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Sicut enim dixit matri, hic eſt filius tuus, ita dixit diſcipulis: hoc eſt *Ioan. 19.* corpus meũ. Et tantus fuit in illis verbis effectus, *Mat. 26.* vt ilico panis ille, quem dabat, dominicum fieret *Pſal. 23. & 148.* corpus. Dixit enim & omnia facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Ex quadam itaque ſimilitudine, ſi dicere audemus, & beatus Ioannes non ſolum filij potitus eſt nomine, ſed propter verba illa dominica quoddam maius neceſſitudinis ſacramentum apud beatam virginem meruit obtinere. Conſideremus itaque, dilectiſſimi, quantæ gloriæ vir iſte credendus eſt, qui per quoddam adoptionis arcanæ myſterium, & filius virginis, & frater eſt ſaluatoris. Hinc eſt, quòd mentem eius omnipotens Deus ad tantum puritatis, ac myſticæ reuelationis culmen euexit, vt ei non modo ſtatum præſentis eccleſię oſtenderet, ſed etiam quid deinceps futurum eſſet, vſque in perpetuum reuelaret. Vn- *Ex Hieronymi prologo galeato.* de & illam ſuam nobilem Apocalypſin ſcripſit, quę nimirum tantis creditur redundare myſterijs, vt tot videatur habere ſacramẽta, quot verba, imò in verbis ſingulis, multiplices latent intellectus. Quę profecto cum ſeptem Aſiæ eccleſijs mittitur, omni vniuerſali eccleſię, quæ ſub ſeptiformi ſpiritus ſancti magiſterio regitur, deſtinatur. Vnde cõſequens eſt, vt omnes eccleſiæ per orbẽ terrarum circumfuſæ, non dubitent beatum Ioannem communem ſe habere doctorem. Quibus videlicet tanquàm egregius quidam regalis imperij nũtius; ab Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus viuorum, & mortuorum, & princeps regum terræ, cælitus deſtinatus, gratiam ſimul, & pacem ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, attulit, ac multa ſecreti cæleſtis myſteria patefacit. Iam vero illa beatæ migrationis eius nouitas mirabilis, quem non moueat? Quis feliciſſimæ conſummationis gloriam non obſtupeſcat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obiit, & quia non communem cum hominibus vitam duxit, non *Habetur apud Abdiã lib. 5.* communi hominum morte tranſiuit. Nam, vt hiſtoriæ continent, quadratam in eccleſia foueam fieri iuſſit, móxque in eam deſcendens extenſis manibus, poſt prolixa fuſę orationis verba migrauit. Mox autem tanta ſuper eum lux cælitus eſt emiſſa, vt nullus eam ferret aſpectus. Poſtmodum autem inuenta eſt fouea nihil aliud in ſe cõtinens niſi manna, quod videlicet, ſicut dicitur, vſque hodie ſcaturire non deſinit. Sic nimirum, ſic ſic dilectum autori vitæ diſcipulum tranſire de

ſeculo dignum fuit, vt tam fieret à dolore mortis extraneus, qui à corruptione carnis fuerat alienus. In ſepultura in crucis modum iacere voluit: quia crucem in ſuo corpore pie viuendo ſemper portauit, & ſicut Petrus magiſtrum ſecutus, eſt à perſecutoribus crucifixus, ita quodammodo & Ioannes in eccleſiaſtica pace ſepultus. Sed dominus inter eos ſorte diuerſitatem docuit, cum Pe- *Ioan. 21.* tro dixit: ſi ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Qui enim Petrum voluit ſecum in crucis patibulo triumphare, ipſe decreuit Ioannem in eccleſiaſtica pace quieſcere, quatenus & ille ſubeũdi martyrij præberet exemplum, & iſte erecta ſupra fundamentum fidei eccleſiæ fabrica, quietus migraret ad cælum. Ille ſecuturis martyribus fuit conſtantiæ forma, iſte nouiter in fide plantatis, extitit morum, atque virtutum ſpiritualium diſciplina. Sic eum volo manere, donec veniam. Veniam, inquit, vt eum vinculo carnis abſoluam. Veniam, vt eum ad gloriæ meæ conſortium transferam. Veniam, vt laboribus eius dignæ remunerationis præmium reddam. Ad huius denique promiſſionis effectum clarum dedit indicium, cum in eius obitu radiantem fecit eniteſcere lucem, per quam liquido patuit, ipſum videlicet adueniſſe lucis autorẽ. Affuit itaque dominus promiſſionis ſuæ non immemor, qui & animam eius in illa ſupernæ Hieruſalem quiete ſuſciperet, & ſacratiſſimum corpus in ea, quæ ipſe nouit, ſecreti receſſus arcana transferret. Nam & de beato Enoch legitur, quia ambu- *Gen. 5.* lauerit cum Deo, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus. Iam vero illud quis digne miretur, quod in ſepulchro eius manna reperitur, & in terræ ſpecu panis cæli non ſemel, ſed quotidie naſcitur. De manna quippe, ſaluo altiori myſterio, ſcriptum eſt; Panem de cælo dediſti eis, domine, habentem omne delectamentum. Ve- *Sap. 16.* niant igitur omnes nationes gentium, & obſtupeſcant miraculum omnibus inauditum. Veniant inquam, & admirantes aſpiciãt: quia in ſepulchro, quod procul dubio domus eſt vermium, panis oritur angelorum, vt cum propheta in magni muneris admiratione pronunciet, quod Iſraelitico po- *Pſal. 77.* pulo manna Deus conceſſit in cibum dicens: panem cæli dedit eis, panem angelorum manduca- *Exod. 16.* uit homo. Quod illis tunc mittebatur è cęlo, nunc ſcaturire conſpicitur in ſepulchro. Si enim magnum miraculum manna non eſſet, nequaquam Moyſi dominus ſeruari per ſecula illud præcepiſſet. Imple, inquit, Gomor ea eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui eos in ſolitudine, quãdo eduxi eos de terra Ægypti. Ecce quid meretur pudicitia virginalis, ecce quantę magnitudinis eſt integritas inuiolatæ carnis. Videte, fratres mei, conſiderate, perpendite quid delitiarum incorruptio carnis habet in cælo, ſi cibũ cæli germinat in ſepulchro. Quantis illic honoribus ſublimatur beata virginitas, vbi nimirum ſola eſt gloria, ſi & in loco fœtoris, atque putredinis tam mirabiliter eſt glorioſa. Vnde etſi *Ioannẽ mortuum reſurrexiſſe, eſt valde dubiũ, nõ potius innotuitur, qui affirmant, eum nõdum mortuũ in paradiſo degere.* non audeamus pleniter diffinire, pium tamen eſt arbitrari, vt, ſicut de beata Dei genitrice creditur, ita etiam B. Ioannes iam reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur, quatenus ſicut in virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata reſurrectione merito videantur æquales, nec ſit in reſurrectione diuerſitas, quibus tanta fuerat vnanimitas

nimitas conuerſationis in vita. Si enim beatiſſimi virgines iſti, Ioannes videlicet, & Maria nullatenus ſurrexiſſent, cur in eorum tumulis ſepulta cadauera non iacerent, cum ſcilicet beatorum Petri, & Pauli, cæterorumque apoſtolorum, ac martyrum corpora ſuis quæque noſcantur mauſoleis tumulata? Nam quod vere B. Ioannes obierit, ac proculdubio mortis iura perſoluerit, nullo modo *Ioan. 21.* melius quam per eius verba valet probari. Cum enim exiiſſet ſermo inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur, cur ipſe vera dicentibus obuiaſſet dicens: & non dixit Ieſus, non moritur? Fruſtra nimirum hic moram texere, ac verba multiplicare videretur, ſi, dum illi vere dicerent, vt non moreretur. Iſte protinus obſtitiſſet dicens, non dixit Ieſus, nó moritur, ac per hoc veritati quodammodo contradiceret, ſi vera referentibus contrairet. Sed, dum non moriturum ſe ſaluatoré dixiſſe negauit, moriturum ſe indubitanter aſſeruit. Porro autem, ſi vere ſurrexiſſet, quod in ſepulchro ſanctum corpus eius vlterius non apparuit, diuinæ ſine dubio virtutis operatio fuit. Scriptum eſt in *Deut. 34.* Deuteronomio: Mortuus eſt Moyſes famulus domini in terra Moab, iubente domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. Renouatum eſt itaque illud de corpore Moyſi, nunc etiam in Ioanne miraculum. Et qui legiſlatorem tūc dignatus eſt, nullis ſcientibus, ſepelire, ipſe etiam corpus euāgeliſtæ ſui ſecreto quodam myſterio voluit ſepulturæ ſubducere. Vterque ſcilicet lux mundi, vterque cæleſtium mandatorum baiulus, vterque diuini conſilij reuelator. Nec immerito in dignitate ſuis delata cadaueribus congruunt, qui & in ſublimibus vitæ ſuę meritis licet diuerſis temporibus concorditer claruerunt. Et, ſi res diligenti conſideratione perpenditur, vt cū beati Moyſi pace loquar, Ioannes potior inuenitur. Ille ſiquidem miniſter extitit legis, hic prædicator eſt gratiæ. Ille præcepta tradidit, quibus peccata punirentur, iſte pœnitentiæ baptiſmum contulit, quo omnia crimina delerentur. Ille annunciator eſt vmbræ, hic miniſter *Exod. 33.* eſt veritatis. Ille dixit domino, ſi inueni gratiam in cōſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, ſed protinus audiuit, non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet, iſte vero Deum incarnatum non ſolum vidit, & audiuit, ſed etiam manibus contrectauit, ſicut ipſe te- *1. Ioan. 1.* ſtatur dicens: Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audiuimus, quod oculis noſtris perſpeximus, & manus noſtræ tractauerunt de verbo vitę, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Et nō ſolum Deum hominem factum oculis carnalibus vidit, ſed & ipſum verbū, quod erat apud patrem, per quod facta ſunt omnia, illuſtrata diuinitus mēte conſpexit. Atque vt ad huc cōparatio producatur, Moyſes tabernaculo prętat, quod nubes operiebat, ita vt aliquando nec ipſe Moyſes *Exod. 40.* potuiſſet intrare, ſicut in Exodo legitur: quia operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria domini impleuit illud, nec poterat ingredi Moyſes tectū fœderis, nube operiente omnia. Ioānes vero melioris tabernaculi cuſtos factus, beatæ Mariæ miniſter extitit, quā non videlicet corporea huius aëris nubes obtexit, ſed ſpiritus ſanctus inuiſibiliter obumbrauit. Et gloria domini, hoc eſt, filius Dei, qui hoc tabernaculum non mox diſceſſurus, ſed verám carnem ſuſcepturus impleuit, nō manſit ſub aëris caligine, ſed potius in ſolis lumine, ſicut per prophetam dicitur: In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Per illum māna datum eſt tūc Iſrae- *Pſal. 18.* litico populo, ecce quanto glorioſius habet iſte manna in ſepulchro? Et quid plura? Ille faciem ſuam obnubit, ne videatur à populo, iſte etiam diuinitatis reuelat eſſentiam, vt Deus ab hominibus agnoſcatur. Atque vt idem repetam, ille ſplendorem ſui vultus obtexit, ne ab illa plebe conſpiceretur, iſte Dei verbū, quod eſt imago patris, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius perſpicue reuelauit, vt à nobis agnoſceretur. Poſtremo Dei filium, quem iſte præ manibus habuit, cum quo diutiſſime conuerſatus eſt, à quo vnice, atque ſpecialiter dilectus eſt, ille quidem nbnixe, ac deſiderabiliter petiit dicens: obſecro, domine, mitte, quem miſſurus es, ſed impetrare non valuit. Veruntamen, dum magnis, ſummíſque apud Deum *Exod. 4.* meritis ambo claruiſſent, vno vterque ſpiritu plenus fuit, vno vterque deſiderio concorditer ęſtuabat. Nec nos alterum alteri præferre prǽſumimus, ſi diuerſitatem pro ſui cuiuſque dignitate penſamus. Duorum quippe viatorum viuacitate diſparium, qui, orto ſole, graditur, clarius quælibet oppoſita conſpicit, quam is, qui antelucanus exurgit. Et ditior eſt, qui autumnalem fructuum maturitatem carpit, eo, qui verni propagini arbuſta plantauit. Conuenienter igitur factum eſt, vt ſicut Moyſi, ita & Ioannis glebam omnipotens Deus abſconderet, & in duobus mirabilibus viris vnum miraculum exhiberet. Et notandum, quàm affectuoſe, quàm pie, quàm paterne, quàm amabilime ſaluator, ſic, inquit, eū volo manere donec veniam. Veniam, inquit, non mittam. Non mittam *Ioan. 21.* videlicet aliquam ſupernam virtutem, non angelicam poteſtatem, quæ huius miniſterij mihi fungatur officio, quæ obedientiæ huius exequatur effectum. Ipſe per memetipſum veniam, ipſe egredientem eius animam in gloriæ meæ claritate ſuſcipiam, quam & in carne manentem diuinitus illuſtrabam. Quantæ igitur reuerentiæ habendus eſt hominibus beatus iſte Ioannes, quem ipſe autor vitæ honorauit in carne viuentem, honorauit & de ſeculo recedentem. Nimis enim honorati ſunt amici tui, Deus. Honorauit ſiquidem eum in *Pſal. 138.* vita, dum de ſacroſancto pectore eius ſibi reclinatorium fecit. Honorauit rurſus in morte, cum ad ſuſcipiendam felicem meritis animam dignatus eſt aduenire. Nec mirum, ſi diuerſis eum honoribus cumulauit, quem & in conſortium ſibimet adoptiuæ fraternitatis aſciuit. Dictus eſt enim frater domini etiam beatus Iacobus. Sed ille frater ex natura, iſte frater ex gratia. Ille ex cognatione, iſte ex præcipua dilectione. Ille per lineā maternæ conſanguinitatis, iſte per vinculum paternæ charitatis. Si quis, inquit, diligit me, ſermonem meum *Ioan. 14.* ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et quid amplius dicam? frater domini fuit ille carnalis, iſte ſpiritualis. Sed quantum cognatio ſpiritualis carnalem neceſſitudinem probatur excellere, in ipſius domini verbis poſſumus luce clarius inuenire. Ait enim: Spiritus eſt, qui viuificat; nam caro non prodeſt quicquam. Iacobum itaque vt frater eſſet domini, natura carnalis inſtituit. Ioannes autē tanto nobilius frater eſt, quanto & ipſius *Ioan. 6.*

naturæ

naturæ dominus eum in affinitatem ſibi ſpiritualis adoptionis aſſumpſit, quanquam & ipſe Iacobus idcirco beatus ſit, quia eiuſdem ſpiritualis affinitatis cum domino participium tenet. Alioquin niſi domino per ſpiritum iungeretur, per illud terrenæ affinium conſanguinitatis à domino
Ioan. 19. nullatenus ſaluaretur. Quod tanto excellentius Ioannes, quanto & ante crucem conſtitutus audiuit. Ecce Mater tua. Merito ergo quo eum cæteris plus dilexit, ſublimius eum cæteris honorauit. Et nos, fratres, pro modulo noſtro dignis eum ſtudeamus efferre præconiis, dignis veneremur ſemper obſequiis. Notandum tamen, quia nunquam tam digne, tam reuerenter beatos apoſtolos colimus, quam, cùm apoſtolica præcepta ſeruamus, cum eos in via Dei præcedentes ſemper attendimus, cum eorum veſtigia ſequimur, cum eorum anguſtam, & arctam ſemitam ſine offenſione tenemus. Enimuero in baptiſmo apoſtolorum ducatum ſecuti ſumus, quia per eoſdem fidem ſanctæ trinitatis inter ipſa regenerationis rudimenta didicimus. Sub cuius videlicet figuræ myſterio ſacerdotes Iſraeliticæ plebis olim tranſeundo Iordanem, præcedebant, & populus ſequebatur. Sed non ſufficere illis viſum eſt, ſi ſacerdotum tantummodo veſtigia in tranſitu ſequerentur, niſi & duodecim lapides de Iordanis alueo tollerent, atque in Galgalis pro teſtimonio poſuiſſent.
Ioſue 4. Elige, inquit, dominus ad Ioſue, duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio aluei Iordanis, vbi fixerunt ſacerdotes pedes, duodecim lapides duriſſimos, quos ponetis in loco caſtrorum, vbi fixeritis tentoria hac nocte. Vt autem non omnia licet plena myſteriis verba diſcutiã, quid per hoc factum nobis innuitur, niſi, vt, poſtquam myſtici Iordanis fluenta tranſimus, poſtquam de lauacri ſalutaris fonte conſurgimus, duriſſimos duodecim lapides, id eſt, firmiſſima apoſtolorum exempla ad imitationem nobis proponere ſtudeamus. Lapides quippe, vbi ſacerdotes pedes fixerant, in loco caſtrorum ponimus, ſi in procinctu ſpiritualis nequitiæ poſiti, apoſtolorum veſtigia cõſtanter, & firmiter tenea-
Prou. 18. mus. Nam iuxta Salomonis ſententiam, qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt, ſua opera diſſipantis. Nimirum, qui in moribus ſuis præcipites, ac fluidi ſunt, more aquæ præcipites ad ima defluunt. Qui vero conſtantes, ac firmi, in arcem quotidie virtutis excreſcunt. Quod nimirum & illud eiuſdem hiſtoriæ ſignificare perpenditur:
Ioſue 3. quia, tranſeunte eodem populo, aquæ ſuperiores inſtar montis intumeſcunt, inferiores vero in mare mortuum delabuntur: quia profecto ex eis, qui baptizantur, alij in accepta cæleſtis gratiæ dulcedine perſeuerant, alij in peccatorum amaritudinem defluere, reprobe viuendo, non ceſſant, & velut in maris mortui ſalſuginem corruunt, dum ſapiendo terrena, per prauæ vitæ decliuia ad mortem tendunt. Nos autem non ſic, dilectiſſimi, non ſic, ſed ad veram ſapientiam tendentes, ſic per Dei miſericordiam in iuſtitiæ ſtudeamus alta proficere, vt in vitiorum pudeat voraginem declinare. Sic perſeueremus ſemper ad ſuperna properare, quo tendimus, vt diuini amoris dulcedinem in noſtris iugiter mentibus conſequemus. Illius itaque ſapientiæ laboremus participes fieri, qua beatus Ioannes per amplioris gratiæ cumulum meruit incomparabiliter illuſtrari. Cuius nimirum ſplendore concepto, cælum velut aquila penetrat, ita vt creata cuncta trãſgrediens, ad ipſum rerum omnium verticem mentis contemplatione pertingat. Noſtis, fratres mei, quia in mundi naſcẽtis origine, tertio die germinauerit terra, quarto cæli facta ſunt luminaria, quinto volatilia ſunt creata. Gen. 1.
Quare autem in creandis rebus hic ordo decurrerit, niſi vt nos inſtrueremur: quia prius neceſſe eſt, vt mens noſtra virentia virtutum opera germinet, quatenus ſic mereatur cæleſtis gratiam luminis, ac poſtremo euolare valeat ad contemplandam ſpeciem veritatis? Germinemus itaque, fratres, vt illuminemur, quatenus illuminati, virtutum pennis ad cęleſtia ſubleuemur. Non nos mundi huius dulcedo falſa demulceat, non carnalis illecebræ voluptas luxurioſa reſoluat. Nuſquam certè præceptum in veteris teſtamenti ceremoniis inuenitur, vt mel ſacrificiis miſceatur. Per quod intelli- Leuit. 2.
gitur, quia iis, qui Deo vitæ ſuæ ſacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult ineſſe dulcedinem, nihil in eis viuere, quod ad carnalẽ pertineat voluptatem. Oleum autem frequenter immittitur, Ibidem.
vt omnis noſtræ operationis oblatio hilariter offeratur. Hilarem enim datorem diligit Deus. In 2. Cor. 9.
omnibus etiam ſal iubetur admiſceri, vt omne Leuit. 2.
boni operis ſacrificium rationis, diſcretionis, ac cæleſtis ſapientiæ ſale ſit conditum. Hoc autem diuinæ ſapientiæ ſale ita omnis B. Ioannis doctrina videtur reſperſa, vt merito dicatur os Dei, lingua ſpiritus ſancti, cedrus paradiſi, lux eccleſiæ, decus orbis, præco cæli, lumen mundi, ſidus hominum, ſpecimen angelorum, lapis viuus, ſpeculum lucis, logotheca diuinitatis, forma fidei, columna cæli, architectus veri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo. Nam & Cherubin iure perhibetur, qui ſcientiæ plenitudinem ex ipſo redemptoris pectore percepiſſe cognoſcitur. Veruntamen eum nos quantumlibet efferre contendamus, celſitudinis eius merita non æquamus: quia, qui diuinæ laudis præconia meruit, ad eius digne laudanda merita, humanæ linguæ fragilitas non aſſurgit. Ipſe quippe eius laus eſt, qui illi & olim precium, & nunc factus eſt præmium. Per huius ergo veſtigia, dilectiſſimi, ad redemptorẽ noſtrum pleno cordis amore tendamus; huius doctrinam velut coruſcam in tenebris lampadã noſtris ſemper greſſibus præferamus. Pudeat iam terrenis incumbere, qui per ſpei deſiderium ad cæleſtem cœpimus gloriam feſtinare. Qui ad cæleſtiũ nuptiarum deſiderium properat, terrenæ voluptatis cæno volutari erubeſcat. Qui titulis angelicæ dignitatis emicat, locum in exilio nõ requirat. Incaſſum porro terrena lucra congerimus, qui diuitias immortales in regio cæleſtis palatio poſſidemus. Quem ergo pondus terrenæ corruptionis aggrauat, rerum extrinſecus affluentium copia non extollat. Qui ad hoc conſtitutus eſt, vt totis viribus iugiter cum aduerſario dimicet, torpor eum hunc, & negligentiæ diſſolutio non eneruet. Sic ſic per diuinæ pietatis auxilium & florentes virtutibus, & vitiis repudium dantes, ſi hic eum ſequimur, qui nobis iter crucis oſtendit, illuc perueniemus ad eum, qui, calcato mortis imperio, cælum cũ triumphali gloria penetrauit Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EVTHYMII ZIGABONI

ſuperiorũ Euang. expoſitio.

SEquere me. Hinc ruſum oſtendit, quod præ cæteris ſibi familiarem eum faciat, ac ampliori dignetur honore, vt etiam promptior fiat. Quòd ſi quis dicat; Quomodo ergo Iacobus Ieroſolymitanam accepit ſedem? Dicemus, quòd Petrus orbis conſtitutus eſt præceptor: quum ergo tam præceptor quàm diſcipuli deambularent, dixit ei; Sequere me, vt videlicet etiã crucifigaris, & æqualem ſuſtineas mortem. *Conuerſus autem Petrus, videt diſcipulum, &c.* Incedẽtem poſt Petrum: caſu enim proximus ei deambulabat. *Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, &c.* In cœna myſtica, ſicut ibi ſignificatũ eſt. Reducit autem nobis ad memoriam interrogationem: oſtendens, quantam Petrus loquendi adeptus eſſet libertatem, poſtquam de negatione reſipuerat. Nam, qui tunc auſus non erat interrogare, ſed dilecto diſcipulo ad hoc vtebatur: hic non ſolum præſidẽtiam erga fratres ſibi commiſſam accepit, verumetiam de dilecti ſtatu confidenter interrogat. *Domine, hic autem quid?* † Num & ipſe te ſequetur? num eadem nobiſcum mortis via gradietur? num ſimiliter morietur? Siquidem intellexit quid innuiſſet, dicens; Sequere me: quúmque Ioannem vehementer amaret, cupiebat eum æqualis mortis aſſumere conſortem: & tanquam Ioanne interrogare non audente, ipſe interrogat, vicémque rependit. Quid ergo Chriſtus? Priuatum amputans affectum, ac inſtruens, nihil vlterius eſſe perſcrutandum, oſtendit vario modo diſponenda eſſe, quæ illos contingerent.

Petrus orbis conſtitutus eſt magiſter.

† *Quum audiſſet Petrus (vt quidam aiunt) quòd pro Chriſto eſſet moriturus, dixit; Et Ioannes quid? num & ipſe moriturus eſt? Chriſtus autem id quidem nõ negauit: nam, quiſquis natus eſt, etiam morietur: ſed ait; Si eum velim manere vſque ad mundi conſummationem: & ibi de me teſtificari, quid ad te? Dicunt itaque eum viuere: & ſub Antichriſto occidendum cum Elia, & Enoch prædicantem Chriſtum. Quòd ſi monumentum eius oſtendatur, quid inde? Viuus nanque illud ingreſſus eſt, deinde tranſlatus: quemadmodum etiam Enoch, & Elias. Euertit itaque Euangeliſta falſam illorum opinionem, qui exiſtimant non eſſe moriturum hunc diſcipulum: nam ita falſum eſt: hominem videlicet eſſe immortalẽ. Nam etſi Enoch, & Elias non ſint mortui, ſunt tamen mortales. Ita ergo & hic quanquam mortuus non ſit, attamen morietur. Falſum itaque eſt, quòd non moriatur: ſic intellectum, quòd videlicet ſit immortalis. Alij autem affirmant: quòd mortuus ſit: & dictum illud, Si eum velim manere, donec veniam, intelligunt, quòd remanſurus erat in Iudæa Ioannes, donec veniret Chriſtus contra Iudæos, percuſſurus eos per manum Romanorum: & ita Petrum à Ioanne ſeparandum: vt etiam maiori fructu diuerſis locis prædicarent. Omnes igitur opiniones retulimus, vt harum rerum ſtudioſi nullam ignorarent. Qui autem dicunt eum eſſe mortuum, in hunc modum referunt. Foderunt, inquiunt, foueam, & in gyro poſuerunt lapides: deinde illum ibi demiſerunt, ac operuerunt. Poſt aliquot autem dies ſcrutati ſunt foueam illam, & eum non inuenerunt. Verum, quia eum illic depoſuerunt, dicunt eum fuiſſe mortuum.*

Si eum velim manere donec veniã, quid ad te? Si eum velim in viuis manere, donec ſecũdo aduentu veniam, quid illi tecum in hoc commune eſt? *Tu me ſequere.* Tu tuam mortem conſidera, nihil de illius morte inueſtigans. *Exijt itaque ſermo inter fratres.* Quis ſermo? *Quòd diſcipulus ille non moreretur.* Veriſimile eſt nanque & eos audiſſe, quæ Petro dicta erant. Diuulgatus eſt hic ſermo, videlicet, quòd non moreretur: quia errabant, nec ſermonis aſſequebantur intentionem. Deinde corrigit rumorem erroneum. *Et non dixit ei Ieſus, quòd non moreretur, &c.* Quod non ſignificat, eum non moriturum: ſed aliam habet intentionem, vt prædictum eſt. Quis ergo relinquitur ſermo aſſeuerantibus eum non eſſe mortuum, quum iam ipſemet luculenter clamet, quòd errent, qui hoc ſuſpicantur? *Et ſcimus, verum eſſe teſtimonium eius.* Et ſcimus, qui ea nouimus, quòd verum perhibeat teſtimoniũ. Apparet enim quòd & alij hoc intelligebant. Itaque tanquam vehementer fretus veritate hoc dicit: Noui ſiquidem, quòd aliquibus videbitur fortaſſis ſuſpecta dicere, eo quòd ab alijs euangeliſtis horum non ſit facta mentio.

IN FESTO SS. INNOCENTVM.

MATTH. 2.

a Impleto purgationis tempore prius, & eo oblato in Hieruſalem, quod hic prætermittitur. b Hic Ioſeph non quaſi maritus, ſed nutricius & cuſtos aſciſcitur.

IN [a] illo tempore angelus domini apparuit in ſomnis [b] Ioſeph, di-

c Glorioſam.

cens: Surge, & accipe puerum & [c] matrem eius, & fuge in Aegy-

d Ecce quod fraudes non latent Deum.

ptum: & eſto ibi vſque dum dicam tibi. [d] Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum

e Quia fides Chriſti manſit in gentibus de plebe gen. .... f Vſque in finem infelicitatis, qua Iudæa contra eccleſiam ſæuit.

& matrem eius nocte, & ſeceſsit in [e] Aegyptum: & erat ibi vſque ad [f] obitum

Herodis

Herodis: vt adimpleretur quod dictum eſt à domino per prophetam dicẽtem:
g Conſubſtantialem: quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. h Inde accumulatur ira iam turbato per natiuitatem.
Ex Aegypto vocaui [g] filium meum. Tunc Herodes videns, quoniam [h] illuſus
i Lingua vſus eſt pro gladio. k Vt hic, qui natus erat non effugeret.
eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens [i] occidit [k] omnes pueros qui erant in
l Vt in tanta multitudine latere non poſſet. m Vt neque loco neque tempore celaretur. n Ab ortu ſtellæ.
Bethlehem, & in [l] omnibus finibus eius, à [m] bimatu & infra, ſecundum [n] tempus quod exquiſierat à Magis. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Ie-
o In excelſo. Longe lateque reſonans planctus vſque ad Deum peruenit.
remiam prophetam dicentem: Vox in [o] Rama audita eſt, ploratus & vlulatus
p Tamen. q Eo modo vt in mundum reuocarentur. r Reuocandi.
multus: Rachel plorans filios ſuos, [p] & noluit [q] conſolari, quia [r] non ſunt.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

FVGE *in Aegyptũ.* Mira humilitas Chriſti: Fugit qui refugium eſt aliorum & virtus: fugiendo inſtruit ſuos. vnde: Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. (*Infra 10.c*) *Qui conſurgens.* Ioſeph figura prædicatorum, qui Chriſtum cum matre, id eſt, fidem Chriſti & eccleſiæ tulerunt ad gentes, relicto Herode, id eſt, Iudæorum infidelitate. *Nocte.* quia occultè per fugam ad illuſtrandam Aegyptum deſcendit, relicta nocte Iudæis. Nocte tulit in Aegyptum, quia noctẽ ignorantiæ his à quibus ipſe receſſit reliquit incredulis. Quãdo redit, noctis non fit mentio, quia in fine mundi, Iudæi fidem tanquam Chriſtum ab Ægypto reuertentem ſuſcipientes illuminabuntur. Hîc datur exemplum fidelibus vitandi rabiem perſequutorum vbi eſt opportunum, ſicut ipſe ait: Si vos perſequuti fuerint, &c. Significat autem hæc fuga domini electos improbitate malorum à ſedibus ſuis ſæpius eſſe pellendos. Fugit vt homo, quem paulo ante ſtella Deum monſtrauit. *In Aegyptum.* Omnigenũ Deum monſtra venerantem: quia Chriſtus à Iudæis non receptus, per prędicationem tranſit ad gentes. Fugit in Ægyptum ſicut natus eſt, vt corruptam repararet naturam. Sic fugit, vt fugaces reuocaret. Quod fugit, ſacramenti fuit non timoris, vt exemplum fugiendi daret ſuis. Non fugit mortem qui mori venerat. Nec inſidias expauit qui venerat aperire verſutias diaboli. (*Iſa.19.a*) De hac fuga prædixit Iſaias: Ecce dominus aſcendet ſuper nubem leuem, id eſt, carnem ſine peccato: ingredietúrque Ægyptum & com.ſ.eius. Septem autem annis in Ægypto latuit. (*Oſee 11.a*) *Ex Aegypto vo.fi.meum.* In Oſeæ iuxta Hebraicam veritatẽ hoc inuenitur: vel in libro (*Num.14.b*) Numerorum: vt quidam aſſerunt: quia totum diſpoſitione Dei factum eſt. *Tunc Herodes vi.* Veriſimile eſt, quòd cum Herodi nihil renunciatum eſſet à Magis, credidit illos fallaci ſtella deceptos eſſe, & ideo ad ſe non eſſe reuerſos: vnde & tandiu quieuit à pueri inquiſitione. Deinde vulgatis his quæ in templo facta dictáve fuerant: ſe à Magis ſenſit illuſum: & in mortem Chriſti properans pueros occidit. Veriſimile eſt poſt annum & quatuor dies à natiuitate Chriſti Herodem in pueros deſæuiſſe: quòd forſitã ideo diſtulit, quia Romam profectus eſt, vel ibi accuſatus, vel vt Romanos conſuleret ſuper his quæ de Chriſto dicebantur. Ideo forſitan tãdiu ab inquiſitione pueri ſe continuit, vt ſollicitius eum deprehenderet, neque elabi aliquomodo poſſet. *Occidit omnes pueros.* Quam cito Chriſtus apparuit mundo, incœpit in eum perſecutio: quę figurauit perſecutionem ſanctorum: & dũ infans quæritur, infantes occiduntur: in quibus forma martyrij naſcitur, vbi infantia eccleſiæ dedicatur. Figurat mors paruulorum paſſionem omnium martyrum, qui parui, id eſt, humiles & innocentes occiſi ſunt: qui non in Iudæa tantum, ſed vbique paſſi ſunt ab impiis, quos ſignificat Herodes. Quod bimi: quia doctrina & operatione perfecti. Illis occiſis Chriſtus euaſit: quia corpora poſſunt perimi, diuinitas non contingi. *Et in omnibus finibus eius.* Non eſt contentus vaſtatione Bethlehem, ſed adiacentia loca vaſtauit: nec vllam miſericordiam ætatis habuit à filio vnius noctis vſque ad filium duorum annorum, quin omnes occideret. *A bima.* Ideo à bimatu, vt ſicut præoccupauerat Herodes fines ciuitatis, ita & præoccuparet alium annum. Ideo etiam à bimatu: quia timebat, ne puer cui famulabantur ſidera, paulo ſupra ætatem vel infra ſpeciem ſibi conformaret. *Tunc adim.* Adimpletum dicitur: quia ante quam fieret legentibus erat ſemiplenum, quia quod in litera ſonabat, aliquid futurum occultè promittebat. Ioannes Chryſoſt. in vij. Homelia dicit quòd ſtella per annum apparuit, ſicut in deſtructione Romanorum ſigna apparuerunt in cælo, quando vox angelorum audita eſt: Tranſeamus ab his ſedibus. *Vox in Rama,* id eſt, in excelſo longè latéque diffuſa eſt. Allegoricè. Vel, vox eccleſiæ de nece membrorum gementis vſque ad ſolium ſuperni aſcendit iudicis. Vox in rama. Propter vxorem Leuitę fornicatione peremptam, (*Iudicũ 16.g & 10.*) ſecundum numerum tribuum in duodecim partes diuiſam, omnis Iſrael tribum Beniamin præter trecentos viros deleuit: eorum qui ſuperfuerunt ploratus & vlulatus auditus eſt vſque Rama, qui eſt locus iuxta Gabaa duodecimo miliario à Bethlehem. *Audita.* Exaggerat, vt hyperbolicè Rachel iam mortua, dolentis affectu filios iam flere dicatur. Vnde per hoc de Chaldæis hiſtoria texitur, quòd ſimilis eſſet ab eis cladi priori populo Iudæorum futura vaſtatio. Sed verius reuelante per euangeliſtam ſpiritu prophetia de nece puerorum accipitur. Dicit ergo, quòd tunc completum ſit quod dictum eſt quia etſi ad imminentem captiuitatem ſermo prophetiæ reſpicit, tamen, in eo ſicut in vmbra, futura veritas cædis infantium pronunciatur. *Rachel.* Quia ſepulta eſt iuxta Bethlehem, & ex terreno corporis hoſpitio matris nomen accepit. Vel quia multi de Beniamin & Ioſeph occiſi ſunt. De Rachel natus eſt Beniamin, ad cuius ſortem non pertinet Bethlehem: ſed ad tribum tantum Iuda. Sed quia contiguæ tribus ſunt Iuda & Beniamin in finibus Bethlehem, multi

quoque de tribu Beniamin occiſi ſunt. Nota, quòd melius per Rachel (quàm ſi per Bethlehem ploraſſe diceretur) figura ſacraméti innuitur, quia per eam in omnibus Schema eccleſiæ commédatur quæ plorat non tam morte tranſlatos, quàm ſupplicio peremptos. *Rachel*: Id eſt eccleſia ſuos teneros agnos plorat peremptos: neque vult conſolari in præſenti, quia non ſunt: ſed omnem ſpem & conſolationem ad æternam tranſmittit vitam. Vel plorat, & non recipit conſolationem ſecundum duplicem quorundam intelligentiam, ſiue quod in æternum mortuos æſtimaret, ſiue quòd hîc nollet conſolari in præſenti de his quos ſciret in æternum victuros. Hoc verius eccleſiæ conuenit, quæ non tantum peremptos dolet ſed eos amplius quos prius editos vult retinere, vel nondum genitos generare: de quibus nulla conſolatio, quia æternaliter mortui ſunt. Allegoricè: Bene autem Rachel, quæ ouis videns Deum dicitur, eccleſiam figurat, cuius tota intentio vt Deum contempletur inuigilat: & ipſa eſt ouis centeſima quam paſtor humeris reportabat. *Rachel* id eſt eccleſia plorans pro ſuis occiſis. Et ideo non modicum fuit prophetæ tantum ſacramentum (licet obſcurè) diligentius præſignare. Plorat eccleſia, & non vult conſolari hîc: quia filij ſui non ſunt de hoc mũdo. Vel plorat: quia dum parit, triſtitiam habet. vnde
Ioh 16. d dicitur: Vos plorabitis, &c. ſed additur conſolatio: Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

CATENA AVREA IN *idem Euangel.*

Q*VI cum receßiſſent, ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, &c.* Raba. Hic prætermittit Mathæus diem purificationis, in qua oportebat primogenitum offerri in templo, & agnum vel par turturum, aut columbarum. Et quamuis timerent Herodem, tamen non ſunt auſi tranſgredi legem, quin ad templum puerum deferrent. Cum itaque rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur angelus, qui in Ægyptum faciat puerum tranſportari, vnde dicit: *Angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* Remi. Per hoc quod ſemper angelus Ioſeph in ſomnis apparuiſſe dicitur, myſticè deſignatur, quia illi qui à curis terrenis & ſecularibus negocijs quieſcunt, perfrui angelica viſione merentur. Dicit ergo ei: *Sur. & accip. pu. & ma. eius.* Hil. Cum deſponſatam eam iuſto ſignificabat, coniugem nũcupauit: ſed poſt partum mater tantum Ieſu oſtenditur, vt quemadmodum iuſto Ioſeph deputaretur Mariæ in virginitate coniugium, ita venerabilis eius oſtenderetur in Ieſu matris virginitas. Chryſoſt. ſuper Matthęum, Non autem dicit, accipe matrem & puerum eius, ſed econuerſo, quia non propter matrem puer natus eſt, ſed propter puerum mater præparata eſt. Sequitur: *Et fuge in Aegyptum.* Quomodo autem filius Dei ante hominem fugit? aut quis liberet de inimicis, ſi ipſe inimicos ſuos timet? Et primum quidem oportet vt regulã humanæ naturæ quam ſuſcepit, conſeruãs, & in hac parte, quia & humanæ naturæ puerilitate conuenit, fugeret poteſtatem minantem: deinde vt cæteri Chriſtiani cum neceſſitas perſecutionis aduenerit, fugere non erubeſcant. Sed quare in Ægyptum? Recordatus eſt enim dominus, qui non in finẽ iraſcitur, quanta mala fecerit ſuper Ægyptum, ideo mittit filium ſuum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis ſignum, vt decem plagas Ægypti vna medicina ſanaret, vt populus qui ante fuerat perſecutor populi primogeniti, cuſtos fieret filij vnigeniti, vt qui illi violenter dominati ſunt, iſti eum deuotione ſeruirent, vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas bapuſmatis viuificandi. Aug. in ſer. de Epi. Audi etiam magni myſterij ſacramentum. Moyſes aliquãdo in Ægypto perfidis clauſerat diem, illuc Chriſtus adueniens ſedentibus in tenebris reddidit lucem: fugit vt illuminaret, non fugit vt lateret. Sequitur: *Et eſto ibi vſque dum di. tibi*: futurum eſt enim vt Herodes quærat puc. ad perden. Putabat enim infœlix tyrannus ſaluatoris aduentu è regali ſe ſolio detrudendum, ſed non ita eſt, non ad hoc venerat Chriſtus vt alienã gloriam inuaderet, ſed vt ſuam donaret. Sequitur: *Qui conſur. acce. pu. & ma. eius nocte, & ſeceßit in Aegyptum.* Hil. ſcilicet idolis plenam. Iam enim poſt Iudæorum inſectationem Iudæam relinquens, ignoranti ſeculo colendus infertur. Hier. Quando igitur tollit puerum & matrem eius vt in Ægyptum tranſeat, nocte tollit & in tenebris: quando verò reuertitur in Iudæam, nec vox, nec tenebræ ponuntur in euãgelio. Chry. ſuper Matt. omnis enim perſecutionis anguſtia nox eſt, refrigerium autem dies. Raba. Vel quia luce vera recedente lucis ipſius oſores in tenebris remanſerunt: ipſa verò redeunte illuminantur. Chry. in hom. Vide autem ſtatim ipſo nato tyrannum inſanire, & quòd mater eum puero ad extraneam effugatur regionem, vt ſi tu incipiens alicui ſpirituali rei deſeruire, videris te tribulari, non turberis, ſed omnia viriliter feras, hinc habens exemplum. Beda: Quòd enim dominus à parentibus ſublatus eſt in Ægyptum, ſignificat electos ſæpius malorum improbitate ſuis effugãdos ex ſedibus, vel etiam exilio damnandos. Siquidem ipſe qui ſuis erat præceptutus; Cum vos perſecuti fuerint in vnam ciuitatem, effugite in aliam, primus fecit quod præcepit, fugiendo hominem, quaſi homo in terra, quem ſtella Magis paulo ante adorãdum monſtrauit ex cælo. Remi. Quòd autem dominus in Ægyptum iturus eſſet, prædixerat Eſaias cum ait: Ecce dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & diſperdet ſimulachra Ægypti. Remi. Conſuetudo autẽ fuit iſtius euangeliſtæ omnia quæ dixit confirmare, & hoc ideo, quia Iudæis ſcribebat. Ideoq; ſubiungit. *Vt adimp. quod dictum eſt à do. per proph. dicen. Ex Aegy. vo. fi. meum.* Hier. de optimo genere interpretandi. Hoc 70. interpretes non habent, ſed in Oſee propheta iuxta Hebraicam ſcribitur veritatem: quia puer Iſrael, & dilexi eum. Ex Ægypto vocaui filium meum, ex quo 70. tranſtulerunt. Quia paruulus eſt Iſrael & dilexi eum, ex Ægypto vocaui filium meum. Hier. ſuper Oſeam. Hoc autem teſtimonio vtitur euangeliſta, quia hæc typicè referuntur ad Chriſtum. Notandum enim quòd in hoc propheta & in alijs, ita de aduentu Chriſti, & de vocatione gentium prænunciatur, vt radix hiſtoriæ non penitus deſeratur. Chry. in hom. Eſt etiam prophetię lex multa multotiens dici de alijs, completi autem in alijs, ſicut de Simeone & Leui dictum eſt: Diuidam eos in Iacob, & diſpergam in Iſrael, quod non in eis, ſed in nepotibus completum eſt, quod & hîc apparet. Chriſtus enim natura Dei

ra Dei filius eſt, & ſic in eo verè prophetia completur. Hier. Poſſumus autem & hunc locum aliter conſolari, & inducemus teſtimonium ex Numeris. Deus ex Ægypto vocauit eum, gloria eius ſicut vnicornis. Remi. Per Ioſeph autem deſignatur ordo prædicatorum: Per Mariam ſacra ſcriptura, per puerum notitia ſaluatis, per perſecutionem Herodis, perſecutio quam paſſa eſt eccleſia in Hieroſolymis, per fugam Ioſeph in Ægyptum, tranſitus prædicatorum ad gentes infideles. Ægyptus enim tenebræ interpretentur: per tempus autem quo fuit in Ægypto ſpecium temporis ab aſcenſione domini vſque ad aduentum Antichriſti: per obitum Herodis extinctio inuidiæ in cordibus Iudæorum. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: Et mittens occidit omnes pueros, &c.* Chry. ſuper Matt. poſtquam paruulus Ieſus Magos ſuo imperio ſubiugauit, non poteſtate corporis, ſed gratia ſpiritus, iraſcebatur Herodes: quia quos ipſe ſedẽs in throno regni ſuadere non potuit, his Ieſus paruulus placuit in præſepio iacẽs: deinde contemnentes eum Magi addiderant cauſas doloris, vnde dicitur: *Tunc Hiero. videns quoniam illu. eſ. à Ma. ira. eſt valde.* Illa regum ira magna & inextinguibilis eſt, quam regni zelus accendit. Sed quid facit? Mittens occi. omnes pueros. Sicut enim beſtia vulnerata, quicquid oculis eius occurrit, quaſi auctorem ſui vulneris dilaniat, ſic & ille deluſus à Magis iram ſuam ſuper paruulos diffundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certè Magi puerum inuenerunt, quem regnaturum dicebant: nam rex regni zelo repletus, de his omnia timet, omnia ſoſpicatur. Ideo ergo miſit & interfecit omnes paruulos, vt vnum inueniret in omnibus. Auguſtinus in ſermone de Epiphan. Et dum inſequitur Chriſtum regi noſtro coæuum: procurauit exercitum ſtolis victricibus candidatum. Auguſt. in ſermone de innocẽtibus. Vel quia timebat, ne puer, cui ſydera famulantur, ſpeciẽ ſuam paulo ſuper ætatem vel infrà trãsformaret, vt in ætatem ſui temporis occultaret. ideo videtur pueros à bimatu vſque ad puerus vnius diei interfeciſſe. Aug. de conſ. euang. Vel aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus Herodes, ab illa cura ſcilicet interficiendi pueros, mente abrepta in aliis potius occupatur: vel potuit credere Magos, fallacis ſtellæ viſione deceptos, poſteaquam non inuenerunt, quem natum putauerunt, erubuiſſe ad ſe redire, atque ita timore depulſo à perſequendo puero quieuit, & ſic completis diebus purgationis tutè cum illo aſcendere tẽplũ potuerunt. Quis enim non videat vnum illum diem regem multis occupatum latere potuiſſe? deinde vulgatis rebus, quæ in templo dictæ ſactæque fuerant, Herodes ſenſit ſe à Magis illuſum, ac deinde ſicut hic dicitur multos infantes occidit. Beda in hom. In hac autem morte puerorum, omniũ Chriſti martyrum precioſa eſt mors deſignata. Quòd paruuli occiſi ſunt, ſignificat per humilitatis meritũ ad martyrij perueniẽdum gloriam: quod in Bethlehem & in omnibus finibus eius occiſi ſunt, oſtendit in Iudæa, vnde eccleſiæ cœpit origo, & vbique per orbem perſecutionem ſæuituram. Qui bimi occiſi ſunt, doctrina, & operatione perfectos indicant. Qui verò infrà, ſimplices. Quòd illi quidẽ occiſi ſunt, & Chriſtus euaſit, inſinuat corpora martyrum ab impiis poſſe perimi, ſed Chriſtum ab eis non poſſe auferri. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos & noluit conſolari, quia non ſunt.* Chry. in hom. Quia euangeliſta terrore impleuit auditorem, crudelem occiſionem narrans: rurſus mitigationem apponit oſtendens, quòd hæc non facta ſunt Deo nequeũte prohibere atque ignorante, ſed per prophetam prædicentem. vnde dicit: *Tunc impletum eſt.* Hiero. ſuper Hiere. Hoc Hieremiæ teſtimoniũ Matthęus non ſecundum Hebraicam veritatem, nec iuxta 70. protulit. Ex quo perſpicuum eſt euangeliſtas, & apoſtolos non interpretationem alicuius ſecutos, ſed tanquam Hebræos quod legebant hebraicè ſuis ſermonibus expreſſiſſe. Hierony. ſuper Matt. Quod autem dicitur in Rama, non putemus loci nomen eſſe, quod eſt iuxta Gabaa, ſed Rama excelſum interpretatur. vt ſit ſenſus: Vox in excelſo audita eſt (id eſt) longè latéque diſperſa. Chry. ſuper Matt. Vel quoniam de morte innocentium mittebant, ideo in excelſo audiebatur, ſecundum illud, vox pauperis penetrat nubes. Quod autem dicit *ploratus*, fletum paruulorum oſtendit. Quod autem dicit *vlulatus*: matrum ſignificat lamentum: in paruulis autem mors faciebat finem doloris: in matribus autem ſemper per memoriam reparatur, & ideo dicit: *Vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos.* Hierony. De Rachel natus eſt Beniamin: in cuius tribu non eſt Bethlehem. Quæritur ergo quomodo Rachel filios Iudæ (id eſt) filios Bethlehem quaſi ſuos ploret? Reſpondebimus breuiter, quia ſepulta ſit iuxta Bethlehem in Effreta, & ex corpuſculi hoſpitio matris nomen accepit. Siue quoniam Iuda & Beniamin duæ tribus iunctæ erant, & Herodes præceperat non ſolùm in Bethlehem interfici pueros: ſed & in omnibus finibus eius. per occaſionem Bethlehem, intelligimus multos etiam de Beniamin fuiſſe cæſos. Augu. de quæſt. no. & vete. teſtamen. Vel quia filij Beniamin, qui ad Rachel pertinẽt, olim à reliquis tribubus extincti ſunt, & in præſenti & in futuro ætati. Tunc ergo Rachel cœpit filios ſuos plangere quãdo filios ſororis ſuæ in tali cauſa vidit occiſos, vt æternæ vitæ hæredes exiſterent: cui enim aliquid aduerſum euenerit ex felicitate alterius, infauſta ſua miſerè luget. Remi. Aſſumpſit autem ſanctus euangeliſta ad exaggerandam magnitudinem luctus, vt diceret etiam Rachelem mortuam ploraſſe filios ſuos, & noluit conſolari, quia nõ ſunt. Hierony. Et hoc ſecundum duplicem intelligentiam, ſiue quod eos in æternum mortuos exiſtimaret, ſiue quòd ſe conſolari nollet de his quos ſciuit eſſe victuros, vt ſit ſenſus: *Noluit conſolari quia non ſunt* (id eſt) noluit conſolari de hoc quod non eſſent. Hila. Non enim erant hi qui mortui putabantur: in æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur. conſolatio autem rei amiſſæ erat præſtanda, non auctæ. Hila. ſuper Matt. Rachel eccleſiæ typum prætulit diu ſterilis, nunc fœcundæ: huius ploratus ex filiis non idcirco, quia peremptos dolebat, auditur: ſed quia ab his perimebantur, quos filios retinere voluiſſet. Raba. Vel ſignificat eccleſiam quidem plorare ſanctorum de hoc ſeculo ablationem, ſed non ita velle ſe conſolari, vt qui ſeculum morte vicerunt, rurſus ad ſeculi certamina ſecum redeant toleranda: quia non ſunt vltra reuocandi in mundum. Gloſ. Vel non vult conſolari in præſenti, quia non

ſunt:ſed omnem ſpem & conſolationem ad æternam tranſmittit vitam. Rab. Bene autem Rachel, quia ouis vel videns dicitur, eccleſiam figurat, cuius tota intentio vt Deum contempletur inuigilat, & ipſa eſt ouis centeſima, quam paſtor in humeris reportat.

ORIGENIS PRESBYT, *in idem Euang. Homil.*

Eſt Hom. 3. in diuerſos. ANgelus domini per ſomnium apparuit Ioſeph. Qualis angelus? Ille ipſe qui & ad Mariam deſtinatus fuerat Gabriel; ille annunciare venit, qui ad Zachariam in templo locutus eſt, ipſe & nunc per ſomnium oſtendit ſe Ioſeph ſanctus angelus Gabriel. Ipſi enim iniunctum fuerat, & commendatum generationis dominicæ ſacramentum. Propterea & digne Gabriel appellatus eſt, quod interpretatur fortitudo Dei. Illius nanque incarnationis ſacramentum commendatum habebat, qui veniebat ad debellandas poteſtates aëreas. Iſte etiam angelus ad illos bene vigilátes paſtores venit, & domini generationem eiſdem annunciauit. Angelus (inquit) domini ſtetit iuxta illos, & gloria Dei circumfulſit illos. Iſte ergo beatus & ſanctus angelus, & nūc Ioſeph apparuit per ſomnium dicens, *Surge & accipe puerum*: nó tuum puerum, ſed hunc puerum, cui aliquando pater teſtimonium perhibuit dicens, Hic puer meus dilectus eſt, in quo bene complacuit animæ meæ, & ea quæ ſequuntur. Hunc dicit puerum accipe, per quem reges regnant, & potentes ſcribunt iuſtitiam: per quem ſapientes magnificantur, & principes poſſident terram. Hunc puerū accipe, & matrem eius. Non tu huic puero pater, ſed hæc ſola Virgo huic puero mater. Non indiget patre ſuper terram, incorruptibilem enim habet patrē in excelſis. Non indiget matre in cælis, immaculatam & caſtam habet matrem in terra hanc multum beatam virginem Mariam. Sine matre, & ſine patre ſimilis filio Dei, vt ait quidam: ita vt intelligatur filius Dei ſine patre plenus ſuper terram, ſine matre in cælis. Sine patre ſecundum corpus, ſine matre ſecūdum deitatem. Sine patre in ſinu virginis, in nouiſſimo tempore: ſine matre in ſinu patris, ante omnia ſecula. *Accipe puerum & matrem eius.* Ante generationem coniugem eam appellauit Ioſeph: poſt generationem matrem eam dicit pueri. Et quare ante generationem coniugem dixit? Propterea vt diabolo occulatet vtráque vel impiis Iudæis, & poſtmodum perfecto ſacramento, atque generato vnigenito ex ipſa virgine, poſt laudem quoque angelorum atque paſtorum, poſt adorationem Magorum, poſt circumciſionem factam ſecundum legem, iam nec erat neceſſe vt cōiunx diceretur, ſed mater huius qui natus eſt pueri vocatur. Idcirco & in Ægyptum fugere mandauit, & iterum ad terram Iſrael reuerti, ſicut dictum eſt ad Ioſeph, *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* O Ioſeph fuge ab Herode, à ſimili fuge diabolo, cui virginitas Mariæ occulta eſt. Sed hic qui in ea natus eſt, non occultus fuit. Audiuit enim angelos præconantes, paſtores laudantes, Magos adorantes, ſtellam ſuperfulgentem, & plura alia ſigna, & hunc promiſſum & magnum conſiderans omni virtute interficere perquirebat. Fuge nūc in Ægyptum ait. Quare in Ægyptum? propter multitudinem quæ ibi eſt idolorum, Abominationumque multarum. Fuge in Ægyptum, propterea vt deſtruantur manufacta eorum, vt confringantur & pereant idola ipſorum, propterea vt dęmones turbentur, & regum fabricę idolis deſtruantur, vt fiat in aduentum domini fugitiuorum ſeruorum atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum vt adimpleas, quæ dicta ſunt, Ecce dominus ſedet in nube puſilla, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur omnia manufacta Ægypti. Ecce dominus ſedet in nube puſilla, carnalem animá non habente, nec aliquam peccati grauedinem. Nubes enim in acra eleuatur, atque leuitate ſui in alta dirigitur, quia peccatum non fecit, nec dolus in ore eius. Fuge in Ægyptum, vt fugiant de Ægypto qui ibi ſunt dæmones, vt appropient ibidem angeli ſancti qui Deum conſequuntur, qui ſanctis iunguntur, vt pro multitudine templorum atque abominationum multarum multitudo exuberet eccleſiarum, & pro idolorum turbis, turbæ abundent fidelium atque colentium dominum, pro vitiis, & erroribus multis multa caſtitas, multaque ſanctitas ſuperabundet, multaque virginitas. Fuge in Ægyptum, vt hi qui nomine Chriſti perſecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferūt, fortiter ſtent, & viriliter prælientur, veritaté teneant, fidem non derelinquant, eccleſiam non deſerant, ſed ſemper meminerint, quia & dominus à peccatoribus perſecutionem perpeſſus eſt, quoniam ab iniuſtis contumeliatus eſt, & ab ipſis de loco in locum fugit & ab ipſa ſua infantia, ab initio pene introitus ſui in hunc mundum. Fugit enim dominus de loco in locum, non mortem timens, nec interfectionem formidans, ſed myſterium, & conſummationem paſſionis propter multorum ſalutem expectans. Sæpius enim à volentibus eum lapidare per medium eorum tranſiit. Sed poſt hæc tamen omnia vel cætera ſentiens Herodes quòd deluſus ſit à Magis. Deridere volens, deriſus eſt, ſpernendo ſanctos, ſpretus remanſit, & ſubdolis cogitationibus fraudis ſuæ atque articulis ſuis ſuperatus atque confuſus expauit. Sentiens quòd deluſus ſit à Magis. Deluſa eſt eius animi peruerſitas à ſancta iuſtitia, ſicut ſcriptum eſt, dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Conſilium vero domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Hęc conuenienter, vel de Herode, vel de ſimilibus eius dicta à ſanctis prophetis atque conſcripta ſunt. Deſtructum eſt ergo conſilium Herodis vt multorum proficeret ſalus, & is qui ex virgine natus eſt, totum redimeret mundum. Hi ergo beati Magi per ſomnium admoniti, Herode relicto, ad propria per aliam profecti ſunt viam, per illam viam, per quam & deſiderantes videre venerant Chriſtum. Ipſe eis vita fuit Chriſtus, qui & deſiderantibus viſus eſt, & remeantibus inhærere vel comitari dignatus eſt. Ipſi quoque annunciauerunt cunctis, nomenque ſanctū vnigeniti prædicantes ad ſuam prouinciam perrexerunt. Quibus ita geſtis ſentiés Herodes, quòd deluſus ſit ab iſtis Magis, iratus factus eſt nimis, vt pote quem autor omnium ſcelerum diabolus poſſidebat, inerat illi furor serpentinus, horribiliſque draconumque & ſpirituum immundorum inſania. Idcirco, vt dictum eſt, iratus

tus eſt nimis. Multa in furore ſuo cogitans, diuerſa conſiderans intra ſemetipſum dicebat, En ego, qui domui prouincias, occupaui vrbes, inuitos mihi ſubieci populos, alia voluntaria, aliá neceſſitate ad meum conuerti obſequium, qui terrui hoſtes, deuici aduerſas gentes, in quibuſcunque volui, meis impietatibus ſatisfeci, furorique meo obſecundatus ſum, nec quicquam mihi contra quod volui reſtiturum putaui: ecce nunc meipſum videor circunueniſſe, deludor nũc à Magis, & ab alienigenis velut nullus irrideor; decidi à potentia mea, à miſeris hominibus illudendus deueni. Hæc dicens impalluit, furioſuſque tremor per totam eius cucurrit mentem. Frendebat dentibus, nubilo tenebricabatur aſpectu. Igneus oculis eius ſeſe turbo inſuderat, ſuiſque gemitibus intra ſemetipſum impius torquebatur. Nec immerito dicit ſcriptura, quia ira regis vt rugitus leonis. Ergo iratus factus eſt nimis, quo nefando furore excæcatus animus eius Deum contemnit, iuſtitiam abigit, miſericordiam ſpernit, pietatem relinquit, vno tantum (vt dixi) furori ſeſe totum dedit. Iratus ergo frendebat nimis. Et vt impleret ſibi exitiabilem cauſam, miſit impius ſtatim, & occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius. Cõſummauit miſer iniquitatis ſuæ furioſæ commenta, totumque, quod male cogitauerat, in ſui penam adimpleuit. Multi multas iniquitates facere feſtinauerũt, iſte autem nequiſſimus Herodes in peſtifero ambitu cordis ſui omnium facinorum crimina ſupergreſſus eſt. A Deo diſceſſit, cuius nec reuerentiam vnquam habuit, maieſtatem diuinam offendere non curauit, innocentes lactãtes, & immaculatos ab omni crimine interficere feſtinauit, dolorem parentibus piis, luctuſque multiplices cruentus ingeſſit. *Miſit, & occidit omnes pueros.* Quare occidit? Propterea vt poſt Magorum illuſionem ſicut putabat puerum inter iſtorum neces deperderet. Sic & antea iniquus fecerat Pharao, qui & ipſos vniuerſos paruulos in flumine necari mãdauit: Moyſen enim quærebat occidere, propter quem infantes iuſſit occidi. Etſi ad exercitum ſuum alia loquebatur, vt ne multitudo creſceret filiorum Iſrael, ideo debere necari infantes: tamen in corde Moyſen maxime interficere cogitabat. Ita & iſte nunc maligniſſimus Herodes propter vnius, ad cuius feſtinabat pueri necem, cunctos ante prouectum ætatis occidit infantes. Saul etiam impius quondam innocentem perſecutus eſt Dauid, quem & interficere modis omnibus feſtinabat. Quo fugiente culpæ vilis ita commotus: ſacerdotes pios, ſenes etiam & iuuenes paruulos & lactẽtes omnes pariter interimi ſine mora præcepit. Sic & Achab rex irreligioſus Heliam ſanctum quærens occidere, & minime inueniens, innumerabiles populos interemit, ſicut refert Abdias ſanctiſſimus. Ita & extremus Herodes, de quo in Actibus Apoſtolorum commemoratum eſt, Petro de carcere ab angelo educto, cuſtodes innocentes & innoxios occidi mandauit. His ergo ſimilibus ſupradictis omnibus peiora nunc augmenta adnectẽs ſceleris ſui exaggerauit malitiam in miſerrimos Herodes, Magos ſe deludentes apprehendere quærens, nec potẽs, vt eos more canum ſi fieri contigerit, dentibus diſcerpſiſſet ſuis, & nullo modo reperiẽs malitia (vt dictum eſt) canum rabidorum ad alios lacerãdos conuerſus eſt, vt ſuæ ſatisfaceret iracũdiæ. Vel iterum ſicut canis inſanus ſaxo percuſſus, dum percutientem ſequi non præualet, ad ipſum furore conuertitur lapidem, quem pedibus, dentibuſque diſſipare perquirit: non aliter Herodes ſua præcipitatus iracũdia, ſolitoque inſanæ ſuæ mentis furore in infantium cæde verſatus, & concitatus eſt. Miſit & occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius: nõ ſolum quia occidit, ſed violenter occidi mandauit. Mortem enim ipſam, quam intulit, cum cruciatibus pœnarum iniecit. A bimatu, & infra omnes occidi iuſſit infantes, vt audierat tempus à Magis. Miſit ergo in Bethlehem, miſit impie, ſcelerate, crudeliter, indignos, impios, crudelitatis ſuæ ſocios, & miniſtros feritatis ſuæ, impietatis horribiles apparitores. Miſit in Bethlehem quaſi aduerſarios, & contra ſe repugnantes hoſtes. Miſit quaſi contra expugnatores (vt dixi) imperij ſui, miſit quaſi contra fortem exercitum, quaſi contra pugnatores & præliatores idoneos. Circundant miſſi illam omnem continuo regionem: viuentem quærẽtes panem vnigenitum de cœlo venientem, deſcendentem de ſupernis, hunc quærebant in Bethlehem in domo panis. Sic enim interpretatur Bethlehem domus vel ciuitas panis. Ergo in panis domo viuentem quærebant panem, non ad vitam ſibi, ſed potius ad mortem: non ad ſalutem, ſed ad interfectionem. Irrumpentes itaque in ciuitatem crudeliſſimi hoſtes feralia ſecum præcepta portantes, percutiebant paruulos in manibus hærentes miſerorũ parentum: percuſsíque crudeliter paruuli iactabãtur in ſinibus matrum: quibuſque matres dilaceratis crinibus oſcula quantum poterãt morientibus paruulis infigebant. De cõplexu iterum miſerorum patrum alij plangentes rapti infantes collidebantur in terram, haſtiſque & gladijs fundebantur. Nec alter alterum de parẽtibus poterat conſolari, quia omnibus proprius atque conſimilis inerat luctus: in omnibus pene domibus occiſi paruuli volutabantur in ſanguine. Sicut in Ægypto quondam, vt ſuperius dictum eſt, ſub Pharaone impio geſtum eſt: ita & hic turba crudelium hoſtium turbam innocentum necauit infantum, in illorum morte ſibi maximum interitum inferens: & ſic ſibi ſatis hoſtilis gladius fecit. Sed per ſuam dexteram prius ſe crudelis occidit hoſtis, vulnera aliis infigendo, ipſe ſuam animam vulnerauit: inferendo temporalem mortem, ſe æterna morte damnauit. Fletus ergo parentum, vel filiorum vndique reſonabat: terrore gladiorum omnis regio turbabatur. Parentes dolore nimio exanimes pene remanſerant: artubuſque omnibus reſolutis, in cruore adhuc trementum ſuorum iacebant paruulorum. Nec iam ſe quiſquam conſolari valebat: ſed omne eis hoc erat grande ſolatium, ſi paruula corpora ſuorum infantũ complecti quantum vellent, vel ſepelire liceret. Cupiebant parentes pro filiis mori, libenterque ſeſe & ſuppliciter cruentis vulneribus offerebant, petebant mortem pro filiis, ſed non erat qui audiret, nõ erat qui annueret. Nulla ibi miſericordia, nulla apud hoſtes pietas fuit, diuitum vel pauperum, ſeruorũ, atque liberorum, ciuium, vel peregrinorum paruuli paſſim proiiciebantur occiſi, nulli vt dictum eſt, exhibita miſericordia eſt, in ſingulis domibus bini, vel terni inueniebantur occiſi. In plateis quoque omnibus luctus, & fletus, & vlulatus vndique ſonabat. Nec erat (vt diximus) qui lugentem conſolaretur

ſolaretur parentem, quia omnibus par inerat luctus, & dolor: Simile eſt hoc, vt ſentire valemus, ad futurum iudicij diem, vbi omnes venient: & vnuſquiſque ſibi timebit, nec alium poterit conſolari, aut à ſua culpa liberare. Ita geſtum eſt in iſta Bethlehem, ſicut iam ante ab Hieremia ſancto propheta fuerat dictum, *Vox in Rama audita eſt ploratus & vlulatus, Rachel plorãs filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Hanc ergo hiſtoriam primo præcinuit ſpiritus ſanctus, quia pro domino gerenda eſſet, vt audientes qui habitãt Hieruſalem, vel in Bethlehem, & proximis locis, rememorarentur propheticorum dictorum, & in tribulatione ſua cuncta forti animo tolerarent: quia dominus iſtos de quibus prælocutus eſt per Prophetam, elegerat infantes: quique paruuli & ad memoriam æternæ laudis à beato Euangeliſta in ſancto Euangelio conſcribuntur, horum & memoria ſemper vt dignum eſt in eccleſiis celebratur ſecundum integrum ordinem ſanctorum, vt primorum martyrum pro domino occiſorum: & vt ipſa Bethlehem primitias domino martyrum in qua natus eſt ipſe Saluator obtuliſſe videatur. Sed adhuc primitiæ videbantur ex Iudæis, necnon etiam ex gentibus, quique poſtmodum ad ſimilitudinem iſtorum paruulorũ innocentes pro domino pati habent, velut & ipſi paruuli needum habentes ſcientiam plenam in rebus ſeculi, neque aſtutiã aliquam: quibus Apoſtolus ſcribens dicebat, Velut infantibus lac vobis potum dedi: & velut innocentes infantes in nullo curam circa ſeculum habentes, ſed omnia quaſi contemnentes atque negligentes, paratique pro domini charitate ad mortem ire. Tales videntur qui ex gentibus credunt velut innocentes, & intellectu ipſius puritatis fortes in paſſione. Imago ergo fuerunt gentium iſti ſancti infantes qui pro domino ſunt occiſi. Bene ergo & ſecundum voluntatem Dei eorum memoriam ſancti patres celebrari mandauerũt ſempiternam in eccleſiis, velut pro domino morientium, velut pro Iudæis & gentibus credituris, vel etiam pro ipſis parentibus: quorum parentes præ nimio dolore (vt diximus) percutiebantur, vt eis interceſſio filiorum apud Deum plurimum profuiſſet. Conſiderantes, & in memoriam reuocantes parentes antiquorum ſermones prophetarum ſanctorum, ſuos mitigarunt exinde (vt dixi) dolores. Ideoque hi beati & ſancti infantes in æternum ſociati ſunt in numero omnium ſanctorum atque beatorum.

Rachel (inquit) *plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Conſideremus & hoc. Ioſeph & Beniamin mater cum eſſet Rachel, quomodo plorauit Iudæ filios, id eſt quos dixit ſuos affines ex Liæ ſororis progenie venientes? Quomodo ergo plorauit ex Iudæ generatione occiſos filios? Sed hoc vt ego arbitror, non magnam habet quæſtionem. Rachel enim in via quæ dicitur Hippodromi in terra Chabrati introeuntibus in Bethlehem ſepulta eſt, ſicut narrat Iacob Ioſeph filio ſuo. Dixit eam Propheta quaſi plorantem filios ſuos eum Iudæ qui mortui ſunt in Bethlehem filiis. Duas nunc rationes habet hoc verbum: vnam quam aliquanti antiqui dixerunt ad Beniamin pertinentem filium Rachel affinitate Iudæ generationi cõiunctum: qui filij pro domino nec mortui ſunt. Plorauit ergo Rachel filios ſuos quaſi nihil paſſos in aduentu vel pro aduentu domini, & quaſi non eſſent exiſtimauit ad illos qui pro domino mortui ſunt, & martyrij tulerunt coronam. Ita ergo antiqui dixerunt. Eſt & alia ratio. Ipſa Rachel plorare dicitur, hoc eſt genus Beniamin affinitatem ipſam generationis Iudæ habens. Extendit enim & illuc ſuam crudelitatem Herodes, ſine miſericordia omnes affines Iudæ & Beniamin filios interficiẽs. Prius in Bethlehem interficit omnes, poſtmodum miſit in circuitum regionum ſine miſericordia manus, nullumq; viuum dereliquit infantem: ideoque plorare dicitur Rachel, hoc eſt generatio Beniamin. Vel propterea adhuc nominat Rachel, omnium noſtrum pietatem per illam demonſtrãs circa filios vel proximos: in nomine Rachel vniuerſas pias matres (vt dixi) ſignificans. Matres enim infantes ſuos maiori diligunt affectu quam patres: propterea cum aliquid infantibus contigerit, plus tabeſcunt illæ quæ eos genuerunt matres, quàm qui illos fecerunt patres. Idcirco nunc maior & multiplex & nimium prolixus earũ quæ genuerunt effectus eſt luctus. Quidam enim infantes nimis paruuli, & nuper nati ad mortem oblati ſunt: aliquanti paulo maiores amplectentes vbera matrum diripiebantur occidendi. Alij in conſpectu parentum repentes iam vel ludentes, gladiis ſine miſericordia necabantur, vt ſuperius memoratum eſt: ideoque omnium horum occiſorum matres per Rachel piæ matris nomen demonſtrantur, miſerabiliter plorantis, & nimis lugentis. Hi ergo cum iniuſte vel impie occiderentur, in pace & in quiete multa pro nomine domini paſſi de hoc mũdo ſublati ſunt, in eccleſia æterna per ſecula in Chriſto manſuri. Eorum vero parentes pro ipſorum merito paſſionis dignam mercedis accipient retributionem à iuſto æterno domino Deo. Venit ergo vt ſupra dictum eſt, dominus in Ægyptum, vt exinde omnes dæmonum exercitus fugaret, & omnia idola comminueret, & omnem ritum vel diuerſa mala opera & actus inde euelleret, & fidei & caſtitatis fundamentum ibidem collocaret, vt illud quod ſcriptum eſt ibi adimpleretur, & vbi abundauerit delictum, ſuperabundaret & gratia. Ibi enim ſuſtinuit dominus quandiu Herodes impius & crudelis defunctus eſſet: & exinde ad terrã Iſrael remeare feſtinauit, quo patris præceptum illic perficeret, vt legis & prophetarum teſtificationes ibi adimpleret, vbi & prophetatæ & vaticinatæ ſunt. Illuc ergo remittens dominus vt populum Iſrael illuminaret, vt ſeculum ſaluaret, vt eccleſiam ſolidaret, vt cunctos ſe diligentes in vita æterna & in regno cælorum ſibi cohæredes faceret. Qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

S. HILARII PICTAVOrum Epiſcopi in ſuperius Euang.

PArante autem Herode paruuli necem, Ioſeph per angelum monetur, vt eum in Aegyptum transferat: Aegyptũ idolis plenam & omnigenum Deûm monſtra venerantem. Iam poſt Iudæorum inſectationem, & in extinguendo eo prophanæ plebis aſſenſum, Chriſtus ad gẽtes inaniſſimis religionibus deditas tranſit, & Iudaicam relinquens ignorantiam ſeculo colẽdus infertur, Bethlehem, id eſt, Iudæa, martyrum ſanguine redundante.

Herodis

Herodis verò furor & infantium mors, populi Iudaici in Chriſtianos ſæuientia eſt forma: exiſtimantis ſe beatorum martyrum cæde poſſe io omnium fide & poſſeſſione Chriſti nomen extinguere. Sed glorioſus per prophetam neci eorum honor redditur, dicentem. *Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos: & noluit conſolari quia non ſunt.* Rachel Iacob vxor fuit diu ſterilis, ſed nullos ex his quos genuit amiſſit. verum hæc in Geneſi eccleſię typum prætulit non igitur illius vox & ploratus auditur, quę nullũ habuit amiſſorum filiorum dolorem: ſed huius eccleſiæ diu ſterilis, nunc vero fœcundæ ploratus ex filiis non idcirco, quia peremptos dolebat, auditur, ſed quia ab his perimebantur, quos primum genitos filios retinere voluiſſet. Deniqoe conſolari ſe noluit, quæ dolebat: non enim non erant ij, qui mortui putabantur, in æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur. Conſolario autem erat rei amiſſa præſtanda, noo auctæ.

S. HIERON. PRAESBYT.

in ſuperius Euang.

S*Vrge & accipe puerum & matrem, &c.* Quando tulit puerum & matrem eius vt in Aegyptum traoſeat, nocte tulit & in tenebris: quando vero reuertitur io Iudæam, nec nox nec tenebræ ponuntur in euangelio. *Ex Aegypto vocaui filium meum, &c.* Reſpondeant qui Hebræorum voluminum denegant veritatem: vbi hoc io LXX. legatur interpretibus. Quod cum noo inuene- Oſea.11.a rint, nos eis dicemus in Oſeæ propheta ſcriptum: ſicut & exemplaria probare poſſunt quæ nuper edidimus. Poſſumus autem locom iſtum & aliter conſolari propter contentioſos: quorum conſue- 1.Cor.11.c tudinem Paolus apoſtolus habere ſe denegat & eccleſiam Chriſti: & teſtimonium proferimus ex Num.23.d Numeris, dicente Balaam: Deos ex Aegypto voca- Hiere.31.c uit eũ: gloria eios ſicut vnicornis. *Vox in Rama audita eſt, &c.* Geneſ.35. De Rachel natus eſt Beniamin, in cuius tribu non eſt Bethlehem. Quæritur ergo quomodo Rachel filios Iudæ, id eſt, Bethlehem quaſi ſuos ploret. Reſpondebimus breuiter: quia ſepulta ſit iuxta Bethlehem in Ephrata: & ex materno corpuſculi hoſpitio matris nomen acceperit. Siue qooniam Iuda & Beniamin duæ tribus iunctæ erant: & Herodes præceperat uon ſolom in Bethlehem interfici pueros, ſed & in omnibos finibus eius. Per occiſionem Bethlehem, intelligimus multos etiam de Beniamin fuiſſe cæſos. Plorat autem filios ſuos, & non recipit conſolationem, ſecundom duplicem intelligentiam. Sioe quod eos in æternum mortuos æſtimaret: ſiue quod cõſolari ſe nollet de his qoos ſciret eſſe victuros. Quod autem dicitur, in Rama, non putemus loci nomen eſſe iuxta Gabaa: ſed Rama excelſum interpretatur: vt ſit ſenſus: Vox in excelſo audita eſt: id eſt, looge latéque diſperſa.

S. IOAN. CHRYSOST.

Epiſcopi Conſtantinop. in ſuperius Euang. Homil. 1.

Eſt Hom. 8. in Matth. Q*Vi cum diſceſſiſſent, ecce Angelus domini, &c.* Dignum eſt, hoc loco eſſe iudicij trepidationem quãdam mentis fateri, & quaſi metuere pro Magis pariter, & poero: etſi enim illi turbari non ſunt, ſed fideliter omnia ſuſceperuot; nos tamen ſcrutari dignom eſt, cur nõ & Magi præſentes ſaluetur, & puer; ſed illi quidem in Perſidem reuertantur, hic autem cum matre in Ægyptum tranſfugiat; cum multò potius fuiſſe videatur, in manus com Herodis iocidere; nec tamen, cum incidiſſet, latere, ſed claro prorſus diuinitatis auxilio vindicari. Verum, boc modo rebus impletis, creditum non fuiſſet, vere illom ſuſcepiſſe carnem, tantique hodie myſterij ſacramenta nutarent. Si enim etiam, cum iſta facta ſint, & plurima iuxta bumanæ naturæ diſpẽſata rationem, aliqui tamen auſi ſunt ſuſpicari, quoniam fabola quædam fuerit carnis aſſumptio, in quæ nõ illi impietatis præcipitia cecidiſſent, ſi omnia, iuxta qood dignum eſt, propriæ virtutis potentia egiſſet? Magos verò celeriter emittit, ſimol & Perſarum regioni mittens magiſtros, & inefficacem reddens furorem tyranni, vt diſcat ſe impoſſibilia moliri, & conceptam extinguat iouidiam, ſeque à ſtodio vani laboris abducat. Et autem diuinitatis virtute dignom; noo modò contemnere inimicos, verumetiam cum omni illos facilitate decipere. Sic enim & Ægyptios populi ſui vtilitate ſeduxit, cumque palam in Iudæorum manus illorum poſſet transferre diuitias, occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit, quod certè illum apud inimicos oon minus fecit, quàm alia ſigna, terribilem. Deoique Aſcalonitæ, omnéſque per circuitum alienigenæ, quãdo arcam Dei ceperunt, percuſſique plaga ſuaſerunt ciuibus ſuis, ne aduerſus Dei repugnarẽt manum, cum cæteris mirabilibus boc quoque in medium protulerũt dicentes; Quare grauatis corda veſtra, ſicut grauauit Aegyptus, & Pharao cor ſuũ? Non- 1.Reg.6. ne, poſtquã illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum, & abiit? Hæc verò dicebant, cùm ad documentum virtutis Dei ſignis manifeſtius factis nequaquam iſtud eſſe inferius iudicarent. Id igitur etiam in præſenti cauſa factum eſt, quod certè facilè poſſet tyranno incutere terrorem. Itaque conſidera quænam Herodem eſſe paſſum, conſequentia rerum ipſa declarat, qui certè ſuffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit, cum ſe ita illuſum, atqoe irriſum doleret. Quòd ſi non hinc melior effectus, non Deus, qui iſta diſpenſauit, in culpa eſt, ſed nimia huentis inſania, qui ne iis quidem ceſſit, quæ vtique conſolari, & à tanta eum abducere malignitate potuerunt. Sed alio ruſus aditu, ac malignitate in vlteriora proceſſit, vt moltò grauiorem ſtultitiæ ſuæ reciperet vltionem. Et cuius tandem inquies rei gratia in Aegyptum paruulus mittitur? Prima quidem illa cauſa eſt, quàm Euangeliſta ſignauit, vt impleretur, inqoit, quod Oſee.11. ſcriptum eſt; *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Deinde vt in illa quoque regiooe melioris ſpei ponerentur exordia. Quia enim Babylon atque Aegyptus præ omnibus terris flamma impietatis ardebant, & ab ipſis ſtatim principiis oſtendit, quia vtramque emendaturus eſſet, & igne potius fidei ſuccenſurus, ex his vtique perſuadens etiam de aliis mundi partibus ſperanda eſſe meliora. Nam Perſidi quidem Magos remittit, * ipſe verò * Lege. in Aegyptũ vero ipſe. cum matre deſcendit. Suprà verò iſta, quæ diximus, etiam hinc aliquid aliud addiſcitur, quod certè noo ad exiguam philoſophiã pertinere doceatur. Quid verò iſtud eſt? quòd ab ipſis videlicet

vitæ

vitæ initiis,ad tentationes debeamus, atque inſidias præparari.Cerne igitur ab ipſis omnino incunabulis Chriſti,iſtud effectum.Nam ſtatim vt ortus eſt, contra eum tyrannus furit, & ipſe in Ægyptum fugit, continuóque in montana tranſitur, & mater innoxia in regionem Barbarorum fugatur, vt tu videlicet hæc audiens, quum dignus fieris ſpecialis alicuius negotij miniſter effici, & videris te tribulationes varias, & mille ſuſtinere diſcrimina,nihil omnino turberis,neque tecum ratiocineris, ac dicas; Quidnam iſtud eſt, quòd mihi infertur immeritò? Cui certè laus potius, & corona congruit, quíque eſſe deberem clarus,ac nobilis, vtpote dominica præcepta perficiens. Sed vt iſto munitus exemplo viriliter cuncta ſuſtineas, ſciens tribulationes maximas, & inſeparabiles quaſdam comites eſſe virtutum.Perſpice igitur iſtud non tantùm in matre pueri, verumetiam in illis Barbaris fuiſſe completum. Nam & illi reorum more, clam fugiunt, & iſta, quæ nunquam domum ſuam fuerat egreſſa, tam ærumnoſum conficere iter iubetur, propter partum illum mirabilem, ac ſpiritalem laborem.Sed cõſidera rem prorſus nouam,atque mirificam.Palæſtina inſidiatur, Aegyptus recipit, ac ſeruat eum,cui tenduntur inſidiæ.Non ſolùm quippe in filiis patriarchæ,verumetiam in ipſo domino præceſſerunt ſecuturorũ figuræ.Siquidẽ multa etiam, quæ in ipſo tunc facta ſunt, præcinebant ea, quæ poſtea erãt futura.Quod in Aſina quoque,& pullo eius impletũ eſt: *Apparuit* igitur *angelus non* Mariæ,ſed *Ioſeph* loquens, & quid ait? *Accipe puerum, & matrem eius.*Hic iam non dicit,coniugem tuam, ſed matrem eius, quia abſoluta per ſignum partus,& exploſa ſuſpicio eſt,& abſque vlla ambiguitate vir credidit liberè iam, & apertè angelus neque filium, neque coniugem eius appellans, ſed *puerum,*inquit;*accipe & matrem eius,& fuge in Aegyptum.* Cauſam quoque iungit fugæ. *Quoniam*, inquit, *Herodes quærit puerum ad perdendum eum.* Quæ quum audiſſet Ioſeph, nequaquam paſſus eſt ſcandalum,neque dixit,incerta iſta res eſt,ac prorſus ambigua; tu paulò antè dicebas,quia ſaluabit populum ſuum,& nunc ſeipſum quidem non poteſt de periculis liberare. Aut,ſi poteſt,quid nobis eſt opus labore, ac tranſmigratione longinqua? cõtraria omnino ſunt facta promiſſis. Sed horum nihil prorſus opponit. Vir enim erat fidelis,neque curioſè reuerſionis tempus inquirit, quod vtique ab angelo non ſignatè fuerat expreſſum. Sed *eſto ibi,*inquit. *vſquequo dicam tibi.* Verũ ille nec per iſta quidem factus eſt ſegnior,ſed obediuit libenter,& credidit,omnes prorſus tribulationes cum gaudio ſuſtinẽdo. Enimuero miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiã iucunda permiſcuit. Quod certè in ſanctis omnibus fecit, quos neque tribulationes,neque iucunditates ſinit habere cõtinuas, ſed tum de aduerſis, tũ ex proſperis iuſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexuit, quod hîc quoque eum feciſſe conſidera. Videndo quippe ſanctus Ioſeph grauidam ſponſam, in conturbationem incidit maximã, atque in horribilẽ quendam cogitationis tumultum. Iugis enim illum de puella adulterij ſuſpicio mordebat, ſed affuit repentè angelus ſuſpicionem ſoluens malignam, & timorem hunc prorſus extinguens: deinde videns puerum ſigno natũ, maxima exultatione repletus eſt,ſed rurſus huic etiam gaudio periculum grande ſucceſſit,cũ tota vtique ciuitas turbaretur, ipſe rex fureret, & ad necem puerum quæreret, ſed & hũc mœrorem alia rurſus lætitia ſubſecuta eſt, apparitio videlicet ſtellæ,& adoratio Magorum. Poſt hanc quoque iucũditatem iterum periculum, iterúmque formido. Quærit, inquit, Herodes animam pueri, & fugere neceſſe eſt, & in longinqua tranſire. Nondum quippe opportunum erat, vt ſignorũ miracula coruſcarẽt. Si enim à prima prorſus infantia mirabilia mõſtraſſet, homo proculdubio creditus non fuiſſet. Idcirco nanque non vtcũque * tempus fugitur,ſed & tumor vteri cernitur, & nouem menſium tempus voluitur, & ipſe partus abſoluitur,& nato nutrimentũ lactis adhibetur, pérque aliquot annos ſilentio res tãta celatur, virilis expectatur ætas, vt per hæc omnia credibile efficiatur ſuſcepti hominis ſacramentum. Qua igitur ex cauſa * nõ ſunt facta miracula? propter matrem, propter Ioſeph, propter Symeonem iam iamque moriturum, propter paſtores, propter Magos, propter ipſos quoque Iudæos. Siquidem voluiſſent ea,quę fiebant,diligenter experiri,non paruũ inde ad illa,quæ ſecutura erant, habuiſſent profectum. Quòd ſi nihil prophetæ de Magis loquuntur,nequaquam omnino turberis,nã neque omnia prædixerunt prophetæ, nec cuncta ſiluerunt. Quemadmodum enim,ſi vidiſſent homines factum, quod nunquam audiſſent futurum, & conturbationis plurimum & ſtuporis habuiſſent: ita rurſus, ſi cuncta omnino antè didiciſſent,& illum etiam ſomnũ (vt ita dixerimus) de ſecuritate paterentur,nec quicquã nouum Euangeliſtis fuiſſet relictũ. Si verò de prophetia Iudæi ambigerent, dicentes; *Ex Aegypto vocaui filium meum*, de ſe dictum potius,quàm de Chriſto eſſe prædictum: Reſponderem profectò eſſe hunc quoque prophetię morem, vt multa ſæpe in aliis dicantur quidem,ſed in aliis impleantur, vt illud, quod de Symeone, & Leui dicitur; Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael. Hoc enim non ipſis ſed in eis etiam factum eſt,qui de illorum ſtirpe proceſſerunt. Et quod in Cham à Noë dictum eſt, in Gabaonitis poſteris eius impletur: De Iacob quoque ſimiliter intelligitur accidiſſe; ſiquidem benedictio illa, quæ dicit; Eſto dominus fratrum tuorum,& adorent te filij patris tui, non in ipſo habuit effectum. Quemadmodũ enim id poſſit intelligi, cùm econtrario iſte timuerit fratrem, atque tremuerit, eúmque millies adorarit? ſed vtique in eis, qui ex eius ſtirpe deſcenderunt. Hoc igitur etiam in præſenti poteſt quæſtione defendi. Quis enim magis, ac propriè Dei filius eſſe dicitur? Ille ne populus, qui adorabat vitulum, qui idolis initiabatur, quíque filios ſuos dæmoniis immolabat, an verò dominus Ieſus Chriſtus, qui natura filius Dei eſt,& toto patrem honore veneratur? Itaque, niſi adueniſſet iſte, nequaquam prophetia dignum finem habere potuiſſet. Conſidera igitur quemadmodum iſtud ipſe Euangeliſta deſignet, dicendo; *Vt impleretur.* Oſtendit enim, quoniam, niſi veniſſet iſte, nõ vtique fuiſſet impletum. Quod quidem ipſum beatam virginem nõ mediocriter claram facit, ac nobilem, quæ id habuit,quod toti illi erat populo glorioſum, qui ſuperbius ſe, atque inſolentius efferebant, quòd, deducēte Deo, de Aegypto fuiſſent reuerſi, idque ad gloriam ſuam ſæpe iactabant. Hoc enim etiam Propheta denotans ait, Nónne alienigenas adduxi de Cappadocia, & Syros

** forte corpus fingitur.*

** videtur legendũ, aliquo ab initio ſunt facta.*

Immo in Pſal. 71. id eſt prædictum diſertis verbis.

Gen. 49.
Gen. 9.
Ioſue 9.
Gen 27.
Gen. 20. & 30.

Amos. 9.
Gen. 45.

tos ex fouea? Fecit etiam virginis hunc eſſe primatum. Quinimo & populus, & patriarcha, quum deſcenderent in Ægyptum, & inde rurſus aſcenderent, iſtius reuerſionis ſignabant figuram. Nam & illi fugiendo mortem, quam comminabatur fames, deſcenderunt in Ægyptum, & hic mortem fugit, quæ per inſidias imminebat. Sed illi quidem à fame, quæ tunc acciderat, liberati ſunt, hic verò etiam deſcendens in Ægyptum, omnem illam regionem ſuo ſanctificauit ingreſſu. Diligenter verò perpende, quemadmodum cum humanitatis humilibus, diuinitatis excelſa clareſcāt. Nam, cùm dixit angelus, *Fuge in Ægyptum*: nequaquam ſe ſocium itineris futurum eſſe pollicitus eſt, neque illuc ſcilicet euntibus, neque redeuntibus, proculdubio deſignans maximo ipſius, propter quē fugiebat, paruuli, eſſe munitos comitatu, qui vbi certè primus apparuit, in melius cuncta conuertit. Nam & Magi illi, & Barbari ſuperſtitionem patriam relinquentes, ad verum dominū venium adorandū, & Auguſtus ipſe futuro in Bethlehem partui per diſcriptionis ſeruit imperium, & Ægyptus ſuſcipit, ac tuetur inſidias fugientem tyranni. Namque tactu ipſo domini guſtum quendam ſanctificationis adipiſcitur, vt, quum illum audierit ab apoſtolis prædicari, huius quaſi priuilegij honore decoretur, quòd dominum prima ſuſcepit. Et certè ſolius hic Paleſtinæ videbatur eſſe primatus, ſed facta eſt poſtea iſta feruentior. Denique, ſi quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo prorſus omnē illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnē quidem tyrannidem diaboli diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans, & illam Magorum quondam, ac philoſophorum parentem, cunctarumque huius generis artium repertricem, quæque etiam cęteris propria inuenta tradiderat, videbit modò piſcatorum magiſterio gloriantem, &, contemptis omnibus iam illis, repudiatiſque doctoribus, publicanos vbique, ac ſutores pellium circunferentem, atque ad maximā fidei ſuæ gloriā crucem domini præferentem. Et hæc omnia bona non in vrbibus ſolum, ſed etiam in deſertis florent locis. Eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitū Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutúmque cæleſtium conuerſationem in terris micantem. Atque hæc non in viris ſolùm, verum etiam in fœminis ſplendere conſpicias. Nam illæ quoque non minori, quàm viri virtute decorantur, non, clypeo arrepto, in equum inſiliunt callentes, vt honeſtiſſimi illi, ac ſapientiſſimi gentilium iubent magiſtri, ſed multò certè vehemētius bellum gerentes. Communis enim illis, ac viris aduerſus diabolum pugna eſt, contraque huius mundi poteſtates, nec vſpiam teneritudo ſexus his congreſſibus impares facit. Non enim natura corporis, ſed voluntate animi exercētur iſta certamina. Propterea ſæpe in huiuſmodi acie fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerunt. Non ita varius aſtrorum choris cælum refulget, vt AEgyptus innumeris monachorū, ac virginum diſtinguitur, atq; illuſtratur habitaculis. Si quis illam AEgyptum veterem nouit rebellē Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furētem, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cępaſq; pauitantem: hic optimè Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio. Nec ſanè antiquis teſtibus indigemus: adhuc enim ſtultiſſimæ illius gentis reliquiæ manent in exemplo prioris amentiæ. Sed ex his tamen plurimi ſuperſtitionem priſtinam reſpuētes, iamque depoſito inſultantes furori, de cælo, & iis, quæ in cælo ſunt, philoſophātur, & patriis moribus obloquūtur, & progenitores ſuos ſæpe miſerantur, & philoſophos nihili pendunt. Ipſis enim rerum vocibus eruditi ſunt, quòd illorum inuenta verba ſint aniluum fabularum: veram autem, cæloque dignam hanc ſolam eſſe philoſophiam, quæ illis à piſcatoribus prædicata eſt. Propterea cū hac dogmatum veritate, plurimo etiam ſtudio virtutis ornantur: cunctis quippè præcedētibus rebus exuti, mundoque crucifixi, nihilominus ad perfectionis vlteriora contendūt: proprij ſiquidem opera corporis ad indigentium vtuntur alimoniam. Neque enim, quia ieiunāt, aut vigilant, idcirco otium ſibi indulgent diurnum: ſed noctes quidē ſacris hymnis, ac vigiliis: dies verò orationibus, manuúmque operibus exercent, Apoſtolicæ curſum virtutis imitātes. Si enim ille, inquiūt, toto penè ad ipſum reſpiciente mundo, vt inopes paſceret, & opificem profeſſus eſt, & vſum priſtinę artis exercuit, idque faciēs, ne nocturno quidem ſopori indulſit: quantò nos magis, qui ſecreta eremi fruimur vacatione, quietis huius ad ſpiritualem vti decet operam? Erubeſcant hoc loco locupletes omnes, ſed in ipſis diuitiis pauperes: quando illi quidem nihil præter corpus proprium poſſidentes, vim quandam manibus ſuis afferunt, adnitentes omnino, atque certantes fructus hinc egentibus inuenire. Nos verò, quum plurimum opum occultemus interius, ad miſericordia opera nec de ſuperfluis, aliquid attigimus. Quam igitur (reſponde quæſo) excuſationem poterimus inuenire? quam veniam? Et certè conſidera, quòd iſti aliquando pecuniæ fuerint amatores, quinetiam cum cæteris vitiis ventris imperio ſeruientes: ibi enim erant ollæ carnium, quarum Iudæi in eremo recordantur: ibi multa tyrannis ventris, & gutturis: ſed tamen, quia noluerunt, in contrarium repentè mutati ſunt, & Chriſti ſuſcipientes ignem, in cælum ſubitò ſubuolarunt. Quique prius ad iracundiam ardētiores omnibus fuerāt, & ad libidinem corporis proniores, nunc incorporeas poteſtates temperantia, cæteriſque ſpeciebus virtutum imitantur. Quiſquis regionis illius gnarus eſt, iſta, quæ dicimus, recognoſcit. Si verò habitacula illa nondū nouit, conſideret virum per cunctorum vſque hodie ora volitantem, quem Apoſtolorum ſimillimum AEgyptus protulit, beatum dico, & magnum illum, de quo ſæpe audiſtis, Antonium: & reſpiciat, quia hic quoq; illius fuerit regionis indigena, cuius etiam Pharao, ſed nihil ſit inde vitiatus. Nam & viſione Dei dignus eſt habitus, talem vitam prorſus oſtendit, qualem habere ſtudent milites Chriſti. Hoc autem facilè cognouerit, quiſquis eum legerit librum, qui vitæ eius texit hiſtoriam, in quo etiam Propheticam lucentem videbit. De iis enim, quos Ariana peſtis inuaſit, manifeſtiſſimè prophetauit, quáraque eccleſiis labes imminerет, edocuit Deo vtique reuelante hæc, & cuncta ante oculos eius figura pingēte. Quod certè vel præcipuum catholicæ fidei documentum eſt, nullum videlicet hæreticorum talem poſſe monſtrari. Sed, ne à me hęc audire videamini, ipſum potius librum legentes, diligen

Vides, quā tum extollat monaſticum ſtatum.

Vides virgines quoque deſerto ſecutas eremum ſcilicet coluiſſe.

Diſce hinc opera, hac profeſſionem monachorum.

Vigiliæ nocturnæ.

Exod. 16.

Eius ſcriptor dicitur fuiſſe S. Athanaſius.

diligentius cuncta diſceres, vt maxima inde philoſophiæ incitamenta capiatis. Obſecro autem, vt non ſolum meditemur ſcripta illa, ſed ea quoque, quę exprimuntur, imitemur: neque vel locum, vel educationem, vel maiorum noſtrorum vitia prætexamus. Si enim noſipſos diligentius voluerimus excolere, nihil no[illegible]orum prorſus impediet. Siquidē & ſanctus Abrahā habuit patrem impium, neque tamen illius hæres impietatis effectus. Et Ezechias prophaniſſimi Achaz filius fuit, ſed Dei amicus eſſe promeruit. Et Ioſeph in media tū ſeruiuit AEgypto, ſed glorioſam ſibi texuit caſtitatis coronam. In medio quoque Babylonię tres pueri, in media quoque Chaldæorū domo inter illos tyrum varios apparatus, in ſumma tamen arce philoſophiæ conſtiterunt. Et Moyſes in AEgypto, & Paulus in toto orbe terrarum, nec tamen his omnibus quicquam horum impedimento fuit, quò minus curſum virtutis implerent. Et nos igitur cuncta hęc exempla cernentes, ſuperfluas quidem curas, & varias peccādi occaſiones penitus amputemus, eumque, quo virtus paratur, amplectamur laborem. Sic enim & Deū ad maiorem in nos beneuolētiam prouocabimus, & merebimur, vt nobis in ſpirituali certamine cooperetur, atque ita bonis potiemur æternis: quæ omnes nos percipere contingat, gratiá, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, & imperium cum patre, & ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia, 11.

Ex Homi. 9. in Matth.

TVnc Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, &c. Et certè non eū oportuerat iraſci, ſed comprimi potius, ac timere, atq; intelligere, quòd rē ſtultam conaretur: ſed coërceri omnino nequit animus praua ſemel voluntate vitiatus, iamq; immedicabiliter ægrotans. neque cedit magnis quamlibet à Deo remediis indultis. Conſidera igitur iſtū prioribus malis addere poſteriora certantē, & homicidia homicidiis iungentē, perq; omnia furibundum in præcipitia labentem: quaſi enim ab aliquo dæmonum, ira, iracundia, inuidiáque vexatus nulla prorſus ratione frenatur: ſed contra ipſam omnino furit naturam: & iram, qua aduerſus Magorū illuſionem fremebat, in paruulos vertit innocuos: tale quiddā in Palæſtina facere aggreſſus, quale Pharao in AEgypto perpetrarat. *Mittens enim*, inquit, *interfecit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà, ſecūdum tempus quod exquiſierat à Magis.* Hîc iam vos diligenter attendite, etenim multi multa ſuper huiuſmodi infantibus dicere conantur, iniuriam facti criminantes: & filij modeſtius quidem ſciſcitari malunt: alij verò confidentius certant, imò furioſius. Vt igitur hos quidem ab inſania, illos autem ab imperitia liberemus, patimini nos de hac cauſa, vel breuiter diſputare. Si enim illud criminari volunt, quoniam deſpecti ſunt à Deo paruuli, cum iuſſu occiderentur tyranni: criminentur etiam illorum militum necem, qui traditum ſibi Petrum aliquando cuſtodiebant. Sicut verò hîc, fugiente puero Ieſu, alij paruuli pro illo, qui ſolus quærebatur, intereunt: ſic etiam tunc Petrum de catenis, & carcere ab angelo liberatum, tyrannus quidem, huic (de quo loquimur) & opere ſimilis & nomine, quum reliquiſſet, nec tamen inuenire potuiſſet, pro illo eos, quibus cuſtodiebatur, milites interemit. Et quid hoc, inquies, ſpectat ad cauſam? hæc enim non eſt ſolutio, ſed geminatio quæſtionis. Et ego quidem noui, proptereáque omnia eiuſmodi profero, vt vno abſoluam cuncta compendio. Quonam ergo modo iſta ſoluenda ſunt, quámve poterimus probabilem proferre rationem? quoniam nō quidem Chriſti fuga paruulis cauſa mortis extitit, ſed crudelitas regis. Sicut etiam illis militibus non Petri liberatio cauſa interitus fuit, ſed Herodis profectò vecordia: qui, ſi vidiſſet parietem carceris temerè perfoſſum, ſeras violēter reuulſas, habuiſſet colorem, quo vel dolum, vel deſidiam cuſtodientibus Apoſtolum militibus imputaret.

Exod. 1.

Act. 12.

Quum verò integra, atque ita, vt fuerant, omnia permanerent, quū clauſa oſtia cerneret, quum & cuſtodum manus eadem catena conſtringeret (erant quippe pariter colligati) potuit ex his facilè conijcere, ſi iuſtè id, quod acciderat, indicaſſet, quia neque virtute, neque calliditate hominum id fuiſſet effectum, ſed diuina proculdubio potentia, atque mirifica: ex quo illud quoque fuiſſet ſequutum, vt non iniquè vindicaret in milites, ſed Deum, qui id egerat, ſuppliciter adoraret. Sic enim fecit cuncta, quæ fecit, vt non modò cuſtodes in periculum non induceret: verumetiam per illos regem ipſum in viam veritatis adduceret. Si verò ille ſapientiſſimo animarum medico, & ad commodum hominum cuncta facienti eſſe voluit ingratus; inobedientia languentis in culpa eſt, non peritia curantis. Quod in puerorum quoque cauſa dici conſequentiſſimè poteſt. Quo enim, Herodes ſæuiſſime, colore rationis iratus es, quum te à Magis illuſum videres? Non cognoueras ortum illum eſſe diuinum? Nō tu principes conuocaueras ſacerdotum? Non ipſe congregaueras Scribas? Non etiam illi, qui à te fuerant conuocati, Prophetā ſecum in iudicium illius conſilij protulerunt, qui olim iſta prædixerat? Non intellexiſti noua veteribus conſonare? Non audiſti, quoniam Magos ſtella deduxerit? Cur non erubuiſti tam laudabile ſtudium Barbarorum? Cur non es reueritus veritatem? Cur non ex præcedentibus etiam extrema penſitaſti? Cur non ex his omnibus collegiſti, nequaquam Magorum illuſioni deputandum eſſe, quod factum eſt, ſed diuinę vtique virtuti, prouidè omnia atque vtiliter ordinanti? Quòd ſi eſſes etiam Magorum fraude deceptus, quid hoc præiudicaret innocuis? Hîs inquit, aſſentior. Bene enim Herodem omni excuſatione nudaſti, & oſtendiſti ſceleſtiſſimum prorſus homicidā, nondū tamē ſoluiſti de iniquitate ipſius facti quæſtionem. Etſi enim ille egit iniuſtè, quur tamen Deus agi iſta permiſit? Quid igitur ad huiuſmodi obiecta reſpōdeam? illud profectò, quod ſemper & in eccleſia, & in domo, & in publico, & omnino vbique inculcare non deſino, quódque à vobis cū diligentia cupio ſeruari. Stat enim certa illa, fixáque regula, & vna contra omnes huiuſcemodi aptiſſima, ac validiſſima quæſtiones. Quænā igitur hæc regula eſt, quæve ratio? Quia videlicet, qui lædere velint, multi ſint: qui verò ab alio lædatur, omnino nullus. Et ne in lōgum vos ſententiæ huius conturbet ambiguū, rem celeriter abſoluam. Quicquid illud à quolibet hominū paſſi fuerimus iniuſte, aut remiſſione peccatorū Deus, aut amplioris

Stoicum paradoxum, ſæpius ab Epicteto inculcatum.

amplioris mercedis retributione compenſat. Atque, vt lucidius incipiat eſſe, quod dixi, rationem inuenius exemplis. Ponamus enim aliquẽ ſeruum multarum pecuniarum proprio eſſe domino debitorem, vim quoque perpeti ab iniquis hominibus hunc ſeruum, & quædam eorum, quæ habebat, amittere: ſi igitur dominus valens coërcere raptorem, atque violentum, non quidem ſeruo reſtituat erepta, ſed tamen cuncta, quæ perdidit, ſibi illa cõputaret reddidiſſe: putáſne læſus eſt ſeruus? Nequaquam. Quid verò, ſi receperit plura quàm perdiderit, nonne etiã lucra damni occaſione collegit? Quod certè ab omnibus abſque vllo probatorũ ambiguo. Hoc igitur & in nobis, cùm iniuſtè aliquid patimur, cogitemus: quia ſcilicet pro illatis nobis afflictionibus aut remiſſionem accipimus omnium peccatorum, aut, ſi tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honoremur coronis. Audi enim Paulum loquentẽ ſuper eo, qui fuerat fornicatus, Tradidi, inquit, huiuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini Ieſu. Quorſum, inquies, dicuntur iſta? Nobis enim de illis ſermo eſt læſis, qui ab aliquibus læduntur inimicis, non qui à doctoribus corrigũtur. Nullo ſiquidem, ſi diligenter inſpicias, hæc medio ſeparantur. Etenim in quæſtionem vertitur, ſi pati quippiam mali, noxiũ dicatur eſſe patienti, ſed vt de eo, quod prius quæritur, ſermonem faciamus, recordare beati Dauid, qui, quum videret Semei illũ amariſſimè inſtantem, * éxque periculis inſultantem, ac mille eum opprobriis obruentem; duces verò militiæ ardere in conuiciatoris interitum; prohibuit & dixit; Dimitte illum, vt maledicat, vt videat dominus humilitatem meam, & reddat mihi bonum pro maledicto hoc in iſto die. In pſalmis quoque canendo dicebat; Reſpice inimicos meos, quoniã multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me: & dimitte omnia peccata mea. Lazarus quoq; propterea intrauit in requiem, quia patienter innumera huius vitæ aduerſa ſuſtinuit. Nõ igitur læduntur, qui lædi nobis videtur: ſi modò viriliter illata patiantur. Quinetiam hinc cumulatiora percipiũt, ſiue corripiantur à Deo, ſiue à diabolo verberentur. Et quod, inquis, peccatum habebant paruuli, vt illis opus fuerit ignoſci? De iis quidem, qui fuerunt ætate legitima, rectè hoc dicitur. Qui verò tam immaturum ſuſtinuêre finem, quænam illa propter quæ interfecti putentur, delicta fuerunt? Non me audiſti paulò antè dicentem, quoniam, ſi ea, quæ ſoluantur, peccata nõ fuerint, erit tamen retributio mercedis iis, qui iniuſtè aduerſa aliqua patiuntur. Quid igitur obfuit in tali cauſa paruulis interemptis, & ad tranquilliſſimum, tutiſſimúmq; portum celeriter euectis? Quoniã, ſi vixiſſent, inquis, multis potuerant florere virtutibus. Sed idcirco non exigua eſt præſtanda merces, quoniam in tali cauſa interitum pertulerunt. Poſſumus verò illud referre, quod ſcilicet nõ eos permiſiſſet Deus tam celeriter hinc rapi, ſi eos præclari cuiuſdam meriti futuros eſſe præſciſſet. Si enim etiam illos, qui in ſumma malignitate victuri ſunt, tanta tamen cum patientia ſuſtinet; quantò magis hos non ita ſiniſſet auferri, ſi eos magnos quoſdam præuidiſſet futuros? Et hi quidẽ ſunt noſtri ſuper hac quæſtione ſermones, imò ne ipſi quidẽ noſtri omnes, ſed ſunt alij multò his remotiores, quos diligenter nouit ille, qui cuncta diſpenſat. Huic igitur comprehenſione huius rei certiore commiſſa, ad ſequentia prouehamur, & ex afflictionibus cæterorum, fortiter omnia ferẽda diſcamus. Etenim non parua tunc Bethlehem luctus tragœdia comprehendit; cùm paſſim paruuli ab ipſis matrum raperentur vberibus, & ad crudelem illam mactationem ducerentur. Quòd ſi adhuc animo paruus es, & infra perfectionem probatæ in aduerſis philoſophiæ iaces, diſce illius, qui iſta præceperat, finẽ tyranni, & in hac aliquantulum conſolatione reſpira. Satis enim ille tunc celerem ob tale facinus pœnam recepit, tantóq; congruentia ſceleri ſupplicia perſoluit. Siquidem vitam iſtam morte teterrima, & multò hac, quàm inſontibus intulerat, miſerabiliore finiuit, maláque alia mille ſuſtinuit, quæ facilè noſtis, quotquot Ioſeph ſuper his legiſtis hiſtoriam. Quam ego, ne in lõgum verba producerem, néve cõtinuum textum expoſitionis inciderem, ſuperfluum duxi præſenti inſerere ſermoni. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Admirabilis conſequentia: quia verò auditorem magnitudine horroris impleuerat, cùm vtique violentam illam, iniquam, atque crudelem deſcripſiſſet mactationem: rurſus eum conſolatur, & dicit, quòd nõ idcirco illa facta ſint, quia ea Deus prohibere nequiuerit, aut futura nõ viderit, ſed quæ certè & præſcierit, & per prophetam longè antè prædixerit. Nequaquam igitur turberis, & concidas, ad ineffabilem prouidentiam eius proſpiciens: quoniam & per illa, quæ operatur ipſe, & per iſta, quę ab aliis fieri ſinit, perſpicuè poſſumus intueri. Quod igitur dominus diſcipulis loquens ait, hîc etiam coaptandum eſt. Quibus quoniam condemnationes, captiuitates, & totius orbis oppugnationes, interneciuáque prælia præcinebat, releuans eos, & cõſolans, ait, Nónne duo paſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet in terram ſine patre veſtro, qui in cælis eſt? Hæc verò dixit, oſtendens, quia nihil fieret, eo neſciente, ſed ſpectante quidem cuncta, non tamen cuncta faciente, acſi diceret; Nihil omnino turbemini, néve paueatis, ille enim, qui & præuidet iſta omnia, quę & ſuſtinetis, & poteſt profectò prohibere, vobis vtique proficiendo non prohibet, quod in noſtris quoque tentationibus cogitare, & ſatis hanc idoneam cõſolationem poterimus accipere. Et quid, inquis, etiam Racheli cum Bethlehem commune dicit? *Rachel*, inquit, *plorans filios ſuos.* Quid autem Rhama pertinet ad Rachel? Rachel mater fuit Bẽiamin, quam defunctam ſepeliérũt in Hippodromo, qui eſt iuxta Bethlehem. Quia igitur & ſepulchrum vicinum erat, & campus ipſe in Beniamin ſorte contigerat: Rhama quoque ad eandem pertinebat tribum, & à principe tribus, & ab ipſo interfectionis loco cõſequenter eos, qui occiſi ſunt, filios eius vocauit. Deinde quum oſtendiſſet incurabile illud vulnus infixum, ait, *Et noluit conſolari, quia non ſunt.* Rurſus etiam hîc dicimus, quod paulò antè dicebam: numquam nos debere omnino turbari, quum accidunt aliqua, quæ promiſſionibus Dei aduerſari videãtur. Ecce enim, adueniente ipſo domino ad illius populi, imò totius orbis ſalutem, qualia * populi exordia? mater fugit, intolerabilibus patria calamitatibus occupatur, cædes innumeræ, omnibúſque amariores mortibus perpetrantur, ploratus, & luctus ingens vbique. Neq; eſt,

Vides huius vitæ calamitates & peccatorũ remiſſionẽ, & præmia æterna operari, cõtra Nouatores, qui nuda fidei hæc ſolummodo attribuunt.

** fortis, eiúſque*

2. Reg. 16.

Pſal. 24.

Luc. 16.

Caute. nam non videtur agnoſcere peccatum Originale & hic, & alibi. Sed excuſatur, cũ ante Mileuitanum concilium floruerit, cũ ſcilicet hæc quæſtio agitari cœpit.

Antiquitatũ lib. 17. c. 8. 9. & 10.

Matt. 10.

Gen. 48.

** legendum fuerunt*

eſt, quum conturberis, ſic ille Rempublicam ſuam ſemper auſpicatur, ingens virtutis ſuæ nobis exhibens argumentum: ſic apoſtolos ſuos deduxit, atque omnia reſtituens contraria contrariis componit, quò maiori cum admiratione fiant. Cæſi igitur eiectique & mille tormenta paſſi apoſtoli, victores tandem perſequutorum ſuorũ euadunt.

EIVSDEM IN IDEM *Euang. Hom. 3.*

Eſt Hom. 2. ex varijs in Matthaeum. IN *illo tempore, angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.* Et reliqua. Hũc ergo puerum accipere Ioſeph iuſſus eſt, de quo Eſaias dicit: *Eſa.9.b* Quoniam puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium factum eſt ſuper humerum eius. Ob hoc autem dixit, datus eſt nobis filius, quia Chriſtus dominus noſter puer natus, Ioſeph vel Mariæ filius deputatus eſt. Quòd autem ad Ægyptum deſcendit, *Eſa.19.a* hoc futurum idem Eſaias dudum prænunciauerat, dicendo: Ecce dominus ſedet ſuper nubem leuem, & veniet in Ægyptum. Quo dicto, manifeſtum ſacramentũ dominicæ incarnationis oſtenſum eſt. *Luc.1.g* Nam quia ipſe deus oriens ex alto, ſol iuſtitiæ nuncupatur: non immeritò hic venturum eum in nube leui, id eſt, in corpore ſancto, quod nullo peccato potuit prægrauari prædixit, per quod maieſtatis ſuæ lumen velamento corporeæ nubis obtexit. *Oſee 11.a* Oſee quoque idipſum oſtenditur ſignificare, cùm dicit: Abiectus eſt rex Iſraël, propter quod paruulus ſit Iſraël, & ego dilexi eum. Ex Ægypto vocaui filium meum. Poſt Ægypti olim graue delictum, poſt multiplices in eam plagas diuinitus irrogatas, Deus pater omnipotens pietate commotus, filium ſuum miſit ad Aegyptum, vt quæ iamdudum ſub Moſe debitas ſceleris ſui pœnas expenderat, nunc ſuſcipiendo Chriſtum, ſpem ſalutis acciperet. Quanta eſt Dei miſericordia, quæ per aduentum filij eius oſtenſa eſt? Hæc Aegyptus, quæ olim ſub Pharaone in Deum contumax & rebellis extiterat, nunc ſuſceptaculum, & habitatio facta eſt Chriſti. Talis miſericordia domini circa Aegyptum, qualis & circa illos Magos oſtenſa eſt, qui Chriſtum dominum cognoſcere metuerunt. Nam cùm iamdudum ſub Moſe Magi diuinis virtutibus reſiſtere auſi ſunt, nunc Magi viſo vno tantum ſigno cœleſti, Dei filio crediderunt. Et ſic illos quidem infidelitas ſua perduxit ad pœnam, hos verò fides prouexit ad gloriam, dum natum dominum in corpore crediderunt, quem illi in diuinis virtutibus agnoſcere noluerunt. Sed inter hæc iniquitas Iudæorum Chriſtum dominum noſtrum amiſit, Aegyptus ſuſcepit: Magi adorant, & Herodes vel Iudæi nefariè perſequuntur. Sequatur ſermo ordinem rerum. Cùm igitur Herodes illuſum ſe à Magis vidiſſet, apertè poſteà iram quam occultabat, effudit. *Matt.2.d* Ita enim refert euãgeliſta: Tunc, inquit, Herodes, vt vidit quoniam illuſus eſt à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infrà, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem: *Hier.31.c* Vox in Rhama audita eſt, ploratus & vlulatus multus. Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Volens namque Herodes, vt diximus, ſaluatorem mundi perimere, miſit in Bethlehẽ, & à bimatu & infrà, iuxta tempus, quod à Magis cognouerat, iuſſit omnes infantes occidi, æſtimans ſe vſque ad ipſum authorem vitæ dominum peruenire. Cuius nequitiam olim præuidens ſpiritus ſanctus, per Salomonem, ex perſona eccleſiæ arguit, dicendo: Quis dabit tibi fratrem meum, ſugentem vbera matris ſuæ? *Cant.8.a* Dicendo autem, Quis dabit tibi, oſtendebat poteſtatem illum non habiturum aduerſus eum, qui dominus & princeps eſt omniũ poteſtatum. Vnde non immeritò etiam ipſe dominus per eundem Salomonem ita de ſe teſtatus fuerat, dicens: Quærent me mali, & non inuenient. *Prou.1.d* Oderunt enim ſapientiam, verbum autem domini non aſſumpſerunt, neque voluerunt illud. Nam & per Dauid ait: Quoniam tu es, qui eduxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ: tu es protector meus. *Pſal.21.b* Sanctus quoque Moſes, quod Chriſtus dominus infans, adhuc lactens minimè poſſet occidi, his verbis teſtatus eſt, dicens: Non coques agnum in lacte matris ſuæ. *Exo.23.b* Idipſum ſignificans Chriſtum dominũ noſtrum, qui verus agnus Dei eſt, non niſi maturo tẽpore pati oporteret. In Bethlehem ergo omnes occidunt infantes. Qui dum innocentes pro Chriſto moriuntur, primi Chriſti martyres extiterunt. De quibus & Dauid ſignificare monſtratur, cum dicit: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & defenſorem. *Pſal.8.a* In hac enim perſecutione infantes adhuc paruuli, atque lactentes pro Chriſto occiduntur, & perfectę laudis martyrium conſequuntur. Rex iniquus Herodes deſtruitur, qui aduerſus regem cælorum regnum ſibi defendere vſurpabat. Vnde non immeritò infantes illi beati per omnia extiterunt, qui primi mori pro Chriſto meruerunt, domino ac ſaluatore noſtro, cui eſt laus & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM DE EODEM *feſto Homil. 4.*

Eſt Hom.3. ex varijs in Matth. DEdicatur nouus ab infantibus ſermo, ſanctis laudibus Chriſti, in gloriã domini primam vocem aperiunt Innocentes. Fiunt diſerti laude, qui fuerant imperiti ſermone. Offerunt domino primitias linguæ, nouos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim quæ per ætatem loqui poterat, glorias Dei cum gaudio reſonabat. Norunt laudare Chriſtum, qui loqui non norunt: fiunt periti laude, qui fuerunt imperiti ſermone. Oſtendunt laudibus Chriſtum, ſuffragiis prædicant Chriſtum. Fiunt interea pueri ſine magiſtro diſerti, docti ſine doctore, periti ſine eruditore. Agnoſcũt Chriſtum, prædicant dominum: non quem perſuaſio humana docuerat, ſed quem diuinitas innocentibus inſpirabat. Ceſſant enim humana, cùm diuina tractantur: quia humana ipſa prodeſſe non poterunt, niſi diuinorum ſolatio ſubleuentur. Neceſſe eſt enim terrena ſuccumbere, quum cęleſtia prędicantur: naturalia ſilere, quum virtutes loquũtur. Erigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non nouerat crimen: dignus à dignis laudatur, & innocens innocentium

tium teſtimonio prædicatur: accipiunt enim à Chriſto, & reddunt: conſequuntur, & referunt. Vno enim tempore & qui dederat, recipit: & qui acceperat, reddit: vno inquam tempore ſua Chriſto redduntur, dum eius laudes illi ab infantibus referuntur. Diximus de laude infantium, quid de lactentium laudibus proferemus? quorum laudem inuenire non poſſumus, niſi eos ipſos qui laudauerint, nouerimus. Qui ſint, vbi ſint: quam laudem intulerint quæro, qui loqui non norant? Neque enim illa ætas poſſe poterat, quod natura non dederat: aut celebrari à talibus poterat, quòd inſtitutio denegabat. Dicunt nanque domino laudes trucidati ab Herode lactentes: loquuntur ſanguine, quod lingua non poſſunt: paſſione canunt, quod ſermone nó norunt: occiſi prædicant, quod viui non poterant. Nec nouum quid dicitur, vt innocés ſanguis aut Deo referat laudes, aut ſuas indicet paſſiones, cùm Abel ſanguis clamet ad cælum, aut occiſorum animæ ab altari vociferantur ad Deum. Contulit martyrium laudem, quibus negauerat natura ſermonem: licuit ſanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit ſanguine loqui, quibus lingua non licuit: miſcent cum domino colloquia, quibus humana negata
Hierem 31.c & Matt.2.d ſunt verba. Sed enim occiſis innocétibus iſtis impleta ſunt prophetiæ verba, dicentis: Vox in Rhama audita eſt fletus & plorationis, Rachelis flentis filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Rachelem primò eccleſię eſſe perſonam nemo eſt qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat. Sed duo in illa diuerſa conſpicio, fletus, & conſolationis cótemptus. Si enim fleuit, cur conſolari contempſit? Aut ſi conſolari contempſit, cur fleuit? Aut quomodo competit conſolari noluiſſe, cui competit fleſſe, cùm aut flere non potuit, cùm manifeſtum ſit fletus conſolatione tergi? Vel certè eur indiguit conſolationis ſermone? Sed, inquit ſcriptura, noluit conſolari, quia non ſunt: id eſt, noluit conſolari, quia ſunt. Si idcirco noluit conſolari quia ſunt, quomodo voluit flere quaſi illos qui non ſunt? Sed vt compendioſa diuerſitatum cauſa reddatur, conditio à matre defletur, ſed ſpe gloriæ conſolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, ſed occiſorum gloria repudium conſolationis indicitur. Pugnant enim in matre affectus & fides, humanitas cum deuotione concertat: plangit affectus, ſed fides exultat: deflet humanitas, ſed deuotio conſolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit
Ioan.11.d conſolatione humanitus indigere. Ideo & dominus Chriſtus in Lazaro fleuit, nec tamé ipſe quoque cuiuſquam conſolatione indiguit, quia hominis fuit quòd fleuit, cùm manifeſtè Deus ſit qui Lazarum ſuſcitauit. Sed ô beata lactentium gloria, quibus pro Chriſto contigit dedicare martyria. Expugnant tempore vno natiuitatem & mortem, ingreſſum & exitum, principium & occaſum, vt ipſis poſſet tempore vno (vt dixi) contingere, & naſcendo ingredi mundum, & dedicare martyrio cælum. Probat nouos exercitus Chriſtus, rudes milites deſignat, legiones lactantes, victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Chriſto victores, qui ætate fuerunt coæquales: fiunt, inquam, infantes ſine certamine fortes, ſine pugna victores: norunt vincere, qui pugnare non norant: exiſtunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Merentur pœna martyrium, gloriam ſanguine comparát, æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit: timere enim non potuit, quæ timere non nouit: tranſmittit infantes infans Chriſtus ad cælum, noua xenia patri, primitias fructuum exhibet genitori. Oſtendit futuram fœcundiſſimam meſſem, dum in ſemine tantam exhibet vbertatem. Deriſit ſe, deriſit hoſtilis immanitas, quæ putauit turbare poſſe cóſilium Dei, gloriam Chriſti, ſalutem neceſſariam mundi. Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Chriſtum. Præſtat hoſtis, dum nocet: beneficium tribuit, cùm occidit: inuideret enim eorum gloriæ, ſi amaret: ſed aliæ ſunt terreſtres pugnæ, aliæ cæleſtes victoriæ. In prælio Chriſti moriendo vincitur, cadendo ſurgitur, victoria per interitum comparatur.

AVTHORIS DICTI IMperfecti in idem Euang.

Qvi quum receſſiſſent, ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. O angele Dei, nónne tu mihi retuliſti, quia quod naſcetur ex ea, de ſpiritu ſancto eſt, & quomodo iubes nos fugere? Quomodo filius Dei ante hominem fugit? Aut quis liberet de inimicis, ſi & ipſe inimicos ſuos timet? Iam primum quidem fugit, vt regulam humanæ naturæ quam ſuſcepit, conſeruet in omnibus, & in hac parte, quia & humanæ naturæ & puerili ætati cónenit fugere poteſtatem minantem. Alioqui ſi illud agat in corpore conſtitutus, quod eſt proprium Dei, non diſpenſat in ſe humanam naturam, ſed mutat. Deinde vt & cæteri Chriſtiani, id eſt ſancti, quum neceſſitas perſecutionis aduenerit, fugere nó erubeſcát. Et quare venit in Ægyptum? Nunquid alia terra defecit? Semper enim aduerſus populum eius Ægyptus extitit inimica. Sed etiam recordatus dominus, qui non in finem iraſcitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit ſuper Ægyptum, ideo mittit filium ſuum in eam, & dat illi magnæ recordationis ſignum, & perpetuæ amicitię pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina ſanaret. O commutatio dexteræ, excelſi. *Pſal.76.c* Vt populus qui ante fuerat perſecutor populi primogeniti poſtea fieret cuſtos vnigeniti filij. Vt qui illi populo violenter dominati ſunt, iſti cum deuotione ſeruirent. Vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas baptiſmatis viuificandi. Vt impleatur quod dictum eſt: Ecce dominus deſcendit in Ægyptum ſedens ſuper nubem leuem. Nubes eſt *Eſaiæ 19.* corpus ipſius, Leue autem ſine pondere peccatorum. *Tunc Herodes videns quoniam deluſus eſſet à Magis, iratus eſt vehementer.* Poſtquam paruulus Ieſus Magos ſubiugauit ſub imperio ſuo, non poteſtate corporis, ſed gratia ſpiritus: non exercitú Chriſtus miſit poſt illos, ſed ſtellam modicá ante illos. Religione illos ſubdidit, non timore. Non enim perſecutus eſt illos, ſed ipſe requiſitus eſt ab eis. Ideo merito iraſcebatur Herodes, qui quibus ille ſedens in throno regni, & veſtitus purpura, ſuadere non poterat his Ieſus paruulus, & iacens in præſepio, & pannis inuolutus placuit. Herodes autem qui dum vellet deludere, deluſus eſt, deuotionem promittebat puero, dicens: *Exquirite*

Ex Hom. 2. in Matth.

de puero, vt & ego veniam, & adorem eum. Inſenſatus qui vnigenitam Dei ſapientiam humana fraude circumuenire tendebat. Iam enim quaſi ſucceſſorem regni ſui timens, fremebat. Nam reges ſi quidem ex aliis cauſis iraſcuntur, citò placantur: illa autem ira eorum inextinguibilis eſt, quam regni zelus accendit. Deinde contemnentes eum Magi addiderunt cauſas doloris: quemadmodum ſi quis infundat oleum ſuper ignem ardentem, magis creſcit incendium: ſic ardentem zelum Herodis, deluſionis opprobrium amplius excitauit. Quid fecit? *Miſit, & occidit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Vt quid? Quia deluſus erat à Magis. Sicut fera beſtia habens naturalem aſperitatem, ſi ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem eius duplicat ira doloris, & quaſi cæca furore, iam non aſpicit vulnerantem: ſed quicunque ante oculos eius occurrerit, ſiue homo, ſiue alterum animal, quaſi authorem vulneris ſui dilaniat: ſic & ille deluſus à Magis, iram ſuam ſuper paruulos infundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certè Magi inuenerunt puerum illum, quem regnaturum dicebant, & aut aurum acceperunt à parentibus eius, aut largis promiſſionibus ſunt placati, ideo ad me reuerſi non ſunt. Nam rex quicquid aduerſus regnum ſuum putauerit, totum verum æſtimat. Animus eius ſemper ſuſpectus eſt, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia ſuſpicatur. Facile credit quicquid fuerit ſuſpicatus. Sicut vir ſi zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo: etſi non ſit auditio ipſa digna & idonea vt credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. Ideo ergo forſitan talia dicebat apud ſe: Quis eſt puer ille, qui, antequam naſcatur in terra, iam apparet in cælo? Necdum ſeipſum oſtendit, & iam omnes ipſum quærunt. Et necdum terrenum populum habet, iam militię cæleſtes ſtellarum illi miniſtrant. Quis eſt ille, qui antequam mecum pugnet, iam me vincit: antequam vincat, regnat: antequam regnet iam dominatur? Quid putas facturus eſt ille homo in regno meo, ſi creuerit? Ego & dona hominibus ſpargo, & gladium porto, vt qui non timet, vel diligat, qui non diligit, vel timeat. Ille nec populum habet, nec diuitias congregauit: & quomodo ſine auro diligitur, & ſine ferro timetur? Sic miſit & interfecit omnes paruulos, vt vnum inueniret in omnibus. Sed nec vnum inuenit in omnibus, & omnibus vitam æternam præſtitit propter vnum. Ipſe ſe fallere voluit, qui inter homines Deum quærebat tenere. Quid agit inſenſata ira tua Herodes? Si non credis verbis quę Magi dixerunt de rege futuro, quare ſine cauſa inſanis in pueros? Si autem credis verum eſſe, quod dictum eſt de puero & de ſtella, iterum dico, quare ſine cauſa inſania in pueros? Nunquid potes tu mutare ſententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? Sed quid mirum, ſi Herodes homo iniquus putabat ſe poſſe mutare
1.Reg.11. conſilium Dei? Ipſe denique ſapientiſſimus Salomon, quum propter peccatum ſuum audiſſet à prophetis, Hieroboam regem futurum, poſuit perſequi eum, putans poſſe illum perdere, quem Deus protegit: quia zelus ſapere neſcit, & ira non poteſt habere conſilium. *Vox in Rhama audita eſt.* Rhama ciuitas erat Saul. Saul autem erat de tribu Beniamin. Beniamin verò filius erat Rachel, cuius monumentum erat iuxta Bethlehem, vbi hæc agebátur mala. Quoniam ergo in Bethlehem interficiebantur paruuli, vbi erat monumentum Rachel, ideo Rachel introducitur plorans. Quamuis autem Rhama non eſſet prope Bethlehem, tamen dicitur: vox in Rhama audita eſt: quoniam Rhama Hebraicè interpretatur excelſum. Ideo dixit, vox in excelſo audita eſt, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cælum, ideo audiebatur in excelſo. Sic enim ait Salomon: Vox pauperis penetrat nubes, & non diſcedit, donec audiatur. Eccle.35. Sic & pauper quando violentiam patitur à potente, etiamſi non eſt auſus vociferare, ſed latenter lacbrymatur, tacitus clamor eius in excelſo auditur: quia non magnus clamor velociter à Deo auditur, ſed iuſtus. Quod ait, *ploratus* fletum paruulorum oſtendit: quod autem dixit, *vlulatus* matrum ſignificat lamentum. Plorabant enim paruuli, ſeparabantur à matribus: vlulabant matres, quia deſolabantur à filiis, & quaſi viſcera earum ſeparabantur ab eis. Et erat videre maiorem dolorem in matribus remanentibus, quàm in paruulis morientibus. Paruuli enim vnum patiebantur dolorem, quia ſeparabantur à matribus, & non quia ducebantur ad mortem. Nec enim ſciebant adhuc mortis timorem. Matres autem duplicem: vnum quidem, quod videbant paruulos ſuos interfici: alterum, quod ipſæ deſolabantur à filiis. in paruulis mors eorum beata finem faciebat doloris: in matribus autem paruulorum memoria ſemper reparatio erat doloris. Poſt hæc autem dignam pœnam Herodes ſuſcepit. Nam filios ſuos tres interfecit, & non interfectos ab alio vidit occidi, vt ne vel paternam ſuper illos pietatem demonſtraret in luctu, ſed ipſe occidit, vt & filios perderet, & de morte eorum crimen acquireret. Viſcera ſua laniabat in filiis, & dolorem eorum non ſenſit. Vt quemadmodum paruuli mortem ſuam non ſenſerunt propter infantiam: ſic & ille dolorem viſcerum ſuorum nō ſenſit propter inſaniam. Deinde ipſe multis doloribus apprehenſus eſt, ſicut refert hiſtoria, quàm lōgum eſt narrare. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur. Et quia multories mori non poterat, qui multos occiderat infantes: propterea vindicta morientium plurimorum in plurimis ei doloribus reddebatur. Item quando vidit ſe propè mortem, ſciens quia odibilis erat apud omnes Iudęos, & quia mors illius multis gaudium erat factura, congregauit omnes principes Iudęorum, & iuſſit, vt, quum ipſe mortuus fuiſſet, omnes occiderentur, vt in morte eius omnes ciuitates lugerent: etſi non propter amorem illius vel ſaltem propter ſuum dolorem. Et hoc conſilio Dei factum eſt. Quando enim Magi annunciauerunt de ſtella regis futuri, omnes principes conſenſerunt Herodi, vt requireret puerum, & occideret, hoc vnde ſcimus? Primum, quia dicit ſcriptura: Turbatus eſt Herodes, & omnis ciuitas cum illo. Deinde ipſa verba angeli hæc demonſtrant, dicentis: Accipe puerum, & matrem eius, & reuertere in terram Iuda: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Non dixit, Mortuus eſt, qui requirebat animam pueri: ſed, mortui omnes, qui requirebant mam pueri.

S. AVGVST. EPISCOPI *Hipponen. in eodem feſto Homil. 1.*

Sermo 8. de Sanctis: dubitant Louanienſes. CRedimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa Deus, & ipſi id negant, propter quod credimus, quia non patrem nouerunt, qui filium negant. Vnum dominum communis natura teſtatur, quia vnus eſt mundus. Vnum Deum ſignificat, quia vna eſt fides noui, & veteris teſtamenti. Vnum ſpiritū ſanctum gratia teſtatur, quæ vnum baptiſmum in nomine trinitatis, dum Prophetæ Matth. 2. dicunt, Apoſtoli audiunt. Vnum Deum Magi crediderunt, aurum, thus, & myrrham ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt. Aurum, & thus, & myrrha, paſtores, Magi, machæra, vt cruentis victimis infantium æterna replcantur altaria, vbi cum paruuli victimantur, matres miſeræ lamentantur. Naſcente domino, luctus cœpit, non cælo, ſed mundo. Indicitur matribus lamentatio, angelis exultatio, infantibus tranſmigratio. Deus eſt, qui natus eſt, innocentes illi debentur victimæ, quæ venit damnare mundi maliciam. Agnelli debent immolari, quia agnus futurus eſt crucifigi, qui tollit peccata mundi. Sed oues vlulat matres, quia agnos perdunt ſine voce balantes. Grande martyrium, crudele ſpectaculum, Eximitur machæra, & nulla interuenit cauſa. Sola ſtridet inuidia, cum qui natus eſt, nulli faciat violentiam. Sed oues cernimus matres, quæ ſuperāt agnos lugen- Hiere. 31. tes. Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus magnus. Pignora ſunt non credita, ſed creata, non depoſita, ſed expoſita. Teſtis eſt ipſa natura, quæ pugnabat in martyres, cum tyrannus iactaret infantes. Mater crines capitis diſſipabat, quæ ornamentum capitis amittebat. Quantis modis infantem volebat abſcondere, & ipſe ſe infantulus publicabat. Neſciebat tacere, quia necdum didicerat formidare. Pugnabat mater, & carnifex, Ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat, Quid ſperas à me, quem genui ex me? Vterus genuit, non manſit ille, cum vixit, vbera mea fruſtra lacte contorquet, caute portaui, quem à te video manu crudeli iactari. Modo eum effuderunt viſcera mea, & tu elidis ad terram. Alia acclamabat mater, cum exactor latro non compelleret ſimul occidi cum paruulo matrem, vt quid me dimittis inanem? Si culpa eſt, mea eſt. Si non eſt crimen, iunge mortē, & libera matrem. Alia dicebat, Qui quæris? Vnum quæritis, & multos occ..itis, & ad vnum, qui vnus eſt, attingere non poteſtis. Alia contrà clamabat. Veni iam, veni ſaluator mūdi. Quandiu quæreris, nullum times, videat te miles, & noſtros non occidat infantes. Miſcebatur lamentatio matrum, & ad cælum tranſibat oblatio paruulorum. Sed ille, qui agnum tentauit, ipſe per Herodem agnulos iugulauit. Manet authori, & miniſtro ſupplicium, diaboli, & Herodis iudicium, cum iſta reſurrectio cœperit mortuorum. Herodes, quid putas acturus eris, quando contrà te tantorum claſſes infantium iudiciale cœperint exercere litigiū? Inuenies claram linguā, magnam vocem, mēſuram perfectam, omnes inuenies can- Ephe. 4. didatos, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti fulgentes. Cum ſtare cœperint ante eum, quem putaueras occidendum, pro quo fuderunt ſanguinem precioſum. Ipſum videbis throno igneo præſidentem, illos ſolium dominicum circundantes, propter candidam ætatem & ſanguinem paſſionis. Quid acturus es, quid dicturus? Tacebis reus, dum tantus cantabit exercitus ſanctorum, Vindica ſanguinem ſeruorum tuorum, qui effuſus Apoc. 6. eſt. Introeat in conſpectu tuo gemitus compedi- Pſal. 27. torum, ipſo iuuante, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 2.*

CHriſto igitur ſecundum propheticę fidem na- Ser. 9. de Sanct. dubitant Louanienſes. to in Bethlehem Iudæ, temporibus Herodis regis, de Orientis partibus aduentantes quidam viri ex Magorum gente, percontantur ab Herode, vbi nam eſſet rex, qui nuper natus eſt Iudæorum, affirmantes vidiſſe ſe ſtellam eius in Oriente, quæ ſibi etiam dux itineris extitiſſet: cauſam vero tantæ properationis adorandi ac venerandi nuper editi regis eſſe. Quibus ille auditis, incredibiliter deterretur, timens, & verens ne ſtatus ſui periclitaretur imperij, Aduocatis, accerſitiſque legis doctoribus, requirens percōtatur vbi nam Chriſtum naſci ſperarent. Vt verò ex Micheæ oraculis locus Micheæ. 5. natiuitatis eius apud Bethlehem deſignatus eſt, vno præcepto rex omnes lactantes pueros, non ſolum apud Bethlehem, ſed & in omnibus eius finibus à bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod explorauerat à Magis, interimi iubet, ſi quo modo etiam Ieſum cum æquæuis poſſet extinguere. Sed præuenit regis inſidias puer abductus in AEgyptum, parentibus de dolo regis angelo prænūciante commonitis. Deceptus itaque Herodes rex, & illuſus à Magis, mittit in Bethlehem, & in omnes fines eius, vt interficiantur pueri à bimatu, & infra. Occiduntur pro Chriſto paruuli, pro iuſticia moritur innocentia. Quàm beata ætas, quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & iam pro Chriſto meretur occidi. Nondum opportuna vulneri, & iam idonea paſſioni. Quam fœliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obuiam venit. Incurrunt quidem inter ipſa primordia acceptæ lucis periculum, & .. em ſalutis, ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videtur ad mortem, ſed fœliciter moriuntur ad vitam. Vix dum guſtauerant præſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſſi infantiæ cunas, & iam perueniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed redduntur gremiis angelorum. Nihil ergo egiſti ferociſſimæ auſteritatis audacix, potes martyres facere, Chriſtum non potes inuenire. Putabat ſe infœlix tyrannus domini ſaluatoris aduentu regali ſolio detrudendum. Sed non ita eſt. Non ad hoc venerat Chriſtus, vt alienam gloriam inuaderet, ſed vt ſuam donaret. Non, inquam, ad hoc venerat Chriſtus, vt regnum terreſtre præriperet, ſed vt cæleſte donaret. Non venerat ad poteſtates, dignitatéſque rapiendas, ſed ad contumelias, & iniurias perferendas. Non ad hoc venerat, vt ſacrum illud caput ad diadema gemmatum, ſed vt ad coronam ſpineam præpararet. Non, inquam, ad hoc venerat, vt conſtitueretur ſupra ſceptra magnificus, ſed vt crucifigeretur illuſus. Naſcente ergo domino, conturbatur Herodes, & omnis Hieroſolyma cum eo. Quid mirū, ſi, pietate naſcente, per-

turberur impietas? Ecce iacentem in præſepio pertimeſcit armatus, cõtremiſcit humilem rex ſuperbus, obuolutum pannis metuit purpuratus, cum *Matth. 2.* ſimulatione alloquitur Magos, Ite, inquit, te quitere de puero, & cum inueneritis, renũciate mihi, vt & ego veniens adorem eũ. Simulabat adorare ſe velle, quẽ conabatur occidere. Sed non timet veritas falſitatis inſidias. Quàm cæca feritas, quę credebat, quòd deprehendere dominũ fraudibus poſſet. Ecce cuius terra, cęlumq́; oſtendebat aduentũ, qui paſtorum non latebat ſimplicitatem, quẽ Magi de extrema venientes Aethiopiæ parte merentur agnoſcere, dolis ſuis ad illum non poteſt rex ſacrilegus peruenire. Fallitur ergo ſtulti furor tyranni, Chriſtum non poteſt inuenire perfidia, quia Deus non crudelitate, ſed credulitate quærendus eſt, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 3.*

Ser. 10. de Sanct. relectus à Louan vi cõſtat ex Serm. 216. de Temp & ex alijs.

HOdie, fratres chariſſimi, natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudeliſſimo rege interfectos eſſe, Euãgelij textus eloquitur. Et ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra cæleſtium militum, & tantorum parens fœcunda virtutũ. Ecce profanus hoſtis nũquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Nam, ſicut ſacratiſſimum præſentis diei feſtum manifeſtat, quantum in beatos paruulos iniquitas abundauit, tantũ in eis gratia benedictionis refudit. Beata, ô Bethlehem terra Iuda, quæ Herodis regis immanitatem in puerorũ extinctione perpeſſa, quę ſub vno tẽpore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruiſti. Digne tamen natalem illorum colimus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quàm quos maternorũ viſcerum partus effudit. Siquidẽ antè vitæ perpetuę adepti ſunt dignitatẽ, quàm vſuram præſentis acceperint. Aliorũ quidẽ precioſa mors martyrum laudẽ in confeſſione promeruit, horum in conſummatione complacuit. Quia incipientis vitæ primordiis ipſe eis occaſus initiũ gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit. Quos Herodis impietas lactẽtes matrum vberibus abſtraxit, qui iure dicũtur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erũpentes Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina decoxit. Et ideo dignum eſt, interfectis pro Chriſto infantibus honores impendere, cerimonias, nõ dolores, ſacramẽtis dare vota, non lacrymas, quia ipſe illis fuit cauſa pœnæ, qui extitit & *Ibidem.* coronæ, ipſe odium cauſæ, qui præmium. Parante autem Herode paruulis necem, Ioſeph per angelum admonetur, vt Chriſtum dominum noſtrum in Ægyptum transferat, Ægyptum idolis plenam. Nam poſt Iudæorum perſecutionem, & ad occidẽdum Chriſtum profanæ plebis aſſenſum, Chriſtus ad gentes idolis deditas tranſire dignatur, & Iudæam relinquens ignorãti ſeculo colendus infertur. Et quia ex ſcripturis diuinis, fratres chariſſimi, bonos, & iuſtos viros perſecutionem malorũ ſemper ſuſtinuiſſe cognoſcimus, ſi diligenter conſideramus, inueniemus illos maiora ſupplicia ſuſtinere. Omnis enim homo, qui alium in corpore perſequitur, prius ipſe in corde perſecutionem ſuſtinere cognoſcitur. Nam, ſi etiam illi, quem perſequitur, aliquid de ſubſtantia ſua tulerit, maius ſibi ipſe diſpendium facit, quia nemo habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno. Vbi lucrum, & ibi damnum: lucrum in arca, damnum in conſcientia. Tulit veſtem, & perdit fidem: acquirit pecuniam, & perdit iuſticiam. Sed hoc homines ideo faciũt, quia diem nouiſſimum attendere nolunt. Si enim diem mortis ſuæ cogitare iugiter vellent, animum ſuum ab omni cupiditate, vel malicia cohiberent. Sed quod modo nolunt ſalubriter cogitare, neceſſe habent poſtea ſine vllo remedio ſuſtinere. Veniet enim illis dies nouiſſima, veniet dies iudicij, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus ſe ab æterna morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei. Veniet dies iudicij, quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vſque ad inferos deorſum, quando cæli *Matth. 24. Apoc. 14. Matth. 8.* ardentes ſoluentur, quando ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, quando ſtellę cadent de cælo, quando peccatores, & impij mittentur in ſtagnum ignis, & fumus tormentorum illorum aſcendet in ſecula ſeculorum, vbi fletus, & ſtridor dentium. Veniet tempus, fratres chariſſimi, quando nulli bono erit male, nulli malo erit bene. Veniet, inquam, nouiſſima dies, quando diſcernentur pij ab impiis, iuſti ab iniuſtis, laudatores Dei à blaſphematoribus Dei. Veniet & quando diſcernentur, vt nulli, ſicut dictum eſt, bono ſit male, nulli malo ſit bene. Quare ergo modo non ſic? Forte & modo ſic. Sed quod nunc eſt in occulto, tunc erit in manifeſto. Lege ſcripturam diuinam, ingredere mecum, ſi potes in ſanctuarium Dei forte ibi, ſi poſſum, docebo te, imò diſce mecũ ab eo, qui docet me, etiam nunc non eſſe malis bene, & melius eſſe bonis quàm malis, quamuis nondum venerit bonorum plena fœlicitas, nondũmque venerit malorum pœna nouiſſima. Si legem Dei diligẽter attendis, forte intelligis mecũ non eſſe bene malis. Rego enim te, & quæro abs te, tibi quare male eſt? Reſponſurus es, Egeſtas angit, premit difficultas, dolor fortaſſe membrorum, timor ab inimico. Tibi ideo male eſt, quia pateris mala, & bene eſt illi, qui eſt ipſum malum? Multũ intereſt inter malũ pati, & malũ eſſe. Tu quod pateris non es, malum enim pateris, ſed tu malus non es: Ille hoc malum non patitur, & malus eſt. Noli ergo falli. Non poteſt fieri vt tibi male ſit, quia pateris malum, & illi bene ſit, qui eſt malus. Cũ enim malus eſt, putas quia non patitur malum, cũ patitur ſeipſum? Tibi male quia malum alienum pateris in in corpore tuo: & illi bene eſt, qui malum ſeipſum patitur in corde ſuo? Tibi male eſt, qui forte malam habes vitam: & bene eſt illi, qui malam habet *De verbis Dom. Sermo. 12.* animam? Eſto bonus, qui habes bona. Bonæ ſunt diuitiæ, bonum eſt aurũ, bonum eſt argentũ, bonę familiæ, poſſeſſiones. Omnia iſta bona ſunt, ſed vnde facias bene, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ ſunt inquis, iſta? Fac iudiciũ, & iuſtitiã. Bona ſunt, quę habes, Fac iudiciũ, & iuſticiã. Eſto & tu bonus inter bona tua, erubeſce bonis tuis. Eſto bonus manſurus inter bona peritura, erubeſce bonis tuis. Noli eſſe malus in eis, ne pereas cũ eis. Ita ergo aurũ, & argentũ diſtribuit hominibus cõditor rerũ, & adminiſtrator Deus, vt ipſum per ſe natura & genere ſuo bonũ ſit, copia vero eius nõ extollat bonos. nec

elidat

De verbis domini. Ser. 6. In lib. 50. Ho. hom. 3. cludat inopia. Malus autem homo, & cum affertur excæcatur, & cum aufertur excruciatur: quia & cum acquiruntur diuitiæ, falſam lætitiam tribuunt, & cum perduntur, veram triſtitiam derelinquunt. Diſcamus amare veras diuitias, id eſt, caſtitatem, & iuſticiam, pacem, & miſericordiam. Iſtæ enim iuſtæ dicuntur diuitiæ, quia bonis meritis, iuſtiſque tribuuntur: illæ veræ dicuntur diuitiæ, quia quiſquis eas habuerit, non egebit, dum *1. Tim. 6.* iuxta Apoſtolum, habens victum, & veſtitum, his cōtentus eſt. Iſtas vero terrenas diuitias, iniuſtum eſt putare diuitias, quæ non auferunt egeſtatem. Tātum enim magis quiſque ardebit egeſtate auaritiæ, quanto magis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ quibus creſcit inopia, quę amatoribus ſuis quantum fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditate ditiorem? Tu putas quia minus indigeres, ſi minus haberes. Vnde bene quidam dixit, *Iuuenal. ſatyra. 14.* Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari, vel cupidi velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quo modo enim hydropicus, quantum plus bibit, tantum amplius ſitit, ita auarus vel cupidus acquirendo non ſatiatur. Nos vero, fratres, cogitantes peregrinos nos, & hoſpites eſſe in hoc ſeculo, hoc tantum quod ad victum & veſtitum opus eſt, nobis in itinere vitæ iſtius reſeruemus, & quātum poſſumus, in æternam beatitudinem per eleemoſynam pauperum dirigamus, vt cum in die iudicij cupidi, & auari pro ſterilitate bonorum operum audire meruerunt, *Matth. 25.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: nos pro bonis operibus audire poſſimus, Venite benedicti, percipere regnum, quia eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: nudus fui, & operuiſtis me. Ad iſtam benedictionem vos dominus ſub ſua protectione perducat, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Homil. 4.*

Serm. 11. de Sanct. Reiectum a Louan. QVotieſcunque, fratres, ſanctorum martyria celebramus, toties laudes ſaluatoris edicimus: & quoties eorum aſſerimus paſſiones, toties Chriſti gloriam prædicamus. Non enim ſuſpicimus, quòd paſſi ſunt, ſed propter quem paſſi ſunt, admiramur. Igitur non pœna in laude, ſed fides eſt in honore. Magnificamus ergo martyres, ſed præcipuè illos, qui naſcente Chriſto, in ipſo exordio non loquendo, ſed moriendo confeſſi ad regna perpetua cæteros præuenerunt. Videte autem quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub altario meruerunt. Dicit *Apoc. 6.* enim ſancta ſcriptura, Vidi enim ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium Ieſu, quod habebāt. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occiſorū. Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quam ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua dominus eſt ſacerdos, ſi- *Pſal. 109.* cut ſcriptum eſt, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech? Recte ſub altario iuſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus domini offertur. Nec immerito illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur. Conuenienter igitur, & quaſi pro quodam conſortio ibi martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors domini quotidie celebratur, ſicut ipſe ait, Quotieſcunque hæc feceritis, mortem meam annunciabitis, *1. Cor. 11.* donec veniā, ſcilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerant, ſub ſacramenti eius myſterio requieſcant. Non immeritò, inquam, cōſortio quodam illic occiſis tumulus conſtituitur, vbi occiſionis dominicæ membra ponuntur, vt quos cum Chriſto vnius paſſionis cauſa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet. Legimus pleroſque iuſtorum Abrahæ finibus refoueri, nonnullos paradiſi amœnitate lætari, nemo tamen melius præter martyres meruit, hoc eſt ibi requieſcere, vbi & hoſtia Chriſtus eſt, & ſacerdos, ſcilicet vt propitiationem de oblatione hoſtiæ conſequantur, & benedictionem, functionémque ſacerdotis accipiant. Inter cæteros igitur martyres, quos ſub ara Dei conſiſtere prædicamus, etiam beatos illos infantum lactantium pro Chriſto primicias martyrum laudemus, qui non loquendo, ſed moriendo confeſſi coronas meruerunt. Neque enim dubi- *Martyres orant Deum.* tandum eſt eos in martyrio plura pre cæteris exorare, qui in martyrio præ cæteris præceſſerunt. Et clamauerunt, inquit Ioannes, voce magna, Vindi- *Apoc. 6.* ca, domine, ſanguinem noſtrum. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt quieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum & conſeruorum eorum. Oritur quæſtio in hoc loco, cur ſancti iam cum domino manentes vindictam de inimicis expetant, cum dominus in Euangelio dicat, Diligite inimicos *Matth. 5.* veſtros, & orate pro perſequentibus, & calum- *Sācti in conſpectu Dei cōſiſtunt.* niantibus vos. Sed ſciendum quia illi ſancti iam in conſpectu creatoris ſui conſiſtentes, vident voluntatē illius, & ideo ab ipſo accipiunt, quod eum velle facere nouerunt, & de ipſo bibunt, quod de ipſo ſitiunt. Petunt autem vindictam de inimicis duobus modis, & hoc cauſa charitatis, vt ſcilicet qui ad vitam æternam prædeſtinati ſunt, conuertantur à malo ad bonum: qui vero præſciente Deo, damnandi ſunt, moriantur, & peccare deſiſtant, vt per hoc minorem pœnam in inferno habeant, vnuſquiſque ſecundum qualitatem operum ſuſtinebit magnitudinem pœnarum. Petunt autem de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi iudicij, & reſurrectionem ſuorum corporum præſtolantur. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. Per ſtolas albas debemus intelligere *Apoc. 6.* mercedem baptiſmi, præmium martyrij, mercedem æternorum, & gaudium cæleſtis patriæ. Ha- *Sancti ante extremū diē beatitudine fruuntur.* bent ergo ante reſurrectionem ſancti ſingulas ſtolas, quia in ſola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur, poſtea autem accepturi ſunt bi- *Eſaia 61. Apoc. 6.* nas, quando receptis corporibus, immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Eſaias, In terra ſua duplicia poſſidebunt. Et dictum eſt illis, vt quieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſeruorum, & fratrū eorum. Dictio iſta inſpiratio eſt diuina, qua mentibus eorum deſiderantibus diem iudicij, immittitur virtus patientiæ, vt patienter ferant omnia, expectantes numerum illorum, qui ſimiliter interficiendi ſunt pro Chriſto, cum eis poſtmodum regnaturi, vt qui deſiderant recipere ſua corpora, gaudeant ex numero colligendorum fratrum. Tali modo loquitur Deus omnipotens ſan-

ctis, veluti quilibet paterfamilias habens multos filios, ſingulíſque de agro renertentibus & rogantibus, vt cibum ſibi tribuat, reſpondet, Refectio quidem veſtra parata eſt, ſed expectare fratres veſtros, vt, cum in vnum politi fueritis, omnes in commune comedatis, & epulemini gaudentes, quia interficiendi ſunt & illi vel aperto ſcilicet martyrio, vel occulto. Dicit ergo illis vindictam poſtulantibus poſt datum munus, vt quieſcant, atque ſuſtineát, donec compleatur numerus conſeruorum illorum. Videns igitur quoniam propter nos martyrum vindicta differtur. Dum enim nos retardamus, horũ ſanguis inultus eſt. Sed hoc contingit noſtra deſidia, qui non ſicut dictum eſt, religioſe viuimus: qui nõ pie, ſicut congruit, operamur. Nam, ſi bonorum operum ad dominum iuſticia noſtra præcederet, iam conſeruorum numerus, qui expectant, eſſet completus. Nulli autem dubium eſt vindictam poſt iudicium martyres percepturos, qui etiam ante iudicium præmiis cęleſtibus honorantur. Vnde oportet, fratres chariſſimi, quia primitias martyrum hodierna feſtiuitate veneramur, vt de ęterna, quæ in cęlis eſt, martyrum feſtiuitate ſedule cogitemus, eorúmque veſtigia, inquantum poſſumus ſequendo, & ipſi eiuſdem feſtiuitatis ſupernæ participes exiſtere

1. Cor. 1. curemus teſtãte Apoſtolo, Quia ſi ſocij paſſionum fuerimus, ſimul & conſolationis erimus, nec tam de morte eorum lugeamus, quam de iuſta palmæ perceptione lætemur. Siquidem ſingulos eorum,

Hier. 31. cum per tormenta pellerentur ex hac vita, Rachel

Matth. 2. gemebunda, id eſt, eccleſia gemit luctu, lachrymíſque perſequitur: ſed iã hinc expulſos ſuperna Hieruſalem, quę eſt mater omnium noſtrum, mox in aliam vitam obuiis lętitię miniſtris, excepit, atque in gaudium domini ſui perpetuo coronandos

Apoc. 7. introduxit. Vnde dicit Ioãnes, Stabant ante thronum in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Stant enim modo ante thronum Dei coronati, qui quondam ante thronum iudicum terrenorum iacebant pœnis aſtricti. Stant in conſpectu agni nulla ratione illic à contemplanda eius gloria ſeparandi, à cuius hic amore nec per ſupplicia poterant ſeparari. Stolis fulgent albis, & palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora quę pro domino ignibus vſtulari, ac beſtiis dilacerari, flagris abſumi, per pręcipitia diſſolui, vngulis abradi omnimodo pœnarum genere paſſi ſunt diſſipari, per reſurrectionem glorificata recipient. Et cla-

Ibidem. mabant, inquit, voce magna, dicentes, Salus Deo

Ibidem. noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Magna voce ſalutem Deo decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non ſua ſe virtute, ſed ipſo auxiliante, tribulationum impugnantium ſuperaſſe certamina. Dicit iterum eorum & prætentos

Ibidem. agones, & coronas deſcribens perpetuas, Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Stolas quippe martyres in ſanguine agni lauerũt, dum membra ſua, quæ oculis inſipientium viſa ſunt pœnarum ſqualore fœdari, ſic potius fuſo pro Chriſto ſanguine ab omnibus mundauere contagiis, inſuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod eſt etiam lotas habuiſſe ſtolas in ſanguine agni. Ideo ſunt, inquit, ante thronum Dei, & ſeruiunt die ac nocte in templo eius. Non eſt laborioſa, ſed amabilis & optanda ſeruitus in Dei laudibus perpetuo aſſiſtere. Dies quippe, & nox non viciſſitudinem temporis proprie ſed perpetuitatem tropice ſignificant. Nox enim non erit illic, ſed dies vna melior in atriis Chriſti *Pſal. 83.*

ſuper millia. In qua non plorat Rachel filios ſuos, *Hier. 31.*

ſed abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, datque vocem lætitiæ, & ſalutis æternæ in tabernaculis iuſtorum, qui viuit, & regnat Deus, &c. *Apoc. 2.*

HILARII ARELATENS.

Epiſcopi in eodem feſto, Hom.

HOdie ſacras ſeptem martyrum palmas per vniuerſam eccleſiam fides catholica hoſtili gladio roborata concelebrat, quos mater glorioſis luctibus honorabilis in gremium diuinæ adoptionis inuidenda morte transfudit, & ſeptem pignora in regnum Dei ſub vnius diei fœlicitate parturit, in quorum cruciatibus cum diuerſos tormentorum apparatus velut ante oculos noſtros lectionis ſeries expoſuerit, & auditu ipſo terribilia ſenſibus noſtris impreſſerit, fortaſſe aliquis ſecum cogitet, vnde adoleſcentulorum infirmitas tantum pondus malorum tolerare ſuffecerit? Id vtique rationis eſt, quia ſpiritale bellum non corporis ſed animi viribus geritur, & contra interiorem hoſtem internis magis pręſidiis adminiſtratur. Sic enim dixit apoſtolus: habemus theſaurũ iſtum in vaſis fictilibus, id eſt, in noſtri corporis terra vigorem igneum timoris Dei, & precioſum fidei theſaurum poſſidemus. Bene ergo à domino & conditore noſtro circa ſtatum, & conditionem hominis ordinatum eſt, vt, cum caro, id eſt, exterior noſter etiam ſi nollet, periculis eſſet expoſitus, interior, id eſt, ſpiritus periclitari non poſſit inuitus, vt cum corpus ingruentibus hinc inde caſibus lædi poſſit, animus noſter ſi traditas ſibi leges non deſeruerit, impenetrabilis permaneret, vt, etiam ſi aliquoties viſibilis huius carnis noſtræ humiliationis incurrerit ſeruitutem, nemo tamen mentis poſſit attingere libertatem. Hinc intelligamus, quanta ſit animi dignitas, in quo ſi proditionem non operetur volũtas, locum inuenire nequeat impietas. Sed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis: immaturi quidem videntur ad mortem, ſed fœliciter moriuntur ad vitam, vix dum deguſtauerant vitam præſentem, & ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſſi infantiæ cunas iam peruenerunt ad coronas. Rapiuntur quidem è complexibus matrum, ſed redduntur gremiis angelorum. Nihil ergo proficis ferociſſime, impietatis audacia potes martyres facere, Chriſtum non potes inueſtire. putabat ſe infelix tyrannus domini ſaluatoris aduentu regali ſolio detrahendum. Sed non ita eſt. Non ad hoc venerat Chriſtus, vt alienam inuaderet gloriam, ſed vt ſuam donaret: nec vt regnum terreſtre præriperet, ſed vt cæleſte conferret. Non inquam venerat ad poteſtates, dignitatéſque rapiẽdas, ſed ad contumelias, iniuriáſque perferendas. Non ad hoc venerat vt ſacrum illud caput ad diadema gemmarum, ſed ad coronam ſpineam præpararet. Non inquam ad hoc venerat vt cõſtitueretur ſupra ſceptra magnifica, ſed vt crucifigeretur illuſus. Agnoſcimus itaque Magorum munera, myſteria eſſe fidelium, illud quoque quod per

aliam

aliam viam reuerſi ſunt, intelligamus vtilitati, ac ſaluti noſtræ peculiarius conuenire. Viæ enim immutatio, vitæ intelligitur emendatio. Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando ſuperbiam ſuſcepta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluntates & conſuetudines priſtinas ac deſideria antiqua damnamus. Ad vitam vtique aliam tranſimus, quando vniuerſas concupiſcentias honeſtatis ac paupertatis honore calcamus, quando caſtitati luxuriam ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextro tramite iter ſpiritale conficimus. Neſcio autem chariſſimi, cur nobis vitiorum, ac ſuperbiæ itinera aſpera, & confragoſa magis placeant, cum magis humilium viæ molles, planæ, atque directæ ſint. Vbi eſt enim humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis ſerenitas: dum ipſa enim ſibi placita, atque placata eſt, etiã ſi qua tribulatio, ſi qua tempeſtas oborta fuerit, nihil in ea rectum, nihil ſublime, nihil oppoſitum inuenit vbi illidat impetum. Si quid itaque ea aduerſo irruerit, totum poſt ſe humilitate mitigatur, ac vincitur, ſicut in planis littoribus ſine aliquo fragore vnda concutitur. Auſtrorum motus, ferociámque ventorum, montium obiecta ſuſcipiunt, vallium verò ſubiecta non ſentiunt. At verò econtrario viæ ſuperborum plenæ ſunt offendiculis, plenæ præruptiſſimis præcipitiis. Quia vbi eſt ſuperbia, ibi eſt & indignitas, ibi animoſitas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iam ei etiam ante iudicij diem iuſta damnatio retribuatur, & improbæ quæque mentes in ſemetipſis habeant pœnam ſuam: probabiles verò, & emendatæ, in ſemetpſis inueniãt refectionem vel remunerationem ſuam. Non itaque eſt, chariſſimi, cur interdum domini noſtri famulatum intolerabilem pronunciemus. Secundum vel leuitatem, vel duritiam morum noſtrorum, qualem animum habuerimus, tale ſuper nos iugum domini ſentiemus. Nemo itaque domini onus eſſe intolerabile conqueratur, qui duri animi, qui cordis eſt aſperi, ipſe ſibi facit durum, atque aſperum Chriſti iugum. Et verè graui premitur ſarcina, mens ſubiugata peccato. Onus verò domini ſcit releuare, neſcit opprimere. Quod ſi lene ac iocundum eſſe volumus, per vias priſtinas non ambulemus, ſed potius arctam & anguſtam, cuius finem in latitudinem beatitudinis introducit: hæc viatorem ſuum ad illum vſque perducit, qui eſt via, veritas & vita. Certum eſt enim, quia Chriſti carpimus vias, certum eſt quòd relicto itinere terreno, iter ſpiritale conficimus, quando obedientia, & humilitas mentis gubernacula moderantur, quando terrenis cupiditatibus repudiatis, ſpes futurorum illuminatam occupat mentem, quando illam bonorum cæleſtem pulchritudinem cordis ima ſuſpirãt: per ſalutiferas inquam gradimur vias, quando anima damnatis omnibus præſentium rerum voluptatibus, id potius cogitat, quando deſertura ſit tabernaculum corporis ſui, rurſúmque illud reſurrectionis tempore receptura, vt cum eodem recipiat, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Cum puriſſimis angelorum conſpectibus offerendi æterno iudici, rationem ſumus de liberis conſcientiis reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum eſt in die illa ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi animam in cordis ſpeculo demonſtrandam, & teſtes contra eam non deforis aliunde, ſed intus de ipſa anima proferendos. Obiiciẽda erunt non aliqua peregrina, ſed nimium nota teſtimonia, id eſt opera ſua. Ordinabuntur ante illam omnia facinora ſua, vt eam & conuincat probatio, & confundat agnitio. Quicunque ſe modo dum licet emendare neglexerit, ante illum cæleſtem populum primum excepturus erit de confuſione ſupplicium. Quæ cum ita ſint, bene nobiſcum ageretur, ſi iam nunc ſic pœniteremus ſuper malis noſtris, quomodo tunc ſine vllo remedio pœnitebimus. Si fœditates & confuſiones noſtras quemadmodum tunc viſuri ſumus, ſic eas iam nunc videre & horrere poſſimus. O ſi iam nunc vultum illum animæ liceret vultu corporis intueri, & conſcientiæ noſtræ faciem in oculorum præſentiam permitteremur adducere? Quod ſi liceret, non dici poteſt quanto ſtudio, quanto metu vrgeremur fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideóque, quia non poſſumus oculis corporis, inſpiciamus nos, inquantum poſſumus, oculis cordis: & vnuſquiſque conſcientias noſtras ante conſpectum interioris hominis conſtituamus, ipſi noſmetipſos quotidie caſtigemus, ipſi nobiſcum rationem de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecretis cordis vnaquæque anima, & dicat: videamus ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi, videamus ſi hodie aliquid quod ad profectũ meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus ſum. Puto quòd hodie mentitus ſum, peierraui, ira vel concupiſcentia victus ſum, nec alicui beneſeci, nec præ timore æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem quam in variis rebus perdidi, quam & in cogitationibus noxiis, peſſimiſque conſumpſi? Ac ſic, fratres, de omnibus negligentiis noſtris compungamur in cubilibus, id eſt in cordibus noſtris, ipſi nos accuſemus, ipſi nos condemnemus quotidie iudicio noſtro. Et dum in carne ſumus, contra ipſam carnem quotidie dimicemus, vincamus voluntates & intentiones noſtras, dum venit tempus illud exſpectatiſſimum, ac beatiſſimum, in quo nobis ad ſeruiendum domino noſtro nulla iam obſiſtat infirmitas, nulla contradicat miſeræ carnis aduerſitas, nulla vlterius remaneat pugnandi neceſſitas. Veniet inquam tempus illud, quando nulla iam deſideretur cibi, ſomnique refectio, nulla ſentiatur ieiunij laſſitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoſte tentatio: ſed aduerſario in inferni profunda detruſo, perfruemur hac primum fœlicitate, vt incipiamus nec velle vltra peccare, nec poſſe. Ceſſante omni iniquitate, omni miſeria, omni mœrore, totum innocentia, totum lætitia, totum fœlicitas poſſidebit. Nullã inferior miſeriam, nullam fœlicior timebit inuidiã. Quia exinanita penitus omni malignitate, tranſibit in pectora hominum charitas angelorum, quibus admixti homines iam cæleſti recepta carne ſine carnis infirmitate, lucis & immortalitatis perfuſi vaſte fulgebũt. Ideo nullum vlterius patientur de ſempiterna domini virtute faſtidium, nullum ſub perenni laudũ ſuarum exultatione defectum. Habebimus plenam beatitudinem inter illa immenſa beneficia Dei noſtri, vt nunquã in referenda ei gratiarum actione laſſemur, cohæredes eius effecti, qui regnat in æternũ.

PETRI

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. in eodem feſto, De fuga Chriſti in Aegyptum, Sermo I.

Serm. 150. SI conceptum Virginis, Virginis partum ſermo non aperit, ſenſus non recipit, non capit mens humana, Deum fuiſſe vt hominem quis loquatur? *Apparuit*, inquit, *Angelus domini in ſomnis Ioſeph, dicẽs; Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Si pietatis eſſe diximus, quòd natus eſt Chriſtus; Chriſtus quòd fugiſſe legitur, quid dicemus? Fortè, ſicut natum diximus, vt repararet naturam: di- *Matth. 21.* camus, vt fugaces reuocaret, aufugit. Et re vera, ſi vt reuocet errantem ouem, in mõtibus ipſe errat, quomodo ipſe non fugit, fugientes populos vt reducat? *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Quid eſt, quòd ſic cæleſtis cauſa triſtatur, vt humanus ſe confundat auditus, laſſetur animus, laboret intelligentia, ſenſus hebetetur, fides nutet, ſpes titubet, credulitas ipſa ſuccumbat? *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Perſequente homine, Deus fugit; ſæuiente terra, cælum trepidat; & volitante puluere, pauore turbantur angeli; & pauor patris, filio fugiente, monſtratur. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.*
1. Reg. 21. & 22. Dauid, perſequente Saul, ad Idumæam confugit, recepit vicinia: domus vnius viduæ Eliæ ſufficit ad
3. Reg. 17. latebras: Chriſto fugiente, locus deeſt, prouincia deficit, non ſubuenit patria. Dum migrat, non vicinæ gentes, non finitimæ ſufficiunt regiones: ſed Ægypti triſtem locum, extorrem habitu, lingua, moribus barbarum procuratur exilium. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Si rerum refugium fugit, auxilium lateſcit omnium, ſi formidat fortitudo cunctorum, ſi ſe vniuerſorum defenſio non defenſat quare humana notatur fuga,
Matth. 26. arguitur trepidatio, formido culpatur? Quare vo-
Marc. 14. catur in crimen Petrus, qui negat, Ioannes, qui expaueſcit, & fugit; diſcipuli omnes, quia deſerunt per pauorem? Et iſta, fratres, eſto facta ſint, quare literis mandantur? quare referuntur in libris? quare recitantur ſæculis? quare quotidianis lectionibus innoteſcunt? quare omnes panduntur in gentes? nunquid vt diuinum timorem lingua, locus, ætas, tempus, vniuerſa cognoſcant? Sicut enim, cùm virtutes leguntur, animos erigunt ad profectum; ita deponunt animos, cum recitantur infirma. Quid ſibi vult ergo Euãgeliſta, quòd hæc ſcribit ad memoriam ſempiternã? Deuoti militis eſt, regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam; virtutes loqui, timores ſilere; aperire fortia, infirma reticere, aduerſa delere, prædicare victorias, quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorum excitare virtutem. Euangeliſta igitur, referendo talia, videtur excitaſſe hæreticorum latratus, & defenſionem fidelibus ſuſtuliſſe. *Tolle*, ait, *puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Mandatur fuga, non profectio; imponitur neceſſitas, non voluntas; indicit Angelus latentem peregrinationem, non liberum commeatum vt via, quæ eſt per ſe moleſta, ſemper eſt, moleſtior per timorẽ. Ergo ob quam cauſam hæc nobis ſcripta ſint, iam tempus eſt, vt quæramus. *Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Bellicoſus quòd in bello fugit, artis eſt, non timoris; Deus quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pauoris; potens quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foris producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum. Secreta victoria, virtúſque latens exemplum poſteris non relinquunt. Hinc eſt, quòd Chriſtus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: neque enim mortem fugit, qui venerat de hoſte reportare victoriam, neque humanas inſidias expaueſcit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire verſutias; neque tunc timuit, quando infans, & ſecundum hominem timere neſciuit, & ſecũdum Deum potuit non timere. Chriſtus, fratres, ſi mactatus in illo grege lactentium tũc fuiſſet, mors ei caſus fuerat, non voluntas, non virtus fuerat, ſed infirmitas, neceſſitas fuerat, non poteſtas, & innocentię fuiſſet pręmium, maieſtatis gloria non fuiſſet. Certè, vbi eſſet, quòd à Deo dictum eſt; Non coques agnum in lacte matris ſuæ? *Futurum eſt, inquit, vt Herodes quærat puerum.* Herodes quærebat, *Exod. 23. & 34.*
ſed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat ſibi Magos, quos habebat in erroribus ſuis principes, aufugiſſe: Chriſtus ſi vinctus pannis, ſi ſub matris vberibus occupatus, ſi iacens lingua, ſi latens opere, ſi greſſu nullus, diaboli ſigniferos, hoc eſt, Magos in duces fideliſſimos commutauit, perfectæ ætatis Chriſtus quid poſſet facere, diabolus iam videbat: & ideo mouebat Iudæos, inſtigabat Herodem, vt Chriſti ſuſpectam ſibi pręueniret infantiã, vt futura virtutis eius anticiparet inſignia, vt peremptorium ſibi, nobis victorioſiſſimum vexillum crucis callidus machinator auferret. Sentiebat diabolus, ſentiebat quòd Chriſtus doctrinis, virtutibus, vitam mox repararet, & mundum totum, qui adhuc vagiens, ipſum, quod erat mundani verticis, occuparet, iuxta illud Prophetæ;
Priuſquam ſciat puer vocare patrem aut matrem, *Eſa. 8.*
accipiet & virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ.
Et, vt, ipſis probantibus Iudæis, cùm dicunt: Vide- *Ioan. 12.*
tis, quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt ipſum vadit; Chriſtus ſe in carne venturum, aſcenſurum per ætatis gradus, annunciaturum gloriam cæleſtis regni, prædicaturum fidei doctrinam, & imperio verbi ſolo fugaturum dæmones, daturum cæcis viſum, claudis curſum, mutis verbum, auditum ſurdis, peccatoribus remiſſionem, mortuis vitam, per legem promiſerat, & per Prophetas, vnde hæc Chriſtus impleturus vir infans mortem diſtulit, non fugit. Denique fugam eius non de periculi metu, ſed de prophetiæ veniſſe myſterio Euangeliſta aſſerit, ſic dicendo; *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Et poſt; *Vt impleretur quod dictum eſt à domino per prophetam dicentem; Ex Aegypto vocaui filium meum.* Chriſtus ergo *Oſee. 11.*
fugit, vt ſtaret legis veritas, Prophetiæ fides, Pſal- *Luc. 24.*
miſtæ teſtimonium, dicente ipſo domino; Neceſſe erat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Chriſtus fugit nobis, non ſibi; Chriſtus fugit, vt diſpenſata temporibus ſacramenta ſeruaret. Chriſtus fugit, vt futuris virtutibus, & perfidis materiam tolleret excuſandi, & credituris fidei fiduciam largiretur: quia in perſecutione melius eſt fugere, quàm negare. Denique Petrus, quia fugere noluit, abnegauit; Ioannes, *Matth. 14.*
ne abnegaret, aufugit.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo. II.

HOdierna lectio mouit corda, concuſſit viſcera, ſtupere fecit auditum. *Ecce*, inquit, *Angelus domini apparuit Ioſeph in ſomnis &c.* Cui naſcẽti virginitas non reſiſtit, non obuiat ratio, non contradicit natura, poteſtas quæ, quæ vis, quod diſcrimen prænaleret, vt compelletur ad fugam? *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Reuerentius diceret, vade in Ægyptum; vt eſſet profectio, non fuga; voluntas, non neceſſitas, indicium, non metus, humanum ſaltem, ſi non diuinum: at nunc mandatur fuga, mandatur cęlitus, mandatur per Angelum, vt videatur cælum timor ante tenuiſſe, quàm terram. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* In Ægyptum fuge à tuis ad extraneos, ad ſacrilegos à ſanctis, à templo tuo ad dæmonum fana: ad idolorum patriam è regione ſanctorum. Sic Iudææ non ſufficit latitudo, ſic anguſtatur ſæculi diffuſa poſſeſſio, nõ capit ſecretum templi, ſacerdotum turba non ſuſcipit, non abſcõdit numeroſitas inueſtigabilis cognatorum, vt ad deſtatis latebras profana Ægyptus conducatur? Sic res vrget, ſic non vacat intueri verecundiam virginis, laborem matris, ſexus pudorem, periculum Ioſeph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in Gentibus; quibus nec ipſa eſt communio, imò eſt profundum legis tranſgreſſione naufragium. O quàm durum eſt peregrinatio etiam inter ciues, fratréſque! ſapit quid ſit ſua domus, qui ſentit alienam; & vbi eſt illud; (*Pſalm. 89.*) Domine, refugium factus eſt nobis? (*Pſalm. 45.*) Et, Deus noſter refugium, & virtus? Si refugium fugit, ſi timet virtus, ſi præſidium migrat, quæ vita, quæ ſpes, quæ ſecuritas, quod munimen? Eliæ contra inſidias liberi (*3. Reg. 17.*) Regis, vidua vna ſufficit; Chriſto contra Herodis (*4. Reg. 8.*) captiui minas Iudæa tota non ſufficit. Elias miſſos ad ſe cæleſti igne conſumit, Chriſtus ſola fuga fit ſaluus? Hucuſq; fugæ Chriſti querimonias exaggeraſſe ſufficiat. Fratres, quod fugit Chriſtus, fuit myſterij, non timoris; fuit liberatio, nõ periculum creatoris, diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter * authoris mortem, (*Forte timorem mortis.*) ſed fugit propter ſæculi vitam. Nam, qui mori venerat, quare fugeret mortem? Chriſtus totam cauſam noſtræ ſaluris occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi. Chriſtus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis: & ipſe faceret quæ facienda mandauerat; & viſu probaret poſſibilia, quæ impoſſibilia videbantur auditu. Venerat vt mundo notitiam ſuæ deitatis infunderet, & & humani generis ignorantiam auferret. Venerat vt pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico ſuperare conflictu: vt ab omnibus & diuino vinceretur iuſſu, & humano proſterneretur exemplo. Venerat præſentiæ ſuæ promiſſa perſoluere: vt, quibus ſcire ſe dederat, concederet ſe videre. Venerat, vt veniret Iudæus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem gentes. Venerat eligere Apoſtolos doctores orbis, eóſque cæleſtibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare ſignis, vt ſignis edomarent feros, ſanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent: & ad ſummum, venerat mortem perdere moriendo, penetranda inferna diſſoluere, reſurgendo ſepulchra reſerare, aſcendendo ad cælos cæleſtibus donare terrenos. Omnia hæc vtique perijſſent nobis, ſi Chriſtus, cum eſſet in cunabulis, non fugiſſet. Sed auditor dicas, cum poſſet aliter, quare tantis, quare talibus ſe ſummiſit iniurijs? Quare? Primum, quia neque ſine homine poterat ſaluari homo; neque ſine humanis iniurijs iniuriæ humanæ poterant amputari: cauſam ſuam facit, qui alterius vult cauere: qui non compatitur, amputare non poteſt paſſiones. Chriſtus nos in ſe ſuſcepit, vt ſe daret nobis: pertulit paſſiones noſtras, vt noſtras tolleret paſſiones. Hinc eſt, quòd Chriſtus fugit, vt noſtras fugas in perſecutionibus temperaret. Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſequentem: vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi, dicente domino; Si vos perſecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. (*Matth. 10.*) Perſecutorem qui prouocat, facit; corrigit, qui declinat. Fugere debemus ergo, prouocare non debemus, ſi ſaluari perſecutores noſtros volumus, pro quibus præceptum eſt nos orare. Orate, inquit, (*Matth. 5.*) pro perſequentibus vos. Orandum eſt, fugiẽdum eſt, vt & ille, qui per ignorantiam furit, ſanetur, & ille, qui patitur de patientia palmam ſubeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen. Fratres, ſi Paulum martyres non fugiſſent, Paulum non feciſſent. Hoc faciendum docuit Chriſtus: hoc nobis reliquit exemplum, vt, fugiente domino, fugere indignum non putet ſeruus. Et alia eſt cauſa, quòd fugit Chriſtus, quòd infans tempus ſuæ diſtulit paſſionis, quòd crucem ſupra triceſimum annum vitæ corporalis aſcendit: vt, qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfectam repararet in vitam: & qualem terris dederat, talem redderet cælo. Et quòd ad Ægyptum fugit, aliam procedit ad cauſam. Fugit ad Ægyptum, vt perfidiam Iudæorum per fidem gentium caſtigaret: nam dominũ ſuum, quem Iudæa fugauerat, Ægyptus obſequenter accepit: vt Eccleſiam Synagogæ, Iudæis Gentes anteponendas in fide, ſuam panderet per figuram.

EIVSDEM DE EODEM

Serm. 3. Qui non rectè tamen ſub Seueriani titulo circunfertur.

ZElus quò tendat, quò proſiliat liuor, inuidia quò feratur Herodiana hodie patefecit immanitas: quę dum temporalis regni æmulatur anguſtias, æterni regis ortum molitur extinguere, ſicut ait Euangeliſta: *Tunc Herodes videns, quia illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius.* Videns, quia illuſus eſſet à Magis: dolet impietas ſe illuſam, dilatam ſe crudelitas furit, fremit doloſitas ſe deceptam, & in ſe frans reuerſa, colliditur. Herodes ſtridet cadens ipſe in laqueum quem tetendit, (*Matth. 2.*) hinc iniquitatem quam condiderat euaginat: de fide perfidiæ ſumit arma: terreno quærit furore, quem natum cælitus non credit: ad ſinus matrum militum cogit caſtra, inter vbera arcem pietatis oppugnat, in teneris vberibus ferrum durat, lac fundit antequam ſanguinẽ, dat antè mortem ſentire, quàm vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic ait magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inuentor ſceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus,

omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi: quem Chriſtus non vt euaderet, ſed ne videret, aufugit. In altum tendens, cedit ab alto: cælum pulſans, intrat profundum: in ſe vadit, qui vadit in Deum: ſe occidit, qui vitam conatur occidere: quia capi non poteſt perditione ſalus, occiſione vita, æternitas fine. O ambitio quàm cæca ſemper! O quàm ſemper præſumptio peſſima! O quàm perdit conceſſa, qui inconceſſa captat! Herodes obſidens terrenum regnum, impugnat cœleſte, terrenis inhians, irruit in diuina: ipſamq; pietatem tota impietate ſectatur. Audierat natum Regem; quæſierat vbi, quando, vnde, & ad quid: at qualiter debuerat, non quæſiuit: quia apud illum peccandi amor, amor innocentiæ non manebat. Deſtinatus ad ſcelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, cauſas innocentiæ non requirit, ius abrogat, cõfundit fas, nefasq; : cui nequitia eſt ſodalis, cui odioſa eſt æquitas, iniquitas ſemper eſt amica, qui cædibus viuit, qui ſe munit ſanguine, qui crudelitatem ſectatur, cui de timore ſtat totum, de amore nil conſtat. Herodes tunc cæcus ſic Chriſtum gladiis quærit, inueſtigat errore, crudelitate timarur, ſucceſſorem timens, inceſſit in authorem: peremit innocentes, volens innocentiam deperire. Rector populi, morum cuſtos, diſciplinæ cenſor, iuſtitiæ indagator, æquitatis defenſor, ſeruator innocentiæ, ampliator populi, innocentis cauſam facit innocentium crimen, munus nati natorum vertit in pœnam, authoris ortum, orientum mandat occaſum, negocium ſaluantis, ſaluandorum iubet eſſe diſcrimen. Iudex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, vrget reos, percellit noxios, conſcios corripit, addicit complices, ſententiæ dat detectos. Infantes quid? Quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt, & quibus actus nullus eſt, vnde culpa? Sumpſerũt mortem, qui viuere neſcierunt, non tempus affuit, non excuſauit ætas, ſilentium non defendit, quibus apud Herodem ſolum quòd nati ſunt, hoc fuit crimẽ, & re vera, quomodo non redderent naturæ creditum, à quibus cauſa exigebatur authoris? Infelix homo, qui ſibi ad accuſationem parauit omnia: ad excuſandum ſpacium non reliquit, ſed totum parauit ad pœnam. Quis excuſabit quem pulſat innocentia, infantia impetit, lac vt ſanguis accuſat? Hoc contra Herodem. At Chriſtus futurorum præſcius, conſcius ſecretorum, cogitationum iudex, mentium perſecutor, quare deſeruit quos ſciebat quærendos eſſe propter ſe, & propter ſe nouerat occidendos? Natus Rex, & Rex cæleſtis quare neglexit milites innocentiæ ſuæ, coætaneum ſibi quare contempſit exercitum, quare cunabulis ſuis deputatas excubias ſic reliquit, vt regem ſolus quæſiturus hoſtis totum graſſaretur in militem? Fratres, Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed prouexit: quibus dedit antè triumphare, quàm viuere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam, quos donauit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, antè cælum poſſidere, quàm terram, nec antè humanis inſerere quam diuinis. Præmiſit ergo Chriſtus ſuos milites, non amiſit: recepit ſuas acies, non reliquit. Beati, quos martyrio natos vidimus eſſe, non ſæculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Viuunt, viuunt quia verè viuunt, qui pro Chriſto merentur occidi. Beati ventres qui portauerunt tales, beata vbera quæ ſe talibus infuderunt: beatæ lacrymæ quæ pro talibus fuſæ flentibus gratiã baptiſmatis contulerũt. Nam diuerſo modo, dono vno, in lachrymis ſuis matres, & ſui filij ſuo ſanguine baptizantur. In martyrio filiorum paſſæ ſunt matres, nam gladius filiorum pertrãſiens membra ad matrum corda peruenit; & neceſſe eſt vt ſint præmij conſortes, quæ fuerunt ſociæ paſſionis. Arridebat paruulus occiſori, gladio adiocabatur infantulus, nutricis loco attendebat lactans percuſſoris horrorem, neſcia lucis ætas moritura gaudebat: infans filius omnem hominem non hoſtem reſpicit, ſed parentem. Matres tulerunt quicquid & angoris extitit, & doloris, & ideo non martyrij gaudio, martyrij lachrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat auditor, attendat vt intelligat martyrium non cõſtare per meritum: ſed venire per gratiam. In paruulis quæ voluntas, quod arbitrium, vbi captiua fuit & ipſa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nil nobis. Vincere diabolum, corpora tradere, contemnere viſcera, tormenta expendere, laſſare tortorem, capere de iniuriis gloriam, de morte vitam, non eſt virtutis humanæ, muneris eſt diuini. Ad martyrium qui ſua virtute currit, per Chriſtum non peruenit ad coronam: ſed ipſe nos cæleſte perducat ad pabulum, qui noſtro dignatus eſt iacere in ſtabulo Ieſus Chriſtus Nazarenus dominus noſter, qui viuit & regnat in ſecula ſæculorum.

EIVSDEM DE EODEM
Sermo. 4.

FRatres, humani ſenſus non eſt, virginei partus aperire myſterium; quod natura non habet, authoris eſt, non naturæ, eſt opus ſuperni ſpiritus, quod ſentire non poteſt caro; vbi non eſt humanitatis indicium, ibi deitatis eſt ſignum, dicente Propheta; Ipſe dominus Deus dabit vobis ſignũ. Ecce Virgo in vtero accipiet. Vbi nil eſt terreni vſus, eſt ibi cæleſtis ordinis totum, quod de mundo non eſt, mundano intellectui non poteſt ſubiacere. Conceptus, qui virginem ſeruat, partus, virginem qui relinquit, diuinum eſt, quod generat, non humanum: Deus graditur, vbi veſtigium nullatenus humani tranſitus inuenitur, conſuetudo deficit, miracula cùm geruntur, cõſuetudines non reſpiciunt ſigna, ſingularitas non admittit exemplum, ſicut hodierna pandit lectio, quæ diuina narrat prælia paruulorum. Coorta Regi cohors ſua magis præmori quàm commori tota geſtit: Chriſto dicati milites cœperunt antè militare, quàm viuere, ante pugnare, quàm ludere; fundere antè ſanguinem, quàm lactis vbera perpotare, ardentes animæ, moras corporis non tulerũt, à gremio ad furentes hoſtium cuneos peruolantes, anticipant virtutibus blandimẽta, vulneribus oſcula, vnguenta ferro, vt cælum poſſint antè inhabitare, quàm terram; præmia ſpiritus antè portare, quàm carnem, antè referre triumphos Deo, quam perferre hominum nutrimẽta. Verè, verè, fratres, iſti ſunt gratiæ martyres, confitentur tacentes, neſcientes pugnãt, vincunt inſcij, moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ergo, ſicut virginitas corruptionis neſcia contulit honorem matri, ſic infantia paſſionis Sermo. 53.

ignara

ignara martyrij palmas rapuit, & coronas. Sed quid dicemus, quòd Rex ipſe, qui ſtare debuit, fugit ſolus, & fugit, monente patre? Fugere iſtud eſt amoris intimi, non timoris ignauiæ. Si ſtetiſſet Chriſtus, haberet eos ſynagoga filios, hos Eccleſia martyres non haberet.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

ECce angelus domini apparuit. *Ioſeph ſignificat doctores. Maria Eccleſiam: Ægyptus verò quæ tenebræ interpretatur, ſignificat iſtam gentilitatem. Et hæc fuga Chriſti in Ægyptum ſignificat tranſitum eius ab Iſraëlitico populo per prædicatores ad gentes. Herodes verò ſignificat odium Iudæorum, qui nomen Chriſti delere, & credentes in eum perdere cupiebant: ſiue hæreticos qui Chriſtum alij in humanitate eius, alij in diuinitate, necnon & in membris ſuis occidere quærebant. Mors verò ſignificat ignorantiam, qua Iudæi in errore ſuo relicti ſunt, quando apoſtoli lucem fidei gentibus intimabant. *Et erat ibi, &c.* Obitus Herodis ſignificat finem odij Iudæorum, quando ante diem iudicij Chriſtus ad Iudæos per doctores vltimi temporis reuertetur: non, quòd gentilitatem relinquat, ſed vt in vtriſque regnet. *Tunc Herodes, &c.* Veriſimile eſt quod poſtquam Magi nihil renũciauerunt Herodi, eum putaſſe illos fallacis ſtellæ viſione deceptos, ac ſe non inuento rege nato, erubuiſſe reuertere, & ita timore depulſo, aliquod temporis quieuiſſe à perſequendo puero: ſed poſt rebus diuulgatis, quæ in templo factæ dictæque fuerant à Simeone & Anna ſenſiſſe ſe à Magis illuſum, ac deinde ad necem Chriſti cupiens peruenire, nõ ſolum in Bethlehem, verum in omnibus circa finibus, ſicut modum in nullo tenuit, omnes à filio vnius noctis vſque ad filium duorum annorum occidit. Secundum tempus, quod exquiſierat à Magis, tractans iniquus rex quod poſſibile eſſet regi Deo naſcenti, cui famulabantur ſydera cæli in inualidiore ætate anni vnius vel duorum puer apparere oculis hominum: & rurſus ſi vellet paruitate corporis celare ætatem naturæ. Verum poſt annum natiuitatis domini, an duos hanc necem confecerit, non apparet: niſi fortè dicamus, quod poſt annum euolutum & quatuor dies ſequentis anni infantes iuſſerit occidi, vbi dies paſſionis eorum à Catholica veneratur eccleſia. *Tunc adimpletũ eſt, &c.* Quæritur quomodo Rachel filios Iuda, id eſt, Bethlehẽ quaſi ſuos ploret, quæ eſt mater filiorum Beniamin. Sed reſpondendum eſt, ſiue quòd in Bethlehem ſepulta ſit & inde matris nomen acceperit, ſiue quòd coniunctæ ſunt tribus Iuda & Beniamin per occaſionem in Bethlehem finibus occidendorum puerorum vltra terminos Iuda etiam in Beniamin perſequutionem deſæuiſſe. Rama non nomen loci eſt iuxta Gabaa, ſed interpretatur excelſus, & ſignificat quod lamentatio percuſſionis longè ſit, lateque diſperſa. Secundum verò allegoriã Rachel, quæ ouis Dei ſiue videns Deum interpretatur, ſignificat Eccleſiam, quæ tota mentis intentione Deum videre cupit: & ipſa eſt ouis centeſima, quam relictis nonaginta nouem ouibus, id eſt, ordinibus angelorum in cælo, paſtor bonus quærebat in terra. Interfectio paruulorum occiſionem ſignificat martyrum Chriſti, quos Eccleſia plorans, non vult temporalẽ conſolationem accipere, quia ad iſtud ſeculum non ſunt reuerſuri, qui ſemel ſunt cum Chriſto coronati: ſiue interfectores martyrum deplorat, quos primum in filios habere deſiderabat. Et non ſunt, [illegible], ad vitam deſtinati. Sed ad æternam damnationem tendunt.

EIVSDEM IN SVPERIVS
Euangelium Homilia.

DE morte precioſa martyrum Chriſti innocentium ſacra nobis eſt, fratres chariſſimi, Euangelij lectio recitata, in qua tamen omnium Chriſti martyrum precioſa mors eſt deſignata. *Tomo 7.* Quod enim paruuli occiſi ſunt, ſignificat per humilitatis meritum ad martyrij perueniendum gloriam, & quia niſi conuerſus fuerit quis, & effectus vt paruulus, non poſſit animam dare pro Chriſto. *Matth.18.* Quòd in Bethlehem & in omnibus finibus eius occiſi ſunt, oſtendit non ſolum in Iudæa, vnde eccleſiæ cœpit origo, ſed & in omnibus eiuſdem eccleſiæ finibus quacunque per orbem diffuſa eſt, perſecutionem ſæuituram perfidorum, & piorum patientiam eſſe coronandam. Qui à bimatu occiſi ſunt, doctrina, & operatione perfectos indicant: qui vero infra ſimplices, vel idiotas fidei tamen non fictæ conſtantia fortes æque denũciat. Quòd illi quidem occiſi ſunt, ſed Chriſtus qui quærebatur, viuens euaſit, inſinuat corpora quidem ab impiis poſſe perimi, ſed Chriſtum, pro quo perſecutio tota ſæuit, nullatenus eis vel viuentibus, vel occiſis poſſe auferri, ſed eos veraciter conteſtari, quia ſiue viuimus, domino viuimus: ſiue morimur, domino morimur. Siue enim viuimus ſiue morimur, domini ſumus. *Rom.14.* Quòd iuxta vaticinium Hieremiæ vox in Rama, id eſt, in excelſo audita eſt ploratus, & vlulatus, manifeſte denunciat luctum ſanctæ eccleſiæ, quæ de iniuſta membrorum *Hiere.31.* ſuorum nece gemit, non vt hoſtes garriunt in vacuum cedere, ſed vſque ad ſolium aſcendere ſuperni iudicis: & ſicut protomartyris Abel, ita etiã *Galat.4.* ſanguinem cæterorum martyrum de terra clamare ad dominum, iuxta illud viri ſapientis: Non deſpicies preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. *Eccl.35.* Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & dominus exauditor non delectabitur in illis. Quod Rachel ploraſſe dicitur filios ſuos, nec voluiſſe conſolari, quia non ſunt, ſignificat eccleſiam plorare quidem ſanctorum de hoc ſeculo ablationem, ſed non ita velle conſolari, vt qui ſeculum morte vicerunt, rurſus ad ſeculi certamina ſecum toleranda redeant: quia nimirum non ſunt vltra reuocandi in mundum, de cuius ærumnis ſemel euaſerunt coronandi ad Chriſtum. Rachel namque, quæ ouis, aut videns Deum dicitur, eccleſiam figurate demonſtrat, cuius tota intentio vt videre Deum mereatur, inuigilat. Et ipſa eſt ouis centeſima, quam paſtor bonus relictis in cælo nonaginta nouem ouibus angelicarum virtutum, abiit quærere in terra, inuentámque ſuis humeris impoſuit, & ſic reportauit ad gregem. Quæritur autem iuxta literam, quomodo Rachel ploraſſe dicitur filios ſuos, cũ tribus Iuda, quæ Beth- *Lucæ.15.*

lehem tenebat, non de Rachel, ſed de ſorore eius Lia fuerat orta. Vbi tamen facilis patet reſponſio, quia non tantum in Bethlehem, verumetiam in omnibus finibus eius pueri ſunt omnes trucidati. Tribus autem Beniamin, quæ de Rachel orta eſt, proxima fuit tribui Iudæ. Vnde merito credi debet, quod plaga crudeliſſimæ necis non paucos etiam Beniaminæ ſtirpis pueros inuoluerit, quos progenies Rachel elata in excelſum voce plorauerit. Poteſt & aliter intelligi, quia Rachel iuxta Bethlehem ſepulta eſt, ſicut titulus monumenti eius manens vſque hodie teſtatur, ad occidentem ciuitatis vltra viam, quæ ducit Hebron, quòd ea, quæ in loco eodem agebantur, ipſa egiſſe prophetieo locutionis modo rectè dicatur, cuius corpore & nomine locus ipſe fuerat inſignis. Quòd dominus ipſe ne occideretur ab Herode ſublatus eſt à parentibus in Ægyptum, ſignificat electos ſæpius malorum improbitate ſuis effugandos ſedibus, vel etiam exilio damnandos. Vbi ſimul exemplum datur fidelibus ne dubitent rabiem perſequentium, vbi opportunum fuerit, declinare fugiendo, cum hoc Deum, ac dominum ſuum feciſſe meminerint. Siquidem ipſe, qui erat ſuis præcepturus, Cum vos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam, prius fecit, quod præcepit, fugiendo hominem, quaſi homo in terra, quem Magis paulo ante monſtrauit ſtella de cælo. Quòd occiſis pro domino pueris Herodes non longe poſt obiit, & Ioſeph monente angelo dominum cum matre ad terram Iſrael reduxit, ſignificat omnes perſecutiones, quæ contra eccleſiam erant mouendæ, ipſorum perſecutorum morte vindicandas, eiſdémque multatis perſecutoribus, pacem eccleſiæ denuo reddendam, & ſanctos, qui latuerant, ad ſua loca fuiſſe reuerſuros. Herodes quoque in diabolo fremit, auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in his, qui ad Chriſtum trsnſeunt, ingemiſcit. Vnde, ſi paruulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere. Quod vtique ſine ceſſatione molitur, dum primordia renatorum ſpiritumſanctum eripere, & quandam teneræ fidei infantiam tẽtat extinguere. Poſſumus quoque odium Herodis, quo perdere Ieſum voluit ſuper perſecutionibus, quæ apoſtolorum ſunt temporibus factæ, in Iudæa ſpecialiter accipere, quando inualeſcente inuidia, prædicatores verbi ſunt penè omnes expulſi de prouincia, & in gentibus prædicaturi ſunt longe, latéque diſperſi. Sicque factum eſt vt gentilitas, quæ per Ægyptum figuratur, peccatis ante tenebroſa lumen verbi perciperet. Hoc eſt enim puerum Ieſum, & matrem eius per Ioſeph in Ægyptum trãſferri, fidem ſcilicet dominicæ incarnationis, & eccleſiæ ſocietatem per doctores ſanctos gentibus committi. Quòd erant in Ægypto vſque ad obitum Herodis, indicat figurate fidem Chriſti in gentibus manſuram, donec plenitudo gentium introeat, & ſic omnis Iſrael ſaluus fiat. Obitus quippe Herodis terminum intentionis malicioſæ, qua nunc contra eccleſiam Iudæa ſæuit inſinuat. Occiſio paruulorum, mortem humilium ſpiritu, quos fugato à ſe Chriſto, Iudæi peremere, deſignat. Quòd autem defuncto Herode redit ad terram Iſrael, fidem ſeculi denunciat, quando Enoch, & Helia prædicantibus, Iudæi ſopita modernæ inuidiæ flamma, fidem veritatis accipient. Et bene cum Iudæam deſerit, fugere & hoc in nocte dicitur, cum vero, reuertitur in illam, non ſolum fugæ, ſed nec noctis ſit mentio: quia nimirum quos ob peccatorum tenebras olim perſecutores reliquit, ipſos ob lucem fidei tandem ſe quærentes reuiſit. Quòd damnato licet Herode Ioſeph timore Archelai filij eius in Iudæam, vbi metropolim habebat, ire formidans monente angelo in Nazareth Galilææ ſecedit, vltima præſentis eccleſiæ tempora deſignat, quando pro ea quæ nunc eſt, vniuerſali genus illius cæcitate qua chriſtianos in quantum valet, perſequi non deſiſtit, acrior in quibuſdam antichriſti perſecutio conſurget. Et quidem plurimis ad prędicationem Enoch, & Helię à perfidia conuerſis, ſed cęteris ad inſtinctum antichriſti tota intentione contra fidem dimicãtibus. Pars igitur Iudææ in qua regnabat Archelaus, perfidos antichriſti ſequaces oſtendit. Porro Nazareth Galilææ quo dominus transfertur, partẽ gentis eiuſdem, quę tũc temporis fidem Chriſti eſt ſuſceptura, deſignat. Vnde bene Galilæa perpetrata tranſmigratio, Nazareth flos aut virgultum eius interpretatur: quia nimirum ſancta eccleſia quo ardentiori deſiderio ab his, quę in terris videt ad cęleſtia promerenda tranſmigrat, eo maiore ſpiritualium abundat flore atque germine virtutum. Vnde oportet, fratres chariſſimi, quia primitias martyrum hodierna feſtiuitate veneramur, de æterna, quę in cælis eſt, martyrum feſtiuitate ſedulo cogitemus, eorúmque veſtigia in quantum poſſumus ſequendo, & ipſi eiuſdem feſtiuitatis ſupernę participes exiſtere curemus, teſtante Apoſtolo: quia [1.Cor.1.] ſi ſocij paſſionum fuerimus, ſimul & conſolationum erimus. Nec tam de morte eorum lugeamus, quàm de iuſta palmę perceptione lętemur. Si quidem ſingulos eorum cum per tormenta pellerentur ex hac vita, Rachel gemebunda, id eſt, ſancta eccleſia quæ gemit, luctu, lachrymíſque proſecuta eſt, ſed iam hinc expulſos ſuperna Hieruſalem, quæ eſt mater omnium noſtrũ, mox in aliam vitam obuius lætitiæ miniſtris excepit, atque in gaudium domini ſui perpetuo coronandos introduxit. Vnde dicit Ioannes: Stabant ante thronum, [Apoc.7.] & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Stant enim modo ante thronum Dei coronati, qui quondam ante thronos iudicum terrenorum iacebant pœnis attriti. Stant in conſpectu agni nulla ratione illic à contemplanda eius gloria ſeparandi, à cuius hic amore nec ſupplicio poterãt ſeparari. Stolis fulgent albis, & palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora, quæ pro domino ignibus, & beſtiis dilacerata, flagris abſumi, per pręcipitia diſſolui, vngulis abradi, omnimodo pœnarum genere paſſi ſunt diſſipari, per reſurrectionem glorificata recipiunt. Et clamabant, inquit, voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Magna voce ſalutem Deo [Ibidem.] decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non ſua ſe virtute, ſed ipſo auxiliante tribulationum impugnantium ſuperaſſe certamina. Dicit iterum eorum & præteritos agones & coro- [Ibidem.] nas deſcribens perpetuas: hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Stolas quippe martyres in ſanguine agni lauerunt, dum membra ſua, quæ oculis inſipientium viſa ſunt pœnarum ſqualore fœdari, ſic potius fuſo pro Chriſto ſanguine ab omnibus mundauere contagiis: inſuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod

Pſal.83. quod eſt lotas etiam dealbaſſe ſtolas in ſanguine agni: Ideo ſunt, inquit, ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius. Non eſt laborioſa, ſed amabilis, & optanda ſeruitus, in Dei laudibus perpetuò adſiſtere: dies quippe & nox non viciſſitudinem temporis propriè, ſed perpetuitatem tropicè ſignificant. Nox enim non erit
Apoc.7. illic, ſed dies vna melior in atriis Chriſti, ſuper milia in qua non plorat Rachel filios ſuos, ſed abſterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum: dabitque vocem lętitiæ & ſalutis ęternæ in tabernaculis iuſtorum, ei qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

A*Ngelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge & accipe puerum, &c.* Iſte locus hæret ſuperiori libro. Matthæus Euangeliſta dicit, quòd Magi per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Cùm illi receſſiſſent, per aliam viam nõ per iſtam per quam venerant. *Ecce angelus domini* Gabriel videlicet, miniſter dominicæ incarnationis, *apparuit Ioſeph in ſomnis*, qui vir iuſtus erat, & manifeſtiori reuelatione non indigebat, idcirco loquutus eſt ei angelus in ſomnis. Spiritualiter antè per hoc quòd in ſomnis apparuit ei ſignatur, quòd illi qui ſeruiunt Deo, merẽtur habere angelorum cuſtodiam ſibi pręſentem adeſſe, & illi tales poſſunt dicere cum eccleſia: Ego dormio ab actione huius ſeculi, & cor meũ vigilat in Dei omnipotẽtis ſeruitio. *Surge* dicit quia dormiebat. *Qui ſurgens à ſomno, accepit puerũ, & matrem eius, & fugit in Aegyptum nocte*, quia nolebat ſciri à populo. Quòd Dominus Ieſus in ętate perfecta pręceptnrus erat verbo credentibus in ſe: hoc ipſe in infantia poſitus, primus impleuit opere. Et hoc quod Lucas dicit, quia cœpit Ieſus facere, & docere. Primum fecit, poſteà
Act.1. docuit. Quod erat præcepturus electis ſuis: Si vos
Matth.10. perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, hoc ipſe primum impleuit, quia fugit perſecutorem ſuum Herodem, vt daret exemplum ſuis fidelibus, vbi opportunum fuerit fugiẽdi inſidias hoſtium, non imputabitur eis in culpam, quia caput eorum Chriſtus primùm hoc egit. *Et erat ibi vſque ad obitum Herodis.* Quantum temporis ibi moratus fuerit, Euangeliſta tacet, & ideo taceamus nos. Secundum literam ita factum eſt, ſicut hæc verba euangeliſtæ teſtãtur, ſed videamus quid ſpiritualiter ſignificent. B. Ioſeph, qui ducatum præbebat beatæ Mariæ, ſignat ordinẽ prædicatorum: Apoſtolorum ſcilicet, & cæterorum doctorum. Maria ſignat eccleſiam, quæ apoſtolis ſubiecta fuit in fide. Puer id eſt, Dominus Ieſus quid aliud quam myſteria incarnationis ſuæ? Ægyptus quæ interpretatur tenebra, vel mœror, ſignat gentilitatem, quæ in tenebris ignorantiæ, & infidelitatis, & peccatorum manebat. Herodes, qui pueros occidit, & Dominum Ieſum Chriſtum in Ægyptum fugauit, ſignat Iudæos. Odium Herodis, ſignat odium Iudæorum, quod habuerunt contra Chriſtum, & contra apoſtolos illius, qui voluerunt Chriſtum interficere, id eſt, nomen Chri-
Sap.2. ſti de terra delere, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, id eſt, lignum crucis in carnem eius, & eradamus eum de terra viuentiũ. Per hoc quod B. Ioſeph relinquens Iudæam, cum puero, & Maria in Aegyptum ſeceſſit, pręfigurabatur iam quòd ſancti prædicatores apoſtoli ſcilicet & apoſtolici viri, cum Maria, id eſt cum eccleſia ſibi ſubiecta, & cum puero, hoc eſt, cum euangelica prædicatione, & fide Dominicæ incarnationis receſſuri erant à populo Iudæorum, propter illorum perfidiam, & tranſituri ad populum nationum, qui per Aegyptum ſignatur. Et in nocte receſſit B. Ioſeph. Illa nox ſignat incredulitatem Iudæorum. Per hoc ergo, quod in nocte receſſit Ioſeph præfigurabatur iam, quia in nocte infidelitatis & in tenebris peccatorum relicturi erant ſancti apoſtoli Iudęos. Vſque ad obitũ Herodis fuit in Aegypto B. Ioſeph, quia tandiu manebit ordo doctorum in gentibus, donec plenitudo earum introeat, & ſic omnis Iſ-
rael ſaluus fiet. Obitus Herodis, ſignat terminum Rom.11.
odij Iudæorum, quod habuerunt & habent modò contra Chriſtum & contra eccleſiam. Cùm mortuus fuerit Herodes, id eſt cum mortua fuerit infidelitas in cordibus Iudæorum ad prædicationem Heliæ & Enoch, tunc reuertetur ad Iudæos Chriſtus cum Ioſeph, id eſt cum ordine prædicatorum. Ita tamen reuertetur vt non deſerat gentiles, quia lapis angularis vtrunque populum con-
tinet per fidem. Ideò fugit Dominus in Aegyptum Oſee.11.
vt impleretur illud, quod per Oſeam prophetam prædictum eſt à Deo patre. Ex Aegypto vocaui filium meum. Sed nihil eſt: Ex Aegypto vocauit Deus pater filium ſuum, quando, ſicut in ſequentibus habetur, *venit angelus ad Ioſeph, & dixit ei: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade ad terram Iſrael.* Hoc ſecundum literam. Sed altiore intellectu iterum per Aegyptum intelligamus hunc mundum. Tunc namque de Aegypto Deus pater vocauit filium ſuum, quando quadrageſimo die reſurrectionis eius, nimis mirabili aſſumpſit eum de hoc mundo ad cælum, & collocauit eum ad dexteram ſuam, vt viam nobis faceret eundi ad patrem, ideo ipſe primus pręceſſit. *Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis.* Hęc ſentẽtia iũgitur ſuperiori, vbi dicitur, quòd admoniti Magi in ſomnis ne redirẽt ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. *Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet*, id eſt deriſus *à Magis*, quia nõ ſunt reuerſi ad eum, ſicut ipſe pręceperat, *iratus eſt valde. Et mittẽs ſuos milites occidit omnes pueros, qui erãt in Bethlehem Iudę.* Interfectio paruulorum non fuit eo anno facta, quo Dominus natus eſt. Vndè hoc poteſt ſciri? Ea aduentu magorum, qui venerunt tertio decimo die natiuitatis filij Dei ad eum. Si ipſi antea venerunt, ſicut reuera eſt, & antea ſunt reuerſi ad propria, quàm ipſa interfectio fieret, quare celebratur feſtiuitas paruulorum, ante feſtiuitatem qua Magi venerũt? Quia poſt illam facta eſt completo anno à natiuitate filij Dei, & quarta die ſequentis anni adueniente, fuit eadem interfectio peracta. Quare non continuò fecit hoc Herodes, vbi Magi non ſunt reuerſi ad eum? Quia cogitauit in corde ſuo, certè falſa viſione ſtellæ deluſi ſunt illi Magi, nõ inuenerunt, quod quæſiuerunt, ideo erubuerunt ad me reuerti. Quum autem quadrageſimo die natiuitatis ſuę filius Dei delatus fuiſſet ad templum, & munera legalia pro eo fuiſſent oblata, & Symeõ accepiſſet eum in brachio, & dixiſſet: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & Anna prædicaſſet de eo omnibus, qui expectabant redemptionem

Iſrael, quum hæc omnia fuiſſent ad notitiam Herodis perlata, dixit ille: Certè verũ eſt, quod Magi dixerunt. Tunc forſitan accidit aliqua aduerſitas in regno ſuo, ideo non potuit perficere, quod cogitabat. Quum autem vnus annus dominicæ natiuitatis pertranſiſſet, & tres dies ſequentis anni, timens regnum amittere propter regem natum, qui nunciatus fuit à Magis, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eorum, vt ſaltem potuiſſet inter illos eum necare. Cogitauit antè perfidus ille in corde ſuo. Certè ille puer, qui fuit tantæ potentiæ, vt ſtellam nouam in ortu ſuo produceret, & per eius ducatum Magos ad ſe adorandum à finibus terræ adduceret, bene poteſt ſe in ſtaturam pueri duorum annorum facere, vel etiam in ſimilitudinem pueri vnius anni, etiam vnius noctis. Et ideo iuſſit interfici omnes pueros *à bimatu, & infra*, hoc eſt à puero duorum annorum vſque ad puerum vnius noctis, vt inter illos interficeretur Dominus Ieſus Chriſtus. *Secundum tempus ſtellæ, quod exquiſierat à Magis.* Spiritualiter mors paruulorum ſignat precioſam mortem ſanctorum, de qua ſcriptum eſt: Precioſa in conſpectu Domini mors, &c. Quòd paruuli occiſi ſunt demonſtratur, quia nemo poteſt animam ſuam ponere pro Chriſto, niſi innocens, & humilis. Iuxta quod dicit: Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis, &c. Illi qui bimi occiſi ſunt, ſignãt ſanctos martyres, qui duo habuerunt, intellectum, & operationem ſanctam. Qui verò infra occiſi ſunt, id eſt aut vnum, aut dimidium annum habentes, aut vnam noctem, ſignant eos, qui tantũmodo ſimplicem fidem habẽtes, tradiderunt corpora ſua ad ſupplicia pro Chriſti nomine, & ab eo coronati ſunt. Mira res, Chriſtus, qui quærebatur euaſit, & paruuli occiſi ſunt. Præfigurabatur per hoc, quia ſancti Dei licet corpore interficiendi eſſent à ſuis perſequutoribus, tamen Chriſtus nullo modò poſſet in cordibus illorum interfici, quibuſcũque enim modis interfecti fuiſſent, Chriſtus ab eorum cordibus non potuit auferri. In Bethlehem interfecti ſunt illi pueri, & in omnibus terminis eius: Bethlehem, quæ interpretatur domus panis, ſignat hic primitiuã eccleſiam ex Iudæis, quæ fundata eſt ab apoſtolis, & à Chriſto in fide. Per hoc quod non ſolùm in Bethlehem ſed circa montes, & in finibus eius interfecti ſunt paruuli, præfiguratum eſt, quia non ſolùm in Iudæa, vbi cœpit origo eccleſiæ, perſecutio malorum hominum erat deſæuitura, ſed etiam vſque ad fines terræ ventura, & ſanctorum patientia remuneranda: ſeu etiam in omnibus finibus eccleſiæ,

Hier. 31. id eſt, in omnibus partibus mundi. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam dicentem. Vox in Rhama audita eſt ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos.* Rhama locus eſt iuxta Gabaa ciuitatem Saulis, ſed hîc nõ ponitur pro loco, ſed pro interpretatione nominis. Rhama namque interpretatur excelſum. *Vox in Rhama audita eſt*, id eſt, in excelſo, mortuorũ, patrũ, matrum, propinquorum: vox in magno fletu prolata eſt vſque in cęlum. Quę vox? *Ploratus, & vlulatus. Rachel plorans filios ſuos.* Quæritur quare Rachel dicitur plorâſſe filios Iudæ quaſi ſuos, cum de Lya natus ſit Iudas, cuius ſtirps Bethlehem inhabitat: de Rachel Beniamin, qui habitat in Iſrael. Duobus modis ſoluitur hæc quæſtio. Rachel ſepulta fuit iuxta Bethlehem, & ideo propter vicinitatem ſepulchri illius appellabãt eã filiorum Iudæ matrẽ, quæ matertera illorum fuit. Vel aliter, Tribus Iudæ & tribus Beniamin ſemper iunctæ fuerunt, & quando perrexerunt in captiuitatem ſimul perrexerunt, & quando de captiuitate reuerſi ſunt, ſimul reuerſi ſunt, quãdo erat lætitia in Iuda, erat in Beniamin, & quando erat in Beniamin, erat in Iuda. Et Herodes præceperat non ſolùm in Bethlehem interfici pueros, ſed etiam in finibus eius. Per hanc occaſionem intelligimus multos, etiam de filiis tribus Beniamin, fuiſſe trucidatos: Ideo dicitur plorâſſe Rachel filios ſuos, quando homines ſtirpis illius plorabant. Nam mille anni erãt, ex quo illa facta erant. Et ideo per Rachel poſſumus intelligere homines ſtirpis illius, ſicut diximus, qui plorabant filios ſuos, quos videbant interfici, *Et noluit conſolari, quia non ſunt*, ſubauditur mortui. Dupliciter hoc intelligamus ſecundum literam. Quidam erant tunc in populo Iudęorum, qui ſciebant Chriſti aduentum imminere, quia videbant reges defeciſſe de tribu Iuda, & videbant alienigenam Herodem regnare. Qui licet deflerent per compaſſionem mortis interfectiones filiorũ ſuorum, tamen in hoc gaudebant, quia ſciebant eos æternaliter cum Chriſto regnaturos, pro quo interficiebantur. De iſtis dicitur: *Et noluit conſolari: quia non ſunt*, ſubauditur mortui. Licet mortui ſint carne, viuunt anima cum Chriſto. E contrà erant inſipientes, & idiotæ, qui neſciebant aduentũ Chriſti imminere, qui videntes filios ſuos interfici ab impiiſſimo Herode, putabant eos æternaliter perituros: ſicut moriebantur carne, ita credebant, quòd morerentur anima. De iſtis poteſt intelligi, quod dicitur: *Et noluit conſolari, quia non ſunt* victuri cum Chriſto, ſed æternaliter perituri. Spiritualiter Rachel quæ interpretatur ouis, ſiue videns Deum, Eccleſiam ſignat, quæ ouis centeſima appellatur, quam bonus paſtor venit quærere, & inuẽtam in humeris poſuit, & ſic reportauit ad gregem. Ipſa etiam dicitur videns Deum, quia in præſenti ſeculo videt Deum fide, & dilectione, & ad huc laborat ſemper, vt Deum mereatur videre in æterna contemplatione. Hæc Rachel, id eſt, præſens eccleſia plorat, per affectum compaſſionis ablationem filiorum ſuorum, ſanctorum ſcilicet martyrum, quia ſi fieri poſſet, vellet eos habere ſecum. Beatum, ſcilicet Petrum, & Paulum, vt illorum doctrina, & exemplo plurimi erudirentur. Sed, quia ſcit eos æternaliter à Chriſto coronatos, non vult conſolari de illis, ad hoc vt, qui ſemel euaſerunt ærumnas huius ſeculi coronandi à Chriſto, iterum reuertantur ad vitam ad has miſerias ſufferendas, quas ipſa patitur in pręſenti vita. *Defuncto autem Herode.* Iſte Herodes miſer ante mortem ſuam, percuſſus eſt graui morbo, vt Ioſephus narrat, & interfecit quoſdam de filiis ſuis, quoſdam autem reſeruauit, Archelaum ſcilicet, Herodem, Philippum, & Lyſaniam. Cùm autem appropinquaret morti, vocauit generum ſuum, & dixit illi: Scio Iudæos de mea morte gauiſuros, quia interfeci filios eorum, iube ergo magnum conuiuium præparari, & conuoca omnes principes regni mei ad conuiuium. Expleto conuiuio, mitte omnes in carcerem, & cum ſpiritum extremum exhalauero, interfice omnes, vt velint, nolint, Iudæi habeant, quod lugeant in morte mea. Poſtmodum autem cùm quadam die purgaret pomum ſolito more, & vidiſſet hominem decſſo,

conuertit

conuertit cultrum, quod tenebat, in ventrem, & propria manu ſe interfecit. *Illo defuncto angelus domini Gabriel apparuit beato Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum, &c.* Hic datur nobis intelligi, quia non ſolum Herodes voluit dominum interficere, ſed & principes ſacerdotum. Poſtmodum autem per triginta circiter annos multa Iudæis intulerat, etiam dominum noſtrum Ieſum Chriſtum perſequi non deſtitit, vndè diuina vltione percuſſus, exteriùs quidē lento igne cremabatur, interiùs verò vaſto incendio cremabatur in tantum, vt omnia viſcera eius paulatim deſluerent, verenda quoque eius vermibus ſcaturirent. Hydropiſis nanque totum corpus illius arripuerat, inflatio pedum ingens erat, anhelitus quoque fœdus, ita vt aliquis medicorū cauſa medendi via accedere poſſet. Cúmque variæ curationes mitterentur, non ſolum nihil ei proderát, verumetiam magis, ac magis deterior habebatur. Vndè viſum eſt medicis, vt cauſa lauaminis in dolio pleno olei poni deberet. Quod cum factum fuiſſet, ita penè diſſolutus eſt, vt etiam ipſi oculi à ſuis ſedibus euellerentur. Vndè in iram commotus, aliquos medicorum coram ſe interfici fecit. Sed inter hæc omnia mala, famem, ſitímque intolerabilem ſuſtinebat. Et quod grauius erat, omnis cibus potúſque in faſtidium ei erat. Inſomnietatem talem ſuſtinebat, vt dies, noctéſque peruigiles duceret. Quod ſi parum obdormiſſet ſe tantum phantaſia, vt obdormiuiſſet pœniteret. Cúmque tot, ac tantis malis preſſus iam deſperaſſet, quinquagenas dragmas militibus diſtribui fecit, famulis quoque, & ſeruis plurima dona largitus eſt. Erat autem amicis luctus, inimicis gaudium. Nam in ipſa mortis anguſtia cōſtitutus duos filios ſuos, quos in cuſtodia tenebat, occidi præcepit, vt qui extraneis homicida fuerat, in propriis fieret parricida. Sciens autem Iudæos de ſua morte gauiſuros, vocauit ſororem ſuam Salomen, & virū ſuum Alexandrum, & ait: Noui Iudæos de mea morte gauiſuros, ſed honorabiles exequias habere potero ex luctu plangentium. Si vos meis parēte volueritis præceptis, mox vt ego ſpiritum exhalauero, omnes Iudæos, quos in cuſtodia poſui interficite, vt qui noluut ex mea morte flere, ſaltem de nece ſuorum parentum flere cogantur. Igitur non valens tantorum tormentorum pœnas ferre, iuſſit balneum ſibi præparari. Quod ingreſſus, iuſſit ſibi propter intolerabilem famem pomū afferri. Quo allato, iuſſit ſibi dari cultrum. Quod acceptum, circunſpectis omnibus, ne quis eum prohibere poſſet ferientis ictum, propria manu vibrauit in pectore. Et ita quidem infœlix miſeram vitam finiuit. Et ſtatim ad iuſſionem eius, omnes proceres Iudæorum interfecti ſunt, iuſto Dei iudicio exigente, vt qui in nece Saluatoris paruulorum conſenſerant, ſimul etiam cum eo terminum vitæ darent. Et ideo ait angelus Ioſeph in Ægypto: *mortui ſunt qui quærebant animam pueri*, oſtendens etiam in necem Saluatoris, vel paruulorum principes Iudæorum conſenſiſſe. Notandum, quia quando admonuit angelus Ioſeph, vt pergeret in Ægyptum, fuge, dicitur, & hoc in nocte, quando verò remigraturus erat, *reuertere*, dicitur, *in terram Iſrael*, nec fuga, nec nox nominatur. Quia pòſtquàm ad optatam patriam ſancti peruenerint, nihil triſte, nihil tenebroſum ſuſtinebunt. Quia verò propter perſecutionem fugit, & rurſus in terram ſuam reuerſus eſt, oſtenditur propter perſecutionem ſanctos à ſuis ſedibus fugandos, & rurſus in ſuis ſedibus reuocandos. Sicut legimus factum de Athanaſio Alexandrino, & Hilario Pictauienſi. *Audiens autem, quòd Archelaus regnaret.* Archelaus iſte, qui poſt Herodem ſucceſſit, frater eſt illius Herodis, qui cum Pilato in paſſione domini amicitias iunxit. Sed poſteà accuſatus à Iudæis, ab Auguſto Cæſare Lugdunum, quæ eſt Galliarum metropolis, exilio damnatus, ibi vitam turpiter finiuit. Et interpretatur vincens leo, & ſignat Antichriſtū, qui vt leo, terribilis apparebit, ita vt in tēplo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. In eam partem qua Archelaus regnabat, Chriſtus venire noluit, quia in illis cordibus Chriſtus habitare contemnit, qui Antichriſtum ſuſcepturi ſunt. Poſt interfectionem Archelai Chriſtus in terram Iſrael reuertitur, quia poſt interfectionem Antichriſti, Synagoga creditura eſt, vt ait apoſtolus: Cùm plenitudo gentium ſubintrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. *Rom.11.* *Et veniens habitauit in ciuitatem ſuam Nazareth.* Si fixum teſtimonium poſuiſſet, magis propheta diceret, quam prophetis. Nazaræus quippe ſanctus interpretatur. Et omnes prophetę ſanctum dominum prædicant. in cuius perſona ait Dauid: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Pſal.15.* Et iterum: Cuſtodi animam meam de morte. *Pſal.85.* Inuenitur autem hoc teſtimonium iuxta ſeptuaginta apud Eſaiam, vbi dicitur: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcēdet. *Eſa.11.* Nazaræus dicitur dominus, eo quòd Nazareth eius ſanctiſſima conceptione conſecrata eſt.

CHRISTIANI DRVTM.

in idem Euangelium.

Q*Vi cum receßiſent, ecce angelus domini apparuit in ſomnis* Ioſeph dicens. Sunt aliqui qui volunt dicere, quod in AEgypto Magi ad eum venerint: propterea quia occiſio infantum ante celebratur, quam epiphaniorum dies, quod nequaquam eſſe poteſt: quia infantes poſt duos natiuitatis Chriſti annos occiſi ſunt. ſed & magi in Bethlehem inuenerunt dominum, vt certi magis fierent per prophetiam Micheæ de Chriſto, & euāgelium aperte dicit, quia cum illi receſſiſſent, angelus domini monuit Ioſeph transferendum puerum in AEgyptum. *Surge & accipe puerum, & matrem eius*; attendendum eſt, quod non dicat iam coniugem tuam, ſed matrem pueri. Puer tribus modis dicitur vno pro ætate & puritate: quia puer à puritate dicitur. Vt Eſaias de domino, puer natus eſt nobis: puer ſolum pro ætate, vt infans ſeptem annorum. Puer pro obſequio & obediētia: vt dominus ad Hieremiam: puer meus es tu, noli timere; & in libro regum pueri Dauid. Ecce fecit dominus, quod ſuis poſtea præcepturus erat; ſi vos, inquit, perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam, daus exemplum, vt qui pondus perſecutionis ſe poſſe perferre deſperant, non peccent, ſi ſecedant in alium locum: tantum caput ſuum, id eſt, Chriſtum in ſua mente cuſtodiant & ea faciant, quę ipſe præcepit: quia in omni loco dominationes eius: & ipſe vbique eſt, & oculi eius ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorū. Aegyptus, ſicut ſcitis, poſt quam Iudæi illic habitauerunt, ſemper fuit domeſtica Iudęis, & ſemper Aegyptij Deum Hebręorum ti-

muerunt: & ipſos Hebræos venerati ſunt. Quapropter vt Ioſephus, & alij referunt auctores, ſub Philadelpho rege, Onias ſacerdos vir bonus & iuſtus expulſus à Iudæa, templum in AEgypto ædificauit, & morem holocauſtorum inſtituit, vt in Iudæa agebatur, ob hāc cauſam plus placuit Deo in AEgyptum ire quam ad alias terras, vbi minus erat religionis: AEgyptus autē à quodam homine AEgypto nomine vocata eſt, regio cæli imbribus inſueta & pluuiis ignara, ſolus Nilus eam irrigat ſua inundatione. Vnde & ferax frugibus aliis etiā mercibus valde repleta. *Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum*: futurum, hoc eſt, venturum, venit à verbo quod eſt ſum; & non habens præſens participium, niſi iſtud ſolum, quod eſt, ſuturus. *ad perdendum eum.* Hoc apparuit in pueris, quos pro illo occidit. *Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius*, quando fugit nox memoratur, quando reuertitur nihil tale memoratur. Refertur in eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij, quod quando Ioſeph ferebat in AEgyptum dominum, tranſierunt per Heliopolim ciuitatem, & erat in plateis eius Therebinthus miræ magnitudinis, in qua habitatores loci illius diuinabant. Cumque Ioſeph cum puero tranſiret, proſtrauit ſe arbor obuiam ei in terram, & iacuit donec pertranſiit: & iterum erecta, ſtetit ſicut ante ſteterat. Et cum peruenisset in AEgyptum, vt compleretur quod propheta dixerat, ecce aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur in AEgyptum: & idola Agypti corruent. Cum tranſiit Ioſeph cum puero ante templum, corruerunt omnia idola in terram: vt oſtenderetur quia iſdem erat Deus, ante cuius arcam Dagon pronus & abſciſis manibus & pedibus iacuerat. *Vſque ad obitum Herodis*, ſcilicet vſque ad tres annos. Et hoc eſt tempus ablactationis: quo antiqui filios ſuos ablactabant: & inde ſeparationis faciebant conuiuium, ſicut fecit Abraham de Iſaac filio ſuo. Et quanto longiori tempore ablactatus infans vel pecus lacte matris fuerit, tanto melius creſcit. *vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam.* videlicet Micheam, etiam & hoc Balaam dicit. *ex AEgypto vocaui filium meum.* vno modo intelligitur, de Iſrael carnali: qui vocatus eſt per Moyſen ex AEgypto: verius autem de domino, qui eſt naturalis filius. *Tunc Herodes videns quomodo illuſus eſſet à magis*, hoc eſt expectato vno anno, illuſus eſt. Deluſus, eſt in eo quod dixerant ſe reuertendos & non ſunt reuerſi. *Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus eius finibus.* In omnibus finibus, id eſt in villis, quæ ad eius comitatum pertinebant. ſicut tradūt, expectauit vt venirent ad ſolemnitatem, quam illo tempore celebrabant: & tunc cum ibi fuerūt, præcepit militibus vt occiderent eos. *A bimatu & infra.* Matus annus dicitur, bi, id eſt bis, à præpoſito, id eſt à duobus annis. *Et infra*, hoc eſt quo minus habuerunt vel vnum annum, vel dimidiū, vel vnam noctem. *Secundum tempus, quod exquiſierat à magis.* Quomodo (vt diximus) vnum annum accepit de magorum dictu: quaſi annus quando veniſſent iam eſſet, aliū expectauit, pro reuerſione eorum. *Vox in Rama audita eſt.* Rama non putemus nomē loci eſſe, ſed Rama excelſum interpretatur, quaſi dixiſſet, vox longe lateque audita eſt. Nā Rama quod in regū lib. legimus, iuxta Gabaa eſt. Rachael plorans filios ſuos. Quomodo Rachael dicitur ploraſſe illos, qui non fuerunt de ſua progenie ſed de alia? Sed ſciendum quod Rachael ſepulta eſt in Bethlehem & hoc prophetico more agi dicitur: ſiue per metonymiam ſpeciem, per id quod continet oſtendens, ſeu etiam quia Beniamin tribus iuncta erat tribui Iudę: & cum his fuerunt de Bethlehem, occiſi etiam: propterea dicitur Rachael ploraſſe filios ſuos. *Et noluit conſolari, quia non ſunt.* ſubauditur vltra reuocandi in mundum, qui bono exitu habent finitum mundum, ſeu alio modo noluit conſolationem recipere: quia putabat eos perditos fore.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

D*Igreſſis autem illis, &c.* Vidiſti quam ob cauſam permiſerit Deus deſponſari virginem? Hic enim apparet, quòd à Deo factum, vt diligentem eius curam Ioſeph gereret. Non dixit autem, accipe vxorem tuam, ſed, *matrem eius.* Nam, quoniam ſuſpicio ſoluta fuit, & iuſtus per miracula in partu, probauit ex ſpiritu eſſe omnia, non vltra vxorem eius illam nominat. *Et fuge in AEgyptum.* Fugit & dominus, vt credatur, quòd reuera homo ſit. Nam, ſi in manus incidiſſet Herodis, & non fuiſſet occiſus, opinati fuiſſent incarnatum eum apparenter. In AEgyptum autem fugit, vt & illam ſanctificet. Duæ enim ſunt regiones omnis nequitiæ officinæ, Babylon videlicet, & AEgyptus. Babylonem per magos ſuſcepit adorātem: AEgyptum autem ſua præſentia ſanctificauit. *Et eſto illic.* Eſto pro eris illic, donec à Deo iuſſus fueris. Oportet enim nos nihil facere præter diuinam voluntatem. *Vt perderet illum.* Vide incogitantiam hominis, qui laborat, vt diuinam vincat voluntatem. Nam, ſi quidem non eſt ex Deo, quid times? ſin ex Deo eſt, quomodo perdes puerum? *Ex AEgypto vocaui filium meum.* Dicunt Iudæi, quòd propter populum dictum ſit hoc, qui ex AEgypto per Moyſen eductus ſit. Dicimus itaque, & quid nouum, quod per figuram dictum eſt de populo, impletum autem vere in Chriſto? Deinde quis eſt filius Dei? populus ne, qui adorauit idolum Beelphegor, & ſculptilia, an qui re vera eſt filius Dei? *Tum Herodes vbi vidit ſibi illuſum fuiſſe à Magis.* Sicut Deus illuſit Pharaoni per Moyſen, ſic Herodi per Magos: Exod. 1.
quoniam & Herodes, & Pharao puericidæ erant. Pharao maſculos Hebręorum pueros in AEgypto occidit, Herodes autem in Bethlehem. *Interficit omnes pueros, &c.* Oſtendit iram contra Magos, qui in nullo offenderant. Quare autem permiſſi ſunt pueri occidi? Vt oſtēdat Herodes ſuam malitiam. Sed forte dices mihi, Et quid hoc? Nunquid, vt oſtendatur quod non iniuria affecti ſunt, ſed coronas meruerunt. Omnis enim, qui malum aliquid patitur, vel patitur vt peccata diſſoluat, vel vt coronæ augeantur, ſicut & illi pueri magis coronati ſunt. *Tunc impletum, &c.* Ve ne quis putet, quòd inuito Deo, facta ſit puerorum interemptio, oſtendit quòd præuiderit, & prædixerit. *Vox enim*, inquit, *in Rhama audita eſt.* Rhama locus fuit Palæſtinæ excelſus. nomen enim hoc excelſum ſignificat: fuitque in ſorte tribus Beniamin, qui fuit filius Rachel. Rachel autem ſepulta fuit in Bethlehem. Dicit igitur propheta Bethlehem Rachel, eo quod in illa ſepulta fuit Rachel. fletum autem, & ploratum auditum fuiſſe in excelſo. Audi igitur prophetam, *Lamentatio, & ploratus, &*

tus, & fletus multus. Rachel plorans filios ſuos. Hoc eſt Bethlehem. *Eo quòd non ſunt.* In hac vita non ſunt: quia animæ ſunt immortales.

INCERTI SVB NOMINE *Euſeby Emiſeni eiuſdem Euangel. expoſitio.*

VEnerant illis diebus Magi ad Dominnm, & (ſicut Euangeliſta refert) munera ei obtulerunt: & admoniti ab angelo in ſumnis, ne redirent ad Herodem, per aliã viam reuerſi ſunt in regionẽ ſuam. Qui quum receſſiſsẽt, ecce *angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicẽs: Surge, & accipe puerum, & matrẽ eius, & fuge in AEgyptum.* Dubitari quidem poteſt, quomodo completis diebus purificationis, in Ieruſalem Chriſtus in templo offerri potuit, ſi ſtatim vt Magi receſſerunt, in AEgyptum fugiens abiit? Aut fortaſſe tandiu Magi in Bethlehem morati ſunt, donec ſimul cum puero, & matre eius Ioſeph de Ieruſalem poſt purificationem reuerteretur. Sed melius mihi videtur eſſe, vt ſic dicatur. Qui cum receſſiſſet, aliquanto poſt tempore euoluto, & omnibus quæ ſecundum legem debebantur expletis, *ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicẽs: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum.* Adhuc omnia quieta erãt: adhuc Herodes Magos expectans, nondum ſui cordis malitiam reuelabat. Vnde & ſecurè vadunt in Hieruſalem, vt legis mandata perficiant. Inde verò in AEgyptum fugere iubentur, vbi Abrahã, & Iacob, & filij Iſraël peregrinati ſunt. Hoc enim Propheta prædixerat, dicens: Ecce dominus aſcẽdet ſuper nubem leuem, & ingredietur AEgyptũ, & corruent omnia ſimulacra eius. Nubes enim leuis, & nullius corruptionis pondere grauis, eſt virgo Maria, quæ in AEgyptum Chriſtum portauit, vt lux in tenebris luceret, & populus, qui ſedebat in tenebris, lucem magnam videret. Sunt autem qui etiam ad literam intelligere velint, vt Chriſto domino AEgyptum ingreſſo, mox omnia phana, & ſimulachra omnia corruiſſent. Hanc autem Chriſti perſequutionem & Moyſes in ſeipſo ſignificauerat. Multa enim ſunt, in quibus Moyſes Chriſtum ſignificat. Sicut enim Moyſes à Pharaone, ita & Chriſtus ab Herode perſequutionem paſſus: & ſicut infantes propter Chriſtum in Iudæa occiſi ſunt, ita & in AEgypto propter Moyſem in flumine necati ſunt. Narrat autem Ioſephus quendam ſacerdotem, & magum Aegyptiorum prophetaſſe, quòd de Hebræorum gente talis homo naſciturus eſſet, qui totam terram illam perdere debuiſſet. Vnde & Pharaoni conſilium dedit, vt omnes Hebræorum infantes interficeret. Præcepit igitur Pharao, vt Hebræorum maſculos interficerent, & fœminas reſeruarent. Hoc autem ideo faciebat, vt ille vnus, qui quærebatur, vel ſic inter alios occidi potuiſſet. Eadem autem intentio fuit & Herodis, qui quoniã Chriſtum inuenire non poterat, tot milia puerorum interfici iuſſit. Illis autem diebus natus eſt Moyſes, de quo longa hiſtoria ſcribitur, quomodo à parentibus occultatus, quomodo in flumen miſſus, quomodo à filia Pharaonis de aqua ſuſceptus, & in filium adoptatus fuerit, quomodo etiã puella de manibus illius impij ſacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberauit, quando (vt prædictus hiſtoriographus narrat) de capite Pharaonis ludens infantia coronam eiecit. Hæc autem Moyſes ideo fortaſſe prætermiſit, ne ſuum præconium ſcribere videretur. Veruntamen poſtea in Pharaone & in exercitu eius completum vidit, quod tunc in illis quæ infans & inſcius agebat, & ſignificabatur. Sequitur: *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & receſsit in AEgyptum. Et erat ibi vſque ad obitum Herodis.* Ecce fugit Chriſtus, & in nocte fugit, vt fuga, quæ per ſe difficilis eſt, noctis obſcuritate difficilior fiat. Si ergo fugit Herodem, quanto magis nos diabolum, & membra eius fugere oportet? Nulla itineris difficultate terreamur: quia melius eſt duro labore fatigari, quàm ab hoſtibus necari. Arcta enim, & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam. Veruntamen nec ſemper eſt fugiendum, nec ſemper eſt reſiſtendum, ſed pro temporis, & negotij qualitate & hoc, & illud fieri oportet. Nam & ſancti aliquando fugiebant, aliquando hoſtibus ſponte occurrebant. Ipſe quoque ſaluator noſter, qui nos de ciuitate in ciuitatem fugere præcepit, cùm & ipſe ſi vellet, fugere potuiſſet, ſponte ſua tempore paſſionis hoſtibus occurrit. Non igitur timore mortis, ſi iuſtum & vtile fore putamus, ſed timore peccandi, & viſibiles hoſtes, & inuiſibiles fugere debemus. Quare autem Chriſtus in Ægyptum fugerit, Euangeliſta ſubinferens, ait, *Vt adimpleretur, quod dictum eſt à domino per Prophetam dicentem, Ex Aegypto vocaui filium meum.* Si enim in Ægyptum nõ fugiſſet, ex Aegypto vocari non potuiſſet. Sic enim impleta eſt prophetia, & vtilitas prophetiæ. *Tunc Herodes videns quòd illuſus eſſet à magis, iratus eſt valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà.* Fecit hoc *ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis.* Quoniam enim Herodes prophetarum oraculo in Bethlehem naſciturum Chriſtum audierat, ideo omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, occidit, vt quia vnum inuenire non poterat, vnum ſimul cum cæteris interficeret. Sed quare, *à bimatu, & infrà*? Quia ſecundum Magorum reſponſionem Chriſtum huius ætatis eſſe ſciebat. Præoccupatus enim aliis negotiis, cum iam penè duo anni tranſiſſent, & Magi ad eum non reuerterentur, ſe illuſum eſſe intelligens, valde iratus omnes hos pueros occidere iuſſit. *Tũc impletum eſt, quod dictum eſt per prophetam Ieremiam dicentem, Vox in Rama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia nõ ſunt.* Rama enim interpretatur excelſa. Illic igitur vox in Rama auditur, quæ multum exaltata præ ſuæ magnitudine longe, latéque diffunditur. Multus enim ploratus, multúſque vlulatus ibi erat, vbi tot matres, tot parentes, tot homines vtriuſque ſexus, viſa tanta crudelitate, etiam ſi vellent, voces cohibere non poterant. Quare autem Rachel filios ſuos plorare dicitur, quum vtique non filij Rachel, quantum ad literam, ſed filij Lyæ ſororis eius omnes iſti fuerint? Iudas enim nõ Rachel, ſed Lyæ filius fuit, in cuius tribu hæc cædes tam immenſa facta eſt. Sed quia Rachel interpretatur ouis, & ſignificat ſanctam Eccleſiam, quæ ouinam ſimplicitatem imitatur, non immeritò filij Rachel eſſe dicuntur, qui quaſi agni innocentes, & ſine voce iugulantur. Denique cuius filij ſunt agni? nonne ouis? Sunt igitur filij Rachel, ſiquidem illa eſt ouis, & iſti agni. Plorat autem Ra-

chel,id eſt,ſancta Eccleſia, vſque hodie filios ſuos: quia quamuis ad requiem eos ire intelligat, dolet tamen quia corporaliter ab ea ſeparantur. Sic antem dolebant & illi quibus dominus ait, Et vos nunc quidem triſtitiam habens,iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Et quamuis multo melius quàm fuerant, ſiot, ſiquidem iam nunc cum Deo ſunt,ad tempus tamen conſolationem non recipit, quoniam in hac vita non ſunt. Supplendæ ſunt enim ſcripturæ,vbi ad intelligentiam aliquid deeſt. Quis enim intelligat, *Noluit conſolari,quia non ſunt*, niſi aliquid addatur? Tale quid & ibi inuenies,vbi de domino dicitur,quòd vidẽs ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens, quia ſi cognouiſſes & tu. Quis enim intelligere valeat quid ſignificet,& tu,niſi aliquid additum fuerit? Poteſt autem & ſic intelligi quod dicitur. *Rachel plorans filios ſuos,noluit conſolari,quia non ſunt.* Sancta nanque mater eccleſia,quamuis multum de filiorum ſuorum nece,duriſque cruciatibus lugeat, conſolationem tamen non recepit,quia non ſunt in tali euentu dandæ, vel ſuſcipiendæ conſolationes. Vbi enim lætitia vincit lachrymas, gaudium mœrorem, & gloria paſſionem, ibi conſolatio neceſſaria non eſt. Magis enim lætandum eſt de illa vita, quàm de iſta ſit dolendum, quam amiſerunt. Quid enim hæc vita, ad comparationem illius vitæ? Vnde & dominus ait, Qui amat animam ſuã, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me,inueniet eam. Denique cur aliunde quærat conſolationes ille, qui plenus eſt conſolationibus? Illis enim conſolatio neceſſaria eſt, qui illos lugent, de quibus bonam ſpem habere non poſſunt.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

ECce *angelus domini apparet in ſomnis, &c.* Completis quadraginta diebus purificationis, ſicut dicit Lucas, adduxerunt Ieſum Hieroſolymam, vt ſiſterent illum domino, ſicut ſcriptum eſt in lege domini: Et vt perfecerunt omnia,quæ ſecundum legem domini erant, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Et exinde angelus apparet Ioſeph in ſomnis, iubens eos in Ægyptum fugere. Quæ ergo Matthæus breuitatis amator prætermiſit,hęc Lucas tanquam diligens conſcripſit. Quare autem non manſit Chriſtus Nazareth, ſic,vt occidi non poſſet? quia, ſi hoc factum eſſet, aliqui affirmaſſent, humanitatẽ inanẽ phantaſiam tantum aſſumptam fuiſſe, humanis videlicet non ſubiectam affectibus. Atqui eos tantum pueros occidit Herodes, qui in Bethlehem, & in finibus eius erant, non qui in Nazareth. Sed præuiderat Deus ſi in Nazareth, manſiſſet, indicandum Herodi: ideo etiam ab ipſa fugere iuſſit. In Ægyptum autem mittitur: ſimul quidem propter cauſam quam dixit Euangeliſta, vt compleretur videlicet, quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem; Ex Ægypto vocaui filium meũ. Simul etiam, quia Babylonia & Ægyptus maximæ erant officinæ ad flammam omnis vitij,quod per orbem ſparſum erat. Ab illa ergo Magos attraxit: in hanc autem intrauit: vtramq; volens ad rectam viam reduci. Hinc quoque docet nos, quod & fidelem ſtatim à primordiis tentationes expectare oporteat. Vide enim quomodo ipſe ſtatim à cunis appetitur inſidiis, abitque in exilium: ſugit quoque mater, ac Ioſeph. Sed & Magi in modum fugientium clam diſceſſerunt: omnéſque iuſti innumeras ſuſtinuerunt tentationes: vt,ſi quando rei ſpirituali operam dederis, atque in tentationes incideris, habeas exemplum: & ne moleſte feras, ſed agnoſcas, quod tentationes in ſortem bonis operibus datæ ſunt: diabolo quidem in obſtaculum adducente, Deo verò ad probationem eorum,qui illum diligunt,ordinante. Vide autem rei nouitatem. Siquidem Palæſtina inſidiatur: Ægyptus verò ſeruat fugientem,vt diſcas Deum læta triſtibus coniunxiſſe: nam ab vtriſque ſanctorum vita probatur, quod ſanè & hic factum eſt. Primum ſuſpicio habita eſt de Virgine: deinde ex partu gaudiũ. Rurſum fuga in Ægyptum, poſtea autem illinc reuocatio. Iterum metus propter Archelaum: deinde requies in Nazaret. Necdum enim edendi miracula tempus erat. Nam,ſi à prima ſtatim ætate ſtupenda demonſtraſſet, nequaquam homo creditus eſſet,vt prædiximus. In hũc enim finem nouem menſibus vtero geſtatus, natus, ac lacte nutritus eſt, cæteráque ſuo facta ſunt ordine: vt per hæc omnia,facile eius incarnatio ſuſciperetur. Angelus autem deinceps virginem nõ nominat vxorem Ioſeph, ſed pueri matrẽ; iam enim ſoluta erat ſuſpitio, & Ioſeph certior effectus diuinum eſſe partum. Dicens autem; *Fuge in Aegyptum*, non promiſit comitem ſe fore itineris: inſinuans, quòd magnum haberent viæ comitem, puta puerum. Hæc præterea eius in Ægyptũ relegatio,magnam dedit Ægyptiis occaſionem familiaritatis. Poſtea enim omnes hi, ſuſcepta euangelij prædicatione, plurimum gloriabantur, animóque geſtiebant,eo quòd fugientem dominum ſuſcepiſſent. *Et eſto ibi vſque dum dicam tibi. Eſto*, hoc eſt, habita, conuerſare. Hæc autem audiens Ioſeph, non paſſus eſt offendiculum. Nam intellexit, quòd, quum angeli miniſtri eſſent ad ea, quæ circa puerum agebãtur, omnia adminiſtratoriè fiebant: nec in his curioſum eſſe oportebat: ſed facile ad omnia, quæ dominus iuſſiſſet, obedire. † *Ex Aegypto vocaui filium meum.* † Dictum illud; *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Iudæi de ſua ipſorum reuocatione dictum aſſerũt. Quibus nos dicimus, hanc quoq; prophetiæ normam eſſe, vt multa frequenter de aliis dicantur,& in aliis compleantur. Quemadmodum de Simeone, & Leui; diuidam eos in Iaacob, & diſpergam eos in Iſrael: ſiquidem id poſteris eorum accidit. Similiter & illud dictum ad Iaacob; Eſto dominus fratrum tuorum, & adorent te filij patris tui: non eſt in eo completum: maxime,quum ipſe timeret, ac tremeret,totieſque ante fratrem ſuum Eſau genua flecteret: ſed in poſteris eius completum eſt. Sic ergo & hic dicimus. Vter enim verius dici poteſt Dei filius, is ne, qui vitulum adorauit, & initiatus eſt Beelphegor, filióſque ſuos, ac filias dæmoniis ſacrificauit; an qui natura filius eſt, æqualis in honore cum eo,qui genuit?

Luc. 2. — Oſee 11. — Gene. 49. — Gene. 28. — Gene. 34. — Pſal. 105.

† *Hoc de ipſo quidem Iſrael dicitur, vt aſſerit Nyſſenus: verum in multis exemplaribus non habetur, poſt publicatum videlicet euangelium, à Iudæis reiectum.* †

Tunc Herodes, vbi vidit, quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde. Tunc, quando? Poſtquam videlicet, qui Ieſu curam habebant, in Ægyptum fugerunt. Vſque ad id enim temporis circa curas alias occupatus fuit Herodes: vxore propria, ac filiis molientibus

bus contra eum inſidias: ſicque Magorum oblitus erat. Id autem diuina prouidentia factum eſt, vt in Ægypto puer ſeruaretur. Magi itaque angelo obedientes, reuerſi ſunt: ſed hic illuſiſſe ſibi credidit, quia non indicauerant, ſicut promiſerant. Oportuit autem non iraſci, ſed timere, & cogitare, quòd fruſtra diligentiam adhiberet. Etenim prius quoque audierat, à Magis quidem, quòd ſtella natum eum ſignificaſſet; à pontificibus autem, & ſcribis, quòd prophetæ de illo prædixerant. Ipſe tamen maxime inſaniebat, vt tandem eius oſtenderetur malitia, ac dementia. *A bimatu, & infrà, &c.* Hinc auſi ſunt quidam dicere, Chriſtum fuiſſe duorum annorum, quando à Magis adoratus eſt: & ſtellam tempore natiuitatis eius apparuiſſe: duóſque annos in itinere Magorum conſumptos eſſe. Chryſoſtomus verò ſilentium imponit hæc aſtruentibus. Quomodo enim veriſimile eſſet, ad duorum tempus annorum illos iter feciſſe, etiam ſi per gentes, locáque extranea veniſſent? Qua etiam cauſa, qui Chriſti curam habebant, duobus annis in Bethlehem permanſiſſent poſt cenſum, cuius gratia eò venerant? Sed dicit, tanto tempore ſtellam antea apparuiſſe, quanto poſſent illi gradientes peruenire: ſtatimque, nato Chriſto, adſuiſſe. Propter hoc enim ſtella tempus anticipauit, vt peruenientes, in faſciis eum inuenirent: Nam hęc res erat plena myſterij. Iocetrum igitur venerint ne hi ante paſtores, an paſtores ante ipſos: verum nis enim dixeris, ſecurè dicere poteris. Quòd ſi à bimatu, & infra iuſſit Herodes pueros interimi, ne mireris: ſuſpicabatur enim non ſtatim apparuiſſe Magis ſtellam, ſed fortaſſis puerum ante eius apparitionem natum fuiſſe. Ideo ſecuritatis cauſa tempus anticipauit, & vſque ad fines Bethlehem cædem extendit, vt vndique, quod venabatur, concluderet, & vnà cum interfectorum multitudine, etiam Chriſtum interficeret. Eos ergo, qui bimuli erant, occidit, vt tempus ampliationem haberet, ſicut prædiximus: illos verò, qui minoris erant ætatis ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis. Itaque & tempus, quod à Magis didicit, obſeruauit: & latitudinem alteram ipſe adiecit. Reſtat igitur vt verba illa; *Secundum tempus, quod exquiſierat à Magis:* non in eo quod dicitur, *A bimatu,* intelligas: ſed in eo quod additur, *& infrà.* Oportet enim poſt id, quod dicitur, *à bimatu,* diſtinctionem ponere: deinde totum quod ſequitur, ſimul legere. Si enim, ſicut dicunt, duorum annorum tempus expletum eſſe didiciſſet, nequaquam eos perdidiſſet, qui minoris erant ætatis. Dubitant autem quidam, quam ob cauſam, quum Chriſtus, fugam arripuiſſet, curam non habuit puerorum, qui pro ipſo iugulati ſunt. Quibus nos dicimus multos iniuſte agere: nullum autem iniuſtè pati. Omnis enim, qui iniuſtè pati videtur, aut patitur, vt propria diluat delicta: & ita malum quidem ſuſtinet, verum non iniuſtè, quin potius beneficio afficitur, aut vt coronæ occaſionem habeat: & ita quoque beneficium, propter tempeſtiuam mali tolerãtiam, ob quam perpetuam referet requiem. Itaque, qui alteri irrogat iniuriam, facit quidem iniuriam; qui verò malum ſuſtinet, nequaquam iniuria afficitur. Quia ergo hi pueri non propter ablutionem propriorum delictorum interempti ſunt, manifeſtum eſt paſſus eſſe, vt occaſionem, qua coronarentur, haberent, nec paſſos eſſe iniuriam. Fortaſſis autem & hi pueri, probi futuri non erant. Si enim eos, qui peccant, Deus in vita ſuſtinet, ipſorum expectans conuerſionem: multò magis credẽdus eſt eos, qui virtute magni futuri ſunt, nequaquam vita priuare. Neque multò poſt, puerorum interfector Herodes pœnas dedit violentæ cædis, acerba morte vitam ſoluens, prout ſcribit Ioſephus. *Tunc completum eſt, quod dictum eſt ab Ieremia propheta, &c.* Quando dicit, *Tunc completum eſt, quod dictum eſt,* ſignificat hoc, prouidente Deo factum eſſe, ac per prophetam prædicente, & ita fieri permittente, ſecundum ſuam gubernationem. Rhama nomẽ erat loci in Bethlehem. Nominauit autem Bethlehem Rachel, propter Rachel vxorem Iacob, quæ in Bethlehẽ ſepulta eſt. Poſtquam autem dixit; *Vox in Rhama audita eſt,* ſubdens declarat, quæ vox fuerit: quia *lamentatio, ploratus, & fletus multus,* propter crudeliſſimam puerorum extinctionem. Et noluit Bethlehem conſolationem admittere, quia pueri ſui *non ſunt,* hoc eſt, nõ viuũt. Hinc autem calamitatis aperuit magnitudinem.

Sed ex traditione habetur, Magos tertiodecimo die à Chriſto nato, adfuiſſe.

IN

IN FESTO S. THOMÆ
EPISC. ET MART.

Vide Euang. infra Dom. II. poſt Paſcha.

DOMINICA INTRA
OCT. NATITIVIT.

LVC. 2.

a Qui ad conſeruandam famam Mariæ pater eſt ab hominibus deputatus, & quia erat nutritius.
IN illo tempore erant [a] Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper
b Ab angelis, à paſtoribus, à Symeone. c Ioſeph & Mariæ.
his quæ [b] dicebantur de illo. Et benedixit [c] illis Symeon,& dixit ad
d Quia lapis offenſionis. e Non credentium. f Quia lumen: quia gloria. ¶ Credentium.
Mariam matrem eius: Ecce [d] poſitus eſt hic [e] in ruinam, & in [f] re-
g Id eſt, Euangelium in quo dicitur: Veni hominem ſeparare aduerſus matrem, & reliqua.
ſurrectionem multorum in Iſrael, & in [g] ſignum cui contradicetur. Et tuam
h Vt malæ cogitationes, quæ ipſius prius occultabantur, proferantur in publicum, & deſtruantur à Deo: quandiu enim occultantur non poſſunt ſanari.
ipſius animam pertranſibit gladius, vt [h] reuelentur ex multis cordibus cogita-
i Anna (quæ gratia Dei) figura eſt Eccleſiæ. ¶ Gratia eius. k Perſona Dei. l Aula Dei. m Prouectæ ætatis erat.
tiones. Et erat [i] Anna propheteſſa filia [k] Phanuel de tribu [l] Aſer. Hæc [m] pro-
n Similiter ſynagoga cum heptatico ante octauam diem noui teſtamenti, à virginitate, id eſt, à lege naturæ. o A tempore amiſſæ virginitatis.
ceſſerat in diebus multis: & vixerat cum viro ſuo annis [n] ſeptem [o] à virginitate
p Erat. q Hoc exemplum viduis proponitur quæ ſunt in Eccleſia.
ſua. Et hæc [p] vidua vſque ad annos octuaginta quatuor, quæ nõ [q] diſcedebat de
r Alias orationibus. s Qua Symeon accepit.
templo: ieiuniis, & [r] obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc [s] ipſa hora
t Laudabat.
ſuperueniens [t] confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expe-
ctabant redemptionem Iſrael. Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Do-
v Aetate. x Corpore.
mini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth. [v] Puer autem [x] cre-
y Spiritu. z Secundum quod homo.
ſcebat, & [y] confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat [z] in illo.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

SYMEON, Qui interpretatur, audiens triſtitiam, figura eſt Prophetarum, qui vindictam ſibi à Deo dictam ſuper populum audiebant. Anna, quæ gratia dicitur, figura eſt Eccleſiæ. *Ecce poſitus eſt hic, &c.* In ruinam illorum qui ſteterant, & reſurrectionem illorum qui ceciderant. Vel in ruinam vitiorum, & in reſurrectionem virtutum. Non in ſe tantum, ſed in ſuis quoque prædicatoribus poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem, vnde Apoſtolus: Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Bono enim odore, alij ſaluantur, alij pereunt. *In ſignum cui contra.* Omnia quæ de Chriſto narrantur, ſignum ſunt: quòd natus de virgine, quod reſurrexit, quòd clauſis ianuis intrat, cui ſigno contradicitur ab infidelibus. Spiritualiter ſignum eſt in fide dominicæ crucis, quod vbique contradicitur. *Gladius.* Bc. Dolor dominicæ paſſionis: quia non potuit videre crucifigi affectu materni doloris: etſi ſperaret reſurrecturum, & mortem deuicturum. Vſque ad finem ſeculi animam Eccleſiæ gladius tribulationis pertranſit, cum ſigno fidei ab improbis contradicitur, cum multos ruere videt, cum reuelatis cordium cogitationibus, vbi bonum ſemen ſeminauerat, zizania germinare conſpicit. *Vt reuelentur.* Ante erat incertum, qui Iudæorum Chriſti gratiam reciperent, qui conſpuerent. Sed audita natiuitate

natiuitate reuelantur cogitationes. & Herodes & alij turbantur, quidam ad Chriſti magiſterium accedunt. *Et erat Anna &c.* Quia per virum & mulierem vita totius mundi perdidita eſt, in teſtimonio vitæ per Chriſtum redeuntis Anna coniungitur Symeoni. Conuenit myſteriis eccleſiæ, quòd Anna gratia interpretatur, quæ eſt filia Phanuel, qui facies Dei dicitur: vnde ſupra. Signatum eſt (Pſalm. 4. b) ſuper nos lumen vultus tui domine. De tribu Aſer, id eſt, beati deſcendit, qui inter duodecim patriarchas ordine naſcendi octauus eſt propter myſterium reſurrectionis. Quinque ſunt Annæ. Prima mater Samuel, ſecunda vxor Raguel, tertia mater Tobiæ, quarta filia Phanuel, quinta mater Mariæ. *Proceſſerat in diebus multis:* Beda. Iuxta hiſtoriam Anna, & deuotæ conuerſationis, & venerandæ ætatis digna deſcribitur, quę domino teſtimonium perhibeat: Significat autem eccleſiam, quæ in præſenti quaſi ſponſi, dominique ſui morte eſt viduata. Septies 12. octoginta quatuor faciunt. Septem ad curſum huius temporis, duodecim ad perfectionem apoſtolicæ doctrinæ pertinent. Quiſquis ergo totum vitæ tempus apoſtolicis mancipat inſtitutis, quaſi octoginta quatuor annis cæleſtis limina tēpli ſeruare, & domini præſtolari aduentum laudatur, dum à domino peregrinatur. Septem anni quibus cum viro vixit, ſignificant perfectionem illius temporis, quo à domino cōuerſante in carne edocentur: qui anni poſtea per duodecim multiplicantur propter apoſtolicā doctrinā. *Quæ non diſce, &c.* Quia circa templum frequens erat: Eam non diſcedere dicit, non quòd ad horam non diſceſſerit. Sic ſancta eccleſia & in proſperis, & in aduerſis Deo ſeruiens à cælo non recedit. Vel moraliter, Anima à templo non recedit, cum ſemper ſtudet, & caſtum & immaculatum cuſtodire templum corporis ſui. Hinc præcipitur ſacerdotibus veteris teſtamenti, vt tempore miniſtrationis iugiter maneant in ſanctis, quatenus anima quæ Deo miniſtrare cupit, non quieſcat à bonis operibus ſuis. *Et hæc ipſa &c.* Prophetauerat Symeon, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo, prophetauerat & vidua, ne qua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus: & ideo talis Anna inducitur, & ſtipendiis viduitatis & moribus, quę digna ſit renūciare redemptorem omnium veniſſe. Congruus ordo, non venit ante virum mulier, cuius verba non ſunt digeſta, ſed generaliter dictum, quòd confeſſa ſit domino, & loquuta de eo, quæ longa caſtitate, longiſque ieiuniis ad hoc culmen peruenerat, vt ſpiritum prophetiæ acciperet: ſed autoritatem docendi mulier non accepit. *Omnibus qui, &c.* Omnibus fidelibus qui iugo Herodis alienigenæ grauati, liberationē, ciuitatis & populi expectabant, promittebat per aduentum Chriſti in proximo redemptionem à tyrannide alieni. *Reuerſi ſunt in Galilaeam in ciuitatem ſuam.* (Matth. 2. c) Prætermittit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo plenius poſita ſunt, ſcilicet puerum ob metum Herodis, delatum eſſe in Aegyptum: & mortuo Herode inde relatum, & habitaſſe in Nazareth. Solent enim ſinguli euangeliſtæ, ſic quædam omittere quæ ab aliis cōmemorata viderint, vel ab aliis commemoranda ſpiritu præuiderint, vt continuata ſuæ narrationis ſerie, quaſi nulla prætermiſiſſe videantur. *Puer autem. Be.* In eo quòd puer erat, id eſt, homo fragilis, poterat creſcere & confortari. Non in eo quòd verbum ſecundum, quod plenus ſapientia & gratia perhibetur. Sapientia, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. (Col. 2. b) Gratia, quia eidem homini Chriſto magna gratia donata eſt, vt ex quo homo fieri cœpiſſet, perfectus eſſet vt Deus.

CATENA AVREA IN *idem Euangel.*

E*Trant pater eius & mater eius mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, &c.* Græ. Tranſcendentium rerum notitia, quoties in memoriam venerit, toties renouat in mente miraculum, vnde dicitur, *Et erāt pa. eius & ma. &c.* Orig. Tam ab angelo quàm à multitudinē cæleſtis exercitus, necnō & à paſtoribus & ipſo Simeone. Bed. Patrem ſaluatoris appellat: non quòd verè pater fuerit ei, ſed quo ad famam Mariæ conſeruandam pater ſit ab omnibus æſtimatus. Aug. Quanuis & eo modo pater illius valeat dici quo & vir Mariæ: rectè intelligitur ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij multò videlicet cōiunctius, quàm ſi eſſet aliunde adoptatus. neque enim propterea non erat appellandus Ioſeph pater Chriſti, quia non eum concūbendo genuerat, quādoquidem pater eſſet & ei, quem non ex ſua coniuge procreatum aliunde adoptaſſet. Orig. Qui autem altius aliquid inquirit, poteſt dicere quoniā generationis ordo à Dauid vſque ad Ioſeph deducitur, ne videretur fruſtra Ioſeph nominari, quia pater non fuerat ſaluatoris. vt generationis ordo haberet locum, pater domini appellatus eſt. Greg. Laudibus autem diuinis exhibitis, vertit ſe Simeon ad benedictionem adducentium puerum. vnde ſequitur, *Et bene. il. Simeon.* Benedictione igitur vtrunq; donat. occultorum verò præſagia dirigit tantum ad matrem, quatenus per communem benedictionem non priuetur Ioſeph ſimilitudine patris: per ea verò quæ dicit matri ſeorſum à Ioſeph, veram eam prædicit genitricem. vnde ſequitur, *Et di. ad Mar. ma. &c.* Amb. Vide vberem in omnes gratiam domini in generatione diffuſam: & prophetiam incredulis negatam eſſe, non iuſtis. Ecce & Simeon prophetizat, in ruinam & reſurrectionem multorū veniſſe Chriſtum Ieſum. Orig. Qui ſimpliciter exponit, poteſt dicere in ruinam eum veniſſe infidelium, & in reſurrectionem credētium. Chry. Sicut enim lux, etſi oculos debiles turbet, lux eſt: hoc modo Saluator perſeuerat, etſi corruant plurimi. neque enim eſt eius officium deſtructio, ſed eorum veſaniæ: quamobrem non ſolum ex ſalute bonorum, ſed etiam ex malorum diſſipatione virtus eius oſtenditur. Nam ſol, quoniam multum radiat, propterea viſus debiles pręcipuè perturbat. Greg. Niſ. Attende autem diſtinctionis exquiſitam prolationē: præparatio quippe ſalutis dicitur coram omni populo, ſed caſus & ſubleuatio plurium. Diuinum enim propoſitum eſt ſalus, & non deificatio ſingulorum, caſus autem & ſubleuatio conſiſtit in plurium intentione credentium & non credentium. Quòd autem iacentes & increduli ſubleuentur, non eſt abſurdum. Orig. Qui autem curioſus interpres eſt, dicit, nequaquam eum cadere qui ante non ſteterit. Da mihi igitur quis fuerit ille qui ſtetit, in cuius ruinam Saluator aduenerit. Gre. Niſ. Sed per hoc deſignat ruinam ad infima, quaſi non puniendus

æqualiter

æqualiter ante incarnationis myſterium, & poſt datam diſpenſationem & prædicationem. Et maximè hi ſunt ex Iſrael, quos neceſſe erat & priſtinis bonis carere, & pœnas luere graviores, quàm omnes aliæ gentes, eo quòd dudum prophetatum in eis & adoratum, & ex eis productum minimè ſuſceperũt. Idcirco ſpecialiter eis minatur ruinam non ſolum à ſpirituali ſalute, ſed etiam propter deſtructionem vrbis & habitantium ciuitatem. Reſurrectio verò promittitur credentibus: partim quidem velut ſub lege iacentibus & ab eius ſeruitute ſubleuandis, partim verò velut conſepultis cum Chriſto & ei cõſurgentibus. His autem verbis intellige per concordiam intellectuum, ad dicta prophetica vnum & eundem Deum & legiſlatorem, & in prophetis in & no. teſt. locutum eſſe. Lapidem namque ruinæ & petram ſcandali futurum, ne confundantur credentes in eum ſermo propheticus declarauit. Orig. Eſt autem & altius quid intelligendum aduerſus eos qui contra conditorem iactant, dicentes, Ecce Deus legis & prophetarum, videte qualis ſit. Ego (inquit) occidam, & ego viuificabo: ſi propterea cruentus eſt iudex & crudelis conditor, manifeſtiſſimum eſt & Ieſum eſſe illius filium. eadem ſiquidem de eo hic ſcripta ſunt, quòd veniat in ruinam & reſurrectionẽ multorum. Amb. Vt ſcilicet, iuſtorũ iniquorúmq; merita diſcernat, & pro noſtrorum qualitate factorum iudex verus & iuſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia. Ori. Videndum eſt autem ne fortè ſaluator nõ æquè aliis in ruinam venerit & in reſurrectionem. quia enim in peccato ſtabam, primò mihi vtilitas fuit vt caderem, & peccato morerer. Deniq; & ſancti prophetæ quando auguſtius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem ſuam, vt peccata per ruinam plenius purgarentur: hoc ipſum & Saluator tibi primum concedit: peccator eras, cadat in te peccator, vt poſſis dehinc reſurgere & dicere. Si commortui ſumus, & conuiuemus. Chry. Reſurrectio quidem eſt conuerſatio noua: cum enim laſciuus caſtus efficitur, auarus miſericors, atrox manſueſcit, reſurrectio celebratur, mortuo quidem peccato, reſurgente verò iuſtitia. Sequitur, Et *in ſig. cui con.* Baſ. Signum contradictionem accipiens propriè crux dicitur à ſcriptura. Fecit enim (inquit) Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit pro ſigno. Greg. Niſ. Miſcet autẽ dedecus gloriæ. Huius enim rei nobis Chriſticolis eſt hoc ſignum indicium, contradictionis verò, dum ab his quidem accipitur vt ridiculoſum ac horribile, ab his verò admodum aduenerandum. Vel forſan ipſum Chriſtum nominat ſignum, tanquam ſupra naturam exiſtentem, & ſignorum authorem. Baſ. Eſt enim ſignum alicuius rei mirabilis & occultæ indicatiuum, viſum quidem à ſimplicioribus, intellectum verò ab habentibus exercitatum intellectum. Orige. Omnibus autem quæ de Chriſto narrat hiſtoria contradicitur, non quòd contradicant hi qui credebant in eum. Nos quippe ſcimus omnia vera eſſe quæ ſcripta ſunt, ſed quia apud incredulos vniuerſa quæ de eo ſcripta ſunt, ſignum ſunt cui contradicetur. Greg. Niſ. Hæc ſiquidem de filio dicuntur, ſpectant tamen ad eius genitricem, dum ſingula ſibi aſſumit ſimul periclitata & glorificata, nec tantũ proſpera, ſed illi denuntiat etiam doloroſa. Nã ſequitur, Et *tuam ip. ani. pertranſ. gla.* Orig. Nulla docet hiſtoria beatam Mariam ex hac vita gladij occiſione migraſſe, præſertim cum non anima ſed corpus ferro ſoleat interfici: vnde reſtat intelligi gladium illum de quo dicitur, Et gladius in labiis eorum: hoc eſt dolorem dominicæ paſſionis animam eius pertranſiſſe, quæ etſi Chriſtum vtpotè Dei filium ſponte propria mori, mortémq; ipſam non dubitaret eſſe deuicturum, ex ſua tamen carne procreatum, non ſine doloris affectu potuit videre crucifigi. Amb. Vel prudentiam Mariæ non ignarã myſterij cæleſtis oſtendit: viuum eſt enim verbum Dei & validũ, & acutius omni gladio acutiſſimo. Aug. de q. no. & ve. teſt. Vel per hoc ſignificauit quòd Maria per quam geſtum eſt incarnationis myſterium, in morte domini ſtupore quodam dubitauit, videns filium Dei ſic humiliatum, vt vſque ad mortem deſcenderet: Et ſicut gladius pertranſiens iuxta hominem timorem facit, non percutit: ita & dubitatio mœſtitiam fecit, non tamen occidit: quia non ſedit in animo, ſed pertranſiit quaſi per vmbram. Greg. Niſ. Sed nec ipſam ſolam in ea paſſione occupari ſignificat cũ ſubditur, *Vt re. ex mul. cor. cogitationes.* quod dicit, vt euentum deſignet, non autem cauſaliter ponitur, His enim omnibus euenientibus, ſecuta eſt erga multos intentionum detectio. Quidam enim Deum fatebantur in cruce, alij ne ſic ab infamiis & criminationibus deſiſtebant. Vel hoc dictum eſt, quatenus tempore paſſionis pateant ex plurium cordibus meditationes, vt emendentur per reſurrectionem: velox enim illis poſt ambiguitatem certitudo ſuperuenit. niſi fortè reuelationem, illuminationem quis æſtimet, vt ſolitum eſt ſcripturæ. Bed. Sed & vſque ad conſummationem ſeculi præſentis eccleſiæ animam gladius duriſſimæ tribulationis pertranſire non ceſſat, cum ſigno fidei ab improbis cõtradici, cum audito Dei verbo multos cum Chriſto reſurgere, ſed plures à credulitate ruere gemebunda pertractat, cum reuelatis multorum cordium cogitationibus, vbi optimum euangelij ſeruit ſemen, ibi zizania vitiorum vel plus iuſto præualere, vel ſola germinare conſpicit. Orig. Cogitationes etiam malæ in hominibus erant, quæ propterea reuelatæ ſunt, vt occideret eas ille qui pro nobis mortuus eſt. quam diu enim abſconditæ erant, impoſſibile erat eas penitus interfici: vnde & nos ſi peccauerimus, debemus dicere: Iniquitatem meam non abſcondi. Si enim reuelauerimus peccata noſtra, non ſolùm Deo, ſed his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, delebuntur peccata noſtra. *Erat Anna propheteſſa filia Phanuel, de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis, &c.* Amb. Prophetauerat Simeon, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo: debuit & vidua prophetare, ne qua profeſſio deeſſet aut ſexus. & ideo dicitur, Et *er. An. pro. &c.* The. Immoratur euangeliſta circa Annæ deſcriptionem, & patrẽ & tribum enarrans, teſtes, quaſi multos adducẽs, qui patrem & tribum viderunt. Greg. Niſ. Vel quia tunc temporis cum hac aliæ quædam eodem nomine nuncupabantur. Vt igitur ad eam manifeſta diſcretio fieret, patrem eius commemorat, & generis qualitatem deſcribit. Amb. Antea verò & ſtipendiis viduitatis & moribus talis inducitur, vt digna fuiſſe credatur quæ redemptorem omnium nunciaret. vnde ſequitur, *Hæc proceſ. in die. mul. & vi. cum vi. &c.* Orig. Neque enim ſpiritus ſanctus fortuitu habitauit in ea, bonum enim eſt primum ſi qua poteſt, virginitatis gratiam poſſidere. Si autem hoc non potuerit, ſed

euenerit

euenerit ei vt perdat virum, vidua perſeueraret: quod quidem non ſolum poſt mortem viri, ſed etiam cum ille viuit, debet habere in anima, vt etiam ſi non euenerit, voluntas ipſius & propoſitum à domino coronetur, & dicat, Hoc voueo, huc promitto, ſi mihi humanum aliquid quod nó opto contigerit, nihil aliud faciam, quàm vt incontaminata & vidua perſeuerem. Iuſtè ergo ſancta mulier ſpiritum prophetandi meruit accipere, quia longa caſtitate, lógis etiam ieiuniis ad hoc culmen aſcenderat. vnde ſequitur, Quæ non diſce. de temp. ieiu. & obſ. &c. Greg. In quo liquet quòd cæterarum virtutum inerat ei congeries, & aſpice conformem Simeoni virtutibus: ſimul enim erant in templo, ſimul etiam digni reputati ſunt prophetica gratia. vnde ſequitur, *Et hæc ip. ho. ſup. &c.* Greg. Niſ. Hoc eſt, regratiabatur videndo mundi ſalutem in Iſrael, & confortabatur de Ieſu, quoniam ipſe eſſet redemptor, idémque ſaluator. vnde ſequitur. *Et lo. de il. om. &c.* Verum quia Anna propheriſſa modicum aliquid & non nimis elatum de Chriſto differuit euangelium, non ſeriatim induxit quæ ab ea ſunt dicta. Forſan autem ob hoc aliquis Simeonem præueniſſe fatebitur, eo quòd is quidem formam legis gerebat: nam & ipſum nomen notat obedientiam: illa verò gratiæ, quod interpretatio nominis manifeſtat: inter quos Chriſtus medius erat, idcirco illū quidem dimiſit cum lege morientem, hanc verò fouet vltra viuentem per gratiam. Be. Iuxta intellectū etiam myſticum Anna eccleſiam ſignificat, quæ in præſenti ſponſi ſui eſt morte quaſi viduata. Numerus etiam annorum viduitatis eius tēpus eccleſiæ deſignat, quo in corpore conſtituta peregrinatur à domino. ſepties quidem duodeni, 84. faciunt, & 7. quidem ad huius ſeculi curſum, qui diebus 7. voluitur: 12. verò ad perfectionem doctrinę apoſtolicæ pertinet. Ideóque ſiue vniuerſalis eccleſia, ſeu quęlibet anima fidelis quę totum vitę ſuę tempus apoſtolicis curat mancipare inſtitutis, octogintaquatuor annis domino ſeruire laudatur. Tēpus etiam ſeptem annorum, quo cum viro ſuo manſerat, congruit: nam propter dominicæ priuilegium maieſtatis, quo in carne verſatus docuit, in ſignum perfectionis ſimplex ſeptem annorum eſt numerus expreſſus. Arridet etiam eccleſiæ myſterus Anna, & gratia eius interpretatur: & filia Phanuelis, qui facies Dei dicitur: & de tribu Aſer, id eſt, beati deſcendit. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem domini, reuerſi ſunt, &c.* Beda, Prætermiſit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo ſatis expoſita nouerat: dominum videlicet poſt hoc ne ab Herode necandus inueniretur, in Ægyptum à parentibus eſſe delatum, defuncto Herode ſic demum in Galilæam reuerſum, Nazareth ciuitatem ſuam inhabitare cœpiſſe. Solent enim euangeliſtæ ſinguli ſic omittere quædam, quæ ab aliis commemorata viderunt, vel ab aliis commemoranda in ſpiritu præuiderunt, vt cōtinuata ſuæ narrationis ſerie, quaſi nulla prætermiſiſſe videantur, quæ tamen alterius euangeliſtę conſiderata ſcriptura quo loco tranſita fuerint, diligens lector inueniat. Vnde multis prætermiſſis Lucas dicit, *Et vt perfe. om. &c.* Erat quidem eorū ciuitas Bethlehem ſicut patria, Nazareth verò tanquam habitaculum. Aug. de con. euan. Fortè autem hoc mouet, quomodo dicat Matthæus propterea eum puero parētes eius iſſe in Galilæam, quia metu Archelai in Iudæam ire noluerunt, cum propterea magis iiſſe in Galilęam videantur, quia ciuitas eorum erat Nazareth Galilæę, ſicut Lucas hic non tacet? Sic intelligendum eſt, vbi angelus in ſomnis in Ægypto dixit ad Ioſeph, Surge & accipe puerum & matrem eius & vade in terram Iſrael: ſic intellectum primò eſſe à Ioſeph, vt putaret iuſſum ſe eſſe pergere in Iudæam: ipſa enim intelligi primitus potuit terra Iſrael: porrò autem poſtea quoniam comperit illic regnare filium Herodis Archelaum, noluit obiicere ſe illi periculo, cum poſſet terra Iſrael etiam ſic intelligi, vt etiam Galilæa illi deputaretur, quia & ipſam populus Iſrael incolebat. Græ. Vel aliter, Enumerat hic Lucas tempus ante deſcenſum in Ægyptum: neque enim ante purgationem eam Ioſeph deduxiſſet. Ante verò quàm in Ægyptum deſcenderent, non receperant per oracula vt Nazareth pergerent, imò quaſi libentius in patria conuerſantes, illuc vltro pergebant. Cùm enim ad nihil aliud aſcēſus in Bethlehē eueniſſet, niſi cauſa deſcriptionis, expedito eo cuius cauſa aſcenderant, deſcendunt in Nazareth. The. Poterat autem ſecundum corpus ex ipſo vtero in menſuram maturæ ætatis prodire, ſed videretur hoc ſecundum phantaſiam, propterea paulatim creſcit. vnde ſequitur, *Puer autem creſ. & confor.* Bed. Notanda eſt diſtinctio verborum, quia dominus Ieſus Chriſtus in eo quòd puer erat, id eſt habitum humanæ fragilitatis induerat, creſcere & confortari habebat. Atha. Cæterùm ſi ſecundū quoſdam caro in diuinam naturam mutata eſt, quomodo capiebat augmentum? increato enim augmentum attribuere, nepharium eſt. Cyr. Decenter verò ætatis incremento ſapientiæ coniunxit augmentum, cum dicit, *Et confortabatur, ſcilicet* ſpiritu. nam iuxta menſuram ætatis corporeæ, natura diuina ſapientiam propriam reuelabat. The. Si enim dum paruus ætate erat, omnem ſapientiam demonſtraſſet, videretur prodigium: ſed per profectum ætatis ſeipſum oſtendebat, vt totum impleret orbem. Non autem quaſi ſuſcipiens ſapientiam, ſpiritu confortari dicitur. quod enim ab initio perfectiſſimum eſt, quomodo poteſt deinde perfectius fieri? vnde ſequitur, *Plenus ſa. & gra. Dei erat in illo.* Bed. Sapientia quidem, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: gratia autem, quia homini Ieſu Chriſto magna gratia donatum eſt, vt ex quo homo fieri cœpiſſet, perfectus eſſet & Deus: multò autem magis in eo quòd verbum Dei & Deus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Adhuc autem cùm paruulus eſſet, habebat gratiam Dei: vt quomodo in illo omnia mirabilia fuerant, ita & peritia mirabilis eſſet, vt Dei ſapientia compleretur.

ORIGENIS PRESBYT.
in idem Euang. Homil. 1.

E*Terant* (inquit) *pater & illius mater admirantes ſuper his quæ dicebantur de eo.* Congregemus in Homil. 16. in
vnum ea, quæ in ortu Ieſu dicta, ſcriptaque ſunt Luc.
de eo, & tunc ſcire poterimus ſingula quæque digna eſſe miraculo. Quamobrem mirabatur, & pater, ſic enim appellatus eſt Ioſeph, quia nutricius fuit: *mirabatur & mater ſuper omnibus quæ dicebantur de eo.* Quænam ergo ſunt quæ de paruulo Ieſu fama diſperſerat? Paſtores erant in regione illa, Vigilantes

gilantes & obſeruātes cuſtodias noctis ſupra gregem ſuum. Venit angelus ſub ipſa hora natiuitatis Ieſu, & ait ad eos. Annuncio vobis gaudium magnum. Ite, & inuenietis infantem inuolutum pannis, & poſitum in præſepio. Necdum angelus verba finierat, & ecce multitudo cæleſtis exercitus laudare cœpit & benedicere Deum. Cum hoc paſtores trepidi perſpexiſſent, & angelus receſſiſſet ab eis, dixerunt ad inuicē, Eamus Bethlehem, & videamus factum quod dominus oſtendit nobis. Venerunt, & inuenerunt paruulum. Tam illi quam parentes videntes quæ facta fuerant, admirabātur ſuper hoc. Et de Symeone ſcribitur, quòd rumorem auxerit miraculi, vel magna pars fuerit, tenuitque puerum in brachiis ſuis. & ait, Nunc dimittis domine ſeruum tuum in pace ſecundum verbum tuum: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, Faſtigium, & (vt ita dicam) culmen ſuper his, quæ iactabantur de Ieſu, & pater & mater illius mirabantur, ſermo Symeonis fuit. Non enim ſufficit ei tenere paruulum, & ea, quæ de ſemetipſo ſcripta ſunt, proloqui, ſed benedixit patri illius, & matri, & de ipſo quoque prophetauit infante dicens, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, &c.* Quid ſibi vult, quod ait, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael?* Huic quid ſimile in euangelio ſecundum Ioannem reperi ſcriptum. In iudicium ego in mundum iſtum veni, vt, qui non vident videant, & qui vidēt, cæci fiant. Quando ergo in iudicium venit, vt non videntes de nationibus viderent, & qui prius videbāt de Iſrael cæci fierent: ſic venit in ruinam, & reſurrectionem multorum. In aduentu enim domini ſaluatoris, qui prius ſteterant corruerunt, & qui ceciderant ſurrexerunt. Vna hæc eſt interpretatio de eo quod dictum eſt, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Eſt autem & aliud quid intelligēdum aduerſus eos vel maxime qui contra conditorem latrant, & hincinde de veteri teſtamento quæ non intelligunt teſtimonia congregantes ſimplicium corda decipiunt. Aiunt enim, Ecce Deus legis & prophetarum, videte qualis ſit. Ego (inquit) occidam & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui eruat de manibus meis. Audiunt occidam, & non audiunt & viuificabo: audiunt percutiam, & audire contemnunt, & ego ſanabo. Iſtiuſmodi occaſionibus creatorem calumniantur. Igitur antequam interpretetur, quem ſenſum habeat. Ego interficiam, & viuificabo: percutiam, & ſanabo, opponam eis teſtimonium euangelij, dicāque aduerſum hæreticos, Innumerabiles quippe hæreſes ſunt, quæ euangelium ſecundum Lucam recipiunt. Si propterea cruentus, & in tantum ſæuus, & crudelis eſt conditor, quia dicit, Ego interficiam, & viuificabo: percutiam, & ſanabo: manifeſtiſſime eſt & Ieſum ipſius eſſe filium: eadem ſiquidem de eo ſcripta ſunt, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Non in reſurrectionem tantum, ſed & in ruinam. Si malum eſt interficere, malum ſit, & in ruinā venire. Quid reſpondebunt? Vtrumne recedent à cultu eius, an quærent aliquam interpretationem, & ad tropologias confugient, vt quod in ruinam venerit, benignitatem magis quam auſteritatem ſonet? Et quomodo iuſtum erit, quando quid in Euangelio tale reperitur, ad allegorias, & nouas intelligentias confugere, quando vero in veteri inſtrumento, ſtatim accuſare, & nullam explanationem, quamuis probabilis ſit, recipere? Sed & hoc quod ſequitur, In iudicium ego veni in mundum iſtum, vt non videntes videant, & qui vident cæci fiant, quamuis quærant vt edifferant, implere non poterunt. Ego vero quia opto eſſe eccleſiaſticus, & non ab hæreſiarcha aliquo ſed à Chriſti vocabulo nuncupari, & habere nomen quod benedicitur ſuper terram, & cupio tam opere quam ſenſu & eſſe & dici chriſtianus: æqualem & in veteri & in noua lege quæro rationem. Loquitur Deus, Ego interficiam: libenter habeo vt interficiat me Deus. Quando enim vetus in me homo eſt, & viuo adhuc quaſi homo, cupio vt occidat in me Deus veterem, & viuificet me ex mortuis. Primus enim (ait) homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cęleſtis. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. Secundum hunc ſenſum intelligitur & illud. In iudicium ego veni in mundum iſtum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Habemus in nobis omnes homines & aſpectum, & cæcitatem. Adam & videbat, & nō videbat. Eua quoque, antequam aperirētur oculi eius, vidiſſe deſcribitur. Vidit (inquit) mulier lignum, quia bonum ad comedendum, & optimum oculis ad videndum, & tollens de fructu ligni comedit, & dedit viro ſuo, & comederunt. Igitur non erant cæci, ſed videbant. Deinde ſequitur, Et aperti ſunt oculi eorum. Ergo cæci fuerant, nec videbant, quorum oculi poſtea ſunt aperti. Sed qui bene ante viderant, poſtquam domini mandatum prætergreſſi ſunt, cœperunt videre male, & aſpectum obedientiæ ſubripiente delicto poſtea perdiderunt. Ego ſic intelligo & illud quod dicit Deus, quis fecit mutum & ſurdum, videntem & cæcum? Nonne ego dominus Deus? Eſt oculus corporis quo terrena iſta conſpicimus, oculus ſecundum ſenſum carnis, de quo ſcriptura dicit, Fruſtra incedis inflatus ſenſu carnis. Cui habemus alium contrarium meliorem, & diuina ſapientem: qui quia cæcus in nobis erat, venit Ieſus vt faceret eum videre: vt qui non videbant, viderent, qui autem videbant cæci fierent. Iuxta hunc ergo ſenſum, & hoc quod nunc habemus in manibus eſt intelligendum, *Ecce iſte poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Habeo aliquid in me quod male ſtat, & peccati ſuperbia ſe erigit, hoc cadat, hoc ſubruatur. Quod ſi ceciderit, quod ante ruerat, ſurgens ſtabit. Interior homo meus quondam iacebat eliſus, & exterior ſtabat erectus. Antequam crederem in Ieſum, bonum in me iacebat, malum ſtabat. Poſtquam ille venit, tunc quod in me malum fuit, corruit, & expletum eſt illud, Semper mortificationem Ieſu in corpore circunferentes: & illud, Mortificate membra veſtra ſuper terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, veneficia, & cætera. Horum omnium vtilis ruina facta eſt. Et de hac ruina dicitur, Vbicunque fuerit cadauer, illic congregabuntur aquilæ. Cadauer quippe, à caſu nomen accepit. Vna eſt hæc ruina, ad quam primum venit Ieſus, nec poteſt facere reſurrectionem, niſi ruina præceſſerit. Venit ante deſtruere, quod in me malū fuit, vt illo deſtructo & mortificato, conſurgat in me, & viuificetur id quod bonum eſt, vt conſequamur regnum cælorum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 2.

Ex Hom. 19. in Lucam.

LVcas qui ſcripſit, Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, propter hoc & quod ex te natū fuerit ſanctum, vocabitur filius Dei, & qui manifeſte nobis tradidit, quòd virginis filius Ieſus eſt, nec de humano conceptus eſt ſemine: iſte patrem eius Ioſeph teſtatus eſt, dicens. *Erant pater illius & mater admirantes ſuper his quæ dicebantur de eo.* Quæ igitur cauſa extitit, vt eum, qui pater non fuit, patrem eſſe memoraret? Qui ſimplici expoſitione contentus eſt, dicit, Honorauit eum ſpiritus ſanctus patris vocabulo, quia nutrierat ſaluatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, poteſt dicere, quod generationis ordo à Dauid vſque ad Ioſeph deducitur, & ne videretur fruſtra Ioſeph nominari qui pater non fuerat ſaluatoris, vt generationis ordo haberet locum, pater appellatus eſt domini. Admirabantur igitur pater illius, & mater ſuper his, quæ dicebantur de eo, tam ab angelo, quam à multitudine cæleſtis exercitus, nec non à paſtoribus. Omnia quippe hæc audientes, vehementiſſime mirabantur. Dehinc ſcriptura ait, *Benedixit eis Symeon: & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce iſte poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, &c.* Quando ſaluator in ruinam & in reſurrectionem multorum venerit, eſt contemplandum. Qui ſimpliciter exponit, poteſt dicere in ruinam eum veniſſe infidelium, & in reſurrectionem credentium. Qui vero curioſus interpres eſt, dicit nequaquam eum cadere, qui ante non ſteterit. Da mihi igitur qui fuerit ille qui ſteterit, & in cuius ruinam ſaluator aduenerit, necnō & eum qui conſurgat. Nam vtique ille conſurgit, qui ante corruerat. Videndum eſt itaque, ne forte ſaluator non alius atque alius in ruinam venerit & in reſurrectionem multorum: ſed iiſdem & in ruinam, & in reſurrectionem venerit. In iudicium (ait) ego veni, vt, qui non videbant, videant, & qui videbāt cæci fiant. Etenim in nobis quod videbat prius, & poſtea videre deſinit, & aliud quod non videbat, & poſtea cœpit videre. Verbi gratia, Volo videre illis oculis, quibus antea non videbam, & qui mihi poſtea reſerati ſunt: quoniam poſt inobedientiam & Adam, & Euæ oculi ſunt aperti, de quibus ſuperiori ſermone tractauimus. Nunc autem interpretādum quid ſibi velit hoc quod ait. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Me oportet primum cadere, & cum cecidero, poſtea bene reſurgere, ne ſaluator cauſa fuerit malæ ruinæ. Sed propterea cadere me fecit, vt conſurgam: & multò mihi ruina vtilior fuerit, quam illud tempus quo videbar ſtare. Stabam enim in peccato eo tempore quo peccato viuebam: & quia peccato ſtabam, prima mihi vtilitas fuit vt caderem, & peccato morerer. Denique & ſancti prophetæ quando auguſtius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem ſuam. Propterea autem cadebant, vt peccata per ruinam plenius purgarentur. Hoc ipſum & ſaluator tibi primum concedit, vt corruas. Ethnicus eras, cadat in te ethnicus: diligebas ſcortum, primum in te ſcortum intereat: peccator eras, cadat in te peccator, vt poſſis dehinc reſurgere, & dicere, Si commortui ſumus, & conuiuemus, & ſi mortis conformes, ſimul & reſurrectionis erimus. Iſte igitur in ruinam, & in reſurrectionem multorum poſitus eſt in Iſrael, hoc eſt in his, qui plena poſſunt acie & ratione conſpicere. *Et in ſignum cui contradicetur.* Omnibus quæ narrat hiſtoria de ſaluatore, contradicitur. Virgo mater eſt, ſignum eſt cui contradicitur, Marcionitæ contradicunt huic ſigno, & aiunt penitus eum de muliere non eſſe generatum. Ebionitę contradicunt ſigno, dicentes ex viro, & muliere ita natum eſſe, vt nos quoque naſcimur. Habuit corpus humanum, & hoc ſignum eſt, cui contradicitur. Alij enim dicunt eum veniſſe de cælis, alij tale quale nos corpus habuiſſe vt per ſimilitudinem corporis etiam noſtra corpora redimeret à peccatis, & daret nobis ſpem reſurrectionis. Reſurrexit à mortuis, & hoc ſignum eſt, cui cōtradicitur, quomodo reſurrexerit, vtrum ipſe & talis qualis mortuus eſt, an certe in melioris ſubſtantiæ corpus reſurrexerit. Et eſt infinita contentio: aliis dicētibus, fixuram clauorum Thomæ oſtendit in manibus ſuis: aliis è regione tractantibus, ſi idem corpus habuit, quando clauſis ingreſſus eſt oſtiis, & ſtetit? Vides igitur quemadmodum argumētis variis etiam reſurrectioni eius quæſtio concitetur & fit ſignum cui contradicitur. Ego & hoc quod prophetarum more prædictum eſt, puto ſignum eſſe cui contradicitur. Sunt enim plures hæretici, qui aſſerunt eum à prophetis penitus non fuiſſe prædicatum. Et quid me neceſſe eſt multa proſequi? Omnia quæ de eo narrat hiſtoria, ſignum eſt cui contradicitur. Non quòd contradicant hi qui credunt in eum, nos quippe omnia ſcimus vera eſſe quæ ſcripta ſunt, ſed quia apud incredulos vniuerſa quæ de eo ſcripta ſunt, ſignum ſint cui cōtradicitur. Deinde Symeon ait, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quis eſt iſte gladius, qui non aliorum tantum, ſed etiam Mariæ cor pertranſiit? Aperte ſcribitur, quòd in tempore paſſionis omnes ſint apoſtoli ſcādalizati, ipſo quoque domino dicente, Omnes vos ſcandalizabimini in nocte hac. Ergo ſcandalizati ſunt vniuerſi, intātum vt Petrus quoque apoſtolorum princeps tertio denegarit. Quid? putamus quod ſcandalizatis apoſtolis, mater domini à ſcandalo fuerit immunis? Si ſcandalum in domini paſſione non paſſa eſt, non eſt mortuus Ieſus pro peccatis eius. Si autem omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratia eius & redempti: vtique & Maria illo tempore ſcandalizata eſt. Et hoc eſt quod nunc Symeon prophetat dicens, *Et tuam ipſius animam,* quæ ſcis abſque viro peperiſſe te virginem: quæ audiſti à Gabriele, Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, pertranſibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferietis, & cogitationes tuæ te in diuerſa lacerabunt, cum videris illum quem filium Dei audieras, & ſciebas abſque ſemine viri eſſe generatum, crucifigi, & mori, & ſuppliciis humanis eſſe ſubiectum, & ad poſtremum lachrymabiliter conquerentem atque dicentem, Pater, ſi poſſibile eſt, pertranſeat calix iſte à me. *Et tuam ergo animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes.* Cogitationes erant malæ in hominibus, propterea reuelatæ ſunt, vt prolatæ in medium perderentur: & interfectę, atque mortuę, eſſe deſinerent: & occideret eas ille, qui pro nobis mortuus eſt. Quandiu enim abſconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impoſſibile erat eas penitus interfici, Vnde & nos ſi peccaue-

Contrà lego, nō cōmuniter ſentitur, B. Mariā fuiſſe expertem omnis peccati.

timus. debemus dicere, Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abſcondi. Dixi annūciabo iniuſtitiam meam contra me domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed & iis, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra ab eo, qui ait. Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua. Poſt Symeonis prophetiam, quia neceſſe erat, vt mulieres etiam ſaluarentur: venit prophetis mulier, de qua ſcribitur, *Et erat Anna propheti ſſa filia Phanuel de tribu Aſer.* Quam pulcher ordo. Non venit ante virum mulier, ſed primum venit Symeon, qui apprehendit infantem, & tenuit in brachiis ſuis: deinde mulier, cuius non ſunt quidem verba digeſta, ſed dictum eſt generaliter quòd confeſſa ſit domino, & loquuta de eo omnibus qui expectabat redemptionem Iſrael. Et iuſte ſancta mulier ſpiritum prophetādi meruit accipere: quia longa caſtitate, longíſque ieiuniis ad hoc culmen aſcenderat. Videte, mulieres, teſtimonium Annæ, & imitamini illud, ſiquando vobis euenerit, vt perdatis viros. Cōſiderate quid de ea ſcriptum ſit, *Septem annis vixit à virginitate ſua cum viro ſuo, & reliqua*: propterea prophetis fuit. Neque enim vt libet & fortuito ſpiritus ſanctus habitauit in ea. Bonum eſt, & primum, ſiqua poteſt virginitatis gratiam poſſidere. Si autem hoc non potuerit, ſed euenerit ei vt perdat virum, vidua perſeueret. Quod quidem non ſolum poſt mortem viri, ſed etiam eū ille viuit debet habere in animo, vt etiam ſi non venerit, voluntas ipſius & propoſitum, à domino coronetur: & dicat, Hoc voueo atque promitto, ſi mihi humanum aliquid, quod non opto, contigerit, nihil aliud faciam quam incontaminata, viduaque perſeuerem. Nunc vero & ſecundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, vt de pluribus taceam, reperiuntur: & non ignoramus quòd tale coniugium eiiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab eccleſiaſticis dignitatibus non ſolum fornicatio, ſed & nuptiæ repellūt: neque enim epiſcopus, nec preſbyter, nec diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami: ſic forſitan & de cœtu primitiuorum, immaculatorumque eccleſiæ quæ non habet maculam, neque rugam, eiicietur digamus: non quo in æternum mittatur incendium, ſed quo partem non habeat in regno Dei. Memini cum interpretaret illud, quod ad Corinthios ſcribitur. Eccleſiæ Dei, quę eſt Corinthi cum omnibus, qui inuocant eum: dixiſſe me diuerſitatem eccleſiæ, & eorum, qui inuocant nomen domini. Puto enim monogamum, & virginem, & eum qui in caſtimonia perſeuerat, eſſe de eccleſia Dei: eū vero qui ſit digamus, licet bonam habeat conuerſationem, & cæteris virtutibus polleat, tamen non eſſe de eccleſia, & de eo numero, qui non habet rugam, aut maculam, aut aliquid iſtiuſmodi: ſed eſſe de ſecundo gradu, & de his, qui inuocant nomen domini, & qui ſaluantur quidem in nomine Ieſu Chriſti, nequaquam tamen coronantur ab eo. Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Votum cælibatus.

Contra legē, nā cum Montano ſentiēs ſecundas nuptias damnat.

Contra legē, nā cum Pelagio diſtinguit ſalutē à gloria æterna.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 3.

Ex Hom 18. in Lucam.

NAtus eſt dominus meus Ieſus, & aſcenderunt parentes eius in Hieroſolymam, vt complerent ea quæ fuerant lege præcepta, & offerrent pro eo par turturum, & duos pullos colūbarum. Tenuit eum brachiis ſuis Symeon, vt dudum lectum eſt, & prophetauit de eo quę narrat hiſtoria, & poſtquam omnia de more completa ſunt, reuertuntur parentes quo Ieſus tunc agebat, & tamen creſcebat & confortabatur ſapientia & gratia. Necdū quadraginta dies purgationis impleuerat, necdum Nazareth venerat, & iā totam ſapientiā recipiebat. Potuit ſcriptura dicere, creſcebat, & cōfortabatur, & accipiebat ſpiritū: ſed qui euacuauerat ſe, formā ſerui accipiens, ſtatim vt pro mundatione eius ſacrificium oblatum eſt, id quod vacuefecerat, adimplenit: non quòd corpus eius illico maius fuerit effectum, ſed quòd ſacratius quippiam demonſtraretur, ſcriptura referente, *Puer autem creſcebat, & confortabatur, & replebatur ſapientia.* Quæramus ſicubi alibi de paruulo ſcriptum ſit, creſcebat, & confortabatur: vt ex collatione multorum quid plus in domino noſtro dicatur, intelligere valeamus. De Ioanne, Puer autem creſcebat, & confortabatur: & tamen non additur, & replebatur ſapientia, ſed cōfortabatur ſpiritu. Hic vero de domino, *Creſcebat* (inquit) *& confortabatur, & replebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper eum.* Hæc omnia de puero, qui necdum duodecim annos impleuerat, dicta ſunt.

EIVSDEM DE EODEM
Homilia 4.

Ex Hom 19 in Lucam.

QVia nonnulli, qui ſanctæ ſcripturæ videntur credere, quaſi in gloriam omnipotentis Dei diminuitatem Saluatoris negant: iuſtum mihi videtur vt ipſarum ſcripturarum autoritate doceantur in humanum corpus quiddam veniſſe diuinum: & non ſolum in humanum corpus, ſed in humanam quoque animam. Quanquam ſi diligenter ſenſum intēdimus ſcripturarum plus aliquid anima illa habuit, quam cæteræ hominum animæ. Omnis quippe anima hominis, antequam ad virtutes veniat, vitiis ſordidatur. Porro anima Ieſu, nunquam peccati ſorde maculata eſt. Siquidem antequam ad duodecimum ætatis perueneerit annum, ſpiritus ſanctus de eo in Lucæ ſcribit Euangelio, *Puer autem creſcebat, & confortabatur, & replebatur ſapientia.* Hoc hominum natura non recipit, vt ante duodecim annos ſapientia compleatur. Aliud eſt partem habere ſapientiæ, aliud ſapientia eſſe completum. Non ambigimus ergo diuinum aliquid in carne Ieſu apparuiſſe: & non ſolum ſuper hominem ſed ſuper omnem quoque rationalem creaturam. *Et creſcebat*, inquit. Humiliauerat enim ſe, formam ſerui accipiens: & eadem virtute qua ſe humiliauerat, creſcit. Apparuerat infirmus, quia infirmum corpus aſſumpſerat, & ob id iterum cōfortatur. Euacuauerat ſe filius Dei, & propterea rurſum completur ſapientia, *& gratia Dei erat ſuper eum.* Non quando venit ad adoleſcentiam, non quando manifeſtè docebat, ſed cum adhuc eſſet paruulus, habebat gratiam Dei: & quando omnia in illo mirabilia fuerant, ita & pueritia mirabilis fuit, vt Dei ſapientia compleretur.

S. AMPH.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis epiſcopi ſuperioris Euangelij expoſitio.

Et erat pater eius, & mater, &c. Vides vberem in omnes gratiam domini generationes diffuſam, & prophetiam incredulis negatam eſſe, non iuſtis. Ecce & Simeon prophetat in ruinam, & reſurrectionem plurimorum veniſſe dominum Ieſum Chriſtum, vt iuſtorum iniquorúmque merita diſcernat, & pro noſtrorum qualitate factorum iudex verus, & iuſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia. *Et tuam* (inquit) *ipſius animam pertranſibit gladius.* Nec littera, nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe. Non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſuerberatur. Et ideo prouidentiam Mariæ haud ignaram myſterij cęleſtis oſtendit. Viuum enim, & validum verbum Dei, & acutum omni gladio acutiſſimo, penetrans vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, artuúmque, & medullarum: cogitationes cordis, & ſecreta ſcrutatur animorum, quia nuda mentiū & aperta ſunt omnia Dei filio, quem conſcientiæ ſecreta non fallunt. Prophetauit itaque Simeon, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo: debuit etiam vidua prophetare, ne qua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus. Et ideo Anna & diſpendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna planè fuiſſe credatur, quæ redemptorem omnium veniſſe nunciaret. Cuius merita *Libro de viduis cap. 2.* cum alibi deſcripſerimus, cū viduas hortaremur, hoc loco, quoniam ad alia properamus, iteranda non putamus. Non otiosè tamē annos octoginta quatuor viduitatis eius expreſſit, quia & ſeptem dodecades, & duæ quadrageſimæ, ſacrum videntur numerum deſignare.

S. AMPHILOCHII EPIſcopi Iconij de D. N. Ieſu Chriſti occurſu, deque Dei para virgine, Anna propheteiſſa, & Simeone Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

Eſt pars declamationis, quæ in feſto habetur in feſto Purificationis B. Mariæ virg.

Talis vidua fuit Anna propheteiſſa, de qua paulò antè lectum eſt. Hæc enim & pulchrè conſenuerat, & iuuentutem ſuam vt aquila innouauerat. Audiſti, quid Euangeliſta Lucas de illa commemoret: *Et erat*, inquit, *Anna propheteiſſa filia Phanuel ex tribu Aſer, &c.* Audis, cuiuſmodi vidua extiterit Anna, quibúſque elogiis diuina Euangelia illam exornent. Fide, verè erat, Anna, cuius quoque nominis ratio, in morum illius integritatem egregiè quadrabat. Audiant hæc mulieres, & illuſtrem Annam æmulentur, quò paribus olim cum illa coronis potiantur. Nemo infirmitatem, aut ſolitudinem obtendat; nemo monogamiæ caſtimoniam execretur. Viduarum corona, & quaſi ornamentum, eſt Anna: habitu quidem, & ſexu mulier: ordine autem Propheteiſſa: In viduitate vitam tranſigens; animo autem in cæleſti regno conuerſans: Corpore ob ſenectutem imbecillis, & incurua; mente autem valida, ſurſumque erecta: Fronte contracta, & corrugata; prudentia autem vegeta, & florida: Senio inflexa; cognitione autem, & ſapientia rectè incedēs: Annorum multitudine ad decrepitam ætatem deducta; diuinarum autem rerum notitia pulchrè ornata. Ieiuniis vacabat, voracitatem deteſtabatur, Deum orabat, huc illuc vagè non diſcurrebat; In templo iugiter degebat, alienas domus non obibat: Pſalmis decantandis, non nugis referendis intenta erat: Diuinis oraculis addicta, à fabulis erat aliena: Cæleſtia meditabatur, turpia, & inhoneſta auerſabatur. Excelluit hæc Anna viduam, quam Apoſtolus Paulus beatam prædicat. Cuiuſmodi, quæſo, eſt vidua, quam Paulus commendat? audi quid dicat; Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum. *1. Tim. 5* Si filios educauit, ſi Sanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne bonum opus ſubſecuta eſt. Hæc autem Anna, viduam ab Apoſtolo decantatam, beatámque pronuntiatam, & annorum numero, & vitæ genere plurimùm ſuperauit. Quî enim cæteris omnibus non anteferatur, quæ & prophetiæ dono ornata fuit, & Spiritus ſancti receptaculum extitit, & Domini noſtri præſentiam, iis omnibus per certa ſymbola indicauit, qui illius in carnem aduentum præſtolabantur. Nec enim aliô ſpectat, quod paulò antè ex Euāgeliſta, de illa audiuimus: *Et hæc*, inquit, *ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Cerniſne quanta fuerit Annæ huius excellentia? pro Domino ſtabat, diuinoque Spiritu afflata, ea de Domino, Domino ipſo præſente, palàm denuntiabat, quæ Domini erant. O rem ſtupendam, planéque peregrinam! Vidua erat, & ea pandebant, quæ ſacerdotes & ſcribas exterrefaciebant; totum autem populum in præclaram ſpem erigebant. Indicabat autem Iſraëlem per Domini præſentiam, quam certis indiciis, & ſignis oſtēdebat, & confirmabat, liberatum iri. Cernebat Anna Dominum infantem; cernebat item dona, & piamina, quæ pro ipſo, & cum ipſo deferebantur; nec ob id tamen offendebatur; ſicut neque ob infirmam quoque, exiguamq; eiuſdem ætatem. Profitebatur autem puerum illum, & Deum eſſe, & medicum eſſe, & præpotentem Redemptorem eſſe, & peccatorum euerſorem eſſe. Noli, dilecte, Annæ verba, quibus iis omnibus, qui præſentes tum aderant, Domini virtutem exponebat, obiter percurrere. Cernitiſne, ait ad eos, qui conuenerant, puerulum hunc, vbera trahentem? fœminæ ope, & opera nitentem? in materno ſinu quieſcentem? pedibus firma veſtigia terræ infigere, per ætatem necdum valentem? aliorum more octauo die circuncisum? Hic, quem coràm cernitis, puerulus, ſecula fundauit; hic cælorum orbes abſoluit; hic terram latè diſtendit; hic mare arena veluti vallo cinxit; hic puer vētos de theſauris ſuis depromit; hic puer Noë ætate, cæli cataractas recluſit; hic puer imbres è nubibus, veluti ſtamina deducit; hic puer niuem vt lanam ſpargit; hic puer maiores noſtros, per Moyſi virgam ex Aegypto liberauit; hic puer mare rubrum diſſecuit, populumque, qui ſpem ſuam in illum reiecerat, ſicco pede per illum, tanquam per viride pratum, traduxit; Hic puer manna in deſerto inſtar pluuiæ dimiſit, terrámque lacte, & melle fluētem, patribus noſtris in hæreditatem contradidit. Hic puer templum hoc per Salomonem extrui, & in altum euehi curauit; Hic puer ille eſt, qui pa-

ſto, iureiurando firmato, cum Abraham inito, ita illum affatus eſt; Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, tanquam ſtellas cæli, quæ præ multitudine numerari nõ poſſunt, & tanquam arenam, quæ eſt in littore maris. Hic eſt puer ille, de quo Prophetarum chorus exultans, ſolaméque in medium adferens, hæc depromebat; Excita, Domine, potentiam tuam, & veni ad ſaluandum nos. Ne de puero hoc perperam ſentias, quia puer eſt: Idem & puer eſt, & patri coæuus eſt. Idem & tempore menſuratur, & genealogia deſtituitur. Idem & balbutiens infans eſt, & os, & ſapientiam aliis impertire ſolitus eſt: Illud quidem propter ortum ex virgine; hoc verò propter incomprehenſam ſubſtantiæ illius rationem. Nam & Eſaias quoque hoc velle videtur, dũ ita ſcribit; Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Alterum natum, alterum datum eſſe dicit. Natum, ſub aſpectum cadebat; datum, mente tantùm, & cogitatione comprehendebatur. Eiuſmodi fuêre Annæ oracula, hæc præclara mulieris fuêre documenta. Hæc viduæ fuêre ſtudia, rectéque facta; verè viduæ; viduæ vita honeſtè perſunctæ: Viduæ, quę maritum præmiſerat, & Dominum mariti loco ſuſceperat. Septem annis à virginitate cum coniuge ſuo vixerat. Annorum hebdomadam expleuit; in ſeptimo autem anno viri conſuetudine orbata fuit. Pulchrè ſeptimum, pulchrè Sabbatum celebrauit, pulchrè Dominicæ diei gratiam apprehendit. Turturis mortem æmulata Anna, maritum obliuioni non tradidit, primam fidem non ſefellit, thoro ſuo nullam calumniam accerſiuit, monogamiæ compedes alteri non impoſuit; quippe quę mortuum perinde in cubili, animo pertractaret, ac viuum, nuptialem ſtolam non polluit; in Pauli reprehenſionem non incurrit; Vbi, inquit, illæ luxuriatæ fuerint in Chriſtum, nubere volunt, damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt? Vera reprehenſione digna eſt, quæ mariti, quo cum diuinitus iuncta fuerat, memoriam vnà cum ipſo ſepelit, terráque obruit; filiis præſertim, vel filiis, quorum cauſa nuptiæ præcipuè inſtitutæ ſunt, ex primo coniugio ſuſceptis. Si autem viduæ, adhuc iuuenculæ, nulli ſunt liberi, iure reprehẽdi non poteſt, ſi liberorum procreandorum ſtudio incitata, nuptias repetit. Nam beati Pauli oratio quoque in hunc ſcopum quadantenus impellit, ait enim; Volo iuniores viduas nubere. Et cauſam, cur ſecundæ nuptiæ non inutiliter indulgeantur, ſubdens ita ſcribit; Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamiliâs eſſe; quaſi dicat; Vnica repetendi connubij cauſa, eſt liberorum procreatio. Porrò autem, quando viduæ ad ſecundas nuptias prouenti, ſuppetunt liberi, ſuperuacaneum videtur nouæ ſationi operam dare: vt quæ iam ex priori matrimonio, ratione, & mente præditas ariſtas matureſcentes habeat. Verùm ad inſtitutum argumentum, orationem denuo flectamus. Ecquid porrò Euangeliſta (par eſt enim, vt propoſitam rei ſeriem ordine perſequamur) referente Luca; Simeon ad virginem hęc detulit; *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël, & ſignum, cui contradicetur; & tuã ipſius animam pertranſibit gladius.* Ad quid hoc, obſecro, eſt, quod dicit; *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius?* Audi prudenter, cum Deipara virgo Simeonem aſſerentem accepiſſet, Chriſtum poſitum eſſe in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradiceretur; oratione illius nonnihil commota, cum, vt probabile ſit, ita affata eſt. Homo, dum infauſta, & triſtia quędam de Chriſto, & Deo denuntias, quid dicas, non ſatis compertum habere videris. Ignoras admirabilem pueri huius conceptionem; & interim veluti de communi aliquo partu verba fundens, contradictionis ſignum ex illo facis. Verè nullus in illo ruinę, aut prolapſionis eſt locus, vt qui ad prolapſos excitandos, & exaltandos, multíſque beneficiis cumulandos, vltrò ſeſe demiſerit. Cum ergo ſit talis, cur non fauſta, fœlicíaque de eo ominaris; ſed ais; *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur?* Hęc virgo. Ad quę contra Simeon: Sat ſit tibi, virgo, eius te matrem eſſe, & dici, qui creauit omnia; ſufficiat tibi eius te nutricem inuentam, qui terrarum orbem nutrit; Magnum ſit tibi, eum te ſecundùm carnem geſtâſſe, qui ſuſtentat omnia. Idem ille Chriſtus, qui in te habitauit, pectori meo nunc inſidens, ſe in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël poſitum eſſe, me denuntiare iubet: In ruinam quidem incredulorum Iudæorum; in reſurrectionem verò gentium, quæ olim in illum crediturae ſunt. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur.* Contradictionis ſignum crucem vocat; cur ita? quia permulti ex infidelibus, dum Iudæi toti in hoc erant, vt illum in crucem agerent, multis modis Ieſu Chriſto aduerſati ſunt. Nam & verbis, & factis variè illum momorderunt; & aceto, & felle potauerunt; & ſpinea corona caput eius vndique cinxerunt; & lancea latus eius compunxerunt; & profanis manibus venerandam illius faciem cæciderunt; & contumeliosè ſimul, & furioſè; Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere, inclamauerũt. Atque huc tendebat Simeon, quando aiebat; *& in ſignum, cui contradicetur*: multi namque, quando Petrus negauit, cæteríque Apoſtoli, veluti oues paſtore deſtitutę, attoniti, diſperſi ſunt, illi ſeſe oppoſuerunt. Eodem illo crucis ſigno, cor virginis ſauciatum, mœroréque repletum, eam, vt credibile ſit, ad eiuſmodi ſermones compellebat; Cur antea mortua non ſum? cur in hunc diem reſeruata ſum? quæ virgo pepereram, maiori nunc inteſtino dolore differor, quàm cæteræ mulieres ſolent, dum fœtum enituntur. Plurimas id genus virginis querelas, & cogitationes, Simeon hoc loco gladium appellat: vt quæ viſcera illius, inſtar gladij, compungerent, offenſionémque minimè leuem offerrent, prout Dominus fore prædixerat; Omnes, inquit, nocte hac ſcandalum in me patiemini. Quamobrem Simeon nõ abſque cauſa ſubiunxit; *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes.* Diſcis hinc, quomodo Simeon vagas illas, confuſáſque virginis cogitationes, rhomphęam appellet; quippe quæ intima cordis illius grauiter morderent, renéſque, & medullas illius penetrarent. Incidit autem in has virgo Maria cogitationes, de reſurrectionis virtute nondum ſatis inſtructa, neque quòd ea in proximo eſſet, ſatis adhuc edocta. Neſciebat enim tantam eſſe Chriſti virtutem, vt mortem citra detrimentum deguſtare poſſet. At verò poſt reſurrectionem, anceps gladius animam illius non ampliùs occupauit; ſed lætitia, & exultatio. Signum ergo contradictionis, Simeon appellat

Geneſ. 17.

Pſalm. 79.

Eſaiæ. 9.

1. Tim. 5.

Ad hoc Pauli dictum de viduis intelligunt quæ votum continentiæ vouerant.

Contra vigendum: nam grauiter à Patribus ſecundæ nuptiæ nõ admodum probantur.

1. Tim. 5.

Nullo modo ſit probabile, aliquid eiuſmodi, vel ignorãtia, vel hæſitationem in animũ virginis immiſiſſe.

pellat Chriſti perpeſſionem, & crucem; quo cruciatuum tēpore variarum cogitationum gladius, cor virginis pertranſiuit. Sed dixerit hîc aliquis, Heus tu, vnde nobis rem ita habere oſtendis? Ex ipſamet Domini doctrina: Audi, quid dicat, Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Audis hîc, quomodo crucis perpeſſionem ſignum vocet. Sed neque in nouo Teſtamento hoc nomine tantùm deſignatur, verùm etiam in veteri. Vetus enim cum nouo, admodum conſpirat; prout vnus, idemque Deus eſt, qui ibi legem ſanxit, & hîc de diabolo, & morte triumphauit. Teſtem huius rei profero Dominum ipſum: Audi quibus ille verbis apud Prophetā Ezechielem Angelos meſſores alloquatur, dum vniuerſam conſummationem annunciat: Ne, inquit ibi, parcatis oculis veſtris, neque miſereamini ſenis, neque iuuenis, neque virginis, neque pueri, neque mulieris, trucidate vſque ad internecionem. Eos autem, qui in fronte detulerint ſignum T. ne tetigeritis. Et diſcis hinc, ſignum, cuius cùm vetus, tum nouum quoque Teſtamentum meminerunt, aliud nullum eſſe, quàm ſignum crucis. Quæ crux mūdo ſalutem attulit, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum; cui ſit gloria, & imperium, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth. 12.

Ezech. 9.

S. IOANNIS CHRYSOſtomi Epiſcopi Conſtantinop. de occurſu D. N. Ieſu Chriſti, deque Deipara virgine, & Simeone Oratio.

Theodoro Peltano interprete.

Eſt pars deciſa ex eius oratione, quæ infra habetur in feſto Purificat. B. Mariæ virg.

E *benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius; Ecce hic poſitus eſt, &c.* In quorum ruinam? in eorum vtique, qui non credunt, inſontémque in crucem agunt. In quorum autem reſurrectionem? illorum, qui beneficium agnoſcunt, gratóque animo recolunt. *Et in ſignum, cui contradicetur.* Cuiuſmodi eſt ſignum, de quo hîc ſermo: haud aliud ſanè, quàm crucis ſupplicium. Quod crucis ſignum, Eccleſia mundo ſalutare agnoſcit, quod Iudæus capitaliter odit, quod cælum ipſum non ſemel palàm oſtendit. Patet autem hoc ſignum contradictioni, vt vincat veritas; Nam citra concertationem, victoria ſuis numeris abſoluta non obtingit. Oportebat itaque induci contradictionem, quò iudex per manſuetudinem, & patientiam, ſecundam in omne æuum ſententiam obtineret. Dicit itaque; *Et in ſignum, cui contradicetur,* nempe ab incredulis, & infidelibus. Tu autem, ſubiungit porrò, quę mater haberis, nunquid non tentabere? Ob id ne forſan, quòd pueri huius matrem te profiteris, quòd illum in lucem edideris, quòd vterum ei accommodaueris, (tuus enim vterus vas extitit, in quo admirabile illud opus conflatum fuit) ab omni prorſus tentatione immunis eris? Nunquid, quia Deipara es, & Deiparens appellaris, nulláſque experta nuptias fœtum concepiſti, & dudum autè ad vtrumque deſtinata

Sine pugna non contingit victoria.

fuiſti, omnis omnino tentationis exors eris? nequaquam, nam & tuam quoque animam pertrāſibit gladius. Propter quid, Domine? ecquid enim ego peccaui? tu quidem nihil peccâſti, attamen, vbi illum in crucem actum videris, vbi illum pro mundo patientem conſpexeris, vbi manus illius in cruce extenſas, clauiſque ligno affixas intuita fueris, tum demum incipies hæſitare, & dicere: Hiccne ille eſt, de quo Angelus tam præclara diſſerebat? húccine admirandum illud conceptionis miraculum eſt? Virgo eram, & peperi, qua de cauſa hic cruci affigitur? *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ne vllus omnino tentationis ignē euadat. Petrus ter negat, cæteri diſcipuli, eo deſerto, fugam ineunt (nec enim paſtor, vt ab ouibus defenderetur, egebat, neque pugil præſidiariis militibus opus habebat) omnes proinde deceſſerunt, omnes fugerunt; Solus autem Chriſtus, vt aries ille ſuſpenſus, conſtans permanſit. Pertranſiuit itaque illius quoque animam gladius, tentatio nimirum, & quædam animi hæſitatio. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Paritur autem Ieſus, hinc quidem, vt incredulorum perfidia oſtēdatur, palamque reuincatur: Inde verò, vt credentium beneuolentia, & gratitudo ſtatuatur, & confirmetur. Expoſitum verò eſt ſignum hoc contradictionibus, vt refutentur, & confundantur, qui ſola malitia, & improbitate incitati, illi aduerſantur. Nam, ſi veritas nulli controuerſiæ apud homines obiecta foret, pietas iuſtam probationem nullam haberet? Permiſſa autem contradictio, hærenti voluntati, claram veritatis lucem efficit. Impugnatur hoc ergo ſignum, non prorſus inutiliter: nam quomodo perſecutione tentati ſunt martyres? an non, dum viriliter decertant, per animi fortitudinem, & patientiam victores declarati ſunt? Vide ergo quantum commodum contradictio adferat. Nec enim ſolùm fideles, vt quis forſan putaret, progignit, ſed etiam martyres, dum nimirum ad tormenta, & mortem vſque progreſſi, quantum Chriſti gratia queat, per ſuam tolerantiā palàm orbi demonſtrant. Cæterùm quando Simeon dicit; *Ecce hic poſitus eſt in ruinā, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur,* non eſt id ita accipiendum, quaſi Chriſtus ruinam operetur, aut reſurrectionem vi extorqueat: Poſitus eſt autem iis in ruinam, qui data opera, in lapidem offenſionis impegerunt, illis verò in reſurrectionem, qui libero voluntatis propoſito crediderunt, vel etiamnum credunt. Perinde enim hæc in medium poſito habet, ac ſi quis dicat: Lux oritur, vt ſani videant, oculi autem ægri lucis ſplendorem impenſiùs deuitent. Quomodo autem alij, ij nimirū, qui reprehenſione digni erant, prolaberentur, alij contrà, ſpe bona ſponte concepta, exurgerent, ſi ſignum illud non oppugnaretur? Quin ob id quoque; *Et in ſignum, cui contradicetur,* Simeon ait, ne fideles propter contradictionem turbentur, aut à fide alienentur, hinc edocti, ipſam quoque diuinam veritatem interdum oppugnari. Quis enim contradicere poſſet, aut contradicere quoque auderet, ſi Deus non permitteret? neceſſaria eſt itaque permiſſio. Erit autem, quando contradictioni nullus ampliùs erit locus. Cùm enim ſignum illud ſemel fulgere cœperit, tunc omnis omnino lingua cæleſtium, terreſtrium, & inferorum confitebitur, quia Dominus noſter

Quæcunque ab hoc Patre de Maria tentatione, & hæſitatione dicuntur, ea & cautè ſunt intelligenda, & piè exponenda: Certum eſt enim, omnem prorſus peccati expertem vitā tranſegiſſe.

Chriſtus nullius ruinā operatur; neque vllius reſurrectionē vi extorquet.

Philip. 2.

 Ieſus

Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Quouſque enim ſignum per ſe ſolùm apparet, re deſignata in medium non prodeunte, ſignum impugnatur: Cùm verò in ſecundo aduentu is, quem ſignum denotabat, terrarum orbi patefiet, tūc nemo amplius ſigno cōtradicere audebit. Cùm is, inquam, qui deſignabatur, aduerſus eos, qui contradixerant, in diuinitate ſua conſpicuus manifeſtè aduenier, tunc ij quidem qui ſignum ſuſceperunt ab eo, quem ſignum denotauerat, gloria extollentur, illi verò, qui ſigno ſeſe oppoſuerant, ab eo, qui illud deſignatus fuerat, condemnabitur. Et tunc finis erit contradictionis, finis dubitationis, finis infidelitatis, finis erroris: Erit autem initium præmiorum, & coronarum, quibus vtinam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum nos omnes potiamur. Ipſi ſit gloria, & imperium, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

TIMOTHEI PRESBYTERI *Hieroſolymitani de propheta Simeone, qui Chriſtum vlnis excepit, Oratio,*

Theodoro Peltano interprete.

Eſt pars deciſa ab eius oratione, quæ eſt infra in feſto purificat. B. Mariæ virginis

Omnia hæc pie quadr. & veriſimilit. ratione conſtant.

DVm hæc fiūt, Simeon Chriſtum Dominum, qui in infantis ſpecie per id tēpus conſpiciebatur, inter vlnas ſuas complexus, Ioſepho quidem, & virgini benedixit; de puero autem Ieſu, matrem affatus, eiuſmodi oraculum edidit: Quid, ô virgo, puerum hunc aſpicis? tuum quidem, & non tuum; manſiſti enim virgo, vt antè eras. Cur fixis ſubinde oculis illum intueris? Cur frequenter deoſcularis? Cur mammam, quò vegetiorem reddas, identidem illi porrigis? mannæ, vitæq; largitor non indiget alimentis. Cur patulum, quò ſomnum illi concilies, teneris manibus demulces, crebróque agitas? Ignotas ſecundùm diuinitatis maieſtatem, quæ abdita in ipſo latet, non dormire, neque vnquam dormitare. De ipſo enim Propheta ait; Nō dormiet, neque dormitabit, qui cu- Pſal. 120
ſtodit Iſrael. Cur virgo infantulum hunc contemplaris? Hic infans, ô virgo, occulta diuinitatis virtute, cælum veluti pellem extendit; terram autem ſuper nihilum ſuſpēdit; aquam verò terrarum orbi veluti fulcrum ſubſtrauit. Hic puer, ô integerrima virgo, Solē inſtar aurigæ regit, lunęq; clauum, quocunque viſum fuerit, impellit. Hic puer ventos è theſauris ſuis depromit, omniúmque, quæ natura conſtant, Imperator, & Dominus exiſtit. Infantem hunc, ô virgo, non in communem, vulgarémve vitæ huius oblectationem, ſed in ſpirituale gaudium datum agnoſce. *Ecce enim hic poſitus in ruinam, &c.* Hæc ſanctus ille Simeon, qui Deum vlnis excepit, de puero Ieſu, non abſque Spiritus ſancti reuelatione, ad virginem Mariam dixit. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Cur, quæſo, in ruinam? cur rurſum in reſurrectionem? Sermo hic, de Domino enuntiatus, eſt verus: nam, cùm Simeon non ſua virtute, ſed Spiritus ſancti patefactione duceretur, quæcunq; apud virginem de Domino concionabatur, ea vera erant. *Ecce,* ait, *poſitus hic eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael.* In ruinam quidem infidelium, in reſurrectionem verò credentium. In ruinam ſynagogæ, in reſurrectionem Eccleſiæ. In ruinam dæmonum, in reſurrectionem Sāctorum. In ruinam profanorum peccatorum, in reſurrectionem autem iuſtorum. Poſitus eſt ergo in ruinam, & reſurrectionem. Surrexit Matthias, concidit Iudas. In ruinam proinde, & reſurrectionem multorum in Iſrael. In reſurrectionem latronis, qui pendebat à dextris; in ruinam autem alterius, qui ſuſpenſus erat à ſiniſtris; quandoquidem hic conuitia in Chriſtum iactabat, ille verò pium in eundem affectum oſtendebat. *In ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur.* Et hoc quoque, quod de cōtradictionis ſigno hic dicitur, veritate nititur. Dominus namque, prout ex virgine natus, contradictionis ſignum extitit: ſiquidem magnum ſignum erat, eam, quæ pepererat, tam in partu, quàm poſt partum, virginem permanſiſſe. Quòd autem cōtradictionj ſigni ratio, & appellatio, in virginem Matrem non omnino malè conueniat, id ex Eſaiæ libro, in quo ea de re agitur, cognoſcere licet: Pete tibi ſignum in profundo, ait Dominus ad Achaz, aut in excelſo. Et dixit Achaz; non petā, & non tentabo Dominum; & dixit Eſaias; Ecce dabit vobis Dominus ipſe ſignū. Quale autem illud? Ecce virgo in vtero habebit. Ad hoc ergo dominicum, virgineóq; partu editum ſignum, cui multorum contentioſę linguæ olim contradicturæ erant, ſpectabat Simeon, cùm, quod futurum erat, præuidens, virginem ita alloquebatur; *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ex hoc loco quidam conſtituere voluerunt, domini matrem gladio enectam, martyrio vitæ finem feciſſe, eò nimirum, quòd Simeon dicat; *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Verùm res ita non habet, Calybeus enim gladius corpus diuidit, non etiam animam diſcindit: Virgo autem modis omnibus inculpata, & ſacroſancta, eius volūtate, qui in ea habitauit, ad cęleſtem regionem iam olim aſſumpta, trāſlataque, in hodiernum vſque diem immortalem vitam ducit. Quò ergo Simeonis tēdit oratio? cùm virginem ſic compellat, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur cogitationes ex multorum cordibus.* Gladium animam penetrantem, Simeō hoc loco appellat dolores, quos virgo perpeſſura erat, rata eum ſe perdidiſſe, qui ob id venerat, vt perditos quæreret. Quòd autem ingens mœror ad virginis animam peruenerit, cùm eum ſe amiſiſſe arbitrata eſt, qui ſuus, hoc eſt, virginis filius appellabatur, id paulò antè ex Euangeliſta auditum eſt; Et cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, ſcribit ille, aſcendentibus illis Hieroſolymam, &c.

Ratio ſigni in Matrem virginem quoq; quadrat.

Eſa. 7.

Virgo mater nunc ad cœlū corpore & animo aſſumpta eſt: at hoc non iſta morte, vt hic autor innuere videtur.

TITI BOSTRORVM *Epiſcopi eiuſdem Euang. expoſitio.*

ECce hic poſitus eſt in ruinā, & reſurrectionem multorum in Iſrael. Quod dominus in ruinam & reſurrectionem multorum poſitus dicitur, id non ita accipiendum eſt, quaſi aliis autor ſit, vt cadant, aliis neceſſaria cauſa, vt reſurgant: nulli enim ruinæ cauſam offert, nec vllum rurſus, vt exurgat, compellit, quicunq; enim cadunt, à gradu vtique, vel ordine, in quo ante conſiſtebant, decidunt: pagani autem humi perpetuò reptantes, nunquam

conſtit

conſtiterunt. Rectiùs proinde dicitur, per Christi aduentum effectum, vt is, qui antè in peccato immortuus perſtabat, peccato per pœnitentiam cadat, ipſiq; moriatur, quò iuſtitiæ deinceps viuat, perq; fidem in Chriſtum conſurgat. Vt enim meliora exurgant, peiora ruant oportet. Niſi enim ſcortatio, & impudicitia cadãt, pudicitia & caſtitas nunquam exurgent. Sic quoque niſi beluinus ſenſus ruat, rationis vis, quæ in nobis eſt, non facilè ſurget. Hoc igitur ſenſu in ruinam & reſurrectionem multorum poſitus intelligatur. *Et in ſignum, cui contradicetur.* Sacris literis edocti, per ſignum, ſalutarem viuificámq; crucem accipimus; Moyſes enim, vt tradunt illæ, fecit ſerpentem æneum, & poſuit eum in ſigno, hoc eſt, in cruce. Quia ergo non deſunt vnquam, qui de Chriſti domini noſtri incarnatione verboſè digladientur, eandémque variè oppugnent, (Alij namque Dei verbũ corpus ſumpſiſſe; alij abſque vlla corporea cõcretione ad nos deſcendiſſe aiunt: Alij rurſum corpus, quo indutus erat, verè paſſibile extitiſſe, alij externa tantùm corporis ſpecie œconomiæ opus expleuiſſe definiunt. Alij item terrenum, alij cæleſte corpus habuiſſe aſſerunt: Alij tandem ab æterno extitiſſe, alij ab immaculata virgine Maria primam originem traxiſſe contendunt) meritò Chriſtus dominus in ſignum, cui contradicitur, poſitus perhibetur. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Gladij nomine tentatiu, cogitationúmq; fluctus, & mentis agitatio hoc loco deſignatur. Simeon namque ſacræ Mariæ virgini vaticinatur, poſt luculentum illud Gabrielis teſtimonium, poſt arcanam diuinæ conceptionis normam, poſt euidentem tot illuſtrium miraculorum demonſtrationem quando cruci aſſiſteret, factáque & dicta, quæ tum ſe offerent, cerneret & audiret, quandam animi titubationem ipſi obrepturam. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* His inſinuatur, poſt ſcandalũ, quod diſcipuli, & ipſa quoque ſacratiſſima virgo, de Chriſti cruce paſſuri erant, tranſactũ fore, vt tempeſtiua mox præſénſque medicina adhibeatur, talis nimirum, quæ fide eorum corda confirmet ſtabiliátque. Sic Petrum poſt Chriſtum negatum, Chriſtianæ fidei validiſſimè adhæſiſſe nouimus. Quo igitur Chriſti virtus oſtendatur, humanæ naturæ infirmitas redarguitur. Alio ſenſu rhomphæam, animi afflictionem, quam ſacroſancta Virgo, dũ cruci aſſiſteret, pertulit, appellat. Indignum namque cenſebat, inſontem Filium talia, tantáq; perferre: nam ſtatim è mortuis reſurrecturum, vt quiddam nimis arduum & grande, per id tempus needum certò credebat. Ait certo, *vt reuelentur ex multorũ cordibus cogitationes*, hoc eſt, vt omnes omnium cogitationes manifeſtæ fiant, cunctiſq; clarè conſtet, qui ex omnibus ex animo illum dilexerint, eámq; erga eum dilectionem conſtanter vſque ad mortem declarauerint: Qui rurſum fucatæ, minimèque ſynceræ fidei in eum extiterint, graníque, propter crucem, ſcandalum paſſi fuerint: Qui illum tandem in mortem tradiderint, cruciq; eiuſdem & morti inſultauerint. *Et erat Anna propheteſſa.* Anna hæc, quæ tam illuſtri Euangeliſtæ teſtimonio commendatur, mundi Iſraeliſque ſalutem præ foribus iam adeſſe cernens, confitebatur domino, hoc eſt, gratias illi ex animo agebat. *Et loquebatur de illo.* Quid loquebatur? Hic, inquiebat, eſt mundi Redemptor, hic hominum eſt Seruator, hic ille eſt, qui noſtram mœſtitiam, animique deiectionem, in gaudium & lætitiam conuertet. *Reuerſi ſunt in Galilaam, in ciuitatem ſuam Nazareth.* Etſi natiua illorum ciuitas eſſet Bethlehem, attamen quod fixum annos iam aliquot domicilium in Nazareth obtinerent, vulgò ciuitatis Nazareth ciues habebantur, & dicebantur. *Puer autem creſcebat, & confortabatur.* Quandoquidem Euangeliſta Deum verbum, non nudum, ſed vera carne indutum inducit, propterea ſcribit: *Puer autem creſcebat, & confortabatur.* Sunt enim iſthæc, ad aſſumptam carnem referenda: ſecundùm corpus namq; creſcebat, & confortabatur, membrorum nimirum robore vnà cum ipſa corporis mole ſenſim gliſcente, & adoleſcente. *Plenus ſapientia, & gratia.* Puer Ieſus non implebatur gratia & ſapientia, quod aliquod gratię, aut ſapientiæ incrementum, per temporum interualla ipſi accederet, (ſemper enim, vt Deus, earum rerum plenus erat) ſed quod Dei Verbum, ſapientiam & gratiam, qua pollebat, iuxta corporis incrementum, magis magiſque ſubinde proderet.

Hoc myſterij aliqui expoſitio, neque veterum ſententia, neque excellentiſſima quoque gratia, qua D. Virgo ornata erat, ſatis eſt conſentanea. Immeritò virgo mater, quæ Chriſtum, neque animo, neque corpore vnquã deſeruit: Stabat enim iuxta crucẽ Ieſu, cum fortior hic cum Apoſtolis crucis ſcandalum paſſa.

Hæc explanatio verior, & apud veteres multò receptior.

Nullo modo fit credibile, Virginem matrem de Chriſti reſurrectione dubitaſſe.

BEDAE VENERABILIS
presbyt. ſuper. euang. expoſitio.

ET *erat pater eius, & mater, &c.* Patrem ſaluatoris appellat Ioſeph, non quo verè iuxta Photinianos pater fuerit eius, ſed quo ad famam Marię conſeruandam pater ſit ab omnibus æſtimatus. Neque enim oblitus Euangeliſta, quod eam de ſpiritu ſancto concepiſſe, & virginẽ peperiſſe narrarit: ſed opinionẽ vulgi exprimens, quæ vera hiſtoriæ lex eſt, patrem Ioſeph nuncupat Chriſti. Quamuis & eo modo pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ rectè intelligitur ſine commixtione carnis ipſa copulatione coniugij, multo videlicet coniunctius, quam ſi eſſet aliunde, adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Ioſeph pater Chriſti, quia nemo eum concumbendo genuerat, quandoquidem rectè pater eſſet etiam eius, quem non ex ſua coniuge procreatum alicubi adoptaſſet. *Et dixit ad Mariam matrem eius. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, &c.* Bene in reſurrectionem, quia lumen eſt, quia gloria plebis Iſrael, quia dicit, Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Quomodo autem in ruinam, niſi quia & lapis offenſionis eſt, & petra ſcandali? id eſt ruinæ iis, qui offendunt verbum, nec credunt. De quibus ipſe dicit; Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem, excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui non in ſeipſo tantum, ſed in ſuis quoq; prędicantibus in ruinam poſitus eſt, reſurrectionemque multorum, teſtante apoſtolo, qui ait, Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt, & odor mortis in iis, qui pereũt. Qui enim, prædicante Apoſtolo, verbum, quod audit amando ſequitur, bono odore reſurgit & ſaluatur. Qui odiendo inſequitur, eodem ipſo bono odore corruit, & moritur. Signum autem cui contradicetur, fidem dominicæ crucis accipe. De qua apoſtolo Paulo dicunt Iudæi; Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quòd vbique ei contradicitur. Et Apoſtolus ipſe; Nos enim (inquit) prædicamus Ieſum Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. *Et*

tuam

tuam ipſius animam pertranſiet gladius. Nulla docet hiſtoria beatam Mariam ex hac vita gladij occiſione migraſſe, præſertim cum non anima, ſed corpus ferro ſoleat interfici. Vnde reſtat intelligi gladium illum, de quo dicitur; Et gladius eſt in labiis eorum, hoc eſt, dolorem dominicæ paſſionis, eius animam pertranſiſſe. Quæ & ſi Chriſtum vtpote Dei filium ſpōte propria mori, mortémque ipſam non dubitaret eſſe deuicturum, vt ſua tamē carne procreatum non ſine doloris affectu potuit videre crucifigi. Nam & ferrum, quod animam Ioſeph pertranſiſſe canitur, nullum melius quam duram tribulationem mentis intelligitur. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Incertum erat quondam, qui Iudæorum gratiam Chriſti quam venturam vtique nouerāt recipere, qui autem reſpuere mallent. At, eius natiuitate audita, reuelatis mox cordium cogitationibus Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Paſtores cum timore, & gaudio Deo laudem reſonant, hominibus pacis nuncium pandunt. Eius doctrina, & virtute diffamata, alij ad eum quaſi magiſtrum veritatis confluunt, alij ab eo quaſi ſeductore refugiunt. Eius ſigno crucis erecto, hi quaſi iuſte morti datum blaſphemantes irrident, illi quaſi vitæ auctorem mori acriter dolent. Sed & vſque hodie, & vſque ad conſummationem ſæculi præſentis eccleſiæ animam gladius duriſſimæ tribulationis pertranſire non ceſſat, cum ſigno fidei ab improbis contradici, cum audito Dei verbo, multos cum Chriſto reſurgere, ſed plures à credulitate ruere gemebunda pertractat. Cum reuelatis multorum cordium cogitationibus, vbi optimū euangelij ſeuit ſemen, ibi zizania vitiorum vel plus iuſto præualere, vel etiam, quod dictu graue eſt, ſola germinare, ac regnare conſpicit. *Et erat Anna propheteſſa filia Phanuel, &c.* Iuxta hiſtoriā deuotæ cōuerſationis, & venerandæ pariter ætatis, dignáque per omnia, quæ domino incarnato teſtimonium ferret, Anna fuiſſe docetur. Iuxta intellectum vero myſticum, quia eccleſiam ſignificat, quæ in præſenti quaſi ſponſi, dominiq; ſui eſt morte viduata, numerus etiam annorum viduitatis eius tempus eccleſię deſignabat, quo in corpore conſtituta, peregrinatur a domino, magnæque deuotionis affectu cæleſtis templi limina ſeruans, quotidianum illum domini præſtolatur aduentum. De quo dicit; Veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Septies quippe duodeni, octoginta quatuor faciunt. Et ſeptem quidem ad huius ſæculi curſum, qui diebus ſeptem voluitur. Duodecim vero ad perfectionē doctrinæ apoſtolicæ pertinent. Ideoque ſiue vniuerſalis eccleſia, ſeu quælibet anima fidelis, quæ totum vitæ ſuæ tempus apoſtolicis mancipare curat inſtitutis, quaſi ſeptem per duodecim multiplicare, & typicis octoginta quatuor annis domino ſeruire laudatur. Sicut etiam tempus ſeptem annorum, quo cum viro ſuo manſerat, dominicæ incarnationis tempori decentiſſime congruit. Septenario nanque, vt dixi, numero, perfectio ſolet temporis indicari. Sed ibi propter dominicæ priuilegium maieſtatis, quo in carne verſatus docuit, ſimplex ſeptem annorum eſt numerus expreſſus. Hic ob Apoſtolicæ culmen dignitatis, ſeptem anni per duodecim multiplicantur. Arridet autem eccleſiæ myſteriis quod Anna, & gratia eius interpretatur, & filia eſt Phanuel, qui facies Dei dicitur, cum pſalmographo decantans; Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Et de tribu Aſer, hoc eſt, beati deſcendit, qui inter patriarchas duodecim ordine naſcendi eſt octauus. De quo numero quia nouo teſtamento ſit ſacer, crebrius eſt inculcatum. *Et hæc ipſa ſuperueniens confitebatur domino, &c.* Prophetauit Simeon, prophetauerat copulata coniugio, prophetauerat virgo, debuit etiam vidua, ne aliqua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus. Et ideo Anna & ſtipendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna plane fuiſſe credatur, quæ redemptorem veniſſe omnium nūciaret. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem domini, &c.* Prætermiſit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo ſatis expoſita nouerat, Dominum videlicet poſt hæc, ne ab Herode necandus inueniretur, Aegyptum à parentibus eſſe delatum, defunctóque Herode ſic demum Galilæam reuerſum, Nazareth ciuitatem ſuam inhabitare cœpiſſe. Solent enim Euangeliſtæ ſinguli ſic omittere quædam, quæ vel ab aliis commemorata viderint, vel ab aliis commemoranda in ſpiritu præuiderint, vt continuata ſuæ narrationis ſerie, quaſi nulla prætermiſiſſe videantur. Quæ tamen alterius euangeliſtæ conſiderata ſcriptura, quo loco tranſilita fuerint, diligēs lector inueniat. *Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo.* Notanda diſtinctio verborum, quia dominus Ieſus Chriſtus in eo quòd puer erat, id eſt, habitum humanæ fragilitatis induerat, creſcere, & confortari habebat. In eo vero, quòd etiam verbum Dei, & Deus æternus erat, nec confortari indigebat nec habebat augeri. Vnde rectiſſime plenus ſapientia perhibetur, & gratia. Sapientia quidem, quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Gratia autem, quia eidem mediatori Dei, & hominum, homini Ieſu Chriſto magna gratia donatum eſt, vt ex quo homo fieri cœpiſſet, perfectus eſſet & Deus. Cui ſimile eſt, quod Ioannes ſcribit eum plenum gratia, & veritate, eandem ipſe diuinitatis excellentiam veritatis, quam Lucas ſapientiæ nomine commendans. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolenni paſcha.* Vides hunc euangeliſtam inter animalia quatuor non fruſtra vitulo comparatum, qui quaſi hoſtiis deputatum animal, circa templum maxime, & Hieroſolyma narrationis ſuæ diuerſatur inceſſu. Siquidē in principiis ſacerdotem collocat ad aram orantem, populi multitudinem templi ſiſtit in atriis. Mariā mox domino concepto, Hieroſolyma mittit, domum pontificis intromittit. Ibi & Baptiſtam natum refert, & dominum poſt natiuitatem continuo cum hoſtiis transfert. Eundem illo ſingulis annis cum parentibus ducit, & duodennem in templo doctorum choris inſerit. Vbi inter alia ſapientibus ſtupenda dicit, Quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Et poſt cætera talia, laudantes Deum in templo diſcipulos in euangelij ſui fine concludit.

ALBINI ALCVINI SERMO *in eadem Dominica.*

DVm medium ſilentium tenerent omnia. Tria ſunt ſilentia. Primum ſilentium eſt ignorantia languoris, ſecundum ſilentium eſt deſperatio curationis, tertium ſilentium eſt adeptio ſanitatis. *Habetur in eius Homil.*

Primum

Primum ſilentium fuit ante legem, ſecundum inter legem, & gratiam, tertium erit poſt hanc vitam. Primum ergo ſilentium fuit, quando homo non agnouit morbum ſuum, & ideò ſiluit, nec quærebat remedium. Sed poſtquàm lex ſubintrauit, & oſtendit languidis vulnera ſua, ſtatim ruptum eſt ſilentium, & cœperunt mox ægri ſalutem quærere. Sed, quia per opera legis, vbi ſalus non erat, ſaluari volebant, quod quærebant, inuenire non potuerunt. Tandem igitur conſiderans homo per legem neminem iuſtificari poſſe, quaſi per diuturnos clamores fatigatus, & iam deſperans, rurſus loqui ceſſauit, ſubſecutum eſt ſecundum ſilentium. Tunc ergo omnipotens verbum Dei patris in carne veniens, rupit ſilentium, locutum eſt pacem, dedit gratiam, propoſuit miſericordiam, promiſit veniam: & cœperunt ægri currere ad medicum, & quaſi magnis clamoribus, ſic pura fide, cordis, & vera confeſſione oris flagitare remedium. Hoc itaque nunc in præſenti vita agitur, vt homo per gratiam Dei ſanitatem recipiat. Sed cùm plenam ſanitatem receperit, & ad illam fœlicitatem immortalitatis perductus fuerit, non erit amplius, quod petat. Et tūc ſequeretur tertium illud beatum ſilentium, quod nunquam habebit finem. Inter primum & medium ſilentium multa ſonuerunt verba, inter medium & vltimum ſilen-
Ioan. 1. tium ſonat vnum verbum. Multa verba fuerunt, multiplicia legis mandata, quæ per Moyſen data eſt. Vnum verbum eſt gratia Dei, quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt, vel potius Ieſus Chriſtus eſt. Moyſes famulus Dei multa verba, multos ſermones protulit: Deus pater vnum verbum, vnum ſermonem miſit. Sed ſermones Moyſi omnipotentes non fuerunt, quia quod dicebant, facere non potuerunt: & ideò tandem quandoque in promiſſione deficiendo ſiluerunt: & tunc omnipotens verbum venit, ſermo Dei, qui non ſolùm dixit; ſed quæcunque dixit, immò quæcunque voluit, fecit. Iſte ſermo, iſtud verbum adhuc loquitur, quandiù in fidelibus ſuis promiſſiones ſuas operatur. At, cùm promiſſa impleuerit, quaſi tunc loqui ceſſabit: cùm autem promiſſa impleta fuerint, quia ampliùs, quòd petatur, nō erit, fœlix in ſempiternum ſilentium erit. Dum ergo medium ſilentium tenerent omnia. Benè omnia, hoc eſt non ſolùm illi, qui in petitione deſperabant, ſed & illi qui in promiſſione defecerant: & nox in ſuo curſu medium iter haberet. Nox etenim in ſacra ſcriptura aliquando pro diabolo, aliquādo pro membris eius, id eſt, peccatoribus, & iniquis, aliquando pro ipſo peccato, aliquando pro præſenti vita accipitur. Per noctem ergo in loco mortalis huius vitæ fluxus ſignatur, ſicut per diem alibi claritas vitæ perpetuæ. Nox iſta habet veſperam, dies illa habet auroram. Veſpera præſentis noctis, fuit inclinatio huius diei: aurora illius diei, inclinatio præſentis ſeculi. Veſpera huius noctis fuit, ex quo Adam peccauit, donec accepta mortis ſententia, à paradiſo pulſus, in tenebras huius mundi exiit. Aurora ſequentis diei, eſt à reſurrectione Chriſti vſque in finem ſeculi: ergo iſta vita, nox eſt. Sed quis eſt curſus vitæ iſtius? Videamus quò currat. Per mortalitatem currit in mortem, per mortalitatem currit in damnationem. Igitur vita mortalis deorſum currit, ſicut vita immortalis ſurſum. Iter ſurſum eſt in cælis, iter deorſum in inferis, [illegible] medium ſtadium vitæ præſentis, quod naſcendo intramus, viuendo percurrimus, moriendo eximus. Quando ergo nox in ſuo curſu in medium iter habuit, niſi quando mors vniuerſos, quos in ſtadio vitæ præſentis reperit, ſecum ad inferos traxit, & nemo adhuc mortalium ad vitam immortalium aſcendere potuit? Vel per noctem accipere poſſumus peccatum, quæ videlicet nox ab originali peccato cœpit, & per actualia encurrit. Quando ergo poſt originalem præuaricationem, primum præuaricatione naturalis legis, ac deinde ſcriptæ legis præuaricatione ſuccedente, peccatum ad ſummum incrementum venerat: quaſi nox in ſuo curſu medium iter habebat. Sed iſta nox vera luce apparente, mox deorſum vergere cœpit, & nūc quaſi quadam alterna mutatione paulatim decreſcēs elongatur, quouſque lux creſcendo ad plenam diem perueniat. Vide ergo ordinatiſſimum diuinæ diſpenſationis conſilium. Quando omnis recuperandæ ſalutis ſpes perierat, mors omnia ſecum deorſum rapiebat, peccatum ad ſummum venerat, tunc omnipotens ſermo liberandis mittitur, vt ampliùs diuinæ gratiæ munus commendetur. Venit, inquit. Quis? Vnde? Quid? Sermo altiſſimi, verbum Dei, vnicus patris, rex filius regis. De conſeſſu patris ad tolerātiam paſſionis. De æqualitate maieſtatis, ad patibulum crucis. De ſede regali, ad officinam peccati. De lumine cæli vſque ad tenebras inferni. Sed nunquid ideò regnum perdidit? Immò eos, qui ſerui erant peccati liberans, vſque ad conregnandum ſibi ſublimauit. Et ideò fortaſſis à regalibus ſedibus venit, quia in domo patris eius manſiones multæ ſunt, & regnabunt cum illo in æternum, cùm acceperint regnum, Ioan. 14.
quod paratum eſt ab initio ſeculi. Vnicus enim re- Matth. 25.
gis erat, ſolus regnum habuit. Sed quia ad conregnandum ſibi fratres adoptare venit, iam non à ſede regali, ſed à ſedibus regalibus venire debuit, quia regnum, ad quod vocantur electi Dei, præparatum eſt ab initio ſeculi.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

Erant Ioſeph, & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo, &c. In textu Euangelij, vbi ſcribuntur Euangelia per ordinem, ibi inchoatur hoc Euangelium ita. *Erat pater, & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Sed beatus Hieronymus dixit, non debet ita legi in die ad miſſam, vt diceretur: Erat pater eius, & mater, propter ſimplicem populi intelligentiam, ne forte putaret vulgaris populus Ioſeph patrem ſaluatoris fuiſſe. Sed potiùs dixit ita debere legi. *Erat Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Pater domini noſtri Ieſu Chriſti appellatur Ioſeph, non quòd verè pater eius fuerit iuxta Photinianos, qui dixerunt, dominum Ieſum Chriſtum de ſemine Ioſeph eſſe natum. Sed opinionem, id eſt, famā populi poſuit euangeliſta, quia ab hominibus tunc temporis, qui videbant beatam Mariam in coniugio poſitam æſtimabatur pater domini Ioſeph. Multò cōiunctiùs potuit dici Beatus Ioſeph pater domini, quàm ſi eſſet aliunde adoptatus, ex alterius vxore generatus. Solent homines, qui non habent proprios filios, liberos amicorum ſuorum in proprios adoptare, & hæredes efficere. Ita inuenimus in libro Iudicum. Etſi ille

talis

talis per adoptionem filius hominis appellatur, licet ex alterius vxore generatus, quantò magis dominus Ieſus potuit filius Ioſeph adoptiuus appellari, qui de eius ſponſa eſt natus? Multo magis. Et quid mirum, ſi B. Euangeliſta Lucas Ioſeph patrem domini ſaluatoris appellat, cum beata Maria in ſubſequentibus legatur dixiſſe: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ego, & pater tuus dolentes quęrebamus te. *Erat* igitur *Ioſeph, & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo*, id eſt, de Chriſto, quia nunquam talia dicta fuerant de homine nato in ſeculo. Quæ ſunt, quæ fuerunt dicta de Chriſto? Quæ dicta ſunt à prophetis, quæ dicta à Gabriele archangelo, qui dixit ad beatam Mariam: ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quæ dicta ſunt à paſtoribus, quæ dicta ſunt à Magis, quę dicta ſunt ab Elizabeth, quæ dixit ad Mariam: Et vndè hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Quæ dicta ſunt à Simeone, & quæ dicta ſunt ab Anna. Hæc ſunt, quę fuerunt dicta de Chriſto, de quibus omnibus mirabantur B. Ioſeph, & beata Maria, & dicebant ita: Certè multa bene dicuntur de domino noſtro Ieſu Chriſto filio noſtro. *Et benedixit illis Simeon.* Euangeliſta non dicit, quam benedictionem illis dederit, tamen nos poſſumus dicere, quòd hanc benedictionem dederit illis: Benedicti vos ſitis à domino qui tam bonum filium genuiſtis. Et dixit ad Mariam matrem eius. *Ecce poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Hic puer poſitus eſt in ruinam incredulis, quibus ipſe dixit: In peccato veſtro moriemini. Ruina enim dicitur ruens ad ima. In ruina poſitus eſt dominus Iudæis, quia noluerunt in eũ credere, quibus dixit: Si non veniſſem, & locutus eis nõ fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Ruina ergo, id eſt, perditio fuit illis dominus, quia non crediderunt in eum: quia propter hoc quòd noluerunt in eum credere, ruerunt, id eſt, in æternam damnationẽ abierunt. Vndè & ipſe dominus à propheta appellatus eſt petra ſcandali, id eſt, petra ruinæ. Idipſum eſt ſcandalum, quod ruina. Iudæis, ſicut diximus, dominus fuit ruina, id eſt, perditio: illis damnatio, qui non crediderunt in eum. Reſurrectio autem multorum fuit in Iſrael. Multorum ideo dixit quia non omnes crediderunt in eum. Illi autem, qui crediderunt in eum tam ex Iudæis, quam ex gentibus illis fuit reſurrectio. Duæ ſunt reſurrectiones, ſicut & duæ mortes. Vna eſt reſurrectio animarum, quæ fit in præſenti ſeculo, quando reſurgunt homines in anima: dico de infidelitate ad fidem, de peccato ad iuſtitiam, de vitiis ad virtutes. Verbi gratia: Eſt aliquis paganus antè quàm veniat ad fidem, in morte infidelitatis iacet, & in morte peccati: quum autem baptizatur, ſurgit de infidelitate ad fidem, de peccato ad iuſtitiam, de vitiis ad virtutes, de diabolo ad Chriſtum. De iſta reſurrectio-
Ioan.5. ne dicit dominus alibi: Venit hora, & nunc eſt in præſenti ſeculo, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui crediderint, qui præceptis illius obedierint, & vſque in finem in bonis operibus
Apoc.20. perſeuerauerint, viuent in æterna gloria. De hac reſurrectione dicit Ioannes euangeliſta. Beatus, qui habet partem in reſurrectione prima, in quem ſecunda mors, id eſt, æterna damnatio, non habet poteſtatem. Ecce de prima reſurrectione quæ eſt animarum. Altera reſurrectio eſt corporum, quæ eſt futura in die iudicij. Illa eſt generalis de qua dominus dicit: Venit hora, quando omnes, qui in Ioan.5.
monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, &c. Ita diſtinguendum eſt, procedent de ſepulchris ſuis qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij. Et in reſurrectionem electis in Iſrael, Ezech.18.
id eſt, in populo Iſraëlitico, mors animę eſt, de qua ſcriptum eſt. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Quando anima peccat tunc moritur, quia vi- Ioan.10.
tam, id eſt, Chriſtum, amittit, qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Qui ergo hic fideliter reſurgit in anima, id eſt, de peccatis ad veniam, in die iudicij fideliter reſurget in corpore ad gloriam æternam percipiendam. *Et in ſignum, cui contradicetur.* Subauditur ab incredulis, & ab hæreticis, & à paganis. Quod eſt ſignum? Crux Chriſti. Nos dicimus crucifixum Chriſtum eſſe, ſignum eſt, cui contradicunt Iudæi. Nos Chriſtiani ſumus, & à Chriſto Chriſtiani vocamur. Quicquid legimus de Chriſto, ſiue in veteri teſtamento, ſiue in nouo totum verum eſſe credimus. Credimus quòd dominus Ieſus natus ſit de virgine Maria. Vndè hoc credimus: Quia prædictum eſt à propheta Eſaia. Ecce virgo concipiet, & pa- Eſaia.7.
riet filium. Et Gabriel angelus dixit ad B. Mariam: Aue gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Natus eſt dominus de virgine. Ipſa virginitas beatæ Mariæ ſignum eſt, cui contradicunt Marcioniſtæ: Marcion hæreticus fuit, qui dixit quòd dominus non fuit natus de virgine, ſed de corrupta muliere. Crucifixus eſt dominus, ſignum eſt, cui contradicunt Iudæi, qui dicunt: certè nondum natus eſt Chriſtus, nec crucifixus: quia ſi fuiſſet Deus, nullo modo potuiſſet crucifigi. Vndè legimus Iudæos beato Paulo dixiſſe. Nam de ſecta Act.17.
hac, id eſt, de doctrina hac, quam tu prædicas de 1.Cor.1.
Chriſto, nobis notum eſt, quia vbique ei contradicitur. Et idem beatus Paulus dicit: Nos quidem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Quod ergo nobis ſignum ſalutis eſt? Proptereà quia credimus omnia vera eſſe, quæ de Chriſto dicuntur, ſiue in veteri teſtamento, ſiue in nouo: ille eſt ſignum contradictionis, qui hoc non credunt, ſed potiùs contradicunt. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Nulla hiſtoria narrat, quod beata virgo, Maria gladio materiali tranſuerberata, ab hac vita migrauerit. Quare ergo Simeon dicit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*? Gladius carnem tranſuerberare poteſt, animam non poteſt. Sed ſciendum eſt, quia gladius diuerſas ſignificationes habet in ſacro eloquio. Hic autem pro dolore paſſionis accipitur. Quum dominus crucifigeretur, ſtabat Maria iuxta crucem, ſicut Euãgeliſta teſtatur, quando ei dixit dominus: Mulier ecce filius tuus: id eſt, caro quam de te aſſumpſi. Modò apparet quomodo moritur, quam virtutem habeat, & quam poteſtatem quam fragile ſit, & quàm infirmum. Quum autem videret eum pendentem in cruce, & ad vltimum mortuum perſpiceret, tunc dolor immaniſſimæ tribulationis penetrauit cor eius. Et tunc impletum eſt, quod Simeõ illi prędixit. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, id eſt, dolor dominicæ paſſionis, vſque hodie, & vſque

ad

ad diem iudicij animæ electorum tribulationem patiuntur, dum plures vident per vitia ad tartara ruere, & pauciores per virtutes ad cæleſtia conſcendere. Et quare iſta omnia aduenient? *Vt reuelentur*, id eſt, vt denudentur, & aperiantur, vt manifeſtentur, *Ex multis cordibus cogitationes.* Ante incarnationem filij Dei, domini noſtri Ieſu Chriſti in mundo incertum erat, quò quis eum animo deſyderaret. Vbi autem incarnatus apparuit, ſtatim cœperunt cogitationes ſingulorum manifeſtari. Audita eius natiuitate, mox Herodes rex turbatus [Matth. 2.] eſt, timens terreno priuari regno, & omnis Hieroſolyma cum illo turbata eſt. Paſtores venientes Bethlehem, Deo laudes retulerunt. Magi à finibus terræ Hieroſolymam veniunt ad adorandũ Deum. Bene, & cum muneribus venerunt, quia deſyderabant eum. Illo prædicante in mundo, alij confluebant ad eum, quaſi ad magiſtrum veritatis, alij refugiebant ab eo quaſi à ſeductore blaſphemantes [Ioan. 8.] illum, & dicentes: Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Illo crucifixo pro ſalute generis humani, diſcipuli triſtabantur, & Iudæi exultabant, & gaudebant, dicentes: Ecce quod ſemper optauimus, & ſemper deſyderauimus, iã videmus, & cernimus. Illo reſurgente à mortuis, Iudæi, qui fuerant gauiſi de morte eius, illi ſunt conſternati, & diſcipuli, qui fuerant triſtati, illi ſunt lætificati. Illius prædicatione per diſcipulos in totum orbem manifeſtata, gentiles ſunt læti, & Iudæi triſtati. Sicque completum eſt illud, quod Simeon prædixit: *Ecce poſitus eſt hic in ruinã, & in reſurrectionem multorũ in Iſrael & in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna propheteſſa filia Phanuel de tribu Aſer.* De viris dicimus prophetam, de fœminis propheteſſam. Anna hæc orando, & ieiunando propheticæ ſpiritum meruit à domino conſequi. *Filia Phanuel* ſecundum carnem nobilis erat genere hæc Anna. Ideo commemoratur genealogia eius. *De tribu Aſer.* Aſer fuit filius Iacob octauus duodecim patriarcharum in ordine naſcendi. De huius ſtirpe nata eſt hæc Anna. *Hæc* (ſub auditur Anna) *proceſſerat in diebus ſuis.* id eſt, diu vixerat, prolongauerat tempus ætatis ſuæ. Procedere enim eſt longè ire. *Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua*, id eſt, à temporé amiſſæ virginitatis, manſit cum viro ſuo, annis ſeptem. *Et hæc vidua erat.* Pòſt quam mortuus eſt vir ſuus *vſque ad annos octoginta quatuor. Quæ non diſcedebat de templo*, quod erat in Hieroſolymis, propter inſtantiam orandi, & frequentem aſſiduitatẽ, dicit euangeliſta, *Quæ non diſcedebat de templo.* niſi aut neceſſitatis cauſa, aut ad manducandum, aut bibendum, aut dormiendum, aut cæteras corporis neceſſitates explendas. *Ieiuniis, & orationibus ſeruiens nocte, ac die.* Talem viduam laudat B. Paulus apoſtolus, quæ poſt mortem viri ſui non cognoſcit alterum virum, ſed in oratione & ieiunio, & vigiliis conſiſtit, nec in delitiis viuit, illam verò [1. Tim. 5.] quæ in delitiis viuit reprobat dicens, Vidua in delitiis viuens mortua eſt, Si illæ moriuntur, quæ in delitiis viuunt, quid faciunt illæ, quæ tres, vel quatuor maritos, poſt mortem maritorum ſuorum cognoſcunt? Et quomodo poterat B. Paulus apoſtolus ſcire mala viduarum, qui virgo fuit, & [Paul. virgo permanſit.] virgo permanſit? Virgo enim fuit, quia gratia Dei præuenit eum. Vndè ipſe dicit. Vellem omnes ho- [1. Cor. 7.] mines eſſe ſicut meipſum. Id eſt, ſic vellẽ omnes homines eſſe virgines, ſicut & ego ſum. Sed ſciendum eſt, quia ſpiritus ſanctus, qui in illo erat, nunciabat illi mala viduarũ. Recurramus ad ſpiritualem intelligentiã. Anna interpretatur gratia eius. Cuius gratia? Dei gratia. Et ſignat ſanctam eccleſiam, congregationem iuſtorum, quæ nõ ſuis meritis, ſed gratia Dei ſaluatur, iuxta quod beatus Paulus apoſtolus dicit, Gratia Dei ſalui facti eſtis [Epheſ. 2.] per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt. Propheteſſa erat Anna. Et ſancta eccleſia propheteſſa, quia quotidie prophetat, id eſt, per prædicatores ſuos prædicat pœnas reproborum, & præmia electorũ. Et bene filia Phanuel, Phanuel interpretatur facies Dei. Et ſancta eccleſia filia faciei Dei dicitur, quia quotidie dicit Deo, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, domine. [Pſal. 4.] Quo affectu filia faciei Dei dicitur eccleſia? Quia vultum Dei, id eſt, ſimilitudinem Dei habet in ſe. *De tribu Aſer*, id eſt, de familia Aſer fuit Anna: quia ſancta eccleſia ad Chriſtum pertinet, ipſe caput eccleſiæ, & eccleſia corpus eius. Homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt, iuxta quod ipſe dominus dicit in Geneſi. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. De tribu Aſer fuit Anna. Aſer interpretatur pinguis panis: & ſignat dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt panis viuus, & verus qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Etiam ergo Anna de tribu Aſer fuiſſe dicitur, quia ſancta eccleſia ad Chriſtũ pertinet, illius corpore, & ſanguine quotidie reficitur. *Hæc proceſſerat in diebus ſuis.* Non poſſum per ſingula verba ire. *Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.* Vir ſanctæ eccleſiæ Chriſtus eſt, de quo dicit Zacharias propheta. Ecce vir, oriens nomen eius. [Zach. 6.] Ipſe eſt ſponſus, de quo dicit Pſalmiſta: Tanquam ſponſus dominus procedens de thalamo ſuo. [Pſalm. 18.] Sponſa eius eſt eccleſia. Vndè Ioannes Baptiſta dicit: Qui habet ſpõſam, ſponſus eſt. [Ioan. 3.] Illi ſeptem anni, quibus Anna manſit cum viro ſuo, ſignant omne tempus, quo verſatus eſt dominus corporaliter, cum ſancta eccleſia in mundo, à tẽpore ſcilicet incarnationis ſuæ, vſque ad aſcenſionem ad cælos. *Et hæc vidua erat.* Vidua eſt modò eccleſia ſancta, quia per fidem peregrinatur à domino adhuc in terris: tamen quotidie moriuntur electi, & tranſeunt animæ illorum ad virum ſuum Chriſtum vſque ad annos octoginta. Octogenarius numerus ex ſeptenario, & duodenario conficitur. Septem deinde ſeptuaginta fiũt, & ſeptem bis quatuordecim. Iunge ſimul. 70. & 14. 84 fiunt. Septenarius numerus pertinet ad omnem curſum illius ſeculi, quod per ſeptẽ dies voluitur, & deſignat iſte ſeptenarius numerus, omne tempus ab aſcenſione domini ad cælos, vſq; ad finem ſeculi. Duodenarius numerus, pertinet ad doctrinam apoſtolorum. Dum ergo ſancta eccleſia generaliter, ſpecialiter autem vnaquæque anima fidelis per omne tempus iſtius vitæ prædicationibus duodecim apoſtolorum, inſtruitur, extollitur, & ornatur. Myſticè Anna per annos octoginta domino ſeruire perhibetur. Et hæc Anna *Ipſa hora ſuperueniens.* quia dominus delatus in tẽplum à parentibus & munera legalia pro eo ſunt oblata, *confitebatur*, id eſt, laudabat dominum. *Et loquebatur de illo*, id eſt, de Chriſto *omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* omnibus bonis, & omnibus credentibus, qui toto deſyderio cordis, & corporis expectabant aduentum filij Dei in

OO carne,

carne, qui redimeret eos per ſanguinem ſuum, de morte ad vitam omnibus illis prædicabat dominum, dicens: Certè hic eſt filius Dei ille, qui redimet vos de poteſtate diaboli. Prophetauerat virgo Maria dicens: *Luca 1.* Magnificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Prophetauerat copulata cōiugio Elizabeth, dicens. *2.* Et vndè hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? Prophetauerat Symeon, prophetauerat Zacharias, dicens: Benedictus dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ Iſraël. Nato domino in carne, non ſolùm angeli perhibuerūt laudē, ſed etiam omnis ætas. Dignum ergo erat, vt vidua, & vetula dominum prophetaret, Vt quia dominus omnem ætatem, & omnem ſexum, & omnem conditionem redimere venerat, omnis ætas, & omnis ſexus, & omnis conditio, teſtimonium laudis eius proferrent. *Pſalm. 18.* Tunc impletum eſt quod Pſal. eis prædixit. Laudate dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, laudēt nomen domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius, confeſſio eius ſuper cælum, & terram. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem domini.* Quæ perfecerūt? Obtulerunt pro eo munera in templo ſecundum legis præceptum, par turturum, aut duos pullos columbarum. Cùm hoc perfeciſſent. *Reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatē ſuam Nazareth.* Multa hic prætermiſit Lucas, ſcilicet, quòd Ieſus, pòſt quam oblatus eſt in templo, & munera legalia pro eo ſunt oblata, monēte angelo Gabriele, portatus ſit à Ioſeph in Aegyptum, propter perſecutionem Herodis, de Aegypto reuerſum, eodem monente angelo, reuerſus in terram Iſraël. Iterum etiam monente eodem angelo, ſeceſſit in partes Galilææ in ciuitatem Nazareth. Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam: Quoniam Nazareus vocabitur. Quare hæc prætermiſit Lucas? quia ſciebat à Matthæo eſſe ſcripta. *Puer autē creſcebat, & confortabatur.* Confortabatur in corpore creſcendo, quia fortior eſt puer quàm infans. Creſcebat in corpore per ætatum momenta, ſicut homines. De infantia venit ad pueritiam, de pueritia ad adoleſcentiam, de adoleſcentia in iuuentutem, *Coloſſ. 1.* de iuuentute in perfectam ætatem, *Plenus ſapientia,* & diuinitate. quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi. Apollonius propoſuit quæſtionem Zachæo: Quare dominus non ſtatim factus eſt perfectæ ætatis, ſicut fuit quando triginta annos impleuit? Cui reſpondit Zachæus: quod ſi natus dominus continuò eſſet perfectus, nō crederetur veram carnem ſuam ſumpſiſſe, quia natura humana habet per ætatum momenta creſcere. *Ioan. 1.* Quod Ioannes euangeliſta dicit, plenus veritate: hoc *Lucas* dicit, *plenus ſapientia* hoc eſt plenus diuinitate. Quia ſicut dicit Beatus Paulus apoſtolus. *Coloſſ. 2.* In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Et gratia Dei erat in illo.* Gratia Dei gratis data. *1. Tim. 2.* Tanta gratia eiuſdem mediatoris Dei, & hominum homini Ieſu collata eſt, vt ex quo cœpit concipi in vtero virginis Mariæ, illa humanitas aſſumpta à verbo Dei in vnitate ſuæ perſonæ, perfectus eſſet Chriſtus.

THEOPHYL. EPISCOPI

Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

ET erant pater, & mater eius mirantes ſuper ijs, quæ dicebantur, &c. Benedixit quidem ambobus Simeon: reiecto autem patre putatiuo, ad veram matrem loquutus eſt; *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël.* Ruinam quidem dicit eorum, qui non crediderunt: reſurrectionem autem eorum, qui crediderūt. Vel etiam aliter, In ruinam poſitus eſt dominus malorum, quæ in animabus noſtris: in reſurrectionem verò bonorum. Cadit fornicatio, ſurgit cōtinentia. Vel aliter quoque intelligi poteſt, Poſitus eſt enim dominus in ruinam, hoc eſt, ipſe paſſurus eſt, & caſurus eſt in mortem: & quum ceciderit ipſe, reſurgēt multi. Punctum autem pone, quum dixeris, *in ruinam*: deinde incipe, *in reſurrectionem multorum.* Signum autem, crux, cui vſque in hoc tempus contradicitur, hoc eſt, non recipitur ab incredulis. Dicitur & incarnatio ſignum, & mirabile ſignum. Deus enim homo fuit, & virgo mater. huic autem ſigno, incarnationis inquam contradicitur. Quidam enim dicunt carnem ex homine, quidam verò apparenter, quidam autem aliud quiddam nugantur. *Et tuam ipſius*, virginis dico, *animam pertranſibit gladius.* Fortaſſis autem & dolorem, quem in paſſione tulit, fortaſſis autem & ſcandalum dicit rhomphæam, quo offenſa fuit. *Caute legendum non cōmunis eſt ſententia. B. Virg. ſemper cōſtantem in fide perſtitiſſe.* Videns enim crucifixum, fortaſſis cogitabat, quomodo, qui natus eſt ſine ſemine, qui miracula fecit, qui mortuos ſuſcitauit, crucifixus eſt, conſputus eſt, mortuus eſt? Quod autem dicit; *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, hoc ſignificat, quòd reuelabuntur, & manifeſtabuntur multorum cogitationes, qui ſcandalizentur, & reprehenſi repentinum inuenient remedium: ſicut & tu, ô virgo, reuelaberis, & manifeſta eris, quid ſentias de Chriſto, deinde confirmata eris fide in illum. Similiter & Petrus reuelabitur, quum negauerit, verum permonſtrabitur Dei potentia, quę per pœnitentiam ipſum ſuſcepit. Et aliter, Reuelatę ſunt è cordibus cogitationes, quum apparuerit proditor, & apparuerint diligentes illum, qualis fuit Ioſeph, qui acceſſit ad Pilatum: *Matth. 26* *Ioan 16.* quales fuerūt mulieres, quę permanebant apud Chriſtum. *Et erat Anna propheteſſa filia Phanuel, de tribu Aſer, &c.* Euangeliſta Annæ profert genealogiam, enumerans eius patrem, ac tribum, vt ſciamus illum, vera dicere, tot teſtibus accerſitis, qui patrem, tribúmque eius nouerant. Iſta igitur *viciſſim confitebatur Deo*, hoc eſt, gratias agebat, & docebat omnes de domino quod ipſe eſſet ſaluator, & conſolatio noſtri expectantium redemptionem. Poſtquam autem perfecerunt hęc omnia reuerſi ſunt in Galilęam in ciuitatem ſuam Nazareth. Erat quidem & Bethlehem ciuitas ipſorum, ſed vt patria: Nazareth verò vt habitationis locus. Ieſus verò quantum ad corpus creuit, quamuis potuiſſet ex vtero matris in ſtatura viri perfecti procedere, viſum tamen fuiſſet phantaſma, & propterea paulatim creſcit. Quū autem creſceret, emicuit Dei verbi ſapientia. non enim fuit ſapiens proficiendo, abſit: ſed paulatim declarauit inſitam ſapientiam, & iuxta corporis ſtaturam dicitur proficere, & corroborari ſpiritu. Si enim, quamdiu breuis fuiſſet ſtatura, oſtendiſſet omnem ſapiētiam, viſus fuiſſet prodigioſus: Nunc autem iuxta rationem ſtaturæ, quantum capiat intra ſe, oſtendit ſeipſum diſpenſationem implere, non aſſumens ſapientiam. Quid enim perfectius eo, qui ab initio fuit perfectus? Verum paulatim illum denudat.

INCERTI SVB NOMIne *Euſebij Emiſeni eiuſdem Euang. expoſitio.*

QVare autem pater eius dicatur Ioſeph, in ſequẽtibus euangeliſta oſtendit, dicens, & ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph. Non igitur in rei veritate, ſed in hominum opinione erat Ieſus filius Ioſeph. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur.* Hoc eſt enim quod de ſeipſo dominus ait, In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiãt. Illis enim in ruinam poſitus eſt dominus, qui eius ſigno contradicunt. Illis verò in reſurrectionem, qui eius ſigna, & prodigia venerantur & credunt: quoniam illi in interitum ruunt, iſti autem ad gloriam reſurgũt. Quòd enim de virgine natus eſt, magnum, & inauditum eſt ſignum. Huic autem ſigno nos credimus, Iudæi contradicunt. Reſurrexit, cælos aſcendit: & hoc quidem ſignum eſt. Sunt autem & multa alia ſigna, quæ fecit dominus Ieſus, quibus infideles contradicunt, & excæcantur, fideles credunt, & illuminantur. Sic igitur poſitus eſt aliis in ruinam, & aliis in reſurrectionem. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Tuam, inquit, ipſius animam pertranſibit gladius. Gladius vtique ſpiritus, qui eſt verbũ dei, vt ibi ex multis cordibus reuelentur cogitationes, quas nemo niſi ſpiritu ſancto reuelante cognoſcere poteſt. Vt enim de aliis taceamus, ipſas filij ſui cogitationes eã cognouiſſe, ex eo intelligere poſſumus, quòd ad nuptias vocata, hoc quod ille facere diſponebat, ipſa vt faceret admonebat, dicẽs, Vinum non habent. Cui quum ille reſponderet, quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea, ipſa gladio ſpiritus per eam tranſeunte futura præuoſcens, ait miniſtris, Quodcunque dixerit vobis, facite. Hoc enim illa non dixiſſet, ſi cogitationes eius non cognouiſſet. Tale igitur hoc fuit, ac ſi beatæ Mariæ virgini dixiſſet Simeon, Ecce dixi tibi, quæ mihi de filio tuo reuelata fuerant, non à meipſo loquutus ſum. Spiritus enim me docuit, gladius ipſius per me tranſiuit, & mea viſcera penetrauit, qui per te quoque tranſiturus eſt, vt legis, & prophetarum conſilia, & occulta myſteria te cognoſcere faciat. Poſſumus autem & per hunc gladium, quo non corpus, ſed anima vulneratur, immenſum illum dolorem intelligere, quo virgo beatiſſima de morte vnigeniti filij ſui vulnerata, & percuſſa eſt. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Chriſti nanque paſſio multorum cordium cogitationes, & ſecreta myſteria reuelauit: quoniam prophetarum dicta, cogitationes, & ſcripta, ibi reuelata & conſummata ſunt. Quis enim, niſi Chriſtus paſſus eſſet, intelligere poſſet, quid propheta cogitaſſet, quum diceret, Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea? Itémque, Ego dormiui, & ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam dominus ſuſcepit me. Sunt autem & alia multa nobis quidem reuelata, quæ ideo Iudæi intelligere non poſſunt, quia ſuper Chriſto dicta non credunt. Vnde in Apocalypſi quum beatus Ioannes omnium prophetarum librum ſignatum vidiſſet, multúmque fleret, quòd nemo eum aperire potuiſſet, dictum eſt ei, Noli flere: ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Qua in re manifeſtum eſt omnium prophetarum cogitationes, & occulta myſteria Chriſti paſſione reuelata eſſe. Et hoc quidem velum templi ſignificauit, quod eo moriente ſciſſum eſt, vt omnibus apparerent ſancta ſanctorum. *Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in diebus multis, &c.* Hæc igitur mulier venerabilis, cuius nobilitas extollitur, continentia laudatur, ætas commendatur, religio prædicatur, idonea valde, & digna erat, quæ Dei filio teſtimonium perhiberet. Tales enim non minus quàm viri in teſtimonium ſuſcipiuntur. *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.* Sic enim ſcriptum eſt in lege domini, vt mulier pro maſculo offerat domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Talem igitur hoſtiam offerre debuit virgo Maria, per quam caſtitas, & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & caſtior ſemper, & humilior extitit. Et bene quidem non ſingula, ſed paria obtulit, quæ non corpore tantùm, ſed corpore, & anima caſta, & humilis erat. Qualiter autem hæc animalia offerri debeant, in Leuitico aperitur. Multa hoc in loco ſcribit Matthæus euangeliſta, quæ Lucas prætermittit, ſicut econtrà omnia hæc, quæ huc vſque Lucas narrauit, prætermiſit Matthæus. Admonitus enim in ſomnis Ioſeph (vt Matthæus ait) ſeceſſit cum puero in Ægyptum, & erat ibi vſque ad obitum Herodis. Defuncto autem Herode, rediit in Galilæam, & (ſicut hic ſcribitur) habitauit in ciuitatem Nazareth. *Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia, & grãtia Dei erat in illo.* Secundum humanitatem nanque creſcebat, quia ſecundum humanitatem puer erat. Diuinitas autem creſcere non poterat, quia vbique eſt, & omnia continet. Quotieſcunque igitur creſcit, vel confortatur, vel tale aliquid agit, omnia ad hominem referantur.

EVTHYMII ZIGABONI *ſuperioris Euang. expoſitio.*

E*T erant Ioſeph, & mater eius admirantes ſuper iis, quæ dicebantur de illo.* Mirabãtur, non quòd tunc primum de illo audiſſent, ſed quòd præter ea, quæ prius didicerant, adhuc mirabiliora percipiebant. *Et benedixit eis Simeon, & dixit ad Mariam, matrem eius, Ecce ſitus eſt hic in caſum † &c.* In caſum iis, qui adeo offendunt, quæ hominis ſunt, qui cadunt in incredulitatem diuinitatis eius: erectionem verò iis, qui adhærent rebus, quæ Dei ſunt. Situs eſt autem vtpote lapis angularis coniungens ad ſeipſum duos populos, veterem, ac nouum. Nam & per Ieſaiam prædixit Deus; Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali. †

† *In caſum quidem carnis, ſiue carnalis prudentiæ, & affectionum, ac cogitationum malarũm, & dæmonum, ac legis literalis. Erectionem verò ſpiritus, ſiue ſpiritualis prudentiæ, ac naturalium potentiarum, virtutumq;, & cognitionis, ac legis ſpiritualis.* †

Et in ſignum, cui contradicitur. Et in miraculum, cui ab infidelibus contradicitur, ſiue contradictionem ſuſtinens: miraculum enim erat, vtpote neque homo tantum, neq; Deus tãtum, ſed Deus

ſimul, & homo (quod Græce vnico dicitur vocabulo θεάνθρωπος) ideóque quaſi rei, quæ ſupra naturam eſt, contradicunt ij, qui omnia ſecundum naturam inquirunt, nec quicquam ſupernaturale intelligere poſſunt. Quidam verò; *Signum, cui contradicetur*, dicunt crucifixionem: ſignum quidem, quaſi ſymbolum amoris erga homines: nam hanc propter homines ſuſtinuit: huic verò ab infidelibus contradicitur, vtpote rei probroſæ. *Et tuam ipſius animam penetrabit gladius.* Gladium nominauit dolorem acutiſſimum, maximéque diuidentem, qui penetrauit cor matris Dei, dum filius eius cruci affixus eſt. De hoc enim cruciatu nunc vaticinatus eſt. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, eorum, qui ſuſpicabantur hanc non eſſe illius matrem. Sicut enim multi ad ea reſpicientes, quæ hominis ſunt, dicebant hominem tantum eſſe filium Mariæ: ita rurſum alij attendentes ad ea, quæ diuinitatis eius erant, ſuſpicabantur, quòd eſſet tantum Deus, nec eſſet hæc mater eius: tunc autem intuentes eam amare dolentem, ac plurimum lugentem, naturæq; cedere, crediderunt, quòd mater eſſet eius: & retegebant, ſiue prodebant cogitationes cordium ſuorum, quæ à ſuſpicione proceſſerant. *Et erat Anna propheteſſa filia Phanuel de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis.* Prouectæ admodum ætatis ſiue anus. *Et vixerat cum viro annis ſeptem, &c.* Ob hoc enim prophetica etiam gratia donata fuit, quia non diſcedebat de templo, ieiunus, ac obſecrationibus Deo ſeruiens nocte, ac die. *Et hæc ipſa hora ſuperueniens viciſsim confitebatur domino.* Gratias agebat Deo incarnato. *Ac loquebatur de eo omnibus, qui expectabant redemptionem in Hieruſalem.* Loquebatur de eo, quod hic eſſet redemptor. Verum Simeon, quidem erat figura veteris teſtamenti, Anna autem nouum: inter quos medius poſitus Chriſtus, illud abſoluebat, hoc verò retinebat: oſtendens quòd vetus quidem ceſſat, nouum autem viuit. *Et vt perfecerunt omnia, quæ ſecundum legem domini, &c.* Omnia, quæ erant circa pueri præſentationem, ac circa hoſtias, de quibus iubebat lex. *Puer autem creſcebat & corroborabatur ſpiritu &c.* Quo ad humanitatẽ hæc omnia intellige. Tanquam puer enim creſcebat ætate: corroborabatur autem aduerſus malitiam, *ſpiritu*, ſiue vnita ſibi diuinitate. Nam ſpiritus vocabatur & diuinitas: implebatur verò ſapientia, tanquam diuinitati vnitus: gratia quoque vniti ſibi Dei erat ſuper illum, quæ ipſum moderabatur, regebat, & componebat. Vel etiam alio modo *corroborabatur ſpiritu*, videlicet ſancto; gratia autem Dei, ſiue patris erat ſuper illum. Sicut enim incarnatus eſt ex patris beneplacito, ac ſuperuenit e ſpiritu ſancto: ita etiam conuerſabatur, ac operabatur per beneplacitum patris, & cooperationem ſpiritus ſancti.

IN OCTAVA NATIVITATIS DOMINI.

Euangelium vide ſupra in Natiuit. Dom. ad Miſſam II.

IN FESTO S. SILVESTRI PAPAE ET CONFESS.

Euangelium vide infra in I. Comm. Confeſſ. non Pont.

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

LVC. 2.

IN illo tempore poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circunci-

a Non decuit tam glorioſum nomen primum ab hominibus appellari, ſed ab excellentiori natura, ne homo videatur machinator huius nominis.

deretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. [a] Quod vocatum eſt ab angelo, priuſquàm in vtero conciperetur.

GLOSSA

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

V*T circuncide.* Beda. Ritus circunciſionis ab Abraham ſumpſit exordium, quando & nominis amplificationem accepit, ad quam imitationem nomen imponebatur pueris in die eorum circunciſionis: Sic etiam factum eſt ipſi Ieſu. Octaua die circunciditur Ieſus; quia vtraque noſtra innouatio, & in præſenti, ſpiritus per baptiſmum, & in futuro, carnis & in ſua reſurrectione eſt præſignrata; & in noſtra quandoque eſt perficienda. Chriſtus autem die octaua ſurrexerit, & poſt ſex ſeculi huius ætates, & ſeptimam ſabbati quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore reſurgemus, tunc veriſſimè ab omni corruptione circunciſi, vbi verum præputium auferetur, quia ibi neque
Ioſ410ſ nubent neque nubentur. Greg. Qui in ſimilitudine carnis peccati venerat, remediū quo caro peccati mundari conſueuerat, non reſpuit: ſicut baptiſma nouæ gratiæ, non neceſſitatis, ſed exempli cauſa ſubiit. Et nota, quòd idem auxilium curationis in lege circunciſio præſtitit: quod nunc baptiſma confert tempore gratiæ, niſi quòd introitus in regnum nondum patebat. Significat autem hęc circunciſio carnalis illam circuncisionem in die iudicij, cum omnibus animæ & carnis corruptionibus exuti, ad faciem creatoris videndam ingrediemur. Significat etiam præſentem circunciſionem, id eſt, ablutionem vitiorū per baptiſmum. Significabat etiā illum de Abraham naſciturum, qui & in præſenti per baptiſmum, & in futuro per reſurrectionem ab omni ſorde ſuos purgaret: erat etiam in Abraham ſignaculum iuſticiæ. Bed. Sicut à Chriſto Chriſtiani, ſic & in vtraque noſtrâ circunciſione à Ieſu, id eſt, à Saluatore ſaluati vocamur. Quod nomen, non ſolum antequam concipiamur in vtero eccleſiæ per fidem, ſed etiam ante tempora ſecularia à Deo nobis vocatum eſt.

CATENA AVREA
in idem Euang.

E*T poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circunciderctur puer, &c.* Beda in ho. Expoſita natiuitate dominica, ſubiungit euangeliſta atque ait: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circunciderctur puer.* Amb. Quis puer niſi ille de quo dictum eſt, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. factus eſt enim ſub lege, vt eos qui ſub lege erant lucrifaceret. Epipha. Dicunt autem Hebionis & Cherinthi ſequaces, ſufficit diſcipulo ſi ſit ſicut magiſter eius. Circuncidit autem ſe Chriſtus, tu ergo circuncidaris. Falluntur autem deſtruentes ſua principia. Si enim fateretur Hebion Chriſtum Deum cælitus deſcendentem octauo die fuiſſe circunciſum: tunc præberet circunciſioni materiam argumenti: ſed cùm nudum hunc aſſerit hominem, non puer eſt cauſa vt circuncidatur, ſicut nec infantes ſunt ſuæ circunciſionis authores. Nos enim Deum ipſum fatemur cælitus deſcendentem, & in clauſtro virgineo moram debitam fœtibus protraxiſſe: quoaduſque ſibi ex vtero virgineo humanitatis carnem perfectè componeret: quia circunciſus eſt veraciter, non apparenter octauo die: quatenus cum ad ſpiritalem effectum figuræ peruenerint: tam ab ipſo quàm à ſuis diſcipulis diuulgentur non vltrà figuræ ſed veritas. Orige. Sicut enim mortui ſumus cū illo moriente, & conreſurreximus reſurgenti; ſic cum eo circunciſi ſimus. vnde nequaquam nunc indigemus circunciſione carnali. Epipha. Pluribus autem ex cauſis circūciſus eſt Chriſtus. Et primò quidem, vt oſtendat carnis veritatem contra Manichæum, & illos qui apparenter eum dicunt prodiſſe. Deinde vt pateat quòd nequaquam deitati conſubſtantiale corpus extiterit, vt fatur Apollinaris: neque cælitus detulit illud, vt aſſerit Valentinus. & vt confirmet circunciſionem quam olim inſtituerat eius aduentui ſeruientem, quinetiam vt nulla ſit Iudæis excuſatio: nam niſi circunciſus fuiſſet obiicere poterant, quòd non poſſent incircunciſum Chriſtum recipere. Bed. in ho. Vel etiam nobis obediendi virtutem commendaret exemplo, & vt eos qui ſub lege poſiti legis onera portare nequiuerant, ſua compaſſione iuuarentur: vt qui in ſimilitudine carnis peccati aduenit, remedium quo caro peccati conſueuerat mundari, non reſpuit. Idem enim ſalutiferæ curationis auxilium circunciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat quod nunc baptiſmus reuelatæ gratiæ tempore conſueuit: excepto quòd regni cæleſtis ianuam nondum intrare poterant, tantum in ſinu Abrahæ poſt mortem beata requie conſolati ſupernæ pacis ingreſſum ſpe felici exſpectabant. Athan. Nihil enim aliud exprimebat circunciſio niſi generationis vetuſtæ ſpoliationem: per hoc quòd circuncidebatur pars corporis, quæ corporalis natiuitatis cauſa exiſtit. Hoc autem tunc temporis agebatur in ſignum futuri per Chriſtum baptiſmatis. Idcirco poſtquam venit ſignatum, ceſſauit figura; vbi namque tota vetuſtas tollitur per baptiſmum, ſuperfluū eſt quod partis ſectio præfigurat. Cyril. Octaua autem die conſuetum erat carnalem celebrari circunciſionem: octaua enim die Chriſtus à mortuis reſurrexit, & inſinuauit nobis ſpiritualem circunciſionem, dicens: Euntes docere omnes gentes baptizantes eos. Beda, In eius autem reſurrectione præfigurata eſt vtraque noſtra reſurrectio & carnis & ſpiritus. Chriſtus enim circūciſus noſtram naturam docuit & nunc per ipſum à vitiorum labe purgandam, & in nouiſſimo die à mortis peſte reſtaurandam, & ſicut dominus octaua die, hoc eſt poſt ſeptimam ſabbati reſurrexit: ita & ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam ſabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore ſurgemus. Cyril. Secundum autem legis præceptum eodem die impoſitionem nominis recepit. vnde ſequitur: *Vocatum, &c.* Quod interpretatur ſaluator: editus enim fuit ad totius orbis ſalutem, quam ſua circunciſione præfigurauit: ſecundum quod apoſtolus dicit: Circunciſi eſtis circunciſione non manofacta in expoliatione corporis carnis, ſcilicet in circunciſione Chriſti. Bed. Sed & hoc quòd eodem die ſuæ circunciſionis nomen accepit, ad imitationem priſcę obſeruationis fecit. Abraham enim qui primum circunciſionis ſacramentum accepit: in die ſuæ circunciſionis amplificatione nominis benedici prometuit. Origen. Nomen autem Ieſu glorioſum, omníque cultu digniſſimum, nomen quod eſt ſuper omne nomen, non decuit primum ab hominibus appellari, neq; ab eis

ab eis afferri in mundum, vnde ſignanter Euangeliſta ſubdit: Quod vocatum, &c. Bed. Huius autem nominis etiam electi in ſua ſpirituali circunciſione participes exiſtere gaudēt: vt ſicut à Chriſto christiani, ita etiam à ſaluatore ſaluati vocentur, quod illis à Deo vocabulum non ſolùm priuſquam in vtero eccleſiæ per fidem conciperentur, ſed etiam ante tempora ſecularia vocatum eſt.

ORIGENIS PRESBYTERI *in ſuperius Euang. Homil.*

Ex Hom. 14. in Luc.

QVod mortuus eſt Chriſtus, pro peccato mortuus eſt. Non quia ipſe peccauerit (neque enim peccatum fecit, nec inuētus eſt dolus in ore eius) ſed mortuus eſt, vt nos qui mortui ſumus illo moriente peccatis, nequaquam peccato & vitiis viueremus. Vnde ſcribitur, Sicut igitur commortui ſumus tunc illo moriente, & conſurreximus reſurgenti: ſic cum eo circūciſi ſumus, & poſt circunciſionem ſolenni purgatione mundati. Vnde non iam indigemus circunciſione carnali. Et vt ſcias propter nos fuiſſe illum circunciſum, audi Paulum manifeſtiſſime prædicantem. In quo habitat (inquit) omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis, in quo & circunciſi eſtis circunciſione ſine manibus, in expoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmate, in quo & conſurreximus per fidem operationis dei, qui ſuſcitauit eum a mortuis. Et mors igitur & reſurrectio, & circunciſio eius, pro nobis factæ ſunt. *Cum impleti*, inquit, *eſſent dies circuncidendi puerum, vocatum fuerat nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo antequam conciperetur.* Vocabulum Ieſu glorioſum omni adoratu, cultuque dignum, nō debuit a parentibus, aut alio homine appellari, neque ab eis afferri in mundum, ſed ab excellentiori quadam maiorique natura. Vnde ſignanter euangeliſta addidit dicens, *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum fuerat ab angelo antequam in vtero conciperetur.*

S. CYPRIANI EPISCOPI *Carthaginenſ. in eodem feſto Serm.*

Habetur in libro de operibus Cardinal. Chriſti, qui a multis exiſtimatur non eſſe Cypriani.

INter omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil circunciſione ſolennius antiqua celebrauit religio, nec tātùm in Hebræos, ſed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes tam mandatum quàm factum irrident, & Deo minimè aſſerunt conuenire, vt ſaluatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos in ipſo vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino ſentire, qui neminem vult perire, abſurdum & irrationabile iudicant. Nec eis tamen omnia reliqua ſacrificia ſunt horrori, ſed in multis naturalem legem ſequentes, expiationum retinent inſtrumenta, & immolant victimas, & incendunt adipes, & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & preces. *Iob. 1.* Legimus Iob Dei teſtimonio approbatum, iugibus ſacrificiis occupatum, nec legimus circunciſum. Et poterant eſſe eo tempore diuerſis in locis multi viri inſignes, qui iuſtitiæ Dei ſubiecti hoc ſigno carebant: licèt filius Eſau & Iſmael putandum ſit huius traditionis non fuiſſe expertes. Verùm cùm opus iſtud & antiquitas commēdet, & iubentis authoritas, inquirenda eſt tanti myſterij ratio, quæ Abrahæ ſpecialiter & ſemini eius tanto pondere mandata eſt, vt quiſquis in illa gēte huius ſigni careret differentia, ethnicus, non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Iſraël abraderetur proſcriptus. *Gene. 17. Leuit. 12.* Hoc cùm octaua die iuſſum ſit celebrari, & nomen circunciſo aptari, innuatum eſt his, qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur, quòd eorum nomina ſcriberentur in cælis, & æternæ beatitudinis, quam poſt vitæ huius ſeptimanam octaua conſequitur, hæredes fierent & conſortes, quicunque vitæ innocentia & cælibatus ſanctimonia ſeſe Domino cōſecraſſent. Tenera itaque infantia huiuſmodi erat imbuenda doctrina, & concupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ & ineuitabili vindictæ etiam in paruulis adhibenda erat ſeueritas: & antequàm ebulliret ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & ſanguini delectationis, ſanguis tormenti opponebatur, vt in primis elementis diſcerent paruuli, ſemper propriæ memores ſectionis, contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrænandoſque turpitudinum appetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnes perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, *Libido vt edomanda. 1. Cor. 9.* non tamen circuncidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus opponēs cauterium, vſque adeò corpus ſuum redigens in ſeruitutem, vt diceret: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. *Gal. 2.* Cuius facti æmulatores, erubeſcimus in pudendis, & detecto ſectoque cōfuſionis operculo, quamuis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſſimus iudicium, viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis authoritate increpandi ſunt titillatorij ſenſus, & ſummoperè vigilandum eſt, ne ſequatur aſſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omninò nō poteſt: quia nec totum hoc membrum, ſed anterior eius portio iuſſa eſt circuncidi. Res ſanè maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelæ, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus catenis ferreis in vltimis animæ receſſibus alligetur, intúſque fractis dentibus, ſeipſam concupiſcentia captiua maſticet & corrodat. Manet itaque erubeſcentia propter ſenſum, vt qui in agone contendit, ſciens circunciſionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat, quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremptoria eſt contendentibus, ſed probatoria huius ſenſualitatis colluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, vt victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſolennes coronatus in gloria, ſine infeſtationibus deinceps liber à peccato & pœna. Hanc verecundiam poſt præuaricationem vanitati ſubiecta, non volens anima pertulit, & vim ſuſtinet inquietudine perurgente, & inuoluntariis motibus fatigata, infelicitatis ſuæ deplorat miſeriam, liberari de corpore mortis huius deſiderans, & pacificæ tranquillique ſtatus à Deo poſtulat libertatem. Quotidiano ſanè conflictu ſpiritus & caro luctātur,

tur, & cauſatur ratio aduerſùs domeſticum malum, quod ita intra ſe exerceat regnum, quaſi naturaſit vitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatum. Hoc vtique prima non ſenſit conditio, ſed ſecutum eſt transgreſſorem ſupplicium, & adhæſit indiuidua pœna peccato, de quo erubeſcét, quicunque mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Quis in tam aſſiduis illuſionibus non confundatur? Quis non in tantis contumelus erubeſcat? Fomes quippe huius mali intus in tenebroſis receſſibus latitans, vt viderit animam aliàs occupatam, & minùs ad ſui circũſpectionem ſolicitam, irruptionibus vehementibus erumpit, & blanditiis venena ſupponens, pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit aſſultibus. Ideoq; pudibundus homo nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occulit. His redeuntis vulneribus, ſemper hac ſanie illitis, neceſſaria eſt omnem huius vitæ ſeptimanam iugis reſecatio putredinum, & continua circumciſio cicatricum. Et in cæteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij retinent libertatem: hîc verò vbi Babylonis fornax exarſerit, & quaſi pice & naphta conſperſi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore, in tantum vt rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter exurgant. Præcedebant olim integumenta rerum ſignificantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc ſacramentum conſuetudinis antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus: & licèt non eſſet in hoc tempore neceſſarium, tamen ne antiqua religio prorſus reproba videretur, in ſe voluit circunciſionis aptari ſignaculũ. Sanè originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis huius ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam ſignificantia non habuerit, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licèt ſacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat: quia ab Adam vſque ad Noë ſacrificia Deo conſtat fuiſſe accepta, quæ vſque ad illud tempus ſine legis diſtinctioné, diuinitus inſpirata inſtitutione, primi homines celebrarent. Illa verò ſacrificia aut in animalium ſanguine, aliarum oblationum in cenſionibus agebantur: non quòd ſumo aut nidoribus pecorum delectaretur Deus, ſed vt intelligeretur immutabile iudicium, & prolata ab initio ſententia in peccatum. Immutabile decretum ab æterna lege exierat, concupiſcentiâ affligi, & morte peccatorem puniri: nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod ſubuenire, quia ſtimulus carnis ſine vlla exceptione colaphizaret infirmum, & vſque ad diſſolutioné mors importuna perſequeretur captiuum. Et mors quidem carnis concupiſcentiæ interſecabat ludibria, nec poterat vltrà peccare illud, quod erat putredini ac diſſolutioni prædeſtinatum & datũ: ſed ſupererat poſt mortem carnis animæ labor & afflictio ſpiritus, nec poterat vlla ratione illa abſolui damnatio, niſi morti omnium vita omnium ſubueniret, & pro generali morbo gratiæ Dei ſingulare propinaret antidotum. Hoc antiquum redemptionis noſtræ conſilium ſanctis patribus reuelauit Deus, voluitque vt paulatim aſſueſcerent homines paſſioni, & morti neceſſariæ voluntariæ mortis opponerent libamentũ, & pœnam in medelam, ſupplicium in remedium commutarent. Huius oblationis doctrinam ſacrificia continebant antiqua, & incenſiones, & mortes huius conſummationis gratiam præſignabant. Propter hoc cùm iam fidei tempora propinquarent, imperata eſt circuncíſio, & pars illa corporis, in qua eſt voluptatum ſeminarium, & libidinis officina, iuſſa enã eſt in paruulis amputari, vt proprij primitias ſanguinis ei, qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum ſacrificia ſingulare præcedent holocauſtum. Vbi verò Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, vt morte ſua patris voluntatem impleret, ceſſarunt ſacrificia: nec iam truncationem præputij Euangelium imperauit, ſed circunciſionem cordis, & omnem tam membrorum quàm affectionum petulantiam gladio ſpiritus reſecari, immutabili decreto mandauit. Et tantæ dignitatis illa vna redemptoris noſtri fuit oblatio, vt vna ad tollenda mundi peccata ſufficeret, qui tanta authoritaté in ſancta introiuit in ſanguine proprio, vt deinceps nulla ſupplicantium poſtulatio ſanguine indigeret alieno. A diebus igitur viſitationis noſtræ regnum cælorum vim patitur, nec iam in expoliatione carnis circunciſio agitur, ſed ſpiritus ſancti virtute vetuſtatis antiquæ ſanies expurgatur.

Pſalm. 39. *Heb. 9.*

S. AMBROSII EPISCOpi *Mediolan. eiuſdem Euang. expoſitio.*

Circunciditur itaque puer. Qui eſt iſte puer, niſi ille de quo dictum eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis? Factus eſt enim ſub lege, vt eos, qui ſub lege eſſent, lucrifaceret. Siſtitur autem in Hieruſalem. Quid ſit autem in Hieruſalem ſiſti domino, dicerem, niſi in Eſaiã commentis antè dixiſſem. Circunciſus enim vitus, dominico dignus iudicatur obtutu, quia oculi domini ſuper iuſtos. Vides omnem legis veteris ſeriem fuiſſe typum futuræ: nam & circunciſio purgationem ſignificat delictorum. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis & mentis fragilitas inextricabilibus vitus implicatur, eò per octauam circunciſionis diem culpę totius futura purgatio, reſurrectionis præfigurabatur ętate. Hoc eſt enim illud: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. Verbis enim legis promittebatur virginis partus: & verè ſanctus, quia immaculatus. Denique ipſum eſſe, qui lege ſignetur, in eundem modum ab angelo repetita verba declarãt: Quia quod naſcetur, inquit, ſanctum, vocabitur filius Dei. Non enim virilis coitus, vuluæ virginalis ſecreta reſerauit: ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero ſpiritus ſanctus infudit. Solus eſt enim per omnia ex natis de fœmina, ſanctus dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelę immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit. Nam ſi literam ſequamur, quomodò ſanctus omnis maſculus, cùm multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat? Nunquid ſanctus Achab? Nunquid ſancti pſeudoprophetæ, quos ad Elię preces vltor cęleſtis iniuriæ ignis abſumpſit? Sed ille ſanctus, quem in figura futuri myſterij pia diuinæ le-

Eſaie. 9. *Gal. 4.* *Ambroſij cõmentario in Eſaiam.* *Pſal. 37.* *Exod. 13.* *Num. 8.*

gis præſcripta ſignabant, eò quòd ſolus ſanctæ Eccleſiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale ſecretum. *Ier. 1.* Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam. Nec mirum: hic enim dixerat ad Prophetam: Priuſquàm te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris ſanctificaui te. Qui ergo vuluam ſanctificauit alienam, vt naſceretur propheta, hic eſt, qui aperuit matris ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret.

S. TITI BOSTRORVM

Epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.

ET *poſtquam ſunt conſummati, &c.* Circunciſus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, quia vt eſt apud Apoſtolum, factus eſt ſub lege. Deus, ſcribit ille, miſit filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. Factum eſt id autem duplici de cauſa: primò quidem, quò nos per legis conſummationem, à legis onere redimeret: Deinde verò, quò per obediẽtiam modis omnibus perfectam, inſignem Adami inobedientiam ſanaret. Atqui iſtuc tendit illud Apoſtoli: Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores cõſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituẽtur multi, nempe omnes illi, qui in Chriſtum Deum & dominum noſtrum credunt. Cùm igitur Scripturæ diuinitus inſpiratæ, Chriſtum verè circunciſum diſertè aſſerant; quis eorum temeritatem ferat, qui veram illum circunciſionem pertuliſſe negare audent? Atque iſtuc, inter cæteros, haudquaquam obſcurè inficiantur, qui Chriſtum nõ verè, ſed imaginariò tantùm incarnatum mentiuntur. Illos porrò, qui de circunciſi præputio quæſtionem mouent, anxiéque & curioſè, quid de eo factum ſit, diſputant; veluti qui circa incerta, planéque inacceſſa occupentur, miſſos hîc facimus: ſiquidem ſacris literis nihil ea de re proditũ extat. Qui diceret, vt crucis tempore, immaculatus illius ſanguis vnà cum aqua, in terram defluẽs, terram, in quam dimanabat, ſanctificauit; ita præputium per circunciſionẽ ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu ſuo ſanctificaſſe, is meo iudicio à veritatis ſcopo haud procul aberraret. Vtcunque res habet, certum eſt qui ſponte ſe circuncidi paſſus eſt, eum modis & rationibus, quas ipſe compertas habet, totum illud, quod per circunci- *Sed ferunt alicubi eius præputiũ extare.* ſionem à corpore deceſſerat, ita conſeruaſſe, vt reſurrectionis tempore, nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis conſtitutionem depoſcuntur, omnino deſideratum fuerit; adeóque, vt integer, omniſque prorſus vitij, etiam quod ad hanc partem attinet, expers è mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis reſurrectionis momento, corpus noſtrum integrum, omníque ex parte perfectum recipiemus. *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Cùm Euangeliſta dicat: *& vocatum eſt nomen eius Ieſus*, hoc eſt, Saluator, *quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur*; mirum eſt quomodo exorti ſint quidam, qui ipſo ſtatim temporis articulo, quo Angelus dixit, Aue gratia plena, in vtero conceptum fuiſſe, aſſerere audent?

BEDAE VENERABILIS

presbyt. eiuſdem euang. expoſitio.

ET *poſtquàm conſummati ſunt dies octo vt circunciderctur puer, &c.* *Ex comment. in Lucam.* Ritus, & religio circunciſionis à beato Abraham patriarcha ſumpſit exordium. Qui, cum poſitus adhuc in præputio perfectè Deo credidiſſet, reputatúmque ei eſſet ad iuſtitiam, ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio. A quo etiam vt die circunciſionis nomen paruulis aptaretur exortum eſt. Quia & ipſe cum teſtamentum à Deo circunciſionis acciperet, eadem prius die, cum ſua coniuge nominis augmentum promeruit, vt qui eatenus Abram, id eſt, pater excelſus vocabatur, deinceps ob meritum fidei Abraham, hoc eſt, pater multarum gentium nuncuparetur, Sarai quoque, Sara diceretur. Erat autem circunciſionis typus, ac figura multiformis. Nam & ſignaculum (vt dictum eſt) iuſtitiæ fidei Abrahæ, & ſemini eius, & indicium caſtigandi eos, qui ad hoc ſemen hácque fidem pertinerent, ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, & prophetiam naſcituri de hoc ſemine ſaluatoris, qui nos & in præſenti per baptiſmum ab omni mortiferæ actionis pollutione mundaret, & in futuro per reſurrectionem ab vniuerſa mortis ipſius corruptione, in perpetuum liberaret, & præcipue donum remiſſionis, quod ſolueret à peccato præuaricationis Adæ, per hanc id temporis miniſtrari, eidem gratiæ legiſque latori complacuit. Qui enim nunc dicit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, ipſe tunc dicebat; Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Nõ pactum vtique circunciſionis, quod non infans, qui diſcernere necdum valuit, ſed maiores, qui id ſeruare nouerant, poterant, debuerãt, irritum fecerunt: verum pactum, quod cum primo homine Deus iniit, quod omnis, qui vel vnius diei vitam geſſit in terra, præuaricaſſe conuincitur, atque ideo remedio ſalutis aliquo opus habere non ignoratur. Nam qui vel antè tempora circunciſionis, vel etiam poſt datam circunciſionem de exteris gentibus extitere fideles, vt exemplar patientiæ Iob, & amici, liberíque illius, ſine victimis hoſtiarum, ſe, ſuóſque ab originali peccato, ſeu certe ſola fide ſaluabant, quia iuſtus ex fide viuit, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Verum his, atque huiuſmodi remedijs egent, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concepti, & in delictis ſunt nati. Redemptor autem noſter, qui, vt peccata mundi tolleret, ſine peccato venit in mundum, ſicut ſuo baptiſmate nobis remedia procurauit, id eſt, noſtris abluendis ſceleribus aquarum, quæ ſubiit, lauacra conſecrauit, ita etiam circunciſione quam ſuſcepit, non ſua, quæ nulla erant, admiſſa purgauit, ſed noſtræ in ſe naturæ vetuſtatem docuit innouandam, & nunc videlicet eam per ſe à vitiorum labe purgandam, & nouiſſima die ſignificans ab ipſa multifariæ mortalitatis, ac mortis peſte penitus eſſe reſtaurandam. Vnde congrue Ieſus octaua circunciſus aſſeritur, quod non facile in veteri teſtamento de quoquã legimus actum: quamuis ſæpiſſime de omnibus iuſſum, abſque ſolo duntaxat Iſaac, qui quaſi filius promiſſionis primus octaua die circunciſionem accepiſſe perhibetur.

hibentur. Bene inquam Ieſus octaua die circunciditur. Quia videlicet vtraque noſtra, quam prædiximus, hoc eſt & moderna, & futura, & ſpiritus & carnis innooatio & in eius reſurrectione præfigurata, & in noſtra eſt quandoque perficiēda. Siquidem de prima noſtra reſurrectione, quæ interim vitæ, & fidei emendatione celebratur, Apoſtolus ait; Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, vt, quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. De ſecunda autem, quæ in fine ſperatur, ita dicit, Si enim credimus, quòd Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo. Octauum autem numerum, reſurrectionis gloriæ conuenire pene omnibus claret. Nam & dominus octaua die, hoc eſt, poſt ſeptimā ſabbati reſurrexit, & ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam ſabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore ſurgemus, tunc veriſſime circūciſi, hoc eſt, ab omnibus carnalis cōcupiſcentiæ vitiis, & corruptionibus, in quibus maxime luxuria regnat, expoliati, veriſſime præputium inciſi. Quia, ſicut dominus ait, filij ſeculi huius nubunt, & traduntur ad nuptias. Illi autem, qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neq; nubent, neque ducent vxores. neque enim vltra mori poterunt, æqoales enim angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cum ſint filij reſurrectionis. *Vocatum eſt* (inquit) *nomen eius Ieſus, &c.* Ieſus ſaluator interpretatur, cuius nominis etiam fideles, & electi quique, in vtraque ſua, de qua ſatis dictum eſt, circuncisione, participes exiſtere gaudent, vt ſicut à Chriſto Chriſtiani, ita etiam à Saluatore ſaluati nuncupentur, nunc quidem ſpe ſalui facti per fidem, tunc autem re ipſa per viſionem gloriæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro, qnod illis à Deo vocabulū non ſolum priuſquam in vtero eccleſię per fidem conciperentur, ſed etiam ante tempora ſæcularia vocatum eſt. Cuius ſacroſancti nominis non tantum etymologia, ſed & ipſe, quem literis comprehendit, numerus, perpetuæ noſtræ ſalutis myſteria redolet. Sex quippe literis, apud græcos ſcribitur *ἰησοῦς*, videlicet ι, & η. & σ, & ο, & υ. & σ. quarum numeri ſunt x. & VIII. & CC. & LXX. & CCCC. & CC. qui fiunt ſimul. DCCCLXXXVIII. Qui profecto numerus quia figuræ reſurrectionis adgaudeat, ſatis eſt ſupra tractatum. Nam quod octo ſimpliciter poſita, hoc & per eadem decem, ſiue centum multiplicata ſignificant. Vel certe perfectorum cumulatio numerorum, firmitatis indicium eſſe credendum eſt. Poſſumus & ita dicere, quod nomen Saluatoris octo abſoluta contineat, qoia reſurrectionis in ſe exemplum mortalibus octaua die reſurgendo præſtiterit. Cōtineat & decuplata, quia decalogus legis quomodo debeat impleri ſuæ nos reſurrectionis figuris inſtituerit pariter, & iuuerit. Vt quomodo ipſe ſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ita & nos exiſtimemus nos mortuos quidem eſſe peccato, viuētes autem Deo in Chriſto Ieſu. Contineat etiam centies ducta, quia gloria ſuæ reſurrectionis oſtenſa, quæ nos in futurum ſequatur retributio portēderit. Centenarius namque numerus, qui poſt tot in læua curſum numerorum, primos dexteram petit, illius nimirum ſæculi gaudiis figurandis aptiſſime congruit, quando nouiſſima inimimica deſtruetur mors, quando nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis, qui reſurrexerunt in nubibus obuiam domino in aëra, & ſic ſemper cum domino erimus. Vnde pulchre in typum omnium electorum, primus promiſſionis filius & centenario patre natus, ac circunciſus, & ſecundū domini prædictum Iſaac, quod riſum, ſiue gaudium ſonat, eſt appellatus, illius per omnia temporis dexteram felicitatem præfigurans, de quo dominus ait; Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Verum quia de circuncisione ſermo eſt, libet inquirere quare Moſes ipſe, qui legem circunciſionis & patribus à Deo datam, & ſibi toties inculcatam refert, toto ducatus ſui tempore neminem circuncidi voluerit, præter vnum ſolummodo filium ſuum, quem mater arepta petra acutiſſima, ne à domino feriretur, circuncidit, ſed omnes, qui in eremo nati ſunt, à Ioſue circuncidendos reliquerit, morem videlicet diuinitus imperatum, quadringentis & ſex annis obſeruatum, & aurta ſibi ſucceſſione contraditum, annis quadraginta continuis intermittens. Nequaquam hoc fruſtra, ſed magno myſterio factum crediderim. De quo ſaluo maiorum intellectu, dicam breuiter ipſe quod ſentio. Moyſes circunciſionem prædicat, ſed Ioſue perficit, quia lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Nihilque prodeſt litera iubens, niſi adfuerit gratia iuuans. Moyſe prædicante, præputium creſcit, quia, ſicut Apoſtolus ait, ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Et alibi; Vſque ad legem enim, peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputatur, cum lex non eſt. Et iterum; Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. Nam cōcupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sed Ioſue populo in terrā repromiſſionis inducto, præputium, quod, Moyſe viuente, adcreuerat, cultris petrinis incidit. Quia vbi abūdauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Nā quare petrinis ad circuncidendum Ioſue cultris vtatur, intelligit, qui legit, quia petra erat Chriſtus, & ſuper hanc (inquit) petram ædificabo eccleſiam meam. Quod enim impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatū in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui nō ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Hæc autem Chriſti gratia, nō ſolum noui teſtamenti fideles iuſtificat, verum quicunq; in lege perfecti fuere, non ex operibus legis, ſed eadem Chriſti in carne venturi gratia ſunt ſalui facti per fidem. Et hos populus à Ioſue circunciſus, illos Moyſi filius deſignat, qui cum legis ſeueritate coacti diſcerent Chriſti gratiam flagitare, quaſi impendentem domini gladium, petræ circunciſionem vitabant, Petro adteſtante, qui de iugo legis loquens ait; Quod neque patres noſtri, neque nos potuimus portare, ſed per gratiam domini Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Et Pſalmiſta, qui quaſi carcerali legis cuſtodia concluſus, & viam euadendi nullā niſi in gratia Chriſti reperiens, exclamat; Dū anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Deduxiſti me, quia factus

Alludit ad veterē numerandi rationē, de qua idē author librū reliquit.

ctus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Nemo ſane, cum circumciſionem prædicari audierit, totius ſolum membri continentiam autumet imperari, quaſi vel à fornicatione tutum, vel licito matrimonio temperanter vtentem, vel virginitate glorioſum exiſtere, abſque aliarum virtutum adiectione ſufficiat, & non omnium potius, quos corde, vel corpore geſtamus, ſenſuum caſtigationem præcipi. Nam & Moyſes mundiſſima Dei verba ſuſcipiens, incircunciſum ſe labiis eſſe querebatur, & Stephanus Iudæis non credentibus, Incircunciſi, inquit, cordibus, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Ille itaque vera circuncifione mundatus eſt, qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos, ne videat malum, qui cuſtodit vias ſuas, ne delinquat in lingua ſua, & attendit ſibi, ne grauetur cor eius in crapula, & ebrietate, qui donec ſupereſt halitus in eo, & ſpiritus Dei in naribus eius, non loquitur labiis iniquitatem, qui lauat inter innocentes manus ſuas, & ab omni via mala prohibet pedes ſuos, qui ſuper omnia caſtigat corpus ſuum, & ſeruituti ſubiicit, omnique cuſtodia ſeruat ſuum cor, quoniam ex ipſo vita procedit. Ille vero poſt circuncifionem, Hieruſalem adlatus, & domino oblatus eſt, qui iuxta eum, qui dicit, Declina à malo, & fac bonum, poſtquam deſiit à peccatis, bonis cœpit operibus abundare. Qui dicere poteſt; Oculi mei ſemper ad dominum, & circuibo altare tuum, domine, vt audiam vocem laudis tuæ. Qui dicit; Chriſti bonus odor ſumus Deo: &, leuaui manus meas ad mandata tua, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Qui ſiue manducat, ſiue bibit, ſiue aliud quid agit, omnia in gloriam Dei facit, & dicit; Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. & ad extremum; Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Sed & ipſa bona actio ſua, quæ in abſcondito eſt, circunciſione non minus indiget, vt cum ieiuno, oro, eleemoſynam facio, gloriam intrinſecus quæram. Nam ſi in angulis platearum ſto, faciem demolior, tuba ante me cano, vt videar, & lauder ab hominibus, foris quidem circunciſus appareo, ſed immũdus in corde permaneus, pœnas inſuper ſimulatæ ſanctitatis incurro. In exemplum videlicet Sichemitarum qui cum patriarcharum circunciſionem viderentur imitari, quia non ob domini teſtamentum ſed ob cauſam fecere luxuriæ, non modo nil adquiſiere mercedis, verum tertia die, quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, inter ſuæ ciuitatis periere ruinas. Tales namque obliti propheticæ monitionis; Circumcidimini domino & auferte præputia cordium veſtrorum, vbi tempus reſurrectionis ingruerit, euacuatis, quibus confidebãt, virtutibus, in mortem mittentur æternam. Quapropter & apoſtolus abſconditam corde circunciſionem ſedulo commendat, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

EIVSDEM IN SVPERius Euang. Hom.

Tom. 7. hiem. SAnctam, venerandámque præſentis feſti memoriam paucis quidẽ verbis euangeliſta comprehendit, ſed non pauca cæleſtis myſterij virtute grauidam reliquit. Expoſita nanq; natiuitate dominica, cuius gaudia mox angeli dignis laudibus extulerunt, paſtores deuota viſitatione celebrarunt, omnes, qui tunc audiere, mirati ſunt. Nos quoq; pro modulo noſtro, prout poſſumus, proxime domino largiente, congruis miſſarum, hymnorúmque ſolenniis exegimus, ſubiunxit atque ait: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo, priuſquam in vtero cõciperetur.* Hæc ſunt feſtiuitatis hodiernæ gaudia veneranda, hæc ſacræ ſolennitas diei, hæc illa ſupernæ pietatis munera ſacroſancta, quæ fidelium cordibus commendans Apoſtolus ait: Quia vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Magna nanque diſpenſatione pietatis ad redemptionem generis humani Deus pater nõ angelum, non archangelum, ſed filium ſuum vnigenitum mittere dignatus eſt. Quem quia in diuinitatis ſuæ ſpecie videre nequimus, magna rurſus dilectionis arte prouidit, vt hunc factum ex muliere, hoc eſt, ex maternæ carnis ſubſtantia, ſine virili admixtione conceptum ad humanos verum hominem proferret: aſpectuſque in diuina virtute ac ſubſtantia manens, per omnia quod erat veram naturæ mortalis infirmitatem quam non habebat, indueret. Et vt nobis neceſſariam obediendi virtutem præcipuo commendaret exemplo, factum ſub lege filium ſuum miſit Deus in mundum, non quia ipſe legi quicquam debeat, qui vnus magiſter noſter, vnus eſt legiſlator, & iudex, ſed vt eos, qui ſub lege poſiti, legis onera portare nequiuerant, ſua compaſſione iuuaret, ac de ſeruili conditione, qui ſub lege erant, ereptos in adoptionem filiorum, quæ per gratiam eſt, ſua largitate reduceret. Suſcepit ergo circunciſionem lege decretam in carne, qui abſque omni prorſus labe pollutionis apparuit in carne, & qui in ſimilitudine carnis peccati, nũ autem in carne peccati aduenit, remedium, quo caro peccati conſueuerat mundari, non reſpuit, ſicut etiam vnda baptiſmatis, qua nouæ gratiæ populos à peccatorum ſorde lauari voluit, ipſe non neceſſitatis, ſed exempli cauſa ſubiit. Scire etenim debet veſtra fraternitas, quia idem ſalutiferæ curationis auxilium circunciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nũc baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quòd regni cæleſtis ianuam needum intrare poterant, donec adueniens benedictionem daret, qui legem dedit, vt videri poſſet Deus deorum in Sion, tantum in ſinu Abrahæ poſt mortem beata requie conſolati ſupernæ pacis ingreſſum ſpe felici expectabant. Qui enim nunc per euangelium ſuum terribiliter ac ſalubriter clamat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei, ipſe dudum per legem ſuam declamat: Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritũ fecit, id eſt, quia pactum vitæ in paradiſo hominibus mandatum Adã præuaricante tranſgreſſus eſt, in quo omnes peccauerunt, peribit de cœtu ſanctorum, ſi non ei fuerit remedio ſalutari ſubuentum. Vtraque ergo purificatio, & circunciſionis videlicet in lege, & in euangelio baptiſmatis, tollendæ præuaricationis primæ gratia poſita eſt. Et ne cui ſeculi labentis ætati ſuperni reſpectus munera deeſſent, illi quoque, qui à mundi exordio vſque ad tempora datę circun

Miſſarũ ſolẽnijs feſtũ celebratur.

Galat. 4.

Poſt Chriſti Aſcẽſionẽ ſancti ad cæleſte regnum admittuntur.
Ioan. 3.
Geneſ.

citcunciſi onis,vel poſt datam circunciſionem, de alijs nationibus Deo placuerunt, vel hoſtiarum oblationibus,vel certe ſola fidei virtute ſuas, ſuo-
Heb. 11. rúmque animas creatori commendantes, à primi reatus vinculis abſoluere curabant:Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo:& ſicut aliàs ſcriptum
Abac. 2. eſt,Iuſtus autem ex fide viuit. Sed veniens in carne Dei filius, qui ſolam carnis naturam, nullam autem peccati contagionem contraxit de Adam, & quia ſpiritus ſancti virtute de virgine conceptus,& natus eſt,nullo eguit munere gratiæ renaſcentis, vtrunque genus purificationis ſubire dignatus eſt, & circunciſus videlicet à parentibus
Luce 2. octaua die natiuitatis, & triceſimo ætatis anno
Matth. 3. baptizatus à Ioanne, imò etiam tertium ſalutaris
Luce 2. hoſtiæ munus ipſius templi dominus pro ſe non reſpuit offerri. Cuius die dehinc triceſima tertia domino opitulante veſtra charitas auditura ſimul eſt,& celebratura myſterium. Cuncta, inquam,& legalis, & euangelicæ purificationis genera, qui nullo indiguit dominus ſuſcipere non deſpexit,vt & conſummandæ iam legis decreta ſuo tempore doceret eſſe ſaluberrima,& aduenientis euangelij cunctis fidelibus oſtenderet, æquè ſubeunda remedia. Sed & hoc quod eodem die ſuæ circunciſionis nomen vt Ieſus vocaretur accepit, ad imitationem priſcæ fecit obſeruationis: quam ex eo credimus ſumptam, quod Abraham patriarcha, qui primus circunciſionis ſacramentum in teſtimonium ſuæ magnæ fidei, & diuinæ ad eum promiſſionis accepit, eodem die ſuæ ſuorúmque circunciſionis etiam nominis amplificatione ſimul cum ſua coniuge benedici promeruit,vt qui catenus Abram pater excelſus dictus eſt,deinde Abra-
Geneſ. 17. ham, id eſt, pater multarum gentium vocaretur: quia patrem,inquit,multarum gentium conſtitui te, quæ, fideliſſima promiſſio tam late per orbem iam patet impleta, vt etiam nos ipſi de gentibus ad fidei illius deuotionem vocati, ipſum nos patrem ſpiritaliter habere gaudeamus, dicẽte etiam
Galat. 3. nobis Apoſtolo:Si autem vos Chriſti,ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes. Et Sarai,inquit,vxorem tuam,non vocabis Sarai, ſed Saram,id eſt, non principem meam, ſed principem:videlicet aperte docens eam, quæ tantæ fidei particeps,& ſocia facta eſt,non proprie principem ſuæ domus, ſed abſolute principem, id eſt, omnium recte credentium fœminarum vocaret,
1. Petri 3. & intelligeret eſſe parentem. Vnde beatus Apoſtolus Petrus credentes de gentibus fœminas ad humilitatis, caſtitatis, & modeſtiæ virtutem prouocans, eiuſdem matris noſtræ Saræ debita cum laude meminit. Sicut Sara, inquit, obediebat Abrahæ dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ bene facientes, & non timentes vllam perturbationem. Hæc dilectionem veſtram,fratres,admonere curauimus, vt ſinguli veſtrum meminerint etiam ſeipſos percepta fide Chriſti cũ patriarchis nominis excelſi meruiſſe conſortium, ſi percepta in Chriſto purificatione baptiſmi ſalutaris deriuatum à nomine Chriſti gaudeant mutuaſſe cognomen,& hoc vſque ad finem firmum, intemeratúmque ſeruare contendant, gaudentes in ſe illud Eſaiæ vaticinium eſſe completum, & ſeruos
Eſaia 65. ſuos vocabit nomine alio, hoc eſt nomine Chriſtiano,quo nunc omnes ſerui Chriſtj ſe delectan-
Act. 4. tur inſigniri. Neque enim nomen aliud ſub cælo datum eſt hominibus,in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vnde propheta conſequenter adiungit: In *Ibidem.*
quo benedicendus eſt ſuper terram, benedicetur in domino amen. Dicit & aliàs de eodem, multiplicandam etiam de gentibus eccleſiam alloquẽs: Videbunt gentes iuſtum tuum,& cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum, *Eſaia 62.*
quod os domini locutum eſt. Quare autem puer, qui natus eſt nobis,filius, qui datus eſt nobis, Ieſu,id eſt,ſaluatoris nomen acceperit, non expoſitione vt à nobis poſſit intelligi, ſed ſolicita ac vigili eget intentione,vt etiã nos poſſimus eiuſdem nominis participatione ſaluari. Legimus quippe angelo interpretante:Quia ipſe ſaluum faciet po- *Matth. 1.*
pulum ſuum à peccatis eorum. Et indubitanter credimus,ac ſperamus, qui à peccatis ſaluat, ipſe etiam à corruptionibus, quæ à peccatis contigerunt, & ab ipſa morte ſaluare non omittit, Pſalmiſta teſtante,qui ait: Qui propicius fit omnibus *Pſal. 102.*
iniquitatibus tuis,qui ſanat omnes lãguores tuos. Dimiſſis quippe omnibus iniquitatibus noſtris, ad integrum omnes languores noſtri ſanabũtur, cũ reſurrectionis apparente gloria nouiſſima inimica deſtructa fuerit mors.Et hæc eſt vera, & ple- *1. Cor. 15.*
naria noſtra circunciſio,cum in die iudicij cunctis ſimul animæ carniſque corruptionibus exuti, mox peracto iudicio ad videndam perpetuo creatoris faciem,aulã regni cæleſtis ingredimur, quod eſt typice paruulos circunciſos ad templum domini Hieroſolymam cum laudibus hoſtiarũ munus acceptabile deferri. Vera enim circunciſione purgatus templum domini cum muneribus ingreditur, qui gloria reſurrectionis ab omni labe mortalitatis excoctus, cum bonorum fructibus operum ſupernæ ciuitatis gaudia ſempiterna ſubit. Diſrupiſti,inquiens,vincula mea, tibi ſacrifi- *Pſal. 105.*
cabo hoſtiam laudis. Vota mea domino reddam in atrijs domus domini in cõſpectu omnis populi eius,in medio tui, Hieruſalem. Quod deſiderantiſſimum tempus cæleſtis introitus illa dies octaua,qua circũciſio celebratur, indicat. Sex etenim ſunt huius ſeculi ætates notiſſimis temporum diſtinctæ articulis, in quibus pro Deo laboribus inſiſtere, & pro adipiſcenda requie ſempiterna ad tempus operari neceſſe eſt. Septima eſt ætas non in hac,ſed in alia vita quieſcentium vſque ad tempus reſurrectionis animarum. Octaua autẽ ætas, ipſa eſt dies reſurrectionis ſine vllo temporis fine beatus, quando vera omnimodo circunciſionis gloria coruſcante nõ vltra corpus, quod corrum- *Sapien 9.*
pitur, adgrauat animam, non terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, ſed corpus iam incorruptibile lætificat animam, & ſubleuat cæleſtis inhabitatio totum hominem viſioni ſui conditoris inhærentem. Cuius æterni diei beatitudinem Propheta in illo, cuius ſuprà meminerimus,pſalmo cõſequenter exponit, animam ſuam ipſe & omnes interioris ſui hominis affectus ad benedicendum dominum, recordandáſque omnes eius retributiones excitans: Quj redimit de interitu, inquit, vitam tuam, qui ſatiat in bonis *Pſal. 102.*
deſiderium tuum, qui coronat te in miſeratione, & miſericordia, renouabitur ſicut aquilæ iuuẽtus tua.Et ideo neceſſe eſt,fratres chariſſimi,vt qui ad huius pulcherrimæ renouationis, quaſi ſummæ circunciſionis, deſideramus præmia pertingere, curemus interim primitiuæ circunciſionis, & renouationis, quæ quotidiano virtutum exercitio fit, ſubire remedia. Deponamus ſecundum priſtinam

nam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, renouemur *Epheſ. 4.* ſpiritu mentis noſtræ, & induamus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Neque audientes circumciſionem, in vno corporis noſtri membro nos caſtigare ſufficere credamus, ſed ſicut idē alibi monet Apoſtolus, mundemus nos ab omni labe, & *2. Cor. 7.* inquinamēto carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Et legamus acta Apoſtolorum, videamus beatiſſimum protomartyrem *Act. 7.* Stephanum Iudæis ſe cum domino perſequentibus terribiliter intonantem: Duri ceruice, & incircumciſi cordibus, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Si ergo incircumciſi cordibus, & auribus ſunt, qui ſpiritus ſancti monitis reſiſtunt, eſt vtique cordium, & aurium circumciſio. Et ſi eſt cordium, & aurium, eſt & omnium exterioris interiorisque hominis noſtri ſenſuū. Qui *Math. 5.* *Prouer. 6.* enim viderit mulierem ad concupiſcendum eam, qui habuerit oculos ſublimes, huius incircumciſus eſt viſus. *Ioan. 8.* Quibus voce veritatis dicitur: Qui eſt ex Deo, verbum Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Incircumciſi ſunt auribus, incircumciſi linguæ, & manibus ſunt, *Pſal. 143.* *Pſal. 27.* *Pſal. 25.* quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus eorum, & dextera eorum repleta eſt muneribus. Incircumciſi ſunt guſtu, quos propheta redarguit, *Eſaiæ 5.* dicens: Væ qui potentes eſtis ad bibēdum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Incircumciſi olfactu, & tactu, qui vnguento, & variis odo- *Prouer. 7.* ribus ſunt delibuti, qui ſequuntur amplexus meretricis, aſpergentes cubile ſuum myrrha, & aloe, & cinamomo. Incircumciſi greſſibus, de quibus *Pſalm. 13.* Pſalmiſta commemorat: Contritio, & infelicitas *Prouer. 4.* in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. *Pſal. 118.* *Eccleſ. 28.* At, qui omni cuſtodia ſeruant ſuum cor, qui auer- *Pſal. 31.* tunt oculos ſuos ne videant vanitatem, qui ſe- *Pſal. 38.* piunt aures ſuas ſpinis, ne audiant linguam nequam, qui guſtant, & vident quàm ſuauis eſt dominus, quam beatus vir, qui ſperat in eo, qui cu- *Iob 27.* ſtodiunt vias ſuas, vt non delinquant in lingua ſua, qui donec ſupereſt halitus in eis, & ſpiritus *Pſal. 118.* Dei in naribus eorum, non loquuntur labiis iniquitatem, nec lingua eorum meditatur mendacium, qui leuant manus ſuas ad mandata Dei, quę *Ibidem.* diligunt, qui ab omni via mala prohibent pedes ſuos, vt cuſtodiant verbum Dei, iſti omnes ſuos ſenſus petra ſpiritalis exercitij ſe oſtendunt habere circumciſos. *Ioſue 5.* Petrinis quippe cultris circumciſio- *1. Cor. 10.* nem fieri legimus, petra autem erat Chriſtus, cuius fide, ſpe, & charitate, non ſolum in baptiſmate, ſed in omni prorſus actione deuota purificantur corda bonorum. Quæ & ipſa quotidiana noſtra circumciſio, id eſt, continua cordis mundatio, ſemper octauæ diei ſacramentum celebrare non deſiſtit, qui nos in exemplum dominicæ reſurrectionis, quæ octaua die, id eſt, poſt ſeptimam ſabbati facta eſt, ſanctificare conſueuit, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per *Rom. 6.* gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, præſtante Deo, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

* * *

HAYMONIS EPISCOPI

Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

POſt quam cōſummati ſunt dies octo, &c. Poſt quam conſummati ſunt, id eſt, completa natiuitate dies octo, vt circumcideretur puer. Ritus, id eſt, conſuetudo & religio circūciſionis à beato Abraham ſumpſit exordium. Qui cùm eſſet poſitus in præputio, credidit Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Tunc dixit *Gen. 17.* ei dominus: Circumcide carnem præputij tui: omnis maſculus de ſemine veſtro circumcidatur. Maſculus cuius caro præputij non fuerit circumciſa, peribit anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Pactum dicitur pacis actum. Et quomodo puer octo dierum, qui nullam diſcretionem adhuc boni malive habebat, poterat præuaricari pactum, id eſt, præceptum domini? Sed pactum hic intelligere non debemus pactum circumciſionis, ſed pactum, id eſt, præceptum quod Deus iniit cum primo homine Adam in paradiſo, quando præcepit illi, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini. *Gen. 2.* Hoc præceptum tranſgreſſus eſt homo Adam, & cōtinuò factus eſt mortalis, qui antè erat immortalis, continuò factus eſt miſer, qui antè erat beatus: in ipſo enim omnes *Rom. 5.* peccauimus & Dei mandatum tranſgreſſi ſumus, quia in lumbis illius eramus & de ſemine illius propagati ſumus. De hoc pacto dixit dominus: Peribit anima illius de populo ſuo, id eſt, de cœtu ſanctorum, ſi non fuerit ſubiectum remedium circumciſionis, quia pactum meum irritum fecit, id eſt, præceptū hominibus in paradiſo à me datum. Adam præuaricante, tranſgreſſus eſt, in quo omnes peccauerunt. Illa circumciſio, quæ tunc temporis fiebat in genitalibus membris, ab omnibus peccatis mundabat homines, & à peccatis originalibus, & à peccatis actualibus. Et quid opus fuit domino circumcidi, cùm nullum peccatum omnino haberet, quod per eius circumciſionem tolleretur? Sed vt demonſtraret legem Moyſi iuſtam, ſanctam, ac bonam eſſe, ideo voluit circumcidi octauo die ſecundum legis præceptum, quod ipſe dixit: Non enim veni legem ſoluere, ſed adim- *Math. 5.* plere. Vndè & B. Paulus apoſtolus dicit: Vbi venit *Galat. 4.* plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, id eſt, ex ſemine virginis, quia ſpiritus ſanctus formauit illud corpus in vtero virginis Mariæ ex ſemine eiuſdem virginis factum, ſub lege, id eſt, circumciſum ſecundum legis mandatum. Munera ſunt pro eo oblata in templo, vt eos, qui ſub lege erat, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Simili modo voluit dominus baptizari, non neceſſitate cogente, ſed propria voluntate, vt daret nobis exemplum baptizandi. Et non ſine cauſa voluit baptizari à ſeruo ſuo Ioanne, vt daret exemplum regibus, & principibus potentibus illius ſeculi, non dedignari baptizari ab ignobilibus perſonis. Illa circumciſio ſecundum legem omnia peccata (vt diximus) mundabat, & originalia, & actualia, ſicut modò facit baptiſmus in ſancta eccleſia, quando baptizantur homines in nomine ſanctæ trinitatis. Tamen hoc diſtabat illa circumciſio ab ipſo baptiſmate, quod modò facit ſancta eccleſia: quod illi, qui circumcidebantur

debantur, poſt mortem carnis nullus intrabat in regnum cælorum: ſed in ſinum, id eſt, in requiem ibant, vbi erat Abraham, in ſuperioribus locis inferni manebant: & præſtolabantur aduentum filij Dei. Iſta terra, & iſte aër ad comparationem cæli ſuperioris eſt infernus. Nullus, ſicut diximus, intrabat in regnum cælorum, donec adueniret, qui legem dederat, id eſt, dominus Ieſus Chriſtus, & per mortem ſuam deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, vt liberaret electos, deinde aſcendens ad cælos per ſemetipſum aperiret ianuam regni cæleſtis, aditum illuc introeundi hominibus pateſaceret. Iſte autem baptiſmus tantam gratiam confert, vt, ſi ſtatim ille, qui baptizatur, de fonte deſcendens mortuus fuerit, ſine vlla dilatione temporum tranſeat in regnum cælorũ. Filij Iſraël qui de Ægypto tranſeuntes mare rubrum perrexerunt in eremum, circuncisi fuerant, filij autem eorum, qui per quadraginta annos nati ſunt in eremo, non fuerunt circunciſi à Moſe. Quare? Quia non credebant, quòd dominus potuiſſet eos introducere in terram promiſſionis, ſicut promiſerat: cùm autem tranſiſſent Iordanem, circũciſi ſunt à Ioſue in Galgalis. Quare hoc? Quia tunc viderunt eſſe completum, quod dominus illis promiſerat, quòd introducturus eos eſſet in terram promiſſionis. Illa circunciſio, quæ ſecundum legis præceptum habebatur, per petram fiebat, cultellis petrinis circunciſus eſt populus à Ioſue. Quid ſignabat illa petra, qua circuncidebatur populus? Chriſtum ſignabat. De eo dicit Paulus: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Et rectè per illam petram ſignabatur Chriſtus, quia per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, mundamur ab omnibus peccatis noſtris. Et bene octaua die fiebat illa circunciſio. Octaua dies ad myſteria dominicæ reſurrectionis pertinet, quæ octaua die facta eſt. Sexta enim die fuit dominus crucifixus, ſeptima quieuit in ſepulchro, octaua reſurrexit à mortuis, idem primus qui & octauus. Rectè igitur illa circunciſio, quæ ſignabat gratiam baptiſmatis, octaua die fiebat, quia nos in ſpirituali noſtra circũciſione, id eſt, in ſacro baptiſmate in fide dominicæ reſurrectionis baptizamur, quando dicit ſacerdos illi qui baptizandus eſt: Credis in Deum patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ, & in Ieſum Chriſtum filium eius dominum noſtrum, qui reſurrexit à mortuis? Reſpondet: Credo. Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Sicut ergo credimus filium Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum iam veniſſe in mundum, & natum eſſe de virgine Maria, & paſſum pro ſalute humani generis, & reſurrexiſſe à mortuis, & aſcendiſſe ad cælos, & venturum ad iudicandum, ſicut nos credimus totum iam eſſe factum, excepto quod adhuc non venit ad iudicium: ita & illi ſancti, qui præceſſerunt aduentum domini, totum hoc crediderunt eſſe venturum. Et ideo per eandem fidem, per quã nos ſaluamur, per eandẽ ſaluati ſunt & illi. Aliter. Illa circũciſio typum gerebat generalis reſurrectionis, quæ in die iudicij futura eſt, quando omnes homines reſurgent de puluere terræ, alij ad gloriã ſempiternam, alij ad pœnas perpetuas, quando omnes electi mundabuntur ab omni fece peccaminum, & ab omni fece mortalitatis. Et tunc introducẽtur cum muneribus, id eſt, cũ bonis operibus, in templum, id eſt, cœleſtem Hieruſalem dicente ſibi domino. Venite benedicti patris mei, percipite regnũ &c. *Pòſt quàm ſunt conſummati dies octo, vt circuncideretur puer.* Quis eſt puer, niſi ille, de quo dixit Eſaias propheta: Puer natus eſt nobis? Quærendum eſt, quare dominus ſuſcepit circunciſionem lege decretam, qui nihil debebat legi, neque obnoxius erat peccatis? Iam ſuperiùs diximus, vt oſtenderet legem ſanctam iuſtã, ac bonam eſſe. Vel ideo ſuſcepit circunciſionem, vt faciliùs reciperetur à Iudæis. Si enim non eſſet circunciſus, nullo modo reciperetur eius prædicatio à Iudæis. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Quòd dominus Ieſus die circunciſionis ſuæ augmentum nominis ſui promeruit, ad imitationem priſcorũ hominum factum eſt. Abraham namque in die circuncisionis ſuæ augmentum nominis ſui promeruit. Abraham primùm vocatus eſt Ram, deinde Abram, deinceps Abraham. Quòd primum vocatus ſit Ram, habemus in libro Iob. Et iratus, indignatúſque eſt Eliu, filius Barachiæ Buſites de cognatione Ram, Ipſa eſt Abraham. Abraham ſicut diximus die circunciſionis ſuæ augmẽtum nominis ſui à domino promeruit: vt, qui antea vocabatur Abram, id eſt, pater excelſus, die circunciſionis ſuæ vocaretur Abraham, id eſt, pater multarum gentium. Similiter & Sara vxor eius die circunciſionis viri ſui amplificationem nominis ſui promeruit, vt quæ antea vocabatur Sarai, id eſt, princeps tantùm vnius domus: poſtmodũ vocaretur Sara, id eſt, princeps omnium credẽtium fœminarum. Vnde dixit beatus Petrus mulieribus credentibus. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius filiæ eſtis, benefacientes, & non timentes vllam perturbationem. Sara primùm vocata eſt Sarai, ſublata ergo iota, id eſt, elemento, addita eſt litera, quæ per a legitur. Sara Sarai vocata eſt à domino. Decem nomina habuit Ieſus Chriſtus dominus apud Hebræos, è quibus de vno nomine ſuo dedit vnam literam Abrahæ, id eſt, A & alteram Sarai vxori eius, id eſt, Saræ. Ieſus Hebraicè, Latinè interpretatur ſaluator, ſiue ſalutaris. Quare ſaluator? Quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quis eſt plebs eius? Omnes credentes in eum, qui fidem habent, & ipſam fidem bonis operibus adornant, ipſi ſunt populus eius, ipſi ſaluantur ab eo, non ſolùm à peccatis, ſed ab omnibus aduerſitatibus præſentis ſeculi, & futuri, & ab omnibus aduerſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus. *Quod vocatum eſt ab angelo, priùs quàm in vtero conciperetur.* In vtero virginis Mariæ qui genitus eſt ante omnia ſecula à Deo patre. Venit angelus Gabriel ad B. Mariam, & dixit ad eam: Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Si volumus hoc ad nos referre, antè quam conciperemur in vtero ſanctæ eccleſiæ, id eſt, ante quam renaſceremur ex aqua, & ſpiritu ſancto, antea prędeſtinatione, id eſt, præſcientia Dei omnipotentis, nobis impoſitum eſt nomen, vt à Chriſto Chriſtiani vocaremur, à ſaluatore ſaluati, iuxta quòd ipſa prædixit per Eſaiam Prophetam. Et ſeruos meos vocabo alio nomine, ſcilicet, Chriſtiano. Cùm audimus circunciſionem, non ſolùm intelligere debemus in circunciſione caſtitatem corporis, ſed & caſtitatẽ cordis. Vnde Beatus Stepha-

Intrantes in regnum cælorum non differtur vſque ad iudicij diẽ.

Ioſue 5.

1. Cor. 10.

Mat. 25.

Eſa. 9.

Gen. 17.

Iob 32.

1. Pet. 3.

Non fides ſola ſaluat, ſed cum operibus coniuncta.

Luc. 1.

Eſa. 65

Act. 7. nus dixit Iudęis: Dura ceruice & incircuncisi corde, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri. Ita ergo ſectanda eſt à nobis circuncisio, vt ab omnibus vitiis nos cuſtodiamus, & corpore, & corde, adiuuante Deo noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

THEOPHYLACTI EPIſcopi Bulga. ſuperioris Euang. expoſitio.

E*T poſtquã conſummati ſunt dies octo, &c.* Qui mandata legis præuaricabantur, ſub maledictione erant: dominus igitur circunciditur, vt, etiam in hoc adimpleta lege, & nullo prætermiſſo, quod illa mandabat, eripiat nos à maledicto. Reuereantur hic, qui dicunt, quòd Chriſtus incarnatus ſit apparenter tantum. Inutiliter autem quæritur vbi ſit abſecta illa particula. Nam, quæ ſcriptura tacuit, ea quærere non oportet, præſertim vbi nulla vtilitas. Dici autem poſſet, quòd, quando abſectum terram tetigit, illam quoque ſanctificarit, ſicut etiam ſanguis, & aqua, qus ex latere eius fluxerunt. Et videtur, quòd ſeruarit particulam illæſam, & in reſurrectione iterum reſumpſerit, vt ex particula non inueniatur deeſſe. Quippe & nos in reſurrectione perfectum corpus reſumpturi ſumus, Obſerua autem, quòd non ſtatim atque dixit angelus, concipies filium, conceptus eſt dominus, ſed poſtea quando voluit. Vide enim quid dicat hoc loco, *quod vocatum eſt ab angelo, priuſquam conciperetur in vtero.* Et hoc verbo oſtenditur id, quod diximus. Non enim dixit; Ecce concipis: ſed, *ecce concipies.* Atque ex his animaduertere licet, quòd die quidem illo conceptus fuerit dominus, non autem illo momento, quo angelus dixit, ſed forte poſteaquam expleuit ſermones. Hæc autem non dixerimus definitiue.

Multi tamen aſſirmant, eã reperiri, & ſanctus Thomas nõ repugnat.

INCERTI SVB NOMIne Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euangelij expoſitio.

NObis, non ſibi, circunciditur dominus. Sicut enim nobis natus eſt, nobis baptizatus, & paſſus, ita & nobis eſt circunciſus. Primus Abraham circunciſus eſt. De quo Apoſtolus ait, quia ſignum accepit circuncisionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei. Data eſt igitur circuncisio, non vt peccata tolleret, quod baptiſmi propriũ eſt, ſed vt aliquid ſignificaret, & quadam differentia Iudæorum populum ab aliis gentibus ſepararet. Quamuis itaq; propter mandati tranſgreſſionem, quicũque olim non circunciderentur, damnabatur: nemo tamen per circuncisionem iuſtificabatur. Vt enim apoſtolus ait, Circuncisio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circuncisio tua præputium facta eſt. Non enim qui in manifeſto Iudæus, neque ea, quæ in manifeſto in carne circuncisio, ſed qui in abſcondito Iudæus, & circuncisio cordis in ſpiritu, non litera. Magnum igitur aliquid ſignificat circuncisio: & tam magnum aliquid, vt, quicunque eo modo circunciſus non fuerit, (vt interim de paruulis taceamus) ſaluari non poſſit. De hac enim circuncisione ſcriptũ eſt, Circuncidite corda veſtra, & non corpora veſtra. De carnis verò circuncisione Apoſtolus ait, Ego Paulus dico vobis, ſi circũcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Hæc enim circuncisio in Chriſto completa eſt, in quo & aliæ legis cerimoniæ conſummatæ ſunt. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Ideo enim ipſe circunciſus eſt, vt legem compleret, & bonam eſſe oſtenderet, ciúſque nobis ſignificationem commendaret. Vnde & ea nocte, qua traditus eſt, cum diſcipulis agnum comedit, & mox quid ſignificaret oſtendit, dum panem, & vinum benedicens ait, Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et bibite ex hoc omnes: hic eſt calix noui teſtamẽti, qui pro vobis, & prò multis effundetur. Et hoc ſacramentum tunc ab eo & modò completum, neque vlterius ſecundum literam agendum eſſe vel intelligendum protinus oſtendit, dicens, Amen amen dico vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiſcum nouum in regno Dei. Sic igitur vetus teſtamentum compleuit & confirmauit, literæ finem impoſuit, & ſpirituali, nouæq; intelligentiæ principatum dominus tribuit. Conſummata eſt ergo lex, atque pertranſiit, ſed ſecundum literam: manet autem, ſempérque manebit, ſecundum ſpiritualem intelligentiam. Vnde ipſe dominus ait, Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Itémque, Amen amen dico vobis, vnum Iota neq; vnus apex præteribit ex lege, donec omnia compleantur. Et Iudæi quidem in vno membro circunciduntur, quare tamen circuncidantur, non intelligũt: Chriſtiani verò quid circuncisio ſignificet intelligentes, non vnum tantùm, ſed omnia membra circuncidunt, non pellis inciſione, ſed totius ſuperfluitatis abiectione. Qui enim non occidit, nõ mœchatur, non furtum facit, non mentitur, non concupiſcit rem proximi ſui, qui nulli nocet, nulli iniuriam facit, vana audire vel videre vel cogitare non appetit, iſte interius, & exterius perfectè circunciſus eſt. Hoc illa circũcisio Iudęorum ſignificat, ſine hac autem ſignificatione inutilis eſt. Si enim intelligerent quid ſignificet, Sint lumbi veſtri pręcincti, (hæc eſt enim illius circuncisionis expoſitio:) non ſe fortaſſe vlterius inutiliter vulnerarent. Hæc eſt igitur ſecunda circuncisio, de qua Ioſue dominus ait, Fac tibi cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſrael. Et paulò pòſt, Hæc eſt igitur cauſa ſecundæ circuncisionis, quia populus, qui per quadraginta annos in deſerto natus fuerat, circunciſus non erat. Quare ergo ſecunda circuncisio dicitur, vel quare ſecundò circuncidi dicuntur, qui prius circuncisi non erant? Secundus enim ad primum refertur, neque ſine primo ſecundus dici poteſt. Sit igitur prima circuncisio carnalis, ſecunda verò ſpiritualis. Prima Iudæorum, ſecunda Chriſtianorum. Prima eorum, qui Iordanem tranſierunt, ſecunda eorum, qui Iordanem non tranſierunt. Populus enim iſte, qui in deſerto natus fuerat, (de quo modo dicitur vt ſecundò circuncidatur) tunc prius circunciſus eſt, poſtquam Iordanem tranſiuit. Quoniam non illam circuncisionem ſignificabat, quæ fit ante baptiſmum, ſed illam, quæ fit poſt baptiſmum, Iordanis enim baptiſmũ ſignificat, in quo dominus baptizatus eſt, qui veri baptiſmi principiũ, & formã dedit. Et illa igitur circũcisio, quæ fit ante baptiſmum,

mum, & illa quæ fit poſt baptiſmum, pœnitentiam ſignificat. Solebant enim ſancti his, qui baptizandi erant, pœnitentiam imponere, & illa quidem erat prima circunciſio. Quid eſt enim circunciſio, niſi vitiorum, & peccatorum abſciſſio? Poſtquam verò baptizati ſunt, id eſt, poſtquam Iordanem tranſeunt, (baptizari enim hoc eſt Iordanem tranſire:) tunc ſecunda circunciſio ſequitur. Sed quare dico ſecundam? Toties enim circunciditur homo, quoties poſt peccatum ad pœnitentiam redit. Qui ſi nunquam peccaret, nunquam poſt baptiſmum vel circunciſione, vel pœnitentia indigeret. Quoniam autem niſi per Chriſtum peccata non tolluntur, (ipſe eſt enim agnus Dei, qui tollit peccata mundi:) ideo cultris lapideis circunciſio fieri iubetur: quoniam (ſicut Apoſtolus ait) petra autem erat Chriſtus. Beatus enim qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Sed quare completis octo diebus circunciſus eſt dominus? quare etiam octaua die fiebat circunciſio? Octaua namque dies ipſa, quæ & prima. Ipſa eſt autem, quæ dies dominica vocatur. Ipſa die mundus cœpit, ipſa Chriſtus à mortuis reſurrexit, ipſa ſpiritum ſanctum Apoſtolis dedit, & ipſa vltima & vniuerſalis reſurrectio fiet. Et tunc quidem perfectè circuncideţur omnis homo: quia tunc omnibus vitiis abſciſſis, mundus & purus à peccato, qualis in initio creatus eſt, talis ad vitam ducetur æternam. Sequitur: *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Ieſus enim ſaluator, ſiue ſalutaris interpretatur. De hoc ſalutari Iacob patriarcha dicebat: Salutare tuum expectabo, domine. Ideo & Ioſeph, qui Chriſtum ſignificabat, ſaluator mundi à Pharaone vocatus eſt. Multa ſunt enim, in quibus Ioſeph Chriſtum ſignificat. Fuit enim & ipſe ouium paſtor, Iudæ conſilio venditus, & à fratribus adoratus. Ipſe inter principes loquebatur ſapientiam, ipſe totam Ægyptum à fame liberauit, & ſua ſapientia ſaluauit.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Q*Vanque completi eſſent dies octo, &c.* Quemadmodum apud nos ſacerdotes, quando baptizant, tunc etiam nomen imponunt: ita & apud Hebræos, quando circuncidunt, tunc etiam nomen imponunt, dubitabit autem aliquis, quare Chriſtus circunciſus eſt, qui circunciſioni finem erat impoſiturus? Cui reſpondendum eſt, quòd hoc ſecundum diſpenſationem actum eſt: Niſi enim circunciſus fuiſſet, nequaquam eius doctrina ſuſcepta fuiſſet, ſed omnino repudiata, tanquam alienigenæ: neque credidiſſet quiſpiam ipſum eſſe Chriſtum, de ſemine Abraham expectatum. Omnes enim, qui ab Abraham deſcendebant, ſigillum, ac ſignum habebant circunciſionis, quæ diſtinguebat illos ab aliis gentibus. Ob hoc itaque circunciſus eſt. Legem etiam in hoc adimplens, ſicut in aliis quoque præceptis legalibus: ne legis tranſgreſſor videretur. Hanc autem ceſſare facit, & valde rationabiliter Hebræorum enim circunciſio Chriſtianorum baptiſma figurabat, ac præſignabat. Quemadmodum enim illa ſignabat eos, & ab omni gente diſtinguebat: ita & hoc Chriſtianos: Oportebat autem ceſſare figuram, veniente exemplari: & quieſcere ſignum, adhibito ſignificato. Nam hoc perſeipſum adimplet: & ſuperfluum eſt, quidquid reliquum eſt. Et ſicut ſuperfluam amputat corporis particulam, ita & hoc amputat peccatum ſuperfluum.

IN OCTAVIS S. STEPHANI. S. IOANNIS, ET SS. INNOCENTVM.

Euangelium vide in eorum feſtis diebus.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

MATTHEI. 2.

a De quo prædictum eſt.

IN illo tempore, Defuncto [a] Herode, ecce apparuit angelus domini

b Quia nondum publice reuelabatur, cui angelus hoc officium deferebat. c Non filium tuum.

[b] in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe [c] puerum

d Non coniugem. e Quia Scribæ & Phariſæi mortem Chriſti meditabantur cum Herode.

& [d] matrem eius, & vade in terram Iſrael. [e] Defuncti ſunt enim qui

f Vitam.

quærebant [f] animam pueri. Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius,

g Herodes, Philippus, Archelaus, & Lyſanias fratres fuerunt. h De qua putabat ſe admonitum.
& venit in terram Iſrael. Audiens autem, quòd [g] Archelaus regnaret in [h] Iudæa pro Herode patre ſuo timuit illò ire.
i Non mutat angelus præceptum, ſed manifeſtius corrigit errorem pietatis.
Et [i] admonitus in ſomnis ſeceſsit in partes [k] Galilææ.
k Quæ & ipſa terra eſt Iſrael, quia & ipſam populus Iſrael incolebat.
Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur [l] Nazareth,
l Quæ eſt in Galilæa.
vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: quoniam [m] Nazaræus vocabitur.
m Nazaræus, id eſt, ſanctus quod conuenit Chriſto.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

DEFVNCTO *autem Herode, ecce apparuit angelus domi.* Quia ſopita Iudæorũ perfidia, & Helia & Enoch prædicantibus Iudæa verbum Dei recipiet. Defuncto rege illico complices eius pereunt ſic ceſſante perſequutione eccleſiæ ad cæleſtia inuitatur. *In terram.* Non determinat in quam partem, vt dubitanti Ioſeph angelus reuertatur: & frequenti eius allocutione Ioſeph certior reddatur. Quia non diſtinxit in quam partem, ideo Ioſephus intellexit Iudæam quæ dignior pars regni erat. *Defuncti.* Tradunt quidam quia fecit Herodes ſuper funus ſuum nobiliores Iudæorum occidere, vt ſic cogeret Iudæos mortem ſuam flere. *Qui conſur.* Alleg. Ioſeph gerit figuram apoſtolorum, quorum officio Chriſtus circunfertur. Amplius primum venerunt in terram Iſrael: quia primum prædicauerunt Iudæis. Sed pro Herode, id eſt, manẽte hæreditaria infidelitate, metuunt & recedũt admoniti gratiam gentibus prædicare, & ad eas Chriſtum transferre. Nominata terra Iſrael viſum eſt Ioſeph non alibi talem puerum debere habitare, niſi in Ieruſalem vbi erat templum & celebratio prophetarum. Tamen angelus intelligi voluit Galilæam, quam & Iudæi incolebant: quod oſtendit ſic fuiſſe prædeſtinatum quia Nazaræus vocabitur. *Timuit.* Si timuit Iudæam pro Archelao hærede paternæ crudelitatis: Cur non & Galilæam, vbi Herodes alius frater eius regnabat? Quia Archelaus poſt patrem monarchiam totius regni obtinuit: ſed inſoleſcens à Tyberio Cęſare deiectus eſt Lugdunum in exilium, & tunc diuiſum eſt regnum in quatuor tetrarchias, quarum vnam, id eſt Galilæam Herodes frater eius obtinuit. Quæritur: quare non timuit Ioſeph ire in Galilæam ſicut in Iudæam, cum & ibi regnaret Archelaus? Sed melius potuit in Nazareth (quæ remota erat) latere quam in Ieruſalem, vbi erat caput regni & aſſiduus Archelaus. *Sec. in par.* Quod Chriſtus illuc nõ transfertur vbi regnabat Archelaus, & ſignificat, quia illis abſcondetur Chriſtus, in quibus regnat Antichriſtus. *Na.* Nazareth, germen nouellum vel flos campi interpretatur, de cuius radice germinis ſanctus ſanctorum ad ſignificandum æternitatis ſuæ ſubſtantiam aſcendiſſe legitur. Sicut ergo elegit tempus quo naſceretur & locum, ita & ciuitatem in qua coaleſceret: cuius nomen indicio eſt, quòd ipſe ſanctitas, in ſanctitate nutritus, ſanctus ſanctorum rectè dicitur: vnde & diſcipuli eius prius Nazaræi dicti ſunt, ſed poſtea à Chriſto Chriſtiani vocati ſunt. Nazareth Galilææ quo transfertur, partem eiuſdem gentis quæ fidem ſuſceptura erat, ſignificat: vnde flos interpretatur: quia eccleſia quo ardentius à terrenis ad cæleſtia tranſmigrat, eo magis virtutum flore & germine abundat. *Per prophetas.* Prophetas pluraliter dicit, quia non habemus fixum de ſcriptura exemplum: oſtendit ſenſum nõ verba ſe ſumpſiſſe. Vel eiſdem verbis in Iſaia iuxta Hebraicam veritatem: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius aſcendet. *Iſa. 11.*

CATENA AVREA
in idem Euang.

DEfuncto *autem Herode, ecce angelus domini, &c.* Ex eccleſiaſtica hiſtoria. Cùm pro ſacrilegio quod Herodes in ſaluatorem commiſerat, & ſcelere quod in æquæuos eius peregerat, vltio eum diuina perurgeret in mortem, corpus eius, vt Ioſeph refert, morbus inuaſit diuerſus: ita vt diceretur à vatibus non morbo corporis hæc, ſed diuinæ vltionis eſſe ſupplicia. ipſe autem furore iam plenus, nobiliores & primarios ex omni Iudæa ad ſe colligi & recludi iubet in carcere, mandans ſtatim vt ſpiritum exhalaſſet omnes interfici, vt eius obitum omnis Iudæa defleret inuita. Paulo autem antequam nouiſſimum ſpiritum redderet, Antipatrum filium ſuum iugulauit, poſt duos filios, quos antè necauerat, ſcilicet Alexandrum & Ariſtobolum. Talis igitur Herodis finis, qui digna ſupplicia ſcelere, quod in Bethlehem erga paruulos geſſerat, & pro inſidiis ſaluatoris exactus eſt, ab euangeliſta deſignatur, cùm dicit; *Defuncto autem Herode.* Hierony. Multi propter ignorantiam hiſtoriæ labuntur in errorem, putantes eundem eſſe Herodem, à quo in paſſione dominus irridetur, & qui nunc mortuus eſſe refertur. Ergo Herodes ille qui cum Pilato poſtea amicitias fecit, huius Herodis filius eſt, frater Archelai: quem Tyberius Cæſar Lugdunum relegauit, fratremq́; eius Herodem ſucceſſorem regni fecit. Primo ergo defuncto: *Ecce app. ang. do. in ſom &c.* Diony. in cæl. hierar. Vide quoniam & ipſe Ieſus ſupercæleſtibus eſſentiis ſuperexiſtens, ad id quod ſecundum nos eſt immutabiliter veniens, non refugit ad ſe ordinatam & aſſumptam humanam ordinationem, ſed obediens ſubditur Dei patris per angelos diſpoſitionibus, & per angelos ipſos annunciatur Ioſeph à patre diſpoſita filij ad Ægyptum receſſio, & iterum ad Iudæam ex Ægypto transductio. Chryſoſto. Vides etiam quia Ioſeph ad miniſterium Mariæ erat electus, euntc enim illa in Ægyptum & redeunte, quis miniſterium ei tantæ neceſſitatis impleret, niſi deſponſata fuiſſet? Nam prima quidem facie Maria puerum nutriebat, & Ioſeph conſeruabat. Reuera autem puer & matrẽ nutriebat, & Ioſeph tuebatur. Sequitur: *Et va. in ter. Iſrael.* Quaſi medicus enim deſcendit in Ægyptum

Ægyptum, vt viſitaret eam lãguentem erroribus, & non remaneret in ea. Reuerſionis autem ratio aſſignatur, cùm ſubditur: *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Hierony. Ex hoc loco intelligimus non ſolùm Herodem, ſed etiam ſacerdotes & ſcribas eo tempore necem domini fuiſſe meditatos. Remi. Sed ſi multi fuerunt, quomodo tam breui ſpatio extincti ſunt? quia vt dictum eſt: Herode mortuo occiſi ſunt omnes maiores qui in cuſtodia tenebantur. Chryſo. ſuper Matth. Quod dicitur conſilio factum eſſe, quòd conſenſerunt Herodi, vt inquireret, puerum occideret, quia ſcriptum eſt: Turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo. Remi. Aut certè locutus eſt euãgeliſta per ſpeciem tropi, quando multi ponuntur pro vno. In hoc autem quod dicit: *Animam pueri*, deſtruuntur hæretici, qui dixerũt Chriſtum non ſumpſiſſe animam, ſed loco animæ diuinitatem. Beda in hom. Quod autem occiſis pro Domino pueris Herodes non longè poſt obiit, & Ioſeph dominum cum matre ad terram Iſrael reduxit, ſignificat omnes perſecutiones, quæ contra eccleſiam erant mouendæ, perſecutorum morte vindicandas, & pacem eccleſiæ dènuo reddẽdam, & ſanctos qui latuerant ad ſua loca reuerſuros: vel quod defuncto Herode redit ad terram Iſrael Ieſus, denuntiat quod Enoch & Helia prædicantibus, Iudæi ſopita modernæ inuidiæ flamma, fidem veritatis accipient. *Qui conſurgens accepit puerum, &c.* Gloſſ. Angelicæ admonitionis Ioſeph non inobediens fuit. vnde ſequitur: *Qui conſur. accep. pue. & ma. eius, &c.* Non enim determinauerat angelus in quo loco terræ Iſrael, vt dubitante Ioſeph iterum reuertatur, & frequentiori viſitatione angeli certior redderetur. vnde ſequitur: *Audiens autem quòd Arche. &c.* Ex hiſto. Ioſephi. Habuit ſiquidem Herodes vxores 10. ex quarum 7. numeroſam ſuſcepit ſobolem: primogenitus eius Antipater ex Ioſida, Alexander & Ariſtobolus ex Mariamme, Archelaus ex Mathaca Samaritide, Herodes Antipas qui poſtea tetrarcha fuit, & Philippus ex Cleopatra Hieroſolymitide. Tribus igitur primis ab Herode interfectis, & poſt mortem eius occaſione teſtamenti patris Archelao gubernationem regni vſurpante, & cauſa de ſucceſſione regni ad Cæſarem Auguſtum delata, tandem de conſilio ſenatus omnem Herodis monarchiam diſtribuit, mediã partem ſcilicet Idumæam & Iudæam tradens Archelao, ſub nomine tetrarchiæ, pollicitus ſe facturum eum regem ſi ſe dignum præbuiſſet. Mediam verò partem in duas ſecuit tetrarchias, ſeceſſitque Galilæa in partem Herodi Tetrarchæ. Ituree verò & Traconitidis regio Philippo. Factus eſt ergo poſt Herodem defunctum Archelaus, quaſi Dynachus, quod dominij genus hic regnum appellat. Augu. de con. euang. Sed hîc aliquis quæret, quomodo (ſicut Lucas narrat) ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, ſi Archelai timore ibi prohibebantur accedere? Hoc diſſoluere non eſt difficile: fieri enim poterat vt per diem feſtum inter iam ingentem turbam latenter aſcenderent, mox reuerſuri, cùm tamen alijs diebus habitare metuerent, vt nec ſolennitate prætermiſſa eſſent irreligioſi, nec in continua manſione perſpicui. Iſte quoque intellectus patet, vt quod Lucas dicit per omnes annos eos aſcendere ſolitos in Hieruſalem, tunc accipiamus factum, cùm iam non metueretur Archelaus, qui ſecundum hiſtoriam Ioſephi ſolùm 9. annis regnauit. ſequitur: *Et admo. in ſom. receſ. in par. Gali.* Sed fortè hoc quiſpiam moueatur, cùm Matthæus dixerit, ideo timuiſſe Ioſeph cum puero redeuntem ire in Iudæam: quia cum patre ſuo Herode Archelaus filius eius regnabat, quomodo potuit ire in Galilæam, vbi alius filius eius Herodes tetrarcha erat, vt Lucas teſtatur. Quaſi verò ipſa ſint tempora quibus puero timebatur, quę Lucas commemorauit: quæ vſque adeò mutata erant, vt in ipſa Iudæa non rex eſſet Archelaus, ſed præſes Pilatus. Gloſſ. Sed tũc quæritur quare non timuit Ioſeph in Galilæam ire, cùm & ibi Archelaus regnaret? Sed melius potuit latere cum puero in Nazareth, quàm in Hieruſalẽ vbi erat apud regiam Archelaus. Chryſoſt. in hom. Et etiam quia villam natiuitatis mutauit, res obumbratur: impetus enim omnis erat aduerſus Bethlehem & fines eius. Venit igitur Ioſeph in Nazareth, & periculum fugiens, & in patriam rediens. vnde ſequitur: Et *ve. habita. in, &c.* Augu. de con. euan. fortè & hoc mouet quomodo dicat Matthęus, propterea cum puero Ieſu parentes eius iſſe in Galilæam: quia metu Archelai in Hieruſalem ire noluerunt, cùm propterea magis iſſe in Galilæam videatur: quia ciuitas eorum erat Nazareth Galilææ, ſicut Lucas non tacuit. Sed intelligendum eſt quia vbi & angelus in ſomnis in Ægypto dixit ad Ioſeph: Vade in terram Iſrael, ſic intellectum primò eſſe à Ioſeph vt putaret rectius eſſe pergere in Iudæam, ipſa enim primitius intelligi potuit terra Iſrael. Poſtquam verò cõperit ibi regnare Archelaum, noluit obijcere ſe periculo, cùm poſſet terra Iſrael etiam & Galilæa intelligi: quia & ipſam populus Iſrael incolebat. Quanquam poſſit & aliter ſolui: quia potuit videri parentibus Chriſti, non eſſe habitandum ibi cum puero, niſi in Hieruſalem, vbi erat templum domini, & illuc iuiſſent, niſi Archelai præſentia terrerentur. Non autem diuinitus iubebantur in Iudæa, vel Hieruſalem habitare, vt de Archelao, quod timebant, deberent contemnere, ſed in terra Iſrael, in qua etiam vt dictum eſt, poterat intelligi Galilæa. Hilar. Verùm typica ratio conſeruata eſt: Ioſeph enim apoſtolorum tenet ſpeciem, quibus Chriſtus circunferendus eſt creditus. Hi tanquam Herode mortuo, id eſt, populo eius in paſſione Domini deperdito, Iudæis prædicare ſunt iuſſi, miſſi enim erant ad oues perditas domus Iſrael, ſed manente hæreditariæ infidelitatis dominatu, metuunt & recedunt, per viſum admoniti ſpiritus ſancti donum in gẽtibus contemplantes ad eum conferunt Chriſtum. Rabs. Vel hîc vltima eccleſię tempora deſignat, quando plurimis Iudæorum ad prędicationem Enoch & Heliæ conuerſis, cæteri ad inſtinctum Antichriſti contra fidem pugnabunt. Pars igitur Iudææ, in qua regnabat Archelaus, Antichriſti ſequaces oſtendit. Nazareth autem Galilææ quo transfertur Chriſtus, partem eiuſdem gentis, quæ fidem eſt ſuſceptura, deſignat, vnde Galilæa tranſmigratio: Nazareth autem flos virtutum interpretatur: quia eccleſia quò ardentius à terrenis ad cæleſtia tranſmigrat, eò magis virtutum flore & germine abũdat. Glo. Huic autem prophetæ teſtimonium adiungit, dicens: *Vt imple. quod dictum eſt per prophe. quo. Naza. voca.* Hiero. Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret: quod dictum

eſt per prophetas, ſed ſimpliciter quod dictum per prophetam. Nunc autem pluraliter prophetas vocans: oſtendit ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus interpretatur ſanctus, ſanctum autem dominum futurũ omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quòd etiam eiſdem verbis iuxta Hebraicam veritatem in Eſaia ſcriptum ſit: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice conſurget. Chry. in hom. Aut fortè legerunt & aliquos prophetas ita dicentes: qui non ſunt nobis canonizati, ſicut Nathan & Eſdra. Et quoniam hoc prophetatum erat, manifeſtat Philippus, dicens ad Nathanaelem: Quem ſcripſit Moyſes in lege, inuenimus Ieſum à Nazareth: vnde etiam prius Chriſtiani Nazaræi vocabantur, ſed apud Antiochiam mutatum eſt hoc nomen, & dicti ſunt Chriſtiani. Aug. de con. euã. Hæc autem omnia quæ ſunt à narratione magorum, & deinceps Lucas tacet, hoc proinde cognoſcendũ quod deinceps ad cætera valeat, ſic vnumquemque euangeliſtarum cõtexere narrationem ſuam, vt tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur: tacitis enim quæ non vult dicere, ſic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat, adiungit: vt ipſa continuò ſequi videantur. Sed cùm alter ea dicit quæ alter tacuit, diligenter ordo conſideratus indicat locum, vbi ea potuerit à quo prætermiſſa ſunt tranſilire.

S. HILARII PICTAVIENſis *Epiſcopi eiuſdem Euang. expoſitio.*

POſt quæ mortuo Herode, Ioſeph per angelum monetur, vt in Iudæam cum puero, & matre eius redeat. Et reuertens, cum Archelaum Herodis filium regnare audiſſet, timuit eo venire, & per angelum monetur, vt in Galilæam tranſeat, & in regionis eius ciuitate Nazareth habitet. Reuerti ergo ad Iudæã monetur, & reuerſus timet: & rurſum viſu admonitus, trãſire ad regionem gentium iubetur. Sed aut timere eum qui admonitus ſit, non oportuit, aut per angelum deferri admonitio mox mutanda non debuit. Verum typica ratio ſeruata eſt. Ioſeph enim apoſtolorum habet ſpeciem, quibus Chriſtus circumferendus eſt creditus. Hi tanquam Herode mortuo, id eſt, populo eius in paſſione domini deperdito, Iudæis prædicare ſunt iuſſi: miſſi enim erãt ad oues perditas domus Iſrael. Sed manente hæreditariæ infidelitatis dominatu, metuunt, & recedunt. Admoniti per viſum, ſancti ſcilicet ſpiritus donum in gentibus contemplantes, ad eas transferunt Chriſtum Iudææ miſſum, ſed vitam & ſalutem gentium nuncupatum.

S. HIERONYMI PRESbyteri *eiuſdem Euang. expoſitio.*

D*Efuncti ſunt, &c.* Ex hoc intelligimus non ſolùm Herodem, ſed & ſacerdotes, & ſcribas eodem tempore necem domini fuiſſe meditatos. *Qui ſurgens accepit puerum & matrem eius, &c.* Non dixit, accepit filium ſuum, & vxorem ſuam: ſed puerũ & matrem eius, quaſi nutritius, non maritus. *Audiens autem quòd Archelaus, &c.* Multi labuntur errore propter ignorantiam hiſtoriæ: putantes eundem eſſe Herodem, à quo in paſſione ſua dominus irridetur, & qui nunc mortuus refertur. Ergo Herodes ille qui cum Pilato poſtea amicitias fecit, huius Herodis filius eſt, frater Archelai, quem & ipſum Tiberius Cæſar Lugdunum, quæ Galliarum eſt ciuitas relegauit, fratremque eius Herodem ſucceſſorem regni fecit. Lege Ioſephi hiſtoriam. *Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth.* Si fixum de ſcripturis poſuiſſet exemplum, nunquam diceret, quod dictum eſt per prophetas. Sed ſimpliciter quod dictum eſt per prophetam; nunc autem pluraliter prophetas vocans oſtendit, ſe non verba de ſcripturis ſumpſiſſe ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur, ſanctum autem dominum futurum omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quòd etiam eiſdem verbis iuxta Hebraicam veritatem in Eſaia ſcriptum ſit, exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet.

S. IOANNIS CHRYSOS. *Epiſcopi Conſtantinop. de eodem Euang. Homil.*

S*Vrge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael.* Non iam dicit, fuge ſed vade. Vidéſne rurſum tribulationi requiem ſuccedentem, deinde periculum imminere poſt requiem? Rediẽs enim mõtanam illam regionem reliquit, & in propriam rurſus habitationem reuertitur, & crudelem illum paruulorum interfectorem vidit extinctum. Deinde ingreſſus domum, priorum diſcriminum reliquias offendit, filium ſcilicet tyranni viuentem, atque regnantem. Quónam autem modò in Iudæa regnabat Archelaus, quum ipſi prouinciæ Pilatus Pontius præſideret? recens adhuc erat Herodis interitus, & needum regnum illud fuit in multa diuiſum, itaque nuper patre defuncto, filius interim pro ipſo tenebat imperiũ. Nam frater quoque Herodis eodem erat nomine, propter quod Euangeliſta ſignanter addit: *Pro Herode,* inquit, *patre ſuo.* Quòd ſi in Iudæam propter Archelaum, inquies, venire metuebat, debuit etiam Galilæam propter Herodem timere. Sed mutandę regionis cauſa iam nulla remanebat, cùm iam res profectò eſſent quietæ. Omnis quippe impetus perſequentis in Bethlehem eiúſque finibus deſæuierat, qua vtique cæde completa, opinabatur Archelaus omnia iam peracta, atque in illa multitudine paruulorum, eum quoque qui ſolus quærebatur extinctum. Alioqui ſi ſciſſet mortuo patre, non occiſum eum quem regem timebat futurum, ſolicitior ipſe fuiſſet in reliquum, atque in perſequendo paternę crudelitatis imitator. Venit igitur Ioſeph in Nazareth, ſimul & periculum fugiens, & amori patriæ concedens: quod vt faceret ſecurius, angeli ſuper ea reſponſum accepit, quanquam Lucas non dicat eum illuc ex reſponſi authoritate veniſſe, quia more purificationis impleto reuerſi ſunt in Nazareth. Quidnam igitur dicendum eſt? quod ſcilicet Lucas illud tempus profectò deſcribens, quod fuit priuſquam in Ægypto fugarentur, hæc dixerit. Neque enim ante emundationem illinc eos Deus ire iuſſiſſet, ne vtique contra legem aliquid videretur admiſſum, ſed ritum quidem illos purificationis implere, non tamẽ Nazareth redire præcepit, ac tum demum in Ægyptum fugere.

Ex hom. 9. in Matth.

re. Sed illi regionem patriæ diligentes, iſtud vltrò fecerunt. Qui enim in Bethlehem nõ niſi ob cauſam deſcriptionis aſcenderent, cùm propè ne ſtandi quidem ibi haberent locũ, ea re propter quam illuc ventũ fuerat impleta, reuerſi ſunt Nazareth. Propterea quippe & angelus cum ipſorum faciens volũtate, in propriam illos domum remittit. Verùm ne iſtud quidem ocioſè factũ putemus, quod certè potiò antè prædictum eſt, *Vt impleretur*, inquit, *quod dictum eſt à propheta, quoniam Nazaræus vocabitur.* Quis igitur hoc aſſeruit prophetarum? Nequaquam ſcruteris iſta, neque in huiuſmodi fueris curioſus. Multa enim ex propheticis periêre monimentis, quod de historia Paralipoménon probare poſſibile eſt. Deſides enim cùm eſſent Iudæi, nec deſides modò, ſed & impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem tali Hieremias refert: de negligentia verò in quarto Regum legimus: quoniam poſt multum temporis vix Deuteronomij ſit volumen repertum, defoſſum quodam in loco, ac penè deletum. Si autem abſque vlla incenſione templi, abſque vllo impugnante ciuitatis tumultu, ſacri tamen libri variè deperibant, quis iam iſtud inter illas depopulationes, vaſtationéſque hoſtium, inter illa templi ac totius vrbis incendia contigiſſe miretur? Cæterum quia Prophetæ prædixerant, idcirco etiam Apoſtoli Nazarenum eum frequenter appellant. Hoc ergo eſt, inquis, quòd prophetiam de Bethlehem fecit obſcuram? Nequaquam, imò hoc ipſum illos potius admonebat, & ad perſcrutandum ea quæ de illo dicta ſunt, concitabat. Sic etiam Nathanaël ad eum inquirendum venit, *Ioan. 1.* dicens: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Erat enim viculus ipſe viliſſimus, imò non ille tantummodo, ſed cuncta prorſus regio Galilææ propter hoc dixit: Interroga, & vide, quoniam propheta à *Ioan. 7.* Galilæa non ſurgit. Verùm ille tamen ne inde quidem erubeſcens vocari, oſtendit quòd nullius, quæ ſecundum hominem magna videntur, indiget. Nam & diſcipulos de Galilææ regione elegit, vbique occaſiones amputans deſidia ac torpore languentibus: ac docens quod nullius rei indigeamus externæ, ſi voluerimus ſtudere virtuti. Propterea ne domum quidem vſpiam poſſedit. Filius, *Luca 9.* inquit, hominis non habet vbi caput reclinet. Et Herodis inſidias fugit, & natus in præſepio collocatur, & in diuerſorio manet, & matrem elegit pauperem: nos videlicet erudiens, ne quid horum eſſe erubeſcendum putemus. Itaque ab ipſis omnino principijs vniuerſam mundi pompam, omnem ſuperbiam atque arrogantiam calcans, ſolius nos ſectatores præcepit eſſe virtutis. Cur enim tu de nobilitate patriæ intumeſcas, quum te ego totius mundi iubeam eſſe peregrinum? Quùmque talem eſſe te liceat, vt ad comparationem tui totus hic orbis iudicetur indignus. Quemadmodum enim Chriſtianus iſta debet deſpicere, quæ ne ab ipſis quidem Gentiliũ Philoſophis alicuius precij iudicantur, ſed longè extra bona hominis conſtituta, & extremi cuiuſdam ſtatus ſortita regionem? Et cur, inquis, Paulus tale quid dicit? Se- *Rom. 11.* cundum electionem autem chariſſimi, inquit, propter patres. Sed require, quando, & de quibus, & ad quos loquens hoc Apoſtolus dixerit. Ad eos nempe hic ſermo eſt, qui ex Gentilibus Chriſtiani, de fidei priuilegio magnum quiddam tumebant, contráque Iudæos ſeſe inſolentius iactabant, atque hoc ipſi eos à ſocietate fidei repellebant. Reprimẽs igitur illorum tumorem, ad fidem iſtos trahit, atque ad eundem zelum credulitatis accendit. Cæterùm quando de magnis loquitur viris, atque in omni virtute fortiſſimis, quemadmodum loquatur attende. Qui autem, inquit, hæc di- *Hebr. 11.* cunt, ſignificant ſe patriam inquirere: & ſiquidem illius meminiſſent, de qua exierant, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem alteram meliorem expectant. Et rurſus: ſecundum fidem mortui ſunt omnes iſti, nõ reportantes promiſſiones, ſed de longè eas aſpicientes, & ſalutãtes. Et Ioannes quidem ad ſe venientibus inclamabat: Ne ve- *Luca 3.* *Rom. 9.* litis dicere, quia patrem habemus Abraham. & iterum Paulus: Non enim omnes qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui filij carnis, hi filij Dei. Quid enim filios Samuelis neceſſitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? Quid autem etiam Moyſi liberis paternæ profuit cura iuſtitiæ, cuius eis non ſucceſſit imitatio? Itaque neque ad illos patris imperium quaſi ex ſucceſſione defertur, qui illũ vocabulo tantùm ſignabat parentem: ſed ad eum migrat, qui illius erat filius virtute, nõ genere. E regione verò quid Timotheo nocuiſſe creditur, quòd fuit de patre Gentili? Quid autem è diuerſo, Noë filius, de patris virtute lucratus eſt, qui ex ingenuo factus eſt famulus? Vidiſti certè quàm non ſuffecerit ad ſuffragium liberis, paterna nobilitas. Vitia ſiquidem voluntatis vicerunt priuilegia naturę: & peccantem non modò de nobilitate patris, verùm de ipſa libertate etiam pepulerunt. Eſau quoque nõne ſancti Iſaac erat filius, magnò etiam patris fauore munitus, qui ſcilicet ſtudebat atque cupiebat primatus ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iuſſa faciebat: ſed tamen quia prauus moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorſus eſt: ſed & iuxta naturę ordinem prior, & de patris voluntate ſecurior, quia tamen diſplicebat Deo, omnia quæ iam tenere videbatur, amiſit. Et quid ego de hominibus loquor? Iudæi quondam filiorum de honore gaudebant, ſed decoloratos vitiis nihil iuuit tanta nobilitas. Si igitur Dei quis filius factus, niſi huic nomini meritum virtutis addiderit, etiam maius ſubitò profectò habebit ſupplicium: quid mihi iam auorum atque proauorum memoras dignitates? Hoc autem non in veteri ſolùm, ſed in nouo etiam teſtamento contigiſſe, certum eſt. Quotquot, inquit, receperunt *Ioan. 1.* eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sed plurimis tamen ea huiuſmodi filiis nihil patrem Paulus profuiſſe denuntiat. Si circuncidamini, inquit, *Galat. 5.* Chriſtus vobis nihil proderit. Quomodo igitur his qui curam ſui habere voluerint, humanum poterit prodeſſe ſuffragium? Nequaquam ergo hominum accedamus ſententiæ qui de nobilitate ac diuitiis gloriantur, ne in extremam inopiam decidamus: ſed illam potius expetamus opulentiam, quæ conſiſtit in ſplendore virtutum. Illam verò paupertatem refugiamus, quæ nos cõſtituit in ſqualore vitiorum. Per quam ille diues verſus in pauperem eſt, qui ne vnius quidem erat guttæ Dominus, aquam certè multis precibus ambiebat: nec eſt omnino inter nos quiſpiam qui tanta egeſtate teneatur. Quamlibet enim aliqui nimia tabeſcant fame, aquæ tamen non gutta ſolùm, ſed & copia æqualiter perfruuntur: nec ea ſolùm, ſed

multò etiam maiore ſolatio: at non etiam ille diues, qui vſque ad guttæ quoque inopiam ſingulari egeſtate deuenerat, quódque erat multò acerbius, nullum omnino aliud paupertatis ſolamen poterat inuenire. Quid igitur tota mente diuitiis inhiamus, quandoquidem nos iſtæ in cælum euehere non poſſunt? Reſponde, quæſo, ſi terrenus fortè rex diceret, non poſſe diuitum quenquam in ipſius fulgere regno, aut aliquo honore decorati, nunquid non certatim omnes abiicerēt inhonoratas repulſáſque diuitias? Si igitur apud terrenū regem honorem nobis auferant opes, continuò deſpicabiles fierent: rege verò cælorum inclamante nobis, ac dicente, quia difficilè ſit nos cum diuitiis diuinæ illius habitationis intrare veſtibulum, non impendimus omnia? Nunquid non libentiſſimè carebimus vniuerſis, modò vt cælorum regnum introire mereamur? Et qua tandem digni venia ſumus, qui his nos omni ambitione circundamus, quibus reiectis interclusam hanc nobis viam facilè poſſumus aperire? At verò nos theſaurum noſtrum non ſolùm in arcis recondimus, verumetiam terræ defodimus, modò ne illum cuſtodiendum transferamus in cælum. Quòd faciendo tale quiddam facis, quale ſi aliquis agricola accipiens frumētum in terra fertili ſeminandum vberem quidem agrum relinquat: in lacum verò frumentum omne demergat, vt eo nec ipſe potiatur, & frumentum ſui corruptione depereat. Sed illa videlicet ab eis miſta, & prorſus electa ratio proferatur. Quoties enim nos iſta culpamus, dicere ſolent, non parum ſibi conſolationis afferri, quod ea videant cum diligentia ſibi cuncta ſeruari. Quinimo non videre ſibi iſta repoſita eſſe, grande ſolatium eſt, & mira ſecuritas. Tu verò propter reconditas tibi opes, non ſolùm ſollicitudinis anxietate cruciaris, ſed etiam mala cætera, multóque his grauiora perpeteris, formidando mortes, pugnas, & inſidias, tum ne publica ſæuiat fames, & populus vacuus ventris impulſu aduerſans domum tuam corripiat, quam certè ipſe tu potius amando diuitias, & famem in vrbem, & quod eſt fame grauius, hoc ipſum domui tuæ diſcrimen importes. Neque enim facile videas aliquos inopiæ neceſſitate deficere. Poſſunt quippe multa variis modis ad huiuſce miſeriæ ſolatium prohiberi: propter pecunias verò atque diuitias, cæteráſque huiuſmodi cauſas, plurimos tum occultè, tum publicè interemptos eſſe monſtrauerim. Et multis quidem talium exemplis malorum, viæ, agri, fora, omniaque iudiciorum loca plena ſunt. Quinimo ſi reſpicias mare ipſum, humano ſanguine videas cruentari. Non enim in terra tantummodo tyrannis iſta dominatur, ſed in pelago quoque multa cum inſolentia, temulentiáque bacchata eſt. Nam hic quidem congregandi auri cupidus nauigat, alter verò propter ipſum necatur aurum, & vna atque eadem tyrannis alium mercatorem, alium fecit homicidam. Quid igitur poteſt ærumnoſius amore pecuniæ, vel etiam perniciosius inueniri, quando propter eam plurimi & peregrinantur, & periclitantur, & ſæpe etiam trucidantur? Et quis, inquis, miſerebitur incantatoris

Eccleſ. 12. à ſerpente percuſſi? Oportebat enim, vt ſcientes hanc crudeliſſimam tyrannidem, procul eius referrent ſeruitutem, atque à tam inutili & imperioſo amore reſipiſcerent. Et quánam, inquis hoc ratione poſſibile eſt? ſi ſcilicet alium, id eſt, cæleſtis regni amorem intra tuum pectus incluſeris. Qui enim concupiſcet illius regni gloriam, facilè irridebit auaritiam. Qui ſemel Chriſti ſeruus effectus eſt, non erit mammonæ famulus, cuius certè è regione fit dominus. Illa enim vt fugientem ſequi, ita fugere conſueuit ſequentem. Nullum ſic honorat, vt contemptorem ſui: nec ita irridet aliquem, vt eos qui illam nimiè concupiſcunt: nec irridet modò, verumetiam vinculis eos mille circunligat. Itaque ſoluamus aliquando hos peſſimos, arctiſſimóſque nodos. Quid rationalem animam in famulatum adducimus, irrationalis materiæ omniúmque malorum parentis? Sed ô grande ridiculum. Nos enim illam vincemus: at verò illa nos rebus impugnat, ſicut ſeruos quoſpiam per orbem nos iugiter inhonorans, & quaſi venales per cuncta circūferens. Quo quid turpius poſſit, quidve indignius inueniri? Si enim inſenſibiles materias non vincimus, quemadmodum incorporeas poſſumus ſuperare virtutes? Si viliſſimam terram & abiectos lapides minimè deſpicimus, principatus quoq; quomodo nobis poteſtatéſque ſubdemus? Quemadmodum verò ipſum illud poterimus decus caſtitatis tenere? Si enim aſpectu ſubito ſplendor auri etiam nos ſui cupiditate ſuccendit, quónam modo poſſumus pulchram faciem pudico animo ac oculo præterire? Etenim tanto quidē in hanc tyrannidem amore occurrerunt, vt eos ipſe quoque aſpectus auri ſæpe perturbet. Qui etiam facetè ſe loqui aliquid arbitrantur, quum quaſi ludendo dicunt, iuuari quoque oculos quoties aureus numus aſpicitur. Sed periculosè ô homo, in talibus ludis: nihil enim perinde & animæ oculis, & corporis, vt huiuſmodi cupiditatis morbus incommodat. Hic Matth. 25.
quippè eſt amor ille teterrimus, qui lampades ſtultarum virginum extinxit, eáſque à ſponſi excluſit thalamo. Hæc enim, vt dicis, ſpecies oculis accommoda, non ſiuit Iudam ad domini reſpicere voluntatem: quinetiam vt cæcum duxit in laqueum, mediúmq; dirupit, póſtq; illa omnia ad gehennæ ſupplicia trāſmiſit. Quid eſt hac igitur peſte iniquius, quidve magis pernicioſum: non dico de materia pecuniarum, ſed importuna iſta cupiditate hominum atque furioſa? Nam crebrò & pugnas ciet, & multo ſanguine mortalium madet, omnique fera prorſus immanior incidentes ſibi rabido ore dilaniat, quódque his multò eſt grauius, ne ipſos quidem facit ſentire laniatus. Oportebat enim eos qui tam dira patiuntur, & ad prætergredientes quoſque tendere ſupplices manus, & impensè in auxilium cōuocare, qui è diuerſo etiam delectantur & gratificantur his morſibus. Quo quid vnquam poteſt infœlicius, quidve furioſius indicari? Hæc igitur omnia intelligētes, fugiamus morbum hunc omnino lethalem, & venenatiſſimos auaritiæ morſus remedio congruente curemus. Satis ab hac procul peſte fugiamus, vt & hic tutam vitam habeamus atque tranquillam, & theſauros conſequamur futuros, gratiâ & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSD

I

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homilia.

Eſt Homil. 4. ex varijs in Matthaeum.

IN *illo tempore, Defuncto Herode, ecce apparuit angelus domini in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael.* Et reliqua. In eo quod dixit angelus ad Ioſeph, mortui ſunt qui quærebant animam pueri: manifeſtè declarat filium Dei perfectum Deum, perfectum hominem ſuſcepiſſe: id eſt non ſolùm corpus, ſed & animá. Quod ideo dicimus, quia auſi ſunt quidam ſtulta prædicatione aſſerere, vnigenitum Dei filium, corpus ſolummodo ſuſcepiſſe: ſed reuincuntur tam angeli teſtimonio, quàm etiam ipſius domini profeſſione: quia aliquantis locis animæ *Ioan.10.d* ſuæ mentionem fecit dicendo: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo *Matth.26 & Mar.14.d* iterum ſumendi eam. Et iterum: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et iterum: Venit filius ho- *Matth.20.d Marc.10.g* minis ſaluare quod perierat, & dare animá ſuam in redemptionem pro multis, vt euidenter dominus & ſaluator noſter perfectam in ſe naturam hominis demōſtraret. Nam quia iamdudum propter peccatum homo totam ſententiam mortis incurrerat in corpore & in anima: neceſſariò dominus vtrunque ſuſcepit, vt vtrunque ſaluaret. Fides ergo & veritas geſtorum, ſecundum literam in aperto eſt. Quòd autem poſt mortem Herodis monitus eſt Ioſeph ab angelo, vt cum puero & matre eius rediret ad terram Iſrael: ſed in ipſis geſtis, etiam ſpiritualis intellectus eſt. Herodes habet typum Iudaicæ infidelitatis, ſicut Ægyptus mundi huius. Poſt cuius viſitationem, redit ruſus ad viſitandos filios Iſrael, Herode mortuo, id eſt parte aliqua incredulitatis extincta. Deinde ſequitur: *Et cùm egreſſus eſſet Ioſeph de Aegypto.* Et reliqua. Nazaræus autem dominus & ſaluator noſter, tam ex loci appellatione, hoc eſt ciuitatis Nazareth, quàm ex ſacramento legis eſt nuncupatus. Nazaræi enim ſecundum legem hi nuncupabantur, qui caſtitatem Deo inſigni voto mácipabant, nutrientes comam capitis, quos lex certa ſacrificia offerre præceperat. Quia ergo totius ſanctitatis, ac pudicitiæ author & princeps dominus Chriſtus eſt, qui ait per prophetam: Sancti eſtote, quia ego *Leuit.19. & 20.* ſanctus ſum, dicit dominus. Non immeritò Naza- *Pſal.131.* ræus dictus eſt, qui & verè ſecundum præfigurationem legis, promiſſum voto Deo patri, ſacrificium ſui corporis obtulit pro noſtra ſalute. De quo voto Dauid ait, cùm de domino loqueretur: Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob. Vt autem manifeſtè idem dominus Nazaræum ſe ſecundum carnem nuncupandum oſtenderet, ita per Salomonem teſtatus eſt, dicens: Quia ca- *Cant.5.a* put meum repletum eſt rore, & crines mei guttis. Quia habitus ſanctificationis Nazaræorum, ne crinem, vel comam capitis ferro contingerent. Dictus quoque Nazaræus eſt Samſon, vir potens in ſpiritu, & roboris in virtute, ſed in typo. Cuius geſta ſi conſideremus, in eo quoque exempla domini præfigurata cognoſcimus. Ille ſeptem crines habuit, hic ſeptiformis ſpiritus & ſeptem Eccleſiæ ſunt. Illi omnis virtus in capite fuit, huic omnis virtus in Deo eſt: quia caput Chriſti Deus eſt, *1. Cor.11.a* vt apoſtolus manifeſtat. In illo virtus obſcura, in *Iud.14.b* hoc celata diuinitas. Samſon tres faciens, leonem manibus enecauit: & dominus ac ſaluator noſter, per ſuſcepti corporis ſacramentum, leonem diabolum, extenſis in cruce manibus interemit. Samſon de ore leonis fauum mellis abſtraxit: dominus de faucibus diaboli plebem ſuam, quæ ſibi per viam facta eſt dulcis, eripuit. Samſon populum Iſrael debellatis hoſtibus: dominus extinctis dæmonibus, populum ſuum de morte perpetua liberauit. Samſon obſeratis portis clauditur in ciuitate: dominus obſignato clauditur monumento. Nec mirreris, quia corpus dominus dicitur. Audi dicentem angelum ad mulieres de corpore domini: Venite, videte locum, vbi poſitus erat dominus. *Matth.28.a.* Samſon fractis seris, ſubtractiſq; portis, ſecurus euadit: Deus ruptis infernæ ſedis obicibus, apertóque ſepulchro, recepto corpore, à morte liber egreditur. Poſtremò Samſon moriens, inimicos ſuos concuſſis ædificiis ruina comprimit: dominus tunc cùm mori dignatus eſt, non vna domo, ſed omni mundo concuſſo, diabolum cum ſuis angelis vniuerſis extinxit: vnigenitus ſcilicet Dei filius, cui eſt laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

AVCTORIS IMPERFE-
Cti eiuſdem Euang. expoſitio.

D*Efuncto Herode, ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto dicens: Accipe puerum & matrem eius.* Vides quia Ioſeph non ad coniugium Mariæ erat electus, ſed ad miniſterium eius: Euntem autem illa in Ægyptú & redeunte, niſi deſponſata illi fuiſſet, quis miniſterium ei tantæ neceſſitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Ioſeph conſeruabat. Reuera autem puer & matrem nutriebat & Ioſeph tutabatur. Ideo non dicit, accipe matrem & puerum eius: ſed, accipe puerum & matrem eius: quia non propter illam matrem iſte filius natus eſt, ſed propter illum filium illa præparata mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem, ſed illius erat beatitudo iſtum habere filium. Sicut ipſa dicebat: Ecce nunc beatam me dicent omnes generatio- *Luce 1.* nes. *Vade in terra Iſrael* quaſi enim medicus deſcendit in Ægyptum, vt viſitaret eam languentem erroribus, non vt remaneret in ea. Nam in prima facie quaſi Herodē fugiens deſcendit in Ægyptum: reuera autem, vt Aegyptij erroris dæmones effugaret ex ea, ſicut teſtatur Eſaias, dicens. Ecce do- *Eſaia 19.* minus deſcendit in Ægyptum, ſedens ſuper nubem leuem, & cadent idola Ægypti. Vides ergo quia ideo deſcēdit in Ægyptum, non mortem fugiens, ſed vt monſtra idola diſſiparet? Nam nunquam inuenitur dominus deſcendiſſe, niſi tunc. Notandum autem quia nocte fugit in Ægyptum, reuertitur autem per diem quoniam fugiens, perſecutionem fugiebat Herodis: reuertens autem, mortuo reuertebatur perſecutore. Omnis enim perſecutionis anguſtia nox eſt, refrigerium autem dies. *Admonitus autem in ſomnis, receſſit in partes Galilææ. & veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Dum dicit per prophetas, non per prophetam, manifeſtat quod non certam authoritatem prophetæ protulit, ſed ſenſum prophetarum colligens dixit. Ná per omnes prophetas, Ieſus Nazarenus vocatur, quod eſt ſanctus. Aut fortè legerunt & alios prophetas, ita dicen-

tes,

tes, qui non ſunt nobis canonizati. Alij etenim prophetauerunt, & conſcripſerunt, ſicut Natham, (Ioan.1.) & Eſdras. Et quoniam prophetatum erat hoc, ipſum manifeſtat Philippus, dicens ad Nathanael, quem ſcripſit Moſes in lege, & prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Vnde & Nathanael ſciens prophetatum eſſe, & hoc ipſum confirmans, reſpondit. Ex Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?

BEDAE VENERABILIS *presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.*

D*Efuncto autem Herode.* Hic namque Ioſeph, Enochi & Heliæ, & prædicatorum nouiſſimi temporis typum tenet, qui à Deo moniti finito odio Iudæorum poſt ingreſſum gentium ad fidem, Chriſtum Iudaico populo prædicabunt. *Audiens autem quòd Archelaus, &c.* Archelai regnū, imperiū Antichriſti ſignificat in ſequacibus ſuis, quorum ſe conſortio iungere timent veræ fidei prædicatores. Galilæa interpretatur tranſmigratio perpetrata. Nazareth verò virgultum ſiue flos: & ſignificat Eccleſiam catholicam, in qua habitat Chriſtus cum prædicatoribus ſuis, quæ ab infidelitate ad fidem, à vitiis ad virtutes tranſmigrauerat; & quæ pullulat in perfectione operum, floreſcitque in virtutibus. Per prophetas dicit plurali numero, quod fixum teſtimonium non poſuit de ſcripturis. nam Nazaræus poteſt dici ſanctus Dei, quia omnes prophetæ ſanctum Dei venturum nunciabant.

HAYMONIS EPISCOPI *Halbeſtat. eiuſdem Euang. expoſitio.*

QVia non dixit defunctus, ſed defuncti, ex his angeli verbis intelligimus, multos principes Iudæorum cum Herode in necem Domini conſenſiſſe. Ideóque diuina vltione actum eſt, vt multi ex his cum illo perirēt, cum quo in necem Domini conſenſerant. Spiritaliter verò obitus Herodis terminum ſignificat inuidioſæ contentionis, qua nunc Iudæa contra Eccleſiam ſæuit. *Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Iſrael.* Quòd poſt obitum Herodis puer Ieſus ad terram Iſrael reuerſus eſt, ſignificat quia circa finem ſeculi ad ſynagogam eſt reuerſurus, cùm per prædicationem Enoch & Eliæ in eum crediderint. Vnde cùm in Ægyptum deferri iubetur, & fugere, hoc in nocte præcipitur: Cùm verò ad terram Iſrael reuertitur, nec noctis fit mentio: quia quos nunc propter incredulitatem in tenebris perfidiæ deſerit, circa finem ſeculi credentes lucem fidei recipiet. *Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire.* Archelaus autē vnus fuit de Herodis filiis, quem poſt ſe ad regnandum in Iudæa Herodes inſtituerat: ſed poſteà inſolentiam eius accuſantibus Iudæis, iudicio ſenatus apud Viennam, quæ Galliarum eſt vrbs, exilio relegatus vitam finiuit. Archelaus autem, qui vincens leo interpretatur, Antichriſtum ſignificat, qui ad tempus in ſanctis victoriam habebit, & quaſi leo terribilis apparebit. In illam ergo partem, in qua regnabat Archelaus, cum puero ire Ioſeph noluit: quia illam partem populi Iudæorum, quæ Antichriſto eſt creditura, Chriſtus non inhabitabit per fidem. Poſt necem autem Archelai, Chriſtus ad terram Iſrael reuertitur, quia poſt interfectionem Antichriſti, ſynagoga in eū credituta eſt, vt ait Apoſtolus: Cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. (Rom.11.) Sed quia in Eccleſia manet & manebit, audiamus vbi habitauerit. *Et admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ: & veniens, habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth.* Quia enim Nazareth flos ſiue virgultum interpretatur, ſignificat Eccleſiam, quę & florem habet munditiæ, & virgultum iuſtitiæ, cuius virgulti pulchritudinem admirabatur ſponſus in Canticis Canticorum, dicens: Quæ (Cant.3.) eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Cui iterum voce ſponſi dicitur: Ego flos campi & lilium conuallium. (Cant.2.) Et quia Eccleſia de præſentis vitæ amore ad cæleſte deſiderium tranſit, rectè Nazareth Galilææ dicitur, quę tranſmigratio interpretatur. Quòd autem ſubdidit: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur*, hoc teſtimonium in ſeptuaginta interpretibus non habetur. Nonnulli enim de Eſaię prophetæ libro ſumptum eſſe volunt, vbi ſcriptum eſt: Exiet virga de radice Ieſſe & (Eſai.11.) Nazaræus de radice eius aſcendet. Nos autem dicimus, quia ſi fixū de ſcripturis poſuiſſet Euangeliſta teſtimonium, non diceret, per prophetas, ſed per prophetam. Omnes enim prophetæ Dominum Nazaræum vocant, quia ſanctum eum prædicant: ipſe enim eſt, de quo per Danielem dicitur: (Dan.9.) Cùm venerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio. (Pſalm.15.) Et Dauid: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. (Pſalm.4.) Et iterum: Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum. Defuncto autem Herode, id eſt, mortua lege literæ, vel excuſſo diabolo de corde Iudæorum circa finem mundi: Quia dum Iudæi ſuperſtitioſam legem obſeruant literæ, regnat diabolus in illis, & eſt Chriſtus inter gentes. Poſtquàm verò abiecerint hæc omnia à ſe, tunc reuertetur filius Dei vel fides ad eos. *Ecce angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* Qui Chriſtum credit eſſe filium Dei, & eum portat in corpore ſuo, rectè angelus illi apparet. *Surge & accipe puerum.* Surgit à terra, qui terrena relinquit: Priùs puerum, & poſteà matrem iubet accipere: priùs Deum, & poſteà proximum diligere. *Et vade in terram Iſrael.* id eſt: Nemo venit in terram Iſrael, hoc eſt, cæleſtem patriam, niſi portet Chriſtum, & diligat Deum ac proximum. *Defuncti ſunt enim, qui quærebāt animam pueri.* Totū dicit pro parte. Sic in fine mundi defuncta erit lex literæ, *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa, timuit illò ire.* Cur ire voluit in Iudæam? Cur non ibat in Galilæā, vbi habitauit priùs, vel Nazareth, in qua propriè habitabat? Quia putabat quòd angelus eum propter templum & orationes, quæ erant in Iudæa, iuberet propè commorari: Sed propter myſterium non potuit illuc diuertere: quia qui aſcendit de Ægypto, hoc eſt, de tenebris peccatorum, non poteſt priùs ire in Iudæam, id eſt, confeſſionem, neque in Bethlehem, hoc eſt, domum panis, quæ ſignificat Eccleſiam, nec in Hieruſalem, hoc eſt, viſionem pacis, niſi priùs eat in Galilæam, vt emigret & tranſuolet de malo ad bonum, de vitiis ad virtutes, & inde tranſeat in Nazareth, vt faciat priùs florem & munditiam bonorum operum, &

ſic poſteà

ſic poſteà conſcendat Iudæam: prius enim fit flos, poſteà fructus: inde per ordinem cõſcendat Bethlehem, nouiſſimè Hieruſalem, id eſt, viſionem pacis. Et ideò admonitus eſt Ioſeph in ſomnis ab angelo, ne rediret priùs in Iudæam. Archelaus autem, qui leo inueſtigans interpretatur, ſignificat Antichriſtum, qui regnat pro Herode patre ſuo. Sic regnaturus eſt Antichriſtus in fine mundi pro iſto diabolo, qui nunc Iudæos regit. Apud nos autem regnat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius regnum & imperium permanet in ſecula ſeculorum, Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem Euangelij expoſitio.

DEfuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Species quædam eſt, quæ apud grammaticos dicitur ſynecdoche, quando plus unusve pronunciatur, hic eſt, cum pro vno pluraliter dicitur mortui ſunt, cum ſolus Herodes mortuus eſſet. Sed & eſſe potuit, vt alij morerentur in tanto ſpacio qui malam voluntatem habuiſſent in Chriſtum. De hoc Herode Ioſephus refert, & alij, quòd ſuſpecte vixerit, & peſſime finierit. Refert nanque quod occiderit Mariam vxorem ſuam, filiam Ariſtoboli regis, quam nobiliorem habebat: eo quòd accuſata fuerit apud eum, quòd veneno perimere eum voluerit, ex qua iam habebat Hircanum & Ariſtobolum filios imperatori Octauiano commendatos: quos & ipſos ſimiliter occidit, quia pro matre ſua ei irati eſſe videbantur. Poſt hęc tertium filium Antipatrum, qui fratres ſuos conſenſerat occidi, ad vltimũ incidit ipſe in infirmitate graui, & vocauit ad ſe generum ſuum, & amicos ſibi credulos, dixitque ad eos. Ego noui quod Iudæi exultabunt de meo interitu, quia odiunt me. Vos autem poteritis facere, vt lugẽtes exequias habeam, ſi feceritis quod dixero. Ego iubebo omnes recludere omnium nobilium filios, vt, cum ego ſpiritum exalauero, vos eos occidatis: & tunc inuiti lugebunt exequias meas. Illi vero promiſerunt ſe ita facturos: tamen non fecerunt, ſed vt ipſe mortuus fuit dimiſerunt eos foras. Ille vero cum aliis tormentis habuit ignem ſacrum in ſuis verendis & computruerunt: ita vt vix poſſet aliqui accedere ad eum: vnde & voluit ſe occidere, niſi prohibitus fuiſſet ab illo qui eum cuſtodiuit: & qui innocentes occidit, cum multis tormẽtis hinc egreſſus ad maiora. Ecce audiuimus de morte Herodis. Cum venerimus ad paſſionẽ dicemus, qui ſit ille Herodes. Hoc ſolum ſufficiat dixiſſe quia de iſto Herode non audietis amplius in hoc Euangelio, ſed de aliis. *Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius.* Et hic notandum, quomodo non dicit coniugem: cum iam tres anni eſſent poſt natum puerum, & idcirco mentitus eſt Eluidius, qui dixit habuiſſe ſanctam Mariam filios de Ioſeph. *Venit in terram Iſrael.* Omnes Iudæi Iſrael vocantur: Iuda autem vna tribus. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire.* poſt mortem Herodis imperator regnum eius inter Archelaum & fratres eius, id eſt, Philippum & Herodem & Lyſiam diuiſit: & caput regni, Hieruſalem Archelao tradidit, quo paruo tempore fruitus eſt: quia imperator propter inſolentiam morum eius accuſatum Viennam à Iudæa quę eſt in Burgundia ciuitas, exilio relegauit, & regnum eius Pilato commendauit, non tamen dedit: nec nomen regium permiſit habere. Ideo dicit, quia noluit ire in locũ illum, in quo Archelaus regnabat: quoniam Deus qui monuit eum diuertere in aliam partem, prouidebat quod ipſe eiuſdem volũtatis foret cuius & pater. Fratres autem eius non adeo dilexerant patrem pro interfectione parentum: idcirco diuertit in Galilæam, vbi Herodes regnabat. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Vbicunque dicit euangeliſta per prophetas, plurali numero, non fixum ponit exemplum: ſed tamen omnes prophetę hoc prædixere quod Nazaræos eſſet, id eſt, ſanctus. Verum Eſaias dicit hoc modo ſecundum hebraicam. Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius aſcendet. Eſt autem aliqua differentia inter Nazarenum & Nazaræum, Nazarenus à loco, Nazaræus à religione.

THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

DEfuncto autem Herode. Amara morte periit Herodes, febri, & dyſenteria, & ſcabie, & podagra, & putredine verendorum, generatione vermium, & ſpirandi difficultate, & tremore & contradictione membrorũ malam abſoluit animam. *Ecce angelus domini in ſomnis apparet Ioſeph in Aegypto, dicens, Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael.* Nõ dicit fuge, ſed vade: timor enim nullus erat. *Mortui enim ſunt quærẽtes animam pueri.* Vbi Apollinarius eſt, qui dicebat dominum non accepiſſe animam? hinc enim arguitur. *Vigilans autem ille, & accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Iſrael. Verum quia audiuerat quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illuc abire.* Tres filios reliquit Herodes, Philippum & Antippam & Archelaum. Archelaum regem, alios autem tetrarchas eſſe iuſſit. Timuit autem Ioſeph in terram Iſrael abire, hoc eſt in terram Iuda, eo quod Archelaus ſimilis patri ſuo erat. *Oraculo autem accepto in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ.* Galilæa non erat terra Iſrael, ſed Gentilium, vnde & Iudæi ſicut abominationem illos videbant. *Ac profectus habitauit in ciuitate quæ dicitur Nazareth.* At quomodo Luc. 2.
Lucas dicit quod poſtquam natus fuit, impleuit quadraginta dies, & à Simeone geſtatus eſt, deſcendit dominus in Nazareth: hoc autẽ loco, quod poſt reditum ex Ægypto venerit in Nazareth? Diſce igitur, quòd quæ ſiluit Matthæus, dicit Lucas. Vt exempli gratia aliquid dicam, Poſtquam natus eſt, impleuit quadraginta dies, deinde deſcendit in Nazareth: hæc dicit Lucas. Matthæus autem dicit poſt hæc, quod fugerit in Aegyptum, deinde venerit ab Aegypto in Nazareth. Non diſſident ergo inter ſe. Nam Lucas dicit deſcenſum à Bethlehem in Nazareth: Matthæus autem poſtea reditum ab Aegypto in Nazareth. *Vt impleretur quod dictum eſt per prophetas, Nazaræus vocabitur.* Et quis propheta hoc dicit, non inuenitur nunc. Per negligentiam enim Iudæorum multi libri deſiderantur, & ob continuas captiuitates fortaſſis abſque ſcriptura hoc dicebatur apud Iudæos. Significat autem Nazaræus, ſanctificatus. Igitur quoniã ſanctus Chriſtus, recte dicitur Nazaræus. Sanctus enim Iſrael à multis prophetis vocatur dominus.

Iudæorum ob negligentiam plurimi deſiderantur libri ex ſacris.

EVTHYMII ZIGABONI
eiuſdem Euang. expoſitio.

† *Mortuo † autem Herode, ecce angelus domini in ſomnis apparet Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſrael. Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Terram Iſrael ſimpliciter dixit Palæſtinam. Quærentes autem animam pueri, vt eam auferrent, & à corpore ſepararent, dicit eos qui Herodem contingebant.

† *† Mortem acerbam habuit Herodes. Febre enim, dyſſenteria, ſcabie, podagra, ac verendorum putredine, generatione vermium, ſpirandi difficultate, ac tremore membrorum malam ſoluit animam.*

Qui excitatus, accepit puerum & matrem eius: & venit in terram Iſrael. Cæterum quum audiſſet, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire. Volebat quidem habitare in partibus Iudææ: ſiquidem Iudæa à Galilæa Palæſtinæ regiones erant. Verum propter Archelaum timuit illo ire, ne forte & ipſe patrem imitaretur. Neq; enim determinate ſignificauerat angelus habitationis locum, vt fiduciã habere poſſet. Scire autem oportet, quod mortuo puerorum interfectore Herode quatuor filiis eius electis, diuiſit Cæſar Auguſtus regnum ipſius: Archelao quidem Iudææ regionem diſtribuit: aliis verò partes alias, ſicut dicit Lucas. Eos autem reges tetrarchas nominauit: quoniam quiſque eorum quartæ partis principatum tenebat. Quod ſi Lucas Pontium Pilatum Iudææ præſidem ſcripſit, nihil mirum. Poſtmodum enim Archelao è regno propter accuſationes eiecto, in poſterum nemo rex, ſed procurator dicebatur. Itaque Pilatus in præſidem Iudææ ſub Tiberio Cæſare à Roma miſſus eſt. *Ioſephus lib. 17. ant. c. 17. & 19.*

Oraculo autem accepto in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ, & à profectus habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth. Atqui ſi in Iudæam ire metuebat propter Archelaum, oportebat & Galilæam timere, propter fratrem eius Herodem, qui in ea tetrarcha erat, ſicut dicit Lucas. Verum Bethlehem ſita in Iudæa, ſuſpecta erat.

Vt compleretur, quod dictum eſt per prophetas, quod Nazaræus vocabitur. Et vbinam hoc prophetæ dixerunt? Ne quæras: neque enim inuenies. Plurima enim propheticorum voluminum perierunt: partim quidem per frequentes captiuitates: partim autem propter Hebræorum negligentiam: nonnulla quoque propter malitiam.

IN EPIPHANIA DOMINI.
MATTHAEI. 2.

a Hæc natiuitas, cum eſſet natus. b Nomen. c Locus. d Tempus.
CVM [a] natus eſſet [b] Ieſus in [c] Bethlehem Iudæ in [d] diebus Herodis
e Vbi erat caput regni. f Ciuitas Dei toto orbe refulget in qua [illegible] erudiuntur diuina lege,
regis, ecce Magi ab oriente venerunt [e] Ieroſolymam, dicentes: Vbi
f Ne de hoc Herode quæreres videbatur. · g Signa non fidelibus, ſed infidelibus, data ſunt. h Proprium quia hanc creauit ad [illegible] ſui.
eſt, qui [f] natus eſt rex Iudæorum? [g] Vidimus enim ſtellam [h] eius in oriente &
i Qua Deum intelligunt ſtella famulante.
venimus [i] adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ie-
k Pontifices. l Moralium [illegible], quaſi ex bono affectu.
roſolyma cum illo. Et congregans omnes [k] principes ſacerdotum & [l] ſcribas
m Palam quaſi ex bono affectu. n Sic vocat eum, quia [illegible] reges Iudæorum.
populi, [m] ſciſcitabatur ab eis vbi [n] Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In
o Michæam.
Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per [o] prophetam: Et tu Bethlehem ter-
p Ad tribum Iudæ pertinebat. q In Hebræo, in millibus. r Arguuntur Scribæ [illegible] ipſis verbis prophetæ vſi ſunt.
ra [p] Iuda, nequaquã minima es [q] in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui
regat populum meum Iſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter di-
s Quia locum didicerat, quando naſceretur explorat.
dicit ab eis [s] tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: Et mittẽs eos in Bethlehem, dixit:
t Cognito loco & tempore, reſtat cognitio perſonæ.
[t] Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi,
t Hoc ſubiungens ad renunciandum inuitat. ſ Vt alacrius per eum redeant, & ne Iudæi quia rex eorum futurus erat [illegible].
v Æſtimantes ſui pie verè quæ dixerat.
vt & [ſ] ego veniens adorem eum. Qui cum audiſſent regem, [v] abierunt. Et ecce
x Donec. y Quaſi dicat: Hic eſt, quem natum teſtabar.
ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, [x] vſque dum veniens [y] ſta-
z Inuento quod deſiderauerant.
ret ſuprà vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, [z] gauiſi ſunt gaudio magno

valde,

a Diuerſorium illud quod Lucas commemorat.

valde. Et intrantes [a] domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius &

b Signum humilitatis ſine qua nullos vere adorat. c In carne verbum. d Fidem ſuam myſticis profitentur muneribus.

[b] procidentes adorauerunt [c] eum: Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei [d] mu-

e Regi. f Deo. g Mortali. h Quia intus quærebant, quid vellet diuina voluntas de reuerſione ad Herodem, Dei meruerunt reſponſionem. i Quia cognita veritate, non licet retroire.

nera, [e] aurũ, [f] thus, & [g] myrrham. Et [h] reſponſo accepto in ſomnis, [i] ne redirent

k Diabolum. l Fidem, ſ, em, charitatem. m Paradiſum, vel cæleſtem Hieruſalem.

ad [k] Herodem, per [l] aliam viam reuerſi ſunt in [m] regionem ſuam.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

CVM *ergo na.* Quamuis Matthæus natiuitatem prætermittat, tamen aduentum Magorum referens: breuiter eam cõmemorat ſic dicens: *Cum ergo.* Quatuor hic ponuntur à prophetis roborata, natiuitas, nomen, locus, & tempus. De natiuitate domini in Bethlehem Matthæus, & Lucas conſentiunt. Sed quomodo & qua occaſione ad eum venerint Ioſeph & Maria Lucas exponit: Matthæus præterit, ſicut & cætera vſque ad circumciſionem: ſicut econtra de aduentu Magorum Lucas tacet, & Matthęus exponit. *Bethlehem Iuda.* Ad differentiam illius quæ eſt in Galilæa in tribu Zabulon. Duæ enim ſunt Bethlehem. Bethlehem prius dicta eſt Ephrata. Bethlehem domus panis, quia ibi naſciturus erat panis viuus, qui de cælo deſcendit, qui ponitur in præſepio: vt irrationabiles paſtos, faciat ſocios angelorum. Significat autẽ eccleſiam, quæ eſt domus, in qua panis viuus comeditur. *In die. Hiero.* Hoc non ponit tantum pro tempore: ſed vt videatur impletum: Non deficiet princeps de Iuda &c. *In diebus Herodis regis.* Finito ſcilicet regno Iudæorum quando iam Herodes alienigena in gente Iudæorum regnum ſibi occupauerat impleta prophetia quæ dicit: Cum venerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio veſtra. *Ecce ma.* Magi non malefici, ſed Philoſophi Chaldæorum qui de ſingulis philoſophantur. Et fuerunt (vt dicitur) de genere Balaam, & ſucceſſores doctrinarum eius. In iſtis fides gentium vt primitiæ Deo conſecratur. Hi prædicant natiuitatem, locum neſciunt. Iudæi locum inſinuant: tempus aduentus non cognoſcunt. *Venerunt.* Magi non poſt annum: quia tunc non inueniretur in præſepio, ſed in Ægypto, ſed. xiij. die. Fuerunt autẽ de terra Perſarum vbi & Saba fluuius, à quo regio nominatur, iuxta quam & Arabia eſt, vbi Magi fuerunt reges. Qui etſi tria munera obtuliſſe dicuntur, non ideo non plures quam tres fuiſſe probantur, ſed vt per eos gentes, quæ ex tribus filiis Noe natæ ſunt, venturæ ad fidem præfigurentur: vel tot fuerunt principes, qui multos duxerunt in ſuo comitatu. Ideo Magi apud Ieroſolymam præcipuè natum rogant: quia per Balaam de Iſrael naſciturum audierunt. Noua enim ſtella nouum hominem indicabat. Stella Chriſtus, quem ſequi debemus, qui niſi in cordibus oriatur rex Iudæorum in oriente non quæritur. *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum.* Confuſio Iudæorum eſt, vbi Chriſti natiuitatem à gentibus diſcunt, etſi non credunt, inexcuſabiles ſunt. *Vidimus enim ſtellam eius.* Hæc ſtella dominicæ natiuitatis nuncia nunquam prius apparuit, ſed eam tunc puer creauit, & Magis præuiam deputauit: quæ mox peracto officio eſſe deſiit. Chriſtum nondum loquentem, muta ſtella prædicat, poſtea loquentem apoſtoli nunciauerunt, Iudæis, tanquam ratione vtentibus, ſubſtantia rationalis, id eſt, angelus ortum Chriſti nunciauit. Magos verò primitias gentium nondum ratione vtentium irrationalis, id eſt, ſtella perduxit. Paſtoribus angeli, Magis ſtella, vtriſque tamen loquitur lingua cęlorum, quia iam ceſſabat lingua prophetarum. Vtrum ſtella orta ſit in oriente, an ipſi ibi poſiti natam ad occidentem viderint, ambiguum eſt. Potuit enim naſci in oriente, & eos in Ieruſalem perducere. Sed dum humanum quaſi ex lege quærunt auxilium, diuino deſeruntur. Per ſtellam intellexerunt eum in Iudæa natum: & ideo Ieruſalem veniunt, vbi locum diſcentes inde aggreſſi iter primum habent ſtellam præuiam quam recognoſcunt. Allegori. Stella eſt illuminatio fidei quæ ad Chriſtum ducit. Dum diuertunt ad Iudæos, eam amittunt: quia dum à malis conſilium quærunt, veram illuminationem perdunt. *Audiens autem Herodes rex.* Rex dicitur, vt ex collatione eius qui quærітur, hîc intelligatur extraneus: quia iam defecerat proprius. *Audiens autem Herod.* alium regem Iudęorum quàm ſe quęri, volebat enim cum eſſet alienigena, legitimus rex videri: & ideo codices quibus genealogia texitur cremauit. *Turbatus eſt: & omnis &c.* Vel quia exitium regni ſui timet, vel propter iram Romanorum ſi hoc pateretur, qui decreuerant, ne quis rex, vel dominus ſine eorum conſilio diceretur. Nato rege cęli, rex terrę turbatus eſt, quia nimirum terrena altitudo confunditur cum cæleſtis celſitudo prædicatur. *Cum illo*: propter fauorem: quia ſępe populus plus eis iniuſtè fauet, quos crudeles ſuſtinet. Vnde Salomon: Rex iniuſtus omnes miniſtros impios habet. *Et congregans omnes.* Nota diligentiam inquirentis, vt ſi inuenerit, faciat quod poſt ſe velle oſtendit: ſin autem excuſatus ſit Romanis. Explorabat etiam, ſi rex eorum triſtes, vel lætos faciat Iudæos. *Vbi Chriſ.* A Iudæis quærit locum, à magis tempus vt de vtroque fiat certus. *In Bethlehem Iuda.* Locum natiuitatis exprimunt, quem teſtimonio ſcripturæ didicerunt, vt ipſa eorum ſcientia illis fieret ad teſtimonium damnationis, nobis ad adiutorium fidei. Ex hoc patet, quia non ex ignorantia, ſed ex cordis duritia credere noluerunt. *Et tu Bethlehem.* Hoc ſic ponit, vt ab eis dictum eſt: quia etſi non verba, veritatem ſenſus quodammodo ponunt. In Hebræo ſic eſt: Et tu Bethlehem Ephrata, parua es in milibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Et eſt ſenſus: Etſi ſis paruus viculus comparata ciuitatibus Iudæ, vbi tot milia: tamen non es minima: quia ex te egredietur magnus Chriſtus, qui non tantum de Dauid, quia egreſſus eius ex mea conſtat ſubſtantia: natus à diebus æternitatis, quia in principio erat verbum. Antiquitus Ephrata, poſtea Bethlehem. Myſticè eſt dicta Ephrata, furo-

Dan. 9. f

Geneſ. 9. b

tem vidit, quod præmonſtrat inſaniam Herodis qui ibi pueros occidit. Vel Ephrata frugifera, quæ colit agrum vitæ. Merito in eo loco Chriſtus naſcitur, qui totius eccleſiæ typum gerit, & ex nomine innuit Chriſtum pabulum vitæ cunctis. *Terra Iuda nequa.* In Hebræo, Ephrata: Bethlehem, eſt domus panis, Ephrata ſpeculũ. Quæ ſunt domus illę niſi fidelium mentes, panem angelorum manducantes: & quantum in hac vita mortali conceditur, gloriã domini ſpeculantes? In quibus Chriſtus iam per fidem natus, de gentilitate velut de longinquo venientibus per falſorum doctorum demonſtrationem aliquando quæritur, & inuentus adoratur. *Clam vocatis ma.* Remotis ſacerdotibus & ſcribis: timebat enim ne Iudæi quaſi ex Dei oraculo promiſſum occultarẽt, ſi ſe velle eum perimere ſentirent. Ideo etiam promiſit ſe adorare, ne quis ſentiret dolum eius: ſed ſine ſuſpicione ob gratiam fauoris ei renuntiarent. *Adorem eum.* Herodes deuotionem promittit, ſed gladiũ acuit: malitiam cordis depingẽs colore humilitatis. Finxit ſe vultu & verbis adorare eum quem inuida mente cogitabat occidere: Cuius perſonam repręſentant hypocritæ, qui ficté Deum quærẽtes, nunquam merentur inuenire. *Et ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Viden. autem ſtellam.* Ingreſſi Iudæam deſeruntur indicio ſtellę, vt cogantur ex lege inquirere. Vel diuino deſeruntur auxilio, qui quærunt humanum. Nec decebat ſignum infidelibus datum apparere domeſticis legis, & prophetarum: quia ſi Moyſen, & prophetas non audiunt, Luc. 16.g neque ſi quis ex mor. &c. Non tenuit æthereas vias: Sed multum domui vicina, aliter non diſcernerent domum. Moraliter. Stella, eſt bona exhortatio ducens ad Chriſtum. Vel potius fides quàm mentis illuminatio, per quã ingrediens Chriſtum videt qui eſt ſtella matutina: & eo viſo gaudet gaudio & adorare non deſinit. *Gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Gaudio gaudet, qui propter Deum (qui verum gaudium eſt) gaudet. Addit & magno, quo nihil eſt maius. Et valde gauiſi, quia de magno poteſt alius plus, alius minus gaudere. *Et mirantes domum inuenerunt.* Tres Magi vno itinere Deum veniunt adorare: quia in vno Chriſto (qui eſt via) inſeparabilis trinitas ab eis erat adoranda. Iſa. 9.b *Puerum cum Maria matre eius.* Sæpe puer nominatur, vt eum agnoſcant, de quo dictum eſt: Puer natus eſt nobis. Cur non & Ioſeph cum Maria inuentus eſt à Magis? Ne aliqua inde malæ ſuſpicionis occaſio daretur gentibus, quæ primitias ſuas ſtatim nato Saluatore ad eum adorandum miſerunt. *Adorauerunt.* Sic cõfitentes Deum, quem factum eſſe hominem intelligunt, & moriturum quod per myrrham oſtendunt. *Et apertis.* Fidem ſuam myſticis proteſtantur muneribus: Munera clauſa, fides eſt cordis. munera aperta, confeſſio eſt oris. In thure confunditur Arrius, qui ſoli patri ſacrificandum eſſe contendit. In myrrha Manichæus, qui Chriſtum mortuum non credit. In auro vterque, quia & Manichæus de ſemine Dauid regem natum non credit, & Arrius ſolam ei ſeruitutem aſcribit. Moraliter. *Et apertis.* Magnum religionis ſacramentum hic aperitur, vt fide præmia theſauros noſtros in via non pandamus, donec prçteritis hoſti- Iſa. 39 bus, ſoli Deo ex occultis cordium offeramus. Ezechias, quia theſauros alienigenis prodidit, cõdemnatur in poſteris. *Obtulerunt ei.* Quæritur an ſinguli ſingula, an vnuſquiſque tria? quod magis fatendum eſt, quia congruit myſterio: quia omnis vere Chriſtianus Chriſtum, Deum, regem, & paſſum confitetur. Dicitur quòd reges Perſarum ſemper cum muneribus ſolent adorare, quo more & iſti munera obtulerunt. Sed magis diuina inſpiratione eſt factum, vt in hoc ſit myſterium omnium. vnde & figuraliter tria dicuntur. Aurum, ad tributum: thus, ad ſacrificium: myrrha, ad ſepulturam pertinet mortuorum. Vel per hæc tria in eodem Chriſto intimãtur, regia poteſtas, diuina maieſtas humana mortalitas. Moraliter. Nos ergo thus offerimus, ſi cogitationes carnis in corde per ſtudium orationis incendimus: Aurum, dum ſuperna ſapientia reſplendemus: Myrrham, ſi carnis vitia per abſtinentiam mortificamus. Hæc munera ex theſauro animi condita proferuntur, cũ corde creditur ad iuſti. ore autem confeſſio fit ad ſalu. Rom. 10.b Aurum eſt perfecta ſapientia, thus oratio munda, myrrha operatio bona. Primum ergo fides Chriſto offerenda: deinde oratio, tertio loco operatio. Infirma eſt oratio quam non munit eleemoſyna. Myſticè, Tres magi, ſignificãt Gentilem populum de tribus filiis Noe procreatum ad fidem Chriſti venientem: Stella, propheticum ſermonem, ortum Chriſti veraciter profitẽtem. Herodes, diabolum, qui cognita diuinitate Chriſti perſequitur eum in membris ſuis, à quo Magi pergũt, dum ab idololatria gentes recedunt: & ad domum in qua Chriſtus eſt, id eſt, ad catholicam eccleſiam perueniũt, in quam intrantes per fidem, inueniunt Chriſtum cum matre ſua, id eſt, eccleſia. Ioſeph ſemoto, id eſt, Iudæorum populo propter perfidiam: & apertis theſauris ſuis, id eſt, literarum peritia, obtulerunt ei munera, id eſt, phyſicam, ethicam, logicam. vel, hiſtoriam, tropologiam, & allegoriam. vel, ſanctæ trinitatis fidem. *Et re. ac.* Sicut Moyſes tacens clamabat, ſic iſti pio affectu interrogabant quid diuina iuberet voluntas. Hæc reſponſio non fit per angelum, ſed per ipſum deum, quia nullus alius viam reuerſionis inſtituit, niſi ille qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Ioan. 14.a Non loquitur puer ad eos, ne diuinitas ante tempus reuelaretur, & vera humanitas habeatur: vnde & mox in Ægyptũ mittitur: quia & fides nutrienda erat ad premium, & vita doctrinæ præparanda eſt ad mundum. *Per a. vi.* In hoc forma datur credentibus, vt deuoti ad deũ veniant: & quod inbest, intendant ſcilicet ne ad diabolum redeant: ſed per ſemitas virtutum ad patriam veniant: & qui ceciderunt contemnendo, reſurgant obediendo.

CATENA AVREA IN *idem Euang.*

C*Vm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, &c.* Aug. in ſer. de epi. Poſt miraculum virginei partus quo vterus diuino numine plenus, ſaluo pudoris ſigno Deũ hominẽmque profudit inter obſcuras cubiculi latebras & præſepis anguſtias, in quibus infinita maieſtas membris contractioribus ſtabulabat, dum pendet ad vbera, & vilium patitur Deus inuolumenta pannorum, repente nouum de cęlo ſydus terris effulſit, & totius mundi diſſipata caligine, nóctem conuertit in diem, ne dies cęlaretur in nócte. vnde euangeliſta dicit: *Cùm ergo natus eſſet, &c.* Rem. In

principio

principio autem huius euangelicę lectionis tria ponit. Perſonam, cùm dicit: *Cum na. eſ. Ie.* Locum, cũ ait: *In Bethlehem Iudæ.* Tempus cum dicit: *in diebus Hiero. re.* Et hæc tria ad cõfirmationem narrandę rei ponuntur. Hie. ſuper Matt. Putauimus autem ab euangeliſta. primum editum ſicut in Hebraico legimus Iudæ, non Iudæę. Quę eſt enim aliarum gentium Bethlehem, vt ad diſtinctionem eius hîc Iudęę poneretur? Iudę autem idcirco ſcribitur, quia & aliam Bethlehem in Iudæa legimus in lib. Ieſu filij Naue. Glo. Duę enim Bethlehem ſunt, alia quę eſt in terra Zabulon, altera quę in terra Iuda, quę prius vocata eſt Effrata. Augu. de con. euang. De ciuitate autem Bethlehem Matthęus Lucáſque conſentiunt. Sed quomodo & & qua cauſa ad eam venerint Ioſeph, & Maria Lucas exponit, Matthęus prętermittit. Econtra de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet, Matthęus dicit. Chr. ſuper Matth. Sed videamus quid ad vtilitatem reſpiciat quòd euãgeliſta tempus deſignat quo Chriſtus naſcitur, dicens: *In die. He. re.* quòd dicit vt prophetiam Danielis impletam demonſtraret, quæ poſt 70. ſeptimanas annorum Chriſtum naſciturum eſſe prędicit. Nam ex illo tempore vſque ad regnum Herodis 70. ſeptimanarum anni ſunt conſummati, vel ideo quia quandiu Iudaica gens ſub Iudaicis regibus, quamuis peccatoribus tenebatur, prophetę mittebantur ad remedium eius, nunc autem quando lex Dei ſub poteſtate regis iniqui tenebatur, & iuſtitia Dei ſub dominatione Romana premebatur, naſcitur Chriſtus, quia Magis deſperabilis infirmitas medicum artificioſiorẽ quærebat. Vel ideo regis alienigenę mentionem fecit, vt impleretur prophetia, quę dixit: Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius: donec veniat qui mittendus eſt. Ambr. ſuper Lu. Fertur autem quòd Idumæi latrones Aſcalonam ingreſſi, Antipatrum inter alios adduxerunt captiuum. Is igitur imbutus myſteriis Iudęorum, Hircano Iudæę regi amicitia copulatur, quem pro ſe ad Pompeium Hircanus direxit, & quia legationis fructum potitus eſt, per eam gratiam partem regni impetrauit. Occiſo autem Antipatro filius eius Herodes ſub Anto. ſenatuſcõ. Iudęis regnare pręceptus eſt, in quo claret Herodem nulla affinitate generis Iudęorum, regnum quęſiſſe. Chr. in hom. Dixit autem Herodis regis dignitatem addens: quia & alius filius fuit Herodes qui Ioannem interfecit. Chr. ſuper Matt. Dum ergo hoc tempore natus eſſet, ecce Magi veniunt, hoc eſt confeſtim vt natus eſt, magnum Deum oſtẽdentes in paruulo homine. Rab. Magi verò ſunt, qui de ſingulis rebus philoſophantur, ſed ſermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter tamen habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint philoſophi Chaldæorum, & ad huius artis ſcientiam reges quoque, & principes eiuſdem gentis omnia ſapiunt, & ipſi primum ortum domini intellexerunt. Aug. in ſer. de epi. Iſti autem Magi quid fuerunt niſi primitię gentium? Iſraelitę paſtores, Magi gentiles, illi prope, iſti longè, vtrique tamẽ ad angularem lapidem cucurrerunt. Manifeſtatus eſt ergo Ieſus non doctis nec iuſtis, præualet namque imperitia in ruſticitate paſtorum, & impietas in ſacrilegiis Magorum, vtroſque ſibi lapis ille angularis attribuit, quippe qui venerit ſtulta eligere vt confunderet ſapientes, & non vocare iuſtos, ſed peccatores, vt nullus magnus ſuperbiret, nullus infirmus deſperaret. Glo. Hi autem Magi reges fuerunt, qui etſi tria munera obtuliſſe dicuntur, non ideo non plures quam tres fuiſſe probantur, ſed vt per eos gentes, quæ ex tribus filiis Noe natæ ſunt, venturæ ad fidem præfigurarentur, vel tot fuerunt principes, qui plures duxerunt in comitatu ſuo. Venerunt autem non poſt annum, quia tunc inueniretur in Ægypto, non in præſepio, ſed in 13. die. Ad oſtendendum autem vnde venirent, dicitur: *Ab oriente.* Remi. Sciendum eſt autem quia varia eſt de Magis opinio: quidam enim dicunt eos fuiſſe Chaldęos: Chaldæi enim ſtellam pro Deo colebant, & idcirco dixerunt quod nuncupatiuus eorũ Deus oſtẽderit Deum verum natum. Alij verò dicunt Perſas eos fuiſſe. Nonnulli dicunt illos de vltimis finibus terræ fuiſſe. Alij verò dicunt illos fuiſſe nepotes Balaam, quod magis eſt credẽdum. Balaam enim inter cætera quæ prophetauit, dixit: Orietur ſtella ex Iacob. Illi verò habẽtes hanc prophetiam mox vt viderunt ſtellam nouam, intellexerunt regem natum & venerunt. Hie. Et ſic hanc ſtellam futuram vaticinio Balaam nouerant, cuius erant ſucceſſores. Sed quærendum eſt, ſi Chaldæi vel Perſæ aut de vltimis finibus terræ fuerunt, quomodo in tam breui ſpatio Hieroſolymam venire potuerunt? Remi. Sed ſciendum eſt quòd aliqui ſolent dicere, *quòd puer* qui tunc natus in tam breui ſpatio temporis, de vltimis finibus terræ ad ſe perducere potuit. Gloſſ. Vel non mirandum eſt eos in 13. diebus veniſſe in Bethlehem, cũ equos Arabicos, & Dromedarios haberent, qui ſcilicet ſunt veloces ad iter. Chr. ſuper Matth. Vel per biennium ante Chriſti natiuitatem profecti ſunt, & ſtella eos præcedebat, & neque eſca nec potus defecit in peris eorum. Rem. Vel ſi fuerunt ſucceſſores Balaam, reges iſti non longè diſtant à terra promiſſionis, idcirco in tam breui ſpatio temporis Hieruſalem venire potuerunt. Sed tunc quærendum eſt, quare euangeliſta dicat eos ab Orente veniſſe? Quod ideo eſt, quia ab illa regione venerunt, quæ in orientali parte Iudæis poſita eſt. Pulchrè autem ipſi ab Oriente veniſſe dicuntur: quia omnes, qui ad dominum veniunt, ab ipſo & per ipſum veniunt. Ipſe enim eſt Oriens, ſecundum illud: Ecce vir, Oriens nomen eius. Chr. ſuper Matt. Vel ab Oriente venerunt, vnde dies naſcitur, inde initium fidei proceſſit: quia fides lumẽ eſt animarum. Ab Oriente ergo venerunt, ſed Hieroſolyman. Remi. Quamuis dominus ibi natus non eſſet, quia licet agnoſcerent natiuitatis tempus, locum tamen non cognouerunt. Hieruſalem enim ciuitas regia eſt, & crediderunt quòd talis puer non niſi in vrbe regia naſci debuiſſet. Siue ideo venerũt vt adimpleretur quod ſcriptum eſt: De Sion exibit lex & verbum domini de Hieruſalem, quia ibi primò annuntiatus eſt Chriſtus. Siue vt ſtudio Magorum damnaretur pigritia Iudæorum. Venerunt ergo Hieroſolymam, dicentes. *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Aug. in ſer. de epi. Cùm autem multi nati atque defuncti eſſent reges Iudæorum, nunquid quẽquam eorum adorandum Magi quæſierunt? quia nec quenquam eorum de cælo loquentem didicerunt. Non itaque regi Iudæorum quales eſſe illic ſolebãt, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ ab eodem regno prorſus ab extraneis à ſe deberi arbitrabantur. Sed talem natum eſſe didicerant, in

quo adorando ſe ſalutem, quæ ſecundum Deum, eſſe cõſecututos minimè dubitarent, neque enim ętas erat ſaltem, cui adulatio humana ſeruiret, non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſa fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto ſupplicationis attraxerunt. Iacebat in præſepio puer ortu recens, exiguus corpore, contẽptibilis paupertate. Sed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ gentium, non terra portante, ſed cælo narrante didicerant, vnde ſequitur: *Vidi. enim ſtel. eius in Orien.* Annuntiant & interrogant, credunt & quærunt, tanquam ſignificantes eos qui ambulant per fidem, & deſiderãt ſpeciem. Chry. in hom. Sciendum autem quòd Priſcilianiſtæ hæretici, qui naſci vnumquenque hominem conſtitutionibus ſtellarum putant, hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt, quòd noua ſtella exiit, cùm dominus in carne apparuit, cuius fuiſſe fatum eandem quæ apparuit ſtellam putant. Augu. de con. euangel. Et ſecundum Fauſtum hic ſtella inducitur, quæ confirmat geneſim vt rectè geneſidium hoc magis nuncupari poſſit, quam euangelium. Greg. in hom. Sed abſit à fidelium cordibus, vt eſſe quid fatum dicant. Aug. de ciu. Dei. Nam homines quando fatum audiunt, vſitata loquendi conſuetudine non intelligunt, niſi vim paſſionis ſyderum, qualis eſt quando quis naſcitur, ſiue cõcipitur, quod aliqui alienant à Dei voluntate. Et hi ab auribus omnium repellendi ſunt, qui qualiumcunque deorum volunt eſſe cultores. Aliqui verò ſtellas hanc putant habere poteſtatem traditam ſibi à ſumma Dei poteſtate, qui magnã cælo faciunt iniuriam, in cuius velut ſplendiſſima curia opinantur ſcelera facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet, genere humano decernente, fuerant euertenda. Chr. ſuper Matt. Si ergo aliquis adulter & homicida fiat per ſtellã, magna eſt iniquitas illarum ſtellarum, magis autem illius, qui creauit ſtellas: nam cùm ſit præſcius futurorum Deus ex quo tãta iniquitas futura erat per ſtellas: ſi noluit ei dare, non eſt bonus: ſi voluit ei dare & non potuit, impotens eſt. Si etiam ſtellæ

Liberum hominum arbitrium aſſertio.

eſt, quòd aut mali ſumus aut boni, ergo nec bonum noſtrum laudandum eſt, nec vituperandum malum: quia nec in nobis eſt voluntarius actus, vt quid enim mali mei pœnam ſuſcipiam, quod non voluntate, ſed neceſſitate commiſi? Chry. ſuper Matt. Ipſa denique mandata Dei ne peccent homines, aut hortamenta vt faciant bonum, hanc inſipientiam deſtruunt. Quis enim iubet aliquem ne faciat malum, quòd non poteſt declinare, aut faciat bonum, ad quod nõ poteſt peruenire? Gre. Inſipientes verò ſunt orationes, omnibus ſecundum fatum exiſtentibus: exulat autem & prouidẽtia Dei cum pietate cum his & homo organum ſolum inuenitur ſuperni circularis motus. ad hoc enim moueri ad operationes aiunt, non ſolum partes corporis & animæ excogitationes, & vniuerſaliter qui hoc dicunt, quæ in nobis ſunt, & contingentis naturam deſtruunt ea, & nihil aliud eſt hoc, quam omnia euertere. vbi etiã de reliquo erit liberum arbitrium? liberũ enim oportet eſſe, quòd eſt in nobis. Aug. in 10. de ciu. Dei: Non vſquequaq; autem abſurdè dici poteſt ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſydereos, ſicut ſolaribus acceſſibus, & deceſſibus videmus anni tempora variari, & lunaribus incremẽtis atque decremẽtis augeri & minui quædam genera rerum, ſicut conchas & mirabiles ęſtus oceani, non autem animi voluntates poſitionibus ſyderũ ſubdi, & quod non dicantur ſtellę ſignificare iſta potius quam facere, quid eſt quod nunquam dicere potuerunt, cur in vita geminorum in actionibus, in euentibus, profeſſionibus, actibus, honoribus, cæteriſq; rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipſa morte plerunque ſit tanta diuerſitas, vt ſimiliores ſint multi extranei, quam ipſi inter ſe gemini, per exiguum temporis interuallum in naſcendo ſeparati: in conceptu autem per concubitum vno etiam momento ſeminati? Quid ergo conantur efficere de interuallo exigui temporis quod inter ſe gemini dum naſcerentur habuerunt, ſi tantũ valet quanta inuenitur in geminorum voluntatibus, actibus, moribus, caſibúſque diuerſitas? Quidam verò non aſtrorum conſtitutionem, ſed omnium connexionem ſeriémque cauſarum, quam Dei ſummi tribuunt voluntati & poteſtati fati nomine appellant. Si quis ergo res humanas fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat, quoniam fati nomen ſolet à loquentibus poni in ſyderum conſtitutione, vnde voluntatem Dei, fati vocabulo non nuncupamus, niſi fortè vt fatum à fando, id eſt, à loquendo dictum intelligamus. Scriptum eſt: Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui. Vndè non eſt multum cum eis de verbi controuerſia laborandum atque certandum. Auguſt. contra Fauſt. Si autem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, liberum arbitrium voluntatis ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus, quantò minus illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt vniuerſorum æternus creator & dominus? Itaque illa ſtella, quam viderunt Magi Chriſto ſecundum carnem nato non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur. Proinde non ex illis erat ſtellis, quę ab initio creaturæ iturum ſuorum ordinem ſub creatoris lege cuſtodiunt, ſed nouo virginis partu nouum ſydus apparuit, quòd miniſterium officij ſui eſſet ipſis Magis quærentibus Chriſtum, cum ante faciem pręiret, exhibuit, donec eos vſque ad ipſum locum vbi dominus verbum infans erat, præeũdo perduceret. Quidam autem aſtrologi ita conſtituerunt naſcentium hominum fata ſub ſtellis, vt aliquam ſtellarum homine aliquo nato circuitus ſui ordinem reliquiſſe, & ad eum qui natus eſt, perrexiſſe aſſeuerent, ſortem quippe naſcentis aſtrorum ordini colligari arbitrantur, non aſtrorum ordinem ad hominis nati diem poſſe mutari. Quapropter ſi ſtella illa ex his erat, quæ in cælo peragunt ordines ſuos, quomodo poterat diſcernere, quòd Chriſtus acturus erat, quæ nato Chriſto iuſſa eſt relinquere quod agebat? Si autem vt probabilius creditur, ad demonſtrandum Chriſtum, quæ non erat, exorta eſt, non ideo Chriſtus natus eſt, quia illa extitit: ſed illa extitit, quia Chriſtus eſt, vnde ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſto, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus: ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſam. Chr. in hom. Non eſt hoc etiam aſtronomiæ opus à ſtellis ſcire eos qui naſcuntur, ſed ab hora natiuitatis futura prædicere, hi autem tempus natiuitatis non recogno

cognouerunt, vt hinc ſumentes initium à ſtellarum motu futura cognoſcerent, ſed econuerſo. Dicũt ergo: *Vidimus ſtellam eius*. Gl. id eſt, propriam, quia hanc creauit ad oſtenſionem ſui. Aug. in ſer. de epiph. Paſtoribus angeli, Magis ſtella Chriſtum demonſtrat, vtriſque loquitur lingua cælorum, quia lingua ceſſauerat prophetarum. Cælos angeli habitant, & ſydera exornant, vtriſque ergo cæli narrant gloriam Dei. Greg. Et rationabiliter Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal, id eſt, angelus prædicare debuit, gentiles verò, quia ratione vti neſciebant, ad cognoſcendum dominum, non per vocem, ſed per ſigna producuntur, quia & illis prophetiæ tanquam fidelibus, & iſtis ſigna tanquam infidelibus data ſunt. Eiſdem autem gentibus Chriſtum cùm perfectæ eſſet ætatis, apoſtoli prædicant, cúmque paruulum & nec dum per humani oris officium loquentem ſtella gentibus denuntiat, quia nimirum rationis ordo poſcebat, vt loquentem iam dominum loquentes nobis prędicatores, & necdum loquentem elementa muta prædicarent. Auguſt. in ſer. de epiph. Ipſe etiam Chriſtus expectatio gentium, de quibus quondam beatiſſimo patri Abrahæ innumerabilis fuit promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda, & ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omni gentium patre, non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur. Ad credendum ergo promiſſæ poſteritatis hæredes in ſyderibus deſignari, ortu noui ſyderis excitantur, vt in quo cælum eſt adhibitum in teſtimonium, cæli famularetur obſequium. Chr. in hom. Quoniam autem non cæleſtium vna ſtellarum hæc fuit, manifeſtum eſt: nulla enim alia ſtellarũ hac via procedit: hæc enim ab oriente in meridiẽ ferebatur, ita enim Palæſtina ad Perſidem iacet. Secũdò autem à tempore quo videbatur, non enim in nocte apparuit tantum, ſed in media die, quod non eſt virtutis ſtellæ, ſed nec etiam lunæ. Tertiò ab eo quod apparebat & occultabatur rurſus: cum enim intrauerunt Hieroſolymam, occultauit ſeipſam: deinde vbi Herodem reliquerunt, ſeipſam monſtrauit, neque etiam proprium quendam greſſum habebat, ſed cùm oportebat ire Magos, ibat: quando autem ſtare oportebat, ſtabat, ſicut & de columna nubis erat in deſerto. Neque etiam ſurſom manens partum virginis oſtendebat, ſed deorſum deſcendens hoc faciebat, quod non eſt ſtellæ motus, ſed virtutis cuiuſdam rationalis, vnde videtur hęc ſtella virtus inuiſibilis fuiſſe in talem apparentiam formata. Remi. Nonnulli dicunt hanc ſtellam fuiſſe ſpiritum ſanctum, vt ipſe, qui poſtea ſuper baptizatum dominum deſcendit, in ſpeciem ſtellæ apparuit Magis. Alij dicunt fuiſſe angelum, vt ipſe qui apparuit paſtoribus, apparuit etiam Magis. Glo. ſequitur etiam. *In oriente*. Vtrùm ſtella in oriente orta ſit, an ipſi ibi poſiti natam & occidentem viderint, ambiguum eſt: potuit enim naſci in oriente & eos in Hieruſalem perducere. Aug. in ſer. de epiph. Si dicturus es: A quibus audierunt quòd talem ſcilicet Chriſtum natum ſignificaret? profectò ab angelis aliqua monitione reuelationis. Quæris fortaſſis, ab angelis bonis, an malis? Chriſtum quidem & angeli mali, hoc eſt, dæmones filium Dei eſſe confeſſi ſunt. Sed cur nõ & à bonis non audierint, quando in Chriſto adorando ſalus eorum iam quærebatur, non iniquitas damnabatur? Potuerunt ergo illis & angeli dicere: ſtella, quam vidiſtis, Chriſtus eſt. Ite adorate illum, vbi natus eſt, & ſimul iudicate qualis, quantúſque natus ſit. Leo pa. in ſer. de epiph. Vel præter illam ſtellæ ſpeciem, quæ corporeum incitauit obtuitum, fulgentior veritatis radius eorũ corda perdocuit, & quidem ad illuminationem fidei pertinebat. Aug. in lib. de quæſt. no. & vet. te. Vel Iudæorum natum regem intellexerunt, cùm ſtella iudice temporalis rex ſoleat deſignari. Hi enim Magi Chaldæi non maleuolentia aſtrorum curſum, ſed rerum curioſitate ſpeculabãtur. Sicut enim datur intelligi, traditionem Balaam ſequebãtur, qui dixit: Orietur ſtella ex Iacob, vnde videntęs ſtellam extra ordinem mundi, hanc intellexerunt, quam Balaam futuram indicem regis Iudęorum prophetauerat. Leo pa. in ſer. de epiph. Potuerunt autem illis credita & intellecta ſufficere, vt corporali intuitu non inquirerent, quod pleniſſimo viſu mentis inſpexerant, ſed diligentia ſagacis officij ad videndum vſque puerum perſeuerans, noſtri temporis hominibus ſeruiebat, vt ſicut omnibus nobis profuit, quòd poſt reſurrectionem domini veſtigia vulnerum eius, Thomæ apoſtoli explorauit manus, ita ad noſtram vtilitatem proficeret, quòd infantiam ipſius Magorum probauit aſpectus, vnde dicunt: *Venimus ado. eum.* Chry. ſuper Matth. Sed nunquid neſciebant, quia in Hieruſalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebant, quia quicunque rege viuente alterum regem pronuntiat, aut adorat, punitur in ſanguine? Sed dum conſiderabant regem futurum, non timebant præſentem: adhuc non viderant Chriſtum, & iam parati erant mori pro eo. O beati Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi regis, priuſquam Chriſtum cognoſcerent, Chriſti facti ſunt confeſſores. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, &c.* Auguſtinus in ſermo. de epiphania. Sicut Magi deſiderant redemptorem, ita Herodes timet ſucceſſorem. vnde ſequitur: *Audiens autem Hero. rex. tur. eſt.* Gloſ. Rex dicitur vt ex collatione eius qui quæritur, hic intelligatur extraneus. Chry. ſuper Mat. Et ideo turbatur audiens regem natum Iudæis ex genere Iudæorum, cùm eſſet ipſe genere Idumæus: ne regno reuoluto iterum ad Iudæos, ipſe à Iudæis expelleretur, & ſemẽ eius poſt ipſum præcideretur: ſemper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt. Sicut enim rami arborum in excelſo poſitarum, etiam ſi leuis aura flauerit, mouentur: ſic & ſublimes homines etiam leuis nuncij fama cõturbat, humiles autem ſicut in conualle plerunque in tranquillitate cõſiſtunt. Aug. in ſer. de epiph. Quid autẽ erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos reges timere faciebat natiuitas infantis? Pertimeant regem ad patris dextram iam ſedentem, quem rex impius timuit adhuc matris vbera lambentẽ. Leo pa. in ſer. de epi. Superfluo tamen Herodes timore turbaris, non capit Chriſtum regio tua, nec mundi dominus poteſtatis tuæ cœpit eſſe contentus anguſtus. Quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat. Gloſ. Vel non ſolùm propter ſe timuit, ſed propter iram Romanorum: decreuerãt enim Romani, ne quis rex vel deus ſine eorum conſilio diceretur. Greg. in ho. Cæli auten rege nato, rex terræ turbatus eſt, quia nimirum terrena altitudo cõfunditur, cum celſitudo cæleſtis aperitur. Leo papa in ſer. de epiph. Herodes etiã diaboli perſonam gerit, cuius ſicut tunc fuit incentor, ita tunc quo-

quę eſt indefeſſus imitator. Cruciatur enim vocatione gentium, & quotidiana poteſtatis ſuæ deſtructione torquetur. Chr. ſuper Matt. Vterque ergo zelo proprio turbatur, & ſui regni ſucceſſorem timebat, Herodes terrenum, diabolus autem cœleſtem. Ecce autem & Iudaicus populus turbatur, qui magis de auditu iſto gaudere debuerat: quia rex Iudæus ſurgere dicebatur. Sed turbantur: quia de aduentu iuſti non poterant gaudere iniqui. Aut certè turbabantur, ne fortè iratus Iudaico regi genus eius vexaret. vnde ſequitur: *Et omnis Hie. cum illo.* Volens illi fauere, quem timebat, populus enim plus iuſtò eis fauet, quos crudeles ſuſtinet. Sequitur: *Et congre. omnes. prin. &c.* Vbi nota diligentiam inquirentis, vt, ſi inuenerit, faciat quod poſtea ſe velle oſtendit: ſin autem, accuſatus ſit Romanis. Rem. Scribæ autem dicti ſunt, nõ tamen ab officio ſcribendi, ſed potius ab interpretatione ſcripturarum: erant enim legis doctores. Sequitur: *Sciſcitabatur ab eis, vbi Chri. naſce.* Hic attendendum eſt: quia non dixit, vbi Chriſtus natus eſt, ſed, *vbi naſceretur.* Callide enim interrogauit eos, vt poſſet agnoſcere ſi de rege nato lætarentur. Chriſtum autem vocat: quia nouerat inungi regem Iudæorum. Chry. ſuper Mat. Vt quid autem interrogat Herodes, qui nõ credebat ſcripturis? aut ſi credebat, quomodo ſperabat poſſe interficere illum, quem regem futurum eſſe dicebant? Sed diabolus inſtigabat, qui credebat quod ſcripturæ non mentiuntur: ſic ſunt omnes peccatores, qui hoc ipſum quod credunt, perfectè credere non permittũtur, quod enim credunt, veritatis eſt virtus, quæ non poteſt eſſe occulta: quod autẽ non credunt, excæcatio eſt inimici. Si enim perfectè crederent, ſic viuerent, quaſi poſt modicum tranſituri de hoc mũdo, non quaſi in æternum manſuri. Sequitur: *At illi dixerunt: In Bethlehem Iudæ.* Leo pa. in ſer. de epi. Magi quidem humano ſenſu ſignificatum ſibi regis ortum, exiſtimauerunt in ciuitate regia eſſe quærendum, ſed qui ſerui ſuſceperat formam, & non iudicare venerat, ſed iudicari, Bethlehem prælegit natiuitati, Hieroſolymam paſſioni. Theo. in ſer. concilij Epheſini, Si enim maximam Romam elegiſſet ciuitatem, potentia ciuium, mutationem orbis terrarum factam putarent: ſi filius fuiſſet imperatoris, poteſtati vilitatem aſcriberẽt. Sed quid fecit? omnia egena & vilia elegit, vt diuinitas cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum, propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam, egenus fit pecuniis, & hoc tibi exponit præſepe. Greg. in ho. Bene etiam in Bethlehẽ naſcitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi. Chry. ſuper Mat. Cùm autem debuiſſent celare myſterium regis præfiniti a deo, maximè in conſpectu alienigenæ regis, facti ſunt non prædicatores operum dei, ſed proditores myſteriorum eius. & non ſolùm manifeſtant myſterium, ſed etiam propheticum protulerunt exemplum. Vnde ſubiungunt: Sic enim ſcriptum eſt per prophetam. ſci. Micheam: *Et tu Bethlehem terra Iuda.* Glo. hoc ſic ponit: vt ab eis dictum eſt, qui & ſi non verba, veritatem ſenſus quodammodo ponunt. Hiero. Vnde hic reprehenduntur Iudæi de ignorantia, quoniam propheta dicit. Tu Bethlehẽ Effrata, illi dixerunt: *Tu Bethlehem terra Iuda.* Chryſ. ſuper Matt. Sed adhuc ipſam prophetiam præcidentes interficiendorum paruulorum facti ſunt cauſa, ſic enim ſcriptum erat: Ex te exiet rex qui paſcet populum meum Iſrael, & dies eius à diebus ſeculi. Si ergo integram prophetiam protuliſſent, conſiderans Herodes, quia non erat rex terrenus, cuius dies à diebus ſeculi erant, in tantum furorem non exarſiſſet. Hier. ſuper Mat. Eſt autem ſenſus prophetiæ talis: Tu Bethlehem terra Iuda vel Effrata, quod ideo dicitur: quia eſt alia Bethlehem in Galgalis ſita, quãuis ſis paruus vicus inter millia ciuitatum Iuda, tamen ex te naſcetur Chriſtus, qui ſecundum carnem de Dauid eſt: de me tamen natus eſt ante ſecula, & ideo dicitur: Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis, quia in principio verbum erat apud deum. Sed hoc vltimum vt dictum eſt, vel ad maiorem manifeſtationem, vt Herodi alienigenæ intellectum prophetiæ aperirent, vnde pro eo quod propheta dixit Effrata: quod erat nomen antiquum & fortè Herodi ignotum dixerunt, *terra Iuda.* Pro eo autem quod propheta dixerat: minima es in millibus Iuda, volens oſtendere paruitatem eius, quantum ad populi multitudinem, dixerunt: *Nequaquam minima es in principibus Iuda,* volentes oſtendere magnitudinem dignitatis prouenientem ex dignitate principis: naſcituri. quaſi dicerent: Magna es inter ciuitates, ex quibus principes prodierunt. Remi. Vel talis eſt ſenſus, quamuis minima videaris inter vrbes principatum habentes, tamen non es minima: quia ex te exiet dux, qui regat populum meum Iſrael: dux autem iſte Chriſtus eſt, qui populum fidelem regit & gubernat. Chry. in ho. Intende autem certitudinem prophetiæ: non enim dixit quod in Bethlehem erit, ſed quod de Bethlehem exiet: oſtendẽs quod ibi ſolùm naſceretur. Quomodo autem habet rationem de Zorobabel hæc dicta eſſe, vt quidam dicunt? non enim exitus eius fuit à principio à diebus ſeculi. Neque etiam ex Bethlehem exiuit, cùm non in Iudæa, ſed in Babylonia natus ſit. Eſt etiam ad hoc quod dicit. *Nequaquam minima es: quia ex te exiet:* nullus enim alius illuſtrem fecit illam, in qua naſceretur quam Chriſtus. Poſt natiuitatem enim à finibus orbis terrarum veniunt viſuri præſepe. & tugurij locum. Non autem dixit: Ex te exiet filius Dei, ſed dux, qui paſcet populum meum Iſrael, oportebat enim in principio condeſcendere, vt non ſcandalizarentur: & quæ ad ſalutem hominum pertinebant prædicare, vt magis inducerentur. Quod autem dicit: *Qui regat populum meum Iſrael.* Iſrael enim hic dicit eos qui crediderũt ex Iudæis: ſi autem non omnes Chriſtus rexit, eorum eſt accuſatio. De gentibus autem interim tacuit, ne ſcandalizaret Iudæos. Vide autem mirabilem diſpenſationem. Iudæi à Magis audiunt, quod Chriſtum in orientis regione ſtella prædicabat, & magi à Iudæis, quòd prophetæ antiquitus eum nunciauerunt, vt geminato teſtimonio confirmati ardentiori fide expeterent: quem & ſtellæ claritas, prophetiæ manifeſtabat authoritas. Aug. in ſer. de epi. Poterat enim ſtella quæ magos perduxit ad locum, vbi erat cum matre virgine Deus infans, ad ipſam eos perducere ciuitatem. Sed tamen ſubtraxit ſe, nec eis prorſus apparuit, donec de ciuitate in qua Chriſtus naſceretur, & ipſi Iudæi dicerent: In Bethlehem Iudæ: ſimiles facti fabris arcæ Noe, qui aliis vbi euaderent præſtiterunt, & ipſi diluuio perierunt, ſimiles lapidibus à milliariis viã oſtenderunt, nec ipſi ambulare potuerunt. Audierunt & abierunt inquiſitores, dixerunt & remanſerunt doctores

Nota peregrinationem ad ſancta loca.

doctores. Nunc quoque Iudæi ſimile aliquid nobis exhibere non deſinunt: nonnulli enim paganorum quando eis de ſcripturis teſtimonia clara proferimus, vt noverint Chriſtum antè prophetatum: ſuſpecta, ne fortè à Chriſtianis iſta confiſta ſint, malunt credere codicibus Iudæorum, & ſicut tunc magi fecerunt, Iudæos dimittunt inaniter lectitare, ipſi pergunt fideliter adorare. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, &c.* Chry. ſuper Matt. Poſtquam audiuit Herodes reſponſum duplici modo credibile: primum quia à ſacerdotibus fuerat dictum: deinde quia exemplo prophetico fuerat comprobatum, non tamen ad deuotionem flectitur naſcituri regis, ſed malitiam interfectionis eius per dolum. vidit enim quia nõ poterat magos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt conſentirent in interfectionem regis futuri, ideo illos decipere cogitauit, vnde dicitur *Tunc He. clam vo. Magis.* Occultè autem vocauit eos, vt non viderent Iudæi, quos habebat ſuſpectos, ne fortè quaſi regem ſuæ gentis amantes, proderent conſilium eius. *Dili. didi. ab eis tem. ſtel.* Rem. Ideirco diligenter: quia callidus erat, & timebat ne non reuerterentur ad eum, vt tunc ſciret quid ageret de puero occidendo. Aug. in ſer. de epi. Fermè autem biennio antè viſa eſt ſtella, mirantibus quid eſſet. Sed tunc intelligitur indicatum eis cuius eſſet ſtella, quæ iam diu videbatur quando natus eſt, qui per illam ſignificabatur. Sed poſtquam Chriſto nato reuelatum eſt Magis, venerunt ab oriente, & 13. die adorauerunt eum, quem ante paucos dies natũ fuiſſe didicerunt. Chry. in hom. Vel ante multũ tempus hæc ſtella apparuit, quoniam multum tempus in itinere erant magi conſumpturi, vt confeſtim cùm natus eſſet, Chriſto aſſiſterent, eum in faſciis adorantes, vt mirabilior appareret. Gloſ. Secundum alios verò à die natiuitatis Chriſti creditur ſtella tantum apparuiſſe. & peracto officio cùm noua eſſet, deſiit eſſe. Ait enim Fulgen. Puer natus nouam ſtellam fabricauit. Cognito autem lo. & tem. perſonam pueri vult non ignorare, vnde dicit: *Ite & inter. dili. de pue.* illud præceperat quod abſque præcepto erant facturi. Chryſ. in ho. Non autem dicit interrogate de rege, ſed de puero, neque principatus nomine eum vocari ſuſtinebat. Chryſ. ſuper Matth. Ergo vt ad hoc eos induceret, deuotionẽ promittebat, & per eam gladium acuebat, & malitiam cordis ſui humilitatis colore depingebat. Talis eſt conſuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt, humilitatem illi & amicitias fingũt. vnde dicit: *Et cum inue. renun. &c.* Greg. in ho. Adorare eum ſe velle ſimulat, vt quaſi hunc ſi inuenire poſſit, extinguat. Sequitur: *Qui cũ audi. reg. abie.* Remi. Audierunt magi Herodem vt quærerent dominum, ſed non vt ad eum reuerterentur. Significabant enim bonos auditores, qui bona quæ audiunt à malis prædicatoribus faciunt, ſed tamen opera illorum non imitantur. *Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Chryſo. ſuper Matth. Ex hoc loco oſtenditur, quia cùm ſtella deduxiſſet magos prope Hieruſalem, abſcondita eſt ab eis vt relicti à ſtella cogerentur in Hieruſalem interrogare de Chriſto, ſimul & manifeſtare: propter duo. primò ad confuſionem Iudæorum, quia gentiles ſtellæ tantummodo viſione confirmati, Chriſtum per alienas prouincias requirebant, & Iudæi ab infantia prophetias legentes de Chriſto, & in ſuis finibus natũ non ſuſceperunt: demum vt interrogati ſacerdotes, vnde naſceretur Chriſtus, ad præiudiciũ ſuum reſponderent, de Bethlehem, quia qui Herodem docuerãt de Chriſto, ipſi ignorabant de illo, & ideo poſt interrogationem & reſponſionem habitam, ſubditur: *Et ecce ſtel. quam vi. in Orien. antece. eos*, vt cõſiderantes obſequium ſtellæ, regis intelligerent dignitatem. Auguſt. in ſer. de epi. Et vt Chriſto plenum redderet obſequium, temperauit gradum, donec magos perduceret ad puerum. Obſequium præbuit, non imperium adduxit, ſupplices oſtendit, hoſpitiũ radiauit ampliſſimo lumine, & tecta nati perfudit, ſicq; diſceſſit. vnde ſequitur: *Vſque dum veni. ſta. ſu. vbi erat puer.* Aug. ſuper Mat. Quid autem mirum ſi ſole iuſtitiæ orituro, ſtella miniſtrabat diuina? Stetit enim ſupra caput pueri, quaſi dicẽs: Hic eſt, quia loquendo monſtrare nõ poterat, ſtando demõſtraret. Glo. Hic autem apparet quod ſtella in aëre poſita erat. & domui, in qua puer erat, multum vicina: aliter enim domum non deſignaſſent. Ambr. ſuper Lucam. Hæc autem ſtella via eſt, & via Chriſtus eſt, quia ſecũdum incarnationis myſterium Chriſtus eſt ſtella: ipſe enim eſt ſtella ſplendida & matutina. vnde vbi Herodes eſt, non videtur: vbi autem Chriſtus, rurſum videtur, & viam oſtendit. Remi. Vel ſtella ſignificat gratiam Dei, Herodes diabolum: qui autem per peccatum ſe diabolo ſubdit, mox gratiam perdit: quòd ſi per pœnitentiam receſſerit, mox gratiam inuenit quæ non dimittit, donec perducat ad domum pueri, id eſt, eccleſiam. Glo. Vel ſtella eſt illuminatio fidei, quæ ad proximum ducit, quam dum diuertunt ad Iudæos, Magi amittunt: quia dum à malis conſilium quærunt, veram illuminationem perdunt. *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valdè, &c.* Gloſ. Poſtquam præmiſit ſtellæ obſequium, ſubiungit Euangeliſta Magorum gaudium, dicens: Viden. autem ſtel. gauiſi ſunt gau. ma. valde. Rem. Eſt ſciendum quòd non ſatis fuit dicere Euangeliſtæ: *Gauiſi ſunt:* ſed addidit, *gaudio magno & valde.* Chry. ſuper Mat. Gauiſi ergo ſunt, quia ſpes eorum non erat decepta, ſed amplius confirmata, quòd tanti itineris non ſine cauſa ſuſceperunt laborem. Glo. Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui eſt verum gaudium. Addidit autem *& magno:* quia de magno gaudebant. Chr. Per myſterium enim ſtellæ, intelligebant quoniam dignitas tunc nati regis excedebat menſuram omnium mundialium regum, addidit etiam *valde.* Remi. Quia voluit oſtendere quòd magis gaudent homines de rebus perditis, quam ſemper poſſeſſis. Subditur autem, *Et intran. do. inue. puerum.* Leo pa. in ſerm. de epiphania. Quantitate paruum, alienæ opis indigũ, fandi impotentem, & nulla ab humanæ infantiæ generalitate diſcretum, quia ſicut fidelia erant teſtimonia quæ in eo maieſtatem inuiſibilis diuinitatis oſtenderent, ita probatiſſimũ debeat eſſe, ſempiternã illam eſſentiam filij Dei veram ſuſcepiſſe hominis naturam. *Cùm Maria mat. eius.* Chr. ſuper Mat. Non diademate coronata, aut in lecto aureo recumbente, ſed vix tunicam habente vnam: non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumẽtum nuditatis, qualem habere potuit carpentarij vxor peregrè conſtituta. Si ergo regem terrenum quærẽtes veniſſent, magis fuiſſent confuſi quàm gauiſi: qui tanti itineris laborem ſine cauſa ſuſcepiſſent.

Nunc autem quia cæleſtem regem quærebant, & ſi nihil regale videbant in eo, tamē in ſolius ſtellæ teſtimonium conuenti, gaudebant oculi eorū contemptibilem puerū aſpicere: quia ſpiritus in corde eorum terribilem eum monſtrabat. vnde procidentes adorauerūt eum: vident enim hominem, & agnoſcunt Deum. Raba. Diuino autem nutu factum eſt, quòd abierat Ioſeph, ne aliqua malæ ſuſpicionis occaſio daretur gentibus. Glo. Qui licet morem ſuæ gentis in donis offerendis ſequātur (Arabes enim auro, thure, & diuerſis generibus aromatum abundant) tamen aliquid myſterij muneribus demonſtrare volebant, vnde ſequitur: *Aper. theſ. ſua, obtu. ei mu. au. thus & myrrhā.* Greg. Aurum quippe regi congruit, thus verò in Dei ſacrificium ponebatur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Aug. in ſer. de epiph. Aurum igitur ſoluitur quaſi regi magno, thus immolatur vt Deo, myrrha præbetur, quaſi pro ſalute omniū morituro. Chry. Hæc autem & ſi tunc non intelligebant, ſed quale myſterium iſta gerebant, vel quid ſignificaret vnumquodque munus eorum, nihil contrarium eſt. Gratia enim quæ illos hæc omnia facere hortabatur, ipſa ordinauerat vniuerſa. Remi. Et ſciendum, quòd iſti non ſinguli ſingula obtulerunt: ſed ſinguli tria: & ſinguli eum ſuis muneribus regem Deum & hominem prędicauerūt. Chry. in hom. Verecundentur ergo Marcion, & Paulus Samoſatheons, qui nolunt videre, quæ magi viderunt, qui eccleſiæ ſunt progenitores, Deum in carne adorantes: quoniam enim in carne erat, faſciæ monſtrant & præſepe: quoniam autem non vt purum hominem adorant, ſed vt Deum, demonſtrant dona quę Deo offerre decens erat. Confundantur & Iudæi videntes ſe præuentos à Magis, & neque poſt illos venire ſtudent. Gre. Poteſt & in his aliud intelligi. Auro namque ſapientia deſignatur, Salomone teſte, qui ait: Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Thure, quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, ſecundum illud. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Per myrrham verò carnis mortificatio figuratur. Nato ergo regi aurum offerimus, ſi in conſpectu eius ſapientiæ lumine ſplendemus. Thus offerimus, ſi per orationum ſtudia Deo redolere valeamus. Myrrham offerimus, ſi carnis vitia per abſtinentiam mortificamus. Glo. Tres autem viri qui offerunt, ſignificant gentes tribus partibus mundi venientes. Theſauros aperiunt, cùm fidem cordis per confeſſionem oſtendunt. Bene autem in domo docentes: ne theſaurum bonæ conſcientiæ iactando propalemus. Offerunt tria munera, hoc eſt fidem ſanctæ trinitatis: vel apertis theſauris ſcripturarū, hiſtoricum, moralem, & allegoricum ſenſum offerunt, vel logicam, phyſicam, & ethicam, dum illa fidei ſeruire faciunt. *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Aug. in ſer. de epi. Herodes impius factus ex timore crudelis voluit deſæuire. Sed Sed quomodo poterat capere eum, qui ipſas fraudes venerat amputare? Vt ergo eius fraus eluderetur. Sequitur: *Et reſpon. acce.* Hie. Qui enim munera obtulerunt domino, conſequenter reſponſum accipiunt. Reſponſum enim per angelum fieri dicitur, vt meritorum Ioſeph priuilegium demonſtraretur. Glo. Fit autem hæc reſponſio per ipſum dominum: quia nullus alius viam reuerſionis inſtruit, niſi ille qui dicit: Ego ſum via: non tamen loquitur puer ad eos, ne diuinitas ante tempus reueletur, & vt vera humanitas habeatur. Dicit autem: *Et reſpon. ac.* Sicut enim Moyſes tacitus clamat, ſic iſti pio affectu interrogabant quid diuina iuberet voluntas. Dicit autem: *Per aliam viam reuerſi ſunt in regio. ſuam*: quia infidelitati miſcēdi non erant Iudæorum. Chr. in hom. Intuere autem magorum fidem qualiter non ſcandalizati ſunt in ſeipſis dicentes: Si magnus eſt puer hic, quæ neceſſitas fugæ eſt, & occultæ receſſionis? Hoc enim eſt veræ fidei non quærere cauſas eorum, quæ rectè præcipiuntur, ſed ſuaderi ſolùm ab eis. Chry. ſuper Matt. Si autem Magi Chriſtum quaſi terrenum regem quæſiſſent, inuenientes eum apud ipſum manſiſſent: nunc autem adorauerunt, & reuerſi ſunt. Cùm reuerſi fuiſſent, manſerunt colentes Deum magis quàm antè, & prædicantes multos erudierunt. Et denique cùm Thomas iuiſſet ad prouinciam illam adiuncti ſunt ei, & baptizati facti ſunt executores prædicationis ipſius. Gre. Magnum verò nobis aliquid Magi innuunt, quòd in regionem ſuam per aliam viam reuertūtur. Regio quippe noſtra paradiſus eſt, ad quam Ieſu cognito redire per viam, qua venimus prohibentur. A regione etenim noſtra, ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum guſtando diſceſſimus, ſed ad eam neceſſe eſt vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Chry. ſuper Matt. Nec etiam erat poſſibile, vt quia ab Herode ad Chriſtum veniſſent, redirēt ad Herodem: qui enim relicto Chriſto ad diabolum tranſeunt per peccatum, frequenter per pœnitentiam reuertuntur ad Chriſtum. Qui enim fuit in innocētia dum neſcit quid ſit malum, facilè decipitur. Sed cùm expertus fuerit malum quòd inuenit, & recordatus bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum. Qui autem relicto diabolo venit ad Chriſtū, difficilè redit ad diabolum, quia dum gaudet in bonis quæ inuenit, & recordatur mala quæ euaſit, difficilè redit ad malum.

ORIGENIS PRESBYTERI de eodem feſto Homil.

Eſt Homil. 8. in diuerſos inter opera Origenis quæ nō videtur eius eſſe.

HOdie verus ſol ortus eſt mundo. Hodie in tenebris ſeculis lumen exortum eſt. Deus factus eſt homo, vt homo fieret Deus. Formam dominus ſerui accepit: vt ſeruus verteretur in dominum. Hodie cælorum habitator & conditor habitauit in terris, vt homo colonus terræ migraret in cælum. O dies omni ſole lucidior. O tempus à cunctis ſeculis expectatum. Quod præſtolabantur angeli, quod Cherubin, & Seraphin & cælorum myſteria neſciebant: hoc in noſtro tempore reuelatum eſt. Quod illi videbant per ſpeculum, & per imaginem, nos cernimus in veritate. Qui loquebatur in Iſraëlitico populo per Eſaiam, Hieremiam, & cæteros prophetas: nunc nobis per filium loquitur. Videte quid ſit inter vetus teſtamentum & nouum. In illis loquebatur per nubilum, nobis loquitur per ſerenum. Ibi Deus videbatur in rubo, hic de virgine Deus naſcitur. Ibi ignis erat populi peccata conſumens, hic homo eſt populi peccata dimittens, imo dominus ignoſcens ſeruis ſuis. Nemo enim poteſt peccata dimittere,

tere, niſi ſolus Deus. Siue hodie natus eſt dominus Ieſus, ſiue hodie baptizatus, diuerſa quippe opinio fertur in mundo, & pro traditionum varietate ſententia eſt nobis: illud conſtat ad liquidum, quòd ſiue hodie natus ex virgine eſt, ſiue renatus in baptiſmo, & natiuitas carnis & ſpiritus nobis profecit. Vtrunque myſterium meum eſt, vtraque vtilitas mea eſt. Dei filius non habebat neceſſarium vt naſceretur & baptizaretur: neque enim peccatum fecerat quod ei remitteretur in baptiſmo, ſed illius humilitas, noſtra ſublimitas eſt: illius crux, noſtra victoria eſt: illius patibulum, noſter triumphus. Gaudentes leuemus hoc ſignum, in humeris noſtris victoriarum vexilla portemus. Immortale lauacrum portemus in frōtibus noſtris. Cum dæmones viderint, contremiſcent. Qui aurata

Crucis ſigni virtus. capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt ſceptra regalia, & purpuras Cæſarum & dapes: Chriſtiani ſordes & ieiunia pertimeſcunt. Denique in Ezechiele propheta cum omnes qui miſſus fuerat angelus occidiſſet, & interfectio cœpiſſet à ſanctis, illi tantummodo ſoſpites reſeruantur, quos T, tau literæ, id eſt, crucis pictura ſignauerat. Exultemus itaque fratres chariſſimi, & ad crucis ſimilitudinem ſanctas in cælum leuemus manus, vt cum ſi nos dæmones armatos viderint, opprimantur. Quando Moyſes erectas habebat manus, vincebatur Amalech: Si paululūm illæ conciderant, inualeſcebat. Antennæ nauium, velorum cornua, ſub figura noſtræ crucis volitant. Aues quoque ipſæ quando in ſublimiora obuoluuntur & pendent per aëra extenſis alis, imitantur crucem. Sed & trophæa ipſa, & victoriæ triumphorum ornatæ cruces ſunt. Quas non ſolum in frontibus, ſed & in animabus quoque noſtris habere debemus, vt cum ſic fuerimus armati, calcemus ſuper aſpidem & baſiliſcum in Chriſto Ieſu: Cui eſt gloria cum Deo patre & ſpirituſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

S. CYPRIANI EPISCOpi Carthagin. de Stella & Magis Serm.

Eſt inter opera S. Cypriani. NAto in Bethlehem ſaluatore, audita eſt in Effrata eius in terris præſentia, & vſque ad ſyluas, campóſque gentium nouæ huius natiuitatis eſt fama porrecta, in Iudæa à paſtoribus, & angelis primo ſunt hæc gaudia celebrata, nec multo poſt Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Saba præclari ſtella luminis cœleſtis numinis nouis ſplendoribus indicauit. Erant in illis regionibus viri ſiderum inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim, diſcurſúmque nouerant planetarum quiete elemētorum natura rationem temporū metiētes Aſtrorum miniſteria certis experimentis propriis didicerant effectibus aſſignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant ſtellam oriri in Iacob, & Hominem in Iſrael cuius fortitudo quaſi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui ſuperarent Aſſyrios, & vaſtarent Hebræos, quo temporum nec in Iacob idolum, nec in Iſrael ſimulacrum eſſet. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerunt, at vbi venit plenitudo temporis, orto repente nouo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina tam teſtimonio muniti, quàm ſigno, dromadis inuecti in Iudæam ſtella duce perueniunt. Nec potuere Palæſtinæ incolas latere tanti nominis perſonæ. ſed vbi auditum eſt, quod ſtellam indicem nati in Bethlehem paruuli ſequerentur, Herodi noui regis inquiſitio nuntiatur. Euocatis itaque Magis, rei huius ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur. Audit natum in Bethlehem eſſe paruulum, quem profitentes regem & Deum, qui de Saba venerant adorare, & venerari feſtinant: Intimatum eſt ei, quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis, prædixerat: & contulit eum literis ſanctorum vaticinia prophetarum, quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur, de quibus nulla in populo Iudæorum ambiguitas erat, quin rata eſſent, quæ illi vel aſſeruiſſent præterita, vel prædixiſſent futura: à fortitudine eius, qui quaſi vnicornis obuios penetraret, in cuius obſequium vltrices de Italia trieres in Iudæę terminos aduentarent, & vſque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expauit, & timuit. Conturbat quoque aliud, quod in Michæa ſcriptum eſt teſtimonium: Quoniam de Bethlehem, quæ eſt Effrata, egrederetur paruulus, qui dominator eſſet in Iſrael, cuius egreſſus eſſet ab initio à diebus æternitatis. Cúmque ea, quæ domeſtici codices continebant, cum iis, quæ ab alienigenis dicebantur intelligeret conuenire, diuinis tentans reluctari conſiliis ſimulat perfidus religionis aſſenſum, promittens Magis ſeſe ad adorandum paruulum cum omni deuotione illico affuturum, cùm per reuertentes certitudinem de puero accepiſſet. Turbatur cū rege maligno Hieroſolyma, non lætatur, expaueſcit, & rubeſcit, & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur. Nec minus horrendum ſcribarum ſacrilegium, quàm Herodis impietas, quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cum viſitationi diuinæ inuenirentur ingrati, cauſam ſibi cum Herode fecere communem, cum hinc & inde impietas, & infidelitas aduerſus dominum & Chriſtum eius fremerent, & pariter in odio conſentirent. Ecce Alienigenæ à fluminibus Æthiopiæ ad paruulum Chriſtū ſupplices veniunt, & filij diſperſorum deferunt munera, accedunt, qui longe erant, & qui prope, recedunt, in loco humili, & ſupellectile vili rex regum, & dominus dominātium inuenitur, cognoſcitur, & ab aliis adoratur. Quia vero neminem in conſpectu Dei apparere vacuum, antiqua lex docet, præuaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ gentium ſacramentalia munera proferūt de Theſauris, & domino aurum & odoramenta præſentant, profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant, qui crederent, quod ſentirēt. In auro regem, in thure ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem quamuis paſſibilem profitentur, oblatio iſta incarnati verbi & exponit myſteria & breui ſubtilíque iudicio vtriuſque naturæ humanæ, diuinæq; exprimit vnitatem, quid & proprium eſt vnicuique ſingulatim diſtinguens. Nam Deo patri, cuius regnum, & imperium ſuis mundum replet ſplēdoribus, in odorem ſuauitatis ſummus ſacerdos & Pōtifex Chriſtus ſe obtulit, cuius caro paſſionis cremata carbonibus incenſionis ſuę fragrantiam tranſmiſit ad cælos, & vſque hodie odor ille ſuauiſſimus in terreſtri, cæleſtique eccleſia indeficiens perſeuerat. Quod autē paſſibilitas, quam obediens Deo voluntariè ſuſcepit incorruptione firmata ſit, virtus myrrhæ obuians corruptelæ, ſuo probat effectu & viſibilium ratione munerum

immor

immortalitatis ſolidæ cõſtat euidens argumẽtum: Adorato domino, magi hilares alio tramite in ſuã patriam reuertuntur, quia neceſſe eſt, vt, qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſunt ad ſalutem, deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent, quoniam per vias latas, deſcenſúſque præcipites itur ad inferos, per arctas verò, & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & ingulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ, ſed ad patriam ſuperiorem nõ niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus, nec expedit cum his, qui oderunt deum, fœdera iungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia, quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudioſe perſequitur, & antequàm formetur Chriſtus in nobis in ipſo piæ conuerſationis initio vt extinguatur ſpiritus, & ſuffocetur vita iuſtitiæ penitus elaborat. Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum magos aliàs cõperit diuertiſſe, quia moleſtiſſimum eſt principi tenebrarum cũ excogitatis laqueis tentatos quoſlibet nouerit euaſiſſe, & acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic ſanctorum perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere, quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat: & quod ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce paruuli iſti, quos hoſtis naturæ, pietatis inimicus, beſtialis ſæuitiæ, inauditæ crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubitò fiunt martyres, & dum vice Chriſti, & pro Chriſto auulſi à matrum vberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione, & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Illico ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, iam non tenelli corporis, ætatíſque nouitiæ tempore tenetur: ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis, & intellectus plenitudinem in occurſum Chriſti feſtinat: à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendiũ, ad lucis, & pacis æternæ præmittitur gaudia, & Epiphaniæ ſolennia in cœleſtibus celebrat, nec in ſtellæ alicuius lumine, ſed in ipſa claritate diuinæ præſentiæ gloriatur. Acta eſt natiuitatis ſolennitas ſurſum iubilantibus angelis; deorſum ex ore infantium & lactentium laus eſt perfecta reſonantibus vſque ad cælos victoriæ tubis, & verſus eſt paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, ſequẽte non ſtellam ſed agnum exercitu innocentium, & baiulante glorioſiſſimi triumphi ſolenne vexillum. Nec potuit mundus inficere nuper agonẽ ingreſſum infantilem exercitum, & pedes, qui nondum lutum calcauerant, vrgens, citatúſque tranſitus non eſt paſſus vllis ſordibus inquinari; ſed in ipſo vitæ initio tota illa innocua phalanx ſine vllo integritatis detrimento ad ſolidioris vitæ tranſlata eſt gloriam. Et quæ expectari poterat annorum elapſu rationis diſcretio, repentè nullis iam ætate illa temporibus ſubiecta omnis conſummationis repetit finem, & caſuum accidentium mutabilitates euaſit. Euigilauerunt ſenſus, quos ſopor infantiæ opprimebat, diſploſiſq; palpebris intuiti lucem in momento aſſecuti ſunt, quæ pacificis, & mundo corde debetur, beatitudinem: & aſcẽdentes per omnium virtutum gradus ſine doctrinæ humanæ exercitio cumulatam inuenere menſuram, ita vt in ordine ſanctorũ protomartyres primum habeant locum, & ſecretorum conſcij diuinorum propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus, quos vſq; hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorum ſanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cælum trãſlati, facti ſunt ſuperni Capitolij ſenatores, & iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis: aſſiſtúntque miſerationibus, & vltionibus diuinis, ſed ſæpius agni, quem quocunque ierit, proſequuntur, manſuetudine, quàm ira, vel furore vtuntur. Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptiſmi martyrio cõſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum animæ ſanguinem efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolennibus aquas, maximè cum nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus verò ſanctus & aquis, & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet, & abluit, quò baptizãte idem occiſio quod merſio operatur, quæ extinctam peccati vitam virtutémque emortuam vtriuſque rei continet ſacramentum. Ipſe enim eſt qui vel hoc, vel alio modo quicunque eſt ille modus, baptizat, & ad idem refertur, quod pura fide agitur per Chriſtum dominum noſtrum.

Sancti orant Deum pro nobis.

Aqua baptiſ. verbis ſolennibus ſanctificatur.

DE BAPTISMO CHRISTI, *& manifeſtatione trinitatis ſermo.*

NOn ſatis eſt quòd angeli locuti ſunt paſtoribus, quòd apparuit ſtella regibus, quòd natiuitati, & perſonæ, & loco conſona prophetarum oracula, perfidæ gentis indicio Chriſto perhibentia teſtimonium, in vnam conuenere ſententiam: ſublimius, & perfectius teſtimonium profertur diuinitus, & ipſe pater inuiſibilis auditur, & aures humanas omnipotentis Dei præclara vox penetrat, & inaudita à ſeculo fidei ſpecies declaratur. Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur authoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commendaret, quoniam remiſſio peccatorũ ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè ſpiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum: rem verò ipſam ſpiritus ſanctus format, & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis author apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat, & perficit. Si in Petri, vel Pauli nomine baptiſmi gratia donaretur, poſſet alius alio videri ſublimior: & ſecundum miniſtrorum merita hæc ſingularis gratia æſtimari, vt melior eſſet baptiſmus eius, qui ſanctior videretur; & indignior eſſet, qui ab eo acciperetur, quem non amplior æſtimatio commendaret. Hæc

& in

& in alia ſacramenta transferretur iniuria, vt non in eis vnitas, ſed diuerſitas haberetur, ſi cenſerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent vtilitatis, & ponderis, quæ fierent ab indignis. Sic euchariſtia vna alia melior, & baptiſmus pro miniſterio vel melior, vel deterior crederetur. Abſit hoc à fide catholica, abſit à religione Chriſtiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides, vnus dominus, vnum baptiſma: quod ſi ab indigno fortè fuerit conſecratum, nõ audet iuſtus iterare, vel corrigere, quod ſemel eſt factum: quia per quencunq; fiat, idem eſt. nec hoc priuilegium meritis eſt datum ſed gratiæ, & propriè ſibi omnipotentia Dei retinet hunc effectũ. Neq; enim Paulus pro nobis crucifixus eſt, aut nos gloriamur in Paulo, ſed in cruce domini gloriamur, cuius virtute omnia peragit ſacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctũ, neq; aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum, & longè, lateque plenitudo diffunditur gratiarum. Quòd ne vlla præſumptio ſibi doni huius in poſterum gloriam vendicaret, in hoc ſicut & in alijs, domini noſtri eccleſiæ ſuæ prouidit benignitas, vt ipſe baptizaretur à ſeruo, ne conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur, quoniam ſiue Iudas ſiue Paulus baptizaret, Chriſtus peccatum lauat, abſoluit, & dulet. Sic Rachel & Lia, Balam & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex vteris ancillarum. Scribæ, & phariſæi in cathedra Moyſi ſedentes, dum agunt, quæ ad cathedram pertinent, per omnis plenitudine poteſtatis vtuntur, & officium non vita tantis effectibus honoratur. Obeuiunt dæmones exorciſtis, Chriſtum, inquiunt, ſcimus, & Paulum nouimus, & in nomine Chriſti, quem Paulus prædicat, adiurati egredimur, vos autem pēitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarij peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur, ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem: & fiunt in talibus cauſis miniſtri mercenarij ſicut naues oneratiæ, quæ per pelagus euehunt inſtitores, quarum rectores potius eorum, quos ducunt, pecunijs inhiant, quàm ſaluti. Et tamen mare ſeculi huius neceſſarios habet huiuſmodi tranſuectores: alioqui ceſſabunt commercia, nec ex tranſmarinorum copia aliorum inopia habebit ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicula tollantur de medio, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur. Supponit itaque ceruicem ſanctam manibus hominis humilitas redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamē, Chriſtus baptiſma Ioannis. Præparabat viam Domino Ioannes lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum ſecuturum baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, vt coſummatio ſequeretur. Horret tamen Ioannes, & accliue ſibi eſſe ſacrum Chriſti caput non patitur, quia maiorem à minore benedici antiquis regulis refragatur, & criminalis ei viſa eſt vſurpatio poteſtatis. De plenitudine Chriſti omnes accepiſſe, & ſeipſum, cum cæteris prædicarat Baptiſta, idéoque Deo & hominem manus imponere iudicabat temerarium: lauare eum, in quo nõ erat peccatum, æſtimabat ſuperfluum. Sed ad ſoluendam calciamenti huius corrigiam confeſſus indignum, formidabat exhibere prælatum, ſi ipſe in magiſtro ſinu cauſa tentaret hoc agere, quod ab ipſo ſuſcipere neceſſarium dignoſcebat. Idcóque tremebundus humili ſatisfactione poſtulanti miniſterium, negat aſſenſum, non quòd obediētiam detrahat imperanti, ſed quòd iudicio ſuo ſeruo ſubdi, non competat maieſtati: Tu, inquit, venis ad me, & à te debeo baptizari. Cui Dominus: Sine modo. Sic enim decet nos omnem complere iuſtitiam. Ioannis humilitas non arguitur, nec vituperabile viſum eſt Chriſto ſimplicitatis diffugiũ, quod reuerentia, non importunitas ſuggerebat. In hoc igitur omnem impleri iuſtitiam aſſeuerat, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe inuicem præueniant, qui maiorem, & qui minorem obtinent locum, & qui maior eſt, fiat minor, & præceſſor ſicut miniſtrator: ſi vnitate ſacramentorum omnes ſimul conueniant, ſi pacis eccleſiaſticæ fœdera non dirumpāt. Baptizatur Chriſtus, nec vltà Iordanis retrorſum conuertitur, aruerūt vnctiones Iudaicæ, ceremoniæ putruerunt, perpetuo lapſu baptiſmi gratia emanat ad poſteros, nec vlla vetuſtate ſiccatur. Adeſſe ſe tantis myſterijs, & præſentiam ſuam dignoſci dignata eſt ſempiterna diuinitas, cæliſque apertis in ſpecie columbæ ſpiritus ſanctus ibi ſeipſum oſtendens, & intelligi voluit & videri, & quietiſſimo elapſu aduenens ſuper Chriſtum quieuit & manſit. Acceperat quippe familiare ſuper hoc ab eodem ſpiritu Ioannes reſponſum, quia ſuper quem ſpiritum ſanctum ſub hac ſpecie videret, ipſe eſſet, apud quem baptiſmi maneret autoritas, qui mūdi peccata tolleret, qui ſolus à nullo ſanctificatus, & cuncta ſanctificans non tam intereſſet ſanctificationibus & ſacramentis omnibus, quàm patraret. Sed & vox patris audita eſt cœlitus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui, ipſum audite. Hucuſque, Domine ſancte pater, non audiuimus te loquentem, qui multifariè olim patribus locutus es in prophetis, & per angelos ſanctos, quibus ad diuerſa ſæpe myſteria à te legatio eſt iniuncta. Teipſum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt perſonaliter tibi aſſignetur locutio, quam proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam, nemo, eſt qui ambigat, non eſt qui ſibi hoc verbum audeat arrogare, non eſt in cæleſtibus agminibus qui Dominum Ieſum, ſuum audeat filium nominare. Certè ſibi ſoli nota trinitas, & ſolus pater ſcit filium, patrémque nouit filius, nec à quoquam niſi eo reuelante eſt cognitus. In hac diuini magiſterij ſchola pater eſt qui docet, & inſtruit, filius qui arcana Dei nobis reuelat, & aperit, ſpiritus ſanctus, qui nos replet, & imbuit. A patre potentiam, à filio ſapientiam, à ſpiritu ſancto accipimus innocentiam. Pater eligit, filius diligit, ſpiritus ſanctus coniungit, & vnit. A patre nobis datur æternitas, à filio imaginis eius conformitas, à ſpiritu ſancto integritas, & libertas. In patre ſumus, in filio viuimus, in ſpiritu ſancto mouemur, & proficimus. Conuenerunt ſimul ſempiterna diuinitas & temporalis humanitas, & eo tenore vtriuſque naturæ facta eſt vnitas, vt impoſſibile ſit quod iunctum eſt, ab inuicem ſeparari, ſed verbum & caro ſic ſunt vna eſſentia, vt perfectam & integram ſyncera coniunctio faciat vnitatem. Nec iniuria eſt, ſed gratia Dei ſi quod minus videtur, digniori iungatur: cum inferior

Matth. 3.

Matth. 17. Mar. 9.

natura contumeliam, probrúmque peccati non contrahat, nec eſt minoratio maieſtatis, prouectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſatoria dehoneſtat: hoc teſtimonium auditum eſt, quia filius Dei eſt, quem Ioannes tenet in manibus, verus homo, verus Deus, vnicus patris, in ſua natura inuiſibilis, in noſtra viſibilis, vt fide, & experimento fulciatur doctrina, dum & viſu, & intellectu incarnati verbi notitiā aſſequatur. Dilectus à patre immerito nos dilexit, vltro viſitationis ſuæ nobis beneficium largitus eſt, vltro ſanauit, vltro curauit, vltro libertate donauit. Etiam ingratos proſequitur hic amor, & reuocat: neque tunc odit, cum corripit, & flagellat: vſque ad mortem Chriſtum duxit dilectio, & reſurgens à mortuis claros habet, quibus tantæ charitatis affectum oſtendit. Duo grata vocabula filius, & dilectus ipſo Deo dictante noſtris ſenſibus imprimuntur, vt communio nominum nos aſſociet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum, accendantque deuotionis affectum: per omnia ſibi patet in filio complacuit, nec vlla in eo ſerpentis ſunt reperta veſtigia, nec ſacerdotij eius pœnituit Deum, quoniam ſacrificium, quod in cruce obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetua virtute conſiſtit, vt non minus hodie in conſpectu patris oblatio illa ſit efficax, quàm ea die, qua de ſaucio latere ſanguis & aqua exiuit, & ſemper reſeruatæ in corpore plagæ ſalutis humanæ exigât pretium, & obedientiæ donatiuum requirant.

EIVSDEM DE BAPTISmo Chriſti Sermo. 2.

HVic dilecto filio tuo tu, domine, nos præcipis obedire. Loquere igitur, domine, quia audit ſeruus tuus. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, doctrinam tuam amplector: ſuaue eſt mihi eloquium tuum, viuus & efficax ſermo tuus ancipiti gladio penetrabilior vſque ad diuiſionem ſpiritus, & animę meæ attingens carnales, & ſpirituales intra me ſeparat, & ſequeſtrat affectus, & à vilibus precioſa diſtinguens quaſi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo, quod tu inhabitas, omnem inordinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum, ſed a ſanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit. Audio te cum iraſceris, audio, cum miſereris, ſiue parcis, ſiue flagellas, iuſtum & bonum te prædico, in ira ſupplico, in clementia gratias ago, nec ſanctis ſermonibus contradico. Loquere, magiſter bone, libenter te audio, & cum aduerſaris mihi, etiam in plagis, & doloribus intelligo diſciplinam: nec latet me, te ducente, ad ſiccādas corruptionum mearum putredines prodeſſe cauterium, & mundare cicatrices veteres ſal diſciplinæ tuæ, Euangelio tuo medente infuſum. Præcipis vt infundam corrupto pulmoni hyſſopum, & ſpiritus tui ſuauitate epota, totius malignitatis inflatio detumeſcat. A te, Deus bone, humilitatem diſcentes, quaſi manſueta animalia quieto greſſu te baiulamus ſeſſorem, nequaquam ſub hoc onere laſſitudinem, ſed quietem inuenturi: quia iugum tuum non eſt graue, ſed leue, & lex tua, & teſtimonia iuſtitiæ, & præcepta, timor, & iudicia delectabilium in ſe rerum continent ſacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit tranſgreſſores: & vt lotis, mūdiſque pedibus in via immaculata incedant, omnia præmonſtrat, offendicula, & inſinuat diuerticula quibus periculoſi tranſitus euitentur, nihil impoſſibile, nihil iubet auſterum. In quibuſdam per legem tuam promiſſa præmia nos inuitant: in multis pœnæ propoſitæ & ſupplicia vel damna territos animos a ſcelerum retrahunt appetitu: neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſſonat, ſed reprobatio mali, & electio boni animæ rationali infixa ſunt diuinitus, vt de hoc nemo rectè cauſetur, quia nulli ad harum rerum proſecutionem deeſt ſcientia ſiue potentia: quia & quod agendum eſt, ſcimus: & quod ſcimus, facere poſſumus. Quòd ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua ſic abdita, vt non poſſet intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo, licet inuitus nemo peccet, poſſet tamen ex multis excuſare delictum, niſi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum diſtinctio auctoritate cognoſcibili prouidiſſent: & ſimul ſe cōplecterentur poſſibilitas, & facilitas, & ſcientia, & poteſtas. Præcipis mihi, domine Deus, vt diligam te hic, poſſum, & debeo: & totum me interius, & exterius tibi eſſe iubes obnoxiū: & de proximo iubes, vt ad meam eum menſuram complectar. Gratias ago tibi, clementiſſime Deus, quia quod quæris à me, prius ipſe donaſti, & quomodo tu me dilexeris, ſi linguis hominum, & angelorum loquar, nec dignè poſſum eloqui, nec vniuerſa complecti, quæ mihi gratię tuæ contulit amplitudo. Iuſtum eſt, domine, vt diligamus te, quia & ipſe nos diligis, & iniquum omnino eſt, vt te in aliquo dilecti tui offendant. Verè hoc mandatum legem complectitur, & prophetas, & in hoc verbo omnium ſcripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc domine, verbi tui clamat authoritas: hoc ex ore tuo audiuimus, hic inuenit conſummationem omnis religio: primum eſt hoc mandatum, & vltimum, hoc in libro vitæ conſcriptum, indeficientē & hominibus, & angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, & inueniet ex hac ſcriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe, & hinc naſci, & huc reuerti quicquid eccleſiaſtica continet diſciplina, & in omnibus irritum eſſe, & friuolum, quicquid dilectio nō confirmat. Non pertinet, domine, ad te, nec de tuis eſt, qui te non diligit: nec diligit te, qui ſcienter offendit. Dilectionis tuæ detrahit, qui terminos à te poſitos tranſit, & euangelij tui decreta tranſgreditur, & contemnit. Non amat te, qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo ſimul deſeruit. Non pertinent ad te ſpeciem pietatis habentes, & negātes virtutem, nec militant tibi negotiorum huius ſeculi traiectores: non audiunt te, ſed ſicut aſpis aures ſuas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato ſeruiunt, voluptatum carnalium amatores. Lex tua Deus apoſtolorum & martyrum teſtimonio confirmata, paruulis tuis pauperibus ſpiritu quibus tibi regnum tuum dare complacuit, ſapientiam præſtitit, & lętificauerunt animas eorum iuſtitiæ tuæ, in quibus per eandem legem edocti vixerunt: & hoc dilectionis præceptum ita fidelium mentes illuminauit, vt in pace, & ſanctimonia viuentes pacificis, & mundis cordibus te viderent, & ſimul amor ſanctus, & timor

Intellige nos poſſe ſeruare omnia diuina mandata, Dei ope munitos.

caſtus

caſtus perſeuerantibus tibi ſtudijs obedirent, vſque adeò tibi aſcenſionibus huiuſmodi propinquantes, vt fierent iudiciorum tuorum conſcij, & per ipſos tua & nunc, & poſtmodum iudicia exerceres. Præcepiſti, domine, vt audiamus dilectum filium tuum: gratias tibi agimus, quia nos eius magiſterio commmendaſti. Nos verò ex præcepto tuo eius doctrinę nos tradimus informandos, & inhærentes ei libenter, eum duce ſpiritu ſancto omni tempore audiemus.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauorum ſuperioris Euangelij expoſitio.*

STellæ antè ortus primum à Magis intellectus, indicat mox gentes in Chriſto credituras: & homines profeſſionis longe à ſcientia diuinæ cognitionis auerſæ, lumen, quod ſtatim in ortu eius extitit, cognituros. Denique oblatio munerum, intelligentiam in eo totius qualitatis expreſſit: in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, ſacramenti omnis eſt conſummata cognitio: in homine mortis; in Deo reſurrectionis, in rege Iudicij. Quod vero repetere iter, atque ad Herodem in Iudæam redire prohibentur: nihil à Iudæis petere ſcientiæ cognitionis quæ permittimur, ſed in Chriſto ſalutem omnem, & ſpem locantes, admonemur prioris vitæ itinere abſtinere.

S. AMBROSII EPISCOPI *Mediolanen. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

Ex lib. 2. in Lucam.

C*Vm natus eſſet Ieſus, &c.* Docuit nos ſanctus Matthæus non mediocre myſterium, quod ſanctus Lucas, quia plene iam erat expoſitum, ſilendum putauit. Satis ſe ditem fore credens, ſi præſepe domini ex omnibus vendicaſſet. Iſtū igitur paruulum, quem tu quaſi vilem qui infidelis es, arbitraris; Magi ex oriēte venientes, tam longo ſpacio ſequebantur, & procidentes adorant, & regem appellant, & reſurrecturum fatentur, offerentes de theſauris ſuis aurum, thus, & myrrham. Quæ ſunt iſta vera fidei munera? Aurum regi; thus Deo, myrrha defuncto. Aliud enim regis inſigne, aliud diuinæ ſacramentum eſt poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quod non corrumpat corpus mortuum, ſed reſeruet. Nos quoque qui hæc audimus, & legimus de theſauris noſtris talia fratres munera proferamus. Habemus enim theſaurum in vaſis fictilibus. Si igitur in teipſo non ex te debes æſtimare, quod es, ſed ex Chriſto, quāto magis in Chriſto non tua debes æſtimare, ſed Chriſti? Ergo Magi de theſauris ſuis offerunt munera. Vultis ſcire, quod bonum meritum habeāt? Stella ab his videtur, & vbi Herodes eſt, non videtur. Vbi Chriſtus eſt, rurſus videtur, & viam monſtrat. Ergo ſtella hæc iam eſt, & via Chriſtus, quia ſecundum incarnationis myſterium Chriſtus eſt ſtella: Orietur enim ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Denique vbi Chriſtus, & ſtella eſt. Ipſe enim eſt ſtella ſplendida & matutina. Sua igitur ipſe luce ſe ſignat. Accipe illud documentum. Alia venerunt via Magi, alia redeunt.

2. Cor. 4.

Num. 24.

Qui enim Chriſtum viderant, Chriſtum intellexerant, meliores vtique, quando venerant reuertuntur, duæ quippe ſunt viæ, via, quæ ducit ad interitum alia quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum eſt, quæ ducit ad Herodem; hæc via Chriſtus eſt, qua reditur ad patriam. Hic enim temporalis eſt incolatus, ſicut ſcriptum eſt; Multum incola facta eſt anima mea. Caueamus igitur Herodem mundanæ ad tempus præſulem poteſtatis, vt patriæ cæleſtis æternum cōſequamur habitaculum. Non electis tātum præmia iſta propoſita ſunt, ſed etiam omnibus: quoniam omnia & in omnibus eſt Chriſtus. Vides enim, quia non otioſè vel de Chaldæis, qui peritiores in numeris habentur, Abraham Deo credidit, vel Magi, qui licet magicis artibus conciliandæ ſibi ſtudium diuinitatis impendunt, ortum in terris domini crediderunt. Non, inquam, otioſè, ſed vt ex aduerſarijs gentibus ſanctæ religionis teſtimonium ſumeretur, & diuini timoris exemplum. Sed tamen qui ſunt iſti Magi, niſi, vt hiſtoria quædam docet, à Balaam genus ducūt, à quo prophetatum eſt; Orietur ſtella ex Iacob? Iſti ergo ſunt non minus fidei quam ſucceſſionis hæredes. Ille ſtellā vidit in ſpiritu, iſti viderunt oculis & crediderunt. Viderant ſtellam, quæ non erat viſa à creatura mundi. Viderant nouam creaturam, & non ſolum in terra, ſed etiam in cælo. Gratiam noui hominis requirebant, ſecundum quod Moyſes propheticè poſuit, quia orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Et cognouerunt, hanc eſſe ſtellam, quæ hominem deumque ſignabat, & adorauerunt paruulum. Vtique non adoraſſent, ſi paruulum tantummodo credidiſſent. Magus ergo intelligit ſuas ceſſare artes, tu non intelligis tua dona veniſſe? Ille fatetur alienum, tu non cognoſcis promiſſum? Ille contra ſe credit, tu pro te non putas eſſe credendum? Natum ergo Magi munerant regem. Perturbatus Herodes cogregat ſcribas, & principes ſacerdotum, & interrogat, vbi Chriſtus oriatur. Magi tantummodo Regem nunciant, Herodes autem Chriſtum requirit: Ipſum igitur Regem requirit, de quo interrogatus confitetur. Deinde, cum, vbi naſci haberet, inquiritur, vtique prenunciatus oſtenditur. Neque enim quæri poterat, qui non erat nunciatus. O amentes Iudæi veniſſe non creditis, quem veniſſe videtis, veniſſe non creditis, quem dicitis eſſe venturum: *Nunciate, inquit, mihi, vt veniam, & adorem puerum.* Inſidiatur quidem Herodes, ſed Deum non negat, quem memorat adorandum. Deinde infantes occidi iubet. Cui alij niſi Deo talis victima debebatur? Expers licet ſenſus infantia, Deū tamen, pro quo interimuntur, confitetur. Hæc de Matthæo pauca libauimus, vt clareret infantiæ tempora à diuinitatis operibus minime vacauiſſe.

Pſal. 119.

Num. 24.

EIVSDEM DE EODEM *feſto Sermo 1.*

Ex Ser. 1.

EVangelica ſcriptura refert, ſicut lectum nuper audiuimus, dominum ad Iordanem baptiſmi cauſa veniſſe: & in eodem flumine myſterijs ſe cæleſtibus conſecrari voluiſſe. Quod mirari non debemus: cur hoc baptiſmatis prius dominus, & magiſter fecerit. Quia ipſe ait; Qui fecerit ſic, & docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.

Facere igitur prius voluit, quod faciendum omnibus imperabat: vt bonus magiſter doctrinam ſuam non tam verbis inſinuaret, quàm actibus exerceret, & ad fidem nos geſtu pariter confirmaret, & ſenſu. Hoc autem totum hodierna die geſtum eſſe, manifeſtum eſt. Quod ita verum eſſe, ipſa poſſumus colligere ratione. Ratio enim exigit: vt poſt diem natalis domini licet interpoſitis annis, eodem autem tempore hæc feſtiuitas ſequeretur: quam & ipſam feſtiuitatem natalem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus eſt ſacramentis; tunc per virginem editus, hodie per myſterium generatus. Ita enim diſpoſuit dominus non longe inter ſe hominum vota diſtare: vt in vno tempore, quem genitum gratulabantur in terra, ſanctificatum lætarentur in cælis. Vt qui partum virginis angelis annunciantibus, poſſidebant; Dei filium cælis teſtantibus, retinerent: certique eſſent homines, quia ipſe eſſet filius Dei, quẽ virgo pepererat, diuinitas agnoſcebat. Noui enim partus noua merentur obſequia. Ibi eum ſecundum hominem naſcitur, mater eum Maria ſinu circunfouet. Hic eum ſecundum myſterium gignitur, pater eum Deus voce complectitur. *Matth. 3* Ait enim; Hic eſt enim filius meus, in quo bene complacui: ipſum audite. Mater ergo partui molli blanditur gremio: pater filio pio teſtimonio famulatur. Mater, inquam, eum adorandum Magis ingerit, pater colendum gentibus manifeſtat. Sinu igitur retinetur à matre, cum naſcitur, ſed pater ei ſinus ſui fotum iugiter ſubminiſtrat. Legimus enim eum ſine intermiſſione in patris gremio quieſcentem, *Ioh. 1.* dicente euangeliſta; Deum nemo vidit vnquam niſi vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Libenter ergo in ſinu ſanctorum quieſcit dominus: vnde & Ioannes Euangeliſtę ſinum, vt in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo, in quo Christus requieſcit: nõ corporis gremio præparatur: non veſtimentorum ambitione componitur: ſed cæleſtium virtutum operatione colligitur. Nam Chriſti ſinus erat in Ioanne Euangeliſta fides: in Deo patre diuinitas: in Maria matre virginitas. Ibi ſinus Chriſti eſt: vbi habitaculum eſt virtutum. Ibi reclinat caput ſuum: vbi domicilium *Matth. 8.* cæleſtium inuenit præceptorum. Nam ideo peccatoribus & infidelibus dicit; Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Igitur dominus Ieſus hodie venit ad baptiſmum: & corpus ſuum ſanctum voluit aqua dilui. Dicat fortaſſe aliquis; Qui ſanctus eſt, quare voluit baptizari? Audi ergo. Ideo baptizatur Chriſtus: non vt ſanctificetur ab aquis, ſed vt ipſe aquas ſanctificet: & purificatione ſui purificet fluenta illa, quæ tangit. Conſecratio enim Chriſti conſecratio maior eſt elementi. Cum enim ſaluator abluitur, iam tunc in noſtrum baptiſmum tota aqua mundatur: & purificatur fons vt ſecuturis poſtmodum populis lauacri gratia miniſtretur. Præcedit ergo Chriſtus per baptiſmum, vt Chriſtiani poſt eum confidenter populi ſubſequantur. Intelligo ergo myſterium. Ita enim & columna ignis præceſſit per mare rubrum: vt intrepidum iter Iſrael filij ſequerentur: & ipſa prius per aquas greſſa eſt, vt venientibus poſt ſe viandi ſemitam præpararet. Quod factum, ſicut apoſtolus dicit, myſterium baptiſmi fuit. Baptiſmum plane quodammodo fuit, vbi homines nubes operiebat, vnda potabat. Sed hæc omnia operatus eſt Chriſtus dominus idem, qui & modo: qui ſicut tunc per mare filios Iſrael in ignis columna præceſſit, ita nunc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columna præcedit. Ipſa inquam eſt columna, quæ tunc ſequentium oculis præſtitit: modo lucem credentium cordibus ſubminiſtrat. Tunc in fluentis vndarum ſolidauit ſemitam: modo in lauacro fidei veſtigia corroborat; per quam fidem ſicut filij Iſrael qui intrepidus ambulauerit, perſecutorem Ægyptium non timebit.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

Exultandum eſt nobis, fratres chariſſimi, quòd votis noſtris vota ſuccedunt, quòd gaudiis gaudia cumulantur. *Eſt Ser. 19.* Ecce enim adhuc natalis dominici ſolennitate corda noſtra perſultant: & iam feſtiuitate ſanctæ epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere debemus domino: qui nos frequenter viſitat, vt ſæpe lætificet: & iam copioſius requirit, vt numeroſius benedicat. Quãuis igitur gentilis licet vane numerus ad ſolennitatem lætetur propter diuerſitatem dominorum ſuorum: tamen plures nobis feſtiuitates præſtat vnius dei viſitatio quamlibis multorum dæmoniorum ſuperſtitioſa præſumptio. Nam ſicut eos veritate religionis vincimus: ita votorum numero ſuperamus. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat aliquis, quid interpretetur hoc verbum, ſcilicet quia epiphane Græce, Latine dicitur apparere: Ergo quia tunc primum apparuit ſaluator in mundo: ipſa dies eodem vocabulo epiphania nuncupata eſt. Quomodo autem apparuerit requiramus: non quòd in mundo ante non fuerit, cum mundus per ipſum factus ſit: ſed quòd tunc primum ſignis atque miraculis credentium cordibus Deus Chriſtus illuxerit: & in tenebroſas conſcientias hominum fidei ſplendor aduenerit. Cum igitur Deus vbiq; ſit, & vniuerſa poſſideat: tanquam non viſus antea apparuiſſe dicitur. Apparuit autem non tam oculis hominum quàm ſaluti. Nam & ſi prius natus ex virgine oculis carnalibus videbatur: tamen nõ apparebat, quoniam virtutem eius adhuc fidei acies ignorabat. Vnde *Eſa. 6.* Iudæis per prophetam dicitur; Videntes videbitis, & non videbitis: Hoc eſt ſaluatorem, quẽ cernerent oculis corporalibus, ſpirituali lumine non viderent. Poſtea enim quàm diuinitatem ſuam mirabilibus declarauit, humanis mentibus tanquam nouus, & inopinatus apparẽs oculos quoſdam cordis infudit: vt cognoſceret ſenſus, quem non cognouit aſpectus. Vnde fit, vt nos Chriſtum dominum per fidem, quem nunquam vidimus, contemplemur: Iudæi quem perſpexerunt oculis, palpauerunt manibus, hodiéque non videant. Requiramus igitur quod ſignum operatus ſit, vt diuinitatem ſuam populis declararet. Dicitur hoc primum feciſſe miraculum, vt aquam mutaret in vinum. Magnum plane ſignum, & ad Dei credendum ſufficiens maieſtatẽ. Quis enim non miretur in aliud quam erant elementa eſſe trãſlata? Nemo enim poteſt mutare naturam niſi qui dominus eſt naturæ. Credendum eſt iam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem poſſe cõuerti: quando vilis ſubſtantia in precioſam eſt conuerſa ſubſtantiam.

tiam. Nolo enim auditor nomina tantùm perſpicias vini, & aquæ: ſed ſi vis potentiam comprobare, virtutem rerum aſpice. Facto enim hoc altius neſcio quid demonſtratur. Nam, cum dominus aquam vertit in vinum, non tam hoc operatur, ne diſcumbentibus deſit ebrietas: ſed vt credentibus ſit æternitas. Siquidem propterea in mundum venerit Chriſtus, non vt conuiuarum cellaria procuraret: ſed vt ſaluti hominum prouideret, nec vt hydrias ſubſtantia boni odoris impleret: ſed vt animas gratia ſancti Spiritus irrigaret. Ergo cum ex illa vili aqua vini optimi ſaporem voluit guſtare conuiuas, magis voluit ex hac vili carne reſurrectionis cæleſtis ſapientiam guſtare credentes. Nam hoc ſignum totum vtiq; reſurrectionis myſterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida, in vinum verſa ſcilicet precioſum rubeum, vel ignitum, hoc ſignificat, hominis ſubſtantiam cõditione vilẽ, imbecillitate pallentem, morte frigidam, in reſurrectione in gloriam commutandam, quæ eſt æternitate precioſa, gratia colorata, ſpiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum eſt credere dominum operari voluiſſe, vt per hoc terrenum ſignum futurum iam tunc à ſapientibus cæleſte myſterium videretur. Nam, ſi mirabile eſt vtique, quę defecerant conuiuis vina ſuppleſſe, quanto eſt mirabilibus vitam, quæ aſt exhauſta, hominibus reparaſſe? Et, ſi glorioſum eſt aquam in vinum mutare, quanto eſt glorioſius peccata in iuſtitiam commutare, & mores potius temperare quam pocula? Audeo dicere illas hydrias non ſolum illi conuiuio, ſed vniuerſo mundo precioſam illam miniſtrare ſubſtantiam, niſi quod nobis melius adminiſtrant. Conſtat enim ex ipſis vaſculis illos hauſiſſe ebrietatem, nos haurire iuſticiam. Illos præcepiſſe vini poculum, nos calicem ſalutis accipere, & ſi dici fas eſt, apud illos pertranſiſſe, quod biberant, apud nos verò permanere, quod ſumpſimus.

EIVSDEM DE EODEM
Serm. 5.

Eiuſ Ser. 20. MEminit ſanctitas veſtra, fratres, ſuperioris prędicationis noſtræ: qua deſcripſimus beatos Apoſtos, vno viſo miraculo, hoc eſt, aqua in
Ioh. 2. vinum à ſaluatore conuerſa, in eum protinus incrediſſe. Ita enim ait in Euangeliſta de domino, Et manifeſtauit gloriã ſuam, & crediderũt in eum diſcipuli eius. Quod factum non ideo tantùm ſcriptum eſt, vt illorum, ſub quibus factum eſt, fidei gloria mõſtraretur: ſed & propter nos, qui eodem deuotionis exemplo credulitatis gloria prouocamur. Chriſtus enim quod operatus eſt, non illis tantum operatus eſt, quos habebat tunc præſentes: ſed & nobis poſtea ſecuturis: vt licet maiores noſtri tempore nos præcederent, tamen ſignorum gratia non præirent. Quæ enim illis exhibita eſt præſentia rerum in mirabilibus virtus, eadam virtus nobis litterarum theſauro conſeruata: vt nobis præſtaret pagina, quod illis gerebat hiſtoria: immo nobis geritur, quicquid nobis ingeritur, quicquid nobis inſinuatur: vt ſcripturarum ſpeculo dictaretur, & potentiam domini, quam illi carnalibus oculis cernerent, nos ſpiritual lumine vi-
Ioh. 2. deremus. Et crediderunt in eum: & manifeſtauit gloriam ſuam diſcipulis ſuis. Quia bene potẽtiam domini ſubſequitur deuotio ſeruulorum: & quod magiſter docet opere, diſcipuli in corde deſcribũt. Ecce cui manifeſtatur virtus operãtis, & fides prędicatur manifeſta credentium. Prædicanda plane apoſtolorum fides, quæ viſo vno ſigno, credidit in omnipotentiam ſaluatoris: & apoſtoli dum mirantur aquam in vinum verſam, ipſi ex omni fæce peccatorum ſimiliter ſunt conuerſi: & inſtar facti miraculi ex vili ſuperſtitione gentilium in precioſam deuotionem credentium ſunt tranſlati. Et vt aqua in vinum verſa ſapore, rubore, calore conditur: ita ſcientiæ quod erat in his inſulſum, accepit ſaporem; quod pallens, gratiæ ſumpſit colorem; quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur apoſtolorum fides: quæ ideo euangelico ſermone deſcripta eſt: vt & illis eſſet ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod peius eſt his, illis laus ſua permanet, nos exempla non permouent. Nam quanto poſteriores ſumus tempore, tanto & inferiores merito. Illi enim, viſo vno ſigno, ſtatim domino crediderunt; nos, acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus, dubitamus. Dubitamus inquam, quia præſentia diligimus, dum futura non credimus; diuitias amamus in ſæculo, dum eas accipere cunctamur à Chriſto. Iracũdia immoderate extollimur, dum retributionis iudicium non timemus. Cæterum qui nouit ſcriptum eſſe; Quo iudicio iudicaueri- Math. 7.
tis, eodem iudicabitur de vobis: abſque dubio lenis, moderatus, & mitis eſt, & plus bonitate cogit quàm ſeueritate compellit; amicus indulgentiæ; familiaris eſt veniæ: vt, dum eam frequenter impartit, à domino ſemper accipiat. Siquidem prudentis ſit rectoris, ita terrenos honores agere, vt honorificentiam cæleſtis dignitatis acquirat. Et ſi interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas: tamen ſtudio deuotionis veſtræ fortiores efficimur. Nam quo vos ſtudioſius auditis, eo nos libentius prædicamus: & virtus nobis loquẽdi additur, cum vos intelligendi accommodatis auditum. Quis non conetur illic verbi cæleſtis ſemen iacere: vbi illud puri cordis fœcunda terra ſuſcepit? Quis inquam non illic verbum ſaluatoris collocare velit: vbi illud non ſæcularium ſollicitudo præfocet, ſed diſciplinarum ſpiritualium virtus enutriat. Ergo, fratres, quia in ſancta epiphania exultauimus videntes miracula ſaluatoris: debemus facere, quod illius temporis diſcipuli tunc fecerunt. Quia autem dixi vidiſſe nos modo, quod olim geſtum eſt: videmus plane vidimúſque quotidie. Ea enim ſunt Chriſti miracula: vt non iniquitate prætereant, ſed gratia conualeſcant, non obliuione ſepeliantur, ſed virtutibus innouentur. Apud potentiam enim Dei nihil eſt abolitum, nihil præteritum, ſed pro ſui magnitudine omnia illi in præſenti ſunt: totum illi tempus eſt hodie. Vnde & ſanctus pro- Pſal. 89.
pheta dicit; Mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna. Quia ſi omne ſæculi tempus vna dies eſt domino: eadem quæ mirabilia ſaluator patribus operatus eſt: operatus & nobis eſt. Vidimus igitur & nos ſicut maiores noſtri mirabilia domini: cum pari ea cum illis ſtupore ſuſpeximus. Guſtauimus & nos ſicut ille de ipſis hydriis. Siquidem illi de illa poculum vini biberant: nos ſalutis calicem ſumpſimus. Debemus ergo facere, viſo ſigno domini, quod noſtri fecere priores. Si enim eadem in nobis diuinitatis refulſit gratia; eadem

Ioh. 2. & fides apud nos debet eſſe deuotio. Dicit enim euangeliſta de domino, hoc miraculo perpetrato: Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt diſcipuli in eum. Credere ergo debemus: ſicut tunc apoſtoli crediderunt. Dicit autem & alius; Et nos Chriſtiani ſumus, credimus in dominum ſaluatorem. Sed credere opus eſt opere, nõ ſermone, non lingua, ſed corde, ne & nobis dicatur; Eſai. 29. Plebs hæc labijs me honorat, cor autem eorũ longe eſt a me.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo. 4.

Eſt Ser. 21. PLerique in hac ſancta epiphaniæ die hactenus à domino mirabilia facta eſſe commemorant: vt rogatus ad nuptias aquæ ſubſtantiam in vini ſpeciem commutaret, ac liquorem fontium in meliorem vſum ſui benedictione transferret: miniſtros hauſiſſe aquam de puteis: vinum in hydriis inueniſſe: atque vtiliore diſpẽdio perdidiſſe quod impleuerant: reperiſſe quod deerat: tuncque primum hoc mirabili ſigno diuinitatis ſuæ declaraſſe virtutem. Nonnulli autem in hac ſancta die ab Ioanne baptizatum eum in Iordane teſtantur: atque in lauacri eius gratia interfuiſſe loquendo Deum patrem: ſanctum quoque ſpiritum deſcendiſſe. Nec mirum, ſi domini lauacro myſterium non defuit trinitatis: cum noſtrum lauacrum trinitatis compleat ſacramentum. Neque enim poterat dominus nõ primum circa ſe exhibere: quod erat poſtea humano generi præcepturus: cum omnia non ſui cauſa, ſed noſtræ gratia ſalutis efficeret. Aut nũquid propter ſe baptizari voluit, cum peccatum non haberet, ſicut docuit propheta; Eſai 53. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius? Sed propter nos vtiq;, qui multorum criminum peccatis obnoxij opus habebamus, vt in Chriſti baptiſmo purgaremur: atque ideo venit dominus ad lauacrum, non vt purificetur ipſe aquis: ſed vt nobis aquarum fluenta purificet. Ex quo enim ille in aquis ſe merſit: ex eo omniũ credẽtium peccata deleuit. Neceſſe eſt autem vt omnium peccata deleuerit, qui omnium peccata ſuſcepit: ſicut ait euangeliſta; Ioh. 1. Hic eſt agnus Dei: hic eſt, qui tollit peccatum mundi. Mirum ergo in modum vnus mergitur; & ſalus omnium reparatur. Adeſt ergo Deus pater, cum baptizatur dominus; adeſt & ſpiritus ſanctus. Videte ſaluatoris beneuolentiam: qua ſolus ſe in paſſione contumeliis ſubdidit: in lauacro ſolus gratiam nõ quæſiuit: vult participes eſſe gloriæ. Adeſt ergo, ſicut dixi, pater, adeſt & ſpirituſſanctus: & quia Deus videri non poteſt: ſpiritus in columba, pater deſcendit in voce. Quodque ſolum ad aſtruendam fidem hominibus neceſſarium erat exhibere ſaluatorem. Fides enim noſtra niſi auditu non conſtat, & viſu: ideo ſe ſpiritus in columba oculis ſubdit: pater in voce ſe auribus ſubminiſtrat. Nam niſi propter noſtram credulitatem iſta fieri oportuiſſet: poterat pater, & ſpiritus tanquam inuiſibilis Deus ad verbum filium inuiſibili prolapſione deſcendere. Igitur propter noſtram fidem aperto cælo ſpiritus ad Chriſtũ, pater ad filium, vox deſcendit ad verbum. Verbum enim Chriſtus eſt: de quo ſcribitur: Ioh. 1. In principio erat verbum. Bene inquam pater vox, & filius verbum dicitur: quia verbum non niſi de voce procedit. Conueniunt itaque ſibi vox, & verbum: & ſalui hominum prouident ſocietate myſterij. Qua autem ratione ſpirituſſanctus ad Chriſtum in ſpecie columbæ deſcenderit, videamus, vtrum ſit aliqua ſimilitudo columbæ, vel domini: ſicut eſt vocis, & verbi. Et plane non parua. Columbam enim etiam ipſum dominum dixerim: quia eſt placet, mitis, & ſimplex. Columba eſt quia ſanctos ſuos eſſe præcipit vt columbas, dicens; Matth. 10. Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Quia autem colũba Chriſtus ſit, propheta dicit ex perſona ipſius: deſcribens poſt paſſionẽ reditum eius ad cælum: Pſal. 113. Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo, & requieſcã? Cũ ergo Chriſtus dominus initiaret eccleſiæ ſacramenta, cælo ſuperuenit columba. Intelligo myſterium: agnoſco etiam ſacramentum. Columba enim ipſa eſt, quæ nunc ad eccleſiam Chriſti in baptiſmo venit: quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit. Tunc illi ſecuritatem annuncians oliuæ ramo: modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio. Tunc ſignum pacis ore afferens: modo ipſam pacem Chriſtum ſui ſubſtantia ſuperfundens. In Iordane igitur baptizatus eſt dominus; Multa mirabilia in hoc flumine ſæpius facta eſſe ſcriptura commemorat: Inter cætera dicẽs; Et Iordanis cõuerſus eſt retrorſum. Pſal. 54. Puto autem eſſe mirabilius, quod domino Ieſu Chriſto ibi poſito factum eſt. Ante enim retrorſum aquæ conuerſæ fuerant: modo retrorſum peccata conuerſa ſunt. Et ſicut tunc impetus fluminis alueum ſui curſus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominum ſui erroris amiſit. Quod quidem in propheta Elia iam illo in tempore factum puto. Sicut enim Elias in Iordane diuiſionem fecit vndarum: ita & ſpiritus domini in eodem Iordane ſeparationem operatus eſt 4. Reg. 2. peccatorum. Ille ſtare fluenta præcepit: hic crimina. Et ſicut ſub Elia fluctus primordia fontium, de quibus exierant petierunt: ita & ſub Chriſto domino homines ad originis ſuæ infantiam, de qua fuerant exorti, ſunt reuerſi.

EIVSDEM DE EODEM

Serm. 5.

Eſt Ser. 22. AD omnes vos, fratres, prædicationem meam in die ſancta epiphaniæ perueniſſe credo, & ad vos præcipue catechumenos: in qua deſcripſimus tunc nonnullis aſſerentibus aquam in vinum fuiſſe conuerſam: pleriſque autem teſtantibus illa die in Iordane dominum baptizatum. Quod licet à diuerſis alterutrũ factum eſſe credatur: Ego tamẽ vtrumque factum eſſe confirmo, & aliud ſignũ de alio contineri. Vtrumque enim factum eſt. Nam cum baptizatus eſt dominus, & myſterium lauacri inſtituit, & humanum genus velut vilem aquam in æternam ſubſtantiam diuinitatis ſapore conuertit. Similiter Deus hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum: vtrumque operatus eſt, & ſpeciem magis neceſſariam nuptiis præſtitit, & demonſtrauit corpora hominum per lauacrũ ſpirituſſancti replenda eſſe ſubſtantia. Quod alibi ipſe dominus manifeſtius declarauit dicẽs; in vtres nouos, vinum nouum eſſe condendum. In nouitate enim veteris lauacri puritas, ſpiritus ſancti gratia ſignificatur in vino. Igitur vos catechumenos diligentius oportuit hoc audiſſe: quibus magis eſt neceſſarium: vt ſenſus veſter, qui ignoran-

tia trinitatis, vt aqua nunc ſuget, agnitione myſterij incaleſcat vt vinum: & animarum veſtrarum liquor vilis, & tenuis, in precioſam & fortem gratiam transfundatur: vt vini vice ſapiamus, quod bonum eſt, redoleamus quod ſuaue eſt: & poſſimus dicere illud apoſtoli: Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo, catechumenus enim priuſquam baptizetur, ſicut aqua iacet, riget, & pallet: fidelis autem ſicut vinum fortis, & rubet eſt. Catechumenus inquam, ſicut aqua nullius ſaporis, nullius odoris, nullius eſt pretij, nec ſufficiens ad vſum, nec delectabilis ad reficiendum, nec tolerabilis ad ſeruandum. Nam ſicut aqua cum ſeruatur diutius, in deterius verſa intra ſemet putreſcit & fetet. Ita & catechumenus cū diutius catechumenus permanet: in deterius cōuerſus intra ſemet vileſcit, & deperit. Ait enim dominus; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Qui autem non intrat regnum, neceſſario remanet in inferno. Recte autem vino comparatur fidelis. Sicut enim ex cunctarum creaturarum ſubſtantia omnis res vetuſtate deperit, ſolum vinum proficit vetuſtate: ita ex omni genere hominum cunctis antiquitate pereuntibus, ſolus chriſtianus proficit vetuſtate. Et ſicut vinum in dies ſingulos aſperitatem ſuam decoquens ſaporis dulcedinem, ſuauitatem odoris acquirit, ita & Chriſtianus ſucceſſu temporis delictorum ſuorum aſperitatem decoquens ſapientiam ſibi diuinitatis beneuolentia trinitatis aſſumit, ergo in hac ſancta die baptizatus eſt dominus. Videte quàm bene ordinauerit, vt & in natali ſuo natus ſit, & in epiphania ſit renatus, vt nec longe à ſe ſalutis humanæ vota diſtarent, & æternas ſaluatori iugiter gratias ageremus: tum & vota noſtra celebrata ſunt quo Chriſto eccleſia copulata eſt, ſicut ait Ioannes; Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. propter has ergo nuptias ſaltare nos conuenit: ſiquidem & Dauid rex pariter & propheta, cum multa cecinerit, & ante arcā ſaltaſſe dicatur. Elatus enim gaudio in ſaltatione prorupit. Præuidebat enim in ſpiritu, per Mariam de germine ſuo eccleſiam Chriſti thalamo ſociandam: de quo ait, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Atque imo prę cæteris Prophetarū auctoribus plus cantauit: quia lætior cunctis per hæc gaudia ſuos poſteros cōiungebat: & ad propria vota omnes gentes ſolito dulcius inuitabat: nos quoque docuit quod ipſis facere deberemus in nuptiis: cum ille ante nuptias tota exultatione lætatus ſit.

S. GREGORII EPISCOPI *Nazianzeni in eodem feſto Oratio Panegyrica.*

Iacobo Billio interprete.

RVrſus Ieſus meus, & rurſus myſterium, myſterium non fallax nec deforme, nec Græcanici erroris ac temulentiæ (ſic enim grauiſſima quæque ipſorum myſteria voco, atque etiam, vt arbitror, omnes mente prędiri) ſed myſterium excelſum & diuinum atque ad ſupernum ſplendorem prouehens. Quanquam enim ſanctus Luminum dies, ad quem peruenimus, quémque hodie diuino beneficio celebrauimus, Chriſti mei, hoc eſt, veræ lucis omnem hominem in mundum venientem illuminantis, baptiſmum pro principio habeat: tamen hancquoque vim habet, vt me luſtret atque expiet, huicque lumini adiumentum afferat, quod ab eo ſublimitus olim acceptum terra peccati caligine obduximus atque obtruimus. Quocirca diuinam vocem audite, nihil quidem huiuſmodi rerum & diſcipulo & magiſtro, atque vtinam etiam vobis, vehemēter inſonantem, Ego ſum lux mundi. Ac proinde accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur, vero lumine conſignatæ. Tempus regenerationis: cœlitus gignamur. Tempus inſtaurationis: priſtinum Adamum recipiamus. Ne in eo ſtatu, quo ſumus, maneamus: verùm ad priſtinum redeamus. Lux in tenebris, hoc eſt, in hac vita & carne lucet, nec à tenebris eam perſequentibus apprehenditur, ab aduerſaria, inquam, poteſtate, quæ dum in externum & uſpectabilem Adamum impudenter temeréque impetum facit, in Deum incurrit, ac profligatur: vt nos abiectis tenebris ad lucem accedamus, ac deinde lux quoque perfecta efficiamur, à perfecta luce profluentes. Videtis, quæ ſit huius diei gratia? Videtis, quæ myſterij huius vis & facultas? Nūquid à terra ſublati eſtis? nunquid in cælo perſpicue poſiti, noſtra videlicet voce ac ſublimi oratione in altum ſubuecti? Ac multò etiam altius ſubuehemini, cùm Verbum ſermoni noſtro proſperum iter dederit. Ecqua talis eſt legalis atque vmbratica purgatio temporariis aſperſionibus iuuans, vitulæque cinere pollutos luſtrans? Ecquid huiuſmodi Græcorum ſacerdotes profitentur? quorum ego cæremonias omnes & myſteria meras nugas eſſe cenſeo, tenebroſúmque dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmentum, temporis ope ac præſidio fultum, & fabularum impoſturis obtectum. Nam quæ vt vera adorant, eadem vt fabuloſa conuoluunt & occultant. Atqui ſi vera ſunt, quæ prædicant, cur fabulæ nominantur, ac potius ea omni turpitudinis obſcœnitatíſque nota vindicantur? ſi autem falſa, cur ea ſuſpiciunt, atque ita impudenter de vna eadémque re contrarias ſententias tuentur, perinde atque in adoleſcentulorum aut perditiſſimorum ſanè virorum foro ludentes, ac non cum viris cordatis diſputantes, Verbíque adoratoribus: tametſi callidam & fucatam ſordidámque eloquentiam verborúmque leporem aſpernemur? Non hæc Iouis procreatio & ſurreptio, illius inquam Cretenſium tyranni, (indignè licet hoc Gentilea ferant) nec Curetum ſoni ac plauſus, armatęq́; ſaltationes, Dei lachrymantis vagitum contegentes, vt crudelem patrem fallerent. Graue enim profectò atque indignum erat, eum, qui vt lapis deuoratus fuerat, vt infantem eiulare. Nec Phrygum exectiones, & tibiæ, atque Corybantes, & quæcunque circa Rheam homines furore capti peragūt, eiuſmodi ſacra deorum matri obeuntes, atque ipſi viciſſim ita initiari, vt par eſt, in talium deorum parentis myſteriis. Nec puella quædam apud nos rapitur, nec Ceres oberrat, ac Celeos quoſdam & Triptolemos & dracones inducit, multáque & facit & patitur. Pudet enim me nocturnum factum in lucem proferre, atq; ex turpitudine myſterium facere. Nouit hæc Eleuſis, atque illi tacitorum ac profectò ſilentio dignorum ſacrorum arbitri. Nec Bacchus hæc noſtra myſteria ſunt, nec femur inchoatum fœtum parturiens, quemadmodum caput alium quendam fœtum prius parturierat, nec ſemiuir Deus, & chorus perbacchantium, exercitúſque

Sacer luminum dies. — *Pſal. 33.* — *Ioan. 1.*

tùſque mollis & eneruatus, & Thebanorũ væcordia hunc religioſè colens, Semeléſque tonitruum adorans. Nec meretricia Veneris myſteria, turpitèr, vt ipſimet aſſerunt, & procreatæ & cultæ: nec Phalli quidam & Ithyphalli forma, tum rebus ipſis fœdi atque obſcœni. Nec Taurorum feritas hoſpitibus manus afferentium, nec aræ affuſus Spartanorum adoleſcentum cruor, flagris ſeſe inuicem lacerantium, atque hac vna in re ſcelera-tè magnanimitatis ſpecimen edentium: à quibus dea colitur, eáque virgo. Nam iidem & mollitiem honori habuerunt, & audaciam coluerunt. Iam Pelopis carnificinam, Deorum famẽ explentem, ac ſçuam & inhumanam hoſpitalitatem, quo tandem loco pones? Quo item loco horrenda & caliginoſa Hecatæ ſpectra, Trophuniique ſubterraneas impoſturas & vaticina, aut Dodonææ quercus deliramenta, aut Delphicę tripodis præſtigias, aut fatidicos Caſtalij fontis latices? quæ omnia hoc vnum vaticinari minimè potuerunt, nimirum fore vt in perpetuum conſilerent. Nec Magorum ſacrificandi facultas, atque ex fibrarum inciſione præſcientia: nec Chaldæorum aſtrologia & natiuitatum obſeruatio res noſtras eudem cum ſideribus motu voluens, cùm tamen nec quid ipſimet ſint, aut futuri ſint, cognoſcere queant. Nec Thracum Orgia hæc ſunt, à quibus & religionẽ natam eſſe aiunt: nec Orphei ſacra & myſteria, quem Græci ſapientiæ nomine adeò ſuſpexerunt, vt lyram ipſi effinxerint fidium pulſibus omnia pertrahentem. Nec Mithræ iuſtum ſupplicium aduerſus eos, qui huiuſmodi ſacris initiari ſuſtinent. Nec Oſiridis lacerationes (quæ etiam calamitas apud Ægyptios religioſè colitur) nec Iſidis infortunia, atque hirci Mendeſiis ipſis venerabiliores, nec Apidis præſepe, hoc eſt vituli Memphitarum væcordiá ad luxum abutentis. Nec omnes ij honores, quibus Nilum dedecorant, illum inquam frugum parentem, vt ipſi prædicant, ſpicíſque copioſum & locupletem, atque vbertatem cubitis metientem. Mitto enim reptilium ac vilium animalculorum honores, ac profuſam obſcœnitatem, quorum priuatim quidem ſua cuique ſacra & feſta erant: communiter tamen omnia ad horrendam perditámque impietatem tendebant. Adeò vt, ſiquidem omnino eos impietate conſtringi, atq; ad ſimulacra & artis opera manuúmq; figmenta prolapſos, à Dei gloria excidere neceſſe erat, nihil aliud ipſis cordati homines imprecari queant, quàm vt talia venerentur, talibúſque honoribus proſequantur, vt mercedem, quam decebat, erroris, quemadmodum ait Paulus, huiuſmodi veneratione recipiant, non magis ea numina per ſeipſos honorantes, quàm ipſi per ea dedecore atque infamia affecti, execrabiles quidem illi erroris ergò, verùm execrabiliores ob eorum quæ venerantur, atque adorant, vilitatem, ita vt minus quoque ſenſus habeant, quàm ipſa ſua numina, tantúmq; ea ſtupore ac væcordia ſuperent, quantum ab iis, quæ adorant, vilitate ſuperantur. Atque his quidem figmentis Gentiles oblectentur, ac dæmones, à quibus in hanc amentiam impelluntur, Dei numinum honorem ad ſeipſos attrahentibus, atque in fœdas opiniones rerúmq; ſpecies alios alio modo diſcindentibus. Iam inde ex quo nos per ſcientiæ lignum minus tempeſtiuè perceptum vitæ ligno deturbatos velut iam infirmiores populati ſunt, imperatricem mentem ab-

Rom. 1.

ripientes, turbidiſque animi motibus feneſtram aperientes. nec enim ferre poterant, cùm inuidia atque odio aduerſus hominem ſuapte natura flagrarent, vel, vt rectius loquar, propter vitiũ ſuum in hunc habitum degeneraſſent, terrenos ſupernis bonis frui, cùm ipſi cœlitus in terram corruiſſent, nec tantam gloriæ priſtinæque ipſorum naturæ mutationem fieri. Hac de cauſa perſecutio aduerſus Dei figmentum excitata eſt, hac de cauſa Dei imago probro & dedecore affecta. Et quemadmodum præcepto parere recuſauimus, ita erroris libertati traditi ſumus, quemadmodum porrò in errorem lapſi ſumus, ita viciſſim per ea quæ coluimus cõtempti, ac pro nihilo habiti ſumus. Nec enim hoc ſolum graue & indignum eſt, quòd cùm propter bona opera hoc eſt ad opificis laudem & gloriam, Deíque, quantum homini licet, imitationem creati eſſemus, ſedes ac propugnaculum omnium animi affectuum, inteſtinum hominem miſerè depaſcentium atque conſumentium, facti ſumus, ſed etiam quòd deos vitiorum patronos effinxerimus: vt peccatum non modò crimine careat, ſed præclarum etiam ac diuinum cenſeatur, ad ea videlicet, quæ pro diis adorantur, defenſionis cauſa confugiens. At verò nobis, quemadmodum beneficio diuino conceſſum eſt, vt ſuperſtitioſo errore fuga relicto, à veritatis parte ſtemus, ac Deo viuo & vero ſeruiamus, & ſupra creaturam aſſurgamus, omnia quæ tempori primæque motioni ſubiacent, prætereuntes: Ita etiam faciendum eſt, vt de Deo rebúſq; diuinis pertractemus, atq; hinc initium differendi ſumamus, vnde exordiri præſtat. Hinc autem præſtat, vnde Solomon nobis exordiẽdi legem ſanxit. Principium ſapientiæ, inquit, collige ſapientiam. Quo loco principium ſapientiæ timorem vocat. Neque enim ea nobis ratio ineunda eſt, vt à contemplatione auſpicantes in timorem deſinamus (effrenis enim contemplatio in præcipitia quoque fortaſſe nos impulerit) verùm vt timoris rudimentis imbuti, & purgati, atque, vt hoc verbo vtar, extenuati in altum efferamur. Vbi enim timor eſt, illic quoque mandatorum obſeruatio: vbi autem mandatorum obſeruatio, carnis quoq; purgatio, quæ nubis cuiuſdã inſtar animæ lumen obſcurat, nec diuini radij ſplendorẽ purè intueri ſinit. Porrò vbi purgatio, illic illuminatio: illuminatio autem deſiderij ſumma eſt, iis vtique, qui maximarum rerum, vel potius maximæ rei, atque adeò magnitudinem omnem ſuperantis cupiditate flagrant. Quocirca ſe quiſque prius purget neceſſe eſt, atque ita demum cum puro colloquium ineat: alioqui verendum, ne nobis idẽ, quod Iſraeli accidat vultus Moſaici gloriam non ferenti, ac propterea velamine opus habenti: aut eodem quo Manue modo afficiamur ac dicamus, Periimus, mulier, Deum vidimus, cùm videlicet Deum ſibi videre viſus eſſet: aut Petri in morem Ieſum à nauicula ſubmoueamus, vt pote tali aduentu indigni (Petrum autem cùm dico, quem virum dico? eum qui in fluctibus iter pedibus fecit) aut oculorum ſenſu orbemur, quemadmodum Paulo accidit, cùm priuſquam à perſecutionibus expiatus eſſet, colloquium cum eo quem perſequebatur, miſcuiſſet, vel potius exiguo magni illius luminis ſplendore perſtrictus fuiſſet: aut denique vt Centurio ille, medicinam ita expetamus, vt tamen laudabili timore perterriti medicum in ædes noſtras non admittamus.

Proinde

Proinde ex nobis quoque dicat quiſpiam, quandiu nondum animo purgatur, verùm Centurio adhuc eſt, in multos vitij principatum tenens, ac Cæſari militat, hoc eſt mundi principi, dominóq; eorum, qui humi volutantur: *Matt. 8.* Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Cùm autem Ieſum aſpexerit, *Zachæus.* quamuis ſpirituali ætate paruulus, vt ille Zachæus, ac ſuper ſycomorum erectus fuerit, mortificatis videlicet extinctíſque membris quæ ſuper terram ſunt, atque humilitatis corpore ſuperato, *Luc. 19.* tum verò Verbum excipiat, & audiat, Hodie ſalus huic domui, ſalutémque accipiat, perfectioréſque fructus ferat, præclarè ſpargens atque effundens, quæ publicani munere fungens nefariè collegerat. Idem enim verbũ & propter naturam ſuam indignis formidoloſum eſt, & propter benignitatem captu facile, iis quidem certè, qui ad ipſum excipiendum ſeſe præparatint. Quo in genere ſunt, qui craſſo atque impuro ſpiritu ex anima profligato, mentéque agnitionis ſcopis mundata & exornata, nequaquam ocioſam ac deſidem eam reliquerunt, ne cum maiori apparatu à ſeptẽ malitiæ ſpiritibus, qui totidem virtutis ſpiritibus oppoſiti ſunt, rurſus occuperur (quod enim difficilius opprimitur, ſtudioſius atque ardentius expetitur) verùm ad vitij fugam virtutis cultum, adiungunt, totum Chriſtum vel certè quàm maximè in animi domicilium admittentes, ne peruerſa vis & potentia quicquam vacuum offendens domum rurſum impleat, ac nouiſſima prioribus deteriora fiant, tum propter acriorem vehementiorémque incurſionem, tum propter arcem tutiori firmioríque præſidio communitam. Poſtquam autem anima noſtra omni cuſtodia ſeruata, atque aſcenſionibus in corde diſpoſitis, nouabilibúſque in nobiſipſis innouatis, ac denique ſemine ad iuſtitiam ſparſo (quemadmodum & Solomon & Dauid & Hieremias admonent) ſcientiæ lumen nobis excitauerimus: tum demum myſticam & abſconditam Dei ſapientiam loquamur, aliiſque præluceamus. Interim verò purgemur, ac Verbo præinitiemur, vt quàm præclariſſimè de nobis ipſis mereamur Dei ſimilitudinem aſſequentes, Verbúmque veniens ſuſcipientes: nec ſolùm ſuſcipientes, verùm etiam retinentes, aliisq; declarantes. Quoniam autem ſermone theatrum repurgauimus, age iam de feſto nónihil diſſeramus, & eam piis animis feſtique celebrandi ſtudioſis diem hunc ſacrum celebremus. Et quoniam Dei memoria præcipuum feſti caput eſt, Deum memoria colamus. Nam nec eorum ſonum, qui in altero ſæculo, in quo lætantium omnium habitatio eſt, feſtum celebrent, quicquam aliud eſſe exiſtimo, quàm diuinæ laudis gloriæque prædicationem ab iis proficiſcentem, qui beata illa vita Dei beneficio perfruuntur. Quòd ſi quid eorum, quæ à nobis aliquando dicta ſunt, hæc oratio habitura eſt, nemini mirum videri debebit. Neque enim eadem ſolùm proloquar, ſed de iiſdem quoque rebus, & quidem lingua & mente, cogitationéque perh[illegible]ſcens, quoties de Deo ſermonem inſtituo. Quem etiam laudabilem ac beatum affectum vobis ineſſe optarim. Deum porrò cùm dico, vno eodémque triplici lumine perſtringamini: triplici quidem quantum ad proprietates ſiue hypoſtaſes, ſi cui hoc verbum magis arridet, ſiue Perſonas (neque enim de nominibus odioſa contentione certabimus, quandiu ſyllabæ ad eandem ſententiam ferent) vno autem quantum ad ſubſtantiæ, hoc eſt diuinitatis rationem. Diſtinguitur enim indiſtinctim, vt ſic loquar, & diſtinctim cõnectitur. Vnum enim in tribus diuinitas eſt, & tria vnum, ea inquam, in quibus diuinitas eſt, vel, vt magis propriè dicam, quæ diuinitas eſt. Exceſſus autem ac defectus miſſos faciamus, nec vnione confuſionem, nec rurſus diuiſione ſeiunctionem efficientes. Aequo enim interuallo à nobis remoueantur, & Sabellij contractio, & Arij diuiſio, mala ex diametro oppoſita & impietate paria. Quid enim neceſſe eſt Deum vel nefariè coniungere, vel in diſpares ſubſtantias ſcindere? Nobis quippe vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & vnus Spiritus ſanctus in quo omnia. In quibus verbis, hæ particulæ, Ex quo, per quem, & in quo, non naturas ſecant ac diſtrahunt (alioqui enim, propoſitiones iſtæ nominúmq; ordines nonquam immutarentur) verùm vnius ex inconfuſæ naturæ proprietates exprimunt. Idq́ue ex eo perſpicuè cõſtat, quòd rurſus in vnum contrahuntur, ſi modò quis illud apud eundem Apoſtolum non neglectim atque oſcitanter legat, ex ipſo & per ipſum & in ipſo omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Pater eſt, & principij expers: neque enim ab vllo manat. Filius filius eſt, ac non principij expers, ex patre ſiquidem: quòd ſi temporis pricipium accipis, principio etiam caret. Neque enim temporum creator tempori ſubeſt. Spiritus ſanctus verè ſpiritus eſt, procedens quidem ex patre, non tamen filiationis modo, vt nec generationis, verùm progreſſionis (liceat enim perſpicuitatis cauſa noua nomina fingere.) Neque enim Pater eò ingenitus eſſe deſiit, quia genuit, nec Filius genitus eſſe deſinit, quia ex ingenito eſt generatus (quonam enim modo deſineret?) nec Spiritus idcirco vel in Patrẽ vel in Filium migrat, quia proceſſit, ac Deus eſt, etiam ſi impiis ac perditis hominibus aliter videatur: proprietas enim mutationem neſcit. Quonã enim modo proprietatis nomẽ ſuſtinere queat, ſi moueatur atque mutetur? Qui autem ingeniti rationem, & generationem deorum idem nomen habentium naturas eſſe ſtatuunt, iidem, credo, Adamum quoque & Seth (quoniam ille non ex carne, vt pote à Deo effictus, hic autem ab Adamo & Eua procreatus eſt) diuerſos inter ſe quantum ad naturam eſſe contendent. Vnus igitur Deus in tribus, & tria vnum ſunt, vt diximus. Quæ cùm ita ſe habeant, immò cùm hoc ita ſe habeat, atque adorationem nequaquam ſupernis tantùm ſpiritibus definitam & circunſcriptam eſſe conueniret, ſed & inferos quoſdam adoratores adeſſe deceret, vt omnia Dei, cuius omnia ſunt, gloria implerentur, eam ob cauſam homo creatur, diuinæ manus & imaginis honore decoratus. Hunc autem inuidia diaboli, atque acerbo & amarulento peccati guſtu à Deo conditore miſerè ſeparatum deſpicere, à Deo profectò alienum erat. Quid igitur fit? quámque magnum circa nos myſterium deſignatur? Innouantur naturæ, Deúſque homo efficitur, & qui ſuper cœlum cæli ad gloriæ ſuæ & ſplendoris Oriẽtem aſcendit, in vilitatis & humilitatis noſtræ Occaſu clareſcit, Deique filius hominis quoque filius & eſſe & vocari ſuſtinet, non quod erat, ſi immutans (neque enim mutationem admittit) ſed pro ſingulari ſuo erga homines amore, id quod non erat aſſumens, vt qui

naturâ ſuâ comprehendi non poteſt, comprehendatur, intermedia carne, quaſi velo quodam interiecto nobiſcum verſatus: quandoquidem procreata natura interitúique obnoxia imbecillior eſt, quàm vt puram ipſius diuinitatem ferre queat. Idcirco ea quæ mixtionem neſciebant miſcentur, ac non modò natiuitati Deus, & carni mens, & tempori temporis expers, & dimenſioni id quod nulla menſura circunſcribi poteſt, iungitur: ſed virginitati quoque procreatio, & ei quod omni honore præſtantius eſt ignominia, & affectibus id quod affectibus vacat, & corruptibili id quod incorruptibile eſt & immortale. Quoniam enim illa vitij parens & effector ideò ſe inuicto quodam robore præditum eſſe exiſtimabat, quia nos diuinitatis ſpe obiectâ tãquam illecebra quadam in fraudem induxerat, ea de cauſa ipſe quoque prætextu carnis ineſcatur, vt dum quaſi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat, atque ita nouus Adamus priſtinæ ſaluti atque incolumitati veterem afferat, ſententiáque aduerſus carnem pronunciata reſcindatur, morte nimirum à carne oppreſſa atque extincta. Ac Chriſti quidem natiuitatem congruenti ſolennitate proſecuti ſumus, tum ego feſti dux atque auſpex, tum vos, atque adeò cœtus omnis tam terrenus quàm cæleſtis. Cum ſtella *Matth. 2. Luc. 2.* concurrimus, cum Magis adorauimus, cum paſtoribus diuinitus, colluſtrati ſumus, cum angelis laude & gloria celebrauimus, cum Simeone vlnis complexi, cum Anna confeſſi ſumus, illa, inquam, ſenio cõfecta & caſtitate prędita. Atque ei, qui alieno more in propria venit gratia habeatur, quòd exterum hominem & peregrinum gloria affecit. Nũc verò & facinus & myſterium aliud ſequitur. Animi voluptatem tenere nequeo, diuino furore rapior, propemodum etiam Ioannis inſtar, fauſtum nuncium profero, non quidem, vt ille, præcurſor, cæterùm à ſolitudine veniens. Chriſtus illuminatur, ſimul illuſtremur: Chriſtus baptizatur, ſimul deſcendamus, vt ſimul etiam aſcendamus. Nec verò hoc ſolum ſpectandum eſt quòd *Marc. 1.* Ieſus baptizatur, ſed cætera quoque obſeruanda ſunt, nimirum quis, & à quo, & quando, purus videlicet & à Ioanne, & ſignorum edendorum principium faciens. Quæ res nobis documento eſſe debet, adhibendam prius eſſe purgationem, animique ſummiſſionem, nec antè ſuſcipiendam eſſe concionandi prouinciam, quàm ad ſpiritualis & corporeæ ætatis perfectionem ventum fuerit. Hoc ad eos dictum velim, qui inconſultè ac temerè ad baptiſmum accedunt, nec ad eum præparantur, ac per animi conſtitutionem ad virtutis habitum perfectam id agunt, vt redemptio ipſis certa atque incolumis maneat. Quanquã enim præteritarum noxarum condonationem baptiſmus affert, tum tamen accuratius prouidendum eſt, ne ad eundem vomitum redeamus. Hoc quoque in eos valeat, qui aduerſus myſterij diſpenſatores inſolentius efferuntur, ſi dignitate quadam præſtent. Tertium ad eos ſpectat, qui iuuenili ætate confidunt, atque ad inſtruendam doctrina plebem, aut Eccleſiæ præfecturam amplectendam tempus omne idoneum eſſe arbitrãtur. Ieſus purgatur: & tu purgationem aſpernaris? A Ioanne: & tu aduerſus præconem tuum inſurgis? Trigeſimum annum agens: & tu ante lanuginem ſenes doces, aut docere te poſſe credis, nec ab ætate, nec à moribus fortaſſe authoritatem habens? Ac deinde hic Daniel profertur, ac nonnulli alij iuuenili ætate iudicum munere functi, atque in ore ac lingua exẽpla ſunt. Quiſquis enim iniuſtè aliquid admittit, facti ſui defenſiones in promptu habet. At pro Eccleſiæ lege nequaquam cenſendum eſt, quod rarò accidit: quandoquidem nec hirundo vna ver, nec geometram linea vna, nec denique nautam vna nauigatio facit. Cæterùm baptizat Ioannes: Ieſus accedit, fortaſſe vt ipſum quoque Baptiſtam ſanctitate afficiat, proculdubio autem vt totum veterem Adamum aquis obruat: ante hos verò & propter hos Iordanem: nimirum, vt ſpiritus & caro erat, ſic etiam per ſpiritum & aquam initiatus. Baptiſta non admittit, Ieſus contrà nititur. Tum, Ego à te baptizari debeo, inquit lucerna ſoli, vox Verbo, amicus ſponſo, maior omnibus ex mulieribus natis omnis creaturæ Primogenito. Is, inquam, qui à materno ventre prius exilierat, ei qui in ventre adoratus fuerat, præcurſor & præcurſurus, ei qui apparuerat atque appariturus erat. Ego à te baptizari neceſſe habeo. Adde & Pro te. Exploratum enim habebat fore, vt martyrij baptiſmo ablueretur, aut, vt Petrus, non pedibus ſolùm purgaretur. Et tu venis ad me? Hoc quoque propheticum. Futurum enim norat, vt quemadmodum poſt Herodem Pilatus fureret, ita eum quoque prius vita functum Chriſtum ſequeretur. Quid autem Ieſus. Sine nunc. hoc enim certo cõſilio & diſpenſatione fit. Sciebat nanque paulò poſt futurum, vt ipſe Baptiſtam baptizaret. Iam quid ventilabrum ſignificat? purgationem. Quid ignis? leuitatis conſumptionem & ſpiritus feruorem. Quid ſecuris? Inſanabilis animi etiam poſt adhibitum fimum exciſionem. Quid gladius? Verbi diuini ſectionem bonum à malo diuidentem, atque fidelem ab infideli ſecantem, ac filium & filiam, & nurum aduerſus patrem & matrem & ſocrum excitantem, nouáque & recentia aduerſus priſca & vmbratica. Iam quid calceamenti corrigia, quam non ſoluis, qui Ieſum baptizas: tu, inquam, ſolitudinis alumne, ac nullius cibi homo: tu noue Helia, propheta excellentior, vtpote qui ipſum, qui prophetarum vaticiniis prænunciabatur, vidiſti: tu inter vetus & nouum teſtamentum interiecte. Quid, inquam, ea ſignificat? an fortaſſe peregrinationis & carnis Chriſti rationem, & cuius ne extrema quidem facile ſolui atque explicari poſſunt, non dicam ab iis qui adhuc craſſi & carnales ſunt atque infantes in Chriſto, ſed ne ab iis quidem qui Spiritus præſtantia Ioannem æquant, At etiam Ieſus ex aquis aſcendit (mundum enim ſecum in altum effert) ac cælos, quos Adamus & ſibi & poſteris, quemadmodum & flammeo gladio paradiſum, clauſerat, findi atque aperiri cernit. Ac ſpiritus diuinitatis teſtimonium affert, nimirum ad parem accurrens: & vox cœlitus mittitur: illinc enim is erat, cui teſtimonium dabat. Tum etiam corporeo modo in columbæ forma ſe conſpiciendum præbens, nempe vt corpus honore afficiat: nã hoc quoque deificatione Deus eſt. Adde, quòd multis retrò ſæculis columba diluuij finem nunciare aſſuenit. Quòd ſi mole ac pondere diuinitatem æſtimas, ac propterea Spiritum paruum eſſe cenſes, quia in columbę forma cernitur, homo ſordidè atque in maximis rebus minima quæque anxiè vrgens, iam tibi regnum quoque cælorum contemnendum ac pro nihilo putandum eſt, quia ſinapis grano comparatur, ac maieſtati Ieſu præferendus aduerſarius,

quoniam

quoniam hic quidem mons magnus vocatur, & Leuiathan, & rex eorum, quæ in aquis degunt: ille autem agni, & margaritæ, & guttæ, atque id genus nominibus appellatur. Quoniam autem baptiſmi hoc feſtum eſt, ac noſtra cauſa formato & baptizato atque in crucem ſublato nonnihil condoleſcendum eſt, age de variis baptiſmatum generibus aliquid dicamus, vt hinc purgati diſcedamus. Baptizauit Moſes, verùm in aqua, priúſque etiam in nube & in mari. Cæterùm hoc per figuram agebatur, quemadmodum & Paulo placet. Mare enim aquam, nubes Spiritum, manna panem illum vitæ, potio diuinum poculum adumbrabat. Baptizauit etiam Ioannes, non iam ille quidem Iudaico more (non enim in aqua ſolùm, ſed etiam ad pœnitentiam) nondum tamen prorſus ſpiritualiter: nec enim addidit, in Spiritu. Baptizat quoque Ieſus, ſed in Spiritu. Quod quidem perfectum numeriſque omnibus abſolutum baptiſmum reddit. Quonam autẽ modo Deus non eſt (vt obiter illud conſiderem) per quem tu diuinitatem aſſequeris? Eſt & quartũ baptiſmi genus, quod martyrio & ſanguine comparatur (quo ipſe quoque Chriſtus tinctus eſt) & quidem eò cæteris auguſtius, quòd nullis poſtea ſordibus contaminatur. Quintum locum tenet lachrymarum baptiſmus, verùm aſperior eſt & laborioſior, quo perfunditur ille, qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum lachrymis lauat, cui ipſæ quoque vitij cicatrices fœtent, qui lugens & contriſtatus graditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam, ac Niniuitarum humilitatem miſericordiam à Deo conſecutã imitatur, qui publicani verbis in tẽplo vtitur, ac ſupra inſolentem & ſuperbum Phariſæum iuſtificatur, qui denique Chananææ more deprimitur, & miſericordiam implorat, ac micas poſcit, hoc eſt, canis vehementi fame correpti pabulum. Ipſe quidem hominem me eſſe fateor, animal mutabile, fluxęque & fragilis naturæ, atque hunc baptiſmum libenter amplector, eiúſque donatorem adoro, aliiſque impertio, ac miſericordia miſericordiam mihi conciliare nitor. Nam me quoque infirmitate obuolutum eſſe ſcio, illúdque fore, vt qua menſura menſus fuero, eadem quoque mihi viciſſim rependatur. Tu verò quid ais? quam legem affers, ô noue Phariſæe, & nomine duntaxat, non animo & voluntate pure, ac Nouati dogmata cum infirmitate tumido ore nobis crepás? Pœnitentiam non admittis? Luctibus locum negas? lachrymas nõ profundis? Vtinam talem tibi iudicem experiri non contingat. Clementia & facilitate Ieſu non moueris, qui infirmitates noſtras accepit, & morbos portauit, qui non venit vt iuſtos vocaret, ſed peccatores ad pœnitentiam, qui miſericordiam mauult quàm ſacrificium, qui ſeptuagies ſepties peccata condonat? Quàm beata eſſet ſublimitas tua, ſi puritas ea eſſet, ac non faſtus & arrogantia leges ſupra hominis captum inſtitués, vitæque emendationem ſalutis deſperatione tollens. In eodem enim vitio ſunt, tam effrenata atque omni animaduerſionis metu ſoluta licentia, quàm ſæua nec vlla clementia temperata condemnatio: illa omnes habenas vitiis laxans, hæc vehementiori aſtrictione præfocans. Puritatis ſpecimen ede: & tum audaciam tuam mihi probabis. At nunc vereor ne ipſe vlceribus ſcatens iſtam immedicabilis peccati doctrinam inducas. Quid? ne Dauidem quidem reſipiſcẽtem admittis, cui prophetiam quoque gratiam pœnitentia conſeruauit? nec magnum illum Petrum recipis, ſalutiferæ paſſionis tempore humani quidpiam perpeſſum? At Ieſus recepit, triplicique percunctatione & confeſſione triplicem abiurationis culpam ſanauit. Quid? ne martyrio quidem perfunctum admittens? nam id quoque tuæ væcordiæ eſt. Quid? etiamne illum, qui nefarium ſcelus Corinthi perpetrauit, arcebis? At Paulus charitatem etiam erga eum firmauit, ſimul atque eum ad meliorem vitæ frugem rediiſſe perſpexit, cauſámque affert: Ne abundantiori triſtitia huiuſmodi homo abſorbeatur, immodica obiurgatione oppreſſus atque confectus. An ne iuuenibus quidem viduis propter ætatis lubricum ineundi matrimonij poteſtatem facies? At Paulus hoc facere minime dubitauit, cuius te ſcilicet magiſtrum profiteris, quaſi ad quartum cęlum, aliúmque paradiſum prouectus fueris, ac verba magis arcana audiens, maiorémque circulum Euangelio fueris complexus. At hæc nequaquam poſt baptiſmum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita ſe habere proba: aut ſi id nequis, condemnare nos deſine. Quòd ſi res dubia eſt, vincat humanitas & clemẽtia. At Nouatus, inquis, perſecutionis tempore lapſos non recepit. quid hoc? ſi quidem illi nõ reſipiſcebant, optima ratione eos repulit (nã ne ipſe quidem eos recipio, qui vel nullo modo vel non ſatis deprimuntur, nec perpetrato crimini parem vitæ emendationem afferunt, cúmque recipio, conguentem ipſis locum aſſigno) ſin autem ſqualentes & lachrymis confectos admittere noluit, haud quaquam illius exemplum mihi imitandum proponam. Quid autem Nouati inhumanitatem atque importunitatem pro lege habeam, qui auaritiam, hoc eſt, alterum idololatriæ genus non repreſſit, ſtuprum autem ita ſæuè acerbéque condemnauit, quaſi carnis ipſe & corporis expers eſſet. Quid dicitis? An vos his verbis permouemus? agedum à nobis, hoc eſt, ab hominum partibus ſtate, Dominum vnà concelebremus. Ne quis veſtrum, quamlibet virtute ſua fretus, eò audaciæ prorumpat, vt dicat, Noli me tangere. Purus enim ſum, & quis mihi par? facite vt nos quoque in ſplẽdoris veſtri partem veniamus. At non flectimus? lachrymas pro vobis fundemus. Atque hi quidem noſtrà, ſi velint, atque adeò Chriſti via, ſin minus ſua inſiſtant. In altero æuo igni fortaſſe baptizabuntur: qui poſtremus eſt
baptiſmus, nec ſolùm acerbior, ſed & diuturnior, *Purgatorius ignis.*
qui craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vtique omnis leuitatem abſumit. Nos autem hodie Chriſti baptiſmum honore complectamur, ac feſtum honeſtè celebremus, non ventris deliciis operam dantes, sed ſpiritualiter noſipſos oblectantes. Quonam autem modo voluptati indulgebimus? Lauamini, mundi eſtote. Si peccato rubri eſtis, nec prorſus ſanguinei, quaſi nix dealbemini: ſi autem coccinei ac perfecti viri ſanguinũ, etiam vſque ad lanæ candorem peruenite. Cæterùm omnino purgemini. Nulla enim re Deus perinde delectatur, vt hominis, propter quem omnis doctrina atque omnia myſteria conceſſa ſunt, reſipiſcentia & ſalute. Sic fiet, vt ſicut luminaria in mundo, ita vos cæteris hominibus vis quędam vitalis ſitis, ac velut lumina perfecta magno illi lumini aſtantes, cęleſti quoque luminum geſtationi initiemini, purius omnium & clarius à Trinitate luſtrati,

luſtrati,cuius nunc radium vnum ex vna diuinitate manantem minus plenè accepiſtis, in Chriſto Ieſu domino noſtro,cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

S. HIERONYMI PRESbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

CVm ergo natus eſſet, &c. Vidimus enim ſtellam eius in oriente. Ad confuſionem Iudæorum, vt natiuitatem Chriſti à gentibus diſcerent, oritur in oriente ſtella: quam futuram Balaam, cuius
Num. 2 ſucceſſores erant vaticinio nouerãt. Lege Numerorum librũ. Deferuntur autem Magi ſtellæ indicio in Iudæam, vt ſacerdotes à Magis interrogati, vbi Chriſtus naſceretur, inexcuſabiles fierent de aduentu eius. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudææ &c. librariorũ hic error eſt: putamus enim ab euangeliſta primum editum, ſicut in ipſo Hebraico legimus, Iudæ, non Iudææ. Quæ eſt enim aliarum gentium Bethlehem, vt ad diſtinctionem eius hic, Iudææ poneretur? Iudæ autẽ idcirco ſcri-
Ioſue 19.b bitur: quia eſt & alia Bethlehem in Galilæa. Lege librum Ieſu filij Naue. Denique & in ipſo teſtimonio quod de Michææ prophetia ſumptum eſt, ita
Mich. 5.a habetur: Et tu Bethlehem terra Iuda. *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera: aurum thus & myrrham.* Pulcherrime munerum ſacramenta Iuuencus presbyter vno verſiculo comprehendit, Thus, aurum, myrrham regique hominique deoque Dona ferunt. *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, &c.*) Qui munera obtulerant domino, conſequenter reſponſum accipiunt. Reſponſum autem, quod Græce dicitur χρηματισθέντες, non per angelum fit, ſed per ipſum dominum, vt meritorum Ioſeph priuilegium demonſtraretur. Reuertuntur autem per aliam viam, quia infidelitati miſcendi non erant Iudæorum.

S. IO. CHYSOSTOM. EPIſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil. 1.

Homil. 6. in Matth. CVm autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, &c. Multa nobis opus eſt vigilantia, multa prece, vt præſentis difficultatem loci poſſimus abſoluere: & qui nam iſti ſint Magi, & vnde venerint: & quonam modo, quóve ſuadente, diſceſſerint: quænam etiam illa fuerit ſtella, quæ Magos ad Chriſtum vſque perduxerit. Quinimo, ſi placet, ea primùm proferamus in medium, quæ de hoc loco diſputant veritatis inimici. Si quidem tantùm amentię illis diabolus inſpirat, vt hinc quoque ſe contra virtutis rationem opinentur armari. Quidnam ergo proponunt? Ecce, inquiunt, etiam Ieſu nato ſydus apparuit: quod certè grande documentum eſt, certiſſimam aſtronomiæ eſſe rationem. Porrò id apertè falſum conuincitur. Si enim ſecũdum legem eſt natus aſtrorum: quomodo aſtronomiam ſoluit, fatumque deſtruxit, ac totum omnino excluſit errorem, omnemque vaniſſimam artis huius obruit officinam? Quónam etiam pacto Magi ex ſtella illa Iudæorum Regem illum eſſe didicerunt, cum certè non
Ioan 18. iſtius regni ille rex eſſet, ſicut etiam Pilato ipſe reſpondit. Regnum, inquit meum non eſt de hoc mundo? Nihil quippe tale monſtrauit, quale mundi huius reges habere conſpicimus. Neque enim haſtatas ille, atq; clypeatas oſtendit militũ cateruas, non equos regalibus phaleris inſignes, non currus auro, oſtroq; fulgentes. Non enim iſtũ, non alium quempiam ſimilẽ circa ſe habuit ornatum: ſed vilem hanc prorſus vitam egit, ac pauperem: duodecim tantùmodo homines, eoſq. deſpicabiles ſecum trahendo. Sed & ſi regem illũ eſſe Magi nouerant, cuius rei tamen gratia ad eum venirent? Neque enim illud ad aſtrologiæ ſpectat artem, vt eos, qui naſcuntur, cognoſcat ſtellis: ſed vt è regione de hora, punctóve naſcentum, ea, quæ illis ſunt euentura, prædicat. Iſti verò neque parienti adſtiterant matri, neque tempus, quo rex noſter natus eſſet, agnouerant, vt hinc videantur præcinendi futura ſumpſiſſe principium: ſed è contrariò, cum multum ante tempus in regione ſua ſtellam apparere vidiſſent, venerunt ad eum, qui erat natus, videndum. Quod quidem ipſum, quantum ad rationem ſpectat humanam, multò eſſe inconſequentius comprobatur, quàm id, quod paulò antè præmiſſum eſt. Quænam enim Magos ratio commouit? Quænam etiam ſpes impulit præmiorum, vt ad regem adorandum venirent, tam vaſto præſertim à ſe terrarum ſpatio ſeparatum? Quòd & ſi ſuper ipſos regnaturus fuiſſet, nec ſic quidem haberet peregrinatio tam longa rationem. Nam, ſi in regali fuiſſet aula natus, ac patre regnante: conſequenter fortè quis diceret iſtos in honorem patris puerum adorare voluiſſe, & hoc ſibi ad cõciliandum regis animum ſuffragium comparaſſe: nunc verò cùm illum nec ſuum regem ſperent futurum, ſed gentis alienæ, magnoque ſpatio ab illorum regione diuiſæ, neque patrem eius regem eſſe videant: qua ratione tanti iter laboris arripiunt, & adorant paruulum in matris gremio pauperis collocatum, & offerunt munera, maximo certè cum periculo iſta facientes? *Audiens enim hæc ab eis Herodes pariterque populus, turbatus eſt.* Verum hæc, inquis, minimè præſciebant. At omni prorſus ratione nuda hæc probatur obiectio. Nam & ſi valde inſipientes fuiſſent, iſtud tamen nequaquam ignorare potuiſſent, quòd ingreſſi vrbem, in qua rex alter habitaret, talia prædicãdo, aliúmque illius populi Regem eſſe demonſtrando, non mille contra ſe gladios commouerent. Cur ergo etiam adorarunt pannis adhuc infantiæ colligatum? Nam, ſi virilis iam fuiſſet ætatis, dicere quis fortè potuiſſet, quia aliquod ab eo auxilium præſtolantes, in apertum ſe periculum tradidiſſent. Quod tamen ipſum extremæ omnino fuiſſet dementiæ, vt Perſes aliquis, ac Barbarus, nullúmque habens cum Iudæorum gente conſortium, vellet à domo ſua, patriáque diſcedere, relinquere etiam famulos, amicos, propinquos, regnoque ſe alterius ſubiugare. Si verò id ſtultum fuiſſet, multoq; id, quod ſequitur, eſſe ſtultius comprobatur. Quid verò iſtud eſt? quòd ſcilicet tam longi ſpatia itineris emenſi, cùm adoraſſent puerum, multóſque aduerſum ſe excitaſſent tumultus, continuò ſunt reuerſi. Quæ verò etiam regni vidiſſe feruntur inſignia? Humile profectò tugurium, ſqualidúmque præſeptum, & paruulum pannis vilibus inuolutum. Cur verò ipſa obtulère munera? quáve de cauſa? Putaſne lex erat, aut mos aliquis, vt vbicunque terrarum Regibus natis huius retribueretur

deuotionis

deuotionis obſequium: & iſti totum prorſus circumeuntes vrbem, eos, quos ſcirent ex vilibus, atque pauperibus reges futuros, ſuppliciter adorarent, & hoc antequam illi ſolium regale conſcenderent? Sed omnino nullus id dixerit. Cuius ergo illum adorauerunt rationis intuitu? Sed & ſi de præſentibus aliquid beneficiis cogitabant, quid tandem remunerationis à paruulo, & matre inopi ſperare potuerunt? An, vt in poſterum ſibi apud regem gratiam collocarent? Et vnde ſcire illi poterant, quia ille non obliuiſceretur tam properatæ adorationis iam maturus in regno, qui ab ipſis adhuc fuiſſet incunabulis adoratus? Quòd ſi illum crederent à matre admonendum, illi tamen ſupplicio eſſent quàm præmio digniores, qui eum in tam apertum periculum non tam adorãdo, quam prodendo tradiderant. Hinc ſiquidem Herodes profectò turbatus omni puerum cura quærebat, omnique eum interimere cupiditate properabat. Ita enim ſe res habet, vt vbi quiſpiam, regnante alio, alterum regem dixeris futurum, mille eum periculis exponat, atque in apertum tradat interitum. Vidéſne quanta hîc abſurda naſcantur, ſi iuxta humanam conſequentiam, morémque communem hæc eſſe intelligenda credamus? Nec tamen iſta ſolùm, ſed plura etiam alia proferre poſſumus, maiorem habentia quęſtionem, quàm iſta, quæ diximus. Sed, ne obſcuris obſcura nectentes, faſtidium vobis, laborémque faciamus: agè iam ad ea, quæ propoſita ſunt, explananda veniamus, ab ipſa ſumentes ſtella abſolutionis exordium. Cùm enim didicerimus, quænam ſit illa ſtella, vel qualis: & vtrum vna de multis, an prorſus noua, & ab aliis diſcreta ſyderibus, & vtrum naturaliter ſtella videatur: cùm, inquã, didicerimus iſta, facilè ſciemus & reliqua. Vnde ergo manifeſtius poterũt iſta cognoſci? De ipſa profectò Euangelicæ lectionis hiſtoria. Quod enim non vna fuerit hæc ſtella de pluribus, imò (*vt ego arbitror*) nec ſtella omnino, ſed quædã inuiſibilis virtus in ſpecie ſyderis figurata, ab ipſo primùm itinere monſtratur. Non eſt enim ſtella, omnino non eſt, quæ per hãc cæli plagam curſum tenere doceatur: ſed ſiue dixeris Solem ſiue dixeris lunam, aſtráq; cætera, ab Oriente ferri omnia in Occidentẽ videmus. Hęc verò à Septentrione in Meridiem ſtella veniebat. Sic enim ſecundum locorum ſitum Palæſtina ſpectabat ad Perſidem. Secundò verò etiam de tempore iſtud probari poſſibile eſt. Neque enim in nocte cernitur, ſed lucente prorſus die, ac Sole fulgẽre. Quam lucendi vim nõ modò ſtella nulla, ſed nec ipſa quidem luna ſortita eſt: quæ licèt multò clarius omnibus coruſcet aſtris, continuò tamen ortu Solis abſconditur: &, quæ prius illuſtrabat omnia, ſub multò clariore ſydere vix ipſa conſpicitur. Hæc verò ſtella ipſos etiam Solis radios proprio quodam, præcipuóque fulgore ſuperabat, clarius illis profectò apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipſa reſplendens. Tertiò autem ab ipſa interpolatione lucendi, Stellæ huius nouitas indicatur. Nunc enim occultabatur omnino, nunc toto prorſus fulgore radiabat. Nam vſque ad Palæſtinam venientibus Magis, quaſi dux itineris ſemper apparuit: quum verò Hieroſolymam introiſſent, ſeſe rurſus abſcondit. Deinde, quum Herodi cauſam itineris indicaſſent, eóque relicto, ad puerum pergerent adorandum, iterum ſe illis eadem ſtella monſtrauit. Hoc autem non agit motus ſyderis, ſed virtus quædam plena rationis. Neque enim quempiam illa tunc ſtella curſum tenebat; ſed, quum eos videret pergere, etiam ipſa pergebat: quum verò eos ſtare conſpexerat, ſtabat ad voluntatem prorſus viantium, & vtilitatem cuncta diſpenſans: ſicut etiã illa quondam in eremo nubis columna pro opportunitate rerum nunc ſtabat loco, nunc progrediens mouebat exercitũ. Quartò etiam ab ipſo demonſtrationis modo, facilè illud, liquidéque perſpicitur. Non enim in excelſo conſtituta cæli, eum, qui inquirebatur à Magis, oſtendit locum, neque enim ſic diſcere illi aliquando potuiſſent: ſed deſcendens, & inferiorem aëris partem tenẽs, illud effecit. Noſtis enim, quia tam exiguum, & humilem locum, ac breue tugurium, quod (vt ita dixerim) corpuſculum illud paruuli continebat, nequiuerit de cælo ſtella monſtrare. Neque enim tantam illius breuitatem loci, tam inæſtimabilis altitudo deſignare potuiſſet, quod certè perfacilè à lunari poteſt orbe cognoſci. Luna enim cùm tam multis ſit ſublimius elata ſyderibus, in tam grandis latitudinem diffuſa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur eſſe vicina. Quemadmodum igitur ſtella tam exiguum locum tugurij ſcilicet, atque præſepis, oſtendit: niſi ſublime illud relinquens ad inferiora veniſſet, ſupérque ipſum ferè caput pueri conſtitiſſet? quod etiam Euangeliſta ſignificans: *Ecce*, inquit, *Stella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer.* Nempe conſideras quantis ex rebus Euangeliſta doceat, quia non ſit hæc ſtella de cæteris, neq; ſecundum conſequentiam aſtrologiæ puerum oſtendat aſtrologis. Cur igitur apparuit? Vt videlicet infidelitatem Iudæorum magis magíſque conuinceret, & ingratis omnem prorſus aditũ excuſationis obſtrueret. Quia enim Chriſtus adueniens veteri teſtamento erat finem daturus, vniuerſum verò mundum ad ſe vocaturus adorandum: qui vtique mari, terráque eſſet colendus, ab ipſis ſtatim initiis natiuitatis oſtiũ gentibus reſerat, & ſic quoque domeſticos cultores ſuos erudit, dum inuitat alienos. Qui enim audientes prophetas, qui aduẽtum eius ſæpè promiſerant, parum attentè eorũ verba penſabant, à longinquis regionibus venire fecit & Barbaros, qui ab illis inquirerent regẽ, vt Perſico primũ ſermone diſcerent quæ, prophetis nuntiantibus, diſcere noluerunt: vt, ſi bonæ fuerint voluntatis, maxima inuenirent occaſione credendi: ſi verò contra manifeſta contenderint, omni prorſus excuſatione priuentur. Etenim non ſuſcipientes Chriſtum poſt tantorum de illo teſtimonia prophetarum: quo tandem impietatem ſuam obducere colore potuiſſent, quando vidiſſent Magos vnius apparitione ſtellæ, & inquiſiſſe Chriſtum & inuentum ſuppliciter adoraſſe: Quod igitur de Niniuitis fecit Deus, mittens ad eos Ionam: quod in Samaritana, atque Chananæa, hoc etiam fecit in Magis; & idcirco dicebat; viri Niniuitæ, regina Auſtri ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quoniam illi quidem minoribus crediderunt, iſti verò nec maximis. Et qua, inquis, ratione Magos per ſtellam duci ad Chriſtum, & quónam modo? Oportuit prophetas mitti potius; ſed nequaquam Magi credidiſſent prophetis. Aut voce aliqua deſuper inſonare. Nec hanc quidem tantopere curaſſent. Aut angelum mittere, verum hunc quoque forſitan præteriiſſent. Propterea igitur

Ione.3.

Matth.12.
Luca.11.

igitur omnia huiuſmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis conſuetudo faciebat, mira quidem diſpenſatione pietatis ad hominum condeſcendens ſalutem. Ingens itaque Magis, & clarum oſtendit aſtrum, quódque plurimum ab iis, quæ ſpectamus ſyderibus diſcreparet, vt eis de magnitudine, & de pulchritudine ſyderis, nec non etiam de ipſa nouitate curſus admirationem moueret. Hæc itaque Paulus imitando, ab ara occaſione ſumpta cum gentibus diſſerit, ex domeſticis in medium proferens teſtimonia poëtis: Iudæis aliquandiu Chriſtum abſque interdicto circunciſionis annunciat, & adhuc ſub lege viuentibus à ſacrificiis ſumit initia doctrinæ. Quia enim vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, & Deus, & miſſi ab ipſo ad totius orbis ſalutem magiſtri, de ipſo cuiuſque more gentis materias ſibi aſſumunt dicendi. Ne igitur opineris indignum, quòd Magi per ſtellam vocantur. Hoc enim modo, omnéſque ceremonias, omnéſque ritus, & ſacrificia, atque purificationes, & neomenias, & arcã, templúmque ipſum reprobabis. Siquidem hæc omnia originem à gentium ruditate traxerũt. Sed Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi dæmones antè coluerant, aliquandiu illa in melius inflectens, vt eos paulatim, & à conſuetudine ſua reduceret, & ad philoſophiam perduceret altiorem. Hunc igitur ipſum diſpenſationis ſuæ morem ſeruauit in Magis, quos per ſtellæ apparitionem vocauit, vnde eos inde efficeret celſiores. Denique quos vocauerat, & ad præſepe ipſum, ſtella præeunte, deduxerat, eis non iam per ſtellam, ſed per angelum loquitur, ita eos gradatim ad meliora perducit. Hoc etiam Aſcalonitis, hoc legitur feciſſe Gazenſibus, horúmque finitimis. Etenim iſtæ quinque tunc vrbes, poſtquam lethali plaga, arca ad ſe veniente, percuſſæ ſunt, nullámque ex tantis malis liberationem poterant inuenire, vocatis Magis: & populi multitudine congregata, quemadmodum illa Dei placari poſſet ira, quærebant, tunc eorum reſpondêre vates, vt iuuencas indomitas adhuc, primiparas ad plauſtrum iungerent, quo arca veheretur, nulloque eas regente, quò vellent ire, permitterent: ſic appariturum eſſe dicentes, vtrum à Deo plaga illa veniſſet, an communi quodam caſu, atque ægritudine deperiiſſent. Si, inquiunt, iugum ſuperba ceruice contriuerint, atque mugientes ad vitulos recurrerint, caſu id factum eſſe manifeſtum eſt: ſi verò directo itinere contenderint, & neque ad mugitum tentauerint redire vitulorum, neque in aliam regionem ignoratæ viæ errore detorſerint, liquidò patebit Dei manu has vrbes fuiſſe percuſſas. Quoniam igitur vatibus iſta dicentibus, illarum tunc regionum populi crediderunt, eorúmque impleuere præceptum, Deus quoque condeſcenſione ſolita, diuinorum ſententiam comprobauit, nec maieſtate ſua putauit indignum, in effectum operis prophanorum dicta perducere, idque agere, vt illi fideliter viderentur iſta ſuaſiſſe. Ad maiorem ſiquidem Dei gloriam pertinebat, ſi virtus eius etiam inimicorum teſtimonio panderetur; & ſi ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam ferrent de veri Dei poteſtate ſententiam. Multáque præterea horum ſimilia in Iudæorum diſpenſationibus inuenimus. Nam in pythoniſſa quoque hunc tenuit diſpenſationis tenorem: quod vos iam ipſi iuxta prædictam regulam poteſtis abſoluere. Occaſione igitur ſtellæ hæc à nobis dicta eſſe ſufficiant, de qua vos dicere iam plura putatis. Da enim, inquit, ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Tempus verò eſt, vt ad principium eorum, quæ ſunt lecta redeamus. *Quum autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis.* Et Magi quidem ſtellam prælucentem ſequuti ſunt: Iudæi autem nec prophetis quidem inſonantibus crediderunt. Quanta verò ratione & locum deſignat, & tempus: dicendo, *in Bethlehem Iuda: in diebus Herodis regis.* Qua verò de cauſa addidit dignitatem? Quam certè idcirco ſignauit, quoniam erat & alius Herodes, qui interfecit Ioannem: ſed ille tetrachæ honorem habuit, hic regis. Et locum ponit & tẽpus, vt nobis in memoriam reuocet antiquas prophetias: quarum vnam Hieremias, alteram Micheas aliquãdo prædixit. *Et tu,* inquit, *Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.* Aliam verò patriarcha Iacob, qui nobis olim tempus ipſum diligenter expreſſit, & aduentus Chriſti ſignum euidens poſuit, dicendo; Non deficiet princeps ex Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniat, cui repoſita ſunt: & ipſe erit expectatio gentium. Sed & illud quoque inquiſitione dignum puto: vnde ad hunc illi potuerunt intellectum venire, & quis eos in hoc ſuſcitaſſe credatur. Non enim mihi ſolius hoc eſſe ſtellę videtur, verumetiam Dei, per quem illorum ad hoc anima commota eſt. Qui tale etiam aliquid in Cyro legitur rege feciſſe, præparans eum, vt Iudæorum populum à iugo captiuitatis abſolueret: non tamen ſic iſtud operando, vt liberi arbitrij iura perſtringeret. Siquidem etiã, quum Paulum vocauit è cælo, non ſuam tantummodo gratiam, ſed etiam illius fecit obedientiam relucere. Et quur, inquies, non hoc magis omnibus reuelauit? Quia ſcilicet non omnes fuerant credituri. Erant quippe iſti cunctis, qui in illa verſabantur arte, ad fidem paratiores. Nam & quum plurimæ aliæ gentes perirent, ad ſolos tamen Niniuitas propheta directus eſt: & duo latrones iuxta dominum propenderunt, ſed vnus tantum electus eſt in ſalutem. Conſidera igitur horum, & admirare virtutem, non modò quia tam longi itineris ſubirẽ laborẽ, ſed etiam, quia tam ſimpliciter, ac liberè egere cum rege. Etenim, ne ſubdolè miſſi ab aliquo putarentur, & ducem ſui itineris produnt, & longinquitatem regionis fatentur, & fiduciam mentis oſtendunt. *Venimus,* inquit, *adorare eum.* Et neque tumultum populi, atque clamorem, neque poteſtatem reformidant tyranni: vnde mihi videntur iſti etiam in regione propria facti eſſe poſtea ciuium ſuorum magiſtri. Qui enim hic nequaquam iſta dicere timuerunt, multò hæc ipſa liberius patriæ ſuæ hominibus prædicaſſent: quippe præter ſtellæ indicium habebant & angeli reſponſum, & Prophetæ teſtimonium. *Audiens,* inquit, *Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Herodes quippe conſequenter, vtpote Rex, & ſibi pariter, & liberis formidans. Hieroſolyma verò quam tandem habuit cauſam timoris; quum certè illum audierit eſſe, quem ſaluatorem eius atque beneficum, & liberatorem prophetæ porrò antè prædixerant? Quanam igitur ratione Iudæi turbati ſunt? De ipſa nimirum prauitate ſentẽtiæ, qua prius auerſabantur dominum beneficia conferentem: & tam glorioſæ, quam conſequuti fuerant ab eo, libertati, præferebant

Nõ eſt admodum recepta hæc ſententia, ritus veteris legis fuiſſe à Deo tantum per Iudæos gentiũ inſtitutos.

1. Reg. 6.

1. Reg. 4.

[illegible]

[illegible]

1. Reg. 18.

Prouerb 9.

Matth. 2.

Mich. 5.

Geneſ. 49.

2. Par. 36. & 1. Eſdræ. 1. & 5.

Vides quã pie gratiã & liberũ arbitriũ coniungat.

ferebant miſerabilem illam, quam in Ægypto ſuſtinuerant ſeruitutem. Tu verò diligentiùs conſidera propheticam. Nam hoc quoque ipſum olim propheta prædixerat: & cupient, ſi nati ſint, eſſe *Eſa. 9.* igne combuſti: Quoniam puer natus eſt nobis, & filius natus eſt nobis. Quanquam enim turbati, nequaquam tamen ſtudent videre, quod factum eſt, neque ad adorandum euntes Magos ſequuntur, neque in tanta re, tàmque mirabili aliquid curioſitatis oſtēdunt: ita erant contentioſi pariter, ac deſides, atque omnibus duriores. Oportuerat namque eos continuo ſentire, quantum ſibi eſſet additum dignitatis, de tanti ſcilicet natiuitate regis, qui Perſarum ad ſe regem ortu ſuo triumphāte traxiſſet, & ſub quo omnes populos poſſent legibus ſubiugare, vt pote rebus in proſperiora ſuccedentibus, & regno iam clarè ab ipſo regis ſui fulgente principio. Qui tamen nec ſic quidem in meliora mutantur, quum paulò antè captiuitate fuiſſent Perſica liberati. Erat enim omnino conſequens, vt, ſi nihil de occultioribus, altioribuſq; didiciſſent, fœlicitatem tamen ſuam ea ipſa præſentium nouitate perdiſcerent, meritóque dicerent: Si iam regem noſtrum Perſæ natum tantummodo contremiſcunt, quantò cum magis poterūt timere firmatum, eiúſque imperiis obedire? Erunt ergo profectò noſtra omnium regnis gētium clariora: ſed nihil prorſus huiuſmodi deſides animos ſuſcitauit. Tantus ſiquidem illos torpor obſederat, tantus etiam illos poſtea languor inuaſerat, quod vtrumque vitium procul à nobis debemus arcere. Oportet enim eum, qui aduerſus iſta depugnat, ipſo igne potiorem in ſe feruorem mentis *Luc. 12.* accendere. Vnde etiam dominus ait; Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt accendatur? Propterea ſanctus ſpiritus in ſpecie ignis apparuit. Verum nos cinere frigidiores, & mortuis inſenſibiliores facti ſumus: & quidem quum ipſum Paulum beatum ſuper cælum cæli volitare videamus, ipſoque igni ardentius tranſcendentem cuncta, & cuncta ſuperantem, inferna ſcilicet, ac ſuperna, & tam præſentia quàm futura. Quòd ſi ſupra te eſt illud exemplum, quanquam iam hic ſermo torporis eſt (quid enim te amplius habuit Paulus, quia tibi illum impoſſibile credis imitari?) tamen ne aliquid contentioſius afferre videamur, *Act. 4.* prætereuntes Paulum, eos ſaltem, qui primi in Chriſtum crediderant, conſideremus. Qui certè & pecunias, & poſſeſſiones pariter, & curas, atque onera vitę huius reliquerunt, ſéque totos tradiderunt Deo, cunctis prorſus diebus, ac noctibus ipſius adhærendo ſermoni. Hæc eſt enim ſpiritualis natura flammæ, vt nullam ſecum carnalium ** forte, diuinum.* voluptatum ardere patiatur, ſed in* alium nos amorem ſemper accendat. Et idcirco talium rerum cupidus, etiam ſi cuncta, quæ poſſidet, cogatur impendere, ſi deridere gloriam, ſi eahorrere delicias, ſi ipſam poſtremò odiſſe vitam, quum ingenti omnia facilitate perficiet. Etenim præcipuus quidem illius ignis ardor, quum alicuius mentem fuerit ingreſſus, totum inde torporem, ignauiámque depellit: & eum, cuius ſemel pectus inuaſerit, omni prorſus alite præſtat eſſe leuiorem. Iamque iſte talis eſt, quæ videntur cuncta deſpiciens, in compunctione continua perſeuerat, largo aſſiduè fluens fonte lachrymarum, multamque hinc capiens voluptatem. Nihil quippe ita conglutinat Deo, vt illæ lachrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. Qui enim talis vitæ conſeruat tenorem, etiam ſi in medio vrbis videatur habitare, quaſi in eremi tamen vaſtitate requieſcit, & inter ſolitudines montium, & ſecreta conuallium. Nullo enim tumultu rerum, ſtrepituque concutitur: nihil de præſentium auocatione conſpiciens, neque vllam ſacietatem de huiuſmodi luctu lacrymiſque percipiens, ſiue propria peccata, ſiue etiam lamentetur aliena. Et idcirco Chriſtus hos præ cæteris pronuntiauit beatos. Beati, inquiens, qui lugēt. Et quemadmodum *Matt. 5.* (inquies) Paulus ait; Gaudete in domino ſemper? *2. Cor. 13.* Dixit hoc quidem ille, confiteor: ſed eam proculdubio, quæ ex his naſcitur lachrymis, ſignificans *Phil. 3 & 4.* voluptatem. Sicut enim mundi gaudium triſtitiæ conſortio copulatur: ita etiam ſecūdum dominum lachrymæ iugem pariunt, certámque lætitiam. Sic etiam illa in euāgelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum largiſſimo lachrymarum fonte purgata. Quia enim perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari (vt ita dixerim) cœpit deſiderio ea agitata Chriſti. Siquidem continuò & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberibus diluens lachrymis, ac pro- *Luca 7.* priis extergens capillis, pretioſo rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat, ea verò, quæ in ſecreto mentis agitabat, multò his erant igniciora, multóque maiora, quæ tantummodo Deus ipſe cernebat. Et idcirco omnis hoc audiens congaudet illi, ac de eius virtute lætatur, ab omníque illam crimine decernit alienam. Si igitur nos maligni hanc de illius ferimus conuerſione ſententiam, intellige quanta iam benigni Dei liberalitate potiatur, quantorúmque etiam ante illum diem remunerationis ex ipſa pœnitentia fructum ſibi congregauit bonorū. Sicut enim poſt vehementes imbres, mundus aër, ac purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur, atque tranquillitas, omníſque illa de peccatorum tenebris offuſa caligo diſſoluitur. Et ſicut ex aqua, & ſpiritu, ſic rurſus ex lachrymis, & confeſſione purgamur, modò ne ad oſtentationem iſtud, & laudem faciamus. Illa ſiquidē, quæ huiuſmodi deflet intuitu, magis etiam culpa digna eſt, quàm quæ corporalis ſtudio pulchritudinis coloratur fucis, ſtibióque depingitur. Illas (inquam) ego requiro lachrymas, quæ non oſtentationi proficiunt, ſed compunctioni, quæ funduntur occultè, quæq́ue ex illo dolore profluunt, quæ intra conſcientiæ theſaurum, & pectoris arcana celantur, quæ per afflictas genas nullo hominum teſte voluuntur, quæ ſummo in ſilentio, & quiete deſiliunt, quæ ex intimo cordis ebulliunt, quæ ex tribulatione, & dolore naſcuntur, quæq́ue ſolius Dei oculis offeruntur. Quales certè illæ erant Annæ aliquando lachrymæ, de qua dicitur; Labia *1. Reg. 1.* eius mouebantur, vox autem eius audiebatur. Solæ quidem lacrymæ emittebant ad dominum vocem omni buccina clariorem: & idcirco ſterilitatem eius in fœcunditatem mutarunt, & quaſi è duro quodam ſaxo, agrum fertilem reddiderunt. Si ergo tu quoque eiuſmodi lachrymas fundas, *Ioan. 11.* etiam domini tui efficieris imitator. Nam & ipſe *Luc. 19.* fleuit, & quum Lazarum ſuſcitauit, & quum ad expugnandam reſpiceret ciuitatem. Sed etiam tunc profectò, quum de Iudæ proditione ſimul, ac perditione turbatus eſt. Itaque flentem qui-

dem illum frequenter inuenias, nunquam verò ridentem, ſed nec leuiter ſaltē ſubridendo gaudentē. Nullus enim hoc Euangeliſta memorauit. Nam quòd & Paulus fleuerit quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus, & alij de illo, & ipſe de ſeipſo teſtatur. Quòd verò riſerit, neque ipſe vſquam, neque de eo quiſpiam alius oſtendit. Sed nec vllus ſanctorum, vel de alio quopiam, tale quid aliquando ſignificaſſe narratur. De ſola ſanè Sara legimus hoc dictum, ſed illicò Dei voce correpta eſt, & de filio Noë, ſed propter illum riſum ſeruus factus eſt ex libero. Et hæc dico non vt riſum prorſus abſcindam, ſed vt diſſolutionem penitus extinguam. Cuius etenim rei gratia in cachinnum ſoluetis, & defluis, qui tantorum tibi ſpontè factus es cauſa mœrorum? ante tribunal Chriſti illud ſtaturus terribile, & ſumma cū examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus, quum vtique non de iis ſolùm iudicandi ſimus, quæ voluntate, atque propoſito, ſed etiam quæ coacti aliquando committimus. Qui enim, inquit, negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo. Et certè plerumque contigit, vt extorqueatur alicui negatio Dei, ſed tamen non effugit iſta ſupplicium. Nam pro hac quoque pœnas luemus. Nec de iis tantummodo puniendi ſumus, quæ ſciendo peccamus, verumetiam pro illis, quæ ignorando committimus. Nihil, inquit Apoſtolus, mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et hoc dixit ille, qui conſcientiam ſuam iugiter ponderabat, quique maxima ſcientiæ luce refulgebat. Teſtimonium, inquit, illis perhibeo, quia æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Veruntamen hoc eis ad purgationem omnino non ſufficit. Sed & Corinthiis ſcribens; Timeo, inquit, ne, ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Pro tantis igitur peccatis pœnas daturus, ſecurus tui ſedes, miſerabili riſu, lugēdiſq; facetiis te ſimul, alioſq; diſperdens, & de ſola delitiarum voluptate ſolicitus, bona æterna contemnis. Si ergo, inquis, iſta non fecero, ſed ad luctum fuero, lachrymáſque conuerſus, quem tandem fructum capeſſam? Profectò maximum, & omnino tantū, quantum ſermo explicare non ſufficit. In ſecularibus enim iudiciis, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, & lugeas, non tamen effugies flendo ſupplicium: hîc verò, ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſoluiſti repentè ſententiam, veniamq; meruiſti. Idcirco multa nobis de luctu loquitur Chriſtus, & beatificando lugētes, & miſerando ridentes. Non enim in vnū propterea ſæpius conuenimus, vt indecentibus cachinnis reſoluamur: ſed vt gemamus potius, & regnum ex hoc gemitu hæreditemus futurum. Nā tu quidē ſi cōſpectui terreni regis aſſiſtas, nec ſubridere prorſus audebis: ipſum verò angelorū Dominū habens vbique præſentem, non ei cum tremore aſſiſtis, maximaq; reuerentia: ſed etiam illo & iraſcente tu rides, nec vides quod amplius hinc eum commoueas, quàm peccando commoueras. Neque enim ita peccantes auerſatur Deus, quàm eos, qui poſt peccata ſecuri ſunt. Et tamen inueniūtur quidam tam inſenſibiles prorſus, ac ferrei, vt poſt hæc etiam dicat; mihi verò vtinam haud vnquam flere contingat, ſed præſtetur mihi potius à Deo ludere omni tempore, & ridere. Quidnam, obſecro, tali

Act.20. *Ge.17.& 18* *Galat.9.* *Matt 10.* *Luc 19.* *1.Cor.4.* *Rom.10.* *1.Cor.11.* *Luca 6.*

inueniatur mente puerilius? Non enim Deus dat ludere, ſed diabolus. Audi igitur quid paſſi fuerint aliquando ludentes. Sedit, inquit, populus mādu- *Exo.32.*
care, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Tales erant quondam in Sodomis, tales etiam tempore fuère diluuij. Nā & de illis dominus ait, Quoniā ſuper- *Ezec.16.*
bia, & ſaturitate panum, & diuitiis affluebant. Illi quoque, qui Noë tēpore, quum per tot annos fabricari arcam viderent, fugiebant omnem compunctionis dolorem, malè blandæ tantum lætitiæ ſeruiebāt, nihil omnino erant prouidi futurorum: & propterea ſubita omnes illos merſit pœna diluuij, factumq; eſt totius orbis commune naufragiū. Noli igitur hæc à Deo poſcere, quæ accipis à diabolo. Dei ſiquidem eſt, humiliatā dare animā, trementem, preſſam, pudicam, pœnitentē, atque *Ephe.6.*
compunctam. Hæc enim ſunt Dei munera: quia & nos talibus potiſſimum indigemus. Imminet nanque nobis grande certamē, & aduerſus inuiſibiles lucta virtutes, aduerſus ſpiritualia nequitiæ, & contrahuius mundi principatus, & poteſtates pugnandum eſt: ac ſtudendum, & ſemper optandum, vt ferum illum ſuperemus exercitum. Quòd ſi redeamus, atque ludamus, iugem deſidiam confouentes, facillimè ante pugnam quoque proprio corpore vincemus. Non eſt noſtrū ergo, aſſiduè ridere, reſolui cachinnis, molliri delitiis: ſed eorum potius, & earum, quæ ſpectātur in theatris, quæ in lupanaribus inquinantur, eorum, qui ad hoc ſunt facti paraſitorū, & adulatorum. Non eſt, inquam, hoc eorum, qui ad æternum regnum vocati ſunt, quique in cæleſti illa ciuitate conſcripti, non eſt ſpiritualia arma geſtantium: quod certè proprium eſt diabolo militantiū. Ille enim eſt ille, qui etiā in artem, iocos, ludóſque digeſſit, vt per hęc ad ſe traheret milites Chriſti, virtutiſque eorum neruos faceret molliores. Propterea in vrbibus etiam theatra conſtruxit, & illos riſuum, ac turpium voluptatum incentores parauit, quos abſtinentiæ quoq; adiumento fecit his atribus aptiores, vt per illorum ſanè famē vniuerſas prorſus vrbes communi peſte corrumperet. Quæ nos fugere præcipuè beatus præcipit Paulus, ſuadens vt & ſtultitiam, & ſcurrilitatem à nobis longius repellamus: ex quibus riſus multò pernicioſior eſt, multóque deterior. Quādo enim mimi illi, atq; ridiculi, blaſphemum, ac turpe quid dixerint, tūc potiſſimum quique ſtolidiores ſoluūtur in riſum: inde applaudentes magis vnde etiam illos lapidibus exagitare debuerant, qui fornacem ſibi ignis horribilis ex huiuſmodi voluptate ſuccēdunt. Qui enim laudāt iſta dicentes, ipſi eis hæc exercere perſuadent, & idcirco ipſi potius propter hæc merentur ſubire ſupplicium. Si enim nullus eſſet talium ſpectator, ac fautor, nec eſſent quidem, qui aut dicere illa, aut agere curarent. Quando verò nos cernunt, & artes proprias, & ipſa exercendi quotidiani operis loca, & illum, quem ex his paratis quæſtum, & prorſus omnia ſimul vaniſſimi illius ſpectaculi amore deſerere: auidiori & illi ad hæc intentione rapiuntur, ſtudiúmque his maius impendunt. Et hæc dico, non vt illos à crimine videar vindicare, ſed vt vos diſcatis initium, & caput iniquitatis huius vos eſſe potiſſimum, qui totam prorſus diem in tam ridicula, tamque etiam pernicioſa voluptate conſumitis, & honeſtum coniungij nomen, ac reuerendum in illud negotium publicatis. Non enim tam ille delinquit, quia illa ſimulat, quam tu,

tu, qui hoc fieri iubes. Nec ſolùm iubes, ſed etiam exultatione, riſu, plauſu adiuuas, quæ geruntur, omnibuſque prorſus modis hanc diabolicam cõfoues officinam. Quibus iam igitur oculis domi coniugem cernis, quam ibi in perſona alterius tãtæ vides iniuriæ ſubiacere? Quomodo autem non rubore ſuffunderis, quoties vxoris recordaris, quando eundem ſexum tam fœdè ibi videris publicatum? Neque verò iſtud mihi opponas, quod iam quicquid ibi fit, imitatio ſit iocorum, non etiã veritas rerum. Etenim ſimulatio iſta plurimos adulteros facit, & multas domos ſubuertit. Proptereáque maximè gemo, quòd iam grande malum eſſe non creditur: ſed quod eſt multò deterrimum, & fauor, & clamor, & plauſus adhibetur & riſus, cum in communem perniciem adulterium tam turpe committitur. Quid ergo ais, ſimulatio eſt illa, non crimen? propterea mille illi mortibus digni ſunt: quoniam, quæ fugere cunctæ prorſus imperant leges, ea iſti non verentur imitari. Si enim adulterium malum eſt, malum eſt ſine dubio eius imitatio. Et nondum dico quantos adulteros faciant, qui hæc adulteria ſimulatione committunt, quemadmodum etiam impudentes horum imitatores efficiant. Nihil quippe obſcœnius illo oculo, nihilque laſciuius, qui ſpectare talia patienter poteſt: ne dicam libenter. Deinde quale illud eſt, vt, cùm in platea nudam fœminam nolis aſpicere, imò neque domi quidem, ſed etiam ſi id fortè contingat, in iniuriam tui factum putes: quum verò aſcẽdis theatrum, vt violes vtriuſque ſexus pudorem, obtutúſque proprios pariter inceſtes, nihil tibi inhoneſtum credas accidere? Non enim iſtud accipias, quia meretrix nuda eſt: ſed quia natura ipſa eſt, idémque corpus eſt meretricis, & coniugis. Si enim nihil in tali te eſſe opinaris obſcœnũ, qua gratia cum idipſum in platea videris, à cœpto reſilis inceſſu, & inuerecundiam ſeuerius exagitas? niſi fortè credis, eandem rem non ſimiliter eſſe turpem, cum eam ſeparatim cernis, & cum omnes conſentientes aſpicias. Verum iſtud riſus eſt prorſus, ac dedecus, & extremæ omnino verba dementię, potiúſque eſt luto, atque cœno omnem ſuam turpare faciem, quàm tantæ ſpectaculo fœditatis. Non enim ita cœnum oculis noxium eſt, vt impudicus ille vultus, & nudatæ meretricis aſpectus. Audi igitur qui iam à principio generi hominum nuditatem induxerit, & vel hoc pacto turpitudinem illam metue. Quid igitur nudos fecit homines? inobedientia, & diaboli conſilium, tam hoc illi iam à principio ſempérque ſtudio fuit. Verum illos quidem cùm nudi eſſent, puduit tamẽ: vos eam rem laudi ducitis, iuxta illud Apoſtoli, gloriam in turpitudine ponentes. Quonam igitur te pacto deinceps aſpiciet vxor à tali fornicatione redeuntem? quemadmodum ſuſcipiet, & alloquetur tam indignè naturæ muliebris conditionem, ſexúmque fœdantem, atque à tali ſpectaculo captiuum, ſeruúmque redeuntem mulieris fornicariæ? Si igitur hæc audientes doletis, maximas gratias vobis agere me, & debere confiteor. Quis eſt enim, qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me? Ne igitur deſinatis ſuper huiuſmodi licentia gemere, ac ſæpius remordeti. Hic enim dolor fiet nobis cõuerſionis ad meliora principium. Propterea & ego ſermonem vehementius preſſi, vt aliquote quaſi iam inciſione ab eorum vos, per quos inebriamini, putredine liberarem, atque ad puram reuocarem animi ſanctitatem: qua quidẽ, & præmiis veræ pietati propoſitis, omnes nos potiri contingat, gratiâ, & miſericordia, domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria cum patre, & ſancto ſpiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

E*T congregans omnes principes, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur: At illi dixerunt, In Bethlehem Iudæ.* Vidiſti certe, vt ſermo ſuperior oſtendit, cuncta omnino, quæ facta ſunt, ad redargutionem proficere Iudæorum: qui, priuſquam Chriſtum viderent, ac veneno inficerentur inuidiæ, ſimpliciter de illo teſtimonia prædicta recitabant: vbi verò aſpexerunt gloriam eius de miraculis coruſcantem, liuore corrupti, ſupprimunt veritatem. Sed illa per hæc potius cuncta creſcebat, & ab ipſis quoque iuuabatur inimicis. Conſidera verò hoc loco etiam quàm improuiſa, quámque miranda proueniant: quandoquidem & viciſſim docent, & mutuò à ſe aliquid addiſcunt; Iudæi ſcilicet, & Perſæ. Nam Iudæi quidem à Magis audiunt, quoniã ſtella eum à regione Perſidis prædicarit: Magi verò à Iudæis diſcunt, quoniam ipſum Ieſum ſtella mõſtrauerit, vt prophetæ antè prædixerant. Quæ certè interrogatio occaſio fit diligẽtioris materia doctrinæ. Ipſi quidem veritatis inimici, pro veritate coguntur legere literas: & prophetiam de Chriſto neſcientibus interpretari: licèt non eam omnino totam voluerint publicare. Quum enim dixerint, quia ex Bethlehem proceſſurus eſſet, qui regeret Iſraël: nequaquam tamen id, quod ſequitur, addiderunt, in adulationem profectò regis: vt ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent. Quid verò iſtud erat? Et egreſſus, inquit, eius à diebus æternitatis ab initio. Et cuius, inquies, rei gratia, ſi inde erat (vt prædictum eſt) aduenturus, aliquanto tempore in Nazareth moratus eſt, *Mich. 5.*
per quod etiam obſcurauit prophetiæ ipſius veritatem? Quinimo nõ obſcurauit, ſed magis etiam ſi conſideres, reuelauit. Hoc enim ipſum, quòd in Nazareth ſemper mater habitarat, quæ illum in Bethlehem genuit, ratione, & prouidentia rem oſtendit impletam. Et idcirco non continuò, vt natus eſt, in ciuitatem ſuam venit, ſed in Bethlehẽ quadraginta remoratus diebus: vt iis, qui diligentius vellent de ipſo cuncta rimari, occaſionem inquiſitionis ingereret. Etenim multa erãt, quæ manifeſtũ efficerent, quod latebat, ſi modò illi inueſtigare voluiſſent. Siquidem venientibus propter illũ ab extremo Oriente Magis, totus omnino populus in admiratione ſuſpenſus eſt: ſed etiam Rex ipſe cum populo, & Propheta in medium quaſi teſtis adductus eſt, factaq; eſt magna cuiuſdam põpa iudicij. Sed & alia quoque plura tunc geſta ſunt, quæ Lucas diligẽter cuncta contexuit, proferẽs & Annæ viduæ, & Simeonis iuſti, & Zachariæ ſacerdotis, & angelorum pſallentiũ, & paſtorũ exultantiũ conſonas de pueri maieſtate ſentẽtias: quę omnia ſatis erant idoneam pręſtandi occaſionem, vt, *Luca 2.*
quod factũ fuerat, diſceretur. Si enim Magi à Perſide veniẽtes, non ignorauerũt eũ, in quo eſt ortus locum, quanto magis, qui ibidem conuerſabãtur, diſcere vniuerſa potuerunt? Oſtendit ſe igitur ab

initio ortus ſui multorum mirabilium teſtimonio. Quia verò illi videre tam lucentia noluerunt, per aliquantum ſe quidem tẽpus occultauit: ſed rurſus alio ſemetipſum demonſtrauit modo, & quidem multò clarioris teſtimonio poteſtatis. Non
Matth. 3. & Luca 3. Ioan 1. enim iam illum Magi, non ſtella, non angeli: ſed pater ipſe cœlitus prædicauit. Nam, cùm ad Iordanis fluenta conſiſteret, ſuperuenit, & ſpiritusſanctus, vocem illam patris ſuper baptizati caput deferens, & Ioannes omni cum libertate ſermonis multitudinem ad ſe venientiũ cohortando totam omnino Iudæã habitabilia loca, atque deſerta lu-
Matth. 8. mine huius prædicationis implebat. Teſtimoniũ quoque erat magnum ſignorum: nam & terra, & mare, cunctáque omnino creatura clariſſima pro Chriſto voce reſonabat. ipſo quoque virginalis partus tempore ea ſunt facta miracula, quæ abundè poſſent maieſtatem demonſtrare naſcentis. Ne enim dicerent, ignoramus, quando, & in qua regione ſit natus: & illa de Magis impleta ſunt, & alia (vt diximus) plurima, vt nullus prorſus excuſationis relinqueretur color, qui id, quod impletum fuerat, inquirere voluiſſent. Porrò conſidera
Mich. 5. ipſam Prophetæ diligentiam. Nõ enim dixit, quòd in Bethlehem permãſurus eſſet: ſed ex Bethlehem procedet, inquit: vt ſignanter prophetaſſe videatur, illum ibi tantummodo naſciturum. Quidam enim impudenter audaces aiunt, de Zorobabel hæc fuiſſe prædicta. Sed qua tandem iſtud ratione defenditur? Non enim huic competit, vt egreſſus eius à principio ex diebus æternitatis eſſe dicatur. Quomodo autem ſaltem illud quod antè dictum eſt; Ex te exiet Dux: de Zorobabel poterit conuenire, qui non in Iudæa, ſed in Babylone ortus do-
1. Eſdr. 3. cetur? Vnde etiam ipſum nomen accepit, quia ſcilicet ibi ſit in ſobolem ſeminatus. Quicunque habent Syri ſermonis peritiam, intelligunt profectò, quod loquimur. Supra hæc verò, quæ diximus etiam exitus ipſe rerum, prædicti de Chriſto teſtimonij aſſerit veritatẽ. Quid enim dicit? *Nequaquam minima es in principibus Iuda.* Cauſam quoque, quæ illam magnam, atque illuſtrem faceret, adiungens; *Egredietur*, inquit, *ex te Dux*. Nemo enim alius omnino, præter Chriſtum, clarã illam fecit, nobilémque regionem. Poſt illum ſiquidẽ inuſitatum, admirandúmque partum, ab extremis vſque finibus mundi, veniunt ad viſendũ illum tugurij, ac præ-
Nota peregrinationem ad loca ſacra. ſepij locũ. Quod certè olim propheticus ſermo ſignauit, dicẽs; Nequaquã minima es in principibus Iuda. Id eſt, inter tribuum principes. Hoc vero dicens, Hieruſalem quoque pariter comprehendit. Sed nec ſic quidem Iudæi intendere voluerunt, & certè, quũ maxima ad illos deferretur vtilitas. Idcirco enim inter initia non tam dignitate illius loqui Prophetæ indicũtur, quàm de beneficio, quod in eos maximum conferebat. Nam & quum virginis partus, inſtaret: Vocabis, inquit, nomen eius Ieſum: & intulit, dicens; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis eorum. Et Magi quidem, non vbi eſt, qui natus eſt filius Dei: ſed, natus eſt, inquũt, rex Iudæorum: hîc quoque propheta non dixit, ex te procedet filius Dei: ſed dux, inquit, qui regat populum meum Iſrael. Oportebat ſiquidem condeſcenſorio, & humiliore interim ſermonis ingreſſu inſtitui prædicationis exordia, ne tanti adhuc myſterij animos rudes, ſubitò patefacta veritas in ſcandalum concitaret. Et idcirco ea magis, quæ ad ſalutem ipſorum pertinent prædicantur, vt ad ſuſcipiendum interim regem beneficio ſibi blandiente concurrant. Quæcunque igitur prima teſtimonia proferuntur, & quotũ ſtatim poſt natiuitatem tempus erat nihil de illo præcipuum dictum, nihilque ſublime, nec omnino tale aliquid, poſteaquam proceſſit in medium, ipſa clamabant documenta ſignorũ. Illa quippe de poteſtate eius & certius loquuntur, & clarius. Quum enim poſt mirabilia, quę fecit innumera, hymnos in illũ pueri canerent, illud ei propheticũ coaptantes; Ex ore infantium, & lactantium perfeciſti laudem, & rur- Pſal. 8.
ſus, Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: proculdubio creatorem illum omniũ eſſe clamabant. Illud etiam teſtimonium, quo eius in cælũ ſignatur aſſumptio, æqualitatem cum patre oſtendit. Dixit inquit, Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Eſaias verò ait; Quoniam, qui Pſal. 109.
exurget *gentes: in eũ gentes ſperabunt. Quomodo autem dixit; Bethlehem non eſſe minimam in principibus Iuda? quia profectò nõ omni Palęſtina tãtum, ſed vniuerſo prorſus orbe factus eſt ille vicus illuſtrior. Sed ad Iudæos videtur interim ſermo aſpicere, & idcirco ſubiunxit; *Qui reget populum meum Iſrael.* Quum certè totius ſit orbis rector effectus: ſed, vt dixi, nolẽs interim defendere Iudęos ſermonem de gentiliũ vocatione celauit. Et quemadmodum, inquis, rexit populum Iudæorum? Et iſtud quidem propriè factum eſt: ſed hîc tamen Iſrael illos appellat omnes, qui ex Iudæorum, & gentilium populo crediderunt. Et interpretans Apoſtolus aiebat; Non enim omnes, qui ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: ſed, quicunque per fidem repromiſſionis nati ſunt. Si verò nõn omnes regit, vocatorum crimen eſt, non vocantis. Quum oporteret enim illos adorare cum Magis, & glorificare Deum, quia tale iam tempus inſtat, in quo illorum omnia peccata ſoluantur: nihil nanque in hoc loco audiunt de terrore iudicij, nihil de comminatione ſupplicij, ſed de manſueto tantum, mitíque rectore: ex aduerſo cõturbantur, atque conturbant, & mille poſt hæc moliuntur inſidias. *Tunc Herodes, inquit, clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.* Puerum proculdubiò interficere cupiens: quod non ſtultitiæ ſolùm, ſed etiam furoris indicium eſt. Nam & illa, quæ facta ſunt, & iſta, quæ dicta, ſatis idonea erant, quæ ab omni illum poſſent deterrere conatu. Non enim ex hominibus erant illa, quę natum eſſe regem docebant. Siquidem & quod ſtella Magos ab Oriente vocauit, & quod homines Barbari longinquæ ſubierunt peregrinationis laborem, modo vt adorarent in pannis, atque in præſepio collocatum: quod olim propheta omnia iſta prædixit, aliáque eiuſmodi longè maiora erãt, quam vt ſecũdum hominum poteſtatem fieri crederentur: ſed illum tamen nihil horum omnino compeſcuit. Tale quippe eſt initiũ malignitatis, vt à nullo impulſa plerunque ſeſe ipſa præcipitet, & quàm ſępe abſque effectu operis, ęrumnoſa, & impoſſibilia geſtit efficere. Conſidera ergo vecordiã ſingularẽ. Si enim Prophetiæ ipſi crediderat, eámque inuictam putabat, clarum erat illum aduerſus impoſſibilia conari. Si verò minimè credebat prouentura eſſe, quæ tanto antè prædicta ſunt, nec ſibi timere debuit, nec puero inſidiari. Ex vtroque igitur fruſtrà ſuſceptus dolus iſte conuincitur. Sed & quòd ſperauit Magorum labefactari poſſe ſcientiam, ad eandem mentis ſpectat inſaniam. Erat enim

* addendum inter.

enim extremæ omnino vecordiæ, vt ſe crederet à Magis potius adorandum, quam illum, in cuius vix dum nati honorem tot regionum itinera confecerant. Si enim prius etiam quàm viderant, ita ſunt in deſiderium eius effuſi, iam quum in contemplatione ipſa Prophetæ eſſent prædictione firmati: qua nã illos ratione futuros credebat pueri proditores? Et tamen, quum tam multa ſint, quæ illum poſſent à noxia intentione deducere, conatur nihilominus cupita complere. Siquidem, clàm vocatis Magis, ſciſcitabatur ab eis. Exiſtimabat enim Iudæos pro pueri ſalute ſolicitos, nec in tantum illos furoris erumpere, vt protectorem, & ſaluatorem ſuum, & ad liberationem illius gẽtis ortum, vellent tradere manibus perſequentis. Idcirco ſecretè Magos vocat, ac ſolicitè tempus inquirit, non pueri, ſed ſtellæ, crudeliſſimæ venationis auidus, multo eum ambitu tendit inſidias. Conſequenti verò ratione colligitur, ſtellam ipſam ante multum apparuiſſe tempus. Quia enim Magi plurimi erant itineris longinquitate remorandi, neque poterant mox nato puero aſſiſtere, quem vt mirabilius rei dignitas eluceret, pannis adhoc infantiæ colligatum oportebat adorari, ante multum tempus eum ſtella demonſtrat. Si enim quando puer natus eſt in Palæſtina, tunc illis ſtella apparuiſſet in Perſide: plurimum in itinere tempus terentes, nequaquam illum adhuc in pannis inuenire potuiſſent. Quòd à biennio, & infrà, Herodes pueros interfecit, ne mireris. Siquidem conueniẽs in eundem tyrannum pauor, & furor, pro abundantia cautionis, & licentia perſequutionis, maius etiam tempus includit: ne quis profectò eius ætatis, & fortè is potiſſimum, propter quem alij interimuntur effugiat. *Quum igitur eos vocaſſet: Euntes*, inquit, *interrogate diligenter de puero, &c.* Nempe cõſideraſtis ſtultitiæ mixtum dolum tyranni. Si enim hæc verè dicis, qua tandem ratione ductus latenter interrogas? ſin autem & fraudem ſpecie conſilij tegas, hoc ipſo non caues, quod clàm de puero interrogas dolum tuum à Magis ſacris deprehendi. Verùm, vt paulò antè præmiſimus, anima ſemel malignitate capta, ſtultior cunctis efficitur. Non autem dixit, Euntes diſcite de rege nato: ſed, *de puero*, inquit: ita ei etiam nomen poteſtatis inuidebat. Sed Magi præ multa erga regem reuerentia, nihil mali penitus ſuſpicantur. Non enim opinabantur, quòd in tantum malignitatis ille prorumperet, vt tam admirabili diſpenſatione nato moliri auderet inſidias. Proficiſcuntur itaque, nihil horum penitus ſentientes, ſed ea propriæ ſimplicitate mentis etiam cæteros æſtimantes. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos.* Propterea enim aliquandiu fuerat abſcondita, vt amittentes ſubitò itineris ſui ducem, interrogare Iudæos de puero cogerentur, remque in notitiam omnium publicarent. Poſtquàm verò interrogauerunt, & ipſos pueri inimicos ad cognoſcẽdam dignitatem eius habuerunt magiſtros, ſtella eis rurſus apparuit. Sed conſidera mirabilem prorſus ordinem rerum: à Perſide illos vſque Hieroſolymam ſtella deducit, poſt ſtellam ſuſcipit eos populus Iudæorum, & rex Herodes, qui adducit Prophetam, id quod illis apparuerat, prædicantem. Poſt Prophetam verò rurſus diriguntur à ſtella & ab Hieroſolymis in Bethlehem, ipſa ducente, perueniunt. Ibi iam excipiuntur ab angelo, ac de omnibus inſtruuntur: inde quoque redeuntes, adhuc ſtella comitatur. Hinc euidẽter addiſcas, quia non vnum erat hoc ſydus è cæteris. Nulla quippe hanc habet ſtella naturam. Neque enim ibat propter Magos tantummodo, ſed præibat quodammodo apprehenſa manu trahens eos, viámque demonſtrans, lucente prorſus die, ac Sole rutilante. Et quidnã opus erat, inquis, hoc ſydere, quum certè iam vicus ille fuiſſet repertus? Abſq; dubio, vt videretur & puer. Neque enim erat prætetea quicquam, quod illum poſſet oſtẽdere, quum nec eſſet ipſa domus conſpicua, nec mater quaſi clara quædam celebraretur, ac nobilis. Opus igitur fuit ſtella, quę ſuper ipſum prorſus tugurij culmen inſiſteret: propter quod & ab Hieroſolymis proficiſcentibus rurſus apparuit, nec prius à curſu ſuo deſtitit, quàm ad ipſum præſepium peruenirent. Duóque ſimul mirabilia iunguntur. Fuit enim vtrumque mirandum, vt & Magi adorarent puerum, & eos ad adorandum ſtella perduceret: quæ certè talia ſunt, vt etiam lapideas mẽtes ad lumen Dei omnino attrahere queant. Deinde, poſtquam ſupra pueri caput inſtitit, iterum ſe ſydus abſcondit: quod ipſum maius erat, quam vt à ſtella fieri crederetur, nunc videlicet apparere, nunc occuli, ſéque rurſus oſtendere. Hinc proculdubio Magi quoque incrementa fidei cœperunt. Propterea etiam gratulati ſunt, quoniam quæſitum, deſideratúmque repererant, quoniã effecti fuerant nuntij veritatis. Et, quia non fruſtrà tam longæ viæ ſpatia confecerant, tam ardenti quippe erga Chriſtum cupiditate flagrabant. Etenim ad locum ſtella perueniens ſuper ipſum pueri ſtetit caput oſtendens profectò Dei filiũ eſſe qui natus eſt. Quumq; ibi aliquantulum ſubſtitiſſet, ad adorandum adducit, quos præceſſerat ad viandum, non ſimpliciter Barbaros, ſed illis longe vtique ſapientiæ dignitate præſtantes. Vidéſne igitur quàm hæc ſtella apparuerit neceſſariò. Siquidem & poſt Prophetæ teſtimonium, & poſt ſacerdotum, ſcribarúmque interpretationem, illa nihilominus vtebantur magiſtra. Erubeſcat Marcion, erubeſcat & Samoſatenus ille Paulus, qui nolunt videre, quod Magi viderũt eccleſiæ progenitores. Nequaquam ſic erubuerim nuncupare eos. Confundatur, inquam, videns dominum Marcion in aſſumptione carnis adorari: confundatur & Paulus, videns non ſicut hominem, quem tantummodo hominem ſuſpicatur. Nam quòd in carne vera ſit, oſtendunt panni, atque præſepe. Quia verò non nudum, id eſt, non ſolum adorent hominem, profectò declarat, quia adhuc æui rudem his muneribus honorent, quæ offerri Deo ſolent. Confundatur eum ipſis etiam natio Iudæorum, cernens ad credendum in Chriſtum Magos, ac Barbaros præuenire, ne poſt illos quidem venire ſuſtinens. Ecce enim, quæ tunc facta ſunt, futurorum expreſſere figuram. Ab ipſo ſiquidem dominici aduentus principio declaratum eſt, quoniam populum illum fides gentium præueniret. Et quomodo non ab initio, dices, ſed in fine ipſo: Euntes docete, inquit omnes gentes? Quia ſcilicet, vt paulò antè memorauimus, figura erat id quod tũc accidit, & quædam prædicatio futurorum. Erat quippe conſequens, primos ad fidem Iudæos potius accedere. Quoniam verò ſpontè oblatum ſibi beneficium reſpuerant, in contrarium verſa res eſt. Cæterùm nec ad paruulum adorandum Magi priuſquam Iudæi accedere debuerant. Nimiæ ſiquidem co-

Multis non probatur hæc ſententia.

Non videtur certè, Magos è Bethlehẽ in patriã reuerſos, ſtella comite, vt auctor videtur aſſerere, vel certè tranſlatio eſt mendoſa.

Matt. 28.

arguunt tarditatis, quos iuxta ipſum omnino dominici ortus ſedentes locum, poſt tot regionum ſpatia emenſa præueniunt, & hi, qui nihil prorſus de Chriſto audierant, præcurrunt eos, quos ad eum ſuſcipiendum tot prophetarum vaticinia concitabant. Quia igitur domeſtica illa, præclaráque bona ſua ignorarunt, mirum non eſt à Perſis ea eſſe prærepta. Quod certè dicit & Paulus:

Act.13. Vobis quidem oportebat primùm annuntiare verbum Dei; ſed, quoniam vos indignos iudicaſtis, ecce conuertimur ad gentes. Et ſi igitur antea permanebant increduli, tamen, poſtquam idipſum à Magis audierant, confeſtim ad Chriſtũ debuerunt aduolare. Sed vtique noluerunt: & propterea, iſtis dormientibus, illi peruenerunt. Imitemur igitur nos ſaltem deuotionem Magorum, veróque amore philoſophiæ barbaram conſuetudinem ſubiugemus. Longo itinere curramus, vt Chriſtum videre mereamur. Nam & illi, niſi procul regionem propriam reliquiſſent, nequaquã vtiq; Chriſtum videre potuiſſent. Recedamus igitur à terrenis negotiis, atque curis. Etenim Magi illi, quum adhuc morarentur in Perſide, ſtellam videre tantummodo: quia verò à Perſide receſſerunt, Solem ipſum aſpexere iuſtitiæ: qui certè nec ſtellam quidem ipſam tandiu videre meruiſſent, niſi citò à Perſide fuiſſent profecti. Surgamus ergo etiã nos, &, licet omnes reſiſtant, nos tamen alacres, & prompti, ad pueri accurramus domum. Etſi rex, etſi populus, etſi tyrannus huius velint curſum itineris impedire, nequaquam tamẽ accenſi deſiderij extinguamus ardorẽ. Sic enim omnia aduerſa calcabimus: quoniam & illi, niſi vidiſſent puerum, nec periculũ, quod intentabatur a rege, vitaſſent. Prius enim quàm puerum cernerent, vndique illis opponebantur timores, conturbationes, atq; diſcrimina: poſtquam verò adorarunt, ſecuritas, & tranquillitas ſubſecuta eſt. Nec iã ſtella eos, ſed angelus ſuſcipit: quia ſcilicet adorãdo facti fuerant ſacerdotes, cum ſupplicatione etiam muneribus oblatis. Et tu itaq; iudaicum populum repugnantem, vrbem vacantem, inſidiãtem tyrannum, & fallacem iſtius ſeculi vmbram relinquens, in Bethlehem feſtinus accurre, & domũ ſpiritalis panis ingredere. Et, ſi enim paſtor fueris, in diuerſorio puerum videbis. Et, ſi rex fueris, nec tamen deuotus adueneris, nihil omnino proderit purpuræ fulgore circumdari. Et, ſi magus fortè ſis, nihil te ad hunc regẽ introire prohibebit, modo vt adoraturus, atque honoraturus Dei filium, & non quaſi conculcaturus aduenias: modo vt honorem ipſum cum gaudio, ac tremore offeras: poſſunt enim vtraque hæc pariter conuenire. Sed caue, ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas, *vt & ego veniens adorem eum*: quúmque veneris, interimere coneris. Huius etenim ſimiles ſunt, qui indignè abutuntur communione

1.Cor.11. myſterij. Reus eſt enim, inquam, iſte corporis, & ſanguinis domini. Qui enim eiuſmodi ſunt, habẽt in ſe tyrannum, & regno Chriſti iugiter inuidentem, longè ſanè Herode illo nequiorem, Mammonam ſcilicet. Hic enim in homines tenere imperium geſtit, ſuoſque cultores ſimulat, & mittit ad Chriſtum, vt ſpecie quidem adorare videantur: quantum verò in ipſis eſt, interimunt eum, quem adorare ſe ſimulant. Timeamus igitur, ne quando ſpeciem ſupplicum, atque adorantum geramus, opere verò exiſtamus inimici. Igitur adoraturi Chriſtum cuncta proiiciamus è manibus. Si habuerimus aurum, offeramus ipſi, non terræ defodiamus. Si enim illi tunc Barbari in honorem tantummodo domini obtulerunt libenter aurũ: qualis tu eris, ſi ei non tribuas indigenti? illi tam longo itinere cucurrerunt, vt natum viderent: tu verò qua tandem ſatisfactione poteris abſolui, qui ne breuis quidem plateæ ſpatium tranſis, vt viſites ægritudine afflictum, & vinctum catenis? Et certè ſolemus ægrotantium, atque vinctorum, & varia horrẽtium debilitate miſereri: tu verò ne erga dominum quidem tuum, & eum, qui tantorum tibi eſt autor bonorũ, hoc permoueris affectu? Et illos quidẽ aurũ legimus obtuliſſe, tu verò panẽ ipſum vix tribuis. Illi viderunt ſtellã, atque lætati ſunt: tu autem ipſum aſpiciens Chriſtum peregrinum, nudúmque, non flecteris. Qui enim veſtrum, qui innumeris eſtis Chriſti beneficiis obligati, tam longinquæ propter eum arripuit expeditionis laborem, quam illi Barbari, imò ſapientiores profectò ſapientibus? Verùm quid ego de ſpatio loquor itineris longioris, quum plurimæ fœminarum tanta iam animi mollitudine reſoluantur, vt, niſi aduectæ mulis quamlibet exiguo ſpatio à domibus ſuis venire nequeant ad videndum dominum in præſepio ſpiritali? Sed ex his quoque, qui certè ambulandi laborem ferunt, alij ſecularium negotiorum tumultus, alij theatrales turbas ſanctis cœtibus anteponunt. Et Barbari quidem illi, priuſquam Chriſtum viderent, tam longam exuperauerunt viam: tu verò nec videndo quidem illos probaris imitari. Nam, & quum eum videris, ita eum relinquis, vt poſt illum curras ad theatra, ac mimum potius & videre, & audire deſideres. Atque, vt eadem rurſus attingam, Chriſtum quidem in ſpiritali ſitum præſepio derelinquis, properas verò iacentem in ſcena ſpectare meretricem. Hoc autem quibus tandem putamus dignum eſſe ſuppliciis? Reſponde, obſecro, ſi ſe quiſpiam introducere te polliceretur ad regem, & oſtenderet tibi illum vndique coruſcantem, atque inter varios pompæ ſuæ ornatus ſedentem, putáſne theatrale ſpectaculum aulicæ præponeres dignitati, cum certè ne hinc quidem tibi aliquod commodum

quæreretur? At verò ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum: & hanc tu ſtatim relinquens, curris ad theatrum, vt natantes fœminas, & ſexum illum publicis oculis intuearis expoſitum: vt, inquam, iſtud aſpicias, ſedentem iuxta donorum cœleſtium fontem Chriſtũ relinquis. Nam & modò ſuper fontem ſedet, non vnam Samaritanam, ſed vniuerſam alloquens eccleſiam. Vereor autem, ne in me quoque Samaritanæ tantum loquatur. Nam & nũc ei nullus aſſiſtit, niſi ij, qui ſolis adſunt fortè corporibus, alij verò ne ipſis quidem profectò corporibus. Tu tamen hinc nequaquã recedas, ſed potius permane, potumq́ue à nobis pete: non vtique aquæ poculum, ſed ſanctificationis hauſurus. Sanctis enim Chriſtus ſancta diſtribuit. Nõ enim aquam de hoc nobis fonte largitur, ſed ſanguinem viuum, qui quãquam ad mortis dominicæ teſtimonium ſumitur, nobis tamen cauſa ſit vitæ. Tu verò relinquis huius ſanguinis fontem: calicemq́; reuerendum, & ad diabolicũ illum locũ feſtinus accurris, vt ſcilicet ſpectes meretricem natantẽ, & naufragiũ animæ repentè patiaris. Aqua quippe illa pelagus quoddã eſt immanis luxuriæ, quo non corpora ſubmerguntur, ſed naufragium infertur animabus. Nam illa quidem in

Ex Eucharistia spiritualiũ fons bonorũ emanat.

mediis

mediis aquis nuda ludit natatu, tu verò de ſublimi-
ſpectans gradu, in libidinis profunda demergeris.
Huiuſmodi enim diaboli teria, non tam in illam
deſcendentes aquam, ibique ſe volutantes capiút,
Exod.14. quàm ſurſum ſedentes. Multò quippe hi ſæuius
ſuffocantur, quàm Pharao ille quondam cum cur-
ribus ſuis, equitibúſque ſubmerſus eſt. Iam, ſi ali-
quo fieri poſſet modo, vt vobis illis ſupernatantes
vndis animas oſtẽderem, haud profectò aliter ap-
parerent, quàm Ægyptiorum illa in fluctibus cor-
pora voluebantur. Sed illud eſt multò vndique
periculoſius, quòd tantam illam perniciem nomi-
nant voluptatem, & immane illud perditionis pe-
lagus, Euripum, delectationis appellãt, quum cer-
tè facilius aliquis, ac tutius Ægeum mare tranſeat,
atque Tyrrhenum, quàm illius ſpectaculi horren-
da diſcrimina. Nam primò quidem per totam no-
ctem omni expectatione nimis anxia, talium dia-
bolus corda ſolicitat: deinde id, quod tam cupidè
fuerat expectatum, oſtendit, quo continuò eos li-
gat ducitque captiuos. Neque enim, ſi mixtus me-
retrici non es, immunẽ te putes eſſe peccati, quum
totum illud voluntate commiſeris. Nam, ſi ab hu-
iuſmodi concupiſcentia poſſideris, ingenti flam-
ma profectò ſuccenderis. Sin verò hęc aſpiciendo,
nil pateris, culpæ nihilominus teneris obnoxius,
factus ſcilicet ſcandalum cæterorum, & talium
adhortatio voluptatum, tuámque faciẽ ipſe con-
fundis, animámque cum facie. Verùm, ne ſola tan-
tùm agere caſtigatione videamur, iam correptio-
nis remedia ſuggeramus. Quiſnam ergo hic eſt
emendationis modus? veſtris vos trado erudien-
dos coniugibus, quum certè oporteret, ſecundum
1.Cor.11. apoſtolum, vos potius eſſe vxorũ magiſtros. Quia
verò per peccatum ordo conuerſus eſt, & corpus
quidem ſuperius, caput verò inferius effectũ, hac
ſaltem via ad honeſta redire non pigeat. Quòd ſi
magiſterium mulieris erubeſcis: peccatum fuge,
& citò poteris thronum doctoris aſcendere, qui
tibi ordinatus eſt à Deo. Quandiu verò peccaue-
ris, non te ad mulierem tantum, ſed etiam ad irra-
tionales animantes, & viliſſimas, ſcriptura tranſ-
mittit. Neque enim erubeſcit animal rationis ho-
nore donatum, apis, atque formicæ diſcipulum fa-
cere, nec tamen ſcripturæ culpa eſt, ſed eorum, qui
nobilitatem propriam perdiderunt. Hoc ergo &
nos facere curabimus. Et nunc quidem te mulieri
aſſignamus docẽdum: ſin verò illius monita con-
tempſeris, etiam ad irrationalium te magiſterium
relegabimus. Oſtendemus enim quanti te aliites,
ac piſces, quàm multa etiam pecorum genera, at-
que reptilium, honeſtate, & caſtitate præcedant.
Quòd ſi eiuſmodi animantibus te comparari pu-
deat, regredere ad propriæ nobilitatis inſigne, &
immenſum illud gehennæ pelagus, fluménque
igneũ fuge: id eſt, peſtiferam illam piſcinam thea-
tri. Hæc eſt enim quæ ſpectatores ſuos in flam-
meum illud pelagus mergit, quæque profundum
illius ignis accendit. Si enim ille, qui abſque his
quoque irritamentis videt fœminam, interdum
tamen ad concupiſcendum trahitur, & tammodo
concupiſcẽdo mœchatur: qui nõ ſolùm videt, ſed
etiam totam omnino nudam, ac laſciuientem vi-
det, qui non millies libidinis captiuus efficitur?
Haud ita illud, quod ſub Noe legimus diluuium
fuiſſe, hominum extinxit genus, vt natatrices iſtæ
omnes prorſus ſuos multo cum dedecore ſuffo-
cant. Siquidem ille tunc imber etiam ſi mortem
intulit corporum, vitia tamen ſimul deleuit ani-
marum. Hæc verò aqua diuerſum manentibus in
vita corporibus, animarum operatur interitum.
Vos autem ſiquidem aliquod de honore certa-
men oriatur, omni ambitione contenditis, vt vel
vniuerſo præſideatis orbi: illo ſcilicet vobis priui-
legio blandientes, quòd hæc prima ciuitas fideli-
bus Chriſtianorum nomen impoſuit: quum verò *Hinc conſtat has homelias in Matthæum Antiochiæ eſſe habitas.*
de honeſtate, & caſtitate certandum eſt, ne à viliſ-
ſimis quidem viculis patiaris turpe ſuperari? Quid
tu ergo, inquis, nos facere iubes? abire in montes
remotos, & monachos fieri? Et quid ego aliud in- *Matth 5.*
gemiſco, quàm quòd illis vos ſolis putatis hone-
ſtam vitam, ornatámque cõgruere? Et certè Chri-
ſtus communia omnibus præcepta conſtituit. Si
quis viderit mulierẽ ad concupiſcẽdum eam, iam
mœchatus eſt eam in corde ſuo: non ſolùm mona-
cho dicitur, verumetiam marito. Siquidem ille
tunc mons, in quo hæc Chriſtus docebat, cunctis
ferè talibus implebatur. Cõſidera ergo theatrum,
ac diabolicos refuge conuentus, & noli quaſi one-
roſiorem culpare ſermonem. Non enim interdi-
co coniugia, nec impedio liberam voluptatem: ſed
cum honeſtate id fieri volo, non cum obſcœnita-
te, vel crimine. Non ego te in montes, ac ſolitudi-
nes ire præcipio, ſed benignum eſſe, & honeſtum
iugiter, ac modeſtum, vel in medio, ſi placet, vrbis
habitantem. Omnia ſiquidem mandata legis, no- *Nota monaſticum votum caſtitatis.*
bis ſunt, monachíſque communia abſque ſola
profectò pactione cõnubij, quanquam hinc quo- *1.Cor.7.*
que beatus Paulus admonet, per cuncta monachis
æquare nos cupiens. Tempus, inquit, breue eſt:
reliquum eſt, vt, & qui habent vxores, tanquam
non habẽtes ſint; præterit enim figura huius mun-
di. Ac ſi diceret; Non iubeo vos in montium habi-
tare verticibus, quanquam etiam id quidem vel-
lem, modò ne illa opera imitarentur vrbes, quæ
in Sodomis vindicata ſunt, veruntamen ad illud
nequaquam impello. Permane habens domum,
coniugem, liberos, modò noli eos ſpectatores vo-
luptatum efficere inceſtarum, noli introducere in
domum tuam peſtem theatri. Non audis Paulum
dicentem; Vir ſui corporis non habet poteſtatem,
ſed mulier? Itaque communia huic quoque præ-
cepta cõſtituit. Tu verò, ſiquidem eccleſiam vxor
frequẽtat, grauiſſimus illius accuſator efficeris, ipſe
autem totum in theatris diem exigens, dignum te
accuſatione non credis, ſed, quum ſis erga vxoris
pudicitiam ita diligens, vt etiam ſuperfluum te,
atque immoderatum eſſe non pudeat, quippe qui
à neceſſariis proceſſionibus ſæpe contineas illam,
tibi tamen cuncta prorſus arbitraris licere. Sed mi-
nimè hoc tibi permiſerit Paulus, qui eãdem etiam
mulieri tribuit poteſtatem. Vxori, inquit, vir debi-
tum reddat. Quonam igitur modo à te honoratur
vxor, quæ tam indigna ſugillatur iniuria, cum tu
corpus, quod in illius poteſtate eſt, meretricibus
copulas? Tuum quippe corpus vxoris eſt. Quem,
inquam, illi tribuis honorem, cùm tumultus, ac
lites in domum introducas tuam; cùm illa ipſa vi-
tia, quæ obſcœnè admittuntur in publico, domi
nutriuntur licenter; cùm quotidie confundas &
coniugem verecundantem, iniuſtíſque talia auri-
bus audientem, imò præ cæteris temetipſum, hac
turpitudine decolores? Multò enim erat tacere
conſultius quàm tam obſcœna loqui, quæ etiam
ſeruos loquentes iuſtum eſt verberari. Quam tu
ergo ſatisfactionem parabis, reſponde, quæſo, qui

intelligis ea ne transitorio quidem aſpectu eſſe digna, quæ tu omni ſpectare ambitu concupiſcis; quæque etiam memorare turpe eſt, ea cunctis honeſtis artibus, ſanctiſque præponis? Ne igitur videar oneroſior, hic iam terminabo ſermonem. Si verò in eiſdem perſeueraueritis, acutiore ferro, & altiore inciſione diſcindam, nec vnquam prorſus quieſcam, quoaduſque diabolicum illud diſpergam theatrum, vt mundus eccleſię cœtus, puriſque reddatur. Ita enim & à præſenti turpitudine liberabimur, & vitam acquiremus futuram, gratiâ, & miſericordiâ domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, & imperium cum patre, & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homilia 3.

Ex Hom. 8. in Matth. ET *cùm intraſſent domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, &c.* Quemadmodum igitur Lucas ait, quòd in præſepio poſitus eſſet? quia ſcilicet, quum fuiſſet enixa, ibi eum continuò reclinauit. Erat enim valde difficilimum vacantem reperire alicubi domum, propter conuentum, ac frequentiam Iudæorum, quos in vnum eadem tunc deſcriptionis cauſa collegerat, quod certè Lucas
Luca 2. euidenter expreſſit, dicens; Et reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Poſtea verò eum ſuſtulit, & in ſuo gremio collocauit. Siquidem, vt Bethlehem ingreſſa eſt, partum celeriter abſoluit, vt hinc quoque cauſam totius diſpenſationis agnoſceres, quia ſcilicet non fortuitu iſta, nec ſimpliciter acciderunt, ſed ſecundum prouidentiam Dei, & prophetiæ conſequentiam vniuerſa completa ſunt. Verùm quid Magis puerum adorare perſuaſerit? Nam neque virgo ipſa erat nobilis, nec domus, in qua habitabat illuſtris, nec quicquam ex iis omnibus, quæ videbantur, eiuſmodi erat, quod Magis admirationem faceret, eóſque ad puerum alliceret adorandum. At verò illi non modò adorant, ſed etiam, apertis theſauris ſuis, offerunt munera, & munera certè Deo quàm homine digniora. Thus ſiquidem, & myrrha ipſi potiſſimum congruebat. Quidnam igitur illud eſt, quod eis, & domo, & patria relicta, tanti itineris ſpatia tranſire perſuaſerit? Quod procul dubio fecit, & ſtella, quam viderant, & à Deo donata lux, quæ illorũ mentibus quaſi illud quoddã ſydus effulſerat, eóſque paulatim ad perfectiorem ſcientiam prouehebat. Cùm enim eſſent cuncta alia vilia, niſi iſtud eorum animos incitaſſet, nunquam tantùm illis honoris paruulo detuliſſent. Idcirco nihil ibi de ſenſibilibus iſtis grande conſpicitur, ſed anguſtum tugurium, ac vile præſepium, & inops mater, vt melius nuda Magorum philoſophia clareſceret, & vt diſcas, quia non quaſi homini tãtùm, ſed etiam Deo authore omnium ſupplicarit bonorum, propterea nullo eorum, quæ extrinſecus videbantur, offenſi ſunt, ſed & puerum fideliter adorabant & munera ſuppliciter offerebant, quæ tamen plurimum & à Iudæorum ruditate diſtarent, & eccleſiaſticæ philoſophiæ conuenirent. Siquidem ſcientiam iſti & obedientiam, & charitatẽ figuraliter offerebant: non oues, non vitulos. *Reſponſo autem accepto*, inquit, *in ſomnis; ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Conſidera igitur etiam hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc ſcandalum commouentur: ſed ad cuncta obedientes permanent, atque flexibiles, nihilque omnino turbantur, neque ipſi ſecum diſputant, dicentes; Si magnum quiddam eſſet hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, nobis adoratoribus eius quid opus eſſet fuga, occultúſque diſceſſus? Cur enim nos qui palam, ac liberè venimus, nec tanti populi fragorem, nec tyranni furorem pauentes, quaſi reos quoſdam, atque fugitiuos angelus ciuitate propellit? Verum nihil omnino tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc eſt enim fidei inſigne, vt abſque controuerſia vlla obediãt imperanti, nec tamen mercedẽ repoſcãt obſequij.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Hom. 4.

IN *illo tempore, cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudaa, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Et reliqua. Hoc futurum & Eſaias *Eſt Hom. 1. ex varijs in Matth.*
antè prædixit, dicendo: Venient ex Saba offerentes regi aurum, thus, & lapidem precioſum, & ſalutare domini nunciabunt. Nunc vtique quem *Eſa. 60. b.*
Magi viſo ſigno ſtellæ, natum regem Iudæorum, Chriſtum dominum noſtrum nunciarunt. Omnia itaque noua, & ſupra modum admirationis humanæ in domini natiuitate concurrunt. Angelus in templo Zachariæ loquitur, futurum Elizabeth filium repromittit. Non credens angelo ſacerdos, obmuteſcit, ſterilis concipit, virgo parit. *Luca 1. c.*
Ioannes in vtero matris inſpiratus, exultat: Chriſtus dominus natus, ab angelo nunciatur vt ſalus mundi ſit, paſtoribus prædicatur. Gaudent angeli, & exultant paſtores, magna in cælo & in terra lætitia huius admirandæ natiuitatis exoritur. Nouũ ſignum ſtellæ de cælo Magis oſtenditur, per quod dominus cæli ac terræ, rex Iudæorum agnoſcitur natus: ille ſcilicet, de quo ſcriptum erat: Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël. vt ſigni- *Num. 24. c.*
ficationem ſtellæ & hominis, in filio dei, diuinæ & humanæ naturæ coniunctio noſceretur. Vnde & in Apocalypſi ita de ſe dominus teſtatur: Ego ſum *Apoc. 22.*
radix Ieſſe, & genus Dauid, & ſtella ſplendida matutina. Quia per natiuitatis ſuæ ortum, diſcuſſa ignorantiæ nocte in ſalute mundi tanquam fulgidum ſydus emicuit. Cuius luminis ſplẽdor, etiam Magorum corda penetrans, ſpiritali luce perfudit, vt regem Iudæorum, creatorem cæli, ſigno naſcentis nouæ ſtellæ cognoſcerent. Neque enim Chriſtum dominum noſtrum Magi falſæ religionis authores cognoſcere poterant, niſi dignationis diuinæ gratia illuſtrati. Iterum ergo Dei miſericordia per Chriſti exuberauit aduentum, vt ad omne genus hominum ſe cognitio veritatis eius extenderet. Quæ idcirco antè Magis eluxit, vt manifeſta Dei pietas noſceretur, nec aliquis deſperaret, poſſe ſibi ſalutem credenti donari, quia iam conſpiceret Magis eſſe donatam. Ideo autem Magi de gentibus primi electi ſunt ad ſalutem, vt per eos omnibus gentibus ſalutis ianua panderetur. Sed fortè miratur aliquis quemadmodum Magi natiuitatem ſaluatoris ex ſigno ſtellæ cognoſcere potuerunt? Primò quidem dicimus, diuinæ dignationis fuiſſe hoc munus. Deinde legimus in libris

Moſi fuiſſe Balaam quendam prophetam gentiũ, qui aduentum Chriſti, & incarnationem eius ex virgine, certis ſermonibus prophetauit. Ait enim inter cætera, vt iam ſuperius memorauimus, in ſermonibus prophetiæ ſuæ: Orietur ſtella ex Ia-
Nu.24.c çob, & exurget homo ex Iſraël. Magi ergo iſti, qui nouam ſtellam in Oriente viderunt, ex genere illius Balaam prophetæ gentium ducere originem referuntur, qui dixerat, Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël. Et idcirco viſo nouo ſtellæ ſigno, crediderunt, quia authoris ſui prophetiam impletam nouerant. Oſtendentes ſe non ſolum generis ſucceſſores, ſed & fidei hæredes. Balaam propheta ipſorum ſtellam in ſpiritu vidit, iſti oculis viderunt, & crediderunt. Ille venturum Chriſtum per prophetiam prædicauit, iſti veniſſe viſu fidei cognouerunt. Denique ſtatim perrexerunt ad Herodem, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellã eius in Oriente, & venimus adorare eum. Apud eos regem Iudæorum natum Chriſtum dominum quæſierunt, de quorum genere Balaam hoc prophetaſſe cognouerant. Sed fides iſta Magorum, condemnatio Iudæorum eſt. Illi vni prophetæ ſuo crediderunt, iſti tot prophetis credere noluerunt. Illi intellexerunt per aduentum Chriſti magicam artem ceſſaturam, iſti diuinæ legis myſteria intelligere noluerunt. Illi confitentur alienum, iſti proprium non agnoſcunt. In ſua enim propria venit,
Ioan.1.b & ſui eum non receperunt. Et hæc quidem ſtella ab omnibus videbatur, ſed non ab omnibus intelligebatur. Sicuti Dominus, ac ſaluator noſter, omnibus quidem natus eſt, vnus propter omnes natus eſt, ſed non ab omnibus ſuſceptus eſt, non ab omnibus intellectus. Intellectus eſt à gentibus, non intellectus eſt à Iudæis. Agnitus eſt ab eccleſia, non eſt agnitus à ſynagoga. Cùm ergo Magi poſt longi itineris glorioſum laborem, Hieroſolymam veniſſent, requirentes regem Iudæorum: ſtatim, inquit, rex Herodes, omniſque Hieroſolyma, magicę fidei deuotione turbati, congregãtur principes ſacerdotum, & ſcribæ populi, requiritur ab eis vbi Chriſtum naſci oporteret. Reſponderunt, in Bethlehem Iudææ, iuxta propheticam prędicationẽ. Sicut enim ſcriptum erat: Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima inter principes Iuda: ex
Mich.5.a te enim exiet princeps, qui regat populum meum Iſraël. Herodes ergo & Hieroſolymitæ Chriſtum dominum noſtrum non ignorantes, ſed ſcientes contempſerunt. Nam & requirunt ex teſtimonio prophetæ cum diſcunt, quia in Bethlehem Chriſtus naſceretur. Locus autem iſte Bethlehem, vbi dominus natus eſt, prophetiæ nomen acceperat. Bethlehem enim ex Hebræo in Latinum, domus panis interpretatur, quia hic filiũ Dei naſci oportebat, qui panis eſt vitæ, ſecundum quod ipſe
Ioan.6.f in euangelio ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Hic locus de quo dicitur alibi à propheta: Deus à Libano veniet, & ſanctus ille de monte vmbrante condenſo. Per quæ verba ſitum loci ipſius, amœnitatémque deſignat. Concordat denique dictum hoc prophetæ, cum ſuperiori dicto, vbi declaratum eſt, quòd in Bethlehem dominus eſſet naſciturus. Hic dicitur, Deus à Libano veniet: illic additur, poſtquam dictum eſt: Ex te exiet princeps, qui regat populũ meum Iſrael, Et egreſſus eius ab initio dierum: vt non ſecundum Forinum exinde habere dominus initium putaretur, ex quo natus ex virgine eſt: quippe & cùm ab initio dierum ipſe fuiſſe monſtretur, & dominus eſſe, qui in Bethlehem natus eſt, manifeſtiſſimè doceatur. Deinde refert euãgeliſta:
Tunc, inquit, *Herodes conuocauit Magos, & diligenter* Matt.2.a
didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. Herodes igitur rex iniquus, dum regno ſuo metuit, quod iniuſtè tenebat, inſidiator factus eſt regis æterni. Hic enim Herodes nec de tribu Iuda fuit, nec de genere Dauid, ſed regnum Iudæorum per ſurreptionem, fauente ſibi patrocinio Romanorum, more tyrannico occupauerat, & idcirco inſidiabatur dominicæ natiuitati, quem regem Iudæorum natum à Magis agnouerat. Requirit itaque ab eis tempus ſtellæ viſæ, miſit eos in Bethlehem, quaſi & ipſe cuperet adorare eum. Simulauit ſolicitudinem, vt celaret deceptionem. Nec enim adorare, ſed perimere dominum cogitabat. Magi interea vſque ad locum duce ſtella perueniunt, & creatorem cœli cognoſcunt. Non quæſierunt ducatum hominis, quia ducatum ſtellæ de cælo acceperant. Sed nec errare poterant, qui verã viam Chriſtum dominum requirebant: illum vtique, qui ait:
Ego ſum via, veritas, & vita. Noua rerum admiratione, ſtella agit iter in cælo, & toto itinere Ioan.14.a
Magos ſuos comes ſtella non deſerit, & vſque Bethlehem pari curſu conueniunt, & illic index ſtella conſiſtit ſupra dominum ac ſaluatorem noſtrum, vnigenitum Dei filium. Refert ergo euangeliſta: *Videntes autem ſtellam Magi, gauiſi ſunt gaudio magno valde, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eũ, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Sed videamus nunc poſt ſtatum ſtellę, poſt Magorum curſum, natum regem quàm glorioſa dignitas proſequatur. Statim enim Magi dominum procidentes adorant natum, & inter ipſas cunas, oblatis muneribus venerantur pueri vagientis infantiam. Aliud oculis corporis, aliud viſu mentis aſpiciunt. Humilitas aſſumpti corporis cernitur, ſed diuinitas gloriæ non celatur. Puer eſt qui videtur, ſed Deus eſt qui adoratur. Et hoc quã inenarrabile diuinæ dignationis myſterium. Imperſpicabilis illa & æterna natura pro nobis carnis noſtræ infirmitates non dedignatur accipere. Filius Dei, qui Deus eſt vniuerſitatis, homo in corpore naſcitur. In præſepio poni ſe patitur, intra quem cæli ſunt. Cunis continetur, quem non capit mundus, & in voce infantiæ vagientis audituz, ad cuius vocem tempore paſſionis mundus omnis intremuit. Hunc itaque Deum gloriæ, & dominum maieſtatis, Magi puerum vidẽtes agnoſcunt, quem puerum & Deum regem æternum &
Eſaias oſtendit, dicendo: Quoniam puer natus eſt Eſa.9.b
nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium factum eſt ſuper humeros eius. Huic igitur Magi offerunt dona, id eſt, aurum, thus, & myrrham, ſecundum quod ſpiritus ſanctus per prophetam de
ipſis antè fuerat teſtatus dicendo: Ex Saba venient Ibid.60.b
offerentes aurum, thus, & lapidem precioſum, & ſalutare domini nunciabunt. Quam prophetiam Magos impleſſe euidenter agnoſcimus, qui & ſalutare domini, natum Chriſtum Dei filium nunciauerunt:

ciauerunt: & in oblatis muneribus Chriſtum & Deum, & regem, & hominem confitentur. Nam in auro regni poteſtas, in thure Dei honor, in myrrha corporalis ſepultura monſtratur. & ideirco aurum, vt regi: thus, vt Deo: myrrham, vt homini obtulerunt. Dauid quoque ita de his teſta-
Pſal. 71.b tur: Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent. & vt ponſſimum cui hæc dona eſſent danda, monſtraret, addidit in hoc eodem pſalmo: Et dabitur ei de auro Arabiæ. Idem quoque Dauid de alio pſalmo de myrrha non tacuit, cum de paſſione domini loqueretur, dicendo: Myrrha, & gutta, & caſia à ve-
Ibid. 44.b ſtimentis tuis. De qua myrrha etiam Salomon ex
Cant. 5.a perſona Chriſti ſic loquitur: Vindemiaui myr-
Eccle. 24.c rham meam cum aromatibus meis: & iterum; Quaſi myrrha dedi ſuauitatem odoris. In quo vtique euidenter de corporis ſui ſepultura teſtatur, quæ ſuauiſſimo, ac diuino odore, totum orbe fragrauit. Denique de his Magis idem Dauid ſignificare monſtratur, cum dicit: Venient legati ex
Pſal. 67.g Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius. Nam quia mundum iſtum ſæpe ſcriptura diuina Aegyptum nuncupat, rectè Magos illos intelligimus Ægypti legatos, qui quaſi totius mundi legati electi, in muneribus, quæ obtulerunt, credulitatem omnium gentiũ, ac fidei initia dedicauerunt. Poſt oblata itaque munera, admonentur Magi, *Ne redeant ad Herodem regem: & ſic per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Exemplum nobis pudicitiæ, ac fidei perferentes, vt cognito ſemel, adoratoq; Chriſto rege, viam prioris itineris, id eſt erroris veteris relinquentes, & per aliam viam, in qua nobis dux Chriſtus eſt, incedentes: ad regionem noſtram, id eſt paradiſum, de quo Adam pulſus eſt, redeamus. De qua regione dicitur in pſalmo: Pla-
Pſal. 114.b cebo domino in regione viuorum. Redeunt igitur Magi commoniti per aliam viam, fruſtrata tyranni crudelitate, atque hoc modo per Magos & puer rex natus agnoſcitur, & Herodis tyrãni verſutia ſuperatur. Hunc autem triumphum dominum ac ſaluatorem noſtrum paruulum, & in ipſo corpore natiuitatis ſuæ exordio habiturum, olim Eſaias prænunciauerat, dicendo: Quoniam priuſ-
Eſa. 8.a quam ſciat puer vocare patrem, vel matrem, accipiet virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ, aduerſus regem Aſſyriorum. Virtutem Damaſci, quam puer natus filius Dei accepit, aurum intelligitur, quod à Magis oblatum eſt. Spolia autem Samariæ, eoſdem Magos, quos de errore ſuperſtitionis Samariæ, hoc eſt, de cultura idolorum abſtraxit. Qui cum antè ſpolia diaboli eſſent per falſam religionem, poſtea ſpolia Dei facti ſunt per Chriſti cognitionem. Regem autem Aſſyriorum, Herodem ſignificat, vel certè diabolum, contra quem Magi ipſi aduerſarij extiterunt, adorando ſcilicet filium Dei, dominum & ſaluatorem noſtrum, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

AVCTORIS DICTI IMperfecti in Matth. eiuſdem Euang. expoſitio.

Ex Hom. 2. in Matt. imper. CVm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis. Quum fugeret Iacob ante fratrem ſuum Eſau, & veniſſet ad veſperam, vidit ſomnium tale, Scala poſita erat, cuius caput pertingebat vſque ad cælum, & angeli aſcendebant & deſcendebant per eam, dominus autem recumbebat ſuper eam. Surgens autem Iacob, ſuggerente ſpiritu prophetauit dicens. Quàm formidoloſus locus hic, non eſt aliud hic niſi domus Dei, & porta cæli. Ideo vocatum eſt nomen loci illius Bethel, quod eſt interpretatum domus Dei. Nato itaque in Bethlehem domino, viſionis illius prophetia completa eſt. Domus enim Dei eſt corpus Chriſti, ipſo dicente: Soluite templum hoc. Item, Ioan. 2.
Sapientia ædificauit ſibi domum. Porta autem cæ- Prouer. 9.
li ipſe eſt Chriſtus, per quem introitur in regno Pſal. 117.
cælorum, dicente propheta. Hæc porta domini, iuſti intrabunt per eam. Adhuc autem videamus, quod ad vtilitatem reſpicit, & quod euangeliſta tempus deſignat, quando naſcitur Chriſtus, id eſt in diebus Herodis regis, vt prophetiam Danielis Dan. 9.
cõpletam demonſtraret, quæ poſt ſeptuaginta ſeptimanarum annos Chriſtum eſſe naſciturum demonſtrat. Nam ex illo tempore vſque ad regnum Herodis ſeptuaginta ſeptimanarum anni ſunt cõſummati. Sciens autem Deus perfidiam Iudæorum, quia crucifixo vero Chriſto, alium expectaturi fuerant Chriſtum, id eſt Antichriſtum: ideo occaſionem incredulitatis eorum tollens, tempus oſtendit, quãdo naſciturus erat Chriſtus, vt illum Chriſtum credamus, qui ex tẽpore Danielis poſt ſeptuaginta ſeptimanarum annos naſcitur, non in illum qui in fine ſeculi ſub nomine Chriſti venturus eſt. In diebus Herodis regis. Quandiu gens Iudaica, quamuis ſub peccatoribus, tamen Iudaicis regibus tenebatur, prophetæ mittebantur ad remediũ eius. Qualis neceſſitas, tale & auxilium. Nunc autem quando lex Dei ſub poteſtate regia iniqui tenebatur, id eſt, iuſtitia Dei ſub dominatione Romana premebatur, naſcitur Chriſtus, quia magna, & deſperabilis infirmitas medicum artificioſiorem quærebat. *Ecce Magi venerũt ab Oriente Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Ecce hoc eſt confeſtim vt natus eſt, magnum Deum oſtenderunt in homine paruulo, & verbis, & actibus, & muneribus ipſis. Verbis quidem, quia dixerunt, vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Actibus autem, quia quum vidiſſent eum, adorauerunt eum. Inuicta eſt in eis fides acutior, quàm aſpectus, videntibus humilia, & intelligentibus alta. Muneribus autem, quia obtulerũt ei aurum, thus, & myrrham ſicut inferius oſtendemus. Venerunt autem ad iudicium Gentium, & ad præiudicium Iudæorum, illorum fidem propheſantes futuram, & iſtorum incredulitatem cõdemnantes præſentem. O beati Magi, qui ex omnibus gentibus primitiæ fidelium fieri meruerũt. Illi enim Magi futuræ Eccleſiæ formam præbebant, Sicut enim illi reges, quem non viderant, credentes quærebant, & confitebantur, ſic & nos qui ſumus ex Gentibus, dominum, quem nunquam vidimus, credentes, quotidie quærimus, & confitemur poteſtatem ipſius. Quàm bene de iſtis prophetauit Eſaias, dicens: Priuſquam cognoſcat Eſaia 8.
puer patrem, & matrem, & accipiet virtutem Damaſci, in cõſpectu regis Aſſyriorum. Qui ſunt Magi? viri Orientales, qui venerunt à Perſide. Magi Magi.
enim apud illos non malefici, ſed ſapientes intelliguntur Ideo autem dicti ſunt virtus Damaſci, quia virtus vniuſcuiuſque prouinciæ ſunt ſapientes ipſius

ipſius. Rex autem Aſſyriorum eſt diabolus, princeps dæmonum. Ergo Christus, priuſquam ſecundum corpus inciperet cognoſcere patrem, aut matrem, virtutem diaboli ſubiugauit. Qualis futurus erat in poſterum, quum ad perfectum veniſſet demonſtrabat in puero, qui adhuc in cunabulo conſtitutus, diabolum expoliauit à ſuis, ſcilicet ab iſtis Magis. Quomodo quum veniſſet ad bellum, euacuaturus fuerat omnem poteſtatẽ ipſius, conſidera. Quoniam ab Oriente venerunt: vnde dies naſcitur, inde initium fidei proceſſit, quia fides lumen eſt animarum. Quando enim ab Occidente naſcitur aliquid contra Orientem, diuinatio* mali oſtenditur contra bonos: quando ab Oriente naſcitur aliquid contra Occidentem, diuinatio boni oſtenditur contra malos. Quoniam ergo in temporibus Christi iuſtitia ſubiugatura fuerat iniuſtitiam, & fides infidelitatem, ideo ab Oriente venerunt primitiæ fidei. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Nunquid neſciebant quia in Hieruſalem regnabat Herodes? Nunquid non intelligebant iuſtitiam legis, quia quicunque rege viuente, alterum regem pronunciat, & adorat, quaſi miniſter tyranni punitur in ſanguine? Sed dum conſiderabant regem futurum, non timebant regem præſentem. Nunquid non habebant præ oculis ſuis periculum mortis, qui talem rem illicitam vſurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curaſſent de morte, nunquam ad hoc auſi fuiſſent. Adhuc non viderant Chriſtũ, & iam parati erant mori pro eo. O beati Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi regis antequam Christum cognoſcerent, Christi facti ſunt confeſſores. Legi apud aliquem, Magos iſtos ex libris Balaam diuinatoris, apparituræ huius ſtellæ ſcientiam accepiſſe, cuius diuinatio poſita [illegible] veteri teſtamento, Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominabitur omnium gentium. Audiui aliquos referentes de quadam ſcriptura, & ſi non certa tamen non deſtruente fidem, ſed potius delectante, quoniam erat quædam gens ſita in ipſo principio Orientis iuxta oceanũ, apud quos ferebatur quædã ſcriptura, inſcripta nomine Seth, de apparitura hac ſtella, & muneribus ei huiuſmodi afferendis, quæ per generationes ſtudioſorum hominum, patribus referẽtibus filiis ſuis habebatur deducta. Itaque elegerunt ſeipſos duodecim quidam ex ipſis ſtudioſiores, & amatores myſteriorum cæleſtium, & poſuerunt ſeipſos ad expectationem ſtellæ eiuſdem, & ſi quis moriebatur ex eis, filius eius, aut aliquis propinquorum, qui eiuſdem voluntatis inueniebatur, in loco conſtituebatur defuncti. Dicebantur autem Magi lingua eorum, quia in ſilentio, & voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per ſingulos annos poſt meſſem trituratoriam, aſcendebant in montem aliquem poſitum ibi, qui vocabatur lingua eorum, mons victorialis, habens in ſe quandam ſpeluncã in ſaxo: fontibus, & electis arboribus amœniſſimus: in quem aſcendentes, & lauantes ſe offerebant* & laudabant in ſilentio Deum tribus diebus. Et ſic faciebant per ſingulas generationes, expectatores ſemper, ne fortè in generatione ſua ſtella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis deſcendens ſuper montem illum victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri paruuli, & ſuper ſe ſimilitudinem crucis: & loquuta eſt eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiſcerentur in Iudæam.

**dominatio.*

Num. 24.

**orabant*

Proficiſcentibus autem eis per biennium, præcedebat ſtella, & neque eſca, neque potus defecit in peris eorum. Cætera autem, quæ geſta referuntur ab eis in euangelio compendioſè poſita ſunt. Tamen quum reuerſi fuiſſent, manſerunt colentes, & glorificãtes Deum ſtudioſius magis quàm primum, & prædicarunt omnibus in genere ſuo, & multos erudierunt. Denique quum poſt reſurrectionem domini Thomas iiſſet in prouinciam illam, adiuncti ſunt ei, & baptizati ab eo, facti ſunt adiutores prædicationis illius. Ex eo autem quod dicit ſcriptura, *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, videtur occaſionem dare infidelibus de aſtrologia, vt vnumquenque fateor ſuæ ſtellæ motu & naſci, & viuere: adeo bonum eſt breuiter de his inferre ſermonem. Si enim ſtellæ eſt, quòd aut boni ſumus, aut mali: ergo nec bonum noſtrum laudandum eſt, nec malum vituperandum, quia nec eſt in nobis voluntarius actus. Vt quid enim boni mei laudem merear, quod non meo arbitrio, ſed motu ſtellæ facio: aut mali mei pœnam ſuſcipiam, quod non voluntate, ſed neceſſitate commiſi? Nam nec poſſum fugere malum, etiam ſi volo, ſi me natiuitatis meæ ſtella compellit ad malum. Si adulteri, & homicidæ ſunt per ſtellam, & in crimine ſtella facit eos interfici, magna eſt illarum iniquitas ſtellarum, magis autem illius, qui ſtellas ad hoc creauit. Interrogamus ergo, ex ſe facta eſt creatura, an ab alio? Si quidem dixerint ex ſe, audiant à nobis: quoniã impoſſibile eſt, quod a ſe extitit, & incertu agitur, vt aliquem ordinem habeat certum. Si autem dicunt, ab alio, ergo iniquus eſt qui fecit. Nam, quum ſit præſcius futurorum Deus, quòd tanta iniquitas futura erat per ſtellas, ſi noluit emendare, non eſt bonus: ſi autem voluit, & non potuit, impotens eſt. Sed etiam iniuſtus eſt, quia ex neceſſitate ſtellarum peccatores ita punit, quaſi ex voluntate peccantes. Ipſa denique mandata Dei, ne peccent, aut hortamenta vt faciant bonum, per hanc inſipientiã nõnne ſe deſtruunt? Quis enim hortetur aliquem, ne faciat malum, quod non poteſt declinare, aut vt faciat bonum, ad quod nõ poteſt peruenire? Deinde interrogamus: ſi idem ſemper eſt curſus ſtellarum, quare non ſemper idem eſt & hominum ſtatus? Si dicunt, per certos annos fit ſtellarum reſtauratio, neceſſe eſt ergo, qui ſciunt aſtrologicam diſciplinam, quia per certos reſtituuntur ſtellę, & ſciant & per quot annos reſtituuntur ſtellæ. Quibus poſt reſponſum dicimus, quæ fuit illa ſtella, quæ fecit omnes homines in diluuio mori? Nunquid in ea extitit, vt iterum diluuium faceret, aut illi homines ſecundum vnam ſtellam fuerant nati? Non oportebat per vnumquenque gyratum eadem ipſam indeficientem conſummari. Nam ſi eiuſmodi motio, & gyratus ſtellarum eiuſdem malitię, & eiuſdem bonitatis cauſam præſtat, oportebat non ſemel fieri Abrahã, aut patriarchas, aut prophetas, aut apoſtolos: ſed quoteſcunque fit ipſe gyratus ſtellarum. Deinde ipſa conuerſatio* hominum teſtis eſt veritatis. Ante aduentum Chriſti, quæ ſtella omnes homines idola colere compellebat, cæteráſque iniquitates facere? Aut poſt Chriſtum qualis gyratus ab idolis recedere homines fecit: & per totum orbem mores mutauit aliquos? Ecce Perſæ matribus, & filiabus iungũtur, Iudæi autem octauo die circumcidũtur, & vnaquæquaque gens aliam, atque aliam habet conſuetudinem. Si idem

Nota arbitrij noſtri libertatem.

**conuerſio.*

eſt

eſt curſus ſtellarum, quomodo Perſæ ab illa conſuetudine nunquam recedunt, neque Iudæi à ſua? Si autem dicatur, ſecundum diuerſas regiones diuerſa eſt ſtellarum operatio: quomodo ergo qui in Perſide crediderunt, ab illa turpitudine recedere potuerunt, in eadem regione manentes? aut qui nó crediderũt etiam peregrinantes in aliena prouincia mores patrios tenuerunt? Et Iudæi tranſmigrati in Babyloniam, & illic filios procreantes: quomodò nunquam per ſtellas regionis illius compulſi ſunt à circumciſione ſua recedere, & illorum inſaniam ſequi? Nemo ergo ſtellarum culpet diſcurſum, ſed ſuum propoſitum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum eo.* Æſtimans illum regem fore terrenum, quaſi de ſucceſſore regni turbatus eſt. Semper enim grãdis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt. Sicut cacumen arborum in excelſo poſitarum, etiam ſi lenis aura flauerit, mouetur: ſic & ſublimes homines in culmine dignitatum exiſtentes, etiam lenis nuncij fama conturbat. Humiles autem ſicut in conualle, plerunque in trãquillitate conſtant. Aut ideo turbabatur audiens regem natũ Iudæis ex genere Iudæorum, quum eſſet ipſe genere Idumæus: ne regno reuoluto iterum ad Iudæos, & ipſe à Iudæis expelleretur, & ſemen eius poſt ipſum præcideretur à regno. Puto quòd non tantum Herodes à ſemetipſo turbabatur, quantum diabolus in Herode: Herodes enim timebat, quod ſuſpicabatur: diabolus autem timebat, quod verè ſciebat. Herodes hominem æſtimabat, diabolus Deum cognoſcebat. Audierat enim iam Angelos in aëre clamantes, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax bonæ hominibus voluntaris. Ideo quanto magis teſtes addebantur pro Chriſto, tanto magis deſtructionem poteſtatis ſuæ diabolus timebat. Vnuſquiſque ergo eorum zelo proprio turbabatur, & ſecundum ſuam naturam ſui regni ſucceſſorem timebat. Herodes terrenum, diabolus autem cæleſtem. Nam nec Herodes terreretur, ſi cæleſtem regem naſci ſuſpicatus fuiſſet, nec diabolus, ſi terrenum. Vis ſcire, quia non tantum ipſi turbabantur, quantum diabolus in eis? Ecce & Iudaicus populus turbabatur, qui magis de audito iſto gaudere debuerat: quia rex Iudæus ſurgere dicebatur, deſignatus à Deo. Sed turbabantur, quia de aduentu iuſti non poterant iniqui gaudere. Aut certè turbabantur timentes, ne fortè iratus Herodes Iudaico regi, genus eius vexaret. Nam quemadmodum certantibus ventis, mare concutitur, ſic regibus aduerſantibus ſibi, populus regni vexatur. *Conuocauit autem principes ſacerdotum, & ſcribas, & interrogauit ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Ex hoc apparet maximè, quia diabolus turbabatur in Herode, quoniam traditores legis interrogat. Vt quid enim interrogaret Herodes, qui non credebat ſcripturis? Sed inueſtigabat* diabolus, qui

** inſtigabat.*

credebat quod ſcripturæ non mentirentur. Nam diabolus alios in errorem inducit, ipſe autem veritatem bene cognoſcit. Quid enim aliud vis? credebat Herodes ſcripturis, aut non credebat? Si non credebat, vt quid interrogabat ſcripturas, quas putabat eſſe vaniloquas? Aut ſi credebat, quia inde verè naſciturus eſt rex, vnde ſcripturæ dicebãt, quomodo ſperabat poſſe ſe interficere illum regem, quem futurum ſcripturæ eſſe dicebant? Nunquid poterat homo corrigere, vt ne fiat, quod Deus ordinauit, vt fieret? Sed quidem credebat Herodes in malo, in bono autem non credebat: quoniam quidem quòd inde naſciturus fuerat rex, vnde ſcripturæ dicebant, credebat: quoniam autem aduerſus illum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebat. quia non ſuo conſilio gubernabatur, ſed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic ſunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur: credunt ſcripturis, & non credunt: quia hoc ipſum quod credunt perfectè credere * non permittuntur.

** credũt perficere.*

Quod enim credunt, veritatis eſt virtus: quia nulli poteſt eſſe occulta, quod autem non credunt, excæcatio eſt inimici: quia ſubiecti ſunt operibus operibus eius, & mens eorum libera non eſt: verbi gratia omnes, qui Chriſtiani ſumus, & legimus, ſcimus quia mundus conſumendus eſt, & quia morituri ſumus, & hoc ipſum tamen perfectè non credimus. Si enim perfectè crederemus, ſic viueremus quaſi poſt modicum trãſituri de hoc mundo, non quaſi in æternum manſuri. *2. Tim. 4.* *At illi dixerunt: In Bethlehem Iuda. Sic enim dictum eſt per Prophetam.* *Mich. 5.* Dant reſponſum regi interroganti ex corde non bono, quum deberent celare myſterium regi à Deo prædefiniti ad ſalutem gentis Iudææ, maximè in conſpectu regis alienigenæ, qui non ſolùm zelo regni, ſed etiam generis alieni odio aduerſaturus regi poſtmodum futuro non ignorabatur, ſi ipſi ſapienter voluiſſent conſiderare. Et nõ ſolum manifeſtant myſterium, ſed etiam ad fidem ſermonum ſuorum propheticum protulerunt exemplum, tanquàm qui theſauros domini ſui abſconditos hoſtibus eius prodant: & facti ſunt non prædicatores operum Dei, ſed proditores myſteriorum eius: & non doctores Herodis, ſed irritatores malitiæ eius. Ex quibus docemur, ſcripturarum occulta non manifeſtari iniquis, ſed fidelibus, ſicut præcepit Paulus: Quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus, qui poſſunt etiam alios docere. Et non ſolùm prophetiæ myſterium prodiderunt regi iniquo, ſed adhuc ipſam prophetiam præcidentes ex vno conſenſu ſuo omnes, & non exponentes omnem ſcripturam diuinitus aſpiratam, interficiendorum paruulorum facti ſunt cauſa. Quomodo enim ſcriptum erat? *Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima inter principes Iuda: Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael, dieſque eius à diebus ſeculi.* Si ergo integram prophetiam protuliſſent, ſicut fuerat dicta, conſiderans Herodes quia dies naſcituri regis illius à diebus ſeculi erant, & intelligens antiquitatem honoris eius: quia non erat ille talis rex terrenus, cuius dies à diebus ſeculi erant, in tantum furorem nõn exarſiſſet aduerſus eum: nũc autẽ præciſa hac parte prophetiæ, quæ compeſcere poterat zelum ipſius, primam partem ſolum protulerunt, quæ eum poterat irritare. Vnde ita exponentibus illis, putans Herodes ſimile cæteris regibus ex ea naſci regimen, paruulos interfecit, cum illis æſtimans occidere etiam Chriſtum. O infelices Iudæi! Herodem docuerunt, quia de Bethlehem naſcitur ipſe, qui eſt gubernaturus populum Iſrael: & ſe non docuerunt, poſtquam natus eſt, vt crederent ei. Herodes illis credidit, quaſi vera dicentibus, vt perſequeretur Chriſtum, & ipſi ſibi non crediderunt, vt ſuſciperent eum. *Tunc vocauit occultè Magos, & diligenter exquiſiuit tempus quando apparuit eis ſtella. Et ait eis: Ite & videte de puero, & cum*

& cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Poſtquam audiuit Herodes reſponſum, duplici modo credibile: primum, quia à ſacerdotibus fuerat dictum: deinde quia exemplo prophetico fuerat comprobatum: nõ ad deuotionem flectitur naſcituri regis, ſed ad malitiã interfectionis eius per dolum, quia malus homo quæ Dei ſunt, intelligere poteſt: quæ Dei ſunt autem, agere nõ poteſt: quoniam intellectus hominis ex Deo creatus eſt, actus autem ex propoſito voluntatis ipſius. Vidit enim Herodes magnã deuotionem Magorum circa Chriſtum, quia non poterat eos nec blãdimẽtis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt cõſentirent ei in interfectione regis futuri, ideo & illos ipſos decipere cogitauit. Nec enim poterat fieri, vt blandimentis ſeducti proderent illum, propter quem tanti itineris ſuſceperunt laborem. Nec expaueſcere poterant aliquem vt traderent eum, qui non aſpexerant Herodem nec Cæſarem, ſed in medio regno illorum ingreſſi ſunt, alium regem annunciantes. Nec aliud amplius deſiderare poterant quam Chriſtum, cui illi de tam longa prouincia munera precioſa portabant. Quum vidit quod aliud facere non poterat, ergo deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis ſui humilitatis colore depingebat. Talis enim eſt conſuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt: humilitatem illi & amicitias fingunt. Occulte vocauit eos, vt nõ viderent Iudæi (habebat enim ſuſpectos Iudæos) ne fortè quaſi regem ſuæ generationis amantes, & intelligentes aſtutiam Herodis, proderent conſiliũ eius Magis, neſciens quia inimici maiores erant Chriſti Iudæi, quàm ipſe. Herodes enim velut hominem ſuſpicans perſequebatur: Iudæi autem poſt multa miracula, poſt ſigna cæleſtia, poſtquã manifeſtè cognouerunt eũ eſſe filium Dei, tunc crucifixerunt eum. Quanto ergo manifeſtior diuinitas eius illis, quàm iſti: tanto ſceleratior eſt Iudæorum iniquitas, quàm Herodis. *Et ecce ſtella, quam viderant in oriẽte, præcedebat eos, vſque dum venit, & ſtetit ſuper caput pueri.* Ex hoc oſtenditur loco, quia quum aliquantulum ſtella adduxiſſet Magos prope Hieruſalem, abſcondita eſt ab eis, vt relicti à ſtella cogerentur in Hieruſalẽ interrogare de Chriſto, ſimul & manifeſtare de illo, propter duas cauſas. Primũ, ad confuſionem Iudæorũ: quoniam quidem Gentiles ſtellæ tantummodo viſione confirmati, Chriſtum etiam per alienas prouincias requirebant: & Iudæi ab infantia prophetias legentes de Chriſto, & in ſuis finibus natum, non ſuſceperunt. Deinde, vt interrogati ſacerdotes, vnde naſceretur Chriſtus, ad præiudicium ſuum reſponderent, de Bethlehem: quia qui Herodem docuerant de Chriſto, ipſi ignorabãt de illo. Si enim iugiter apparuiſſet, in Bethlehem eos fuerat deductura: & ideo non fuiſſent coacti interrogando nunciare de illo. *Et ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos,* vt conſiderantes obſequium ſtellæ, regis intelligerent dignitatem, & dicerent apud ſe, quomodo ſit rex iſte terrenus, cui ſtella miniſtrat? Quid autem mirum, ſi ſole iuſtitiæ orituro, ſtella miniſtrabat diuina? Præcedebat autem eos, vt oſtendat quoniam hominibus quærentibus Deum, ſic omnia elementa miniſtrant. Si ergo magnum putas, quia Chriſto ſtella obſequebatur, vide quoniã maiora ſunt, quæ tibi homini conſtituto miniſtrant. Ecce enim tibi ſol currit, & luna fulgere nõ ceſſat. Si tibi homini conſtituto elemẽta miniſtrant, quid nimirum ſi Chriſto ſtella obſequebatur? Si tibi peccanti elementa miniſtrant, quid mirum ſi ante illos quærentes Chriſtum ſtella currebat. Et ſi angeli miniſtrant hominibus, quos Deus non ad obſequium hominum, ſed ad ſuum creauit: quid magnum, ſi hominibus elementa miniſtrant, quæ propter homines ſunt creata? Hæc audientes gaudere nos oportet, pariter & timere: quia quanto maiora beneficia hominibus ſunt conſtituta, tanto grauiora peccantibus iudicia ſunt præparata. *Et ſtetit ſuper caput pueri,* quaſi dicens: hic eſt, vt quia loquendo monſtrare non poterat, ſtando monſtraret. *Et videntes ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Quia videlicet ſpes illorũ non erat decepta, ſed amplius confirmata, quod tanti itineris nõ ſine cauſa ſuſceperunt laborem. Indicio enim ſtellæ ſic occurrenti ſibi ſecundũ tempus, intelligebant, quia diuinitus eis natiuitas illa regis eſt oſtenſa. Et per * myſterium ſtellæ intelligebant, quoniam dignitas tunc nati regis excedebat menſuram omnium mundaliũ regum: neceſſe enim erat, vt glorioſiorem putarẽt regem illum quàm ſtellam, cui ſtella ſic deuotè obſequebatur. Aut quomodo nõ crederent ei ſubdendos homines, cui etiã cæli ornamenta ſubdita eſſe videbãt? At quomodo poterat ei terra eſſe rebellis, cui famulabatur & cęlum? *Et intrantes domũ, viderunt puerum, & matrem eius.* Videamus quid tale glorioſum videntes in puero gauiſi ſunt, qui regem quærẽtes, tanti itineris ſuſceperunt laborẽ? Nunquid viderunt palatium marmoribus ſplendidũ? Nunquid matrem eius diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbẽtem? Nunquid puerum auro, & purpura inuolutum? Nunquid aulam regiã diuerſis populis perſonantem. Sed quid? Pandochium tenebroſum, & ſordidũ, & magis animalibus quàm hominibus aptum: in quo nemo contentus erat ſecedere, niſi itineris neceſſitate coactus. Matrem eius vix tunicã vnam habentem, non ad ornamentũ corporis, ſed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat vxor carpentarij, & hoc in peregrè conſtituta, Puerum pannis ſordidiſſimis inuolutũ, & in ſordidiore quoque præſepio poſitum: quia locus ille ſic erat anguſtus, vt nec ponẽdi infantem ſpacium inuenirent. Si ergo regem terrenũ, quærentes, ſic inueniſſent, magis confundendi fuerant quàm gauiſuri, quia tanti itineris laborẽ ſine cauſa ſuſcepiſſent, nunc autem quia cæleſtem regem quærebant: & ſi nihil regale videbant in eo, tamen ſolius ſtellę teſtimonio contenti gaudebant. Oculi enim contemptibilem puerum aſpicere non poterant; quia ſpiritus in corde eorum, terribilem monſtrabat. Adhuc autem ſi quaſi terrenum regem eum quæſiſſent, inuenientes eum, apud ipſum remanſiſſent: ſicut ſæpe fieri ſolet in ſeculo, vt proprio rege relicto, conferant ſe ad alterũ. Nunc autem & hunc adorauerunt, & ad ſuum reuerſi ſunt: vt iſtum haberent regem cæleſtem animarum ſuarum, illum autem terrenum corporum ſuorum. *Et adorauerunt eum.* Putas adoraſſent Infantem non intelligentem adorationis honorem, niſi aliquid diuinum credidiſſent in eo? Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, ſed diuinitati eius, omnia cognoſcenti. Sed & qualitas ipſa munerum oblatorum teſtificabatur eos quandam diuinitatis æſtimationem habere de

* Manifeſtũ

puero. *Apertis enim theſauris ſuis, obtulerant ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Adimplentes gentium in Chriſto confeſſionem, & prophetiam impletam ſignificantes Eſaiæ dicentis: *Eſa. 60.* Omnes, qui ſunt in Saba, venient, aurum offerentes, & lapidem precioſum, ſalutare domini euangelizantes, & omnes oues Cædar congregabuntur, & arietes Nabaioth venient, qui & offerent acceptabilia ſuper altare tuum. Confeſtim autem cognoſcẽtes, & aperientes theſauros ſuos, congruam gentibus in Chriſto per ipſa dona oſtenderunt oblationem. Regem enim cognoſcentes eum, primitiam mundam, & precioſam ſanctorum, ſibi aurum repoſitum obtulerunt. Diuinum autem & cæleſte intelligentes principium eius, Libani obtulerunt odorem, formam mundæ orationis in odorem ſuauem ſpiritus ſancti oblatæ. Humanam autem & temporalem ſepulturam eius intelligentes, obtulerunt myrrham. Hæc autem etſi tunc non intelligebant Magi ſecundum quale myſterium iſta gerebantur, vel quid ſignificaret vnumquodq; munus eorum, nihil contrarium eſt. Gratia enim, quę illos hæc omnia tacere hortabatur, & ipſa ordinauerat vniuerſa poſtmodum cognoſcenda. Aurum ſunt ergo perfecti fideles, & ſapiẽtes, dicente Apoſtolo: *1. Cor. 3.* Si quis ædificat aurũ, argentum, lapides precioſos. Si quis ergo pręberet ſe Chriſto, fidei ſapientia plenũ, obtulit ei aurum. Thus autem eſt oratio: ſicut ſcriptũ eſt, *Pſal. 140.* Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Si quis ergo Chriſto mundã offert orationẽ, obtulit ei thus. Myrrham æſtimo eſſe opera bona: quoniam ſicut myrrha corpus defunctorum inſolubile ſeruat, ſic bona opera Chriſtum crucifixum in memoria hominis perpetuum ſeruant & hominem ſeruant in Chriſto. Primum ergo oportet Chriſto offerre fidem rationabilem, deinde orationem mundã, & tertio opera ſancta. Tu ergo quando venis ad eccleſiãm ad orandũ deũ, munera tecum in manibus tuis porta: da non habentibus, & pete ab illo qui habet, vt oratio tua bonis operibus commendetur. Sic & in lege ſcriptum eſt: *Exod. 23. 24* Ne venies in conſpectu domini Dei tui vacuus: infirma enim oratio eſt, quæ eleemoſynarum virtute non eſt munita. *Et admoniti in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* O fides Magorum! non contradixerunt angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus, venientes ante multitudinem ciuitatum non timuimus, regem terribilem apud illas omnino non expauimus: ſed ſtetimus & fiducialiter (qui natus fuerat) regem prædicauimus, & quaſi Deo munera digna obtulimus: & quaſi ſeruos latenter iubes nunc fugere, vt alia via venientes, alia redeamus? Sed fideles conſtituti, nec tunc timuerunt cognoſci, nec modo erubuerunt occultè recedere: quia nec erat poſſibile, vt qui ab Herode ad Chriſtum veniſſent, ad Herodem redirent. Qui enim derelicto Chriſto, vadunt ad Herodem frequenter reuertuntur ad Chriſtum: qui autem relicto Herode, ad Chriſtum veniunt toto corde, nunquam reuertuntur ad Herodem. Id eſt, qui de Chriſto ad diabolum tranſeunt per peccatum, frequenter per pœnitentiã reuertuntur ad Chriſtum: qui autem relicto diabolo venit ad Chriſtum, difficile reuertitur ad diabolum: quia qui numquã fuit in malis, ſed in innocentia, dum neſcit quid ſit malum, facile decipitur, & tranſit ad diabolum: ſed quum expertus fuerit malum, quod inuenit, & recordatus fuerit bonum, quod perdidit, compunctus redit ad Deum, vnde receſſit. Qui autem in malis fuerit, & conuerſus eſt ad bonum, dum gaudet de bonis, quæ inuenit, & recordatur mala quæ euaſit, difficile redit ad malum. Sed quid, quia multi, quum Chriſto relicto, peccauerunt, non agunt pœnitentiam? Illi tales nunquam fuerunt Chriſti, ideo ſuperius dixi, qui toto corde de diabolo venit ad Chriſtũ. Qui enim poſt peccatum non pœnitet, non quaſi homo carne deceptus peccauit, ſed arbitrio ſuo quum eſſet malus, malum egit. Nam malus quod malum eſt, non putat malum, ideo nec pœnitet, quum fecerit malũ. Aut ita. Qui enim à diabolo venit, ad Deum nunquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Veniſti per viam fornicationis, ambula de cętero per viam caſtitatis. Veniſti per viam auaritiæ, ambula de cætero per viam eleemoſynarum. Si autem per ipſam viam redieris, iterum ſub regnum Herodis vadis, & fis proditor Chriſti.

S. AVGVSTINI EPISCOpi Hippon. in idem feſtum Hom. 1.

Serm. 10 de tem. dubitant Louanienſ. PRoximè, fratres chariſſimi, eiuſmodi redemptionis noſtræ celebrauimus ſacramentũ, quo Deus hominem cum infirmitatibus induit: hodie verò illud colimus, quo ſe in hominem Deus virtutibus declarauit, pro eo quòd in hac die, ſiue *Matth. 2.* cælo ſtella ortus ſui nuntium præbuit, ſiue quòd *Ioan. 2.* in Cana Galilææ in conuiuio nuptiali aquam in vinũ conuertit, ſiue quòd in Iordanis vndis aquas ad reparationem humani generis ſub baptiſmo *Matth. 3.* conſecrauit, ſiue quòd de quinque panibus quin- *Matth. 14.* que millia hominum ſatiauit, in quolibet horum ſalutis noſtræ myſteria continentur, & gaudia. Nobis enim ex virgine natus eſt, quod ſtella monſtrauit. Nobis ex baptiſmo lauacrum conceſſum eſt, quod in Iordanis alueo conſecrauit. Nos quoque in melius eſſe mutandos operis miraculo permonſtrauit, quando aquas in vina conuertit. Et ideo, fratres chariſſimi, in omni actu noſtro ſtellam fidei præparemus, & in cuſtodia puritatis Chriſti baptiſmum celebremus, quia hæc Chriſti regeneratio, noſtræ fidei confirmatio eſt. Inſinuauit enim nobis muneris ſui beneficium per ſecundæ natiuitatis exemplum, & quod facere voluit, prior ipſe fecit. Legimus Iudæos diuerſa ſub lege habuiſſe baptiſmata, ſed nullũ ex his contra præuaricationis malum generalem potuit conferre medicinam. Et ideo pro abſolutione totius mundi indigebant regenerationis aqua cælitus ſanctificari. Et quia per vniuerſum mundum ſacramentum baptiſmi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alueum vnica ac ſingulari pietate deſcendit. Tunc enim Chriſtum dominum non tam lauit vnda, quàm lota eſt. Tibi ergo naſcendo Chriſtus aduenit, tibi viuendo militauit, tibi moriendo conſtituit. Quem vides pro te mortuum, pro te intellige baptizatum. Talis omnino etiam ante baptiſmum fuit, & ideo præcurſor eius, atque Baptiſta ita eum cum ad ſe baptizandus veniret, alloquitur: *Matt. 3.* domine, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quid euidẽtius de Chriſti nondum baptizati puritate? quid fortius, Ego à te debeo baptizari: id eſt, qui fons es innocentiæ, & plenitudo iuſtitiæ,

qui

qui nullo indigens dare ſcis, neſcis accipere? Ego, inquit, à te debeo baptizari, quia tecum exhibes, & in te poſſides puritatis munera, & baptiſmatis ſacramenta: & quod dabo, te largiête per gratiam, tu obtines per naturam. Attactu membra tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalē gratiam non corpus ex flumine, ſed flumen mutuatur ex corpore. Deſcēdere in ſe fontem ſuum felix vnda miratur, ſub vno momēto remedia æterna concipiens, & noua Deū regenerationis fœcunditate parturiens, quod acceperat, hoc reddens, & quod non habebat, accipiens. Inter hæc mirū eſſet, quòd ſe dominus ſerui ſubdidit benedictioni, niſi & cruci ſe ſubdidiſſet, & morti. Et ille quidē pretioſum ſibi eſſe hominē pretij ipſius dignitate perdocuit, vt hinc quoque intelligamus quàm grandes apud ſe æſtimet Deus noſter humanorum criminū cauſas, propter quas non angelū, non archangelum, ſed Deum miſit ad terras. Quàm grauis ſit peccati & quàm dura cōditio, prodit remedij magnitudo. Quanta malorū diſcuſſio erit, qua damnabuntur, ſolicitudo indicat, qua redimuntur. Omni ergo diligētia, atque vigilantia caueamus, nè vulneret diabolus, quod ſanauit Deus, ne per conſenſum cordis, per flagitium corporis ſeruitutem quam debemus domino, magis exhibere probemur inimico. Equidem ſi quis violentus, ac præpotens aliquid de facultate noſtra, ac proprietate rapuiſſet, nónne dignum ſummo odio duceremus? nónne meritò tanquā hoſtē deteſtaremur? Cur peccando, diabolo conſentiemus, qui nobis non ſubſtantiam vult auferre, ſed vitam: non terram fraudare, ſed cælum: non fines anguſtę poſſeſſionis, ſed infinita ſpacia ęternitatis? Inter hæc ô homo, ſi dignitatem facturæ tuæ, ſi pietatem circa te domini tui volueris æſtimare de pretio, non poteris dubitare de regno. Ipſi enim Magi, qui ad illa cæleſtis pueri veneranda cunabula ſtellæ indicio peruenerunt, quid aliud expreſſerunt in illis muneribus, niſi fidem noſtram? In eo enim quòd tria offeruntur, trinitas intelligitur. In eo verò quòd tres ſunt, & ſinguli ſingula offerunt, in trinitate vnitas declaratur: per aurum rex oſtēditur, Deus in thure dignoſcitur: per myrrham, quæ condiendis eſt apta corporibus, ſepultura crucifigendi hominis prædicatur. Secundum hæc chariſſimi, nos quoque perſonam magorum ſpiritalibus imitemur obſequiis. In primis tandiu quæramus Chriſtum, donec illum inuenire mereamur. Ducatum nobis præbeat velut ſtella cæli lux fidei. Hæc nobis illum oſtendat, non iam in præſepi vagientem, ſed in ſumma cæli arce dominantem. Nec in matris gremio, ſed in ſolio patris adorandum. Nec vlterius in humanitate iudicandum, ſed ad iudicium cum maieſtate venturum. Sic quaſi trium munerum trinitatis perfecta confeſſio, credatur à nobis vna diuinitas ſine confuſionis ſeparatione diſtincta pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, vnus Deus: credantur tres perſonę, ſed non tres ſubſtantiæ. Quantum autem ad cæleſtis naturæ ordinem pertinet, in patre, & filio, & ſpiritu ſancto ita confitenda eſt vna diuinitas, vt nec ſingularis putetur in trinitate perſona, nec triplex in vnitate ſubſtantia, ſed ita aſſignetur pluralitas vnitati, ne natiuitati ſubtrahatur æqualitas. Et licet intromittatur in vna diuinitate numeroſitas, non ſit tamen recipienda diuerſitas. Ita ergo fidelium cordibus diſponendus eſt Dei cultus, vt non admittatur vel in vnitate ſeparatio, vel in trinitate permixtio. Proxima enim ab hac die, fratres chariſſimi, ſacri natalis die natus eſt dominus, nunc baptizatus. Tunc nos genuit ad vitam nunc regenerauit ad ſalutem: tunc Adam ſuſcepit perditum, nunc abluit peccatorem. Venit ergo ad baptiſmum, ſicut ſcriptum eſt. Sed quid abluit, qui mūdus erat? Vtique vt mundus ablueret immundos. Illum ergo currentes aquæ tunc infundebant, ſed peccata noſtra ſecum portabant. De illo guttæ baptiſmatis fluebant, ſed noſtra in guttis crimina fluebant. O miſericordia ſimul & potētia Dei, necdum eramus in mundo, & iam abluebamur in baptiſmo! Mundati illo ſumus, antequam nati. Nam ipſi fuit baptiſmatis ratio, vt aquæ, quæ purgaturæ nos erant, ab illo antè purgarentur. Et cum aſcendiſſet, inquit ſcriptura, de aqua, vidit apertos cælos. Nunquid tunc ei cælum apertum fuerat, cuius oculi cælorum interiora cernębant? Sed ideo cælum aperitur vt myſterium baptiſmatis in hoc declaretur: quia quando homo de baptiſmo egreditur, tunc ei ianua regni cęleſtis aperitur. Illud vero quale eſt, quod Magi veniunt ad Deum natum imò deueniunt, poſitum in præſepio vident, nec apud ſenſus eorum humilitas natiuitatis reuerentiam diuinitatis imminuit: adorant corporibus, honorant muneribus, venerantur officiis: oculis hominem vident, & Deum obſequiis confitentur? Videbant enim in eo, qui natus fuerat plus eſſe, quod animæ hominum, quàm quòd oculi præuiderint. Dominus qui tunc corporaliter natus fuerat, per ipſum omnia nata erāt. Videbatus quidem in præſepio, ſed dominabatur in cælo. Intra corpuſculum erat, ſed intra ſe omnia continebat. Natus quidem ex matre fuerat, ſed matrem ſuam ipſe creauerat. Et ideo ſe Magi humiliabant, quia famulari aſtra cernebāt. Deum enim eſſe cognouerant, cui cæleſtia ſeruiebant. Et idcirco etiam ipſa eorum munera diuino myſterio plena erant. Aurum nanque, vt audiſtis, & thus, & myrrham obtulerunt. Triplicium ergo munerum numero triplex ſignificatio continetur. In thure obtulerunt Dei honorem, in auro regiam dignitatem, in myrrha corporis ſepulturam. Offeramus ergo & nos, dilectiſſimi fratres, ſyncera, & ſancta munera Deo noſtro, caſtitatem, fidem, patientiam, charitatem, mētes humiles, probos mores, animas Deo inhabitante condignas. Hæc ſunt enim placita Deo dona, hæc grata munera, quæ illi quidem offeruntur, ſed offerentibus proſunt. Nullo enim ille munere eget, ſed hoc illi munus optimum eſt, vt cauſas habeat munerandi. Nihil à nobis exigit, nihil amplius petit niſi ſalutem noſtram. Omnia enim ſibi præſtari à nobis putat, ſi ita nos egerimus, vt nobis ab illo cuncta præſtentur, auxiliante ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorū, Amen.

Matth. 3. (margin, beside "nati. Nam ipſi fuit baptiſmatis ratio")

Matth. 2. (margin, beside "ritur. Illud vero quale eſt")

EIVSDEM DE EODEM *feſto Sermo 2.*

AD partū virginis adorādum Magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus, huic debitam ſolennitatem, ſermonémque perſoluimus. Illis dies iſte primus illuxit, anniuerſaria nobis feſtiuitate rediit. Illi erant primitiæ gentium: nos populi gentium. Nobis hoc lingua nunciauit apoſtolorum: ſtella illis tāquam

Serm. 30. de temp. (margin)

lingua cælorum:& nobis idem Apoſtoli tanquam *Pſal. 18.* alij cæli enarrauerunt gloriam Dei. Cui enim non agnoſcamus eos cælos, qui facti ſunt ſedes Dei, ſicut ſcriptum eſt: Anima iuſti, ſedes ſapientię? Per *Sap. 7.* hos enim cælos ille cælorum fabricator & habitator intonuit, quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit. Magnum ſacramentum. In præſepi tunc iacebat, & Magos ab Oriente ducebat: abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cælo manifeſtaretur in ſtabulo, & appellaretur Epiphania dies iſte. quod Latinè manifeſtatio dici poteſt, ſimul eius celſitudinem humilitatémque commodans, vt qui in aperto cælo ſignis ſydereis monſtrabatur, in anguſto diuerſorio quæſitus inueniretur inualidus infantilibus mēbris, inuolutus infantilibus pannis, adoraretur à Magis, timeretur à malis. Timuit enim eum rex Herodes eiſdem ſibi Magis nūtiantibus, cum adhuc quærerent paruulum, quem cognouerant cęlo teſte iam natum. Quid erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos reges cunabula terrebāt infantis? Quanto conſultius reges non ſicut Herodes interficere quærant, ſed ſicut Magi potius adorare delectentur, iam præſertim eum qui & ipſam mortem, quam incupiebat inimicus inferre, etiam pro ipſis inimicis ab inimicis ſuſtinuit, eam in ſuo corpore occiſus occidit. Piè timeant reges ad patris dexteram iam ſedentem, quem rex impiè timuit adhuc matris vbera lambentē: audiant quod ſcriptum eſt: Et nunc reges intelligite, erudimini *Pſal. 2.* qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ille enim rex vltor impiorum regum, & rector piorum, nō ita natus eſt, vt reges naſcuntur in ſeculo, quia & ille natus eſt, cuius regnum non eſt de hoc ſeculo. Nobilitas ſui naſcentis in virginitate parientis, & nobilitas parientis in diuinitate naſcentis. Denique cū tam multi iam nati, atque defuncti eſſent reges Iudęorum, nūquid quenquam eorum adorandum Magi quæſierunt? Quia nec quenquam eorum cælo loquente didicerunt. Veruntamen quod prætereundum non eſt, hæc Magorum illuminatio magnum teſtimonium cæcitatis extitit Iudæorum. In terra eorum iſti requirebant, quod illi in ſua nō agnoſcebant. Apud eos iſti infantem inuenerunt, quem illi apud ſe negauerunt. In his terris de longinquo iſti peregrini puerum Chriſtum nondum verba promentem adorauerunt, vbi ciues illi iuuenem miracula facientem crucifixerunt. Iſti in membris paruis Deum adorauerūt, illi in magnis factis nec tanquam homini pepercerūt, quaſi plus fuerit videre nouam ſtellam in eius natiuitate fulgentem, quàm ſolem eius in morte lugentem. Iam vero quod eadem ſtella, quæ Magos perduxit ad locum, vbi erat cum matre virgine Deus infans, quæ vtique poterat eos, & ad ipſam perducere ciuitatem, ſe tamen ſubtraxit, nec eis prorſus apparuit, donec de ciuitate, in qua Chriſtus naſceretur, idem ipſi interrogerentur Iudæi, vt ipſi eam ſecundum diuinæ ſcripturæ teſtimonium nominarent, ipſi dicerent: Bethlehem, non es minima in *Mich. 5.* principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Quid aliud hic ſignificauit diuina prouidentia, niſi apud Iudęos ſolas diuinas literas remanſuras, quibus gentes inſtruerentur illi excæcarentur, quas portarent non in adiutorium ſalutis ſuæ, ſed ad teſtimonium ſalutis noſtræ? Nam hodie cum præmiſſas prophetias de Chriſto proferimus, iam rerum completarum luce declaratas, ſi forte Pagani, quos lucrari volumus, dixerint non eas tāto antè prædictas, ſed poſt rerum euentum, vt hæc, quæ facta ſunt, prophetata putarentur, à nobis eſſe confictas, Iudæorum codices recitamus, vt tollatur dubitatio Paganorum, qui iam in Magis illis figurabantur, quos Iudæi de ciuitate, in qua natus eſt Chriſtus, diuinis eloquiis inſtruebant, & eum ipſi nec requirebant, nec agnoſcebant. Nunc ergo, chariſſimi, gratiæ filij, & hæredes, videte vocationem veſtram, & *1. Cor. 1.* manifeſtato Iudæis, & gētibus Chriſto tanquam angulari lapidi perſeuerantiſſima dilectione cohærete. Manifeſtatus enim eſt in ipſis cunabulis infantiæ ſuæ his, qui prope, & his qui longe erant, *Epheſ. 2.* Iudæis in paſtorum propinquitate, gentibus in Magorum longinquitate. Illi ipſo die, quo natus eſt, iſti ad eum hodie aduenisse creduntur. Manifeſtatus ergo eſt, nec illis doctis, nec iſtis iuſtis. Præualet nanque imperitia in ruſticitate paſtorū, & impietas in ſacrilegiis Magorum. Vtroſque ſibi *1. Cor. 1.* lapis ille angularis applicuit, quippe qui venit *Matt. 9.* ſtulta mundi eligere, vt confunderet ſapientes, & non vocare iuſtos, ſed peccatores, vt nullus magnus ſuperbiret, nullus infirmus deſperaret. Vnde Scribæ, & Phariſæi dum nimis iuſti ſibi videntur, cuius naſcentis ciuitatem oſtenderunt, propheticа eloquia recitantes, hunc reprobauerunt ædificātes. Sed quia factus eſt in caput anguli, & quod *Pſal. 117.* natus oſtendit, paſſus impleuit. Huic nos inhæreamus cum alio pariete habente reliquias Iſrael, *Rom. 11.* quæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Eos enim paſtores illi præfigurabant de proximo coniungendos, vt & nos, quorum ex longinquo vocationem Magorum ſignificabat aduentus, iam nō peregrini, & inquilini, ſed ciues ſanctorum, & domeſtici Dei maneamus, coædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo *Epheſ. 2.* ſummo angulari lapide exiſtente Chriſto Ieſu, qui fecit vtraque vnum, vt in vno amemus vnitatem & ad colligendos ramos, qui etiam de oleaſtro inſerti, per ſuperbiam fracti hęretici facti ſunt, quoniam potēs eſt Deus, iterum inſerere illos: habeamus & infatigabilem charitatem, ipſo adiuuante *Rom. 11.* qui viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Hom. 3.*

ANte pauciſſimos dies natalem diem domini celebrauimus, hodierno autem die manifeſtationem, qua manifeſtari gentibus cœpit, ſolennitate non minus debita celebramus. *Sermo. 31. de temp.* Illo die natū paſtores Iudæi viderunt, hodie Magi ab Oriente venientes adorauerunt. Natus quippe fuerat lapis ille angularis, pax duorum parietum, ex circūciſione, & præputio, non ex parua diuerſitate venientium, vt in illis ſpecularetur, qui factus eſt pax noſtra, & fecit vtraque vnum. Hoc in paſtoribus Iudæorum, & Magis gentium præſignatum eſt. Inde cœpit, quod in vniuerſo mundo fructificaret & creſceret. Nos itaque duos dies, natiuitatis & manifeſtationis domini noſtri ſpiritali lætitia gratiſſimos habeamus. Iudæi paſtores ad eum angelo nuntiante, gentiles Magi ſtella demonſtrante perducti ſunt. Hęc ſtella vanas computationes aſtro-

logorum

logorum, & diuinationes confundit, cum ſtellarum adoratoribus creatorem cæli, & terræ adorandum potius demonſtrauit. Nam ipſe nouam ſtellam declarauit natus, qui antiquum ſolem obſcurauit occiſus. Illa luce inchoata eſt fides gentium, illis tenebris accuſata eſt perfidia Iudæorum. Quid erat illa ſtella, quæ nec vnquam antea inter ſydera apparuit, nec poſtea demonſtranda permanſit? Quid erat niſi magnifica lingua cæli, quæ narraret gloriam Dei, quæ inuiſitatum virginis partum inuiſitato fulgore clamaret, cui nõ poſtea apparenti Euangelium toto orbe ſuccederet? Quid denique Magi venientes dixerunt: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Quid eſt hoc? Nonne tam multi antea reges erant Iudæorum? Quid tantopere alienæ gentis regem noſſe, & adorare cupierunt? Vidimus enim, inquiunt, ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Nunquam hoc tãta deuotione requirerent, tanto pietatis affectu deſiderarent, niſi eum agnoſcerent regem Iudæorum, qui rex eſt etiam ſeculorum. Hinc & Pilatus nonnulla vtique aura veritatis afflatus eſt, quando in eius paſſione titulum ſcripſit, Rex Iudæorum: quẽ Iudæi conati ſunt mendoſi emendare, Quibus ille reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi. Quia prædictum erat in Pſalmo: Tituli inſcriptionem ne corrumpas. Aduertamus itaque magnum hoc & mirabile ſacramentum. Magi ex gentibus erant, ipſe etiam Pilatus ex gentibus: illi ſtellam viderunt in cælo, ille titulum fixit in ligno, vtriq; tamen non regem gentium, ſed Iudæorum, vel quærebãt, vel agnoſcebant. Iudæi vero ipſi nec ſtellam ſecuti ſunt, nec titulo conſenſerunt. Iam igitur præſignabatur, quod poſtea ipſe dominus dixit. Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbẽt cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni ibunt in tenebras exteriores. Nam magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Vnde illi Orienti, hoc eſt naſcenti, ille autem Occidenti, hoc eſt, morienti atteſtabantur regi Iudæorum, vt cum Abraham & Iſaac & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem recumberent in regno cælorum, non ex eis propagati per carnem, ſed eis inſerti per fidem, vt ille de quo Apoſtolus loquitur, oliuæ inſerendus iam præmonſtraretur oleaſter. Propterea quippe non rex gentium, ſed Iudæorum ab eiſdem gentibus, vel quærebatur, vel agnoſcebatur: quia oleaſter ad oliuam, nõ ad oleaſtrum oliua veniebat. Rami tamen frangendi, hoc eſt, infideles Iudæi, & Magis inquirentibus vbi Chriſtus naſceretur, in Bethlehem Iudæ reſpondebant: & Pilato exprobrante quòd regem ſuum crucifigi vellent, pertinaciſſimè ſæuiebant. Itaque Magi adorauerunt, Iudæis oſtendentibus locum Chriſti naſcentis, quia in ſcriptura, quam Iudæi acceperunt, Chriſtum cognoſcimus. Pilatus manus lauit, Iudæis exigentibus mortem Chriſti patientis: quia per ſanguinem, quem Iudæi fuderũt, peccata diluimus. Sed de teſtimonio Pilati per titulum, in quo ſcripſit, regem Iudæorum eſſe Chriſtum, alius eſt differendi locus, quo paſſionis eſt tempus. Nunc quod attinet ad manifeſtationem Chriſti nati, de cuius manifeſtationis die, quę Græco vocabulo Epiphania nominatur, qua manifeſtari cæpit gentibus, cùm eum Magi adorauerunt, quæ reſtant pauca dicamus. Nam etiã atque etiam conſiderare delectat, quemadmodum Magis quærentibus, vbi Chriſtus naſceretur, Iudæi reſponderunt. In Bethlehem Iudæ, Nec tamen ad eum ipſi venerunt, ſed eis abſcedẽtibus, Magos ad eum locum, in quo infans erat, eadem ſtella perduxit, vt oſtenderetur quod & ciuitatem poterat demõſtrare, ſed ad hoc ſe aliquantulum ſubtraxerat, vt Iudæi poſſent interrogari. Ad hoc ſunt autem interrogari Iudæi, vt demonſtraretur, eos non ad ſuam, ſed ad gentium ſalutem & agnitionem teſtimonia diuina portare. Propter hoc enim illa gens regno ſuo pulſa eſt, & diſperſa per terras, vt eius fidei cuius inimici ſunt, vbique teſtes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, ſacrificio, ſacerdotio, ipſoque regno, in paucis veteribus ſacramentis nomen, genúſque cuſtodiunt, ne permixti gentibus ſine diſcretione diſpereant, & teſtimonium veritatis amittant, velut Cain accipiente ſignum, vt eum nullus occidat, qui fratrem iuſtum inuidus, & ſuperbus occidit. Hoc nimirum etiam in quinquageſimooctauo Pſalmo, non incongruenter intelligi poteſt, vbi Chriſtus ex perſona ſui corporis loquitur, & dicit, Deus meus demonſtrauit mihi de inimicis meis, ne occidens eos, ne quando obliuiſcantur legis tuæ. In eis quippe inimicis fidei Chriſtianæ demonſtratur gẽtibus quomodo prophetatus eſt Chriſtus, ne fortè cum vidiſſent tanta manifeſtatione impleri prophetias, putarent eaſdem ſcripturas à Chriſtianis eſſe confictas, vt de Chriſto prædicta putarentur, quæ cõpleta cernuntur. Proferuntur ergo codices à Iudæis, atque ita Deus demonſtrat nobis in inimicis noſtris, quos ideo non occidit, hoc eſt, de terris non penitus perdidit; ne obliuiſcerentur legem ipſius, quam propterea legendo & quædam eius quamuis carnaliter obſeruando meminerint, vt ſibi ſumant iudicium, nobis præbeant teſtimonium, ipſo domino noſtro adiuuante, qui viuit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſal. 18. Matt. 2. Ioan 19. Ibidem. Matt. 8. Rom. 11. Matt. 27. Matt. 2. Pſal. 58.

EIVSDEM IN EODEM *feſto, Hom. 4.*

HOdierni diei per vniuerſum mundum noua ſolennitas quid nobis afferat feſtiuitatis, quidve anniuerſaria repetitione commemoret, anniuerſario quoque ſermone tempus admonet, vt loquamur. Epiphania quippe, Latinè manifeſtatio dici poteſt. Hac enim die Magi dominum noſtrum adoraſſe perhibentur, ſtella ſcilicet apparente commoniti, & præcedente perducti. Eo quippe die, quo natus eſt, illi ſtellam in Oriente viderunt, & quem natum indicauerit agnouerunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt. Herodem regem nuncio terruerunt, Iudæis ex prophetica ſcriptura reſpondentibus, Bethlehem ciuitatem, vbi dominus natus fuerat, inuenerunt. Ad ipſum dominum ſtella eadem ducente venerunt, demonſtratum adorauerunt, aurum, thus, & myrrham obtulerunt, alio itinere redierunt. Manifeſtatus eſt quidem & die ipſo natiuitatis ſuæ dominus paſtoribus ab angelo admonitis, quo etiam die per ſtellam illis eſt longe in Oriente nuntiatus, ſed in iſto die ab eis eſt adoratus. Suſcipite ergo deuotiſſimè iſtum diem celebrandum, vniuerſa eccleſia gentium, quia & illi Magi quid iam fuerunt, niſi primitiæ gentium? Iſraelitæ paſtores, Magi gentiles: Illi propè, iſti longè, vtrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt:

Sermo. 32. de temp. Matt. 2.

Epheſ. 2. tunt: Veniens quippe, ſicut Apoſtolus dicit, Euangelizauit pacem nobis, qui eramus longè, & pacem his, qui propè. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & duos condidit in ſe, in vnum nouum hominem faciens pacem, & commutauit vtruſque in vno corpore Deo, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Meritò iſtum diem nunquam nobiſcum hæretici Donatiſtæ celebrare voluerũt, quia nec vnitatem amant, nec Orientali eccleſiæ, vbi apparuit illa ſtella, communicant, nos autem manifeſtationem domini, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quia primitias gentium delibauit, in vnitate gentium celebramus. Tunc enim puer prius quàm ſciret vocare patrem, aut matrem, ſicut de illo fuerat prophetatum, accepit virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ, id eſt, antequàm per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damaſci, illius ſcilicet vnde Damaſcus præſumebat. *Eſa. 8.* In diuitiis quippe ciuitas illa ſecundum ſeculum florens aliquando præſumpſerat. In diuitiis autem principatus auro defertur, quod Chriſto Magi ſuppliciter obtulerunt. Spolia verò Samariæ idem ipſi erant, qui eam incolebant. Samaria nanque pro idolulatria poſita eſt. Illic enim populus Iſrael auerſus à domino, ad idola colenda conuerſus eſt. Debellaturus ſcilicet Chriſtus gladio ſpiritali per vniuerſum orbem regnum diaboli, hæc prima puer ſpolia idololatriæ dominationi detraxit, vt ad ſe adorandum Magos conuerſos à peſte illius ſuperſtitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam loqueretur de cælo per ſtellam, vt & quis eſſet, & quò propter quos veniſſet, non voce carnis, ſed virtute verbi, quod caro factum eſt, demonſtraret. Hoc enim verbum, *Ioan. 1.* quod in principio erat Deus apud Deum, iam etiam caro factum, vt habitaret in nobis, & ad nos veniebat, & apud patrem manebat, & ſurſum angelos non deſerens, & deorſum ad ſe homines per angelos colligens, & cæleſtibus habitatoribus ſecundum verbum incommutabili veritate fulgebat, propter & anguſtum diuerſorium in præſepe iacebat. Ab ipſo in cælo demonſtrabatur ſtella, & ipſum adorandum demonſtrabat in terra. Et tamen infans tam potens, tam magnus, paruulus propter inimicitias Herodis in Ægyptum portantibus parentibus fugit: ita nondum ſermone, ſed factis iam ſuis membris loquens, & tacitus dicens, Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fu-
Matth. 10. gite in aliam. Mortalem quippe carnem, in qua
1. Pet. 59. nos præfiguraret, gerebat, in qua erat etiam pro nobis opportuno tempore moriturus. Vnde à Magis illis non ſolum aurum honorandus, & thus adorandus, verumetiam myrrham ſepeliendus acceperat. Quales etiam fuiſſent pro eius nomine morituri, quam innocentes, quàm humiles, oſtendit in paruulis, quos Herodes occidit. Nã ex qui-
Matth. 22. bus lex tota pendet, & Prophetæ, etiam illum numerum præceptorũ ſignificant bimatus illorum. Iam verò quem non fecit intentum, quid ſibi velit quod Magorum inquiſitioni vbi Chriſtus naſceretur, Iudæi de ſcriptura reſponderunt, & ipſi
Exod. 12. cum eis non adorauerunt? Nónne hoc videmus etiam nunc, quando ex ipſis ſacramentis, quibus eorum duritia ſubditur, nihil aliud quàm Chriſtus, in quem nolunt credere, oſtenditur? Nónne & quando occidunt ouem in Paſcha, & manducant, gentibus Chriſtum demonſtrant, quem cum eis ipſi non adorant? Nam illud quale eſt, quod ſæpe de teſtimoniis propheticis, quibus Chriſtus prænunciatus eſt, quibúſque hominibus dubitantibus, ne fortè à Chriſtianis illa conſcripta ſint, non adhuc futura, ſed facta, ad Iudæorum codices prouocamus, vt animos dubitantium confirmemus? Nonne enim tunc Chriſtum Iudæi oſtendunt gentibus, quem nolunt adorare cum gentibus? Nos ergo, chariſſimi, quorum erant illi Magi primitiæ, nos hæreditas Chriſti vſque ad termi-
Pſal. 18. nos terræ, propter quos cæcitas ex parte in Iſrael facta eſt, vt plenitudo gentium intraret, cognito domino, & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, qui propter nos conſolandos tunc iacuit in anguſto diuerſorio, nunc propter ſublimandos ſedet in cælo, ſic eum annunciemus in hac terra, in hac regione carnis noſtræ, vt non qua venimus, redeamus, nec prioris noſtræ conuerſationis veſtigia repetamus. Hoc eſt enim, quod & illi Magi, non qua venerũt,
Rom. 11. redierunt. Via mutata eſt, & nobis cæli enarrauerunt gloriam Dei, & nos ad Chriſtum adorandum fulgens ex Euangelio veritas, tanquam de cælo ſtella perduxit, & nos prophetiam in gente Iudaica celebratam, tanquam iudicium Iudæorum nobiſcum pergentium fideli aure percepimus, & nos, & regem, & ſacerdotem, & pro nobis mortuum Chriſtum agnoſcentes, atque laudantes, iam in auro, & thure, & myrrha honorauimus, ſupereſt vt cum euangelizantes nouam viam carpamus, non qua venimus redeamus, adiuuante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Hom. 5.*

NVper celebrauimus diem, quo ex Iudæis dominus natus eſt, hodie celebramus quo à Gentibus adoratus eſt: quoniam ſalus ex Iudæis, ſed hæc ſalus vſque ad fines terræ. Nam & illo die paſtores adorauerunt, hodie Magi. Illis angeli, iſtis autem ſtella nunciauit. Vtriq; de cælo didicerunt, cum regem cæli in terra viderunt, vt eſſet gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Iam hoc infans natus, atque annunciatus oſtenditur lapis ille angularis, iam in ipſo primordio natiuitatis apparuit. Duos ex diuerſo parietes in ſe copulare iam cœpit, paſtores à Iudæa, magos ab Oriente perducens, vt duos conderet in ſe in vnum hominem nouum, faciens pacem, pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Ideóque illi ipſo die de proximo venientes, iſti hodie de longinquo peruenientes, duos dies celebrandos poſteris ſignauerunt, vnam tamen lucem mundi vtrique viderunt. Sed hodie de iſtis loquendum eſt, quos de remotis terris fides duxit ad Chriſtũ. Venerunt enim, & quæſierunt eum dicentes, Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Annunciant, & interrogant, credunt, & quærunt, tanquã ſignificantes eos, qui ambulant per fidem, & deſiderant ſpeciem. Nónne alij reges Iudæorum iam toties in Iudæa nati erant? Quid eſt, quòd iſte ab alienigenis in cęlo agnoſcitur, in terra quęritur, in alto fulget, in humili latet? In Oriente Magi viderunt ſtellam, & in Iudæa natum intellexerunt regem. Quis eſt iſte rex tam paruus, tam magnus,

Serm. 14. de temp. Louan. dubitant. *Ioan. 4.* *Matt. 2.* *Luca 2.* *Luca 2.* *Epheſ. 2.* *Matt. 2.* *2. Cor. 5.*

magnus, nondũ in terris loquens, iam in cælo edicta proponens? Veruntamen propter nos, quibus de ſcripturis ſuis ſanctis innoteſcere voluit, ipſos etiam magos quibus tam clarum ſignum in cælo dederat, & quorum cordibus ſe inſinuatum eſſe reuelauerat, Prophetis tamẽ ſuis de ſe credere voluit. Quærendo enim ciuitatem, in qua natus erat quem videre, & adorare cupiebãt, neceſſe habuerunt percũtari principes Iudæorum, vt illi de ſancta ſcriptura, quam in ore, non in corde geſtabant infideles fidelibus de gratia Dei reſponderent mẽdaces à ſe, veraces contra ſe. Quantum enim erat, vt illis quærentibus Chriſtum comites fierẽt, cum ab eis audiſſent, quod viſa ſtella eius venerint eũ adorare ſupplentes, ipſi eos ad Bethlehem Iudæ, quam de libris diuinis indicauerant, ducerent, pariter viderent, pariter adorarent? Nunc vero aliis demonſtrato vitæ fonte, ipſi ſunt mortui ſiccitate, factique ſunt eis tanquam lapides à miliario, qui viatoribus ambulantibus aliquid oſtenderunt, ſed ipſi ſolidi, atque immobiles remanſerunt. Magi quærebant vt inuenirent, Herodes quærebat vt perderet. Iudæi ciuitatem naſcentis legebant, tempus venientis non intelligebant. Inter magorum pium amorem, & Herodis crudelem timorem illi euanuerunt Bethlehem demõſtrantes. Chriſtum autem, qui ibi natus eſt, non nunc quæſitum, ſed viſum poſtea negaturi, nec nunc infantem, ſed loquentem poſtea negaturi. Felix potius infantium ignorantia, quos Herodes perſecutus eſt territus, quàm iſtorum ſcientia quos conſuluit perturbatus. Illi pro Chriſto potuerunt pati, quem nõdum poterant confiteri: iſti docentis nõ ſecuti ſunt veritatem, cuius naſcentis potuerunt noſſe ciuitatẽ. Magos ſanè ad ipſum propriè locum vbi Dei verbum infans erat: illa ſtella perduxit: Hîc iam erubeſcat ſtultitia ſacrilega, & quædam, vt ſic dicam, indocta doctrina, quæ ideò putat Chriſtum ſub ſtellarum decreto eſſe natum, quia ſcriptum eſt in Euangelio, quando natus eſt, ſtellam eius Magos in Oriente vidiſſe. Quod verum non eſſet, nec ſi homines ſub decreto eiuſmodi naſcerentur, qui non ſicut Dei filius propria voluntate, ſed naturæ mortalis conditione naſcuntur. Nunc autem tantum abhorret à vero ſub ſtellato fato natum eſſe Chriſtum, vt nullos homines ita naſci credat quiſquis rectè credit in Chriſtum. Sed de genituris hominum vani homines loquantur, quod inſipiẽter opinantur, negent voluntatem qua peccant, confingant neceſſitatem qua peccata defendant: perditos mores, per quos in terra ab hominibus deteſtantur, in cælo etiam figere conentur, & à ſyderibus manare mentiantur. Videat tamen vnuſquiſque eorum quemadmodum non vitam, ſed familiam ſuam qualicunque poteſtate regendam putet, quandoquidem iſta ſentiendo ſeruos ſuos in domo peccantes verberare nõ ſinitur, niſi prius deos ſuos in cęlo radiantes blaſphemare cogatur. Chriſtum tamen iſti nec ſecundum ſuas vaniſſimas coniecturas, & non ſanè fatidicos, ſed planè falſidicos libros ideo putent ſub ſtellarum decreto eſſe natum, quia eo nato ſtellam Magi in Oriẽte viderunt. Hunc enim potius Chriſtus non ſub dominatu eius, ſed dominus eius apparuit, quia illa non in cælo ſydereas vias tenuit, ſed hominibus quærentibus Chriſtum viam vſque ad locum in quo natus fuerat demonſtrauit. Vnde non ipſa Chriſtum fecit mirabiliter viuere, ſed ipſam fecit Chriſtus mirabiliter apparere. Nec ipſa Chriſti mirabilia decreuit, ſed ipſam Chriſtus inter ſua mirabilia demonſtrauit: Ipſe enim natus ex matre de cælo terræ nouum ſydus oſtendit, qui natus ex patre, cælum terrámque formauit. Eo naſcẽte lux noua eſt in ſtella reuelata, quo moriente lux antiqua eſt in ſole velata. Eo naſcente, ſuperi nouo honore claruerunt, quo moriente inferi nouo timore tremuerunt, quo reſurgente diſcipuli nouo amore exarſerunt, quo aſcendente, cæli nouo obſequio patuerunt. Celebremus ergo deuota ſolennitate & hunc diem, quo cognitum Chriſtum Magi ex gentibus adorauerunt, ſicut celebrauimus illum diem, quo natum Chriſtum paſtores ex Iudæa viderunt. Ipſe enim dominus Deus noſter, qui elegit Apoſtolos ex Iudæa paſtores, per quos congregaret ſaluandos etiam ex gentibus peccatores.

EIVSDEM IN EODEM
feſto Hom. 6.

Sermo. 35. de temp. dubitãt Louanienſes.

Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti aduentus in carne in ipſo de virgine rudi eius exortu manifeſtari gentibus cœpit, cum ad eum adorandum Magi ab Oriente venerunt. *Matt. 2.* Hic dies ſolenniſſimus debita ſanctitate eſt factus eccleſiæ, maximè quæ creuit ex gentibus, & angulari lapide alterum parietem ſtructura vberiore compegit, vt illi pax noſtra faceret vtraque vnum, ex circunciſione & præputio condens eccleſiam. *Epheſ. 2.* Vnde & lapis angularis dictus eſt tanquam in ſe copulans ex diuerſitate venientes, vt cõmutaret vtroſque in vno corpore Deo, ſicut Prophetica, & Euãgelica, & Apoſtolica doctrina teſtatur. Nato itaque domino ex virgine, quem diem nuperrime celebrauimus, paſtores admoniti ab angelis ſecũdum Lucam Euangeliſtam ad infantis verbi præſepe venerunt. *Luca 2.* Paſtores autem illi Iſraelitæ fuerũt. Ecce præſignatus eſt vnus paries, angularem lapidem ex circunciſione præcurrens. Paucis diebus inde tranſactis, hodie Magi ab Oriẽte veniſſe creduntur, & illius paruuli magnitudinem cognouiſſe, quos Matthæus Euangeliſta commemorat. *Matt. 2.* Ecce alius paries ex præputij deſperatione cõcurrens nos propriè figurauit, & diem nobis feſtum familiari lætitia germinauit. In cęlo enim videntes ignotiſſimam ſtellam, non ante paucos dies ſed ante ferme biennium, ſicut inquirenti Herodi patefecerunt. Vnde à bimatu, & infra, ſecũdum tempus, vt ſcriptum eſt, quod inquiſierat à Magis. Hãc ſtellam ſicut intelligitur admirati, cuius etiam eſſet conſequenti reuelatione noſſe meruerunt, regis videlicet Iudæorum, eóque nato cum & hoc eius gratia cognouiſſent, ad eum orandum hodie occurrere potuerunt. Non vtique regi Iudęorum, qualis eſſe illic ſolebat, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ, & ab eodem regno prorſus extranei à ſe deberi arbitrabantur, ſed tamen natum eſſe didicerant, in quo adorãdo ſe ſalutem, quæ ſecundum Deum eſt, conſecuturos minime dubitarent. Neque enim ætas erat ſaltem, cui adulatio humana ſeruiret, non ſub poplite ſella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum fama præliorum hos ad eum viros ex remotis terris cum

tanto voto ſupplicationis attraxerat. Iacebat in præſepe puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate, ſed magnum aliquid latebat in panno, quod illi homines primitiæ gentium non terra portante, ſed cælo narrante didicerant, qui tam ea longinquo tam ſupplices veniebant, *3.Reg.10.* & quod intuendo non videbant, promereri ado- *Matt. 12.* rando cupiebant. Regina quædam Auſtri venerat à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, nec illa regni eius ſublimitate, ſed mentis luce commota eſt. Veruntamen inerat in Salomone doctrina, quæ verbis eius longiſſime ac latiſſime diffamatis ad diſcendum potuit ſtudioſos animos excitare, proinde illa non latentem Deum, ſed loquentem hominem, non adorare venerat, ſed audire. Hic autem qui donauerat illã ſapientiã Salomoni, & erat virtus, ac ſapiẽtia Dei infirmitate carnis indutus, adhuc per puſillã ætatẽ tacebat in terris, & iã per ampliſſimam maieſtatem clarebat in cælis. Quid times, Herodes? Quid maligna mente turbaris? Si ſalutem tuam ſapias, ille natus eſt per quem regnum Dei videas. Quid ſæuis? Quid occidis infantes? Quid ætatem innoxiam noxius inſectaris? A gladio regis huius nemo erit crudelitate, ſed pietate ſecurus. Deteſtanda ergo regis Herodis inſania, ſed magis miranda Iudæorum ſtultitia, propter quos indicandos diſpoſitione diuina ſe à conſpectu Magorum Chriſtum quærentium paruumper illa ſtella ſubtraxit. Apparuit namque vt locum, in quo puer fuerat demonſtraret. Poterat vtique inde a etiam ciuitatis exiſtere, ſed quod in Bethlehem Iudæ Chriſtus naſceretur, de libris ſanctis interrogati Iudæi proferre debuerunt, parati ad legendum, cæci ad intelligendum, duri ad credendum. Hos ergo nos in vetuſtate literæ dimittamus, & ea eorum adiuti codicibus adorandum Chriſtum cum iſtis alienigenis agnoſcamus.

EIVSDEM DE EODEM *feſto, Hom. 7.*

Serm.36.de temp. dubitãs Louanienſis. INtelligere poſſumus, fratres chariſſimi, quantam grauam Chriſto domino debeamus, qui vota votis accumulat, gaudia gaudiis multiplicat. Ecce enim adhuc exultamus Chriſtum dominum natum, & iam cum lætamur pro ſalute humani generis baptizatum. Nec dum ortus eſt eius expleta feſtiuitas, & iam baptiſmatis eius eſt celebranda ſolennitas. Vix natus eſt hominibus, & iam renaſcitur ſacramentis. Hodie enim licet poſt multa annorum curricula conſecratus eſt in Iordane. Ita ergo diſpoſuit dominus, vt votis vota ſubiungeret, hoc eſt, in vno, eodémque tempore & ederetur per virginem, & per myſterium gigneretur, eſſétque coniuncta feſtiuitas carnis natiuitatis, atque baptiſmatis: vt quemadmodum tunc enim miramur incorrupta matre progenitum, ita & nunc ſuſcipiamus illum pura vnda ſubmerſum. Et gloriemur in vtroque facto, quia filium genuit mater, & caſta eſt, & quia Chriſtum vnda lauit, & ſancta eſt, Nam ſicut poſt partum glorificata eſt Mariæ caſtificatio, ita poſt baptiſmum aquæ eſt purificatio cõprobata, niſi quod pene maiori munere quã Maria vnda ditata eſt. Illa enim ſibi tan- *Nota in aqua baptiſmatis eſſe vim ſanctificandi.* tum meruit caſtitate, iſta nobis contulit ſanctificationem. Illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret. Illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiã aliena condonat. Illi eſt collata virginitas, iſti donata fœcunditas, Illa vnum procreauit, & pura eſt, iſta generauit plures, & virgo eſt. Illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum. Natalis ergo hodie alter eſt quodammodo ſaluatoris. Nam iiſdẽ eum ſignis, iiſdem miraculis cognoſcimus genitum, ſed nunc maiore myſterio baptizatum. Denique *Luca 1.* ſpiritus ſanctus, qui tunc illi in vtero affuit, modo *Matth.3.* eum in gurgite circunfulſit. Qui tunc Mariam ca- *Luca 1.* ſtificauit, nunc fluenta ſanctificat. Pater qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce, & quaſi maturiore conſilio qui tunc vmbram præſtitit natiuitati, modo teſtimonium perhibet ve- *Matth.3.* ritati. Ait enim Deus; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Præclarior planè eſt ſecunda quàm prima natiuitas. Illa enim ſine teſte ſilentio Chriſtum genuit, iſta cum diuinitatis profeſſione dominum baptizauit. Ab illa ſe Ioſeph *Matth.1.* qui pater putabatur excuſat, in hac ſe pater, qui non credebatur, inſinuat. Ibi laborat ſuſpitionibus mater, quia profeſſioni deerat pater: hic honoratur genitrix, quia diuinitas filium proteſtatur. Honoratior, inquam, ſecunda quàm prima natiuitas. Siquidem pater hic Deus maieſtatis inſcribitur, illic Ioſeph artifex æſtimatur. Et licet in vtraque *Matth.13.* dominus per ſpiritum ſanctum & natus ſit, & baptizatus, tamen honoratior eſt qui de cælis clamat quàm qui in terris laborat. Ioſeph ergo faber in terris pater putabatur eſſe domini Saluatoris, nec ab hoc opere Deus, qui verè eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti excluditur: Nam eſt & ipſe faber. Ipſe enim artifex, qui huius mũdi machinam, non ſolum mirabili, ſed etiam ineffabili potentia fabricauit. Tanquam ſapiens architectus cælum ſublimitate ſuſpendit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit. Ipſe artifex, qui in noſtris moribus præcidit ſuperflua opera, vtilia quæque conſeruat. Ipſe eſt artifex, cuius ſecurim ad radicem noſtram poſitam Ioannes Baptiſta comminatur, vt omnis arbor, quæ normam iuſtæ diſcre- *Matt.3.* tionis exceſſerit, exciſa radicitus tradatur incẽdio: Quæ autem menſuram veritatis habuerit, cæleſti fabricæ deputetur. Hodie ergo baptizatur dominus in Iordane. Quale eſt hoc baptiſmum, vbi prior eſt fonte ille, qui mergitur, vbi dum ſuſceptum aqua diluit, in ſordibus inficitur, ſed benedictionibus honoratur? Quale, inquam, ſaluatoris eſt baptiſmum, in quo purgantur potius fluenta quàm purgant? Nouo enim ſanctificationis genere Chriſtum non tam lauit vnda, quàm lota eſt. Nam ex quo Saluator in aqua ſe merſit, ex eo omniũ gurgitũ tractus, cunctorúmque fontium venas myſterio baptiſmatis conſecrauit. Et quiſquis ibi in nomine domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit quàm Chriſti vnda purificat. Saluator autem ideo baptizari voluit, non vt ſibi munditiam acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret. Interea Magorum beata legatio perducta ad ſacra cunabula radio deſuper currẽte miratur, Iudæam præcedit Aethiopia peccati cauenda nigredine, & fidei induenda candore. Quàm ſtupenda dignatio: Inter amplexus genitricis includitur, qui cælum, terrámque complectitur. In ſinu matris latet, qui regnum patris excedit. Per ſimplex officium, ſpiritale reuelatur arcanum. Humanitas cernitur, & diuinitas adoratur. Exhibent aurum, thus, & myrrham, plus in

myſteriis

myſteriis quàm in conſcientiis offerentes. In auri munere regia dignitas, in thuris vapore diuina maieſtas, in myrrhæ ſpecie ſepelienda demonſtratur humanitas, ac ſi trinitatem oblationum numerus loquitur, vnitatem deuotio vna teſtatur.

Exod.23.

Per hoc ergo peruigili intentione cordis cælum ſemper ſtudeamus aſpicere, ſi ad Chriſtum cupimus peruenire. Dirigat ergo nobis ſemitas vitæ, perfecta ſtella iuſtitiæ, quæ dixit, Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Offeramus ei aurum fidei, pietatis aromata, caſtitatis holocauſta. Spiritalem quoque myrrham habeamus in nobis, quæ ita animas noſtras condiat, vt illæſas à peccati corruptione cuſtodiat, quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Hom. 8.*

ſer.1.lib.17. Hom. dubitant Lonanienſes.

SIcut dies hodiernus anniuerſario reditu commonet nos, quòd dominum noſtrum Ieſum adorauerunt magi, tanquam primitiæ gentium: ita huic ſolennitati de iſto tanto myſterio noſter etiam ſermo debetur. Vnde veſtram commoneo charitatem, recétem diem priſtinum recolite, quo dominus natus eſt. Et huic hodiernum adiungite, quo à Magis adoratus eſt, nec eis ſtella loqui potuit, cuius eſſet, vel cuius excellentiam præſignaret. Nouum tamen & ſingulare ſydus effulſit, atq; illos etiam, qui ſolent ſydera diligenter intueri, nouo miraculo exterruit. Nũquam enim tali ſtella quiſquam eſt ſignificatus, quia numquam talis eſt natus. Veruntamen quis eſſet, vbi eſſet, quorum rex eſſet, ſydus illud, & ſi tacebat, lucebat. Sed quærentia Deus, & pulſantia corda non fraudans, alio modo ſine dubio petentibus reuelauit, quòd ſtella indicare non potuit. Quem modum quidem ſcriptura non dicit, ſed intelligendum prudentibus dereliquit, atque in ipſa narratione, vnde hoc intelligere poſſimus oſtendit. Quum enim Bethlehem ciuitas ſecundum ſcripturas à Iudæis commemorata eſſet, vbi Chriſtũ naſci oporteret, quia domus latebat vbi Dei verbum infans iacebat, eadem ſtella magos perduxit ad domum, ſub cuius recto erat qui fecerat mundum: & quem nunciauerat cælum, hucuſque patuit præcedentis ſyderis fulgor. Sed vt illi ad Herodem regem Iudæorum non reuerterentur, qui ſe velle dixerat adorare quem cupiebat occidere, per ſomnium leguntur admoniti. Ita quod eloqui ſtella non potuit, alia deus reuelatione monſtrauit. Sic intelligendum eſt, non per ſolam ſtellam, quamuis oculis ſuis inſolita, & inexperta luce fulgentẽ, magos in Oriente potuiſſe cognoſcere quiſnam eſſet ſignificatione tanti ſyderis dignus, cuius teſtis ille fulgor exiſteret, quem clarum tanta claritas nunciaret, vbi quæreretur, quò eundum eſſet vt inuentus adoraretur. Sed alia nimirum reuelatione indicatum eſt diuinitus, quod luce ſyderis tacite ſignabatur. Et cum magna admiratione quærentibus quid ſibi vellet, & quò pertineret, quod nouum apparebat in cælo, non vtique loquente ipſo ſydere, ſed aliter intimatum eſt quis deſcendiſſet de cælo, & diuinitate præſidens cælo, iaceret in carne ſub cælo. Tunc quippe intelligitur indicatum, cuius eſſet ſtella quæ tam diu videbatur, quando natus eſt qui per illam ſignificabatur. Nam fermè biennio viſa eſt mirantibus quid eſſet. Sed poſteaquam Chriſto nato, reuelatum eſt Magis, iam non ſydus eſſe mirandum, ſed eum, qui ſydere prænunciatus fuerat, adorandum, regémque eſſe Iudæorum, ab Oriente venerunt, & hodierno die adorauerunt, quem ante paucos dies natum eſſe, atque illam ſtellam, quæ ſibi per biennium apparuerat, eius fuiſſe didicerunt. Hic dicit aliquis illam ſtellam biennio apparuiſſe, vnde monſtratur? Euangelij verba recolamus. Herodes nempe rex Iudæorum, quum à Magis fuiſſet illuſus, quòd in ſomnis moniti ad eum redire noluerunt, ne indicaretur vbi Chriſtus fuiſſet inuentus, à bimatu, & infra occidit infantes.

Matt 2.

Hoc autem qua cauſa fecerit, hoc eſt, quare à bimatu, & infra occidi paruulos iuſſerit, Euangeliſta non tacens, ſecundum tempus, inquit, quod exquiſierat à Magis. Ecce vnde oſtenditur non tunc primum apparuiſſe ſtellam, quando natus eſt Chriſtus, hoc eſt, ante pauciſſimos dies, ſed biennij tempore prænunciatione fulſiſſe ſyderea, quæ tunc eſt cognita, cuius eſſet, quando miſſi ſunt adorare in terra, quem in cælo iam viderant præſignatum. Si quis autem quærit, quare biennium prænuncians Chriſtum ſtella claruerit; poſſunt videri duobus annis duo ſignificata præcepta: Vnum dilectionis Dei, Alterum proximi: in quibus duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.

Matt 22.

Sic enim quod infinitè videbatur per multa mandata diffuſum, iſta eſt breuitate concluſum. Vt hine intelligatur dixiſſe Propheta, Verbũ enim conſummans, & breuians faciet dominus ſuper terram.

Eſaia 10. Roma.9.

Ipſe igitur duobus præceptis conſummauit verbum, cuius duobus annis ſtella prænunciauit aduentum. Poſſunt in his duobus annis etiam duo intelligi teſtamenta: Vetus & nouum. Non enim alius author eſt legis qua terremur, & alius gratiæ qua iuuamur: quum ipſe dixerit, ſi crederetis Moyſi, crederetis & mihi: de me enim ille ſcripſit.

Ioan.5.

Et ipſe ſit ſapientia Dei, de qua dictum eſt, Legem autem, & miſericordiã in lingua portat. Sed quoniam per duos annos duo tempora ſignificata potius accipi poſſunt, etiam duos Chriſti poſſumus intelligere aduentus. Vnum humilitatis alterum claritatis: Et duas noſtras geneſes. Quia ille per quem facta ſunt omnia, vtique author ambarum eſt, Vnam qua in carne naſcimur, aliam qua in fide renaſcimur. Exultemus ergo, & iucundemur in eo; quem panni inuoluerant, & angeli nunciabant: qui in præſepi iacebat, & inter aſtra fulgebat.

Ioan.1.

Quem regem ſempiternum, gentibus adorandum, non diadematis gemma, ſed cæli ſtella monſtrabat. Qui vbera ſugebat, & lactentes martyres faciebat. Agnoſcamus lapidem angularem, in quo duo parietes de diuerſo venientes, vnus ex circunciſione Iudæorum, alter ex præputio nationũ fideli oſculo copulantur. Ipſe eſt enim pax noſtra qui fecit vtraque vnum. Ipſe veniens, ſicut audiſtis Apoſtolum, euangelizauit pacem his, qui longè, & pacem his, qui propè. Prope erant paſtores, longè erant magi. Vtriq; agnouerant, vtrique & ſecundum Eſaiam prophetam, vtrique in præſepi cibaria ſua tanquam bos & aſinus inuenerunt.

Ephe.2. Eſa.1

Hos enim populos, ex Iudæis, & gentibus, Chriſtus glorificatus aſſumpſit. Quorum primitias natus accepit. Ad nos ergo maxime huius diei pertinet gratulatio, qui ex gentibus venimus. Protulerunt

Magi,

Magi, quando Chriſtum adorauerunt, aurum, thus, & myrrham. Aurum, quia regem viderunt: thus, quia Deum intellexerunt. Cognouerunt & carnem paſſuram, nam & myrrham protulerunt ad ſepulturam. Hæc illi ſecundum conſiderationem ſuam. A nobis autem aurum accipit, ſi eleemoſynas faciamus: thus, ſi orationes fundamus: myrrham, ſi pro illo moriamur. Proinde quia Epiphania manifeſtationē verbo Græco indicat (Latens quippe Magis domini infantia cupientibus adorare, manifeſtatur indice ſtella) nos viam fulgentis Euangelij ſequamur, & ſanctè adoremus, cui manifeſti ſumus, vt quando Deus manifeſte veniet, nec infans erit, quia non ſilebit, in dextera eius apparere mereamur.

EIVSDEM DE EODEM
Hom. 9.

Eſt Ser. 64. de diuerſis. EPiphania Græcæ linguę vocabulo, Latine manifeſtatio dici poteſt. Hodierno igitur die manifeſtus redemptor omnium gentium, fecit ſollemnitatem omnibus gentibus. Cuius itaque Natiuitatē ante dies pauciſſimos celebrauimus: eiuſdem Manifeſtationem hodie celebramus. Dominus ergo noſter Ieſus Chriſtus ante dies tredecim *Matth. 2.* natus, à Magis hodie traditur adoratus. Quis factum eſt, Euangelij loquitur veritas: quo die autem factum ſit, vbique clamat tam præclaræ iſtius ſollemnitatis authoritas. Iuſtum enim viſum eſt, quod verò iuſtum eſt: vt, quoniam illi Magi primi ex gentibus Chriſtum Dominum cognouerunt, vt nondum eius ſermone commoti, ſtella ſibi apparēte, & pro infante verbum viſibiliter loquente velut linguam cæli ſecuti ſunt, vt idem ſalutis primitiarum ſuarum gentes gratanter agnoſcerēt, & eum Chriſto Domino cum gratiarum actione ſollemni obſequio dedicarēt. Primitiæ quippe Iudæorum ad fidem reuelationémque Chriſti in illis paſtoribus extiterunt, qui ipſo die quo natus eſt, eum de proximo eueniendo viderunt. Illis angeli, iſtis ſtella nuntiauit. Illis dictum eſt; Gloria *Luca 2.* in excelſis Deo: in iſtis impletum eſt; Cæli enar- *Pſal. 18.* rant gloriam Dei. Vtrique ſane tanquam initia duorum parietum de diuerſo venientium, circuncisionis & præputij, ad angularem lapidem cucur- *Ephe. 2.* rerunt: vt eſſet pax eorum, faciens vtrumq; vnum. Veruntamen illi Deum ex eo quod Chriſtum viderant, laudauerunt; iſti autem viſum Chriſtum etiam adorauerunt. In illis gratia prior: in iſtis humilitas amplior. Fortaſſe ergo illi paſtores minus rei, de ſalute alacrius exultabant: iſti autem Magi multis onerati peccatis, ſummiſſius indulgentiam requirebant. Hæc eſt illa humilitas, quam plus in eis, qui ex gentibus erant, quàm in Iudæis diuina ſcriptura commendat. Ex gentibus erat ille Cen- *Matth. 8.* turio, qui cum Dominum in toto pectore ſuſcepiſſet, ſe tamen dixit indignum, vt in domum eius intraret, nec ab eo ægrum ſuum voluit videri. Sic interius præſentem corde retinebat, cuius à ſuo tecto præſentiam honorificè reuocabat. Denique Dominus; Non inueni, inquit, tantam fidem in Iſrael. Illa etiam Chananæa ex gentibus erat, quæ cum ſe à Domino audiſſet canem, & cui panis filiorum mitteretur, indignam, micas tanquam canis exegit: & ideo non eſſe meruit, quia quod fue- *Matth. 15.* rat non negauit. Nam & ipſa audiuit à domino; O mulier, magna eſt fides tua. Humilitas in ea fecerat fidem magnam: quia ſeipſam fecerat paruam. Venerūt ergo paſtores de proximo videre: & Magi de longinquo veniunt adorare. Hæc eſt humilitas, qua inſeri meruit oleaſter in oliuam, & oliuam dare contra naturam, meruit mutare per gratiam. Nam cùm hoc oleaſtro totus ſylueſceret & ama- *Rom. 11.* reſceret mundus, per inſertionis gratiam pinguefactus enituit. Veniunt enim ab extremo terræ; ſecundum Hieremiam, dicentes: Verè mendacia co- *Hier. 16.* luerunt patres noſtri. Et veniunt non ab vna orbis parte, ſed ſicut Euangelium ſecundum Lucam loquitur, Ab Oriente, & occidente, ab Aquilone *Luca 13.* & Meridie, qui recumbāt cum Abraham & Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Sic totus orbis ex partibus quatuor Trinitatis gratia vocatur in fidem. Secundum quem numerum cum quatuor ter ducuntur, duodenarius numerus Apoſtolicus conſecratus eſt: tanquam vniuerſi orbis ſalutem ex quatuor mundi partibus, in Trinitatis gratiam præfigurans. Hunc enim numerum etiam diſcus *Act. 11.* ille ſignificauit, qui demonſtratus eſt Petro plenus omnibus animalibus, tanquam omnibus gētibus. Nam & ipſe quatuor lineis ſuſpenſus è cælo ter ſummiſſus aſſumptus eſt: vt quaterni duodecim facerent. Ideo fortaſſe poſt Natalem Domini duodecim diebus additis, Magi primitiæ gentium ad Chriſtum videndum adorandúmque venerunt, & non ſolum accipere propriam, ſed omnium quoque gentium ſalutem ſignificare meruerunt. Celebremus ergo deuotiſſimè etiam iſtum diem, & Dominum Ieſum quem primitiæ illæ noſtræ adorauerunt iacentem in diuerſorio, nos habitantem adoremus in cælo. Hoc quippe in eo illi venerati ſunt in futurum, quod nos veneramus impletum. Adorauerunt primitię gentium inhiantem vberibus matris: adorant gentes ſedentem ad dexteram Dei patris.

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 10.

APeriatur hodie omnē os, dilectiſſimi, & col- *Eſt Serm. 65. de diuerſis.* laudet omne verbum, Dei verbum, quod effulſit de cælo. Lætetur omnis anima, omnis concinat lingua, & terra Deum pſallat vniuerſa. Hodie enim gratiam lucis, in die lucis, filius lucis irradiat. Conſentiant terrena cæleſtibus, hymnum dicant cum ſummis poteſtatibus cuncta, quę videntur in mundo. Hodie effulſit veritas cum rege cæleſti. Chriſti enim præſentia veræ lucis aduentus eſt, & totius mundi vera libertas. Aduerte ergo, chariſſime, dignā Deo Eccleſiæ diſciplinam, aduerte cæleſtis deſiderij inextinguibilem flammam: aduerte corporis hanc naturam, angelorum miniſteriis coæquare. Homines enim de terra & habitantes in terra, quos etiam terra nutrit; ſupernis poteſtatibus æmulantur. Negant enim propter charitatem Chriſti naturam corporis, & miniſterium ſuſcipiūt angelorum. Quid enim agunt angeli in cælis? niſi quòd diuinis obtemperant nutibus? Quæ ſunt & opera in terra ſanctorū: niſi angelicam vitam agere in terris, & dignis Deum laudibus prædicare? Quorum ergo idem eſt officium, ambiguum non eſt, quod eadem poſſit eſſe & dignitas. Hodie ergo, chariſſimi, dominus noſter Ieſus Chriſtus in Iordanis fluenta deſcendit,

non

non vt ipſe ſanctificaretur: ſed vt aquis futuris vitalibus ſanctificationem ipſe præberet. Ioannes ergo implebat habitum ſacerdotis. Ad eum redemptor orbis acceſſit, vt baptizaretur in aqua, qui baptizatem illuminabat in ſpiritu. Venit ergo ad præcurſorem ſuum rex: Deus ad prophetam. Ioannes ergo, chariſſimi, non ignorabat diſpenſationis myſterium: per quod dominus humano generi præpararet remedium. Sed nec eum feſellit corporis habitus, nec caro, quæ videbatur, eluſit. Et ideo lucerna Chriſto meo dictus eſt per prophetam: quia filium Dei, qui carnis obſcuritate latebat, lumine ſui cordis agnouit primus, & ignorantibus digito demonſtrauit.
Pſal.131. Hæc eſt lucerna illa mirabilis, de qua illud eſt; Paraui lucernã Chriſto meo. Hunc ergo pater filio præparauit, non quod verbum Dei, quod erat lumen verum, & Sol iuſtitiæ lucernæ lumine indigeret, ſed quia, vt ſuperius diximus, primus agnouit humani generis redemptorem. Aduerte ergo, dilectiſſime, miraculum Dominicæ maieſtatis. Quando ad carnem venire diſpoſuit dominus, qui ad nos venit: pro amore hominis, etiam homo fieri dignatus eſt. Et erat nouum miraculum Deus inter homines, dominus inter ſeruos, inter ſanctificandos ſanctificans. Tunc Ioannes dominum Ieſum, & omnium creatorem, homo qui redemptus fuerat baptizauit: non fiducia prouocatus, ſed præceptione ſubiectus.
Pſal.28. Tunc geminæ voces propheticæ ſonuerunt: vox domini in deſerto, vox domini ſuper aquas. Nuntius veritatis clamabat, & Deus gloriæ intonabat: & erat ibi in vnum totius gloria Trinitatis adorandæ. Pater de ſupernis filium prædicabat: filius in terris ordinem ſacratiſſimæ diſpoſitionis implebat: & ſpiritus ſanctus Trinitatis indiſſolubile myſterium colligabat. Hæc ergo eſt chariſſimi Trinitas vnitatis, quæ eſt vnitas Trinitatis: quæ nos per innumeras ſollemnitates tueatur, atque hîc & in æternum cuſtodiat, Amen.

EIVSDEM DE EODEM *feſto, Hom. 11.*

Eſt Serm.66. de diuerſis. SOllennitas, quam hodie celebramus, propter manifeſtationem domini Epiphaniæ nomen Gręcum accepit. Hodierno quippe die Magis adorantibus tanquam primitiis gentium, commendatur manifeſtatus: qui ante paucas dies traditur etiam natus, lapis ille angularis qui velut parietes duos circuncifionis ſcilicet & pręputij, hoc eſt Iudæorum atque gentium de diuerſo venientes, in ſua vnitate copulauit, & factus eſt pax noſtra qui
Epheſ.2. fecit vtraque vnum. Vt paſtoribus Iudæorũ nunciaretur, angeli venerunt de cælo: & vt à Magis gentium adoraretur, ſtella refulſit è cælo. Siue ergo
Pſal.18. per angelos ſiue per ſtellam, Cæli enarrauerunt gloriam Dei: vt in eius, qui natus eſt, gratia errarent eam etiam Apoſtoli portantes dominum ſicut cæli, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quæ quoniam ad nos venerunt, credimus propter quod & loquimur. Multa igitur cõſideranda ſunt, fratres, in hac, quam audiuimus, Euangelica le-
Matth.2. ctione. Magi venerunt ab Oriente, regem Iudæorum requirentes: qui tot reges Iudæorum nunquam antea quæſierunt. Requirebant autem non aliquem virilis ætatis ſiue grandæuum humanis oculis in excelſa ſede conſpicuum, exercitibus potentem, armis terrentem, purpura nitentem, diademate refulgentem, vel de cruce ſibi exultantem, in qua vniuerſos Martyres redimeret confitentes, vel ab inferis reſurgentem, aut in cælos aſcẽdentem: ſed recens natum, in cunis iacentem, vberibus inhiantem, nullo ornatu corporis, nullis membrorum viribus, nullis parentum opibus, non ſua ætate, non ſuorum poteſtate præſtantem. Et quærunt regem Iudæorum, à rege Iudæorum. Ab Herode homine, Chriſtum Deũ & hominem. A terreno rege homine, regem cælorum, qui condiderat hominem. A grandi paruulum, à lato latentem, ab excelſo humilem, à loquente infantem, ab opulento inopem, à forti infirmum. Et tamen quamuis ab Herode perſequente ſibi & aliis Chriſtum dominantem, à contemnente adorandum profectò in quo nulla pompa regia videbatur, ſed vera Dei maieſtas adorabatur. Denique Herodes timet ſucceſſorem: Magi deſiderant redemptorem. Illi cupiunt inueniri regnum, meruit ille finiri regnum. Vtrique poſtremo quærũt. Magi, per quem poſſint viuere, Herodes ille, quem cupit occidere. Ille, in quem peccatum grande committat: illi, qui omnia eorum peccata dimittat. Necat quippe Herodes paruulos multos: dum ad vnius vult mortem peruenire. Et cùm ſæuientiſſimam & cruentiſſimam cædem in tot innocentibus fecit: ſeipſum tanta iniquitate primitus interfecit. Interea rex noſter Chriſtus, verbum Dei, infans Deus, Magis illum adorãtibus, paruulis pro illo morientibus, ſiue iacebat, ſiue ſurgebat, creſcebat. Et nondum locutus, credentes inueniebat: & nondum paſſus, etiam Martyres faciebat. O paruuli beati, modo nati, nunquam tentati, nondum luctati: iam coronati. Ille de veſtra corona dubitauit in paſſione pro Chriſto, qui etiã baptiſmũ paruulis prodeſſe non exiſtimat Chriſti. Non habebatis quidem ætatem, qua in Chriſtum paſſurum crederetis: ſed habebatis quidem carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis. Nullo modo infantes iſtos deſereret gratia ſaluatoris infantis, qui venerat quærere, quod perierat, non ſolùm in carne naſcendo, verumetiam in cruce pendendo, ad inferos deſcendendo & in cælis aſcendendo, & ad dexteram patris ſedendo. Nam, qui potuit natus habere prædicatores angelos, narratores cælos, adoratores Magos: potuit & illis ne pro eo hic morerentur præſtare, ſi ſciret illa morte perituros: & non potius maiori felicitate victuros. Abſit, abſit, vt ad liberandos homines Chriſtus veniens, de illorum præmio, qui pro eo interficerentur, nihil egerit: qui pendens in ligno pro eis, à quibus interficiebatur, orauit. Quid dicam de infelicitate Iudæorum, qui Chriſtum quærentibus Magis, etiam prophetiam indicem protulerunt, Bethlehem ciuitatem deſignauerunt quam ipſi non inuenerunt? Similes facti fabris Arcæ Noë, aliis vbi euaderent præſtiterunt, & ipſi diluuio perierũt. Similes lapidibus millariis, viam oſtenderunt, nec ambulare potuerunt: quia ſtolidi in via remanſerunt. Quęſitum eſt ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. Reſponderunt; In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt; Et tu Bethlehem terra Iuda, non minima es in ducibus Iuda, Ex te prodibit rex; qui recturus eſt populum meum Iſrael. Audierunt & abierunt inquiſitores, dixerunt & manſerunt doctores. Et contrariis affectibus ſeparati,

rati, illi facti ſunt adoratores, illi perſecutores. Nūc quoque Iudæi ſimile aliquid nobis exhibere non deſinunt. Nonnulli enim Paganorum vt nouerint Chriſtum ante prophetatum, quando eis de ſcripturis teſtimonia clara proferimus, ſuſpecti ne fortè à Chriſtianis iſta conficta ſint, malunt credere codicibus Iudæorum: & ſicut tunc Magi fecerunt, iſtos dimittunt inaniter lectitare; ipſi pergunt fideliter adorare. Celebremus itaque exultantes in domino, feſtum diem domini, non ſolùm quo ex Iudæis eſt natus: verum etiam quo eſt Gentibus manifeſtatus. Iuuat intueri omnia, & in vnum adducta conſpectum, animo cernere ſpectaculo ſpiritali. Naſcitur Chriſtus; virgo concipit, virgo parit, virgo nutrit. Adeſt fœcunditas: nec abeſt integritas. Angeli annunciant, paſtores glorificāt, cæli enarrant, Magi deſiderant, Reges formidant, Iudęi demonſtrant, Gentes adorant. Fruſtrantur ſæuientes, coronantur infantes, admirantur credentes. Quæ eſt iſta humilis celſitudo, infirmi fortitudo, paruuli magnitudo? Profectò illud verbum fecit hæc omnia, per quod facta ſunt omnia. Verbum, quod longe erat à nobis, caro factum eſt: vt habitaret in nobis. Agnoſcamus itaque in tempore, per quem facta ſunt tempora: & celebrantes eius feſta temporalia, præmia deſideremus æterna.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Hom. 12.*

Eſt Ser. 67. de diuerſis. ANniuerſaria celebratio diei huius, anniuerſarium ſermonem à nobis exigit, debitum auribus & cordibus veſtris. Hodie ſaluator noſter Magos ad ſe, de tam longinqua gente perduxit. Venerunt vt adorarent infantem, verbum Dei. Quare venerunt? Quia ſtellam inuſitatam viderunt. Et vnde eam Chriſti eſſe cognouerunt? Videre enim potuerunt ſtellā: nunquid loqui eis potuit & dicere, ſtella Chriſti ſum? Proculdubio aliter indicatum eſt, per aliquam reuelationem. Tamen inuſitatè rex natus erat, qui & ab alienis adorandus erat. Nunquid non reges ante in Iudæa erant nati: aut per vniuerſam terram in diuerſis Gentibus? Quare iſte adorandus, & ab alienigenis adorandus: non terrente exercitu, ſed in paupertate carnis, latente maieſtate virtutis? Quando natus eſt, adoratus eſt à paſtoribus Iſraelitis, quibus eum Angeli nunciauerunt: ſed Magi non erāt de gente Iſrael. Colebant gentium deos, hoc eſt, dæmonia: quorum fallaci decipiebantur potentia. Viderūt ergo quandam ſtellam inuſitatam, mirati ſunt: quæſierunt ſine dubio, cuius eſſet ſignum, quod tam nouum inſolitúmque viderunt, vtique audierunt, profectò ab Angelis, ab aliqua admonitione reuelationis. Quæris fortaſſis, ab angelis bonis an malis? Chriſtum quidem & angeli mali, hoc eſt dęmones, filium Dei eſſe confeſſi ſunt. Sed cur non & à bonis audierunt, quando in Chriſto adorando ſalus eorum iam quærebatur, non iniquitas dominabatur? Potuerunt ergo illis dicere angeli, ſtella quam vidiſtis, Chriſti eſt, ite & adorate eum, vbi natus eſt, & ſimul indicare qualis & quantus natus. Illi autem, hoc audito, venerūnt & adorauerunt, aurum, thus, & myrrham obtulerunt, ſecundum conſuetudinem ſuam. Talia enim ſolebant offerre diis ſuis. Quod ſane antequam facerent, antequam eum in ciuitate vbi natus fuerat inuenirēt, venerunt quærentes; Vbi natus eſt Rex Iudæorum? Nónne poterant etiam hoc reuelatione cognoſcere: ſicut cognouerāt illam ſtellam regis eſſe Iudæorum? Nonne potuit eos ad illam ciuitatem eadem ſtella perducere: ſicut poſtea perduxit ad locum, vbi Chriſtus cum matre infans erat? Poterat ſane, non tamen factum eſt: vt hoc à Iudæis inquirerent. Quare voluit hoc Deus à Iudæis inquiri? Vt, dum oſtendunt, in quem non credunt, ipſa ſua demonſtratione damnentur. Attendite quia & nunc fiunt primitiæ gentium Magi: quanto à maiori impietate liberati, tanto maiorem dantes gloriam liberanti. Quærunt, vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Herodes audito regis nomine tanquam æmulus contremiſcit. Vocat legis peritos, interrogat ab eis ſecundum ſcripturas, vt indicent vbi Chriſtus naſceretur. Illi reſpondent; In Bethlehem Iudæ. Perrexerunt Magi & adorauerunt: Iudæi remanſerunt qui demonſtrauerunt. O magnum ſacramentum! Hodie per Iudæorum codices conuincimus. Fiunt fideles, per eorum codices. Oſtendimus Paganis, quod nolunt credere. Nam aliquando Pagani faciunt nobis huiuſmodi quæſtionem, cum vident, quæ ſcripta ſunt, ſic impleri, vt negare omnino non poſſint: quod ea per Chriſti nomen in omnibus gentibus pręſentatur, quæ in ſanctis codicibus prædicta recitatur, in fide regum, in euerſione idolorum, in mutatione rerum humanarum: & aliquando audent vt dicant; Vidiſtis ita fieri, & tanquam pręḋicta ſint, conſcripſiſtis. Hoc poëta quidam eorum fecit. Recognoſcunt iſta, qui legerunt. Narrauit quendam apud inferos deſcendiſſe, atque in beatorum regionem veniſſe, demonſtratóſque illi Romanorum principes naſcituros, quos iam ipſe, qui hęc ſcribebat, natos nouerat. Præterita enim narrauit, ſed quaſi futura eſſent prædicta, conſcripſit. Sic & vos, inquiunt nobis Pagani, vidiſtis hæc omnia fieri, & ſcripſiſtis vobis codices, in quibus hæc legantur tanquam prædicta. O gloria regis noſtri! Meritò Iudæi à Romanis victi ſunt, nec deleti. Omnes gētes à Romanis ſubactæ, in Romanorum iura tranſierunt. Hæc gens & victa eſt, & in lege ſua manſit, quantum ad Dei cultum attinet, patrias conſuetudines ritúmque cuſtodiuit. Euerſo etiā templo ſuo, extincto ſacerdotio priſtino, ſicut dictum eſt à prophetis, ſeruant tamen circuncisionem & morem quendam, quo à cæteris gentibus diſtinguuntur. Propter quid, niſi propter teſtimonium veritatis? Sparſi ſunt vbique Iudæi portantes codices, quibus Chriſtus prædicatur, & ſicut prædictum eſt, præſentatur, vt iam Paganis poſſit oſtēdi. Profero codicem, lego prophetam: oſtendo impletam eſſe prophetiam. Dubitat Paganus, ne fortè hoc ipſe confinxerim. Inimicus meus habet hūc codicem, antiquitus ſibi à maioribus commendatum. Ambos inde conuinco: Iudęum, quia id prophetatum & completum ego cognoui: Paganum, quia non ego hoc confinxi. Non ergo ſeducant dæmonia ſpecie diuinationis incautos, & rerum temporalium malè curioſos: nec ſuperbo faſtu decipientes impium ſibi ſacrificiorum exigant honorem. Verè diuina prædixerunt diuini viri, vnius diſcipuli. Verum enim ſacrificium, vni Deo debetur. Huius figura ante gratiam, tempora victimis adumbrata ſunt. Quod vno modo futurum fuerat, multis modis prouidentia diuina prænunciat

nunciauit quàm magnum eſſet. Ipſe medicus, ipſe medicamentum. Medicus, quia verbum: medicamentum, quia verbum caro factum eſt. Ipſe ſacerdos, ipſe ſacrificium. Ipſe eſt qui mutauit viam Magorum, ipſe etiam nunc mutat viam malorum. Cuius in eius manifeſtationem quæ Græcè dicitur Epiphania, iuſtificatæ in ſpiritu gentes hodierna ſollennitate concelebrant: vt renouet memoriam ſollennitas, vigeat deuotione pietas, ferueat cógregatione charitas, luceat inuidis veritas.

S. MAXIMI EPISCOPI
Taurin. in eodem feſto, Hom. 1.

IN hac dilectiſſimi celebritate, ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt feſtiuitate lætandum. Ferũt enim hodie Chriſtum dominum noſtrum vel ſtella duce à gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto à Ioanne baptiſmate conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuumque ſimul purificaſſe baptiſtam. Sed quid potiſſimum præſenti hoc factum ſit die, nouerit ipſe qui fecit, nos tamen credere, nec dubitare debemus: quicquid illud eſt, factum eſſe pro nobis. Nam quòd eum fulgentioris
Matt. 2. ſtellę radiis incitati adorauere Chaldæi, Deum ve-
Ioan. 2. rum gentibus ſpes data eſt adorandi. Quòd aquæ nouo ſunt ordine in vina mutatæ, noui nobis po-
Matt. 3. culi prælibatum eſt ſacramentum. Quòd autem baptizatus eſt agnus Dei, regenerantis baptiſmi ſalutare nobis munus eſt dedicatum. Oportet itaque nos, fratres, ad honorem ſaluatoris noſtri, cuius natiuitatem debita nuper cum exultatione tranſegimus, omni cum deuotione etiam hunc virtutum eius celebrare natalem. Et quàm rectè tria hæc nobis vno acta in die myſteria prædicantur, qui ineffabilis trinitatis archanum vno Dei ſub nomine confitemur. Per hæc ergo miracula Chriſtus dominus redemptor noſter oculis ſe voluit reuelare mortalium, quatenus inuiſibilis eius diuinitas, quę latebat in homine, in opere non lateret, vt, dum tentator verbum patris omnipotentis non deprehendit in carne, omnes vbique, qui in Dei filio verbum, & carnem crederent, ſaluarẽtur. Et quidem videbat diabolus infantem pannis obſitum, ſed ignorabat ipſum eſſe, qui remotis initio tenebris mundũ luce veſtiuit. Videbat eum mortalis matris vbera ſugentem, ſed neſciebat ipſum eſſe qui eſurientem Hebræum populum, angelico fecit pane velut cęleſti lacte pingueſcere. Videbat paruulum anguſtis in cunabulis quieſcẽtem, ſed videre non poterat ipſum eſſe, quem non capit mũdus. Quãto igitur inimicus in hac Chriſti humilitate per incerta diſtractus ſtupore nutabat, cum per Chaldæos præcipuos vtique tyrannidis ſuæ miniſtros nouum videret infantulum, velut noui imperij regem regiis muneribus honorari? Aut quomodo non ſtuperat, cum turbatus inſpiceret à Magis ſuis adorari puerum, quem ipſe neſciret? Quo torquebatur languore eum pariter vius & cunas in terris deſpiceret, & ſtellam miraretur in cęlo? Vnigenitus autem altiſſimi ſic humiliter ingreſſus eſt mundum, vt indubitata diuinitatis ſuæ deferret indicia. Natus enim de fœmina eſt, ſed natus ex virgine, iacebat in præſepi, ſed in ſydere rutilabat: vt hominem illum, deumque eſſe, & terrena mater, & ſignum cæleſte monſtraret. Quibus vero radiis, quantóue lumine illam domini ſtellam, antiqua credimus tunc inter aſtra fulſiſſe? Quantum in ſplendore præceſſit, quę tantum præibat in munere, quæ velut quidam totius orbis oculus caligantia mundi veterem nouauit aſpectum? Ecce, fratres, ad quærendum regem regum vna Chaldęos ſtella pertraxit: Iudaicum vero populum ad obedientiam Dei ſui, nec ignea quondam potuit columna conuertere. Nec ſane quenquam moueat tanta hęc perfidia Iudæorum, quod Chriſti illos fidem ſuſcipere, neque noui ſtella fulgoris, nec parturiens virgo compulerit, qui nec tunc quidem Deo credidere ſuo, cum illos per arentia deſerta, ipſo comitante Deo, cælum paſceret, petra potaret. Sed iam ad illud præcipuum Chriſti miraculum veniamus, quo pro documento deitatis ſuæ aquas vertit in vinum. Inuitatus itaque, vt legitur, dominus perrexit ad nuptias, ſed vt dignaretur hoc virginis filius noſtræ eruditionis eſt ratio, vt hoc docti exemplo legitimarum illum nuptiarum non negemus autorem. Vadit ergo ad nuptias Dei filius, vt, quas dudum poteſtate conſtituit, nunc præſentiæ ſuæ benedictione ſanctificet. Vadit ad nuptias veteris inſtituti, nouam ſibi perpetuæ virginitatis ſponſam, gentium de conuerſione facturus. Vadit ad nuptias, quem nuptiæ non crearunt. Vadit ad nuptias non vtique vt conuiuiis delectetur, ſed vt mirabilibus innoteſcat. Vadit ad nuptias, non ſumpturus pocula ſed daturus. Nam cum defeciſſet nuptiantibus vinum,
ait illi beatiſſima Maria. Vinum non habent. Cui Ioan. 2.
velut indignans reſpondit Ieſus, Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea. Hæc verba indignantis eſſe, quis dubitet? Sed idcirco vt reor, quia tam temere ei mater de defectu carnalis poculi ſuggerebat, qui venerat totius orbis gentibus nouum ſalutis æternę calicẽ propinare. Quod enim ait, nondum venit hora mea, illam nimirum glorioſiſſimam paſſionis ſuæ horam, atque illud redemptionis noſtræ vinum, quod vitæ omnium proficeret promittebat. Nam quod petebat Maria, erat gratiæ tẽporalis, quod Chriſtus parabat, gaudij ſempiterni. Nec tamen piguit benigniſſimum dominum, dum magna veniunt, parua præſtare. Et ideo venerabilis Maria, vere vt mater domini in ſpiritu futura prænoſcens, ac dominicam prænidens voluntatem, ſolicite miniſtros admonuit di-
cens. Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat Ibidem.
profecto mater ſancta obiurgationem illam domini, filiíque ſui non iraſcentia offenſam prætendere, ſed miſerantia portare myſterium. Tunc dominus increpatæ matris releuans pudorem, ſuámque iam aperiens maieſtatem, expectantibus ait
miniſtris, Implete hydrias aqua. Nec mora, obſe- Ibidem.
quium ſuum obediens miniſter exhibuit, & ecce repente aquæ illæ cœperunt mirabiliter fortitudinem ſumere, ducere colorem, odorem præbere, ſaporem concipere, totámque ſimul mutare naturam. Quæ permutatio aquarũ à ſua in aliam creaturam præſentis creatoris eſt teſtata virtutem. Neque vero quiſquam conuertere aquas in vſus poſſet alios, niſi ille, qui eas fecit ex nihilo. Stupuit ergo miniſter attonitus, qui aquas miſerat, & vina ſumebat, lætatúſque nimium illa ſe ſuis humeris fluenta portaſſe, per quæ Dei eſſet gloria reuelata. Nemo enim quicquam locutus in tempore, hydriis præter aqua nihil adiectum, ars nulla conducta eſt, & tam grande miraculum inter pauida

Alij ſentiunt, totũ hoc fuiſſe myſteriũ, nec B. Mariam quidquam temere, ſed ſapientiſsimè feciſſe.

circumſtantium ſilentia, ſola tantum voluntas domini tacentis effecit. Nec dubitandum, chariſſimi, quia ipſe aquas traduxit in vinum, qui eas ab initio *Exod.7.* concrouit in niues, durauit in glaciem, Ægy- *Ibidem 17.* ptiis vertit in ſanguinem, & Hebræis ſitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum ſtillicidio noui fontis vice maternorum vberum nutriebat. Quid primum ſtupeas, quid mireris vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te, quicunque inter iſta cunctaris, infidelitas turbet, quod dubium non eſt ad nutum creatoris creaturarum elementa pendere. Aut cur non credamus virtute dominica vinum fieri potuiſſe de aqua, cum nobis operante Deo fomentis imbrium terræ de gremio per miniſteria vinearum aqua ſurgat in vinum? Hoc inquit fecit Ieſus initium ſignorum in Chana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Crediderunt diſcipuli non vtique hoc quod fieri cernebant, ſed illud, quod carnalis videre non poſſit aſpectus. Crediderunt non quòd Chriſtus Ieſus filius eſſet virginis, quod ſciebatur, ſed quod idem vnigenitus eſſet altiſſimi, quod in opere probabatur. Vnde & nos, fratres, toto corde credamus ipſum eſſe Dei filium, quem filium hominis confitemur. Credamus illum & noſtræ conſortem naturæ, & paternæ ſubſtantiæ coæqualem, quoniam & nuptiis interfuit vt homo, & aquas in vina mutauit vt Deus: quatenus fidei huius merito nos etiam dominus noſter ſobrio illo gratiæ ſuæ vino propicius potare dignetur.

EIVSDEM IN EODEM
feſto, Hom. 2.

AVdiſtis, fratres, lectionem euangelij ſalutaria præſentis diei ſacramenta recitantem. Audiſtis qualiter Chriſtus dominus, qui hunc mũdum latenter aduenit, paulatim dignatus eſt ſuam apeſire mortalibus maieſtatem, quanquam, chariſſimi, latere inter obſcura ſæculi lumen cæleſte non poterat. Denique cum viſitationem ſuam necdum terra dignoſceret, cælũ ſua gaudia, ac totius mundi lætitiam Chaldæis ſtupentibus, tacito in ſydere loquebatur. Et cum quis, quantúſve eſſet, necdum infidelis poſſit videre Iudæa, iam tunc gloriam eius indiciis excita, de cæleſtibus gentilitas ſentiebat. Noua enim ſtella nouum aduentaſſe hominem reuelabat, & ita reuera nouum, vt, cum Dei eſſet filius, indueret carnem ſine generatione carnali, & haberet ſecundum hominem tempus naſcendi, qui ſecundum Deum natiuitatis initium non habebat. Nouum nimirum erat vt vnigenito altiſſimi, quem non capit cælum, paruiſſimi tugurij minimum præſepe ſufficeret. Nouum erat, qui in cæleſtibus cum Deo patre regnabat, terrena matre contentus, vagitus infantiæ daret in pannis. Lætemur itaque, fratres, totíſq; gaudiis exultemus, quia nobis natus eſt Chriſtus ex fœmina, nobis iacuit in præſepi, nobis vagiebat in cunis, nobis ardebat in ſtella. Totum enim nobis proficiebat, quicquid ſaluator hominibus agebat in *Matth.2.* homine. Ait itaque euangelicus ſermo. *Ecce magi ab oriente aduenerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudaeorum? Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Quouſque, Iudæe duriſſime, obtuſa aure, clauſis oculis, & perfido corde perſiſtis? Ecce iam poſt illa patriarcharum præconia, poſt vaticinia prophetarum, Chriſtus & à gentibus prædicatur. Si patribus tuis credere detrectas, qui ab initio ſæculi æterni regis aduentum innumeris, ſacratiſque vocibus cecinerunt, crede vel his tandem, qui eum non adhuc poſt tempora naſciturum, ſed iam & apud te, & tibi natum eſſe teſtantur. Quæ tanta eſt in pectore tuo mortiferæ obſtinationis auerſio, vt ſolus non audias quod omnes loquuntur, ſolus refugias quod vniuerſitas credit, ſolus certe videre contemnas, quod ſplendet è cælo? Apud te virgo concepit, & virginis tuæ partũ alienus agnoſcit. Tibi ſalutem tuam angelicæ voces perſuadere non poſſunt, & ad Chriſtum tuum vna Chaldæos ſtella perduxit. *Vbi eſt*, inquiunt magi, *qui natus eſt rex Iudaeorum? Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* In his impletũ eſt illud, quod prophetico ſermone prædictum eſt. Quibus non eſt nunciatum de eo, vi- *Pſal.18.* debunt, & qui non audierunt, intelligent. Ecce enim Chaldæus, cui neq; annunciatum de Chriſto fuerat, neque audierat: & vidit ſtellam Chriſti, & adeſſe eum intellexit in ſtella. Adorant itaque magi dominum; & offerunt munera, vt impleretur, quod ait ille præcipuus prophetarum Dauid, Afferte domino patriæ gentium: afferte domino gloriam, & honorem, Domino & domino, quod ait dominum illum eſſe ſecundum Deum, dominum & ſecũdum hominem myſtico ſermone declarat. Quod enim Deus eſt, creator eſt mundi. Quomodo ergo non priuilegio vtriuſq; ſubſtantiæ dominus eſt omnium Chriſtus, qui ſibi vniuerſa aut creatione, aut redemptione ſubegit? Afferte, inquit, domino gloriam, & honorem. Hono- *Eſaia 52.* ris ergo eſt, chariſſimi, quòd offerũt gentiles munera, gloriæ, quòd adorant. Munera Chaldæi offerunt, & adorant. Vnum ab illis defertur vt regi, aliud exhibetur vt Deo. Hi itaque adorato Chriſto, oblatiſque muneribus, *per aliam*, vt lectum eſt, *viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Rectiſſime per aliam viam redeunt, ne cruentus Herodes, qui mortem parabat infanti, itinere magorum peruenire poſſit ad Chriſtum. Neque enim qui adorare dominum venerant, domini eſſe poterant proditores. Quam bene, fratres, per aliam viam rediſſe dicuntur. Nã, qui ſtella duce venerant in Iudæam, in patriam ſuam, æterni ſolis illuminati radiis reuerterunt. Et ideo omni reuerentia celebremus hunc diem magorum obſequia noſtra deuotione ſuperantes, quoniam ſi illi Chriſtum iacentem in cunabulis repererunt, nos eum regnantem habemus in cælo.

EIVSDEM DE EODEM
Hom. 3.

QVamuis, dilectiſſimi fratres, Chriſtus ſaluus noſtræ dominus omnipotentis patris filius coæternus velamine carnis adopertus, & humilis dignatus ſit viſitare mortales, dedit tamen multa, ac maxima ſuæ maieſtatis indicia, quibus mens humana ſentiret & nouum hominem natum, & Deum aduentaſſe de cælo. Nam cum ipſe dominus noſter lege natiuitatis humanæ paruulus, & infans apud Iudæam vagiret in cunis, lateret in pannis: magnificentiam tamen eius vniuerſo orbi mirabilis ab alto ſtella prodebat. Quis

enim

enim dubitet ipſam ſtellam lætiori luce & fulgentioribus radiis coruſcaſſe, quæ cæli, terræq; lumen humanis oculis ingerebat? Et neceſſe erat, vt ſtella hæc à cæteris ſideribus orbe clariore diſtaret, quæ annunciabat Chriſtum, cuius natiuitas ab vniuerſis mortalibus differebat. Et nouo quidem ſidere tunc micabat cælum, ſed magis nouo mundus lumine refulgebat. Quis hanc inueſtigare miraculorum gloriam poſſet, quod pro remedio ſalutis noſtræ vno, eodémque momento creatura lucebat in cælo, & creator ſplendebat in terris? Nec mirum, chariſſimi, cælorum dominum teſtimonium cæleſte proſequitur. Aut cur nobis incredulum videatur ſi cōditorem ſuum obſequens factura teſtatur? Et mirabatur quidem terra, quòd nouam ſtellam videret in cælo, ſed plus mirabatur cælum, quòd nouū ſolem videbat in terris. Quàm profundæ cogitationes domini, & inueſtigabiles viæ eius, qui, ne perfidia hominum partum virginis impugnaret, dedit ab excelſo clariſſimum ſignum, quod nec gentilitas refutare poſſet, nec Iudæa celare. Veniūt itaque, vt lectum eſt, ab oriente Chaldæi, ſequuntur prę uiam ſtellam: non magica arte recognitam, ſed ſui nouitate mirabilem.
Matth.2.
Idcirco autem magi apud Iſrael præcipue natum regem requirunt, quia Balaam ille ariolus, & ſacerdos quondam gentium, cuius aſina locuta perhibetur, ſtellam ex Iacob oriundam: & hominem ex Iſrael prophetauerat eſſe venturum. Ait enim inter cætera, ſicut legitur. Orietur ſtella ex Iacob: & exurget homo ex Iſrael. Nemo ergo nūc miretur natiuitatem dominicam agnouiſſe Chaldæos, quam vtique ſi, reuelante Deo, gentilis prænuntiare potuit, potuit gentilis agnoſcere. Fuit enim hoc, quātum æſtimari datur, ſupernæ diſpoſitionis arbitrium, vt inter ſacratiſſimas prophetarum voces etiam ab infideli homine eius prædiceretur aduentus, qui pro fidelium, infideliúmque erat redemptione venturus. Et ea nimirum ratione prophetat idolorum ſacerdos, vt, ſi Iudæis prędicatoribus de aduentu Chriſti credere forte gentilitas renuiſſet, ſuorum ſaltem teſtimonium ſequeretur autorū. Nec dubitemus omnipotentem, ac benigniſſimum Deum Balaam illi alienigenæ præſcientiæ dare potuiſſe ſermonem, qui aſinæ ipſius linguam in verba potuit humana laxare. Loquebatur igitur ſeſſoris arioli aſina. Pronum quippe animal, & naturaliter inſpiciens terram, vt manifeſto ſignaret indicio, quod vniuerſa gentilitas, quæ aris dedita, & in terram ſemper perfidiæ ſuæ pondere preſſa, deſpiciens omnipotentis Dei cultum tacita erat, & muta, aduentante ſtella ex Iacob, & homine ex Iſrael erectis ad cælum oculis, æterni Dei gloriam quotidianis eſſet cōfeſſionibus locutura. Venit itaque, fratres, ab oriente illuminata gentilitas. Iudæa verò duriſſimi cordis ſui infidelitate cęcata remanet in occaſu. Quomodo autem non vere in occaſu, & in tenebris tabeſcit omnis cōtumacia Iudęorum, qui indefeſſi ſolis præſentiam reſpuentes, diem perpetuum perdiderūt? Et bene, chariſſimi, vno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi, qui in vno Chriſto Ieſu, qui omnium credentium vis eſt, inſeparata ab eis erat trinitas adoranda. Deferunt autem & munera, quæ non tam munera quàm myſteria probarentur. Offerunt ei aurum. In auro, fratres, oſtenditur, captiuitatis noſtrę pretioſa redēptio. In thure autem & dęmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, &

Matth.2.

Num.22.

Num.24.

Vides ex antiqua traditione venire, quod tres Magi depingantur.

futurus verę religionis cultus aperitur. In myrrha verò, qua *exanima ſolent corpora cōſeruari, prę figuratur carnis noſtræ reparatio, & reſurrectio mortuorum. Hæc autem offerri Chriſto tam ſacrata donaria non magorum arbitrium, ſed inſpiratio omnipotentis elegit. Quantum enim ad gloriam pertinet Chriſti munera hæc inſpecta carnaliter, maieſtati eius omnimodis videntur indigna. Nam quo domino immortali aurum, quod vtique ſolis eſt mortalibus & vſui, & amori? Quo omnipotenti Deo thus, cuius nidore etiam ſimulachra à gentibus honorantur? Aut quo ei myrrha fœtidorum corporum condimentum, cuius carni nulla mortis erat dominatura corruptio? Quæ omnia, dilectiſſimi, apud Dei filium ſuperflua viderentur, & vacua, niſi adumbrata in illis vitę noſtrę ſacramenta crederentur. Propter quod, fratres, ſperemus in domino, & conſortetur cor noſtrum, vt in nobis quoque ſtella fidei eluceſcat, quę nos vis recta, & ſine errore perducat ad Chriſtum. Offeramus & nos actuum noſtrorum deuotioniſq; munuſcula, quæ iam non in terris, & in cuna iacens ſuſcipiat Chriſtus, ſed quę ſedens ad dexteram patris amplectatur in cælo.

** Al. exanimata.*

EIVSDEM DE EODEM
Hom. 4.

Ait prophetarum præcipuus Eſaias, ſicut audiſtis, fratres chariſſimi, illuminare, illuminare, Hieruſalem, adeſt enim lumen tuum, & maieſtas domini in te exorta eſt. Hieruſalē verò manifeſtum eſt eſſe fidelium ciuitatem. Vnde nos, fratres, qui portas cæleſtis Hieruſalem cœpimus introire, illuminati ſalutaribus ſacramentis in conſpectu Dei noſtri nouo gaudio neceſſe eſt exultemus: quia noua hodie ſtella nouum mundo hominem reuelauit. Hoc profecto die Chriſtus Ieſus à patre veniens, Deus, & homo natus è fœmina ſub ſpecie adorantium Chaldęorum fidem gentium dedicauit. Qui quamuis diuinitatem ſuā noſtri corporis adumbratione velaret, Deum tamen eſſe illum cęlum prodidit, & terra cognouit. Humilis quidem, ſed mirabilis venit, vt pariter in eo & aſſumptę carnis veritas, & ineffabilis deitatis natura fulgeret. Et quanquam naſcentem illum cunabula terrena ſuſceperint, non tamen eſſe terrenum cęleſte ſignaculū teſtabatur. In cunis namque iacebat, ſed radiabat in cęlo. Vagiebat apud Iudęos, & apud gentiles regnabat. In Bethlehem lactabatur à matre, & in Chaldęa adorabatur à Magis. Ait namque beatiſſimus Matthęus Euangeliſta. *Ecce Magi ab oriente aduenerunt dicentes, Vbi eſt qui natus eſt rex Iudeorum.* Quam bene ab oriente properare dicuntur, qui adoraturi ſempiternum veniunt orientem, de quo dictum eſt. Et viſitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris ſedent. Deinde ſubiungūt Chaldęi. *Vidimus ſtellam eius, & venimus adorare eum.* Eius, inquiunt, ſtellam vidimus. Bene eius, quia quamuis omnes ab eodē creatę ſtellę ipſius ſunt, hęc tamē propie Chriſti erat, quę ſpecialiter eius nuntiabat aduentum. Et cæterę quidem factę ſunt ſtellę, vt mundi iſtius tempora, curſúſque diſtinguerent, hæc verò prodire iuſſa eſt vt ipſum mundi dominum, & regni cęleſtis adeſſe tempus oſtenderet. Aiunt itaque Magi, *Vidimus ſtellam eius, & venimus adorare eum.*

Eſa.60.

Matth.2.

Luc.1.

Ecce Chriſtum qui non habent, habere volunt, & inuenire contendunt. Iudæus Deum ſuum refugit, paganus inquirit. Quod proximus non agnoſcit, alienus intelligit. Gentilis ſtellam Chriſti videt, & venit. Iudæus Chriſtum videt, & inuidet, ſicut lectum eſt: In ſua venit, & ſui eum non receperunt. [Ioan. 1.] Vere Iudæa durißima ſuáque infidelitate cæcata non videbat quod ſtella radiabat, nec audire poterat quod angeli conclamabant. Igitur inquirentibus Magis, ac dicentibus: *Et turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Turbatus rex, regno credo metuens ſuo, neſcius quia Chriſtus non veniebat regnum eius inuadere, ſed ſaluare: & quod nulli inferret mortem, qui eſt vita cũctorum. Et cum perambularent Magi, *ſtella*, ſicut lectum eſt, *quam viderant in oriente, antecedebat eos, donec venit, & ſtetit ſupra vbi erat puer.* Nunquid non dicere, & clamare videbatur, hic eſt puer, quem natum teſtabar è cælo: Hic eſt rex ille magnus, qui venit cæleſti imperio regnum ſociare terrarum. Vere ſtella hæc dominicę natiuitatis miniſtra, quę tanto eſt Chaldæis obſecuta famulatu, vt in inquirendo Chriſto non ſolum eoa moneret è cælo, ſed & ducatum illis prębeter in terris. Adorato itaque domino Magi, oblatiſque muneribus, prętereuntes Herodem, *per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Neque verò poterant per Herodem, id eſt, itinere mortis redire, qui in patriam ſuam adorato Dei filio, cæleſtis vitę munera reportabant. [Matth. 2.] Eluſus ergo Herodes, & contemptus à Magis (vt ait Euangeliſta) iratus eſt valde, & miſit, & occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu & infra. A bimatu, inquit, & infra ætas ſcribitur occiſorum, vt occidẽtis innoteſcat acerbitas. O ira peruerſa, inconſultáque ſæuientis indignatio! Chaldęis iraſcitur, innocentes interficit, & dum in mortem immaculati fertur infantis, lactentium perimit turbas, quatenus iniquißimum regem, qui indebitum quęrebat ſanguinem, proſtratę multitudinis multiplex reatus inuolueret. Nec aduertere poterat furentis inſania, quod ille, qui mortuos morte ſua viuificare veniebat, cogi in mortem non poſſit inuitus. Et hæc omnia, chariſſimi, agebat per Herodem diabolus, vt per voluntatis ſuę miniſtrum, aut Chriſtum perimeret, aut paruulorum nece lætißimum Chriſti contriſtaret ingreſſum. Sed nulla ſit apud fideles innocentium de morte triſtitia, quia Chriſtus iuſtißimus retributor, propter ſe paſſos ſuę fecit participes paßionis, atq; eos, quibus libenter vitã parabat æternã, patienter permiſit occidi. Proinde nos, dilectißimi, venientes ex gentibus, quibus in ſtella dominica ſalutare lumen radiauit è cælo, apud quos virginis fidelis eſt partus, quibus Chriſtus & in cunabulis Deus eſt, deuotionis, ac fidei noſtrę munera deferentes. Herodis perfidiam declinemus, & ſanctificato corpore, ac ſpiritu noſtram miſericordiam diligentes, ſacratißimum ſemper domini honoremus aduentum, vt, ſicut de eius illuminatione gaudemus, ita de noſtra retributione lætemur, adiuuante domino noſtro Ieſu Chriſto.

EIVSDEM IN EODEM
Hom. 5.

SAlutare nobis eſt, fratres, atque conueniens, vt concurrentes ad feſta dominica, & myſteria ſaluatoris noſtri, de cuius natiuitate gauiſi ſumus, eius manifeſtatione lætemur, quia ſicut naſcendo glorioſus eſt Dei filius, ita apparendo mirabilis. Mirum nanque, quod Chriſtus proceſſit ex virgine: nec minus magnificum, quod oſtenſus è cælo eſt. Mirum valde, quod nouum hominem terra ſuſcepit, ſtupẽdum nihilominus, quòd nouũ hunc hominem noua de cœlo ſtella prodiderit. Apud Iudæam Chriſtus in præſepi paſtoribus vagiebat, & in Chaldæa Magorum oculis inter ſydera coruſcabat. Apud Iudæos ſordebat in pannis: apud Gentiles fulgebat in gloria. Et quidem neceſſe erat, vt cęlorum dominum teſtimonium cæleſte præcederet, & autorem lucis ſignum luminis reuelaret. Magnum hoc, fratres, tremendumque myſterium, cum vnus, idemque annunciantur de patre Deus, & homo de matre. Vnus, idémque filius fœminæ, & filius maieſtatis. Vnus, idemque hominum particeps, & dominus angelorũ. Quis enim valeat æſtimare quanti ſacramenti, quantæque ſit gratiæ, quod ille ſugit hubera, qui paſcit omnia, & qui vniuerſis animantibus viuendi ſubſtantiam præſtat è cælo, ob ſalutem terreſtrium terreno lacte nutritur? Nullus ergo ambigat, nemo cunctetur, quod Chriſtus in terra degens fulgebat in cælo, quia ſic venit ad terrena, vt non relinqueret cælum. Et inde eſt, quod virginalẽ hunc puerum laudant angeli, mirantur paſtores, cælum atteſtatur, venerantur & Magi, quia myſtica eius natiuitas ſempiterno gaudio, & terram lętificauit, & cælum. Hunc ergo regem cæleſtium, hominúmque ſub carnis myſterio venientem, inuidus tremit Herodes, Iudæa infidelis. Tremit Herodes infantem regię dignitatis, quia bonitatem naſcentis ignorat. Adiurat Chriſtum Iudæa, quem prædicat, quia impietatibus ſuis metuens, iuſti iudicis refugit æquitatem, & ſcelerum ſuorum obcæcata tenebris ſola videre non poteſt, quod omnibus ſplendet è cælo. Et cum omnium patriarcharum doctrina, ac prophetica ſanctum virorum eloquia ad agnitionem filij Dei Iudaica corda non flexerint, vnius ſtellæ radius fidem gentium ſuſcitauit. Quæ tanta permutatio, fratres, quæue iſta conuerſio eſt? Apud Iudæos propheta loquitur, nec auditur, apud gentiles ſtella tacet, & ſuadet. Vere, ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligẽt. Ecce enim Chaldæi, quibus nihil vnquam fuerat de huiuſmodi myſterijs prædicatum, intellexerunt natiuitatem Chriſti, ipſumq́ue Chriſtum ſolicite perquirentes, cælo monſtratæ ſtellæ ducatu inuenire meruerunt. [Eſa. 52.] Nec ſane à quibuſcũque vilibus, obſcuris, abiectiſque hominibus hæc ſunt vel intellecta, vel viſa, ſed à Chaldæis, id eſt, apud quos ſuperſtitionum regnabat error, in his ingreſſus mundum Chriſtus primitias fidei ſalutaris inuenit. Et factum eſt inter Iudæos, atque Gentiles quoddam perfidiæ, fideique certamen. Nato enim Chriſto, exultabat Chaldęs, & tota cum ſuis principibus Hieroſolyma torquebatur. Inſectabatur Iudæus, Magus adorabat, Herodes acuebat gladium, Chaldęus munera pręparabat. Sed quid mirum, ſi turba illa Iudaica Chriſti non ſuſcepit infantiam, quę etiam mortuos ſuſcitantem contumaciter abuſa contempſit? Quid mirum, ſi in cunis iacentem Chriſtum ſpreuere Iudęi, quem, cum cæcis vel noua daret lumina, vel repararet amiſſa, languoreſque varios ſalutifero ſermone curaret,

ad

ad omnia beneficia domini tedimenus ingrati, mendacis linguæ calumniis incuſabant? Quid mirum, ſi in eius natiuitate ſtellę ſplendentis indicia neglexerunt, in cuius paſſione etiam ſole lugente, læti ſunt? Quid mirum, ſi Chaldæis aduentantibus hi redire noluerunt, quos ad fidem veritatis adducere concurſus non potuit angelorum. Lętemur itaque nos, fratres, & exultemus in domino, feſtiuitatem perennis myſterij omni cum gaudio celebrantes, qui natiuitatem dominicam nó coniecturis carnalibus abnegamus, ſed fide ſimplici confitemur, qui ſaluatoris aduentum nô nuociantibus Magis: ſed atteſtante deſuper patre, cognouimus, qui Chriſtum dominum non iam inter cunabula vagientem quærimus, ſed regnantem veneramur in cælo Ieſum Chriſtum dominum.

EIVSDEM IN EODEM *feſto Hom. 6. de baptiſmo Chriſti.*

COmplura nobis, fratres, atque diuerſa feſtiuitas præſentis diei ſalutarium myſteriorum
Matth. 2. ſacramenta multiplicat. Nam ſicut poſteritatis ſuę fidelis mandauit antiquitas, hodie ſaluator humani generis cæleſtibus oſtenſus indiciis à Chal-
Matth. 3. dæis eſt adoratus. Hodie Chriſtus beati Ioannis miniſterio fluenta Iordanis benedictione proprij baptiſmatis conſecrauit. Hodie etiam inuitatus ad nuptias diuinitatis ſuæ potentiam manifeſtans
Ioan. 2. aquas in vinum, à quas inquam vertit in vinum, hoc eſt, quas ſanctificauit in baptiſmo, nobilitauit in nuptiis. Tria quidem hæc, fratres, vnius fidei myſteria recéſemus, ſed quæ per vnum dominum dignatio trinitatis impleuit. Neque enim aliquando in operatione virtutum abeſſe ſibi vnitas poteſt, aut vnquam ſeparari ab inuicé poterit, quod deitate eſt indiuiſum. Denique cum baptizaretur ſaluator, nó ſe deeſſe vnigenito pater in voce prodidit, ſpiritus in columba. Non ergo miremur, fratres, quibus in fide eſt trinitas, ſi tria vnum nobis diem myſteria conſecrarunt. Hodie itaque, vt diximus, Magus per ſtellam reperit, quod Iudæus credere noluit per prophetas. Hodie gentilitas edocta de cælo redemptorem mundi inquirit vt regem, muneratur vt fortem, adorat vt Deum. Et quam recte chariſſimi, in teſtimonium nouę natiuitatis, noua terris ſtella reſplenduit, cuius vtique Iudæorũ gens perfida, nec radium occultare poſſit, nec abſcódere veritatem. Neque enim vlla iam per eos poterat locum habere malignæ interpretationis obſcuritas, vbi cęlum ipſum vniuerſorum oculis ſydereo lumine credéda fulgebat. Et quam hoc mirabile quod exiguus ſtellæ radius ſtupentia alienigenarum corda permouit, cum illum Iudaicum populum cui mare diuiſum, cui præbitum manna de nubibus, nec ignea potuerit & ipſa de cælo micans columna conuertere. Sed iá ad Chri-
Matth. 3. ſti baptiſmum properemus. Venit, inquit, Ieſus ad Iordanem vt baptizaretur à Ioanne. Cui ait Ioannes, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego vtique à te debeo baptizari, quia mihi eſt ex paterna pręuaricatione corruptio, & tibi in paterna maieſtate communio. Ego in hunc mundum carnali ſum parente profuſus, tu vero hunc ab ingenito patre vnigenitus adueniſti. Me viri, & fœminæ naturalis copula procreauit, te autem altiſſimi obumbrante virtute, veneranda nobis virginitas dedit. Ego terrenum animal, tu agnus Dei. Ego peccati lege mortalis, tu autem aduerſus peccata veniens, neſcis ſubiacere peccato, & poſt omnia ego factus ſum redimendus à te, tu autem natus, vt redimas. Cui dignatus reſpondit Ieſus. Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iuſticiam. Id eſt omnia quidem vera ſunt, quæ memoras, ſed hæc mei aduentus eſt ratio, vt, quia ſub lege factus ſum, ordo legitimus ſuppleatur. Veni enim non vt mihi viuerem, cui vita æterna cum patre eſt, ſed vt conditionem veſtræ mortis auferam. Et hoc eſt iuſtiſſimum, vt, quia totum ſuſcepi hominem, per omnia hominis tráſeam ſacramenta. Et reuera, fratres, quomodo pro nobis Chriſtus ad baptiſmum non veniret, propter quos etiam corporeæ circumciſionis non vitauit iniuriá? Vnde & Ioannes ſalutare myſterium recognoſcés, non iam Dei filium vt baptiſta ſanctificat, ſed vt deuotus miniſter cæleſtibus obtéperat imperatis. Nec enim poterat non obedire ſeruus domino, præco iudici, regi miles, præcurſor autori. Atque vt hæc omnia diuinitate agi plenius, perfectiúſque propheta digooſceret, in ſpecie columbæ ſanctus ſe ſpiritus videri dedit, & in voce ſermonis pater audiri. Ait enim, Hic eſt filius meus dilectus, in quo Ibid.
bene complacui. Videte, & intédite, fratres, quantum gratiæ de diuina dignationé mortalitas conſequatur. Nam vt ſacratiſſima redemptionis noſtræ myſteria confirmétur, & vt manifeſtius æterna nobis trinitas reuelaretur, baptizatur filius in Iordane, ſpiritus ſanctificat ſacramentum, pater aperit veritatem. Supereſt iam vt tertia deuotionis huius charitati veſtræ cauſa clareſcat. Hodie nihil- Ioan. 2.
ominus, vt perhibetur à patribus, dominus Ieſus in Chana Galilææ de aquis effecit vinum. Nihil à nobis eſt, fratres, in huiuſmodi mirabilibus de creatore cunctandum. Qui enim in exordio mundi dedit eſſe aquas, in fine quoque mundi quod voluit fecit ea aquis. Maioris nempe maieſtatis eſt creare, quæ nó erant, quàm creata mutare. Et quid mirum, ſi ad præceptum domini ſui aqua tranſiuit in vinum, cuius nutu ſalubrium fomenta imbrium & ipſa vini genitrix vua nutritur? Quid mirum, ſi dominus omniũ propter hominem aquas vertit in vinum, qui, vt hominem códeret, terram Exod. 15.
transformauit in carnem? Quid mirum, ſi eius iuſſu aqua meliorem proficit in saporem, cuius operatione cum amara eſſet in Mara bibituris populis ligno medicante dulcata eſt, cuius imperio etiam vt ſitientibus in eremo non deeſſet, concita profiluit è petra? Et ibi quidem per Moyſen aqua procedit è ſaxo, vbi adhuc figura ſpiritualis eſt poculi: hic vero per Chriſtum efficitur vinum, vbi iam vera eſt bibentium ſalus. Quid igitur, fratres, hoc lætius die, quid hac ſolennitate ſacratius, in qua partum virginis qui latebat in euois, ſtella fulgétior gentibus coruſcauit, in qua vnigenitum Dei in ſanctificationem ſui Iordanis vnda ſuſcepit, homo ſpiritum ſanctum vidit, patrem mundus audiuit, in qua etiam ſobrio illi vini mirabilis poculo, peccatis ebrium mortale genus viſitaſſe ſe Chriſtus oſtendit? Et ideo, chariſſimi, in ſpiritualibus donis lubricæ carnis voluptate depoſita, ſpiritualiter gaudeamus, vt tenebras cordis noſtri lumen ſtellæ cęleſtis irradiet, benedictio paternę vocis illuſtret, & ſalutare nos vinum, Chriſto propinante, lætificet.

EIVSDEM HOMILIA *ſeptima vnde ſupra, & de baptiſmo Chriſti.*

LIcet, fratres dilectiſſimi, de ſolẽnitate diei huius veterum ſit diuerſa traditio, vna tamẽ ſanctæ deuotionis eſt fides. Et quanquam nonnulli hodie dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſtella duce venientibus ab oriente Magis æſtiment adoratum, alij autem aſſerant eum aquas in vina mutaſſe, quidam verò baptizatum illum ab Ioanne confirment, in omnibus Dei filius creditur, in omnibus eſt noſtra feſtiuitas. Nam quod Magis vtique gentilibus & adorare dominum, & munera offerre conceditur, gentium eſt præfigurata vocatio. Quod aquæ transformantur in vinum, religionis noſtræ deſignatur arcanum. Quod vero fluentis Iordanis baptizatur Ieſus, aquæ noſtro baptiſmati conſecrantur. Oportet itaque, chariſſimi, vt aliqua nunc de ipſo baptiſmate ſanctitati veſtræ, prout dominus donauerit, proferamus, vt ſimul & humilitatem ſaluatoris noſtri, & myſteriorum
Matt. 3. Luc. 3. gloriam cognoſcatis. Prædicabat in deſerto Ioannes baptiſmum pœnitẽtiæ populo peccatori, non quo crimina commiſſa deleret, ſed quo emendaret errantes. Nam remiſſio peccatorum Chriſti gratiæ ſeruabatur. Confluebat ergo ad Iordanem deſiderio lauacri diuerſorum copioſiſſima multitudo, quorum eſſent tam ſcelerati actus, vita tam perdita, vt eos venerabilis baptiſta vipereo ſemi-
Pſal. 103. ni compararet. Inter huiuſmodi homines ille virtutum cęleſtium dominus, ille qui reſpicit terram, & facit eam tremere, Chriſtus Ieſus, non dedignatur humilis, & quietus ad ſerui ſui baptiſmum properare. Sed quid mirum de manſuetudine ſaluatoris, ſi ſe prophetæ ſui manibus inclinauit, qui
Ioan. 1. ſe ab inimicis ſuis paſſus eſt crucifigi? Quo properante ad fluuium, talem Ioannes circumſtantibus turbis erupit in vocem, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc eſt dicere. Ceſſate iam, ceſſate à baptiſmo meo, quo pœnitentia ſuſcipitur. ecce baptiſta, per quem crimina dimittuntur. Definite vlterius à conſeruo veſtro baptizari velle, præſens eſt dominus omnium noſtrũm, qui baptizat ad vitam. Illum ſequimini, illi credite, ab illo lauacrum ſalutis tota mente ſupplices poſtulate, à quo & ego ipſe baptiſta veſter cupio baptizari. Non renuit quidem Ieſus teſtimonium vocis huius, ſed qui per ordinem vellet vniuerſa complere, nihilominus baptizari ſe capetit ab Ioanne. Tum baptiſta deuotus baptizandi ſui potẽtia tremefactus ait. Ego à te debeo baptizari, & tu venis
Matt. 3. ad me? Id eſt, quoniam ego creatura ſum, tu creator, ego ſeruus, tu dominus, ego figura, tu veritas. At Ieſus ait. Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iuſticiam. Id eſt, quid nunc iſta commemoras? propoſitum ſuſceptæ humilitatis implendum eſt. Tunc ille, qui præſumere formidabat, velociter paruit præcipientis imperio. Baptizatur ergo Ieſus non ſibi, ſed nobis. Baptizatur, non vt purificetur aquis, ſed vt aquas ipſe ſanctificet. Baptizatur nouus homo, vt noui baptiſmatis conſtituat ſacramentum. Aperti ſunt, inquit, ei cęli. Aeſtimo vt in cæleſtibus eſſet miraculum, de his, quæ gerebantur in terris, ſicut ait ſcriptura, in
1. Petri 1. quem concupiſcunt angeli proſpicere. Quomodo enim poterant non mirari virtutes cælorum, & dominationes, Cherubin, & Seraphin, cum viderent dominum Sabaoth in fluuio ab homine baptizari? Vt autem Ioannis atteſtatio etiam cæleſti teſtimonio confirmetur, vidit ſpiritum ſanctum corporali ſpecie quaſi columbam deſcendentem, & manentem ſuper Ieſum. Audit & patrem dicentem. Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui. Aduertite, dilectiſſimi fratres, quanta nobis in baptiſmate domini noſtri Ieſu patefacta ſit gratia, quam ſubtili ſacramento trinitas ſe hodie homini reuelauit. Pater enim auditur in voce, filius manifeſtatur in homine, ſpiritus ſanctus dignoſcitur in columba. Quam mirifico autem myſterio dominus noſter Ieſus Chriſtus, vel tactu corporis ſui, vel tranſitu gloriæ ſuæ omnem ad momentum creaturam ſanctificat, viuificat, & illuſtrat. Aquas enim conſecrat, dum baptizatur, terram ſanctificat, dum ſepelitur, mortuos ſuſcitat dum reſurgit, cęleſtia glorificat, dum aſcendit ad cælum, & ſedet ad dexteram Dei patris.

S. LEONIS PAPAE IN *eodem feſto, Serm. 1.*

CElebrato proximo die, quo intemerata virginitas humani generis edidit ſaluatorem, Epiphanię nobis, dilectiſſimi veneranda feſtiuitas dat perſeuerantiam gaudiorum, vt inter cognatarum ſolemnitatum vicina ſacramenta, exultationis vigor, & feruor fidei non tepeſcat. Ad omnium enim hominum ſpectat ſalutem quod infantia ſaluatoris ac mediatoris Dei, & hominum iam in vniuerſo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamuis enim Iſraeliticam gentem, & ipſius gentis vnam familiam delegiſſet, de qua naturam vniuerſæ humanitatis aſſumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis anguſtias ortus ſui latere primordia, ſed mox ab omnibus voluit agnoſci, qui dignatus eſt omnibus naſci. Tribus igitur Magis in regione Orientis ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriórque ſyderibus, facilè in ſe intuentium oculos, animóſque conuerteret, vt confeſtim aduerteretur non eſſe ocioſum, quod tam inſolitum videbatur. Dedit ergo aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniendum obtulit requiſitus. Sequuntur tres viri ſuperni luminis ductum, & præuij fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionẽ veritatis, gratiæ ſplendore ducuntur, qui humano ſenſu ſignificatum ſibi regis ortum æſtimauerunt in ciuitate regia eſſe quęrendum. *Hinc cõfirmari poſſit vſus, tres Magos depingendi.* Sed, qui ſerui ſuſceperat formam, & non iudicare venerat, ſed iudicari, Bethlehem prælegit natiuitati, Hieroſolymam paſſioni. Herodes verò audiens Iudęorum principem natum, ſucceſſorem ſuſpicatus expauit, & molitus necem ſalutis autori, falſum ſpopondit obſequium. Quam felix foret, ſi Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod diſponebat ad fraudem. O cæca ſtultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore cõſilium! Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui pręſtat æternũ. Quid in commutabilem diſpoſitarum rerum ordinẽ vertere, & aliorũ facinus pręoccupare conaris? Mors Chriſti non eſt temporis tui. Ante condendum eſt Euangelium, ante prædicandum

dum eſt Dei regnum, ante ſanitates donandę, ante
ſunt facienda miracula. Cur, quod alieni futurum
eſt operis, tui vis eſſe criminis? & non habiturus
effectum ſceleris, in ſolum te reatum præcipitas
voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil per-
agis. Qui voluntate natus eſt, arbitrij ſui poteſtate
morietur. Conſummant ergo Magi deſiderium
ſuum, & ad puerum dominum Ieſum Chriſtum,
eadem ſtella præeunte, perueniũt. Adorant in car-
ne verbum, in infantia ſapientiã, in infirmitate vir-
tutem, & in hominis veritate dominum maieſta-
tis: vtque ſacramentum fidei ſuæ, intelligentiæque
manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus
proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum
offerunt regi, ſcienter diuinam, humanámque na-
turam in vnitate venerantes, quia quod erat in
ſubſtantiis proprium, non erat in perſona diuer-
ſum. Reuerſis autem Magis in regionem ſuam,
tranſlatóque Ieſu in Ægyptum, ex admonitione
diuina exardeſcit fruſtrata in meditationibus
ſuis Herodis inſania. Necari omnes Bethlehem
paruulos iubet: & quoniam, quem metuat, neſcit
infantem, generalem ſæuitiam in ſuſpectam ſibi
tendit ætatem. Sed quos rex impius eximit mun-
do, Chriſtus inſerit cælo: & quibus nondum ſan-
guinis ſui impedit redemptionem, iam martyrij
tribuit dignitatem. Erigite igitur, dilectiſſimi, fi-
deles animos ad coruſcantem gratiã luminis ſem-
piterni, & impenſa ſaluti humanæ grauæ ſacra-
menta venerantes, ſtudium veſtrum iis, quæ pro
vobis geſta ſunt, ſubdite. Diligite caſtimoniæ pu-
1. Pet. 2. ritatem, quia Chriſtus virginitatis eſt filius, abſti-
nete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant ad-
uerſus animam, quemadmodum nos præſens bea-
1. Cor. 14. tus Apoſtolus ſuis, vt legimus, verbis hortatur;
Malitia paruuli eſtote, quia dominus gloriæ, mor-
talium ſe conformauit infantiæ. Sectamini humi-
Matth. 11. litatem, quam Dei filius diſcipulos ſuos docere
dignatus eſt: Induite vos virtutem patientiæ, in
qua animas veſtras poſſitis acquirere, quoniam
qui cũctorum eſt redemptio, ipſe eſt omnium for-
Coloſſ. 3. titudo. Quę ſurſum ſunt, ſapite, non quę ſuper ter-
ram. Per viam veritatis, & vitæ conſtanter incedi-
te, nec vos impediant terrena, quibus ſunt parata
cæleſtia. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,
qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in
ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 2.*

Philip. 4. GAudete in domino, dilectiſſimi, iterum dico
gaudete, quoniam breui interuallo tempo-
ris poſt ſolennitatem natiuitatis Chriſti, feſtiuitas
declarationis eius illuxit, & quem in illo die virgo
Ioan. 1. peperit, in hoc mundus agnouit. Verbum enim
caro factum ſic ſuſceptionis noſtræ temperauit
exordia, vt natus Ieſus, & credentibus manifeſtus,
Pſal. 18. & perſequentibus eſſet occultus. Iam tunc ergo
Rom. 10. cæli enarrauerunt gloriam Dei, & in omnem ter-
ram ſonus veritatis exiuit: quando & paſtoribus
exercitus angelorum ſaluatoris editi annunciator
apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia
Luca 2. ſtella perduxit, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum
Matth. 2. veri regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem
& regna Orientis per Magos diſcerent, & Roma-
num imperium non lateret. Nam & ſæuitia He-
rodis, volens primordia ſuſpecti ſibi regis extin-
guere, huic diſpenſationi neſciens ſeruiebat, vt,
dum atroci intentus facinori, ignotum ſibi puerum
indiſcreta infantium cæde perſequitur, annuncia-
tum cælitus dominatoris ortum inſignior vbique
fama loqueretur, quam promptiorem ad narran-
dum, diligentioremque faciebat, & ſupernæ ſi-
gnificationis nouitas, & cruentiſſimi perſecutoris
impietas. Tunc autem etiam Ægypto ſaluator il-
latus eſt, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad
vicinam ſalutem, per occultam gratiã figuraretur:
& quæ nõdum eiecerat ab animo ſuperſtitionem,
iam hoſpitio reciperet veritatem. Merito igitur,
dilectiſſimi, dies iſte manifeſtatione domini con-
ſecratus, ſpecialem in toto mundo obtinuit digni-
tatem, quæ in cordibus noſtris digno debet ſplen-
dore clareſcere, vt rerum geſtarum ordinem non
ſolum credendo, ſed etiam intelligendo venere-
mur. Quantam enim gratiarum actionem debea-
mus domino pro illuminatione gentium, probat
obcæcatio Iudæorum. Quid enim tam cæcum,
quid tam lucis alienum, quam illi ſacerdotes, &
ſcribæ Iſraelitarum fuerunt? qui percontantibus
Magis, & Herode quærente, vbi Chriſtus ſecun- Matth. 2.
dum ſcripturarum teſtimonium naſceretur, hoc
reſponderunt de prophetico eloquio, quod indi-
cabat ſtella de cælo: quæ vtique poterat Magos
Hieroſolymis prætermiſſis vſque ad cunabula
pueri, ſicut poſtmodum fecit, ſua ſignificatione
perducere, niſi ad confutandam Iudæorum duri-
tiam pertinuiſſet, vt non ſolum ductu ſyderis, ſed
etiam profeſſione innoteſceret natiuitas ſaluato-
ris. Iam ergo ad eruditionem gentium propheti-
cus ſermo tranſibat, & prænunciatum oraculis
antiquis Chriſtum alienigenarum corda diſcebãt,
cum Iudæorum infidelitas veritatem ore profer-
ret, & mendacium corde retineret. Noluerũt enim
agnoſcere oculis, quem de ſacris indicabant libris,
vt, quem non adorabant in infantiæ infirmitate
humilem, poſtea crucifigerent in virtutum ſubli-
mitate fulgentem. Quæ iſta Iudæi tam imperita in
vobis ſcientia eſt, tam indocta doctrina? Interro-
gati, vbi Chriſtus naſceretur, veraciter, & memo-
riter dixiſtis, quod legiſtis; In Bethlehem Iudæ: Sic
enim ſcriptum eſt per prophetam; Et tu, Bethle- Mich. 5.
hem terra Iuda, non es minima in principibus Iuda.
Ex te enim exiet princeps, qui regat populum
meum Iſrael. Hunc principem natum, & paſtori- Luca 2.
bus angeli, & vobis annunciauere paſtores. Hunc
principem natum longinquæ Orientalium gen-
tium nationes in inſolito noui ſyderis ſplendore
didicerunt. Et, ne de loco editi regis ambigerent,
veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit.
Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obſtruitis?
Cur in veſtra infidelitate reſidet dubium, quod ex
veſtra ſit reſponſione manifeſtum? Locum natiui-
tatis de ſcripturarum teſtimonio demonſtratis,
præſentiam temporis de cæli, & terræ atteſtatione
cognoſcitis, & tamen vbi ad perſequendum ani-
mus Herodis exarſit, ibi ad non credendum veſter
ſenſus obduruit. Felicior ergo ignorantia infan- Matth. 2.
tiũ, quos perſecutor occidit, quam veſtra ſcien-
tia, quos in ſua perturbatione conſuluit. Vos no-
luiſtis regnum eius recipere, cuius oppidum pu-
taſtis oſtendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem
nondum poterant confiteri. Itaque Chriſtus, ne
vllum ei tempus eſſet abſque miraculo, ante vſum
linguæ poteſtatem verbi tacitus exerebat, & quaſi Matth. 18.

iam diceret; Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum: noua gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis paruulorum primordia conſecrabat, vt diſceretur neminem hominum diuini non capacem eſſe ſacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martyrij. Agnoſcamus ergo, dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ, fideíque primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire. Exinde nobis Chriſtum loquentia ſcripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen ſuum inuexit. Honoretur itaque à nobis ſacratiſſimus dies, in quo ſalutis noſtræ autor apparuit, & quem Magi infantem venerati ſunt in incunabulis, nos omnipotentem adoremus in cælis. Ac ſicut illi de theſauris ſuis myſticas domino munerum ſpecies obtulerunt: ita & nos de cordibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promamus. Quamuis enim omnium bonorum ſit ipſe largitor, etiam noſtræ tamen fructum quærit induſtriæ. Nõ enim dormientibus prouenit regnum cælorum, ſed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus, vt ſi dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere, quod promiſit. Vnde cohortamur dilectionem veſtram, vt abſtinentes vos ab omni opere malo, quę ſunt caſta, & iuſta ſectemini. Rom.13. Filij enī lucis abiicere debẽt opera tenebrarum. Itaque odia declinate, mendacia abiicite, ſuperbiam humilitate deſtruite, auaritiam largitate delete. Decet enim, vt capiti ſua membra conueniant, vt promiſſarum beatitudinum mereamur eſſe cõſortes, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo. 3.*

QVamuis ſciam, dilectiſſimi, quod ſanctitatem veſtram hodiernæ feſtiuitatis cauſa non lateat, eámque ſecundum conſuetudinem Euangelicus vobis ſermo reſerauerit: tamen vt noſtri nihil deſit officij, loqui de eodem, quod dominus donauerit, audebo, vt in communi gaudio, tanto religioſior ſit omnium pietas, quanto magis omnibus fuerit intellecta ſollennitas. Prouidentia nanque miſericordiæ Dei, diſpoſitum habens pereunti mundo in nouiſſimis temporibus ſubuenire, ſaluationem omnium gentium præfiniuit in Chriſto, vt quia & cũctas nationes à veri Dei cultu impius dudum error auerterat, & ipſe peculiaris Dei populus Iſrael ab inſtitutis legalibus penè totus exciderat, concluſis omnibus ſub peccato, Rom.11. omnium miſereretur. Deficiente enim vbique iuſtitia, & toto mundo in vana, & maligna prolapſo, niſi iudicium ſuum diuina poteſtas differret, vniuerſitas hominum ſententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira tranſlata eſt, & vt clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum, ſacramentum remiſſionis adferri, quando nemo poterat de ſuis meritis gloriari. Huius autem ineffabilis miſericordiæ manifeſtatio facta eſt Herode apud Iudæos ius regium tenente, vbi legitima regum ſucceſſione ceſſante, & Pontificum poteſtate deſtitu-cta, alienigena obtinuerat principatum, vt veri regis ortus, illius propheticæ probaretur voce, quæ dixerat; Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux Genes.49. de femoribus eius, donec veniat, cui repoſitũ eſt, & ipſe erit expectatio gentium. De quibus quon- Genes.22. dam beatiſſimo patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generãda. Et ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omni gentium patre, non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur. Ad creandam ergo promiſſam poſteritatem, hæredes in ſyderibus deſignati, ortu noui ſyderis excitantur, vt, in quo cæli adhibitum fuerat teſtimonium, cæli famularetur obſequium. Commouet Magos remotioris Orientis habitatores ſtellis cęteris ſtella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri ad hæc ſpectanda non inſcij, magnitudinem ſignificationis intelligunt, agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione diuina, vt eos tantæ viſionis myſterium non lateret, & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum. Denique officium ſuum cum religione diſponunt, & his ſe inſtruunt donis, vt adoraturi vnum, tria ſe ſimul credidiſſe demonſtrent, auro honorantes perſonam regiam, myrrha humanam, thure diuinam. Ingrediuntur enim Iudaici regni, præcipuam ciuitatem, & in vrbe regia oſtendi ſibi poſtulant puerum, quem ad regnandum ſibi didicerant procreatum. Conturbatur Herodes, timet ſaluti ſuæ, metuit poteſtati. Requirit à ſacerdotibus, & doctoribus legis, quid de ortu Chriſti ſcriptura prædixerit, in notitiam venit, quod fuerat prophetatum. Veritas illuminat Magos, infidelitas obcæcat magiſtros. Carnalis Iſrael non intelligit, quod legit; non videt, quod oſtendit, vtitur paginis, quarum nõ credit eloquiis. Vbi eſt, Iudæe, gloriatio tua? Vbi de Rom.2. Abraham patre ducta nobilitas? Nonne circunci- Genes.15. ſio tua præputium facta eſt? Ecce maior ſeruis mi- Rom.9. nori, & alienigenis in ſortem hæreditatis tuæ intrantibus, eius teſtamenti, quod in ſola litera tenes, recitatione famularis. Intret, intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, & benedictionem in ſemine Abrahæ, qua ſe filij carnis abdicant, filij promiſſionis accipiant. Adorent in tribus Magis vniuerſi populi vniuerſitatis autorem, & non in Iudæa tantum Deus, ſed in toto orbe ſit Pſal.75. notus, vt vbique in Iſrael ſit magnum nomẽ eius. Malac.1. Quoniam hanc electi generis dignitatem ſicut infidelitas in ſuis poſteris conuincit eſſe degenerem: ita fides omnibus facit eſſe communem: Adorato autem domino Magi, & omni deuotione completa, ſecundum admonitionem ſomnij non eodem, quo venerãt, itinere reuertũtur. Oportebat enim, vt iam in Chriſtum credentes, non per antiquas cõuerſationis ſemitas ambularent, ſed nouam ingreſſi viam, à relictis erroribus abſtinerent. Tum vt etiam Herodis vacuarentur inſidiæ, qui in puerum Ieſum impietatem doli per ſimulationem diſponebat officij. Vnde, quia ſpes iſtius erat ſoluta commenti, in maiorem furorem iracundia regis ardeſcit. Nam recolens tempus, quod indicauerant Magi, in omnes Bethlehem pueros rabiem crudelitatis effundit, & cæde generali vniuerſę ciuitatis illius in æternam gloriam tranſituram trucidat infantiam, æſtimans fore, vt, nullo illic paruulo non occiſo, occideretur & Chriſtus. At ille, qui ſanguinem ſuum pro mundi redẽptione fundendum

dendum in aliam differret ætatem, Ægypto ſe parentum miniſterio ſubuectus intulerat, repetens ſcilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioſeph, maioris prouidentiæ poteſtate diſponens, vt illam ditiorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cęlo panis vitæ, & cibus rationis, auferret, nec ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ ſacramentum, in qua primum occiſione agni, ſaluiferum crucis ſignum, & paſcha domini fuerat præformatum. His igitur, dilectiſſimi, diuinæ gratię myſteriis eruditi, diem primitiarum noſtrarum, & vocationis gentium inchoationem, rationabili gaudio celebremus, gratias agentes miſericordi Deo, qui dignos nos fecit, ſicut ait Apoſtolus, in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Quoniam ſicut prophetauit Eſaias. Gentium populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui habitabant in regione vmbrę mortis, lux orta eſt eis. De quibus idem dicit ad dominum; Gẽtes, quæ te non nouerunt, inuocabunt te: & populi, qui te neſciebant, ad te confugient. Hunc diem Abraham vidit, & gauiſus eſt, quum benedicendos fidei ſuę filios in ſemine ſuo, quod eſt Chriſtus, agnouit, & omnium ſe futurum gentium patrem credendo proſpexit, dans gloriam Deo, & pleniſſimè ſciens, quoniam, quod promiſit, potẽs eſt & facere. Hunc diem Dauid canebat in pſalmis dicens; Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te, domine, & glorificabunt nomen tuum. Et illud; Notum fecit dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuã. Quod vtique eandem fieri nouimus, ex quo tres Magos, de longinquitate ſuæ regionis excitatos, ad cognoſcendum, & adorãdum regem cœli, & terræ ſtella perduxit, & rectè intuentibus quotidie apparere non deſinit: Et ſi potuit notum facere Chriſtum in infantia latentem, quanto magis poteſt eundem manifeſtare in maieſtate regnantem: Cuius vtique famulatus ad formam nos ſui obſequij hortatur, vt huic gratiæ, qua omnes inuitantur ad Chriſtum, quantum poſſumus, ſeruiamus. Quicunque enim in Eccleſia piè viuit, & caſtè: qui ea, quę ſurſum ſunt, ſapit, non quę ſuper terram: cæleſtis quodammodo inſtar eſt luminis. Et, dum ipſe ſanctę vitę nitorẽ ſeruat, multis viam ad dominum quaſi ſtella demonſtrat. In quo ſtudio omnes, dilectiſſimi, vobis inuicem prodeſſe debetis, vt in regno Dei, ad quod recta fide, & bonis operibus peruenitur, ſicut lucis filij ſplendeatis, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Deo patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolemnitate, Serm. 4.*

IVſtum, & rationabile, dilectiſſimi, veræ pietatis obſequium eſt, in diebus, qui diuinæ opera miſericordię proteſtantur, toto corde gaudere, & honorificè ea, quę ad ſalutem noſtram geſta ſunt, celebrare, vocante nos ad hanc deuotionem ipſa recurrentium tẽporum lege, quę nobis poſt diem, in quo coæternus patri filius Dei natus ex virgine eſt, breui interuallo Epiphanię intulit feſtum, ex apparitione domini conſecratum. In quo fidei noſtrę magnum præſidium prouidentia diuina conſtituit, vt, dum ſolemni veneratione recolitur adorata in exordiis ſuis ſaluatoris infantia, per ipſa originalia documenta probaretur veri hominis in Chriſto orta natura. Hoc enim eſt, quod iuſtificat impios, hoc eſt, quod ex peccatoribus facit ſanctos, ſi in vno, eodemq; domino noſtro Ieſu Chriſto, & vera deitas, & vera credatur humanitas. Deitas, qua ante omnia ſecula in forma Dei æqualis eſt patri. Humanitas, qua nouiſſimis diebus in forma ſerui vnitus eſt homini. Ad roborandum ergo hanc fidem, quę cõtra omnes pronunciabatur errores, ex magna geſtum eſt diuini pietate conſilij, vt gens in longinqua Orientalis plagę regione conſiſtens, quę ſpectandorum ſyderum arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnaturus, acciperet. Noua etenim claritas apud Magos ſtellę illuſtrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione ſui ſplendoris impleuit, vt nequaquam ſibi crederent negligendum, quod tãto nunciabatur indicio. Præerat, autem, ſicut res docuit, huic miraculo gratia Dei, & *quum Chriſti natiuitatem nec ipſa adhuc Bethlehem tota didiciſſet, iam illam credituris gentibus inferebat: & quod nondum poterat humano eloquio differi, cælo faciebat euangelizante cognoſci. (* cum)

Quamuis autem diuinę dignationis eſſet hoc munus, vt cognoſcibilis gentibus fieret natiuitas ſaluatoris, ad intelligendum tamen miraculum ſigni potuerunt Magi & de antiquis Balaam prænuntiationibus commoueri, ſcientes olim eſſe prędictum, & celebri memoria diffamatum; Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominabitur gentiũ. (Num. 24.) Tres itaq; viri, fulgore inſoliti ſyderis diuinitus incitati, præuium micantis luminis curſum ſequuntur, exiſtimantes ſe ſignatum puerum Hieroſolymis in ciuitate regia reperturos. Sed, cum eos hæc opinio fefelliſſet, per Iudæorum ſcribas, atque doctores, quod ſacra de ortu Chriſti pręnunciauerat ſcriptura, didicerunt, vt gemino teſtimonio confirmati, ardentiori fide expeterent, quem & ſtellæ claritas, & prophetiæ manifeſtabat authoritas. Prolato autem diuino oraculo per reſponſa pontificum, & declarata ſpiritus voce, quę dicit; Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iuda; Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael: (Mich. 5. Math. 2.) quam facilè, & quam conſequens fuit, vt Hebręorum proceres crederent, quod docebant? Sed apparet illos carnaliter cum Herode ſapuiſſe, & regnum Chriſti commune cum huius mundi poteſtatibus æſtimaſſe, vt & iſti temporalem ſperarent ducem, & terrenum metueret ille conſortem. Superfluo, Herodes, timore turbaris, & fruſtra in ſuſpectum tibi puerum ſæuire molitis. Non capit Chriſtum regia tua, nec mundi dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt contentus anguſtiis. Quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat, & felicius ipſe regnares, ſi eius imperio ipſe ſubderetis. Cur ſyncero officio non facis, quod ſubdola falſitate promittis? Perge cum Magis, & verum regem ſuppliciter adorando venerare. Sed tu Iudaicę ſectator cæcitatis, non imitaris gentium fidem, cõrque peruerſum ad crudeles conuertis inſidias, nec illum occiſurus, quem metuis, nec illis nociturus, quos perimis. Dedocti igitur, dilectiſſimi, in Bethlehem Magi ſtellę præcedentis obſequio, gauiſi

ſunt

ſunt gaudio magno valde, ſicut Euangeliſta narrauit; Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrhã. O perfectę ſcientiæ mirabilem fidem, quam non terrena ſapientia erudiuit; ſed ſpiritus ſanctus inſtituit! Vnde enim ij viri, cum proficiſcerentur de patria, qui nondum viderant Ieſum, nec aliquo contuitu eius, quod eum iam ordinatè venerarentur, aduerterãt, hanc deferendorum munerum ſeruauere rationem? niſi quia præter illam ſtellę ſpeciem, quę corporeũ incitauit obtutum, fulgẽtior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt, priuſquam labores itineris inchoarent, eum ſignari ſibi intelligerẽt, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confeſſio deberetur. Et hæc quidem, quãtum ad illuminationem fidei pertinebat, potuerunt illis credita, & intellecta ſufficere, vt corporali intuitu non inquirerent, quod pleniſſimo viſu mentis inſpexerant, Sed diligentia ſagacis officij, vſque ad videndum puerum perſeuerans, futuri temporis populis; & noſtri ſeculi hominibus ſeruiebat, vt, ſicut omnibus nobis profuit, quod poſt reſurrectionem domini veſtigia vulnerum in carne eius Thomæ Apoſtoli explorauit manus, ita ad noſtram vtilitatem proficeret, quod infantiam ipſius Magorum probauit aſpectus. Viderunt itaque Magi, & adorauerunt puerum de
Rom. 1. tribu Iuda, de ſemine Dauid ſecundum carnem,
Gal. 4. factum ex muliere, factum ſub lege, quam nũ ſol-
Matth. 5. uere venerat, ſed adimplere. Viderunt, & adorauerunt puerum, quantitate paruulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humanæ infantię generalitate diſſimilem. Quia, ſicut fidelia erant teſtimonia, quę in eo maieſtatem inuiſibilis diuinitatis aſſererent; ita probatiſſimum eſſe decebat verbum carnem factum, & ſempiternam illam eſſentiam filij Dei, hominis veram ſuſcepiſſe naturam, ne vel ineffabiliũ operum ſecutura miracula, vel excipiendarum ſupplicia paſſionum, ſacramentum fidei ex rerum diuerſitate turbarent, cum iuſtificari omnino non poſſent, niſi qui dominum Ieſum & verum Deum, & verum hominem credidiſſent. Huic ſingulari fidei, dilectiſſimi, & prædicatę per omnia ſecula veritati diabolica Manichæorum reſiſtit impietas: qui ſibi ad interficiendas deceptorum animas nefandi dogmatis ferale commentum de ſacrilegis, & fabuloſis mendaciis texuerũt, & per has inſanarum opinionum ruinas euſque præcipites proruerunt. vt ſibi falſi corporis fingerent Chriſtum, qui nihil in ſe ſolidum, nihil verum, hominum oculis, actibúſque præbuerit, ſed ſimulatę carnis vacuam imaginem demonſtrarit. Indignum enim videri volunt, vt credatur Deus Dei filius fœmineis ſe inſeruiſſe viſceribus, & maieſtatem ſuam huic cõtumelię ſubdidiſſe, vt naturę carnis immixtus, in vero humanę ſubſtantię corpore naſceretur, cum totum hoc opus non iniuria ſit ipſius, ſed potentia, nec credenda pollutio, ſed glorioſa dignatio. Si enim lux iſta viſibilis nullis immundiciis, quibus ſuperfuſa fuerit, violatur, nec radiorum ſolis nitorem, quem corpoream eſſe creaturam non dubium eſt, loca vlla ſordentia, vel cœnoſa cõtaminant, quid illius ſempiternæ, & incorporeæ lucis eſſentiam poruit qualibet ſui qualitate polluere? quæ ſe ei, quam ad imaginem ſuam condidit, ſociando creaturæ purificationem præſtitit, maculam non recepit: & ſic ſanauit vulnera infirmitatis, vt nulla pateretur dãna virtutis. Quod diuinæ pietatis magnum, & ineffabile ſacramentum, quia omnibus ſanctarum ſcripturarum teſtificationibus eſt nunciatum, iſti, de quibus loquimur, aduerſarij veritatis, legem per Moſen datam, & inſpirata diuinitus prophetarum oracula reſpuerunt, ipſáſque Euangelicas, & Apoſtolicas paginas, quædam auferendo, & quædam inſerendo violauerunt, confingentes ſibi ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis ipſius ſaluatoris, multa volumina falſitatis, quibus erroris ſui commenta munirent, & decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent. Videbãt enim ſibi vniuerſa obſiſtere, omnia reclamare, & non ſolum nouo, ſed etiam veteri teſtamento ſacrilegæ impietatis ſuæ dementiam confutari. Et tamen in furioſis mendaciis perſiſtentes, Eccleſiam Dei deceptionibus ſuis perturbare non deſinunt: hoc miſeris (quos illaqueare potuerunt) perſuadentes, vt negent à domino Ieſu Chriſtu humanam naturam verè eſſe ſuſceptam: negent eum verè pro mundi ſalute crucifixum: negent de eius latere lancea vulnerato ſanguinem redemptionis, & aquam fluxiſſe baptiſmatis: negent eum ſepultum, ac die tertia ſuſcitatum: negent eum in conſpectu diſcipulorum ad conſidendum in dextera patris ſuper omnes cælorũ altitudines eleuatum, & vt, tota Apoſtolici veritate Symboli ſublata,
nulla ſpes incitet ſanctos: negent à Chriſto viuos, *Agnoſcit*
& mortuos iudicandos, & quos tantorum ſacra- *Symbolũ ab*
mentorum virtute priuarint, doceant in ſole, & *Apoſtolis tra-*
luna colere Chriſtum, & ſub nomine ſpiritus ſan- *ditum.*
cti, ipſum talium impietatum magiſtrum adorare Manichæum. Ad confirmanda igitur, dilectiſſimi, corda noſtra in fide, & veritate proſit omnibus hodierna feſtiuitas, & ex teſtimonio manifeſtatæ ſaluatoris infantiæ confeſſio catholica muniatur, & naturæ noſtræ carnem in Chriſto negantium anathematizetur impietas, de qua nos beatus Ioãnes Apoſtolus non dubio ſermone permonuit dicens; Omnis ſpiritus, qui confitetur Chriſtum Ieſum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Nihil ergo cum huiuſmodi hominibus commune ſit cuiquam Chriſtiano, nulla cum talibus habeatur ſocietas, nullúmq; conſortiũ. Proſit vniuerſæ Eccleſiæ, quod multi ipſorum, domino miſerante, detecti ſunt, & in quibus ſacrilegiis viuerent, eorundémque confeſſione patefactum eſt. Neminem fallant diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuúmque palloribus. Non ſunt caſta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, ſed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuſerint imperitis, poſt hoc nullius excuſabilis erit lapſus: nec iam ſimplex habendus eſt, ſed valde nequam, atque peruerſus, qui deinceps repertus fuerit nefando obſtrictus errore. Eccleſiaſticum ſanè, atque diuinitus inſtitutum non ſolum non inhibemus, ſed etiam incitamus affectum, vt etiam pro talibus nobiſcum domino ſupplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu, & mœrore miſera-
mur, exequentes Apoſtolicæ pietatis exemplum, *2. Cor. 11.*
vt cum infirmantibus infirmemur, & cum flen- *Rom. 12.*
tibus defleamus. Speramus enim exorandam mi- *Legitima ſa-*
ſericordiam Dei multis lachrymis, & legitima ſa- *tisfactione la-*
tisfactione lapſorum, quia, dum hoc in corpore *pſorum Deus*
viuitur, *exoratur.*

[*Pſal. 145.*] viuitur, nullius deſperanda reparatio, ſed omnium eſt optanda correctio, auxiliante domino, qui erigit eliſos, ſoluit compeditos, & illuminat cæcos, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo 5.*

HOdiernam feſtiuitatem, dilectiſſimi apparitio domini, & ſaluatoris noſtri (ſicut noſtis) illuſtrat. Et hic ille dies eſt, quo ad cognoſcẽdum, [*Matt. 2.*] adorandúmque Dei filium tres Magos præuia ſtella perduxit. Cuius facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari, vt, dum Euangelica hiſtoria inceſſanter recenſetur, ſemper ſe intelligentium ſenſibus inferat ſaluiferum myſterium per inſigne miraculum, præceſſerant quidem multa documenta, quæ corpoream natiuitatem domini manifeſtis indiciis declararent: ſiue quum beata Maria virgo fœcundandam ſe ſpiritu ſancto, parituramque Dei filiũ audiuit, & credidit: ſiue quum [*Luca 1.*] ad ſalutationem ipſius in vtero Eliſabeth nõdum [*Ioan. 1.*] natus Ioannes prophetica exultatione commo- [*Luca 2.*] tus eſt, & quaſi etiam intra matris viſcera iam clamaret; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi: vel cum ortum domini angelo nunciante, paſtores cęleſtis exercitus ſunt claritate circundati, vt non ambigerent de maieſtate pueri, quem erãt in præſepe viſuri: nec putarent, quod in ſola natura hominis eſſet editus, cui ſupernæ militię famularetur occurſus. Sed hæc, atque alia huiuſmodi paucis tunc videntur innotuiſſe perſonis, quæ vel ad cognationem Mariæ virginis, vel ad ſancti Ioſeph familiam pertinebant. Hoc autem ſignum, quod Magos in longinquo poſitos & efficaciter mouit, & ad dominum Ieſum perſeueranter attraxit, illius ſine dubio gratiæ ſacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua nimirum non in Iudæa tantum, ſed etiam in toto mundo Chriſti erat Euangelium prædicandum: vt per illam ſtellam, quæ Magorum viſu ſplenduit, Iſraelitarum verò oculis non refulſit, & illuminatio ſignificata ſit gentium, & cæcitas declarata Iudęo- [*Matth. 2.*] rum. Permanet igitur, dilectiſſimi, [illegible] euidenter apparet, myſticorum forma geſtorum: & quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat nanque è cęlo ſtella per gratiam, & tres Magi coruſcatione Euangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiã ſummi regis accurrunt. Herodes in diabolo quoque fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in iis, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Vnde, ſi paruulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere: Quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordiis renatorum ſpiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere. Iudæi verò, qui extra regnum Chriſti eſſe voluerunt, adhuc quodammodo ſub Herodis ſunt principatu. Et, dominante ſibi ſaluatoris ini- [*Gene. 49.*] mico, alienigenæ ſeruiunt poteſtati, quaſi neſciant prophetatum, dicente Iacob; Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat, cui repoſita ſunt: & ipſe eſt expectatio gentium. Sed nondum intelligunt, quod negare non poſſunt, & mente nõ capiunt, quod ſcripturarum narratione nouerunt. Quoniam inſanis magiſtris veritas ſcandalum eſt, & cæcis doctoribus fit caligo, quod lumen eſt. Reſpondent itaque interrogati, quod in Bethlehẽ naſcitur Chriſtus, & ſcientiam ſuam, qua alios inſtruunt, non ſequuntur. Perdiderunt igitur placationem hoſtiarum, ſucceſſionem regum, locum ſupplicationum, & ordinem ſacerdotum: & quum omnia ſibi clauſa, omnia experiantur ſibi eſſe finita, non vident ea in Chriſtum eſſe tranſlata. Vnde quod illi tres viri vniuerſarum gentiũ perſonam gerentes, adorato domino, ſunt adepti, hoc in populis ſuis per fidem, quæ iuſtificat impios, totus mundus aſſequitur: & hæreditatem domini ante ſecula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur eſſe legitimi. Reſipiſce tandem, Iudæe, reſipiſce, & ad redemptorem tuum, depoſita infidelitate, conuertere. Non ſceleris tui immanitate terre- [*Matt. 9. Luca 23.*] ri. Non iuſtos Chriſtus, ſed peccatores vocat: Nec impietatem tuam repellit, qui pro te, dum crucifixus eſſet, orauit. Immitem crudelium patrum tuorum ſolue ſententiam, neque te eorum maledicto patiaris aſtringi, qui clamantes de Chriſto; San- [*Matth. 27.*] guis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, facinus in te ſui criminis transfuderunt. Redite ad miſericordem, vtimini clementia remittentis. Sæuitia enim veſtræ iniquitatis conuerſa eſt in cauſam ſalutis. Viuit, quem perire voluiſtis. Cõfitemini negatum, adorate venditum, vt vobis bonitas illius proſit, cui veſtra malignitas nocere non potuit. Quod ergo ad veram, dilectiſſimi, pertinet charitatem, quam etiam inimicis noſtris ex dominica eruditione debemus, & optandum nobis eſt, & [*Matth. 5.*] ſtudandum, vt hic populus, qui ab illa ſpiritali patrum nobilitate defecit, ramis ſuæ arboris inſeratur. Multum enim nos Deo beneuolẽtia iſta commendat: quia ideo delictum eorum nobis miſericordiæ locum fecit, vt eos ad æmulationem ſalutis recipiendæ fides noſtra reuocaret.] Nam vitam piorum non ſolum ſibi, ſed etiam aliis eſſe vtilem decet, vt, quod apud eos agi non poteſt verbis, obtineatur exemplis. Conſiderantes igitur, dilectiſſimi, ineffabilem erga nos diuinorum munerum [*Operum commendatio, ſine quibus ſalus non paratur.*] largitatem, cooperatores ſimus gratiæ Dei, operantis in nobis. Non enim dormientibus prouenit regnum cęlorum, nec ocio, deſidiáque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: ſed quia, ſi- [*Rom. 8. Ioan. 14.*] cut Apoſtolus ait; ſi compatimur, & conglorificabimur, illa nobis currenda eſt via, quam ipſe dominus ſe eſſe teſtatus eſt: qui nobis nullis operum meritis ſuffragantibus, & ſacramento contulit, & exemplo, vt in adoptionem vocatos per illud proueheret ad ſalutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor, dilectiſſimi, piis filiis, & bonis ſeruis non ſolum nec aſper nec oneroſus, ſed etiam ſuauis, & leuis eſt, dicente domino; Venite [*Matt. 11.*] ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Nihil ergo, dilectiſſimi, arduum eſt humilibus, nihil aſperum mitibus, & facilè omnia pręcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium. Intonãte enim quotidie auribus noſtris eloquio Dei, omnis homo, quid diuinæ iuſtitiæ placeat, ſcire cõuincitur. Sed, [*2. Cor 5.*] quia iudicium illud, quo vnuſquiſque recipiet, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, iudicaturi patientia, & bonitate differtur, impunitatem ſibi

iniquitatis

iniquitatis infidelium corda promittunt, & putãt humanorum actuum qualitates ad diuinæ prouidentiæ non pertinere cenſuram, quaſi non euidentiſſimis plerunque ſupplicijs male geſta plectantur, aut non ſæpe cæleſtium comminationum terror oſtendat: quibus vtique & fides monetur, & infidelitas increpatur. Inter hæc autem permanet ſuper omnes benignitas Dei, & nulli miſericordiã ſuam denegat, cũ indiſcretè vniuerſis bona multa largitur, eóſque, quos merito ſubderet pœnis, magis vult inuitare beneficiis. Dilatio enim vindictæ dat locum pœnitentiæ. Nec tamen dici poteſt, nulla ibi eſſe vltio, vbi nulla conuerſio eſt: quia mens dura, & ingrata iam ſibi ipſa ſupplicium eſt, & in conſcientia ſua patitur, quicquid Dei bonitate differtur. Non ita igitur delinquentes peccata delectent, vt illos in ſuis actibus vitæ huius finis inueniat. Quoniam in inferno nulla eſt correctio, nec datur remedium ſatisfactionis, vbi iam non ſupereſt actio voluntatis, dicẽte propheta Dauid; Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? Fugiantur noxiæ voluptates, inimica gaudia, & deſideria iam iámq; peritura. Quis fructus eſt, quę vtilitas, ea indeſinenter cupere, quæ etiam ſi non deſerunt, deſerenda ſunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad ſublimia vocatus animus cæleſtibus delectetur. Confirmate amicitias cum ſanctis angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius vobis ſpondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribúſque ſociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiſcite, & per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia. Cum quibus enim fuerit vobis conſortium deuotionis, erit & communio dignitatis, dum itaque tempus vobis ad mandata Dei exequenda conceditur, glorificate Deum in corpore veſtro, & lucete, dilectiſſimi, ſicut luminaria in hoc mundo. Sint lucernę mentium veſtrarum ſemper ardentes, & nihil reſideat veſtris in cordibus tenebroſum. Quoniam, ſicut ait Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate: impleatúrque in vobis, quod in trium Magorum imagine præceſſit. Et ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona, magnificent patrem veſtrum, qui in cęlis eſt. Sicut enim magnum peccatum eſt, cum inter gentes propter malos Chriſtianos nomẽ domini blaſphematur: ita magnum pietatis eſt meritum, cũ eidem in ſancta ſeruorum ſuorum cõuerſatione benedicitur. Cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſal. 6.

Sanctorum ambienda ſuffragia.
1. Cor. 6.
Philip. 2.
Luca 13.
Epheſ. 5.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo. 6.*

Dies, dilectiſſimi, quo primum gentibus ſaluator mundi Chriſtus apparuit, ſacro nobis honore venerandus eſt. Illa hodie cordibus noſtris concipienda ſunt gaudia, quæ in trium Magorum fuere pectoribus, quando regem cæli, & terræ ſigno, & ductu noui ſyderis incitati, quem crediderant promiſſum, adorauere conſpicuum. Neque enim ita ille emẽſus eſt dies, vt virtus operis, quæ tũc eſt reuelata, tranſierit, nihilque ad nos niſi rei geſtæ fama peruenerit, quàm fides ſuſciperet, & memoria celebraret, cum multiplicato munere Dei, etiam quotidie noſtra experiantur tempora, quicquid illa habuere primordia. Quamuis ergo narratio Euangelicæ lectionis illos propriè recenſeat dies, in quibus tres viri, quos nec prophetica prædicatio docuerat, nec teſtificatio legis inſtruxerat, ad cognoſcendum Deum à remotiſſima orientis parte venerunt, hoc idem tamen & manifeſtius nunc, & copioſius fieri in omnium vocatorum illuminatione perſpicimus, quoniam impletur prophetia Eſaiæ dicentis, Reuelauit dominus brachium ſanctum ſuum in conſpectu omnium gentium, & viderunt omnes gentes terræ ſalutem, quæ à domino Deo noſtro eſt. Et iterum, Et quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Vnde, cum cernimus homines mundanæ ſapientiæ deditos, & à Ieſu Chriſti confeſſione longinquos, de profundo erroris ſui reduci, & ad agnitionem veri luminis aduocari, diuinæ proculdubio gratiæ ſplendor operatur, & quicquid in cordibus tenebroſis nouæ lucis apparet, de eiuſdem ſtellæ radijs micat, vt mentes, quas ſuo fulgore contigerit, & miraculo moueat, & ad Deum adorãdum præeundo perducat. Si autem ſolicito intellectu velimus aſpicere, quomodo etiam triplex illa ſpecies munerum ab omnibus, qui ad Chriſtum greſſu fidei veniunt, offeratur, nonne in cordibus rectè credentium eadem celebratur oblatio? Aurum etenim de theſauro animi ſui promit, qui Chriſtum regem vniuerſitatis agnoſcit. Myrrham offert, qui vnigenitum Dei credit veram ſibi hominis veniſſe naturam. Et quodam eum thure veneratur, qui in nullo ipſum paternæ maieſtati imparem confitetur. His comparationibus, dilectiſſimi, prudẽter inſpectis, inuenimus etiam Herodis non deeſſe perſonam, cuius ipſe diabolus, ſicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefeſſus eſt imitator. Cruciatur enim vocatione gẽtium, & quotidiana poteſtatis ſuæ deſtructione torquetur, dolens vbique ſe deſeri, & verum regem in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit diſſenſiones, erumpit in cędes, & vt reliquiis eorum, quos adhuc fallit, vtatur, inuidia vritur in Iudęis, ſimulatione inſidiatur in hæreticis, ſæuitia accenditur in paganis. Videt enim inſu[…]bilem eſſe potentiam regis æterni, cuius mor[…]us vim mortis extinxerit, & ideo totam nocendi artem in eos, qui vero regi famulantur, armauit: alios per inflationem ſcientiæ legalis obdurans, alios verò in furorem perſequutionis inſtigans: alios per falſæ fidei commenta deprauans. Sed hanc Herodis iſtius rabiem ille vincit, & deſtruit, qui etiam paruulos martyrij * palma coronauit: & fidelibus ſuis tam inuictam indidit charitatem, vt Apoſtoli verbis audeant dicere; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum eſt; Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Hanc fortitudinem, dilectiſſimi, non illis tantum temporibus neceſſariam fuiſſe credimus, quibus reges mundi, & omnes ſeculi poteſtates, cruenta impietate in Dei populum ſæuiebant, quum ad maximam pertinere gloriam ſuam ducerent, ſi de terris nomẽ Chriſtianum auferrent, neſcientes Eccleſiam Dei per furorem ſuæ crudelitatis augeri: quoniam in ſupplicijs, & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur

Eſaiæ 53.

Eſaiæ 52.

* gloria.

Rom. 8.

tabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Denique tantum contulit fidei noſtræ impugnatio perſequentium, vt nihil magis regium ornet principatum, quàm domini mundi membra ſunt Chriſti: nec tam gloriantur, quod in imperio geniti, quàm gaudent, quod in baptiſmate ſunt renati. Sed quia tempeſtas priorum turbinum conquieuit, & dudum ceſſantibus prælijs, quędam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cauenda ſunt illa diſcrimina, quæ de ocio ipſius pacis oriũtur. Aduerſarius tamẽ, qui in apertis inefficax perſequutionibus fuit, tecta nocendi arte deſæuit, vt quos non perculit ictu afflictionis, lapſu deiiciat voluptatis. Videns itaque ſibi reſiſtere principum fidem, & vnius deitatis inſeparabilem Trinitatem non ſegnius in palatiis, quam in Eccleſiis adorari, interdictã dolet ſanguinis Chriſtiani effuſionem, & quorum obtinere non poteſt mortes, impetit mores. Terrores proſcriptionum in auaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Malignitas enim lõgo vſu propriæ imbuta nequitiæ, non depoſuit odium, ſed vertit ingenium, quo ſibi mentes fidelium blandius ſubdat. Inflammat enim concupiſcentiis, quos non poteſt vexare tormentis; ſerit diſcordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda ſe reuocent, conſummãdorum ſcelerum ingerit facultates: quia illi totius fraudis hic fructus eſt, vt qui immolatione pecudum, & thuris incenſione non colitur, quibuſlibet ei criminibus ſeruiatur. Habet igitur, dilectiſſimi, pax noſtra pericula ſua, & fruſtra de fidei libertate ſecuri ſunt, qui vitiorum deſideriis non reſiſtunt. Cor hominum de operum oſtenditur qualitate, & formas mentium ſpecies detegit actionum. Nam ſunt quidam, ſicut ait Apoſtolus, qui Deum profitentur ſe ſcire, factis autem negant. Verè enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in ſono vocis auditur, in conſcientia non habetur. Fragilitas enim humanæ conditionis facilè in delicta prolabitur. Et quia nullum ſine delectatione peccatum eſt, cito acquieſcitur deceptoriæ voluptati. Sed à carnalibus deſideriis recurratur ad ſpiritale præſidium, & mens habens notitiam Dei ſui, à conſiliis ſe maleſuadi hoſtis auertat. Proſit illi patientia Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non ſit peccator de impunitate ſecurus, quia, ſi tempus pœnitentiæ amiſerit, locum indulgentiæ non habebit, dicente propheta; Quia nõ eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis cõfitebitur tibi? Qui autem ſibi correctionis reparationem experitur eſſe difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, & vincula malæ conſuetudinis ab illo poſcat abrumpi, qui alleuat omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Non erit vacua confitentis oratio, quoniam miſericors Deus voluntatem timentium ſe faciet, & dabit, quod petitur, qui dedit vnde peteretur, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Fruſtra fidem iactat, qui operibus caret.

Ad Ti. 1.

Pſal. 6.

Pſal. 144.

EIVSDEM IN EADEM *ſolennitate. Sermo. 7.*

MEmoria rerum ab humani generis ſaluatore geſtarum, magnam nobis, dilectiſſimi, confert vtilitatem, ſi quæ veneramur credita, ſuſcipiamus imitanda. In diſpenſationibus enim ſacramentorum Chriſti, & virtutes ſunt gratiæ, & incitamenta doctrinæ: vt quem confitemur fidei ſpiritu, operum quoque ſequamur exemplo. Nam etiam ipſa primordia, quæ Dei filius per matrem virginem naſcendo ſuſcepit, ad prouectum noſtræ pietatis inſtituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in vna, eademque perſona, & humana humilitas, & diuina maieſtas. Quem cunæ teſtantur infantem, cælum, & cæleſtia ſuum loquuntur autorem. Puer corpore paruus, mundi rector, & dominus: & genetricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his noſtrorum vulnerum eſt curatio, & noſtræ deiectionis erectio: quia niſi in vnum tanta diuerſitas conueniret, reconciliari Deo humana natura non poſſet. Legem ergo viuendi remedia nobis noſtra ſanxerunt: & inde data eſt moribus forma, vnde mortuis eſt impenſa medicina. Nec immerito, cum tres Magos ad adorandum Ieſum noui ſyderis claritas deduxiſſet, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem, non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua diuinarum virtutum actione viderunt: ſed puerum ſilentem, quietum, & ſub matris ſolicitudine conſtitutum in quo nullum quidem appareret de poteſtate ſignum, ſed magnum præberetur de humilitate miraculum. Ipſa itaque ſpecies ſacræ infantiæ, cui ſe Deus Dei filius aptarat, prædicationem auribus intimandam, oculiſque gerebat: & quod adhuc vocis nõ proferebat ſonus, viſionis iam docebat effectus. Tota enim victoria ſaluatoris, quæ & diabolũ ſuperauit, & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Diſpoſitos dies ſub perſecutione inchoauit, & ſub perſequutione finiuit, nec puero tolerantia paſſionis, nec paſſuro defuit manſuetudo puerilis: quia vnigenitus Dei ſub vna maieſtatis ſuæ inclinatione ſuſcepit, vt & homo vellet naſci, & ab hominibus poſſet occidi. Si igitur omnipotens Deus cauſam noſtram nimis malam, humilitatis priuilegio bonam fecit, & ideo deſtruxit mortem, & mortis autorem: quia omnia, quæ perſequutores intulere, non renuit, ſed obediẽs patri crudelitates ſæuientium mitiſſima lenitate tolerauit, quantum nos humiles, quantum oportet eſſe patientes, qui ſi quid laboris incidimus, nunquam niſi noſtro merito ſuſtinemus? Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut mundum ſe eſſe à peccato? & dicente beato Ioanne, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: quis inuenietur ita immunis à culpa, vt in eo non habeat vel iuſtitia quod arguat, vel miſericordia quod remittat? Vnde tota, dilectiſſimi, Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, ſed in vera, & voluntaria humilitate conſiſtit: quam dominus Ieſus Chriſtus ab vtero matris vſque ad ſuppliciũ crucis, pro omni fortitudine & elegit, & docuit. Nam, cum diſcipuli eius intra ſe, vt ait Euangeliſta, diſquirerent, quis eorum maior eſſet in regno cælorum, vocauit paruulum, & ſtatuit eum in medio eorum, & dixit; Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cęlorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut puer iſte, hic maior erit in regno cælo-

1. Ioan. 1.

Luce 22.

Matth. 18.

rum. amat Chriſtus infantiam, quam primum ſuſcepit, & animo & corpore. Amat Chriſtus infantiam, humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum. Vt autem pleni valeamus agnoſcere, quomodo apprehendi poſſit tam mira conſeſſio, & in puerilem gradum qua nobis imitatione redeundum ſit, doceat nos beatus Paulus, & dicat; Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Non ergo ad lubrica infantiæ, & imperfecta nobis primordia redeundum eſt, ſed aliquid, quod etiam graues annos deceat, inde ſumendum eſt, velox commotionum tranſitus, citus ad pacem recurſus. Nulla ſit memoria offenſionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor ſociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum eſt, nocere non noſſe, & ad maligna non ſapere: quia inferre, ac referre iniuriam, mundi huius prudentia eſt: nemini autem *Rom.12.* malum pro malo reddere, Chriſtianæ eſt æquanimitatis infantia. Ad hanc vos, dilectiſſimi, ſimilitudinem paruulorum myſterium hodiernę feſtiuitatis inuitat, & hanc vobis humilitatis formam adoratus à Magis puer ſaluator inſinuat, qui vt imitatoribus ſuis quid gloriæ pararet, oſtenderet, ortus ſui tempore editos, martyrio conſecrauit, vt in Bethlehē, vbi Chriſtus natus eſt, geniti, per communionem ætatis conſortes fierēt paſſionis. Ametur igitur humilitas, & omnis à fidelibus vitetur elatio. Alter alterum ſibi præferat, & nemo, quod eſt ſuum, quærat, ſed quod alterius, vt, cum in omnibus abundauerit affectus beneuolentiæ, in nullo virus inueniatur inuidiæ, quoniam qui ſe exal-
Luca 14. tat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur:
Luca 16. eodem ipſo teſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN EADEM *ſolemnitate, Serm. 8.*

CAuſam, dilectiſſimi, & rationem ſolennitatis hodiernæ ſæpe vobis & Euangelica narratio, & obſeruantiæ conſuetudo patefecit: nec neceſſe eſt ita nunc, quæ inter ſaluatoris noſtri primordia humana ſunt geſta, replicari, vt de ſplendore noui ſyderis, de Magis, Magorúmque muneribus, de ſęuitia Herodis, & interfectione infantium, diſſeramus, cum, ſicut noſtis, & in ſtellę fulgore Dei gratis, & in tribus viris vocatio gentium, & in rege impio crudelitas paganorum, & in occiſione infantium, cunctorum martyrum forma præceſſerit. Sed quia in ſacratiſſimo die reddendum expectationi veſtræ eſt ſacerdotalis ſermonis officium, nitamur, vt poſſumus, adiuuante ſpiritu Dei, eo per intelligentiæ ſemitas peruenire, vt cognoſcamus ſacramentum præſentis feſti ad omnium fidelium tempora pertinere: nec vllo modo habeatur inſolitum, quod in diſpenſationum ordine adoratur antiquum. Quamuis ergo omnis anima Chriſtiana nihil indignum habeat de filij Dei maieſtate ſentire, & tranſcenſis incipientis fidei rudimentis, oporteat vnumquenque ad ſublimiora proficere: neceſſe eſt tamen infirmitatem mentis humanæ, dum verum hominem accipi Chriſtum, de ipſa naturæ noſtræ communione trepidare, & per initia, vel incrementa corporea ad agnitionem vnius cum patre deitatis difficiliter accedere: ſed vbi inter caligantes cogitationes radius ſupernæ lucis refulſerit, cunctantes fidei moras ſplendor veritatis abrumpat, vt cor liberum, & à viſibilibus abſolutum, lumen intelligentiæ tanquam ducem ſtellam ſequatur: quia, ſicut Apoſtolus ait, dominus *Philip.2.* Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. quē vt venerabatur in cunis humiliter iacentem, ipſum ſine diffidentia adoret cum patre regnantem. Hæc autem manifeſtatio, dilectiſſimi, quæ hæſitantium nebulas diſſoluit animarum, & ita facit innoteſcere Dei filium, vt de hoc, quod idem eſt etiam hominis filius, nihil patiantur obſtaculi, ad præſentis feſti pertinet dignitatem, & vera eſt infantia ſaluatoris, declaratio deitatis, quando carnis ſenſus ab humanis ad diuina transfertur, vt, quos deprimūt experimenta infirmitatum, erigant ſigna virtutum. Quia tali auxilio & natura noſtra indigebat: & cauſa, vt reparare genus humanum, nec ſine maieſtate poſſet humilitas, nec ſine humilitate maieſtas. Iam verò cum in ſingulorum fidelium profectibus diuinorum elucet cuſtodia mandatorum, impletúrque quod dictum eſt; Sic luceat lux ve- *Matth.5.* ſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt: quis illic non pręſentem intelligat maieſtatem, vbi veram videt apparere virtutem? quæ vtique ſine Deo nulla eſt, nec proprietatem obtinet dignitatis, niſi ſpiritu ſui vegetetur autoris. Dicēte enim diſcipulis ſuis domino; Sine me nihil poteſtis fa- *Ioan 15.* cere, dubium non eſt, hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Vnde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium *Philip.2.* cohortator, cū timore, inquit, & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate. Et hæc ſanctis cauſa eſt tremendi, atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratię, & remaneant in infirmitate naturę. Qui autem experiri cupit, an in ipſo Deus habitet, de quo dicitur; Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: ſyncero exa- *Pſal.67.* mine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat, qua humilitate reſiſtat ſuperbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidię, quam non capiatur adulantium linguis, quámque bonis delectetur alienis, an pro malo non cupiat malum reddere, malitque iniulias obliuiſci iniurias, quàm imaginem, & ſimilitudinem ſui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem ſui generalibus incitans *Matth.5.* donis, pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Ac ne in multis laboret ſolicitæ diſcretionis inſpectio, ipſam matrem virtutum omnium charitatem in ſecretis ſuę mētis inquirat: & ſi in ea dilectionem Dei, & proximi toto corde intentam repererit, ita vt etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi, quiſquis huiuſmodi eſt, Deum & rectorem, *2.Cor.10.* & habitatorem ſui eſſe non dubitet: quem tanto *Luca 17.* magnificentius recipit, quanto magis non in ſe, ſed in domino gloriatur. Quoniam quibus dicitur; Regnum Dei intra vos eſt: ad nihil non illius aguntur ſpiritu, cuius reguntur imperio. Scientes *1.Ioan.4.* igitur, dilectiſſimi, quoniam charitas Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus, ſectamini charitatem, ita vt in vnum caſtæ dilectionis affectum, vniuerſorum fidelium corda cōcurrant. Tranſeuntia

oos,

nos, & vana non occupent: conſtanti deſiderio ad ea, quæ ſunt ſemper manſura, tendamus. Sacramentum enim præſentis feſti oportet in nobis eſſe perpetuum. Quod vtique ſine fine celebrabitur, ſi in omnibus actibus noſtris dominus Ieſus Chriſtus appareat, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

S. FVLGENTII EPIſcopi Ruſpenſis in eodem feſto Sermo.

NOſtis fratres Chariſſimi, quia dies iſte, qui nobis in honorem domini per annos ſingulos celebratur, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabiliter nuncupatur. Et quia Græcum probatur eſſe vocabulum, multis latinis eſt incognitum. Inde eſt quod nomen iſtud omnes quidem latini dicunt, ſed non omnes inueniuntur poſſe quod dicunt. Proinde bonum eſt vt cuncti, qui diem hodiernum Epiphaniam nuncupant, & cur hoc dicatur ignorant, ſacramentum diei huius nominis interpretatione cognoſcant, debet enim diei huius ſolemnitas à fidelibus celebrari, & ideo ſolennitatis cauſa non debet ignorari. Huius ergo diem, ſicut diximus, Epiphaniam vocat Chriſtiana religio. Epiphania vero interpretatur manifeſtatio. Traditum autem tenemus à patribus, quod vnigenitus Deus, poſtquam eſt ſecundum carnem temporaliter natus, in iſto die eſt Magis venientibus manifeſtatus, à quibus oblatis muneribus, ſupliciter eſt adoratus. Nam quia ipſe eſt Deus, qui
Exo.23.19. 34. ſibi in veteri teſtamento primitias offerri mandauit: idem Deus homo natus, gentium primitias ſuo cultui dedicauit. Apoſtolica vero teſtatur authoritas, quia vnus eſt Deus qui iuſtificat circuncіſionem ex fide, & preputium per fidem: Circunciſionis nomine Iudæos, præputij nomine gentes indubitanter oſtendens. Iſti ſunt duo parietes, qui ex diuerſo venerunt, & in lapidem, qui factus eſt in caput anguli, in vnitatem fidei conuenerunt. Vnus paries venit ex Iudæis, alter ex gentibus. Longe à ſe diuerſi erant, quando diuerſa credebant: Poſitus eſt in medio lapis angularis, qui ad ſe vtrumque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet: eſſentq; vnum communione vocabuli, qui fierent in vna gratia ſacramenti: per Chriſtũ enim qui eſt pax noſtra, faciens vtraque vnum, Iudæi & gentiles facti ſunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Chriſtiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterque paries venit, & vtrum angulum fidei vnitas fecit. Horum duorũ parietum vnus adductus eſt, quando paſtoribus Iudęis Chriſtũ natum angelus nunciauit: alter paries adductus eſt, quando gentilibus Magis nouum ſidus apparuit, illi fuerunt primitiæ Iudæorum, iſti facti ſunt primitiæ gentium. Illi de proximo adducti, iſti de longinquo reducti. Prope enim erant Iudæi qui Deum colebant. Longe erant gentes quæ idolis ſeruiebant. Hoc vtique ſignificabant paſtores, qui naſcente Chriſto, propè ſunt inuenti; & Magi, qui ſunt de longinquis partibus adducti. Qui tamen venientes, cum ipſi Iudæi non eſſent, regem Iudæorum ſe quærere profeſſi & ad ipſum adorandum ſe veniſſe dixerunt. Ait enim Euangeliſta, Quia Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Quid eſt dulciſſimi fratres, vt iſti Magi regem Iudæorum adorandum quærerent, cum ipſi Iudæi non eſſent? Et quem regem? Vtiq; non Herodem, ſed Chriſtum. Volunt adorare regem nuper natũm, nec adorant regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactãtem, nec adorant regem populis imperantem. Nam & de Herode rege Iudęorũ filij iam fuerunt nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim iſto Herode, Archelaus in Iudæa regnauit, & Galliææ principatum iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus eſt in palatio, Chriſtus in diuerſorio. Archelaus natus eſt in lecto argenteo poſitus: Chriſtus autem natus, in præſepio eſt breuiſſimo collocatus. Ille forſitan pretioſis eſt inuolutus ſericis: iſtę viliſſimis inuolutus eſt pannis. Et tamen ille natus in palatio contemnitur: iſte natus in diuerſorio quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur: iſte inuentus ſuppliciter adoratur. Omnino ſpernitur primogenitus regis, & muneribus honoratur primogenitus paupereulæ mulieris. Quis eſt iſte rex Iudæorum? Pauper & diues, humilis & ſublimis. Quis eſt iſte rex Iudæorum, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus? Paruulus in prężepio, immenſus in cælo, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis, cuius natiuitate comperta, Herodes turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cũ illo. Quid eſt, quod ſic turbaris Herodes? Quoniam natum regem Iudæorum audiſti, turbaris, ſuſpicionibus agitaris, inuidiæ ſtimulis inflammaris: & ob hoc occidere conaris? Inanis eſt iſta turbatio tua, & vana proſus cogitatio tua. Rex iſte qui natus eſt, nõ venit reges pugnando ſuperare, ſed moriẽdo mirabiliter ſubiugare. Nec ideo natus eſt, vt tibi ſuccedat: ſed vt in eum mũdus fideliter credat. Venit ergo, non vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus. Nec vt ſibi de aliis gentibus auro exercitum quærat, ſed vt pro ſaluandis gentibus pretioſum ſanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuiſti ſucceſſorem, quem credendo debuiſti quęrere ſaluatorem. Quia ſi in eum crederes, cum eo regnares. Et ſicut ab illo accepiſti temporale regnum, acciperes etiam ſempiternum, huius enim pueri regnum non eſt de hoc mundo, ſed per ipſum regnatur in mundo: Ipſe eſt enim ſapientia Dei, quæ dicit in Prouerbiis: Per me reges regnant. Puer iſte verbum Dei eſt. Si potes contra Dei ſapientiam, cogita. In tuam perniciem verſaris, & neſcis. Tu enim regnum nullatenus habuiſſes, niſi ab iſto puero, qui nũc natus eſt, accepiſſes. Puer, qui nũc à Magis dicitur rex Iudæorum, idem creator eſt & dominus angelorum. Quapropter, cuius times infantiam naſcentis, magis timere debes omnipotentiam iudicantis. Noli ergo eum timere regni tui ſucceſſorem: ſed time infidelitatis tuæ iuſtiſſimum damnatorem. Vtinam cum Magis adorantibus, etiam tu pariter adorares, & non Magos ad eum fraudulenta calliditate mandares. Ite inquit, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. O calliditas ficta: O incredulitas impia: O nequitia fraudulenta: Si adorare iſtum puerum certiſſime diſponebas, quare pro illo multos pueros occidebas? Sanguis innocentũ quem crudeliter effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti. Et tamen non ſolum iſtum puerum non inueni-

ſti, imo, inſcius, quod illis proderat, hoc egiſti. Per ſæuitiam quippe tuam facti ſunt martyres, qui per infantiam ſuam fuerant innocentes. Quando per gratiam huius pueri pro eo meruerũt mori, priuſquam eum poſſent coram hominibus confiteri. Iſte itaque puer, qui mundum creauit, qui mundum regit, qui omnia quæcunque vult facit, qui cuncta mirabili atque inſuperabili ordine diſponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furioſam, illi pueri mortẽ ſuſciperent pretioſam. Et quod eis ad ſalutem ſuam præſtare non poſſet amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo permiſit te infantes occidere, vt illos de te faceret triumphare. Te ergo permiſit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam. Vnus enim idemque eſt dominus omnipotens, qui paruulus vagiens vnus idemque eſt, qui tuam crudelitatem dignatus eſt fugere, cuius maieſtatem non potes effugere. Fugit enim non formidine humana, ſed diſpenſatione diuina. Fugit non neceſſitate, ſed poteſtate. Ideo autem dignatus eſt in Ægyptum fugere, vt poſtea crucem dignaretur aſcendere. Et illa poteſtate puer latuit in Ægypto, qua poteſtate iuuenis pependit in ligno. Vnus enim idemque eſt mortis ſuſceptor, vitæque largitor: vnus idemque immortalis ex patre, mortalis ex matre, propria poteſtate moriẽs, propria poteſtate reſurgens. Iſte itaque puer qui natus eſt, ideo non inuenitur in numero paruulorum morientiũ, quia ipſe eſt expectatio gentium. Sanguis huius pueri propterea non cũ iſtorum ſanguine funditur puerorum, quia ſolus in remiſſionem fundendus eſt peccatorum. Et illi omnes pueri inaniter morerentur, niſi huius ſanguine ſaluarentur. Et iſte quidem puer certiſſimè morietur, quia ſi mori nollet, nullatenus naſceretur. Morietur autem nõ vt impleat ſæuitiam tuam: ſed vt perficiat manſuetudinem ſuam: faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non vt infidelis regnet in ſæculo: ſed vt ſecum faciat regnare fideles in cælo. Morietur, non vt regnum amittat: ſed vt regnaturos acquirat. Morietur, non vt perdat breuem vitam: ſed vt conferat ſempiternam. Morietur, non vt ſeruus iniquitatis: ſed vt dominus maieſtatis. Morietur, non vinculo neceſſitatis, ſed propoſito voluntatis. Morietur mirabiliter, morietur miſericorditer, morietur ſingulariter, morietur per propriam poteſtatem, vt ſuam in omnibus adimpleat voluntatem. Ad hoc enim miſericorditer morietur, vt reſurgens cunctis gentibus dominetur. Morietur ergo ſicut vnus, & quidem quem Deum hominem concepit fides virginis, & Deum hominem peperit fœcunditas virginalis. Si neſcis veram huius pueri deitatem, attende ſtellam in cælo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus oſtendentem. Hæc ſtella nunquam ante apparuit, quia nunc eam puer iſte creauit, & Magis ad ſe venientibus præuiam deputauit. Iſte puer in præſepi quidem paruulus collocatur, ſed magnus in cælo mirabiliter operatur. Permittit ſe manibus in terra portari, ſed præcipit ſibi cæleſtia famulari. Quid eſt ergo quod infantilem attẽdis ætatem, & eius diuinam non intelligis poteſtatem? Sic fuit veraciter intimanda pueri huius naturalis diuinitas, & naturalis humanitas, vtraque naturaliter vera, vtraque vnita, nec in ſe inuicem confuſa, nec à ſe inuicem ſeparata. Ipſum enim habuit Maria filium de ſe natum, cui ſtella debitæ ſeruitutis exhibuit famulatum. Ipſum eundemque Maria in Bethlehem dominum hominem peperit, quem, ſtella Magis in Oriente poſitis nunciauit. Magi ergo venerunt, & filium virginis vnum eundemque dominum hominem cognouerunt. Denique attende, quid obtulerunt: & agnoſce quid crediderunt. Refert enim Euangeliſta, quia intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes, adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, thus, aurum & myrrham. Per iſta tria munerum genera, in vno eodemque Chriſto & diuina maieſtas, & regia poteſtas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad ſacrificiũ, aurum pertinet ad tributum, myrrha pertinet ad ſepulturam mortuorũ. Omnia ſancta fides Chriſto veraciter offerre non deſinit: dum vnum eundémque verum Deum, verum regem, verúmque hominem credidit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoſcat. In oblatione thuris, confunditur Arrianus: qui ſoli patri ſacrificium offerri debere contendit. In oblatione myrrhę confunditur Manichæus: qui Chriſtum verè mortuum pro noſtra ſalute non credit. In auro verò ſimul vterque confunditur: quia & Manichæus de ſemine Dauid ſecundum carnem natum non credit Regem, & Arrianus Deo vnigenito naturalem aſſignare nititur ſeruitutem. Proinde vterque non experietur regem, à quo per fidem regatur, ſed à quo pro infidelitatis crimine puniatur: quia ab vno diuinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In iiſdem muneribus cõfunditur etiam Neſtorius, qui nititur Chriſtum in duas perſonas diuidere, cum videat Magos, non alia deo, & alia homini, ſed vni deo homini eadem munera obtuliſſe ſuppliciter. Non ergo diuidatur in perſonis, qui non inuenitur diuiſus in donis. Propterea quippe vnus idemque iſtis muneribus honoratur, vt vnus idemque Deus & homo cognoſcatur. Iſta Magorum oblatio confundit etiam Eutychetis inſaniam: qui non vult in Chriſto, vtramque veram prædicare naturam. Veritatem quippe iſtorum munerum tollit, dum in Chriſto vnam naturam prędicare contendit. Nos itaque, dilectiſſimi fratres, offeramus Chriſto indubitanter in fide quod Magi obtuliſſe cognoſcuntur in munere: vt veræ humanitatis diuinitatíſque confeſſio, ipſa ſit apud Chriſtum fidelis oblatio. Hæc munera cum Magis vnanimiter offeramus, & ad regionem ſanctorũ tota cordis deuotione tendamus. Nec teneamus viam veteris vitæ, ſed diuinis mandatis humiliter obſequentes, viam mutemus, & in qua pręcepit dominus ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi ſine fine cum ipſo domino gaudeamus. Via enim hominis eſt vita eius. Qui male viuit, viam tenet erroris: qui bene viuit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat caſtitatis: Qui viam tenebat auaritiæ, viam teneat miſericordiæ: qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis: Ambulemus bene per fidem, vt perueniamus ad ſpeciem, vbi plenum erit gaudium noſtrum, quia implebitur in nobis deſiderium noſtrum, Per eum qui viuit & regnat in ſecula ſęculorum. Amen.

HILARII ARELATENſis Epiſcopi, *de eodem feſto, & de infantibus quos Herodes interfecit. Hom. I.*

PRoximè natalem domini ſaluatoris exegimus, quo nobis natus in tempore eſt omnium ſeculorum, ac temporum anteceſſor, & conditor, Hodie verò per documẽta certiſſima Deus in homine declaratus eſt, ſiue quòd ſtella de cælo ortus ſui nuntium præbuit, quam ſtupentibus Magis vſque ad ſuſceptæ infantiæ veneranda cunabula præuiam fecit ſiue: quòd in Iordanis alueo aquas omnibus gẽtibus ad ſalutem humani generis ſuo baptiſmate conſecrauit, eas enim ille, omnibus aquis purior, non tam ſanctificandus quàm ſanctificaturus intrauit: ſiue hæc eadem illius miraculi dies ſit qua primum in Cana Galilææ in conuiuio nuptiali aquas in vinum conuertit. Quo miraculo quid indicat? hoc vbique quòd gentes vniuerſas ſenſu vaniſſimo, ac leuiſſimo defluentes inuitaturus eſſet ad vini prudẽtię ſpiritalis ſaporem, & ad miram fidei veritatem. Quolibet horũ trium ſalutis noſtræ myſteria cõtinentur & gaudia. Nobis enim vel ex virgine natus eſt, quod ſtella monſtrauit, nobis vel ex baptiſmo renatus eſt, quod Iordanis alueo conſecrauit. Nos quoq; in melius eſſe mutãdos operis miraculo prefigurauit, quando aquas in vinum cõuertit. Ipſi autem Magi, qui ad illa cæleſtis pueri veneranda cunabula peruenerunt, quid aliud expreſſerunt in illis muneribus, niſi fidem noſtram? in eo enim quòd tria offeruntur, trinitas intelligitur: in eo verò quòd tres vni, & ſinguli ſingula offerunt, in trinitate vnitas declaratur, Per aurum, rex oſtenditur: Deus thure agnoſcitur, per myrrham, quæ condiendis eſt apta corporibus, ſepultura crucifigendi hominis prædicatur. Secundum hæc chariſſimi, nos quoq; perſonam Magorum ſpiritalibus imitemur obſequiis. In primis tam diu quæramus Chriſtum, donec illum inuenire mereamur. Ducatum nobis præbeat, velut ſtella, lux fidei. Hæc illum nobis oſtendat, non iam in præſepio vagientem, ſed in ſumma cæli arce dominantem: nec in matris gremio, ſed in ſolio patris adorandum: nec vlterius in humilitate iudicandum, ſed ad iudicium cum maieſtate venturum. Sit quaſi trium munerum oblatio, trinitatis perfecta confeſſio. Credatur à nobis vnitas ſine confuſione coniuncta, trinitas ſine ſeparatione diſtincta, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, vnus Deus credatur. Tres perſonæ, ſed non tres ſubſtantiæ. Interrogemus autem ipſa initia naſcentis hominis, quæ conſecuta ſunt, & inueniemus inter ipſa cunabula ſigna ac teſtimonia diuinitatis. Naſcente ergo domino conterretur Herodes & omnis Hieroſolyma cũ illo. Quid mirum, ſi pietate naſcente, perturbetur impietas? velit nolit, Chriſtum regem fatetur, quando ſe ab eo regno putat eſſe pellendum. Ecce iacentem in præſepio, pertimeſcit armatus: contremiſcit humilem rex ſuperbus, & abiectam infantiam, ac vagientem expaueſcit ætatẽ, obuolutum in pannis metuit purpuratus, cum ſimulatione alloquitur Magos: *ite, inquit, requirite de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Simulabat adorare ſe velle, quem conabatur occidere: ſed non timet veritas falſitatis inſidias. Quàm cæca feritas? credebat quòd comprehendere Deum fraudibus poſſet. Ecce cuius terra & cælum oſtendebat aduentum, qui paſtorum non latebat ſimplicitatem, quem Magi de extrema venientes Æthiopiæ parte cognoſcunt: ſolus ad illum non poteſt rex ſacrilegus peruenire. Fallitur ergo ſtulti furor tyranni: Chriſtum non poteſt inuenire perfidia. Deus non crudelitate ſed credulitate quærendus eſt: muneribus promerendus eſt, orationibus inquirẽdus. Nos ergo imitemur Magos, ſi Deum noſtrum volumus inuenire. In primis offeramus tria munera trinitati: ſit nobis ignitum, & probatum aurum, fides pura, atque pretioſa. Cui aurũ defertur, rex probatur. Thus, quoque diuinis ſacrorum altaribus ſit nobis agnitio diuinitatis. Cui thus cæleſtibus dicatum ſacrificiis exhibetur, Deus eſſe cognoſcitur. Myrrha verò ſepeliendis, & condiendis apta corporibus, ſit nobis confeſſio humanitatis, & mortis. Ergo dum myrrha defertur, morituri ſepultura prædicatur. Deceptus itaque rex Herodes, mittit in Bethleem & in omnes fines eius, vt interficiantur pueri à bimatu & infra. Occidũtur pro Chriſto paruuli: pro iuſtitia moritur innocẽtia. Quam beata ætas! necdum Chriſtum poteſt eloqui, & iam pro Chriſto meretur interfici: nondũ opportuna vulneri, & iã idonea paſſioni. Quàm fœliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obuiam venit! Incurrunt quidẽ inter ipſa principia acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis: ſed de ipſo protinus fine, capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, ſed fœliciter moriuntur ad vitam: vixdum deguſtauerant præſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram, nondum ingreſſi infantiæ cunas, iam perueniunt ad coronas: rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed redduntur gremiis angelorum. Nihil ergo proficis ferociſſimæ impietatis audacia: potes martyres facere, Chriſtum non potes inuenire. Putabat ſe infœlix tyrannus domini ſaluatoris aduentu regali ſolio detrudendum, ſed non eſt ita. Non ad hoc venerat Chriſtus vt alienam inuaderet gloriam, ſed vt ſuam donaret: nec vt regnum terreſtre præriperet, ſed vt cæleſte conferret: non inquam venerat ad poteſtates, dignitatéſque rapiendas, ſed ad contumelias & iniurias perferendas. Non ad hoc venerat vt ſacrum illud caput ad diadematum gemmam, ſed vt ad coronam ſpineam præpararet. Non inquam ad hoc venerat vt conſtitueretur ſuper ſceptra magnificus, ſed vt crucifigeretur illuſus. Agnoſcimus itaque Magorum munera, myſteria eſſe fidelium. Illud quoque quòd per aliam viam regreſſi ſunt, intelligamus vtilitati ac ſaluti noſtræ peculiarius conuenire. Vitæ enim immutatio, vitæ intelligitur emendatio. Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem: quando ſuperbiam, ſuſcepta humilitate, deponimus: quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus: quando veteres voluptates, & conſuetudines priſtinas, ac deſideria antiqua damnamus. Ad viam vtique aliam de errore tranſimus, quando vniuerſas cõcupiſcentias, honeſtatis, ac paupertatis amore calcamus: quando caſtitate luxuriam ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextro tramite iter ſpiritale conficimus. Neſcio autẽ, chariſſimi; cur nobis vitiorum, ac ſuperbiæ itinera aſpera, & confragoſa magis

placeant, cùm magis humilium viæ molles, planæ, atque directæ ſint. vbi enim eſt humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis ſerenitas. Dum enim ipſa ſibi placet atque pacata eſt, etiamſi qua tribulatio, ſi qua tempeſtas oborta, nihil erectum, nihil ſublime, nihil oppoſitum inuenit, vbi illidat impetum ſuum. Si quid itaque ex aduerſo irruerit, totum poſt ſe humiliata fronte tranſmittit. Quælibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur ac vincitur, ſicut in planis litoribus ſine aliquo fragore vnda conſumitur, autatum motus, ferociámque ventorum, montium obiecta ſuſcipiunt, vallium verò ſubiecta nō ſentiunt. At verò è contrario, viæ ſuperborum plenæ ſunt offendiculis, plenæ prærupiſſimis præcipitiis: quia vbi eſt ſuperbia, ibi eſt indignitas, ibi animoſitas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iā ei ante iudicij diem iuſta damnatio tribuatur, & improbæ quęque mentes in ſemetipſis habeant pœnam ſuam; probabiles, & emendatæ in ſemetpſis inueniant refectionem, vel remunerationem ſuam. Non eſt itaque, chariſſimi, cur interdum domini noſtri famulatū intolerabilem pronunciemus: ſecundum vel lenitatem, vel duritiam morum noſtrorum, qualem animum habuerimus, tale ſuper nos iugum domini ſentiemus. Nemo itaque dominicum onus eſſe intolerabile conqueratur. Qui duri eſt animi, qui cordis eſt aſperi, ipſe ſibi fecit durum, atque aſperum iugum Chriſti, & verè graui premitur ſarcina mens ſubiugata peccato: onus verò domini ſcit releuare, neſcit opprimere. Quod ſi leue, ac iocundum eſſe volumus, per vias priſtinas non ambulemus, ſed potius hanc arctam, & anguſtam, cuius finis in latitudinem beatitudinis introducit, hæc viatorem ſuum ad illum vſque perducit, qui eſt via, & veritas, & vita. Certum eſt enim, quia Chriſti carpimus vias: certum eſt, quòd relicto itinere terreno, iter ſpiritale conficimus, quādo obedientia & humilitas mentis gubernaculum moderantur, quādo, terrenis cupiditatibus repudiatis, ſpes futurorum illuminatam occupat mentem: quando illam bonorum cæleſtium pulchritudinē cordis ima ſuſpirant. Per ſalutiferas inquam, gradiuntur vias, quando anima, damnatis omnibus præſentiū rerum voluptatibus, id potius cogitat, quādo ſepoſitura ſit tabernaculum corporis ſui, rurſúmque illud reſurrectionis tempore receptura, vt cum eodem recipiat, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, cum puriſſimis angelorum conſpectibus offerēdi æterno iudici, rationem ſumus de liberis conſcientiis reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum eſt in die illa ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi animam in cordis ſpeculo demonſtrandam, & teſtes contra eam non de foris aliunde, ſed intus de ipſa anima proferendos. Obiicienda erunt non aliqua peregrina, ſed nimium nota teſtimonia, id eſt, opera ſua, ordinabuntur ante illam omnia facinora ſua, vt eam & conuincat probatio, & confundat agnitio. Quicunq; ſe modo, dum licet, emēdare neglexerit, ante illum cæleſtem populū primum excepturus erit de confuſione ſuppliciū. Quæ cum ita ſint, bene nobiſcū ageretur, ſi iam nunc ſic pœniteremus ſuper malis noſtris, quomodo tūc ſine remedio pœnitebimus, ſi fœditates & confuſiones noſtras quemadmodum tunc viſuri ſumus, ſic eas iam nunc videre, & horrere poſſemus. O ſi iam nunc vultum illum animæ liceret vultu corporis intueri, & conſcientię noſtræ faciem in oculorum præſentiā permitteremus adducere. Quod ſi liceret, nec dici poteſt quanto ſtudio, quantoque metu vrgeremur fœda componere, maculata tergere, vulnerata curare. ideoq́ue quia nō poſſumus oculis corporis, inſpiciamus nos, inquantum poſſumus, oculis cordis. vnuſquiſque conſcientias noſtras ante conſpectum interioris hominis conſtituamus: ipſi noſmetipſos quotidie caſtigemus, ipſi nobiſcum rationem de quotidiana conuerſatione faciamus, alloquatur ſe in ſecretis cordis vnaquæque anima, & dicat, videamus, ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi: videamus ſi hodie aliquid quod ad profectum meū, quod ad ædificationem aliorum pertinet operatus ſum: porò quod hodie mentitus ſum, peieraui, ira vel concupiſcentia victus ſum, nec alicui benefeci, nec pro timore æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem, quam in vanis perdidi, quam in cogitationibus noxiis peſſimiſque conſumpſi? Ac ſic, fratres, de omnibus negligentiis noſtris compungamur in cubilibus, id eſt, in cordibus noſtris, ipſi nos condēnemus, ipſi nos accuſemus quotidie iudici noſtro, & dum in hac carne ſumus, contra ipſam quotidie dimicemus. Vincamus voluptates, & intentiones noſtras, dum veniat tempus illud expectatiſſimum, ac beatiſſimum, in quo nobis ad ſeruiēdum Deo noſtro nulla iam obſiſtat infirmitas, nulla cōtradicat miſeræ carnis aduerſitas, nulla vlterius remaneat pugnandi neceſſitas. Veniet inquam tempus illud, quando nulla iam deſideretur cibi ſomniue refectio, nulla ſentiatur ieiunij laſſitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoſte tentatio: ſed aduerſario in inferni profunda contruſo, perfruemur hac primum fœlicitate, vt incipiamus nec velle vltrà peccare, nec poſſe. Ceſſante omni iniquitate, omni miſeria, omni mœrore: totum innocentia, totum lætitia, totum fœlicitas poſſidebit. Nullam inferior miſeriam, nullam fœlicior timebit inuidiam: quia exinanita, & penitus extincta omni malignitate, trāſibit in pectora hominum charitas angelorum: quibus admixti homines iam cœleſtes, recepta carne, ſine carnis infirmitate fulgebunt: & ideo nullum vlterius patientur de ſempiterna domini ſeruitute faſtidium, nullum ſub perenni laudum ſuarum exultatione defectum: habebimus plenam beatitudinem inter ipſa immenſa beneficia Dei noſtri, vt nunquam in referenda ei gratiarum actione laſſemur, cohæredes effecti eius qui regnat in æternum.

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. in ſuperius Euang. De Epiphania, & Magis. Serm. 1.

QVoties ſalutaribus ſuccis contra lethales morbos antidotum temperat peritia præcauta medicorum, ſi præter artem, præter medicinam, pręter tempus accipere pręſumat ęgrotus, fit periculi cauſa, quod promiſſum eſt ad ſalutem: ſic Dei verbum, ſi pręter magiſterium, pręter doctrinam, pręter dogma fidei, ſcire temerarius pręſumat auditor, quod eſt vitę materia, fit perditionis occaſio. Quęrendū eſt, fratres, ne per audiendi imperitiam, quod ad profectum nobis diuinitus ſcriptum eſt, ad animarum veniat detrimentum. Ser. 156.

Notent, qui absque magiſtris ſacras literas tractare audent.

Putáſne

Putáſne Chaldęos, ſiderum ſcrutatores, errantes per aſtra magos, cęli negotia in tenebris noctium perquirentes, naſcendi, moriendi cauſas ſtellarum curſibus aſcribentes, bona, maláve hominum de arbitrio luminarium firmantes, Euangeliſta hodie ortum Chriſti abſconditum ſęculis, ſtella duce, docuit inueniſſe? Abſit. Sic ſentit mundus, ſic gentiles intelligunt, ſic fallit ſpecies lectionis: cęterùm ſermo Euangelicus non humana loquitur, ſed diuina, non vſitata, ſed noua, non arte fallentia, ſed veritate ſubnixa, non oculis alludentia, ſed cordibus infixa, non coniecturis nutantia, ſed auctoritate firmata à Deo venientia, non à fato, non collecta numeris, ſed virtutibus acquiſita. *Cùm natus eſſet Ieſus*, inquit, *in Bethlehem Iuda, &c.* Cum naſcitur Ieſus, oritur origo rerum, generatur largitor generis, naſcitur auctor naturæ, vt repararet naturam, genus redderet, originem recrearet. Adam primus homo, pater generis, origo generationis, naturæ bonum, libertatem generis, & germinis vitam ſic perdidit, dum deliquit, vt malum naturæ, ſeruitutem generis, germinis mortem ſucceſſio lamentanda portaret. Hinc eſt, quòd Chriſtus naſcendo, naturam reddidit, tulit moriendo mortem, vitam reuocat, dum reſurgit: &, qui homini animam dederat de cælo, inde hominem fecit & carne conſtare, ne terrena labes cæleſtem ſenſum rùrſum carnis demergat in lapſum, dicente Apoſtolo; Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis; qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cęleſtis, tales & cæleſtes. Et Ioannes Euangeliſta; Omnis, qui ex Deo natus eſt, non peccat, ſed generatio Dei ſeruat illum. Hinc eſt ergo, quòd naſcitur Chriſtus, vt iacentem in terreno germine cæleſtem tolleret ad naturam. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda.* Bethlehem, fratres, Hebraicè domus panis vocatur. His ergo vocabulis Iudæ ſignatur domus, genus vocatur, vt promiſſionis fides, prophetiæ veritas impleatur, dicente Iacob; Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ ſupra dorſum inimicorum tuorum; adorabũt te filij patris tui. Et poſt; Non deficiet Princeps ex Iuda, nec Dux ex femoribus eius, donec veniat cui repoſita ſunt, & ipſe expectatio gentium. Vnde & Dauid: Iuda Rex meus. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis.* Quid eſt, quòd tempore Regis nefandi Deus deſcendit ad terras, miſcetur diuinitas carni, fit terreno corpori cæleſti commercium? Quid eſt, quòd quando non verus Rex expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, inſtauraturus orbem, libertatem redditurus aduenit, Herodes refuga gentis Iudaicę inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, prophanauit ſancta, confudit ordinem, quicquid diſciplinæ, quicquid cultus eſt, aboleuit: merito ergo genti ſanctę, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt, & ad eſt, Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet. Sic iterum Chriſtus veniet, vt Antichriſtum ſubruat, liberetur orbis, Paradiſi patria reddatur, mũdi perpetuetur libertas, ſęculi ſeruitus tota tollatur. *Ecce magi ab Oriente venerunt.* Ab Oriente ad orientẽ veniunt magi, vt ſuſciperet venientes ipſe, qui iuſſerat vt venirent: quando enim Deum magus, niſi, Deo iubente, perquireret? quando regem cæli, niſi reuelante Deo, Aſtrologus inueniſſet? quando vnum Deum ſine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cælo Diis totidem, quot ſideribus ſeruiebat? Plus cæleſte de Magis, quàm de ſtella ſignum eſt: * quòd Iudæi Regem, quòd legis auctorem magus ſcit, neſcit Iudęus; Chaldęa defert, nõ defert Iudęa; Hieroſolyma auerſatur, & refugit, Syria ſequitur, & adorat. *Vidimus ſtellam eius.* Et quid tamen eſt, quod videtur? Verè, ſicut dixit Apoſtolus, Cùm eſſet diues, pauper factus eſt, cùm eſſet in deitate ſua diues, noſtra fit pauper in carne; & habere cœpit ſtellam vnam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam. *Vidimus ſtellam eius.* Aliquando videt magus: qui habet ſtellam, non habetur à ſtella: nec ipſe agitur curſu ſtellæ, ſed ipſe ſtellæ agit curſum: cuius per cælũ ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, vt magorum ſeruiat, & mittatur ad greſſum: nam, ambulante mago, ſtella ambulat: ſedente mago, ſtat ſtella; mago dormiente, excubat ſtella: ſic ſentit magus, vt quibus viandi par conditio eſt, par ſit neceſſitas ſeruiendi: & ſtellam iam non Deum credit, ſed iudicat eſſe conſeruam, quam cernit taliter ſuis obſequiis mancipatam. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Dicendo non interrogant, ſed inſultant, quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant, ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſeruum domino non occurriſſe cauſantur. Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc humanę demonſtrationis officium, quibus ad hoc cęli ſydera ſeruiebant? Quo illis lucerna templi, quibus cęli ſidus mirabile perlucebat? *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Hoc eſt dicere; Cur Rex Iudęorum in pręſepe iacet, & non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, ſed ſqualet in pannis? Cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? Recceperũt iumenta in pręſepe, quem in domo ſua recipere vos ſpreuiſtis. Agnouit, ſicut ſcriptũ eſt, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus pręſepe domini ſui: tu autẽ, Iſrael, tuum dominum non quęſiſti. *Vidimus ſtellam eius.* Apparuit ſtella non volens, ſed iuſſa, non cęli nutu, ſed diuinitatis impulſu; non lege ſiderum, ſed nouitate ſignorum; non cæli climate, ſed virtute naſcentis; non ab arte, ſed à Deo; non Aſtrologi ſcientia, ſed præſcientia conditoris; non Arithmetica ratione, ſed ſanctione diuina, ſuperna procuratione, non curioſitate Chaldęa: non arte magica, ſed Iudaica prophetia. Sic, vbi vidit magus humanas periiſſe curas, ſuas defeciſſe artes, mundanę ſapientię exinanitos labores, omnium ſudores obriguiſſe ſectarum, totius Philoſophię theſauros eſſe vacuatos, fugiſſe paganam noctem, opinionum nebulas concidiſſe, ipſas dęmonum * detuliſſe vmbras, ſtellam non vt cometem incircunfuſo crine occultare, quod nunciat, obſcurare, quod lucet, ſic dicit; Fax eſt, vt & te nouo radio, ſignifero lumine, ſplẽdore certo radiare videam illic natum regem, pręter mundi legem, pręter carnis ordinem, pręter humanam monſtres naturam. Sic, depoſito errore, ſequitur, cùrrit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat: quia non per ſtellam, non per artem, ſed per Deum, Deum ſe inueniſſe, humana miratur in carne. Ergo, fratres, lectione pręſenti non eſt firmatus error magicus, ſed ſolutus.

Sed ſufficiant iſta hodie; vt per Deum, quę ſunt in ſequentibus, clarè eluceſcant.

Hoc eſt, nõ terrena ſubſtantia.

Coloſſ. 15.

Ioan. 5.

Gen. 49.

Pſal. 39.

Non proprie intellige mixtionem hanc.

** Videtur vacare, quod Iudai regẽ, vel certe reſpondens mẽbrum deeſſe.*

2. Cor. 8.

Iſaia 1.

** forte, defeciſſe.*

EIVSDEM DE EISDEM,

Sermo 2.

Ser. 157. DOminicæ feſtiuitates cauſas ſuas ſuis vocabulis eloquuntur: nam, ſicut naſcendo Chriſtus diem dedit natalẽ, & reſurgendo reſurrectionis diem dedit, ſic lumine ſignorum diem ſuæ illuminationis oſtendit. Qui enim naſcendo antè humano corpore ſe velauit, poſteà operando ipſe ſe cæleſti reuelauit arcano: pòſt Deus ipſe apparuit trino modo, qui homo in partu paruit ſingularis. Meritò ergo ſolennitas præſens epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit deitas, quæ noſtra nobis obſcurabatur in carne. Iſta eſt, fratres, iſta eſt feſtiuitas, quę concepta tempore diuerſo, peperit tria deitatis inſignia. Per epiphaniam Magi Chriſtum Dominum muneribus myſticis confitentur, & cultores ſiderum, noctis incolæ, auctorem lucis c… uſis inueniunt in tenebris: vt ſit hoc auctoris gratia, non ſit hoc induſtria ſic quærentis, non ſit ſtellæ, ſed Dei, ſit creatoris donum, non ſit beneficium creaturæ, nõ ſit humanæ artis, muneris ſit diuini. *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Vidimus ſtellam eius. Et quid non eius? Stella eius eſt, nõ ille ſtellæ. *Stellam eius.* Quæ accepit eſſe, ſed non dedit: ſtellam, cuius ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris. *Stellam eius.* Venientem non à geneſi, ſed à genitore, mandato, nõ fato, non à computatore, ſed ab auctore, non quæ daret ortum, ſed quæ ſuſtineret occaſum. Stellam nõ legiferam, ſed ſigniferam, ferentem nõ dierum ordinem, ſed noctium lumen. Stella hæc miniſtra viæ, non vitæ, comes magorum, non cognata Chriſti, non dominantis domina, ſed ancillula ſeruorum, Sed dicat aliquis; Quare Magi? Quare per ſtellam, ſi cum ſtellis cum origine nulla cauſa eſt, nulla ratio cum natura? Quare Magi? Quare ſtella? Vt per Chriſtum ipſa materia erroris ſic fieret ſalutis occaſio; quemadmodum per Chriſtum mortis cauſa, cauſa facta eſt vitæ. Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis. Apud magos in culpa erat ignorantia, non voluntas; & erat in crimine non ſtudium, ſed error. Quęrere Deum, & neſcire quęrere, neceſſitas magis eſt, quam reatus. Fuit ergo pium, vt & Deus inuenire ſe quærentibus daret, & culpam deputaret errori. Denique Paulus iudicio tali de perſecutore factus eſt prædicator: quia per zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat. Hinc eſt, quòd fides currit ad Paulum, perfidia ad ignorantiam recurrit. Sed adhuc dicit auditor; Eſto quòd ſtella, non nutu proprio, ſed Dei iuſſu oſtenderit viam quærentibus Magis: vnde tanta munerum ſcientia myſticorum? vnde donorum ſacramenta tanta? Non Chaldæa arte, ſed de priſca ſanctorum traditione maiorum: erant iſti de genere Noë, de filiis Abrahæ, qui Chriſtum naſci per Deum didicerant, nõ per artem, cúmque hominé, Deum, Regem, moriturum alto cognouerant ſacramento. Hinc eſt, quòd apta patrum fides munera portauerunt, vt aurum Regi, incẽſum Deo, morituro myrrham ſciẽter offerrent, talique munere & pietati ſatisfacerent, & honori. Sed de
Ioan. 2. Magis iſta ſufficiant. Per epiphaniam Chriſtus in nuptiis aquas ſaporauit in vinum, vt Chriſtum nuptiis interfuiſſe, virtutis fuerit, non voluptatis, non fuerit humanitatis, ſed poteſtatis, ſigni fuerit cauſa, non ventris, ebrietatis non fuerit apparatus, fuerit deitatis oſtenſio. Denique, vbi aqua mutauit naturam, mox patefecit auctorem, & elementorũ creator mutatione reuelatus eſt creaturę. Fœlices nuptiæ, fœlices illæ, quibus Chriſtus eſt præſens, nõ luxu, ſed virtutibus cõſecrantur. Quid ibi non trãſiuit in gratiam, vbi aqua tranſiuit in vinũ?
Per Epiphaniã Chriſtus Iordanis alueũ baptiſma *Matth. 3.*
noſtrum conſecraturus intrauit, vt, quos naſcẽdo in terra ſuſceperat, hos renaſcendo releuaret in cęlum; in ſe haberet liberos, quos præter ſe viderat eſſe captiuos; faceret vitales ipſe, quos culpa fecerat eſſe mortales; perpetuos redderet, quos mors dederat temporales; & quos diabolus exules fecerat terrenorum, hos ipſe in cœleſtibus ſibi faceret eſſe conſortes. Hinc eſt, fratres, quòd ſpiritus ſanctus tunc toto ſe fudit illapſu, quando pater de cę-
leſtibus clamat; Hic eſt filius meus dilectus: vt, *Matth. 3.*
quibus in creandis nobis operatio fuerat vnà cum filio, vnà fieret de noſtra reparatione dignatio, ſicque Chriſtus diuerſo tempore vno, eodemque die magorum munere, aquæ mutatione, atque paterna voce Deus trino teſtimonio noſceretur, heretque de trina oſtenſione Chriſti Epiphanię vna, & ſacrata ſolennitas.

EIVSDEM DE EISDEM

Sermo. 3.

SÆpè quærimus, quare ſic mundum Chriſtus *Ser. 158.*
intrat, vt ventris experiatur anguſtias, partus patiatur iniuriam, ſuſtineat vincula pannorum, cunabula toleret imbecilla, lachrymis vberum nutrimẽta diſquirat, ætatum gradus, neceſſitatéſque perſentiat. Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? Natura docet omnes quid valeat, quid mereatur infantia. Infantia quam barbariem non vincit, quam non feritatem mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non compeſcit furorem, quam non poteſtatem deponit, quem non inflectit rigorem, quam duritiam non reſoluit, quid non amoris expoſtulat, quid non affectionis extorquet, quam non imponit gratiam, quam non impetrat charitatem! Hoc ita eſſe, ſciunt patres; matres ſentiunt, probant omnes; viſcera humana teſtantur. Sic ergo naſci voluit, qui amari voluit, non timeri: & tamen apud malitiam humanam ſic blanda, ſic pia, ſic chara, audite quid proficit infantia. *Audiens,* inquit, *Herodes Rex, turbatus eſt, &c.* Si Hieroſolyma, ſi Rex, ſi Scribæ, ſi Principes ſacerdotum ad Chriſti ſic turbantur infantiam; quid iſti facerẽt, Chriſtus perfectum mox in hominem ſi veniſſet, ſi fultus diuitiis, & multitudine, ſi cum ſuſpectis, ſi cum extraneis? Quid, nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi, nil parenti; ſed, vt audiunt natum; parant naſcenti mortem, innocentis dolos, ſceleris pio, nudo gladios, ſoli milites, vagienti necem, pœnam parenti; &, vt vis miſceatur ſanguinis, crudelitas acerba cunabulis, bella indicit, vbera telis vrget, clypeos illidit gremiis; quatenus humanam, diuinámque ſobolem antè ſepulchrum faciat intrare, quàm mundum. Eſto, quòd Herodes Rex amore regni, ſucceſſoris timore, coactus ſit tabe moliri: quare Hieroſolymæ, quare Principes, quare Scribæ? Quare? Quia naſci non vult prophanus Deum, ſeruus dominum, iudicem reus,

reus,rebellis principem, perfidus cognitorẽ. Hieroſolyma varia ſe contaminatione perfuderat, ſacerdotes prophanauerant ſancta, & peccata vendentes,in quæſtum veniam,pietatémque conuerterant, Scribæ doctrinam cæleſtem, ſcientiam ſalutarem,vitale magiſterium, in ſuum ſenſum, in perfidiæ lapſum,in lethale vaniloquium commutarant. Hinc eſt,quòd Chriſtum nolunt naſci, viuere timent,quia nouerãt ſe mox ignominiæ dandos,trahendos opprobriis,eiiciendos templo,priuandos Sacerdotio, oblationum munere vacuandos. Semel enim cupiditate flammati, capti pompa,vitiis ſauciati, vanitate ebrij, madefacti luxu, quia de correctione nil cogitare poterant, de venia nil ſperabant. Bonus villicus quando copioſum fructum continuo labore conquirit, venire dominum ſuum ad luctum ſuum cupit, ſuum cõcupiſcit ad gaudium: diligens operarius quando opus ſuſcepti laboris impleuerit, vt mercedẽ percipiat, patrem familiàs deſiderat aduenire: deuotus miles poſt conflictum,poſt victoriam,præſentiam regis optat, vt præmiis ſudores, & vulnera remuneratione compenſet; ſic ad palmam ſuam cupit venire Chriſtum, qui bella mundi indefeſſa virtute proſternit: ſic Chriſtum venire non vult, qui ſuperatus illecebris ſæculi de pœna trepidat, de venia nil præſumit. Fratres,faciamus bona; declinemus à malis; fugiamus vitia; virtutes ſequamur; diſſimulemus præſentia; futura cogitemus; noſtrum petamus ad regnum; noſtram veniamus ad palmam; optemus ad gloriam; tendamus votis omnibus ad coronam. Sed ad illa ſermo, quæ ſunt in ſequentibus,iam recurrat. *Tunc Herodes*, inquit, *clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ,&c.* Occultè vocat Magos, quia palàm nil audet ſimulata mens,conſcientia doloſa. Occultè vocat Magos,quia fur amat noctem, latro in occulto tẽdit inſidias. Diligenter inquirit tempus ſtellæ;ſed cùm timet regno, ſignum cæli non timet,temporis non pertimeſcit auctorem. Quid turbaris,Herodes? Quid es tantum de ſucceſſore ſollicitus? Cui ſidera militant,terreno imperio non tenetur. *Ite, & interrogate diligenter de puero, &c.* Herodes, magus adorare iuſſus eſt,non deferre; teſtati venit ille,non prodere;videre illi datum eſt,tibi non datum eſt inuenire. *Ite, & interrogate.* Quaſi Magos ſemel interrogare non ſufficit. Interrogantibus non pie,datum eſt ſine pietate reſponſum: ſalutis nuncius male audientibus cõuerſus eſt in ruinam. Contumax ſeruus audit natum dominum,ſed domino naſcenti parat laqueos,non honorem, mortem præparat,vt careat ſeruitute. Sed, quia nec finiri Deus,nec perire ſalus, nec vita poterat interire,permanet in honore dominus, ſeruus remanſit in crimine:& ad pœnã trahitur,qui ad obſequium venire contempſit:capitur ad ſententiam, qui ad gratiam noluit peruenire. *Ite, & interrogate diligenter de puero,& cùm inueneritis,renunciate mihi.* Conuenienter dixit, *renunciate mihi*, quia ſemper diabolo renunciat,qui peruenire feſtinat ad Chriſtũ. Chriſtianus futurus à ſacerdote cum audit;renuncias diabolo? Reſpondet, renuncio. Propriè ergo Herodes à Magis ſibi renunciare debere dicit, qui ſe diaboli ſciebat tenere locum, ſatanæ nouerat implere perſonam. *Vt & ego veniens adorẽ eum.* Vult mentiri,ſed non poteſt:veniet, vt ad tormẽta curuetur,ad ſupplicia iaciatur, ſternatur ad pœnam, qui adorare finxerat,vt ſæuiret. Sed Magi, vbi Iudaicæ perfidiæ nubila tranſierunt,& in Chriſtianę fidei ſereno renident, quam viderant ſtellam, ipſa præuia, ipſa duce, ad ortus dominici locum ſacratiſſimum peruenerunt. *Et, apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, Aurũ, Thus, & Myrrham.* Aurum Regi,Thus Deo, morituro Myrrham, dominicæ deuotioni offerunt, ſcientiæ theſauros maximos in poſterum credituris:ſic ad ſua per innocẽtiæ viam redeunt, qui iter Herodianæ fraudis calcauerunt in ruinam.

EIVSDEM IN EODEM

Sermo.4.

ANte hos dies,id eſt,diem octauum Calendarum huius,quo creſcere dies cœpit,quia dies *Ser.154.* verus illuxit, in carne natum dominum Chriſtum Ieſum in Euangelio ſcriptum facile recolunt, qui *Luc 2.* legerunt, vel qui aurem legentibus præbuerunt. Iſraelitici paſtores ſuper gregem ſuum vigilantes, angelis nunciantibus,cognouerunt: hodie in eadem carne manifeſtatum gentiles Magi curioſa ſectantes,ſignis indicantibus, inuenerunt:illis ortum dominicæ natiuitatis annuncians locuta eſt vox ſpiritualium miniſtrorum,iſtis ſtella tanquam lingua cælorum. Dicunt illi ad quos ſæpius Prophetæ miſſi fuerant; Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt ad nos: dicunt iſti, quibus nullus vnquam locutus fuerat Prophetarum, & ſciſcitantes interrogant: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Accedunt ergo illi de proximo, hi veniunt de longinquo, vtrique tamen ad vnum, eundémque fidei locum,qui deuotione conueniunt: ibique Regem Chriſtum appoſitum ante duo Prophetica illa iumenta, duorum videlicet populorum, typum, figurámque geſtantia intuentur, admirantur, agnoſcunt. Agnouit enim bos poſ- *Eſa.1.* ſeſſorem ſuũ,& aſinus præſepe domini ſui. Agnouit enim bos Iudæus, iugo legis excuſſo: agnouit & aſinus paganus, ſtultitiæ feritate depoſita: ille deſerens ſuperfluum obſeruationis laborem; hic relinquens vagum ſuperſtitionis errorem. Vterque agnouit, quia vterque ad vnum præſepe domini epulaturus acceſſit, epulaturus non fœnum mortis,ſed cibum ſalutis. Edite, edite, pia animalia,æternæ vitæ cibaria:& perpetuæ retributionis eſcam auidis,quantum poteſtis,faucibus occupate, non diuidentes in fruſta, ſed integrum, ſolidúmque ſumentes. Non poteſt enim edi Chriſtus, & diuidi:integer à credentibus ſumitur;integer in ore cordis recipitur. Verbum enim caro factum *Ioan.1.* eſt,& habitauit in nobis:habitauit,ex quo vterum Virginis dignanter impleuit. *Obtulerunt illi, vt ſcriptum eſt, Aurum, Thus, & Myrrham.* Nos fidei Thus longinquæ regionis, nos proximæ confeſſionis Myrrham boni odoris, nos ſuaueolentia dona charitatis: tria namque iſta offerimus, quando Chriſtum,& Regem, & dominum, & hominem confitemur: ſed in ſpiritu, & veritate adoremus Chriſtum,ſi ei munera fidei,& confeſſionis obtulimus: & nos ſicut illi Magi, qui ſunt fidei noſtræ duces, credulitatiſque principes, commoniti in ſomnis, id eſt,in hac vita, quæ ſomno eſt ſimilis, illuſo Herode Rege,id eſt, diabolo huius mundi Principe,per aliam viam,id eſt,per alteram vitam,

ad

ad illam noſtram patriam reuertamur, de qua per Adam eiecti infœliciter ſumus, per Chriſtum verò miſericorditer nunc reducti.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 1.

QVamuis in ipſo dominicæ incarnationis ſacramento affuerint clara ſemper diuinitatis inſignia, Deum tamen veniſſe in humanum corpus multis modis aperit, & reuelat hodierna ſolennitas, ne perdat per ignorātiam ſemper obſcuritatibus inuoluta mortalitas, quod tantum tenere meruit, & poſſidere per gratiam. Nam, qui nobis naſci voluit, à nobis noluit ignorari: & ideo ſic aperit, ne magnum pietatis ſacramentum magni fieret erroris occaſio. Hodie magus, quem fulgentem quærebat in ſtellis, in cunis reperit vagientem. Hodie magus clarum miratur in pānis, quem diu in aſtris patiebatur obſcurum. Hodie magus quid vbi videat profundo ſtupore peruoluit, in terra cælum, in cælo terram, in Deo hominem, in homine Deum, & vniuerſo ſæculo non capacem concludi corpore perpuſillo. Vnde magus, quia ſcrutari valet, capere non poteſt, mox adorat: videt enim non ſic lucere in cælo ſtellas, lunam, ſolem, qualiter illuxiſſe carnem contemplatur in terris: videt in vno, eodémque corpore diuinitatis, & humanitatis conueniſſe commercium. Hic dum credit Deum, ſentit Regem: intelligit humani generis amore moriturum, & pauida cogitatione pertractat: quēadmodum poſſit mori Deus, qualiter poſſit vitæ reſtitutor occidi. Ac ſic magus ceſſat arte quærere, quod arte non poteſt inuenire: & quia ſe in cælo diu cum aſtris errantibus videt erraſſe, gaudet in terra ſe ad Deum ducatu vnici ſideris perueniſſe: & deprehendit magus cuncta, quæ videntur in cælo, humanis clara oculis, profundis eſſe obſcurata myſteriis. Iámque videns credere ſe, & non diſcutere myſticis muneribus confitetur, Thure Deum, Auro Regem, Myrrha eſſe moriturum. Thure Deum, Auro regē, vt enim diuitijs placaret obſequio, quem curioſo, & importuno inceſſerat, & offenderat inſtituto: atque implet illud, quod multi de ſpadone ex Æthiopia ſuſpicantur. Æthiopia præueniet manus eius Deo. Videt Chriſtum magus, Iudæum præueniens manibus ſuis; quia, quando Chriſtum Iudæus Herodi ſcelere prodebat, tunc magus Deum Chriſtum muneribus fatebatur. Hinc eſt, quòd gentilis, qui erat nouiſſimus, factus eſt primus: quia tūc ea magorum fide eſt gentium credulitas dedicata, & Iudæorum eſt notata crudelitas. Hodie Chriſtus Iordanis alueum mundi peccatum lauaturus intrauit: ad hoc eum veniſſe Ioannes ipſe teſtatur; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hodie ſeruus dominum, homo Deum, Ioannes Chriſtum tenet: tenet accepturus veniam, non daturus. Hodie, ſicut ait Propheta, Vox domini ſuper *Pſal. 28.*
aquas. *Math. 3.* Quæ vox? Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hodie vox Dei ſuper aquas, quia pater Deus, vt probaret generis fidem, ipſe ſui teſtis filij, ipſe aſſertor aſſiſtit. Hic eſt filius meus dilectus, quia alterum, qui teſtimonium diceret non habebat, arcanum patris arbitrum non habebat, teſtem generatio neſcit diuina, diuinitas externam non recipit motionem: ipſo filio dicente; Nemo nouit filium, niſi pater, neque patrem *Math. 11.* quis nouit, niſi filius. Hodie ſpiritus ſanctus ſupernatat aquis in ſpecie columbæ, vt ſicut illa columba Noe nūciauerat diluuium diſceſſiſſe mundi; *Gen. 6.* ita iſta indice noſceretur perpetuum mundi ceſſaſſe naufragium: neque, ſicut illa veteris oliuæ *Pſal. 44.* ſurculum portaret, ſed totam in caput parentis noui chriſmatis pinguedinem fundit, vt impleat illud, quod Propheta prædixit; Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Hodie dominus ſuper aquas. Bene ſuper aquas, & non ſubtus aquas: quia Chriſtus baptiſmati ſuo non ſeruit, ſed imperat ſacramentis. Hodie Deus maieſtatis intonuit; &, ſe pater de cælo intonat, ſi filius Iordanis inſiſtit fluentis, ſi ſpiritus ſanctus corporaliter apparet de ſupernis; quid eſt, quòd Iordanis, qui fugit ad præſentiam legalis arcæ, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Quid eſt? Quia pietati obſequitur, incipit non eſſe timori. Hic Trinitas exercet gratiam totam, totam ſecum *Ioſue. 3.* loquitur charitatem: ibi elementa corripit, vt ſeruulos inſtituat ad timorem. Inter hæc tamen talia, & tanta intrepidus ſtat Ioannes, quia timere non poteſt, qui totus ad Dei amorem natus, Angelico teſtimonio comprobatur. Hodie Chriſtus *Ioan. 2.* initium dat ſignorum cæleſtium, dum conuertit aquas in vinum: vt, quem pater voce filium iam probat, ipſe ſe Deum virtutibus approbaret: qui elementa commutat, & naturam fecit; ipſe, qui contra naturam facere non laborat, aquam transfert in vinum, vt diminutis in vigore naturæ noſtræ proficiat hebetudo. Nam, qui panes quinque *Mat. 14.* fragmēto profluo, & furtiuo incremento, ad quinque millia hominum tetēdit, & dilatauit ſaginam, potuit, augmentis ſuccreſcentibus, ad nuptiarum feſta vini ampliare, & perpetuare menſuras. Sed aqua in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret: vt impleret illud Prophetæ; Et calix tuus inebrians quàm præclarus eſt! Tribus *Pſal. 22.* autem modis hodie Chriſti deitas probata, magorum munere, patris teſtimonio, aquæ mutatione in vinum: quia tribus ſtare omne verbum ſcripturæ firmauit auctoritas, dicendo, In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Sed, quia feſtiuitas *Math. 18.* ipſa ad mēſam nos domini, & calicis iſtius lætitiam commonet iam venire, res amplas breui ſermone ſufficit concluſiſſe, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit, & regnat, nunc, & ſemper, & per omnia ſecula ſæculorum, Amen.

S. GREGORII PAPAE

de eodem feſto, Hom.

SIcut in lectione euangelica, fratres, audiſtis, cæli rege nato, rex terræ turbatus eſt, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celſitudo cæleſtis aperitur. Sed quærendum nobis eſt quidnam ſit, quòd redemptore nato paſtoribus in Iudæa angelus apparuit, atque ad adorandū hunc ab oriente Magos, non angelus, ſed ſtella perduxit. Quia videlicet Iudæis, tanquàm ratione vtentibus, rationale animal, id eſt, angelus prædicare debuit: gentiles verò, quia vti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum non per vocem, ſed per ſigna perducūtur: quia & illis prophetiæ tanquam fidelibus, non infidelibus, & iſtis ſigna tanquam

quam infidelibus, & non fidelibus data ſunt. Et notãdum, quòd redemptorem noſtrum cùm iam perfectę eſſet ætatis, eiſdem gẽtibus apoſtoli prædicant, eumque paruulum, & necdum per humani corporis officium loquentem, ſtella gentibus denunciat: quia nimirum rationis ordo poſcebat, vt loquentem iam Dominum loquentes nobis prædicatores innoteſcerent, & necdum loquentem, elementa muta prædicarent. Sed in omnibus ſignis, quæ vel naſcẽte Domino, vel moriente eo, monſtrata ſunt, conſiderandum nobis eſt, quanta fuerit in quorundam Iudæorum corde duritia, quæ hunc nec per prophetiæ donum, nec per miracula agnouit. Omnia quippe elementa authorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Vt enim de eis quiddam vſu humano loquar, Deum hunc cęli eſſe cognouerunt, quia protinùs ſtellam miſerunt. Mare cognouit, quia ſub plantis eius ſe cal-
Matth.14. cabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriẽte,
Matth.27. cõtremuit. Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa, & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia eos, quos tenebat mortuos reddidit. Et tamen hunc, quem Deum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Iudęorũ corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt, eumque confiteri abnegant, quem elementa, vt diximus, aut ſignis, aut ſciſsionibus Deum clamant. Qui etiam ad damnationis ſuæ cumulum, eum, quem natum deſpiciunt, naſciturum longè antè præſcierunt, & non ſolùm quia naſceretur, nouerant, ſed etiam vbi naſceretur. Nam ab Herode requiſiti, locum natiuitatis eius exprimunt, quem ſcripturæ authoritate didicerunt, & teſtimonium proferunt, quòd Bethlehẽ honorari natiuitate noui ducis oſtenditur, vt ipſa eorum gemina ſcientia, & illis fieret ad teſtimoniũ damnationis, & nobis ad adiutorium
Gene.26. credulitatis. Quos perfectò bene Iſaac cùm Iacob filium ſuum benediceret, deſignauit, qui & caligans oculis, & prophetans, & in præſenti filium non vidit, cum tamen multa in poſterum præuidit. Quia nimirum Iudaicus populus, prophetiæ ſpiritu plenus, & cæcus, eum, de quo multa in futurum prædixit, in pręſenti poſitum non agnouit. Sed natiuitate regis noſtri cognita, Herodes ad callida argumenta conuertitur, & ne terreno regno priuaretur, renunciari ſibi vbi puer inueniretur, poſtulat, adorare eum ſe velle ſimulat, vt quaſi hunc, ſi inuenire poſſit, extinguat. Sed quanta eſt
Prou.21. humana malitia cõtra conſilium diuinitatis? Scriptum quippe eſt; Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra dominum. Nam ea, quæ apparuit, Magos ſtella perduxit, natum regem reperiunt, munera deferunt, & ne redire ad Herodem debeant, in ſomnis admonentur. Sicq; fit, vt Ieſum, quem quærit Herodes, inuenire non poſſit. Cuius perſona qui alij, quã hypocritæ deſignantur? Qui dum fictè quærunt, inuenire dominum nunquam merentur. Sed inter hæc ſciendum eſt, quòd Priſcillianiſtæ hæretici naſci vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum putant. Et hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt, quòd noua ſtella exiit, cùm dominus in carne apparuit, cuius fuiſſe fatum eandem, quæ apparuit ſtellam, putant. Sed, ſi Euangelij verba penſamus, quibus de eadem ſtella dicitur; Vſq; dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer: dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit. Sed abſit à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe fatum dicant. Vitã quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit, adminiſtrat. Neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt. Et ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſe ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhi-
betur. Certè cùm Iacob, de vtero egrediens, prio- *Gene.25.*
ris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, niſi & ſubſequens inchoaſſet. Et tamen cùm vno tempore, eodémque momento vtrũque mater fuderit, non vna vtriuſque vitæ æqualitas fuit. Sed ad hæc ſolent mathematici reſpondere, quia virtus conſtellationis in ictu pungentis eſt. Quibuſè diuerſo nos dicimus, quia magna eſt mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit, vt tot dicant fata, quot ſunt membra naſcentium. Fateri etiam mathematici ſolent, quòd quiſquis ſigno aquarij naſcitur, in hac vita piſcatoris miniſterium ſortiatur. Piſcatores verò, vt fertur, Getulia non habet. Quis igitur dicat, quia nemo illic in ſtella Aquarij naſcitur, vbi piſcator omnino non habetur? Rurſum quos naſci ſigno Libræ aſſerũt, trapezetas futuros dicunt. Et trapezetas multarum gentium prouinciæ ignorant. Fateantur ergo neceſſe eſt: aut hoc in eis ſignum deeſſe, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Perſarum quoque, Francorúmq; terra reges ex genere prodeunt, quibus profectò naſcentibus, quis æſtimet quanti eiſdem momentis horarum, ac temporum ex ſeruili conditione naſcuntur? Et tamen regum filij, vno, eodémque ſydere cum ſeruis nati ad regnum proficiunt, cùm ſerui, qui ſecum fuerant geniti, in ſeruitute moriantur. Hæc de ſtella breuiter diximus, ne mathematicorum ſtultitiam indiſcuſſam prætermiſſe videamur. Magi verò aurum, thus, & myrrham offerunt. Aurũ quippe regi congruit, thus verò in Dei ſacrificium ponebatur: myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo magi, quem adorant, etiam myſticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem. Sunt verò nonnulli hæretici, qui hunc Deum credunt, ſed vbique regnare nequaquam credunt. Hi profectò ei thus offerunt, ſed offerre ei aurum nolunt. Et ſunt nonnulli, qui hunc regem exiſtimant, ſed Deum negant. Hi videlicet ei aurum offerunt, ſed offerre thus nolunt. Et ſunt nonnulli, qui hũc & Deum, & regem fatentur, ſed aſſumpſiſſe carnem mortalem negãt. Hi nimirum aurum, & thus ei offerunt, ſed offerre myrrham aſſumptæ mortalitatis nolunt. Nos itaque nato domino offeramus aurum, vt hunc vbique regnare fateamur. Offeramus thus, vt credamus, quòd is, qui in tempore apparuit, Deus ante tempora extitit. Offeramus myrrham, vt eum, quem credimus in ſua diuinitate impaſſibilẽ, credamus etiam in noſtra fuiſſe carne mortalem. Quamuis in auro, thure, & myrrha intelligi & aliud poteſt. Auro nanq; ſapientia deſignatur, Salomone atteſtante,
qui ait; Theſaurus deſiderabilis requieſcit in orẽ *Prouer.21.*
ſapientis. Thure autem, quod Deo incenditur, vir- *Pſal.140.*
tus orationis exprimitur, Pſalmiſta teſtante, qui ait; Dirigatur domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Per myrrham verò carnis noſtræ mortificatio figuratur. Vnde ſancta Eccleſia de ſuis operariis, vſque ad mortem pro Deo certantibus

bus dicit; Manus meæ diſtillauerunt myrrham.
Cant. 5. Nato ergo regi aurum offerimus, ſi in conſpectu illius claritate ſupernæ ſapientiæ reſplendemus. Thus offerimus, ſi cogitationes carnis per ſanctis orationum ſtudia in ara cordis incendimus, vt ſuaue aliquid Deo per cœleſte deſiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, ſi carnis vitia per abſtinentiam mortificamus. Per myrrham namq; vt diximus, agitur, ne mortua caro putreſiat. Mortuam verò carnem putreſcere, eſt hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deſeruire, ſicut de quibuſdam
Ioel. 1. per prophetam dicitur, Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Iumēta quippe in ſtercore ſuo putreſcere, eſt carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Myrrham ergo Deo offerimus, quando hoc mortale corpus à luxuriæ putredine, per condimentum continentiæ cuſtodimus. Magnum verò nobis aliquid Magi innuunt, quòd in regionem ſuam per aliam viam reuertuntur. In eo nanque quod admoniti faciunt, nobis profectò inſinuant, quid faciamus. Regio quippe noſtra paradiſus eſt, ad quam Ieſu cognito, redire per viam, qua venimus prohibemur. A regione etenim noſtra ſuperbiēdo, inobediendo, viſibilia ſequendo, cibum vetitum guſtando diſceſſimus: ſed ad eam neceſſe eſt vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem noſtram regredimur, quoniam qui à paradiſi gaudiis per delectamenta diſceſſimus, ad hæc per lamenta reuocamur. Vnde neceſſe eſt, fratres chariſſimi, vt ſemper pauidi, ſempérque ſuſpecti ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc iudicium extremę diſtinctionis. Penſemus qui diſtrictus iudex veniat: qui iudicium minatur, & latet: terrores peccatoribus intentat, & tamen adhuc ſuſtinet: & idcirco citiùs venire differt, vt minùs inueniat quos damnet. Puniamus fletibus culpas, & cum Pſalmiſtæ voce, præueniamus faciem eius in con-
Pſal. 94. feſſione. Voluptatum ergo nos fallacia nulla decipiat, nulla vana lætitia ſeducat. In proximo nan-
Lucæ 6. que eſt iudex, qui dixit; Væ vobis, qui ridetis nūc,
Prou. 14. quia lugebitis & flebitis. Hinc enim Salomon ait; Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Hinc iterum dicit; Riſum deputaui erro-
Eccleſ. 2. rem, & gaudio dixi; Quid fruſtrà deciperis? Hinc
Eccleſ. 7. rurſus ait; Cor ſapientium, vbi triſtitia eſt; & cor ſtultorum, vbi lætitia. Pertimeſcamus ergo præcepta Dei, ſi celebramus veraciter ſolennitatem diei. Gratum eſt nanque Deo ſacrificium afflictio con-
Pſal. 50. tra peccatum, Pſalmiſta teſtante, qui ait; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Peccata noſtra præterita in baptiſmatis perceptione laxata ſunt, & tamen poſt baptiſma multa commiſimus, ſed lauari iterum baptiſmatis aqua non poſſumus. Quia ergo & poſt baptiſmum inquinauimus vitam, baptizemus lachrymis conſcientiam, quatenus regionem noſtram per viam aliam repetentes, qui ex ea bonis delectati diſceſſimus, ad eam malis amaricati redeamus.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

C*Vm eſſet natus Ieſus in Bethlehem Iuda.* Ad diſtinctionem alterius Bethlehem, quę eſt in tribu Zabulon, nominauit. *Ecce Magi ab Oriente, &c.* Magi non propter Magicam artem ſic nominantur, ſed propter aliquam philoſophiam, in ſucceſſores Balaam eſſe creduntur, & propter prophetiam eius incitati, viſa noua ſtella, natum regem quærebant, qui confringere omnes duces alienigenarum prophetatus eſt ex diuino eorum. *Et congregans omnes, &c.* Quod Magis tūc ſtella non apparuit, quæ eos ante ducebat, ad Iudæorū factum eſt damnationem, vt exquiſiti ab Herode, locum natiuitatis Chriſti exprimerent, ne vllam excuſationem haberent ignorantiæ, poſt neglectam fidem tùm ante natiuitatem eius non ſolùm quod naſci deberet, ſed vbi naſciturus eſſet, demonſtrarent. Myſticè autem tres Magi tres partes mundi ſignificant Aſiam, Africam, Europam, ſiue humanum genus quod à tribus filiis Noë ſeminarium ſumpſit. *Et ecce ſtella, &c.* Porrò hæc ſtella prophetiam ſignificat, quæ ab initio promiſſæ benedictionis ſemini Abrahæ, quaſi præteriens Chriſtum venturum eſſe promiſit, vſque dum natum, in plenitudine temporis oſtendebat. *Videntes autem ſtellam, &c.* Id eſt, intelligētes finitam eſſe prophetiam inenarrabili gaudio gratulantur, qui de tribus partibus mundi ad fidem Chriſti conueniunt. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum, &c.* Id eſt, per fidem eccleſiam ingredientes, Chriſtum cum primitiua Eccleſia inuenerunt, quæ ex Iſraëlitico populo conuerſa eſt ad fidem eius. *Et procidentes adorauerunt eum.* Nequaquam adorarent, ſi eum dominum non crederent. Myſticè autem procidebant populi credentium, & adorabant vera fide & pura confeſſione. *Et apertis theſauris ſuis, &c.* In auro regalis dignitas oſtenditur Chriſti, in thure eius verum ſacerdotium: in myrrha mortalitas carnis: Aliter. In auro ſpiritalis ſenſus, in thure affectus virtutum, in myrrha mortificatio corporis deſignatur, quæ quotidie omnia ab iſta Eccleſia in tribus partibus mundi diſperſa domino offeruntur, alij tres ſpecies philoſophiæ in his muneribus intelligere volūt phyſicam, ethicam, logicam, quas poſt fidem ad laudem Dei iſte mundus obtulit, cùm antea inani ſtudio impēderit. Alij in auro allegoriam, in myrrha hiſtoriam, in thure anagogen dicunt inſinuari. *Et reſponſo accepto, &c.* Regio noſtra eſt paradiſus, ad quem per obedientiam reuerti debet genus humanum, quod inde per inobedientiam expulſum eſt. Herodes vero ſignificat diabolum ad quem redire poſt acceptam fidem prohibentur.

HAYMONIS EPISCOPI
Halbeſtat. eiuſdem Euang. expoſitio.

C*Vm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis.* Tria in hoc verſiculo demonſtrantur ab euangeliſta, quæ veritatem hiſtoriæ confirmant, perſona, locus & tempus. Perſonam oſtendit cùm dicit. Cum natus eſſet Ieſus. Locum oſtendit cùm ſubiungit, in Bethlehem Iudę: Tempus oſtēdit quum addit: In diebus Herodis regis. *Cùm igitur natus eſſet in Bethlehem Iuda.* Bethlehem Iudæ ideo dicitur, ad diſtinctionem alterius Bethlehem quæ in Galilæa eſt ſacta in tribu Zabulon. Hæc Bethlehem de qua hîc loquitur euangeliſta, in tribu Iuda eſt poſita, quæ primo alio nomine vocata eſt Effrata. Poſtquam autem Iacob patriarcha reuerſus fuiſſet de Meſopotamia Syriæ, fiait

iuxta

iuxta eam tabernaculum ſuum, & pauit ibi pecora ſua. Præuidens autem per ſpiritum ſanctum naſciturum in ea dominum Ieſum Chriſtum ſecundum carnem, vocauit eam Bethlehem, id eſt, domum panis, propter eum panem, qui ibi deſcendit, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Beth interpretatur domus. Lehem panis. Sialiter volumus intelligere, per Bethlehem, quæ interpretatur domus panis, deſignatur ſancta eccleſia. Quotidie dominus in Bethlehem naſcitur, quia quotidie oritur in cordibus electorum ſuorum illuminando eos ad cognitionem ſuam, iuxta quod in ea ſcriptum eſt: Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quotidie reficitur eccleſia ſancta corpore, & ſanguine domini. *In diebus Herodis regis.* Quare hic ponitur nomen Herodis regis, qui reprobus fuit? Vt demonſtraretur prophetia Iacob eſſe impleta, qui dixit: Non auferetur ſceptrum, id eſt, regia maieſtas de tribu Iuda, nec dux, id eſt, princeps de femore eius, id eſt, generatione eius, donec veniat, qui mittendus eſt, id eſt, Chriſtus, & ipſe erit expectatio gentium. Ex quo patres Iudęorum, qui exierant de terra Ægypti, ſub duce fuerũt, iubente domino; vt duces, & principes haberent homines ſuę gentis, quorum primus fuit Moſes, deinde Ioſue, deinde cęteri vſque ad Saulem regem. Saul fuit primus rex Iſraeliticę gentis, cui ſucceſſit Dauid in regnum, de cuius ſtirpe regnauerunt in populo Iudęorum vſque ad vltimum Sedechiam, id eſt, vſque ad captiuitatem, qui cęcatus à Nabuchodonoſor rege Chaldęorum ductus eſt in Babyloniam more ferarum in cauea. Quandiu autem Iſraelitæ fuerunt in captiuitate in Babylonia, non habuerunt reges, nec duces, nec principes, nec ſacerdotes, ſed tantummodo Caſtroſſos, qui recipiebant dona à populo, & regi dabant, quia non erat ibi templum domini, & ſub poteſtate alienigenarum erant. Quum verò poſt ſeptuaginta annos ad iuſſionem Cyri regis Perſarum de captiuitate reuerſi fuiſſent, cœperunt ędificare ciuitatem ſuam Hieruſalem, & templum domini reſtaurare. Poſtmodum autem non habuerunt reges, nec duces ſicut antea, ſed pontifices, qui rerum ſummam tenebant, quos Dauid conſtituit. Viginti quatuor pontifices habebant, quorum vnus regebat populum, & ſummo ſacerdotio fungebatur, ſicut

2.Par.24. fuit Iudas, & Ionathas frater eius, & Symon, & cæteri vſque ad Hircanum, regem ſimul, & pontificem, qui impoſuit ſibi coronam regiam, ſimiliter & ſacerdotalem mitram, quem iſte Herodes dolo, & fraude interfecit. Et venit Romam, & traditum eſt ei regnum Iudæorũ ab Octauiano Cæſare Auguſto ad gubernandum, vt tributis præeſſet, & Romano pareret imperio. Et regnauit iſte Herodes in populo Iudæorum triginta ſeptem annis, cuius triceſimo primo natus eſt dominus in Bethlehem ſecundum carnem, ſicut pręſens euangelica lectio narrat. Vt autem prophetiam Iacob demonſtraret Euangeliſta eſſe cõpletam in Chriſti natiuitate, hîc ideo poſuit nomen Herodis. *Ecce magi ab oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes.* Magi ſunt philoſophi, qui de ſingulis rebus philoſophantur. A magica arte dicuntur magi. Magica ars diabolica eſt. Hãc vim habet, vt ſolis verbis, & incãtationibus, ſine gladio ſine veneno, ſine pręcipitatione, ſine lapidatione, ſine vſtulatione homines interficiant, vento aërem commoueãt, permittente Deo, & mentes hominum conturbent, miſeros amare, & amari faciant. Vel magi dicuntur malefici, qui elementa aerum conturbant, & per ſolas incantationes occidunt homines abſque veneno. Forſitan iſti mali magi tales fuerunt. Sed quid factum eſt? beatus Paulus dicit hoc: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Illuminati ſunt à domino, & ideo venerunt a finibus terræ adorare eum. Ab Oriente venerunt iſti magi. Non narrat Euangeliſta, de qua regione Orientali venerunt iſti magi, tamen Beatus Hieronymus dicit, quod Chaldæi fuerunt, & Iuuencus dicit, quod Perſæ fuerunt, iuxta illum verſiculum: Tam tuber & Perſas celerem prætendere greſſum. Sed plus debemus Beatò Hieronymo credere, qui poſt illum fuit, quàm Iuuenco. *Hieroſolymam venerunt.* Quare venerunt Hieroſolymam? Quia Aſtronomicam artem bene nouerant, & nepotes Balaam poſteri eius fuerunt. Aſtrologi erant, vbi viderũt ſtellam, quam antè non viderant, cęperunt cogitare qualis eſſet hæc ſtella, quæ non erat fixa inter cætera ſydera cœli, ſed per aëra diſcurrebat prope terram. Cùm autem hoc cogitarent, recordati ſunt prophetiæ ataui ſui Balaam, qui dixit: Orietur ſtella ex Iacob, id eſt, propter hominem, qui naſcetur ex Iacob, orietur ſtella, & exurget homo de Iſrael, id eſt, Chriſtus, & erit omnis terra poſſeſſio eius. Cum hoc legiſſent, & ſtellam ortam vidiſſent, ſtatim cognouerunt dominum natum eſſe in Iudæa. Ideò venerunt Hieroſolymam. Et re vera conſuetudo erat exterarũ gentium, vt, quando vidiſſent aliquod portentum in cœlo, Hieroſolymam peterent, aut tranſmitterent, vbi erat Dei cognitio, ſicut fecerunt temporibus Ezechiæ, quando reuerſus eſt ſol decem lineis. Tunc miſit Merodach Baladam, filius Baladam Rex Babylonius libros, id eſt, epiſtolas, & munera Ezechiæ, vt interrogarent, quamobrem ſol ita reuerſus eſſet. Secundum hanc conſuetudinem, & iſti magi videntes ſtellam nouam cæteris ſtellis lucidiorem, non in cœlo cum aliis fixam, ſed in aëre poſitam, reduxerunt ad memoriam prophetiam ataui ſui Balaam. Ideo venerunt Hieroſolymam. Poterat illos aliquis interrogare: O magi, vnde ſcitis, quod Chriſtus natus ſit in Iudæa? Ad hoc adiungunt illi. *Vidimus ſtellam eius.* Quare eius? Quia in eius natiuitate noua apparuit, antea non eſt viſa. Et pòſt quam magos ad dominum adorandum introduxit, deſiit videri ab hominibus. Gregorius Turonenſis Epiſcopus dicit, quod ceciderit in quendam puteum in Bethlehem, vbi poteſt modò videri ab illis, qui virgines ſunt in fundo putei illius. Quadam vice perrexerunt illuc tres homines, vnus virgo, duo contaminati. Ille, qui virgo erat, vidit eandem ſtellam: illi verò, qui deuirginati, non viderunt. Quidam dicunt, quòd hæc ſtella ſemper præceſſit magos, ſed ſi ita eſſet, nequaquam Euangeliſta tantum miraculum reticeret. Priſcillianiſtæ hæretici dicunt homines ſub fato ſtellarum naſci. Dicunt nanque, quod ſi ſtella pueri, qui naſcetur, fuerit orta in ſigno arietis, opilio futurus erit: ſi in ſigno aquarij, piſcator futurus ſit. Si in ſigno libræ, trapezeta futurus ſit, ſi in ſigno leonis, Rex. Quis enim neſcit, quanti ſerui nati ſunt, quando Carolus natus eſt? Et tamen ipſe, qui de regali ſtirpe eſt progenitus, tranſiit ad regnũ, ſerui verò in conditione ſeruili remanſerunt. Getulia, prouincia eſt Aphricæ, quæ piſces non habet: ſi ergo

4.Reg.20.
2.Par.23.
Eſaia 30.

ibi natus fuerit homo in ſigno Aquarij, quomodo piſcari poterit, vbi non ſunt piſces? Iſti tales affirmant errorem ſuum ex præſenti lectione euangelica dicentes: quòd in ortu domini ſtella noua orta eſt. Quibus reſpondẽdum eſt, quòd ſtella venit ad dominum, non dominus ad ſtellam. Si enim ſub fato ſtellæ dominus natus fuiſſet, ipſe veniret ad ſtellam, non ſtella ad eum, ſed nihil eſt, quod dicunt. *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Iſti magi illuminati à domino, trinum eum eſſe crediderunt, id eſt, hominem, Deum, & regem. Hominem crediderunt, cùm dixerunt: *Vbi eſt qui natus eſt*, quia hominis eſt naſci. Regem crediderunt, ſubdentes, rex Iudæorum. Deum crediderunt, addentes, *& venimus adorare eum*, quia Deus debet adorari, non creatura. Poterat illos aliquis interrogare: Vnde hoc ſcitis, quòd rex Iudæorum natus ſit? Ideo illi hoc adiũgunt. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Diuerſi de hoc verſiculo diuerſa ſentiunt. Dicunt quidam, ex quo illi Magi exierunt de regione ſua, ſemper fuit eis præuia ſtella vſquequo appropinquaret Hieroſolymis, & quum prope eſſent Hieroſolymis, abſcõdit ſe. Sed mentiuntur, ipſa enim verba magorum declarant, quòd non eſt verum, cùm dicunt: *Vidimus ſtellam eius in oriente*, id eſt, nos in oriente poſiti vidimus ſtellam eius in occidente contra Hieroſolymam. B. Beda dicit hunc ſenſum. *Vidimus ſtellam eius.* Stellam eius dicunt. Nunquid non omnes ſtellæ ſunt Chriſti, quia omnia, & quæ in cælis, & quę in terra ſunt, cum patre ipſe creauit, de quo Ioannes

Ioan.1. euang. dicit: Omnia per ipſum facta ſunt? Certè omnes ſtellæ Chriſti ſunt. Sed ideo hæc ſtella ſpecialiter Chriſti dicitur fuiſſe, quia in eius natiuitate noua apparuit, natiuitatem illius annunciabat, nec fuit creata in exordio mundi cum cæteris ſyderibus, ſed ab ipſo domino Ieſu Chriſto tũc creata eſt, & nec antea, nec poſteà viſa eſt. Sicut illa co-

Luca 3. lumba, quæ apparuit in domini baptiſmata, nec antea nec poſteà viſa eſt. Quærendum eſt, quare paſtores angelus ad cunabula Chriſti perduxit, & Magos non angelus ſed ſtella perduxit? Huic quæſtioni reſpondendum eſt, quia Iudæi rationabiles erant, & ratione vti ſciebant, promiſſionem de aduentu filij Dei habebant. Et ideo quia rationabiles erant, & ratione vti nouerant, paſtoribus tanquam fidelibus angelus apparuit, gentilibus verò tanquam infidelibus ſigna data ſunt. Gentiles ve-

1.Cor.14. rò, quia irrationabiles erant, & ratione vti neſciebant, ideo non per angelum, ſed per ſtellam ad adorandum dominum perducti ſunt. Illis ergo, id eſt, Iudæis, tanquam ratione vtentibus rationale animal, id eſt, angelus apparuit: & iſtis, id eſt, Magis tanquam ratione vti non valentibus ſignum cæleſte apparuit. Illi tres Magi tres reges fuerunt, iuxta quod prædictum eſt à propheta. Reges Arabum, & Saba dona adducent. Signant ergo illi tres Magi tres partes mundi, Aſiam, Africam, & Europam. Vel ſignant tres filios Noë, qui ſeminarium fuerunt generis humani poſt diluuium. In his tribus partibus diuiſum eſt humanũ genus, quod exortum eſt à tribus filiis Noë; Sem, Cham, & Iaphet. Filij Sem tenuerunt Aſiam, filij Cham Africam, filij Iaphet Europam, in qua nos ſumus modò. In hoc ergo quòd illi tres Magi venerunt à finibus terræ adorare dominum, iam præfigurabatur quòd omnes gentes ex tribus partibus mundi venturæ eſſent ad fidem Chriſti. *Audiens autem Herodes rex*; quòd non ille quærebatur, nec filij eius, ſed, nouus rex natus, *turbatus eſt*. Quare turbatus eſt? Quia ſciebat ſe alienigenam eſſe, & ideo timebat regnũ amittere propter illum paruulũ, cuius natiuitas nunciabatur à Magis. *Hieroſolyma cũ illo.* Metonymicè loquitur Euang. per id, quod cõtinet, id quod cõtinetur oſtẽdens, id eſt, per ciuitatẽ, habitatores ciuitatis. Per Hieroſolymã igitur intelligũtur habitatores eiuſdẽ ciuitatis. *Et omnis Hieroſolyma cũ illo.* Hic oritur quæſtio, quare dicit Euang. omnem Hieroſolymam turbatam eſſe, cum multi ſanctiſſimi homines in ea fuiſſent, qui de natiuitate Chriſti gaudebant ſicut B. Symeon, Zacharias, Anna. Ad hoc dicendum eſt, quia turbatio regis, turbatio populi eſt. Turbatio magiſtri turbatio, diſcipulorum eſt. Illi ſancti, qui tunc temporis erant in Hieruſalem, vt ſatisfacerent regi, triſtitiam præferebant in vultu, vt diximus, ſicut modò faciunt homines ante ſeniorẽ ſuum, ſi vident eum iratum, non audent ridere coram illo, ſed potiùs ſimulent ſe quaſi triſtes. Opinionem Herodis poſuit hic Euangeliſta, quia, ſicut ille triſtis erat de Chriſti natiuitate, ita putabat, quòd omnes triſtes eſſent. *Et congregans omnes principes ſacerdotum*, id eſt, vigintiquatuor pontifices, qui miniſtrabant in templo domini. *Et ſcribas populi*, id eſt, grammaticos, doctores legis, qui docebant populum Dei legem, *& ſeniores populi*, id eſt, presbyteros, quia presbyter Græcè, Latinè ſenior dicitur. *Sciſcitabatur*, id eſt, inquirebat *ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt, in Bethlehẽ Iuda, Sic enim ſcriptum eſt* per Mich.5.

Michæam. *Et tu Bethlehem terra Iuda*, id eſt, ó ciuitas Bethlehem, quæ es ſita *in terra Iuda*, ſicut Hieruſalem, *non es minima*, licet ſis minor in murorum ambitu, & in paucitate populi, & in diuitiis, tamẽ in hoc eris maior. *quia ex te exiet dux*, id eſt, princeps, *qui reget populum meum Iſrael. Tũc Herodes clam*, id eſt, ſtudioſè *didicit*, id eſt, inquiſiuit *ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis*. Hic deficit hiſtoria, quia non narrat euangeliſta quantum temporis fuiſſet, ex quo illa ſtella Magis apparuerat. Sed Ioan. Chryſoſt. dicit, quòd vno anno ante natiuitatem domini apparuit eis, vt iter ſuum poſſent præparare, & tempore congruo ad dominum adorandum peruenire. *Diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.* Calidiſſimus, & aſtutiſſimus fuit ille perfidus Herodes, timebat ne aliqua occaſione interuenientẽ, illi Magi non reuerterẽtur ad ſe, ſicut poſteà rei probauit euẽtus, & ideo curauit ab eis inquirere tempus ſtellę, quę apparuit eis, vt, ſi illi reuerſi nõ fuiſſent ad eũ, ſicut nec fecerunt ex eo tẽpore, quo dicerẽt ſibi ſtellã apparuiſſe, interficeret omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, vt ſaltem inter illos potuiſſet dominum necare. Sed, vt dicit Salomon, non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Deũ. *Clam vocauit Magos*, id eſt, occultè non in præſentia Iudæorum. Quare? Quia timebat ne fortè Iudæi iungerent ſe illi puero, qui nunciabatur natus, vt haberent regem hominem ſuæ gentis, & illum, id eſt, Herodem deiicerent de regno. *Et mittens eos in Bethlehem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & quum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Perfidus ille Herodes ſimulabat ſe velle adorare Deum, quem potiùs interficere volebat. Sed, quia fictè quæſiuit, ideo inuenire nõ potuit, & in hoc tenuit figuram hypocritarum, quia fictè, & ſimulatè quærunt dominum, & ideo inuenire

uenite

uenite non merentur. *Qui quum audiſſent regem, abierunt.* Non ſine cauſa voluit dominus per ſacerdotes Iudæorum locum natiuitatis ſuæ Magis demonſtrare, vt non habeant excuſationem in die iudicij de aduentu domini. Si enim dixerint, neſciuimus tuam natiuitatem, reſpondet illis dominus: Vos oſtendiſtis locum natiuitatis meæ Magis in Bethlehem, & quare vos non perrexiſtis cum eis ad me adorandum? Ite in ignem æternum. Quęrendum eſt, quare dominus voluit venire Magos Hieruſalem, & interrogare ſacerdotes, & doctores Iudæorum de natiuitate Chriſti? Certè vt Iudæi inexcuſabiles eſſent in die iudicij de aduentu filij Dei, vt non potuiſſent dicere, non cognouimus tempus natiuitatis tuæ, nec locum, ideo non credidimus in te. Vt hæc excuſatio ab illis auferatur, ideo voluit dominus, vt Magi venirent Hieroſolymã, & interrogarent Iudæos de natiuitate Chriſti, & tempus, & locum illi Iudæi illis Magis indicarent ad damnationem ſui. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente.* Vides quod dicit, *in oriente viderant* eam ſuperpoſitam, vel certè in oriente poſiti viderunt ſtellam eius in partibus Hieroſolymitanis, & ſtatim cognouerunt natiuitatem cæleſtis regis celebratam in occidente. Si enim ſemper eos præceſſiſſet ſtella, vt quidam putant, non haberent occaſionem Hieroſolymam intrandi, ſed ſemper viam ſtellæ ſequerentur. Spiritualiter iſta ſtella, quæ à Hieruſalem præceſſit Magos, ſignabat prophetiã de Chriſto, quæ cæpit ab Abraham, cui dictum eſt Geneſis 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gẽtes terræ, hoc eſt, in Chriſto, & peruenit vſquequo filius Dei venit in mundum per humanitatem, vbi filius Dei apparuit incarnatus. Et Ioannes primò dixit de eo. Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi, ſtatim illa prophetia ſtetit. ſicut illa ſtella, vbi oſtendit dominum natum ſtatim ſtetit, quia omnis lex & prophetia vſque ad Ioãnem,
Matt. 11. id eſt, vſque ad Chriſtum. Vel certè illa ſtella, quæ Magos præceſſit, & ad cunabula Chriſti perduxit, ſignat gratiam Dei, quæ præuenit homines recedentes ab Herode, id eſt, à diabolo, & perducit ad Chriſtum homines illuminatos à ſe, vt poſſint venire ad dominum, de quo ſcriptum eſt, Miſeri-
Pſal. 58. cordia eius præueniet me. *Vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Prope terram ibat, quia, ſi in alto eſſet, non poſſent diſcernere in qua domo eſſet dominus. Vicina erat terris in tãtum, vt propriam domum demonſtraret, in qua dominus iacebat in cunabulis: *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Quia magis fit gaudium de re inuenta, quæ fuit perdita, quam de re poſſeſſa, quæ non erat amiſſa. Videntes autem ſtellam, dixit vnus ad alterum: Caualicate bene, ecce noſtrum ſignum prope eſt hoc, quod quærimus. Quare nõ præceſſit eos eadem ſtella, ex quo egreſſi ſunt de terra ſua vſque Bethlehem, quia tunc non ingrederentur Hieruſalem. *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre.* Illa domus ſignabat primitiuam eccleſiam, quæ collecta eſt ex Iudæis. Illi Magi gentiles erãt. In hoc quòd introierunt domum, & inuenerunt puerum cum Maria matre eius, pręfigurabatur, quod gentiles intraturi erant in domum, id eſt, in fidem primitiuæ eccleſiæ. & inuenturi Ioſeph, id eſt, ordinem prædicatorum; cum Maria, hoc eſt, eccleſia ſibi ſubiecta, cum domino Ieſu Chriſto, qui eſt caput omnium electorum. *Et procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis,* id eſt, ſcriniis, vel ſarcinulis, quas habẽt illi, qui de loco ad locum tranſeunt. *Obtulerunt ei munera.* Vetus conſuetudo fuit, vt nullus intraret ad Deum deprecandum, vel ad regem ſine muneribus, iuxta quod dominus præceperat in lege populo Iſraelitico, dicens: Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Secundum hanc conſuetudinem illi Magi, quod precioſius inuenire potuerunt in terra ſua, & quod dominis ſuis offerebant, obtulerunt vero domino, ſcilicet, aurum, thus, & myrrham. Aurum cætera metalla dignitate ſui præcellit. Thus Deo offertur in ſacrificium. Myrrha mortuorum corpora condiebantur, vt multo tempore ſeruari incorrupta poſſent. Aurum ergo Magi domino obtulerunt, quia crediderunt eum eſſe regem. Thus ei obtulerunt, quia crediderunt eum eſſe Deum. Myrrham ei obtulerunt, quia crediderunt eum eſſe mortalem in ſubſtantia carnis noſtræ. Et nos ergo offeramus ei aurum, vt credamus eum verum regem, & vbique regnantem: ſicut ipſe dixit poſt
reſurrectionem: Data eſt mihi omnis poteſtas in Matt. 28.
cælo, & in terra. Offeramus ei thus, vt credamus eum verum Deum ante omnia ſecula genitum ex patre, temporaliter ex matre natum. Offeramus ei myrrham, vt credamus eum in noſtra carne fuiſſe mortalem, antè quàm crucifigeretur. Pòſt quàm autem crucifixus eſt, immortalis permanſit, iuxta quod B. Paulus apoſtolus dicit; Chriſtus reſurgẽs
ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non Roma. 6.
dominabitur. Aliter. Per aurum intelligitur ſapiẽtia, iuxta quod Salomon omnium ſapientiſſimus dicit: Theſaurus deſyderabilis requieſcit in ore ſa-
pientis. Per thus intelligitur munda oratio, per Prouer. 21.
myrrham mortificatio carnis exprimitur. Tunc ergo offerimus Deo aurum, ſi in conſpectu illius per ſapientiæ ſtudium reſplendeamus. Tunc offerimus thus, ſi mundas orationes in cõſpectu illius
fundimus, dicentes cum Pſalmiſta. Dirigatur ora- Pſal. 147.
tio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Tunc of-
ferimus myrrham, ſi mortificamus carnẽ noſtram Coloſ. 3.
cum vitiis, & concupiſcentiis. Aliter. Per aurum, intelligitur allegoricus ſenſus, per thus moralis, per myrrhã hiſtoricus. Omnia iſta poſſumus modò inuenire in vno verſiculo. Lauda, Hieruſalem, dominum. Per Hieruſalem hiſtorialiter intelligũ-
tur habitatores eiuſdem ciuitatis. Illos prouocat Pſal. 174.
Pſalmiſta, ad Deum creatorem ſuum laudandum. Ecce hiſtoricus ſenſus. Per Hieruſalem generaliter intelligitur vniuerſalis eccleſia, de qua dicit.
Pſalmiſta. Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Ec- Pſal. 86.
ce moralis ſenſus. Per Hieruſalẽ ſpecialiter intelligitur vnaquæque fidelis anima, quæ ad hoc laborat in præſenti ſeculo, vt deum mereatur videre in futuro. Ecce allegoricus ſenſus. Poſſumus & quar-
tum ſenſum inuenire in iſto verſiculo. Per Hieru- Galat. 4.
ſalẽ intelligitur patria cęleſtis, in qua omnes ſancti contemplatione Dei omnipotentis fruuntur, de qua dicit Paulus apoſtolus. Illa autem, quę ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Tunc ergo offerimus Deo aurum, thus, & myrrham, cum in ſacro eloquio allegoricum ſenſum, moralem & hiſtoricum ſecundum voluntatem eius requirimus. *Et admoniti in ſomnis, ne redirent ad Herodem.* Qui ad Chriſtum venit, non debet redire ad Herodem, id eſt, ad diabolum. Non vt quidam putant ab angelo ſunt moniti, ſed ab ipſo domino, quem adorauerunt, ab ipſo fuerunt admoniti in ſomnis, ne redirent ad Herodem. Quia indignum

erat, vt Chriſti fierent proditores, qui eius fuerant adoratores. Vel ideo dicuntur per aliam viam reuerſi, quia qui venerant dubij, redierunt certi fide. Spiritualiter autem iſti Magi aliud myſterium nobis innuunt, dum per aliam viam in regioné ſuam reuertũtur. Regio noſtra paradiſus fuit, in quo primus homo à Deo creatus, collocatus eſt, de quo etiam ſine morte carnis completo numero electorum tranſiſſet ad gloriam cæleſtem, niſi peccaſſet. Vbi autem peccauit, continuò eiectus eſt de paradiſo in hanc mortalem, miſerámque vitam, tres ob cauſas, ſuperbiendo, inobediendo, cibum vetitum comedendo. Sed neceſſe eſt nobis vt per aliam viam reuertamur in regionem noſtram. Qui eiecti ſumus ſuperbiendo, redeamus humiliando, vt impleatur in nobis illud, quod dominus dicit: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Eiecti ſumus inobediendo, redeamus obediendo, & præcepta Dei implendo. Eiecti ſumus, cibum vetitum guſtando: redeamus ieiunando, & non ſolùm ab illicitis, verumetiam à licitis abſtinendo. Si hoc fecerimus, regem noſtrum in regione noſtra, id eſt, in paradiſo cæleſti videre merebimur. Qui viuit, & regnat cum Deo patre, &c.

CHRISTIANI DRVTHMARI *eiuſdem Euang. expoſitio.*

Cvm natus eſſet Ieſus in Bethlehẽ Iuda in diebus Herodis regis. Quia euangeliſtæ ordinante, regenteque ſpiritusancto, diuiſis inter ſe geſtis domini, narrant, debet lector ad memoriam reducere, quæ alius de ipſa dicat euangeliſta. Lucas enim narrat, quomodo angelus Gabriel ad Mariam venerit: & beata Maria audiendo & credendo conceperit. Matthęus quomodo Ioſeph deſpõſata fuerit. Iterum Lucas quomodo de Galilæa propter profeſſionem cenſus aſcẽderint. Denuo Matthæus quomodo natus à Magis adoratus ſit. Ait enim. *Cum natus eſſet Ieſus.* Vſus fuit hiſtoriographorum, vt quando hiſtoriam ſcriberent, tempus adnotarent, ſicut etiam nunc fit, non ſolum in geſtis ſed etiam in chartis. Hac etiam de cauſa Matthæus tempus Herodis pouit, qui in Iudæa regnabat. Lucas vero lòngius & excelſius repetés & nomen imperatoris & nomina conſulum, & tempus profeſſionis cenſus adnotauit dicens: Exiit edictum à Cæſare Auguſto, videlicet Octauiano: quia quadrageſimoſecundo anno imperij Octauiani Chriſtus natus eſt, & cenſus exactus. Et ſicut Abrahã, qui in figura domini præceſſit, quadrageſimo ſecundo anno Nini qui primus rex in mundo fuit, natus eſt: ſic Chriſtus quadrageſimo ſecundo anno Octauiani, qui primus imperator appellatus fuit, natus eſt: & ipſa die multa prodigia extiterũt, quæ eum creatorem orbis oſtenderunt. Ipſo die de taberna meritoria per totum diem fons olei largiſſimus fluxit: vt oſtenderet quia naſcebatur is, qui Chriſtus diceretur, id eſt, vnctus oleo ſpirituali, atque ab eius eccleſia Chriſtiani eſſent dicendi. Eodem die angeli cantauerunt. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et vt iſta vox compleretur, tanta pax in orbe terrarum facta eſt per duodecim annos, quantam nullus rex potuit facere in vna prouincia, ita, vt ſicut propheta dixit, conflarent gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: & Pſalmiſta dixerat. Orietur in diebus eius abundantia pacis. Eodem tempore hic Octauianus, ad quem omnium rerum ſumma conceſſerat: dominum ſe hominum appellari non paſſus eſt, immo non auſus: quo verus dominus totius generis humani inter homines natus eſt. Nam vna die cum eo ſpectante ludi agerentur, & quidam mimus prouinciaſſet. O dominum æquum, & bonum! vniuerſique exultantes approbaſſent: ſtatim manu, vultuque adulationes compreſſit, & cum grauiſſimo edicto ſe poſt hæc nec à liberis appellari aut à nepotibus, vel à ſeruis, nec vocari dominum paſſus eſt. *In Bethlehem Iuda:* Bethlehem domus panis dicitur: ante vocata Effrata: id eſt, frugifera. Sed poſt quam Iacob ibi pauit pecora ſua: appellauit eam Bethlehem. Siquidem ſecunda littera apud Hebræus, Beth dicitur: & ipſa domus interpretatur: & vtraque nomina eccleſiæ conueniunt. Et dignum fuit, vt domus in qua Chriſtus naſcebatur, his nominibus ante vocaretur: quia in eccleſia ipſius verus panis: & ſatietas æterna reperitur ab omnibus in veritate quærentibus. Non autem debet haberi in libro Iudææ, ſed Iuda, quia non inuenitur extra Iudæos alia gens habuiſſe ciuitatem eodem nomine vocatam. Attamen duæ ſunt ciuitates in Iudæa: quæ Bethlehem vocantur: vna in Galilæa in ſorte tribus Zabulon. Altera autem Bethlehem, ciuitas Dauid in ſorte tribus Iudę, in ſexto ab Hieruſalem miliario contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Hebrõ: vbi & ſepulchrum Dauid & patris eius eſt: & ſepulchrum Archelai regis: & iuxta ipſam turris Adtherto eſt gregis: vbi angelus domini locutus eſt paſtoribus. In hac ciuitate dominus natus eſt noſter: *in diebus Herodis regis.* Iſte eſt Herodes Antipatri filius, qui cum à latronibus fuiſſet prædatus: tãtæ paupertatis erat: vt eundem Antipater nequiuerit redimere: huius filius fuit iſte Herodes. Quique cum Hircano regi Iudæorum Simonis Machabæi nepoti fuiſſet adiunctus: direxit idem Hircanus eundem Herodem in legationem ad Pompeium. Et quia legationis fructu potitus, per eam gratiam partem regni aſſequutus eſt, & ſenatuſconſulto ſub Antonio Iudęis regnare præceptus eſt. *Ecce magi ab oriente venerunt:* Magi ſunt qui vulgo malefici vocantur: propter quod malefaciunt, elementa concutiunt, mentes turbãt. De hac arte fuerunt illæ gentes doctę, vnde iſti venerunt. Fuerunt autem de genere Balaam iſti tres reges. De tribus regnis fuerunt, de terra Euilat: vbi effoditur aurum optimum, ſicut dixit Moyſes: & vicini Perſis: vnde dicit Iuuécus. Iuuat Perſis pertendere greſſum. In prophetia autem Balaam cognouerunt: quod is, qui natus erat, & rex & homo erat, in hoc quod dixit, orietur ſtella. cognouerunt eum dominum: pro cuius ortu mirabilior & maior ſtella oriebatur. in hoc quod dicit, conſurget virga de Iſrael, intellexerunt quia homo eſſet futurus: quia de Hieruſalem naſceretur. in hoc vero: confringet duces Moab: regem didicerunt fore: & vſque ad aliud tempus permiſſum eſt illius poſſe diuinare in ſtellis: vt potuiſſent ibi Chriſtum cognoſcere, poſt vero nullus ibi potuit veritatem inuenire. Dicebant mathematici idem: quia & ortus hominum, & mores, & qualitates, & obitus poterant ſcire in ſtellis. Chriſtus quidem in Iudæa natus eſt, ſed illi in oriente poſiti, ſtellam viderunt, & quem indicaret agnouerunt. Duxit autẽ eos ſtella

aliqui

aliquibus diebus, ſed cum appropinquauerunt ad Iudęam, tunc dimiſit eos ſtella Dei nutu: vt illi deſerti à ſtella ad regiam ciuitatem venirent, & loquerentur cum cõpari ſuo Herode. Quia vnum regem Cęſarē habebant, vt interrogaret Herodes Iudæos, & fierent inexcuſabiles: quia hoc à gentibus audiſſent: & magi certiores audientes ita fuiſſe prophetatum. *Venerunt Hieroſolymam.* Hæc ciuitas primitus fuit ędificata à Sem, filio Noe: qui vocatus eſt Melchiſedech, id eſt, rex iuſtus: & ipſa eius ciuitas Salem, id eſt, pax vocata eſt. Sub Abraham Solima dicta eſt. Homerus poſtea Hieroſolymam dixit: quia Hieron hebraice munitio dicitur: quã poſtea Iebuſæi tenuerunt: & Hiebus vocauerunt. inde ex his duobus nominibus Hieroſolyma dicta eſt, inde à Salomone dicta eſt Hieroſolyma, id eſt, Hiebus Salomonis, id eſt, pacifica. In ea eſt Sió turris, quæ vertitur in ſpeculum. *Vidimus enim ſtellam eius in oriente: & venimus adorare eum.* Stellam eius dicunt: quia credebãt vnumquemque hominem naſci ſub ſtellarum fato, & vnumquenque ſuam ſtellam habere. Sed tamen iſta ſtella non fuit ante nec poſt, ſed ad hoc fuit tunc creata: vt gentes per eam docerentur, & ducerentur ad Chriſtum. Et multa dicunt aliqui de ſtella hac: qui quia non habent fontem veritatis, prætermittere malui. *Venimus* & de præſenti poteſt accipi: quaſi modo venimus: & adhuc in itinere ſumus, producta penultima ſyllaba: & de præterito correpta nihilominus ipſa penultima, quaſi dicant, eũ vidimus, venimus huc vſque, *Adorare eum.* Non vt deſerto imperatore noſtro, illi tributum daremus: ſed vt cum ipſo terreno domino cæleſtem agnoſceremus: veneraremur Deum creatorem mundi, & noſtri. *Audiens autem Herodes rex turbatus eſt: & omnis Hieroſolyma cum illo.* Herodes ideo turbatus eſt: quia ipſe ſciebat quòd non eſſet de regali progenie Dauid: & quia per fraudē regnum quæſiſſet: etiã & ipſe aliquando iam ſcripturas adurere iuſſiſſet, ne qua poſteris ſuis vel de præſcripto veteri quæſtio moueretur: æſtimans, quod ſi indicia publica ſuſtuliſſet, nullis aliis teſtimoniis elatere potuiſſet, qui de patriarcharum, vel proſelytorum veterum genere dimanaret. Hieroſolyma cum illo turbata eſt: videlicet per ſynecdochem, per continentem id quod continetur oſtendens, id eſt, per ciuitatem habitantes in ciuitate. Idcirco tamen & ipſi turbati ſunt: quia ſolent in mutatione regis alij cadere, & alij exaltari: ſicut Daniel dicit de Nabuchodonoſor. Quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. *Et conuocans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Quia Herodes Iudęus non erat, nec ſcripturis credebat, vel vſitabat: propterea Iudæos interrogabat. Sciſcitari enim interrogare eſt. Enimuero & Deus legem ſacerdotes interrogare iuſſit: & vbicunque populus erraret, ad ſacerdotes referendum cenſuerat. Scribæ à ſcriptura, quam vſitabant vocabantur. *At illi dixerunt ei. In Bethlehem Iudæ.* Apparet, quia in vſu ſcripturas habebant, quia tam cito reſpondere potuerunt, & ex corde protulerunt teſtimonium: in quo loco dux debuiſſet naſci. Similiter pręcipit Petrus Apoſtolus nobis dicẽs, parati ad rationem reddendam, omni poſcenti vos de ea ſpe, quæ in vobis eſt. Sic enim ſcriptum eſt per prophetam. *Et tu Bethlehē terra Iuda: nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meũ Iſrael.* Micheas hoc dixit, ac ſi diceret tu Bethlehem, quæ es in ſorte tribus Iudæ, nequaquam minima es inter principales & laudabiles ciuitates Iudæ: quia tu protuliſti Dauid, qui iſtud regnum nobilitauit, & extulit, ſed iterum exiet ex te, qui regat populum meum Iſrael, hoc eſt qui dominum videre mente voluerint: quia Iſrael vir videns dicitur Deum, *qui regat populum meum Iſrael.* Attendendũ quod dicit *populum meum Iſrael*, quia qui Dei populus ſunt, Dei reguntur imperio: & ea faciunt, quæ Dei ſunt. Qui autem ea non faciunt, non ſunt populus Dei, ſed diaboli. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis.* Clam, id eſt, occulte. Occulte cum eis locutus eſt: quia timebat Iudęos: ne ipſi puerum ei ſubiicerent. Nam ſciebat quòd Iudæi eum odio haberent: quia ipſe de alienigenis erat. Hic deficit hiſtoria, quia non narrat, quid ipſe ad eos dixerit: vel quid ipſi de ſtellæ tempore reſponderint. Sed ex eo quod Herodes paruulos iuſſit occidere, à duobus annis, & infra, volunt colligere quod dixerint: quod annus eſſet ea quo ſtellam vidiſſent: & inde accepiſſet vnum annum, & alium expectaſſet in reuerſionem eorum. Quidam autem dicunt, poſt annum, & duodecim dies venerunt ad Chriſtum, & quidam dicunt, quod cum dromedariis in duodecim diebus venerunt, poſtquam ſtellam viderunt. Eſt autem dromedarius genus camelorũ minoris quidem ſtaturæ, ſed velocioris: vnde & nomē habet à velocitate. Nam Dromos græce, curſus, & velocitas appellatur. Vnde & naues veloces Dromones appellãt. Centum enim miliaria & eo amplius, vno die Dromedarius currere dicitur. *Et mittēs illos in Bethlehem, dixit.* Quia audierat à ſcribis illic naſci oportere nouum ducem, propterea dirigit eos, vt cum viderent eos adorare illũ, cuſtodes infantis putarent quod ſimiliter vellet facere Herodes poſt reuerſionē magorũ. *Ite & interrogate diligenter de puero, & cũ inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Aſpexit Herodes & intellexit quia iſti magi fideles erant iam eius, quem quærebant, propterea dicit, ſe velle eum adorare etiam, & Iudæis noluit confiteri: quia ſciebat quod eum odirent, & de ſua gente Regem fore. Sed ſi latebat homines, non latebat eum, qui erat in corpore paruo, qui ſolus hominum corda agnoſcebat. Nam quia fideles erant puero, ad Herodem reuerſi eſſent, niſi à puero in ſomnis prohibiti eſſent. *Et ecce ſtella quã viderant in Oriente.* Iſta ſtella non erat in eo cœlo, vbi aliæ ſtellæ: ſed proximior terrę & clarior quam reliquæ ſtellæ. *Antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* Herodes non fuit dignus videre ſtellam propter malitiam ſuam, quia Deus intemptator malorum eſt, hoc eſt, non eſt adiutor eorum, qui male agunt: ſed permiſſor malorum, quia multa permittit agere, quæ contra eius voluntatem ſunt, non tamen adiuuat: ſed diabolus. *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno.* Solent enim homines maius gaudium habere de perditare cum eam inuenerint, quam primò cum habere cœperunt. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius*: quia pro puero venerant nomen pueri præponitur. *Et procidentes adorauerunt eum.* Adorare aliquando pro inclinare ponitur, quod & ad homines & ad Deum commune eſt. vnde de Chuſi dicitur. Adorauit Regem pronus in terra. Verumtamen non habet hic talem intellectum: ſed adorauerunt vt Deum, & dominum

pro remiſſione peccatorum, & adeptione vitæ æternæ. Vnde & in oratione noſtra dicimus. Infunde cordibus noſtris, quod triũ magorum mentibus aſpiraſti. Hoc adorationis cultu Mardochæus recuſabat adorare Aman. *Et apertis theſauris, obtulerunt ei munera.* Theſaurum medium eſt græcum, medium latinum. Theſis græce dicitur poſitio: & theſaurũ poſitio auri. Rectè quæritur vtrum ſinguli ſingula obtulerunt, aut ſinguli tria. Sed credimus quia quod corde crediderũt, muneribus oſtenderunt, & vnuſquiſque tria obtulerit: Aurum vt regi: quia illud eſt gloria mundi: & reges à ſubditis ſibi hoc exigunt. Thus vt domino, quia ſemper & apud Paganos & apud Deicolas hoc pigmentũ domino fuit oblatum, & conſecratum. Deniq; ſemper fuit vſus apud Paganos, ſicut Solinus narrat: vt quando colligẽdum erat, mũdi pueri cum lotis veſtibus hoc colligerent. Eſt autem arbor Arabiæ quod ipſum fert immenſa, atque ramoſa, leniſſimi corticis, ad aceris qualitatem, in modum amigdalæ, fundens aromaticum ſuccum album: & cum frangitur, reſoluitur in puluerem: igni appoſitum ardeſcit facilè: & appellatur apud nos maſculus, eò quod ſit rotundum, in ſimilitudine teſticulorum. Iſtud eſt optimum: reliquum planum & ſcabróſum: & hoc vilius eſt: & dictum eſt a tundendo, id eſt percutiendo, eo quod vbi percuſſa arbor fuerit, ibi amplius exit. Hoc & Libanum vocatur à monte Arabiæ, vbi Sabæi ſunt: quia mons eorum Libanus dicitur, vbi thura colliguntur. Myrrham dederũt, quia moriturum pro mundi ſalute & cognouerunt. Fuit enim conſuetudo apud multos: & maxime apud Iudæos, qui reſurrectionem credebant, vt cum aliquis charus mortuus fuiſſet, nobilis vel potens, vacuaretur ab inteſtinis, & contunderetur Myrrha cum aloe, vel aliis pigmentis: & primitus inliniretur de Balſamo totum corpus intro & extra: & poſt aſpergeretur de ipſo puluere: vt conſeruaretur integrũ corpus per ſecula. vnde & Ioſeph attulit ad ſepulturã domini mixturam Myrrhę & aloes libras centum: quamuis non fuerit neceſſarium. etiam ipſa in Arabia naſcitur, eo more quo & Thus de arbore parua. Maior arbor cubitorũ quinque, ſimilis ſpinæ: quam achantum dicunt, cuius gutta viridis & amara. Vnde accepit nomen Myrrha, id eſt amara. gutta eius ſponte manans precioſior eſt: elicita corticis vulnere vilior. Nulla eſt autem precioſior quam illa, quæ de Trogodita inſula affertur. *Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem.* Sicut ſolent reges terreni legationibus reſponſa reddere: ſimiliter fecit dominus noſter regibus, qui ad ſe adorandum venerant: ipſe per ſe reddidit reſponſum etiam in ſomnis: ſicut prophetis & perfectis viris, vt ipſi erant. Et monuit eos ne redirent ad Herodem: quia via ipſorum non fuerat per eos venire: niſi pro cauſis ſuperius comprehenſis. Ante enim Bethlehem eſt venientibus de oriẽte, quam Hieruſalem. Quia vt potuimus hiſtoricum intellectum tranſcurrimus: nunc ſpiritalem videamus. Sicut enim diximus retro, inueniuntur omnes illæ tres philoſophiæ Græcorum, etiam in diuina ſcriptura. Et omnis etiam philoſophia, & omnes modi locutionum ante fuerunt in ſcriptura diuina, quam apud ſophiſtas ſeculares: quia ſi quid habuerunt, de Dei dono habuerunt, ipſo largiente. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem.* Bethlehem ſicut diximus, domus panis interpretatur, & ſignificat eccleſiam, in qua verus panis inuenitur, id eſt Chriſtus qui dixit, ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: & ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Magi tres, ſignificant gentilem populum: qui ex tribus filiis Noe orti ſunt: ſiue quia in trinitatem credere habent. Ab oriente venerunt. Siue quia de Paradiſo patris noſtri, ad diabolum venerunt: ſiue quia Oriens dominus noſter vocatur: & ab ipſo acceperunt vt ad eum venirent: quia nemo venit ad patrem niſi per filium: quia ipſo in corde incrementum dante, credimus. Stella eius lux fidei eſt, qua aſpirati ſumus, vt in eum credere debemus. Hieruſalẽ ſacra ſcriptura hic intelligi poteſt: per quam dominum cognoſcimus. Herodes qui pellicius dicitur, hoc eſt ſubdolus, ſignificabat diabolum: qui quærit in cordibus electorũ extinguere Chriſtum id eſt à memoria eorum abolere. Scribæ & Phariſęi ſequaces diabuli & membra eius, ſiue hęretici, qui nobis inſinuant Chriſtum: quia inſtigantibus plerunque hæreticis, de Chriſto cognoſcimus quod nos latebat: ſiue circuimimus alias ſectas, & abundantia viciorum, quæ in eis deprehẽdimus, dominum intelligimus: qui vicia odit, & virtutes diligit: cognoſcimus tũc, quia in Bethlehem, hoc eſt in eccleſia catholica, quærendum eſt. Si autem aliquis de illis nobis bona dixerit, facere debemus, ſicut Magi fecerunt: quia ſcriptum eſt, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Cum autem à diabolo elongati fuerimus, ſtellam videmus: quia quanto magis domino appropinquamus, eo amplius dominum cognoſcimus: & ab ipſo reſponſum accipimus: vt viam qua venimus, non repetamus: promittimus renunciaturos nos diabolo, & angelis eius, quia ſicut via bonorum & bona opera: ita via malorum, & vicia: quia patria noſtra Paradiſus fuit. Vnde per parentem primum deceſſimus per gulam, auaritiam, vanam gloriam, & reliqua his ſimilia: Si ergo ad patriam noſtram redire cupimus, non imitemur primum Adam: ſed ſecundum, qui prohibita ab eo faciendo diſceſſit. Iſte viam vitæ tenendo, & nobis monſtrando in cælum aſcendit: & ſedet nũc à dextris Dei. Ecce phyſica intelligentia in hiſtoria nobis patuit. Logica in ſpiritali: ethica quoque inueniri poteſt, ſi ſecundum Anagogen requiramus: videlicet ſi cor noſtrum Bethlehem efficiatur, vt vbi abundet ſpiritalis meditatio ſcripturarũ, quod eſt verbum Dei, & credens in ſanctam trinitatem: etiam de tribus virtutibus ornatus ante dominum appareat: hoc eſt de fide ſpe & charitate, quæ ita charæ ſunt regi ſeculorum: & Deo creatori cunctorum, & homini facto in fine ſeculorum, qui eſt vnus dominus, & ſuper aurum & topazion ea delectetur in fidelium ſuorum mentibus. Si igitur cum iſtis muneribus ante conſpectum domini ſemel venerimus, videamus ne poſtea ad Herodem id eſt ad diabolum reuertamur. Quia autem iſtud euangelium in Epiphania legitur apud nos dicamus breuiter quàm ſacra iſta dies habeatur. Nam in Græcia in natali domini legitur hoc euangelium, & in iſta die euangelium de baptiſmo eius legitur: In principio autem in paſcha legitur: vt ſicut ſolennitates ſuper alias feſtiuitates pręclariſſimæ ſunt, ita euangelia præclariſſima in iiſdem feſtiuitatibus legantur. Nam in natali eius legitur de natiuitate carnis: in paſcha de natiuitate diuinitatis. Ergo quia conſuetudo eſt iſtud euangelium

in hac

in hac die legi, dicamus etiam de miraculis, quæ in hac die facta ſunt. Et quidem in hac die non ſolum Magos primitias gentium ſuſcepit dominus: verumetiam in hac die baptizari placuit à Iohanne in Iordane. De aqua quoque vinum fieri elegit: atque etiam quinque millia de quinque panibus ſaturauit: non tamen in vno anno, ſed per reuertentia annorum curricula. Hoc nihilominus die (quem Græci Epiphaniam, latini dicere poſſunt apparitionē) hora tertia puro, ac ſereno cælo, circulus ad ſpeciem cæleſtis arcus ſolis vrbem Romá ambiuit: quaſi eum vnum ac potiſſimum, in hoc mundo, ſolumque clariſſimum in orbe monſtraret natum eſſe, qui ipſum ſolus ſolem mundumque totum feciſſet & regeret. Dicitur autem & ipſe dies à quibuſdam theophania: id eſt, Dei apparitio: quam nos pro tantis myſteriis tota deuotione percolere debemus: quia illi Magi primitiæ gentium fuerunt: & nos in Chriſtum credituros prætenderunt: propterea ſumma cum deuotione amplectenda eſt iſta dies à nobis. Poteſt autem & ipſa dies qua paſtoribus Hebræorum per angelos manifeſtatus apparuit (Quia de eis ſcriptum eſt, venerunt & inuenerunt, ſicut dictum eſt ad ipſos) Epiphania appellari, ſed iſta propterea noſtra eſt: quia nobis per ſtellam demonſtratus eſt: per eam creaturam, quam ipſa gens plurimum colebat, & venerabatur.

THEOPHYLACTI EPI-
ſcopi Bulgar. ſuperioris Euang. expoſitio.

IN *Bethlehem Iudææ*. Bethlehem interpretatur domus panis, Iudæa autem confeſſio. Fiat igitur, vt nos nunc per confeſſionem fiamus domus panis ſpiritualis. *In diebus Herodis*. Meminit Herodiſ, vt tu diſcas, quòd defecerunt à tribu Iuda reges, & principes, & neceſſario venit Chriſtus. Herodes enim non erat Iudæus, ſed Idumæus, Antipatri filius ex
Gen. 49. vxore Arabe. Quum defeciſſent principes, expectatio gentium venit, ſicut Iacob prædixit. *Regis*. Erat enim & alius Herodes Tetrarcha: & propterea ponit dignitatem regis. *Ecce Magi*. Quare Magi veniunt? In condemnationem Iudæorum. Nam, quum Magi, homines cultui Idolorum dediti, crediderunt, quam poſtea defenſionem prætexent Iudæi? Et alia cauſa eſt, vt gloria Chriſti magis effulgeat, teſtimonium perhibentibus Magis, qui plus aduerſarij erant Deo, & ubnoxij dæmonibus. *Ab oriente*. Et hoc ad condemnationem Iudæorum pertinet. Illi enim per tantum ſpatium venerunt: Hebræi verò Chriſtum, quem apud ſe habebant, perſequuti ſunt. Ferunt illos Magos fuiſſe ex Balaam coniectore progenitos. Nam vt
Num. 24. inuenerunt oraculum illius, Orietur ſtella ex Iacob, intellexerunt myſterium Chriſti, & idcirco natum adire voluerunt. *ſtellam*. Quando audis ſtel-
Stella fuit angelica virtus. Lucæ 2. lam, ne talem putes illam, quales videmus, ſed diuinam virtutem, & angelicam in figura ſyderis apparentem. Nam, quoniam aſtrologi Magi erant, propterea dominus familiari eos ſigno adduxit, ſicut Petrum piſcatorem à multitudine piſcium ad nomen Chriſti venatus eſt, & ſtupeſcere fecit. Quod autem angelica virtus fuerit ſtella, manifeſtum ex eo, quòd & in die refulſerit, & ad motum Magorum ſe mouerit, & ad quietem eorum quieuerit. Quin & ſeptentrionali parte, quæ eſt Perſidis, ad meridiem, in qua eſt Hieruſalem, mouebatur. Nunquam autem ſtella à ſeptentrione ad meridiem vertitur. *Vt adoremus eum*. Videntur hi Magi magna virtute præditi. Nam, qui in aliena regione adorare voluerunt, quomodo non in Perſide in ipſa magna libertate prædicauerunt? *Turbatum eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo*. Herodes quidem turbatus eſt, vt alienigena, regno ſuo timens. ſciebat enim, quòd illo indignus eſſet. Iudæi autem quare turbantur? oportebat enim gaudere potius, quòd rex ſuus à Perſicis regibus adoraretur. ſed reuera inſipiens poſſeſſio eſt malitia. *Scribis populi*. Scribæ erant doctores populi, quales ſunt, quos nos dicimus grammaticos. Singulari autem Dei diſpenſatione interrogantur illi, vt cōfiteantur veritatem, & ex hoc condemnentur, quòd illum crucifixerunt, quem prius confeſſi ſunt. *Per prophetam*. Per quem prophetam? Per Micheam. Ille enim dicit. *Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda*. Contempta enim erat, vt puta parua: *Mich. 5.* nunc autem, quia ex ea prodiit Chriſtus, celebris eſt. Omnes enim ex finibus terræ veniunt, & ſanctam adorant Bethlehem. *Ex te enim egreſſus eſt dux*. *Peregrinatio ad ſacra loca per prophetā comprobata.* Egreſſus eſt, inquit, non in te manebit. & bene. Non enim manſit Chriſtus in Bethlehem, ſed ex ea, poſtquàm natus eſt, exiet, & in Nazareth frequenter conuerſatus eſt. Dicunt autem Iudæi, *Matt. 2.* quòd hoc prædictum ſit de Zorobabel, ſed mentiūtur manifeſtè. Etenim Zorobabel non in Bethlehem natus eſt. Vide enim nomen eius Zoro, ſignificat ſemen, & natiuitatem, Babel autem Babylona, hoc eſt, qui natus, vel genitus eſt in Babylone. Sed & propheta manifeſte arguit eos, dicens: *Mich. 5.* Egreſſus eius à principio, à diebus æternitatis. Cuius autem alterius egreſſus ſunt ab initio, & à diebus æternitatis quàm Chriſti? qui duos egreſſus habuit, hoc eſt, natiuitates. Nam prima eius natiuitas, ab initio fuit à patre, ſecunda autem fuit à diebus ſeculi, principium ſumēs à matre Dei, quæ in tempore fuit. Dicant igitur Iudæi, num Zorobabel ab initio fuerit: ſed non habent, quod dicāt. *Qui paſcet populum meum Iſrael*. Paſcet dixit, non tyrannidem exercebit, vel deuorabit. Alij enim reges, non paſtores, ſed lupi ſunt: Chriſtus autem paſtor, ſicut ipſe dicit: Ego ſum paſtor bonus. Po- *Ioan. 10.* pulum Iſrael dicit, tam eos, qui ex Iudæis, quā qui ex gentibus crediderunt. Iſrael enim interpretatur, videns Deum. Vnde omnes Deum videntes, *Alij dicunt potius ſignificare: fortis Deo.* Iſraelitæ ſunt, etiamſi ex gentibus nati ſunt. *Clam vocatis Magis*. Clanculo illos vocauit propter Iudæos. Suſpicabatur enim, quod Iudæi fortaſſis puerum facturi eſſent magni, & curaturi, vt ſeruēt eum, vt pote liberatorem ſuum, & propterea clam inſidiatur. *Diligenter quæſiuit*. Hoc eſt, accuratè didicit. Stella enim ante quam natus eſſet dominus, apparuerat Magis, quoniam multum temporis in iter inſumpturi erant, ideo multo ante apparuit ſtella. Adorarunt autem eum adhuc in faſciis iacentem. Aliqui autem dicunt: quod cum Chriſto nato apparuerit ſtella, & Magi per bienniū venerunt, & non in faſciolis inuenerunt puerum, neque in præſepio, ſed in domo cum matre bimū. Sed tu priorem ſententiam vt meliorem habe. *De puero hoc*. Non dixit de rege, ſed de puero: neque enim nomen ferre poterat. demonſtrans quantum cōtra illum inſaniret: *At illi, audito rege, profecti ſunt*. Ipſi cum dolo carerent, putabant & illum abſque

dolo loqui. *Et ecce ſtella.* Occulta erat ad paruum tempus ſtella ſingulari diſpenſatione, vt Iudæos interrogarent, & turbaretur Herodes, manifeſtiórque fieret veritas. Vt autem ipſi egreſſi ſunt à Hieruſalem, iterum apparuit, ducens eos. Vnde manifeſtum, quòd ſtella erat virtus. *Staret ſupra, vbi erat puer.* Et hoc rarũ. Deſcendit enim ſtella à ſummitate, & terræ propior facta, oſtendit eis locum. Nam, ſi ex ſummitate apparuiſſet, quomodo certiores fieri potuiſſent de loco, in quo eſſet Chriſtus? Stellæ enim multum locum comprehendũt. Vnde tu ſupra domum tuam vides lunam forte, & ego eandem video non niſi ſupra domũ meam, & vnicuiq; videtur ſtare nõ niſi ſupra domum ſuam luna vel alia ſtella. Vnde & illa ſtella non demonſtraſſet Chriſtum, niſi deſcendiſſet, & quaſi ſupra caput pueri ſteriſſet. *Gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Quod non aberraſſent, ſed inueniſſent, quod quærebant. *Et ingreſſi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Mox quidem vt natus fuit, reclinauit virgo puerum in præſepium non enim inuenerãt domum. Veriſimile autem eſt, poſtea eos inueniſſe domum, vbi & Magi inuenerunt eos. Aſcenderãt enim in Bethlehem, vt recenſerentur illic, ſicut &
Lucæ 2. Lucas dicit. Multa autem concurrente multitudine, vt cenſeretur, nõ habebãt ad tẽpus domũ, ſed in ſpelũca natus eſt: deinde, inuẽta domo, viſus ibi eſt à Magis dominus adorauerunt illum. Vide animæ illuſtrationem. Pauperem videbãt, & adorabant. Multis enim argumentis didicerant, quod eſſet vnus Deus, ideo & ei offerunt munera vt Deo, & vt homini. Audi enim. *Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei dona aurum & thus, & myrrham.* Aurum quidem obtulerunt ei vt regi. Aurum enim ſubditi regibus pendunt. Thus autem vt Deo. Deo enim thus adolemus. Myrrhã verò vt deguſtaturo mortem. Nam Iudæi cum myrrha mortuos ſepeliunt, vt corpus maneat incorruptũ. Myrrha enim cum ſicca ſit, areſacit & exſiccat humiditatem, & non ſinit innaſci vermes. Vides Magorum fidem, quod & à propheta Balaam didicerunt dominum & Deum, & regem eſſe, ac pro nobis moriturum.
Num. 24. Audi autem prophetam, cum recubuerit (inquit) requieſcet vt Leo. Ecce regiam dignitatem per Leonem ſignificat, mortalitatem autem, dum ait, cum recubuerit. Qui benedicunt te, benedicentur: ecce & deitatem. Sola enim Dei natura hanc benedictionis virtutem habet. *Et oraculo accepto.* Vide cõſequentiam, primum Deus illos ad fidem per ſtellam adduxit: deinde cum venerunt in Hieroſolymam, docuit eos per prophetam, quòd in Bethlehem naſcatur: & tandem per angelum. Et illi obediuit oraculo, hoc eſt, diuino colloquio. Oraculo igitur accepto, & apparitione à Deo habita, impoſuerunt Herodi, & non timuerunt ne fortè ſe inſectaretur, ſed confiſi ſunt virtute nati, verique teſtes fuerunt.

INCERTI CVIVSDAM *ſub nomine Euſebij Emiſeni, eiuſdem Euang. expoſitio.*

NOn vacat à myſterio, quòd beata virgo Maria, relicta patria ciuitate, & domo, filiũ ſuum in Bethlehem parere venit. Bethlehem enim domus panis interpretatur. Ieſus autem de ſeipſo loquitur, dicens, Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Dignum ergo fuit vt panis viuus in domo panis naſceretur, cuius Chriſti natiuitas fuerit cauſa, vt ſic vocaretur. Neque enim ideo Chriſtus in ea natus eſt, quia ſic vocabatur: ſed ideo ipſa ſic vocata eſt, quia Chriſtus in ea oriebatur. Simus igitur & nos Bethlehem, ſimus domus panis, qui enim domus panis non fuerit, interibit. Hoc enim dominus ipſe ait, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Suſcipiamus itaq; Chriſtum in domo noſtra, ſuſcipiamus eum in mente, & in pectore noſtro. Oriatur in nobis, ipſe enim via, veritas & vita: ipſe ſapientia & iuſtitia: ipſe igitur oritur in nobis, quando iſta naſcuntur & ædificantur in nobis. Sequitur: *Ecce Magi ab oriente venerũt.* Quare ab oriente? Quia iam interius illuminati erant, & iam ſol iuſtitiæ eorum mentes illuſtrauerat. Sed vbi venerunt? *Hieroſolymam.* Et quid dicebant? *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Vnde hoc ſcitis? quis hoc vobis indicauit? At illi, *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Iſti enim ſunt primitiæ gentium, iſti prius ex gentibus in Chriſtum crediderunt. His non terra, ſed cæli Chriſti natiuitatem prædicauerunt. Et in his quidem completum eſt illud, quod dicitur, Cæli enarrant gloriam Dei. Credunt autem iſti cælo non loquenti, ſed nouam ſtellam oſtendenti: Iudæi verò credere nolunt Chriſto prędicanti, prophetias exponenti, mortuos ſuſcitanti, cæcos illuminanti, & alia miracula facienti. Sed nunquid illa ſtella videbatur ab omnibus? Si enim ab omnibus videretur, nequaquam ſe eam in Oriente vidiſſe dicerent, quæ non ſolùm in oriente appareret. Factum eſt autem vt viſa ſtella, quicquid per eam ſignificabatur, mox intelligeretur, non tamen aſtrologię artis demonſtratione, ſed ſancti Spiritus illuſtratione. Chriſtum igitur in ſtella quærebant, quem diuina inſpiratione per ſtellam ſignificari intelligebãt. Hoc enim & Balaam ſignificauerat, dicens, Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Eſt igitur Chriſtus & homo & ſtella: ſtella in ſignificatione, homo in veritate: ſtella gentibus, homo Iudæis. Gentes enim in ſtella ſequuntur, & illuminantur: Iudæi hominem tantùm eſſe putant, & excęcantur. Vnde ipſe quoque ait, in iudicium ego veni in hunc mundum, vt, qui non vident, videãt, & qui vident, cæci fiant. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſoyma cum illo.* Magna quidem erant quæ dicebantur, ſed quia lætitiam ſonabant, & totius regni innuebãt, non vtique perturbari, ſed lætari & Herodes, & omnis Hieroſolyma debuiſſet. Sic enim infirmi oculi viſo lumine, perturbari ſolent. Bene autem iſti tales in prophetarum libris per illas aues ſignificantur, quas dies excæcat, & nox illuminat. Sed quis non lætetur, dum puer noſter adhuc in cunabulis vagit, & rex terræ cum toto regno ſuo timore diſſoluitur? Ne timeas miſer: non enim venit, vt regnum tibi auferat, ſed vt omnibus de regno expulſis regnum reſtituat. Sequitur: *Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei, in Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per prophetam. Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Turbatus enim Herodes quieſcere non poteſt, angitur, anguſtatur, & ne ex improuiſo capiatur, principes ſacerdotum & ſcribas populi vocat, vbi Chriſtus

naſcatur

naſcatur inquirit. Dicitur ei, *in Bethlehem Iudæ*. Timor additur timori: & qui magorum verbis perturbatus fuerat, iterum ſcribarum, & ſacerdotum reſponſione terretur. Quomodo enim terreri non poterat, qui tantum terrena ſapiens regnum amittere timebat, dum ſuo tempore Chriſtum natum eſſe audiebat? *Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit illis.* Hoc autem ideo faciebat, vt, ſi Chriſtum inuenire non poſſet, ſaltem, natiuitatis eius tempore cognito, qui ſolus occidi non poterat, ſimul cum cæteris eiuſdem ætatis pueris necaretur. Non enim intelligis, Herodes, nõ intelligis quid tibi per Moyſen à domino dicitur: Non coques hœdum in lacte matris ſuæ: id eſt, non occides Chriſtum infantem, & ad virginis matris vbera pẽdentem. *Et mittens eos in Bethlehem, dixit, ite, interrogate diligenter de puero: & quum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Nihil proficis, nihil hac tua calliditate agis, non eſt conſilium, nec fortitudo, nec ſapiẽtia contra Deum. Qui quum audiſſent regem, abierunt. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret, ſupra vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Recedunt magi ab Herode, vt vident ſtellam, quia & illi, qui à diabolo ſeparantur, vident iuſtitiæ lumen. Sed quare eos antecedit ſtella, niſi vt viam eis oſtendat, & ad puerum ducat? Sequũtur igitur eam: veniunt Bethlehem, ſtat ſupra domum illam in qua erat virgo Maria. Stat ſtella ſupra ſtellam. Maria enim ſtella maris interpretatur. Stella itaque filius, ſtella & mater. Stella oritur de ſtella, ſed maior quæ oritur, quàm illa de qua oritur. Vnde & meritò ſuprà ſtare videtur. Non dixit, ſuprà puerum. Sed quid dixit? *Supra vbi erat puer.* Vbi enim erat puer, niſi in ſinu matris? Stabat igitur ſtella, & clamabat. Habet enim linguam ſuam. Ne enim longè petamus exempla, ſic illa ſtella loquebatur Magis, ſicut iſtæ literæ loquuntur nobis. Significando igitur loquebatur. Sed quid ſignificabat? quid dicebat? Vis audire quid? hîc eſt puer, hîc eſt mater pueri, hîc eum quærite, hîc eum inuenietis, hic in paruo corpuſculo latet, qui vbique eſt & omnia replet. Hoc eſt enim quod dicit, *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Quid eſt enim videntes ſtellam, niſi videntes & intelligentes quid ſignificabatur, & dicebatur per ſtellam? Non enim magnum gaudium eſt, videre ſtellas. Nam & Solem & Lunam ſępe videmus, & non multum videndo gaudemus, Gaudebant igitur non propter ſtellam, ſed propter ſtellæ ſignificatum. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quanta igitur tunc tibi exultatio fuerit, ô virgo beatiſſima Maria, quis cogitare valeat, quando eum, quem nuper genueras, iam quaſi Deum adorari videbas? Suſcipe prima munera filij tui, ſuſcipe tributa, quæ ei ſoluuntur: & quæ aliis tributa ſoluere veneras, ipſa ab aliis tributa ſuſcipias. Ad hoc enim (vt Lucas ait) venerat Ioſeph in Bethlehem, vt ipſe quoque ſicut cæteri profiteretur, & obligaret ſe tributa perſoluere, eò quòd eſſet de domo, & familia Dauid. Vnde manifeſtum eſt, quòd ſecundum familias tributa ſoluebantur, omnéſque eiuſdem familię propter hoc in vnum conueniebant. Sic quidem & Ioſeph, & Mariam, quia erant de familia Dauid, in Bethlehem venire neceſſarium fuit, vbi illa familia habitabat. Sed quare tria munera Magi obtulerunt, niſi vt Trinitatis myſterium reuelarent? Primùm enim munus offerimus, credendo in patrem: ſecundum, in filium: tertium, in Spiritum ſanctum. Hæc tria munera nobis ſufficiunt. Qui hæc non offert, à Chriſto non recipitur. Hæc igitur cauſa eſt, quare tria munera domino obtulerunt. Si enim vel plus vel minus offerrent, fidem catholicam non tenerent. Quòd igitur vnuſquiſque tria munera obtulit, Trinitatis fidem apertiſſimè demonſtrauerunt. Quid autem per aurum ſignificari putamus, niſi illam, quæ cæteris maior eſt, & latius fulget, regiam poteſtatem? Aurum igitur offerimus Chriſto, quia omnium regem eum eſſe credimus. Offerimus & & thus: quia Deum eſſe cõfitemur. Thus enim in ſacrificiis etiam Gentiles diis ſuis offerre conſueuerũt. Myrrham quoque ei offerimus, quia ſic illum Deum eſſe credimus, vt hominem, & mortalem eſſe non dubitemus. Myrrha enim, ne corrumperentur, olim corpora mortuorum condiebantur. Quia ergo Chriſto obtulimus ſua, offeramus ei & noſtra. Quòd enim regem, & Deum, & hominem eum eſſe credimus, ſuum eſt: noſtra verò ſunt, quę nobis à Deo donata ſunt. Habet enim Eccleſia aurum in ſapientia, thus verò in ſancta, & bene Deo redolente conuerſatione, myrrham autem in amaritudine pœnitentiæ, & carnis mortificatione. Aurum igitur offerunt doctores, thus martyres, & confeſſores, myrrham iam pœnitentes peccatores. In aliis itaque aurum fulget, in aliis thus ſuauiter redolet, in aliis myrrha ſapiẽter amareſcit. Quid aliud Deo offerre poſſumus? Omnis noſtra oblatio in his tribus muneribus continetur. Talia igitur munera obtulerunt Magi, in quibus ea fidei veritatem, & totam Eccleſiæ diſciplinam ſignificabant. *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Reuertamur igitur & nos per aliam viam in regionem noſtram: quia per illam, qua exiuimus, redire non poſſumus. Hoc enim & filiis Iſrael, de Ægypto exeuntibus præcipitur, vt per eandem viam non reuertantur. Regio namque noſtra paradiſus eſt, regio noſtra eſt terra viuentium, ibi habitauerunt parentes noſtri, inde exierunt. Sed qua via? Vtique per ſuperbiam, per inobedientiam, per vanam gloriam, per gulæ intemperantiam. Per hanc autem viam in patriam redire non poſſumus. Alia ergo quærenda eſt, qua in patriam reuertamur. Hæc autem via, Chriſtus eſt: ipſe enim ait, Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me. Inuenimus viam, curramus per eam, ſi recto itinere in patriam redire velimus. Per hanc enim ille currit, qui eius præcepta cuſtodit. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. Hoc ipſe præcepit. Hoc tibi ſufficit cuſtodire: ne quæras amplius. Hæc via in patriam reducit.

PETRI DAMIANI IN *eodem feſto, Sermo.*

CVm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius

in

in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Laudate dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Nam cùm omnipotens ſermo nondum à regalibus ſedibus deſcendiſſet, & nox in ſuo curſu medium iter ageret, populus gentium ambulabat in tenebris, quia dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, varióſque ſecuti errores in circuitu impij ambulabant, euntes vnuſquiſque alius ad villam, alius ad negotiationem ſuam; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, quia incuruatus eſt vnuſquiſque ad opus manuum ſuarum. Patres etiam illi antiqui omnes ſub nube fuerunt, eo quòd aſpiebant in viſu noctis, nec claritatem vultus Moyſi poterant intueri, quia velamen erat poſitum ſuper cor eorum, & erat aqua tenebroſa in nubibus aëris, cùm videlicet filij Sion inclyti, conuerſi ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli: diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum; argentum eorum verſum eſt in ſcoriam, eo quòd caupones eorum miſcebant aquam vino; quando obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, nec erat de eis, qui faceret bonum, nec etiam vſque ad vnum. Tunc ergo tenebræ factę ſunt ſuper vniuerſam terram, quia Iudæus, & Gentilis in tenebris ſtrauerunt lectum ſuum habitantes in tenebroſis, & vmbra mortis. Quia igitur tunc nox præceſſit, ecce dies appropinquauit, & lumen refulſit in habitaculo carceris noſtri, ea eo quòd exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, cùm viſitauit nos Oriens ex alto; & ortus eſt nobis Lucifer matutinus, qui non nouit occaſum, quando lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris luxit, & tenebræ eam non comprehenderunt. Iudæi itaque, & Gentiles in tenebris erant vſque ad tempus plenitudinis. At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Agnum dominus dominatorem terræ, de petra deſerti ad mõtem filiæ Sion; & lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Et quia ad hoc venerat, vt oues diſperſas congregaret in vnum, licet non fuerit primò miſſus, niſi ad oues, quæ perierant domus Iſrael, quia tamen alias oues habebat, quæ non erant ex hoc ouili, & illas oportebat eum adducere, vt fieret vnum ouile, & vnus paſtor; idcirco habitantibus in regione vmbræ mortis tam Iudæis, quam gentibus, lux orta eſt eis vtriſque, propter quod & in natiuitate claritas Dei circunfulſit paſtores, quia Angelus euangelizauit eis gaudium magnum, & hodierna die ſtellę claritas natum denunciat Saluatorem. Iudæis itaq; tanquam rationе vtentibus loquitur vox Angelorum, Gentibus verò quaſi brutis, & iumentis in campis ſyluæ, loquitur lingua, ſiue ſtella cælorum. Lux itaque demõſtrat lucem, creatura ſuum indicat creatorem, ſuum loquitur factura factorem, & noua ſtella denunciat verum Solem. Laudate ergo dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Lætamini gentes ſimul cum plebe eius. Gaudeant Gentiles, exultent Iudæi, quia ecce Sol de ſtella oritur, & factor Virginis factus eſt in Virgine factura ſua. Homo enim, qui factus eſt in ea, ipſe fundauit eam altiſſimus. Ortus eſt itaque Sol de ſtella, ſanitas ex ægritudine, ex morticino vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex ſpina roſa, pater ex filia, Dominus ex ancilla, & de exiguo rinulo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Oritur ergo Sol per ſtellam. Erat ſtella in aëre, ſtella in terra, Sol in præſepio. Stella in aëre, corpus illud lucidũ, ſtella in terra, Virgo Maria, Sol in præſepio, Chriſtus noſter. Stella in aëre, de qua habuimus in Euangelio: Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Stella in terra, de qua Balaam prędixit in Prophetia ſua: Orietur ſtella ex Iacob, & confringet omnes alienigenas. Sol in præſepio, de quo reprobi, ſecundùm quod in libro Sapientię legitur, dicturi ſunt in futuro: Errauimus à via veritatis, & Sol iuſtitiæ non illuxit nobis: de quo Apoſtolus: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: An non ipſe eſt, qui in ſole poſuit tabernaculum ſuæ carnis, quando fuit tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo? In ſtella, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneę naturæ eſt, ſtella in ſe lucida eſt, & clara, ſtella ex ſe radium emittit, ſtella in nocte lucet. Hæc eadẽ in ſtella noſtra, id eſt Virgine Maria poſſumus inuenire. Stella, vt diximus, igneæ naturæ eſt, & ipſa Virgo Maria igneæ naturæ fuit. Ipſa eſt enim rubus ille igneus, in quo apparuit dominus Moyſi, qui videbatur quippe ardere, ſed non comburebatur, quia grauida quidem apparuit Virgo, ſed igne libidinis non eſt conſumpta. Ipſa in ſe ſplendida eſt, & clara, adeò vt de ea ſcriptum ſit in Canticis canticorum: Quæ eſt iſta, quę progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? Ipſa ex ſe radium illum emiſit, qui penetrat vſq; ad cordis ſecreta. Scrutatur enim corda, & renes, eo quòd viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus; vnde & meritò congruit ei nominis interpretatio. Maria nanque ſtella maris interpretatur. Mare hic mũdus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Meritò ergo ſtella maris dicitur, quia ipſa, tanquam ſidus ſingulare refulſit in mundo, & cuius ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſicut radius proceſſit à ſtella, ſtella integra permanẽte, ſic filius ex Virgine, virginitate inuiolabili perdurante, ſecundum quod & Propheta Ezechiel inquit: Porta, quam vides, ſemper erit clauſa, & nullus tranſibit per eã, ſed dominus ſolus introibit per eam. Stella lucet in nocte, & ipſa Virgo in nocte huius ſeculi ſingulariter fulſit, ſecundum quod de ea ſcriptum eſt, Quæ cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Talis eſt ſtella noſtra, fratres, talis eſt Virgo Maria, talis eſt ſtella maris; & quia reliquit nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, talis etiam debet eſſe anima noſtra. Simus ergo, fratres, igneæ naturæ, vt ſit in nobis ille ignis, quem venit dominus mittere in terram; & ignis ille, qui erat flammigerãs in oſſibus Hieremiæ, accendatur in conflatorio cordis noſtri, iuxta quem ſedet dominus purgans, & mundans filios Leui. Simus etiam & nos clari, & fulgidi, vt aſpiret nobis dies, & inclinentur vmbræ, & deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, induamur nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, vt ſi fuimus aliquando tenebræ, nunc ſimus lux in domino, & induti armis lucis ambulemus honeſtè, ſicut decet ambulare in die. Emittamus etiã ex nobis, fratres, radium bonæ operationis, quia ſcriptum eſt: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe

ardentes

ardētes in manibus portamus, cùm proximis noſtris per exempla bonæ operationis lucemus, vt, cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni; & ſic luceat lux noſtra coram hominibus, vt videntes opera noſtra bona, glorificent Patrem, qui in cælis eſt, & currant multi in odorem vnguentorum noſtrorum. Stella lucet etiam in nocte, & nos, fratres, in nocte huius ſeculi luceamus, ſecundum quod ſcriptū eſt: Inter quos lucetis, quaſi luminaria fixa in firmamento. Contra hæreticorum tenebras ſapientiæ lumine ſplēdeamus, quia ſcriptum eſt: Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineam domini. Propter quod dominus inquit: Eſtote prudētes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Sic ergo fratres, ad verum ſolem poterimus peruenire, ſi Virginis, & ſtellæ noſtræ veſtigia fuerimus imitati. In ſole autem quinque principaliter attenduntur. Sol incommutabilis eſt in ſe, cùm luna ſingulis menſibus commutetur. In ſole eſt nulla macula, cùm ſemper macula ſit in luna. Sol habet plenitudinem luminis, à quo & alia luminaria lumen accipiunt. Sol licet ſit immutabilis, interdum tamen patitur eclipſim. Sol ſemper lucet in die. Sed eadem in vero Sole noſtro ſolicitè inueſtigemus. Sol in ſe incommutabilis eſt; & ipſe Chriſtus ſecundùm diuinitatis potentiam ſemper incommutabilis perſeuerat. Vnde ipſe ait: Ego ſum Deus, & non mutor. Apud quē non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. In ſole nulla eſt macula; & ipſe eſt, qui ſingulariter ingreſſus eſt mūdum ſine macula; qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Sol habet plenitudinem luminis; & in eo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, cui non eſt datus ſpiritus ad menſuram, immò de plenitudine eius accepimus omnes gratiā pro gratia, quando vnguentum à capite deſcendit vſque ad barbam, & à barba ſtillauit in oram veſtimenti. Sol interdum patitur eclipſim; & ipſe Chriſtus eclipſim mortis paſſus eſt in paſſione, quando receſſit paſtor ouium, ponés animam pro ouibus ſuis, & inclinato capite emiſit ſpiritum. Sol ſemper lucet in die; & ipſe dominus, poſtquā reſurgendo conſumpſit tenebras noſtræ mortalitatis, reſurgens ex mortuis iam nō moritur, mors illi vltra non dominabitur, ſed lucem habitat inacceſſibilem, & in eo tenebræ non ſunt vllæ. Hunc ſolus aquila Ioannes irreuerberatis luminibus intuitus eſt in rota ſua, quando adeò altè volauit, quòd ſi paulò altiùs intonuiſſet, totus mundus eū capere non potuiſſet, inquiens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Magi ergo illuminati à ſole venerunt ad Solē, qui illuſtrati per ſtellam, quæ lumen ſuum habet à ſole, venerunt ad adorādum Solem; quorum geſta diligenter ſingula attendamus. Venerunt ergo ab Oriente Hieroſolymam, & cùm veniſſent, inquiſierunt: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Cùm perueniſſent ad locum, prociderunt; cùm procidiſſent, adorauerunt; cùm adoraſſent, munera obtulerunt. Venerunt ergo infatigabili labore, inquiſierunt prouida ſolicitudine, prociderunt debita humiliatione, adorauerunt mentis deuotione, munera obtulerunt integra fidei religione, & obtulerūt ei aurum, thus, & myrrham. Ecce primitiæ gentium, primò puram, & integram fidem offerunt; obtulerūt enim thus Deo, myrrham mortali, aurum Regi, thus per fidem diuinitatis, myrrham per fidem humanitatis, ſiue mortalitatis, aurum per fidem regiæ dignitatis. Fuit enim Deus, & homo, Emanuel nobiſcum Deus, eùm factus eſt ſimul in vnum diues, & pauper; fuitque ex regia tribu, ſecundùm quòd in eius genealogia deſcribitur: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham, &c. Vel obtulerunt hæc tria humanitati Chriſti, aurum Regi, Sacerdoti thus, myrrhā mortali. Fuit enim ex regia, & ſacerdotali tribu. Fuit Rex, quia habuit in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & dominus dominantium. Fuit & Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech Regis Salem, qui Sacerdos fuit Dei ſummi, quia non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Conuerſi enim ſumus ad paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum. Fuit etiam mortalis, quia verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit in corpore ſuo ſuper lignum. Hæc eadem ipſa Virgo ſtella maris obtulit ſoli nato ſuo in perſona ſua. Obtulit enim aurum regiæ dignitatis, quia fuit ipſa de regia tribu, ſecundum quod in dicta genealogia legitur: Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Obtulit etiam thus, & myrrham; vnde in Cātico amoris hæc duo in ipſa iunguntur, vbi dicitur: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmētarij? Myrrha arcet vermes à corporibus mortuorum, & ipſa corpora conſeruat à corruptione: propter quod Nicodemus attulit mixturam myrrhæ, & aloës, vt conditet corpus Ieſu. Per myrrham ergo carnis integritas deſignatur, thus verò mentis exprimit deuotionem. Benè ergo hæ duæ ſpecies in ſtella, & virga noſtra iunguntur, quia in Virgine Maria carnis integritas, & mentis deuotio ſemper indiuiſa manſerunt. Et meritò additur, Vniuerſi pulueris pigmentarij; quia ipſa adeò fuit donis Spiritus ſancti referta, vt audire meruerit: Aue gratia plena, dominus tecū, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Sic ergo, fratres, obtulerunt Magi, obtulit & virgo Maria ſtella noſtra. Et quia exempla dederunt nobis, ergo & nos ita faciamus. Venerūt Magi, veniamus & nos, quia ſcriptum eſt: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et alibi: Venite ad me, qui concupiſcitis me. Inquiſiuerunt Magi, inquiramus & nos, quia ſcriptum eſt: Quærite dominum, dum inueniri poteſt. Prociderunt Magi, procidamus & nos, quia ſcriptum eſt: Venite adoremus, & procidamus ante Deum. Adorauerunt Magi, adoremus & nos, quia ſcriptum eſt: Adorate dominum in aula ſancta eius. Obtulerunt Magi, offeramus & nos, quia ſcriptum eſt: Obſecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuētem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Offeramus & nos illa tria, quæ obtulerunt Magi, aliter tamen quàm illi. Offeramus myrrham mortificationis, vt mortificantes corpora noſtra, quæ ſunt ſuper terram, carnis curam non faciamus in deſiderijs, crucifigentes corpora noſtra cum vitijs, & concupiſcentijs; & in his tamen omnibus rationabile ſit, vt dictum eſt, obſequium noſtrum. Offeramus thus deuotæ orationis, ſecundùm quod Apoſtolus ait: Orabo ſpiritu, orabo & mēte; pſallam

lam ſpiritu, pſallam & mente; vt dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu domini. Offeramus & aurum, ſplendorem ſapientię; aurum namque ſapientiam deſignat, iuxta illud: Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis: vt ſimus parati omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt, fide, & ſpe reddere rationem, & ſplendore ſapientiæ fulgeamus, & contra hæreticorum tenebras intrepidi dimicemus, atque dicere poſſimus: Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Et vtinam non poſſetis dicere potiùs: Bonum mihi lex oris Iuſtiniani ſuper millia auri, & argẽti: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ita vt lex tua, domine. Dereliquerunt venam aquarum viuentium dominum: ne meritò ipſa ſapientia cõqueratur dicens: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. Nam hi, qui in lege domini debent meditari die, ac nocte, à veritate ad fabulas cõuertunt auditum. Cuſtodes ego ſuper muros Eccleſię conſtituti, vigilantes ſunt, ne vulpes Sampſonis incendant ſegetes noſtras; & ponatur turris Dauid cum propugnaculis contra Damaſcum, ex qua dependeant clypei mille; turris nanque fortiſſima nomen domini; ad eam confugiet iuſtus, & exaltabitur. Hæc eſt ſcriptura, vbi nomen domini inuocatur, in qua propugnacula ſunt prælati, atque doctores, qui eius terminos debẽt cuſtodire, de quibus ſcribitur: Non tranſgredieris terminos, quos tibi patres tui conſtituerunt. Statuit nanque Moyſes terminos contra montem Sinai, quos tranſgredi non licebat. Et vtinam iſtos terminos nulli tranſgrediantur; alioquin lapidibus erunt digni. Ex hac pendent clypei mille, perfectio videlicet auctoritatum, quæ eſt ad munimẽtum ipſius: Hæc turris ponitur contra Damaſcum, ſcilicet contra robur hæreticorum. Huius fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, id eſt myſterium Chriſti. myſterium, quia multiplex habuit teſtimonium. Habuit enim teſtimonium hominũ, teſtimonium Angelorum, teſtimoniũ mulierum, teſtimonium virorum, teſtimonium ſenum, teſtimonium paruulorum, teſtimonium terrenorum, teſtimonium cælorum, teſtimonium Gentilium, teſtimonium Iudæorum, teſtimoniũ antiquorum, teſtimonium modernorũ, teſtimonium lucis, teſtimonium tenebrarum, teſtimonium legis, teſtimonium Prophetarum, teſtimonium Regum, teſtimonium turbarum, teſtimonium viuorum, teſtimonium mortuorum, teſtimonium brutorum, teſtimonium Solis, teſtimonium elementorum. Habuit teſtimonium hominum, quia paſtores erant in regione illa, qui venientes inuenerunt de Verbo, ſicut dictum erat ad eos de puero. Teſtimonium Angelorum, quia Angelus domini ſtetit iuxta illos, & dixit eis: Ecce euangelizo vobis gaudiũ magnum, quia natus eſt hodie Saluator mũdi, qui eſt Chriſtus domini in ciuitate Dauid. Et facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Habuit teſtimonium mulierum, quia Anna propheteſſa filia Phanuel confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael. Habuit teſtimonium virorum, quia vno die conuerſi ſunt tria millia, & alio quinque millia, qui teſtimonium perhibebant de Ieſu. Habuit teſtimonium ſenum, quia antiquus ille dierum Symeon, cuius capilli erant ſicut lanæ alba, qui acceperat reſponſum à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum domini, accipiens eum in vlnas ſuas dixit: Nunc dimittis, domine, ſeruum tuum ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Habuit teſtimonium paruulorum, quia Innocẽtes illi eum, quamuis non loquendo, moriendo tamen confeſſi ſunt. Habuit teſtimonium terrenorum, quia pax facta eſt in terra hominibus bonæ voluntatis, tanta, vt ab vno homine Cæſare Auguſto totus orbis deſcriberetur; de cuius tranquillitate Eſaias inquit: Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Habuit teſtimonium cælorum, quia cęli miſerunt nouam ſtellam, ſecundùm quòd habuimus in Euangelio: Et ecce ſtella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer. Habuit teſtimonium Gentilium, quia Magi venientes Hieroſolymam dixerunt: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum: Habuit teſtimonium Iudæorum, quia Herodes principes ſacerdotum, & ſcribas populi conueniens ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur; at illi dixerunt, In Bethlehem Iudæ. Habuit teſtimonium antiquorum, quia in manibus Prophetarum aſſimulatus eſt; ipſe enim eſt Agnus occiſus ab origine mundi. Habuit teſtimonium modernorum, vnde & ipſe Diſcipulis inquit: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Habuit teſtimonium lucis, quia claritas Dei circunfulſit paſtores, & claritas ſtellæ illuſtrauit Magos. Teſtimonium tenebrarum, quia in morte eius tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Habuit teſtimonium legis, quia Moyſes dixit in lege: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris; ipſum tanquam me audietis: & alibi: Et erit vita tua pendens in ligno: videbis, & non cognoſces. Teſtimonium Prophetarum, quia Eſaias ait: Egredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus domini: & alibi: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Hieremias autem; Poſt hæc, inquit, in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt. Ab Ezechiel in eius teſtimonio filius hominis appellatus eſt. Daniel ait: Cùm venerit ſanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio veſtra. Oſeas in eius teſtimonio accepit vxorem fornicariam. Abacuc dicit: Cornua ſunt in manibus eius. Ionas in ventre ceti eius teſtimonium teſtatus eſt. Et quid diſcurram per ſingula? Nullus Prophetarum extitit, qui ei teſtimonium non perhiberet. Teſtimonium Regum, vnde Dauid Rex: Terra noſtra dabit fructum ſuum: & alibi: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et Salomon: Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis: & Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Teſtimonium turbarum vnde dixerunt in Euangelio: Vidimus mirabilia hodie: & Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere, quod facit: propter quod voluerunt etiam eum rapere, & regem facere. Teſtimonium viuorum, quia illi duo, qui ibant in Emaus, venerunt, & narrauerunt omnia, quę eis acciderant. Teſtimonium mortuorum, quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & apparuerunt multis. Teſtimonium brutorum, quia cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus

nus præſepe domini ſit Teſtimonium Solis, quando ipſe obſcuratus eſt. Teſtimonium elementorum, quia teſtimonium perhibuit terra, quando terræ motus magnus factus eſt, teſtimonium perhibuit aqua, quando ſiccis pedibus ambulauit ſuper aquas: teſtimonium perhibuit aër, quãdo nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, ſcilicet diſcipulorum; teſtimonium perhibuit ignis, quando Angelus domini deſcendit de cælo, & reſplenduit facies eius, ſicut fulgur; fulgur enim igneæ naturæ eſt. Quia ergo, fratres, myſterium Crucis habuit teſtimonium omnium prędictorum, erubeſcat Iudæus infelix, qui negat Chriſtum de Virgine natum, quia paſtores Iudæi inuenerunt ſicut dictum erat illis. Confundatur Gentilis, qui dicit ligno: Deus meus es: & lapidi: Tu me genuiſti: quia Magi Gentiles ipſum adorauerunt. Obmuteſcat hæreticus, qui myſterio contradicit. Et omnis lingua confiteatur, quia dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Ad quam gloriam nos perducat ipſe dominus noſter Ieſus, qui cùm ſit ſplendor luminum, flos florum, vita morum, ſchola virtutum, & corona ſanctorum, ſuper choros Angelorum regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Q*Vum autem genitus eſſet Ieſus, &c.* Quare & locum dicit, & tempus, ac Herodis dignitatem? Locum quidem, vt oſtendat completam eſſe Michææ prophetiam, qui dixit: Et tu, Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda, ex te enim exibit dux, qui regat populũ meum Iſrael. Tempus vero, vt ſimiliter doceret,
Gen. 49. impletam eſſe prophetiam Iacob dicentis; Non deficiet principatum tenens de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniant, quæ ei repoſita ſunt. Inſtante nempe natiuitatis Chriſti tempore, defecit principatum tenens de Iuda, ac deinceps dominari cœpit Herodes Idumęus alienigena. Dignitatem quoque poſuit Herodis. Fuit enim & alter Herodes tetrarcha, qui præcurſorem interemit. Hi autem Magi erant Perſæ. Siquidem Perſæ maxime inter omnes nationes magica exercebant. Conſidera etiam quo modo ſtatim à principio gentibus in confuſionem Iudæorum, fidei ianua aperitur. Quum enim hi prophetas habentes, qui Chriſti prædixerant aduentum, parum aduerterent animum, ideo diſpoſitum eſt: vt venirẽt barbari, hique Magi, & è longinqua regione, vt eos docerẽt, quod a propriis prophetis diſcere nõ curabant, vt, ſi poſtea contendere voluerint, non habeant quod reſpondeant. Quid enim dicere poterant, quando Magi, viſo vnico aſtro, crediderunt; ipſi autem, neque tot prophetis credere voluerũt? *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, &c.* Et vnde cognouerunt ſtellam illam, Regis Iudæorum natiuitatẽ manifeſtare? Quia ex genere Balaam Aſtrologi deſcendebant, & ſcripta illius adeuntes, inuenerunt ab eo dictum; Orietur ſtella ex Iacob, &
Num. 24. conſurget homo ex Iſrael. Tali itaque prophetia permoti, agnouerunt ex Iudæis Regem naſciturum in modum ſtellæ excelſum ſcilicet, & clarum. Ex eo igitur tempore ſtellas obſeruabant: tunc autem hanc inſuetam, & recenter apparẽtem videntes, nihil cunctando, venerunt, vt eum, qui natus erat, adorarent, volentes à prima ſtatim ætate ipſi pendere tributa, vt, cognito quis eſſet, & in qua ortus ciuitate; vbi creuiſſet, amicum ſibi haberent. Et quidem vſque ad Palęſtinæ regionem ſtellæ ducatum habuerunt. Vbi autem Ieroſolymis appropinquaſſent, amplius eam non viderunt. Quod factum eſt, vt, duce perdito, interrogare cogerentur: fieretque Iudęis manifeſtum, natum eſſe Chriſtum, ne in poſterum dicere poſſent. Non nouimus, vtrum natus ſit. Significauit etiam ſtella Chriſtum, vt Balaam prophetia cõpleretur. Quia enim prophetæ Chriſtum pręmonſtrantes, Iudęis perſuaſuri non erant: reliquum erat, vt gentibus ſtella indicaret iuſtitię ſolem e terra orientem. Neque enim prophetam, aut nuncium viderant, vt ab eis cognoſcerent. Soli autem Perſę ſtellam hanc obſeruauerant: ſoli nanque diligẽtius circa Aſtrologiam ab infantia occupabantur. Neque tamen omnes Perſæ, quia non omnes acris erant ingenij, neque æqualiter omnes erant credituri. Nunc vero dicendum eſt contra Genethliacos, qui ſtellam hanc proferunt in patrocinium artis Genethliacæ, ſtellam hanc non naturam ſtellarũ, ſed figuram duntaxat habuiſſe. Et vere diuina quædam inerat potentia in hanc figuram transformata. Et hoc quidem ex multis manifeſtum eſt. Primum à via. Nam quælibet ſtella ab ortu progreditur in occaſum, ſola hæc à ſeptentrione in meridiem ferebatur: talem nempe ſortitur Palæſtina ſitum, ſi ad Perſidem conferas. Secundo à ſplendore. Siquidem nulla in die apparet, propter exceſſum lucis ſolaris: hanc ſolam in die apparentem ſol occultare non poterat. Tertio ex hoc, quòd, prout opus erat, apparebat, rurſuſque occultabatur. Vſque ad Palæſtinæ enim regionem ducatum illis præſtans, apparuit. Ex quo autem Ieroſolyma acceſſerunt, ſeipſam occultauit: rurſumq; à Ieroſolymis exeũtibus, demõſtrabatur. Et illis quidem eũtibus, pręcedebat, ſtantibus vero, circummanebat, iuxta illorum neceſſitatem ſuum prębens motum. Quarto ex eo, quod terræ proxima incedebat, neque enim ſpeluncam, aut diuerſorium demonſtraſſet, ſi aliis proxima ſtellis, ſublimis lata fuiſſet: nunc autem veniẽs, ſtetit ſupra locum, in quo erat puer. *Quum audiſſet autem hæc Herodes Rex, turbatus eſt, &c.* Herodes quidem iure turbatus eſt, nempe timens de regno ſuo, filiorumque ſuorum: tota autem ciuitas, quæ Ieroſolyma appellatur, quare turbata eſt? Atqui gaudere ipſam magis oportuit, quòd ipſis Rex natus eſſet, quem olim prophetæ ſaluatorem, ac redemptorem Iſrael prænunciauerant, & gloriari tanquam propinquos, quod ſtatim à cunabulis Perſas ad ſui adorationem attraheret. Verum excæcauit illos inuidia, ſtatimque audientes, turbati ſunt: quaſi timentes, ne forte ſalutem conſequerentur. Perſæ vero, quum eſſent extranei, non ſolum nato non inuiderunt, imo à finibus ſuæ regionis vſque Bethlehem propter eum venerunt. Iudæi autem, quum eſſent cognati, etiam gloriæ eius inuiderunt, ne forte magnus futurus eſſet: & quum Bethlehem prope haberent, ita inuidi fuerunt, ac pigri, vt ad eam non accederent. *Sciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Atqui Magi non dixerunt ſe Chriſtum quærere, cur igitur Herodes de Chriſto interrogat? quia iamdudum audiebat in proximo naſciturum eſſe Chriſtum, Regem Iſrael, ſtatimque audiens in Iudæa natum eſſe Regem, & quod hunc ſtella Perſis in-

dicaſſet, intellexit eum eſſe, qui dicebatur Chriſtus. Et conuocat principes ſacerdotum, ac ſcribas, vtpote dicta prophetica, libroſque in ore habentes, & interrogat, *vbi Chriſtus naſceretur*, hoc eſt, in quo terræ loco naſciturus inueniretur. Illi vero & locum dicunt, & teſtem citant prophetam. Scire autem oportet, quod nominatim Chriſtum eſſe Deum, cęteris manifeſtius ſcripſit Daniel. Michçæ prophetia eſt, vt prædiximus. Recitant auté ipſam pontifices, & ſcribæ ſub compendium. Vide ergo quæ in laudem Bethlehem dominus per prophetam annunciauerit. Etſi, inquit, vilis appares ad aſpectum, quãtum tamen ad id, quod animo concipitur, non es minima inter omnes principes tribus Iuda. Quælibet nanque tribus diuerſos habebat in propriis ciuitatibus principes. Et vere nominatiſſima fuit poſt ſaluatoris natiuitaté. Quotidie enim ab vniuerſo orbe accedunt, ipſam viſuri, locumque, vbi Chriſtus natus eſt, adoraturi. Deinde magnæ famæ, ac nominis cauſam ponit. *Ex te enim exibit*, hoc eſt, naſcetur, *dux*. Ducem autem, ac paſtorem ſiue rectorem, dixit regẽ. Nam Chriſtus & ſecundum diuinitatem rex erat. Regnum (ait) meum non eſt ex hoc mundo, & ſecundum humanitatem, ſiquidem regis exercebat opera, leges videlicet ſubditis condens, corrigens illos ac fouens, & pro eis moriens: quæ maxime eum, qui vere rex eſt, inſigniũt. Diadema enim, & purpura, reliquaque ſimilia, faſtus magis ſunt, & arrogantiæ. Quomodo autem eum dixit, paſtorem, ſiue rectorem Iſrael: (vtrunque enim ſignificat verbum ποιμαίνειν, & regere, & paſcere) quum vniuerſum pauerit orbem? Ne offendantur Iudæi, quaſi cæteris nihil amplius habentes, ſed occaſionem magis habeant familiaritatis eius: quod ab ipſis genitus, & apud eos natus ſit. Siquis autem dicat; Quomodo ergo illos non pauit, quum ſint ipſi Iſrael? Audiat, quod etiam hoc fecit: pauit enim illos, qui ex ipſis crediderunt. Alioqui etiam Iſrael eſt omnis, qui videt Deum. Iſrael nanque, ſi quis interpretetur, idem ſonat, quod videns Deum. Dicit anté Paulus; Non omnes, qui ab Iſrael deſcendunt, hi ſunt Iſraelitæ. Quod ſi non omnes pauit hebræos, illorum culpa eſt, qui ab eo paſci noluerunt. Dixit enim; Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſrael. Euangeliſta autem Ioannes, In ſua, inquit, venit, & ſui eum non receperunt. Hocquoque deprauant Iudæi, dicentes de Zorobabel loquutam eſſe prophetiã. Quibus nos ediuerſo dicimus, Zorobabel non in Bethlehem, ſed in Babylonia natum eſſe. Tu vero Dei admirare gubernationem: quo modo ordinauit, à Magis quidem doceri Iudæos, quod ipſum ſtella prædicauerit: à Iudæis autem Magos, quod & prophetæ ipſum prænunciauerint. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, &c.* Quare hos clam vocauit? Quia ſuſpectos habebat Iudæos, nempe Chriſti cognatos: nec volebat, vt ipſi audirent, quę interrogaturus, aut præcepturus erat: ne forte intelligentes, quòd ei inſidiaretur, ſeruarent ipſum tanquam proprium regem. Exacte autem perquiſiuit, ſiue didicit tempus ſtellæ, quando ſcilicet ea apparuerit: vt inde tempus natiuitatis Chriſti numeraret. Cogitauit enim tũc proculdubio natum eſſe Chriſtum, quando ſtella apparuerat. *Ite & interrogate diligenter de puero, &c.* Vide dolum Herodis, & conſidera eius inſipientiam. Si enim verè adoraturus erat, quare hoc clanculo percipiebat?

Ecce peregrinatio ad loca ſancta etiam propheta vaticinio cõprobatur.

Potius autem exponitur, fortis Deo.

Rom 9.

Matth. 15.

Ioan. 1.

ſi vero ipſum occidere parabat, quo modo non intelligebat, ex ſecreto præcepto hos in doli ſuſpicionem adducendos? Primum autem de ſtella diligenter perquiſiuit, & tũc præcepit: vt, ſi ei non manifeſtarent eum, de quo ſibi renunciari præcipiebat, cognito tempore ſtellæ, paratas inſidias exercere poſſet. Sed, ô Herodes, qui contra Deum pugnam ſuſcipis, redi, quæſo, ad teipſum. Quomodo occidere paras immortalem? Quomodo nõ intelligis, quòd, quem prophetæ olim annunciauerunt, ſtelláque ſignificauit, & Magi ad adorandum inducti ſunt; huic te ſuperſtitem eſſe, omnino ſit impoſſibile. *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, &c.* Poſtquam iam locum didicerant, quare rurſum ipſis ſtella apparuit? vt puerum demonſtraret. Quomodo enim aliter eum agnouiſſent in tugurio natum, nec cubile ſplendidum habentem? Ob hoc igitur veniens, ſtetit ſupra locum, in quo erat puer, diuinum oſtendens eſſe partum. *Gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Gauiſi ſunt, vtpote reperto duce, nequaquam fallaci. Ex hoc enim certam habuerunt fiduciam, quòd quæſitum inuenirent. *Et ingreſſi domum, viderunt puerum cum Maria matre eius.* Domum hic tugurium vocat, quod Lucas diuerſorium dixit. Domus nempe erat, quod vtcunque inhabitaretur: diuerſorium autem tanquam ſedes, ac manſio ingredientium. Diuerſorium enim dicimus, etiam ipſum tentorium. Quum enim concurriſſent in ciuitatem Bethlehem omnes, qui à Dauid deſcendebant, cauſa cenſus, quem Cæſar fieri iuſſerat, prout ſcripſit Lucas, non inuenerunt, qui cum virgine erant, domum liberam ad hoſpitandum, ideo ad diuerſorium quoddam declinauerunt, in quo præſepe erat iumentorum. Statim autem peperit virgo Chriſtum: & quia alius locus non erat in diuerſorio, inuolutũ faſciis infantem, reclinauit in præſepe, iuxta Lucam. Deinde, ſicut ait Chryſoſtomus, ipſum tulit: & quando ingreſſi ſunt Magi, ipſum ſuper genua h[a]bebat. Nec enim more aliarum matrum partus dolores ſuſtinuit: quia neque ex viro pepererat. *Et proſtrati adorauerunt eum.* Et quomodo ipſum eſſe crediderunt, quum nihil viderent circa eum præter tugurium, & matrem paupereulam, vilémque puerulum faſciis inuolutum? Quo modo? Primum quidem à ſtella, quæ ſupra ipſum permanebat: deinde autem ſplẽdor quidam diuinus animas ipſorum illuſtrabat, & hunc manifeſtabat. Propterea obtulerunt ei hæc munera. Aurum ſiquidem regiæ dignitatis erat ſymbolum: ſubditi enim auro tributa regibus pendunt: thus autem diuinitatis; thus nanq; Deo adoletur: myrrha vero mortalitatis: hac enim veteres vngebant mortuos, ne putreſcerẽt, aut grauem redderẽt odorem. Ab his igitur, quæ protulerunt, muneribus demonſtrarũt eum, qui apparuit, puerum & Regem eſſe, & Deum, ac tanquam hominem propter homines moriturum. Poteſt quoque & alio modo dici; quòd, quia reges Babylonis Ieruſalem quondam expugnauerũt, ac diuinos theſauros deprædati fuerant, & hoſtias ceſſare fecerant, populúmque iugulauerant: regnum autem Babylonis vnà cum ſuis theſauris ad Perſas deuolutum erat: ideo afferũt Perſæ Babyloniorum hæredes domino templi, quod tunc contumelia affectum fuerat, aurum quidem pro ſublatis auri theſauris; thus autem pro hoſtiis; myrrham verò pro iugulatis. Tu itidem obſerua, quòd quemadmodum Magi, niſi longe à propria terra receſſiſſent,

Chri

Chriſtum nequaquam vidiſſent, ita neq; tu ipſum videre poteris, niſi longe à terrenis affectibus receſſeris. Dimitte & tu quoque regem inſidias parantem, ac turbatam ciuitatem: dico ſane inſidiantem mondi rectorem, tumúltumque ciuitatis, & ad Chriſtum feſtina. Siue enim Magus fueris curioſa ſectatus, ſiue paſtor ſimplex, nihil id tibi obfuerit, modo tali viſione teipſum dignū reddēs, ad eū venias adorandum, & non ad inhonorandum. Chriſtum ſiquidem inhonorat, qui ipſum indigne recipit. Sicque offer ipſo pro auro quidem purorum operum ſplendorem; pro thure autem orationem: Dirigatur enim oratio mea, inquit, ſicut incenſum in conſpectu tuo: pro myrrha vero affectionum mortificationem, quę maxime conſeruat animæ ſubſtantiam, & ſuaui implet odore. Conſidera etiam, quòd, Magis Ieroſolyma ingredientibus, & de ſtella loquentibus, ſtatim tota ciuitas turbata eſt: prophetaque in medium adductus eſt, ac locus partus manifeſtatus: & alia quædam facta ſunt tum circa paſtores in agro degētes, tum circa angelos Deum laudantes, tum circa Simeonem, & Annam, quæ Lucas ſcripſit. Hæc autem omnia completa ſunt, vt, quemadmodum diximus, non poſſent in poſterum dicere Iudæi: Nos, quando natus eſt, non cognouimus. Etenim, ſicut dicit Chryſoſtomus, vſque ad impletionem dierum purificationis, hoc eſt, ad quadraginta dies manſit puer in Bethlehem: vt, niſi voluntarie obſurduiſſent, oculoſque clauſiſſent ad ea, quæ dicta, vel viſa ſunt, veniſſent vtique Bethlehem, ipſumque vidiſſent. Nunc autem Perſæ à finibus terræ vſque Bethlehem venerunt: Hebræi vero Bethlehem circumadiacentes, ipſam ingredi noluerunt: neque ea videre, quæ ab iis, qui viderant, fuerant diuulgata. Nam & paſtores omnibus ſibi occurrentibus nunciauerunt, quæ viderant, ſicut dixit Lucas. Perſæ quoque, qui ante populum Hebręorum Chriſtum viderunt, quaſi facto ſignificauerunt Gentes ante populum Hebræorum ipſum agnituras: quod etiam Paulus dixit Iudæis; Vobis quidem oportuit primum loqui verbum Dei: ex quo autem indignos vos iudicaſtis, ecce conuertimur ad gentes. *Et oraculo accepto in ſomnis.* Antequam puerum vidiſſent, ſtella ducatū eis præbebat: poſtquam autem viderunt, angelus deinceps quaſi iam ſanctificatos alloquitur. *Oraculo*, inquit, *accepto*, hoc eſt, admonitione ſuſcepta: Reuerſi vero ſunt, citius credentes tāquam fideles, in regionem ſuam: futuri doctores eorum, quæ facta ſunt. Neque ad Herodem redierunt: vt fruſtra ſe inſidiari intelligeret, & ab incœpto deſiſteret.

DOMINICA INTRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

LVCÆ 2.

a Per duodecim annos ſignificantur duodecim tribus quæ ad Chriſtum veniunt.
CVm factus eſſet Ieſus annorum [a] duodecim, aſcendentibus illis Ie-
b Quia octonis protelabatur diebus.
roſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, [b] conſummatíſque
diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non co-
c Id eſt, inter eos qui ſimul fuerant comitati.
gnouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in [c] comitatu, vene-
d Vicinos.
runt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & [d] notos. Et non inuenien-
tes, regreſsi ſunt in Ieruſalem requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, in-
uenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, &
e Eos. f Super reſponſorum prudentia
[e] interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant [f] ſuper pruden-
g Hoc. h Maria & Ioſeph, vel quicunque alij hoc videntes.
tia & reſponſis eius. Et [g] videntes [h] admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum:
i Putatiuè.
Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce [i] pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et
ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his quæ patris
k Congrua verba.
mei ſunt oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt [k] verbum quod loquutus
l Vere deſcendit qui humilliatur ſub illis.
eſt ad illos. Et [l] deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Et
m Quaſi ſub ſignaculo recondebat. n In natura humanitatis.
mater eius [m] conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et Ieſus [n] proficie-
bat ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

ET *cum factus eſſet, &c.* Vtraque natura Chriſti hic aperitur, & quæ iuxta maieſtatem patri, & quæ iuxta fragilitatem decebat matri. Aſcẽdit homo cum hominibus ad offerenda ſacrificia, ſeruat legem quam ſeruandã imperauerat, vt nos ad ſeruandum inſtrueret. Duodecennis audit ſeniores, & interrogat, vt eorum reprimat audaciam: qui indocti, non ad diſcendum, ſed ad docendum volunt ſubmitti: Mox maieſtatem ſuam aperit, Cõgruè duodecimo anno prima fidei rudimenta reuelat, quæ per duodecim apoſtolos per totũ mundum erant propaganda. Beda. Cum duodenarius multiplicatis inter ſe ſeptenarij partibus conſtet, iure per ipſum rerum & temporum vniuerſitas, & perfectio deſignatur. Et ideo rectè à duodecimo anno iubar ſumit exordium, quo omnia loca vel tempora deceat occupari. Non ergo ocioſè immemor perhibetur carnalium parentum, ſed vt oſtendat, quia antequam ibi parentes eſſent, ipſe in ciuitate & templo Dei paterno iure reſidebat. *Et non cognouerunt.* Be. Si quæritur quomodo potuit à parentibus obliuiſcendo relinqui, qui tanta parentũ prouidentia nutriebatur. Reſpondendum eſt, quia filiis Iſrael ad feſta confluentibus, vel ad propria redeuntibus, mos erat ſeorſum viros, ſeorſum fœminas choros ducentes incedere. pueri cum quolibet parente indifferenter ire poterãt, ideo Mariam & Ioſeph viciſſim putaſſe puerum Ieſum quem ſecum non cernebant, cum altero parentę reuerſum. *Requirebant eum.* Metuebant, ne quod Herodes infantia eius parare quæſierat, tunc iam in pueritia poſitum, inuẽta opportunitate alij interficerent & ipſi proditores illius inuenirentur. *Poſt triduum, &c.* Vna die reuerſi ſunt ab Ieruſalem, ſecunda die quærunt inter cognatos: & non inuenientes, tertia die regreſſi Ieruſalem inueniũt. Poſt triduum reperitur in templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum illius triumphalis paſſionis, in ſede cæleſti & honore diuino fidei noſtræ, ſe reſurgens oſtenderet qui mortuus credebatur. Quæſitus aduentus Chriſti à patriarchis ante legem, non eſt inuentus. Quæſitus à prophetis & iuſtis ſub lege non eſt inuentus. Quæſitus ſub gratia, à gentibus inuenitur. Pater id eſt, eccleſia. Mater id eſt, ſynagoga, per tres leges quærunt Chriſtum, & non inueniunt niſi per euãgelium. *In me.* Bed. Quaſi fons medius doctorum ſedet, ſed quaſi exemplar humilitatis prius interrogat, & audit quam inſtruat, ne paruuli à ſenioribus doceri erubeſcãt, ne infirmus docere audeat. *Stupebant.* Ecce ſignum diuinitatis. Apparet, quod non ob imperitiæ neceſſitatem audiebat, ſed ad oſtendendum quod homo erat, homines magiſtros humiliter audit. Ad probandum, quod Deus, eiſdem loquentibus ſublimiter reſpõdet, diuina lingua ſapientiam prodebat, ſed ætas humanam infirmitatem prætendebat. Vnde mirantur Iudæi & turbantur, ſed non miratur fidelis, qui cum propheta clamat: Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Paruulus factus, vt inter paruulos creſcendo & proficiendo paulatim eos ad capienda ſuæ virtutis arcana proueheret. *Quid eſt quod me quærebatis.* Bed. Nõ quod eum quaſi filium quærunt vituperat, ſed quis ſit ſibi verus pater inſinuat, & quid potius debeat ei cui eſt æternus filius, mentis oculos attollere cogit. Quia enim Deus & homo eſt, nunc excelſa deitatis, nũc infirma præfert humanitatis. Quaſi filius Dei in templo commoratur, quaſi filius hominis cũ parentibus quo iubent regreditur. *Neſciebatis,* Inuentus in templo dicit. *In his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Oſtẽdens templum non minus ad ſe quàm ad patrem pertinere, quia quorum eſt vna maieſtas, horum etiam vna fides, & vna domus: non ſolum materialis, ſed etiam ſpiritualis. Alibi eum ad myſteriũ mater impellit, hic mater arguitur: quia adhuc quæ humana ſunt exigit. Sed cum hic duodecim deſcribatur annorum: ibi diſcipulos habere docetur. Vides matrem didiciſſe de filio: vt exigeret à validiore myſterium, quæ ſtupebat in iuniore miraculum. Ambro. Magiſter veritatis officium implet pietatis. Et miramur ſi defert honorem patri qui ſubditus eſt matri. Iſta ſubiectio non eſt neceſſitatis, ſed pietatis. Ecce quid parentibus debeamus oſtendit: *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Omnia quæ de domino, vel à domino facta cognouit, ſiue quæ intellexit, ſiue quæ nondum intelligere potuit, omnia in memoria recõdebat, vt quando tempus prædicandæ ſeu ſcribendæ incarnationis eius adueniret, ſufficienter vniuerſa prout eſſent geſta, poſſet explicare quærẽtibus. Sic nos crebra factorum & dictorum domini meditatione importunos cogitatus repellamus, & alios inſtruere laboremus. *Proficiebat ſa.* Bed. Sicut eſt carnis ætate proficere, ſic eſt animæ rationalis ſapientia & gratia proficere: non quòd hoc eguerit ſuſceptor Deus, præſertim cum ſupra plenus fuiſſe ſapiẽtia deſcribitur, ſed quia hoc pro remedio noſtræ ſalutis ſuſcipere elegit: vt cum caro & anima rationalis à Deo ſuſcipitur, vtraque pariter ſaluaretur. Grego. Iuxta hominis naturam proficiebat ſapientia, non quòd ipſe ſapientior tempore, qui à prima conceptionis hora ſpiritu ſapientiæ plenus permanebat: ſed eandẽ qua plenus erat ſapientiam cæteris ex tempore paulatim demonſtrabat. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, non quod ipſe non habebat, per acceſſum temporis accipiendo: ſed pandendo donum gratiæ quod habebat apud Deum & homines. Quia quantum proficiente ætate patefaciebat dona gratiæ hominibus quæ ſibi inerant & ſapientiæ, tantum eos ad laudem Dei excitabat per conſiderationem ipſius ſapientię & gratiæ quas Deus ipſi contulerat: ſic & Deo patri ad laudem & hominibus ad ſalutem proficiebat. Eccleſiaſtes ait: Sapientia mea ſtetit mihi. Hiero. Stetiſſe ſapientiam eſt, quòd etiam in carne poſito ſibi permanſit ſapientia. Quod habet profectum in ſapientia, non ſtat ei ſapientia qui autem non recipit profectum: nec per momenta ſuccreſcit, ſed ſemper in plenitudine eſt, iſte dicere poteſt, ſtetit mihi ſapientia. Beda ſuper Exodum. Portat verbo virtutis ſuæ Chriſtus omnia, & eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi: & ſacerdos in æternum, omnis ſanctitatis ornatu præclarus: non quem natus in carne per exercitium laboris accepit, ſed qui in vtero virginis incarnatus, præueniente gratia ſpiritus totum ſimul habuit.

CATENA AVREA
in idem Euang.

E*T cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam,&c.* Cyril. Quia dixerat euangeliſta quòd puer creſcebat & confortabatur, proprium ſermonem verificat, inducens Ieſum vnà cum ſacra virgine in Hieruſalem aſcendentem, vnde dicitur, *Et cum factus &c.* Græ. Non enim indicium ſapientiæ tranſcendit ætatis menſuram; ſed quo tempore penes nos diſcretionis ratio perfici conſueuit, 12. ſcilicet anno Chriſti ſapientia demonſtratur. Amb. Vel à 12. anno dominicæ ſumitur diſputationis exordium: hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur. Baſil. Poſſumus & hoc dicere, quia ſicut ſeptenario numero, ſic & duodenario qui multiplicatis inter ſe inuicem ſeptenarij partibus conſtat, vel rerum vel temporum vniuerſitatis ac perfectio deſignetur, atque ideo quo omnia loca vel tempora doceat occupari, rectè à 12. numero iubar Chriſti ſumit exordium. Beda in ho. Quòd autem dominus per omnes annos cum parentibus in paſcha Hieroſolymam venit, humilitatis eſt humanæ indicium: hominis namque eſt ad offerenda deo ſacrificia concurrere, & eum orationibus conciliare. Fecit ergo dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per angelos imperauit Deus. vnde dicitur, *Secundū con.di.fe.* Sequamur igitur iter humanæ conuerſationis eius, ſi deitatis gloriam delectamur intueri. Græ. Celebrato autē feſto aliis remeantibus Ieſus latenter remanſit. vnde ſequitur, Conſummatiſque diebus cum red. reman. puer. Ieſ. in Hieru. & non cog. pa. eius. Dicit autem, Conſummatis diebus, quia ſeptem diebus durabat ſolennitas. Ideò autem latenter remanet ne parentes impedimento eſſent diſputationi peragendæ cum legiſperitis, vel forſitan hoc euitans, ne videatur parentes contemnere, ſi mandantibus non pareret. Latenter ergo remanet, ne aut retrahatur, aut ſit inobediens. Orig. Non autem miremur parentes vocatos, quorum alter ob partum, alter ob obſequium patris & matris meruerunt vocabula. Be. in ho. Sed quæret aliquis, Quomodo Dei filius tanta parentum cura nutritus potuerit obliuiſcendo relinqui? Cui reſpondendū, Quia filiis Iſrael moris fuit vt temporibus feſtis vel Hieroſolymam confluentes, vel ad propria redeūtes, ſeorſum viri, ſeorſum fœminæ incederent, infantéſque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint, ideóque Mariam vel Ioſeph viciſſim putaſſe puerum Ieſum quem ſecum nō cernebant, cum altero parente reuerſum, vnde ſequitur, *Exiſt. aut. il. eſ. &c.* Orig. Sicut autem quādo inſidiabantur ei Iudæi, elapſus eſt de medio eorum, & non apparuit: ſic & nunc puto remanſiſſe puerū Ieſum, & parentes eius vbi remāſerit ignoraſſe. Sequitur enim. *Et nō inue. eū, reuer. ſunt Hieru. &c.* Glo. Vna quidem die reuerſi ſunt à Hieruſalem, ſecunda quærunt inter cognatos & notos, & non inuenientes tertia die regreſſi ſunt in Hieruſalem, & ibi inuenerunt. vnde ſequitur, *Et fa. eſt poſt &c.* Orig. Non ſtatim vt quæritur inuenitur: nō enim inter cognatos & carnis propinquos inuenitur Ieſus: neque enim poterat humana cognatio Dei filium continere. Non inuenitur inter notos, quia maior eſt mortali notitia: in multorum comitatu non poteſt inueniri, nec vbique inuenerunt, ſed in templo. Et tu ergo quære Ieſum in templo Dei, quære in eccleſia vbi Chriſti ſermonem atque ſapientiam, id eſt, filium Dei reperies. Ambroſ. Poſt triduum reperitur in templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis paſſionis in ſede cœleſti & honore diuino fidei noſtræ ſe oſtenderet reſurgens qui mortuus credebatur. Glo. Vel quia quæſitus aduentus Chriſti à patriarchis ante legem nō eſt inuentus, quæſitus à prophetis & iuſtis ſub lege non eſt inuentus, quæſitus à gentibus ſub gratia inuenitur. Orig. Quia verò paruulus erat, inuenitur in medio præceptorum ſanctificans & erudiens eos. vnde dicitur, *Sedentem in medio &c.* Et hoc pietatis officio, vt nos doceret quid pueris quamuis ſapientes & eruditi ſunt conueniret, vt audiant potius magiſtros quàm docere deſiderēt: & ſe vana oſtentatione non iactent. Interrogabat autem non vt addiſceret, ſed vt interrogans erudiret. ex vno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare & reſpondere ſapienter. vnde ſequitur. *Stu. au. &c.* Bed. Ad oſtendēdum enim quia homo erat, homines magiſtros humiliter audiebat: ad probādum verò quia Deus erat, eiſdem loquentibus ſublimiter reſpondebat. Græ. Quærit enim rationabiliter, audit prudenter, reſpondétque prudētius, quod ſtuporem faciebat. vnde ſequitur, Et admi. ſunt. Chry. ſup. Ioan. Nullum quippe miraculum egit dominus in pueritia, hoc tamen vnum prodit Lucas, per quod mirabilis videbatur. Bed. Diuina ſiquidem lingua ſapientiam prodebat, ſed infirmitatem ætas prætendebat humanam. vnde Iudæi inter alta quæ audiunt, & infirma quæ vident, dubia admiratione turbātur. nos autem nequaquam miremur, ſi ſcientes ſecundum prophetam quòd ſic paruulus natus eſt nobis, quòd permanet Deus fortis. Græ. Miranda verò Dei genitrix maternis affecta viſceribus, quaſi eum lamentis inquiſitionem doloroſam oſtendit, & omnia ſicut mater & humiliter & affectuoſe exprimit. vnde ſequitur, *Et di. ma. eius ad illum, Fili &c.* Orige. Nouerat virgo ſacrata hunc nō eſſe filium Ioſeph, & tamen patrem vocat illius ſponſum ſuum, propter Iudæorum ſuſpicionem æſtimantium ipſum vulgo fore conceptum. Dicetur autem fortè ſimplicius, quòd eum honorauit ſpiritus ſanctus patris nomine, eo quòd puerum Ieſum educauit. artificioſius verò, quòd genealogiam Ioſeph ex Dauid produxit, ne ſuperflua cenſeretur. Cur autem dolentes eum quærebant, an ex eo quòd perierit an errauerit? Abſit. Nunquid enim fieri poterat vt perditum formidarent infantem, quem dominum eſſe cognouerant? ſed quomodo tu ſi quando ſcripturas legis, quæris in eis ſenſum cum dolore, non quòd ſcripturas erraſſe arbitreris, ſed veritatem quam intrinſecus habent quæris inuenire: ita illi quærebāt Ieſum, ne fortè relinquens eos reuerſus eſſet ad cœlos, cum illi placuiſſet, iterū deſcenſurus. Oportet ergo eum qui quærit Ieſum non negligenter & diſſolutè tranſire ſicut multi quærunt & non inueniunt, ſed cum labore & dolore. Glo. Vel metuebāt eum ne quod Herodes in infantia eius patraſſe quæſierat, tunc iam in pueritia poſitum inuenta opportunitate alij interficerent. Grego. Sed ipſe dominus reſpondet ad omnia, & corrigens quodammodo dictum eius de eo qui putabatur pater, verum patrem manifeſtat: docens non per infima gradi, ſed in altum extolli. vnde ſequitur, Et

ait ad illos, &c. Bed. Et quòd potius debebat ei cui eſt æternus filius, mentis oculos attollere cogit. vnde ſequitur, *Neſciebatis quia, &c.* Amb. Duæ ſunt in Chriſto generationes: vna eſt paterna, altera materna: paterna diuinior, materna verò quæ in noſtrum laborem vſumque deſcendit. Cyr. Hoc igitur dicit oſtendens ſe menſuram humanã tranſcendere, & innuens quòd ſacra virgo effecta ſit miniſtra negotij cum peperit carnem: ipſe verò naturaliter & verè Deus erat, & filius patris excelſi. Hinc autem Valentini ſequaces audientes quòd templum erat Dei, pudeant dicere quòd creator & legis Deus & templi, non ipſe pater eſt Chriſti. Epiph. Attendat & Hebion quòd poſt annos 12. & non poſt 30. annum Chriſtus repertus ſtupendus in ſermonibus gratiæ. quamobrem non eſt dicere quòd poſtquam venit ad eum ſpiritus in baptiſmo, factus fuit Chriſtus, ſed ab ipſa pueritia & templum agnouit & patrem. Grego. Hæc demonſtratio prima ſapientiæ & virtutis pueri Ieſu: quæ nanque puerilia eius vocant, diabolicæ putamus eſſe conſiderationis, niſi quis ea ſola velit acceptare nequaquam his quę tenemus oppugnantia, ſed magis conſona propheticis dictis: quia ſpecioſus præ filiis hominum, & matri obediens, & moribus facetus, & viſu non modicum venerandus & placidus, ad loquendum facundus, dulcis & prouidus, & multam ſtrenuitate cognitus tanquam qui repletus ſapientia fuerat, & ſicut in aliis ſic conuerſationis humanæ atque locutionis, quamuis ſupra hominem terminus & ratio. manſuetudo enim ſibi præcipuum elegit locum. Super hæc autem omnia nihil aſcendit ſuper verticem eius, nec humana manus excepta materna. Hinc autem poſſumus vtilitatem cõſequi. Dum enim Mariam increpat dominus quærentem ipſum inter propinquos, omiſſionem vinculorum ſanguinis aperſiſſimè ſuggerit, oſtendens quòd non contingit metam perfectionis attingere eum, qui adhuc vagatur in his quę corpori conferunt, & quòd homo deficit à perfectione per affectum cognatorum. ſequitur, *Et ipſi non &c.* Bene. Quia ſcilicet de ſua diuinitate ad eos loquebatur. Orige. Vel neſciebant verum dicens, *in his quæ patris mei ſunt*, ſignificaret in templo, an aliquid altius & quod magis ædificat. Vnuſquiſque enim noſtrum ſi bonus fuerit, potius ſeſſio Dei patris eſt. Si quis autem noſtrum ſeſſio Dei patris eſt, habet in medio ſui Ieſum. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, &c.* Greg. Totam intermediam Chriſti vitam quæ eſt inter oſtenſionem ætatis & tempus baptiſmatis, velut immunem alicuius famoſi & publici miraculi & doctrinæ, euangeliſta ſub vno verbo colligit, dicens, *Et deſcen. &c.* Orig. Crebro Ieſus deſcendit cum diſcipulis ſuis, nec ſemper verſatur in monte, quia non valebant qui variis morbis laborabant aſcendere in montem: ideirco & nunc deſcendit ad illos qui deorſum erant. ſequitur, *Et erat ſub, &c.* Græc. Quandoque enim verbo prius leges inſtituens, ipſe ſecundario opere comprobabat, ſicut illud, Bonus paſtor animam ſuã ponit pro ouibus ſuis. Ipſe nãque paulò poſt noſtram ſalutem exquirẽs, animam expoſuit propriam, aliquando verò prius viuendi proponit exemplar, & poſtea promebat verbotenus ſanctionem, ſicut hic: hæc tria præ cęteris opere monſtrans, diligere Deum, honorare parentes, Deum verò & ipſis præferre parentibus. Cum enim reprehenderetur à parentibus, minoris curæ cætera reputat quam quæ ſunt Dei, denique ipſis quoque parentibus obedientiam præſtat. Be. Quid enim magiſter virtutis niſi officium pietatis impleret? Quid inter nos aliud quàm quod agi à nobis vellet, ageret? Ori. Diſcamus ergo & nos filij parẽtibus noſtris eſſe ſubiecti. quòd ſi patres non fuerint, ſubiiciamur his qui patrum habent ætatem. Ieſus filius Dei ſubiicitur Ioſeph & Mariæ, ego verò ſubiiciar epiſcopo qui mihi conſtitutus eſt pater. Puto quòd intelligebat Ioſeph, quia maior ſe erat Ieſus & trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnuſquiſque quòd ſæpe qui ſubiectus eſt, maior ſit: quod ſi intellexerit, non eleuabitur ſuperbia, qui eſt ſublimior dignitate, ſciens ſibi meliorem eſſe ſubiectum. Gre. Nyſ. Amplius, quoniam impuberibus adhuc eſt imperfecta diſcretio, egétque per prouectos ad ſtatum prouehi perfectiorem. ideo cum pertigiſſet 12. annum, paret parentibus: vt oſtendat quod quicquid per promotionem perficitur, antequam ad finem perueniat obedientiam tanquam perducentem ad bonum vtiliter amplexatur. Baſ. in lib. relig. Ab ipſa autem primæua ætate parentibus obediẽs quemlibet laborem corporeum humiliter & reuerenter ſuſtinuit. Cum enim homines eſſent honeſti & iuſti, egeni tamen neceſſariorum penuriam patientes, teſte præſepi partus venerandi miniſtro, manifeſtum eſt quòd ſudores corporeos continuò frequentabant, neceſſaria vitæ ſibi quærentes. Ieſus autem obediens illis vt ſcriptura teſtatur, etiam in ſuſtinẽdo labores ſubiectionem plenariam ſuſtinebat. Amb. Et miraris ſi patri defert, qui ſubditur matri? non vtique infirmitatis, ſed pietatis eſt iſta ſubiectio? Attollat licet caput hæreticus, vt alienis auxiliis aſſerat qui mittitur indigere. Nunquid & humano egebat auxilio, vt materno ſeruiret imperio? deferebat ancillæ, deferebat ſimulato patri, & miraris ſi Deo detulit? An homini deferre pietatis eſt, deferre Deo infirmitatis? Beda, Virgo autem ſiue quæ intellexit, ſiue quæ nondum intelligere potuit, omnia ſua pariter in corde quaſi ruminanda & diligentius ſcrutanda recondebat. vnde ſequitur, *Et mater eius, &c.* Grego. Conſidera prudentiſſimam mulierem Mariam, veræ ſapientiæ matrem, qualiter ſcholaris fit pueri. Non enim vt puero, neque vt viro, ſed vt Deo vacabat: vlterius & illius voces diuinas & opera reputabat, ideirco nil ex dictis aut actis ab eo incaſſum illi patebat: ſed ſicut ſeipſum verbum prius in viſceribus, ita nunc eiuſdem modos & dicta concipiebat, & in corde ſuo quodammodo fouebat: & hoc quidem iam ſecura in præſenti contemplabatur, hoc autem expectabat in futurum clarius reuelandum. & hæc quidem tanquam regula & lege, per totam vitã vtebatur. vnde ſequitur, *Et Ieſ. profi. &c.* Theſſ. Sed inquiunt, Quomodo poteſt æqualis patri eſſe in ſubſtantia, qui quaſi imperfectus creſcere dicitur? non autem in eo quòd eſt verbum, dicitur incrementum ſuſcipere, ſed in eo quòd factus eſt homo. Si enim verè profecit, poſtquam factus eſt caro, qui ante imperfectus extiterat, quid ergo gratias agimus ei velut incarnato pro nobis? Qualiter autem ſi ipſe eſt vera ſapientia, in ſapientia poteſt augeri? vel qualiter qui cæteris largitur gratiam, ipſe in gratia promouetur? Amplius, ſi nemo ſcandalizatur cum audit quòd verbum ſeipſum humiliauerit, infirma quædam de Deo verbo

bo

bo ſentiẽs,ſed potius miratur miſericordiam eius, quomodo nõ eſt ſuperuacaneum ſcandalizari audiendo quòd proficit? Nam ſicut pro nobis humiliatus eſt,ſic pro nobis profecit,vt nos in eo proficiamus qui lapſi fuimus per peccatum. nam quicquid ſpectat ad nos ipſe verè pro nobis Chriſtus ſuſcepit,vt cuncta reformet in melius. Cyr. Et attende quòd nõ dixit proficere verbum ſed Ieſum, ne ſimplex verbũ proficere intelligas, ſed verbum caro factum. The. Et ſicut verbum in carne paſſum fatemur, quamuis ſola caro fuit paſſa, quia caro verbi erat quæ patiebatur: ita proficere dicitur ex eo quòd humanitas proficiebat in ipſo. Greg. Naz. Dicitur autem ſecundum humanitatem proficere, non quod ipſa ſuſcipiat augmentum quæ ab initio fuit perfecta, ſed ex eo quòd paulatim manifeſtabatur. Th. Naturalis enim lex reſpuit hominem ſenſu maiore vti quàm ætas corporis patiatur. Erat itaque verbum factum homo perfectum,cum ſit virtus & ſapiẽtia patris. Verum quia dandum erat aliquid noſtræ naturæ moribus, ne aliquod extraneum à videntibus reputetur tanquam homo paulatim creſcente corpore manifeſtabat ſeipſum,& quotidie ſapientior ab audientibus & videntibus cenſebatur. Greg. Proficiebat ergo ſecundum ætatem quidem, corpore in virilem ſtatum promoto: ſapientia autem, per eos qui ab eo diuina docebantur: gratia verò, qua cũ gaudio permouemur, credentes in fine obtinere quæ ab ipſo promiſſa ſunt: vt hoc quidem apud Deum, ex eo quòd aſſumpta carne paternum opus peregit: apud homines verò, per conuerſionem eorum à cultu idolorum ad ſummæ trinitatis notitiam. Theo. Dicit enim, *Apud Deum & homines*: quia prius decet placere Deo, & poſtea hominibus. Greg. Nyſ. Differenter etiam proficit verbum in his qui ipſum ſuſcipiunt; ſecundum enim menſuram illius apparet aut infans: aut adultus, aut perfectus.

ORIGENIS PRESBYT.
in idem Euang. Hom.

Ex Hom.18. in Lucam. CVm autem duodecim eſſet annorum, remanet in Hieruſalem. Parentes eius ignorantes, quærunt eum ſollicite, & non inueniunt. Quærunt inter affines, quærunt in comitatu, quærunt inter notos, & in his omnibus non reperiunt. Quæritur ergo Ieſus à parentibus ſuis cũ patre, qui nutricius & comes fuerat in Ægyptũ deſcendentis: & tamen non ſtatim vt quæritur, inuenitur. Non enim inter cognatos, & carnis propinquos inuenitur Ieſus: non in his qui corporaliter ei iuncti ſunt. In multorum comitatu Ieſus meus non poteſt inueniri. Diſce vbi eum quærentes reperiant, vt & tu quærens cum Ioſeph Mariaque reperias. *Et quærentes* (inquit) *inuenerunt illum in templo.* Non vbicunque in alio loco,ſed in templo. Neque in templo ſimpliciter,ſed in medio doctorum, audientem, & interrogantem eos. Et tu ergo quære Ieſum in templo Dei, quære in eccleſia, quære eum apud magiſtros, qui in templo ſunt, & non egrediuntur ex eo. Si enim ita quæſieris, inuenies eum. Porro ſi quiſpiam dicit ſe magiſtrum eſſe, & Ieſum non habet, iſte nomine tantum magiſter eſt: & ideo apud eum non poteſt inueniri Ieſus verbum Dei, & ſapiẽtia. Inuentus eſt (inquit) in medio doctorum. Quomodo in alio loco de prophetis ſcriptum eſt: ſic & nunc intellige, in medio doctorum. Si (inquit) alteri reuelatum fuerit ſedenti, primus taceat. In medio doctorum ſedentem inueniunt eum: & non ſolum ſedentem, ſed & ſciſcitantem, & audientem eos. Et tunc præſens eſt Ieſus, interrogat nos, & audit loquentes. *Et mirabantur* (inquit) *omnes.* Super quo mirabantur? Non ſuper interrogationibus eius, licet & ipſæ mirabiles erant, ſed *ſuper reſponſionibus eius.* Aliud eſt enim interrogare, aliud reſpondere. Interrogabat magiſtros: & quia reſpondere non poterant, ipſe his de quibus interrogauerat, reſpondebat. Quod autem reſponſio non viciſſitudinem ſermocinandi, ſed doctrinam in ſcripturis ſanctis ſonet: lex diuina te doceat. Moyſes loquebatur, Deus autem reſpondebat ei voce. Reſpõſio illa eorum erat, ſuper quibus ignorantem Moyſen dominus inſtruebat. Interdum interrogat Ieſus, interdum reſpondet, ſicut ſupra diximus. Quanquam mirabilis eius interrogatio ſit, tamen multo mirabilior eſt reſponſio. Vt igitur & nos audiamus eum, & proponat nobis quæſtiones quas ipſe diſſoluat: obſecremus illum, & cum labore nimio & dolore quæramus: & tunc poterimus inuenire quem quærimus. Non enim fruſtra ſcriptum eſt, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Oportet enim qui quærit Ieſum, non negligenter, non diſſolute, non tranſitorie quærere, ſicut quærunt nonnulli, & ideo inuenire non poſſunt. Nos autem dicamus, Dolentes quærimus te. Et cum hoc dixerimus, ad laborantem animam noſtram, & cum dolore quærentem, reſpondebit, & dicet. *Neſcitis quia in his quæ ſunt patris mei me oportet eſſe?* Vbi ſunt hæretici impij atque veſani, qui aſſerunt non eſſe patris Ieſu Chriſti legem & prophetas? Certe Ieſus in tẽplo erat, quod à Salomone conſtructum eſt, & confitetur templum illud patris ſui eſſe, quem nobis reuelauit, cuius filium eſſe ſe dixit. Reſpondeant quomodo alter bonus, & alter ſit iuſtus Deus. Quia igitur Saluator creatoris eſt filius, in commune patrem filiumque laudemus, cuius lex, cuius & templum eſt: Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EISDEM,
Homil. 2.

Ex Hom.19. in Lucam. I*Bant itaque parentes eius iuxta conſuetudinem in Hieruſalem ad ſolennem diem Paſchæ. Et cum factus fuiſſet annorum duodecim.* Diligenter obſerua, quòd priuſquam duodecim eſſet annorum, ſapientia Dei & cæteris quæ de eo ſcripta ſunt complebatur. Cum ergo (vt diximus) duodecim eſſet annorum, & iuxta morem dies ſolennitatis expleti eſſent, & reuerterentur parentes cum infantulo Ieſu: remanſit puer in Hieruſalem, & neſciebant parentes eius. Et hic ſublimius quiddam quàm humana natura patitur intellige. Non enim ſimpliciter remanſit, & parentes eius vbi eſſet ignorabant: ſed quomodo in Ioannis Euangelio ſcriptum eſt, quod inſidiabantur ei Iudæi, & elapſus eſt de medio eorum, & non apparuit: ſic & nunc puto remanſiſſe puerum in Hieruſalem, & parentes eius vbi remanſerit ignoraſſe. Nec miremur parentes vocatos, quorum altera ob partum, alter ob obſequium, patris & matris meruerunt vocabula. Sequitur. *Dolentes* (inquit) *quærebamus te.* Non puto eos ideir-

eo doluiſſe, quia putarent erraſſe puerum vel periiſſe: nec poterat accidere, vt Maria quæ ſciebat ſe de ſpiritu ſancto concepiſſe, quæ & angelum loquentem, & currentes paſtores, & Symeonem audierat prophetantem: timeret ne puerum perderet oberrantem. Amoue hanc opinionem maxime de Ioſeph, cui ab angelo præceptum fuerat, vt tolleret puerum, & in Ægyptum pergeret: qui audierat. Ne timeas tollere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Nunquam fieri poterat, vt perditum formidaret infantem, quem diuinum eſſe cognouerat. Aliud quiddam dolor & quæſtio parentum, quam ſimplex lector intelligit, ſonat. Quomodo enim tu ſiquādo ſcripturas legis, quæris in eis ſenſum cum dolore quodam, ac tormento: non quo ſcripturas erraſſe, aut perperam quid habere arbitreris, ſed quòd illæ intrinſecus habeant veritatis ſermonem atque rationem, & tu nequeas inuenire quod verum eſt? ita & illi quærebant ne forte receſſiſſet ab eis, ne relinquens eos ad alia tranſmigraſſet: & quod magis puto, ne reuertiſſet ad cælos, cum illi placuiſſet, iterum deſcenſurus. Dolentes ergo, quærebant filium Dei. Et cum quærerent, non inuenerunt inter cognatos. Neque enim poterat humana cognatio Dei filium continere. Non inuenerunt inter cognatos, quia diuina maiora erant, notitia ſcientiaque mortali. Vbi igitur inueniunt eum? In templo. Ibi enim inuenitur filius Dei. Siquando & tu quæſieris filium Dei, quære primum in templo, illuc propera: ibi Chriſtum ſermonem atque ſapientiam, id eſt, filium Dei, reperies. Quoniam vero paruulus erat, inuenitur in medio præceptorum, ſanctificans, & erudiens eos. Quia paruulus erat, inuenitur in medio non eos docens, ſed interrogans, & hoc pro ætatis officio, vt nos doceret quid pueris, quamuis ſapientes & eruditi ſint, conueniret, vt audiant potius magiſtros, quam docere deſiderent, & ſe vana oſtentatione non iactent. Interrogabat inquam magiſtros, non vt aliquid diſceret, ſed vt interrogans erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat & interrogare, & reſpondere ſapienter: & eiuſdem ſcientiæ eſt, ſcire quid interroges, quid vt reſpondeas. Oportuit primum Saluatorem eruditæ interrogationis magiſtrum fieri, vt poſtea interrogationibus reſponderet iuxta rationem Dei atque ſermonem: Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 3.

Eſt Hom. 10. in Lucam.

QVærebant Maria & Ioſeph inter affines Ieſum, & non inueniebant in comitatu, & inuenire non poterant. Quæſierunt in templo, ſed apud magiſtros, & in medio præceptorum inueniunt eum. Vbicunque magiſtri fuerint, in medio magiſtrorum inuenitur Ieſus, ſi tamen magiſter ſedeat in templo, & nunquam egrediatur ex eo. Profuit Ieſus magiſtris ſuis, & eos quos interrogare videbatur, docuit in medio eorum loquens, & quodammodo concitabat eos ad quærenda, quæ vſque ad id locorum, vtrum ſcirent, an ignorarent, noſſe non poterant. Inuenitur Ieſus in medio magiſtrorum, & inuentus dicit quæſitoribus ſuis, *Quid eſt quòd quærebatis me? Neſciebatis quia in his quæ ſunt patris mei, oportet me eſſe?* Primum ſimpliciter ſentientes armemur aduerſus impios hæreticos, qui dicunt non eſſe conditorem patrem Chriſti Ieſu, neque Deum legis, ſed nec prophetarum. Ecce pater, Deus templi aſſeritur. Erubeſcant Valentiniani audientes Ieſum inquientem, *in his quæ ſunt patris mei, oportet me eſſe.* Erubeſcant omnes hæretici, qui Euangelium recipiunt ſecundum Lucam, & quæ in eo ſunt ſcripta contemnunt. Hæc, vt dixi, ſint intellecta ſimplicius. Quoniam vero inferunt, *Ipſi autem non intellexerunt ſermonem* ſenſum ſcripturæ diligentius ventilemus; verum erant ſtulti & inſipientes, vt neſcirēt quid diceret: quia hoc quod ait, *In his quæ ſunt patris mei me eſſe oportet*, ſignificaret in templo: an aliud quiddam altius ſignificet, & quod magis ædificet audientes. Vnuſquiſque noſtrum ſi bonus fuerit atque perfectus, poſſeſſio Dei patris eſt, habet in medio ſui Ieſum. Credamus quippe dicenti, quoniam in his quæ ſunt patris mei me oportet eſſe. Magis rationabile atque viuens, & verum templum Dei hoc eſſe ſuſpicor, quam illud quod typice terreno opere conſtructum eſt. Vnde illo in templo vt typice fuit, ita receſſit & typice. Egreſſus eſt enim de templo terreno dicens, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & relinquens domum illam venit ad poſſeſſionem Dei patris, ad eccleſias in toto orbe diſperſas, & dicit, *In his quæ ſunt patris mei me oportet eſſe.* Tunc ergo non intellexerūt verbum, quod locutus eſt eis. Simul & illud audite, quòd quamdiu in poſſeſſione patris ſui fuit, ſurſum erat: & quia necdum plenam fidem Ioſeph & Maria habebant, propterea ſurſum cum eo manere non poterant: ſed dicitur deſcendiſſe cum eis. Crebro Ieſus deſcendit cum diſcipulis ſuis: nec ſemper verſatur in monte, nec abſque fine ſublimia tenet. In monte cum Petro eſt, cum Iacobo, cum Ioanne: & rurſum in alio loco cum cæteris diſcipulis. Porro quia non valebant hi qui variis ægrotationibus laborabant, in montem conſcendere: idcirco deſcendit, & venit ad eos qui deorſum erant. Nunc quoque ſcribitur, *deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & ſubijciebatur eis.* Diſcamus filij ſubiecti eſſe parentibus noſtris: maior enim minori ſubijcitur. Nam quia maiorem Ioſeph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, vt ſubijciantur parentibus. Quod ſi patres eis non fuerint, ſubijciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus, & filiis? Si Ieſus filius Dei ſubijcitur Ioſeph, & Mariæ: ego non ſubijciar epiſcopo qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? Non ſubijciar presbytero, qui mihi domini dignatione præpoſitus eſt? Puto quòd intelligebat Ioſeph, quod maior ſe erat Ieſus, qui ſubijciebatur ſibi: & ſciens maiorem eſſe ſubiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnuſquiſque, quod ſæpe melioribus præpoſitus ſit inferior, & nonnunquam accidat vt ille qui ſubiectus eſt melior ſit eo qui ſibi videtur eſſe præpoſitus. Quod cum intellexerit dignitate ſublimior, non eleuabitur ſuperbia ex eo quòd maior eſt: ſed ſciet ita ſibi meliorem eſſe ſubiectum, quomodo & Ieſus ſubiectus fuit Ioſeph. Deinde ſequitur, *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Plus aliquid quam de homine ſuſpicabatur, vnde & cuſtodiebat omnia verba eius in corde ſuo, non quaſi pueri qui duodecim eſſet annorum, ſed eius qui de ſpiritu ſan-

Contra hæret. nō tribuens perfectā fidē B. Mariæ contra opinionē Theologorum ſententiam.

Obedientia debita eccleſiæ præpoſitis.

cto

cto conceptus fuerat, quem videbat proficere ſapientia & gratia apud Deum & homines. *Ieſus proficiebat ſapientia*: ſapientior per ſingulas videbatur ætates. Nunquid ſapiens non erat, vt ſapientior fieret? An quoniam euacuauerat ſe formam ſerui accipiens, id quod amiſerat reſumebat, & replebatur virtutibus quas pauloante aſſumpto corpore viſus fuerat relinquere? Proficiebat ergo non ſolú ſapientia, ſed ætate. Eſt ætatis profectus. Duæ in ſcripturis feruntur ętates: altera corporis, quę non eſt in poteſtate noſtra, ſed in lege naturæ: altera animæ, quæ proprie in nobis ſua eſt: iuxta quam ſi volumus quotidie creſcimus, & ad ſummitatem venimus vt non ſimus vltra paruuli fluctuantes, & qui circunferamur omni vento doctrinæ: ſed eſſe paruuli deſinentes, incipiamus eſſe viri atque dicamus, Quando factus ſum vir, deſtruxi ea quæ erant paruuli: Huius, vt dixi, ætatis profectus, qui incrementum habet animę, in noſtra eſt poteſtate. Si autem non ſufficit dictum teſtimonium, etiam aliud de Paulo ſumamus exemplum. Donec perueniamus, inquit, omnes in virum perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis corporis Chriſti. In nobis ergo eſt, vt ad menſuram perueniamus ętatis corporis Chriſti: & ſi in nobis eſt, omni labore nitamur deponere paruulum, & deſtruere illum, & ad ętates reliquas peruenire, vt nos quoque audire poſſimus, Tu autem ibis ad patres tuos cum pace, nutritus in ſenecta bona: vtique ſpiritali, quę eſt vere ſenectus bona, caneſcens & ad finem vſque perueniens, in Chriſto Ieſu: Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AMBROSII MEDIO-
lanenſis Epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.

Et cum facti eſſent illi anni duodecim, &c. A duodecimo anno, vt legimus, dominicæ diſputationis ſumitur exordium. Hic enim prædicandę fidei, euangelizantium numerus debebatur. Nec otioſe immemor ſuorum ſecundum carnem parentum, qui ſecundum carnem vtique ſapientia Dei implebatur, & gratia. Poſt triduum reperitur in templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduú triumphalis illius paſſionis in ſede cæleſti, & honore fidei noſtræ ſe reſurrecturus offerret, qui mortuus credebatur. *Quid eſt, quòd me quærebatis, &c.* Duæ ſunt in Chriſto generationes, vna eſt paterna, materna altera. Paterna diuinior, materna verò, quæ in noſtrum laborem, vſúmque deſcendit. Et ideo quæ ſupra naturá, ſupra ætatem, ſupra conſuetudinem fiunt, non humanis aſſignanda virtutibus, ſed diuinis referenda ſunt poteſtatibus. Alibi eum ad myſterium mater impellit, hic mater arguitur, quod adhuc, quæ humana ſunt, exigat. Sed cum duodecim deſcribatur annorú, illic diſcipulos habere docetur. Vides matrem didiciſſe à filio, vt exigeret à validiore myſterium, quæ ſtupebat in iuniore miraculum. *Et venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Quod enim magiſter virtutis niſi officium pietatis impleret, & miramur ſi patri defert, quia ſubditur matri? Non vtique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubiectio eſt. Attollat licet ſæuis emiſſus latebris coluber perfidiæ caput, & ſerpétinis euomat venena pectoribus: cú dicit ſe filius miſſum, maiorem hæreticus appellat patrem, vt imperfectum filium dicat, qui poteſt habere maiorem, vt alienis auxiliis aſſerat eum, qui mittitur, indigere. Nunquid & humano egebat auxilio, vt materno ſeruiret imperio, deferebat homini, deferebat ancillæ. Ipſa enim dicit, Ecce ancilla domini: deferebat ſimulato patri, & miraris, ſi Deo detulit? An homini deferre pietas eſt, Deo deferre, infirmitas eſt? Vel ex humanis diuina perpende, & quid patri amoris debeatur, agnoſce. Pater honorificat filiú, non vis vt filius honorificet patrem? Pater voce cæleſti in filio ſe placere profitetur, non vis vt filius humanæ carnis amictu indutus, cum humana voce humano loquatur affectu, patrem dicat eſſe maiorem? Nam ſi magnus dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, vtique magnitudo quæ finem non habet, nec augmentum habet. Sed cur non accipiam religioſis auribus filium patri in ſuſceptione corporis obedientem, cum religioſe accipiam patrem Deo deferentem? Diſce potius tuæ vtilitatis præcepta, & exempla pietatis agnoſce. Diſce quid parentibus tuis debeas, cum legis à patre filium, non voluntate, non opere, non diſcrepare tempore, & ſi perſonis duo, poteſtate vnum ſunt. Et vtique nullum pater ille cæleſtis laborem generationis expertus eſt. Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina. Cui miſerę in ipſis votorum fructibus maius periculum eſt. Et cum ediderit, quod optauit, partu abſoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis vſibus cenſus, iactáque agricolæ ſemina poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi? Cur impio patris vita prolixior, & communitas patrimonij videatur anguſtior, cum Chriſtus non refugiat cohæredes?

TITI BOSTRORVM
Epiſcopi eiuſdem Euang. expoſitio.

Audientem illos, & interrogantem eos. Quid interrogabat? ea vtique omnia, quæ erant legis, faciebántque ad legales ſanctiones & ritus. *Ego & pater tuus.* Notat ſacratiſſima Virgo puerum Ieſum non eſſe Filium Ioſeph. Verùm ne Iudæi ex ſcortatione natum falsò ſuſpicarentur, propterea ad illum aiebat: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Sed nunquid, obſecro, quærebant eum tanquam, qui periiſſet, aut ab itinere, vt pueri ſolent, aberraſſet? Abſit. neque enim ſapientiſſimæ Virgini matri, cui plurima iá antè de illius diuinitate patefacta, compertáque erant, tale quippiam in mentem venire potuit; ſed nec ipſi etiam Ioſepho. Quærebant autem illum perinde, ac ſi quis Scripturam, vel abditam ſcripturę cuiuſpiam ſententiam quærat: Conſtat namque anxiè & dolenter illum inquirere; non quidem vt errantem, aut falſam, aut fallentem, ſed vt veram, myſticámque doctrinam continentem, nec dum tamen proditam. Ad eum ergo modum, & illi quærebant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Solliciti enim erant, ne forſan ab iis diſceſſiſſet, ipſóſq; deſeruiſſet. *Quid eſt, quod me quærebatis?* Deus & dominus noſter humana reſponſione, quam dare licebat, repudiata, diuinam attulit: minimè obſcurè, per illam oſtendens, ſe Deum eſſe carne obtectum.

Nam

Nam cùm Deipara Virgo Ioſephum, qui vulgò parens illius habebatur, patrem illius appellaſſet, ipſe ſermonem ita excepit, vt templi Dominum, hoc eſt, Deum, nó autem Ioſephum patrem ſuum eſſe planum faceteret. Quandoquidem cùm in Dei templo ageret; *Neſciebatis*, inquit, *quòd in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt.* Sacra Deipara verbum, quod ad illos loquebatur, non aſſequebatur: Siquidem myſterium vſque adeò ſubtile & abditum, ſtatim deprehendere, id humanę mentis opus neutiquam erat. *Et erat ſubditus illis.* Ob id ſponte ſe illis ſubiecit, quò filios omnes exemplo ſuo huc inducat, vt debitum honoris cultum parentibus impendant, ipſiſque in omnibus morigeros ſe præſtent. *Et mater eius conſeruabat omnia hæc &c.* Quæ verba ſacroſancta Virgo mater conſeruabat? omnia, & quæ Angelus, & quæ Paſtores, & quæ Simeon, & quæ Anna, & quæ ipſemet tandem filius ad illam dixerat. Nam etſi ſacratiſſima Deiparaque Virgo, quæ ab illo depromebantur, planè non aſſequebatur, intelligebat nihilominus diuino humanóque ſenſu ſublimiora eſſe: neque enim audiebat Ieſum tanquam duodecim annorum puerum; ſed excipiebat & obſeruabat verba illius, tanquam verba viri modis omnibus perfecti. Ieſus autem, proficiebat ſapientia, ætate, & gratia. Iterum hîc Euangeliſta progreſſum in ſapientia, & gratia, ſecundum corporis incrementum aſſignat. Eum namque ſenſim progrediendo notitiæ excellentiam oſtendebat, vt apud non paucos exiſtimationem homine maiorem de ſe concitaſſet, quam etiam diuinitatis opinionem, pro ætatis ratione, & quantitate, magis magiſque ſubinde confirmabat, clariúſque patre ſic volente prodebat.

TIMOTHEI PRESBYteri *Hieroſolymitani de propheta Simeone, qui Chriſtum vlnis excepit Oratio.*

Theodoro Peltano interprete.

EN ſententia ſententiæ ſuccedit, quæſtionemq́; quæſtio pellit. *Poſteaquam factus eſſet annorum duodecim.* Eequis ille, qui factus eſt annorum duodecim? Deus verbum, vnigenitus Dei filius, qui ante mundum extitit, qui varias quondam viſiones exhibuit, temporáque condidit, atque origine tempora omnia, anteceſſit. *Et poſteaquam Ieſus factus eſſet annorum duodecim.* Secundum ortũ ex virgine duodecim annorum ſpacium, dinumeratur. Dominus enim Ieſus, quòd ad corporis quantitatem ſpectat, non ſimul adoleuit, ſed ſucceſſiue, & per partes incrementa ſumpſit, ne œconomiæ veritas phantaſma exiſtimaretur. Cum ergo humana omnia paulatim creſcerent, ipſéque humanæ naturæ menſuram, & modum accurate ſeruaret, Euangeliſta recte de eo ſcribit; *Puer autem Ieſus proficiebat, &c.* Hic euangeliſtæ diligentiam ſimul, & prudentiam obſeruare licet: non dicit; Deus verbum proficiebat; ne quam Arrianis blaſphemandi materiam offerret, ſed, *puer*: profectus enim verbum, ad œconomiæ rationem pertinet, ſicut & duodecim quoque annorũ ætas. Dicit ergo Euangeliſta: *Et cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti: Conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem requirentes eum.* En vbi impletũ, quod Simeon ad virginem dixerat; nempe illud; *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Spectat enim gladius hic ad inſignem illum dolorem, anxiámque diſquiſitionem illam, qua eum diſquirebat, qui, quod perierat, quęrere venerat. Nam, etſi Ieſu Mater virgo eſſet, & virgo vſque manſiſſet, nihiloſecius vtero illum geſtauerat, & mammas ſuggeſſerat, & non abſque cura, & ſolicitudine educabat, & in omnibus tandem, matris munus obibat, ſeſéque, vt matrem erga filium decebat, gerebat: Quamobrem interiiſſe Ieſum rata, tribúſque diebus fruſtra illum inquirendo defatigata, non abſque ingẽti cordis dolore clamabat, & intra ſe aiebat, Heu calamitatem, vbi affluentiam, & proſperitatem me inuenturam ſperabam: ibi comperi miſeriam, & detrimentum. Heu quis deprædatus eſt meum theſaurum? Quis, quod in reconditis opibus potiſſimum ducebam, è medio ſubduxit? Quis abdidit ſpem meam? non ampliùs benedicta inter mulieres dicar; non erunt poſthac, quæ dicant: Beatus venter, qui te portauit. Heu me, mœrore extabui, planéque exarui: poſthac non ampliùs beata vocabor. Quis tuo, fili, conſpectu me orbauit? Quis per inſidias te mihi eripuit? Quis theſaurum meum abſcondit? Eliſabeth cognata mea de filio ſuo gaudet; & ego meum plango, & lugeo. Illa militem retinet; & ego Regẽm deſidero. Seruus cuſtoditur; & dominus non apparet. Quò nunc euaſit Angeli Gabrielis ſalutatio? vbi nunc illuſtris ſtellæ fulgor? vbi Magorum adoratio? vbi Paſtorum exultatio? vbi Angelorum gloriatio? vbi regnaturam me ſperabam, ibi in paupẽriem prolapſam me deprehendo. Hanc igitur anxietatem, internúmque mœrorem, qui inſtar ancipitis gladij animam ferire ſolet, Simeon futurorum præſcius, certò euenturum prævidens, virginem eiuſmodi oratione affatus; *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Non dixit; gladius victoriam aduerſus te obtinebit; aut gladius tui dominabitur: ſed dixit; *gladius animam tuam pertranſibit*, hoc eſt, exiguo tantum temporis ſpacio dolore excruciabere, & affligẽre; verùm ſtatim ab omni triſtitia, & anxietate liberabere. Quòd autem ſanctiſſima, omnique reprehenſione, & noxa maior, virgo Mater eum periiſſe rata, qui ad illorum ſalutem venerat, qui perierant, impensè doluerit, id paulò antè ex Euangelij lectione audiuimus. *Et factum eſt, ait, poſt tres dies, &c.* Perpende quantum dolorem ex ea rerum anguſtia, virgo ad triduum illud ſubierit. *Et factum eſt poſt tres dies, & inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, & audientem illos, & interrogantem. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Cur vna nobiſcum non deſcendiſti, quemadmodum aſcendiſti? Cur in medio Doctorum te collocaſti? quid interrogas, quid doces, necdũ literas edoctus? quid philoſopharis? quorſum inuidiam tibi accerſis? cur liberis me orbare pergis? En incenſis oculis te contuentur: en dentibus in te frendent: en non ſecus atque agreſtis feræ, aduerſus tenerum agnum, contra te concitantur.

Virgo mater omni reprehẽſione, & noxa maior.

Atqui norat illa certo Ieſum verè eſſe Deū, & Ieſum matre plurimum vbique deferebat.

tantur, *Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Dominus autem diuinitatis ſuæ maieſtatem, ſub mendica humanæ naturæ ſpecie occultatam, haud diſſimulans, eiuſmodi reſponſum dedit; Vt quid me quærebatis? ſed & vbi quunque me quærebatis? In cælum non aſcendiſtis; ad infernum non deſcendiſtis, in ceto Ionæ non habitâſtis. *Quid eſt*, ergo. *quòd me quærebatis? neſcitis, quòd in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* An non audiſtis Simeonem? nonne is me Deum, & dominum confeſſus eſt? & vos me, vt puerum, quæritis? *Neſcitis, quòd in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Vnum in cælo patrem habeo; vos autem ad vſum tâtum accepi. Et ſermoni finem hîc imponamus, diuinæque ac myſticæ menſæ operam demus; per quam mundus firmatur; per quā terrarum orbis cōſiſtit; per quam regnum conſeruatur; per quam Eccleſia augetur; per quam Deus ſanctificatur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui ſit gloria, & imperium nunc, ſemper, & in ſecula ſeculorū, Amen.

Mirabilis virtus Euchariſtiæ.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

ET *cum factus fuiſſet annorum duodecim*, &c. Qui à natiuitate, immo à conceptione humana manifeſtis miraculorum, quia Deus ſit, eſt adprobatus indiciis, ipſe etiā mox vbi tempus ætatis congruebat, vitamque ſuam reuerenter pandere cœpit, atque aperire ſubſtantiam, & quid videlicet patri iuxta veritatem diuinæ maieſtatis, & quid iuxta aſſumptionis humanæ fragilitatem debeat matri. Nec abſque prouidentia duodennis prima ſuæ fidei rudimenta reuelabat, quæ duodecim Apoſtolorum miniſterio cunctum erat reuelanda, & elucidanda per orbem. Poſſumus & hoc dicere, quia ſicut ſeptenario, ſic & duodenario numero, qui multiplicatis inter ſe inuicem ſeptenarij partibus conſtat, vel rerum vel temporum vniuerſitas, ac perfectio deſignetur. Atque ideo quo omnia loca, vel tempora deceat occupari, rectè à duodecimo numero iubar ſumat exordium. Non igitur otioſe ſuorum perhibetur immemor extitiſſe parentum, ſed vt nos inſtruat, quia non ſolum antequam parentes ipſi, verum etiam antequam Abraham fieret, ipſe eſt, in ciuitate potius ac templo Dei, quaſi paterno iure reſidere delectat. *Et non cognouerunt parentes*, &c. Quæret aliquis, quomodo Dei filius tanta parētum cura nutritus, his abeuntibus, potuerit obliuiſcendo relinqui. Cui reſpōdendum, quia filiis Iſrael moris fuerit, vt temporibus feſtis vel Hieroſolyma confluentes, vel ad propria redeuntes, ſeorſum viri, ſeorſum autem fœminæ choros ducentes incederent, infantéſque vel pueri, cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. Ideoque beatam Mariam, vel Ioſeph viciſſim putaſſe puerum Ieſum, quem ſe comitari non cernebant, cum altero parente reuerſum. *Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illū*, &c. Quaſi fons ſapiētiæ doctorum medius ſedet, ſed quaſi exemplar humilitatis, audire prius, & interrogare doctores, quam inſtruere quærit indoctos. Ne etenim paruuli à ſenioribus erubeſcant diſcere, & ipſe ob ætatis humanæ congruentiam, hominibus auſcultare non erubeſcit Deus. Ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interrogando voluit, qui per diuinitatis potentiam, verbum ſcientiæ ipſis ſuis doctoribus miniſtrauit. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant*, &c. Nota diſtinctionem verborum, & tuæ ſaluationis, ac fidei myſteria ſedulus intuere. Stupebant qui eum audiebāt, & videntes admirati ſunt. Et eo amplius ſtupebāt ſuper prudentia reſponſionum, quo paucitatem videntes contemnebant annorum. Diuinam lingua ſapientiam prodebat, ſed infirmitatem ætas prætendebat humanam. Verum hæc doctores Iudæorum quaſi noua ſtupeant, interque alta, quæ audiunt, & infirma, quæ vident, dubia admiratione turbentur: nos autem ſcientes hūc eſſe, de quo olim propheta gratulabundus exultabat; paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis: nequaquam miremur eum, qui ſic paruulus factus eſt homo, vt nihilominus quod erat ſemper Deus, ac fortis permaneret, modo diuinitatis ſuæ modo humanitatis iis, quos erudire cupiebat, indicia dediſſe, ſed digna fide, ſpe, & charitate agamus illi gratias, quia qui magnus erat, & laudabilis nimis, ſed nos non cognoſcebamus, paruulus natus eſt nobis, vt creſcendo & proficiendo inter paruulos, paulatim eos ad capeſſenda ſuæ virtutis, ac magnitudinis arcana proueheret. *Et dixit mater eius ad illum. Fili quid feciſti nobis ſic?* &c. Non Ioſeph, qui nihil in eius generatione præter miniſterium præſtitit, & affectum, vnde & pro fideli miniſterio & ab euangeliſta, & ab ipſa Maria pater appellatur, nec ipſe Chriſtus ſuum negat eſſe parentem, ſed ſimpliciter & aperte qui ſit verus ſibi pater, nobis pariter, & illis inſinuat. Non quod, eum quaſi filium quærunt, vituperat, ſed quid ei potius, cui æternus eſt filius debeat, cogit oculos mentis attollere. Quia enim Deus, & homo eſt, nunc excelſa deitatis, nunc infima præfert humanæ fragilitatis. Quaſi homo ſeniores interrogat, quaſi Deus quæ ſeniores, & docti mirentur, reſpondet. Quaſi Dei filius in templo Dei commoratur, & quaſi filius hominis cum parentibus quo iubent regreditur. *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad illos*, &c. Quantum pietatis ſimul in domino, & humilitatis exemplum? Parentes eius non intelligunt verbum, quod de ſua diuinitate loquitur ad illos, & tamen ipſe humanæ illorum erga eum ſedulitatis non ingratus, quo præcipiunt, deſcēdit, & ſubditur illis. Quid enim magiſter virtutis, niſi officiū pietatis impleret? Quid inter nos aliud, quā quod à nobis agi vellet ageret? Deferebat homini, deferebat ancillę. Ipſa enim dicit; Ecce ancilla domini. Deferebat ſimulato patri, deferebat Deo vero patri. Et vtique matrem natus virginem cōſeruarat, & caſtam, vtique à patre non voluntate, non opere, non tempore diſtabat. Vt eius videlicet exemplis admoniti, quid parentibus debeamus, qui tanta pro nobis patiantur agnoſcamus. Solent autem dicere Arriani imperfectum eſſe filium, quia dixerit; Pater maior me eſt. Sed quid mirum, ſi ex humana ſuſceptione minoré ſe patre aſſerit in cælo, ex qua ſubditus erat etiam parentibus in terra? *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Siue quæ intellexit, ſeu quæ necdum intelligere verba euangelij potuit, omnia ſuo pariter in corde quaſi ruminanda, & diligentius ſcrutanda recondebat. Diſcamus ergo ſanctæ virginis in omnibus caſtitatem, quæ non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei cōſeruabat in corde. Et ſi illa ante præcepta Apo-

ſtolica

ſtolica tacet, cur tu poſt Apoſtolica præcepta magis cupis docere quam diſcere? *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Hic locus Manichæos pariter, & Apollinariſtas expugnat, oſtẽdens dominum veram carnem, veram habere & animam. Nam, ſicut carnis eſt, ætate, ſic eſt animę, ſapientia proficere, & gratia. Quæ tamen in ſapientia nullatenus proficeret, ſi naturalem intelligẽtiam, quæ hominibus rationis cauſa conceſſa eſt, non haberet. Non quia hoc ſuſceptor Deus eguit, præſertim cum ſupra plenus ſapiẽtia puer fuiſſe deſcribatur, ſed quia hoc pro remedio noſtræ ſalutis effectus pię ſuſceptionis elegit, vt, dum caro, & anima rationalis à Deo ſuſcipitur, vtraque pariter ſaluaretur.

EIVSDEM IN IDEM
Euang. Homil.

Habetur tom. 7. Hom. Hiem. APerta nobis, fratres chariſſimi, ſancti euangelij lectio recitata, neque opus eſt vt in ea quid exponendo loquamur. Deſcribit nanque infantiam, pueritiámque noſtri redemptoris, qua noſtræ particeps humanitatis dignatus eſt fieri: commemorat æternitatem diuinæ maieſtatis, in qua patri manſit, ac manet ſemper æqualis: vt, videlicet incarnationis eius humilitate ad memoriã reuocata, & ipſi contra omnium vulnera peccatorum medicamentum veræ humilitatis curemus exercere, pio ſemper animo recolentes quantum nos pro diuino amore, quantum pro noſtra ſalute oporteat humiliari, qui terra ſumus & cinis, ſi tantum ſumma illa poteſtas pro nobis humiliari non reſpuit, vt ad ſuſcipienda noſtræ fragilitatis infirma deſcenderet. Item audita, credita & cõfeſſa diuinitate domini ſaluatoris, qua patri, & ſpiritui ſancto conſubſtantialis ſemper, & coæternus perſeuerat, ſperemus nos per humanitatis eius ſacramenta, quibus imbuti ſumus, vſque ad contemplandam diuinitatis eiuſdem gloriam poſſe pertingere, quam ipſe ſuis fidelibus ſeruis fideli pietate pollicetur dicens; Qui habet mandata mea, & (Ioan. 14.) ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Meipſum, inquit, manifeſtabo, id eſt, non qualem me omnes conſpicere, qualem etiã infideles videre poſſunt & crucifigere, ſed qualem in decore ſuo regem ſeculorum ſoli videre poſſunt oculi mundi ſanctorum, talem me ad rependendam vicem dilectionis his, qui me diligunt, oſtendam. Igitur ſperemus nos, vt diximus, per humanitatis eius ſacramenta ad videndam diuinitatis ſpeciem poſſe conſcendere: ſi tamen eadem ſacramenta digno iuſtitiæ, & ſanctitatis, & veritatis honore, vt accepimus, illibata ſeruemus, ſi humanæ conuerſationis eius exempla, ſi doctrinę, quam per hominem nobis miniſtrauit, humiliter dicta ſequamur. Nam qui humilitatis eius veſtigia ſequi dedignatur, qua temeritate ſperat ſe ad intuenda claritatis eius gaudia poſſe penetrare? Quòd ergo dominus per omnes annos cum parentibus in Paſcha Hieroſolymam venit, humanæ nimirum eſt humilitatis indicium. Hominis eſt nanque ad offerenda Deo ſacrificiorum ſpiritalium vota cõcurrere, & autorem ſuum orationibus lachrymiſq; ſibi conciliare profuſis. Fecit ergo dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per angelos imperauerat Deus. Seruauit ipſe legem quam dedit, vt nobis qui puri homines ſumus, ſeruandum per omnia quicquid Deus iubet, oſtẽderet. Sequamur igitur iter humanæ conuerſationis eius, ſi deitatis gloriam delectamur intueri, ſi optamus habitare in domo eius æterna, in cælis omnibus diebus vitæ noſtrę, ſi libeat videre voluntatem domini, & protegi à templo ſancto eius. Et ne vlla in æternum malorum aura pulſemur, meminerimus præſentis eccleſię domum neceſſariis precum mundarum frequentare muneribus. Quòd ipſe duodenis in templo fecit in medio doctorum audiens, & interrogans illos, humanæ eſt humilitatis indicium: imo etiam eximium diſcendi humilitatis exemplum. Dei quippe virtus, Dei ſapientia æterna, quę (Prouer. 8.) diuinitus loquitur: Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Ipſa homine induta ad audiendos homines aduenire dignata eſt, vt nimirũ hominibus, quamuis ſummo ingenio prędıtis, neceſſariam diſcẽdi verbi formam prærogaret: ne ſi qui diſcipuli veritatis fieri refugerent, magiſtri efficerentur erroris. Et bene qui iuuenis erat doctrinæ ſubiturus officium, puerulus adhuc ſeniores audit, & interrogat, vt videlicet eorum prouida diſpenſatione compeſcat audaciã, qui non ſolum indocti, ſed etiam impuberes ad docẽdum prorumpere magis quàm ad diſcendum volunt ſubmitti. Sequamur iter eius humanitatis, ſi nos manſio diuinæ delectat viſionis, memores ſemper illius præcepti; Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Per auditum quippe diſciplinæ paternæ legis gratia, capiti noſtro, & collo torques additur: quia quanto quis diuinis intentus fuerit auſcultare præceptis, quanto ea, quæ didicerit in vnitate matris eccleſiæ diligentius obſeruare ſtuduerit, tanto & nunc dignius ad honorẽ prædicandi, & in futuro ſublimius aſcendet ad beatitudinẽ cum Chriſto ſine fine regnandi. Verum ne quis autumet dominum ſaluatorem ob imperitiæ neceſſitatem adiuiſſe, audiſſéque, & interrogaſſe magiſtros, videamus quid ſequitur; *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius, & videntes mirati ſunt.* Qui enim idem verus homo, & verus erat Deus, ad oſtendẽdum quia homo erat, homines magiſtros humiliter audiebat, & ad comprobandum quia Deus erat, eiſdem loquentibus ſublimiter reſpondebat. Quod matri quærenti ac dicenti; *Fili, quid feciſti nobis ſic, ecce pater tuus &c.* Diuinæ maieſtatis indicium fuit, de qua alibi dicit: Omnia quæcun- (Ioan. 10.) que habet pater, mea ſunt: atque ideo rectiſſime templum non minus ad ſe quàm ad patrem pertinere teſtatur. Inuentus quippe in templo dicit, *quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe*: quia nimirum quorum vna eſt maieſtas & gloria, horum etiam vna ſedes ac domus eſt: nec ſolum materialis Dei domus, quæ ad adorandum eum temporaliter fieri ſolet, ſed etiam domos intellectualis, quę ad laudandum eum in æternum conſtruitur, æque patri, ac filio, imò etiam ſpiritui ſancto conſtat eſſe communis. Denique idem filius, qui de ſe ac patre

dilectori

Ioan 14. dilectori ſuo promittit: Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus, dicit de ſpiritu: Et ego Ibidem. rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, qui apud vos manebit, & in vobis erit. Quia videlicet eiuſdem ſanctæ trinitatis, cuius vna, atque indiuiſibilis natura diuinitatis eſt: manſio in cordibus electorum diſpar eſſe non poteſt. Ergo quod dominus in templo ſedens dicit, in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe, declaratio eſt contempiternæ Deo patri poteſtatis & gloriæ. Quòd autem rediens Nazareth erat ſubditus parẽtibus, humanæ eſt veritatis indicium, ſimúlque humilitatis exemplum. In ea nãque natura ſubditus erat hominibus, in qua minor eſt patre. Vnde ipſe di- Ioan. 14. Pſal. 8. cit: Vado ad patrem, quia pater maior me eſt: in qua etiam minoratus eſt paulominus ab angelis. In illa autem in qua ipſe & pater vnum ſunt, in qua non ex tempore vadit ad patrem, ſed ſemper in ipſo eſt, omnia per ipſum facta ſunt, & ipſe eſt Ioan. 1. ante omnes. Cuius multum eſt miranda magnæ diſpenſatio pietatis, qui dum parentes ſuos myſterium diuinæ ſuæ maieſtatis needum capere vidiſſet, exhibuit eis humanæ ſubiectionem humilitatis, vt per hanc eos paulatim ad agnitionem diuinitatis inſtitueret. Cum enim dixiſſet; *quid eſt quod me quærebatis? an neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, & ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad illos*, ſicut Euangeliſta cõſequenter inſinuat. *Deſcendit cum eis & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Dicebat ergo arcanum ſuæ diuinæ virtutis parentibus humanæ ſuæ fragilitatis, matri ſuæ ſcilicet veræ ſuæ carnis, & caſtiſſimo tutori caſtitatis illius, qui per id temporis needum prolata luce euangelica ab omnibus pene, qui eos noſſe poterant, carnali coniunctione vir eius, carnali adminiſtratione pater æſtimabatur, ſimul & vocabatur ipſius domini ſaluatoris. Dicebat inquam his, *quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Qui cum arcem tanti myſterij aſcendere intelligendo non poſſent, neque aliter eum in iis, quæ vere patris eius eſſent manere decernerent, niſi vt comprehendere noſſent, deſcendit ipſe cum ipſis ad inferiora conuerſationis eorum, cœpitque manere in his quæ illorum erant, & erat eis pia diſpenſatione ſubiectus donec proficiente humilitatis magiſterio quantum omnibus creaturis eſſet præferendus, agnoſceret. Quid pro his noſtra agat ſuperbia, obſecro, paucis attendamus. Certe cum ea, quæ non æternaliter nouimus, ſed iuuante domino, ex tẽpore didicimus, arcana ſcripturarum, ſimpliciores quoſq; fratres loquentibus nobis intelligere non poſſe ſentimus, ſtatim extolli cõſueſcimus, eiſq; deſpectis, de noſtra nos quaſi ſingulari, ac perplurima eruditione iactamus, quaſi nõ ſint perplures etiã nobis multo doctiores, & qui à doctioribus nolumus deſpici, ipſi indoctiores nobis deſpicere imo etiam irridere gaudemus. Neque reminiſci curamus, quia non eis qui vel myſteria fidei, vel ſui præcepta conditoris tantũ meditando percipiunt, ſed his potius, qui ea quæ diſcere potuerunt operando exercent, regni aditus patet. Inſuper etiam ſcienti bonum facere & non fa- Iacob. 4. cienti, peccatum eſt illi. Et ſicut dominus ipſe te- Luca 12. ſtatur, omni cui multum datum eſt, multum quæ- 1. Cor. 8. retur ab eo. Ne nos ergo ſcientia inflet, ſed charitas potius ædificet, ſequamur exemplum apparentis in homine filij Dei, qui eis quos ſe ad ſublimia diſcenda ſequi needum valere conſpexit, ſeipſum benigna humilitate ſubiecit, euius exemplo imbutos eorum animos cæleſti gratia dignos, cæleſtis arcani redderet eſſe capaces. *Et mater*, inquit, *eius conſeruabat omnia verba conferens in corde ſuo.* Omnia quæ de domino vel à domino dicta ſiue acta cognouerat mater virgo diligentius in corde retinebat, ſolicite cum recta memoriæ commendabat, vt cum demum tempus prædicandæ, ſiue ſcribendæ incarnationis eius adueniret, ſufficienter vniuerſa, prout eſſent geſta, poſſet explicare quærentibus. Imitemur & nos, fratres mei, piam domini matrem, ipſi quoque omnia verba, & facta domini, ac ſaluatoris noſtri fixo in corde conſeruando, horum meditatione diurna, & nocturna importunos inanium nocentiúmque cogitationum repellamus incurſus horum crebra collatione & nos & proximos noſtros à fabulis ſuperuacuis, & male dulcoratis detractionum colloquiis caſtigare, atque ad diuinæ frequentiam laudis accendere curemus. Si enim, fratres chariſſimi, in futuri beatitudine ſeculi habitare in domo domini, ac perpetuo illum laudare deſideramus, oportet nimirũ & in hoc ſeculo quod in futuro quæramus ſolicite præmonſtremus, frequentãdo videlicet eccleſiæ limina, & nõ ſolum in ea laudes domini canendo, ſed & in omni loco dominationis eius ea, quæ ad laudem, gloriámque cõditoris noſtri proficiant, verbis pariter ac factis oſtendendo. *Et Ieſus*, inquit, *proficiebat ſcientia ætate, & gratia apud Deum & homines.* Natura veræ humanitatis indicat, in qua Pſal. 101. proficere ad tempus voluit, qui in diuinitate idem eſt, & anni eius non deficiẽt. Iuxta hominis quippe naturam proficiebat ſapientia, non quidem ipſe ſapientior ex tempore exiſtendo, qui à prima conceptionis hora ſpiritu ſapientiæ plenus permanebat, ſed eandem, qua plenus erat, ſapientiam cæteris ex tempore paulatim demonſtrando. Iuxta hominis naturam proficiebat ætate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuuentutem, conſueto hominibus creſcendi ordine peruenit. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, non ipſe per acceſſum temporis accipiẽdo quod non habebat, ſed pandendo donum gratiæ, quod habebat. Et bene cum dictum eſſet, *quia Ieſus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia*, adiunctum eſt, *apud Deum & homines*: quia quantum proficiente ætate hominibus ſapientiæ, & gratiæ, quæ ſibi inerat, dona patefaciebat, tantum eos ad laudem Dei patris ſemper excitare curabat, peragens ipſe quod cæteris agendum præcepit: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Atque ideo non ſolum Matth. 5. apud homines gratia, & ſapientia proficere dicitur, in quantum ipſi eius ſapientiam gratiámque potuere cognoſcere, ſed etiam apud Deum in quantum ad eius laudem, gloriámque, ſapientiam ac gratiam, quam in eo cognouere, retulerunt: cuius beneficiis, ac muneribus æternis ſit laus, & gratiarum actio in omnia ſecula ſeculorũ, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, &c. id eſt, cum facti eſſent illi anni duodecim, hoc ſpatium annorum dominus ex matre ſumpſit, vt di-

AAA catur

catnt habere duodecim annos, vel triginta. Secundum hnmanitatem annos habuit: Secundum verò diuinitaris potentiam, qna Deus eſt, ante omnia ſecula genitus à patre, nullo modo potuit habere annos. Sed qnid habuit? Æternitatem habuit, & habet modò, quia ſemper fuit ſine initio, & ſemper eſt, & ſemper erit ſina termino. *Aſcendentibus illis*, id eſt, beato Ioſeph, & beata Maria eum domino Ieſu Christo. *Hieroſolymam.* Hieruſalem, & Hie-
Deut.13. roſolyma vna ciuitas eſt. *Secundum cõſuetudinem diei feſti.* Præceptum erat legis, & conſuetudo Iudæorum vt ter in anno aſcenderent Hieroſolymam ad feſtiuitates celebrandas, juxta quod præceperat dominus in lege per Moſen ſeruum ſnum, dicens: Ter in anno apparebit maſculus tuus in conſpectu meo: id eſt, feſtiuitate paſchali, quando agnus comedebatur, quartadecima luna primi menſis ad veſperam, & feſtiuitate pentecoſtes, quę celebratur quadrageſimo die à comeſtione agni, quando acceperũt legem à domino in monte Synai, & feſtiuitate tabernaculorum, quæ ſeptimo menſe celebrabantur ob memoriam habitationis ſuæ in tabernaculis, quando habitauerunt in eremo per quadraginta annos. Secundum hanc conſuetudinem beatus Ioſeph & Beata Maria cum domino Ieſu Chriſto venerunt Hieroſolymam ad diem feſtum celebrandum. Quęrendum eſt, quare dominus ipſam legem, quam per Moſen ſeruum ſuum dederat populo Iſraelitico obſeruare, & cuſtodire voluit. Vt daret nobis exemplum obedientię. Ac ſi diceret: Si ego, qui Deus ſum, feſtiuitates, quas in lege docui, obſeruare, & cuſtodire non dedignor, quantò magis homines debent præcepta mea cuſtodire, & obſeruare vt ea opere impleant? multò magis. Et non ſine cauſa dominus cùm eſſet annis duodecim ætatis ſuæ, cœpit manifeſtare, quid deberet Deo patri ſecundum diuinitatem, & quid deberet homini matri ſecundum humanitatem. In hoc facto præfigurabatur, quia myſteria diuinitatis eius peracta, id eſt, completa ſimul, & humanitatis ſacramenta per myſterium, & prædicationem duodecim apoſtolorum toti orbi erant reuelanda. *Conſummatiſque diebus octo*, quibus celebrabant feſtiuitates, *cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem.* Hic oritur quæſtio, quomodo dominus potuit obliuiſcendo relinqui in templo, qui tanta cura à parẽtibus nutriebatur. Quia cõſuetudo fuit Iudęorum, vt Hieroſolymam confluentes, vel ad propria redeuntes ſeorſum viri, ſeorſum mulieres choros ducentes incederent, infantes verò, & paruuli cùm quolibet parente, ſiue cum patre, ſiua cum matre, indifferenter ire poterant, ideóque beatus Ioſeph, cùm non vidiſſet ſecum comitari dominum, putabat quòd cum beata Maria reuerteretur, ipſa quoque putabat eum eſſe cum Ioſeph. Tali modo potuit dominus obliuiſſendo relinqui in templo. *Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, &c.* In hoc quòd dominus duodecimo anno ætatis ſuæ relictus eſt à parentibus in templo, myſticè præfigurabatur, quòd tempore paſſionis ſuæ relinquẽdus erat in Hieruſalem, ſecundum quod euange-
Math.26. liſta dicit de eo: Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. Per Ioſeph deſignatur ordo doctorum,
Geneſ.22. per Mariam verò eccleſia. Pòſt quàm repromiſſio
Galat.3. facta eſt ad Abraham de Chriſto, cui dictum eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terrę, id eſt in Chriſto, quæſitus eſt dominus à Iudæis, de quo ſemine futurus erat, & non inuentus eſt nec tempore legis, nec tempore prophetarum, donec tertia dies, id eſt, tempus ſeculi adueniret ſub grãtia ſancti Euangelij, tunc inuentus eſt. Vndè dixit Philippus Nathanaëli: Quem ſcripſit Moſes, & prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Vel tertia die inuenerunt eum, id eſt pòſt quàm reſurrexit à mortuis, quia ſexta die fuit dominus crucifixus, ſeptimo quieuit in ſepulchro, octauo die reſurrexit à mortuis, ipſe eſt tertius dies à paſſione. Tunc inuenerunt eum omnes, qui prædeſtinati erant ad vitam æternam, tam ex Iudæis quàm ex gentibus, de quibus dicit Lucas, Quòd vno die crediderunt tria milia, alio die quinque, & deinceps multa milia. Vbi inuenerunt eum? *In templo*, id eſt, in ſancta eccleſia, *in me-* Act.2.
dio doctorum ſedentem & in medio apoſtolorum habitantem, quia ſedet Deus, id eſt, habitat in cordibus electorum ſuorum, ſicut ipſe dicit per prophetam. Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero Cor.6.
illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. *Et fa-* Leui.26.
ctum eſt poſt triduum inuenerunt illum ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, quaſi fons ſapientiæ dominus ſedebat in medio doctorum. Et ne paruuli erubeſcant diſcere à maioribus, quod ignorant, ipſe non erubuit homines doctos interrogare, qui per diuinitaris ſuæ potentiam angelos docet in cælo. Ipſe etiam ne homines in infirmitate adhuc poſiti officium prædicationis vſurpare præſumant, vſque ad ætatem perfectam noluit prędicare vſque ad triceſimum ætatis ſuæ annum, quia triceſimus annus perfectæ ætatis eſt. Ioſeph triceſimo ætatis ſuæ anno, dominus Ægypti factus eſt. Dauid triceſimo ætatis ſuæ anno, regni gubernacula ſuſcepit. Ezechiel triceſimo ætatis ſuæ anno, propheticæ ſpiritũ promeruit conſequi. *Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic?* id eſt, quare receſſiſti à nobis: *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te.* Opinionem, id eſt, famã & æſtimationem populi expreſſit beata Maria, quum dicit dominum Ieſum Chriſtum filium Ioſeph eſſe, non quòd verè pater eius fuerit, ſed quia ab omnibus ita æſtimabatur. *Et quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Nõ vituperabat eos, quia eum quærebant, ſed cogit eos ſurgere ad intellectum, vt intelligant, quia plus debet obedire vero Deo patri quàm homini matri, & ſimulato patri. Etiam *in his*, id eſt, in diuinis officiis & in doctrina hominum doctorum. Vel, *in his*, id eſt, in domibus paternis debeo reſidere ſicut bonus filius in hæreditate patris ſui. *Et ipſi non intellexerunt verbum*, ſcilicet quod dixit: *In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Et deſcendit cum illis.* Deſcendit dicit, quia Hieruſalem in latere montis eſt ſita, Nazareth in planicie. *Et erat ſubditus illis.* Exemplum humilitatis fuit dominus Ieſus Chriſtus, deferebat honorem Deo vero patri, à quo genitus eſt ante omnia ſecula, deferebat homini matri Mariæ, deferebat ſimulato patri Ioſeph. Quare hoc agebat? Vt daret nobis exemplum obedire debere præceptis paternis, & maternis, quia per patres, & matres venimus in hunc mundum. Illi genuerunt nos, illi nutrierunt, illi genuerunt nos, illi nutrierunt, illi educauerunt, illi aluerunt. *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Siue quę tam intelligere poterat, ſiue quæ nõ poterat intelligere, omnia in corde ſuo reſeruabat, vt tempore congruo narraret apoſtolis,

hic, & Euangeliſtis ad ſcribendum ſecundum voluntatem Dei, ſicuti & fecit. *Et Ieſus proficiebat ſapientia.* Quia perfectus erat Deus, non habebat, quo proficeret in ſeipſo, quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, & in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: ſed in illis proficiebat, qui de doctrina illius per interualla temporum proficiebant. Verbi gratia: Eſt modò aliquis bonus cãtor, antè quàm cantilenam ſuam aliis inſinuet, non dicitur proficere in ſeipſo, quia nõ habet quo proficiat: cùm autem cantilena auditoribus ſuis proficere cœperit, interrogatur ab aliquo: quomodo proficit ille cantor? Reſpondetur: Certè bene proficit, quum ipſe non in ſeipſo proficiat, ſed in auditoribus ſuis. Similiter & dominus Ieſus Chriſtus non proficiebat ſapientia in ſeipſo, quia perfectus erat Deus: ſed in illis proficiebant. *Et ætate.* Proficiebat dominus Ieſus Chriſtus ætate, quia de infantia veniebat ad pueritiam, de pueritia veniebat ad adoleſcentiam, de adoleſcentia in iuuentutem, & de iuuentute ad perfectam ætatem. Gratia proficiebat, quia tanta gratia collata eſt eidem homini aſſumpto à verbo Dei, vt ex quo concipi cœpit, in vtero virginis perfectus eſſet Deus. Apud Deum proficiebat, quia illi, qui videbant miracula eius, & audiebant verbum ex ore illius, & videbant gratiam à Deo patre illi collatam, vt eſſet perfectus Deus, & ſapientia æterna, referebant Deo patri laudes, iuxta quod ipſe filius præcepit dicens: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Apud homines proficiebat, in illis ſicut ſuprà diximus, qui de doctrina eius proficiebant. Fuerunt hæretici Apollinariſtæ, qui dixerunt dominum Ieſum non habuiſſe animam, ſed diuinitatem loco animæ fuiſſe. Sed hos redarguit euangeliſta cum dicit: *Ieſus proficiebat ſapientia*, quia ſapientia in anima proficit. Et fuerunt hæretici Manichæi qui dixerunt Ieſum Chriſtum non habuiſſe verum corpus, quos redarguit euangeliſta quum dicit: *Et Ieſus proficiebat ætate*, quia ætas in corpore proficit.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

SImul venit cum parentibus in Hieruſalem, vt per omnia oſtendat ſe non aduerſarium Deo, neque repugnantem iis, quæ à lege poſita fuerunt. Quum perfeciſſent autem dies ſeptem, paſchæ ſcilicet, mãſit in Hieruſalem. Diſputabat autem cum ſcribis, rogans eos de lege: & obſtupuerunt omnes. Vides quomodo profecerit in ſapientia, eo quòd noſceretur à multis, & in admiratione eſſet. Emicatio enim ſapientiæ eius, profectus ipſe eſt. Porro patrem nominat Dei genitrix, ſciens quidem non eſſe patrem: veruntamẽ propter Iudæos, vt ne videatur ex fornicatione prognatus, patrem eius dicit Ioſeph. Vel aliter, Quoniam velut pater curam pueri gerebat, & ſimul conuerſando miniſtrabat: merito nominauit illum patrem, tanquam honorans illum ſpiritus ſanctus patris vocabulo. Quare autem quærebant illum? num ſuſpicabantur perditum illum aberraſſe, vt ita dicam? Abſit. Neque enim hoc ſapientiſſimæ Mariæ fuerit, quæ plurimas de illo acceperat reuelationes: neque Ioſeph, cui & ipſi de illo reuelatum erat, quòd à ſpiritu ſancto eſſet. Verum quærebant illum, ne quo pacto ab eis abiiſſet, ne forte reliquiſſet illos. Vbi autem inuenerunt eum, vide quomodo ipſis reſpondet. Quum enim illa Ioſeph patrem eius dixiſſet, ille dixit; Non hic verus pater meus eſt, alioqui in domo eius manſiſſem: ſed Deus eſt pater meus, & propterea in domo illius ſum, hoc eſt in templo illius. Verum ipſi non intellexerunt, quid loquutus eſſet eis: ſacramentũ enim erat. *Et deſcendit cum eis, venitque Nazareth, &c.* Subditus fuit parentibus, dato etiam nobis exemplo, vt patribus ſimus obedientes. Conſeruabat autem hæc omnia virgo. Diuina enim erant, quæ dicebantur, & agebantur à puero, non quaſi duodecim annorum, ſed quaſi perfecti viri. Vide autem quomodo hoc loco Euangeliſta interpretatur, quid ſit proficere ſapientia. ſubdit enim, ſtatura. Profectum autem ætatis, ſapiẽtiæ profectum eſſe dicit, Gratiam vero habebat apud Deum, & apud homines, hoc eſt, agebat ea, quæ Deo beneplacita erant, & quæ laudata ab hominibus. Primũ autem apud Deum, & poſtea apud homines. Primum enim oportet Deo placere, & deinde hominibus.

INCERTI SVB NOMINE *Euſebij Epiſcopi Emeſeni ſuperioris Euang. expoſitio.*

DIxit modò in proximo ſuperiori verſu Euangeliſta, quia ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Religioſi parentes per annos ſingulos ibant in Ieruſalem, vt legem audirent, ſacrificiis participarẽt, ſolennitatibus intereſſent, & eius adhuc vmbræ ſeruiebant, cuius iam tenebant veritatem. Tota enim illa ſolennitas, Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, & cætera, quæ de eo ſcripta ſunt, ſignificabat. Erat igitur ſimul cum cæteris Ieſus in ſolennitate, qui totius erat cauſa ſolennitatis. Permixtus turbis videbatur, ab omnibus in lege, & prophetis prædicabatur, in ſacrificiis ſignificabatur, & à nemine cognoſcebatur, quia duplici velamine tegebatur: inde velamine literæ, hinc carnis pariete. Vnde ſcriptum eſt, En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Ipſe iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus ſacrificiis offerebatur. Mater quoque eius multa ibi in lege, & prophetis cantare audiebat, quæ de ipſa dici intelligebat, & in ſe iam completa eſſe ſciebat: qualia ſunt: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: itémque, & egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & multa alia. Meritò igitur per annos ſingulos illuc veniebant, vbi ſuas laudes ab omni populo prædicari audiebant. Tandem autem cõſummatis diebus, & completa ſolennitate, cum redirent, *remanſit puer Ieſus in Ieruſalem*: quæ viſio pacis interpretatur, per quã ſanctam Eccleſiam intelligimus. Vnde & dicitur, Et factus eſt in pace locus eius, habitatio eius in Sion. Hoc autem parentes eius, id eſt Synagoga, & Iudæorum populus non cognouerunt, ſed eum in comitatu eſſe æſtimantes, & ſecum adhuc manere & habitare putantes, venerunt iter diei. Magnus erit iſte dies. Hic enim dies finem non habebit, niſi prius Iudæi ad fidem conuertantur. Stulti

Iudæi, qui ſecum adhuc eum eſſe putabant, quem iam occiderant, & dicentem audierant, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & in pſalmis, Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. *Requirentes autem eum inter cognatos & notos, & non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum.* Vſque hodie nanque Iudæi (qui per Ioſeph & Mariam ſignificabantur) inter cognatos, & notos (id eſt, in lege, & prophetis) quærunt Ieſum. Sed quia carnaliter quærunt, eum inuenire non poſſunt. Si igitur eum inuenire deſiderant, redeant in Ieruſalem, veniant ad templum & ad Eccleſiam: ibi enim eſt, & ibi eum inuenient. Hoc enim tunc ſpiritualiter completum eſt, quando poſt Chriſti paſſionem quidam Iudæorum corde compuncti, venientes ad Apoſtolos, (hoc enim fuit Chriſtum quærere, & redire in Ieruſalem:) dixerunt, Quid faciemus, viri fratres? Quibus apoſtolus Petrus, Pœnitentiam, inquit, agite: & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Hos igitur, & cæteros qui tunc temporis crediderunt, ſignificabant parentes Ieſu: quoniam ſicut illi ignoranter eum perdiderant, ita & iſti ignoranter eum occiderant. Vnde & beatus Petrus, Et nunc, fratres, inquit, ſcimus quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Meritò autem parentes Ieſu hoc in loco Synagogam, & Iudæos ſignificant, quòd eum in Ieruſalem duxiſſe narrantur, vt ea in ſignificatione iam fieri videret, quæ poſtea in cruce paſſurus erat. *Et factum eſt poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientē illos, & interrogantem.* Poſt triduum in templo inuenitur Ieſus: quia poſt reſurrectionem, quæ die tertia facta eſt, ab his, qui eum quærunt, in Eccleſia reperitur: ante triduum quidem non inueniebatur: quia non Deus, ſed homo tantùm ab hominibus putabatur Sed vbi inueniretur? In templo, in Eccleſia, in conuentu fidelium, in medio doctorum, & in cœtu epiſcoporum. Qui igitur quæris Ieſum, veni ad templum, veni ad Eccleſiam, veni ad Epiſcopos, & ſacerdotes, audi quid ipſi dicunt: ibi enim videbis Ieſum, ibi ſedet in medio doctorum, id eſt in cordibus eorum. Ibi enim audiens docet, & interrogans inſtruit: ibi omnes actus noſtri, & cogitationes reſpondent. Nihil ei abſconditur: omnia videt, & cuncta ei loquuntur. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia ſua, & reſponſis eius.* Ipſe igitur interrogabat, ipſe reſpondebat, ipſe & ſuas & illorum quæſtiones ſoluebat: morem agens peritiſſimi magiſtri, qui nunc interrogando, nunc reſpondendo diſcipulos inſtruit. *Et videntes admirati ſunt.* Admirati (inquit) ſunt parentes eius, quum eum in medio doctorum ſedere vidiſſent. Admirantur vſque hodie Iudæi quicunque ad Eccleſiam veniunt, & ad fidem cõuertuntur, dum ibi Chriſtum vident, quem ipſi Meſſiam vocant, quem in Synagoga, & inter cognatos, & notos nulla illorum expoſitione videre vel intelligere potuerunt. *Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Diximus iam per matrem domini, Synagogam ſignificari, de qua dominus ſecundum carnem originem duxit. Hæc autem quocunque tempore ad Eccleſiam veniens, ibiq; veritatem intelligens, ſuam ignorantiam, & Chriſti abſentiam admiratur. Et admirando dicit, *Fili, quid feciſti nobis ſic?* cur nos reliquiſti, & ad Gentium Eccleſiam pertranſiſti? *ecce pater tuus*, populus Iudaicus, *& ego dolentes quærebamus te.* Hoc eſt enim, quod apoſtolus ait: Teſtimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Quærunt Ieſum, & non inueniunt: quia nõdum ad templum, & ad Eccleſiam peruenerunt. *Et ait ad illos, Quid eſt, quòd me quærebatis?* Quid eſt, quòd me in comitatu infidelium, & extra Eccleſiam eſſe putabatis? hic etiam: hic me quærat, qui quærere vult. *An neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt*, & inter illos qui patris mei voluntatem faciunt, *oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerũt verbum, quod loquutus eſt ad illos.* Quare non intellexerunt? Quoniam eos ſignificabant, qui nondum ſpiritualem intelligentiam habebãt. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Audiant hoc ſubditi, & ſubditi eſſe non dedignentur: ſiquidem omnibus prælatus, ſubditus fieri non eſt dedignatus. Prælati quoque non ſuperbiant: & in Ioſeph prælato, & in Chriſto ſubdito intelligãt, quia ſæpe fit vt maioris meriti ſint ſubditi quàm prælati. *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Niſi enim ipſa ea cõſeruaſſet, nos ea non haberemus. De eius nanque theſauris nos iſta ſuſcepimus. *Et Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines.* Proficiebat enim non ſecundum diuinitatem, quæ quidem in nullo vel creſcere vel minui poteſt: ſed ſecundum humanitatem, qua nobis ſimilis factus eſt.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

ET ibant parentes eius quotannis Hieroſolyma, &c. Finitis diebus, videlicet, die feſto paſchæ, diebúſq; azymorum. Remanſit autem, ſiue relictus eſt in Hieruſalem volens commiſceri doctoribus. *Et non cognouit Ioſeph, & mater eius.* Iuxta diuinam prouidentiam hoc factum eſt, ne prohiberent eum quaſi puerum, & ſine literis. † †

† *Ex his verbis, ſimulque & ab iis, quæ paulo poſt habentur ſuper eo verbo; Et viſo eo, obſtupuerunt, apparet autor ſentire, quòd virgo hoc tẽpore non cognouerit Ieſum fuiſſe Deum: nõ tamen ita ſenſit, quod patet ex illius dictis enarratione: Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo, quod paulo poſt prædicta ſequitur.* †

Et factum eſt poſt tres dies, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum. Vnum quidem diem conſumpſerunt, quando venerunt itinere diei, & requirebant illum inter cognatos, & notos: alterum, quando, non inuento eo, reuerſi ſunt in Hieruſalem, quærẽtes illum: circiter tertium vero tandem inuenerunt illum. In templo inuenitur Chriſtus, ſiue in ſacro loco, & in ſacro negotio, ac in ſacro homine. *Audientem illos, & interrogantem eos.* Audientem, & interrogantem de legalibus, vt à puero intelligentia eius cognita foret. Timeamus ergo, qui præceptores ſumus, quoniam in medio noſtrum eſt Chriſtus, attẽdens, quo pacto doceamus. *Stupebant autem omnes, qui audiebant eum, &c.* Oportebat enim hoc fieri, vt quum poſtea doceret, facile ab illis reciperetur. *Et viſo eo, obſtupuerunt.* Ioſeph videlicet, & mater eius. Obſtupuerunt autem, non propter intelligentiam tantum & reſponſa illius, verum etiam propter audaciam. *Et dixit mater eius ad illum, Fili &c.* Patrem, Ioſeph nominauit, vtpote ſponſum ſuum, & illius nutritium. Dolentes autem quærebant illum, propter longam moram, & deſiderium. Si quis ergo præ deſiderio dolens quærat eum, inueniet illum. *Et dixit ad illos:*

Quid

Quid eſt quod me quærebatis? Quaſi errantem videlicet: Deus enim non errat. *Neſciebatis, quòd in ijs, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Id eſt, in domo patris mei. Dicebat autem de templo, quod Deo patriq; ſuo à Solomone ædificatum erat. Verũ mater eius de adoptiuo patre loquuta ſuerat: ipſe autẽ eum, qui natura ſibi pater erat, manifeſtabat. *Et ipſi non intellexerunt, &c.* Quod erat de templo. *Et erat ſubditus illis.* Docens, vt ſubditi ſimus non ſolum naturalibus parentibus, verum etiam adoptiuis. *Et mater eius conſeruabat, &c.* Quæ de templo dixerat, ac ſimilia, tanquam verba non ſimpliciter pueri, ſed etiam filij Dei. Conſeruabat autem, examinans apud ſeſe, vtpote quæ non vulgariter dicta erant. *Et Ieſus proficiebat † ſapientia, &c.* Tanquam puer lege humanæ naturæ paulatim ad hæc proficiebat: Nam vt Deus omnino perfectus erat. †

† *Grego. Theo. Proficiebat, inquit, vt ætate, ita & ſapientia, & gratia: non hæc accipere oportet per augmentum. Quid enim? Num, qui ab initio perfectus erat, perfectior fieri poterat? ſed quòd hæc paulatim denudaret, atque demonſtraret.* †

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

IOAN. I.

a Intuitu mentis & corporis. b Innocens immolandus, præfiguratus in agno paſchali.
IN illo tempore [a] vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: [b] Ecce
c Quid confert. d Non de loco ad locum, ſed vt omnino non ſint. ¶ Quia non cum traduce carnis natus. e Hic determinat quis ille medius de quo ſupra dixit, ſit. f Iſtud.
agnus Dei: [c] ecce qui [d] tollit peccata [e] mundi. Hic eſt de quo [f] dixi:
g Poſt præconem Iudex. ¶ Natiuitate & cæteris. h Dignitate. i Deitate.
[g] Poſt me venit vir, qui [h] ante me factus eſt, quia [i] prior me erat: & ego neſciebam eum.
k Vſu baptizandi, & oſtenſione humilitatis Chriſti. l Non in ſpiritu peccata tollens.
Sed vt [k] manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in [l] aqua baptizans.
m Corporali ſpecie columbæ.
Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi [m] ſpiritum deſcendentem
n Vt Ioannes per eum excellentius de Chriſto intelligeret. o Comparatione huius cognitionis, nam ex viſu & auditu (licet corporali) multum proficiebat in cognitione maieſtatis & poteſtatis, reuelatis oculis.
quaſi columbam de [n] cælo, & manſit ſuper eum: & ego [o] neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris
p Non alius. ¶ Quid? q Ecce quid didicit. r In quo eſt remiſſio. ¶ Quod non eſt Ioannes.
ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum, [p] hic eſt [q] qui baptizat in [r] ſpiritu
s Illum ſpiritum. t Valens, vnde poteſt baptizare.
ſancto. Et ego [s] vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt [t] filius Dei.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

VENIENTEM. Non ſolum greſſibus corporis, ſed etiam interioris ſuæ contemplationis acceſſibus: quia dignatus eſt à Ioanne cognoſci ſecundum diuinitatem & humanitatem. *Ecce agnus Dei, &c.* Tria miniſtrat agnus poſſidentibus ſe, lac ſimplicis doctrinæ, quo paruuli nutriuntur, lanam, id eſt, incrementa virtutum, Eſum carnis ſuę. *Peccata mundi.* Peccatum mundi dicitur originale peccatũ, quod eſt commune totius mundi quod tota humana natura ſimul & ſemel condita leges diuinas per inobedientiam tranſgreſſa eſt in paradiſo, quod originale ſingulàque ſuperaddita genera relaxat. *Poſt me ve. vir.* Chriſtus eſt vir in quo nobis congruit & pro nobis ſoluit, & filius Dei in quo patri congruit & peccata dimittendo reconciliat nos ei. *Vt mani.* Hic eſt agnus qui tollit peccata, quod non ego, quem etiam melius modo noui, ſed pro-
Ioan. 14. a pterea baptizo vt manifeſtetur Iſraeli. Ne enim propter inſolentiam minus baptizarentur à Chriſto in ſpiritu, vſu baptizandi ei viam parauit. vnde poſtquam ad ipſum qui via eſt ventum eſt, baptiſmus eius ceſſat. In baptiſmo etiam Ioannis manifeſtatur humilitas Chriſti, quæ eſt impletio totius iuſticiæ, ſicut enim opus eſt Chriſtum naſci & mori, ſic & baptizari. Si enim ipſe qui non eget, à ſeruo baptizatur, non dedignentur quantumcunque ſapientes & ſancti à domino baptizari, ſine quo permanent in peccatis. *Baptizans.* Chriſtus à Ioanne baptizatur, vt indicetur omnis humilitas, quæ eſt omnis iuſticia. Sed non ſolus, ne baptiſma Ioannis ſanctius & maius, in quo Deus homo baptizatus eſt, videretur baptiſmo Chriſti: in quo homines baptizantur. Baptizantur autem alij à Ioanne, vt vſus baptizandi præberet viam baptiſmo Chriſti. *Et teſt.* Sicut dixit ſe veniſſe, vt manifeſtaret Chriſtum: ita perhibuit teſtimonium ſcilicet vidi ſpi. In quo didicit, quod prius neſciuit. venerat etiam prædicare pœnitentiam, id eſt, facere præparationem prædicationis Chriſti, ſed tantum de præparatione baptiſmi ponit ſingulariter, quia baptiſmus Chriſti eſt

ſummum ſacramentum inter alia. *Spiri. deſcen.* Non quòd modo primum deſcenderit, ſed vt per hoc deſcendere oſtendatur, & manere in baptizatis aqua, & non aliter: & vt Ioannes per eum de Chriſto excellentius intelligeret. *Et ego neſcie.* Aug. Viſa columba dicit ſe per eam didiciſſe, quod prius neſciebat. Sciebat quidem, quòd erat dominus, qnòd agons tollens peccata, quòd ab eo deberet baptixari, ſicut & confeſſus erat: ſed neſciebat quòd ſibi eſſet retenturus & nulli tradirurus poteſtatem baptiſmi, & miniſterinm, per quod conſtat vnitas eccleſiæ, ne ſint tor baptiſmi qnot baptiſtæ. Potuit autem dominns poteſtatem baptiſmi alicui ſeruo vice ſua tradere, vt tanta eſſet vis in ſerui baptiſmo, quanta in domini: ſed voluit vt ſpes baptixatorum tantum ſit in domino, non in homine, & vniantur in eo: vt ſit vna columba & non diuidatur per homines. Vnde nihil differt baptiſma domini, ſiue per bonum ſiue per malum tradatur miniſtrum. nec iteratur, quia ſemper eſt baptiſmus domini. Baptiſmus Ioannis iteratur, quia non domini eſt, ſed hominis, & ſi ex Deo. Baptiſmus Iudæ, non Iudę, ſed domini eſt, nec iteratur: Vt autem vnitas & fraternitatis pax ſine laniatione in omnibus baptizatis ſeruaretur, quaſi in vna columba qnæ gemit in ærumnis mundi, & ramum qui extra eſt, ſi fructum habet, fert ad arcā: Gen. 8. b ideo ſpiritus in quo baptixatur, per columbam oſtenditur. Vt autem habita vnitate & pace in ſe ferueant contra mala, poſt in igne datus eſt apo- Act. 2. a ſtolis, & in linguis diuerſis ſecundum diuerſitatem gentium: quæ modo vniuntur, olim de vna Gen. 11. a diuiſæ in tumidis ædificatoribus. Nota quòd in ſacramēto baptiſmatis ſicut & in aliis, ſolus Chri- Rom. 12. b ſtus operatur. Alij verò ſunt miniſtri. Vnde Apoſtolus: In labore & mente ſunt differentes, in operatione indifferentes. Hiero. Oſtendit Ioannem non ſcire per baptiſmum Chriſti mundum eſſe redemptum. nam ſciebat eum filium Dei eſſe, & natum in carne. Aug. dicit Ioannem ignoraſſe hoc tantum, vtrum ſibi retineat vim baptixandi: an alicui ſuorum tribuat: *Et manen.* Aug. Spiritualiter dicitur ſpiritum manere in Chriſto, à quo nunquam per peccatum receſſit, in quo ſemper mirabiliter vixit & mirabiliter operatus eſt. In ſanctos venit, & per peccata recedit: Manet tamen ſemper in eis ad aliquid, vt Chriſtus eis promiſit, ſcilicet vt bonis ſemper inſiſtant: Ad aliquid non manet, ſcilicet vt ex eo prophetent, vel miracula faciant: & ideo hoc quod dicit, eſt primum ſignum agnoſcendi Chriſtum. *Qui baptiZat.* Baptizat Chriſtus in ſpiritu, non ſolum remittendo peccata in aqua, ſed poſt purgando, & amorem accendendo, & donis implendo. *Hic eſt fi. Dei.* Hic teſtatur filium Dei quem ſuperius virum vocabat: vt ab eo habeatur teſtimonium vtriuſque naturæ.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, &c. Orig. Poſt teſtimonium Ioannis, iam videtur Ieſus veniens ad eum, non ſolum adhuc perſeuerantem, ſed & potiorem effectum, quod per diem ſecundam iam deſignatur: vnde dicitur, Altera die vidit, &c. Pridem autem Ieſu mater protinus vt illum concepit, ad matrem Ioannis prægnantem proficiſcitur, & per vocem peruenientem ad aures Elizabeth ex Mariæ ſalutatione exultat Ioānes conceptus in vtero. Hic autem poſt Ioānis teſtimonia ipſe videtur à Baptiſta accedens ad eum. Prius autem auditu aliorum inſtruitur aliquis, ac deinde oculatè inſpicit illa. Per hoc autem quòd Maria ad Elizabeth venit minorem, & filius Dei ad Baptiſtam, ad feruorem opitulandi minoribus & ad modeſtiam admonemur. Verum cur ad Baptiſtam venit ſaluator, non hîc dicitur: ſed ex dictis Matthæi colligimus, dicentis: Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Chryſoſt. Vel ali. Matthæus aduētum Chriſti ad baptiſmum præſentialiter dicit: Ioannes autem & rurſus eum iuiſſe ad Ioannem oſtendit poſt baptiſma: & hoc manifeſtat quod poſtea dicit: Quia vidi ſpiritum deſcendentem, &c. Partiti enim ſunt ſibi euangeliſtæ tempora narrationis. Matthæus enim ea quæ antequam ligaretur Ioannes Baptiſta præteriens, feſtinat ad ea quæ deinceps ſunt tempora. Sed Ioannes his maximè immoratur, quæ ſcilicet ante incarcerationē Ioannis fuerunt: vnde hîc dicitur: Altera die vidit, &c. Cuius igitur gratia ſecundò poſt baptiſmum ad eum veniebat, quia ipſum baptixauerat cum multis, vt nullus ſuſpicetur quoniam ea eadem cauſa ex qua & alij, ad Ioannem veniret, puta peccata confeſſurus, aut in pœnitentiam abluendus in flumine. Propterea ergo accedit, dans Ioanni occaſionem corrigendi hanc ſuſpicionem, quam Ioannes per verba correxit: vnde ſequitur, & ait: Ecce agnus Dei, &c. Qui igitur ita purus erat vt aliorum peccata abſoluere poſſet, manifeſtum eſt quoniam non vt confiteretur peccata, accedit, ſed vt occaſionem det Ioanni loquendo de ipſo. Venit etiam ſecundò, vt hi qui priora audierant, certius recipiant quæ prædicta ſunt, & alia rurſus audiant. Dicit autem: Ecce agnus Dei innuens quod hic eſt qui olim quærebatur, rememorans prophetiæ Eſaiæ & vmbræ quæ ſecundum Moyſen erat, vt à figura facilius eos ducat ad veritatem. Auguſt. Si autem agnus Dei eſt innocens, & Ioannes agnus, an non & ipſe eſt innocens? ſed omnes ex illa propagine veniunt, de qua cantat gemens Dauid: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Solus ergo ille agnus qui non ſic venit, non enim in iniquitate conceptus eſt, nec in peccatis mater eius in vtero aluit: quem virgo concepit, virgo peperit: quia fide concepit, & fide ſuſcepit. Orig. Sed cum quinque offerantur animalia in templo, tria terreſtria, vitulus, ouis, & capra: volatilia verò duo, turtur & columba: & de omnibus tria adducantur, aries, ouis, agnus, de genere ouium agnū memorauit. Agnum enim in oblationibus quotidianis offerri videmus, vnum quidem mane, alterum verò veſpere. Quænam autem oblatio alia poteſt eſſe quotidiana à rationali natura comprehendenda, niſi verbum vigēs, agnus typicè nuncupatum? Hoc nempe cenſebitur oblatio matutina ad frequentiam intellectus in diuinis relatum. neque enim anima pati poteſt vt ſummis iugiter inſiſtat, eo quod corporis terreſtris & grauis coniugium eſt ſortita. Ex hoc etiam verbo quod Chriſtus eſt, coniectare de pluribus poterimus: & quodammodo veſpere pertingemus ad corporalia procedentes. Qui autem hunc obtulit agnum ad immolandum, Deus fuit in homine reconditus, magnus ſacerdos qui dixit, Nemo tollit animam meam à me, ſed ego

pono

pono eam:vnde dicitur, Agnus Dei. Ipſe enim noſtros languores accipiens totios, mundi tollens peccata, mortem quaſi baptiſmum ſuſcepit. Apud Deum enim non pertrãſit incorrectum quicquid agimus quod diſciplina indigeat, quæ per difficilia exercetur. Theoph. Vel dicitur Chriſtus agnus Dei, inquantum Deus pater mortem Chriſti acceptauit pro noſtra ſalute, vel inquantum eum pro nobis tradidit morti. Sicut enim dicere conſueuimus, Hæc oblatio eſt talis hominis id eſt, quam talis homo obtulit: ſic & Chriſtus dicitur agnus Dei, dantis ſcilicet filiũ ſuũ pro noſtra ſalute in mortẽ, & ille quidẽ agnus, typicus nullius omnino peccatũ ſuſtulit, hic verò peccatũ vniuerſi orbis terrarum: periclitantẽ enim mundum eruit ab ira Dei, vnde ſubdit: Ecce qui tol. pec. mun. Nõ autem dixit qui tollet, ſed qui tollit peccata mundi, quaſi ſemper hoc faciente ipſo: non enim tunc ſolum tulit cum paſſus eſt, ſed ex illo tempore vſque ad præſens tollit. non ſemper crucifixus: vnam enim pro peccatis obtulit oblationem: ſed ſemper purgans per illam. Greg. 8. mo. Tunc autem ab humano genere plenè peccatum tolletur, cum per incorruptionis gloriam noſtra corruptio permutabitur. Eſſe nanque à culpa liberi non poſſumus, quouſque in corporis morte tenemur. The. Sed quare non dixit, Peccata mundi, ſed peccatum? vt videlicet per hoc quod dixit peccatum, vniuerſaliter peccatum videretur innuere, ſicut conſueuimus dicere, quod homo eiectus eſt de paradiſo, id eſt, omne genus humanum. Beda, Vel peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi: quod quidem peccatum originale & ſingulorum ſuperaddita Chriſtus per gratiam relaxat. Aug. Qui enim de noſtra natura peccatum nõ aſſumpſit, ipſe eſt qui tollit noſtrum peccatum. Noſtis quia quidam homines dicunt, nos tollimus peccata ab hominibus, quia ſancti ſumus. ſi enim non fuerit ſanctus, qui baptizat, quomodo tollit peccatum alterius, cum ſit ipſe homo plenus peccato? Contra iſtas diſputationes hinc legamus, Ecce qui tol. pec. mun. Vt non ſit præſumptio hominibus in homines. Orig. Sicut tamen iugi oblationi agni, cognatæ ſunt oblationes reliquæ legales: ſic huius agni oblationi, cognatæ oblationes videntur mihi effuſiones ſanguinis martyrum, quorum patientia & confeſſione & promptitudine ad bonum, obtundũtur machinationes impiorum. Theo. Quia verò ſuperius illis qui ex phariſæis venerant Ioannes dixerat, quod medius veſtrum ſtat quem vos neſcitis, hic ignorantibus demonſtrat, dicens: Hic eſt de quo dixi, Poſt me venit vir, &c. Vir dominus dicitur propter ætatis perfectionem. Nam triginta annorum baptizatus eſt. Vel quia ſpiritalis animæ vir eſt, & eccleſiæ ſponſus. vnde Paulus: Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Augu. Poſt me autem venit, quia poſterior natus eſt. Ante me factus eſt, quia prælatus eſt mihi. Greg. Prælationis autem eius cauſas aperuit cum ſubiungit, Quia prior me erat: ac ſi apertè dicat, Inde me etiã poſt natus ſuperat, quo eum natiuitatis ſuæ tempora non anguſtant. Nam qui per matrem in tempore naſcitur, ſine tempore eſt à patre generatus. Theo. Auſculta ô Arrie: non dixit, Quia prior me erat. Audiat hoc Pauli Samoſateni abuſio; quod non ex Maria ſumpſit primordium, quia ſi eſſendi principium ſumpſit ex virgine, qualiter prior extitit præcurſore? Nam manifeſtum eſt quòd præcurſor Chriſtum in ſex menſibus ſuperabat ſecũdum humanam generationem. Chryſ. Vt autem non videatur ex amicitia propter cognationem ei teſtimonium perhibere, quia cognatus eſt ſecundum carnẽ, propterea dicit, Ego neſciebam eum: & ſecundum rationem hoc contingit. Etenim in deſerto conuerſatus eſt Ioannes. Miracula verò quæcunque Chriſto puero exiſtente facta ſunt, puta quæ circa Magos & quæcunque talia, ante multum contigerant tempus, Ioanne & ipſo valde puero exiſtente. In medio verò tempore ignotus omnibus exiſtebat, propter quod ſubdit: Sed vt ma. in Iſrael &c. Hinc enim manifeſtum eſt quoniam & illa ſigna quæ quidam dicunt à Chriſto in pueritia facta, mendacia & fictiones ſunt. Si enim à prima ætate miracula feciſſet Ieſus, nequaquam neque Ioannes eum ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro ad manifeſtãdum eum. Non igitur ipſe Chriſtus baptiſmate indigebat, neque aliquam aliam cauſam habebat illud lauacrum, quam præmonſtrationem facere eius fidei quæ eſt in Chriſtum. Non enim dixit, Vt mundem eos qui baptizantur, neque vt liberem à peccatis veni baptizans, ſed vt manifeſtetur in Iſrael. Sed nunquid ſine baptiſmate non licebat prædicare & inducere turbas? ſed facilius ita factum eſt. Nequaquam enim concurriſſent omnes, ſi ſine baptiſmate prædicatio facta eſſet. Aug. Vbi ergo cognitus eſt dominus, ſuperfluo ei via parabatur, quia cognoſcentibus ſe ipſe factus eſt via. Itaque non durauit diu baptiſma Ioannis, ſed quoadusq; demonſtratus eſt dominus humilis. Ergo vt daretur nobis à domino humilitatis exemplum ad percipiendam ſalutem baptiſmi, ſuſcepit baptiſmum ſerui, & ne præponeretur baptiſmus ſerui baptiſmo domini, baptizati ſunt alij baptiſmo conſerui. ſed qui baptizati ſunt baptiſmo conſerui, oportebat vt baptizarentur baptiſmo domini. Qui autem baptizantur baptiſmo domini, non opus habent baptiſmo conſerui. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens, &c.* Chry. Quia Ioannes teſtatus eſt ita magnum quid quod ſufficiens erat auditores omnes ſtupefacere, puta quòd totius orbis terrarum ſolus ipſe peccata tolleret, volens credibilius id facere, reduxit hoc ad Deum & ſpiritum ſanctum. Poſſet enim aliquis dicere Ioanni: Qualiter igitur tu cognouiſti eum? Reſpondet quòd per deſcenſum ſpiritus ſancti. vnde ſequitur: Et teſt. perhi. &c. Aug. 15. de tri. Non autem tunc vnctus eſt Chriſtus ſpiritu ſancto, quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, ſcilicet eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt in qua præcipuè baptizati accipiunt ſpiritum ſanctum. Abſurdiſſimũ enim eſt vt credamus eum cum iam triginta eſſet annorum (eius enim ætatis à Ioãne baptizatus eſt) accepiſſe ſpiritum ſanctũ, ſed veniſſe ad illud baptiſma ſicut ſine vllo omnino peccato, ita non ſine ſpiritu ſancto, Si enim de famulo eius & præcurſore ipſo Ioanne ſcriptum eſt, Spiritu ſancto replebitur ab vtero matris ſuæ: qui quamuis ſeminatus à patre, tamen ſpiritum ſanctum in vtero formatus accepit, quid de homine Chriſto intelligendum eſt vel credendum? cuius carnis ipſa conceptio non carnalis, ſed ſpiritalis fuit. Aug. de ago. Chriſti. Non autem dicimus ſolum Chriſtum verum corpus habuiſſe, ſpiritum autem ſanctũ fallaciter apparuiſſe oculis

huminum. Sicut enim nun oportebat vt homines falleret filius Dei, ſic nec ſpiritus ſanctus. ſed omnipotenti Deo qui vniuerſam creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare, ſicut ei non fuit difficile verum corpus in vteru virginis ſine virili ſemine fabricare. Aug. ſup. Ioan. Duobus autem modis oſtendit viſibiliter dominus ſpiritum ſanctum: per columbam ſuper dominum baptizatum, per ignem verò ſuper diſcipulos cógregatos: ibi ſimplicitas, hîc feruor oſtenditur. Ergu ne ſpiritu ſanctificati dolum habeant, in columba demonſtratum eſt: & ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratum eſt, nec moueat quia linguæ diuiſæ ſunt. Noli diſſipationem timere, vnitatẽ in columba cognuſce. Sic ergu oportebat demunſtrari ſpiritum ſanctum venientem ſuper dominũ, vt cognuſcat vnuſquiſque ſi habeat ſpiritum ſanctum, ſimplicem ſe eſſe debere ſicut columbam, & habere eum fratribus veram pacem, quam ſignificant uſcula columbarum. Oſculantur & corui, ſed laniant. A laniatu innocens eſt natura columbarum: nam corui de morte paſcuntur, columba nun niſi de frugibus terræ viuit. Si etiam gemunt columbæ in amure, nolite mirari quia in columbæ ſpecie voluit demonſtrari ſpiritus ſanctus. Ipſe enim interpellat pru nubis gemitibus inenarrabilibus. Nun autem ſpiritus ſanctus in ſemetipſo ſed in nubis gemit, quia gemere nos facit. Qui enim nouit in preſſura ſe eſſe murtalitatis huius, peregrinari ſe à dominu, quandiu prupter hue gemit, bene gemit, ſpiritus illum docuit gemere. Multi autem gemunt in infœlicitate terrena vel caſſati damnis, vel ægritudine corporis prægrauati: ſed non columbæ gemitu gemunt. Vnde ergo debuit demonſtrari ſpiritus ſanctus vnitatem quandam deſignans, niſi per columbam, vt pacatæ eccleſiæ diceretur, Vna eſt columba mea? Vnde debuit humilitas figurari, niſi per auem ſimplicem & gementem? Apparuit ibi ſancta & vera trinitas, pater in voce, dicente: Tu es fi. meus dil. ſpiritus ſanctus in columba. In iſta trinitate miſſi ſunt apoſtoli baptizare, in no. pa. & fi. & ſpiritus ſancti. Grego. 2. mo. Dicit autem: Manentem ſuper eum. In cunctis nanque fidelibus ſpiritus ſanctus venit, ſed in ſolu mediatore ſemper ſingulariter permanet, quia eius humanitatem nunquam deſeruit, ex cuius diuinitate procedit. Sed cur de eodem ſpiritu diſcipulis dicatur: Apud vos manebit, quumodu ſingulare ſignum erit quòd in Chriſto permanet? Quod citius cognoſcemus, ſi dona ſpiritus diſcernamus. In his enim dunis ſine quibus ad vitam perueniri nõ puteſt, ſpiritus ſanctus in electis omnibus ſemper permanet, vt ſunt manſuetudo, humilitas, fides, ſpes; charitas. In illis autem quibus per oſtenſionem nun noſtra ſeruatur vita, ſed aliorum quæritur, nun ſemper manet, ſed aliquandu ſe à ſignorum uſtenſionibus ſubtrahit, vt humilius eius virtutes habeantur. Chriſtus autem in cunctis eum ſemper & continuè habuit præſentem. Chryſ. Ne autem aliquis æſtimet, quoniam Chriſtus natiuitatem habebat ſpiritu ſanctu adueniente ſicut & nus, hanc etiam deſtruit ſuſpicionem, oſtendens quod ſpiritus ſancti deſcenſio ſolum pru manifeſtandu Chriſto facta eſt, vnde ſequitur: Et ego neſcie. eum, ſed qui mi. me bap. in aqua, il. mi. di. Super quem videris ſpiri. &c. Aug. Quis autem miſit Ioannem? Si dicamus, Pater: verum dicimus. Si dicamus, Filius: verum dicimus. Manifeſtius autem eſt, vt dicamus Pater & Filius. Quomodu ergo neſciebat eum à quo miſſus eſt? Si enim non nouerat eum à quo voluit baptizari, temerè dicebat: Egu à te debeo baptizari, nouerat ergo eum. Quid ergo eſt quod dicit, Et ego neſciebam eum? Chryſoſt. Sed cùm dicit neſciebam eum, anterius tempus dicit, nõ tempus quod eſt prope baptiſmum cùm prohibebant eum, dicens: Ego à te debeo baptizari. Auguſt. Sed legantur alij euangeliſtæ qui planius illud dixerunt, & inueniemus apertiſſimè tũc deſcendiſſe columbam cùm dominus ab aqua aſcendit. Si ergo poſt baptiſmum deſcendit columba, & antequam baptizaretur dixit illi Ioannes, Ego à te debeo baptizari, ante baptiſmum illum nouerat, quumodo ergo dixit, Ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare, &c. hoc audiuit Ioannes, vt noſceret eum quem non nouerat, an fortè vt plenius noſſet, quem iam nouerat? Nouerat quidem dominum, nouerat filium Dei: nouerat quia ipſe baptizaret in ſpiritu ſancto. Ante enim quàm veniret ad fluuium Chriſtus, cum multi ad Ioannem concurrerent, ait illis: Qui poſt me venit, maior eſt: ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne. Sed quid, nun nouerat & poteſtatem bapuſmi ipſum dominum habiturum & ſibi retenturum? ne Paulus aut Petrus diceret, Baptiſmus meus, ſicut inuenis dixiſſe, Euangeliũ meum, ſed miniſterium planè tranſiturum in bonus & malos. Quid tibi faciet malus miniſter vbi bonus eſt dominus? Ecce poſt Ioannem baptizatum eſt, poſt homicidam non eſt baptizatum: quia Ioannes dedit baptiſmum ſuũ, homicida dedit baptiſmum Chriſti: quod ſacramẽtum tam ſanctum eſt, vt nec homicida miniſtrante polluatur. Potuit autem dominus ſi vellet poteſtatem dare alicuj ſeruo ſuo, vt daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & conſtitueret tantá vim in baptiſmate tranſlatu in ſeruum, tanquam vim haberet baptiſma datum à dominu. Hoc noluit, vt in illu eſſet ſpes baptizaturum à quo baptizatos ſe agnoſcerent, & noluit ſeruum ponere ſpem in ſeruo. Si autem daret hanc poteſtatem ſeruis, tut eſſent baptiſmata, quot eſſent ſerui: vt quomudo dictum eſt, baptiſma Ioannis: ſic diceretur baptiſma Petri vel Pauli. per hanc ergo poteſtatem quam ſolum ſibi Chriſtus retinuit, ſtat vnitas eccleſiæ, de qua dictum eſt: Vna eſt columba mea. Poteſt autem fieri vt aliquis habeat baptiſmũ præter columbam, vt pruſit ei baptiſmus præter columbam non poteſt. Chryſoſt. Et quia pater vocem emiſit prædicans filium, superuenit ſpiritus ſanctus ſuper caput Chriſti: ne quis præſentium exiſtimaret dici de Ioanne, quod dictum eſt de Chriſto. Sed dicet aliquis, qualiter non crediderunt Iudæi ſi viderunt ſpiritum? Sed talia non ſolùm indigent oculis corporis, ſed magis viſiune mentis. Si nanque miracula facientem videntes intantum ebrij erant à liuore vt contraria his quæ videbantur enuntiarent: qualiter ſolo aduẽtu ſpiritus ſancti in ſpecie expuliſſent incredulitatem? Quidam verò dicunt non omnes vidiſſe ſpiritum, ſed ſolum Ioannem, & eos qui deuotius diſpoſiti erant. Et ſi enim ſenſibilibus oculis poſſibile erat videre in ſpecie columbæ ſpiritum deſcendentem, non tamen propter hoc neceſſe eſt omnibus hoc fuiſſe manifeſtum. Etenim Zacharias in ſpecie ſenſibili multa conſiderauit, & Daniel

niel & Ezechiel: ſed & Moyſes multa vidit, qualia aliorum nullus. vnde ſubdit Ioannes: Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Agnum quidem eum vocauerat, & quoniam in ſpiritu baptizare debebat dixit: filium autem ante hoc nuſquam. Aug. Oportebat enim vt ille baptizaret qui eſt filius Dei vnicus, non adoptatus. Adoptati filij miniſtri ſunt vnici: vnicus autem habet poteſtatem, adoptati miniſterium.

S. IOAN. CHRYSOST.

Epiſcopi Conſtantinop. de eodem Euang. Homil.

Ex Hom. 16. in Ioannem. *ALtera autem die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Diſtribuerunt tempora euangeliſtæ. Matthæus priuſquam Ioanes Baptiſta caperetur, tempora proſeqnens, ad ea quæ ſecuta ſunt, properat: Euangeliſta autem Ioannes his maximè immoratur. Et ille poſtquam venit Ieſus è deſerto, interim omiſſis omnibus quæ Ioannes, quæ Iudæi miſſi inuicem verba contulerint, & alijs pluribus, continuò tranſit ad carcerem. Quum audiret, inquit, Ieſus, quod traditus eſſet Ioannes, ſeceſſit in deſertum. Ioannes autem hoc tacuit, vtpote à
Infra 3 c Matthæo narratum. Narrat autem quæ poſt deſcenſum montis ſecuta ſunt, & multis prætermiſſis addit, Nondum enim miſſus erat Ioannes in carcerem. Et quanam gratia hoc in loco inquit Ieſum ad ipſum veniſſe non ſemel, ſed iterum? Mat-
Matth. 3 a thæus neceſſarium eius aduentum fuiſſe inquit baptiſmatis gratiâ: addit enim Ieſus, Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Ioannes cum iterum veniſſe dicit poſt baptiſma quod manifeſtauit inquiens: *Ego vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam, & manentem ſuper eum.* Qua igitur gratia venit nunc ad Ioannem? neque enim venientem tantùm, ſed ad ſe, inquit. Cur inquam? Ne quis ſuſpicaretur, quum primùm vnà cum cætera multitudine veniſſet, eadem qua alij cauſa veniſſe, vt ſcilicet peccata confiteretur, & in pœnitentiam ablueretur in flumine. Idcirco venit præbês Ioanni occaſionem, vt eiuſmodi ſuſpicionem tolleret, quam illud verbum, *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi*, penitus tollit. Qui enim tanta excellit puritate, vt aliorum peccata poſſit abluere, ſanè conſtat eum non ad confitendum peccata veniſſe, ſed vt illi admirabili præconi hanc daret occaſionem, & ſecunda hac voce his priora audierant, & certius dicta imprimeret, & alia ſuperadderet. Illud autem verbum, Ecce ponitur, eo quod ſæpe multi ex iam dictis ipſum inquirebant, ideo præſentem oſtendit. Ecce hic eſt, de quo iam ſermo habitus eſt. Hic eſt agnus. Agnum autem appellat, vt Eſaiæ prophetiâ in memoriam Iudæis reducat, vt per figuram magis eos ad veritatem alliciat. Ille quidem agnus nullius peccatum accepit, hic autem totius orbis terrarum: Periclitantem enim mũdum quam primùm ab ira Dei deliberauit. Hic eſt de quo dixit: *Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.* Vides & in hoc loco quomodo ſuperiora interpretatur? Nam quum dixiſſet, Agnus qui tollit peccata mundi: ſubdit, Quoniam ante me factus eſt: videlicet, quod accipit peccata mundi, & baptizat in ſpiritu ſancto. Meus enim aduentus nihil aliud habuit, quàm prædicare commune orbi terrarum præſtitum beneficium, & in aqua baptizare: huius autem purgare humanum genus, & largiri paracleti operationem. Hic ante me factus eſt, hoc eſt clarior apparuit, quia prior me erat. Pudeant Pauli Samoſatenſis ſectatores tam manifeſtam oppugnare veritatem. *Et ego neſciebam eum.* Aufert omnem teſtimonio ſuſpicionem, cùm non humanæ familiaritatis gratia, ſed diuina reuelatione id perhibere oſtendat. Neſciebam eum, inquit, Quomodo ergo dignus eſt fide teſtis? Quomodo alios docet, qui neſcit? Non inquit, neſcio, ſed neſciebam, vt hoc verbo maximè ſibi crederetur. Quo enim pacto tantùm ignoto tribuere; ſed vt manifeſtetur Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans. Non igitur ipſe baptiſmatis indigebat. Neque alia ratione illud lauacrum inſtitutum eſt, quam vt viam reliquis ad Chriſti fidem præberet. Non enim, inquit, vt baptiſmate ablutos mũdem, neque vt peccatis liberem, ad baptizandum veni: ſed vt manifeſtetur in Iſrael. Qui enim, dic quæſo: nónne licebat ſine baptiſmate prædicare, & multitudinem facilè ad credendum adducere? Minimè, neque enim tanto ſtudio omnes feſtinaſſent, ſi ſine baptiſmate fuiſſet prædicatum, neque niſi ex comparatione eius excellentiam didiciſſent. Si quidem multitudo, non vt prædicationem audiret, ſed vt confeſſi peccata baptizarentur, concurrebat. Aduenientes Chriſti doctrina imbuebantur, & baptiſmatis intelligebant differentiam quantum Iudaicæ inſtitutioni præſtaret: idcirco omnes confluebant, nec tamen ſic erat in precio. Quomodo igitur cognouiſti eum? quia ſpiritus deſcendit. Verùm ne quis ſpiritu, quemadmodum nos, cum indiguiſſe arbitraretur: audi quo pacto hanc tollit ſuſpicionem, vt oſtendat ſpiritum ad Chriſtum annunciandum deſcendiſſe. Nam quum dixiſſet, Et ego neſciebam illum: addit, *Sed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentẽ, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto.* Vides ad hoc veniſſe ſpiritum, vt Chriſtum oſtenderet? Non erat Ioãnis ſuſpectum teſtimonium, nihilominus vt probabilius faceret, ad Deum, & ſpiritum ſanctum relegauit. Cùm enim ſé tuam magnam & admirabilem: dignámque, quæ omnes in admirationem conuerteret, teſtificaretur, videlicet quod vniuerſi orbis terrarum ſolus peccata auferret, & tantam multitudinem abluendam diuini muneris magnitudo ſufficeret, huiuſmodi iam ſententiam confirmat. Confirmatio autem eſt quod filius Dei ſit, neque baptiſmate indigeat, & quod idcirco ſpiritus deſcendit, vt eum duntaxat manifeſtaret. Non enim erat
Ioannis dare, quod ab eo baptizati ſignificabant, Act. 19.
quum dicerent: ſed neque ſi ſpiritus ſanctus eſt, audiuimus. Non baptiſmate Chriſtus, neque illo, neque alia re: ſed baptiſma Chriſti indiguit gratia. Hoc enim fons & caput omnium bonorum relinquebatur, vt ſcilicet qui baptizarentur, digni eſſent ſpiritu ſancto. Hanc igitur ſpiritus ſacietatem aduentu ſuo impleuit, & teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: *Quod vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manentem ſuper eum, & ego neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Frequentes hac vtitur particula, ne-
ſciebam eum. Quanam gratia? Et cognatione iun- Luc. 1 A
ctus

ctus erat ſecundum carnem. Ecce enim, inquit Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium. Ne igitur videretur ad voluntatem loqui eius cognationis gratia, inquit, Neſciebam eum: & meritò ſanè. Qui in deſerto extra paternam domum à pueris verſatus erat, quid mirum ſi Chriſtum neſciebat, antequam ſpiritus deſcenderet. Quod ſi antè baptiſma eum cognouit, prohibebat eum, dicens:

Mat. 3. d Ego à te debeo baptizari. Hoc enim ſignum erat certiſſimæ cognitionis, non tamen multo antè temporè eius notitiam habuit. Nec abs re: miracula enim quæ à pueris Chriſtus fecerat, vt de Magis, & alia huiuſmodi, diu ante (Ioanne adhuc infante) contigerant. Interea multo intercedente tempore, minimè mirum ſi ignorabatur. Nam ſi antea notus fuiſſet, non vtique dixiſſet: Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni baptizans. Hinc conſtat ſigna illa, & miracula quæ in Chriſti pueritia feruntur, vera non eſſe. Nam ſi à pueris miracula facere cœpiſſet, non ſanè eum Ioannes ignoraſſet, nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem inquit, propter hoc veni vt manifeſtetur in Iſrael. Sed quanam ratione inquit, Ego debeo à te baptizari? Deinde vt pote manifeſtius eum cognoſceret, turbis eum manifeſtauit, dicens: Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, quem dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt. Quia & qui miſit me baptizare in aqua, propterea miſit me, vt manifeſtetur in Iſrael: Ipſe ante deſcenſum ſpiritus Ioanni reuelatus eſt: idcirco & antequam veniſſet, dixit: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt. Neſciebat igitur antequam Chriſtus ad Ioannem veniret, ſed quum baptizandus eſſet, tunc enim cognouit, & maximè quum pater eum prophetæ reuelaſſet, & ſpiritus Iudæis, quorum gratia deſcenderat, qui baptizaretur, oſtendiſſet. Itaque ne Ioannis contemneretur teſtimonium, inquit: Quia prior me erat, & in ſpiritu baptizat, & iudicabit orbem terrarum. Ideo pater ipſe voce ſua filium profeſſus eſt, & ſpiritus ſupra Chriſti caput deſcendit. Cùm enim alter baptizaret, alter baptizaretur, ne quis de Ioanne id verbum dictum arbitraretur, venit ſpiritus qui huiuſmodi amouit dubitationem. Itaque cùm inquit. Neſciebam eum, ſuperiora tempora reſpicit, non quæ circa baptiſma fuerant. Nam quo pacto prohibuiſſet, dicens: Ego debeo à te baptizari? quomodo hæc de eo loqueretur? Sed quid non credebant Iudæi? Non enim ſolus Ioannes vidit ſpiritum in columbæ ſimilitudine. Quoniam hoc myſterium non corporis tantum oculis indigebat, ſed mentis potius, ne inanis ſpecies putaretur. Nam ſi miracula facientem Chriſtum, cum tactu ſolo infirmos ſanaret, mortuos vitæ redderet, videntes Iudæi non crediderunt: ſed inuidia perciti, contraria ſibi videre videbantur, quo pacto ſolo ſpiritus aduentu abieciſſent incredulitatem? Quidam autem dicunt, non omnes, ſed Ioannem tantum & quoſdam vita & moribus probatiores ſpiritum vidiſſe. Nã & ſi corporeis oculis in columbæ ſpeciem ſpiritus deſcendens videri poterat, non tamen neceſſario ſequebatur vt ab omnibus ſpectaretur. Etenim Zacharias ſub corporea imagine multa conſpicatus eſt, necnon & Daniel & Ezechiel, nullum tamen viſionis ſocium habuerunt. Præterea Moſes multa vidit, qualia aliorum nemo. Et transfigurationem in monte non omnes viderunt diſcipuli. Sed neque in reſurrectione viſionis illius omnes fuere participes. Quod ſignificauit Lucas, cùm inquit: Qui dedit eum manife- Act. 10. f
ſtum fieri teſtibus præordinatis, & ego vidi, & teſtimoniũ perhibui, quia hic eſt filius Dei. Agnum ipſum appellauit, atque quod ſpiritu baptizare deberet, profeſſus eſt. Filium autem Dei, nequaquã. Atqui poſt baptiſma nihil ipſum dixiſſe ſcribunt alij Euangeliſtæ: Verum omiſſis quæ inter ea facta ſunt, poſt captum Ioannem, miracula proſequuntur. Et quo non immeritò coniectari poſſumus, quod & hæc, & alia plura prætermiſerunt, quod etiam hic Euangeliſta in fine operis ſui demonſtrauit. Tantum autem abeſt, vt fingant aliquid magnum de eo, vt quæ videntur exprobranda eſſe, omnes vno ore diligentiſſimè poſuerint, neque inuenires, qui eorum quicquam relinquẽret. Miracula autem alij alia omiſerunt, alia nemo meminit. Hęc non temere dixi, ſed ad contundendam gentilium impudentiam ſufficiens ſanè hoc ad diſcipulorum mores oſtendendos exemplum, quod nihil ad gratiam loquantur: poteriſque aduerſus fidei oppugnatores his muniri rationibus. Verùm attendite, quæſo: etenim abſurdũ eſt quod medicus, coriarius, textor, & omnes generatim opifices quiſque pro artis ſuæ profeſſione pugnet. Chriſtianus autem non poſſit vllam religionis ſuę afferre rationem. Atqui illæ artes neglectæ, ad pecuniam damnum referunt: huius autem contemptus, animæ detrimentũ affert: & tamen tanta miſeria, tanta inſania laboramus, vt in illas omnẽ curã, cogitationemq; adhibeamus: neceſſaria autẽ, & ſalutis noſtrę munimẽta firmiſſima pro nihilo ducimus. Hoc nõ ſinit Gẽtiles recognoſcere errorem ſuũ atq; deridere. Nã quũ ipſi mẽdacio nixi omnia faciant, vt dogmatũ ſuorum ignominiam defendant, nos autem veritatis cultores, ne hiſcere quidem ad noſtra tutanda poſſimus: quæ cauſa eſt, quin doctrinæ noſtræ nimiam damnent imbecillitatem, quin fraudem & ſtultitiam in nobis ſuſpicentur, quin Chriſto tanquam mendaci, & multitudini ſtultitia fraude ſua abutenti maledicant. Huius nos cauſa blaſphemiæ, nos, inquam, qui nolumus piis religionis noſtræ ſermonibus inuigilare, ſed ſuperuacuis & caducis rebus curã nunquam adhibemus: & qui ſaltationis, & aurigandi, & beſtias conficiendi ſtudio delectantur, huiuſmodi certaminibus totis viribus incumbunt, ne inferiores euadant, & ſtudia ſua maiorem in modum laudant, & aduerſus eorum accuſatores, excuſationem meditantur: qui verò reprehendit, maledictis proſequuntur. In Chriſtiana autem religione defendenda, nulla cura adhibita torpeſcimus, oſcitamus, maximè ridiculi deprehendimur: & quin nõ ſummam Dei ſubimus indignationem, cùm Chriſtum inferiore loco quàm ſaltatorem habeamus? Horum enim opera, quamuis turpiſſima, multis modis excuſare admitimur: Chriſti miracula, quæ vniuerſum orbem terrarum conuerterunt, neque intelligere, neque curare videmur. Credimus in patrem, & filium & ſpiritum ſanctum, in reſurrectionem corporum, & vitam æternam. Si quis Gentilium percontaretur, Quis hic pater eſt, quis filius, quis ſpiritus ſanctus? Tres deos aſſeritis, & nos plurium deorum aſſertores reprehenditis. Quid ad hoc dicetis? Quid reſpondebitis? quo pacto has diſſoluetis obiectiones? Quid autem ſi vobis ad hæc obtumeſcentibus aliam inferat quæſtionem. An in hoc corpore, an in alio reſurrecturi ſimus? Et ſi in hoc,

hoc, quæ neceſſitas vt diſſoluatur? Quid præterea hoc tandem, & non ſuperiori tempore Chriſtus humanam carnem accepit? Quid ei in præſentia, potius quàm tot ſuperioribus ſeculis viſum eſt humano generi prouidere? Neque enim neceſſarium eſt, vt qui plures præterea quæſtiones accumulat, earum conticeat ſolutiones, ne radioribus obſit. Arbitramus ſanè quæ diximus ſuffectura ad ſomnum veſtrum excutiẽdum. Quid igitur ſi hæc huiuſmodi percontarentur? Non poteſtis ipſa verba audire? quod nos, quæſo, manet ſupplicium, cum tanti ſimus erroris authores iis, qui in tenebris inuoluuntur? Vellem, ſi horum ſtudio teneremini, huc in medium impij alicuius Gentilis philoſophi contrà nos librum proferre, cõtra ſermones huius, vt hac vos ratione excitarẽ, & deſidiam veſtram excuterem. Nam ſi illi vt contra religionem noſtram loquerentur, tantopere inuigilarũt: qua nos venia dignamur, niſi huiuſmodi contra nos inſultus propulſare calleamus? Hoc nobis Petrus præcipit. Inquit enim, parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea quæ in vobis eſt fide & ſpe. Et Paulus: Verbum Chriſti inhabitet in vobis abundãter: ſed quid ad hæc reſpondent fucis ſtultiores? Benedicta omnis anima ſimplex: & qui ſimpliciter ambulat, in fiducia ambulat. Hoc nanque omnium malorum cauſa eſt, quod non multi ſcripturarum teſtimonia in opportunis rebus ſciunt adducere. Non enim eo loco ſimplex pro ſtulto, & pro eo qui nihil nouit, intelligendum eſt: ſed pro non malo non verſuto. Nam ſi ita intelligeretur, ſuperuacaneum fuiſſet dicere, Eſtote prudentes, ſicut ſerpẽtes, & ſimplices, ſicut columbæ: Sed quid hæc, quum in nullam huius diſputationis adducamur neceſſitatem? Præterea neque alia in hac vita nobis rectè efficiuntur, ſed vndique miſeri, vndique ridiculi, in mutuas ſemper calamitates intenti, in corrigendis & accuſandis criminibus pigri oſcitamus. Quamobrem vos hortor nunc ſaltem veſtri iuris facti, ne in reprehendendo tantum perſeueretis. Siquidem non ſatis eſt ad placandum Deum, ſed optimam vitam induamini, vt ad gloriam Dei in hoc ſeculo viuentes, futuram omnes conſequamur, gratiâ & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AVGVSTINI EPISCOpi *Hippon. in idem feſtum Hom. 1.*

Tract. 4. in Ioannem. INtendat modicũ charitas veſtra Ioannes quando didicit Chriſtum? Miſſus eſt enim vt baptizaret in aqua. Quæſitum eſt quare? Vt manifeſtaretur Iſrael, dixit, Quid profuit baptiſmum Ioannis? Fratres mei, ſi profuit aliquid, & modo maneret, & baptizarentur homines in baptiſmate Ioannis, & ſic venirent ad baptiſmum Chriſti. Sed quid ait? Vt manifeſtaretur Iſraeli, id eſt, ipſi populo Iſrael, vt manifeſtaretur Chriſtus, venit baptizare in aqua. Accepit miniſterium baptiſmatis Ioãnes, in aqua pœnitentiæ parare viam domino, non exiſtens dominus, ac vbi cognitus eſt dominus, ſuperfluo ei via parabatur, quia cognoſcentibus ſe ipſe factus eſt via. Itaque non durauit diu baptiſmum Ioannis. Sed quo modo demonſtratus eſt dominus? Humilis, vt ideo acciperet baptiſma Ioannis, in quo baptizaretur ipſe dominus: & opus erat domino baptizari? Et ego interrogatus cito reſpondeo, Opus erat domino naſci, opus erat domino crucifigi, opus erat domino mori, ſepeliri. Si ergo tantam ſuſcepit pro nobis humilitatem, baptiſmum non erat ſuſcepturus? Et quid profuit quia ſuſcipit baptiſmum ſerui? Vt tu non de dignareris ſuſcipere baptiſmũ domini. Intendat charitas veſtra. Futuri erãt aliqui in Eccleſia excellioris gratiæ catechumeni. Fit enim aliquando, vt videas catechumenum abſtinentem ab omni concubitu, valefacientem ſeculo, renunciantem omnibus quæ poſſidebat, diſtribuentem pauperibus, & catechumenus eſt: inſtructus eſt etiam forte doctrina ſalutari, ſupra multos fideles. Timendum eſt huic, ne dicat apud ſemetipſum de baptiſmate ſancto quo peccata dimittuntur: quid plus accepturus ſum? Ecce ego melior ſum illo fideli: cogitans autem fideles, aut coniugatos, aut forte idiotas, aut habentes & poſſidentes res ſuas, quas ipſe diſtribuit iam pauperibus, & meliorem ſe eſſe arbitrans quàm ille qui iam baptizatus eſt, dedignetur venire ad baptiſmum, dicẽs, Hoc ſum accepturus quod habet ille: & proponat ſibi illos quos contemnit, & quaſi ſordeat illi hoc accipere quod acceperunt inferiores: quia iam videtur ipſe ſibi melior, & tamen omnia peccata ſuper illum ſunt, & niſi venerit ad ſalutare baptiſmũ vbi peccata ſoluuntur, cum omni excellentia ſua non poteſt intrare in regnum cælorum. Sed vt illam excellentiam inuitaret dominus ad baptiſmũ ſuum, vt peccata illi dimitterentur, venit ipſe ad baptiſmum ſerui ſui. Et cum ipſe non haberet quod ei dimitteret, nec quod in illo lauaretur, ſuſcepit à ſeruo baptiſmum, & tanquam allocutus eſt filium ſuperbientem & extollentem ſe, ac dedignantem ſe forte accipere cum idiotis, vnde ei poſſit ſalus venire, & quaſi dicens, Quantũ te extendis? quantum te extollis? quanta eſt excellentia tua? quanta gratia tua? maior poteſt eſſe, quàm mea? Si ego veni ad ſeruum, tu dedignaris venire ad dominum? Si ego ſuſcepi baptiſmum ſerui, tu dedignaris à domino baptizari? Nã vt noueritis fratres mei, quia non ex neceſſitate alicuius vinculi peccati dominus veniebat ad ipſum Ioannem, ſicut dicunt alij Euangeliſtæ, cum ad illum veniret baptizandus dominus, ait ipſe Ioannes, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari. Et quid ipſe ei reſpondit? Sine *Matth. 4.* modo vt impleatur omnis iuſtitia. Quid eſt impleatur omnis iuſtitia? Mori veni pro hominibus, baptizari nõ debeo pro hominibus? Quid eſt impleatur omnis iuſtitia? Impleatur omnis humilitas. Quid ergo? Non erat ſuſcepturus baptiſmum à bono ſeruo, qui paſſionem ſuſcepit à ſeruis malis? Intendite ergo baptizato domino. Si propterea baptizauit Ioannes, vt in eius baptiſmo dominus oſtenderet humilitatem, nemo alius baptizaretur baptiſmate Ioãnis: multi autem baptizati ſunt baptiſmo Ioannis, baptizatus eſt & dominus baptiſmo Ioannis, & ceſſauit baptiſmum Ioannis. Deinde iam miſſus eſt in carcerem Ioannes, & deinceps nemo baptizatus inuenitur illo baptiſmate. Si ergo propterea venit & Ioannes baptizans, vt domini humilitas nobis demõſtraretur, vt quia ille ſuſcepit à ſeruo, nos non dedignaremur ſuſcipere à domino, dominum ſolum Ioannes baptizaret. Sed ſi ſolum dominum Ioãnes baptizaret, non deeſſent, qui putarent ſanctius fuiſſe baptiſmum

Ioannis

Ioannis quàm Chriſti, quaſi baptiſmate Ioannis ſolus Chriſtus meruiſſet baptizari : baptiſmate autem Chriſti genus humanum. Intendat charitas veſtra. Baptiſmate Chriſti baptizati ſumus, nõ tantum nos ſed & vniuerſus orbis terrarum, & baptizatur vſq; in finem. Quis noſtrum poteſt ex aliqua parte comparari Chriſto, cui ſe Ioannes dixit indignum ſoluere corrigiam calciamenti? Si ergo ille Chriſtus tantæ excellentiæ homo, Deus, ſolus baptizaretur baptiſmo Ioannis, quid dicturi erant homines? Quale baptiſmũ habuit Ioannes? Magnum baptiſmum habuit, ineffabile ſacramentum. Vide, quia ſolus Chriſtus meruit baptizari Ioannis baptiſmate: atque ita maior videretur baptiſmus ſerui, quàm baptiſmus domini. Baptizati ſunt & alij baptiſmate Ioannis, ne melior videretur baptiſma Ioannis quàm Chriſti. Baptizatus eſt autem & dominus, vt domino ſuſcipiente baptiſma ſerui, non dedignarentur alij ſerui ſuſcipere baptiſma domini. Ad hoc ergo miſſus erat Ioannes: ſed nouerat Chriſtum an non nouerat? Si non nouerat, quare dicebat quando venit ad fluuium Chriſtus, Ego à te debeo baptizari, hoc eſt, ſcio qui ſis? Si ergo iam non nouerat, certe tũc cognouit quando vidit columbam deſcendentem. Manifeſtum eſt quia columba non deſcendit ſuper dominum, niſi poſteaquam aſcendit ab aqua baptiſmi. Dominus baptizatus aſcẽdit ab aqua, aperti ſunt cæli, & vidit ſuper eum columbam. Si ergo poſt baptiſmum deſcendit columba, antequam baptizaretur dominus, dixit illi Ioãnes, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari: ante illum nouerat qui dixit, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari. Quomodo ergo dixit, Et ego neſciebam eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto? Non parua quæſtio eſt fratres mei. Si vidiſtis quæſtionem, non paruum vidiſtis: ſupereſt vt ipſius ſolutionem dominus det. Tamen illud dico, ſi vidiſtis quæſtionem, non eſt paruum. Ecce poſitus eſt Ioannes ante oculos veſtros ſtans ad fluuium Ioannes Baptiſta. Ecce venit dominus adhuc baptizandus, nondum baptizatus. Audi vocem Ioannis, Tu ad me venis, ego à te debeo baptizari. Ecce iam cognoſcit dominum, à quo vult baptizari. Baptizatus dominus aſcendit ab aqua, aperiuntur cæli, deſcendit ſpiritus, modo illum cognoſcit Ioãnes. Si modo illum cognoſcit cui dixit antea: Ego à te debeo baptizari? Si autem non eum modo cognoſcit, quia iam nouerat eum, quid eſt quod dixit, Non noueram eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Fratres, ſi iſta quæſtio hodie ſoluatur, grauat vos, non dubito: quia iam multa dicta ſunt. Sciatis autem talem iſtam quæſtionem eſſe, vt hæc ſola perimat partem Donati. Ad hoc dixi charitati veſtræ, vt intentos vos facerem: ſimiliter vt ſoleo, ſimul vt oretis pro nobis & pro vobis, vt & nobis det dominus digna loqui, & vos digna capere mereamini. Interim hodie dignamini differre: ſed hoc breuiter dico interim, donec ſoluatur. Interrogate pacifice, ſine rixa, ſine contentione, ſine altercationibus, ſine inimicitiis: & vobiſcum quærite, & alios interrogate & dicite, Hanc quæſtionem propoſuit nobis hodie Epiſcopus noſter, aliquando, ſi dominus conceſſerit, ſoluturus eam. Sed ſiue ſoluatur ſiue non ſoluatur, putate me propoſuiſſe quod me mouet. Moueor enim multum. Dicit Ioannes, Ego à te debeo baptizari, tanquam Chriſto cognito. Si enim non nouerat eum à quo voluit baptizari, temere dicebat, Ego à te debeo baptizari, nouerat ergo eum. Si nouerat eum, quid eſt ergo quod dicit, Nõ noueram eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua ipſe mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum ſicut columbam, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Quid dicturi ſumus? Quia non ſcimus quando venerit columba. Ne forte ibi lateat, legantur alij Euangeliſtæ, qui planius illud dixerunt, & inuenimus apertiſſime tunc deſcendiſſe columbam, cum dominus ab aqua aſcendit: ſuper baptizatum enim Chriſtum aperti ſunt cæli, & vidit ſpiritum ſanctum deſcendentem. Si iam baptizatum cognouit, venienti ad baptiſma quomodo dicit, Ego à te debeo baptizari? Hanc vobiſcum interim ruminate, hanc vobiſcum conferre, hãc vobiſcum tractate. Præſtet dominus Deus noſter, vt antequam à me audiatis, alicui veſtrum priori eam reuelet. Tamen fratres hoc ſciatis, quia per iſtius quæſtionis ſolutionem pars Donati de baptiſmi gratia, vbi nebulas obtendunt imperitis, & retia tendunt auibus volantibus, ſi frontem habeant, omnino non habebunt, omnino eorum ora claudentur.

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 2.

SIcut dominus voluit, ad diem promiſſionis noſtræ peruenimus, præſtabit etiam hoc, vt ad ipſius promiſſionis redditionem peruenire poſſimus. *Tract. S. in Ioannem.* Tunc enim ea quæ dicimus, & nobis & vobis vtilia ſunt ſi ab ipſo ſunt. Quæ autem homine ſunt, mendacia ſunt, ſicut ipſe dixit dominus noſter Ieſus Chriſtus, Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. *Ioan. 8.* Si quid autem homo habet veritatis atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem ſatietatémque poſſimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur: qui loquitur veritatem de Deo loquitur. Verax Ioannes, veritas Chriſtus, Verax Ioannes, ſed omnis verax à veritate verax eſt. Si ergo verax Ioannes, & verax eſſe homo non poteſt niſi à veritate, à quo erat verax niſi ab eo qui dixit, Ego ſum veritas? *Ioan. 14.* Non ergo poſſet dicere, aut veritas contra veracem, aut verax contra veritatem. Veracem veritas miſit, & ideo verax erat, quoniam à veritate miſſus erat. Si veritas Ioãnem miſerat, Chriſtus eum miſerat: ſed quod Chriſtus cum patre facit, pater facit: & quod pater cũ Chriſto facit, Chriſtus facit: nec ſeorſum pater aliquid facit ſine filio: nec ſeorſum aliquid filius ſine patre. Inſeparabilis charitas, inſeparabilis vnitas, inſeparabilis maieſtas, inſeparabilis poteſtas, ſecundũ hæc verba quæ ipſe poſuit Ego & pater vnum ſumus. *Ioan. 10.* Quis ergo miſit Ioannem? Si dicamus pater, verum dicimus: ſi dicamus filius, verum dicimus: manifeſtius autem vt dicamus, pater & filius.

Quem

Quem miſit ergo pater & filius, vnus Deus miſit, quia filius dixit, Ego & pater vnum ſumus: quomodo ergo neſciebat eum à quo miſſus eſt? Dixit enim, Ego neſciebam eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ipſe mihi dixit. Interrogo Ioannem, qui te miſit baptizare in aqua, quid tibi dixit? Super quem videris ſpiritum deſcendentem, ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Hoc tibi ò Ioannes dixit, qui te miſit: manifeſtum eſt quia hoc, quis ergo te miſit? Forte pater. Verus Deus pater, & veritas Deus filius: ſi pater ſine filio te miſit, Deus ſine veritate te miſit. Si ideo autem verax es, quia veritatem loqueris, & ex veritate loqueris, non te miſit pater ſine filio, ſed ſimul te miſit pater & filius: ſi ergo & filius te miſit cum patre, quomodo neſciebas eum à quo miſſus es? Quem videras in veritate, ipſe te miſit, vt agnoſceretur in carne & dixit, Super quẽ videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Hoc audiuit Ioannes, vt noſſet eum quem nõ nouerat, an vt plenius noſſet quem iam

Matth. 3. nouerat? Si enim omni ex parte non noſſet, venienti ad fluuium vt baptizaretur non diceret, Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Nouerat ergo. Quando autem columba deſcendit? Iam baptizato domino, & ab aqua aſcendente. At ſi ille qui eum miſerat, dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, & non nouerat eum, ſed columba deſcendente cognouit eum. Columba vero tunc deſcendit, quando dominus ab aqua aſcendit. Tunc autem cognouerat Ioannes dominum, quando ad eum dominus ad aquam veniebat: manifeſtatus nobis, quia Ioannes ſecundum aliquid nouerat, ſecundum aliquid nondum nouerat dominũ. Niſi autem hoc intellexerimus, mendax erat: quo modo ergo erit verax agnoſcens, qui dixit, Tu ad me venis, ego autem à te debeo baptizari? Verax eſt cum hoc dicit. Et quo modo rurſus verax eſt cum dicit, Ego non nouerã eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ipſe mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſanctő. Innotuit per columbam dominus, nõ ei qui ſe non nouerat, ſed ei qui in eo aliquid nouerat, aliquid non nouerat. Noſtrũ eſt ergo quærere, quid in eo Ioannes nondum nouerat, & per columbam didicit. Quare miſſus eſt Ioannes baptizans iam memini me quantum potui dixiſſe charitati veſtræ. Si enim baptiſmum Ioannis neceſſarium erat ſaluti noſtræ, & modo debuit exerceri. Non enim modo non ſaluantur homines, aut modo plures non ſaluantur, aut alia tunc ſalus erat, & alia modo. Si mutatus eſt Chriſtus, mutata eſt & ſalus. Si ſalus in Chriſto eſt, & idẽ ipſe Chriſtus eſt, eadem nobis ſalus eſt. Sed quare miſſus eſt Ioannes baptizãs? quia oportebat baptizari Chriſtum: quia oportuit naſci Chriſtum, quia oportuit crucifigi Chriſtũ. Si enim viam humilitatis demõſtraturus aduenerat, & ſeipſum facturus humilitatis viã, in omnibus ab eo implenda erat humilitas. Authoritatẽ dare baptiſmo ſuo hinc dignatus eſt, vt cognoſcerent ſerui ſui, quanta alacritate deberent currere ad baptiſmum domini, quando ipſe non dedignatus eſt ſuſcipere baptiſmũ ſerui. Donatum enim erat hoc Ioanni, vt ipſius baptiſmum diceretur. Hoc attendat, & diſtinguat, & nouerit charitas veſtra, baptiſmum quod accepit Ioannes, baptiſmum Ioannis dictum eſt. Nullus ante illum iuſtorum, nullus poſt illum vt acciperet baptiſmũ, quod baptiſmum ipſius diceretur, accepit. ſolus tale donum accepit: accepit quidem non enim à ſe poſſet aliquid. Si enim à ſe quis loquitur, mendacium de ſuo loquitur. Et vnde accepit, niſi ab ipſo domino Ieſu Chriſto? Ab illo vt baptizare poſſet accepit, quem poſtea baptizauit. Nolite mirari. Sic enim hoc fecit Chriſtus in Ioanne, quomodo quidem fecit in matre De Chriſto enim dictum eſt, Omnia per ipſum facta ſunt. Si omnia per ipſum, & Maria per ipſum facta eſt, de qua poſtea natus eſt Chriſtus. Intendat charitas veſtra, quomodo creauit Mariam, & creatus eſt per Mariam: ſic dedit baptiſmum Ioanni, & baptizatus eſt à Ioanne. Ad hoc ergo accepit baptiſmũ a Ioanne, vt accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod ſuperius erat hortaretur inferiores. Sed quare non ſolus ipſe baptizatus eſt à Ioanne, ſi ad hoc miſſus erat Ioannes per quem baptizaretur Chriſtus, vt pararet viã domino, id eſt, ipſi Chriſto? Et hoc iam diximus. Sed cõmemoramus, quæ neceſſaria ſunt præſenti quæſtioni. Si ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus baptizatus eſſet baptiſmate Ioannis, tenete quod diximus, non tantum valeat ſeculum vt deleat è cordibus veſtris quod ibi ſcripſit ſpiritus Dei. Non tantum valeant ſpinæ curarum, vt ſuffocent ſemen quod ſeminatur in vobis. Quare enim cogimur eadem repetere, niſi quia de memoria cordis veſtri ſecuri non ſumus? Si ergo ſolus dominus baptizatus eſſet baptiſmate Ioannis, non deeſſent qui ſic eum haberent, vt putarent baptiſmum Ioannis, maiorem eſſe, quàm ſit baptiſma Chriſti. Dicerent enim, Vſque adeo illud baptiſma maius eſt, vt ſolus Chriſtus eo baptizari meruiſſet. Ergo vt daretur nobis à domino exemplum humilitatis, ad percipiẽdam ſalutẽ baptiſmatis, Chriſtus ſuſcepit quod ei opus non erat, ſed propter nos opus erat. Et rurſus, ne hoc ipſum quod accepit à Ioanne Chriſtus, præponeretur baptiſmati Chriſti, permiſſi ſunt & alij baptizari à Ioanne. ſed qui baptizati ſunt à Ioanne non eis ſuffecit, Baptizati ſunt enim baptiſmo Chriſti, quia non baptiſmus Chriſti erat baptiſmus Ioannis. Qui accipiunt baptiſmum Chriſti, baptiſmum Ioannis non quærunt: qui acceperunt baptiſmum Ioannis, baptiſmum Chriſti quæſierunt. Ergo Chriſto ſuffecit baptiſmus Ioannis? Quomodo non ſufficeret, quando nec ipſe erat neceſſarius? Illi enim nullum baptiſmum erat neceſſariũ, ſed ad hortandos nos ad baptiſma ſuum, ſuſcepit baptiſmum ſerui. Et ne præponeretur baptiſmum ſerui baptiſmo domini, baptizati ſunt alij baptiſmate conſerui. Sed qui baptizati ſunt baptiſmate conſerui, oportebat vt baptizarentur baptiſmate domini. Qui autem baptizantur baptiſmate domini, non opus habẽt baptiſmate conſerui. Quoniã ergo acceperat Ioannes baptiſmum quod propriè Ioannis diceretur: dominus autem Ieſus Chriſtus baptiſmum ſuum noluit alicui dare, non vt nemo baptizaretur baptiſmo domini, ſed vt ſemper ipſe dominus baptizaret: id actum eſt vt per miniſtros dominus baptizaret, id eſt, vt quos miniſtri domini baptizaturi erant, dominus baptizaret, non illi. Aliud eſt enim baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem. Ba- *De conſ. diſt. 4. c. Aliud. 4. ſeq. diſt. c. 4.*

ptiſma enim tale eſt, qualis eſt ille, in cuius poteſtate datur: non qualis eſt ille, per cuius miniſterium datur. Tale erat baptiſmum Ioannis, qualis Ioannes: baptiſma iuſtum tanquam iuſti, tamen hominis, ſed qui acceperat à domino tantam gratiam, vt dignus eſſet præire iudicem, & eum digito oſtēdere, & implere vocem prophetiæ illius, Vox clamantis in deſerto, parate viam domini. Tale autem baptiſma domini, qualis dominus: ergo baptiſma domini diuinum, quia dominus Deus. Potuit autem dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtitueret in aliquo ſeruo ſuo, & tantam vim daret baptiſmo tranſlato in ſeruum, quantam vim haberet baptiſmus datus à domino. Hoc noluit ideo, vt in illo ſpes eſſet baptizatorũ, à quo ſe baptizatos agnoſcerent. Noluit ergo ſeruum ponere ſpem in ſeruo. Ideoque clamabat Apoſtolus, cum videret homines, volentes ponere ſpem in ſeipſo: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Baptizauit ergo Paulus tanquam miniſter, non tanquam ipſa poteſtas. Baptizauit autem dominus tanquam poteſtas. Intendite, & potuit hanc poteſtatem ſeruis dare, ſed noluit: ſi enim daret hanc poteſtatem ſeruis, id eſt, vt & ipſorum eſſet quod domini erat, tot eſſent baptiſmata quot eſſent ſerui, vt quomodo dictũ eſt, baptiſma Ioannis, ſic diceretur baptiſma Petri, ſic baptiſma Pauli, ſic baptiſma Iacobi, baptiſma Thomæ, Matthęi, Bartholomæi. Illud enim baptiſma Ioannis dictum eſt. Sed forte aliquis reſiſtit & dicit, Proba nobis quia illud baptiſma Ioánis dictũ eſt.

Matt. 21. Probabo, ipſa veritate dicente, quando interrogauit Iudæos, Baptiſma Ioannis vnde eſt, de cælo, an ex hominibus? Ergo ne tot baptiſmata dicerentur, quot eſſent ſerui qui baptizarent accepta poteſtate à domino, ſibi tenuit dominus baptizandi poteſtatem, ſeruis miniſterium dedit.

1. Cor. 1. Dicit ſe ſeruus baptizare, recte dicit: ſicut Apoſtolus dicit, Baptizaui autem & Stephanæ domum, ſed tanquam miniſter. Ideo ſi ſit & malus, & contingat illi habere miniſterium, & ſi eum homines non nouerunt, & Deus eum nouit, permittit Deus baptizari per eum, qui ſibi tenuit poteſtatem. Hoc autem Ioannes non nouerat in domino: quia dominus erat: nouerat, quia ab ipſo debebat baptizari: nouerat & confeſſus eſt: quia veritas erat ille, & ille verax miſſus à veritate, hoc nouerat. Sed quid in eo non nouerat? Quia ſibi retenturus erat baptiſmatis ſui poteſtatem, & non eam tranſmiſſurus, & tranſlaturus in aliquem ſeruum: ſed ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus bonus, ſiue baptizaret in miniſterio ſeruus malus, non ſciret ſe ille

Ioan. 1. qui baptizaretur baptizari, niſi ab illo, qui ſibi tenuit baptizandi poteſtatem. Et vt noueritis fratres, quia hoc in illo non nouerat Ioannes, & hoc didicit per columbam: dominum enim nouerat, ſed eum baptizandi ſibi poteſtatem retenturum, & nulli ſeruo eam daturum, nondum nouerat: ſecundum hoc dicit, Et ego neſciebam eum. Et vt noueritis, quia ibi hoc didicit, attendite ſequentia, Sed qui miſit me baptizare in aqua, ipſe mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Quid ipſe eſt? dominus. Sed iam nouerat dominum. Ergo putate hucuſque dixiſſe Ioannem, Ego non noueram eum, ſed qui me miſit baptizare in aqua, ipſe mihi dixit. Quærimus quid dixerit ſequitur, Super quem videris ſpiritum deſcendentem tanquam columbam, & manentem ſuper eum: non dico ſequentia. Interim attēdite, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt. Sed quid ipſe eſt? Quid me voluit per columbam docere, qui me miſit, quia ipſe erat dominus? Iam noueram à quo miſſus eram: iam noueram eum cui dixi, Tu ad me venis baptizari, ego à te debeo baptizari, vſque adeo ergo noueram dominum, vt ego ab eo vellem baptizari, non vt à me ipſe baptizetur. Et tunc mihi dixit, Sine modo impleatur omnis iuſtitia. Pati veni, bapti-

Matth. 3. zari non veni? † Impleatur omnis iuſtitia ait mihi *†aliàs debeo.* Deus meus, impleatur omnis iuſtitia: doceã, perferam plenam humilitatem. Noui ſuperbientes *in futuro populo meo: noui aliquos in aliqua **aliàs ſupercreſcentes.* excellentiori gratia futuros homines, vt cum viderint idiotas aliquos baptizari, illi quia meliores ſibi videntur, ſiue continentia, ſiue eleemoſynis, ſiue doctrina, dedignabuntur fortaſſe accipere, quod illi inferiores acceperunt. Oportet vt ſanem eos, vt non dedignentur venire ad baptiſma domini, quia ego veni ad baptiſma ſerui. Iam ergo hoc nouerat Ioannes, & nouerat dominum. Quid ergo docuit columba? Quid voluit per columbam, id eſt, per ſpiritum ſanctum, ſic venientem docere qui miſerat eum cum ait, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt ‖ dominus. ‖ Quis ipſe eſt? Dominus. Noui. Sed nũquid hoc iam noueras, quia dominus iſte habens baptizandi poteſtatem, eam poteſtatem nulli ſeruo daturus eſt, ſed ſibi eam retenturus eſt: vt omnis qui baptizatur per ſerui miniſterium, non imputet ſeruo ſed domino? Nunquid hoc iam noueras? Non hoc noueram ab eo qui mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: non ait, ipſe eſt dominus, non ait, ipſe eſt Ieſus: non ait, ipſe eſt qui natus eſt de virgine Maria, poſterior te & prior te, non ait hoc, iam enim hoc nouerat Ioannes. Sed quid non nouerat? Tantam poteſtatem baptiſmatis ipſum dominum habiturum & ſibi retenturum, ſiue præſentem in terra, ſiue abſentem corpore in cælo, & pręſentem maieſtatē ſibi retēturum baptiſmatis poteſtatem: ne Paulus diceret baptiſma meum: ne Petrus diceret baptiſma meum: ideo videte & intendite voces Apoſtolorum. Nemo Apoſtolorum dixit baptiſma meum: quamuis vnum omnium eſſet Euangelium tamen inuenies dixiſſe, Euangeliũ meum: non inuenis dixiſſe baptiſma meum. Hoc ergo didicit Ioannes, fratres mei. Quod didicit Ioannes per colũbam, diſcamus & nos. Non enim columba Ioannem docuit, & Eccleſiam non docuit, cui *Cant. 6.* Eccleſiæ dictum eſt, Vna eſt columba mea. Columba doceat columbam, nouerit columba, quid Ioannes didicerit per columbam. Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit. Hoc autem quod diſcebat Ioannes per columbam, quare in columba didicit? Oportebat enim vt diſceret, nec hoc forte oportebat niſi vt per columbam diſceret. Quid dicam de columba fratres mei? Aut quando mihi ſufficit facultas vel cordis vel linguæ, dicere quomodo volo: & forte non digne volo quomodo dicendum

cendum eſt: nec ſi tamen poſſum dicere quomodo dicẽdum eſt. Ego à maiore hoc audire vellem, non volui dicere. Diſcit Ioannes eum quem nouerat, ſed in eo diſcit in quo eum non nouerat, in quo nouerat non diſcit. Et quid nouerat? Dominum. Quid nõ nouerat? Poteſtatem dominici baptiſmi in nullum hominem à domino tranſituraſ: ſed miniſterium plane tranſiturum, poteſtatem à domino in neminem miniſtrorum, miniſterium & in bonos & in malos. Non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat domini poteſtatem. Quid tibi facit malus miniſter, vbi bonus eſt dominus? Quid te impedit malitioſus præco, vbi beneuolus eſt iudex? Ioannes didicit per columbam hoc. Quid eſt quod didicit? Ipſe repetat: Ipſe mihi dixit, inquit, Super quem videris ſpiritum deſcendẽtem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Nõ ergo te decipiant ò columba ſeductores qui dicũt, Nos baptizamus. Columba agnoſce, quid docuit columba, Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Per columbam diſcitur quia hic eſt: & tu eius poteſtate putas te baptizari, cuius miniſterio baptizaris? Si tu hoc putas, nondum es in corpore columbæ: & ſi non es in corpore columbæ, non mirandum quia ſimplicitatem non habes. Simplicitas enim maxima per columbam demonſtratur. Quare per ſimplicitatem columbæ dicit Ioannes, quia hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, fratres mei, niſi quia columbæ non erant qui Eccleſiam diſſipauerunt? accipitres erant, milui erant. Non laniat columba: & vides illos inuidiam nobis facere, quaſi de perſecutionibus quas paſſi ſunt. Corporales quidem paſſi quaſi perſecutiones, cum eſſent flagella domini manifeſte dantis diſciplinam ad tempus ne damnet in æternum, ſi eã non cognouerint, ſeque correxerint. Illi vero perſequuntur Eccleſiam qui dolis perſequuntur. Illi grauius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt. Illi acerbius ſanguinem fundunt, qui Chriſtum quantum in ipſis eſt, in homine occidunt. Perterriti videntur quaſi iudicio poteſtatum. Quid tibi facit poteſtas, ſi bonus es? Si autem malus es, time poteſtatem: non enim fruſtra gladium portat, dicit Apoſtolus. Tuum gladium noli educere, quo percutis Chriſtum. Chriſtiane, quid tu perſequeris in Chriſtiano? Quid in te perſecutus eſt Imperator? Carnem perſecutus eſt, tu in Chriſtiano ſpiritum perſequeris. Non occidis tu carnem, & tamen nec carni parcunt, & tamen quotquot potuerunt cædendo necauerunt, nec ſuis nec alienis pepercerunt. Notum eſt hoc omnibus. Inuidioſa eſt poteſtas, quia legitima eſt. Inuidioſe facit, qui iure facit: ſine inuidia facit, quia præter leges facit. Attendat vnuſquiſque veſtrum fratres mei, quid habeat Chriſtianus. Quod homo eſt, commune cum multis: quod Chriſtianus eſt, ſecernitur à multis, & plus ad illum pertinet quod Chriſtianus, quàm quod homo: nam quod Chriſtianus, renouatur ad imaginem Dei, à quo homo factus eſt ad imaginem Dei: quod autem homo poſſet & malus, poſſet & Paganus, poſſet & idololatra? Hoc tu perſequeris in Chriſtiano quod melius habet: hoc enim illi vis auferre vnde viuit. Viuit enim temporaliter ſecundum ſpiritum vitæ, quo corpus animatur: viuit autem ad æternitatem ſecundum baptiſma, quod accepit à domino: hoc illi vis tollere quod accepit à domino: hoc illi vis tollere, vnde viuit. Latrones eos quos volunt ſpoliare ſic volunt, vt ipſi plus habeant, & illi nihil habeant: tu & tollis huic, & apud te non erit plus: non enim plus tibi ſit, quia huic tollit. Sed vere hoc faciunt. Qui? Hi qui tollunt animam, & alteri tollunt, & ipſi duas animas non habent. Quid ergo vis auferre? vnde tibi diſplicet, quem vis rebaptizare? Dare non potes quod iam habet, ſed facies negare quod habet. Quid acerbius faciebat Paganus, perſecutor Eccleſiæ? Exerebãtur gladij aduerſus martyres, emittebantur beſtiæ, ignes admouebãtur. Vt quid iſta? vt diceret qui iſta patiebatur, non ſum Chriſtianus. Quid doces tu eum quem vis rebaptizare, niſi vt primo dicat, non ſum Chriſtianus? Ad quod aliquando perſecutor proferebat flammã, ad hoc tu producis linguam. Seducendo facis, quod ille occidendo non fecit. Et quid eſt quod daturus es, & cui daturus es? Si tibi verum dicat, & non ſeductus à te, mentiatur: dicturus eſt, habeo. Interrogas, habes baptiſma? habeo dicit. Quandiu habeo, dicit, inquis, non ſum daturus. Et noli dare: quod enim vis dare, hærere in me non poteſt, quia quod accepi, auferri à me nõ poteſt: ſed tamẽ expecta, videã quid me vis docere. Dic, inquit, primo, nõ habeo: ſed hoc habeo. Si dixero nõ habeo, mẽtiar. Quod enim habeo, habeo. Nõ habes, inquit: Doce quia non habeo: Malus tibi dedit: ſi malus Chriſtus, malus mihi dedit: Non, inquit, malus Chriſtus: ſed non tibi Chriſtus dedit. Quis ergo mihi dedit? reſponde, Ego me à Chriſto ſcio accepiſſe. Dedit tibi, inquit, ſed traditor neſcio quis, non Chriſtus. Videro quis fuerit miniſter, videro quis fuerit præco. De officiali non diſputo iudicem attendo: & forte quod obiicis officiali mentiris. Sed nolo diſcutere cauſam officialis ſui, cognoſcat dominus amborum. Forte ſi exigam vt probes, non probas, imò mentiris. Probatum eſt te probare non potuiſſe: ſed non ibi pono cauſam meam, ne cum ſtudioſe cœpero defendere homines innocentes, putes me ſpem meam vel in hominibus innocentibus poſuiſſe. Fuerint homines qualeſlibet: ego à Chriſto accepi, à Chriſto baptizatus ſum. Non, inquit, ſed ille Epiſcopus te baptizauit, & ille Epiſcopus illis communicat. A Chriſto ſum baptizatus, ego noui. Vnde noſti? Docuit me columba, quam vidit Ioannes. O milue male, non me dilanias à viſceribus columbæ. In columbæ membris numeror, quia quod colũba docuit, hoc noui. Et docuit hoc? Neſcio. Tu mihi dicis, ille te baptizauit, aut ille te baptizauit: per columbam mihi & tibi dicitur, Hic eſt qui baptizat. Cui credo, miluo an columbæ? Certe tu mihi dic, vt per illam lucernam confundaris, qua confuſi ſunt & priores tui inimici, patres tui Phariſæi, qui cum interrogarent dominum, in qua poteſtate iſta faceret: interrogo & ego vos, inquit, vnum iſtum ſermonem dicite mihi. Baptiſmum Ioãnis vnde erat, de cælo an ex hominibus? Et illi qui præparabant iaculari dolos, irretiti ſunt quæſtione, cœperunt voluere apud ſemetipſos, & dicere, Si dixerimus quia de cælo eſt, dicturus eſt nobis, quare non credidiſtis ei? Ioannes enim dixerat de domino: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quid ergo quæritis, in qua poteſtate iſta facio: O lupi in poteſtate agni facio quę facio, ſed vt noſſetis agnũ, quare non credidiſtis Ioãni, qui dixit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Scientes ergo illi quid dixiſſet Ioannes de domino, dixerũt apud

De conſe. diſt. 4. ca. Baptiſmus. ij. ſem. de 5. cap. 2.

Rom. 13.

Matth. 21.

ſet: Si dixerimus quia de cælo eſt baptiſmum Ioannis, dicet nobis, quare ergo non credidiſtis ei? Si dixerimus, quia ex hominibus eſt, lapidabimur à populo, quia ſicut Prophetam habent Ioannem. Hinc timebãt homines, hinc veritatem fateri confundebantur. Tenebrę tenebras reſponderunt, ſed à luce ſuperatæ ſunt. Quid enim reſponderunt? Neſcimus. Quod ſciebant dixerunt, neſcimus: & dominus, Nec ego vobis dico, inquit, in qua poteſtate iſta facio. Et confuſi ſunt primi inimici: vnde? *Pſal. 131.* de lucerna: quis erat lucerna? Ioannes. Probamus quia lucerna erat? Probamus: dominus enim dicit, Ille erat lucerna ardens & lucens. Probamus, quia & de ipſo confuſi ſunt inimici: Pſalmum audi, Paraui, inquit, lucernam Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione. Adhuc in huius vitæ tenebris ad lucernam fidei ambulamus: teneamus & nos lucernam Ioannem, confundamus & inde inimicos Chriſti, imò ipſe confundat inimicos ſuos per lucernam ſuam. Interrogemus & nos quod dominus Iudæos, interrogemus & dicamus, Baptiſma Ioannis vnde eſt? de cælo an ex hominibus? Quid dicturi ſunt? Videte ſi non & ipſi tanquam inimici de lucerna confundantur. Quid dicturi ſunt? Si dixerint ex hominibus, & ipſi ſui eos lapidabunt. Si autem dixerint, de cælo, dicamus eis, quare ergo non credidiſtis ei? Et dicunt fortaſſe, credimus ei. Quomodo ergo dicitis quia vos baptizatis: & Ioannes dicit, Hic eſt qui baptizat? Sed miniſtros, inquiunt, tanti iudicis iuſtos oportet eſſe, per quos baptizat. Et ego dico & omnes dicimus, quia iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros. Sint miniſtri iuſti ſi volunt. Si autem noluerint eſſe iuſti, qui in cathedra Moyſi ſedet, ſecurum me fecit magiſter meus, de quo ſpiritus meus dixit, Hic eſt qui baptizat. Quomodo ſecurum me fecit? Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt. Si fuerit miniſter iuſtus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro, cum iſtis computo iuſtos miniſtros: quia vere iuſti miniſtri gloriam ſuam non quærũt: miniſtri enim ſunt, pro iudicibus haberi nolunt, ſpem in ſe poni exhorreſcunt. Ergo computo eum Paulo iuſtum miniſtrum: Quid enim dicit Paulus? Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui vero fuerit ſuperbus miniſter, cum diabolo computatus, ſed non contaminatur donum Chriſti: quod per illum fluit, purum eſt: quod per illum tranſit liquidum, venit ad fertilem terram: Puta quia ipſe lapideus eſt: quia ex aqua fructum ferre non poteſt, per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas: in canali lapideo nihil generans, ſed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus ſacramenti ita eſt vt lux, & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. Sint planè miniſtri iuſti, & gloriam ſuam non quærant, ſed illius cuius miniſtri ſunt. Non dicant, baptiſma meum eſt, quia non eſt ipſorum: attendant ipſum Ioanem. Ecce Ioannes plenus erat ſpiritu ſancto, & baptiſma de cælo habebat, non ex hominibus. Sed quatenus habebat? Ipſe dixit, Parate viam domino. Vbi autem cognitus eſt dominus, ipſe factus eſt via, non iam opus erat baptiſmate Ioannis, quo pararetur via domino. Tamen quid nobis ſolent dicere, Ecce poſt Ioannem baptizatum eſt: antequam enim bene iſta quæſtio tractaretur in Eccleſia catholica, multi in ea errauerunt, & magni & boni: ſed quia de membris columbæ erant, non ſe præciderunt, & factum eſt in eis quod dixit Apoſtolus, Si quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. *Philip. 3.* Vnde iſti qui ſe ſeparauerunt, indociles facti ſunt: quid ergo ſolent dicere? Ecce poſt Ioannem baptizatum eſt, poſt hæreticos non baptizatur? Quia quidam qui habebãt baptiſma Ioannis, iuſſi ſunt à Paulo baptizari: nõ enim habebãt baptiſma Chriſti. *Act. 19.* Quid ergo exaggeras meritum Ioannis, & quaſi abiicis infœlicitatem hæreticorum? Et ego tibi concedo ſceleratos eſſe hæreticos. Sed hæretici baptiſma Chriſti dederunt, quod baptiſma non dedit Ioannes. Recurro ad Ioannẽ & dico. Hic eſt qui baptizat. Si enim melior Ioannes quàm hæreticus, quomodo melior Ioannes quàm ebrioſus? quomodo melior Ioãnes quàm homicida? Si poſt deteriorem baptizare deberemus, quia poſt meliorem baptizarunt Apoſtoli. Quicunque apud ipſos baptizati fuerint ab ebrioſo, non dico ab homicida, non dico à ſatellite alicuius ſcelerati, non dico à raptore rerum alienarum, non dico ab oppreſſore pupillorum, non à ſeparatore coniugum: nihil horum dico, quod ſolẽne eſt dico, quod quotidianum eſt dico, quod vocantur omnes dico, & in iſta ciuitate, quando ab eis dicitur, aliis ieiunantibus, bene ſit nobis, * & tali die feſto Ianuariarum non debes ieiunare, ea dico leuia, quotidiana: ab ebrioſo homine cum baptizatur, quis eſt melior Ioannes an ebrioſus? Reſponde ſi potes, quòd ebrioſus tuus melior ſit quàm Ioãnes. Nunquam hoc audebis. Ergo tu quia ſobrius es, baptiza poſt ebrioſum tuũ: ſi enim poſt Ioannem baptizauerunt Apoſtoli: quanto magis debet poſt ebrioſum ſobrius baptizare? An dicis, in vnitate mecum eſt ebrioſus? Ergo Ioannes amicus ſponſi, non erat in vnitate cum ſponſo? Sed tibiipſi dico quiſquis es: tu es melior, an Ioannes? Non audebis dicere, ego ſum melior quàm Ioannes. Ergo poſt te baptizent tui, ſi forte fuerint meliores: ſi enim poſt Ioannem baptizatum eſt, erubeſce quia poſt te nõ baptizatur: dicturus es, Sed ego baptiſmum Chriſti habeo & doceo. Aliquando ergo agnoſce iudicem, & noli præco ſuperbus eſſe, baptiſma Chriſti das, ideo poſt te non baptizatur: poſt Ioannem ideo baptizatum eſt, quia baptiſma Chriſti nõ dabat, ſed baptiſma ſuum: quia ſic acceperat vt ipſius eſſet. Non ergo tu melior quàm Ioannes: ſed baptiſma quod per te datur, melius quàm Ioannis. Ipſum enim Chriſti eſt, illud autem Ioannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro Chriſti eſt, & quod datum eſt à Iuda Chriſti erat. *1. q. 1. c. Dedit.* Dedit Iudas, & non baptizatum eſt poſt Iudam: Dedit Ioannes, & baptizatum eſt poſt Ioannem: quia ſi datum eſt à Iuda, baptiſmum Chriſti erat: quod autem à Ioãne datum eſt, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, ſed baptiſmum Chriſti etiam per Iudæ manus datum, baptiſmo Ioannis etiam per manus Ioannis dato recte præponimus. Etenim dictum eſt de domino antequam pateretur, quia baptizabat plures quàm Ioannes. Deinde ſubiunctum eſt, Quamuis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli eius: ipſe & non ipſe. Ipſe poteſtate, illi miniſterio. Seruitutem ad baptizandum illi admouebant: poteſtas baptizandi in Chriſto permanebat. Ergo baptizabant diſcipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas

De conſe. diſt. 4. ca Baptiſmus. 4. ſent. diſt. 5. cap. 1. *Matth. 23.* *1. Cor. 3.*

* *aliàs quãdo ab eis dicitur, alogiemur, bene ſit nobis.*

Ioan. 4. *De cõſe. diſt. 4. cap. Aliud.* *1. q. 1. Dedit.* *De cõſe. diſt. 4. cap. Baptiſmus.*

Iudas inter diſcipulos eius. Si quos ergo baptizabat Iudas, nō ſunt iterum baptizati, & quos baptizauit Ioannes, iterum baptizati ſunt? Planè iterum: ſed non idem erat baptiſmus. Quos enim baptizauit Ioannes, Ioannes baptizauit: quos autem baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit. Sic ergo quos baptizauit ebrioſus, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, ſi baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic eſt qui baptizat. Cæterum, fratres mei, delitum eſt dicere, quia melioris meriti fuit, non dico Iudas, ſed quilibet hominum, quàm ille de quo dictum eſt, in natis mulierum nemo ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Non ergo huic quiſquam ſeruus, ſed baptiſma domini etiam per ſeruum malum datum: baptiſmati, etiam amici ſerui præponitur. Audi quales commemorat Apoſtolus Paulus falſos fratres in inuidia prædicantes verbū Dei. Et quid de illis dicit? Et in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Chriſtum enim annunciabant, per inuidiam quidem, ſed tamen Chriſtum, non per quid, ſed quem vide. Per inuidiam tibi prædicatur Chriſtus: vide Chriſtum, vita prædicantem per inuidiam. Noli imitari malum prædicatorem, ſed imitare bonum quod * tibi prædicatur. Chriſtus ergo à quibuſdam per inuidiam prædicabatur: & quid eſt inuidere? Horrendum malum: ipſo malo diabolus deiectus eſt, ipſo deiecto deiecit multos. Maligna peſtis eſt, & habebant illam quidam Chriſti prædicatores, quos tamen prædicare permittit Apoſtolus. Quare? quia Chriſtum prædicabant. Qui autem inuidet, odit: & qui odit, quid de illo dicitur? Audi Apoſtolum Ioannem, Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Ecce poſt Ioannem baptizatum eſt, poſt homicidam non baptizatum eſt, qua Ioannes dedit baptiſmum ſuum, homicida dedit baptiſmum Chriſti. Quod ſacramentum tam ſanctum eſt, vt nec homicida miniſtrante polluatur. Non reſpuo Ioannem, ſed potius credo Ioanni: quid credo Ioanni? Quod didicit per columbam, quid didicit per columbam? Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Iam ergo fratres tenete hoc, & cordibus veſtris infigite. Si enim hodie voluero plenius dicere, quare per columbam, tempus non ſufficit. Quia enim res dicenda inſinuata eſt Ioanni per columbam, quam non nouerat in Chriſto Ioannes, quamuis iam noſſet Chriſtum, expoſui quantum arbitror ſanctitati veſtræ. Sed quare hanc ipſam rem per columbam oportuit demonſtrari, ſi breuiter dici poſſet, dicerem. Sed quia diu dicendum eſt, & onerare vos nolo: quomodo adiutus ſum orationibus veſtris, vt illud quod promiſi implerem: adiuuate etiam atque etiam pia intentione & votis bonis, & illud apparebit vobis, quare Ioanes quod didicit in domino: quia ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, & nulli ſeruo ſuo talem legauit poteſtatem baptizandi, non debuit diſcere niſi per columbam.

Matth.11. *Phil.1.* **alias qui.* *1.Ioan.3.*

EIVSDEM DE EODEM *Homil.* 3.

Tract. 6. in Ioannem.

Fateor ſanctitati veſtræ, timueram ne frigus hoc frigidos vos ad conueniendum faceret: ſed quia iſta celebritate & frequentia veſtra, ſpiritu vos feruere demonſtraſtis, non dubito quin etiam oraſtis pro me, vt debitum vobis exoluam. Promiſeram enim in nomine Chriſti differe hodie, cum anguſtia temporis tunc impediret, ne id poſſemus explicare tractando, quare Deus per columbæ ſpeciem oſtendere voluerit ſpiritum ſanctum. Hoc vt explicetur, illuxit nobis dies hodiernus, & ſentio audiendi cupiditatem, & pia deuotione vos celebrius congregatos. Expectationem veſtram Deus impleat ex ore noſtro. Amaſtis enim vt veniretis, ſed amaſtis, quid? Si nos, & hoc bene, nam volumus amati à vobis, ſed nolumus in nobis. Quia ergo in Chriſto vos amamus, in Chriſto nos redamate, & amor noſter pro inuicē gemat ad Deum, Ipſe enim gemitus columbæ eſt: ſi ergo gemitus columbæ eſt, quod omnes nouimus, gemunt autem columbæ in amore: audite quid dicat Apoſtolus, & nolite mirari, quia in columbæ ſpecie voluit demonſtrari ſpiritus ſanctus. Quid enim oremus ſicut oportet, inquit, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo fratres mei, hoc dicturi ſumus, quia ſpiritus gemit, vt perfecta & æterna beatitudo eſt ei cum patre & filio? Spiritus enim ſanctus Deus, ſicut Dei filius Deus, & pater Deus. Ter dixi Deus, ſed non dixi tres Deos: magis enim Deus ter quàm dij tres, quia pater & filius & ſpiritus ſanctus vnus Deus. Hoc optime noſtis. Non ergo ſpiritus ſanctus in ſemetipſo apud ſemetipſum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate ſubſtantiæ gemit, ſed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parua res eſt, quòd nos docet ſpiritus ſanctus gemere: inſinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam ſuſpirare, & ipſo deſiderio gemimus. Cui bene eſt in hoc ſeculo, imò qui putat quod ei bene ſit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana fœlicitate exultat, habet vocem corui: vox enim corui clamoſa eſt, non gemebunda. Qui autem nouit in preſſura ſe eſſe mortalitatis huius, & peregrinari ſe à domino, nondum teneri illam perpetuam, quæ nobis promiſſa eſt beatitudinem, ſed habere illam in ſpe, quam habiturus eſt in re, cum dominus venerit in manifeſtatione præclarus: qui prius in humilitate venit occultus: qui hæc nouit, gemit. Et quandiu propter hæc gemit, bene gemit. Spiritus illum docuit gemere: à columba didicit gemere. Multi enim gemūt in infœlicitate terrena, vel quaſſati dānis, vel ægritudine corporis prægrauati, vel carceribus incluſi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris merſi, ac iactati, vel aliquibus inimicorum inſidiis circumſepti gemunt: ſed non columbæ gemitu gemunt, non amore Dei gemunt, non ſpiritu gemunt. Ideo tales cum ab ipſis preſſuris fuerint liberati, exultant in grandibus vocibus, vbi apparet quia corui ſunt, non columbæ. Ideo merito de arca miſſus eſt coruus, & non eſt reuerſus: miſſa eſt columba, & reuerſa eſt. Illas duas aues miſit Noë: habebat ibi coruū, habebat & columbā: vtrunque hoc genus arca illa continebat. Et ſi arca ſignrabat Eccleſiam, videtis vtiq; quia neceſſe eſt, vt in iſto diluuio ſeculi vtrunque genus contineat Eccleſia, & coruum & columbam. Qui ſunt corui? qui ſua quærunt. Qui columbæ? qui ea quæ Chriſti ſunt quærunt. Propterea ergo cum mitteret ſpiritum ſanctum, duobus modis eum oſtendit viſibiliter: per columbam & per ignem. Per columbam ſuper dominum baptizatum, per ignem ſuper diſcipulos

Rom.8.

congregatos. Cum enim aſcendiſſet dominus in cælum poſt reſurrectionem, peractis cum diſcipulis ſuis quadraginta diebus, impleta die Pentecoſtes, miſit eis ſpiritum ſanctum, ſicut promiſerat. Spiritus ergo tunc veniens impleuit locum illum, factoque primo ſonitu de cælo tanquam ferretur *Act.2.* flatus vehemens, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus. Viſæ, inquit, illis ſunt linguæ diuiſæ velut ignis, qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum, & cœperunt linguis loqui, ſicut ſpiritus dabat eis pronunciare. Hanc videmus columbam ſuper dominũ, has linguas diuiſas ſuper diſcipulos congregatos: ibi ſimplicitas, hic feruor oſtenditur. Sunt enim qui dicuntur ſimplices, & pigri ſunt: vocantur ſimplices, ſunt autem ſegnes. Non talis erat Stephanus plenus ſpiritu ſancto: ſimplex erat, quia nemini nocebat: feruens erat, quia impios arguebat. Non enim tacuit Iudæis, cuius ſunt verba illa *Act.7.* flammantia, Dura ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto. Magnus impetus, ſed columba ſine felle ſæuit. Nam vt noueritis quia ſine felle ſæuiebat, illi auditis his verbis qui corui erant, ad lapides ſtatim aduerſus columbam cucurrerunt: cœpit Stephanus lapidari, & qui paulo ante fremens & feruens ſpiritu tanquam in inimicos impetum fecerat, & tanquam violentus inuectus erat in verbis igneis atq; flammantibus, vt audiſtis, Dura ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vt qui ea verba audiret, putaret Stephanum, ſi ei liceret, ſtatim illos velle cõſumi, venientibus in ſe lapidibus ex manibus eorum genu flexo ait: Domine, ne ſtatuas illis hoc delictum, ** aliàs vnitati.* Inhæſerat mititati * columbæ. Prior enim illud fecerat magiſter, ſuper quem deſcenderat colum- *Luca 28.* ba, qui pendens in cruce ait, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Ergo ne ſpiritu ſanctificati dolum habeant, in columba demonſtratum eſt: ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratum eſt. Nec moueat, quia linguæ diuiſæ ſunt. Diſtant enim linguę: ideo diuiſis linguis apparuit. Linguæ, inquit, diuiſæ velut ignis, qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum. Diſtant inter ſe linguæ, ſed linguarum diſtantiæ non ſunt ſchiſmata. In linguis diuiſis noli diſſipationem timere, vnitatem cognoſce in columba. Sic ergo ſic oportebat demonſtrari ſpiritum ſanctum venientem ſuper dominum, vt intelligat vnuſquiſque ſi habeat ſpiritum ſanctum, ſimplicem ſe eſſe debere ſicut columbam: habere cum fratribus verã pacem, quam *2. q. 7. c. non omnis qui.* ſignificant oſcula columbarũ. Habent enim oſcula & corui: ſed in coruis falſa pax, in columba vera pax. Non omnis ergo qui dicit, pax vobiſcũ, quaſi columba audiendus eſt. Vnde ergo diſcernuntur oſcula coruorum ab oſculis columbarum? Oſculantur corui, ſed laniant: à laniatu innocens eſt natura columbarum. Vbi ergo laniatus, non eſt vera in oſculis pax. Illi habent veram pacem, qui eccleſiam nõ laniauerunt: nam corui de morte paſcuntur. Hoc columba non habet, de frugibus terrę viuit, innocens eius victus eſt: quod verè fratres mirandum eſt in columba. Sunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidunt, nihil horum columba: non enim de morte paſcitur. Qui laniauerunt Eccleſiam de mortibus paſcuntur. Potens eſt dominus, rogemus vt reuiuiſcant qui deuorantur ab eis & ſentiunt: multi enim agnoſcunt, quia reuiuiſcunt, nam ad eorum aduentum quotidie gratulamur in nomine Chriſti. Vos tãtum ſic eſtote ſimplices, vt ſitis prudentes & feruentes, & feruor veſter in linguis ſit. Nolite tacere, ardẽtibus linguis loquentes, attendite frigidos. Quid enim fratres mei, quis non videat quod illi nõ vident? Nec mirum quia inde reuerti nolunt, ſicut coruus qui de arca miſſus eſt. Quis enim nõ videat quod illi non vident? Et ipſi ſpiritui ſancto ingrati ſunt. Ecce columba deſcendit ſuper dominum, & ſuper dominum baptizatum, & apparuit ibi ſancta illa & vera trinitas, quæ nobis vnus Deus. Aſcendit enim dominus ab aqua, ſicut in Euangelio legimus, Et ecce aperti ſunt cæli, & vidit ſpiritum deſcendentem velut columbam, & manſit ſuper eum. Et ſtatim vox conſecuta eſt, Tu es filius meus dilectus, *Math.3.* in quo mihi bene complacui. Apparuit manifeſtiſſima trinitas, pater in voce, filius in homine, ſpiritus ſanctus in columba. In trinitate iſta quò miſſi ſunt Apoſtoli, videamus, quod videmus, & quod mirum eſt, quia illi non vident, non enim verè non vident, ſed ad id quod facies eorum ferit, oculos claudunt. A quo miſſi ſunt diſcipuli, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti? Ab illo de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat. Dictum eſt enim miniſtris ab eo qui ſibi tenuit hanc poteſtatem. Hoc enim in illo vidit Ioannes, & cognouit quod non nouerat, non quia eum non nouerat filium Dei aut eum non nouerat dominum, aut non nouerat Chriſtum: aut verò & hoc non nouerat quia ipſe baptizaturus eſſet in aqua, & Chriſtus in ſpiritu ſancto? Nam & hoc nouerat. Sed quia non ita vt ſibi teneret poteſtatem, & in nullum miniſtrorum eam trãsferret: hoc eſt quod didicit in colum- *De conſe. diſt. 4. c. Aliud.* ba. Per hanc enim poteſtatem quam Chriſtus ſo- *Cantic. 6.* lus ſibi tenuit, & in neminem miniſtrorum tranſfudit, quãuis per miniſtros ſuos baptizare dignatus ſit, per hanc ſtat vnitas Eccleſiæ, quę ſignificatur per columbam, de qua dictum eſt, Vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ. Si enim, vt iam dixi, fratres mei, transferretur poteſtas à domino ad miniſtrum, tot baptiſmata eſſent, quot miniſtri eſſent, & iam non ſtaret vnitas baptiſmi. Intendite fratres. Antequam veniret dominus noſter Ieſus Chriſtus ad baptiſmum, nam poſt baptiſmum deſcendit columba, in qua cognouit Ioannes quiddam proprium, cum ei dictum eſt, Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto: nouerat, quia ipſe baptizabat in ſpiritu ſancto: nouerat, quia ipſe baptizabat in ſpiritu ſancto: nouerat, quia ipſe baptizabat in ſpiritu ſancto, ſed quia tali proprietate, vt poteſtas ab eo non tranſiret in alterum, quamuis eo donante hoc ibi didicit. Et vnde probamus quia iam & hoc nouerat Ioãnes, quia baptizaturus erat dominus in ſpiritu ſancto, vt hoc intelligatur didiciſſe in columba, quod ita eſſet baptizaturus dominus in ſpiritu ſancto, vt in neminem alium hominem poteſtas illa tranſiret? Vnde probamus? Columba iam baptizato domino deſcendit. Ante autem quàm veniſſet dominus vt baptizaretur à Ioanne in Iordane, diximus quia nouerat eum, illis vocibus vbi ait, Tu ad me venis baptizari: ego à te debeo baptizari. Sed ecce dominũ nouerat, nouerat filium Dei. Vnde probamus quod iam nouerat quia ipſe baptizaret in ſpiritu ſancto? Antequam veniret ad fluuium, cum multi ad Ioannem currerent baptizari, ait illis, Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem poſt me venit, maior me eſt, cuius nõ ſum

dignus

dignus corrigiam calciamenti ſoluere, ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni: iam & hoc nonerat. Quid ergo per columbam didicit, ne mendax poſtea inueniretur; quod auertat à nobis Deus opinari, niſi quidam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diuerſitate meritorum baptiſma ſanctum eſt, quia diuerſa ſunt merita, diuerſa erunt baptiſmata: & tanto quiſque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur accepiſſe. Ipſi ſpiritales ſancti, intelligite fratres mei boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad ſortem ciuitatis illius Hieruſalem, ipſi boni in eccleſia, de quibus dicit Apo-

2.Tim 2. ſtolus, Nouit dominus qui ſunt eius, diuerſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent. Sunt alij aliis ſanctiores, ſunt alij aliis meliores. Quare ergo ſi vnus ab illo, verbi gratia, iuſto ſancto baptizaretur: alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continẽtiæ inferioris vitæ. vnum tamen & par & æquale eſt quod acceperunt, niſi quia hic eſt qui baptizat?

De conſ. di. 4. c. cum baptizat. 4. ſeu. diſ. 3. c. 1. Quomodo ergo eum baptizat bonus & melior, non ideo iſte bonum accepit, & ille melius. Sed quamuis bonus & melior fuerint miniſtri, vnum & æquale eſt, quod acceperunt, non eſt melius in illo, & inferius in iſto: ſic & eum baptizat malus ea aliqua vel ignorantia Eccleſiæ, vel tolerantia: aut enim ignorantur mali, aut tolerantur, vt palea, quouſque in vltimo ventiletur area, illud quod datum eſt, vnum eſt, nec impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale, propter, Hic eſt qui baptizat. Ergo dilectiſſimi videamus quod videre illi nolunt, non quòd non videant, ſed quod ſe videre doleant, quaſi clauſum ſit contra illos quò miſſi ſunt diſcipuli, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, vt baptizarent tanquam miniſtri.

Mat 28. Quò miſſi ſunt? Ite, dixit, baptizate gentes. Audi-

Pſal. 2. ſtis fratres quomodo venit illa hæreditas Poſtula

Eſa. 2. à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Audiſtis quomodo de Sion prodit lex, & verbum domini de Hieruſalem: ibi enim audierunt diſcipuli, Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Intenti facti ſumus cum audiremus, Ite baptizare gentes: in cuius nomine? In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Iſte vnus Deus, quia non in nominibus patris & filij & ſpiritus ſancti: ſed in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: vbi vnum nomẽ audis, vnus eſt Deus: ſicut de ſemine Abra-

Gal. 3. hæ dictum eſt, & exponit Paulus Apoſtolus, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: non dixit in ſeminibus tanquam in multis, ſed tanquam in vno, & ſemini tuo quod eſt Chriſtus. Sicut ergo quia ibi non dicit in ſeminibus, docere te voluit Apoſtolus, quia vnus eſt Chriſtus: ſic & hic cum dictum eſt in nomine, non in nominibus, quomodo ibi in ſemine, non in ſeminibus, probatur vnus Deus, pater & filius & ſpiritus ſanctus. Sed, ecce, inquiunt, diſcipuli ad dominum, Audiuimus in quo nomine baptizemus, miniſtros nos feciſti. & dixiſti nobis, Ite baptizate in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Quò ibimus? quò? non audiſtis? ad hæreditatem meam: Interrogaris: quo ibimus? Ad id quod emi ſanguine meo: quò ergo? Ad

gentes, ad gentes, inquit. Putani quis dixit, ite ba- Act. 2.
ptizate Aphros in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, Deo gratias. Soluit dominus quæſtionem, docuit columba. Deo gratias. Ad gentes Apoſtoli miſſi ſunt: ſi ad gentes, ad omnes linguas. Hoc ſignificauit ſpiritus ſanctus diuiſus in linguis, vnitus in columba. Hoc linguæ diuidunt, hoc columba copulat. Linguæ gentium concordarunt, & vna lingua Aphricæ diſcordauit? Quid euidentius fratres mei? in columba vnitas, in linguis gentium ſocietas. Aliquando enim & linguæ per ſuperbiam diſcordauerunt, & tunc ſunt factę linguę ex vna multæ. Poſt diluuium enim quidam ſuperbi homines, velut aduerſus Deum ſe munire conantes, quaſi aliquid eſſet excelſius Deo, aut aliquid tutius, ſuperbiæ erexerunt turrim, quaſi ne diluuio ſi poſtea fieret, delerentur. Audierant enim & recenſuerant, quia omnis iniquitas erat deleta diluuio. Ab iniquitate temperare nolebant, altitudinem turris contra diluuium requirebant, ædificauerunt turrim excelſam: vidit Deus ſuperbiam ipſorum, & hunc errorem illis immitti iuſſit, vt nõ ſe cognoſcerent loquentes, & factæ ſunt diuerſæ linguæ per ſuperbiam. Si ſuperbia fecit diuerſitates linguarum, humilitas Chriſti congregauit diuerſitates linguarum. Iam quod illa turris diſſociauerat, Eccleſia collegit. De vna lingua factę ſunt multæ: noli mirari, ſuperbia hoc fecit. De multis linguis fit vna: noli mirari, charitas hoc fecit: quia etſi ſoni diuerſi linguarum ſunt, in corde vnus Deus inuocatur, vna pax cuſtoditur. Vnde debuit ergo chariſſimi demonſtrari ſpiritus ſanctus vnitatem quandam deſignans niſi per columbam, vt

pacatæ Eccleſiæ diceretur, Vna eſt columba mea? Cant. 6.
Vnde debuit humilitas, niſi per auem ſimplicem & gementem, non per auem ſuperbam & exultantem ſicut coruus? Et forte dicent, Quia ergo columba, & vna columba, præter vnam columbam baptiſmus eſſe non poteſt. Ergo ſi apud te eſt columba, vel tu es columba, quando ad te venio, tu da mihi quod non habeo: ſcitis hoc ipſorum eſſe. Ecce modo vobis apparebit, non eſſe de voce columbæ, ſed de clamore corui. Nam paululum attendat charitas veſtra, & timete inſidias, imò cauete, & excipite verba contradicentium reſpuenda, non tranſglutienda & viſceribus danda. Facite inde quod fecit dominus, quando illi obtulerunt amarum potum: Guſtauit & reſpuit: ſic & vos audite & abiicite. Quid enim dicunt? Videamus, Ecce, inquit, tu es columba. O catholica tibi dictum eſt, Vna eſt columba mea, vna matris ſuę. Tibi certe dictum eſt, Expecta, noli me interrogare. Si mihi dictum eſt, cito volo audire, inquit. Tibi dictum eſt. Reſpondeo voce catholica, mihi. Hoc autem fratres, quod ore meo ſolius ſonuit, ſonuit, vt arbitror, & cordibus veſtris, & omnes pariter diximus, Eccleſiæ catholicæ dictũ eſt, Vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ: præter ipſam ergo columbam, inquit baptiſma non eſt. Ego qui præter ipſam columbam ſum baptizatus, ergo non habeo baptiſmum? Si baptiſmum non habeo quare mihi non das quando ad te venio? Et ego interrogo, Interim ſequeſtremus, cui dictum eſt, vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ. Adhuc quærimus, Aut mihi dictum eſt, aut tibi dictum eſt? Sequeſtremus cui dictum ſit. Hoc ergo quæro, ſi co-

lumba eſt ſimplex, innocens ſine felle, pacata in oſculis, non ſæua in vnguibus, quæro vtrum ad huius columbæ membra pertineant auari, raptores, ſubdoli, ebrioſi, flagitioſi, membra ſunt columbæ huius? Abſit, inquit. Et reuera fratres, quis hoc dixerit vt nihil aliud dicam? Raptores ſolos, ſi dicam, membra accipitris poſſunt eſſe, non membra columbæ. Milui rapiunt, accipitres rapiunt, corui rapiunt: columbæ non rapiunt, non dilaniãt. Ergo raptores non ſunt membra columbæ. Non apud vos fuit, vel vnus raptor? Quare manet baptiſmus quem dedit accipiter & non columba? Quare non baptizatis apud voſmetipſos poſt raptores & adulteros & ebrioſos, poſt auaros apud voſmetipſos? An iſti omnes mẽbra columbæ ſunt? Sic dehoneſtatis columbam veſtram, vt ei membra vulturina faciatis? Quid ergo fratres, quid dicimus? Mali & boni ſunt in Eccleſia catholica: ibi autem ſoli mali ſunt. Sed forte inimico animo hoc dico, & hoc poſtea requiratur. Et ibi certe dicunt, quia ſunt boni & mali. Nam ſi dixerint ſolos bonos ſe habere, credant illis ſui, & ſubſcribo, Non ſunt apud nos dicant, niſi ſancti, caſti, ſobrij, non adulteri, non fœneratores, non fraudatores, non periuri, non vinolenti. Dicant, Non enim attendo linguas ipſorum, ſed tango corda ipſorum. Cum autem noti ſint & vobis & ſuis, ſicut & vos & vobis in catholica & illis noti eſtis, nec nos eos reprehendamus, nec illi ſe palpent. Nos fatemur in Eccleſia catholica & bonos & malos eſſe, ſed tanquam grana & paleas. Aliquando qui baptizatur à grano, palea eſt: & qui baptizatur à palea granum eſt: alioquin ſi qui baptizatur à grano, valet, & qui baptizatur à palea, non valet, falſum eſt, hic eſt qui baptizat. Si autem verum eſt, hic eſt qui baptizat, & quod ab illo datur, valet, & quomodo columba baptizat? Non enim malus ille columba eſt, aut ad membra columbæ pertinet: nec hic poteſt dici in catholica, nec apud illos. Si illi dicunt, columbam eſſe Eccleſiam ſuam, quid ergo intelligimus fratres mei, quoniam manifeſtum & omnibus notum eſt, & ſi nolint conuincuntur: quia & ibi quando dant mali, non poſt illos baptizatur: & hic quando dant mali, non poſt illos baptizatur. Columba nõ baptizat poſt coruum: coruus quare vult baptizare poſt columbam? Intendat charitas veſtra. Et quare deſignatum eſt neſcio quid per columbam, vt baptizato domino veniret columba, id eſt, ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & maneret ſuper eum, cum in aduẽtu columbæ hoc cognoſceret Ioannes, propriam quandam poteſtatem in domino ad baptizandum, quia per hanc propriam poteſtatem, ſicut dixi, pax Eccleſiæ firmata eſt. Et poteſt fieri vt habeat aliquis baptiſmum præter columbã: vt proſit ei baptiſmus, præter columbam non poteſt. Intendat charitas veſtra & intelligat quod dico: nam & iſta circumuentione ſæpe ſeducunt fratres noſtros, qui pigri & frigidi ſunt. Simus ſimpliciores & feruentiores. Ecce, inquiunt, Ego accepi, an nõ accepi? Reſpondeo, accepiſti. Si ergo accepi, non eſt quod mihi des, ſecurus ſum, etiam teſtimonio tuo. Et ego qui item me dico accepiſſe, vtriuſque lingua ſecurum me facit. Quid ergo mihi promittis? Quare me vis catholicum facere, quando non mihi aliquid daturus es amplius, & me iam accepiſſe fateris, quod te habere dicis? Ego autem quando dico, veni ad me, dico quia non habes tu, qui fateris quia habeo. Quare dicis, veni ad me? Docet nos columba. Reſpondet enim de capite domini, & dicit, Baptiſmum habes, charitatem autem qua ego gemo non habes. Quid eſt hoc, inquit, Baptiſmum habeo, charitatem nõ habeo? Sacramentum habeo, charitatem non? Noli clamare, oſtende mihi quomodo habeat charitatem qui diuidit vnitatem. Ego, inquit, habeo baptiſmum: Habes, ſed baptiſmum illud ſine charitate nihil tibi prodeſt: quia ſine charitate tu nihil es: nam baptiſmus ille etiam in illo qui nihil eſt, non eſt nihil. Baptiſma quippe illud aliquid eſt, & magnum aliquid eſt, propter illum de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat. Sed ne putares illud quod magnum eſt, tibi aliquid prodeſſe poſſe ſi non fueris in vnitate, ſuper baptizatum columba deſcendit, tanquam dicens, ſi baptiſmum habes, eſto in columba, ne non tibi proſit quod habes: Veni ergo ad columbam dicimus, non vt incipias habere quod non habebas, ſed vt prodeſſe tibi incipiat quod habes. Foris enim habebas baptiſmum ad perniciem: intus ſi habueris, incipit prodeſſe ad ſalutem. Non enim tantum tibi non proderat baptiſma, & non etiam oberat: Et ſancta poſſunt obeſſe: in bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt: in malis ad iudicium. Certe enim fratres nouimus quid accipiamus, & vtique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit non eſt ſanctum. Et quid ait Apoſtolus? Qui autem manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit: non ait quia illa res mala eſt, ſed quia ille malus male accipiendo, ad iudicium accipit bonum quod accipit. Non enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Iudæ à domino: Abſit. Medicus non daret venenum: ſalutem medicus dedit, ſed indigne accipiendo ad perniciẽ accepit, quia non pacatus accepit. Sic ergo & qui baptizatur. Habeo, inquit, mihi. Fateor habes: obſerua quod habes, eoipſo quod habes damnaberis. Quare? Quia rem columbæ præter columbam habes. Si rem columbæ in columba habeas, ſecurus habes. Puta te eſſe militarem: ſi characterem Imperatoris tui intus habeas, ſecurus militas: ſi extra habeas, tunc non ſolum tibi ad militiam non prodeſt character ille, ſed etiam pro deſertore punieris. Veni ergo veni, & noli dicere, iam habeo, iam ſufficit mihi. Veni, columba te vocat, gemendo te vocat. Fratres mei vobis dico, gemendo vocate, non rixando: vocate orãdo, vocate inuitando, vocate ieiunando: in charitate intelligant quia doletis illos. Non dubito fratres mei, quia ſi videant dolorem veſtrum, confundentur & reuiuiſcent. Veni ergo veni, noli timere: time ſi non venis: imò non time ſed plange. Veni gaudebis, ſi veneris. Gemis quidem in tribulationibus peregrinationis, ſed gaudebis in ſpe. Veni vbi eſt columba, cui dictum eſt, Vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ. Columbam vnam vides ſuper caput Chriſti: linguas vides in toto orbe terrarum. Idem ſpiritus per columbam, idem & per linguas. Si per columba idem ſpiritus, & per linguas idem ſpiritus ſanctus per totum orbem terrarum datus eſt, à quo te præcidiſti vt clames cum coruo, non vt gemas cum columba? Veni ergo. Sed ſollicitus es forte & dicis, Foris baptizatus ſum, timeo ne inde ſim reus, quia foris accepi. Iam cœpiſti cognoſcere quid gemendum ſit. Verum dicis, quia reus es, non quia accepiſti, ſed quia foris accepiſti. Tene ergo quid accepiſti, emenda quod foris accepiſti. Accepiſti

De conſe. diſt. 2. ca. Et ſancta.
1. Cor. 11.
Ioan. 13.
Cant. 6.

piſti rem columbæ, præter columbam accepiſti. Duo ſunt quæ audis, accepiſti, & præter columbam accepiſti. Quod accepiſti, approbo: quia foris accepiſti, improbo. Tene ergo quod accepiſti, non mutatur ſed agnoſcitur, character eſt regis mei, non ero ſacrilegus, corrigo deſertorem, non immuto characterem. Noli de baptiſmate gloriari quia dico ipſum eſt. Ecce dico ipſum eſt, tota catholica dicit ipſum eſt, aduertit colũba, & agnoſcit & gemit, quia ipſum foris habes, videt ibi quod agnoſcat, videt ibi & quod corrigat. Ipſum eſt, veni. Gloriaris quia ipſum eſt, & nõ vis venire? Quid ergo mali qui non pertinent ad columbam, ait tibi columba, & mali inter quos gemo, & qui non pertinent ad membra mea, & neceſſe eſt inter illos gemmam, nonne habent quod te habere gloriaris? nõne multi ebrioſi habent baptiſmum? nonne multi auari? nonne multi idololatræ & quod eſt peius furtim? Nonne Pagani ad idola eunt, vel ibãt publice? Nunc occulte Chriſtiani ſortilegos quærunt, mathematicos conſulunt: & ibi habent baptiſmum, ſed columba gemit inter coruos. Quid ergo gaudes quia habes? Hoc habes quod habet & malus. Habeto humilitatem, charitatem, pacem: habeto bonum quod nondum habes, vt proſit tibi bonum quod habes: nam quod habes habuit & Simon magus. Actus Apoſtolorum teſtes ſunt, ille liber canonicus omni anno in Eccleſia recitandus. Anniuerſaria ſolennitate poſt paſſionem domini noſtis illum librum recitari, vbi ſcriptum eſt, quomodo conuerſus ſit Apoſtolus, & ex perſecutore prædicator factus, vbi etiam die pentecoſtes miſſus eſt ſpiritus ſanctus in linguis diuiſis velut ignis. Ibi legimus multos credidiſſe in Samaria per prędicationem Philippi. Intelligitur autem ſiue vnus ex Apoſtolis, ſiue ex diaconis, quia ſeptem ibi diaconos legimus ordinatos, inter quos eſt etiam nomen Philippi: per Philippi ergo prædicationem crediderũt Samaritę. Samaria cœpit abundare fidelibus, ibi erat iſte Simon magus, qui per magicas factiones ſuas dementauerat populum, vt eum virtutem Dei putarent, commotus tamen ſignis quæ à Philippo fiebant, etiam ipſe credidit, ſed quomodo ipſe crediderit, poſteriora ſequentia demonſtrauerunt. Baptizatus eſt autem & Simon.
Act. 8. Audierunt hoc Apoſtoli qui erant in Hieruſalem, & miſſi ſunt ad illos Petrus & Ioannes, & inuenerunt multos baptizatos. Et quia nullus ipſorum adhuc acceperat ſpiritum ſanctum, ſicut tunc deſcendebat ad oſtendendam ſignificationem gentium crediturarum, vt linguis loquerẽtur, in quos
Philip. 2. deſcendebat ſpiritus ſanctus, impoſuerunt illis manus orantes pro eis, & acceperunt ſpiritum ſanctum. Simon ille qui non erat in Eccleſia columba, ſed coruus, quia ea quæ ſua ſunt quærebat, non quæ Ieſu Chriſti, vnde in Chriſtianis potentiam magis amauerat quàm iuſtitiam, vidit per impoſitionem manuum Apoſtolorum dari ſpiritum ſanctum, non quia ipſi dabant, ſed quia
Act. 8. ipſis orantibus datus eſt, & ait Apoſtolis, Quid vultis à me accipere pecuniæ, vt & per impoſitionem manuum mearum detur ſpiritus ſanctus? Et ait illi Petrus, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei putaſti pecunia comparandum. Cui dicit, Pecunia tua tecũ ſit in perditionem, vtique baptizato. Iam baptiſma habebat, ſed columbæ viſceribus non hærebat. Audi quia non hærebat, verba ipſa Petri Apoſtoli aduerte: ſequitur enim, Non eſt tibi pars neque ſors in hac fide. In felle enim amaritudinis video te eſſe. Columba fel non habet, Simon habebat, ideo ſeperatus erat à columbæ viſceribus. Baptiſma illi quid proderat? Noli ergo de baptiſmate gloriari, quaſi ex ipſo ſalus tibi ſufficiat. Noli iraſci, depone fel, veni ad columbam. Hic tibi proderit, quod foris non ſolum non proderat, ſed etiam oberat. Neque dicas, non venio, quia foris ſum baptizatus. Ecce Gen. 6.
incipe habere charitatem, incipe habere fructum, inueniatur in te fructus, mittat te columba intrò. Inuenimus hoc in ſcriptura. Imputribilibus lignis arca fuerat fabricata. Imputribilia ligna ſancti ſunt fideles pertinentes ad Chriſtum. Quomodo enim in templo lapides viui de quibus ædificatur templum, homines fideles dicti ſunt, ſic ligna imputribilia homines perſeuerantes in fide. In ipſa ergo arca ligna imputribilia erant. Arca enim Eccleſia eſt, ibi baptizat columba illa. Arca enim illa in aqua ferebatur: ligna imputribilia intus baptizata ſunt. Inuenimus quædam ligna foris baptizata, omnes arbores quæ erant in mundo. Ipſa tamen aqua erat, non erat altera: omnis de cælo venerat, & de abyſſis fontium. Ipſa erat aqua in aqua baptizata ſunt ligna imputribilia, quæ erant in arca, in qua baptizata ſunt ligna foris. Miſſa eſt columba, Geneſ. 6.
& primùm non inuenit requiem pedibus ſuis, rediit in arcam: plena enim erant aquis omnia, & maluit redire quàm rebaptizari. Coruus autem ille emiſſus eſt, antequam ſiccaretur aqua, rebaptizatus redire noluit, mortuus eſt in his aquis. Auertat Deus corui illius mortem: nam quare non eſt reuerſus, niſi quia aquis interceptus eſt? At vero columba non inueniens requiem pedibus ſuis, cum ei vndique clamaret aqua, veni, veni, hic tingere: quomodo clamant iſti hæretici, veni, veni, hic habes, non inueniens illa requiem pedibus ſuis, reuerſa eſt ad arcam. Emiſit illam Noe iterum, ſicut vos emittit arca vt loquamini illis. Et quid fecit poſtea columba? Quia erant ligna foris baptizata, reportauit ad arcã ramum de oliua. Ramus ille & folia & fructum habebat. Non ſint in te ſola verba, non ſint in te ſola folia, ſit fructus, & redis ad arcam, non per teipſum, columba te reuocat. Gemite foris, vt illos intrò reuocetis. Et enim fructus iſte oliuę ſi diſcutiatur, inuenies quid erat. Oliuæ fructus, charitatem ſignificat. Vnde hoc probamus? Quomodo enim oleum à nullo humore premitur, ſed diruptis omnibus exilit & ſupereminet, ſic & charitas non poteſt premi in ima, neceſſe eſt vt ad ſuperna emineat. Propterea de illa dicit Apoſtolus, Adhuc ſupereminentiorem viam 1. Cor. 12.
vobis demonſtro. Quia diximus de oleo quia ſupereminet, ne forte non de charitate dixerit Apoſtolus, ſupereminentiorem viam vobis demonſtro, audiamus quid ſequitur, Si linguis hominum 1. Cor. 13.
loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum tanquam æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. I nunc Donate, & clama, diſertus ſum. I nunc & clama, doctus ſum. Quantum diſertus, quantum doctus? Nunquid linguis angelorum locuturus es? Et tamen ſi linguis angelorum loquereris, charitatem non habens, audirem æra ſonantia & cymbala tinnientia. Soliditatem aliquam quæro, fructum in foliis inueniam, non ſint ſola verba, habeant oliuam, redeant ad arcam. Sed, inquies, habeo ſacramentum. Verum dicis, ſacramentum diuinum eſt, habes baptiſma,

& ego

& ego confiteor. Sed quid dicit idem Apoſtolus? Si ſciero omnia ſacramenta, & habuero prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferam, ne fortè & hoc diceres, Credidi, ſufficit mihi. Sed
Iacob.2. quid dicit Iacobus? Et dæmones credunt & contremiſcūt. Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt ſi non habeant charitatem. Confitebantur & dæmones Christum credendo, ſed non diligendo, dicebant,
Marc.1. Quid nobis & tibi fili Dei? Fidem habebant, charitatem non habebant, ideo dæmones erant. Noli de fide gloriari, adhuc dæmonibus comparandus es, noli dicere Chriſto domino, mihi & tibi quod eſt? vnitas enim Chriſti tibi loquitur, Veni cognoſce pacem, redi ad viſcera columbæ. Foris baptizatus es, habeto fructum, & redi ad arcam. Et tu, Quid nos quæritis ſi mali ſumus? Vt boni ſitis. Ideo vos quærimus quia mali eſtis: nam ſi mali nō eſſetis, inueniſſemus vos, nō vos quæreremus. Qui bonus eſt, iam inuentus eſt, qui malus eſt, adhuc quæritur, ideo vos quærimus, redite ad arcam. Sed iam habeo baptiſmum. Si omnia ſacramenta ſciero, & habuero prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Fructum ibi videam, oliuam ibi videam, & reuocaris ad arcam. Sed quid ais? Ecce nos multa mala patimur: hæc ſi pro Chriſto pateremini, non pro honoribus veſtris. Audite qui ſequitur, iactant ſe enim aliquando, quia eleemoſynas multas faciunt, dant pauperibus, quia patiuntur moleſtias, ſed pro Donato non
Matt.22. pro Chriſto. Vide quomodo patiaris: nam ſi pro Donato pateris, pro ſuperbo pateris. Non es columba ſi pro Donato pateris: non erat ille amicus ſponſi: nam ſi amicus eſſet ſponſi, gloriam ſponſi quæreret, non ſuam. Vide amicum ſponſi dicentem, Hic eſt qui baptizat. Ille non erat amicus ſpōſi, pro quo pateris: Non habes veſtem nuptialem: & ſi ad conuiuium veniſti, foras habes mitti. Imò quia foras miſſus es, ideo miſer es: redi aliquando
1.Cor.13. & noli gloriari. Audi quid dicat Apoſtolus, Si diſtribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Ecce quod non habes, Si tradidero, inquit, corpus meum vt ardeam, & vtique pro nomine Chriſti: ſed quia ſunt multi qui iactāter illud faciunt, non cum charitate: ideo ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Charitate fecerunt martyres illi, qui in tempore perſecutionis paſſi ſunt, charitate fecerunt: iſti autem de tumore & de ſuperbia faciunt, nam cum perſecutor deſit, ſeipſos præcipitant. Veni ergo vt habeas charitatem, ſed nos habemus martyres. Quos martyres? Non ſunt columbæ, ideo volare conati ſunt, & de petra ceciderunt. Omnia ergo fratres mei videtis, quia clamant aduerſus illos omnes paginæ diuinæ, omnis prophetia, totum euangelium, omnes Apoſtolicæ literæ, omnis gemitus columbæ, & nondum euigilant, nondum expergiſcuntur. Sed ſi columba ſumus, gemamus, toleremus, ſperemus: aderit miſericordia Dei, vt efferueat ignis ſpiritus ſancti in ſimplicitate veſtra, & venient. Non eſt deſperandum, orate, prædicate, diligite, prorſus potens eſt dominus: iam cœperunt cognoſcere frontem ſuam: multi cognouerunt, multi erubuerunt: aderit Chriſtus, vt cognoſcant & cæteri. Et certè fratres mei vel palea ſola ibi remaneat, omnia grana colligentur: quicquid ibi fructificauit: redeat ad arcam per columbam. Modo deficiētes vbique quid nobis proponunt? non inuenientes quid dicant? Villas noſtras tulerunt, fundos noſtros tulerunt, proferunt teſtamenta hominum, Ecce vbi Gaius eis donauit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus. Cuius Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſiæ. Quid eſt Eccleſiæ? Eccleſiæ dixi, cui præerat Fauſtinus, ſed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus, ſed parti præerat. Columba autem Eccleſia eſt. Quid clamas? Non deuorabimus villas, columba illas habeat. Quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat: nam noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini. Et ſi vos non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus nouit: ipſe ſcit, quid ego de illis villis ſentiam, vel quid ibi ſufferam. Nouit gemitus meos, ſi mihi aliquid de columba impertiri dignatus eſt. Ecce ſunt villæ. Quo iure defendis villas? diuino an humano? Reſpondeāt, Diuinum ius in ſcripturis habemus, humanum ius in legibus regum. Vnde quiſque poſſidet quod poſſidet? Nōne iure humano? Nam iure diuino, domini eſt terra & plenitudo eius. Pſal.23.
Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicit, Hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſeruus meus eſt. Iure ergo humano, iure imperatorum. Quare? Quia ipſa iura humana per imperatores & reges ſeculi Deus diſtribuit generi humano. Vultis legamus leges Imperatorum, & ſecundum ipſas agamus de villis? Si iure humano vultis poſſidere, recitemus leges Imperatorum, videamus ſi aliquid voluerint ab hæreticis poſſideri: Sed quid mihi eſt Imperator? Secundum ius ipſius poſſides terram. Aut tolle iura Imperatorū, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt? Si autem vt teneantur iſta ab hominibus, iura acceperūt regum: vultis recitemus leges, vt gaudeatis, quia vel vnum
borum †habeatis, & non imputetis niſi manſuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur †al. hortum
permanere? Leguntur enim leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores, eos qui præter Eccleſiæ catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. Sed quid nobis & Imperatori? Sed iam dixi, de iure humano agitur: & tamen Apoſtolus voluit ſeruiri regibus, voluit honorari reges, & dixit, Reges reueremini. Nolite dicere, quid mihi & regi? Quid 1.Pet.2.
tibi ergo & poſſeſſioni? Per iura regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & regi? Noli dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura humana renunciaſti quibus poſſidentur poſſeſſiones. Sed de diuino iure ago, ait. Ergo Euangelium recitemus. Videamus quouſq; Eccleſia catholica Chriſti eſt, ſuper quem venit columba, quæ docuit. Hic eſt qui baptizat: quomodo ergo iure diuino poſſideat, qui dicit, Ego baptizo: cū dicat columba, Hic eſt qui baptizat: cū dicat ſcriptura, Vna eſt colūba Cant.6.
mea, vna eſt matris ſuæ? Quare laniaſtis columbam? Imò laniaſtis viſcera veſtra, nam vobis laniaſtis, columba integra perſeuerat. Ergo fratres mei, ſi vbique non habent quod dicant, ego dico vobis quid faciant, veniant ad catholicam, & nobiſcum habebunt non ſolum terram, ſed etiam illum qui fecit cœlum & terram.

EIVSDEM

EIVSDEM IN IDEM
Hom. 6.

Eſt ex tract. 7 in Ioan. COngaudemus frequentiæ veſtræ, quia vltra quàm ſperare potuimus, alacriter cóueniſtis. Hoc eſt ergo quod nos lætificat & conſolatur in omnibus laboribus & periculis vitæ huius, amor veſter in Deum, & pium ſtudium, & certa ſpes, & feruor ſpiritus. Audiſtis eum Pſalmus legeretur, quia inops & pauper clamat ad Deum in hoc ſe-
Pſal. 87. culo. Vox enim eſt, vt ſæpius audiſtis, & meminiſſe debetis, non vnius hominis, & tamen vnius hominis. Non vnius, qoia fideles multi, multa grana inter paleas gementia, diffuſa toto orbe terrarum. Vnius autem, quia membra Chriſti omnes, ac per hoc vnum corpus. Iſte ergo vnus populus inops & pauper, non nouit gaudere de ſeculo, & dolor eius intus eſt, & gaudium eius intus eſt, vbi non videt niſi ille qui exaudit gementem, & coronat ſperantem. Lætitia ſæculi vanitas, cum magna expectatione ſperatur, vt veniat, & non poteſt teneri cum venerit. Iſte enim dies qui lætus eſt perditis hodie in iſta ciuitate, cras vſque non erit, nec idem ipſi cras hoc erút quod hodie ſunt. Et tranſeunt omnia, & euolant omnia, & ſicut fu-
Pſal. 40. mus vaneſcunt. Et væ qui amant talia: Omnis enim anima ſequitur quod amat. Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis quaſi flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit: verbum autem domini manet in æternum. Ecce quod ames, ſi vis manere in æternum. Sed dicere habebas, Vnde poſſum apprehendere verbum Dei? Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quapropter fratres chariſſimi, ad inopiam noſtram & paupertatem noſtram pertineat, & quod illos dolemus qui ſibi abundare videntur gaudium enim ipſorum quaſi phreneticorum eſt. Quomodo 'auté phreneticus gaudet in inſania, plerunque & ridet, & plangit illum qui ſanus eſt: ſic & nos fratres chariſſimi, ſi recepeтimus medicinam de cælo venientem: quia & nos omnes phrenetici eramus, tanquam ſalui facti, qui ea quæ diligebamus non diligimus, gemimus ad Deum de iis qui adhuc inſaniunt: potens eſt enim vt & ipſos ſaluos faciat, & opus eſt vt reſpiciant ſe, & diſpliceant ſibi. Spectari volunt, & ſpectati ſe non monerunt: nam ſi aliquantum oculos ad ſe conuertant, vident confuſioné ſuam. Quod donec fiat, alia ſint ſtudia noſtra, alia ſint aduocamenta animæ noſtræ. Plus valet dolor noſter quàm gaudium illorum. Quantum pertinet ad numerum fratrum, difficile eſt vt quiſquam ex illa celebritate raptus fuerit ex viris: quantum autem ad ſororum numerum, contriſtat nos: & hoc magis dolendum eſt, quia non ipſæ potius ad Eccleſiam currunt, quas debuit ſi non timor, certe verecundia de publico reuocare. Viderit hoc qui videt, & aderit miſericordia eius, vt ſaluet omnes. Nos autem qui cónenimus, paſcamur epulis Dei, & ſit gaudium noſtrũ ſermo ipſius. Inuitauit enim nos ad Euangelium ſuum, & ipſe cibus noſter eſt, quo nihil dulcius, ſed ſi quis habeat palatũ ſanum in corde. Bene autem arbitror meminiſſe charitatem veſtram hoc Euangelium lectionibus congruis ex ordine recitari: & puto vobis nó excidiſſe quæ iam tractata ſunt, maxime recétiora de Ioanne & de columba. De Ioanne ſcilicet, quid nouum didicerit in domino per columbam, qui iam nouerat dominum. Ex hoc inuentum eſt inſpirante ſpiritu Dei, quod iam quidem Ioannes nouerat in domino: ſed quòd ipſe dominus ita eſſet baptizaturus, vt baptizandi poteſtatem à ſe in neminem transfunderet, hoc dicit per columbam, quia dictum ei erat, Super quem videris ſpiritum deſcendentem velut columbã, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Quid eſt, hic eſt? Non eſt alius, etſi per alium. Quare autem per columbam? Multa dicta ſunt, nec poſſum, nec opus eſt omnia retexere, præcipue tamen propter pacem, quia & ligna quę baptizata ſunt foris, quia fructum in eis inuenit columba, ad arcam attulit: ſicut meminiſtis columbam emiſſam à Noë de ar- *Gene. 8.*
ca, quæ diluuio natabat & baptiſmo abluebatur, non mergebatur. Cum ergo eſſet emiſſa, attulit ramum oliuæ: ſed non ſola folia habebat, habebat & fructum. Itaque hoc optandum eſt fratribus noſtris qui foris baptizantur, vt habeant fructum, non illos ſinet columba foris, niſi ad arcam reduxerit. Fructus autem eſt totus charitas, ſine qua nihil eſt homo, quicquid aliud habuerit. Et hoc vberrime ab Apoſtolo dictum cómemorauimus & recenſuimus. Ait enim. Si linguis hominum lo- *1. Cor. 13.*
quar & angelorum, charitatem autem non habeã, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero omnem ſcientiam, & ſciam omnia ſacramenta, & habeam omnem prophetiam, & habuero omnem fidem: fidem autem quomodo dixit omnem? vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero omnia mea pauperibus, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem auté non habeam, nihil mihi prodeſt. Nullo modo autem poſſunt dicere ſe habere charitatem, qui diuidunt vnitatem. Hæc dicta ſunt, ſequentia videamus. *Perhibuit Ioannes teſtimonium*, quia vidit. Quale teſtimonium perhibuit? *Quia ipſe eſt filius Dei.* Oportebat enim vt ille baptizaret qui eſt filius Dei vnicus, nó adoptatus. Adoptati filij, miniſtri ſunt vnici. Vnicus habet poteſtatem, adoptati miniſteriũ. Licet baptizet miniſter non pertinens ad numerum filiorum, quia male viuit & male agit, quid nos conſolatur? Hic eſt qui baptizat.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexandrini eiuſdem Euang. expoſitio.

A*Ltera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* Breui admodum tempore propheta ſimul & apoſtolus, baptiſta effectus eſt. Quem enim venturum prædicabat, hunc iam monſtrat præſentem. propterea prophetarum menſuram exceſſit, vt ſaluator de ipſo ad Iudæos dicebat; Quid exiuiſtis in *Matth. 11.*
deſertum videre? prophetam? etiam dico vobis pluſquam prophetam. Nam prophetæ venturum Chriſtum prædixerunt, hic verò venturum prædicans, præſentem quoque mõſtrauit. *Altera enim die,* inquit, *vidit Ieſum venientem ad ſe, & ait. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Non ait iam, præparate viam eius, vt prius: ſed cum præſens oculis cernetetur is, propter quem præparatio facienda erat, non illo modo prædicandum, ſed apertius explanandũ erat, quis iſte præſens eſſet, & quamobrem à cælo ad nos deſcenderit. *Ecce* igitur, inquit, *agnus Dei,*

Eſa.53. Dei, ille ſcilicet de quo Eſaias dicebat, tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit. Quem vniuerſa Moſi lex figuris ſignificabat, qui temporibus legis non ita neque ad omnes miſericordiam ſuam diffudit: figuris enim & vmbris lex inuoluta eſt. At nunc qui ænigmatice prędicabatur, integerrimus agnus immaculata hoſtia, vt peccata omnium pellat, vt hoſtem orbis euertat, vt mortuus mortē deſtruat, vt maledictionem hominibus datam diſſoluat, ne illud, terra es & in terram reuerteris, humanum ſemper ſubigat genus, ſponte ad occiſionem ducitur.
1.Cor.15. Secundus hic Adam eſt non à terra ſed à cęlo; omnium bonorum initium, & ipſius exitium interius, æternę vitæ largitor, cauſa reformationis, qua reformamur ad Deum, pietatis & iuſtitię fundamentum, ad regnum cælorum via. vnus enim pro omnibus agnus occiditur: vt omne genus hominum Deo patri offerat, vnus pro omnibus: vt omnes lucrifaciat, vt omnes non vlterius ſibiipſis, ſed Chriſto (qui pro omnibus mortuus eſt: & pro omnibus reſurrexit) viuant. Nam quoniam in peccato eramus, atque idcirco morti atque interitui debebamur: filium ſuum pater in redemptionem pro nobis dedit, vnum pro omnibus. quoniam & omnes ſunt in ipſo: & omnibus ipſe melior eſt. vnus pro omnibus moritur, vt omnes in ipſo viuamus. Cum enim pro omnibus occiſum agnum mors inſorbuerit, retinere non potuit, ſed in ipſo
1.Cor.5. & cum ipſo cæteros omnes euomuit. Nam ſi omnes ſumus in Chriſto, qui mortuus eſt & reſurrexit pro nobis, peccato deſtructo, quomodo etiam mors, quæ fructus peccati eſt, non deſtruetur? & radice iam euulſa, quomodo rami germinabunt? Aut quanam de cauſa morti vlterius debebimur, peccato deſtructo, quod mortis cauſa fuit? quare in occiſione agni Dei magna exultantes voce ſolenniter clamamus: vbi iam eſt victoria tua, ô mors?
1.Cor.15. vbi ſtimulus tuus, inferne? Omnis enim iniquitas (vt pſalmiſta canebat) os ſuum obſtruxit: eum non poſſit amplius debilitata peccatores accuſare.
Pſal.106. Deus enim eſt qui nos iuſtificat. Chriſtus redemit nos ex maledictione legis, ipſe maledictio factus pro nobis, vt maledictionem peccati nos fugia-
Gal.3. mus. *Hic eſt, de quo dixi, poſt me venit vir qui ante me factus eſt.* In memoriam reducit Baptiſta, quæ dixerat: & gloriæ Chriſti vltro & ſponte cedit, nec ex charitate magis quā ex veritate etiam neceſſitate id facit. Subiicitur enim etiā ſi nolit, creatura creatori: ſeruus domino, largitori quod donatur. Quomodo autem poſt Ioannem Chriſtus veniebat, qui prior erat Ioanne, ſatis in ſuperioribus dictum
Luc.1. eſt. *Et ego neſciebam eum, &c.* Qui dominum in vtero virginis cognoſcens exultabat, qui ante partum prophetauit, quia matris diſcipulus fuit: neſcire ſaluatorem fatetur, nec illo modo mentitur, Omnia enim à ſeipſo abſque alicuius doctrina Deus ſolummodo ſcit: creatura vero omnis non à ſe, ſed ab alterius diſcit doctrina, & ſpiritus in ſanctis hominibus habitans, replet quod natura non poteſt: & bonum ſuum humanæ naturæ largitur, & ita illuminata, futura & occulta cognoſcit myſteria, Cum igitur neſciuiſſe dominum dicat ſecundum humani generis & creaturæ menſuram, veriſſime dicit. Valde autem vtiliter quamuis neſcire ſaluatorem aſſeruerit: idcirco tamen veniſſe fatetur, vt Iudaico populo manifeſtet, ne ſcilicet ſponte ad teſtimonium præcurrere videatur, qui non voluntatis ſuæ, ſed diuinæ diſpenſationis ac voluntatis miniſter fuit, quæ ſibi animo reuelauit, à quo peccata mundi tollentur. Facilius ergo credere Iudæi teſtimonio eius debebant, quem intelligebāt à ſe quidem neſciuiſſe ſaluatorem, ſed Deo reuelante cognouiſſe, Poterant etiam dignitate ac magnitudine ſerui: quantus eſſet dominus, coniicere. Aperte namque cum vt ipſum in Iſrael manifeſtet, veniſſe fateatur: aperte inquam ſeruum ſe, illū vero dominum eſſe oſtendit. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, &c.* Quoniam eum neſciuiſſe in ſuperioribus dixerat, idcirco nunc latius diuinum illud denudat myſterium. Nam & modum quo didicit, quod ignorauerat: & docentem Deum patrem oſtendit, ita variis multiſque viis, auditorum animum ad veritatem inducit. Cum enim à Deo patre didiciſſe ſe myſterium att., refragari Deo vniuerſos oſtendit, qui magno cōſilio patris ſe opponentes, paruam prædicationi ſuæ fidem adhibeant. Ita manifeſte ac commode ad ſuſcipiēdum ſaluatorem, omnibus perſuadere conatur: præſertim cum ſpiritum etiam ſe vidiſſe teſtetur in columbæ ſigno deſcendiſſe, & māſiſſe in Chriſto. Adhæc ſeipſum audiſſe affirmat ab eo, à quo miſſus fuit ad baptizandum in aqua fuit, illum eſſe, qui ſpiritu baptiſat, in quem deſcendet & in quo manebit ſpiritus ſanctus. Dignus certe fide teſtis hic eſt: nouū atque inauditum ſignum: & is, qui hæc dixit atque oſtendit baptiſtæ, pater & Deus omnium eſt. Sed hæc quidem hactenus. Inſultabit autem forſan iterum contentionis cupida turba hæreticorum, atque illudens dicet, Nihil nos habere niſi cauillari velimus: quo hinc refugere poſſimus. Ecce namque inquit ſpiritus ad filium deſcendit: ecce vngitur à Deo patre filius, quod non habet, videlicet accipiens, Pſalmiſta etiam atteſtante diceenteque ad filium, Pro- Pſal.44.
pterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. quomodo ergo perfecto patri nō perfectus filius ac ideo perunctus, conſubſtantialis eſſe poterit? Ad huiuſmodi homines, qui veritatem Chriſtiani dogmatis & ſcripturarum, ſenſus peruertunt, opportune illud dicere poſſumus, Expergiſcimini ebrij à vino vel veſtro: vt fulgen- Iohel.1.
tiſſimam veritatis lucem videntes, nobiſcum ad filium clament, vere filius Dei tu es. Si enim credis Deum eſſe ipſum natura, quomodo imperfectus erit? Aut quomodo hæc impietas in ipſum etiam patrem non perueniet? Vnde namque pater perfectionem habebit, ſi filius imperfectus eſt? aut Matth.14.
quomodo ad imminutionem filij, qui ſecundum vos imperfectus eſt: pater etiam ipſe non depelletur: ſi ſemel diuina ſubſtantia imperfectionem in filio ſuſceperit? Non enim (vt arbitror) audebitis in diuerſas rationes ſubſtantiæ, diuinam immortalemque naturam ita incidere, vt in altero imperfecta eſſe videatur, præſertim cum videatis humanæ naturæ rationem, vnam ac eandem in omnibus eſſe, nec minus aliquid aut maius hominem homine, inquantum homo eſt, poſſidere, nec angelus ab angelo ea ratione, qua vterque angelus eſt, qua videlicet ad vnam ſpeciem atque naturam omnes concluduntur, differre vnquam poterit. Quomodo igitur natura Deitatis, quę ſuper hæc omnia incomparabiliter eſt, minora bona poſſidebit, quam creatura? Quomodo inæqualitatem eam ſuſcipiet natura incorruptibilis, cuius corruptibilia, ſuſceptiua non ſunt? Quomodo ſimplex

plex atque incompoſitũ erit, ſi perfectum atque imperfectum in ea ineſt? Diſſimilia enim hęc ſunt, ex quibus eam conſtare falſo arbitramini. Si enim ſimilia eſſent, nec inter ſe differrent perfectum atque imperfectum: omne perfectum, imperfectum eſſet: & contra. Quare nec filius imperfectior patre, nec pater perfectior filio: quamuis ita verbis à vobis dicatur. Sin vero permultum intereſt inter perfectũ & imperfectũ: & vtriuſq; deitatis natura ſuſceptiua eſt, nó ſimplex ſed compoſita erit. Sed dicet fortaſſis quiſpiam, non ſimul in eodem eſſe poſſe ſubiecto, quæ contraria ſunt, ſed ſeorſum ac per ſucceſſionem, vt in corpore color modo albus, modo niger. Probe tu quidem, ô amice: ac eiro conuerſus, pro nobis pugnaſti. Nam, ſi vna deitatis natura eſt, nec altera pręter eam excogitari poteſt, quomodo contrariorum eſt ſuſceptiua, vel quomodo vni eidemque ſubiecto, quæ inter ſe contraria ſunt, ſimul accident? Pater enim natura Deus eſt, & filius ſimiliter natura Deus. Nulla ergo differẽtia perfecti & imperfecti inter patrem & filium eſt, qui ex perfectiſſima ſubſtantia patris emanauit. An non eſt neceſſe perfectum eſſe genimen perfectiſſimi genitoris, quod & incommutabilis imago, & character ſuæ hypoſtaſeos eſt. Ita prorſus omnes aſſenſuros eſſe arbitror. Quomodo enim aliter perfecti patris character, incommutabilis filius erit, ſi natura perfectus non eſt, vt quidam temere dicunt. Nam quoniam character atque imago eſt, non aliter certe atque ille perfectus eſt, cuius imago eſt. Sed Ioannes vidit de cælo ad filium ſpiritum deſcendere inquit. Quare pater deforis filium ſanctificauit, in quem quaſi non habentem, ſanctificator ſpiritus deſcendit. Aduertis quam manifeſte filium Dei, creaturam eſſe prædicas: vix magni aliquid ei attribuens, cum ſimiliter atque ceteræ creaturæ perfici atque ſanctificari Ioan.1. bonorum largitione forinſeca ipſum arbitreris. Et quomodo non falſus erat euangeliſta, dicens à plenitudine ipſius nos omnes accepiſſe. Quomodo enim ſuapte natura plenus erit, ſi ab alio accepit? Aut quomodo Deus vere pater erit, ſi vnigenitus creatura eſt, & non filius? Verbo namque ſolummodo non re ipſa pater, & ſimiliter vnigenitus vocabulo tantummodo filius, non vere filius erit. Si autem Deus vere pater eſt, habebit ſimiliter eum, cuius eſt filius, à ſe ipſo naturaliter natum. Præterea quomodo pater ſecundum naturam ſanctus ſanctitate nudũ filium generabit, & genimen edet à naturalibus ſuis bonis alienum? Nam ſi forinſecus ſanctificationem acquirit, vt illi nugantur vel nolentes, fateri neceſſe eſt, non ſemper ſanctum fuiſſe, ſed tunc ſanctificatum, quando ſpiritus (vt Ioannes ait) ad ipſum de- Eſa.6. ſcẽdit. Quomodo igitur etiã ante incarnationem, Seraphin ordine à primo, ſanctus tertio dicentes, vt ſanctum eum glorificabant? Si ergo ſanctus, & ante incarnationem erat, imò verò ſi ſemper eſt ſanctus ſicut & pater: quomodo in nouiſſimis ſeculis homo factus ſanctificante indiguit? Sed non poſſum nó mirari, cur illud eum ſtudioſiſſimi eſſe videantur eos latuit. Nam neceſſe eſt, ſi non ineſt ſubſtantialiter filio ſanctificatio, ſed extrinſecus ei aduenit, vt rationali cuidam creaturæ, quod poſſit etiam aliquando à ſeipſo eam excutere: qui autem ſanctificationem à ſeipſo excuſſit, eiecitque, is profecto peccati vinculo preſſus ad peiora iam ruit, non conſeruans neque retinens in ſe illud, quod ſuperiorem peccato eum faciebat. Non erit ergo immutabilis filius, Pſalmiſta quoque mentietur clamans ad ipſum: tu autem idem ipſe es. Pſal 101. Ad hæc illud etiam ſuperioribus ſimile non prætermittam, quod participatur, aliud eſſe à participante ſecundum naturam, omnes ratione inducti fatebuntur. Aliter enim idem erit participans & participatum: quod intellectu impoſſibile eſt. quomodo enim aliquid ſeipſo participabit? ſi igitur participans & participatũ, diuerſa natura ſunt, conſiderẽt qui participatione ſpiritum filio ineſſe contendunt, in quàm magnam impietatem lapſi non ſentiũt. Nam ſi ipſius ſpiritus, particeps filius eſt: eſt autem ſpiritus natura ſanctus, non erit ſanctus natura filius, ſed ex alterius participatione ad meliora ex peioribus per gratiã reformatus. Qua ex re multa ſequentur abſurda. Primum enim (vt diximus) mutationis erit ſuſceptiuus, imò verò iam mutatus (profecit enim in melius: vt vos dicitis) non modo minor patre non eſt, ſed quodammodo etiam maior eſt factus. Scribit enim Paulus de ipſo. Hoc ſentite in vobis: quod & in Chriſto Phil.2. Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet; non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuẽtus vt homo, humiliauit ſeipſum factus obediens. Quoniam ergo ante incarnationem in forma & in æqualitate patris erat conſtitutus, incarnatus autem ſuſcepto de cælo ſpiritu ſanctificatus ſecũdum vos eſt, melior iam atque maior ſeipſo videbitur. Quare patre quoque, cui prius erat æqualis, maior effectus eſt. Quod ſi ita eſt, & ſuſcepto ſpiritu patre exceſſit: ſpiritus etiam, per quem filius hoc conſecutus eſt, maior patre atq; melior erit. Hæc auditu etiam horribilia, periculique plena ipſe iudico. Sed non poſſumus aliter detrimentum, quod per impietatem illorũ eccleſia patitur, depellere. Quare proſequendum nobis eſſe cenſeo, ſi homo factus vnigenitus Dei filius tunc demum à ſpiritu ſanctificatur, quaſi ante incarnationem ſanctus nõ eſſet: erat autem in æqualitate & forma patris ſecundum illos, ſequitur Deum patrem natura ſanctum non eſſe, ſiquidem conformis æqualiſque ſibi filius, ſanctus nó erat. Quod ſi fortaſſe quis dicat, quum non ſanctificatur à ſpiritu & quomodo non participat, cũ inquiat propheta, Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis? Meminerit ſecundum formam ſerui qua patre minor eſt, & à patre, & à ſpiritu ſancto & à ſeipſo, qui verbum & filius eſt eſſe ſanctificatum, ſicut ipſe dicit, Pro eis Ioan.17. ego ſanctifico meipſum. Simili modo & fatebuntur participantem. Sed de hoc ipſo non eſt quæſtio: ſed de Dei verbo & filio ſimpliciter. Deinde ſi verbũ Dei ſuſcepto ſpiritu natura ſanctificatur, dicant quæſo, vtrum maius aut minus ſeipſo factum eſt, an in eodem ſtatu omnino permanſit. Nam ſi nihil à ſpiritu ſibi ablatũ eſt, ſed permanſit idem quod fuit, non turberis, cum in ipſum deſcendiſſe ſpiritum audias. Sin verò minus factum eſt: tunc & verbum Dei paſſibile ac mutabile dicere neceſſe erit, & ſubſtantia ſpiritus tanquam iniqua, neceſſario accuſabitur, quæ ſuſcepta non paruam filio iniuriam intulit. ſi autem melius ſuſcepto ſpiritu factum eſt: erat autem in æqualitate ac forma patris, antequam in altiora (vt vos dicitis) aſcenderet: nõ erit ſuprema gloria patris, qui eam menſuram ſui conſeruet, in qua prius filius etiam

Hier.5. erat. Oportune igitur ſuper iſtos clamare poſſu-
mus, ecce populus excors ac fatuus: oculi ſunt
ipſis & non vident, excæcauit enim profecto hu-
ius ſeculi Deus, infidelium mentes: ne illuminatio
2.Cor.4. euangelij gloriæ Chriſti eis illuceat. Quibus ego,
quoniam non ſentiant quæ dicunt, condolendum
potius quàm iraſcendum eſſe iudico. Rectè autem
me iudicare quáuis à ſuperioribus iam appareat:
tamen ex eo potiſſimum erit conſpicuum, quod à
Phil.2. Paulo ſcriptum paulò antè propoſuimus, hoc ſen-
tite in vobis: quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in
forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe
æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam
ſerui accipiés in ſimilitudinem hominum factus,
& habitu inuentus vt homo, humiliauit ſeipſum.
Vide quàm vehementer gloriam filij admiratur:
ſicut æqualis natura non rapina Deo patri atque
conformis. In cauſa hominum forma ſerui aſſum-
pta humiliatus: exinaniuit ſeipſum, inquit propter
carnem. Si ergo aſſumpto ſpiritu poſtea quàm ho-
mo factus eſt, melior efficitur ſanctificatus: quo-
modo ſeipſum exinaniuit humiliauitque, qui ma-
ior ſeipſo factus eſt? Quæ porro eſt exinanitio iſta:
qua plenus ſpiritu factus eſt? Quomodo propter
nos humiliatus dicitur: qui tam multum factus
homo ſibi profecit? Quomodo pauper propter
nos, qui homine aſſumpto locupletatus eſt? Aut
quomodo ante incarnationem conſecutus eſt bo-
num? Obſtupuit cælum vt ſcribitur: obſtupuit &
horruit valde, dicit dominus. duo enim magna &
Hier.2. praua hæreticorum populus commiſit. Nam nec
quæ dicat intelligit, nec de quibus dicat perpen-
dit, & de maximis rebus tanquam de ludicris di-
cere, parui exiſtimat. Nam ſi magnum inde immi-
nere periculum putaret, largo lachrymarum effu-
ſo flumine, magna nobiſcum voce clamarent, Po-
Pſal.140. ne domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circum-
ſtantiæ labiis meis, non declines cor meum in ver-
ba malitiæ. Praui enim atq; iniqui ſermones ſunt:
qui ab eis inconſideratius prolati, ſummo audien-
2.Cor.10. tes detrimento afficiunt. Sed nos eorum nugas à
cordibus noſtris exterminantes: rectam fidei ra-
tionem ſequemur, illius ſcripturæ loci memores.
Conſilia deſtruētes & omnem altitudinem extol-
lentem ſe aduerſus ſcientiam Dei: & in captiuita-
tem redigentes omnem intellectū ad obſequium
Chriſti. Age igitur omnem intellectum propoſiti
theorematis in captiuitatem glorię vnigeniti redi-
gentes, ſic eum ſubiiciamus in omnia prudenter
ipſi, vt homini attribuamus, qui cum ſit diues, pau
2.Cor.8. per propter nos factus eſt, vt ſua nos paupertate
ditaret: quod patiētioribus poſtulatis auribus ex-
Geneſ.1. ponere latius non grauabimur. Ad imaginem &
ſimilitudinem veri Dei factus homo à Moſe dici-
tur; qui primos nobis ſcripturæ libros ſpiritu com
poſuit. Ab eodem etiam didicimus ſpiritu ad diui-
Geneſ.2. nam imaginem ſigillatum hominem fuiſſe, & ſuf-
flauit in faciem, inquit, eius ſpiraculum vitæ. Si-
mul enim & vitam creaturæ ſpiritus immiſit: &
characterem ſuum vt Deum decet impreſſit, & ſic
rationale ab artifice Deo animal conſtitutum:
mandatum ad ſalutem accepit, & fuit in paradiſo,
quouſque gratiam creatoris ſpiritu ſancto inhabi-
tante ſeruauit. Sed poſtea quam diabolica fraude
ſeductus Dei pręcepta contempſit, & ſpreto man-
dato, gratiam perdidit, terram ſe eſſe, & in terram
Geneſ.3. reuerſurum audiuit. Et ſimilitudo Dei, ad quam
creatus erat, non ita expreſſum characterem ſuum
propter peccatum ſeruauit, ſed obtenebratum
quodammodo & imbecillum retinuit, multipli-
cato deinde humano genere, peccatum quoque
adeo creuit, & ſic miſeros animos opprimebat: vt
gratia Dei homines denudati, cum ſpiritus peni-
tus ab eis deuolauerit, quaſi rationis omnino ex-
pertes ipſum etiam creatorem ignorarent. Miſe-
ricordia igitur motus creator ad priſcam imagi-
nem per ſpiritum reuocare naturam humanam
voluit. Nec enim poterat aliter diuinam impreſ-
ſionem, quam per ſpiritum, homo recuperare.
Quomodo autem id factum eſt, & quomodo fir-
mam in nobis gratiam ſuam inſeruit, aut quomo-
do radices in nobis ſpiritus egit, natura noſtra re-
formata, modo dicendum eſt. Nam, quoniam pri-
mus Adam libertate ſua non bonum, vt debuit,
ſed malum, vt diximus, elegit: atque ideo morti
addictus ſpiritum ſanctum amiſerat, qui mali-
gnos, vt ſcribitur, fugit, nec habitat in corpore pec- Sapient.1.
catis ſubiecto, de cęlo nobis ſecundum Adam mi-
ſericordia Dei miſit. Miſit enim immutabilem na-
tura filium ſuum & procul ab omni peccato re-
motum, ad carnem noſtram aſſumendā, vt, quem-
admodum pręuaricatione primi Adæ, maledictio-
ni ſubiecti fuimus: ſic obedientia virtuteque ſe-
cundi & maledictionem fugiamus, & quæ ab ea
ſecuta ſunt detrimenta non timeamus. Homo igi-
tur vere Dei filius factus, vt vnus hominum ſpiri-
tum à patre conſequitur, non quia ipſe indigeret,
qui largitor ipſius ſpiritus eſt, verum vt tanquam
homo acceptum ſpiritum nobis conſeruet: vtque
radices in nobis gratia, quam amiſimus faciat per
eum, qui peccatum penitus ignorauit. Hac de cau-
ſa (vt arbitror) vidiſſe ait ſpiritum Baptiſta de-
ſcēdiſſe de cælo: & manſiſſe in ipſo. Spiritus enim,
qui à nobis propter peccatum deuolauit, cum
nullum peccatum in eo inuenerit, manſit in ipſo.
Nobis igitur in ſeipſo ſpiritum accepit, & priſca
nobis renouat bona: hoc pacto pauper etiam fa-
ctus eſſe propter nos dicitur. Nam, cum ſit Deus, 2.Cor.8.
nullius indigens rei, homo factus eſt omnium 1.Cor.4.
egenus, de quo recte ſcribitur, Quid autem habes,
quod non accepiſti? Quemadmodū igitur quam-
uis ſecundum naturam vita ſit, mortuus tamen vt
homo propter nos eſt, vt, deuicta morte totam ſe-
cum noſtram ſuſcitaret naturam; omnes enim ſu-
mus in eo, inquantum homo eſt: ſic & ſpiritum
propter nos recipit, vt totam naturam ſanctificet.
non enim propter ſeipſum homo factus eſt, ſed
vt cæleſtium bonorum via nobis & ianua fiat. Ni-
ſi enim tanquam homo ſpiritum accipere viſus
eſſet, niſi etiam vt homo paſſus eſſet: quomodo
quiſpiam humiliatum eſſe poſſet oſtendere? aut
quomodo natura ſerui recte recuperari poſſet: niſi
etiam aliqua de ipſo quaſi de ſeruo vere ſcribe-
rentur? Nemo ergo ſapientiſſimam diſpenſationis
rationem irrideat; quam diuinus ille Paulus ad- Epheſ.3.
miratus clamabat. Vt innoteſcat principibus, &
poteſtatibus in cæleſtibus per eccleſiam multifor-
mis ſapientia Dei ſecundum præfinitionem ſecu-
lorum, quam fecit in Chriſto Ieſu domino noſtro.
Sapientia enim certe Deo congruens, incarnatio-
nis ſublime myſterium eſt. hoc modo (vt arbitror)
deſcendiſſe in Chriſtum ſpiritus pie credendus
eſt. Nunquam enim ad tantam temeritatem de-
ſcendemus: vt participatione in filio ſpiritum eſſe
credamus, quem cōfitemur ſubſtantialiter (quem-
admodum certe ipſe etiam patri) filio ineſſe. Sic Act.16.
enim

enim legimus apud ſcripturas filij eſſe ſpiritum: quemadmodum etiam patris: cum veniſſent, inquit, in Miſiam, tentabant ire in Bithyniam, & nõ dimiſit eos ſpiritus Ieſu. Si vero quiſpiam participatione, in filio ſpiritum eſſe adhuc cõtendere
Matth.11.
audet: aut tunc primum in ipſo aduenisſe, quando à Ioanne fuit baptizatus, conſideret quæſo rurſus quam multa eum ſequantur impia. Primum enim
Matt.5.
videmus Ioannem: quo maior inter natos mulierum non ſurrexit, qui ad virtutis ipſum peruenit apicem, Chriſto quaſi Deo accedere. Nõ enim inquit ſum dignus, vt corrigiam calciamenti ſui ſoluam.
Luc.1.
Quomodo igitur impium nõ eſt, cum Ioannes ab vtero matris ſpiritu ſancto repletus fuerit (ſic enim de ipſo ſcriptum eſt) Ioannis atque omnium dominum credere tunc primum ſpiritum
Luc.1.
accepiſſe, quando baptizabatur? At certe ad ſanctam virginẽ Gabriel dixit. ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, Ideoque quod ex te naſcetur ſanctũ, vocabitur filius Dei. Attende quæſo quam altum hic ſermo continet ſenſum. Nam, cum de Ioanne ſcribatur, quia ſpiritu ſancto replebitur (dono enim & de foris, non ſubſtantialiter inſitum habuit Ioannes ſpiritum) de ſaluatore probe admodum, non re-
Luc.1.
plebitur ſcriptum eſt: ſed quia, quod naſcetur ex te ſanctum, nec fore addidit quoniam ſemper vt natura Deus, ſanctus eſt, ſed vocabitur. Verũ quoniam vndique conſerentia colligenda ſunt, age propoſita quoque angeli verba cõſideremus. Spiritus inquit ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Dicant quæſo eccleſiæ aduerſarij, vtrum verbum Dei ante incarnationem filius Dei erat, aut falſo vocabulo quaſi adulterinus adorabatur. Nam ſi filium fuiſſe negabunt: patrem quoque fuiſſe negabunt. Cuius enim erat pater: ſi filius non erat? patrem autem atque filium fuiſſe, omnis ſcriptura clamitat. Sin vero etiam ante incarnationem filium fuiſſe fatentur, quomodo angelus quod à virgine naſciturum erat, filium Dei vocatum iri annunciat, cum id ab æterno naturaliter eſſet? Quemadmodum igitur quamuis æternaliter cum patre filius ſit, tamen quaſi principio temporis ab incarnatione capto, filius Dei vocatur, quoniam tunc in mundo
Baruch.3.
vt homo cum hominibus conuerſatus eſt. Sic quamuis ſubſtantialiter proprium in ſeipſo ſpiritum habeat, accipere tamen vt homo ſcribitur, idoneam homini dignitatem conſeruans & naturæ noſtræ proprietates propter nos ſibi attribuẽs. Quomodo autem abſque proprio ſpiritu verbum intelligi poteſt? an non eſſet abſurdum, ſi quis eum ab homine ſpiritum, qui eſt in ipſo, ſepararet: rationem tamen naturæ & integrum animũ conſeruari putaret? ita prorſus arbitror. Quomodo igitur à filio ſpiritum ſeparabimus, qui ſic innatus ei eſt, ita ſubſtantialiter coniunctus, & per eum
Ioan.14.
prodiẽs, in ipſo ita naturaliter eſt: vt propter identitatem naturæ aliud eſſe præter ipſum intelligi nequeat. Si diligitis me (ſaluator ad diſcipulos ait) mandata mea ſeruate: & ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ſpiritum veritatis,
Ioan.14.
quem mundus non poteſt capere. Ecce apertiſſimè ſpiritum veritatis, ſpiritum ſanctum appellauit. Non eſt autem alia veritas præter filium. Ego
1.Ioan.5.
ſum inquit veritas: quam quidem ad veritatem vide quantam identitatem habeat ſpiritus. Scribit enim in epiſtolis hic ipſe Ioannes de ſaluatore, hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem & ſpiritum Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtatur, quia Chriſtus veritas eſt. Propterea cum in interiore homine ſpiritus habitauerit, ipſe Chriſtus habitare dicitur. Et certe ita res ſe naturaliter habet, quod apertiſſime Paulus docuit. vos inquit nõ eſtis in carne ſed Rom.8.
ſpiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si vero Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuum propter peccatum, ſpiritus autem vita propter iuſtitiam. Si vero Chriſtus in vobis, ſta- Rom.8.
tim ſubiecit: vt identitatem filij ad ſpiritum, qui proprius eius eſt, cuique ex eo ſecundum naturam profunditur, oſtenderet. Idcirco & ſpiritus adoptionis dicitur, in quo clamamus abba pater. Et vt in epiſtolis Ioannes ſcribit, Ex hoc cognoſcimus, 1.Ioan.4.
quia in nobis eſt, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Sufficere iſta puto ad repellenda hæreticorum iacula. Si quis autem à filio dediſcere impietatẽ non vult, ſed tunc primum acceptum à filio ſpiritum ſanctum contendit, quando incarnatus fuit, oſtendat nobis à ſcripturis, non fuiſſe prius factum Dei filium, & tacebimus. Mirari autem oportet, quod tam diligẽter vbique diuinæ naturæ congrua conſequenter euangeliſta conſeruet. Nam, cum in ſuperioribus Deum nemini viſum aſſeruerit, & nũc ſpiritum à Baptiſta viſum confirmet, non fuit oblitus confeſtim adiicere, non natura ſua ſed in mitiſſimi animalis ſpecie viſum fuiſſe. Ita etiam ex Matt.11.
hoc rurſus naturaliter filio coniungi videtur. Diſcite nanque, ait, à me: quia mitis ſum & humilis corde. Non ergo decidit à natura Dei, ſpiritus, qui vt immutabilis, nunquam viſus eſt, præterquam ſigno & figura columbæ propter diſcentis vtilitatem: loco enim ſigni hoc ſibi datum, vltro Baptiſta fatetur, cum teſtificans dixerit, Qui me miſit in aqua baptizare, ille mihi dixit. Super quem vide- Ioan.1.
ris ſpiritum deſcendentem, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Vnde & temeraria, hæreticorum opinio explodenda eſt, qui quod loco ſigni factum eſt, ad veritatem rerum traducunt: quamuis etiam per diſpenſationem, ad vtilitatem generis noſtri ſic factum ſit, vt ſuperius diximus. *Ego vidi & teſtimonium perhibui, quia eſt filius Dei.* Verum eſt teſtimonium grauiſſimi teſtis: qui non ignorans ſcriptum eſſe, quæ oculi tui viderunt, illa dicito, Prou.25.
quod vidit id loquitur. Vidi enim inquit datum mihi ſignum: & intellexi ipſum eſſe, qui ſignificabatur: teſtimoniumque perhibeo, quia hic eſt filius Dei: qui legis Moſaicæ figuris deſcribitur, qui prophetarum ſcriptis prædicatur. Filius autem Dei tutiſſime adiectione articuli dicitur, vt ille ſolus ſecundum naturam, omnium genitoris bonorum heres oſtenderetur. Ad quem etiam nos per adoptionem confirmamur: ad huiuſmodi dignita- Ephes.3.
tem per gratiam eius inuitati. Quemadmodum enim omnis in cælo & in terra paternitas ex patre eſt, quoniam ipſe proprie primum & vere ſolus pater eſt: ſic omnis quoque filiatio ex filio eſt, quoniam ipſe proprie primum ac vere ſolus filius eſt, non adulterinus neque falſo ita vocatus, ſed ex ipſa ſubſtantia Dei patris: non per deciſionem aut fluxum aut partitionem, cum natura deitatis nullam penitus paſſionem, nullam immutationem recipiat. Sed vt ex vno vnus, qui ſemper ſimul eſt cum genitore, coæternus ſibi & inſitus.

In ipſo enim eſt, & ex ipſo prodit indiuiſibiliter & inſeparabiliter. Non enim corpus, deitatis natura eſt, nec loco circumſcribitur, nec per locorum ſpacia tranſgreditur. Sed, quemadmodum inſita igni caliditas ita ex eo prodit, & in eo eſt, vt quamuis aliud eſſe videatur, non tamen ſeparetur ab eo, ſed tota in toto igne ſeruetur, ſic de filio Dei ad ſublimiora ſimilitudine coaptata intelligentes, ſubſiſtere quidem in propria hypoſtaſi eum credemus, ſed nec extra vnam ineffabilemque deitatem collocabimus, nec alterius quam pater ſit ſubſtantiæ confitebimur. Aliter enim non erit ipſe véreque filius, & recena nobis Deus compe-rietur, ſi aliud quid præter vnum & ſolum Deum, eſſe ipſum putabimus. Nam ſi patri Deo conſubſtantialis non eſt, quomodo à vera Dei appellatione non decidet? Sed cum habeamus Baptiſtam teſtem grauiſſimum, qui teſtimonium perhibet, quia hic eſt filius Dei, non ambigemus Deum verum & ex ſubſtãtia patris filium prædicare. Nihil enim aliud præter hoc veræ filiationis nomen ſignificare poteſt.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri de eodem Euang. Hom.*

IOannes baptiſta & præcurſor domini ſaluatoris: quem diù venturum populis verbo prædicauerat, ipſum iam veniẽtem ad ſe, ſicut ex lectione ſancti euangelij fratres, cùm modò legeretur, audiſtis, mox digito demonſtrauit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce agnus Dei, ecce innocens, & ab omni peccato immunis, vtpotè qui os quidem de oſſibus Adam, & caro de carne Adam, ſed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccata mundi. Ecce qui iuſtus inter peccatores, mitis inter impios, hoc eſt, quaſi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores & impios iuſtificandi habet poteſtatem. Quomodò autem peccata mundi tollat, quo ordine iuſtificet impios, apoſtolus Petrus oſtendit, qui ait: Non corruptibilibus argento vel
1. Petr. 1. auro redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati, Ieſu Chriſti. Et
Apoc. 1. in Apocalypſi Ioannes apoſtolus, cuius eſt hoc euangelium, Qui dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non ſolùm autem lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit in cruce pro nobis, vel quando vnuſquiſque noſtrûm myſterio ſacroſanctæ paſſionis illius baptiſmo aquæ ablutus eſt: verumetiam quotidiè tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, cùm eiuſdem beatæ paſſionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in ſacramẽtum carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipſorum funditur & occiditur, ſed fidelium ore ſuam ſumitur in ſalutem. Cuius rectè figuram agnus in
Exod. 12. lege paſchalis oſtendit, qui ſemel populum de Ægyptia ſeruitute liberãs, in memoriam eiuſdem liberationis, per omnes annos immolatione ſua populum eundem ſanctificare ſolebat, donec veniret ipſe, cui talis hoſtia teſtimoniũ dabat, oblatúſque patri pro nobis in hoſtiam odorémque ſuauitatis myſterium ſuæ paſſionis ablato agno, in creaturam panis vinique transferret, ſacerdos factus in æternum ſecundùm ordinem Melchiſe-dech. Sequitur Ioannes teſtimonium perhibens Pſal. 109.
de domino, *Hic eſt*, inquit, *de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.* Poſt me venit vir, poſt me natus eſt in mundo, poſt prædicare incipiet mundo: qui ante me factus eſt, qui me potentia maieſtatis tantùm, quantùm ſol luciferum, licèt pòſt apparens, antecellit. Quia prior me erat, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Poſt me venit vir, tempus humanæ natiuitatis, quo Ioanne poſterior eſt, intellige. Qui ante me factus eſt, primatum regiæ poteſtatis, quo etiam angelis præſidet, intuere. Quia prior me erat, æternitatem diui- Ioan. 1.
næ maieſtatis, qua patri æqualis eſt, intellige. Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat. Poſt me venit vir in humanitate, qui ideò me præcellit dignitate, quia prior me erat diuinitate. *Et ego neſciebam eum*, inquit. Certum eſt, quia ſciebat dominum Ioannes, cui teſtimonium perhibere miſſus eſt, quem iudicem omnium venturum prædicabat, dicens: Cuius ventilabrum in manu Matt. 3.
ſua, & permundabit aream ſuam, à quo ſpiritum ſanctum dari debere teſtabatur. Ipſe vos baptizabit, inquiens, ſpiritu ſancto: à quo ſeipſum ablui deſiderabat, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quomodò ergo dicit, Et ego neſciebam eum, niſi quia eum quem antè nouerat, perfectiùs iam cùm baptizaretur agnouit? Quẽ mundi ſaluatorem & iudicem nouerat, huius potentiam maieſtatis altiùs ſpiritu ſancto ſuper eum deſcendente cognouit. Neque enim dubitandum eſt, quin B. Ioannes cùm ſpiritum ſanctum licèt corporali ſpecie videret, cùm vocem patris licèt corporaliter ſonantem meruiſſet audire, multum ex hoc viſu & auditu profecerit, multum de diuinæ poteſtatis excellentia, reuelatis oculis mentis, ſcientiæ cæleſtis acceperit, adeò vt ad comparationem intelligentiæ, qua tunc illuſtrari cœperat, catenùs illum quantus eſſet, omnimodis ſibi videretur ignoraſſe. Qui teſtimonium, in quod miſſus eſt, domino diligenter perhibens adiungit: *Sed vt manifeſtaretur in Iſrael propterea veni ego in aqua baptizans.* Quod eſt apertè dicere: Non ideo veni in aqua baptizans, quia peccata mundi baptizando tollere poſſim: ſed vt eum baptizando ac prædicando manifeſtarem populo Iſrael, qui in ſpiritu ſancto baptizans, ad tollenda peccata non ſolùm Iſrael ſed totius mundi, ſi ei credere voluerint, idoneus eſt: Propterea veni ego in aqua baptizans, vt ſic baptizando illi viam præpararem, qui baptizaret in remiſſionem peccatorum. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* Benè in columbæ ſpecie deſcendit ſuper dominum ſpiritus, vt diſcant fideles non aliter eius ſpiritu ſe poſſe repleri, niſi ſimplices fuerint, niſi veram cum fratribus habuerint pacem, quam ſignificant oſcula columbarum. Habent autem oſcula & corui, ſed laniant, quod columba omnino non facit, ſignificantes eos qui loquuntur pacem cum
proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Co- Pſal. 27.
lumbæ autem natura, quæ à laniatu innocens eſt, illis innocentibus aptiſſimè congruit, qui pacem ſequuntur cum omnibus & ſanctimoniam, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Atque ideò ſpiritus in columba deſcendendo, non ſuam

ſuam tantummodò, vel eius, in quem deſcendit, innocentiam ſimplicitatémque deſignat, ſed eorum æquè, qui *Sap.1.* ſentiunt de illo in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærunt illum. Quorum vnanimem pietatem ac manſuetudinem, ſpiritali gratia donatam, dominus *Cant.6.* ipſe laudans loquitur: Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Matrem quippe ac genitricem Eccleſiæ ſpiritus gratiam vocat, qua inſpirante percepit, vt ipſa quoque poſſit columba rectè nuncupari. Denique Hebræo ſermone, quo ſcriptura ſancta eſt edita, ſpiritus genere fœminino appellatur: propter quod conuenienter Eccleſia vna Chriſti columba, & hæc matri ac genitrici ſuæ electa nominatur: quia nimirum quod in vnitate fidei Chriſtianæ multis de gentibus congregatur, quod columbina ad inuicem pace lætatur, quod electionis ſorte beatur, non ſuo habet merito, ſed dono accepit gratiæ ſpiritalis. *Et ego*, inquit, *neſciebam eum*, ſubaudi, tam ſublimiter, quàm ſpiritu in eum deſcendente cognoui. *Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentẽ ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpirituſancto.* Baptizat dominus in ſpirituſancto, per ſpirituſſancti gratiam peccata dimittendo. Siue, enim ipſe aqua aliquos diſcipulorũ ſuorum primus baptizauerit, per quos ad cæteros fideles baptiſmi riuus proflueret, eoſdem etiam ſpiritu baptizabat, peccata illis relaxando, & ſpiritus dona miniſtrando: ſiue fideles eius, inuocato nomine ipſius, aqua baptizent electos, & chriſmate ſacro perungant, eoſdem nihilominus ipſe ſpirituſancto baptizat, *Ioan 4.* quia nemo præter ipſum peccatorum nexus ſoluere, aut ſpiritus ſancti valet dona tribuere. Vnde euangeliſta Ioannes cùm dixiſſet, Audierunt pharisæi, quia Ieſus plures diſcipulos facit & baptizat, quàm Ioannes, protinùs adiunxit: Quanquàm Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius, apertè docens: Quia etſi diſcipuli Ieſu in nomine eius aqua baptizant, ipſe tamen magis baptizare intelligendus eſt, qui peccata dimittit. Baptizat quoque dominus in ſpirituſancto, cùm per afflationem eiuſdem ſpiritus corda fidelium ſuorum feruore ſuæ *Rom.5.* ſiue fraternæ charitatis accendit. Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Baptizat in ſpirituſancto cùm cuilibet electorum dat manifeſtationem ſpiritus ad vtilitatem, virtutes operando. De quo baptiſmate aſcenſurus in cælum, dixit diſci*Actor.1.*pulis: Vos autem baptizabimini ſpirituſancto nõ poſt multos hos dies. Sed diligentiùs intuendum eſt, quia cùm dixiſſet, *Super quem videris ſpiritum deſcendentem*, addidit, *Et manentem ſuper eum.* Et in ſanctos enim eius ſpiritus deſcendit: verùm quia quandiu ſunt in corpore, peccato carere nequeũt, quia cæleſtium contemplationi ſemper oculum mentis intendere non ſufficiunt, ſed ſæpiùs hunc ad terrenæ curam conuerſationis inflectunt, in eorum proculdubiò cordibus ſpiritus aliquando *Ioan 3.* venit, aliquando recedit. Vnde dictum eſt: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed non ſcis vnde veniat, aut quò vadat. Venit quippe ad ſanctos, vadit à ſanctis ſpiritus, vt quem ſemper habere idonei non ſunt, eius per tempora redeuntis, crebra luce reficiantur. In ſolo autem mediatore Dei & hominum homine Ieſu Chriſto, ſpiritus perpetuò veraciter manet, in quo nec ſordidæ cogitationis maculam, quam refugeret, vllam inuenit. Manſit autem totus in illo, non ex eo ſolùm tempore, quo hunc Ioannes ſuper eum vidit deſcendentem, ſed ex quo homo fieri incipiens, eius miniſterio & opere conceptus eſt. Vnde etiam poteſtatem dandi hominibus ſpiritum, non minus habet ipſe quàm pater, ipſo atte- *Ioan.14.* ſtante qui ait, Paracletus autem ſpirituſſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et alio loco, quòd ipſe hunc mittat, oſten- *Ioan.16.* dit dicens, Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, ſi autẽ abiero, mittã eum ad vos. Quia nimirum vna eſt in diuinitate ſubſtantia, inſeparabilis operatio patris & filij & eiuſdẽ ſpirituſſancti. Nam & de ipſo ſpiritu, quòd ſua ſponte veniat vbi velit, ſua poteſtate operetur quæ velit, teſtatur filius vbi ait, quod & ſuprà memoraui, Spiritus vbi *Ioan.3.* *1.Cor.12.* vult ſpirat. Hæc autẽ omnia, inquit Apoſtolus, operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Idcirco autẽ ſuper eum, in quo ſemper manebat, baptizatũ ſpiritus deſcẽdere oſtenditur, vt & Baptiſta ipſe celſiùs iã quem prædicaret ipſe agnoſceret, & credẽtibus daret indiciũ, nequaquã ſe niſi baptizato aqua, ſpiritus eiuſdem poſſe baptiſma mereri. Quærẽdum intereà, quomodo ſpeciale filij Dei agnoſcendi ſignũ fuerit, quòd ſuper eum deſcenderit & mãſerit ſpiritus, cùm etiã diſci*Ioan.14.*pulis ipſe promittat, dicens: Et ego rogabo patrẽ, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quẽ mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Si enim apud ſeruos Dei electos manet, & in illis eſt ſpiritus, quid magni eſt in filio Dei, quòd in ipſo manere ſpiritus aſtruatur? Notandumque quòd ſemper in domino manſerit ſpirituſſanctus, in ſanctis autem hominibus, quandiù mortale corpus geſtauerint, partim maneat in æternum, partim rediturus recedat. Manet quippe apud eos, vt bonis iſtent actibus, voluntariam paupertatem diligant, manſuetudinem conſequantur, pro æterno deſiderio lugeant, eſuriãt & ſitiant iuſtitiam, miſericordes ſint, munditiam cordis teneant, tranquillitatem pacis amplectantur, ſed & pro obſeruatione iuſtitiæ perſecutionem pati non revereantur, eleemoſynis, orationibus & ieiuniis, cæteriſque ſpiritus fructibus inſiſtere deſiderent. Recedit autem ad tempus, ne ſemper infirmos curandi, mortuos ſuſcitandi, dæmones eiiciendi vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet ſemper, vt poſſint habere virtutem, qua mirabiliter ipſi viuant, venit ad tempus, vt etiam aliis per miraculorum ſigna quales ſint intùs, effulgeant. *Et ego vidi, inquit, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Suprà dixerat, *Ioan.1.* Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, nunc teſtimonium perhibet, quia hic eſt filius Dei, vtriuſque naturæ veritatem, humanæ videlicet & diuinæ, in vna eadémque Chriſti perſona manifeſtè deſignans. Erubeſcat Manichæus audiens, Venit vir, conticeſcat Photinus audiens, Hic eſt filius Dei. Audiant manſueti & lætentur, quia venit vir poſt Ioannem fortior Ioanne, qui baptizat in ſpirituſancto, & quia hic eſt filius Dei. Quia enim per ſuperbiam receſſimus homines à Deo, filius Dei per miſericordiam factus eſt homo, vt idem ipſe & per diuinitatem patri, & per humanitatem congrueret nobis, per humanitatem ſimilem nobis, pro nobis cum hoſte confligere, per diuinitatem

patri conſubſtantialem, ad imaginem nos Dei & ſimilitudinem, quam peccando amiſimus, poſſet dignè recreare, per mortem noſtræ fragilitatis deſtruere eum, qui mortis habebat imperium, & per impaſſibilem ſuæ diuinitatis potentiam reconciliare nos Deo patri, cum quo viuit & regnat Deus in vnitate ſpiritusſancti, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI

Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

V*idit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, &c.* Vidit Ioãnes Ieſum venientem ad ſe. Quare dominus venit ad baptiſmum Ioannis? Superius in Euangelio diximus. Et ait: Ecce agnus Dei. Quare appellauit beatus Ioannes dominum agnum? Ac ſi diceret: Ecce agnus, ecce innocẽs inter peccatores. Ecce Deus inter homines, ecce dominus inter ſeruos. Vel aliter. Ille agnus legalis, qui ſecundum legem immolabatur quarta decima luna primi mẽſis ad veſperam, typum gerebat veri agni Ieſu Chriſti, quia ſicut ille nõ aperiebat os ſuum quando immolatus eſt pro ſalute generis humani. Et ſicut ille agnus in feſtiuitate paſchali immolabatur, ita & dominus in feſtiuitate paſchali immolatus eſt, iuxta quod apoſtolus Paulus dicit de eo. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus peccata noſtra tulit paſſione ſua, quia ipſe lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & quotidie peccata mundi tollit, id eſt, habitatorum mundi per baptiſmi ſacramentum quãdo regenerãtur homines ex aqua & ſpiritu ſancto, quotidie etiã tollit peccata mũdi, quãdo corpus & ſanguis eius dignè ſumitur ab hominibus. Quia ſicut (verbi gratia) ignis ſtipulam, & ligna ſicca conſumit faciliter: ita corpus & ſanguis domini, ſi dignè ſumitur, minora peccata conſumit. Quotidie etiã dominus Ieſus tollit peccata mundi per pœnitentiæ lamentum, quando homines agunt pœnitentiam de malis actibus ſuis, iuxta quod ipſe dominus dicit: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. *Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt*, id eſt, antepoſitus eſt mihi, præcellit me dignitate ſui. Tantùm præcellit me quemadmodũ rex præcellit militem, dominus ſeruum, ſol luciferum, licet pòſt ortus. Si potuiſſet loqui Lucifer, vtique poterat dicere de Sole: Certè qui poſt me venit, id eſt, qui poſt me ortus, ante me factus eſt, id eſt, prælatus eſt mihi, qui ad cõparationem claritatis illius, nihil luminis haberet. Aliter: In hoc ante me factus eſt, id eſt, antepoſitus eſt mihi, quo eum tempora natiuitatis ſuæ nõ anguſtant. Ego antè quam naſcerer non eram, pòſt quàm verò mortuus fuero, deſinam eſſe. Ille antè quàm naſceretur de virgine Maria, genitus erat ante omnia ſecula à Deo patre, ſi verò mortuus fuerit carne, immortalis manebit diuinitate: & ideo maioris dignitatis eſt quã ego. Quare? *Quia prior me erat*, id eſt, antè omnia ſecula genitus à patre ſecundũ quod Ioannes euangeliſta dicit de eo. In principio erat verbum: Atq; ſubiungit: Et Deus erat verbum. *Et ego neſciebam eum.* Quare dicit & ego neſciebam eum, cùm teſtimonium perhibuiſſet de illo ad turbas? Venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti. Sed dupliciter poſſumus intelligere iſtum verſiculum; Et ego neſciebam eum, id eſt, neſciebam poteſtatem baptizandi ſibi retenturum. Verbi gratia: Baptizat Petrus, Baptizat Iudas, ſed dominus peccata mundat, ſicut eſt modò in ſancta eccleſia. Sunt ſacerdotes boni qui deſignantur per Petrũ, ſunt & mali qui deſignantur per Iudam: illi tingunt corpora hominũ aquis, dominus tamen purgat peccata. Et ſicut illi mundantur ab omnibus peccatis, qui à bonis presbyteris baptizantur, ita illi qui à malis. Quia tam ſanctum eſt illud myſterium baptiſmatis, quod fit à Chriſto, vt nullo modo à prauis & immundis ſacerdotibus poſſit pollui, id eſt, violari. Vel aliter: *Et ego neſciebam eum*, id eſt, tam ſublimiter & tam excellenter non cognoſcebam eum, ſicut modò cognoſco. Multùm proficit Beatus Ioannes in hoc quod vidit ſuper dominũ baptizatum cælos apertos, & ſpiritum ſanctum ſuper eum deſcendentem in ſpecie colũbæ, & vocem patris delatam ad eum dicentis: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacuit. In tantum profecit vt ad comparationem illius ſcientiæ, quàm tunc cœpit habere de Chriſto: omnis illa cognitio quam antè habebat de illo, ignorantia illi videtur eſſe. Sed vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego baptizans in aqua. Ac ſi diceret beatus, Ioannes Nõ ad hoc veni baptizare, vt per baptiſmum meum auferantur peccata, ſed vt per prædicationem meam, & teſtimonium meum manifeſtaretur filius Dei de populo Iſraelitico quis eſſet vt crederent in eum, & ſaluarentur. *Propterea veni ego in aqua baptizans.* In aqua baptizabat Ioannes, ſed tamen peccata per veniam non relaxabat. Quare ergo baptizabat ſi peccatum non mundabat? Sed ideo baptizabat, vt præcurſionis ſuæ myſterium ſeruans, ſicut præueniebat dominum naſcendo & prædicando, ita præueniret baptizando, vt per illius baptiſmum quod non mundabat peccata, perueniretur ab apoſtolis ad verum baptiſmum Chriſti, quòd omnia peccata erat ablaturum, & originalia & actualia. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi ſpiritũ quaſi columbam deſcendentem de cælo, & manſit ſuper eum.* Non quòd non ſpiritusſanctus in electis manet, ſed quod dominus promiſit Sanctis apoſtolis, dicens: Rogabo patrem meum & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, manet vtique, ſed aliter manet in domino Ieſu Chriſto, aliter in electis. In electis manet ad hoc vt rectè credant, iuſtè viuant, dilectionem Dei & proximi habeant, toto niſu corporis ad patriam cæleſtem tendant. Tamen ad hoc non permanet, vt ſemper valeant futura dicere & miracula patrare; quia nullus hominum poteſt viuere in præſenti ſeculo ſine peccato. Peccata refugit ſpiritus ſanctus, iuxta quod ſapientia Salomonis teſtatur: Spiritus ſanctus diſciplinę effugiet fictum, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis. In domino verò Ieſu Chriſto æternaliter manſit & manet: quia nullam maculam omnino peccati inuenit in eo, iuxta quod Petrus apoſtolus dicit de eo. Qui peccatum nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *Ego neſciebam eum.* Repetitio ſermonis eſt, id eſt neſciebam eum tam ſublimiter & excellenter, ſicut modò ſcio. *Sed qui miſit me baptizare, ille dixit mihi: Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eũ, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi.* Quid vidit beatus Ioannes? Vidit cælos apertos

ſuper

Exod.12. Eſa.53. 1.Cor.5. Ioan.1. Apoc.9.

ſuper dominum, vidit ſpiritum ſanctũ ſuper eum deſcendentem in ſpecie columbæ, audiuit vocem patris dicẽtem. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit. *Et teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* Superiùs appellauit Beatus Ioannes dominum virum, dicens: Poſt me venit vir, & hic appellat eum filium Dei. Quare hoc? quia dominus Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt. Appellat eum virum vt demonſtraret eum verum hominem eſſe. Per hoc quod Deus eſt ante omnia ſecula genitus à Deo patre, appellauit eum filium Dei.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

Poſtero die videt Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait, Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Sæpe dominus venit ad præcurſorem. quare? Vel omnino quòd ſicut vnus ex multis & ipſe à Ioanne baptizaretur: & ne putent quidam quòd quaſi peccatis obnoxius æqualiter cum aliis baptizatus ſit, idcirco iterum venit, dans Ioanni occaſionem corrigendi hanc opinionem. ideo & Baptiſta dicit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Nam qui tam purus eſt, vt & aliorum peccata tollere & abolere valeat, manifeſtum quòd non acceperat æqualiter cum aliis cõfeſſionis baptiſma. Exquire autem diligenter hoc dictum, Ecce agnus Dei: quia ſermo eſt ad cupientes & quærentes videre illum agnũ qui ab Eſaia prædictus eſt. Ecce,
Eſa.16. inquit, qui quæris, ille agnus ecce adeſt. Probabile enim multos in prophetico libro Eſaiæ edoctos quęſiuiſſe quiſnam ille agnus eſſet. Igitur Ioannes demonſtrat eum. Non dixit autem, agnus: ſed dixit, ille agnus. Nam multi quidem agni, ſicut & multi Chriſti: ſed ille eſt verus agnus qui à Moſe figuratur, & ab Eſaia prædicitur. Porro agnus Dei dicitur Chriſtus, ſiue quòd Deus acceperit mortem Chriſti pro noſtra ſalute, ſiue quòd Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem: quemadmodum dicere ſolemus, ſacrificium hoc illius eſt: hoc eſt, ille ſacrificium hoc obtulit. Sic igitur & dominus dicitur agnus Dei, eo quòd Deus pater propter charitatem ſuam erga nos, illum dederit ad mortem. Non dixit autem, qui abſtulit peccatum: ſed, qui tollit in præſenti peccata noſtra. Quotidie enim tollit peccata noſtra, & aliorum quidem per baptiſmum, aliorum autem per pœnitentiam. Et agni quidem qui in veteri lege immolabantur, nullius peccatum omnino abolebant: hic autem totius mundi peccatum tollit è medio, & abolet. Quare autem non dixit, peccata, ſed peccatum. Fortaſſe quidem per hoc quòd dicit peccatum, in genere dixit, & de omnibus. Sicut enim dicere ſolemus, defecit homo, hoc eſt, omnis humanitas, à Deo: ita & hoc loco dicens peccatum, omnia pec-
Philip.2. cata ſignificauit. Fortaſſis autem, quia inobediens fuit homo Deo, & in varias affectiones incidit: peccatum mundi, inobedientia fuit, quam è medio abſtulit dominus, factus obediens vſque ad mortem, & contrarium contrario ſanans. *Hic eſt de quo ego dicebam, Poſt me venit vir, qui ante me fuit: quia prior me erat.* Superius quidem iis qui à phariſæis venerant, Iohannes dicebat, Medius veſtrum ſtat, quem neſcitis, qui ante me fuit. nunc digito oſtendit illum, & manifeſtat ignorantibus, Hic eſt ille de quo teſtificabat, inquit, phariſæis, quod ante me fuerit, hoc eſt dignior me & inſignior. Quare? Quia prior me erat. Audi Ari, non dixit, prior me conditus eſt, ſed erat. Audi & tu Pauli Samoſateni ſecta, quòd non à Maria eſſe cœperit dominus, ſed pręcurſore prior fuerit ſecũdum ſubſtãtiam ſuam, quam ante ſecula habuit, quoniam ſi, quemadmodum vos nugamini, dominus à Maria initiũ ſuę ſubſtãtię aſſumpſiſſet, quomodo prior fuiſſet præcurſore? Etenim præcurſor manifeſte ſex mẽſibus anteceſſit dominum iuxta natiuitatem in carne. Vir autem dicitur dominus, fortaſſis propter ætatem perfectam, quoniam triginta annorum erat quum baptizaretur. Fortaſſis autẽ quòd & omnis animæ vir ſit, eccleſiæ ſponſus. Adoptaui enim, 1.Cor.11.
inquit Paulus, vos vni viro vt virginem caſtam exhiberetis, Chriſto ſcilicet. Dicit igitur præcurſor, Ego quidem pronubus & internuncius, veniet autem poſt me vir. Nam ego quidem traho animas ad fidem in Chriſtum: Ipſe autem vir eſt qui illas ſibi adiunget. *Et ego neſciebam illum: ſed vt manifeſtetur Iſraeli propterea veni ego in aqua baptizans. Et teſtatus eſt Ioannes dicens, Vidi ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ de cælo, & manſit ſuper eum, & ego neſciueram eum: ſed hic qui miſit me vt baptizarem aqua, ille mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendere, & manere ſuper eum, hic eſt qui baptizat ſpiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtatus ſum Chriſtum eſſe filium Dei.* Quoniam cognatus domini erat præcurſor (dicit enim angelus virgini, Ecce cognata tua Elizabeth concepit) vt ne quis ſuſpicetur quod propter cognationem præcurſor gratificatus fuerit domino, & teſtimonium perhibuerit, eius gratia
ſubinde dicit, Et ego neſciueram illum. ita ſuſpi- Luca 1.
cionem tollens: ſed dicit, vt manifeſtetur Iſraeli, ideo veni baptizare: vt omnes, inquit, adducantur ad fidem in illum, & monſtretur populis. nam propterea ego baptizo, me enim baptizante concurrunt populi, & quum congregantur, manifeſtatur eis Chriſtus, qui à me prædicatur, & præſens præſentibus mõſtratur. Niſi enim propter baptiſmum confluerent, quomodo à Ioanne monſtraretur dominus? Non enim oſtiatim obambulabat, vt manu Chriſtum oſtenderet, & vnicuique monſtraret. igitur ea de cauſa dicit, veni baptizare aqua, vt populis propter baptiſma cõuenientibus à me manifeſtetur. Hoc autem loco diſcimus quòd miracula pueritiæ Chriſti conficta ſint, & mendacia, compoſita ab his qui deridere voluerunt myſterium. Nam ſi fuiſſent vera, quomodo ignotus fuiſſet dominus qui hæc faciebat? Neutiquam enim veriſimile fuerit non fuiſſe celebrem eum qui talia faciebat miracula. Verum nõ ita eſt. Non enim antequam baptizaretur, ſigna fecit, neque cognitus erat. Sed is qui miſit me vt baptizarem, ille mihi dixit, Super quem videris ſpiritum deſcendere, ille eſt qui baptizat ſpiritu ſancto. Ioannes (vt dixi) quò teſtimonium non ſuſpectum faceret de Chriſto, teſtimonium refert ad Deum & ad patrem. Nam ego quidem, inquit, neſciebam illum: pater autem reuelauit mihi hunc in Baptiſmate. Porro interrogauerit quiſpiã: ſi ignorauerit illum
Ioannes, quomodo Matthæus dicit quòd prohi- Matt.3.
buerit eum, dicens ego debeo à te baptizari? Dicendum igitur quòd ſic intelligi debeat, neſciueram ipſum, ante multum temporis, & ante baptiſmum neſciueram illum. Nam in baptiſmi tempore noui illum. Vel etiam aliter dicendum, quòd

nouerit quidem illum quòd eſſet Chriſtus: quòd autem ille eſſet qui baptizaret ſpiritu ſancto, tunc didicerit, quando vidit ſpiritum deſcendentem. Dico igitur, quod neſciuerit illum, hoc ſibi velit, quod neſciuerit illum eſſe qui baptizet ſpiritu ſancto, ſciebat tamen eum eſſe ſuper multos, & ideo ſecundum Matthæum, eum omnino maiorem cognoſcebat. Poſtquàm autem ſpiritus ſanctus deſcendit, manifeſtius agnouit, & aliis eum prædicauit. Spiritus autem omnibus apparuit qui aderant, & non ſoli Ioanni. Cur ergo, dicet quiſpiam, non crediderunt? Eo quod obtenebratum erat inſipiens cor illorum: quia & quum viderunt eum facientem miracula, non crediderunt. Quidam autem dicunt quòd non omnes viderint, ſed hi qui magis digni erant. Nam quamuis corporaliter deſcenderit ſpiritus, veriſimile tamen eſt non omnibus apparuiſſe, ſed dignis: quandoquidem & prophetæ multa in ſenſibili ſpecie viderunt, ſi-
Daniel 10. Ezech. 1. 9. 10. cut Daniel & Ezechiel, quę tamen nullus alius vidit. Et vidi, & teſtatus ſum quòd hic eſt filius Dei. Et vbi teſtatus eſt Ioannes quod hic eſt filius Dei? nuſquam enim ſciptum eſt: Nam agnum quidem dicit, filium autem Dei nuſquam. Vnde veriſimile eſt coniectare quòd & plura alia prætermiſſa ſint.
Ioan. 21. Non enim omnia conſcripta ſunt.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

P*Oſtero die vidit Ioannes Ieſum, &c.* In craſtino poſt deſcenſum eius à deſerto ſcilicet: adhuc enim circa Iordanem permanebat Ioannes. Quare autem venit ad ipſum? Quia ſuſpicabantur quidam veniſſe tanquam peccatorem ad baptiſmum in pœnitentiam more aliorum. Venit ergo nunc ad Ioannem, vt occaſionem illi daret corrigendi perfectiori teſtimonio huiuſmodi ſuſpitionem. *Et ait: Ecce agnus Dei.* Agnum ipſum appellauit, ad memoriam eis adducens vmbras veteris teſtamenti,
Exodo. 12. ac Iſaiæ prophetiam: tanquam diceret, Ecce agnus
Iſaia 16. in lege figuratus, & ab Iſaia annunciatus. Deinde addit etiam id quod præcipuũ eſt eius, puta quod à Deo miſſus ſit ad immolandum pro ſalute hominum. ¶Vel Dei, hoc eſt, diuinus, propter ſuam diuinitatem. *Qui tollit peccata mundi.* Agnus ſiquidem qui in lege ſacrificabatur, vnius Iſraelitici populi auferebat peccatum tanquam figura, ſignum & vmbra veritatis. Agnus autem Dei immolatus, totius mundi aufert peccatum, & tanquam veritas, eos qui in mundo ſunt purificat. Ille ſiquidem irrationalis erat, hic verò rationalis: nec ſolum hoc, verum etiam diuinus. Peccata autem non tantum animæ dicit maculas, à quibus liberi ſunt, qui eius ſeruant præcepta: verum etiam corporeas infirmitates, à quibus ægrotantes liberat. Dicens autem, Qui tollit peccata mundi, ſoluit prædictam ſuſpitionem. Nam qui aliorum aufert peccata, manifeſtum eſt, quod ipſe non habeat peccata: qui autem peccatis non eſt obnoxius, alia omnino cauſa venit ad baptiſmum, quam ipſe Baptiſta paulò poſt referet. Ruſum alibi dicit, Ante me *Sup. eodem.*
fuit: &, Prior me erat: ſeipſum intrepide tanquam ſeruum deiiciens, illum autem quaſi dominum incomparabiliter extollens. *Et ego neſciebam eum.* Ne putarent quod illum iam olim cognoſcens talia de eo ferret teſtimonia, gratiam illi præſtans tanquam cognato, ait: Ego ignorabam eum priuſquam ad Iordanem veniret, vtpote ſemper in deſerto verſatus. Atqui quum adhuc in matris eſſet vtero, cognouit eum, & præ gaudio exultauit, quemadmodum ſcripſit Lucas. Verum id non fuit *Luca 1.*
naturaliter, ſed ſupernaturaliter tunc eum cognouit, & quo modo nullus omnino hominum cognouit. Nunc autem triplici cognitione cognouit: puta per viſum, per auditum, perque propheticam notitiam, quarum nulla Chriſtum cognoſcebat, priuſquam ad Iordanem veniret, deinde autem triplici hoc modo cognouit eum. Siquidem prophetice ei reuelata ſunt quæ de ipſo erant: ideo & dixit: Qui poſt me venturus eſt, ante me fuit. Vidit quoque eum: illum namque prohibebat dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Audiuit præterea vocem de illo dicentem: Hic eſt *Matth. 3.*
filius meus dilectus in quò mihi complacitum eſt, ſicut alij euangeliſtæ docuerunt. *Sed vt manifeſtaretur Iſraeli, propter hoc veni ego in aqua baptizans.* Ecce dixit etiam cauſam, ob quam venit & ipſe vt baptizaret, & Chriſtus vt baptizaretur: Vna ſiquidem eadémque fuit & huius cauſa & illius: videlicet vt manifeſtaretur Chriſtus Iſraelitis. Nam à Deo miſſus fuerat Ioannes ad Iordanem, vt baptiſma pœnitentiæ prædicaret, quò propter baptiſma multi concurrerent, & adſtans Chriſtus in medio multorum vtpote baptizandus, teſtimonium acciperet, inferne quidem à Ioanne, ſuperne verò à patre & ſpiritu ſancto: atque hinc ipſos attrahẽs, myſteria docere, ac mirabilia operari inciperet: neque enim ita concurriſſent omnes, neque ita teſtimonium audiuiſſent, niſi hoc factum fuiſſet. *Et teſtimonium perhibuit Ioannes dicens, Vidi ſpiritum deſcendentem, &c.* Rurſum ait, Neſciebam eum, vt proprium teſtimonium ab omni ſuſpitione remoueret. Verum quando dixit ei Deus, Super quem videris ſpiritum deſcendentem &c. Quando quæ de Chriſto erant ipſi reuelauit, illo nondum manifeſtato: tunc ſiquidem & hæc, & alia dixit. Poſtea vero ipſum quoque demonſtrauit ad baptiſmum accedentem. Præſens itaque euangeliſta ea, vt dictum eſt prætermiſit, quæ circa domini baptiſma ab aliis euangeliſtis cõſcripta ſunt. Matthæus vero hæc cæteris latius enarrauit: lege ergo illa ad perfectiorem habendam cognitionem. *Et ego vidi.* Spiritum, videlicet deſcendentem, & manentem ſuper eum. *Et teſtimonium perhibui, quod hic ſit filius Dei.* Et vbi hoc perhibuit teſtimonium? neque enim vſquam ſcriptum eſt. Omnino ſane hoc teſtificatus eſt: relictum eſt autem ab euangeliſtis, quemadmodum & alia multa.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

IOAN. 2.

a Mater eſt figura ſynagogæ.

IN illo tempore nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilææ ; & erat [a] mater Ieſu ibi : vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum : Vinum non habent. Et

b Auguſt. Quid eſt commune deitati meæ, & tibi matri ſecundum carnem? c Eſt nomen ſexus. d Id eſt opportunitas oſtendendi naturam quam ex te habeo, ſed oſtenſa diuina per miracula, oſtendetur & humana natura per paſſionem.

dicit ei Ieſus: [b] Quid mihi & tibi eſt [c] mulier? Nondum venit [d] hora mea. Di-

Etſi videtur negare filius, ſcit mater pietatem eius: & ideo fiducialiter imperat miniſtris.

cit [e] mater eius miniſtris : Quodcunque dixerit vobis , facite. Erant autem ibi

f Vaſa aquaria, ab hydor.

lapideæ [f] hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum , capientes

g Metron Græce, Latine menſura dicitur.

ſingulæ [g] metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus : Implete hydrias aqua. Et

h Quia nullum tempus fuit ſalutari doctrina vacuum.

[h] impleuerunt eas vſque ad ſummum: Et dicit eis Ieſus : Haurite nunc, & ferte

i Princeps triclinij. Eſt enim intermedium ſpacium domus à parietibus vbi ſedebant conuiuantes.

Architriclino : & tulerunt. Vt autem guſtauit [i] Architriclinus aquam vinum

k Vt Paulus prius neſciuit ſpiritum in littera. l Vt Iſaias & cæteri.

factam , & [k] non ſciebat vnde eſſet : [l] miniſtri autem ſciebant qui hauſerant

m Carnalis à veris ad falſa deſcendit.

aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei: Omnis [m] homo primùm bo-

n Mundana prudentia prius docet homines blanda, deinde ſubdit inutilia & inhoneſta.

num vinum ponit: & cum [n] inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: Tu au-

o Quia & olim bonum, & ſi in figuris quaſi in aqua occultum, nunc vero in Euangelio manifeſtum.

tem ſeruaſti [o] bonum vinum vſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus

p Latentem deitatem.

in Chana Galilææ, & manifeſtauit [p] gloriam ſuam : & crediderunt in eum diſcipuli eius.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

ET *die t.* Auguſt. Poſt oſtẽſionem Chriſti per teſtimonia Ioannis, ipſe ſe miraculo oſtendit. Et *die.* Significat tertia die, id eſt, tempore gratiæ, poſt tempus quod eſt, ante legem & ſub lege Chriſtum ad nuptias eccleſiæ per carnem veniſſe. *Vocatus eſt.* In quo oſtendit non deſpiciendas nuptias quas fecit, & ſacramentum nuptiarum inſinuat. *Deficiente*, Vinum deficit, vt mirabiliter vino de aqua facto, virtus latentis deitatis appareat. Aug. Maior virtus eſt in creatione, & gubernatione cæli, & terræ, & quod quotidie aqua pluuiæ per vites in vinum vertitur, & quod ex paruo ſeminario fruges creantur. Sed quia hæc naturaliter fiunt, iam ex vſu viluerunt, & ideo quædam & ſi minora præter ſolitum naturæ ſibi Deus ſeruauit, per quę virtus quæ in maioribus etiam operatur, ad memoriam reducitur. *Quid m.* Aug. In his non negat matrem, vt hæretici dicunt : nec inhonorat eam, qui parentes honorare præcepit. Sed illa exigente, miraculum facturus non agnoſcit eam. q. d. Ea eo quod genuiſti, non operor hoc, agnoſcam autem te pendens in cruce, cum vt filius curam tui diſcipulo committam, ſed nondum venit hora mea, id eſt, opportunitas, quia non debet eſſe paſſio niſi prædicato euangelio, niſi virtute deitatis oſtenſa mundo: tunc erit hora, non neceſſitatis vt hæretici calumniantur, ſed voluntatis. vnde : Poteſtatem habeo ponendi animam meam & ite. ſu. eam. Non enim autor temporũ fato temporis regitur. *infra.x.d.* Chana Galilææ, id eſt, zelus tranſmigrationis : ibi nuptiæ, quia hi ſunt digni Chriſto, qui feruore deuotionis de vitiis ad virtutes, de terra ad cælos tranſmigrant. Mater ibi, cuius vterus thalamus fuit, de quo ſponſus proceſſit. Vocatus eſt autem Ieſus deſiderio præcedentium patrum, & diſcipuli & miniſtri. In nuptiis vinum defecit: quia ſenſus legis per carnalem expoſitionem Phariſæorum à ſua priſca virtute cœperat deficere: ſed Chriſtus aquã in vinum conuertit, dum quæ carnalia videbãtur, ſpiritualia oſtendit: & ſuperficiem literæ, plenam virtute cæleſti videri fecit. Chriſtus enim in prophetis nõdum manifeſtatus, quaſi vinum in aqua latuit: ſed cum aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcriptu

ſcripturas,ipſo vino inebriauit, & mentes à carne alienauit. Scripturæ ſunt lex & prophetæ & pſalmi: Hæ omnes ſecundum literam aqua inſipida, ſecundum ſpiritum vinum ſunt. Sex hydriæ, ſex ætates,quarũ nulli defuit prophetia. Incipit enim ab exordio mundi. Et eſt prima ætas ab Adam vſque ad Noe. Secunda vſque ad Abraham. Tertia vſque ad Dauid. Quarta vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta vſque ad Ioannẽ baptiſtã. Sexta vſque ad finem mundi. In his ergo ætatibus erant hydriæ, id eſt, corda hominum receptiua *ſupra.1.b.* ſcripturarum Dei parata, propoſita in exemplum viuendi & credendi. Lapidea,id eſt fortia in Chriſto lapide, ſecundum purificationem Iudæorum, id eſt,quia illi populo Iudæorum lex data eſt:gra- *Gen.4.b.* tia per Chriſtum omnibus facta eſt. Videamus quæ in ſingulis ætatibus quaſi hydriis aqua fuerit, quomodo in vinum mutatur. In prima Abel à fratre occiditur: & hic pœnam, ille laudem accipit. In hoc ſi quis innocentiã Abel ſequitur, & maliciam Cain fugit, aquam abluentem & reficientem bibit. Si verò in eodem Chriſtum à Iudæis occiſum *Ibi.7.b.* intelligit, de aqua vinum bibit. Sic in aliis omnibus huius ætatis. In ſecunda, Noe in arca propter iuſticiam ſaluatur, mundus diluuio perit. Si quis hoc exemplo à vitiis ſe corrigit, aquam ſalutarem bibit. Sed ſi in arca eccleſiam, quæ cuncta animalia, id eſt, omnes gẽtes recipit, in aqua baptiſmum intelligit, & cętera huiuſmodi: vinum bibit. In tertia Abraham obediens pro filio offert arietem. qui *Ibi.22.c.* hic diſcit obedientiam, bibit de tertia hydria aquã. Si quis in Iſaac deitatem, in ariete Chriſti carnem *2.Re.5.a.* intelligit, vinum bibit. In quarta, Dauid humilis regnat, Saul ſuperbus abiicitur. In hoc ſi quis di- *Ibid.5.* ſcit humiliari, aquam bibit, ſi regnum Chriſti intelligit, vinum bibit. In quinta populus captiuatur, pòſt reducitur. hinc ſi quis diſcit pœnitentia corrigi, aquam bibit. Si quis de captiuitate peccati populum Dei per Ieſum liberari intelligit, vinum *Luc.2.c.* bibit. In ſexta Chriſtus circunciditur, offertur. In ſexta Chriſtus circunciditur, & offertur. In quo ſi quis diſcit ſuis ſacramẽtis ſubiici, ſicut Chriſtus, ille aquã bibit. Si in vera octaua depoſitionem totius mortalitatis & initiationem ad Deum intelligit, vinum bibit. *Binas vel.* Aug. Aeſtimantis eſt hoc dicere, vt ipſas diceret binas quas & ternas. Sunt ergo duæ menſuræ in ſcripturis, dum pater & filius nominatur: & ſpiritus, qui neceſſario eſt com- *Pſ.103.e.* munis patri & filio intelligitur. vt, Omnia in ſa- *Io.10.f.* pientia feciſti domine, id eſt, in filio. &: Ego & pa- *Pſal.32.* ter vnum ſumus. Ternæ, dum nominato ſpiritu *Mat.28.d.* trinitas manifeſtius intelligitur, vt: Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius &c. Et, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Aliter. Binæ vel ternæ menſuræ ſunt omnes gentes ad quas pertinent ſcripturæ. Binæ propter præputium & circunciſionem. Ipſæ etiam trinæ, à tribus filiis Noe diſſeminatæ. *Et im.* Quòd iuſſu eius impletæ ſunt hydrię, ſignificat, quod etiam illa ſcriptura à domino eſt: ſed dum in ea ſub velamine, id eſt, ad opertione literæ latet Chriſtus, ſapit aquam inſipidam. Cum autem aufertur velamen, eſt vinum inebrians. Potuit quidem vacuas implere vino, qui cũcta creat ex nihilo: ſed maluit de aqua vinum facere, vt doceret ſe non ſoluere le- *Mat.5.b.* gem, ſed implere nec in euangelio alia facere vel docere quam quæ prophetia prędixit. *Vt au.g.* Triclinium, id eſt, tres ordines diſcumbentium, altitudine diſtantes inter ſe, id eſt, doctores, continentes, coniugati. Architriclinus aliquis legiſperitus, qui bibit ſpiritualem ſenſum legis. Vnde ſpiritualem ſenſum in ſcripturis aperire diſcipulis, eſt aquam in vinum conuertere, vt quando poſt reſurrectionem aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. *Aquam vi.fa.* Per aquam baptiſmus Ioãnis, per vinum paſſio Chriſti: vnde & vinum prius *Luc.14.b.* fertur Architriclino, id eſt, Ioanni, qui ante bibit paſſionem quam Chriſtus. *Hoc fecit.* Hiero. In initio ſignorum quæ mortalis mortalibus erat daturus, aquam vertit in vinum, ſicut iam immortalis diſcipulis aperuit ſenſum, vt in lege & prophetis intelligerent Chriſtum: Ita carnales mentes prius ſapore ſapientiæ imbuit, poſtea reſuſcitatos maiori gloria completurus.

CATENA AVREA
in idem Euang.

CHryſoſt. Quoniam in Galilæa notus erat dominus, vocant eum ad nuptias. vnde ſequitur: *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cha. Gali.* Alcui. Galilæa eſt prouincia in qua eſt Chana viculus. Chryſoſt. Vocãt autem ad nuptias dominum non tãquam magnificum aliquem, ſed ſimpliciter tanquam notum & vnum multorum, vnde hoc euangeliſta declarãs, ait: *Et erat mater Ieſu ibi.* ſicut enim matrem vocauerant, ita & filium. vnde ſequitur: *Vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias,* & accedit. Neque enim ad dignitatẽ reſpiciebat ſuam, ſed ad beneficium noſtrum. Qui enim non dedignatus eſt formam ſerui accipere, neque dedignatus eſt ad nuptias venire ſeruorum. Auguſt. de ver. dom. Erubeſcat igitur homo eſſe ſuperbus, quoniam factus eſt humilis Deus. Ecce inter cætera filius virginis venit ad nuptias, qui cum apud patrem eſſet, inſtituit nuptias. Beda, Quòd etiam ad nuptias venire dignatus eſt, iuxta literam fidem rectè credentium confirmat. Porrò Tatiani, & Marcionis, cæterorúmque qui nuptiis detrahunt, perfidia quàm ſit damnabilis inſinuat. Si thoro immaculato & nuptiis debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquam dominus ad has venire voluiſſet. Nunc autem quia bona eſt caſtitas coniugalis, melior continentia vidualis optima perfectio virginalis: ad probandam omnium electionem graduum, diſcernẽdum tamen meritum ſingulorum ex intemerato Mariæ virginis vtero naſci dignatus eſt, à prophetico viduæ Annæ ore, mox natus benedicitur, à nuptiarum celebratoribus iam iuuenis inuitatus, hos præſentia ſuæ virtutis honorat. Quid autem mirum ſi in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Habet enim hîc ſponſam quam redemit ſanguine ſuo, & cui pignus dedit ſpiritum ſanctum, quam ſibi coniunxerat in vtero virginis. Verbum enim eſt ſponſa caro humana, & vtrunque vnus filius Dei, & idem filius hominis. Ille vterus virginis Mariæ thalamus eſt, vnde proceſſit tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Bed. Nec vacat à myſterio quòd die tertia nuptiæ factæ referuntur, primum quidem ſeculi tempus ante legem patriarcharum exemplo, ſecundum ſub lege prophetarum ſcriptis, tertium ſub gratia præconiis euangeliſtarum quaſi tertiæ diei luce mundo refulſit, in quo dominus in carne natus apparuit,

ſed

ſed ex hoc quòd in Chana Galilææ, id eſt, in zelo tranſmigrationis eædem nuptiæ factæ perhibentur, typicè denuntiat eos maximè gratia Chriſti dignos exiſtere, qui de zelo feruere piæ deuotionis, ac de vitiis ad virtutes, de terrenis ad æterna norunt tranſmigrare: diſcumbente autem ad nuptias domino, vinum defecit, vt vino meliore per ipſum facto manifeſtaretur gloria latentis in homine Dei: vnde ſequitur: *Et deficiente vin. di. ma. Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Chryſoſt. Dignum autem eſt quęrere, vnde venit in mentem matri magnum quid imaginari de filio? neque enim antè miraculum fecerat. Sequitur enim: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus*: ſed reuelari incipiebat & à Ioanne, & ab his quæ ad diſcipulos dixerat: ſed ante hæc omnia ipſa conceptio, & ea quæ poſt natiuitatem facta ſunt, maximam ei de puero impoſuerunt æſtimationem. vnde Lucas dicit: Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Cuius igitur gratia non ante ad miraculum eum incitauit? nam antea vt vnus multorum ita conſeruabatur, vnde non pręſumebat mater tale quid dicere: quia verò audiuit quòd Ioannes ei teſtificatus eſt, & quod diſcipulos iam haberet, de reliquo confidenter rogat. Alcui. Significat etiam in hoc loco ſynagogam, quæ Chriſtum prouocat ad faciendum miraculum: familiare enim eſt Iudęis miracula inquirere. Sequitur: *Et dicit Ieſus, quid mihi & tibi mulier?* Auguſt. Quidam derogantes euangelio, & dicentes quòd Ieſus nõ fuit natus de Maria virgine, hinc argumentum ſumere conantur erroris ſui vt dicant quomodo erat mater eius cui dixit, *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Sed quis hoc narrauit vt credamus quia hoc dominus dixit? Nempe Ioannes euangeliſta. At ipſe dixit, *& erat ibi mater Ieſu*: quare hoc niſi quia vtrunque verum eſt? Sed nunquid ideo venit ad nuptias, vt doceret matres contemni. Chryſ. Sed quòd valde venerabatur matrem, audi Lucam enarrantem, qualiter ſubditus parentibus erat. Nam vbi quidem parentes nihil impediunt eorum, quę ſunt ſecundum Deum, debitum eſt ſubiici eis. Quando autem non tempore debito aliquid quærunt, & abſcindunt nos à ſpiritualibus, non ex hoc fallaris. Auguſt. de ſymbo. Vt ergo diſtingueret inter Deum & hominem, quia ſecundum hominem minor, & ſubditus erat, ſecundum autem Deum ſupra omnes erat, dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Chryſ. Sed & propter aliam cauſam, vt non ſuſpecta eſſent miracula quæ fiebant, ab his enim qui indigebant rogari oportuerat non à matre, voluit oſtendere quoniam omnia dicenti tẽpore operatur, non ſimul omnia faciens, quia confuſio quædam eſſet, & ideo ſequitur, *Nondum venit hora mea*, id eſt, nõdum cognitus ſum his qui aſſunt, ſed neque ſciunt quoniam defecit vinum, ſine eos primum hoc ſentire. Qui enim neceſſitatem non præſenſit, neque beneficij grandem ſuſcipiet ſenſum. Auguſt. Vel ideo quia dominus noſter ſecundum quòd Deus erat, matrem non habebat: ſecundum quòd homo erat, habebat matrem. Miraculum autem quod facturus erat, ſecundum diuinitatem facturus non ſecundum infirmitatem humanam. Miraculum tamen exigebat mater. At ille non tanquam agnoſcens viſcera humana, operaturus facta diuina dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* tãquam dicat, Quod in me facit miraculum, non tu genuiſti deitatem meam. Dicitur autem *Mulier*, ſecundum fœmineum ſexum, non ſecundum corruptionem integritatis, ſed quia genuiſti infirmitatem meam, tũc te cognoſcam cum ipſa infirmitas pẽdebit in cruce, vnde ſubdit: *Nõdum venit hora mea*, quaſi diceret, ibi te agnoſcam cum pendere in cruce infirmitas cœperit, cuius & mater es. Commendauit enim matrẽ diſcipulo, priuſquã mater moriturus, & ante mortẽ matris reſurrecturus. Videte autem ne forte quomodo inuenerunt Manichæi occaſionem perfidiæ ſuæ, quia dixit dominus. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* ſic inueniant Mathematici occaſionem fallaciæ, quia dixit. *Nondum venit hora mea.* Dicunt enim vides quia ſub fato erat Chriſtus: quia dixit: *Nondum venit hora mea.* Credant autem Deo dicenti, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam: & quærant quare ſit dictum, Nondum venit hora mea. Nec ideo iam ſub fato ponant conditorem cæli: quia ſi eſſet fatum de ſideribus, non poterat eſſe ſub neceſſitate ſiderum, conditor ſiderum: quod non ſolum Chriſtus non habuit quod appellas fatum, ſed nec tu aut ille aut quiſquam hominum: quare ergo dixit, *Non dũ venit hora mea?* quia in poteſtate habebat quãdo moreretur, ſed nondum videbat eſſe opportunum vt illa poteſtate vteretur, vocandi diſcipuli, annuntiandum erat regnum cælorum, faciendæ erant virtutes, commendanda erat humilitas domini ipſa compaſſione mortalitatis. At vbi tantum fecit quantum ſufficere iudicauit, venit hora, non neceſſitatis, ſed voluntatis: non conditionis, ſed poteſtatis. *Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite &c.* Chryſoſt. Quamuis dixerit, *Nondum venit hora mea*, poſtmodum fecit quod mater dixerat, vt etiam ex hoc ſufficiens eſſet demonſtratio quòd non ſubiectus eſt horæ. Si enim horæ ſubiiciebatur, qualiter debita hora nondum facta hoc fecit? deinde & propter honorem matris, vt non finaliter ei contradicere videretur, neque eam tot præſentibus erubeſcere faceret. Adduxerat enim ad eum miniſtros, vt à pluribus fieret petitio. vnde ſequitur: *Dicit ma. eius miniſtris, quæcunque di. vo. facite.* Beda quaſi dicat. Licet abnegare videatur, tamen faciet: nouerat enim mater eum pium & miſericordem. Sequitur: *Erant autem ibi lapideæ Hydriæ, &c.* Hydriæ vocantur vaſa aquarum receptui parata: Gręcè enim aqua hydor dicitur. Alcui. Vaſa autem aquarum receptui parata erant ſecundum purificationem Iudæorum: quia inter alias Phariſæorum traditiones etiam hoc obſeruabant, vt crebrò ſe lauarent. Chryſoſt. Quia verò inaquoſa eſt Palæſtina, & non erat multis in locis fontes & puteos inuenire, replebant hydrias aqua vt non currerent ad flumina, ſi quando immundi fierent, ſed de prope haberent purgationis modum. Ne autem quidam infidelium ſuſpicarentur quoniam fæce intus remanente, deinde aqua immiſſa vinum ſubtiliſſimum factum eſſet, propterea ait ſecundum purificationẽ Iudæorum, oſtendens quòd illa vaſa nunquam vini receptacula facta erant. Auguſt. Metretas enim dicit menſuras quaſdam, tanquam ſi dicerent vrnas, amphoras, vel aliud huiuſmodi. Metron enim menſuram dicunt Græci, inde appellatæ metretæ. Beda, Quòd autem ait, *Binas vel ternas*, non ita accipiendum eſt quòd aliæ binas, aliæ ternas, ſed eædem ipſæ caperent binas, quæ etiam ternas. Sequitur: *Dixit eis Ieſus, Implete hydrias aqua: & impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Chryſoſt. Sed quare antequam impleuiſſent

iuſſent hydrias aqua, non fecit ſignum, quod multò mirabilius eſſet, quia ſcilicet aliud eſt ſubſtantiam in aliam qualitaté tranſmutare, & ipſam ſubſtantiā ex nihilo facere, quod quidé mirabilius eſt, ſed nó ita videtur credibile multis. Propterea enim multoties à miraculorum magnitudine abſtinet, volés magis credibile eſſe quod fiebat, cum hoc & peruerſa dogmata euertit. quia enim ſunt quidam qui mundi conditorem alium eſſe dicunt, plura miraculoſum ex ſubiectis ſubſtantiis facit. ſi enim contrarius ei eſſet qui conditor eſt mundi, non vtique alienis vteretur ad propriæ virtutis demonſtrationem: non autem ipſe aquam hauſit & tunc vinum oſtendit, ſed hoc iubet miniſtris, vt eos teſtes haberet eius quod fiebat: vnde ſequitur: *Et dixit eis Ieſus, Haurite nunc & ferte Architriclino.* Alcui. Triclinium, ordo trium lectorú: cline enim lectum ſignificat. Architriclinus princeps triclinij, id eſt, primus inter conuiuas qui more antiquo in lectis diſcumbebát. vnde quidam Architriclinum intelligunt aliquem ex ſacerdotibus Iudæorum, qui nuptiis intereſſe poterant vt illos inſtrueret, qualiter nuptiis vti deberent. Chryſo. Vel aliter: Quia aliqui poſſent dicere quòd conuiuæ ebrij erant: & ſenſus iudicantium corruptus vt neſcirent vtrum aqua vel vinum eſſet: hi autem quibus miniſtratio conuiuarum credita eſt, maximè vigiles ſunt, vnum opus habentes, vt ornatè & ordinatè omnia diſponant: ideo in teſtimonium eorum quæ fiebant dixit dominus, *Ferte Architriclino*, propter euigilantem eius ſenſum: & non dixit, Propinate diſcumbentibus. Hila. 3. de tri. Aqua igitur hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur: infundentis ſcientiæ, ſenſus non conuenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquam exiſtimant: qui hauriunt vinum infuſum arbitrabantur. Vnde ſequitur: *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet: miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus.* Non autem aquæ ſimplicitas defecit, & vini ſapor natus eſt: nó per transfuſioné potioris, retinetur quod infirmius eſt: ſed abolettur quod erat, & quod non erat cœpit. Chryſo. Paulatim autem dominus volebat cognoſci ſuorum ſignorum virtutem, & ideo neque ipſe reuelabat quod factum eſt, neque miniſtros Architriclinus vocauit. Non eſſet eis creditum puro homine exiſtimato tale teſtimonium reddentibus, ſed vocat ſponſum, qui maximè poterat conſpicere quod fiebat. Non ſimpliciter autem Chriſtus vinum, ſed vinum optimum fecit, vnde ſequitur: *Et dicit ei, Omnis homo primum bonum vinum ponit, &c.* Talia enim ſunt Chriſti miracula, vt multò his quæ per naturam fiunt, ſpecioſiora & vtiliora fiant: igitur aqua vinum facta miniſtros teſtes habuit, boni verò vini facti Architriclinum & ſponſum: probabile autem eſt & ſponſum aliquid reſpondiſſe, ſed euangeliſta hoc prætermiſit, tangens ſolum id quod neceſſarium eſt ſcire, ſcilicet quoniam vinum aquam fecit. vnde ſtatim ſubdit: *Hoc fecit initium ſignorum ſuorum Ieſus in Cana Galilææ.* Tunc enim ſigna maximè neceſſarium erat facere, quando diſcipuli iam congregati erant & deuoti, & attendentes his, quæ fiebant manifeſtè aderant. Si verò dixerit quis non eſſe argumentum ſufficiens, vt hoc ſit principium ſignorum quia additur, *In Cana Galilææ*, quaſi contingat alibi prius eſſe facta, Dicemus quod & antè diximus, quia Ioannes dicit: Vt manifeſtetur Iſraeli, propterea veni baptizans. Si verò ſecundum primam ætatem miracula fecit, nequaquam indigebant Iſraelitæ alio manifeſtante eum. Qui enim breui tempore ita per miraculorum multitudinem claruit, vt eius nomen manifeſtum fieret omnibus, multò magis ſi puer exiſtens à prima ætate miracula feciſſet. Nam & ea quæ fierent inopinabiliora exiſtimarétur ab infante facta, & tempus amplius eſſet. Decenter autem non incepit ſigna facere ex prima ætate, exiſtimaſſent enim phantaſiam eſſe incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidiſſent liuore liquefacti. Auguſti. Hoc autem miraculum domini quid de aqua vinum fecit, non eſt mirum eis, qui nouerunt, quia Deus fecit. Ipſe enim fecit vinum illo die in hydriis, qui omni anno hoc facit in vitibus: ſed hoc aſſiduitate amiſit admirationem. Itaque ſeruauit ſibi Deus inuiſitata quædam, quæ faceret, vt tanquam dormientes homines ad ſe colendum mirabiliter excitaret, propter quod ſequitur: *Et manifeſtauit gloriam ſuam.* Quia ipſe eſt rex gloriæ, qui ſicut dominus elementa mutabat. Chryſ. Et quátum ex parte ſua. Si verò & tunc multi non cognouerunt, ſed tamen omnes poſtea erant miraculum audituri. ſequitur: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Hi enim debebant credere, & facilius & cum diligentia attendere his quæ fiebant. Aug. de con. euan. Sed ſi tunc in eum crediderunt, nondum erant diſcipuli cum ad nuptias vocati ſunt, ſed illo more locutionis hoc dictum eſt quo loquimur, cum dicimus apo. Paulum in Tharſo Ciliciæ natú neque enim tunc iam erat apoſtolus: ita diſcipulos Chriſti inuitatos ad nuptias cum audimus: nó iam diſcipulos ſed qui futuri erant diſcipuli intelligere debemus. Augu. Illa autem myſteria, quæ in iſto miraculo domini latent, videte: oportebat impleri in Chriſto quæ de illo ſcripta erant, illa erat aqua: fecit autem de aqua vinum, cùm aperuit eis ſenſum, & expoſuit ſcripturas: ſic enim ſapit quod non ſapiebat, & inebriat quod non inebriabat. Beda. Apparente enim domino in carne, vinoſa legalis ſenſus ſuauitas paulatim cœperat ob carnalem phariſæorum interpretationem à priſca ſua virtute deficere. Augu. Si autem iuſſiſſet aquam effundi, & ipſe mitteret vinum ex occultis creaturæ ſinibus, videretur ſcripturas veteres improbaſſe. Cum autem ipſam aquam conuertit in vinum, oſtendit nobis quòd & ſcriptura vetus ab ipſo eſt, nam iuſſu ipſius impletæ ſunt hydriæ: ſed nihil ſapit illa ſcriptura, ſi nó ibi Chriſtus intelligatur. nouimus autem legem ex quibus temporibus narret, id eſt, ab exordio múdi. Inde vſque ad hoc tempus quod nunc agimus, ſexta ætas eſt: nam prima ætas computabatur ab Adam vſque ad Noe, ſecunda à Noe vſque ab Abraham, tertia ad Abraham vſque ad Dauid, quarta à Dauid vſque ad tráſmigrationem Babylonis, quinta vſque ad Ioannem Bapti. ſexta inde vſque ad finem ſeculi. Sex ergo illæ hydriæ, ſex ætates ſignificabant, quibus non defuit prophetia. Impletæ ſunt prophetiæ, plenæ ſunt hydriæ. Quid eſt autem quod capiebant metretas binas vel trinas? Si trinas tantum diceret, non curreret animus noſter niſi ad myſterium trinitatis. Sed fortè nec ſic debemus inde ſenſum auertere, quia dixit binas vel trinas, quia nominato patre & filio conſequenter & ſpiritus ſanctus intelligédus eſt. Oportet enim intelligi charitaté inuicem patris & filij quod eſt ſpiritus ſanctus. Sed eſt &

alius

alius intellectus non prætermittendus: binę enim metretæ intelliguntur in duobus generibus hominum, id eſt, Iudæis & Græcis. Tres autem propter Noe tres filios ſignificatos. Alcui. Miniſtri autem ſunt doctores noui teſtamenti, qui ſcripturas aliis ſacras ſpiritualiter interpretantur. Architriclinus autem aliquis eſt legiſperitus, vt Nicodemus, Gamaliel, Saulus. Dum ergo talibus euangelij verbum committitur, quod in litera legis occultabatur, quaſi vinum de aqua factum Architriclino propinatur. Et bene in domo nuptiarum tres ordines diſcumbentium deſcribuntur, quia eccleſia tribus ordinibus fidelium conſtat, coniugatorum, continentium, & doctorum. Optimum autem vinum Chriſtus vſque adhuc ſeruauit, id eſt euangelium vſque ad ſextam ætatem diſtulit.

S. GAVDENTII EPIſcopi Brixien. in præcedens Euang. Tract. 1.

Et Tract. 8. in to. 7. Bibl. S S. Patrum. POſt illius finem tractatus quem dilectioni veſtræ intulimus vſque ad heſternum diem de Exodi libro, vbi lex celebrandæ Paſchæ deſcribitur: Nunc aliquid de Euãgelij lectione, quæ paulò antè decurſa eſt, adiuuante domino diſſeramus, vt eundem Deũ tam Veteris eſſe inſtrumenti auctorem, quàm Noui, rebus ipſis teſtantibus, comprobemus. Audiuimus enim, quod Saluator humani generis Ieſus ierat inuitatus ad nuptias, ibique aquam in vini ſaporem, naturámque conuertit. *Io. 2. Geneſ. 2.* Habet planè & ipſa hiſtoria ordinẽ veritatis. Nam & nuptias idem, qui ab initio inſtituerat, benedixit: & creaturam, quam fecerat: in id, quod voluit, ſua poteſtate conuertit. Ac de virtute quidem Dei omnipotentis nulla in facto dubietas poterit animæ fideli ſubrepere: tamen illum ad feſtiuitatem nuptiarum, id eſt, in domo epulationis quiſpiam noſtrum non ſine ratione mirabitur. Enimuero, *Luc. 11.* chariſſimi, pene omnis Euangeliorum textus dominum Chriſtum inter homines conuerſantem, deſperatis rebus opem cõtuliſſe inſinuat, & quam *Matt. 11. Luc. 9. & 7.* maximè mœroribus adfuiſſe, dum blaſphemantes Iudæos increpat: dum ſcribas, & Phariſęos fallaciæ, doli, auaritiæ reos, vanitatiſq; coarguit: dum ciuitatibus exprobrat incredulis, ac minatur: dum ſpiritus torquet immundos, vt imagini ſuæ captiuatæ ſubueniant, & expulſis Dæmonijs, ſalubritati reſtituat mentes obſeſſas: dum leproſos ſupplicantes emundat: dum paralyticos linguæ ſolius, qua precatentur, vincentes officio, reformat potius quam curat: dum tempeſtate maris pericli- *Io. 9.* tantibus ipſe ſuper aquas ambulans, ſecurus tranquillator aduentat: dum vel cæcatis oculis donum *Luc. 7.* lucis amiſſæ redintegrat, vel à natiuitate cæcis nouum lumen infundit: dum inter mœſtas ægro- *Io. 11.* tantium turbas medendi peritus adſiſtit: dum luctus varios obſecrantium parentum dimouet, vel morientes eorum charos ſanitati reſtituens, vel *Matth. 9.* mortuos vitæ. Ad has enim Filius Dei, ſine initio Deus, in fine ſæculi initium carnis ſumpſit ex Virgine, & inter homines conuerſari dignatus eſt, vt huic mundo ſuccurreret pereunti: quoniam, vt ipſe ait, non erat opus ſanis medico, ſed male habentibus. Medicus enim mœſtitudinis domum potius, quam lætitiæ ingredi conſueuit. Aut enim vulnerum dolore afflictis neceſſarius eſt, aut ægritudinis morbo laborantibus, aut longa viſcerum tabe deſertis. Quia medici officium proſperitas non requirit. Quid eſt ergo, quod iſta Euangelij lectio, quæ hodie recitata eſt, feſtiuitati nuptiali interfuiſſe Dominum perhibet inuitatum? niſi quòd ibi vinum, id eſt virtus defecerat lætitiæ ſpiritualis, & languebant ſitientium cõuiuarum ora vini lætificantis inopia: quoniam vinum lætificat cor hominis, vt ait Propheta. *Pſal. 103.* Sed, priuſquam Spiritualium ſcientiam reuelemus, rationem facti hiſtorialiter exponamus. *Geneſ. 2.* Ideò nuptiarum celebritatem non aſpernatur Chriſtus, vt eundem ſe eſſe teſtetur Deum, qui de limo terræ figurauerit ab initio virum, & fœminam, iiſdemque licentiam tribuerit coniugalem, dicens; Creſcite & multiplicamini, & implete terram. Quod Manichæis perditis adeò diſplicet conſtitutum: quibus ego ob immunditiam ſuam puto non vtique rem nuptialem diſplicere, ſed legem, quæ non multas fœminas vni viro, neque vnam fœminam multis viris, ſed etiam vnam fœminam vni viro, cõiungit. Nolunt enim viuere ipſi execrabiles Manichæi iuxta Apoſtoli Pauli doctrinam, vt vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum. Benedixit ergo, quod conſtituerat à primordio, legitimum Chriſtus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus. Et tamẽ Virginitatem docuit eſſe meliorem, dum magis per eam naſci dignatur. Probauit ſanctam Virginem ſuum eſſe domicilium Deus, vbi lumen pudoris perpetuum ſeruet ingreſſus, dum ſine detrimento integritatis maternæ naſcitur, ſine corruptela conceptus. Ideóque vas electionis Apoſtolus, ad iſtud bonũ, quod conſecutus fuerat, cæteros inuitabat, dicens innuptis: Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut ego. Exemplo fœlicitatis hortatur, non legis poteſtate compellit. De virginibus, inquiens, præceptum domini non habeo: Conſilium autem do, quaſi miſericordiam conſecutus à domino, vt ſim fidelis: quia expedit homini ſic eſſe. Et poſt longam monitionem, qua caſtimoniæ beatitudinem conditioni prætulit nuptiarum, ſententia poſtrema concluſit: Igitur & qui dat virginem ſuam nuptui, bene facit: & qui non dat, melius facit. Quod ego arbitror non parentibus virginum fuiſſe à beato Apoſtolo dictum, quos conſtat alienæ voluntatis arbitrio dominari non poſſe: ſed vnicuique homini, tam viro quàm fœminæ optionem fuiſſe ab eodem ſancto propoſitam, vt virginem ſuam, hoc eſt, carnem ſuam virginem natam, aut integritati conſeruet, meliorem partem liberamque eligens: aut, agnita conditione, nuptui eam, ſi ſe non continet, tradat. Parentes autem, vel cõſanguinei quique Virginũ, tam puerorum quam etiam puellarum, nolo ſibi de ſupra dicta libertate arbitrij blandiantur, quod alienis mentibus eos dominari nõ poſſe tractauimus. Imperare quidem perpetuam continentiam non poſſunt, quia res eſſe noſcitur voluntatis: Voluntatem tamẽ in melius nutrire poſſunt, & debitores ſunt vt moneãt, vt hortentur, vt faueant vt pignora ſua Deo magis geſtiant obligare, quam ſæculo: vt de propinquis ſeminis ſui, vel in Cleri ordine dignos altari *Clericorũ & ſanctimonialium ſtatus commẽdatur.* diuino miniſtros exhibeant, vel in ſanctarum numero fœminarũ puellas caſtimoniæ dicatas enutriant: vt Eccleſiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudinem debitam cõſequantur. Scriptum eſt enim; Beatus, qui habet ſemen in Sion, &

domeſticos in Hieruſalem. Ineſt autem præclaro huic eloquio Prophetali & ſublimior intellectus, ſuo in loco plena diſputatione pandendus. Sed, quia in hunc tractatum ſalubriter ſumus pertracti, ſtudio caſtitatis, dum rationem pandimus, cuius intuitu perrexit Saluator ad nuptias: breuiter interim Neophytis noſtris, ſalutare cõſilium ſuggeramus, ſpiritualem ſcientiam lectionis huius figuraliter explanandã, dictis ſubſequẽtibus oſtenſuri. Regeneratos vos eſſe per Baptiſmum, & renatos, nuncupatione ipſa, qua infantes vocamini, poteſtis aduertere. Si qui igitur veſtrum coniugio alligati, ſeruare virgines ſuas, magis quàm nuptui dare deſiderant, ſic habeant coniuges, quaſi non habentes, & erit illis retributio magna apud Deũ dominum noſtrum, quod talem ſuam carnem ſeruauerint, qualis baptiſmi ſacramento renata eſt. Hæc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam. Nam & ſi coniugio ſeruieris legitimo poſt lauacrum, non peccaſti: Caue ſolum, vt aliter non delinquas, item vt à fornicationibus fugias, iam fidelis eff ctus. Hoc autem cuſtodire ita demum poteritis: ſi ebrietatem deuitetis, & conuiuia inhoneſta, vbi turpium fœminarum colubrini geſtus concupiſcentiam mouent illicitam: vbi lyra ſonat, & tibia, vbi omnia poſtremò genera muſicorum, inter cymbala ſaltantium concrepant. Infœlices illæ domus ſunt, quæ nihil diſcrepant à Theatris. Auferantur quæſo vniuerſa iſta de medio. Sit domus Chriſtiani, ac baptizati hominis immunis à choro Diaboli, ſit planè humana, ſit hoſpitalis, orationibus ſanctificetur aſſiduis, Pſalmis, hymnis, canticiſque ſpiritualibus frequẽtetur: ſit ſermo Dei, & ſignũ Chriſti in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in lauacris, in cubilibus, & in ingreſſu, in egreſſu, in lætitia, in mœrore, vt iuxta beatiſſimi Pauli doctrinam ſiue mãducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid facitis, omnia in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vos vocauit ad gratiam, faciatis. Ipſe enim & præteritis peccatis indulgentiam tribuit, & emendatæ vitæ præmia pollicetur. Sed, his pro communi ædificatione moraliter expoſitis, iam venio ad promiſſas allegorias ipſius Euangelicæ lectionis. Et licet ad explanationem myſteriorum Chriſti, idoneum me eſſe non arbitrer, qui nec dum merear beatiſſimi Pauli authoritatem præſumere dicẽtis, Quoniam loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes: deſidero tamen ex ea diuini Euãgelij lectione cæleſtem vobis, atque arcanam, prout dominus largiri dignabitur, intelligentiam reuelare. Paulò antè enim, dum propoſiti ſermonis principium diſſerui, cauſam pandens, propter quam Saluator ierit inuitatus ad nuptias: trãſcendi ad prædicabilem Virginitatis conſeruandæ tractatum, ibique aliquantulum videor immoratus. Nunc autem replicabo ipſam narrationem beati Euangeliſtæ, vt intellectum ſpiritualem opportunius requiramus in verbis. *Et die tertia*, inquit, *Nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & ibi erat Mater Ieſu. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius, ad nuptias, & vinum non habebant.* Quomodo? conſumptum erat vinum nuptiarum. Verùm rei geſtæ hiſtoriam, vt oportuit cognoſcentes, iam quis iſte ſit dies tertius, in quo factæ nuptiæ memorantur, ſpiritualiter exponimus. Dies lucis eſt, fratres chariſſimi: & ideò præceptis domini, qui verũ lumen eſt, æquiſ-

Crucis ſignum immo.

2. Cor. 2.

ſimè comparatur, teſtante Propheta; præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Et alibi iterum; Quomodo lux, inquit, mandata tua ſuper terram. Vnde bene Saluator dominus admonebat, in luce eſſe ambulãdum, dicens; Quòd ſi quis ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi huius videt. Verè enim ſi quis ambulauerit in luce præceptorum Dei, offendere nequaquam poteſt. Dies itaque fuit in mandato primus, ab Adam vſque ad Moyſen: ſecũdus dies fuit ſub lege Moyſi: tertius dies, eſt ſub gratia Saluatoris. In quo hodie ſponſus ipſe cæleſtis, amator animarum credẽtium dominus Ieſus ſpõſam ſibi ex Gentibus coniunxit Eccleſiam, cui annulum ſignaculi ſui, & inaures fidei tribueret precioſas. Nam fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei, videlicet filium: quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ, cuius ſponſus idem Dei Filius, Deus Verbum. Aurea quoque donaret dextralia, probabilium quippe operũm, dextrorumque factorum, nec non etiam cætera ſingillatim, precioſa monilia largiretur, quæ ſpiritualium ſunt ornamenta virtutũ. Et vt agnoſceres tertia hac die ſpirituales iſtas à Chriſto nuptias in plebe Gentium celebrari, non in Iudæa fiunt, ſed in Cana Galilææ, quod præter teſtimonium ſancti Eſaiæ, qui Galilæam gentium memorauit, ex interpretatione ipſorum nominum clarius oſtendetur, Cana enim poſſeſſio dicitur: & Galilæa vel volubilis, vel rota nuncupatur, ex Hebræo interpretata ſermone. Cõſtat autem, vel populum Gẽtium errore idololatriæ, vbi fuerat olim deuolutus, nunc ad Chriſtianæ veritatis cultum celeritate rotæ cuiuſdam præparare currentis, vnde etiam figuraliter cecinit Propheta Dauid, locutus ad Deum; vox tonitrui tui in rota. Intonuit enim è cælo Deus, & altiſſimus dedit vocem ſuam dicens; Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene placui, hunc audite. Cuius tonitrui vox hæret in cordibus plebis huius, quæ ex Gentili ſuperſtitione ad fidem domini Ieſu, tanquam rota currens velociter, properauit. Quam ob cauſam etiã beatos Apoſtolos dignè arbitramur à Chriſto filios tonitrui nuncupatos, boanerges. Nam legimus alio in loco Euangelij, quoſdam ex gentibus deſiderantes appropinquare Chriſto, aditum quæſiſſe per Apoſtolum Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ ciuitate: vt opinor, familiaritate confiſos: domine, inquiunt, volumus Ieſum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas, & Philippus vadunt, & dicunt ad Ieſum, &c. His cohærentia, quæ ſuo in loco, vt meminit dilectio veſtra, minutatim diſſerui. Vbi confeſtim dominus legatos gentium gratulanter amplectens, & in paucis credentibus fidem præuidens innumerabilium populorum, dixit Apoſtolis; Venit hora vt glorificetur filius hominis. Et poſt pauca, vocem conuertens ad Patrem, inquit; Pater, glorifica nomen tuũ, ſtatimque vox de cælo veniens ait; Et glorificaui, & iterum glorificabo. Quam vocem Dei Patris circumſtantium Iudæorum turba audiens, de excelſis cælorum ſedibus reſultantem, tonitruum putat, qui verba non aſſequitur, populus enim, ſecundum Prophetiam Sancti Eſaiæ, aure audiens, & non audiens ſonum tantummodo diuinæ vocis audierat, ſine intellectu ſermonum. Ideóque dominus in Euangelio ad omnes, & in Apoc. poſt doctrinam cæleſtem clamat; Qui habet aures audiendi,

Io. 11.

Pſal. 76.

Matth. 17. Mar. 3. Io. 12.

Io. 12.

Pſal. 6. Luc. 8. Apoc. 23.

diendi, audiat. Nouerat quippe, vniuerſis ineſſe aures: ſed non omnibus audiendi, neque enim comprobitur audiſſe, qui cordis hebetudine obtuſus, quid audiuit, ignorat. Apoſtoli autem, & per Apoſtolos ad fidem Chriſti currentes, qui audiendi habebant aures, meruerunt intelligere diuina eloquia, pro magnitudine ſui, ſicut in Apo- *Apoc. 4. 6. 8. 10.* calypſi legimus, tonitruis comparata: quandoquidem digni habiti ſunt, ad ſalutarem notitiam veritatis paterno teſtimonio cœlitus erudiri. Cana autem parua ciuitas eſt in Galilæa gentium, in cuius Galilææ partibus ſita eſt, & ciuitas Caphar- *Matth. 4.* naum, vbi beatus Euangeliſta Matthæus Chriſtum teſtatur habitaſſe, dicens; Cum audiſſet & Ieſus, quia Ioannes traditus eſt, ſeceſſit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, alterius ſcilicet Galilææ, venit (inquit) & habitauit Capharnaum, maritimum oppidum, in finibus Zabnlon & Nephtalim, vt adimpleretur, quod per Eſaiam Prophetam dictum erat. Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilææ Gentium: populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam: & qui ſedebant in regione & vmbra mortis, lux orta eſt illis. Ioannes quoque Euangeliſta beatiſſimus memorat, quod Dominus Ieſus reliquerit terram Iudæam, *Ioan. 4.* & abierit iterum in Galilæam. Oportebat autem tranſire (inquit) illum per Samariam, vbi eum cauſa mulieris Samaritanæ aliquantiſper in ipſo tranſitu remoratum deſcribens, conſequenter adiecit: Poſt biduum autem exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, inquit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet. Cum autem veniſſet in Galilæam (inquit) ſuſceperūt eum Galilæi, viſis omnibus ſignis quæ fecit Hieroſolymis, in die feſto: & ipſi enim venerant in diem feſtum. Venit ergo, inquit, iterum in Cana Galileę, vbi fecit de aqua vinum. Erat autem quidam regulus, cuius filius infirmabatur in Capharnaum. Hic cum audiſſet, quia Ieſus aduenit à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat vt deſcenderet, & ſanaret filium eius incipientem mori. Quem ſtatim virtute ſermonis ſui, tanquam medicus cæleſtis, dum ſanaſſet abſentem, taliter ſanctus Euangeliſta concluſit. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam. Ergo, vt ad interpretationē nominum, rationemque figuralem redeam: in Cana Galilææ, id eſt, in poſſeſſione gētium ſpirituales ſub Chriſti præſentia nuptiæ celebrantur, propheta ex eius perſona loquente ad Eccleſiam, in Canticis Canticorum: Veni à libano ſponſa, veni à libano, id eſt, à thurificatione illa Gentili. Nam libanum thus interpretamur, ex Græco quod Magi illi ex Gentilitate venientes, Chriſto potius offerendum eſſe crediderunt. Libanus denique & mōs eſſe arduus apud Phœnices cernitur, ſuperbo imperio gentium comparatus, vnde vel maximè ſponſa hæc euocatur Eccleſia, audiens vocem Chriſti dicen- *Cant. 4.* tis: Veni à libano ſponſa, veni à libano: venies & tranſibis ab initio fidei, capite Sanir & Hermon, à cubili leonum, à montibus Leopardorum: ſcilicet vt horrentes idololatriæ ſyluas deſerens, & ſtabula immanium ferarum: Dæmonum quippe cubilia derelinquens, ad omnipotentis Dei cultum properet, eiuſque complectatur fidem, qui eam diuini amoris gratia ſponſam vocare dignatur. Sed di- *1. Tim. 2.* cat aliquis: ſi Deus, iuxta Apoſtoli doctrinam, omnes homines vult ſaluos fieri, & ad notitiam veritatis venire: cur apud gentes potiſſimum in conſummatione ſæculi iſtæ ſalutares nuptię celebrantur, & ſuperioris æui plebes diuino non ſunt copulatæ coniugio? Oſtendam tibi dilectiſſime, & ipſum Adam protoplaſtum, diuinæ familiaritati fuiſſe coniunctum, perceptis ab ipſo ſponſo inſignis diuinæ inſignibus, ſapientiæ & intellectus vitæque ornamentis. Sed poſtquam lenocinante diabolo fides eſt adulterata mandati, immortalitas pariter cum libertate diuini amoris ablata eſt; fuit tamen vſque ad diluuium, & vſque ad ipſam legem iuſtorum quorundam rediuiua amor erga Deum, & Dei erga paucos ſanctos reformata coniunctio. Verùm, quia præter raros quoſque vt prædixi, ſanctos fornicabatur omnis terra à domino, & veſana libidine innumeros ſibi idolorum Deos, generatio humana coniunxerat, elegit continuò Deus ſtirpē iuſti ſeminis Abrahæ. & legitimas cōiunctionis tabulas digito ſuo præſcriptas, intra ſe & illam plebē Moyſi miniſtro fir- *Exod. 20.* mauit. Exinde illa plebs diuina præcepta concipiens, & ſecuta prole ſanctorum, cœpit Deo, cuius populum Deo meruerat eſſe chariſſima. Sed proceſſu temporis nimiū ſibi de Dei amore præſumens, per delicias ad luxuriam declinauit, & per luxuriam ad cōtemptum rebellationemque prorupit, itaque verberata eſt, & frequenter & variè, quod adulterus ſuccubuerit idolorum. Nam ſæpe gladio, ſæpe captiuitati eſt tradita: ſed, ſicut ſcriptum eſt, noluit recipere diſciplinam, propter quod ad eam Deus loquitur, per Prophetam: Non *Iſa. 4.* vocaberis vltra mollis, & delicata, ſed ſede (inquit) in terra & accipe molam, & mole. Et quid poſt hæc omnia? Apparebunt, ait, opprobria tua. Et iterum conqueritur de ea dominus apud Prophe- *Iſa. 57.* tam, vidiſti, inquit, quæ fecit mihi habitatio domus Iſrael? abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſubtus omne lignum nemoroſum, & fornicata es illic in idolis: & machinabatur (inquit) lignum *Iere. 2.* & lapidem. Et dixi, poſtquam hæc omnia fornica- *Zach. 6.* ta eſt, Reuertere ad me, & non eſt conuerſa, & dimiſi eam, & dedi ei libellum repudij. Fugiamus obſecro ab idolis, ne repudiati ſimiliter mereamur audire. Quem tamen acceperit Iudæa plebs *Matt. 23.* libellum repudij, audiamus. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te mittūtur, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas: & noluiſti, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, &c. Poſt paſſionem quoque domini, plenior libellus repudij ab Apoſtolis datur ſynagogæ Iu- *Act. 14.* dæorum, cum dicitur: vobis oportebat primum annunciari verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, ſicut mandatum eſt nobis. Deſerta igitur ac repudiata Iudæorum plebe, noſtra ex Gentibus ſumitur in coniugium plebs. Vocabo enim non plebem meam, plebem meam: *Oſee 2.* & non dilectā, dilectam: prædixerat dominus per Prophetam ſanè, quoniam primo die ſub mandato, & ſecundo ſub lege celebratæ, vt expoſui nuptiæ fuerant: Ideo ſanctus Euangeliſta non abſolutè ait, Die tertia nuptiæ fiebant, ſed coniunctione prępoſita loquitur: Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilęæ, & erat mater Ieſu ibi. Vbi? vtique apud Gentes. Nam Beatam Mariam conſtat de gente Moabitarum ex matre traxiſſe originem.

Booz enim genuit Obed, ex Ruth, vtique illa muliere Moabitide. Obed autem genuit Ieſſe, Ieſſe genuit Dauid Regem, de cuius ſemine naſcitur Ioſeph, cui deſponſata virgo Maria, eiuſdem quippe tribus (quia aliter non licebat) genuit Ieſum, qui dicitur Chriſtus. Ibi ergo erat mater Ieſu: vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias. Magnũ myſterium pietatis. Ipſe qui ſponſus eſt, inuitatur: inuitatur autẽ vocibus Prophetarũ, *Pſal. 145.* ita precantiũ: domine inclina cælos tuos, & deſcẽde. *Pſal. 79.* Et iterum: Excita potentiam tuam & veni, vt ſaluos facias nos. Et his multę ſunt orationes conſimiles, ſuppliciter inuitantium Prophetarum. Inuitantur etiam ſancti vnà cum Chriſto diſcipuli, velut amici fideles eiuſdem ſponſi cæleſtis, cum dicitur per prophetam: Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. *Pſal 18.* Nam Spiritu ſancto repleti, linguis erant variarum *Act. 1.* Gentium locuturi. Vnde ſpiritus Prophetalis, ea quæ indubitáter futura erant, quaſi iam facta pronuncians, addidit: In omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Pſal 18.* Et vt oſtenderet clarius qui eſſent iſti, cuius eſſent *Io. 2.* præcones, adiecit: In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Deinde ſequitur euangeliſtæ narratio: Et vinum non habebant, quia conſumptum erat vinum nuptiarum. Quod vinum ſancti Spiritus non haberent Gentes, euidenter expreſſit. Quod autem dicit: Quia conſumptum erat vinum nuptiarum, id eſt, defecerat vinum nuptiarum, non abſolutè, &c. Non abſolutè dixit: vt tu credas his forſitan defeciſſe quibus adhuc datum non fuerat. Nec enim dixit, defecerat eis vinum nuptiarum, ſed defeciſſe tãtummodo ait vinũ nuptiarum, tanquam ſi diceret nuptiale. Quapropter defeciſſe intelligitur vinum, non iſtarum, ſed præcedentium nuptiarum. Defecerat enim nuptiale vinum Spiritus ſancti, ceſſantibus Prophetis, qui miniſtrauerãt in populo Iudæorum. Omnes enim Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt. Nec erat quiſquam qui ſpirituali vino Gentes potare ſufficeret ſitiẽtes: ſed expectabatur dominus Ieſus, qui nouo vino vtres per Baptiſmum nouos impleret. Nam vetera, inquit, tranſierunt: *Matt. 12.* ecce facta ſunt omnia noua, ſic tamen facta ſunt omnia noua, vt origo maneret ex veteri: cum non *Matt. 9.* ex nihilo vinum, ſed ex antiquo aquæ gignitur elemento. Nec legem literæ exiſtimes eſſe tem*Marc. 2.*nendam, vnde ſpiritus ſanctus, Ieſu operante, per *Luc. 5.* fideles miniſtros hauritur, & idcirco in diluuio antiquo homines perierunt, & nunc in Baptiſmo renaſcuntur: quia litera occidit, Spiritus autem vi*2. Cor. 5.*uificat. Sola quippe interficit litera: Spiritu ſancto temperata regenerat. Periſſe autem conſtat in illo *3. Cor. 3.* diluuio omnes ipſius temporis homines, præter eos qui intra arcam, quæ typum gerebat Eccleſię, reperiri meruerint. Nam ſimiliter etiã nunc omnino ſalui eſſe non poterunt, qui ab Apoſtolica fide, & ab Eccleſia catholica fuerint alieni. Elabo*Geneſ. 7.*ret ergo omni ſtudio vnuſquiſque noſtrum per*Extra eccleſiã nullus ſaluabitur.*manere in domo domini, exercens opera perceptæ gratiæ congrua. Oportet enim in nouum renatos hominem, à peccatis priſtinis iam cauere, Seruate quæſo vtres nouos; Neophytæ, ne vitam veterem repetentes vinum nouum, diſrupti perdatis, rumpit enim vinum nouum vtres veteres, & vinum effundetur, & vtres peribunt. Cuſtodite igitur regenerati homines integram nouitatem & cæleſte vinum in veſtris vtribus conſeruate, & vos ipſos fideles cuſtodite, & conſeruate per Saluatorem generis humani Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, regnantem cum Patre, & cum Spiritu ſancto, ante omnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula.

EIVSDEM IN IDEM
Tractatus 2.

EXplanauimus heſterno die charitati veſtræ ex lectione Euãgelica, quæ Saluatorem noſtrum *Habetur ibidem Tract. 9.* perhibet, de aqua vinũ feciſſe in nuptus, primum iuxta hiſtoriam geſti, quam ob cauſam ire dignatus ſit. Deinde ſecundum ſpiritalem cæleſtis myſterij intellectũ, quis eſſet primus dies, qui ſecundus, quis tertius, quæ nuptiarum ratio, qui ſponſus ille eſſet, quæve illa ſponſa, quis locus, vbi fiebant iſtæ nuptiæ, & quid non primæ illæ nuptiæ factæ ſint, & quamobrem ibi fuiſſe dicta ſit Mater domini Ieſu, deinde cur ipſe ſponſus inuitetur ad nuptias, vel à quibus, quomodo etiam Diſcipuli pariter inuitentur, deinde quid eſſet illud vinum, quod non habebant, & quæ fuerit vini nuptialis defectio, & quemadmodum repudiata, ob idololatriæ adulterium, plebs Iudaica, Eccleſia Gẽtium diuino fuerit amori coniuncta, vnde cauendum nobis eſt, omni genere chariſſimi, ne aliquo rurſus idololatriæ contagio violemur, & non ſolum repudiari, ſed & damnari in perpetuũ mereamur. Quoniam ſi quis Templum Dei violauerit, diſperdat illum Deus. Templum enim Dei ſanctum *1. Cor. 12.* eſt, ait Apoſtolus, quod eſtis vos. Cauete attentius ne ſicut ſerpens decepit Euam aſtutia ſua, corrũpantur ſenſus veſtri à caſtitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſicut admonet idem beatiſſimus Paulus, & repellamur ab eo, qui nos dilexit & dedit pignus ſancti Spiritus in cordibus noſtris. Teneamus ergo gratiam Spiritus ſancti largo munere ſponſi cæleſtis infuſam, ne ad inopiam priſtinam reuertamur. De qua inopia, tunc in ænigmate ait Mater domini ad eum: *Vinum non habent.* Sed iam quid Dominus ei reſponderit attonitis mentibus audiamus, ait illi Ieſus. *Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Iuxta intellectus ſimplicis rationem probare ſufficiemur: Beatam Mariam virginem ſexus cauſa mulierem nuncupatam, ſicut in Geneſi de Eua ſcribitur, & iniecit dominus ſoporẽ in Adam & obdormiuit, & ſumpſit vnam de coſtis eius, & suppleuit carnem in loco eius & ædificauit dominus Deus coſtam, quam ſumpſit ab Adam, in mulierem, & vtique virginem figurauit illam, & adduxit eam ad Adam, & dixit Adam: Hoc nunc os, de oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago quia de viro ſuo ſumpta eſt: Sed dicat fortaſſe aliquis, paruæ fidei ac parum prudens: Virginem quidem Mariam non *Luc. 1.* ex viro concepiſſe Chriſtum, ſed Spiritu ſancto vt in Euangelio ad eam loquitur Archangelus Gabriel. Non tamen Chriſto virginem dici vltra poſſe, quam conſtet, pepeiſſe parium & ideo non dixiſſe Chriſtum: Quid mihi & tibi eſt virgo: ſed, *quid mihi & tibi eſt mulier?* Audi ergo diuinam rationem ſpei communis ac vitæ, Naſcitur Chriſtus non ſibi, ſed nobis. Naſcitur enim qui ſemper erat, naſcitur qui in principio erat & filius Dei, & Verbum

bum Dei & Deus. Hic ideo prope finem ſæculi ex Virgine natus eſt, vt Verbum caro factum habitaret in nobis, permanens tamen Deus eſſe, quod ſemper. Naſcitur autem filius Dei in homine, vt vel ita conditorem ſuum intueri caperet Mundus, & naſcitur de Spiritu ſancto ex Virgine, vt hominem, quem de limo terræ plaſmauerat ſancto ſpiritu, ex maſſa eadem reformaret. Si credimus conceptum Virginis, credere debemus & partum, vtrunque impoſſibile videtur homini: ſed eſt omnipotentiæ diuinæ parum. Quod enim Deo magnum, vt omittam ſublimiora eius opera, qui ex nihilo fecit terram, & de terræ limo carnem, & de carne viri fœminã, ita vt neque pars reliquæ terræ aliud eſſet quam fuerat, neque Adam minus haberet, quod Deus abſtulerat, neque fœmina hoc eſſet tantum, quod ex viro ſumptum fuerat, integer Adam oſſa ſua & carnem recognoſcit in fœmina, dicens: Hoc nunc os de oſſibus meis & caro de carne mea: & tu non vis, vt eum, qui hæc operatur, vt integra virgo filium recognoſcat, qui ſine corruptela Matris conceptus creditur, tur non etiam ſine corruptela editus præſumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem naſcendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturã. Cuius facti fidem ſi quis adhuc terrena cogitatione depreſſus, ſenſuq́; carneo præpeditus tardiore gradu ſequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur, diſcat ex Euangelio Ioannis, eundem Deum poſt reſurrectionem ſuam, bis ad Apoſtolos vbi erant in domo congregati, propter metum Iudæorum, clauſis vtique ianuis introiſſe, & certo iure ingreſſum. Ne autẽ non in carne vera eſſe: ſed in phantaſmate putarent, manus ſuas, cæteráque mem-

Io.21. bra Thomæ Apoſt. attrectanda ingerit dubitanti,

Luc.24. ſimiliter & in Euangelio beati Lucæ, ſimul diſcipulis omnibus conteſtatur, ingreſſus, palpate me, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. O miranda fides, reſeratæ non ſunt ianuæ, & ipſe intrinſecus cum vero corpore, Apoſtolicis non ſolum videtur oculis, ſed & manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cuius rationem nõ niſi ſola fides aſſequitur, omnipotentiam clamat auctoris, nec ideò negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis puſillitas mentis humanæ non cepetit. Eadem ergo Diuinitatis virtute per inuiolabilem fœminam Mundi huius intrauit hoſpitium, clauſtrum Virginei pudoris, etiam naſcendo conſeruans, qui poſt reſurrectionem ianuis obſeratis domum potuit corporeus introire. Illud etiam quæſtioni huic ſoluendæ, quam maximè congruit, quod Apoſtolus Chriſtum memorat editũ de muliere, factum

Gal.4. ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret: vtique vt ſic illa, cum Virgo ſit, mulier appelletur, veritate ſexus, non detrimento integritatis, quomodo Deus Dei filius, ob diſpenſationem ſalutis noſtræ, ſub lege factus eſſe prædicetur, cum dator ipſe ſit legis. Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim, cum illam Chriſtus mulierem nuncupauerit, quæ diuino partu ſic cœpit eſſe Mater, vt Virgo ſacratior permaneret. Quod vero ait: *Quid mihi & tibi eſt, nondum venit hora mea*, non mihi videtur illa reſponſio ad iſtam ſuggeſtionem Mariæ ſenſibiliter conuenire, niſi in Myſterio locutus eſſe ſpiritualiter dominus dicatur, vt quoniam vinum Spiritus ſancti ante paſſionem Chriſti, ac reſurrectionem Gentibus dari non poterat, Euangeliſta teſtante, nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus: meritò tunc inter initia ſignorum matri reſponderit, *Quid mihi & tibi eſt mulier: nondum venit hora mea.* Tanquam ſi diceret: Quid tam præpropera es, ô mulier, ſuggerendo, cum hora paſſionis meæ nondum aduenerit, qua perfectis omnibus, vel doctrinæ vel operationum diuinarum virtutibus, pro vita credẽtium mori diſpoſui? Poſt paſſionem reſurrectionemque meam, cum ad Patrem redieto, tunc eis donabitur vinum Spiritus S. Quapropter & ipſa Beatiſſima, agnito reſponſionis huius profundo myſterio, intellexit non ſuggeſtionem ſuam præſentem aſpernanter acceptam, ſed ſecundum illam ſpiritalem rationem in myſterio tunc dilatam. Cæterum nunquam mandaret miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis facite*, niſi Spiritu ſancto poſt partum di- B.Mariæ excellentia.
uinum plena, non ſolum reſponſionis Chriſti, virtutem cognouiſſet: verum etiam futuri ab eo, tunc ex aquis vini vniuerſum ordinẽ præuidiſſet. Quid enim lateret ſapientiæ Matrem capacẽ Dei, ædem digniſſimam tantæ virtutis, veritate facti hiſtorialiter approbata? Figuras nunc ſpiritualiter propoſitas perſequamur, ſicut enim intellexiſti ſpõſum, & ſponſam, diem, & dies, nuptias & locum, indigentiam vini, & cuius vinitita etiam Matrem domini figuraliter, accipe ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum iuſtorumque omnium plebem: Vnde originem carnis noſtræ idem dominus traxiſſe in Euangelio perhibetur. Liber enim genera- Matth.1.
tionis Ieſu Chriſti ſcribitur, filij Abraham & ſequentium reliquorum. Hæc ergo mater domini generatio Patriarcharum & Prophetarum interceſſit pro nobis Gentibus apud æternum filium Dei, & ſecundum carnem natum, vt donaret nobis indigentibus, cæleſtis vini lætitiam. Sunt autem ſimilia illis dictis, quæ Apoſtoli ſuggerentes pro Chananea gentili quippe muliere, audierunt: Non Matth 5.
eſt bonum tollere panem filiorum, & dare canibus. Id eſt, Gentilibus: qui prius in ſuperſtitione poſiti canum more cõſueuerant immundum ſanguinem idolothitarum lambere victimarum, contra dominũ Deum, non agnitum ore rabido oblatrantes. Nam canes eramus nos quondam Gentea, & filij erant aliquando Iudæi, & idcirco nolebat dominus tollere panem filiorum, & dare canibus: ſed poſtquam panis ipſe cæleſtis in ſua Io.1.
venit, & ſui eum non receperunt, poſtquam cognoſcitur idẽ dominus noſter, ab Gentibus, quondam canibus, & blaſphemo ore contra eum latratur à filiis, poſtquam Pilato reſiſtenti, ne Chriſtũ; Io.19.
qui Rex eorum crederetur, crucifigendũ pronunciaret, pariter clamauerunt, nos non habemus Regem niſi Cæſarem. Sicut cantant de illis iterum per Prophetam Deus, Filios genui, & exaltaui, ipſi Iſa.1.
autem me ſpreuerunt, ſed conuertentur ad veſperum, quomodo Propheta ait, & famem patientur, Pſal.58.
vt canes: conuertentur quippe & ipſi Iudæi ſero tandem ad veſperum, ſcilicet mundi: Nam ſcriptum eſt, ſi fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reſidui ſaluabuntur, & Apoſtulus Paulus cæcitate percuſſum fatetur populum Iudæorum, donec introeat Gentium plenitudo: conuertentur autem in conſummatione ſæculi, & famem verbi Dei patientur, vt illi canes, qui cupiebant ſaturari de micis cadentibus de menſa dominorum ſuorũ. Adoptantur igitur Gentes prius canes in filios, & Matth 15.

filij canibus comparãtur. Belluę,quippe ſunt omnes increduli,non natura,ſed moribus. Et quoque homo in honore conſtitutus non intellexit,com- *Pſal. 48.* paratus eſt iumentis inſipiẽtibus & ſimilis factus eſt illis. Licet ergo Iudęi maiore eum ſcelere ſacrilegis olim Gentibus ſimilia perpetraſſent: Chriſtus tamen eos,quos non iam ſuo, ſed Patrum inſtorũ merito diligebat, quo ſcilicet iam indignos, adhuc tamen conuerteret, filios appellabat,paterna pietate miſericors, nolebat relinquere. Nolebat ſe panem cęleſtem,vitę principem, ab ipſis ciso ſubtrahere, & gentibus commodare, donec pertinax fides Gentilium illorum perfidiam confutaret, & donec ipſe in carne adueniens doceret eos, inſtrueret, verberaret curationum beneficiis: qui ingrati exiſterent, iuuaret diuinis virtutibus, qui flecti ad fidem negligerent, condemnaret. Et ita demum conſummata in paſſione ſua eorum nequitia, poſt reſurrectionem propriam migraret ad gentes, quibus ſe ipſum panem vitæ tribueret, & per aquam Baptiſmatis poculum Sancti ſpiritus propinaret. Iam verò quibus miniſtris dicat mater iſta domini Ieſu: *Quodcunque dixerit vobis,facite*, & quid imperatum,quidue factum ſit, videamus. Illuminante oculos carnis, ipſo domino Saluatore, qui lumen eſt æterni luminis coæternum, præter beatam Mariam proprie matrẽ cognouimus ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum plebem, originis Chriſti cauſam eſſe Matrẽ, quæ legatiuue apud eum functa ſit, pro noſtra inopia. Nunc aduertamus, quibus miniſtris loquatur: *Quodcunque dixerit vobis,facite*: Miniſtros autem nõ illos ſecundum rei geſtum,ſolos accipio, qui tunc in illo nuptiarum conuiuio miniſtrabant,ſed iuxta ſpiritalis rei commutationem primo miniſtros noui Teſtamenti intelligo eſſe Apoſtolos, deinde Apoſtolicos Sacerdotes,quibus & lex & omnis ſanctorum Prophetarum doctrina inſinuat,vt quidquid præceperit eis dominus Ieſus,obſequio prompto perficiant. Iam quid ab illo iubeatur miniſtris ſequẽs loquitur ſermo. Interim quid Euangeliſta interloquatur,auſculta. Erant inquit, ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulę metretas binas vel ternas. Nuptiæ iſtæ quamuis in Galilęa Gentium gererẽtur, & haberent figuram,quam diximus,tamen Iudęis tunc agebantur, & erant ibi verè hydrię ſex poſitę ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas. Nam Iudęi id moris habebant, vt priuſquam Synagogam ingrederentur, & de publico regreſſi domum,priuſquam prandérent,cutem corporis ſui aqua abluerent. Erat autem menſura aquę ad abluẽdum corpus ſufficiens vel duę metretę vel tres, id eſt amphorę duę vel tres, pro quantitate ſcilicet magnitudinis corporum. Non poſſum parcere tranſiens purificationi Iudęorum immundę, lauant polluta corpora,abluta ſtatim polluunt: ſemper lauant, ſemper impuri ſunt,&(vt dici ſolet) laterem lauãt. *Exod. 1.* Illum laterem,quem parauerunt in Aegypto Pharaoni,Diabolo exhibentes ſe ipſos arma iniquitatis peccato, ad conſtructionem hoſtilium ciuitatum. Terrei enim ſunt & igneo Spiritus ſancti calore nequaquam ſolidati. Quapropter vſquequo deliqueſcant in mortem, laterem ſuum non deſinunt lauare polluẽduni? Quinimo porcorum more de aqua in cœnum redeunt. Iſti ſunt porci,quos *Matth. 8.* iratus dominus legioni Dęmonum tradidit, vt præcipitarentur in lacum, morte necandi perpetua. Fugite immundicię exemplum Neophyti, ne pœnę participes exiſtatis. Vnum baptiſma nobis Apoſtoli iuxta diuinam ſententiam decreuerunt. Ait enim, qui biberit ex iſta aqua, non ſitiet in æternum. Abluti ſemel eſtis Baptiſmo ſalutari,nolite de fonte in cœnum regredi, ſeruate donatam munditiem: Non poteſt iterari, quod ſemel eſt amiſſum. Sed iam videamus, quæ ſint apud Gentes per Allegoriam ſex illę hydriæ lapideę,capientes ſingulæ metretas binas & ternas: In vnoquoque hominum ſex quędam ineſſe numerantur, viſus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, adtrectatio manuũ, inceſſus pedum. Hęc omnia enim eſſemus gentes, lapidea erant in nobis, & mortua, ſicut ſanctus Propheta Da- *Pſal. 113.* uid execrando teſtatur, Simulachra gentium argentum, & aurum, ſtudio tacuit cæteras viliores materias metallorum,vt in pretioſis multo magis damnaret & vilia. Simulacra ergo Gentium, vt quo ſenſu vituperata ſunt,edicamus,quando ſatis opulentos fabricatores habuerunt: Erant inquit, inſenſibilia metalla, argentũ & aurum,opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur: Oculos habent,& non videbunt,aures habent,& non audient, nares habent, & nõ odorabunt, manus habent,& nõ palpabunt,pedes habent & non ambulabũt,& quid? Similes illis fiunt,qui faciunt ea,& omnes,qui confidunt in eis: Ergo vnum conſideremus in idolis, erant in nobis iſti ſenſus ſex, iuxta ſententiam Prophetæ emortui, atque lapidei, ſine officio, ſine motu congruo, ſine officio competenti: ſed mox, vbi in Deum viuum à ſimulacris mortuis conuerſi credidimus, viuificati ſumus audientes ab ipſo, quia ego viuo: & vos viuetis. Et iterum. Ego ſum reſurrectio & vita, qui *Io. 11.* credit in me, & ſi mortuus fuerit,viuet,& omnis, qui viuit, id eſt quod iam credit, ſi vſque in finem crediderit, non morietur in æternum. Conuerſi igitur ad fidem, & viuificati per Baptiſmum oculos leuamus ad dominum, odorem notitiæ eius inſatiabili ſpiritu trahimus,tacitóque teſtamur affectu: Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata: lectiones diuinas aure percipimus: ore dominum confitemur, Laudamus, benedicimus,obſecramus,manus ſupplices ad cælum tendimus, pedibus ad Eccleſiam currimus, & vnam Trinitatis Deitatem flexis ad terram genibus adoramus. Vocatis ergo Ieſus miniſtris, Apoſtolis videlicet,& eorum ſucceſſoribus,qui ſunt per ſingulas Eccleſias Sacerdotes, dicit eis: *Implete hydrias* *Matt. 28.* *iſtas aqua*. Hoc eſt,baptizate omnes gentes,in nomine Patris,& filij, & ſpiritus ſancti,docentes eos ſeruare omnia,quæ ego mandaui vobis. Et plane, quia audierant idem miniſtri dicentem,venerabi- *Rom 1.* lem Mariam: *quodcunque dixerit vobis,facite*,impleuerunt eas vſq; ad ſummum, plenitudine quippe doctrinæ infuſum Baptiſma cumulantes: Bene autem dixit,vocatis miniſtris: Nam Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei eſt, ſimiliter & omnes Apoſtoli vocati ſunt: Venite *Mat 4.* poſt me,& faciam vos piſcatores hominum. Quos *Rom. 8.* enim prædeſtinauit,hos & vocauit, & quos vocauit,hos & iuſtificauit. Quos autem iuſtificauit, hos glorificauit. Vocatis igitur Ieſus miniſtris,inuuat opus celebrandi Baptiſmatis. Nec illud in poſtrema parte huius ſermonis prætereo, quod iſtæ hydriæ noſtræ capientes eſſe dicuntur ſingu-

læ metretas binas vel ternas. Super hoc aliqui noſtrorum dixerunt metretas duas: vel tres Patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, & quoſdam quidem ex Gentibus baptizandis Patris, & filij tantum ſcientiam poſſe capere, quoſdam verò capaciores, etiam ſpiritus ſancti. Sed ego arbitror, quod qui ſpiritum ſanctum non capit, neque Filium capiat, neque patrem: Neque enim baptizari quis poteſt, niſi in integram, atque inſeparabilem trinitatem. Quoniam nemo confitetur proprietate naturæ eſſe, vt oportet, dominum Ieſum Chriſtum, niſi in Spiritu ſancto. Et nemo
Io. 6. vadit ad Patrem, niſi per filium, vt ipſe teſtatur: Et nemo venit ad filium, niſi Pater eum pertraxerit. Igitur qui vnam Trinitatis adorandæ perſonam irrenuerit, denegabit integram Trinitatem: Ergo quæ tēdum non eſt plus, & minus in confeſſione fidei, quæ traditur per Chriſti miniſtros in Sacramēto Baptiſmatis. Videamus hydriæ noſtræ, quas metretas ſingulę capiant vel binas vel trinas. Sanctus Apoſtolus Paulus ſcribens ad Corinthios inter cætera ſpiritualium genera virtutū, quę aboleri profectu meritorum neceſſe ſit, aut mānſura in
1. Cor. 13. æternum, tria hæc perhibet. Spem, fidem & charitatem. Manent, inquit, ſpes, fides & charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas. Fides eſt, qua Trinitatem vnius ſubſtantię confitemur, Spes eſt, qua Reſurrectionem carnis & præmia pro meritis futura ſperamus, Charitas eſt, qua ita Chriſtum diligimus, vt pro eius nomine interfici, æquo animo patiamur. Sed quia omnes in fide Apoſtolica baptizati, credunt quidem in Trinitatem, & ſperant futura, non tamen omnes cum ſan-
Rom. 8. cto Apoſtolo ex affectu dicere poſſunt. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames? an nuditas? an periculum, an gladius? Idcirco quædam hydriæ noſtræ binas metretas capiunt, quædam vero etiam ternas. Largiatur autem dominus Ieſus diues in omnes & ſuper omnes, qui inuocant eum, vt ternas metretas perfecti in charitate eius etiam ſine aperto perſequutionis prælio capiamus, vt in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem præſentium pœnarum tolerantiam conſtantes poſſimus ex occulti certaminis triumpho illuſtrem coronam victricis conſcientiæ promereri. Ergo, poſtquam beatiſſimi Apoſtoli fidelium miniſtrorum ſancti officio, repleuerunt hydrias credētium populorum aqua venerandi Baptiſmatis, & dominus Ieſus inuiſibili virtute hanc aquam conuertit in vinum, ita vt baptizati ab illis confeſtim diuini ſaporem in ſe Spiritus operantis repentina
Act. 2. & 7. linguarum gratia teſtarētur, ex quibus prior Stephanus martyr, plenus gratia & veritate faciebat ſigna & prodigia magna in populo in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Tunc ait ipſe dominus Ieſus iiſdem miniſtris: *Haurite nūc & ferte Architriclino, & tulerunt. Vt autem guſtauit Architriclinus,* inquit, *ex aqua vinum factum, & neſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam. Vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei. Omnis homo primo vinum bonum ponit, & cum inebriati fuerint, id quod deterius eſt: tu ſeruaſti bonum vinum vſque modo.* Explanemus primum facti ipſius hiſtoriam & ita ad propoſitam rationem ſpiritualis intelligentiæ redeamus. Nuptię apud Iudæos cum fierent, vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſque curam gereret coniugalis, ſimul etiam cōuiuiorum apparatus miniſtros atque ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio Architriclinus, id eſt, triclinij præpoſitus dicebatur. Huic ergo guſtum vini ex aqua facti, iubentur conuiuiorum miniſtri portare: guſtat Architriclinus neſciens vnde eſſet, & vocato Sponſo, laudat ei ſaporem vini vſque in illud tempus reſeruati. His omnibus geſtis probatur, virtus Saluatoris in hoc etiam ſigno non phantaſma fuiſſe, ſed veritas: quādo præpoſitus conuiuij non modò vinum, ſed & bonum vinum teſtatur eſſe, quod ei guſtandum miniſtri domino iubente portauerunt. Iam nunc ad ſpirituales literas recurrentes, quis iſte ſit Architricli-
nus aduertamus. Architriclinum puto eſſe beatiſ- *Num. 12.*
ſimum Moyſen, virum de tribu Leui, fidelem Dei diſpenſatorem in tota domo eius, qui non ſolum in illis antiquis nuptiis illius plebis Iſrael, quæ repudiari poſtea meruit, præpoſitus fuit, ſed etiam in illis, quæ celebrantur in Gentibus: Quis enim noſtrum ſine Architriclino Moyſe dicere *Deut. 6.*
potuit, quoniā dominus Deus noſter, Deus vnus eſt, & nō Dij? & ne abſolutum putes eſſe, quod dicitur minus deitatis ab ipſo, ibi Trinitas prædicatur, ſiquidem dominū dicit Deum & dominum:
non enim ſimpliciter dixit: Audi Iſrael Deus tuus *Exod. 15.*
vnus eſt, ſed quid? Audi Iſrael, dominus Deus tuus, dominus vnus eſt, hoc eſt dixiſſe, vnus eſt in Trinitate Deus, vna eſt Diuinitas, ac dominatio Trinitatis, manente vera diſtinctione ſubſiſtētium
perſonarum. Sicut etiam duæ alæ Seraphim ima- *Iſa. 6.*
ginem gerentes, tam legis & Prophetarum, quàm veteris & noui Teſtamenti, hymnum referunt adorandæ Trinitati, iugiter clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth: dominus, non domini. Neque recipit pluralem numerum Patris & Filij & Spiritus ſancti vna eadémque diuinitas. Deinde, quis noſtrum, vt dixi, ſine
Architriclino Moyſe cognoſcere valuit, quod in *Geneſ. 1. 2. & 3.*
principio fecerit Deus cælum & terram & mare & omnia quæ ſunt in eis, & vnde humo figuratus ſit vir, vnde etiam fœmina, ex quibus vniuerſa generis humani propago multiplicata noſcatur? Deinde quæ fuerit prima indulti beatitudo Paradiſi, quod exordium culpæ hominis, Deum pro-
uocantis offenſa. Denique quænam generationes *Gen. 7.*
fuerint iuſtorum, quæue iniquorum, & cur vel quando diluuium, & cætera quæ in lege ſcripta ſunt Moyſi acciderunt, & vt breuiter dicam, cuius noſtrum anima diuino amori & ſponſo cæleſti Chriſto coniungi promeruit, ſine huius Architriclini apparatu? Ipſe enim Moyſes, qui prænunciauerat aduentum Chriſti populo Iſrael dicēs. Pro-
phetam ſuſcitabit dominus Deus noſter de fratri- *Deut. 18.*
bus veſtris ſicut me, illum audite per omnia, quæcunque locutus fuerit ad vos. Erit autem, omnis anima quęcunque non audierit Prophetam illum, diſperiet de plebe. At vbi vidit illos contra Chriſtum, quem prædicauerat, repugnare, contulit ſe
ad Gentes, & vna cum ſanctis Apoſtolis expro- *Act. 13.*
brat populo Iudæorum. Vobis oportebat primum annunciari verbum Dei: ſed quoniam reſpuiſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æterna vita: Ecce conuertimur ad Gentes, ſic enim mandauit nobis
dominus: poſui te in lucem Gentium, vt ſis ad ſa- *Iſa. 42.*
lutem vſque ad vltimum terræ. Ergo poſteaquam de aqua vinum fecit in nobis dominus Ieſus, vt oſtenderet, ſicut ait Apoſtolus, Diuitias gloriæ

ſuæ in vaſa miſericordiæ & baptizatos quoq; San- Rom.9. cti ſpiritus ſapore condiuit, aquã legalis literæ per corda credentium conuertens in ſapientiam ſpiritualem. Tunc ait miniſtris, haurite nunc, & ferte Architriclino. Hauriunt Apoſtoli de hydriis baptizatorum Gentilium Euangelici vigoris ſpiritualem ſaporem in fide, gratiã caloris in opere, vnum ſentitur, alterum cernitur, & portant ad Moyſen. Quis enim ſacerdotum miniſtrãtem Chriſto omnem noui Teſtamenti ſapientiam cum lege conferat Moyſi, quod ipſum dominum & mandaſſe audiat & facillè perſpiciat? Nam cum leproſum virtutis ſuæ attactu mundaſſet, illico eum tranſ- Math.8. miſit ad legem, dicens: Vade oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Guſtauit Architriclinus occultum Chriſti à ſæculis ſacramentum, quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Ephe.10. eius Apoſtolis & Prophetis in ſpiritu, eſſe Gentes cohæredes & concorporales & participes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu, per Euangelium, cuius factus ſum ego (inquit Paulus) miniſter. Participes igitur factæ ſunt Gentes per vnumquemque Apoſtolum Euãgelicum miniſtrum promiſſionis Dei in Chriſto: illius nempe promiſſionis, quam priores conſecuti ſunt ipſi Apoſtoli, qui poſtea cæteris miniſtrarent. Nam cum cõuerſaretur cum illis Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam per dies quadraginta, ſicut in principiis actuum Apoſto- Act.1. lorum Lucas Euangeliſta teſtatur, præcepit eis, ne ab Hieroſolymis diſcederent, ſed expectarent promiſſum Patris, quod à me audiſtis inquit. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos antẽ Spiritu ſancto baptizabimini nõ poſt multos hos dies. In Euangelij quoque ſui fine ita eundem Dominum loqui ad ipſos Apoſtolos memorat. Ecce ego, inquit, mitto promiſſionẽ Patris mei in vos. Luc.24. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadvſque induamini virtute ab alto, quanquam ergo neſciat Architriclinus Moyſes ex Baptiſmatis dono tantam gratiam fuiſſe collatam, quam non ignorabant Apoſtoli, qui fuerunt miniſtri ſermonis: Admirati autem ſaporem Spiritus ſancti hydriis gentilium, laudat ſponſi munificentiam, qui tale vinum ſeruauerit Gentibus, quod vinum anterioribus nuptiis Iudæi bibentes, nõ ad ſalubritatem ſuam biberunt, ſed inebriati ſunt, & pernicioſa grauedine ſauciati, imbecilliores quippe mentibus virtutem diuini ſpiritus non ferentes. Qui autem robuſtus Pſal.22. in fide eſt, repletus Spiritu ſancto non inebriatur. Ideo enim præclarum eſt poculum Dei inebrians, quoniam ſobrias efficit bibentium mentes diui- Ephe.5. ni potus ebrietas, vnde Apoſtolus ait: Nolite inebriari vino: ſed replemini Spiritu ſancto. Nam & Act.7. Stephanus ſancto Spiritu plenus, non ebrius, vidit cælos apertos & Ieſum ad dexteram Dei. Pro- Act.2. pterea & beatiſſimus Petrus ebrietatem deteſtatus eſt dicens: Non enim, ſicut vos putatis, inquit, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt Ioel.2. quod dictum eſt per Ioel Prophetã, & erit in nouiſſimis diebus dicit dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Io.2. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ*, id eſt, in poſſeſſione Gentium, *& manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius.* Nec hoc otioſum eſt, quod *Diſcipuli*, ait, non Apoſtoli. Nam vt multitudinem credentium declaret, diſcipulorum nomen poſuit, non Apoſtolorum. Sunt enim omnes, qui credunt, eius diſcipuli, ſed, vt ait beatus Paulus, nunquid omnes Apoſtoli? Studeamus nunc & precemur chariſſimi, vt poſt hoc initium Ephe.4. 1.Cor.12. ſignorum, quod fecit dominus Ieſus dando Spiritum ſanctum in cordibus noſtris, cætera quoque in nobis perficiat: ſigna virtutum, alij datur enim ſermo ſapientiæ, alij verbum ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alij fides in eodem Spiritu, alij ſanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutis, alij diſcretio Spirituum, alij Prophetia, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus diuidens vnicuique prout vult. Has igitur habentes 1.Cor.7. promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes ſanctificationem ſpiritus in timore Dei ſecundum ſpiritum. Idcirco ex propriæ authoritatis arbitrio diſtribuere munera, cæleſtium gratiarum prædicauit Apoſtolus dicens: Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult, & non, prout iubetur, ne quis inimica perſuaſione deceptus, ſuſpicari audeat in illa Trinitatis adorandæ ſubſtantia, aliquid eſſe ſubiectum, vel minus potens, vel ſibimet ipſi contrarium, cum ſit Patris & Filij & Spiritus ſancti vna in omnibus & voluntas pariter & poteſtas per omnia ſecula, Amen.

S. IO. CHYSOSTOM. EPI- *ſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil. 1.*

ET *die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias.* Ex Hom. 20 in Ioan. Vt iam dixi, erat Chriſtus, quàm alibi, in Galilæa notior, quare vocatus nuptiis affuit, in quibus non dignitati ſuæ, ſed noſtræ conſuluit vtilitati: quippe qui non dedignatus eſt formam ſerui accipere, longè minus ſeruorum nuptiis intereſſe. Qui cum publicanis, & peccatoribus verſabatur, multo minus nuptias recuſaſſet: nõ enim qui inuitauerant, rectè de eo ſentiebant, neque tanquam magnum quendam, ſed popularem, & vt notum: quod his verbis ſignificat Euangeliſta: *Et erat mater Ieſu ibi, & fratres eius*: ac ſi dicat, quemadmodum illam, & fratres, ita & Ieſum vocauerunt. *Et, deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum? Vinum non habẽt.* Dignum hoc in loco quæſitu eſt, vnde in mentem matri venerit, magnum aliquid de filio coniectari: nullum enim adhuc ſignum fecerat. Hoc enim fecit, inquit, initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ. Quod ſi quis diceret, non idoneum hoc argumentum, quod primum ſignum fuerit, quoniam additum ſit, in Cana Galilææ: ac ſi diceret, nõ omnium primum, ſed eorum, quæ illic fecerat. Ad hoc reſpondebimus, quod ſuperius inquit Ioannes; Ego neſciebam eum, ſed, vt manifeſtetur Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Nam, ſi antea miracula feciſſet, non indiguiſſet Iſrael, qui ipſum manifeſtaret. Vir enim factus, miraculorum multitudine, nõ Iudæis modo, ſed & Syris, & longinquiora incolentibus, cognitus eſt tribus annis duntaxat: imò ne tribus quidem, ſed quamprimùm nomen eius in omnes

diſſu

diffuſum. Qui igitur tam breui miraculis claruit, longe magis a prima infantia, ſi ea feciſſet: fuiſſet enim maiori admirationi, vtpote puer, quam vir, neque tandiu in obſcuro latuiſſet, ſed nihil a pueris operatus eſt. *Luca 2.f* Vnum autem duntaxat Lucas teſtatur, quod annorum duodecim ſediſſet in templo medius doctorum, & audiens, & interrogans, fuiſſétque ſummæ omnibus admirationi. Nec immeritò à teneris annis Ieſus à miraculis abſtinuit, arbitrati enim eſſent ſe præſtigia videre. Nam, ſi annorum acceſſu, & ætate maturo multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero credidiſſent? Præterea maturius eum propter inuidiã crucifixiſſent, & generatio eius non fuiſſet credita. Vnde igitur matri venit in mentem, aliquid magnum excogitare de *Ibidem.* filio? Manifeſtari iam cœperat & Ioannis teſtimonio, & ex iis, quæ diſcipulis prædicaerat, & ante omnia ipſa natiuitas, & quæ eo tempore euenerant, maximam de puero opinionem concitarant. Audiebat enim, inquit, omnia de puero. Et conſeruabat ea in corde ſuo. Sed quid antea nihil eiuſmodi dixit? Quoniam, vt dixi, iam manifeſtationis tempus aduentabat, antea enim eum tanquam ea medio vulgo aliquis conuerſatus eſſet, nihil adhuc tale mater auſa fuerat: verùm, cùm Ioannem ad perhibendum de eo teſtimonium veniſſe audiſſet, & diſcipulos iam videret, cœpit audere. *Et, deficiente vino, dicit; Vinum non habent.* Optabat enim vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior filij gratia efficeretur, & fortaſſè aliquo humano afficiebatur affectu quemadmodum, & fratres eius, cùm dicerunt; Oſtende teipſum mundo: cupidi eius miraculis ſibi famam comparare, idcirco aſperius reſpondit. *Quid mihi, & tibi, mulier? Nondum venit hora mea.* Nam quòd matrem reuereretur, teſtatur Lucas, quòd ſubditus erat parentibus, & hic Euangeliſta quantam paſſionis tempore matris curam habuerit. Vbi enim parentes nihil diuina impediunt myſteria, nihil offendunt, æquum, & neceſſarium eſt filio parere, neque negare ſine magno periculo poteſt: contra verò, cùm intempeſtiuum, & quod ſpiritalibus ſit impedimento, petunt, illis obtemperare non eſt tutum. Propterea & hic ita reſpondet, & alibi rurſus; Quæ eſt mater mea, & fratres mei, aiebat. Siquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant, ſed more matrum Maria, iure omnia filio ſe præcepturam cenſebat, cùm tanquam dominum colere, & reuereri deceret, ideo in hunc modum reſpondit. Conſidera quàm indignum erat, vniuerſo adſtante populo, & ad eum, & eius doctrinam audiendo, ſuſpenſo, illam in medium accedentem, publicam impedire vtilitatem, & de priuatis rebus habere ſermonem, & extra eiuſmodi concionem euocare? Inquit igitur, Quæ eſt mater mea, & fratres mei? non quod matrem contemneret, abſit: ſed vt maximæ vtilitati conſuleret, neque occaſionem daret, vt quiſpiam de ipſo abiectum aliquid coniectaretur: nam, ſi aliorum curam habebat, & digna ſe opinione illos imbuere moliebatur, lõgè magis id in matre curaſſet. Cùm enim conſentaneum ſit Mariam vtpote matrem, priores ſibi partes vendicaſſe: ideo matrem veniſſe nunciantibus ita reſpondit, neque aliter ipſam ex humili ad illam altitudinem erexiſſet, ſi ſemper tanquam à filio honorari exiſtimaſſet, & non tanquam dominum habuiſſet. Hac gratia & hoc in loco inquit; *Quid mihi, & tibi, mulier?* Alia præterea

In hoc nõ recipitur authoris ſententia, nã catholica eccleſia credit, B. virginem nullo actuali peccato vel minimo fuiſſe obnoxiam.

Infr. 7.g *Luca 2.g* *Matt. 12.d* *Marc 3.d* *Luc. 8.c*

cauſa afferri poteſt, non minus neceſſaria, ne qua ſuſpicio oriretur: ab indigentibus enim nõ à matre id quærendum erat. Quid tandem? Quoniã quę familiarium precibus impetrantur, quamuis magna, rarò tamen eorum prædicationibus augẽtur indigentiũ laudes, cùm quid impetrarint, omni vacant ſuſpicione: nihil ab his ſimulatur, & multa inde vtilitas prouenit. Etenim, ſi vel optimus medicus, qui multos ægrotos curauerit, neque ab ipſis, neque eorum familiaribus, ſed à ſua tantũ matre laudaretur, ſuſpecta ſanè eſſet laus illa, & moleſta, ne præſentium quiſpiam magnum de eo aliquid, vel egregium opinaretur, propterea aſperius locutus; *Quid mihi,* inquit, *& tibi, mulier?* eam admonens, ne idem amplius tentaret. Curæ enim ipſi erat maternus honor, ſed longè magis animarum ſalus, & commune in multos beneficium, cuius gratiã humanam carnem accepit. Non ſunt igitur hęc liberius ad matrem loquentis, ſed diuinæ diſpenſationis verba, vt admoneret pro dignitate miracula facienda. Quod enim vehementer ipſam, & præ cæteris amaret, & reuereretur, aſperiora hæc verba, & indignatio demonſtrat: quonam pacto, in ſequentibus dicemus. Verùm, quum audiens mulierem illam dicentem; Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti: deinde ipſum reſpondentem. Quinimo, beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Ea ſententia dictum exiſtima, non quòd matrem negligeret, ſed nihil ei vtilitatis matris nomen allaturum oſtenderet, niſi bonitate, & fide præſtaret. Quòd ſi Mariæ nihil ſine virtute materna charitas erat profutura, longè minus nobis patris, fratris, matris, filij bonitas, niſi aliquid noſtrũ afferamus. Frater, inquit, nõ redimit, redimet homo? In nullo nãque alio, niſi in ſolis ſui ipſius virtutibus, poſt diuinã gratiam de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Nam, ſi id profuturum erat per ſe Mariæ, profuiſſet etiam Iudęis, quorum conſanguineus erat Chriſtus ſecundum carnem, profuiſſet ciuitati, in qua natus eſt, profuiſſet fratribus: Atqui, dum fratres rerum ſuarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, ſed cum reliquo mundo damnati erant. Tunc autem admirationi eſſe cœperunt, quando propria claruerunt virtute: patria verò nihil inde conſecuta cecidit, & incendio abſumpta eſt, conciues miſerè interempti periêre, conſanguinei ſecundum carnem nil ad ſalutem lucrati ſunt, deficiente virtutis patrocinio. Verùm apoſtoli ante omnes clariſſimi euaſerunt, cùm ſe ad veram, & expetendam eius familiaritatem, conſuetudinémque per obedientiam contulerunt. Hinc intelligimus fide ſemper nobis opus eſſe, & vita, quæ virtutibus luceat, hęc duntaxat ſaluos nos facere poterit. Quantæ enim cognati eius admirationi fuerunt, cùm ne eorum quidem nomina teneamus, apoſtolorum autem & vita, & nomina vbique terrarum decantantur? Nolimus igitur ob terrenam nobilitatem in ſuperbiam efferri, licet lõgam progenitorum, & quidem clariſſimorum ſeriem numeremus, eorum virtutes ſuperare contendamus, ſcientes aliorum nobis opera non modo nihil in futuro iudicio profutura, verùm grauiter nos condemnatura, cùm optimorum parentum liberi, & domeſticis exemplis eruditi nihil profecerimus. Hoc ideo, in præſentia dico, quoniam multi Gentilium ad fidem, & Chriſtianam religionem à nobis hortati, ad cognatos, progenitores, & familiares

Luc. 11.d *Pſal. 84.b*

res ſuos confugiunt, quod fideles, & Chriſti fuerint aſſertores. Quid ad te, miſer, & infœlix? hoc te magis cōdemnat, quoniam tot progenitorum, tot familiarum exempla ad veritatem complectēdam te adducere non potuerunt. Alij fideles quidem, ſed vitæ nullam curam adhibentes, cùm ad virtutem hortantur, idem in ſuam adducunt excuſationem, quod pater, auus, atauus pietatem maximè coluerint. Id te accuſat, quod ex talium virorum
Oſee. 12.d ſemine his te indignum præſtiteris. Audi prophetam ad Iudæos loquentem; Seruiuit Iſrael in muliere, & in muliere ſeruatus eſt. Audi Chriſtum;
Infrà 8.b Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt. Ita ſemper bona progenitorum opera non modo nulli ad laudem, ſed ad crimen longè quidem grauius ius aſcribit. His igitur animaduerſis, noſtris ipſorum operibus ſalutem conſequi totis viribus adnitamur, ne ſpe noſtra fruſtrati, tum demum intelligamus, cùm nulla nobis pœnitentiæ erit vtilitas. In inferno
Pſal. 6.b enim, inquit, quis confitebitur tibi? Quamobrem in hac vita flagitiorum nos pœniteat, vt ſempiternā bona conſequamur: gratiâ, & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſpiritui ſancto, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE EODEM *Homil. 2.*

Hom. 21. in Ioan. QVid mihi, & tibi, mulier? nondum venit hora mea. Laborioſum ſanè eſt, orationē habere, quod
1. Tim. 5.c & Paulus his verbis teſtatur; Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Verùm vos & leuare hunc laborem, & grauiorem facere poteſtis. Nam, ſi orationem noſtram neglexeritis, vel etiam non neglectam, re tamen non adimpleueritis: laborioſum nobis profectò erit, eo quòd in caſſum laborauerimus: ſin autem attentionem præſtabitis diligentem, & re ipſa audita exequamini, nullus nos labor grauabit: Fructus enim, qui in laboribus comparatur, non ſinit quicquam graue, aut oneroſum videri. Quamobrem, ſi animum noſtrum excitare, & promptiorē in dicendo reddere placet: quem fructum faciamus, oſtendite: vt lætis inſpectis ſegetibus, prouentus ſpe allecti, vtilitatis magnitudinem reputantes, laboremus: Neque enim parua nobis hodierna die proponitur quæſtio. Nam cùm mater dixiſſet; *Vinum non habēt:* reſpondit Chriſtus: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Et licet ita reſponderit, maternis tamen votis obtemperauit. Hæc nulla ex parte minor eſt, quæſtio quàm ſuperior, de qua non immeritò ſit dubitandum: Eum igitur ipſum, qui miraculum operatus eſt, inuocantes, ad huius loci expoſitionem veniamus. Neque hoc tantum in loco dictum eſt; *Nondum venit hora mea*, ſed & aliàs, nam, cùm capere eum Iudæi non poſſent, inquit
Infrà 7.d Euangeliſta; Nōdum venerat hora eius, & iterum;
Ibid. 8.c Nemo miſit in illum manum, quia nondum venerat hora eius. Et iterum; Venit hora, clarifica filium tuum. Quidnam iſta ſignificant? Idcirco plures in eandem ſententiā textus adduximus, vt vna omnibus ſolutio offeratur. Quę igitur eą eſt? Nulli temporum neceſſitati Chriſtus ſubiectus eſt, nec ob temporis obſeruationem nondum horā ſuam
Infrà 17.a venisse dicebat. Anne temporum opifex, & author ſeculorum tempora obſeruaret? Oſtendit autem omnia debito tempore non ſimul operari, quoniam inordinata quædam confuſio fuiſſet, niſi opportunè omnia tranſegiſſet, ſimúlque generationem, reſurrectionem, & iudicium miſcuiſſet. Conſidera, quæſo, oportuit facere creaturam, non vniuerſam ſimul: non virū, & mulierem vno condidit momēto. Oportuit morti damnatum, & reſurrectum iri propter humanum genus, multum inter vtrumque abfuit: ſic enim opus fuit. Oportuit dari legem, ſed nō ſimul & gratiā, ſed vtrumque debitis diſpenſari temporibus. Nulli igitur Chriſtus ſubeſt temporū neceſſitati, ſed ipſe temporibus ordinem impoſuit, quoniam author eorum eſt, quare hoc in loco, inquit; *Nondum venit hora mea*, hoc eſt, nondum cognitus ſum: neq; enim ipſum quiſquam præter Andream, & Philippum ſequebantur, neq; ſi verè adhuc ipſum cognoſcebant, non mater, non fratres. Siquidem poſt multa miracula inquit Euangeliſta: Neque enim fra- Infrà 7.a
tres eius credebāt in eum, nemo, qui nuptiis adeſſet: quippe qui, ſi cognouiſſent, ſine dubio ad eum in ſuis confugiſſent neceſſitatibus: propterea inquit: *Nondum venit hora mea*, id eſt, nondum cognitus ſum præſentibus, nondū ſciunt vinum deeſſe. Sine, id primum intelligant, ſatis nō eſt, quòd ſola referas, mater es, & ſuſpicioſum miraculum faceres. Oportet indigentes rogent, nō quod hoc ipſe indigeam, ſed vt miraculum vniuerſis appareat. Quippe egeni cùm beneficium accipiunt, plurimam habent gratiam: qui non indigent, non itidem eam intelligant. Cur autem, cùm nondum horam ſuam veniſſe dixerat, impleuit tamen matris voluntatem? Maximè quidem: vt contradicentibus, & temporum momentis eum ſubiectum exiſtimantibus, palam non rectam eorum ſententiam oſtenderet: nam, ſi tempori ſubiiceretur, quo pacto immaturè id feciſſet? Præterea vt matri honorem exhiberet, & non omnino contumax videretur matri, tot præſentibus: néve impotentię argueretur. Etenim Maria ad filium miniſtros duxit. Siquidem cùm Chananææ dixiſſet Chriſtus; Matth. 15.a
Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare Ibidem.
canibus: dedit tamen nimia eius ſedulitate permotus: atqui etiam dixerat; Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, & tamen filiam liberauit. Ex quo admonemur, quod etiam beneficio indigni, aſſidua efflagitione eo digni efficimur. Idcirco mater & exſpectauit, & palam miniſtros acceſſiuit, vt à pluribus rogaretur, & addidit; *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Norat non eſſe imbecillitatis excuſationem, ſed ne faſtu quodam temerè id ſuſcipere videretur, quamobrem miniſtros adduxit. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, &c.* Non temerè dictum eſt ab Euangeliſta, *ſecundum purificationem Iudæorum*: ſed, ne quis infidelium ſuſpicari poſſet aliquo fortaſſe craſſiore vino in eis inſidente, deinde infuſa aqua limpidiſſimum vinum effectum. Quare illa particula; *Secundum purificationem Iudæorum*: nunquam in his vinum fuiſſe oſtendit. Nam, cùm Palæſtina inopia aquarum laboret (rari enim illic fontes ſcaturiunt) hydriæ illæ aqua ſemper plenæ ſeruabantur, ne, ſi quando immundi fierent, longius flumina petenda eſſent, ſed prope purgarentur. Sed quanam gratia, antequam implerentur, nō fecit miraculum, quod longè fuiſſet admir

admirabilius? Siquidem aliud eſt ſubiectæ materię qualitatem mutare, aliud ipſam ſubſtantiam ex nihilo facere: hoc proſectò mirabilius, non tamen ita credibile, & quod tam facile potuiſſet multitudini perſuaderi, hac gratiâ miraculorum nonnunquam magnitudinem conſulto imminuit, vt facilius crederentur. Sed cur ipſe hydrias aqua non implenit, deinde in vinum vertit, ſed miniſtris implendas mandauit? Ipſam eandem ob cauſam, vt miraculi ipſos teſtes haberet, qui aquá hauſiſſent, ne qua fraus, ne quod pręſtigium putaretur. Nam, ſi contumaciores fuiſſent ad credendum, potuiſſent miniſtri teſtimonium perhibere ſe aquã hauſiſſe, & hydrias impleuiſſe. Accedit ad hoc, quod hæreticorum dogmata in eccleſia pullulantia propter hoc euertuntur. Nam, quum ſint nõnulli, qui alterum mundi opificem, quæ videntur opera, cõdidiſſe aſſeuerant, horum quoque inſaniam cohibens, plura facit miracula ex ſubiectis ſubſtantiis. Nam, ſi ipſe Deo contrarius opifex fuiſſet, nõ vtique alienis vſus eſſet Chriſtus ad propriæ virtutis demonſtrationem: hoc autem miraculo manifeſtè oſtendit ſe eum eſſe, qui vineas irrigat, pluuiam per vitis radicem in vinum vertit, quum, quod in planta longiori temporis ſpacio efficitur, id repẽtè in nuptiis operatus eſt. Cùm autem impleſſent hydrias, inquit, *Haurite nunc, & ferte Architriclino, &c.* Rurſus hoc in loco nonnulli calumniantur hunc ebrioſorum fuiſſe conuentum de guſtu diſſerentium, corruptis hominum moribus, nec idoneos, qui miraculum indicarent, vt pote, qui non viderint aqua, an vinum eſſet. Siquidem ipſe Architriclinus, inquit, *quum inebriati fuerint*, maximè hoc ridiculum. Veruntamen hanc ipſorum ſuſpicionem tollit Euangeliſta: non enim conuiuas inquit de miraculo tuliſſe ſententiam, ſed Architriclinũ, qui ſobrius nil adhuc guſtauerat. Etenim nemo ignorat huiuſmodi in conuiuiis munera, maximè ſobriis, & temperantibus demãdari, quorum ſolum officium eſt, vt debito ordine, & apparatu omnia diſpenſentur. Idcirco ſobrium virum in miraculi teſtimonium adduxit. Non enim dixit Chriſtus, vt recumbentibus miſcerent, ſed ferrent Architriclino. *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factum, & non ſciebat vnde eſſet: miniſtri autem ſciebant, vocat ſponſum Architriclinus.* Et quânam gratia non vocauit miniſtros? ita enim miraculũ manifeſtius fuiſſet: quoniã neque ipſe Chriſtus manifeſtum fecit, ſed lentè, & pedetentim miraculorum ſuorum virtutem cognoſci voluit. ad hoc ſi miniſtri tunc id narraſſent, nemo eis credidiſſet, ſed inſanire potius arbitrati eſſent, quum de homine opinione omnium humili, & abiecto id perhiberẽt teſtimonium, ſed re ipſa cognouerũt. Neque enim, qui ſibiipſis non crederent, alij fuiſſent credituri. Propterea non omnibus reuelauit miraculum, ſed maximè idoneis certiorem cognitio- Ioan. 4.f nem in poſterum reſeruauit, vt poſt aliorum ſignorum certitudinem hoc etiam crederetur. Siquidem in filij reguli curatione oſtendit Euangeliſta, hoc manifeſtius potuiſſe: hac enim maximè gratia regulus Chriſtum vocauit, quod illud ſignum audierat, quod his verbis ſignificatur; Venit Ieſus in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinũ. Neque ſimpliciter vinum, ſed optimum. Eiuſmodi enim Chriſti miracula, vt quàm quæ naturâ perfecta ſunt, longè pulchriora, melioráque reddantur: ita & in aliis, diſtortum membrum, quàm ſana, validius reddebat. Quod autem vinum, & vinum optimum eſſet factum, non miniſtri tantum, ſed & ſponſus, & Architriclinus perhibuere teſtimonium; quòd à Chriſto factum fuerit, miniſtri, qui aquam hauſerant. Itaque, quamuis tunc occultatum eſſet miraculum, non tamen diutius ſileri poterat, ſic multos, & neceſſarios teſtes ſibi in poſterum aſciuit, & ſane credibile eſt, ſpõſum non prorſus in his ſiluiſſe. Verùm Euangeliſta, expoſito miraculo, ad magis neceſſaria properat: neceſſarium nanque erat, vt aqua vinum, & vinum bonum factum ſciretur, non autem, quod Architriclino ſponſus dixerit. Multa enim ſigna prius obſcura progreſſu temporis manifeſtata ſunt ab iis, qui à principio viderunt: tunc Ieſus vinũ ex aqua fecit, tunc atque etiam in præſentia laſciuas, & infirmas hominum voluntates mutare non deſinit. Sunt enim plerique hominũ nulla aqua meliores, frigidi fluentes, ſemper mutabiles, huiuſmodi homines ad dominum adducendi ſunt, vt eorum voluntates in vini ſimilitudinem transferat, ne amplius labantur, ſed præteritorum compũcti ſibi, & proximo lætitiæ efficiantur authores. Sed quinam ſunt hi frigidi? Qui fluxis præſentis vitæ rebus incumbunt, qui, non contemptis humanis ſeculi deliciis, glorię, potentię, diuitiarum ſunt amatores. Hæc enim omnia fluxa, & caduca ſunt, & nuſquam conſiſtentia, quæ in præceps ſemper celeri impetu deferuntur. Siquidem, qui hodie diues eſt, cras erit pauper: qui hodie in curru, præcone, lictoribúſque, & apparitoribus comitatus magiſtratum gerit, poſtridie non nunquam in carcerem intruditur, & velit nolit, aliis omnia relinquit. Qui in deliciis vitam agit, qui conuiuiis diſſoluitur, penè crapula ventrem diſrumpit, ne vna quidem die poteſt in eadem ſatietate permanere, ſed, concocto cibo, iterum ad id compellitur, nihil à torrente differens. Nam, quemadmodum in eo prior fluens, alio ſuperincumbente, vrgetur, ita & nos alio poſt alium cibo indigemus. Huiuſmodi eſt omnium huius ſeculi rerum natura, vt quę ſortita eſt, retinere nũquam poſit, ſed ſemper fluant, ſemper trahantur: in deliciis autem & conuiuiis non ſolùm fluxus, ſed difficultates multæ, & mala deprehenduntur. Illa nanque ſatietas tum corporis robur, tum animi minuit fortitudinem. Neque ita fluuialium fluctuum vis ripas excedere, & conuellere ſolet, vt deliciæ, laſciuiáque bonam valetudinem, & vires omnes facilè ſubtrahit. Quòd ſi medicos percontaberis, omnium propè morborum cauſas inde ortas inuenies. Vilis, & tenuis, & ſimplex menſa bonæ valetudinis mater eſt, ita eam medici appellarunt: & non ad ſatietatem crapulari, ſanitatem, & ſanitatis parentem: contrà ſatietatem, morborum ipſa medica arte incurabilium dixerunt: quod perſpicuum eſt. Siquidem pedum, capitis, oculorum, manuum ægritudines, & paralyſis hydropiſis, ictéros, febres longæ & acutæ, & plures id genus morbi, nimia crapula contrahuntur: neque enim vacat in pręſentia omnes enumerare, qui non ex modico, & temperato victu, ſed voracitate, & crapula ingenerantur. Quod, ſi vis animi quoque morbos hinc prouenientes, intelligere, auaritia, iactantia, bilis, deſidia, luxuria, omnis denique incontinentia & ſtupor: aſinis enim nihilo melius habent animæ huiuſmodi menſis delicatis indulgentes. Perſtringam & dolores, anxietatéſq;, quibus qui ſe his addixerunt, afficiuntur,

tur,

tur:omnes quidem enumerare non poſſumus, in ſumma breui totum explicabo: varia nanque, & precioſa menſa nunquam auidè, nunquam enim voluptate fruuntur. Vt enim tenuis menſa bonæ valetudinis, ita voluptatis mater eſt: & crapula vt morborũ, ita faſtidij & fons eſt, & radix. Vbi enim ſatietas, ibi auiditas eſſe nullo pacto poteſt. Vbi nulla auiditas, quo pacto vbi voluptas erit? Propterea non tantùm prudentiâ, & valetudine proſpera præſtare diuitibus pauperes videmus, ſed & lætitiâ. Quibus manifeſtè cognitis, ebrietatem, deliciáſque fugiamus, non in menſis modò, ſed quæcunque in rebus ſecularibus capiuntur, ea omnia ſpiritalium voluptate mutemus: & ſecundum prophetam; Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, vt præſentibus, & futuris bonis fruamur gratiâ, & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, & ſpiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM IN IDEM
Hom. 3.

Ex Ho. 22. in Ioan. HOc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea. Plurimum nos diabolus vrget, plurimùm noſtræ inſidiatur ſaluti. Inuigilandum eſt igitur, & contra illius impetus vnumquenque ſe omni ex parte præmunire oportet: nam vel minimo aditu viam ſibi quam latiſſimam patefacit, paulatim vires accipit. Quòd ſi qua nobis ſalutis noſtræ cura eſt, ne minima quidem in re eum nobis prænalere permittamus, ne mox in moribus prçualeat. Summæ nanque amentiæ eſt, vt, quum ille tantopere animarum noſtrarum perditioni inuigilet, nos cõtrà pro noſtra ipſorum ſalute non eandem adhibeamus diligentiam. Hunc ergo non temere in præſenna ſermonem aggreſſus ſum: Timeo, ne in
1.Cor.2.d medio etiam templo aliquando hic lupus deliteat, non præuiſus à nobis, & inſidiis ſuis, & noſtra deſidia, ouis aliqua à grege, & hac concione aberrãs diripiatur. Nam, ſi eius vulnera ſenſu deprebenderentur, ſi corpus offenderetur, non ſanè eſſet difficile, eius inſidias præcauere: verùm, quum anima inuiſibilis inuiſibiles plagas accipiat, ſumma nobis opus eſt vigilantia: Nec tantum vnuſquiſque ſeipſum probet. Nemo enim nouit hominem, vt ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Oratio omnibus in medium proponitur, communis indigentibus medicina. Vnumquenque auditorum, quod ad morbum ſuum facit, accipere oportet. Neſcio qui ægrotent, qui bene valeant, idcirco de omnibus loquor affectibus, vt ſibi quiſque accommodatam medicinam inueniat. Nunc in auaritiam, nunc in delicias, nunc in luxuriam inuehimur, rurſus virtutes laudamus. Timeo enim, nequando vni nobis morbo vacãtibus, alij quo magis laboret, medicinam non adhibeam. Si vnus hic eſſet, non tam neceſſarium ducerem multiplicem habere ſermonem, ſed in tanta concione plurimos eſſe affectus credibile eſt. Quamobrem non immeritò hac vtimur orationis varietate, quę in omnes diffuſa, quo quiſqoe indigeat, inuenier: hac gratia & ſcriptura varia eſt, & varia loquitur, cùm in omnem hominum naturam, conditionémque diffunditur, in qua omnes reperiri affectus neceſſe eſt: licet non omnes in ſingulis his nos purgari ſumma cum attentione, quæ nobis hodie propoſita ſunt, audiamus. *Hoc*, inquit, *fecit initium ſignorum eius in Cana Galilea.* Diximus quoſdam dicere, non fuiſſe hoc initium ſignorum omnium, ſed eorum, quæ illic facta ſunt. Ego non contendo hoc. Illud affirmo, poſt baptiſma Chriſtum miracula facere cœpiſſe, antè nullum: hoc ſiue aliud primum fuerit poſt baptiſma, nõ admodum quæſitu neceſſarium ducimus. *Et manifeſtauit gloriam ſuam.* Quonam pacto? Non enim multi affuerunt, ſed miniſtri tantum, Architriclinus, ſponſus. Quo, inquam, pacto manifeſtauit gloriam ſuam? Ex parte licet, & non tũc, ſecutis tamen temporibus manifeſtauit, cum omnes id miraculum eſſent audituri. Hactenus nanque prædicatur, neque vſpiam latet: nam, quod in illa die non omnes ſciuerint, ex ſequentibus conſtat, ſiquidem cùm dixerit, manifeſtauit gloriam ſuam: addidit: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Qui etiam antea admirati eum fuerunt. Videſne tunc ſigna maxime fuiſſe neceſſaria, quãdo idonei eſſent diſcipuli, & præſto ad miracula accipiẽda? Facilius enim credituri erant, quorum prædicatione vniuerſus orbis ſecutis temporibus in Chriſtum credidit. Et quonam modo ſine miraculis eius quiſquam habuiſſet cognitionem? doctrina, prophetia, miraculum, ſufficientia fuerunt, quæ omnium animos arriperent. Itaque iam anima familiarior, magis idonea facta eſt, quæ ſignis, & miraculis moueretur. Quare ſæpe Euangeliſtæ nihil operatum Chriſtum dicunt, quandoquidem præſentes ad id accipiendum non eſſent idonei.

S. AVGVST. EPISCOPI
Hipon. de eodem Homil. 1.

MIraculum quidem domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd de aqua vinum fecit, non eſt mirandum eis, qui nouerunt quia Deus fecit: Ipſe enim fecit, vinum in illo die in nuptiis in ſex illis hydriis, quas impleri aqua præcepit, qui omni anno hoc facit vitibus. Sicut enim quod miſerunt miniſtri in hydrias, in vinum conuerſum eſt opere domini: ſic & quod nubes fundunt, in vinum conuertitur eiuſdem opere domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit: aſſiduitate amiſit admirationem. Nam & cõſiderationem maiorem inuenit quàm id quòd factum eſt in hydriis aquæ. Quis eſt enim, qui conſiderat opera Dei, quibus regitur, & adminiſtratur totus hic mundus, & non obſtupeſcit, obruitúrque miraculis? Si conſideret vim vnius grani, cuiuſlibet ſeminis, magna quædam res eſt, horror eſt conſideranti: ſed quia homines in aliud intenti perdiderunt conſiderationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie creatori, tanquam ſeruauit ſibi Deus inuſitata quædam, quæ faceret, vt tanquam dormientes homines, ad ſe colẽdum mirabilibus excitaret. Mortuus reſurrexit, mirati ſunt homines: tot quotidie naſcuntur, & nemo miratur. Si conſideremus prudentius, maioris miraculi eſt eſſe, qui non erat, quàm reuiuiſcere qui erat. Idem tamen Deus pater domini noſtri Ieſu Chriſti per verbum ſuum fecit omnia hæc, & regit quæ creauit. Priora miracula fecit per verbum ſuum Deum apud ſe: poſteriora miracula fecit per ipſum verbum ſuum incarnatum, & propter nos hominem factum. Sicut miramur quæ facta ſunt per hominem Ieſum, miremur quæ facta ſunt per Deum Ieſum. Per Deum

Tract. 8. in Ioan.

Ieſum

Ieſum facta ſunt cælum & terra, mare, & omnis ornatus cæli, opulentia terræ, fœcunditas maris, omnia hęc, quę oculis adiacẽt, per Ieſum Deum facta ſunt: & videmus hæc, & ſi in nobis ſpiritus illius, ſic nobis placent vt artifex laudetur: non vt ad opera conuerſi ab artifice auertamur, & faciem quodammodo ponentes ad ea, quæ fecit, dorſum ponamus ad artificem, qui fecit. Et hęc quidem videmus & adiacent oculis: quid illa quę non videmus, ſicut ſunt angeli, virtutes, poteſtates, dominationes, omnìſque habitator fabricę huius ſupercæleſtis, non adiacens oculis noſtris: quamquàm ſæpe & angeli, quando oportuit, demonſtrauerũt ſe hominibus? Nónne Deus & per verbum ſuum, id eſt, vnigenitum filium ſuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fecit hęc omnia? Quid ipſa anima humana, quę nõ videtur, & per opera, quę exhibet in carne, magnam prębet admirationẽ bene conſiderantibus: à quo facta eſt niſi à Deo, & per quem facta eſt, per filium Dei? Nondum dico de anima hominis: cuiuſuis pecoris anima quodammodo regit molem ſuam: ſenſus omnes exerit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris iudicium ad ſapores diſcernendos, membra denique ipſa ad peragenda officia ſua: Nunquid hęc corpus, & non anima, id eſt, habitatrix corporis agit? Nec tamen videtur oculis, & ex his, quę agit, admirationem mouet. Accedat iam conſideratio tua etiam ad animam humanam, cui tribuit Deus intellectum cognoſcendi creatorem ſuum, dignoſcendi, & diſtinguendi inter bonum, & malum, hoc eſt, inter iuſtum, & iniuſtum: quanta agit per corpus? Attendite vniuerſum orbem terrarum ordinatum in ipſa humana Republica, quibus adminiſtrationibus, quibus ordinibus poteſtatum, conditionibus ciuitatum, legibus, moribus, artibus: hoc totum per animam geritur, & hæc vis animæ non videtur. Cum ſubtrahitur corpori, cadauer iacet: cum autem adeſt corpori, primo condit quodammodo putores corruptibiles: nam omnis caro in putredines defluit, niſi quodam condimento animę teneatur; ſed hoc commune illi eſt cum pecoris anima. Illa magis miranda, quę dixi, quæ ad mentem, & intellectum pertinent, vbi etiam ad imaginem creatoris ſui renouatur, ad cuius imaginẽ factus eſt homo. Quid erit hæc vis animæ, cum & corpus hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? Si tanta poteſt per carnem corruptibilem, quid non poterit per corpus ſpiritale poſt reſurrectionem mortuorum? Hæc tamen anima, vt dixi, admirabilis naturæ, atque ſubſtantiæ, inuiſibilis res eſt, & intelligibilis: & hæc tamen per Ieſum Deum facta eſt, quia ipſe eſt verbum Dei.
Ioan.1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Cum ergo tanta videamus facta per dominum Ieſum, quid miramur aquam in vinum conuerſam per hominem Ieſum? Neque enim ſic factus eſt homo, vt perderet quod Deus erat. Acceſſit illi homo, non amiſſus eſt Deus. Ipſe ergo fecit hoc, qui illa omnia. Non itaque miremur, quia Deus fecit: ſed amemus, quia inter nos fecit, & propter noſtram reparationẽ fecit. Aliquid enim & in ipſis factis innuit nobis: Puto, quia non ſine cauſa venit ad nuptias. Excepto miraculo, aliquod & in ipſo facto myſterij ſacramentum latet: pulſemus vt aperiat, & de vino inuiſibili inebriet nos: quia & nos aqua eramus, & vinum nos fecit. Sapientes enim nos fecit, ſapimus enim fidem ipſius, qui prius inſipientes eramus. Et forte ad ipſam ſapientiam pertinet cum honore Dei, & cum laude maieſtatis eius, & cum charitate potentiſſimæ miſericordiæ eius, intelligere quid ſit geſtum in hoc miraculo. Dominus inuitatus ad nuptias venit: quid mirum ſi in illam domum ad nuptias venit: qui in hunc mundum ad nuptias venit? Si enim non venit ad nuptias, non hic habet ſponſam. Et quid eſt, quod ait Apoſtolus: Aptaui vos vni viro, 2.Cor.11.
virginem caſtam exhibere Chriſto? Quid eſt quod timet, ne virginitas ſponſæ Chriſti per aſtutias diaboli corrumpatur? Timeo, inquit, ne, ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrumpantur à ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto. Habet ergo hic ſponſam, quam redemit ſanguine ſuo, & cui pignus dedit ſpiritum ſanctum: eruit eam de mancipatu diaboli, mortuus eſt propter delicta eius, reſurrexit propter iuſtificationem eius. Quis offerret tanta ſponſę ſuæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides precioſos, equos, mancipia, fundos, prædia, nunquid aliquis offerret ſanguinem ſuum? Si enim ſanguinem ſuum ſponſæ dederit, non erit qui ducat vxorem. Dominus autem ſecurus moriẽs, dedit ſanguinem ſuum pro ea, quam reſurgens haberet, quam ſibi iã coniunxerat in vtero virginis. Verbum enim ſponſus, & ſpõſa caro humana, & vtrunque vnus filius Dei, & idem filius hominis, vbi factus eſt caput Eccleſiæ. Ille vterus virginis Mariæ, thalamus eius inde
processit tanquam ſponſus de thalamo ſuo, ſicut Pſal.18.
ſcriptura prædixit. Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam. De thalamo proceſſit velut ſponſus, & inuitatus venit ad nuptias. Certi ſacramẽti gratia, videtur matrem, de qua ſponſus proceſſit, non agnoſcere, & dicere illi: *Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea.* Quid eſt hoc? Ideóne venit ad nuptias, vt doceret matres contemni? Non. Vtique ad cuius nuptias, vt honoraret, venerat, ideo ducebat vxorem vt filios procrearet, & ab eis quos vt procrearet optabat, vtique honorari cupiebat. Ille ergo venerat ad nuptias, vt exhonoraret matrem, cum & propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipſæ nuptiæ celebrentur, & ducantur vxores? Procul dubio, fratres, latet ibi aliquid, nam tanta res eſt, vt quidam, quos cauendos pręmonuit Apoſtolus, ſicut ſupra commemorauimus, dicens, Timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & veſtrę mentes corrumpantur à ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto: derogantes Euangelio, & dicentes, quod Ieſus non ſit natus de Maria virgine, hinc argumentum ſumere conarentur erroris ſui, vt dicerent: Quomodo erat mater eius, cui dixit; *Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* Reſpondendum ergo eſt eis, & conſiderandum, quare hoc dixerit dominus, ne ſibi aliquid aduerſus ſanam fidem inſanientes inueniſſe videantur, vnde ſponſæ virginis caſtitas corrumpatur, id eſt, vnde fides Eccleſiæ violetur: re vera enim fraudes eorum, qui pręponũt mendacium veritati. Nam iſti, qui videntur ſic honorare Chriſtum, vt negent eum carnem habuiſſe, nihil aliud eum quàm mendacem prædicant. Qui enim mendacium prædicant in hominibus, quid ab eis expellunt niſi veritatem? Immittunt diabolum, excludunt Chriſtum: immittunt adul-

terum, excludunt ſponſum, paranymphi ſcilicet vel potius leones, & ſerpentes. † Ad hoc enim loquuntur vt ſerpẽs poſſideat, Chriſtus excludatur. Quomodo poſſidet ſerpens? Quãdo poſſidet mendacium, quando poſſidet falſitas, ſerpens poſſidet: quando poſſidet veritas, Chriſtus poſſidet. Ipſe enim dixit: Ego ſum veritas. De illo autẽ dixit: Et in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo. Sic eſt autem veritas Chriſtus, vt totum verũ accipias in Chriſto, verum verbũ patris, æqualis patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera natiuitas, vera paſſio, vera mors, vera reſurrectio: ſi aliquid horum dixeris falſum, intrat putredo, de veneno ſerpentis naſcuntur vermes mendaciorũ, & nihil integrum remanebit. Quid eſt ergo, inquit, quod ait dominus, *Quid mihi, & tibi eſt, mulier*? Forte in eo quod ſequitur oſtendit nobis dominus quare hoc dixerit: *Nondum*, inquit, *venit hora mea*. Sicut enim ait: *Quid mihi & tibi eſt, mulier: nondum venit hora mea*. Et hoc cur dictum ſit requirendũ eſt. Prius ergo hinc reſiſtamus hæreticis. Quid dicit ſerpens veternoſus, venenorum inſibilator, & inſpirator antiquus? Quid dicit? Non habuit matrem fœminam Ieſus. Vnde probas? Quia dixit, inquit, *quid mihi & tibi eſt, mulier*. Quis hoc narrauit, vt credamus quia hoc dixit? Quis hoc narrauit? Nempe Ioannes Euangeliſta dixit; *Et erat ibi mater Ieſu*: nam ita narrauit, *Altera die* * *nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilææ, & erat ibi mater Ieſu. Venerat autem illuc inuitatus Ieſus ad nuptias cum diſcipulis ſuis*. Tenemus duas ſententias ab Euangeliſta prolatas. *Erat ibi mater Ieſu*, Euangeliſta dixit: quid dixerit matri ſuæ Ieſu, ipſe Euangeliſta dixit: & quomodo dixit reſpondiſſe, matri ſuæ Ieſum, vt primo diceret, ait illi mater eius? Videte, fratres, vt aduerſus linguam ſerpentis, munitam virginitatem cordis habeatis. Illic in ipſo Euangeliſta narrante dicitur; *Erat ibi mater Ieſu: &, Dixit illi mater eius*. Quis hoc narrauit? Ioannes Euangeliſta. Et quid reſpondit matri Ieſus? *Quid mihi & tibi eſt, mulier*? Quis hoc narrat? Idem ipſe Ioannes Euangeliſta. O Euangeliſta fideliſſime, & veraciſſime, tu mihi narras dixiſſe Ieſum, *quid mihi & tibi eſt, mulier*: cur ei appoſuiſti matrem, quam non agnoſcit? Nam tu dixiſti, quia *ibi erat mater Ieſu*: &, quia *dicit ei mater eius*: cur non potius dixiſti; Erat ibi Maria: &, dixit ei Maria? Vtrunque tu narras, & *dixit ei mater eius: &, reſpondit ei Ieſus. Quid mihi & tibi eſt, mulier*? Quare hoc? quia niſi vtrunque verum eſt? Illi autem in eo volunt credere Euangeliſtæ, quod narrat Ieſum dixiſſe matri; *Quid mihi & tibi eſt, mulier*: & in eo nolunt credere Euangeliſtæ quod ait; *Erat ibi mater Ieſu: &, dixit ei mater eius*. Quis eſt autem, qui reſiſtit ſerpenti, & tenet veritatem? Cuius virginitas cordis non corrumpitur aſtutia diaboli? Qui vtrũque verum credit, & quia erat ibi mater Ieſu, & quia illud reſpondit matri Ieſus. Sed ſi nondum intelligit quemadmodum dixerit Ieſus, *Quid mihi & tibi eſt mulier*? Interim credat quod dixerit, & quod matri dixerit: ſit primo pietas in credente, & erit fructus in intelligente. Interrogo vos, ô fideles Chriſtiani: *Erat ibi mater Ieſu*? Reſpondete, erat. Vnde ſcitis? Reſpondete, hoc loquitur Euangeliũ. Quid reſpondit matri Ieſus? Reſpondete, *quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea*. Et hoc vnde ſcitis: Reſpondete, hoc loquitur Euãgelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem, ſi vultis ſponſo ſeruare caſtam virginitatem. Si autem quæritur à vobis, cur hoc matri reſponderit? dicat qui intelligit: qui autem nondum intelligit, firmiſſime tamẽ credat, & hoc reſpondiſſe: & tamen matri reſpondiſſe Ieſum. Hac pietate merebitur etiam intelligere, cur ita reſponderit, ſi orãdo pulſet, & non rixando accedat ad oſtium veritatis: Tãtum caueat, ne, dum ſe putat ſcire, aut erubeſcit neſcire, cur ita reſponderit, cogatur credere aut Euangeliſtã fuiſſe mentitum qui ait; *Erat ibi mater Ieſu*: aut ipſum Chriſtum falſa morte paſſum propter delicta noſtra, & falſas cicatrices oſtendiſſe propter iuſtificationem noſtram: falſúmque dixiſſe; Si manſeritis in verbo meo, vere diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Si enim falſa mater, falſa caro, falſa mors, falſa vulnera paſſionis, falſæ cicatrices reſurrectionis, non veritas credentes in eum, ſed potius falſitas liberabit: Immo vero falſitas cedat veritati, & confundantur omnes, qui propterea ſe volunt videri veraces, quia Chriſtum conantur demonſtrare fallacem: & nolunt ſibi dici, non vobis credimus, quia mentimini, cum ipſam veritatem dicant eſſe mentitam: quibus tamẽ ſi dicamus, vnde noſtis dixiſſe Chriſtum? *Quid mihi & tibi eſt mulier*? Euangelio ſe credidiſſe reſpondent: Cur ergo non credunt Euangelio dicẽti, *Erat ibi mater Ieſu: &, dixit ei mater eius*? Aut ſi hoc mentitur Euangelium, quomodo ei creditur, quia dixerit Ieſus, *quid mihi & tibi eſt, mulier*? Cur non potius miſeri, & quòd ita non extraneæ, ſed matri dominus reſponderit, fideliter credunt: & cur ita reſponderi, pie quærunt? Multũ enim intereſt inter eum, qui dicit, volo ſcire, quare Chriſtus hoc matri reſponderit: & eum, qui dicit, ſcio quòd hoc Chriſtus nõ matri reſponderit, Aliud eſt intelligere velle quod clauſum eſt: aliud nolle credere, quod apertum eſt. Qui dicit, ſcire volo cur ita Chriſtus matri reſponderit: aperiri ſibi vult Euangelium, cui credit: qui autem dicit, ſcio quòd hoc Chriſtus non matri reſponderit: ipſum Euangelium arguit de mendacio, vbi credidit, quod Chriſtus ita reſponderit. Iam vero ſi placet, fratres, illis expulſis, & in ſua cæcitate errantibus ſemper, niſi humiliter ſanentur, nos quæramus, quare dominus noſter ſic matri reſponderit. Ille ſingulariter natus de patre ſine matre, de matre ſine patre: ſine matre Deus, ſine patre homo, ſine matre ante tempora, ſine patre in fine temporum: quod reſpondit, matri reſpondit, *quia erat ibi mater Ieſu, &, dixit ei mater eius*. Hoc totum Euangelium loquitur. Illic nouimus: quia erat ibi mater Ieſu, vbi nouimus quòd dixerit ei, *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*. Totum credamus, & quod nõdum intelligimus requiramus. Et primum hoc videte, ne forte quomodo inuenerunt Manichæi occaſionem perfidiæ ſuæ, quia dixit dominus: *Quid mihi, & tibi eſt mulier*? ſic inueniant mathematici occaſionẽ fallaciæ, quia dixit, *nondum venit hora mea*. Et ſi hoc ſecundum Mathematicos dixit, ſacrilegium fecimus incendendo codices eorum. Si autem recte fecimus, ſicut Apoſtolorum temporibus factum eſt, non ſecundum eos dixit dominus, *nondum venit hora mea*. Dicunt enim vaniloqui, & ſeducti ſeductores: Vides quia ſub fato erat Chriſtus, qui dicit, *nondum venit hora mea*. Quibus ergo prius reſpondendum eſt, hæreticis an mathematicis? Vtrique enim à ſerpente illo veniunt, volentes corrumpere virginitatem cordis Eccleſiæ, quam habet in integra fide

† al. lenones ſerpentis.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

** al. & die tertia.*

Ioan. 8.

fide. Primo ſi placet, eis quos præpoſuetamus, quibus quidem iam ex magna parte reſpõdimus. Sed ne arbitrentur nos non habere quid dicamus de his verbis, quæ dominus matri reſpondit, vos magis aduerſus illos inſtruimus: nam illis refellẽdis puto quòd ſufficiant, quæ iam dicta ſunt. Cur ergo ait matri filius, *Quid mihi & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea*? Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus erat, & homo: ſecundum quod Deus erat, matrem non habebat: ſecundum quod homo erat, habebat matrem. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis quam ſuſcepit propter nos. Miraculum autem, quod facturus erat, ſecundum diuinitatem facturus erat, non ſecundum quod Deus erat, non ſecundum id, quòd infirmus natus erat: ſed infirmum Dei fortius eſt hominibus. Miraculum ergo exigebat mater, at ille tanquam non agnoſcit viſcera humana, operaturus facta diuina, tanquam dicẽs; Quod de me fecit miraculum, nõ tu genuiſti, diuinitatem meã non tu genuiſti: ſed quia genuiſti infirmitatem meã, tunc te cognoſcam, cũ ipſa infirmitas pendebit in cruce: hoc eſt enim, *nondũ venit hora mea*. Tũc enim cognouit, qui vtique ſemper nouerat, & antequam de illa natus eſſet, in prædeſtinatione nouerat matrem: & antequam Deus crearet, de qua ipſe homo crearetur, nouerat matrẽ. Sed ad quandam horam in myſterio non agnoſcit: & quãdam horam, quæ nondum venerat, in myſterio rurſus agnoſcit. Tunc enim agnouit, quando illud, quod peperit, moriebatur: non enim moriebatur, per quod facta erat Maria, ſed moriebatur, quod factum erat ex Maria. Non moriebatur æternitas diuinitatis, ſed moriebatur infirmitas carnis. Illud ergo reſpõdit diſcernens in fide credentium: quis, per quam venerat. Venit enim per matrem fœminam Deus, & dominus cæli, & terræ. Secundum quòd dominus mundi, quod dominus cęli, & terrę, dominus vtique & Marię: ſecundum quod creator cęli, & terræ, creator & Marię: ſecũdum autem quod dictum eſt; Factum ex muliere, factum ſub lege, filius Mariæ, ipſe dominus Mariæ, ipſe filius Mariæ: ipſe creator Mariæ, ipſe creatus ex Maria. Noli mirari, quia & filius, & dominus. Sicut enim Marię, ita & Dauid dictus eſt filius: & ideo Dauid filius, quia Mariæ filius. Audi Apoſtolum aperte dicentem, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem: audi eum, & dominum Dauid: dicat hoc & ipſe Dauid; Dixit dominus domino meo, ſede ad dexteram meam. Et ipſe Ieſus hoc propoſuit Iudæis, & eos inde conuicit: Quomodo ergo Dauid & filius & dominus? Filius Dauid ſecũdum carnem, dominus Dauid ſecundum diuinitatem: ſic Marię filius ſecundum carnem, dominus Marię ſecundum maieſtatem. Quia ergo nõ erat illa mater diuinitatis, & per diuinitatem futurum erat miraculum quod petebat, reſpondit ei; *Quid mihi & tibi eſt, mulier?* Sed ne putes, quòd te negem matrem, *nondum venit hora mea*: Ibi enim te agnoſcam, cum pendere in cruce cœperit infirmitas, cuius mater es. Probemus ſi verum eſt. Quando paſſus eſt dominus, ſicut idem Euangeliſta dicit, nouerat matrem dominus, * & qui nobis inſinuauit etiam in his nuptiis matrem domini ipſe narrat. Erat, inquit, illic circa crucem mater Ieſu, & ait, Ieſus matri ſuæ; Mulier, ecce filius tuus: & ad diſcipulum, ecce mater tua. Commendat matrem diſcipulo, commendat matrem, prior matre moriturus, & ante matris mortem reſurrecturus. Commendat homo homini hominem, hoc pepererat Maria. Illa hora iam venerat, de qua tunc dixerat, *nondum venit hora mea*. Quantum arbitror, fratres, reſponſum eſt hæreticis: mathematicis reſpondeamus. Et ipſi vnde conantur conuincere, quia ſub fato erat Ieſus? Quia ipſe ait, vt inquiunt, *nondum venit hora mea*. Si ergo dixiſſet, horam non habeo, excluſiſſet mathematicos, non eſſent vnde calumniarentur. Nunc vero quia dixit, *nondum venit hora mea*, contra ipſius verba quid poſſumus dicere? Mirum eſt, quòd mathematici credendo verbis Chriſti, conantur conuincere Chriſtianos, quòd ſub hora fatali vixerit Chriſtus. Credant ergo Chriſto dicenti; Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & iterum ſumo eam. Ergóne iſta poteſtas ſub fato eſt? Oſtendant hominem, qui poteſtatem habeat, quando moriatur, quandiu viuat, omnino non oſtendunt: credant ergo Deo dicenti; Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam: & quærant quare ſit dictum, nondum venit hora mea. Nec ideo iam ſub fato ponant conditorem cæli, creatorem atque ordinatorem ſyderum: quia ſi eſſet fatum de ſyderibus, non poterat eſſe ſub neceſſitate ſyderum conditor ſyderum. Adde quia non ſolum Chriſtus non habuit, quod appellas fatum, ſed nec tu, aut ego, aut ille, aut quiſquam hominum. Veruntamen ſeducti ſeducunt, & proponunt fallacias hominibus. Tendunt ad capiendos homines, & hoc in plateis. Nam qui tendunt ad capiendas feras vel in ſyluis, vel in ſolitudine id agunt: quàm infœliciter vani ſunt homines, quibus capiendis in foro tenditur? Nummos accipiunt, cum ſe homines hominibus vendunt: dant iſti nummos, vt ſe vanitatibus vendant: Intrant enim ad Mathematicum, vt emant ſibi dominos, quales Mathematico dare placuerit, vel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel ſi quid aliud ſacrilegi nominis: Intrauit liber, vt, nummis datis, ſeruus exiret: immo vero non intraret, ſi liber eſſet, ſed intrauit quò eum dominus error, & domina cupiditas traxit. Vnde & veritas dicit; Omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Quare ergo dixit, *nõdum venit hora mea*? Magis quia in poteſtate habebat, quando moreretur, nondum videbat eſſe opportunum, vt illa poteſtate vteretur. Quomodo nos, fratres, verbi gratia, ſi loquimur, Iam certa hora eſt, qua exeamus vt celebremus ſacramenta: ſi ante exeamus, quàm opus eſt, nónne peruerſi, & præpoſteri ſumus? Quia ergo non facimus niſi quando opportunum eſt; propterea in his agendis cum ita loquimur, fatum conſideramus? Quid eſt ergo, *nondum venit hora mea*? Quando ego ſcio opportune me pati, quãdo paſſio mea vtilis erit: *nondum venit hora mea*, tũc volũtate patiar: vt vtrunque ſerues, *& nondum venit hora mea*, & poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam. Venerat ergo, habens in poteſtate quando moreretur: nam, ſi ante moreretur, quàm diſcipulos elegiſſet, certe præpoſterum eſſet. Si eſſet homo, qui non haberet in poteſtate horam ſuam, poſſet antè mori, quàm diſcipulos elegiſſet. Et ſi forte moreretur iam electis, eruditiſque diſcipulis, præſtaretur ei, ne ipſe hoc faceret. At vero, qui venerat in manu habens, quando iret, quando rediret, quouſque extenderet, cui paterent in-

Galat. 4.

Rom. 1.

Pſal. 109.

Matt. 22.

*al. qui nouerat matrẽ domini.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Et olim erat certa hora miſſæ celebrandæ.

 ſtri,

ſeri, non tantum morienti, ſed & reſurgẽti: vt nobis oſtenderet ſpem immortalitatis Eccleſiæ ſuæ, in capite oſtendit, quod membra expectare deberent, reſurget etiam in cæteris membris, qui reſurrexit in capite. Hora ergo nõdum venerat, opportunitas nondum erat. Vocandi erant diſcipuli, annunciandum erat regnum cælorum, faciendæ erãt virtutes, commendanda erat diuinitas in miraculis: commendanda erat humanitas domini in ipſa cõpaſſione mortalitatis. Ille enim eſuriebat, quia homo erat: pauit quinque panibus tot milia, quia Deus erat. Qui dormiebat, quia homo erat: ventis, & fluctibus imperabat, quia Deus erat. Hæc omnia commendanda erant prius, vt eſſet quod ſcriberent Euãgeliſtæ, quod prædicaretur Eccleſiæ. At vbi tantum fecit, quantum ſufficere indicauit, venit hora non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis. Quid ergo fratres, quia illis, & illis reſpondimus, nihil dicemus, quid ſibi velint hydriæ, quid aqua in vinum conuerſa, quid Architriclinus, quid ſponſus, quid mater Ieſu in myſterio, quid ipſæ nuptiæ? Dicenda ſunt omnia, ſed onerandi non eſtis. Volui quidem in nomine Chriſti & heſterno die, quo ſolet ſermo deberi charitati veſtræ, id agere vobiſcum, ſed non ſum permiſſus, neceſſitatibus quibuſdam impedientibus. Si ergo placet ſanctitati veſtræ, hoc, quod ad myſterium pertinet huius facti, in craſtinum differamus, & non oneremus & veſtram, & noſtram infirmitatem. Sunt forte hodie multi, qui propter ſolennitatem diei, non propter audiendum ſermonem conuenerunt. Craſtino qui venerint, venient audituri, vt nec fraudemus ſtudioſos, nec grauemus faſtidioſos.

EIVSDEM IN IDEM

Homil. 2.

Tract. 9. in Ioan.

ASſit dominus Deus noſter, vt donet nobis reddere, quod promiſimus. Heſterno enim die, ſi meminit ſanctitas veſtra, cum temporis excluderemur anguſtia, ne ſermonẽ inchoatum impleremus, in hodiernum diem diſtulimus, vt ea, quæ in hoc facto Euangelicæ lectionis myſtice in ſacramentis poſita eſſent, ipſo adiuuante aperirentur. Non itaque opus eſt nobis immorari diutius in commendando Dei miraculo: Ipſe eſt enim Deus, qui per vniuerſam creaturam quotidiana miracula facit, quæ hominibus non facilitate, ſed aſſiduitate viluerunt. Rara autem, quæ facta ſunt ab eodem domino, id eſt, à verbo propter nos incarnato, maiorem ſtuporem hominibus attulerunt: non quia maiora erant quàm ſunt ea: quæ quotidie in creatura facit, ſed quia iſta, quæ quotidie fiunt, tanquam naturali curſu peraguntur: illa vero efficacia potentiæ etiam tanquam præſentis exhibita videntur oculis hominum. Diximus, ſicut meminiſtis, reſurrexit vnus à mortuis, obſtupuerunt homines: cum quotidie naſci, qui non erant, nemo miretur: Sic aquam in vinum conuerſam quis non miretur: cum hoc annis omnibus Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia, quæ fecit dominus Ieſus, non ſolum valent ad excitãda corda noſtra miraculis, ſed etiam ad ædificanda in doctrina fidei, ſcrutari nos oportet quid ſibi velint illa omnia, id eſt, quid ſignificent: horum enim omnium ſignificationes ſicut recordamini, in diem hodiernum diſtulimus. Quòd dominus inuitatus venerit ad nuptias, etiam excepta myſtica ſignificatione, confirmare voluit, quòd ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus, prohibentes nubere, & dicẽtes quòd malum eſſent nuptiæ, & quòd diabolus eas feciſſet, cum idem dominus dicat in Euangelio interrogatus, vtrũ liceat homini dimittere vxorem ſuam ex qualibet cauſa, non licere, excepta cauſa fornicationis. In qua reſponſione ſi meminiſtis, hoc ait: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et qui bene eruditi ſunt in fide catholica, nouerunt, quòd Deus fecerit nuptias: & ſicut coniunctio à Deo, ita diuortium à diabolo ſit. Sed propterea in cauſa fornicationis licet vxorẽ dimittere, quia ipſa eſſe vxor prior noluit, quæ fidem coniugalẽ marito nõ ſeruauit. Nec illi qui virginitatem Deo vouent, quanquam ampliorem gradum honoris, & ſanctitatis in Eccleſia teneant, ſine nuptiis ſunt: nam & ipſi pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptiis ſponſus eſt Chriſtus. Ac per hoc ergo dominus inuitatus venit ad nuptias, vt coniugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur ſacramentum nuptiarum, quia & illarum nuptiarum ſponſus perſonam domini figurabat, cui dictum eſt; *Seruaſti vinum bonum vſque adhuc.* Bonum enim vinum Chriſtus ſeruauit vſque adhuc: id eſt, euangelium ſuum: Iam enim incipiamus ipſa ſacramentorum operta detegere, quantum ille donat, in cuius nomine vobis promiſimus. Erat prophetia antiquis temporibus, & à prophetiæ diſpenſatione nulla tempora ceſſauerunt. Sed illa prophetia, quando in illa Chriſtus non intelligebatur, aqua erat. In aqua enim vinum quodammodo latet. Et dicit Apoſtolus, quid intelligamus in iſta aqua: Vſque in hodiernum, inquit, diem, quandiu legitur Moyſes, idipſum velamen ſuper cor eorum poſitum eſt, quod nunc reuelatur, quia in Chriſto euacuatur. Et cum tranſieris, inquit, ad dominum, auferetur velamen. Velamen dicit adopertionem prophetiæ, vt non intelligeretur. Tollitur velamen, cum tranſieris ad dominum: ſic tollitur inſipiẽtia, cum tranſieris ad dominum, & quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Chriſto, quid tam inſipidum, & fatuum inuenies? Intellige ibi Chriſtum, non ſolum ſapit, quod legis, ſed etiam inebriat, mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiſcens, in ea, quæ ante ſunt, extendaris. Ergo prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorſus currit ordo naſcentium in genere humano, de Chriſto non tacuit: ſed occultum ibi erat: adhuc enim erat aqua. Vnde probamus, quòd omnibus temporibus ſuperioribus vſque ad ætatem, qua dominus venit, prophetia de illo non defuit? Ipſo domino dicente, Cum enim reſurrexiſſet à mortuis inuenit diſcipulos ſuos dubitantes de ipſo, quem ſecuti erãt. Viderunt enim eum mortuum, & non ſperauerunt eum reſurrecturum, & tota ſpes eorum concidit. Vnde ille latro laudatus ipſo die meruit eſſe in paradiſo, quia in cruce crucifixus tunc confeſſus eſt Chriſtum, quando de illo diſcipuli dubitauerunt. Ergo inuenit eos nutantes, & quodammodo arguentes ſeipſos, quòd in illo redemptionem ſperauerũt, dolebant tamen eum ſine culpa occiſum, quia nouerant innocentem. Et hoc ipſi poſt reſurrectionem dixerunt, cum quoſdam eorum triſtes inueniſſet in via; Tu ſolus peregrinaris in Hieruſalem, & non

1. Tim. 4.
Matt. 19.
2. Cor. 3.
Philip. 3.
Luce 23.
Luce 24.

cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus? Ille autem dixit eis: Quæ? Illi verò dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in factis, & dictis in cõſpectu Dei, & vniuerſi populi, quomodo hũc tradiderũt ſacerdotes, & principes noſtri in dãnationem mortis, & cruci eum fixerunt. Nos autẽ ſperabamus, quia ipſe erat, qui redẽpturus eſſet Iſrael, & nunc tertius dies agitur hodie, ex quo hæc facta ſunt. Hæc, atque alia cùm dixiſſet vnus ex duobus, quos inuenit in via euntes ad propinquum caſtellum, reſpondit ipſe, & ait; O inſenſati, & tardi corde ad credendum, ſuper omnia, quæ locuti ſunt prophetæ. Nõnne hæc omnia oportebat pati Chriſtum, & introire in claritatem ſuam? Et fuit incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis interpretãs illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Item alio loco, cum palpari ſe manibus diſcipulorum voluit, vt crederent, quia in corpore reſurrexerat; Hi ſunt, inquit, ſermones, quos locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quia oporteret impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & Pſalmis de me. Tunc adaperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & dixit illis; Quia ſic ſcriptũ eſt, & ſic oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientes à Hieruſalem. His ex euangelio, quæ certè manifeſta ſunt, intellectis, patebunt illa omnia myſteria, quæ in iſto miraculo domini latent: Videte quid ait; Quia oportebat impleri in Chriſto, quæ de illo ſcripta ſunt. Vbi ſcripta ſunt? In lege, inquit, & prophetis, & pſalmis, nihil ſcripturarum veterum prætermiſit. Illa erat aqua: Et ideo dicti ſunt illi à domino inſenſati, quia eis adhuc aqua ſapiebat, non vinum. Quomodo autem fecit de aqua vinum? Cùm aperuit eis ſenſum, & expoſuit eis ſcripturas, incipiens à Moyſe, & per omnes prophetas: vnde iam inebriati dicebant, Nõnne cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas? Intellexerunt enim Chriſtum in his libris, in quibus eum non nouerant. Mutauit autem aquam in vinum dominus noſter Ieſus Chriſtus, & ſapit, quod non ſapiebat, & inebriat, quod non inebriabat. Si enim iuſſiſſet inde aquam effundi, & ſic ipſe mitteret vinum ex occultis creaturæ ſinibus, vnde fecit & panẽ, quando ſaturauit tot millia: non enim quinque panes habebant, quinque millium hominum ſaturitatem, aut ſaltem duodecim cophinos plenos, ſed omnipotentia domini quaſi fons panis erat: ſic poſſet & effuſa aqua vinum infundere: quod ſi feciſſet, videretur ſcripturas veteres improbaſſe. Cum autem ipſam aquam conuertit in vinum, oſtendit nobis, quòd & ſcriptura vetus ab ipſo eſt: nam iuſſu ipſius impletæ ſunt hydriæ. A domino quidem & illa ſcriptura, ſed nihil ſapit, ſi non ibi Chriſtus intelligatur. Intendite autem, quod ipſe ait, quæ ſcripta ſunt in lege, & prophetis, & pſalmis de me. Nouimus autem legem ex quibus temporibus narret: id eſt, ab exordio mun-
Geneſ.1. di. In principio fecit Deus cælum, & terram: inde vſque ad hoc tempus, quod nunc agimus, ſexta ætas eſt, vt ſæpe audiſtis, & noſtis. Nã prima ætas computatur ab Adam vſq; ad Noë: ſecunda à Noë
Matth.1. vſque ad Abraham: ſic & Matthæus euangeliſta per ordinẽ ſequitur, & diſtinguit: tertia ab Abraham vſq; ad Dauid: quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis: quinta à tranſmigratione Babylonis vſque ad Ioannem Baptiſtam: ſexta inde vſque ad finem ſeculi. Propterea & ſexta die fecit Deus hominẽ ad imaginem ſuam, quia ſexta iſta ætate, manifeſtatur per Euangelium reformatio mentis noſtræ, ſecundum imaginem eius, qui creauit nos. Et conuertitur aqua in vinum, vt iam manifeſtatum Chriſtum in lege, & prophetis ſapiamus. Ideo *Erant ibi ſex hydriæ, quas iuſſit impleri aqua.* Sex ergo illæ hydriæ, ſex ætates ſignificant, quibus non defuit prophetia. Illa ergo tempora ſex, quaſi articulis diſtributa, atque diſtincta, quaſi vaſa eſſent inania, niſi à Chriſto implerentur, quid dixi tempora, quæ inaniter currerent, niſi in eis dominus Ieſus prædicaretur? Impletæ ſunt prophetiæ, plenæ ſunt hydriæ, ſed vt aqua in vinum conuertatur in illa tota prophetia Chriſtus intelligitur. Quid eſt autem; *Capiebant metretas binas vel ternas?* Myſterium nobis maxime iſta locutio commendat. Metretas enim dicit menſuras quaſdam, tanquam ſi diceret, vrnas, amphoras, vel ſi quid huiuſmodi. Nomẽ menſuræ eſt metreta, & à menſura accepit nomen iſta menſura. Metron enim menſuram dicunt Græci: inde appellatæ metretæ. Capiebant ergo metretas binas, vel ternas. Quid dicimus, fratres? Si ternas tantum diceret, nõ curreret animus noſter niſi ad myſterium trinitatis. Sed forte nec ſic debemus inde cito iam ſenſum noſtrum auertere, quia dixit binas, vel ternas: quia nominato patre, & filio, conſequenter & ſpiritus ſanctus intelligendus eſt. Spiritus enim ſanctus non eſt patris tãtummodo, aut filij tantummodo ſpiritus, ſed patris, & filij ſpiritus: ſcriptũ eſt enim: 1.Ioan.2.
Si quis dilexerit mundum, non eſt ſpiritus patris Rom.8.
in illo. Item ſcriptum eſt, Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Idem autem ſpiritus, & patris, & filij: nominato itaque patre, & filio, intelligitur & ſpiritus ſanctus, quia ſpiritus eſt & patris, & filij. Cum autem nominatur pater, & filius, tanquam duæ metretæ nominantur: cum autem ibi intelligitur ſpiritus ſanctus, tres metretæ. Ideo non dictum eſt, capientes metretas, aliæ binas, aliæ ternas, ſed ipſæ ſex hydriæ capiebant metretas binas, vel ternas: tanquam diceret, & quando dico binas, etiam ſpiritum patris, & filij cum his intelligi volo: & quãdo dico ternas, ipſam trinitatem manifeſtius enuncio. Quiſquis itaque nominat patrẽ, & filium, oportet ibi intelligi tanquam charitatem inuicem patris, & filij, quod eſt ſpiritus ſanctus: fortaſſis enim diſcuſſæ ſcripturæ,
quod nõ ſic dico, vt hoc dicere poſſim, † aut quaſi † al. vt hodie
aliud inueniri non poſſit, ſed tamen fortaſſe ſcru- docere poſſim.
tatæ ſcripturæ indicant, quòd ſpiritus ſanctus charitas eſt. Et ne puteris vilem eſſe charitatem: quomodo autem vilis eſt, quando omnia, quæ dicuntur, nõ vilia, chara dicuntur? Si ergo quæ non ſunt
vilia, chara ſunt: quid eſt charius ipſa charitate? Sic 1.Cor.12.
autem commendatur charitas ab Apoſtolo vt di- & 13.
cat; Supereminentiorem viam vobis demonſtro: Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens: Et ſi ſciero omnia ſacramenta, & omnem ſciẽtiam, & habuero prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeã, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt. Quãta eſt ergo

 charitas,

charitas,quę ſi deſit,ſtuſtra habétur cętera:ſi adſit, rectè habentur omnia. Tamen charitatem laudans
Rom 5. Apoſtolus Paulus copioſiſſimè,atq; vberrimè,minus de illa dixit, quã quod ait breuiter Apoſtolus Ioãnes,cuius eſt hoc Euangeliũ. Neq; enim dubi-
1 Ioan 4. tauit dicere;Deus charitas eſt:Scriptum eſt etiam, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctũ , qui datus eſt nobis. Quis ergo nominet patrẽ,& filiũ,& nõ ibi intelligat charitatẽ patris & filij?Quam cum habere cœperit,ſpiritum ſanctum habebit:quam ſi non habuerit,ſine ſpiritu ſancto erit.Et quo modo corpus tuum,ſine ſpiritu , quod eſt anima tua : ſi fuerit , mortuum eſt: ſic anima tua ſine ſpiritu ſancto, id eſt , ſine charitate ſi fuerit,mortua deputabitur. Ergo metretas binas capiebant hydriæ, quia in omnium temporum prophetia pater & filius prædicatur , ſed ibi
Ioan.10. eſt & ſpiritus ſanctus.Ideoque adiunctum eſt , *vel ternas*:Ego,& pater,inquit,vnum ſumus. Sed abſit vt ſpiritum ſanctum , vbi audimus ego , & pater vnum ſumus,non eſſe dicamus : Tamen quia pa-
Matth.28. trem , & filium nominauit , capiebant hydriæ binas metretas.Sed audi,*vel ternas*: Ite baptizate gẽtes,in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti. Itaque in eo quòd dicuntur binæ , non exprimitur, ſed intelligitur : in eo vero quòd dicuntur, *vel ternæ*,etiam exprimitur trinitas.Sed eſt & alius intellectus non prætermittendus, & ipſum dicam, eligat quiſque quod ſuggeritur non ſubtrahimus. Menſa enim domini eſt , & nõ oportet miniſtrum fraudare conuiuas, præſertim ſic eſurientes,vt apparet auiditas veſtra. Prophetia quæ ab antiquis temporibus diſpenſatur,ad ſalutem omnium gentium pertinet. Ad ſolum quidem populum Iſrael miſſus eſt Moyſes , & ei ſoli populo per eum lex data eſt,& ipſi prophetę ex illo populo fuerunt,& ipſa diſtributio temporum ſecũdum eundem populum diſtincta eſt:vnde & hydriæ dicuntur. *Secundum purificationem Iudæorum*: Sed tamen quod illa prophetia etiam cæteris gentibus annunciabatur,manifeſtum eſt,quandoquidem Chriſtus in quo benedicentur omnes gentes,ſicut promiſſum eſt Abrahæ,dicente domino , in ſemine tuo bene-
Gen.22. dicentur omnes gentes. Nondum autem intelligebatur , quia nondum aqua conuerſa fuerat in vinum:ergo omnibus gentibus diſpẽſabatur prophetia. Quod vt emineat iocundius , de ſingulis ætatibus,tanquam de ſingulis hydriis,pro tempore quædam commemoremus. In ipſo exordio, Adam & Eua parentes omnium gentium erant, non tantummodo Iudæorum : Et quicquid figurabatur in Adam de Chriſto,ad omnes vtique gẽtes pertinebat,quibus ſalus erat in Chriſto. Quid ergo potiſſimum dicam de aqua primæ hydriæ, niſi quod Apoſtolus ait , de Adam & Eua ? Nemo enim me dicet prauè intellexiſſe, quando intellectum non meum,ſed Apoſtoli profero, Illud ergo vinum quantum myſterium de Chriſto continet,
Ephes.5. quod commemorat Apoſtolus dicens ; Et erunt duo in carne vna.Sacramentum hoc magnum eſt. Et ne quis iſtam magnitudinem ſacramẽti in ſingulis quibuſque hominibus vxores habentibus intelligeret : Ego autem inquit,dico in Chriſto & in Eccleſia, quod eſt hoc ſacramentum magnum, erunt duo in carne vna. Cum de Adam & Eua ſcriptura geneſeos loqueretur:vnde ventum eſt ad
Gen.2. hæc verba: Propterea relinquet homo patrem , & matrem , & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna : ſic ergo Chriſtus adhæſit Eccleſiæ , vt eſſent duo in carne vna. Quomodo reliquit patrẽ? quomodo patrem reliquit ? Patrem , quia cum in *Philip.2.* forma Dei eſſet,non rapinã arbitratus eſt ſe æqualem Deo,ſed ſemetipſum exinaniuit , formam ſerui accipiens : Hoc eſt enim , reliquit patrem , non quia deſeruit & receſſit à patre,ſed quia non in ea forma apparuit hominibus,in qua æqualis eſt patri. Quomodo reliquit matrem? Relinquendo ſynagogam Iudæorum , de qua ſecundum carnem natus eſt , & inhærendo Eccleſiæ quam ex omnibus gentibus congregauit. Ergo prima hydria habebat prophetiam de Chriſto:ſcilicet quando iſta quæ loquor non prædicabantur in populis,adhuc aqua erat,in vinum mutata nondum erat.Et quia illuminauit nos per Apoſtolum dominus, vt oſtẽderet nobis quid ibi quæreremus in ipſa vna ſententia, erunt duo in carne vna , ſacramentum magnum in Chriſto & in Eccleſia: iam licet nobis vbique Chriſtum quærere, & de omnibus hydriis vinum potare. Dormit Adam vt fiat Eua, moritur Chriſtus vt fiat Eccleſia.Dormienti Adæ , fit Eua de latere, mortuo Chriſto lancea percutitur latus, vt profluant ſacramenta quibus formetur Eccleſia.Cui non apparet quia in illis tunc factis futura figurata ſunt , quandoquidem dicit Apoſtolus ipſum Adam formã futuri eſſe ? Qui eſt,inquit, forma futuri.Præfigurabãtur omnia myſtice : Neque enimuero non poterat Deus vigilãti coſtam educere , fœminamque formare ? An forte ne doleret latus quando coſta detracta eſt,propter hoc oportebat vt ille dormiret? Quis eſt qui ſic dormiat, vt ei oſſa non euigilanti euellantur ? An quia Deus euellebat,propterea homo non ſentiebat?Poterat ergo & vigilanti ſine dolore euellere , qui poterat dormienti : ſed procul dubio hydria prima implebatur,prophetia illis temporibus futuro iſto tempori diſpenſabatur.Chriſtus etiam figuratus eſt in Noë,& in illa arca orbis terrarum. Quare ergo in arca incluſa ſunt omnia animalia, niſi vt ſignificarentur omnes gentes ? Non enim deerat Deo rurſus creare omne genus animalium;quando enim omnia non erant , nónne dixit producat terra , & produxit terra ? Vnde ergo tunc fecit, inde reficeret:verbo fecit,verbo reficeret, niſi quia myſteriũ commendabat,& ſecundam hydriam propheticę diſpenſationis implebat,vt per lignum liberaretur figura orbis terrarum , quia in ligno figenda erat vita orbis terrarum.Iam in tertia hydria ipſi Abrahæ quod iam commemoraui, dictum eſt:In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Et quis non videat cuius habeat figuram vnicus eius , qui ſibi ad ſacrificium quò ipſe immolandus ducebatur, ligna portabat ? Portauit enim dominus crucem ſuam , ſicut Euangelium loquitur. Hoc de tertia hydria commemoraſſe ſufficiat. De Dauid autem quid dicam,quòd ad omnes gẽtes pertinebat prophetia eius , quando modo audiuimus Pſalmum: & difficile eſt vt dicatur Pſalmus, in quo hoc non ſonet?Sed certe vt dixi modo cantauimus , Surge, Deus, iudica terram , quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Et ideo Donatiſtæ tanquam proiecti de nuptiis:ſicut ille homo, qui non habebat veſtem nuptialem , inuitatus eſt, & venit , ſed proiectus eſt de numero vocatorum, quia non habebat veſtem ad ſponſi gloriam : qui enim ſuam gloriam quærit,non Chriſti, nõ habet veſtem nuptialem : non enim volunt conſonare voci illius,

qui

qui amicus erat ſponſi, & ait; Hic eſt, qui baptizat. Nec immeritò illi, qui non habebat veſtem nuptialem, hoc per increpationem obiectũ eſt, quod non erat: Amice, quid huc veniſti? Et ſicut ille obmutuit, ſic & iſti: quid enim prodeſt ſtrepitus oris muto corde? Nouerant quippe intus apud ſemetipſos non ſe habere quod dicant: intus obmutuerunt, foris perſtrepant. Audiunt velint nolint, etiã apud ſe cãtari; Surge, Deus, iudica terrã, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Et nõ communicando omnibus gentibus, quid aliud quam ſe exhæredatos eſſe cognoſcant? Quod ergo dicebam, fratres, quia ad omnes gentes pertinet prophetia: volo enim alium ſenſum oſtendere in eo quod dictum eſt; *Capientes metretas binas, vel ternas*: ad omnes, inquam gentes pertinere prophetiam, modo commemorauimus demõſtratum in Adam, qui eſt forma futuri. Quis autem neſciat quòd de illo exortæ ſunt omnes gentes, & in eius vocabulo quatuor literis quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonſtrantur? Si enim Græce dicantur, oriens, occidens, aquilo, meridies, ſicut eas pleriſque locis ſancta ſcriptura commemorat, in capitibus verborum inuenis Adam: dicuntur enim Græce quatuor memoratæ mundi partes, *ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία*. Iſta quatuor nomina ſi tanquam verſus quatuor ſub inuicem ſcribas, in eorum capitibus Adam legitur. Hoc in Noë propter arcam figuratum eſt, in qua erant omnia animalia, quæ ſignificabant omnes gentes: hoc in Abraham, cui apertius dictum eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes: hoc in
Pſal. 81. Dauid, de cuius Pſalmis, vt alia omittam modo cantauimus, Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Cui enim Deo dicitur, ſurge, niſi ei qui dormiuit? Surge, Deus iudica terram: tanquam diceretur; Dormiſti iudicatus à terra, ſurge vt iudices terram. Et quò pertinet illa prophetia; Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus? Iam vero in quinta ætate
Daniel. 2. tanquam in quinta hydria Daniel vidit lapidem præciſum de monte ſine manibus, & confregiſſe omnia regna terrarum, & creuiſſe illum lapidem, & factum eſſe montem magnum, ita vt impleret vniuerſam faciem terræ. Quid apertius fratres mei? Lapis de monte præciditur, ipſe eſt lapis quem reprobauerunt ædificãtes, & factus eſt in caput anguli. De quo monte præciditur, niſi de regno Iudæorum, vnde dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundum carnem natus eſt? Et præciditur ſine manibus, ſine opere humano, quia ſine amplexu maritali de virgine exortus eſt. Mons ille vnde præciſus eſt non impleuerat vniuerſam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Iudæorum omnes gẽtes: at vero regnum Chriſti, omnes gentes & vniuerſum orbem terrarum cernimus occupare. Iam ad ſextam ætatem pertinet Ioannes Baptiſta, quo nemo exurrexit maior de natis mulierum: de quo dictum eſt, Maior quàm propheta. Quomodo & ipſe oſtendit, quia omnibus gentibus miſſus eſt Chriſtus; quando Iudæi venerunt ad eum vt ba-
Matth. 3. ptizarentur? Et ne ſuperbirent de nomine Abrahæ, generatio inquit, viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, id eſt, humiles eſtote: ſuperbis enim loquebatur. Vnde autem erant ſuperbi? De genere carnis, non de fructu imitationis patris Abraham. Quid eis ait? Nolite dicere, patrem habemus Abraham, potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Lapides dicens omnes gentes, non propter firmitatem, ſicut lapis dictus eſt, quem reprobauerunt ædificãtes: ſed propter ſtoliditatẽ, & duritiã ſtultitiæ, quia eis, quos adorabant, ſimiles facti erant, Adorabãt enim inſenſata ſimulachra, pariter inſenſati. Vnde inſenſati? Quoniam in Pſalmo dicitur; Similes il- *Pſal 113.*
lis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Ideo cum cœperint homines Deum adorare, quid audiunt? Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit, ſuper iuſtos, & iniuſtos. Quapropter ſi ei ſit homo ſimilis, quem adorat: quid eſt, potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ? Noſipſos interrogemus, & videamus quia factum eſt: Nos enim de gentibus venimus. De gentibus autem non veniremus, niſi Deus de lapidibus ſuſcitaſſet filios Abrahæ. Facti ſumus filij Abrahæ imitando fidem, non naſcendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæredati: ſic nos imitando adoptati. Ergo, fratres, ad omnes gentes pertinebat etiam iſta ſexta hydria prophetiæ, & ideo de omnibus dictum eſt. *Capientes metretas binas vel ternas.* Sed quomodo oſtendimus omnes gentes pertinere ad binas vel ternas metretas? Æſtimantis enim fuit quodammodo, vt ipſas diceret binas quas dixerat ternas, ad commendandum ſcilicet ſacramentum. Quomodo ſunt binę metretæ? Circunciſio, & præputium. Hos duos populos ſcriptura commemorat, & nullum prætermittit hominum genus, quãdo dicit, circunciſio & præputium. In duobus iſtis nominibus habet omnes gentes, & binæ metretæ ſunt. His duobus parietibus de diuerſo venientibus ad pacem in ſeipſo faciendam, lapis angularis factus eſt Ieſus. Oſtendamus & ternas metretas in eiſdem ipſis omnibus gentibus. Tres enim erant filij Noë, per quos reparatum eſt genus humanum: Vnde dominus
ait; Simile eſt regnum cælorum fermento, quod *Luc. 13.*
accepit mulier, & abſcondit in farinæ menſuris tribus, quoadusque fermentaretur totum. Quæ eſt iſta mulier, niſi caro domini? Quod eſt fermentum, niſi Euangelium? Quæ ſunt tres menſuræ, niſi omnes gentes, propter tres filios Noë? ergo ſex hydriç capientes binas vel ternas metretas, ſex ſunt ætates temporum, capiẽtes prophetiam pertinentem ad omnes gentes, ſiue in duobus generibus hominum, id eſt, Iudæis & Græcis, ſicut ſæpe Apoſtolus commemorat: ſiue in tribus, propter Noe tres filios ſignificatos. Figurata eſt enim prophetia pertingens vſque ad omnes gentes. Nam in eo quod pertingit, dicta eſt metreta, ſicut dicit
Apoſtolus, Accepimus menſuram pertingendi *2. Cor 10.*
vſque ad vos: Gentibus enim euangelizans ſic ait, menſuram pertingendi ad vos.

EIVSDEM DE EODEM

Homil. 4.

SCitis, fratres, in Chriſtum enim credentes di- *Serm. 41. de*
diciſtis, & aſſidue etiam nos miniſterio noſtro *ver. domini.*
commendauimus vobis, quòd medicina tumoris hominis, humilitas eſt Chriſti. Non enim periſſet
homo, niſi ſuperbia tumuiſſet, Initium enim, ſi- *Eccli. 10.*
cut dicit ſcriptura, omnis peccati ſuperbia. Contra, initium peccati, initium iuſtitiæ neceſſarium

fuit. Si ergo omnis peccati ſuperbia initium, vnde ſanaretur tumor ſuperbiæ, niſi Deus dignaretur humilis fieri? Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quoniam factus eſt humilis Deus. Nam quando dicitur homini vt humiliet ſe, dedignatur: & vt velint homines vindicari quando læduntur, ſuperbia facit. Cum humiliari dedignantur, vindicari volunt, quaſi pœna cuique prodeſſe poſſit aliena. Læſus & iniuriam paſſus, vindicari vult, de aliena pœna ſibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormentum. Ideo in omnibus dominus Chriſtus humiliari dignatus eſt, præbens nobis viam, ſi tamen dignemur ambulare per eam. Ecce inter cætera filius virginis venit ad nuptias, qui eum apud patrem eſſet, inſtituit nuptias. Quo modo facta eſt prima mulier, per quam venit peccatum, de viro ſine fœmina: ſic vir, per quem deletum eſt peccatum, de fœmina ſine viro. Per illum ruimus, per hunc ſurgimus. Et quid in ipſis nuptiis fecit? De aqua vinum. Quid potentius? Qui poterat talia facere, dignatus eſt indigere. Qui fecit de aqua vinum, potuit facere & de lapidibus panem: eadem potentia erat. Sed tunc diabolus tentauit, ideo Chriſtus non fecit. Scitis enim quia quando tentatus eſt dominus Chriſtus, hoc ei ſuggeſſit diabolus. Eſuriuit enim: quia & hoc dignatus eſt, quia & hoc ad humilitatem pertinuit. Eſuriuit panis ſicut defecit via, ſicut vulnerata eſt ſanitas, ſicut mortua eſt vita. Cũ ergo eſuriret vt noſtis, ait illi tentator, Si filius Dei es, dic lapidibus iſtis vt panes fiant. Et reſpondit tentatori, docens te reſpondere tentatori. Ad hoc enim pugnat Imperator vt milites diſcant. Quid reſpondit? Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Et non fecit de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere ſicut de aqua vinum. Eiuſdem enim potentiæ eſt facere de lapidibus panem, ſed non fecit vt voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur niſi contemnatur. Et cum viciſſet diabolum tentatorem, venerunt angeli, & miniſtrabant ei. Qui ergo tãtum poterat, quare illud non fecit, & hoc fecit? Lege, imò recole, quod modo audiſtis quando fecit hoc, id eſt, de aqua vinum. Quid addidit Euangeliſta? Et crediderunt in eum diſcipuli eius. Nunquid tunc diabolus fuerat crediturus? Qui ergo tanta potuit, eſuriuit, ſitiuit, fatigatus eſt, dormiuit, comprehenſus eſt, cæſus eſt, crucifixus eſt, occiſus eſt. Iſta eſt via, ambula per humilitatem, vt venias ad æternitatẽ. Deus Chriſtus, patria eſt quo imus, homo Chriſtus via eſt, qua imus, ad illum imus, per illum imus. Quid timemus ne erremus? Non receſſit à patre, & venit ad nos. Vbera ſugebat, & mundum continebat. In præſepi iacebat, & angelos paſcebat. Deus & homo, idem Deus qui homo, idem homo qui Deus. Sed non vnde homo, inde Deus, quia verbum homo, quia verbum caro factum eſt, & Deus manendo & hominis carnem aſſumendo, addendo quod non erat, perdendo quod erat. Ergo & modo iam paſſus per ipſam humilitatem, iam mortuus, iam ſepultus, iam reſurrexit, iam aſcendit in cælum, ibi eſt & ſedet ad dexteram patris, ſed hic eſt egens in pauperibus ſuis. Etiam heſterno die hoc commendaui charitati veſtræ, propter illud quod dixit Nathanaeli, Maius his videbis. Dico autem vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ad filium hominis. Quæſiuimus quid eſſet, & diu locuti ſumus: nunquid & eadem hodie replicare debemus? Qui aſſuerunt recordentur, breuiter tamen commemoro. Non diceret aſcendẽtes ad filium hominis, niſi ſurſum eſſet: nõ diceret deſcendẽtes (ad filium hominis) niſi deſurſum eſſet. Ipſe ſurſum, ipſe deorſum. Surſum in ſe, deorſum in ſuis. Surſum apud patrem, deorſum in nobis. Vnde & vox illa ad Saulum, Saule, Saule, quid me perſequeris? Nõ diceret Saule, Saule, niſi quia ſurſum erat. Surſum eum Saulus non perſequebatur. Non diceret quid me perſequeris, qui ſurſum erat, niſi eſſet & deorſum. Timete Chriſtum ſurſum, agnoſcite deorſum. Habe Chriſtum ſurſum largientẽ, hic agnoſce indigentem. Hic pauper eſt, ibi diues eſt. Quod hic pauper eſt Chriſtus, pro nobis, ipſe loquitur, Eſuriui, ſitiui, nudus fui, in carcere fui: & quibuſdam dixit, miniſtraſtis mihi, quibuſdam dixit, non mihi miniſtraſtis. Ecce probauimus Chriſtũ pauperem, Chriſtum diuitem, quis neſcit. Et hic ad diuitias pertinebat, aquam in vinum vertere. Si diues eſt, qui habet vinum, qualis diues eſt, qui facit vinum? Ergo diues, & pauper Chriſtus. Tanquam Deus diues, tanquam homo pauper. Iam & ipſe homo diues aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris, adhuc tamen hic pauper eſurit, ſitit, nudus eſt. Tu quid es? Diues, an pauper? Multi mihi dicũt, pauper ſum, & verum dicunt. Agnoſco pauperem aliquid habentem agnoſco & indigentem. Sed habet quidam multum auri, & argenti. O ſi agnoſcat ſe pauperem! Agnoſcit ſe pauperem, ſi agnoſcit iuxta ſe pauperem. Quid enim? Quantum vis habeas, quicunque diues es, Dei mendicus es. Venitur ad horam orationis, & ibi te probo. Petis, quo modo non pauper es, qui petis? Plus addo. Panem petis. An non es dicturus, Panem noſtrum quotidianum da nobis? Qui panem quotidianum petis, pauper es, an diues? Et tamen Chriſtus dicit tibi, Da mihi ex eo quod tibi dedi. Quid enim attuliſti quando veniſti? Omnia, quæ creaui, creatus hic inueniſti, nihil attuliſti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas? Quia tu plenus es, & pauper inanis eſt. Primordia veſtra attẽdite, ambo nudi nati eſtis. Et tu ergo nudus natus es. Multa hic inueniſti. Nunquid tecum aliquid attuliſti? De meo quæro, da, & reddo. Habuiſti me largitorem, facito debitorem. (Parum eſt, quod dixi, Habuiſti me largitorem, fac me debitorem,) habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Terrena mihi das, cæleſtia reddam. Temporalia mihi das, æterna reſtituam. Teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Ioan. 1. Gene. 2. Matt. 4. Luc. 2. Ioan. 1. Act. 9. Matth. 6.

EIVSDEM IN IDEM
Homil. 5.

Sermo 41. de temp. dubitatur à Louanienſibus.

DOmini, & ſaluatoris noſtri virtus, fratres chariſſimi, præſente lectione euidenter oſtenditur, cùm mirabilia eius non obſcuritate verborũ, ſed eloquij puritate narrantur. Denique Euangeliſta ita myſterij interna cuſtodit, vt rem geſtam fido ſermone deſignet. Sic enim ait, *Vocatus eſt dominus Ieſus ad nuptias, & mater ſua.* Nec dedignatus eſt conuerſationem hominum, qui vſum carnis exceperat. Nec ſecularia inſtituta contempſit, qui ad hæc venerat corrigenda. Interfuit nuptiis, vt concordiæ iura firmaret. Interfuit nuptiis, & comeſſationes non renuit nuptiarum, vt Pſalmos, & tympana

tympana ad Dei patris gloriam prædicandam cõcitaret, vt pater honoraretur in filio, & à patre filius* haſceretur. *Erat*, inquit, *mater eius ibi*: Quàm libenter Maria ad has nuptias venit, in quibus Dei mirabilia comprobat. Vinum diuina ſuggeſtione ſuggeretur defeciſſe. Nunquid latere Deum poterat, quid in ea domo, in qua erat, gereretur? Sed nõ ignorans rerum Deus reſpondit, *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea?* Hac reſponſione interim debemus aduertere, quod de nuptiali vino pars aliqua adhuc fortè reſedetat. Ideo nõdum erat domini plena hora virtutum, ne miſcere magis elementa quàm mutare videretur. Sed ait, *Nondum venit hora mea*, vt ita ſint Dei mirabilia manifeſta, vt nec argumento valeat inimicus, nec perfidia Iudæus inſimulet, *Et dicit Maria miniſtris, Quæcunque dixerit, vobis, facite*. Quàm bene mater domini credulitatem ſuadet miniſtris, vt non deſint vina prandentibus. *Quæcunque dixerit, facite*. Intelligimus iam eſſe myſterium, cùm Dei mãdata ſe noſſe ſolicitè mater hortatur. *Ait dominus Ieſus ad miniſtros, Implete hydrias aqua. Et cùm impleuiſſent, ait, Haurite nunc & ferte Architriclino.* Quod cùm princeps architriclinij accepiſſet, ſtatim intellexit vina illata poſterius eſſe ſublimia. Et cùm neſciret quod dominus feciſſet, ſponſo ait, Quid tam ſerò meliora profers vina, cum hæc prima eſſe debuerant? Vidimus ergo conuenire myſterium, & quod ſaluator dicit, *Nondum venit hora mea*: & cũ accuſat princeps architriclinij tarditatem ſponſi, videamus attentius ordinis huius, quæ Euangeliſta deſignat aperta myſteria. Videamus quæ ſint nuptiæ, qui miniſtri, qui princeps architriclinij, qui ſponſus, quo modo ad nuptias Deus, quo modo Maria, vnde ex aqua vinũ, quare poſteà melius, quare Deus in hora differre voluerit. Equidem nulla ſunt apud credentium mentes occolta myſteria. Nihil animus fallitur, qui Deum fideliter confitetur. Nam qui ſcit ſaluatoris aduentum vitæ noſtræ eſſe remedium, facile virtutis eius miſericordiam pura veritate cognoſcit. Vocatur ſaluator ad nuptias, hoc eſt, eccleſiæ vota ſpiritus ſanctus innocatur. Venit cum diſcipulis ſuis, id eſt, in hoc loco turba ſanctorum. Quid dici apertius poteſt? Mirabilia Dei Mater expectabat, hoceſt, virtutem Chriſti expectat eccleſia, appropinquare compellit. Ait enim Maria, Ecce vina deficiunt; id eſt, quare populus iam non inuenit remedium? Maria Deum probare feſtinat, vinum eccleſia optat excipere, vt fiat ex nuptiali prandio ſpiritale conuiuium. Dicit enim, *Quid mihi & tibi eſt mulier*? Nunquid mulierem dicit Mariam, quæ virgo poſt partum inuenta eſt? Sed eccleſiam, quæ non ſolùm mulier, ſed etiam meretrix nuncupatur, quæ errantem populum, & per æuum, & lubricam ætatem laſciuum tanquam proſtitutam ſuſcepit ſponſam, & quaſi docta mater adornat. *Nõdum venit*, inquit, *hora mea*: hoc eſt, paſſionis tempus ſupereſt. Nondum venit hora mea, nondum populus credidit, nondum Iudæus inſequitur. Adhuc habet diabolus, vnde lætetur, adhuc triumphi mei palma non proditur, adhuc locum crucis perſecuturus ignorat, ac necdum Iudas mentitur. Nondum venit hora mea, Sunt prius quæ purgẽtur in ſeculo, & ſic vita proficit in populo. *Dixit Maria miniſtris, Facite quæcunque iuſſerit*. hoc eſt, obtemperate doctori, miniſtris mandat eccleſia. Qui ſunt miniſtri, niſi officia Leuitarum, quę Dei myſteriis ſunt deputati? Implentur hydriæ aqua: hoc eſt, vacuatæ nuptiali vino, id eſt, potu ſordido, fontis puritate ſupplentur, & benedictione domini in ſaporem vini vertuntur, vt ex aqua ſpiritus potum, qui iam prandentibus defecerat, reputaret. Aquam in vinum conuertit, humanæ fragilitati virtus augetur. Princeps architriclinus vinum melius probat, hoc eſt, dominici vigoris ſaporem humana corda ſenſerunt. Nam qui primum vinum melius iudicauit, primus & credidit. Quod vinum eſt, quod optimum iudicatur, quod Architriclinus princeps queritur ſerò prolatũ, niſi ſanguis dominicæ paſſionis? Hoc eſt enim, quod Deus in hora ſuſpendit, hoc eſt, quod miniſtri ſuſcipiunt, hoc eſt, quod creduli conuiuæ deſignant, hoc eſt, quod ſeruat ſponſus, hoc eſt, quod princeps Architriclinij, qui fidei primus eſt veneratur. Aduertamus ergo attento corde nos ſanctas ſcripturas audire debere, vt cæleſtem doctrinam fida credulitate poſſimus agnoſcere, & ab omni mundi huius impedimento liberari, ipſo adiuuante, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

*forte, noſceretur.

S. CYRILLI EPISCOPI
Alexandrini eiuſdem Euang. expoſitio.

Et *tertia die nuptiæ factæ, &c.* Opportunè iam ad ſignorum initium accedit. Nam honeſte celebratis nuptiis tam mater quàm ipſe com diſcipulis inuitatus adeſt: miraculi potius, quod acturus erat, quàm conuiuij gratia profectus, & ad hæc vt natiuitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius reſtaurabat, non ſolum natis iam hominibus benedicere, verum etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam authoritate miraculi, & præſentia ſua ſanctum efficere. Præterea in doloribus parere filios ad mulierem propter peccatum dictum fuit. Quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum ſanctimonia videretur: quàm ſaluatoris præſentia? qui, cum ſit verum gaudium, priſcum nuptiarum mœrorem præſentia ſui depulit. Noua enim omnis creatura in Chriſto eſt, præteriere, quæ vetera, vt Paulus ait, & omnia facta ſunt noua. Diſcipuli quoque affuerũt: vt miraculo fidem ſuam confirmarent. Vino autem deficiente, mater eius, quæ vniuerſa illi poſſibilia eſſe non ignorabat, hortatur, vt ſolita ſua bonitate, atque miſericordia vteretur. *Vinum* enim ait *non habent. Dixit ei Ieſus, quid mihi, & tibi, mulier? &c.* Non à ſe, neque non rogatus, ad actionem miraculorum dominus ſolet peruenire, neceſſitati enim atque vſui hominum gratiam ſuam præbere ſolet: quamuis gratiora etiam ſunt, quæ petuntur, ſi aliquantulum differuntur. Ad hæc quantus honor parentibus debeatur, facile oſtẽdit: cum ſtatim ad actum propter matrem accedat, quem quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet. *Dixit mater eius miniſtris, &c.* Magnam certè authoritatem, dignitatémque deferri ſibi à domino, mater non ignorabat. quę perſuaſo, vt par erat, filio miniſtros præparat, hortaturque, vt omnia faciant, quæ ipſe imperabit. *Dicit eis Ieſus, implete hydrias aqua, &c.* Faciunt autem miniſtri, ſicut iubentur: aqua verò ineffabili Chriſti virtute in vinum tranſmutatur. Quid enim omnipotenti

Geneſ 3.

2. Cor. 5.

Chriſtus propter Matrem primũ miraculũ patrat.

potenti Deo difficile? Aut quomodo, qui à nihilo ad eſſe res omnes prouocat, non multo facilius vnum ad aliud permutabit, atque traducet? Miratur autem vini qualitatem Architriclinus quaſi præcipuam: nec aliter niſi optimum eſſe poterat, quod factum miraculoſe à Chriſto fuit. Sponſum etiam quàm commode, vt mihi videtur, incuſat: quòd, peracto fere conuiuio, nec ante, optimum vinum obtulerat. *Hoc fecit initium ſignorum ſuorum, &c.* Multa, & magna eodem ſigno peragebantur: ſanctificabantur nuptiæ; maledictio mulierũ, initio noſtri ortus benedicto, deſtruebatur; Gloria ſaluatoris quaſi ſolis radius effulgebat; diſcipulorum deniq; fides roboratur. Sed hiſtoricæ quidem expoſitionis nunc finis ſit: altiorem autem ſenſum occultius hic ſignificatum, vt arbi-

Matth.9. tror, modo explicemus. Deſcendit igitur Dei de cælo filius: vt quaſi ſponſus (ſicut ipſe ait) naturam hominis amplexus, ſpiritalis, veræque ſapientiæ fœtum faceret parere. Sponſa igitur, humanæ vitæ natura, iſta ratione vocatur. Sponſus autem, ipſe ſaluator eſt: à rebus noſtris ad ſublimiora, iuxta ſcripturæ morem, ſimilitudine non improbe accommodata. Tertia verò die nuptię celebrantur: quia in vltimis ſeculi huius temporibus ſaluator apparuit. Nempe numerus iſte, initium, medium, & finem ſignificabat: qua quidem re vniuerſum tempus menſuratur. Sed illud propheticum recte

Oſeæ 6. poteſt accommodari, Percutiet, & curabit, viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, ſciemus, ſequemúrq; vt cognoſcamus dominum. Percuſſit enim

En agnoſcit peccatum originale. nos propter Adæ præuaricationem dicens; terra es, & in terram reuerteris: corruptione autẽ, mor-

Geneſ.3. teque percuſſos tertio die rurſus ipſe curauit, id eſt, non primis, neque mediis, ſed nouiſſimis temporibus, quando propter nos factus homo, totam naturam in ſe ipſo ſuſcitauit, atque ſanauit, idcirco primitias mortuorum Paulus eum appellauit.

Coloſ.1. Nouiſſima igitur tempora, tertiæ diei appellatione ſignificantur. In Cana verò Galilææ, non Hieroſolymis nuptiæ celebrantur: extra Iudæam conuiuium quaſi apud gentium regiones pręparatur. Gentium enim Galilæa ſolet à prophetis appellari. Illud ſane perſpicuum eſt: repulſum à Iudæis ſponſum, ab eccleſia gentium libenter ſuſceptum fuiſſe, venit autem inuitatus ad nuptias: qui multorum vocibus ſanctorũ vocabatur. Vinum conuiuas defecit: quia, ſicut inſita, naturaliſque ratio ſeruare hominem nequiuit, ſic etiam lex non integra nobis lætitia fuit, nec Moſaica ſcriptura hominibus ſatisfecit. Quare verè tam de nobis quàm de lege; *vinum non habent*, dici poteſt, Deus autem gratiarum largitor non patitur bonorum carentia naturam hominum deprimi, ſed multo melius

1.Cor.3. nobis, quàm prius vinum producit. Occidit enim littera: ſpiritus viuificat, & lex quidem nullam perfectionem bonorum affert: euãgelica verò doctrina pleniſſimam benedictionem adducit. Miratur autem tam optimum vinum Architriclinus: quia pontificum quiſque, quibus ſaluatoris domus committitur, huius myſterij ratione ſtupeſcit, cui primum, vinum afferri Chriſtus impe-

2.Tim.2. rauit: quia, vt aut ait Paulus, laborantem agricolam oportet primum fruges deguſtare. Hoc autem vnuſquiſque per ſeipſum intelligat.

S. HILARII ARELAT. *Epiſcopi in idem Euang. Hom. 1.*

Die autem tertio nuptiæ fiebãt. Quæ iſtæ ſunt nuptiæ, niſi vota, & gaudia ſalutis humanæ? quæ vel per confeſſionem trinitatis, vel per fidem reſurrectionis, die tertio in huius numeri myſterio celebrantur? Nam ideo & in alia euangelij lectione, cum choro, & ſymphoniis, & nuptialibus veſtibus, reditus filij iunioris, id eſt, conuerſio populi gentilis excipitur. Itaque tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo deſcendit ad terras eccleſiæ ex gentibus congregandæ, ſuſcepta incarnatione iungendus, cui & arrhas & dotem dedit: arrhas quando Deus homini iunctus eſt: doté, quando pro ſalute hominis immolatus eſt. Arrhas, pręſentem redemptionem: dotem verò, vitam intelligimus æternam. Videamus quid agat in Cana Galilææ: hinc iam prodeant nobis Dei prædicanda miracula, & latentem ſub homine diuinitatem, operum virtute demonſtrent. Statuuntur ſex hydriæ. In ſex hydriis, ſex accipimus mundi huius ætates: quarum populi per labentia ſibi tempora ſuccedentes, aquarum decurſibus comparantur. In ſexto ſiquidem quod nunc agitur ſeculo, plenior ſe infudit diuinæ veritatis agnitio: & ad Chriſtum innumerabilium populorum facta conuerſio eſt. Aquis hydriæ implentur: & cùm exterius in ſpecie ſua maneant, ea quæ interius ſunt nobili à ſe comparatione degenerant. Sapor fortior tenui materiæ apponitur, & occulta lembus fluentis virtus infunditur, & aquarum ieiuna ſubſtantia inebriatur, ac ſi nouo munere auctoris ſui potentiam confiteantur. Quis poſſet iſta conuertere, niſi qui potuit & creare? Hæc itaque videntibus miracula erãt, intelligentibus ſacramenta. Si enim bene reſpicimus, quodammodo in aquis ipſis ſimilitudo baptiſmatis, & regenerationis exponitur. Dum enim aliud ex alio intra ſe efficitur, dum inferior creatura in ſpeciem meliorẽ ſecreta conuerſione transfunditur, myſterium ſecundæ natiuitatis peragitur, mutantur ſubito aquæ, homines poſtmodùm mutaturæ. *Deficiente ergo vino, dicit ad Ieſum mater eius: vinum non habent.* Hic primo loco attentius requiramus, quid ſit vinum, quod defeciſſe dicitur: & quod ſit aliud vinum, quod non natura miniſtrante, ſed potentia operante, profertur. Vinum multis locis ſacrarum ſcripturarum ſalubritatẽ atque virtutem, ſaluciſſimum in ſe vigorem cæleſtis ſapientiæ continentem, quo ad timorem Dei repletus, atque inebriatus fidelium concaleſcit affectus, vt poſſint dicere cum propheta: potaſti nos vino compunctionis, & poculum tuum inebrians quàm pręclarum eſt: & vinum lętificat cor hominis. Operãte ergo Chriſto in Cana Galilęę vinum fit, id eſt, recedit lex, gratia ſuccedit: vmbra remouetur, veritas repræſentatur: carnalia ſpiritualibus comparantur: in nouum teſtamentum obſeruatio vetuſta transfertur: ſicut beatus apoſtolus dicit: vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt noua: & ſicut aquæ illę, quę in hydriis continentur nihil minuunt ex eo, quod erant, & tunc incipiunt eſſe quod non erant: ita lex non perit per aduentum Chriſti manifeſta, ſed proficit. Mater domini, id eſt, ſynagoga dicit: *vinum non habent*: dum hoc dicit, obſeruationibus ſuis finem venire cognoſcit: de qua ſynagoga dominus dicit:

Et

Et relinquam vineam meam:& non putabitur neque fodietur. Quare relinquam vineam meam? Expectaui,inquit,vt faceret vuam,fecit autem ſpinas. Non immerito vinum deficiebat, quia vinea fructum negabat: & ideo ſacra lectione concinitur: quia, inquit, ficus non afferet fructum, nec erunt natiuitates in vineis. Quare ſynagoga ficulneæ comparatur? quia ſicut primi fructus de ficulnea parum viuaces, quod viſu noſſe potuiſtis, incedunt, & ſecundi plena maturitate ſuccedunt: ita per infidelitatem ſynagogæ ſenior populus reprobatur, & iunior gentium per agnitionem veritatis eligitur. Non immerito autem vinum deficit, quia idem dominus dicit: nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Ad quos dicitur: expurgate vetus fermẽtum: eo quòd in vetuſtate malitiam non deponũt. Vtres ergo veteres, Iudęi ſunt, qui in ſe fidem legis infidelitatis aceto corruperant: vnde etiam in cruce pendenti ſuo domino propinarunt. Noui vtres, Chriſtiani ſunt, qui quotidiano profectu in interioribus renouantur: & ideo ſuſcipiunt vinum, id eſt, portant in ſe ſpiritum ſanctum. Vino ergo deficiente, vinum aliud miniſtratur: bonum quidem vinum eſt veteris teſtamenti, ſed noui melius: vetus teſtamentũ, quod Iudæi obſeruãt, vaneſcit in litera: nouum, quod ad nos pertinet, ſaporem vitæ reddit in gratiam. Bonum vinum, id eſt, bonum pręceptum, eſt legis, quando audis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed melius & fortius vinum eſt Euangelij, quando audis: ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos. Audi quantum inter virtutem gratię & legis interſit: Bonum quidem vinum legis, quando dicit: non adulterabis, ſed perfectius vinum gratię, quando dicit, ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierẽ ad concupiſcẽdum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Bonum quidem vinum eſt vetus præceptum, quando dicit: non falſum teſtimonium dices: ſed fortius vinum eſt nouum pręceptum, quando dicit, omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij, ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Lex ergo literę ab licitis ad perfecta ſolicitat. Hoc itaque genere deficit vinũ legis, quia iam non ſunt in ea (ſicut dicit propheta) neque holocauſtomata, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum. Ceſſat vinum legis, in qua non leuita, non templum videtur, in qua nullum iam ſacrificium celebratur. Cum hęc ita ſint, Architriclinũ ipſum, prępoſitum in domo domini poterimus accipere, qui poſt legis literam, poſt aquoſas ſuperſtitiones accepto miraculorum ſuaui odore, vel guſtu ſpiritualium ſenſuum fragrantia repletus, & inebriatus, exclamat & laudat: *tu ſeruaſti vinum bonũ vſque adhuc*, quod vtique ſpiritaliter prædicat, quando dicit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. *Tu ſeruaſti vinum bonum*: tanquam ſi diceret, meliora ſunt domine gratiæ inſtituta, quam legis. Lex peccatores ad tempus vili hircorum, & vitulorum cruore mundauit: tu domine ſeruaſti nobis vinum bonum, id eſt, in extremo ſeculo fudiſti pro nobis ſanguinem tuum. Lex intromiſit in terrã repromiſſionis anguſtis limitibus terminatã: tu domine amplos paradiſi ſinus pandis, tu inæſtimabile præparas regnum, tu introducis in cælum, lex cultores ſuos per medium maris rubri natura rerũ ſtupente duxit. Videamus quanto plus eſt quod præſtat gratia. Qui in Chriſto (inquit) ſunt, reſurgent primi, & tunc ſimul rapiemur obuiam Chriſto in aera, & nube. Ecce vera, ecce prædicãda miracula, ſtupẽdas immutationes, quas quotidie in nobis redemptor noſter operatur, quando de peſſimis bonos facit, caſtos de luxurioſis, humiles de ſuperbis, de ſectatoribus ſeculi, amicos Dei. Quę poteſt maiora exercere miracula quàm quando hominem de ſubſtantia pulueris in angeli ſtatum prouehit, ac terrenam materiam cælo inſerit, & in immortalitatem figmentum mortale tranſcribitur?

EIVSDEM DE EODEM
Homil. 2.

Dies tertius Trinitatis eſt ſacramentum. Miracula nuptiarum myſteria ſunt cæleſtiũ gaudiorum. Dies ergo erat nuptialis & feſta, qua adueniente ſponſo redempta iungebatur eccleſia, illi inquam ſponſo, quem omnia ab initio mundi ſecula ſpoponderũt, qui deſcẽdit ad terras vt dilectam ſuam ad celſitudinis ſuę thalamos inuitaret, dans ei in præſenti arrham ſanguinis ſui, daturus poſtmodum dotem regni ſui. Sex hydriæ ſex ſeculorum præferentes figuram, ſalutis noſtræ, quæ ſexto ſeculo agitur cauſam loquuntur, ſecundum ſimilitudinem regeneratorum exprimi in eis ſpeciem baptiſmi puies. Aquis intra hydrias permanentibus idem eſt liquor, ſed non idem eſt ſapor, aliud eſt ſapor, aliud eſt quod fuit, & quod videtur fuiſſe non periit, ſtat in quantitate menſura, & in qualitate additur gratia, viſibiliter nil creſcit ad augmentum, & inuiſibiliter adiectio occulta fit. Merito modus non augetur, & profectus adquiritur: aquæ ſuam retinent plenitudinem, & alienam accipiunt ſecreta infuſione virtutem: ita & homo per aquam baptiſmi, licet à foris idem eſſe videatur, intus tunc alter efficitur, cum peccato natus, ſine peccato renaſcitur, prioribus perit, ſuccedentibus proficit: deterioribus exuitur, in melioribus innouatur: perſona non contingitur, & natura mutatur, acceſſiſſe nil creditur, & tamen quod acceſſit fide, tanquam mentis guſtu ac ſapore ſentitur, homo præterita vilitate depoſita, noua induitur dignitate, & illo diuini amoris poculo, de quo dicitur, & poculum tuum inebrians quàm pręclarum eſt. illo inquã poculo inebriata pręcordia, per ſapientiæ ſpiritalis vigorem prægustant cæleſtium ſuauitatem, vt mereantur audire, guſtare, & videre quoniam ſuauis eſt dominus. Ideo autem dixit, guſtate, quia amor Dei quantalibet fide, quantolibet ardore quæſitus, reficere animum poteſt, ſed magis ac magis ſitim velut ſummis labiis prægustatus inflammat. Et ideo de ſeipſo dicit. Qui edũt me, adhuc eſurient, & qui bibũt me, adhuc ſitient. Ergo iocunditate ſui excitat appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium. Et ſicut homines exercitati ad bibendum vinum, iſtud ſolent ebrij plus ſentire, ita anima fidelis & caſta, anima ſapiens, atque compuncta, quæ poteſt dicere, potaſti nos vino compunctionis, cum cœperit de ſpe futuri ſeculi cogitare, & ipſam bonorum cæleſtium ſitim bibere, impleri ſcit, neſcit expleri, vt quantum capacitate augetur, tantum auiditate deficiat, & illam

illam deſideriorum vocem poſſit iungere cū propheta, defecit in ſalutari tuo anima mea, & item, defecit cor meum & caro mea Deus cordis mei, & iterum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Sicut autem econtrario, anima negligens, & obliuiſcens Deum, eum repleri cœperit crapula, & ebrietate vitiorum, & criminum fæce corrumpi, captiuos poſt ſe trahit ſenſus peſtifera, & inimica dulcendo, & ſicut quando humore, & ſcabie cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo ſollicitat, ita per oblectationem malorum de negligentia proficit culpa, & de luxuria creſcit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas tranſacta nō ſatiat, ſed ſuo vſu magis exercetur vitiorum cupiditas quam finitur, ac ſolum ſectatorem ſuum nunquam conſumenda conſumit. Sic etenim diabolus obſeſſa ſemel pectora molliſſimis ſeductionibus decipit, ſic diabolus calliditate veteris artificij cōdit blandimenta peccandi: quomodo ſolent qui mortiferos herbarum temperant ſuccos, in condito, aut in aliquo mellito poculo neſcientibus propinare, quod guſtus mentita ſuauitate componunt, virus amaritudinis obſcurāt fraude dulcedinis: prouocat prius odor poculi, ſed præfocat infuſus ſapor in venis: mel eſt quod aſcendit in labia, fel eſt quod deſcendit in viſcera. Ita & diabolus perterum carnalium concupiſcentias & illicitas voluptates extrinſecus blanditur, intrinſecus inſidiatur, interficit ſpiritum, dum oblectat affectum, & ſicut dicit propheta: ad tempus indulcat fauces, nouiſſimè autem felle amarior inuenitur: modo delectat peccare, ſed poſtmodum non delectabit ardere: ergo in hoc animæ proficit, in quo eam exercuerit conſuetudo: quum cœperit per vitæ emendationem de ſiniſtra ad dexteram, velut de aqua in vinum timore Dei operante tranſire, & delictorum fœculenta contagia per puritatem defœcatæ mentis horrere, & ea, quæ ſunt ante oculos more ebrij non videre, ſed ſola, quæ in futurum promittuntur intendere. In quantum enim te à terrenis abſtraxeris, in tantum te cæleſtibus inſinuabis: & quantum à vitiis receſſeris, tantum virtutibus propinquabis, quia abdicatio criminum adoptio meritorum eſt. Et ita homo mundo ſobrius, & Deo ebrius ad vota cæleſtium gaudiorum tanquam ad nuptiale conuiuium præparatur, de quo conuiuio beatus euangeliſta commemorat: de quo etiam conuiuio ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores peccator ille proiicitur, cui dicitur: amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? iſte, qui veſtimentum nuptiale perdiderat, credo quòd amiſſo baptiſmo, hydriam ſuam fregerat, & munus ſacri fontis amiſerat, ac vinum beatæ redemptionis effuderat. Ad tales itaque dicitur, vt eant in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. De his inquam prædicitur: horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. De talibus & Euangeliſta teſtatur: omnis arbor quæ nō facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Vides quomodo non ſolum malum feciſſe, ſed bonum non peregiſſe, damnabile eſt. Tarde nobis diſplicebimus ſub conſpectu ignis æterni, qui interrogabit oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras. Quanto tunc emere precio vnuſquiſque condemnandus optabit, ne vnquam corporis ſui veſtem cōmaculaſſet? ne vnquam prætermiſſet conſilia, & monita ſacerdotum? nam ſi illis grande periculum eſt, aliena nō arguere, quanto periculoſius erit propria non ſolum non emendaſſe, ſed etiā & defendiſſe? & ideo expiatura erit illa inextinguibilis concrematio, quicquid hic non ſtuduerit ſanare correptio. Ardens inferni puteus aperietur, deſcenſus erit, reditus non erit. Illic denudati, & capitaliter mortui in perpetuum demergentur, deiiciendi in tenebras exteriores infœliciter excluſi, infœlicius excludēdi. De hoc puteo propheta commemorat: neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Ideo autem dixit, neque vrgeat ſuper me os ſuum: quia cum ſuſceperit reos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum, dilatabitur in profundum; nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper vrgentibus, relinquetur: detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, vltra neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt, morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. Fœlices, qui nunc bene agunt, vtentes facultate vel corpore ſuo contenti, & de ſuo largi: in ſe caſti: in alios incruenti, ab huius profundi flammea nocte ſe redimunt. Hæc pœna illis manebit, qui amiſſo, & non ſeruato baptiſmo, inæternum peribunt: ad quos dicetur, vt eant in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt inde, donec reddant *Ecce hic agnoſcis purgatorii ignē.*
nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo propheticus ſermo commemorat: Et fluuius rapidus qui currebat ante eum, per vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quāta fuerit peccati materia, tanta erit pertranſeunti mora: quantum adcreuerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis diſciplina: & quātum ſtulta iniquitas geſſit, tantum ſapiens pœna deſæuiet. Et quia ſermo diuinus quodammodo æneæ ollæ animam comparans: pone ollam ſuper prunas vacuam, donec incaleſcat æs eius: illic penuria, iræ, malitiæ, cupiditates, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant exudabunt: illic ſtagnum, vel plumbum diuerſarum paſſionum, quæ aurum diuinæ imaginis adulterauerant conſumentur. Quæ omnia hic ab anima ſeparari per eleemoſynas, & lachrymas compendij tranſactione poterunt. Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſeipſum pro homine dedit, & confixus clauis legem mortis fixit. Illic iuſti velut per amœnos gurgites incendiis naturā ſuam mutantibus, tranſmeabunt, intacta ignibus corpora ipſis honorificanda pœnis, quia non ſunt onerata peccatis. In illos enim ſæuis æſtibus nil licebit, quos antè libidinum flamma non attigit: & quibus puritas cōtulit reuerentiam, inferre neſciret rationabilis ardor iniuriam: alioquin iram refugiens vaporibus viam faciet: & quia non inueniet, vbi neceſſe habeat exercere iudicium, ſponte præbebit obſequium. Sic trium puerorum fides, atque iuſtitia tenebroſos non ſenſit ignes, ſed ſtupenda refrigeria in medio camini æſtuantis inuenit. Ceſſit virtutum meritis natura flammarum, ac traditos ſibi reos mirum in modum rorantibus obumbrauit incendiis, longè poſitos autem & circumſtantes ſacrilegi regis conſumpſit miniſtros. Quantum lętitiæ in præſenti obtinent merita religionis, & priuilegia ſanctitatis? ecce horrendum neſcio quid anhelātes globi & per quadraginta cubitos ebullientes extrinſecus ſæuiunt, intrinſecus parcunt

extra

extra fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus in fornace famulatur: Quanta caſtis corporibus reuerentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit: nihilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore, & caſtis ieiuniis conſecrata, & precioſum depoſitum non violat occulta diſpenſatione, ſed vindicat. Quæ cum ita ſint, chariſſimi, effugere intoleranda ſupplicia, & incendia æterna non poterunt, qui ſe ad meliora non conuerterint. Et ideo, chariſſimi, conuertamus nos ad meliora, dum in noſtra ſunt poteſtate remedia. Curramus, dum lucem habemus, nec præſentia ſalutis tempora negligamus: hinc extinguamus moriendo peccatis mortem, hinc vitia vitæ meritis comparemus.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri de eodem Euang. Homilia.

Tomo 7. Hiero. QVod dominus noſter atque ſaluator ad nuptias vocatus, non ſolum venire ſed & miraculum ibidem, quo conuiuas lętificaret, facere dignatus eſt, exceptis cæleſtium ſacramentorum figuris etiam iuxta literam rectè fidem credentium confirmat. Porro Taciani, & Marciani, cæterorúmque qui nuptiis detrahunt, perfidia quàm ſit damnabilis inſinuat. Si enim thoro immaculato, & nuptiis debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquam dominus ad has venire, nequaquam eas ſignorum ſuorum initiis conſecrare voluiſſet. Nunc autem, quia bona eſt caſtitas cõiugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, ad comprobandam omniũ electionem graduum, diſcernendum tamen ſingulorũ meritum: ex intemerato Mariæ virginis vtero naſci dignatus eſt, à prophetico Annæ viduæ ore mox natus benedicitur, à nuptiarum celebratoribus iam iuuenis inuitatus, & hos ſuæ præſentia virtutis honorat. *Luc. 2.* Sed nunc redeamus ad altiorem cæleſtium lætitiam figurarum. Miracula nanque facturus in terra Dei filius venit ad nuptias, vt ipſum ſe eſſe diceret de quo ſub typo ſolis Pſalmiſta præcinuit; *Pſal. 18.* In ſole poſuit tabernaculum ſuũ, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius. Qui & ipſe quodam loco de ſe, ſuíſque fidelibus ait: *Matth. 9.* Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Quia nimirum incarnatio noſtri ſaluatoris ex quo patribus cœpit promitti, multis eſt ſanctorum lachrymis, & luctu ſemper exſpectata, donec veniret. Similiter ex quo poſt reſurrectionem aſcẽdit ad cælum, omnis ſanctorum ſpes ad eius pendet reditum. Solo autem quo cum hominibus conuerſatus eſt tempore flere, ac lugere nequiuerunt: quia iam ſecum etiam corporaliter eum, quem ſpiritaliter dilexerunt, habebãt. Sponſus ergo Chriſtus, ſponſa eius eſt eccleſia, filij ſponſi vel nuptiarum ſinguli quique fidelium eius ſunt, tempus nuptiarum eſt, tempus illud, quãdo per incarnationis myſterium ſanctam ſibi eccleſiam ſociauit. Nũ igitur caſu ſed certi gratia myſterij venit ad nuptias in terra carnali more celebratas, qui ad copulandam ſibi ſpiritali amore eccleſiam de cælo deſcendit ad terram. Cuius quidem thalamus incorruptę genitricis vterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ coniunctus eſt, & ex quo ad ſociandam ſibi eccleſiam tanquam ſpõſus proceſſit. Primus nuptiarum locus Iudæa extitit, in qua filius Dei homo fieri, & eccleſiam ſui corporis participatione conſecrare, ſui ſpiritus pignore in fide confirmare dignatus eſt: ſed vocatis ad fidem gentibus vſque ad fines orbis terræ earundem nuptiarum vouna gaudia peruenerunt. Nec vacat à myſterio quod die tertia, poſt ea, quæ ſuperior euangelij ſermo deſcripſerat, nuptiæ factę referuntur, ſed tertio tempore ſeculi dominum ad optandam ſibi eccleſiam veniſſe deſignat. Primum quippe ſeculi tempus ante legem patriarcharum exemplo, ſecundum ſub lege prophetarum ſcriptis, tertium ſub gratia præconiis euangeliſtarum, quaſi tertij diei luce mundo refulſit, in quo dominus, & ſaluator noſter pro redemptione generis humani in carne natus apparuit. Sed & hoc quod in Cana Galilææ, id eſt, in zelo tranſmigrationis, perpetratæ eædem nuptiæ eſſe perhibentur, typice denunciat eos maxime gratia Chriſti dignos exiſtere, qui zelo feruere pię deuotionis, & æmulare chariſmata maiora, ac de vitiis ad virtutes bona operando, de terrenis ad æterna norunt ſperando & amando tranſmigrare. Diſcumbente autem ad nuptias domino vinum defecit, vt vino meliori per ipſum mirabili ordine facto, manifeſtaretur gloria latentis in homine Dei, & credentium in eum fides aucta proficeret. Quòd ſi myſterium quærimus, apparente in carne domino, meraca illa legalis ſenſus ſuauitas paulatim cœperat ob carnalem phariſæorum interpretationem, à priſca ſua virtute deficere, qui mox ea, quæ carnalia videbantur mandata, ad ſpiritalem conuertit doctrinam, cunctámque literæ legalis ſuperficiem euangelica cæleſtis gratiæ virtute mutauit, quod eſt vinum feciſſe de aqua. Sed primo ſtudeamus indagare quid ſit, cum deficiente vino diceret mater Ieſu ad eum; *Vinum non habent.* Reſpondit: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* *Exod. 20.* Neque enim matrem ſuam inhonoraret, qui nobis iubet honorare patrem, & matrem: aut eam ſibi eſſe matrem negaret, ex cuius carne virginea carnem ſuſcipere non deſpexit, etiam Apoſtolo teſte, qui ait; *Rom. 1.* Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Quomodo ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſi non ex corpore Mariæ ſecundum carnem, quæ ex ſemine Dauid deſcendit? Sed in eo quòd miraculum facturus ait, quid mihi & tibi eſt mulier, ſignificat ſe diuinitatis, qua miraculum erat patrandum, non principium temporaliter accepiſſe de matre, ſed per æternitatem ſemper habuiſſe de patre. *Quid mihi & tibi*, inquit, *eſt mulier*, cui ex diuinitate, quam ex patre ſemper habui, cum tua carne, ex qua carnem ſuſcepi, commune non eſt. *Nondum venit hora mea*, vt fragilitatem ſumptę ex te humanitatis moriendo demonſtrem: prius eſt vt potentiam æternæ deitatis virtutes operando patefaciam. Veniet autem hora, vt quid ſibi, & matri commune eſſet oſtenderet, cum eam moriturus in cruce diſcipulo virgini virginem commendare curauit. *Ioan. 19.* Carnis nanque infirma perpetiens, matrem, de qua hæc ſuſcepit, pie cognitam, ei, quem maxime diligebat, diſcipulo commendauit, quam diuina facturus quaſi incognitam ſe noſſe diſſimulat: quia hanc diuinæ nati-

uitas autorem non eſſe cognoſcit. *Erant autem lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorũ, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.* Hydriæ vocantur vaſa aquarum receptui parata: Græce enim ὕδωρ aqua dicitur. Aqua autem ſcripturæ ſacræ ſcientiam deſignat, quæ ſuos auditores & à peccatorum ſorde abluere, & diuinæ cognitionis ſolet fonte potare. Vaſa ſex, quibus continebatur aqua, corda deuota ſunt ſanctorum, quorum perfectio vitæ, & fidei exemplum recte viuendi, ac credendi propoſita eſt generi humano per ſex ſeculi labentis ætates, id eſt, vſque ad tempus dominicæ paſſionis. Et bene lapidea ſunt vaſa: quia fortia ſunt præcordia iuſtorum, vtpote illius fide, & dilectione ſolidata lapidis, quem vidit Daniel præciſum *Daniel.2.* de monte ſine manibus, factúmque in montem magnum; & impleſſe omnem terram. Et de quo *Zacha.3.* dicit Zacharias; In lapide vbi ſeptem oculi ſunt, id eſt, in Chriſto vniuerſitas ſcientiæ ſpiritalis inhabitat. *1.Pet.2.* Cuius & Apoſtolus Petrus meminit dicens, Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini. Bene ſecundum purificationem Iudæorum tantum poſitæ ſunt hydriæ: quia Iudæorum tantum populo *Ioan.1.* lex per Moyſen data eſt. Nam gratia euangelij, & veritas non minus gentibus quam Iudæis per Ieſum Chriſtum facta eſt. *Capientes*, inquit, *ſingulæ metretas binas, & ternas*, quia ſcripturæ ſanctæ autores, & miniſtri prophetiæ, modo de patre tantum loquuntur, & filio, vt eſt illud; Omnia in ſapientia feciſti. *Pſal.103.* Virtus etenim Dei, & ſapientia Chriſtus eſt. *1.Cor.1.* Modo etiam ſpiritus ſancti faciunt mentionem iuxta illud Pſalmographi: Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris *Pſal.32.* eius omnis virtus eorum. Verbum domini, & ſpiritum totam, quæ vnus eſt Deus, intellige trinitatem. Sed quantum inter aquam, & vinum, tantum diſtat inter ſenſum illum, quo ſcripturæ ante aduentum ſaluatoris intelligebantur, & eum, quem veniens ipſe reuelauit Apoſtolis, eorúmque diſcipulis perpetuò ſequendum reliquit. Et quidem potuit dominus vacuas implere hydrias vino, qui in exordio humanæ creationis cuncta creauit ex nihilo: ſed maluit de aqua facere vinum, quo typicè doceret non ſe ad ſoluendum, improbandúmque, ſed ad implendum potius legem, prophetáſque, veniſſe: Neque alia ſe per euangelicam gratiam facere, & docere, quàm quæ legalis, & prophetica ſcriptura eum facturum, docturúmque ſignaret. Videamus ergo, fratres, ſex hydrias ſcripturarum aqua ſalutari repletas, videamus eãdem aquam in ſuauiſſimum vini odorem guſtumque conuerſam. In prima ætate ſeculi Abel iuſtum frater inuidens occidit: & ob hoc ipſe perpetua martyrij gloria beatus, etiam in euãgelicis, & in apoſtolicis literis iuſtitiæ laudem accepit: & fratricida impius æternę maledictionis pœnas luit. Quicunque his auditis meruunt cum impiis damnari, cupientes benedici cum piis, omnium odorum, & inuidiæ fomitem abiiciunt, Deo placere per ſacrificium iuſticiæ, modeſtiæ, innocentiæ, ac patientiæ curant, vas plenum aqua in ſcriptura inueniunt, vnde ſalubriter ablui, potatique gaudeant. Sed ſi intellexerint Cain homicidam Iudęorum eſſe perfidiam, occiſionem Abel paſſionem eſſe ſaluatoris, terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit eius ſanguinem de manu Cain, eccleſiam eſſe, quæ effuſum à Iudæis Chriſti ſanguinem in myſterium ſuæ renouationis accepit, nimirum aquam in vinum mutatam repererunt: quia ſacræ dicta legis ſacratius intelligunt. Secunda ætate ſeculi inchoante deletus eſt aquis diluuij mundus ob magnitudinem peccatorum, ſed ſolus Noe propter iuſtitiã eſt cum domo ſua liberatus in arca. Huius plagæ audita vaſtatione horribili, paucorúmque liberatione mirabili, quiſquis emendatius viuere cœperit, liberari deſiderans cum electis, timens exterminari cum reprobis, hydriam profecto aquæ, qua mundaretur, vel reficeretur, accepit. At vero cum altius reſpicere cœperit, & in arca eccleſiam, in Noe Chriſtum, in aqua delẽte peccatores, aquam baptiſmi, quæ peccata diluit in hominibus, vel in animalibus, quæ arca continebat, multifariam baptizatorum differentiam: in columba, quę poſt diluuium ramum oliuę intulit in arcam, vnctionem ſpiritus ſancti, qua baptizati imbuuntur, intellexerit, vinum profecto de aqua factum miratur: quia in veteris hiſtoria facti ſuam ablutionem, ſanctificationem, iuſtificationem propheratam contemplatur. Tertia ætate ſeculi Deus tentans obedientiam Abrahæ, filium vnicum eius, quem diligit, in holocauſtum ſibi offerri præcepit. Non diſfert Abraham facere, quę iubetur, ſed pro filio immolatur aries: ipſe tamen pro obedientiæ virtute eximia, perpetuæ benedictionis hæreditate donatur. Ecce habes hydriam tertiam. Audiens enim quanta virtus obedientiæ, quanta mercede remuneretur, & ipſe obedientiam diſcere atque habere ſatagis. Quòd ſi immolationem filij vnici dilecti *Matth.3.* paſſionem eius intelligis, de quo dicit pater; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, in qua quia diuinitate impaſſibili permanente, ſola humanitas mortem paſſa eſt & dolorem, quaſi filius offertur, ſed aries mactatur. Si intelligis benedictionem, quæ promiſſa eſt Abrahæ, in te de gentibus credendis munus eſſe completum, nimirum tibi de aqua vinum fecit: quia ſpiritalem ſenſum, cuius noua fragrantia inebriaris, aperuit. Quartæ ætatis initiis Dauid pro Saule regnum Iſraeliticæ gentis ſortitur, humilis, innocẽs, & mitis, exul pro illo, cuius iniuſta diu perſecutione cruciabatur. Ecce hydria quarta fonte ſalutari repleta. Quiſquis hæc audiens humiliari, atque innocentiæ ſtudere, & ſuperbiam cœperit, atque inuidiam ſuo de corde repellere, quaſi hauſtum aquæ lympidiſſimæ, quo reficiatur, inuenit. At ſi in Saule Iudęos perſequẽtes, in Dauid Chriſtum & eccleſiam ſignificari cognouerit, illorum ob perfidiam, & carnale ſimul imperium & ſpiritale deſtructum, Chriſti autem, & eccleſiæ regnũ ſemper eſſe manſurum, poculum vtique vini de aqua factum ſentiet: quia ſe, ſuámque vitam, & regnum, ſed & ipſum regem ibi ſcriptum legere nouit, vbi prius quaſi de aliis veterem legebat hiſtoriam. Quinta ætate ſeculi populus peccans captiuitate Nabuchodonoſor Babyloniam tráſmigrat, ſed poſt ſeptuaginta annos pœnitẽs, & correctus, in patriam per Ieſum ſacerdotem magnum reducitur: vbi domum Dei, quæ incenſa eſt, & ciuitatem ſanctam, quæ deſtructa eſt, reædificat. Hęc legens, ſiue audiens quiſque eum peccandi metum concipit ad pœnitendi remedium confugit, aqua hydriæ purificantis ablutus eſt. Si vero intelligere didicerit Hieruſalem, & templum Dei eccleſiam Chriſti, Babylonem confuſionem peccatorum, Nabuchodonoſor diabolum, Ieſum ſacerdotem magnum,

magnum, verum, æternúmque pontificem eſſe Ieſum Chriſtum, ſeptuaginta annos bonorum plenitudinem operum, quę per ſpiritus ſancti dona largiuntur, videlicet propter decalogum, & ſeptiformem eiuſdem ſpiritus gratiam, viderítque hoc quotidie fieri, aliis nimirum à diabolo de eccleſia peccãdo raptis, aliis gratia ſpiritus ſancti per Chriſtum reſipiſcendo, ac pœnitendo reconciliatis, vinum de aqua factum habet: quia ad ſe pertinere, quæ ſcripta ſunt intelligens, magno mox compũctionis ardore, quaſi muſto incaleſcens, quicquid ſibi peccati captiuantis ineſſe deprehenderit, per Chriſti gratiam liberari depoſcit. Sexta inchoante ſeculi ætate dominus in carne apparens octaua die natiuitatis iuxta legem circuncitus eſt, tricesima, & tertia poſt hæc ad templum delatus, & legalia pro eo ſunt munera oblata. Hæc intuentes ad literam, aperte diſcimus quanta nobis diligentia ſunt euãgelicæ fidei ſubeunda myſteria, quando ipſe benedictionem gratiæ afferens qui legem literæ dedit, veterum primo ceremoniarum ritu conſecrari, quo cuncta diuinitus conſecrat, & ſic noua gratiæ ſacramenta ſuſcipere ſimul, & tradere curauit. Ecce hydria ſexta ad abluenda peccati contagia, ad potanda vitæ gaudia mundiorem cęteris afferens vndam. Verum, ſi in octaui diei circuncisione baptiſma, quod in myſterium dominicæ reſurrectionis à peccatorum nos morte redemit, intelligis, in inductione in templum, & oblatione hoſtiæ purificantis figuratum cognoſcis, fideles quoſque de baptiſterio ad altare ſanctum ingredi, ac dominici corporis, & ſanguinis victima ſingulari debere conſecrari, vino quidem de aqua factu, & quidem meraciſſimo donatus es. Porro ſi circunciſionis diem ad generalem humani generis reſurrectionem, quando mortalis propago ceſſabit, & mortalitas tota immortalitate mutabitur, interpretaris: & circunciſos induci in templum cum hoſtiis intellexeris, quando poſt reſurrectionem vniuerſali expleto iudicio ſancti iam incorruptibiles facti, ad contemplandam perpetuò ſpeciem diuinæ maieſtatis cum bonorum operum muneribus intrabunt, mirãdum profecto, vinum
Pſal. 22. de aqua fieri videbis, cuius conditori recte proteſteris & dicas: & poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt. Ergo dominus vinum in gaudia nuptiarum non de nihilo facere voluit, ſed hydrias ſex impleri aqua præcipiẽs, hanc mirabiliter conuertit in vinum: quia ſex mundi ætates ſapientiæ ſalutaris largitate donauit, quam tamen ipſe veniens ſublimioris ſenſus virtute fœcundauit. Nam quę carnales carnaliter tantum ſapiebant, ipſe ſpiritaliter ſentienda reſerauit. Vultis audite, fratres, qualiter de aqua fecerit vinum? Apparuit poſt reſurrectionem ſuam duobus diſcipulis ambulantibus in via, ibátque cum illis, & incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Vultis iterum audire quomodo eodem ſunt vino inebriati?
Luc. 24. Poſtmodum cognoſcentes quis eſſet qui eis verbum vitæ propinabat, dicebant ad inuicem; Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? *Dicit ergo Ieſus miniſtris: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Quid per miniſtros, qui hæc iubentur facere, niſi Chriſti ſignantur diſcipuli, qui impleuerunt hydrias aqua? Non quidem ipſi prætcritas mundi ætates legalibus, ac propheticis implendo ſcriptis, ſed ipſi intelligendo prudenter, & aperiendo fideliter: quia ſcriptura, quæ à prophetis miniſtrata eſt, & ſalubris eſſet ad hauſtum ſapientiæ cæleſtis, & ad operum caſtigationem vtilis. Impleuerũt autem eas vſque ad ſummum, quia recte intellexerunt nullum fuiſſe tempus ſeculi à ſanctis alienum doctoribus; qui ſiue verbis, ſiue exemplis, ſiue etiam ſcriptis viam vitę mortalibus panderent. *Et dicit eis: Ite, & haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt.* Architriclinus aliquis legiſperitus illius temporis eſt, fortaſſe Nicodemus vel Gamaliel, vel diſcipulus tunc eius Saulus, nũc autem magiſter totius eccleſiæ Paulus apoſtolus. Et dum talibus verbum euangelij creditur, quod in litera legis, & prophetiæ latebat occultum, vinum vtique architriclino de aqua factum propinatur. Vnde conuenienter perhibetur, quod Architriclinus vocato ſponſo dixerit: *Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Quia doctorum eſt, cognoſcere diſtantiam legis, & euangelij, veritatis, & vmbræ, cunctiſque veteribus inſtitutis, cunctis regni terreni promiſſis, nouam euangelicæ fidei gratiam, & perpetua cæleſtis patriæ dona proferre. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea, & manifeſtauit gloriam ſuam.* Manifeſtauit hoc ſigno, quia ipſe eſſet rex gloriæ, & ideo ſponſus eccleſiæ, qui vt homo communis veniret ad nuptias, ſed quaſi dominus cœli, & terræ elementa prout voluiſſet, conuerteret. Pulchra autem rerum conuenientia, qui initio ſignorum, quæ mortalis adhuc mortalibus erat oſtenſurus, aquam conuertit in vinum: ipſe initio ſignorum quæ immortalis iam per reſurrectionem effectus, immortalitatis vitæ ſtudia ſola ſectatoribus oſtenderet, carnalem prius & quaſi inſipidam mentem eorum ſapore ſcientiæ cæleſtis imbuit. Nam & primo conſiſtens in terra, ſui ſpiritus munere aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas: & poſtmodum miſſo eodem de cælis, maiorem ſuperni amoris ſimul, & ſapientiæ ſpiritalis fragrantiam eorum cordibus infudit: data inſuper omnium cognitione linguarũ, quibus vniuerſo orbi eam, quam perceperant, vitæ gratiam propinare ſufficerent. Has ergo Chriſti, & eccleſię nuptias, fratres chariſſimi, quæ & tunc vna in ciuitate ſignabantur, & nunc vniuerſo celebrantur in orbe terrarum, tota mente diligamus, harum gaudiis cæleſtibus indefeſſa bonorum operum intentione iungamur. Has quia per fidem vocati intrauimus mundo dilectionis habitu, celebrare curemus, noſtræque actionis ſimul, & cogitationis *Matt. 22.* maculas ante diem extremi diſcriminis ipſi ſolicitius examinando diluamus: ne forte tunc ingrediens rex, qui has ſuo filio nuptias fecit, ſi viderit nos nuptialem charitatis veſtem non habere, eiiciat nos, & ligatis à bene agendi facultate pedibus noſtris, ac manibus exteriores mittat in tenebras. Mundemus fide ſordida cordium noſtrorum vaſcula ſecundum purificationem præceptorum cæleſtium, impleamus hęc aqua ſcientiæ ſalutaris, ſacrę lectioni crebrius attendendo. Rogemus dominum vt ipſam, quam nobis ſcientię gratiam contulit (ne forte inficit) charitatis ſuæ feruore calefaciat, & ad ſuperna quęrenda ſola, ac ſapienda conuertat: quatenus ſpiritaliter inebriati, poſſimus & ipſi cum propheta cantare; Potaſti nos vino compunctionis. *Pſal. 59.* Sicque fiet, vt nobis quoq; bene pro-

ficientibus, & nunc ex parte prout capere ſufficimus, & in futuro perfectè Ieſus manifeſtet gloriã ſuam: in qua viuit, & regnat cum patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

HAYMONIS EPISCOPI
Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.

NVptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, &c. In textu euangelij ita habetur. Et die tertia nuptiæ factæ ſunt. Et die tertia poſt illa, quæ ſuperior ſermo euangelicus narrat, nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilæę. Quantum ad literam eſt, Cana viculus eſt in Galilæa prouincia, non longè diſtans à Nazareth, in qua dominus conceptus & nutritus fuit, vndè & Nazaræus vocatus eſt. De hoc vico, id eſt, de Cana vocatus eſt Simon apoſt. à Chriſto, & ob hoc appellatus eſt Simon Cananæus, quantum verò ad intellectum attinet ſpiritualem, illi tres dies ſignant tria tempora ſeculi. Primus dies, primum tempus ſeculi ſignat, ſub exemplis patriarcharum ab exordio mundi vſque ad datam legem. Secundus dies ſecundum tempus ſeculi ſignat ſub dictis & ſub ſcriptis patriarcharũ à tempore datæ legis vſque ad incarnationem filij Dei. Tertius dies, tertium tempus ſeculi ſignat ſub gratia ſancti euangelij. Quo tertio die, id eſt, tertio ſeculi tempore filius Dei dominus Ieſus Chriſtus per humanitatem venire dignatus eſt in mũdum, & copulauit ſibi ſanctam eccleſiam in vtero virginis Mariæ, aſſumendo naturam humanam in vnitate ſuæ perſonę De his nuptiis dicit alibi ipſe dominus. Simile enim eſt regnum cęlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. In hoc Deus pater filio ſuo domino noſtro Ieſu Chriſto nuptias fecit, quo ei ſanctam eccleſiam per incarnationis myſterium copulauit. Et Paulus apoſtolus dicit de his. Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Et Ioan. Baptiſta. Qui habet ſpõſam, ſpõſus eſt. Spõſus eſt Chriſtus, ſpõſa, eſt ſancta eccleſia. Hanc ſponſam, id eſt, eccleſiam, quam ſibi dominus copulauit, coniunxit in vtero matris, ſicut ſuperius diximus. Ipſam etiam poſtmodum ſanguine ſuo redemit: & quotidie corpore, & ſanguine ſuo reficit. Quotidie etiam ſpiritu ſancto confirmat, & multis promiſſionibus ad gaudia æterna inuitat, dicẽs: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. De hoc coniugio ſpirituali nati ſunt apoſtoli, & naſcuntur quotidie credentes. Vndè dicit dominus: Nõ poſſunt filij ſponſi ieiunare, quandiu cum illis eſt ſponſus: veniet autem tempus, quando ab eis auferetur ſponſus, & tunc ieiunabunt. Et bene in Galilæa nuptiæ factæ fuiſſe referuntur. Cana namque interpretatur zelus. Zelus dicitur amor: Galilæa interpretatur tranſmigratio facta. Signatur per hoc, quòd illi merẽtur domino maximè copulari, qui zelum, id eſt, feruorẽ dilectionis Dei, & proximi habent, & tranſitũ faciunt de vitiis ad virtutes, de terrenis ad cæleſtia, de viſibilibus ad inuiſibilia, de tẽporalibus ad æterna, de diabolo ad Chriſtum. Hę nuptiæ primum in Iudęa factæ ſunt, quia in Iudæa dominus homo fieri dignatus eſt, & ibi copulauit ſibi ſanctam eccleſiam in vtero virginis. Sed poſtmodum per apoſtolos, & apoſtolicos viros, iſtarum nuptiarum feſtius gaudis ad omnes gentes peruenerunt, iuxta quod Pſal. dicit: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Et erat mater Ieſu ibi.* Maria mater Ieſu, quæ ad miraculum prouocat dominum
in nuptiis, ſignat ſynagogam, quæ ſemper ſigna, & *Luca 24.*
miracula petiit, ſecundum quod Paulus Apoſtolus dicit. Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. *Vocatus eſt Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias.* Excepta myſtica ſignificatione, voluit dominus venire ad nuptias vt confirmaret, quod alibi dicit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Præuidebat dominus hæreticos futuros, qui dicerẽt nuptias non à Deo, ſed à diabolo eſſe conſtitutas. Si enim culpa eſſet vxorem ducere, nequaquam dominus eas ſuo miraculo honorare dignaretur. Legitimum coniugium non diſplicet Deo, quod ad procreandam ſobolem eſt ab illo inſtitutum. *Et deficiente vino.* Secundum literam voluntate Dei actum eſt, vt vinum deficeret tunc temporis in nuptiis, vt per virtutem domini meliori vino facto manifeſtaretur gloria Dei latentis in homine aſſumpto à verbo Dei. Et fides diſcipulorum, & cæterorum credentium, roboraretur in domino Ieſu Chriſto, ſicut & factum eſt, vt in fine huius Euangelij dicetur. *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Secundum ſpiritualem intelligentiam vinum, id eſt, ſpiritualis intelligentia, quæ erat in lege, & pro-
phetis, & Pſalmis, & cæteris diuinis ſcripturis, ob *Deut. 5.*
carnalem ſcribarum, & Phariſæorum interpretationem videbatur deficere. Nõ deficiebat in ſcripſa ſcriptura, ſed in illis ſcribis, & Phariſæis, qui malè interpretabantur illam, ſicut & modò faciunt poſteri illorum Iudęi. Sed quid factum eſt? Apparens dominus in mare, id, quod videbatur deficere in lege, & prophetis, & Pſalmis, & cæteris ſcripturis, propter malorum hominum peruerſam interpretationem, ille in melius reſtaurauit, quando poſt reſurrectionem ſuam, ſicut Lucas dicit, aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, vt intelligerent ſpiritualiter omnia, quæ ſcripta erant in lege, & prophetis, & Pſalmis de eo: *dixit mater eius ad illum: Vinum non habent.* Quid pertinebat ad B. Mariam, quòd vinum deficeret in nuptiis, quæ nec ſibi am ſuam tradebat marito, nec filio ſuo ducebat vxorem? Sed ſciendum eſt, quòd B. Maria propheteſſa erat, ſciebat enim, quòd dominus ad hoc venerat ad conuiuium illud nuptiarum, vt miraculum ibi faceret, conuertendo aquam in vinum, & ideo more mulierum incitata dixit ad dominum: *Vinum non habent.* Acſi diceret, Si ad hoc veniſti ad has nuptias, vt miraculum ibi facias, quid moraris? Fac citiùs, quod facturus es, vt manifeſtetur gloria tua. *Dicit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi, mulier?* Nõ inhonorat dominus matrem ſuam, qui nobis præcipit, dicens: Honora patrem tuum, ac matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quã dominus Deus tuus dabit tibi. Nec denegat beatã Mariã matrem ſuam eſſe, cum Paulus apoſtolus dicit manifeſtè. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Sed cogit eam oculum mentis attollere, vt intelligat potentiam diuinitatis ſuæ. *Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* Subauditur commune in hoc miraculo, quod patraturus ſum, conuertendo aquam in vinum? Certè non ſum illud facturus per naturam humanitatis, quam ex te ſumpſi, id eſt, per virtutem corporis, & animæ, ſed potius per potentiam diuinitatis, quã habeo ante omnia ſecula ex Deo patre. *Nondum venit hora mea*, id eſt, nondum venit hora, vel

tempus

tempus paſſionis meæ, vt demonſtrem quàm fragile ſit illud, quod ex te ſumpſi, faciendę erant virtutes adhuc, prædicandum erat euangelium in mundo, & poſtmodum ventura erat hora paſſionis domini, quando crucifigendus eſſet vocibus Iudæorũ acclamantium: Crucifige, crucifige eum, & manibus militum Romanorum. Venit hora paſſionis, quando pendens in cruce, & dixit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus, id eſt, quod de te accepi corpus ſcilicet humanũ, modò apparet quàm fragile ſit, quia poteſt crucifigi, poteſt mori, ſicut modò monſtratum eſt. *Et dixit mater eius miniſtris, quodcunque dixerit vobis, facite.* Licet dominus taliter fuiſſet locutus contra B. Mariam, ſicut ſuperius dictum eſt, tamen ipſa B. Maria ſciebat (ſicut ſuperius diximus) per ſpiritum propheticę, quod ad hoc venerat dominus ad nuptias, vt miraculum ibi patraret, conuertendo aquam in vinum. Et ideo fiducialiter imperauit miniſtris, vt obedirent voci filij iubentis. Si iubet hydrias impleri aqua, continuò implete. *Erant autem ibi* in conuiuio nuptiarum, *Lapideæ hydriæ ſex poſitæ.* Aqua græcè, hydor dicitur. Et ab eo nomine quod eſt hydor, appellantur hydriæ vaſa aquarum receptui parata. *Secundum purificationem*, id eſt, ſecundum ablutionem *Iudæorum*. Quia Iudæi ſoliciti erant crebro lauare corpora ſua, vel ſolummodo manus quandocunque loquebantur cum aliquo gentili, aut aliquod immundum tangebant. Et quia multi vocati fuerant ad illud conuiuium nuptiarum, ideo multitudo aquarum erat ibi in vaſculis, vt ſufficeret ad lauandum. Aqua duo officia habet, ſordes abluit, & ſitientem reficit. Signat ſanctam ſcripturam, de qua Salomon dicit: Aqua profunda verba ex ore viri, & tanquam clauī in altum defixi. Sacra ſcriptura ſordes peccatorum noſtrorum abluit, cum dicit: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis domini. Et cognitione Dei omnipotentis nos reficit, cum dicit: audi Iſrael, dominus Deus tuus vnus eſt, &c. cætera quæ ſequuntur. Vaſa lapidea, in quibus continebatur aqua, ſignant corda iuſtorum fortia, quæ habent fortitudinē à vero lapide Chriſto. De quo dicit B. Apoſtolus Petrus. Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini in idipſum. Iſte eſt lapis, quem Daniel vidit præciſum de monte, id eſt, de populo Iudæorum, ſine manibus, id eſt, ſine coitu virili, & impleſſe totum mundum. Et bene ſecundum purificationem Iudæorum dicit hydrias eſſe poſitas, in quibus continebatur aqua, quia lex, & prophetæ, & pſalmi, & cæteræ ſcripturæ veteris teſtamenti data ſunt populo Iſraelitico, vt illis ablueretur, & illis cognitionem Dei omnipotentis perciperet. Gratia autem noui teſtamenti non ſolum Iudæis credentibus, ſed etiam & gentibus in dominum credentibus data eſt. Per ſenarium numerum hydriarum, poſſumus intelligere ſex ætates mundi. Prima ætas fuit ab Adam vſque ad Noë. Secunda à Noë vſque ad Abraham. Tertia ab Abraham vſque ad Dauid. Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quinta à tranſmigratione Babylonis, vſque ad aduentum domini. Sexta ab aduentu domini vſque ad finem ſeculi. In quibus ſex ætatibus non defuerunt ſancti, qui ſiue verbis, ſiue exemplis, ſiue dictis, ſeu rectè viuendo, aliis iter præberent. *Capientes ſingulæ*, ſubauditur hydriæ, *metretas*, id eſt, menſuras. Menſura græcè, dicitur metron. *Binas, vel ternas.* Vna metreta capiebat modios tres: binæ metretę cōtinebant modios ſex: tres metretæ continebant modios nouē. Non dixit hydriæ aliæ capiebant binas metretas, & aliæ ternas, ſed ſingulæ, vt intelligeres quia æqualiter tenebant. Sed propter myſterium dixit capientes ſingulę metretas binas, vel ternas, vt demonſtraret, quia ſacra ſcriptura aliquando facit mentionem patris, & filij, vt illud Pſalm. Omnia in ſapientia feciſti, id eſt, in filio tuo. Pſal. 103. Chriſtus appellatur ſapientia, ſicut dicit Paul. Apoſto. Chriſtum Dei virtutem, & dei ſapientiam. 1. Cor. 1. Capiebant & ternas, quia aliquando facit mentionem patris, & filij, & ſpiritus ſancti, iuxta illud Pſal. 32. Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Pſal 66. Trinitas demonſtratur hìc: In verbo, intelligitur filius in domini nomine intellige patrem, nomine oris intellige ſpiritum ſanctum. Et in alio loco idem Pſalm. Benedicat nos Deus Deus noſter, id eſt, Deus pater, Deus filius, benedicat nos Deus, id eſt, ſpiritus ſanctus. *Dicit eis Ieſus: implete hydrias aqua.* Poterat dominus, ſi vellet tunc temporis, vinum facere de nihilo, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creauit ex nihilo, iuxta quod dicit Ioannis Euangeliſta de eo: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Poterat vtique, ſed noluit. Quare? Vt myſticè nobis innueret, quia apparens in carne, nihil aliud præcepit, nihil aliud docuit, niſi quod lex & prophetæ, & pſalmi prędixerant de eo. Non ſpreuit legem, nec prophetas, iuxta quod ipſe dixit Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. Matth. 5. *Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Secundum litteram, iſti miniſtri, qui vinum propinabant conuiuio, pincernæ erant. Secundum ſpiritualem intellectum, quid ſignant iſti miniſtri? Signant ſanctos apoſtolos, & apoſtolicos viros: Petrum, Paulum, Andreā, Iacobum, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Ambroſium, Bedam, Caſſiodorum, & cęteros, qui à domino illuminati ſcripturam veteris teſtamenti, quę per aquam deſignatur, fideliter intellexerunt, & prudenter expoſuerūt auditoribus ſuis. *Impleuerunt eas*, id eſt, hydrias, *vſque ad ſummum:* quia intellexerunt nullum tempus ab initio mundi vſque ad aduētum domini alienum fuiſſe à ſanctis doctoribus, qui ſiue ſcriptis, ſiue verbis, ſiue exemplis ſanctitatis, aliis iter ſalutis demonſtrarent. Sed videamus qualiter hę ſex hydrię, per ſex mundi ætates [illegible] aquæ in ſpiritualem intelligentiam conuerſę ſunt. In prima ætate ſeculi legimus. Adam duos filios habuiſſe, Cain, & Abel, Geneſ. 4. quorum vnus fuit paſtor ouium, id eſt, Abel, alter agricola, id eſt, Cain, qui inuidia ductus occidit fratrem ſuum Abel, propterea quia domino placebat. Et ob hoc quia fratrem ſuum occidit ipſe Cain, ideo maledictus eſt. Abel autem, quia domino ſtuduit placere, & innocens occiſus eſt: ideo iuſtus appellari meruit à domino in Euangelio. Matth. 23. Cùm hoc legimus, & diſcimus, quia illi qui innocentes Deo ſeruiunt, iuſtificari merentur cum Abel. Et illi, qui homicidæ exiſtunt, & bonis inuident, damnari merentur cum Cain, quaſi hydriam aquæ plenam in manibus tenemus, vnde abluamur, & vnde ſatiemur. Sed vertatur nobis hæc hydria plena aquæ in ſpiritualem ſaporem vini. Abel qui fuit paſtor ouium, ſignat dominum Ieſum Chriſtum, qui dicit. Ego ſum paſtor bonus, qui paſco oues meas, & pro Ioan. 10.

ouibus meis animam meam pono. Ego ſum paſtor ouium. Abel innocenter ſeruiuit Deo, ideo placuit ei. Et dominus Ieſus Chriſtus, qui Dei patris impleuit voluntatem, iuxta quod ipſe dixit: quia, quæ placita ſunt ei, facio ſemper, ideo placuit Deo. Placuit Deo patri iuxta quod ipſe Deus pater de cęleſtibus ſuper eundem filium in baptiſmate intonuit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. *Ioan. 1.* Cain, qui interpretatur inuidia, & occidit fratrem ſuum, præfigurabatur Iudæos, qui inuidentes domino occiderunt eum. Cain frater erat Abel, & dominus de Iudæis originem duxit ſecundum carnem. Et beata Maria de Iudæis fuit. Cain propter interfectionem fratris ſui maledictus eſt, dicente domino: Maledictus eris. Et Iudæi propter interfectionē domini noſtri Ieſu Chriſti maledicti ſunt damnatione perpetua dicentes: Sāguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. *Geneſ. 4.* Cain propter interfectionē fratris ſui vagus, & profugus fuit in terra, & Iudæi propter interfectionem domini noſtri Ieſu Chriſti vagi fuerunt, perdiderunt hæreditatem, id eſt, terram repromiſſionis, diſperſi ſunt modò per omnes nationes, & perdiderunt hæredem dominum Ieſum Chriſtum. Terra quę aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem Abel de Cain, pręfigurabat eccleſiā, quę quotidie veſcitur, & potatur corpore, & ſanguine domini, non ad perditionem, ſed ad ſalutem. *Geneſ. 4.* Vox ſanguinis Abel clamat ad dominum de terra: quia ſancta eccleſia quotidie refecta corpore, & ſanguine domini clamat in oratione: Pater noſter, qui es in cęlis: Cùm hoc legimus & intelligimus, hydria, quę antea ſapiebat aquam, iam incipit nobis ſapere optimum vinum. Quia quod patribus pręceſſit in figura, nobis completum eſt in veritate: & quod illis fuit in hiſtoria, nobis eſt allegoria. In ſecunda ætate ſeculi legimus propter peccata hominum veniſſe diluuium in mundum, & deletum eſſe omne genus humanum præter Noë, qui propter iuſtitiæ meritum ſaluari meruit cum filiis ſuis. Dum hoc legimus, & diſcimus, quia peccatum vindictam, iuſtitia verò ſaluationem meretur, quaſi hydriam aqua plenam habemus. Sed vertatur hæc nobis hydria aqua plena in vinum, id eſt, in ſpiritualem intelligentiā. Noë, qui interpretatur requies, ſignat dominum Ieſum Chriſtum, qui dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Per diluuium deſignabatur baptiſmus. Per columbam, quæ detulit ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo, ſignatur ſpiritus ſanctus, quo confirmantur credentes ab epiſcopis per vnctionem ſacri chriſmatis poſt gratiā baptiſmi. *Confirmātur baptizati ab epiſcopis per vnctionē ſacri Chriſmatis.* Per arcam, quæ de lignis imputribilibus eſt fabricata, deſignatur eccleſia, quæ quotidie in hominibus in æternū victuris ædificatur à Noë, id eſt à Chriſto: Omnes, qui fuerunt extra Arcam, perierunt. Similiter fit modo in ſancta eccleſia. Omnes, qui extra fidē eccleſię ſunt, ſicut Pagani, Hæretici, Falſi Chriſtiani, pereunt æternaliter. Noë per lignum & per aquam ſaluatus eſt cū ſuis: & omnes in ſancta eccleſia per fidem dominicæ paſſionis, & per baptiſmi ſacramentum ſaluantur. Cum hæc itaque intelligamus, hydriam plenam ſaluberrimo vino habemus, vndè iucundemur & ſatiemur. In tertia ætate ſeculi legimus quid iuſſerit dominus Abrahę, vt offerret ei filium ſuum vnigenitum Iſaac in holocauſtum, quod ille Abraham nō diſtulit facere, quia præcepit illi Deus. Onerauit aſinum ſuum & venit ad locum, vbi præceperat ei Deus. Cúmque haberet ſtruem lignorum ſuper aram, & deſuper colligatum filium, erecta manu cum gladio continuò venit vox de cęlo, dicens: Abraham, Abraham, non extendas manum tuam ſuper puerum, nunc cognoui quòd timeas Deum. Et ob hanc cauſam meruit ipſe Abraham benedictionem conſequi, dicente ei domino: Quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicens benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quę eſt in littore maris. Cum hoc legimus, & diſcimus, quia obedientia benedictionem meretur, quaſi hydriam plenam aquę tenemus, ſed vertatur nobis hæc aqua in ſuauiſſimum guſtum vini. Per Abraham, qui interpretatur pater multarum gentium, intelligimus Deum patrem qui eſt pater, id eſt, creator omnium populorū. Per Iſaac, qui interpretatur riſus, deſignatur dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Ioan. 16.* Per arietem deſignatur humanitas Chriſti. In Iſaac & ariete intelligimus dominum Ieſum pręfiguratum. In hoc quòd Iſaac incolumis, & illęſus redit ad priora, ſed aries eſt pro eo oblatus, ſignatum eſt, quod dominus Ieſus paſſurus eſſet ſecundum humanitatem, diuinitate autem impaſſibilis māſit. Verbi gratia: Incidit aliquis arborem, ipſam arborem perfundit claritas ſolis, Tota ipſa arbor inciditur, ſed tamen ſplendor ſolis minimè lęditur. Sic & dominus Ieſus humanitate paſſus eſt: ſed diuinitate impaſſibilis māſit. Per ligna, quæ Iſaac ferebat, intelligimus crucem domini, quā ipſe dominus tulit tempore paſſionis ſuæ, ſicut euangelium narrat. Et ſua ſponte ibat ad immolationem, ſimiliter & dominus Ieſus ſponte iuit ad paſſionem, Per ignem, quem Abraham ferebat, intelligimus dilectionē patris, quam habuit erga genus humanum mittendo filium ſuum, vt redimeret eum, iuxta quod euangeliſta dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro mundo. Per gladium, quem Abraham ferebat, intelligimus promiſſionem patris, qua permiſit filium ſuum dominum Ieſum Chriſtum crucifigi. Vnde dicit ipſe filius ad Deum patrem per Pſalmiſtam: Quoniam, quem tu percuſſiſti, id eſt, percuti permiſiſti, perſecuti ſunt Iudæi. *Pſal. 66.* Intelligimus etiam benedictionem, quam Abraham per fidem conſecutus eſt, id eſt nobis, qui de gentibus credimus, eſſe completam. Cùm hæc omnia intelligimus, hydriam plenam optimo vino habemus. In quarta ætate ſeculi legimus Dauid humilem, & innocentem perſecutionem Saulis ſuperbi, & inuidi regis pertuliſſe. Sed Saul propter peccatū ſuum interfectus eſt in monte Gelboë, *1. Reg. 31.* *3. Reg. 3.* Dauid autem humilis, & innocens exaltatus eſt in regnum. Hæc legentes diſcimus, quia ſuperbia, & inuidia mortem, humilitas autem, & innocentia exaltationem meretur. Ecce habemus hydriam plenam aquæ. Sed vertatur nobis hæc aqua in vinum, id eſt, in ſpiritualem intelligentiam. Dauid, qui interpretatur manu fortis, vel deſiderabilis, ſignat dominum Ieſum Chriſtum, qui diaboli proſtrauit potentiam, & ſpecioſus eſt forma præ filiis hominum. Saul, qui perſecutus eſt Dauid, ſignat Iudæos, qui perſecuti ſunt dominum, volentes memoriam eius auferre de terra. Sed illi, id eſt,

Iudæi

Iudæi humiliati ſunt, & diſperſi per omnes terras. Regnum verò illius, id eſt Chriſti, cuius nomen conati ſunt extinguere, *Pſal.107.* exaltatum eſt in gentibus, iuxta quod Pſalmiſta dicit illi: Exaltare ſuper cęlos, Deus. Cùm hęc intelligimus, profectò *2.Par.33.* de aqua vinum habemus. In quinta ætate ſeculi legimus, quòd populus Iſraeliticus propter peccata ſua captiuatus eſt de Hieruſalem in Babylonem à Nabuchodonoſor rege, qui ibi, id eſt, in Babylone per ſeptuaginta annos commoratus eſt. Poſt ſeptuaginta annos pœnitentiam agendo reuerſus eſt, ſub Ieſu ſacerdote magno in terra ſua. *2.Eſdræ 1.* Cùm hęc legimus & diſcimus, quia peccatū confuſionem, pœnitentia verò veniam meretur, quaſi hydriam plenam aquę habemus. Sed ſi intelligimus per Nabuchodonoſor, qui captiuauit populum de Hieruſalem, diabolum, qui quotidie conatur populum de Hieruſalem, id eſt, de ſancta eccleſia pertrahere ad Babylonem, id eſt, ad confuſionem peccatorum. Quia Babylon interpretatur confuſio. Et ſi intelligimus per ſeptuaginta annos, quibus pœnitentiam egerunt, plenitudinē bonorum operum, quę per ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiā fidelibus datur à domino. Et ſi intelligimus per Ieſum ſacerdotem magnū, qui reduxit populū Iudaicum de Babylone in Hieruſalem, dominū Ieſum Chriſtū, qui quotidie reducit electos de Babylone, id eſt, de confuſione peccatorū in Hieruſalem, & in fidem ſanctæ Eccleſiæ ſuæ hydria, quæ antea ſapiebat aquam, iam ſapit nobis optimum vinum. In ſexta ætate ſeculi legimus dominum Ieſum Chriſtum octauo de natiuitatis ſuę circunciſum, & quadrageſimo die delatum à parentibus in templum cum muneribus. Cum hoc legimus, hydriam aquę plenam habemus. Quia diſcimus in circunciſione domini obedientię exemplum, vt ſi ipſe dominus legi, quam per Moſen ſeruum ſuum dederat, obedire non eſt dedignatus, multò magis nos, qui homines ſumus, debemus obedire mandatis Dei. Sed vertatur nobis hæc hydria plena aquę in ſpiritalem ſaporem vini. Per circunciſionem domini quæ octauo die facta eſt, poſſumus intelligere ſpiritualiter baptiſmum quo baptizantur credentes in ſancta eccleſia, & fidem dominicę reſurrectionis, quę octauo die facta eſt. Quando dicit ſacerdos ei, qui baptizandus eſt: Credis in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum dominum noſtrum qui reſurrexit à mortuis? Reſpondet. Credo. Baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. In hoc quòd dominus quadrageſimo die natiuitatis ſuæ in templum delatus eſt, datur nobis intelligi, quia, pòſt quam regenerantur homines ex aqua, & ſpiritu ſancto, debent accedere ad altare ad percipiendum corpus, & ſanguinem domini ad ſalutem ſuam, vel etiam qui ſunt digni debent effici ſacerdotes ad conſecrandum corpus, & ſanguinem domini. Si hæc altiùs volumus in circunciſione intelligere, quæ octauo die facta eſt, poſſumus generalē reſurrectionem, quę octaua ætate ſeculi futura eſt, accipere, quando omnes homines reſurgent de puluere terræ, vt pergant electi cum domino in vitam æternam, reprobi cum diabolo ad pœnas perpetuas. In introductione domini in templū, poſſumus intelligere introductionem generalē ſanctorum in cæleſtem Hieruſalem. In oblatione munerum pro eo, poſſumus intelligere bona opera electorum, quia electi in die iudicij mundati ab omni fece peccati, & ab omni fece mortalitatis, cum muneribus, id eſt, bonis operibus introducentur in templum, id eſt, in cæleſtem beatitudinem, dicente eis domino: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quòd *Matt. 25.* vobis paratum eſt ab origine mundi. Et ibunt hi in vitam æternam. Cum hæc ita intelligimus hydriam plenam puriſſimo vino habemus. *Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte Architriclino.* Architriclinus, dicitur princeps, Triclinus, tres lecti, quia lectus, Gręce dicitur cline, & Archos Gręce, Latinè dicitur princeps. Conſuetudo fuit antiquorum nobilium potentum, vt tres lectos haberent tempore conuiuij ſui, in quibus recumberent, quia iacendo comedebant. Sed quęrendum eſt, quis fuerit ſpiritualiter iſte architriclinus? Beatus Paulus apoſtolus, qui de vetuſtate literæ conuerſus eſt ad ſancti Euāgelij gratiam. Per triclinium deſignatur eccleſia, quæ cōtinet in ſe tres ordines Pręlatorū, ſcilicet Epiſcoporum, presbyterorum, & Clericorum, vel continentium, viduarum, & coniugatorum, qui legitimo cōiugio vtuntur. Iſtorum trium ordinum fuit beatus Paulus architriclinus, id eſt, princeps ſecundum quòd ipſe dixit: Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter gentes, & cognouerunt gratiam, quæ data eſt *Galat. 1.* mihi, id eſt, qui Petrum fecit principem Iudęorum credentium, ipſe me conſtituit magiſtrum, & doctorem gentium credituratum. *Et tulerunt.* Non poſſumus ſpecialiter per ſingula verba ire: quia nec doctor hoc facit: *Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factum.* Vt guſtauit Architriclinus, id eſt, Paulus apoſtolus de Iudaiſmo conuerſus ad fidem Chriſti, aquam vinum factum, id eſt, ſpiritualem intelligentiam, quæ erat in lege, & prophetis, & Pſalmis datam à domino & ſibi, & aliis. *Neſciebat vndè eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam.* Miniſtri, id eſt, diſcipuli: quibus dominus poſt reſurrectionem ſuam aperuit ſenſum, vt intelligerent omnia, quæ ſcripta erant in lege, & Prophetis, & Pſalmis de ipſo. Et incipiens à Moſe, *Luca 24.* & omnibus Prophetis: ſciebant vndè eſſet illud vinum. *Vocat ſponſum Architriclinus, & dicit: Omnis homo primùm bonum vinum ponit,* ſubauditur ante ora conuiuantium. *Et cùm inebriati fuerint homines,* tunc ſubauditur vinum, *quod deterius eſt,* propinatur illis. *Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Iam diximus ſuperiùs, quia ſponſus eſt dominus Ieſus Chriſtus, ipſe ſeruauit bonum vinum, id eſt, euangelium vſque adhuc, id eſt, vſque ad tempus incarnationis ſuæ. Nunquid bonum vinum erat lex, & Prophetę? Erat vtique. Sed melius eſt vinum euangelij, quàm vinum legis, & prophetarum. Quia lex *Eſai. 1.* & prophetę promittebāt terram, iuxta illud Eſaię, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Euangelium verò regnum cælorum & promittit quotidie & tribuit, ideo melius vinum eſt quàm legis. Quāta autem diſtātia eſt inter aquam, *Matt. 4.* & vinum, tanta diſtantia eſt inter illum ſenſum, *Luca 16.* qui erat in lege, & prophetis, & illum quem dominus demonſtrauit in euangelio. *Hoc fecit initium ſignorum,* id eſt, miraculorum, *Ieſus in Cana Galilææ prouinciæ,* *& manifeſtauit gloriam ſuam,* id eſt, potentiam ſuam. Gloria Dei dicitur, quicquid mirabile geritur à Deo, ſiue in cælo, ſiue in terra. Gloria Dei, id eſt, laus Dei. Ideo fecit dominus Ieſus hoc miraculum, conuertendo aquam in vinum, vt per hoc clarificaretur, id eſt, laudaretur. *Et crediderunt in eum diſcipuli eius,* non quòd antea non crediddiſſent,

didiſſent, quia niſi credidiſſent, nullo modo eum ſequerentur, ſed firmiùs crediderunt quàm antea credidiſſent. Viſo enim tanto miraculo ſolidati ſunt in fide Chriſti.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

ET *tertia die factæ ſunt nuptiæ, &c.* Vocant ad nuptias dominum, non quod viderint miracula, vel aliud quoddam magnum: ſed ſimpliciter vocant, vt notum: vnde hoc ſignificans Euangeliſta, dicit. *Erat autem mater Ieſu, & fratres eius ibi.* Igitur ſicut illam, & fratres, ita & Ieſum vocauerunt. Affuit autem ipſe & vocationem non repulit, quia nō reſpexit ad domum dignam, ſed ad vtilitatem, & beneficia noſtra. Nam qui non dedignatus eſt fieri ſeruus, multo magis non dedignatus eſt venire ad nuptias. Exhortatur autē illum mater, vt magnum faciat miraculum, habens opinionem ſuæ erga illum poteſtatis, tam ob cōceptionem, quàm ob partum. Omnia enim cōſeruabat in corde ſuo, & ex illis cogitabat filium aliquid poſſe ſupra hominem. Neque enim mater eius, vt oraret Deum ad faciendum aliquod miraculum, ex alio, quod prius viderat, facere inducta eſt. Nam, quum puer eſſet, nullum fecit miraculum: quia, ſi feciſſet, notus fuiſſet omnibus. Audiuerat autem mater de teſtimoniis Iohannis, quæ de ipſo erat teſtatus, videbátque iam & diſcipulos ipſum ſequentes: & ex his omnibus coniectabat virtutem filij. At ille increpat eam, non abſurde. dicit enim, ſi non adeſt vinum, oportet illos ipſos, quibus deeſt, accedere, & rogare, & non te matrem. Nam, quando hortantur à domeſticis, ſcandalū fit videntibus. quando autem hi rogant, qui opus habent, ſuſpicione res caret. Cæterum dicens; *Nondum venit hora mea,* non vult, quòd obnoxius ſit neceſſitatibus temporum, vel horas obſeruet (quomodo enim hoc dicere poſſemus de factore temporum, & ſeculorum?) ſed quòd omnia tempore congruo operetur. Igitur, quoniam adhuc incognitus erat, & occultus multis, & nondum omnes habebat diſcipulos, & neque ij, qui in nuptiis erant eum agnoſcebant (nam alioquin ipſi acceſſiſſent, & rogaſſent pro vino) quia hæc omnia ita ſe habebant, *Nondum* (inquit) *venit hora mea,* hoc eſt, opportunum tempus nondum adeſt. At hic adhuc vrget Arij furor, qui monſtrare nititur dominum horis, & temporibus ſubditum. Diſce igitur, ô maledicte, quòd, ſi fuiſſet horis, & temporibus ſubiectus, quomodo poſtea feciſſet miraculum? Oportebat enim id ſecundum tuum ſermonem, quoniam ſeruit horis, & temporibus. Nondum autem venit hora eius, ne poſſit miracula facere: ſed miraculum fecit, non igitur ſeruit horis. Vide autem, oro, quomodo nō vſque ad finem, neque per omnia reſiſtit matri, ſed, quum eam parum perſtrinxiſſet, iterum preces eius implet, honorans illam: & nobis dat formam reuerentiæ erga parentes. *Dicit mater eius miniſtris, &c.* Miniſtris dicit mater, *Quicquid dixerit vobis, facite.* atq; ita, cum maior fieret petitio, quumq; acceſſiſſent & illi, ac petiſſent: vt mōſtretur, quòd non infirmitatis fuerit repulſa, ſed ne videretur accurrere, & feſtinare ad miraculorum operationem propter oſtentationem, & vanam gloriam. Lapideæ autem hydriæ ad purificationem Iudęorum aderant. Iudæi enim ferme ſingulis horis abluebantur, & ſic comedebant: vt, ſi tetigiſſent leproſum, vel mortuum, vel rem habuiſſent cum muliere, ſe lauabant, quaſi immundi forent. Et quum Palæſtina inaquoſa ſit, nec vbique inueniantur fontes, implebant ſemper hydrias aqua: & ita non currebant ad flumina, ne forte immundi fierent. Non temere igitur dixit, *ſecundum purificationem Iudæorum.* Sed ne infidelium quidam ſuſpicarentur, quòd manſiſſent in ea vindemiæ quædam reliquiæ, & dein aqua infuſa, & vinum deinde tenuiſſimum, oſtendit quòd nunquam illa fuerint vini receptacula. Iam, num potuit etiam abſq; eo, quod impleretur hydria aqua, creare vinum ex nihilo? Potuit quidem, ſed ſæpe obeſt magnitudo, ne miracula creditu ſint facilia. Interim hoc accedit, vt teſtes miraculi fiant miniſtri, qui aquam infuderunt hydriis. Inſuper, vt diſcamus, quòd ipſe ſit ille, qui & in vite liquorem aquæ in vinum conuertat. Iubet autem miniſtros vt architriclino guſtandum exhibeant. Non immerito, ſed vt ne ſuſpicentur quidam quòd ebriorum cōuentus fuerit, quorum guſtus corruptus eſſet, & qui ebrietatis vitio exiſtimarunt aquam vinum. Ne igitur locum haberet talis ſuſpicio, iubet guſtandum dari architriclino, qui ſobrius erat. Etenim ij, quibus tale concreditum eſt miniſterium, magis ſobrij ſunt, vt eorum iuſſu omnia, quæ illic geruntur, ordinate fiant, & cōpoſite. Cæterum oremus, vt hæc in nobis quoq; impleantur etiam nunc, nempe vt fiant nuptiæ, hoc eſt, coniunctio Dei cum anima noſtra, quandiu ſumus in Cana Galilææ, loco inquam inferioris huius, & deuolubilis mundi, eius qui rotatur, & rotat alia. Nuptiæ illæ nō fiunt ſine præſentia Chriſti, & ſuę matris, & diſcipulorū eius. Niſi enim quis crediderit in Chriſtū, qui natus eſt ex Maria virgine, & locutus eſt per Apoſtolos, quomodo coniungetur Deo? Sciamus igitur quid miraculis operetur dominus in talibus nuptiis, & in tali coniunctione Dei ad animā. Aquam in vinum cōuertit, & ſex noſtras lapideas hydrias implet. Per aquā tu quidē intellexeris diſſolutionem noſtram, & mollitiem in via, ac doctrina: per hydrias vero ſex, quinque ſenſus per quos in operibus labimur: & ſextam hydriam, rationalem vim, per quam in doctrinis periclitamur. Itaque dominus noſter Ieſus Chriſtus, verbum inquam euangelicum, noſtros ſenſus, ſiue in virtute practica, ſiue contemplatiua, ſi quid in eis aqueum eſt, & reſolutum, in vinum conuertit ſapidum, & lætificans vitam, & ſermonem: atque ita implentur hydriæ noſtræ bono hoc poculo: ſenſus ſcilicet, ne in operatiua vi labamur: & ratio, ne in praua incidamus dogmata. Obſerua autem, quòd & lapideæ hydrię propter purificationem Iudæorum ſtabant illic. Nam Iudas quidem dicitur confeſſio: purificatur autem, qui pœnitet, per quinque ſenſus, quibus prius peccarat. Oculus male viderat, ſed oculus iterum lachrymas in confeſſione profundit, atque ita ſeruit purgationi. Audiuit auris verba meretricia, ſed iterū ſe inclinat ad verba oris Dei. ita & in aliis ſenſibus. Sic & rationalis virtus in dogmatibus peccat, ſed iterum mundat priorem malitiam, quando ad pia dogmata redit. Cæterum lapideę hydriæ ideo ſunt, vel quod ex terra formati ſumus, vel quod ſolida receptacula talis vini eſſe oporteat, & nuſquam futilia. Lapidea hydria erat

Pauli rationalis vis, etiam quando perſequebatur, *Galat. 5.* Zelator enim erat paternarum traditionum ſuper omnes coætaneos, & quando prędicabat: tantam enim vim verbi habebat, vt à Lycaonibus *Act. 14.* Mercurius crederetur, vtpote dux verbi. *Poſtquam autem guſtaſſet Architriclinus, &c.* Architriclinus nó miniſtros, ſed ſponſum interrogat: quare? Omnino iuxta diuinam prouidétiam. Nam, ſi miniſtros interrogaſſet, vtique miraculum reuelaſſent, & nullus eis crediſſet. Initium enim erat ſignorum, & nullus adhuc opinionem talem habebat de Chriſto: atque ita, miniſtris narrantibus, miraculum hoc, nullus credidiſſet. Igitur poſtquam & alia ſigna oſtenſa ſunt, credibile & hoc futurum erat, & paulatim miniſtri omnibus hoc enarrantes, fideles habiti fuerant. Idcirco ordinauit dominus, ne miniſtri interrogarentur, ſed ſponſus. Porro non ſimpliciter fecit vinum, ſed optimum. Hæc enim, quæ per miracula Chriſti facta, multo meliora iis ſunt, quæ per naturá fiunt. Et quod aqua factum ſit vinum, teſtes ſunt miniſtri qui hauſerant aquam, quòd vero optimum fuerit, architriclinus teſtatus eſt: quæ ſane omnia procedente tempore prædicata, credibilioraque facta ſunt audientibus. Potes autem intelligere & vinum quidem ſermonem euangelicum, aquam autem omnia, quæ ante Euangelium, quæ liquidiora, & inſipidiora erant, & ad illius perfectionem non peruenientia: & vt aliquid exempli gratia dicam; dominus homini varias leges dedit, vnam in paradiſo, ſecúdam tempore Noe, tertiam ſub Abraham, nempe circúciſionem, quartam per Moſem, quin*Gen. 1. 9. 17.* tam per Prophetas. Omnes igitur illæ, ſi conferantur cum Euangelij euidentia & virtute, aqueæ ſunt, ſi quis eas ſimpliciter, & ad literam intelligat. Quod ſi quis ſpiritu incedit, & intelligit ab*Exod. 19. & 20.* ſcódita, inueniet aquam mutatam in vinum. Nam quæ ſimpliciter dicútur, & ad literam intelliguntur, multis omnino aqua ſunt: qui autem ſpiritualiter diiudicat, inueniet vinum optimum, poſtea habendum & ſeruandum à ſponſo Chriſto: quandoquidem & in extremis temporibus monſtratum eſt Euangelium. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea, &c.* Quod dominus ſigna operari cœperit poſt baptiſmum, & prius quidem diximus: videtur autem & hoc ſignum primo feciſſe. dicit enim, *Hoc fecit initium ſignorum.* At dicet quis, quòd licet fuerit initium ſignorum, non tamen omnium, ſed eorum, quæ in Cana Galilææ. Nam, quum plura ibi fecerit ſigna, hoc tamen primum fuit. Et hęc quidem illi dixerint: nos autem quamuis multa habeamus ad monſtrandum, quod initium fuerit omnium ſignorum (etenim quum dicit, *manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*: indicat, quod ante hoc nú fecerit miraculum aliud: ab illo enim manifeſtauit gloriam ſuam) attamen non refert ſiue hoc, ſiue aliud fuerit prius. Quomodo autem manifeſtauit gloriam ſuam? Non multi interfuerunt, neque coram populo fuit factum. Verum quidem non tunc, ſed poſtea miraculum hoc audituri erant omnes, vnde vſque in hunc diem celebratur, & in occulto non eſt. Quod autem & diſcipuli eius crediderint in eum, ita intellige, quod fidem ampliorem, & firmiorem acceperint: quia & prius quidem crediderant, ſed non tam firmiter.

***

INCERTI AVTHORIS
ſub nomine Euſebij Epiſcopi Emeſeni ſuperioris Euang. expoſitio.

HAs autem nuptias die tertia Euangeliſta factas fuiſſe narrat. Quod qualiter ad literam intelligendum ſit, in illo commentatio expoſuimus, de quo iſta aſſúmpta ſunt. Qualiter autem ſpiritualiter intelligi debeat, audiamus. Prima nanque dies ante legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia. Hac autem tertia die, hoc tertio ſuæ incarnationis tempore, ad nuptias dominus venire dignatus eſt, vt errores eorum deſtrueret, qui nuptiis contradicunt. Non enim abiicit Ieſus coniugatos, etſi virgines, & continentes meliores ſint. Bonæ nuptiæ, quibus mater Ieſu intereſſe dignatur, bonæ nuptiæ, ad quas Ieſus inuitatur, & diſcipuli eius. Tales nuptiæ quotidie in Eccleſia fiunt: tales nuptias, taliáque conuiuia Epiſcopi, & ſacerdotes fidelibus præparant. Hæ nuptiæ non ſunt corporum, ſed animarum. Hi cibi non ſunt carnales, ſed ſpirituales. Toties enim Chriſtum & diſcipulos eius ad nuptias inuitamus, quoties in Eccleſia prædicantes, aliquam ſententiam eorum authoritate firmamus. *Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.* Plena enim ſpiritu ſancto virgo Maria, iam tunc illud miraculum præuidebat, quod filius eius facturus erat. Quod ergo Ieſus facere cogitabat, hoc illa, vt faceret, admonebat. *Et dicit ei Ieſus, Quid mihi, & tibi eſt, mulier?* Quid mihi (inquit) & tibi commune eſt, niſi hæc caro mortalis, & humanitas iſta, quam fero, quæ famem pati, ſitire, & mori nouit, miracula autem facere nó nouit? Quòd enim in vinum aqua conuertitur: non humanitatis, ſed diuinitatis eſt. *Nondum venit hora mea.* nondum venit hora paſſionis meæ, in qua quid mihi, & tibi ſit commune, omnibus innoteſcat. Tunc enim carnem, quam de te ſuſcepi, non virtutes, & miracula facere, ſed in cruce pendere, & mori videbis. Et tunc quidem faciam vinum nouum, tunc faciam omnia noua, tūc literæ vetuſtate relicta, ad nouam, & ſpiritualem intelligentiam cuncta conuertam. Hoc enim ipſe ſignificans, ait, Non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, quum illud bibam vobiſcum nouum in regno *Dei. Dicit mater eius miniſtris, Quodcunque dixerit vobis, facite.* Interloquebantur mater, & filius: ipſi ſe intelligebant, ipſi ſua ſecreta nouerant: ipſi quid tūc fieri oportebat, & quid poſtea futurum erat, ſciebant. Cæteri autem quid ipſi dicerent, ignorabant. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.* Sex nanque hydriæ, ſex mundi ætates ſunt. Prima ab Adá vſque ad Noë: ſecunda à Noë vſque ad Abraham: tertia ab Abraham vſque ad transmigrationem Babylonis: quinta à transmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum: ſexta vſque ad finem ſeculi. *Dicit eis Ieſus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Quid enim per hos miniſtros, qui iubente domino implent hydrias aqua, niſi Apoſtolos, & doctores intelligimus? Quoties enim narramus, & prædicamus quid in vnaquaque ætate factum ſit, toties has hydrias aqua implemus. Multis enim in locis diuina ſcriptura aqua vocatur. In prima nanque ætate cælum, terrá, maria, & omnia, quæ in eis ſunt, creauit Deus: & tunc

Apparet hinc authorē commentaria in Ioannem ſcripſiſſe.

& tunc fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & dixit, Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Immiſit igitur ſoporem in Adam, & tulit vnam de coſtis eius, ex qua mulier facta eſt. Hoc autem dicentes, implemus primam hydriam aqua. Totum enim hoc ad literam intellectum, quid aliud eſt niſi aqua? Hæc autem aqua in vinum conuertitur, ſi ſpiritualiter intelligatur: vt per Adam, qui ad imaginem Dei factus eſt, eum intelligamus de quo Apoſtolus ait, Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo. At verò per Euam omniũ viuentium matrẽ, ſanctam Eccleſiam intelligamus. Sicut enim de latere Adam dormientis, vna coſta ſubtracta facta eſt Eua ita & de latere Chriſti in cruce morientis, ſanguine effuſo facta eſt Eccleſia. Vnde Ioannes Apoſtolus ait, Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Veniamus modò ad ſecundam hydriam, non vt eam impleamus, ſed vt aliquantula aqua eam infundamus. In ſecunda nanque ætate de lignis læuigatis facta eſt arca, in qua omnium animalium genera collecta ſunt, vt ſaluaretur ſemen vniuerſæ carnis in ea, & nõ periret. Hæc igitur eſt aqua quæ in vinum quidem cõuertitur, ſi ſpiritualiter intelligatur. Arca enim quæ de lignis læuigatis facta eſt, ſanctam Eccleſiam ſignificat: quæ ex ſanctis hominibus fabricata, non habet maculam neque rugam. In qua omnium animalium genera ſunt collecta, vt illud ſemen ſaluaretur & non pereat, cui benedixit Deus: de quo propheta, Niſi, inquit, dominus Deus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Nemo ſaluabitur, quicunque extra hanc arcam inuentus fuerit. Dicamus modò & de tertia hydria: quæ vtique tanta eſt, vt eius aqua cunctis bibentibus & bibere volentibus abundanter ſufficere poſſit. In hac enim ætate Abraham, Iſaac, & Iacob, & duodecim patriarchæ fuerunt. In hac fuit Moyſes & Aaron, qui populum Dei de Ægypto liberantes, & per mare rubrum ducentes, legem ſuſcipere meruerũt. Propter quos dominus flagellauit Ægyptios, & Pharaonem cum omni ſuo exercitu in profundum maris demerſit. Sed huius quoque hydriæ aqua in vinum conuertitur, ſi ſpiritualiter intelligatur: vt in Moyſe Chriſtum, in Aaron Epiſcoporum & ſacerdotum ordinẽ ſignificemus. Iſti enim populum Dei per baptiſmatis vndas ducentes, & Pharaonem (id eſt, diabolum) cum omnium vitiorum exercitu interficientes, ſanctos Dei in terram viuentium, & in promiſſam eius hæreditatem introducunt. Nunc ad quartam hydriam veniamus: in qua Dauid fortitudo & ſapientia narratur, quomodo Goliath interfecit, & omnes inimicos ſuos ſuperauerit: in qua & Salomon templum ædificauit, & regina Auſtri venit à finibus terræ vt eum videat, & eius ſapiẽtiam audiat. In hac autem omnium prophetarum libri vſque ad Ieremiam continentur. In qua & Eſaias clamat, dicens, Sitientes venite ad aquas: & qui non habetis pretium, properate, emite, & comedite. Ad hãc autem implendam & exponendam non vnus, ſed multi dies neceſſarij ſunt. Quę ſola ſi in vinum conuerſa fuiſſet, hodie omnes nobiſcum Chriſtiani eſſent. In hac enim Chriſti natiuitas, paſſio, reſurrectio, & aſcenſio pleniſſimè continetur. Cuius aqua quomodo in vinum conuerſa ſit, qui prophetarum expoſitiones legit, intelligit. Si igitur per Dauid Chriſtũ intelligamus: ipſe enim eſt Deus fortis & potens, dominus potens in prælio; qui diabolum vicit, & infernum expoliauit, qui ſicut Salomon, & verè pacificus, templum domini, id eſt ſanctam Eccleſiam ædificauit, conſecrauit, & ſanctificauit: ad quem regina Auſtri, id eſt ſancta Eccleſia venit, eius vultum videre & ſapientiam audire deſiderans: Si (inquam) ita intelligamus, mox mutato colore & ſapore aqua in vinum conuertitur. Tranſeamus ad quintam hydriam, in qua populus propter peccata ſua ductus in captiuitatem plorat, dicens, Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion: in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Qui tamen ad Deum per pœnitentiam conuerſi ſub Ieſu ſacerdote magno, læti poſtea in patriam redierunt. Et hæc quidem ſi quis ſpiritualiter intelligat, ſentiet in vinum aquam conuerſam. Illa enim captiuitas hanc noſtram, quam in hoc mundo patimur, captiuitatem ſignificat. In qua dum populos peccantes, & ſemper quaſi aquas ad inferiora labẽtes, (aquæ enim multæ, populi multi) ſancti Dei inſpiciunt, flent, & dolent, illius ſupernæ beatitudinis recordantes. Et quia vel pauci, vel nulli ſunt, qui eorum monitis acquieſcere velint, ſanctæ prædicationis organa ſuſpendunt: in ſalicibus, id eſt, quaſi quibuſdam vinculis tenaciſſimis, memoriæ commendant: dicentes cum Pſalmiſta, In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Memoria enim, qua ea, quæ intelligit, firmiter ligat, & tenet, nõn immerito ſalix vocabitur. Silent enim prædicatores multoties, & à prædicatione ceſſant, dum & verba ſua paruipendi, & ſeipſos contemptui haberi conſpiciunt. Sed ſicut tunc, ita & modò poſt pœnitentiam & ſatisfactionem, duce Ieſu ſacerdote magno, (qui tunc per illum Ieſum ſignificabatur) omnes peccatores in patriam reuertuntur. Reſtat nunc vt de ſexta hydria dicamus, quæ aliis omnibus nobilior eſt, de qua etiam omnes aliæ ſaporem ſuſcipiunt. In hac enim quatuor euangeliorum libri, & omnia Apoſtolorum dicta continentur. Hanc ipſe dominus per ſeipſum impleuit. Hãc ſuis diſcipulis dedit, vt omnes gentes ex ea ſatiarent: dicens eis, Ite in vniuerſum mũdum, prædicate euangelium omni creaturæ. Huius aqua dulciſſima, huius vinum ſuauiſſimum eſt. Sed vis bibere de aqua eius? Audi ipſum dominum. Simile (inquit) factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania. Quam quum ſerui eius colligere voluiſſent, ait, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite prius zizania, & alligate faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Hęc eſt igitur huius hydriæ aqua: quæ vt in vinum conuertatur, dicamus cum Apoſtolis, domine, ediſſere nobis parabolam iſtam. Ager (inquit dominus) eſt mũdus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni: zizania autem filij ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminauit, eſt diabolus. Meſſis verò, conſummatio ſeculi. Meſſores autem, angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburũtur, ſic erit in cõſummatione ſeculi. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Sic

igitur

igitur aqua in vinum conuertitur, ſic in ſpiritualem intelligentiam litera mutatur. Dictum eſt autem quid ſex hydriæ ſignificent. Quæ bene quidem ſecundum purificationem Iudæorum ibi poſitæ erant: quoniam quicquid in eis continetur, baptiſmus quidam eſt, & purificatio animarum. Capiebant autem ſingulæ metretas binas, vel ternas: per quod ſignificatur, quia Dei, proximique dilectionis, & fidei Trinitatis menſura omnibus ſufficit ad bibendum, tenendum, & credendum. Sequitur: *Et dicit eis Ieſus, Haurite nunc & ferte Architriclino, &c.* Qui eſt iſte Architriclinus, cui hoc nouum, & mirabile vinū prius affertur? Iſte enim Architriclinus, intellectus mihi eſſe videtur, à quo ſolo vinum bonum cognoſcitur, & laudatur. Habet enim vnuſquiſque homo hūc Architriclinum in palatio cordis ſui. Ipſe eſt princeps domus, ipſe regit, & diſponit omnia. Huic autem Eccleſiæ miniſtri ſanctarum ſcripturarum vinum quotidie offerunt: quod ille bibens, quamuis neſciat vnde ſit, tamen admiratur & laudat. Quando enim hæc in Eccleſiis recitantur, nulli alij dant ſaporem, niſi his, qui ea intelligunt. Meritò igitur hoc vinum Architriclino dominus ferri iuſſit, quatenus & nos maiora intelligentibus demus vinum, non intelligentibus verò aquam offeramus. Qui enim bene intelligunt, & literam venerantur & ſpiritum: vnde & hic Architriclinus dicit, *Tu autem ſeruaſti vinum bonum vſque adhuc*: & primum videlicet, & vltimum laudans. Qui verò minoris intelligentiæ ſunt, aquam bibant, & ſcripturarum planiſſima audiant. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* In ſanctarū namque ſcripturarum ſpirituali expoſitione, quæ vtique per hoc vinum ſignificatur, Chriſti gloria manifeſtatur, vt credentium fides augeatur.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Et die tertio nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Tertio poſt Chriſti à deſerto deſcenſum. *Et erat mater Ieſu ibi.* Vocata tanquam familiaris ab iis, qui nuptias celebrabant. *Vocatus eſt autem & Ieſus, ac diſcipuli eius ad nuptias.* Et ipſi quaſi familiares. Acceſſit autem Saluator, non habito reſpectu ad ſuam dignitatem, ſed ad hominum vtilitatem. Siquidem, qui nuptias condiderat, venit vt eas honoraret, ſuaque præſentia ſanctificaret: & quum ſerui formam aſſumpſiſſet, non dedignatur ſeruorum intereſſe nuptiis, licet, qui eum vocauerant, non haberent congruentem de eo opinionem. Simpliciter enim tanquam notum, vnumque è pluribus illum vocauerant. *Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.* Quum carerent vinu, hoc eſt, quū opus eſſet vino, ſine quum iam vinum defeciſſet. Nam habet Græca litera ὑστερήσαντος οἴνου.) Neque enim ad id vſque temporis vllum fecerat miraculum. Quum ergo cognouiſſet mater, quæ circa ipſum erant, quodque Ioannes propter eum venerat, ac de illius diuinitate teſtimonium tulerat, & quod cœlitus de eo teſtimonium acceperat. Simul etiam videns, quòd diſcipulos acceperat: intellexit quod reuelari ex eo tempore inciperet. Sumpta igitur fiducia, deprecata eſt eum pro deficientis vini miraculo: & iis, qui vocauerāt, gratiam volens rependere, & ſuam gloriam volens per filij potentiam demonſtrare. Ideoque eam corripit, non quaſi vilipendens, ſed corrigens tāquam intempeſtiue precantem. Nam quod eam plurimum honoraret, & ex aliis multis manifeſtum eſt, & ex eo quòd ipſius compleuit exhortationē. *Alij tamē nō obiurgationē, ſed myſteriū agnoſcunt.* Corripuit itaque eam docens, nondum talia eſſe quærenda, quanquam miracula verbo poſſet operari. Obediuit autem, eam tanquam matrem honorans. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Quid ad nos attinet id, pro quo deprecaris? quid ita nos vrget? Poteſt præterea & alio modo intelligi. Quid mihi tecum commune eſt? ego ſiquidem vtpote Deus noui, quæ tempora edendis miraculis ſint congrua: tu verò illa ignoras quaſi homo. Non dixit autem, mater, ſed, *mulier*, tanquam Deus. *Nondum venit hora mea.* Nondum adeſt tempus meum ad edendum, quod quæris, miraculum: tūc autem aderit, quum ij, quibus opus eſt miraculo, cognouerint, quòd talia poſſim operari, & ipſi me fuerint deprecati. Nūc autem, matre adhortante, non ſolum intempeſtiuum eſſet, verum etiam ſuſpectum, & querulosis facillime pateret calumniæ. Hæc autem, *Nondum venit hora mea*: Nō potuerunt eum apprehendere, quia nondum venerat hora eius: Nullus iniecit in eum manus, quia nondum venerat hora eius: Pater venit hora, aliaque ſimilia, non oſtendunt, quòd neceſſitatis temporum, horarumque obſeruationibus ſubiaceat: nam quo id pacto fieret, quum horum effector ſit? ſed hæc de contingentibus opportunitatibus dicta ſunt: demonſtrantia, quod omnia ratione, ac ordine fieri oporteat. *Infra 7.8. & 17.* Quum ergo dixiſſet; *Nondum venit hora mea*, miraculum tamen operatus eſt: & matrem, vt dictum eſt, honorans, & oſtendens, quod temporibus non ſeruiat, aut ſubiaceat, ſed eis dominetur. *Dicit mater eius miniſtris, Quicquid dixerit vobis, facite.* Quum verbi ſcopum, ac rationem intelligeret: quodque non impotentiæ excuſatio erat, ſed ne videretur ſeſe miraculis ingerere, & ſpectaculo exponere, matris autem exhortationem non deſpiceret: menſæ miniſtros admonet, vt ſibi adſint, & ipſi quoq; alio modo ea deprecentur. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, &c.* Hydriæ vaſa ſunt aquæ: Metretæ verò menſuræ: *Erant autem poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum*: id eſt, paratæ ad eorum purificationem, vt, ſi qui forte immundi redderentur, non longe eundum eſſet ad fontes. *Dicit eis Ieſus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Menſę miniſtros, facit etiam miniſtros miraculi, vt ipſi teſtes rei eſſent. Non iuſſit autem, vt vaſa vinaria implerentur, ſed aquales, ſiue hydriæ, ne qui ſuſpicarentur, quòd relictis fecibus mixtio aquæ facta eſſet. Quare autem non ipſemet ſolo verbo etiam hydrias impleuit, ſed miniſtris hoc imperauit? Ne phantaſma eſſe videretur: ſed, ſi quis miraculū calumniaretur, vt qui aquam hauſerant, ſilentium illis imponerent. *Et ait illis: Haurite nunc & ferte architriclino, &c.* Architriclinū dicit conuiuij præfectum, qui conuiuium procurat. Triclinia enim vocabantur aulę conuiuiorum. Non ergo ſimpliciter aquam conuertit in vinum, ſed in bonum vinum, ſicut architriclinus ipſe teſtatus eſt. Nam huiuſmodi mitanda Chriſti opera longe erant naturalibus præſtantiora. Quòd igitur aqua verſa ſit in vinum, miniſtri teſtes fuerunt: quod autem in bonum etiam vinum, architriclinus, ac ſponſus: vt deinceps miraculum latere non

poſſet,

poſſet, quod teſtimoniis adeo manifeſtis probaretur. Veriſimile eſt autem & ſponſum dixiſſe; Quid nam eſt hoc? veruntamen id prætermiſit euangeliſta vtpote non neceſſarium. Vtinam autem & ego, qui frigidus ſum, laxus, & effuſus, nihil in hoc ab aqua differens, in calorem conuerterer ſpiritualem, virtutis conſtrictionem, ac morum firmitatem, vt & alios lætificare poſſim. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ.* Non ſolum ſcripto prodidit miraculum, ſed etiam docuit principium hoc fuiſſe ſignorum. Nam, quia id ſcitu dignum erat, & ab aliis præteritum, ſcripſit illud, vtpote ad hoc vtile, ne fides adhibeatur iis, quæ dicuntur pueri Chriſti miracula: hoc enim fuit initium ſignorum: illa verò ſunt opus viri, qui à veritate aberrauit. Nam, ſi puer mirabilia operatus fuiſſet, id ſtatim omnibus innotuiſſet, neque Iſraelitis fuiſſet opus Ioãne, vt eum manifeſtaret. Siquidem Ioannes ipſe dixit; Vt manifeſtaretur Iſraeli, propter hoc veni ego in aqua baptizans. Merito ergo expectauit decentem viros ætatem, ne phantaſmata eſſe putarent ea, quæ fierent. Nam, ſi plurimi id ſuſpicabantur, quum in legitima, ac perfecta ætate mirabilia operaretur, multo magis in imperfecta, & priuſquã tempus conueniens aduenisſet, quum inuidia tabeſcerent, in Saluatorem inſurrexiſſent: & ita non ſolum increduli fuiſſent diſpenſationi incarnationis, ſed etiam euangelium impediſſent. *Et manifeſtauit gloriam ſuam.* Potentiam, & virtutem, ſuam magnitudinem diuinitatis ſuæ. Verum quomodo, aut quo pacto hoc fuit, quum pauci ad id, quod factum erat, aduertiſſent, ſoli videlicet miniſtri, & architriclinus, ac ſponſus cum diſcipulis eius? Quod in ſe erat, manifeſtauit eam per huiuſmodi miraculum: quanquam enim pauci tunc aduertebant: poſtea tamen diuulgatum eſt miraculum, multóſq; attraxit. Quod autem die illo nullus aliorum crediderit, ex ſequẽtibus manifeſtum eſt; Nam ſubiunxit; *Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Qui etiam antea ipſum admirabantur. Vides, quòd tunc oporteat fieri ſigna, quum futurũ eſt, vt ſpectatores beneuoli ſint, & animum aduertant.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

MATTH. 8.

a Quæ ad altiora aſcendere non valuerunt, ſequutæ ſunt eum. b Aliæ à prædictis.

IN illo tempore cũ autem [a] deſcendiſſet Ieſus de [b] mõte turbę mul-

c Qui nec ipſe eum lepra tam alta audire poterat, ſed ſanatus vt poſſit implere. d Cum humilitate poſtulat. e In voluntate poteſtatem tribuit.

tę: & ecce [c] leproſus veniẽs [d] adorabat eum, dicens: Domine, ſi [e] vis,

f Qui miſericordiæ prætendit affectum. g Contra legem quam ſuperat gratia in quo humilitas. h In hoc pietas.

potes me mundare. Et [f] extendens Ieſus manum, [g] tetigit eum, dicens: [h] Volo:

i In hoc maieſtatis potentia. k Quia dixit, & facta ſunt. ¶ Nihil eſt medium inter præceptum & opus. l Forma noſtri eſt, ne nos iactemus de bonis operibus. m Non erat neceſſe, vt ſermone iactaret quod corpore præferebat.

[i] mundare. [k] Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: [l] Vide, [m] ne-

n Diſciplina noſtri eſt vt nos oſtendamus ſacerdoti noſtro. o Non debent auferri ſigna priuſquam veniant ſignificata.

mini dixeris: ſed vade, [n] oſtende te ſacerdoti, & [o] offer munus, quod præcepit

p Scilicet vt credant virtutem Dei magnam eſſe.

Moyſes in [p] teſtimonium illis.

Reliqua quære infra Fer. V. poſt Cineres vſque ad finem Euang.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

CVm autem deſcendiſſet, &c. Poſt deſcenſionem Domini de monte quantum interuallum fuerit, antequam Capharnaum intraret, non apparet. In ipſo autem interuallo leproſus mundatus eſt, quod Matthæus ſuo loco dicit, Chriſtum intraſſe Capharnaum, non tamen oſtendit poſt quantũ temporis interuallum. *Cùm autem deſcendiſſet, &c.* Secundum Lucam & in cãpeſtri loco ſermonem, quem iam forſitan ſupra habuerat, eis feciſſet. *Sequutæ ſunt eum, &c.* Alij propter charitatem, alij propter doctrinam, alij propter admirationem, & curationem. Myſticè autem, *Cum autem deſcendiſſet, &c.* id eſt, cum ſe exinaniſſet, formam ſerui accipiens, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ: quia qui prius in Iudæa natus erat, tunc in vniuerſa terra mirabilis factus eſt. Quòd autem poſt pręcepta manum extendens leproſum ſanat, ſignificat eos, qui de illis præceptis implendis dubitant, ſuo auxilio ab huiuſmodi varietate mundare. Non exprimitur certus curationis locus, vt oſtendatur non vnum populum alicuius ciuitatis, ſed omnes ſonare. *Adorabat eum.* priſquam peteret, cultũ diuinitatis oſtendit. *Si vis po.* De voluntate non (quaſi pietatis incredulus

credulus) dubito: ſed quaſi meæ colluuionis conſcius non præſumo. *Extendens.* Poſt ſermonem, & miracula facit, quibus ſermo apud auditores confirmatur. *Tetigit.* Nõ quin ſine tactu ſanare poſſet, ſed vt indicet ſe non ſubiectum eſſe legi, ſed dominum legis, qui non timet contagium. *Tetigit.* propter humilitatem, vt nos doceret nullum ſpernere pro aliqua corporis maculatione. Apparet legem (quæ leproſum excludit) eſſe gratiam, quæ ſanat eum, vt ait. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere, &c. *Volo.* Eo ſanauit genere quo fuerat obſecratus. deinde imperat: *Mundare.* Ecce poteſtas. *Vide nemini.* Tacere iuſſit, nec tamen tacetur. Non quod aliquid voluit & non potuit, ſed dat exemplum, vt ſui in magnis quę faciunt, latere velint:

Mar.1.d ſed vt proſint alijs, prodantur inuiti. *Ne dixe.* Hunc tamen Marcus vbique hoc prædicaſſe dicit, quaſi Euangeliſta factus ſit. *Vade.* Mittit ad ſacerdotes propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferat honorem, quibus lex iubet mundatos monera offerre, & vt videntes credant ei: vel ſi non credunt, inexcuſabiles ſint. & ne legem frangere videretur. *Oſtende te ſacer.* vt ſacerdos non legis ordine, ſed gratia Dei ſupra legem curatum eſſe intelligat. *Offer.* quia legem non ſoluo, quia nondum cœpit verum ſacrificium. *In teſtimoni.* id eſt, domino credant ſi impietatis lepra diſcedat. *In teſti.* ſpiritualis curationis, offerẽdum eſt munus ſpirituale homo ipſe. *Typicè.* Leproſus genus humanum ſignificat plenum lepra: quod extenta manu, id eſt verbo Dei humanam contingente naturam, à priſci erroris varietate mundatur, vt diu abominabiles & ſequeſtrati iam queant templo reddi. Tem-

1.Cor.3.d plum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et ſacerdoti

Psal.109.a offerri: de quo dicitur: Tu es ſacerdos in æternum

Rom.12.a ſecundum ordinem Melchiſedech. Et offerant pro

Luce 7.a emundatione corpora ſua, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.

CATENA AVREA
in idem Euang.

CVm autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. &c. Hie. Poſt prædicationem atque doctrinam, ſignorum offertur occaſio: vt per virtutum miracula prætεritus apud audientes ſermo firmetur. Chryſo. Quia enim quaſi poteſtatem habens docebat, vt non æſtimaretur oſtentatio eſſe hic doctrinæ modus, operibus hoc idem facit, quaſi poteſtatem habens curare. Et ideo dicit: *Cum autem deſcen.le. de mon. ſecu. ſunt eum tur. multæ.* Orig. Docente enim domino in monte, diſcipuli erant cum ipſo, quibus erat datum cæleſtis doctrinæ noſſe ſecreta. Nunc autem deſcendente eo de monte, turbæ ſecutæ ſunt eum, quę in montem aſcendere nequaquam poterant: quia quos delictorum ſarcina depreſſit, ad myſteriorum ſublimia ſcandere non valent. Deſcendente autem domino, hoc eſt inclinante ſe ad infirmitatem & impotentiam, cæterorum miſertus eſt, imperfectioni eorum vel infirmitati ſtudens. ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: quidam propter charitatem, plerique propter doctrinam, nonnulli propter curationem, & adminiſtrationem. Haymo. Vel aliter: Per montem in quo dominus ſedet, cælum intelligitur, de quo ſcriptum eſt: Cælum mihi ſedes eſt. Sed cùm dominus in monte ſedet, ſoli diſcipuli ad eum accedunt: quia antequam fragilitatis noſtræ humanitatem aſſumeret, notus erat tantum in Iudæa Deus. At verò poſtquam de monte ſuæ diuinitatis deſcendit, & humanitatis noſtræ fragilitatem aſſumpſit: magna turba nationum ſecuta eſt eum. Demonſtratur autem doctoribus, vt in prædicatione ſua ſermonem habeãt temperatum: & ſicut viderint vnumquenque capere poſſe, ita & verbum Dei annuncient. Aſcendunt enim in montem doctores, cum perfectioribus excellentia præcepta oſtendunt: deſcendunt verò, cùm infirmioribus leuiora demonſtrant. Chryſ. ſuper Matt. Inter cæteros autem, qui montem non aſcenderunt, & leproſus ſurſum aſcendere non valebat, quaſi peccatorum baiulans pondus. Lepra enim eſt peccatum animarum noſtrarum. Ideo ergo dominus de altitudine cæli quaſi de excelſo monte deſcendit, vt lepram peccatorum noſtrorum mũdaret. Et ideo quaſi iam præparatus deſcendenti occurrit. propter quod dicitur, *Ecce leproſus veniens.* Orig. Deorſum curat & in monte nihil dicit, quia tempus eſt omni rei ſub cælo: tempus doctrinæ, & tempus curationis. In monte docuit, animas curauit, corda ſanauit, quibus completis ſicut de cæleſtibus montibus ad ſaluandos carnales deſcendẽte, venit ad eum leproſus & adorabat eum: antequam peteret, adorare cœpit, cultum oſtendens. Chryſ. ſuper Matt. Non enim illum petebat quaſi hominem artificem, ſed adorabat eum quaſi Deum. Oratio autem perfecta eſt fides & confeſſio, vnde leproſus fidei opus adorans impleuit, ſed opus cõfeſſionis impleuit in verbis. vnde adorabat eum, dicens: Orig. domine per te omnia facta ſunt: tu ergo ſi vis potes me mundare. Voluntas tua opus eſt, & opera tuæ voluntati obediunt. Tu prius Naaman Syrum per Heliſæum à lepra mundaſti, & modò ſi vis potes me mundare. Chr. ſuper Matt. Non dixit, Si rogaueris Deum, neque ſi adoraueris, ſed, *ſi volueris, potes me mundare.* Neque dixit, domine munda, ſed ei totum concedit, & dominum eum facit, & poteſtatem vniuerſorum ei attribuit. Chryſ. ſuper Matt. Et ita ſpiritualis medico ſpiritualem offerebat mercedem. nam ſicut medici pecunijs, iſte oratione placatur. Nihil enim dignius offerimus Deo quàm orationem fidelem. In hoc autem quod dicit: *Si vis,* non dubitat Chriſti voluntatem ad omne opus bonum paratam: ſed quia non omnibus expedit corporalis integritas, neſciebat vtrùm ei expediret curatio illa. Dicit ergo: *Si vis,* ac ſi diceret: Credo quia quod bonum eſt, vis: ignoro autem ſi eſt mihi quod deſidero, bonum. Chryſ. in ho. Cùm autem voluntate ac ſermone purgare poſſet, manus appoſuit & tactum. vnde ſequitur: Et extendens manum tetigit eum, vt oſtendat quoniam non ſubiacet legi, & quoniam mundo iam nihil eſt immundum. Heliſæus autem obſeruans legis diligentiam, nõ exiuit & tetigit Naaman, ſed mittit eum ad Iordanem lauandum. Dominus autem demõſtrat, quoniam non vt ſeruus, ſed vt dominus curat & tangit. Non enim manus à lepra facta eſt immunda, ſed corpus leproſum à manu ſancta conſtitutum eſt mundum. Non enim corpora ſolùm curaturus aduenit, ſed & animam in veram ſapientiam ducturus. Sicut igitur manibus non lotis iam non mãducare prohibebat: ita & hic erudit, quoniam oportet animæ lepram formidare ſolam, quod eſt peccatum: lepram autem corporis, nullum impe-

dimentum eſſe ad virtutem. Chryſo. ſuper Matthæum. Quanuis autem literam legis ſolueret, propoſitum tamen eius non ſoluit. Ideo tamen lex iuſſit non tangere lepram, quia non poterat facere vt lepra non ſordidaret tangentem: ergo vetuit tangere lepram non vt leproſi non ſanarentur, ſed vt tangentes non inquinarentur. Iſte autem tangens non inquinatus eſt à lepra, ſed ipſam lepram mundauit tangendo. Dama. Non enim Deus ſolùm erat, ſed homo: vnde per tactum & per ſermonem diuina ſigna operabatur. vt enim per organum, ita per corpus diuinæ perficiebantur actiones. Chryſoſt. in ho. Cùm autem leproſum tangit, nullus eum incuſat: quia nondũ inuidia detenti erant auditores. Chry. ſuper Matt. Sin autem tacitè eum curaſſet, quis ſcire poterat cuius virtute ſanatus eſſet? igitur voluntas mundandi facta eſt propter leproſum: verbum autem propter ſpectantes. Ideo dixit: Volo, mundare. Hiero. Non autem, vt plerique Latinorum putant, iunctim legendum eſt, *Volo mundare*: ſed ſeparatim, vt prius dicatur: *Volo*, deinde imperans dicat: *Mundare*. Ille enim dixerat: *Si vis*, dominus reſpondit: *Mundare*. Chry. in ho. Nuſquam autem videtur dicere hoc verbum, quamuis magna ſigna faciens: ſed hîc propterea appoſuit, *Volo*, vt opinionem plebis & leproſi de eius poteſtate confirmaret. Chryſ. in ho. Ceſſit autem mandanti natura cum decenti velocitate. Et ideo ſequitur: *Et confe. mun. eſt le. eius*. ſed hoc quod dicit: *Confeſtim*, multum eſt tardius velocitate quæ ſecũdum opus eſt facta. Orig. Quia enim non dubitauit credere, non tardatur ſanatio: quia non diſtulit confeſſionem, non differtur mundatio. Augu. de con. euan. Huius autem leproſi mundati, quem Lucas meminit, non ſanè hoc ordine, ſed vt ſolent prætermiſſa recordari, poſterius facta præoccupari, ſicut diuinitus ſuggerebantur: vt antea cognita, poſtea recordando reſcriberent. Chryſ. in ho. Curans autem Ieſus corpus, iubet nulli dicere. vnde ſequitur: *Et ait illi Ieſus, vide nemini dixeris*. Quidam igitur aiunt, quoniam ideo iuſſit hoc, vt non malignentur circa eius purgationem: quod inſipienter dicitur. Non enim ita mundauit, vt dubitabilis eſſet mundatio: ſed nulli dicere iubet docens non diligere oſtentationem & honorem. Qualiter igitur alij ſanato iubet dicere? Sed in hoc erudiuit nos bonæ mentis eſſe. Non enim illic diuulgari ſe iuſſit, ſed dari gloriam Deo. per leproſum ergo hunc, inſtruit nos non eſſe vanè glorioſos: per illum autem non eſſe ingratos, ſed omnia ad laudem Dei referre. Hiero. Et reuera quid erat neceſſe quod ſermone iactaret, quod corpore præferebat. Hila. Vel vt ſalus hæc non offerretur potius quam quæreretur, ſilentium imperatur. Sequitur: Sed vade oſtende te ſacerdoti. Hiero. Mittit autem eum ad ſacerdotes: primùm propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferre videatur: deinde videntes leproſum mundatum ſi crederent ſaluatori, ſaluarentur: ſi verò non crederent, inexcuſabiles fierent: & ſimul ne, quod in eo ſæpiſſimè criminabantur, legem infringere videretur. Chr. in ho. Neque enim vbique eam diſſoluebat, neque vbique cuſtodiebat: ſed quandoque quidem hoc, quandoque illud faciebat: in vno quidem futuræ ſapientiæ præparans viam, in altero autem inuerecundam Iudæorum cohibens linguam, & condeſcendens imbecillitati eorum. Vnde apoſtoli apparent quandoque quidem obſeruantes legem, quandoque autem eam prætermittentes. Orig. Vel mittit ad ſacerdotes, vt cognoſcant, quia non per legis conſuetudinem mundatus eſt, ſed per gratiæ operationem. Hiero. Erat autem in lege præceptum vt qui mundati fuerant à lepra, offerrent munera ſacerdotibus. vnde ſequitur: Et offer munus tuum quod præcepit Moyſes in teſt. illis. Chryſo. ſuper Matt. Non ſic intellige quia hoc Moyſes præcepit in teſtimonium illis. Chry. in ho. Præuidens enim Chriſtus eos ex hoc nihil profecturos, non dixit: In emendationem eorum, ſed, *in teſtimonium*, id eſt, in accuſationem & atteſtationem: quoniam quæ à me erant fienda, omnia facta ſunt. Et licet eos præuiderit non emendari, non tamen dimiſit quæ facere oportebat. Illi autem in propria manſerunt malitia. Non autem dixit: munus quod ego iubeo, ſed, *quod Moyſes iuſſit*: vt interim tranſmittat ad legem, & iniquorum obſtruat ora. vt enim non dicant quoniam ſacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipſe impleuit, probationem autem illis conceſſit. Orig. Vel offer munus tuum, vt omnes, qui vident te portare, miraculo credant. Chryſ. ſuper Mat. Vel ideo iubet offerri munera, vt, ſi poſtmodum eum expellere vellent, diceret eis, munera quaſi à mundato accepiſtis, & quomodo me quaſi leproſum expellitis? Hila. Vel legendum eſt quod Moyſes præcepit in teſtimonium illis: quia quod Moyſes in lege præcepit, in teſtimonium eſt, non effectus. Beda in ho. Si quem autem moueat, quum dominus videatur Moyſi ſacrificium approbare, quare hîc eccleſia non recipiat? meminerit quod nondum Chriſtus corpus ſuum obtulerat per paſſionem in holocauſtum. Non autem oportebat offerri ſignificatiua ſacrificia, priuſquam illud quod ſignificabatur confirmatum eſſet teſtimonio apoſtolorum prædicantium, & fide credentium populorum. Vir autem iſte, genus humanum deſignat: qui non ſolum leproſus, verumetiã iuxta euangelium Lucæ, plenus lepra fuiſſe deſcribitur. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: illa, ſcilicet, vt extẽſa manu ſaluatoris, hoc eſt incarnato Dei verbo humanámque contingente naturam, ab erroris priſci vanitate mundentur: & qui diutius abominabiles, & à caſtris populi Dei eiecti, iam aliquando templo redditi, & ſacerdoti queant offerre corpora ſua hoſtiam viuentem: illi, ſcilicet, cui dicitur tu es ſacerdos in æternum. Remi. Moraliter autem per leproſum deſignatur peccator: nam peccatum immundam, & variam animam facit: qui ante Chriſtum procidit, quando de priſtinis peccatis confunditur: & tamen debet confiteri, & remedium pœnitentię poſtulare. Nam leproſus vulnus oſtendit, & remedium poſtulauit. Extendit autem dominus manũ, quando auxilium diuinæ miſerationis impendit, & ſtatim conſequitur remiſſionem delictorum, nec debet eccleſia eidem reconciliari, niſi iudicio ſacerdotis.

Peccator vt veniam conſequatur, debet ſua peccata confiteri eccleſiæ miniſtro.

ORIGENIS PRESBYT.
in idem Euang. Hom.

Ex Homil. 5 in diuerſos.

D*Eſcendente Ieſu de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Docente vero domino in monte diſcipuli erant cum ipſo, quibus datum erat cæleſtis doctrinæ noſſe ſecreta, per quæ ſalutis ſciẽtia brutorum

rorum corda ſalirent, cæcorum quæ oculis per mundanæ delectationis tenebras caligantibus lucem patefacerent veritatis. Vnde & dominus ad eos, Vos eſtis(inquit)ſal terræ, vos eſtis & lumina mundi. Nunc vero deſcendente eo de monte turbæ ſecutæ ſunt eum. In montem ſcilicet aſcendere nequaquam poterant, quia quos delictorum ſarcina deprimit,ad myſteriorum ſublimia niſi abiecto onere ſcandere minime valent. Idcirco & filij Iſrael primitus in montem aſcendere non poterant ad obuiandum Deo, qui Ægyptiaca grauati conuerſatione præpediebantur, ſed ſolus Moyſes aſcenderat, & pauci cum eo ſeniorum Iſrael. Veluti denique tunc cum domino diſcipuli in montem aſcenderunt,ſic & modo fideles animę Deum timentes, & dominum diligentes, regna cæleſtia deſiderantes, dominum ſemper ſequentes, poſt dominum in illum cæleſtem montem aſcenderũt: audientes Apoſtolum dicẽtem, Quæ ſurſum ſunt, ſapite, quæ ſurſum ſunt, quærite,vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Deſcendente nunc domino,hoc eſt,inclinante ſe ad infirmitatem,& impotentiam cæterorum, miſertus imperfectionis eorum,vel infirmitatis,ſecutæ ſunt eum turbæ multę: quidam propter charitatem,pleriquc propter doctrinam, nonnulli propter adminiſtrationem, & curationem. *Et ecce homo leproſus*, vnus ex illis, qui curam quærebant,qui leuamen deſiderabant,*adorabat eum,dicens,domine,ſi vis potes me mundare.* Deorſum currens rogas, ô homo, & in montem nihil dicis. Quare ſic? Quia tempus, & tempora omni rei ſub cælo. Tempus doctrinæ,& tempus curationis.In monte docuit,illuminauit, monuit, animas curauit,corda ſanauit.Propterea ergo illa maiora ego tentare nolui, illa ſumma tradere paſſus ſum. Ipſis ergo ab illo completis deorſum eo de monte ad curandum, ſicuti de cæleſtibus montibus ad ſaluandos carnales deſcendente, venit ad eum homo leproſus adorans eum. Antequam peteret, adorare cœpit, antequam rogaret,culturam oſtendit. Adorauit eum.Pro hoc ipſo Deum & dominum eum inuocans adorabat eum. Sicut enim illi beati Magi prius procidentes adorauerũt eum, & ita demum ei munera obtulerunt:eodem modo & nunc iſte cadens adorabat, & ſic ſupplices obtulit poſtulationes, dicens, Domine tu qui digne adoraris, & merito coleris, te ego vt dominum adoro, ideoque & dominũ dico, opera prius conteſtans, & ſic verba loquens, Per te enim omnia facta ſunt. Tu ergo domine,ſi vis,potes me mundare. Voluiſti vt hæc immundiſſima lepra ſuper me veniret,ſiue propter mea peccata,vt correptus pœnitentiam agã, ſeu propter tuam prouidẽtiam, vt mirabiliter me mundãs magnificeris:omnia diſpenſanter & prouidẽter facis,& ſalutẽ largiter tribuis. Siue ergo hanc lepram propter mea peccata portaui,dimittẽs culpas meas,mũda me;ſiue propter prouidentiam tuã mirabiliter me mũda,vt ab hominibus magnificeris. *Domine,ſi vis potes me mũdare.* Volũtate tua opus eſt,quia & opera voluntati tuę obediunt,ideoque ſi vis potes me mundare. Nõ dubitans fallor, nec dicẽs ſic vt ille qui filij ſalutem deprecabatur,Si quid potes,adiuua nos:ſed ſcio quia omnia potes,idcirco non potẽtiam peto, nec fortitudinẽ quæro.Homines enim ſcio deficiẽtes, ſed tantum voluntatem tuam deprecor,& ſequens virtus ſtatim hanc gratiam adimplebit. *Domine ſi vis potes me mundare*:mihi ad beneficium,tibi ad laudem,videntibus ad miraculum & proficiendi doctrinam. *Domine,ſi vis,potes me mundare.* Tu qui prius(ait)Naaman principem Syriæ per Heliſęum in Iordane tingens lepra mundaſti, & modo ſi vis potes me mundare. Cui reſpondens dominus ait, Confidens poſiteris quia ego poſſum, & ſi volò fit, ideo *volo:mundare.* Magnifice credis magnifice & mundaris: pleniſſime confiteris,pleniſſime lætificaris. *Volo:mundare.* Non dubitaſti credere,non tardo ſanare. Non detuliſti confeſſionem,non diſferam te mundare. *Volo:mundare*, vt magnam gratiam tibi oſtendam manum ad te porrigo. Extendens itaque manum Ieſus tetigit eum, dicens. Et quid eſt quòd tetigit eum, cum lex prohibuiſſet leproſum tangere?Propter hoc tetigit,vt oſtenderet quod omnia mũda mundis, quia aliorum aliis non adhęrent inquinamenta, neque extranea immunditia immaculatos coinquinat. Sed ad hæc propter quid tetigit? vt humilitatem demonſtraret, & nos doceret nullum ſpernere, aut horrere, vel contemptibilem ducere propter corporis læſionem, aut maculationem, quæ à Deo immittitur, pro qua ipſe ſit redditurus rationem. *Extendens ergo manum eius tetigit eum.* Medicus (ait) ſum cæleſtis, corpora cum animabus curare poſſum: propterea omnes tango non vt infirmitas mihi adhæreat, ſed vt ab iis qui eam habent expellam. Sol enim,ait,incomparabilis ſum,& luna iuſtitiæ. Ideo omnibus approximo, & omnibus meis ſplẽdoribus ad ſalutẽ radio, ipſe vero ſicut fui permaneo in ſingularis meæ ſanctitatis pulchritudine. *Extendens manum tetigit eum.* Nõ ſperno legem, ſed curo vulnus: nec deſtruo mandatum,ſed fugo atque mundo lepram. Ideoque cum extendo manum mox effugit, nec contaminatio meæ virtuti proximare,vel reſiſtere meæ potentiæ poterit. Dico ergo, *Volo:mundare*, & me manum ad tãgendum extendente effugit illico lepra, & inuenta eſt manus domini non lepram, ſed mundum tetigiſſe corpus. Conſideremus & nos nunc, dilectiſſimi fratres,vt nullus peccati lepram in ſua habeat anima, aut contaminationes delictorum in ſuo detineat corde. Sed & ſi habet, inſtãter adorans dominum dicat ad eum, *Domine,ſi vis,potes me mundare.* Tu illum prius multa delicta committẽtem mundaſti Manaſſen, & innumerabilibus aliis à ſeculo precantibus miſertus es. Tu ergo ſi vis,potes me mundare. Et dominus mox miſericordiæ porrigens manũ dicit,*Volo:mundare.* Et Ieſus ait illi mũdato à lepra. Huic cui miſertus eſt credenti dominus, qui cõfiſus eſt in virtute eius, huic ergo dixit Ieſus, Credidiſti, ſaluus es; ſperaſti,mundus effectus es. Noli obliuiſci qualis fueris, qualis factus ſis. Non ceſſes gratias referre, non taceas confiteri. Chariſſimi,hoc & nos debemus facere quando à domino de aliquo periculo liberamur, vel ab aliquo dolore ſaluamur,ſiue infirmitatis, ſeu vulneris,ſiue de qualibet neceſſitate. Non efficiamur ingrati,& relinquamus liberatorem noſtrum, ſed alacriter gratiarum actiones ei reddamus, ſed & munera ſecundum ſubſtantiam noſtram ad honorificandum eum exhibeamus. Hoc enim & illi mandauit dominus, *Vade* (ait) *ad ſacerdotes ,& offer munus tuum.* Dixit ergo ei Ieſus, *Vade, nemini dixeris.* Et quare hoc,domine,dicet nemini? Propter meã humilitatem, propter meam dulcedinem. Et vos doceamini quando aliquid boni facitis, non gloriari, aut extolli vel inaniter placere velle in con-

ſpectu, ſicut conſuetudo eſt aliquantis, qui cum quid boni fecerint, ſeu ieiunauerint, ſeu in pauperum eleemoſynis largi fuerint, necnon & in altaris honore, cultuque ſanctorum. Etenim ipſi ante homines volunt gloriari, & ſibi placere, ante dominum mercedem perdentes. *Vide nemini dixeris.* Te enim tacente, hoc mirabiliter clamabit. Te enim os non aperiente, omnis vitius tui corporis iubilabit. Heſterno immũdus, hodie mundus, ante puſillum horribilis, & nunc decorus. *Vide ergo nemini dixeris, ſed vade, oſtende te ſacerdoti.* Ambulante te ad templum videntes mirabuntur, & ſacerdos videns expaueſcet: quoniam ſecundum legem ſemel, & bis ab eo incluſus, & oſtendens teipſum, mundari non potuiſti. Vade ergo oſtende te ſacerdoti, vt videns cognoſcat quòd non per legis conſuetudinem mundatus es, ſed per gratiæ operationem: non propter terrenorum ſacerdotum imaginem, ſed per cæleſtem ſummi ſacerdotis ſplendorem. *Vade, oſtende ſacerdoti teipſum.* Sacerdoti te oſtende à ſummo ſacerdote miſſus, à ſummo ſacerdote Dei patris mundatus. Sed non videaris in conſpectu domini inanis, non videaris ad ſacerdotem manu vacua venire. Non venias in conſpectu ſancti templi infructuoſus, ſed offer munus tuum. Ad illum enim hoc tunc dictũ nos admonet omnes loquẽs, vt & nos dona, & munera noſtra non teneamus apud nos, ſed reddamus gratias Deo, maxime cum de aliqua liberamur tribulatione. *Offer*, inquit, *munus tuum.* Quare? vt omnes qui vident portare & offerre credant his mirabilibus, & magnificent Deum qui miſertus eſt tui, & infidelibus per hoc increpatio, & teſtimonium duritiæ cordis ipſorum fiet. Sic & illum. xxxviij. annis iacentem in infirmitate, erigens à languore iuſſit portare grabatum ſuum, & ire in domum ſuam, vt hunc ipſum lectus portatus ab eo per mediam ciuitatem clamaret ſaluantem ſe inuocando, & laudando. Sic & illum cæcum in natatoria Siloe miſit, vt videntes ambulare illuc eundem cæcum, & iterum remeantem mirati & obſtupeſcentes crederent huic talia mirabilia facienti.

S. HILARII EPISCOPI
Pictauienſis ſuperioris Euang. expoſitio.

ET *deſcendente eo de monte, ſecutæ ſunt eum, &c.* In exordio ſermonis admonuimus, ne quis fortè exiſtimaret aliquid rerum geſtarum fidei detrahendum, ſi res ipſas profectus rerum conſequentium continere in ſe doceremus. Nihil enim veritati detrahit, imitationem veritas conſecuta. Toto igitur ſuperiore ſermone dominus fidei præcepta tradiderat, legem exceſſerat: iam inutilem atque inefficacem excedendo ſignificans. Mandatorum obſeruãtiam exegerat, ante promiſſorum ſuorum ſpem fidiſſimã imperauerat: quid igitur poſt hæc primum geſſerit contuendum eſt. Adeſt leproſus, emundari ſe rogat, purgatur verbi poteſtate, contactum iubetur ſilere, ſed tamen oſtendere ſe ſacerdoti & munus quod Moyſes in teſtimonium fieri præcepit offerre. Curatio igitur obedientis & credentis turbæ & cum domino de monte venientis adoratio in leproſo oſtenditur: quę vitioſa labe corporis contaminata, audita regni cælorum prædicatione, curari ſe rogat, contactu corporis viſitatur, verbi virtute curatur. Et oſtendere ſe ſacerdotibus iubetur: vt prænunciatus in lege factis & operibus cernatur, & in quo lex infirmabatur, in eo virtus intelligeretur: præmium quoque receptæ ſalutis qui purgatus eſt, Deo offerat. Sed vt donũ illud non ſit ex auibus, ſed vt homo ipſe à ſordibus peccati corporis emundatus, in ſacrificium Dei tranſeat: quia quod Moyſes in lege præceperit, teſtimonium ſit, non effectus.

S. HIERONYMI PRESbyteri
in idem Euang.

CVm *autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, &c.* De monte domino deſcendente, occurrunt turbæ: quia ad altiora aſcendere nõ valuerunt. Et primus ei occurrit leproſus. Necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte ſaluatoris audire ſermonem. Et notandum quod hic primus ſpecialiter curatus ſit: ſecundo, puer centurionis: tertio ſocrus Petri febriens in Capharnaum: quarto loco qui oblati ſunt ei à dæmonio vexati: quorum ſpiritus verbo eiiciebat: quando omnes male habentes curauit. Et ecce leproſus veniens, adorabat eum dicens: Recte poſt prædicationem atque doctrinam, ſigni offertur occaſio: vt per virtutem miraculi, præteritus apud audientes ſermo firmetur. *Domine ſi vis, potes me mundare.* Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat. *Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, &c.* Extendente manũ domino, ſtatim lepra fugit. Simúlque conſidera quam humilis & ſine iactantia reſponſio. Ille dixerat, ſi vis: dominus reſpondit, volo. Ille præmiſerat, potes me mundare. Dominus iungit & dicit, mundare. Non ergo vt plerique Latinorum putant, iungendum eſt: & legendum, volo mundare: ſed ſeparatim, vt primum dicat, volo: deinde imperet, mundare. *Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris.* Et re vera quid erat neceſſe: vt ſermone iactaret, quod corpore præferebat? *Sed vade oſtende te ſacerdoti, &c.* Varias ob cauſas mittit eum ad ſacerdotem. Primũ propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferre honorem videatur. Erat enim lege præceptum, vt qui mundati fuerant à lepra, offerrent munera ſacerdotibus. Deinde vt mundatum videntes leproſum, aut crederent ſaluatori, aut non crederent. Si crederent, ſaluarentur: ſi non crederent, inexcuſabiles forent. Et ſimul ne, quod in eo ſæpiſſime criminabantur, legem videretur infringere.

S. IO. CHRYSOSTOMI
Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil. 1.

TV verò domini perpende ſapientiam, quem- *Ex Ho. 16. in Matth.*
admodum diſpenſationes etiam ſuas pro vtilitate variat audientium, vt nunc quidem à ſignis ad verba tranſeat, nunc autem à doctrina migret ad ſigna. Nam & priuſquam in montem præcepta daturus aſcenderet, multos vtique curauit, vt iis, quæ dicenda erant, viam pararet. Et rurſus, prolixo hoc doctrinæ ſuæ ſermone finito, ad facienda nihilominus ſigna regreditur, vt ea his profecto dicta confirmet. Quia enim quaſi habens poteſtatem docebat, ne putaretur oſtentatio eſſe quædã, atque præſumptio: genus iſtud docendi, idipſum etiam

etiam operibus exercet. Curat enim quaſi habens proculdubio poteſtatẽ, vt nihil iam omnino turbentur, ita demum audientes dicentem, quemadmodum vident etiam ſigna facientem. *Quum enim de monte deſcenderet, acceſſit ad eum leproſus, dicens; Domine, ſi vis, potes me mundare.* Magna eſt prudentia accedentis, & fides. Non enim quaſi inconſideratus ſermonem docentis incidit, nec illud auditorum theatrum importunus intercidit, ſed expectauit tempus aptiſsimum, & deſcendenti iam ei opportuniſſimè ſupplicauit. Nec ſanè negligenter, ac tepide, ſed cum ingenti mẽtis ardore. Nam, ſicut alter Euangeliſta dicit, ſupplicauit fixis in terra genibus aduolutus, eumque ſi de pura prorſus, & vera, ac ipſa exiſtimatione digniſſima. Non enim dixit, ſi oraueris, potes me mundare: neque ait, domine, munda me: ſed ipſi cuncta commiſit, eumque conferendæ ſanitatis dominum eſſe confeſſus eſt, atque in ipſo conſtituit omnium poteſtatem. Quid verò, inquis, ſi praua erat opinio leproſi? Proculdubio illam quidem deſtrui, iſtum verò corripi oportebat, & corrigi. Putáſne igitur hoc facit? Nequaquam, ſed è regione totum, quod dixerat, & aſſenſione prorſus, & operatione confirmat. Et idcirco non dixit, mundus eſto: ſed, *volo, mundus eſto*: vt non iam vltra illius opinionem, ſed domini voluntatem ſanitatis munus ſequatur. At non ita & Apoſtoli, ſed quonam modo? Quid igitur? quum eos homines obſtupuiſſet, ſic miramini nos, inquiunt, quaſi propria poteſtate, & virtute fecerimus húc ambulare? Dominus autem, quum multa fuiſſet mediocri ſermone locutus, ſępe etiã, quæ infra gloriam eius iacerent, modò vt dogma veritatis inſereret: hic tamen plurimis de ipſius poteſtate mirantibus, quid ait? *Volo, mundus eſto.* Et certè tot ſigna, & talia operatus, nunquam hoc verbo vſus refertur. hic verò, vt de poteſtate ſua opinionem & leproſi firmaret, & populi, addidit, *Volo*: & non ſolùm id quidẽ dixit verbo, & non impleuit effectu: verum è regione cõtinuo opus ſermonem ſequutum eſt. Si verò non bene ille dixiſſet, ſed blaſphemia fuiſſet vlla, quod dixerat, cohibenda fuerat virtutis operatio. Nunc autem ceſſit extemplo iuſſioni natura, cum tanta vtique celeritate, quanta Deum conuenit operari, & profectò maiore, quam euangeliſta memorauit. Nam confeſtim quoque ipſum multo eſt tardius illius operis celeritate, quo leproſi eſt facta curatio. Non autem ait ſimpliciter, *Volo, mundus eſto*: ſed extendens manum tetigit eum. Quod eſt certè inquiſitione digniſſimum. Cuius enim rei gratia, quum eum voluntate, ac ſermone mundaret, extendens manum ſuã adiecit & tactum? Mihi prorſus videtur, non ob aliam illud feciſſe cauſam, quàm vt huic quoque oſtenderet, non ſe ſubditum legis eſſe, ſed dominum, & quia cuique mundo nihil ſit prorſus immundum. Propterea Eliſæus quidem neque videt Naaman, ſed & ſcandalizatum eſſe audiens, quia eum nec inſpicere voluiſſet ipſe, nec tangere, diligentiam legis obſeruans, nihilominus manet domi, eumq; ad Iordanis flumina mittit lauandum. At verò Chriſtus oſtendit, quia nõ vt famulus, ſed vt dominus curet, ac tangat. Non enim tangentis manus immunda eſt facta per lepram, ſed per ſanctam manum leproſi corpus omne mundatum. Non ſolum enim corpora curaturus, ſed animas quoque ad veram philoſophiam inducturus aduenit. Sicut ergo veſci manibus illotis omnino nõ prohibet, optimam illam profectò legem de indifferentia inducens ciborum: ita hic quoq; oſtendẽs animas oportere curari eorum, quos ab exterioribus immunditiis liberauerat, etiam interiora purificat, & animæ tantum lepram docet eſſe metuendam, quod eſt vtique peccatum. Cæterum leproſum eſſe corpore, nullum poteſt impedimentum afferre virtuti. Primus itaque leproſum ipſum tangit, atque ex tanto populo nullus accuſat. Nõ erant quippe ibi iudicia corrupta, neque ſpectatores liuore vitiati. Propterea non modò nõ calumniati ſunt ſignum, verumetiam cum ſtupore venerati: procul quippe ab huiuſmodi criminationibus receſſerunt, potentiam eius de ipſa quoque operis celeritate mirantes. Cum igitur curaſſet corpus eius, ne cui id diceret, imperauit: ſed vt oſtenderet ſe ſacerdoti, & munus offerret, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Sunt quidam, qui opinantur, hoc eum propterea iuſſiſſe: ne ſcilicet per malitiã ſacerdotes non eum dicerent fuiſſe mundatum: quod qui putant, ſtultiſſimè, atque ineptiſſimè ſuſpicantur. Non enim ſic eum ille mundauerat, vt emundatio ipſa eſſet ambigua: ſed & perfectè omnino mũdauit, & nulli hoc eum iuſſit etiam fateri, docens quàm eſſet alienus ab aura gloriæ, pompaque iactantiæ. Et certè nouerat, quia non eſſet ille taciturus, ſed paſſim tam grande beneficium prædicaturus: & tamen, quantum in ipſo eſt, fugit oſtentare, quod fecerat. Et quemadmodum, inquies, alibi publicari talia ipſe præcepit? non contra ſe veniens, neque dictorum compugnantia ſententias ſuas deſtruẽs, ſed curatos à ſe gratos quoque eſſe ipſe pręcipiẽs. Non enim ſemetipſum prædicari iuſſit, ſed dari gloriam Deo, vt & per leproſum gloriæ, atque iactantiæ renunciãdum doceret, & per illum, quem à legione mundauerat, gratias nos Deo referre cõmoneret, eiúſque beneficia confiteri, atque vt oſtenderet ſemper ex mirabilibus ſuis laudem nõ niſi Deo eſſe referendam. Quia enim homines, quandiu quidem grandi aliqua ægritudine detinentur, Dei ſæpe meminerunt; morbo autem liberati, grauius obſidentur languore deſidiæ: idcirco præcipiens, vt & ægroti videlicet, & ſani Deum iugiter recordemur, ei, quẽ curauerat, ait, Da gloriã Deo. Qua verò de cauſa iuſſit, vt ſeipſum oſtenderet ſacerdoti, & munus offerret? Vt legem vtique rurſus impleret. Non enim vbique illam reſoluit, ſed nunc quidem illud, nunc iſtud effecit, tum futuræ viam philoſophiæ præſtruendo, tum impudentiſſima Iudæorum ora frenando, & infirmitati eorum neceſſaria condeſcenſione medicando. Et quid omnino miraris, ſi hoc in prædicationis ſuæ fecit exordio, quãdo & apoſtoli, quos certè ad gentes ire præcepit, per quos & doctrinæ ianuas toti prorſus orbi iuſſit aperiri, & excludi legem, & inſtituta præceptorum nouari, omniáque ferè vetera ceſſare, inueniuntur aliquando quidem cuſtodire legem, aliquando verò tranſcurrere? Et quid hoc, inquis, ad legis videtur ſpectare cuſtodiam, ſi dixit, *oſtende te ſacerdoti*? imò vel maximè. Erat quippe lex vetus, ne leproſus de emundatione ſua ipſe decerneret, ſed vt conſpectui ſacerdotis ſe offerret, & probationem ſuam oculis eius exponeret, atque ex illius ſententia in numerum mundorum rediret. Niſi enim dixiſſet ſacerdos leproſum eſſe mundatum, adhuc eum immundis erat extra caſtra manſurus. Propter quod ait,

Oſtende teipſum ſacerdoti, & offer manus, quod præcepit Moyſes. Non dixit, quod ipſe præcipio, ſed eum interim ad legem remiſit, vndique ora obloquentium conſuendo. Ne enim eum dicerent rapuiſſe gloriam ſacerdotum, opus quidem impleuit ipſe, probationem verò permiſit illis, quibus etiam de ſignis ſuis iudicandi tribuit poteſtatem: ac ſi diceret: Tam procul ſum, vt vel Moyſi videar, vel ſacerdotibus repugnare, vt eos, quos ipſe curaui, ad iudicium illorum remittam. Quid verò eſt, quod ait, *in teſtimonium illis*? In redargutionem profectò, in accuſationem, atque documentum, ſi peruerſæ voluerint eſſe ſententiæ. Quia enim dicebat, vt ſeductorem ac deceptorem iure perſequimur: tu, inquit, mihi in illo tempore in teſtimonium eris, quòd à præuaricatione ſim legis alienus: quippe cum te curauerim, ad legem remitto, atque ad ſententiam ſacerdotum: quòd certè erat honorantis legem, & Moyſi præcepta venerantis, nec antiquis dogmatibus reſiſtentis. Si verò nihil iam illis obſeruatio iſta præſtabat, hinc maximè poſſumus, quantus penes illum ſit honor legis, agnoſcere, quia & præuidens nullum iam eos fructum de obſeruatione eius habituros; tamen, quæ pertinebant ad illam, cuncta prorſus implebat. Nam & hoc totum vtique præſciebat, & illud nihilominus imperauit, non ad inſtructionem illorum, neque correctionem profectò, ſed in teſtimonium illis, hoc eſt, in accuſationem, atque in redargutionem eorum, qui me legis eſſe aduerſarium mentiuntur, quæ à me, inquit, etiam facienda erant, facta ſunt omnia. Nam præſciens vos abſque emendatione manſuros, ne ſic quidem, quæ facere oportebat, omiſi; vos verò in malitiæ veſtræ continuatione durastis. Tale eſt, quod alibi dicit; Prædicabitur hoc euangelium in vniuerſo mundo, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc

Matt. 24. veniet conſummatio. Quibus gentibus? non obedientibus ſcilicet, neque Euangelio conſentientibus. Ne enim aliquis diceret, cuius rei gratia omnibus prædicatur, ſi omnes credituri nõ ſunt? Vt, inquit, clareat me ea, quæ debui facere, cuncta feciſſe, & poſt hęc nemo culpare me poſſit, quaſi qui non audierit prædicantem, ipſa aduerſus illum prędicatio teſtis inſurgat. Nec poterit poſt hæc aliquis dicere, non audiui, cùm ad fines orbis terræ pietatis ſermo peruenerit. Hæc igitur etiam nos conſiderantes, quæ expetuntur à nobis, cuncta faciamus, ſeruantes videlicet, & erga proximos charitatem, & erga Deum cum ardenti dilectionis affectu, cùm etiam pleno mentis timore. Eſt enim prorſus abſurdum nos opere quidem ipſo beneficiis eius quotidie perfruentes, gratias ei nec ſermone perſoluere, & hoc cùm nobis rurſus proſit ipſa cõfeſſio. Neque enim ille alicuius noſtri eget, ſed nos omnium, quæ illius ſunt, indigemus. Siquidem gratiarum actio, illi quidem nil omnino addit, nos autem magis illi familiares facit. Nos enim hominum beneficia recordantes, vehementius eorum amore ſuccendimur, multò magis beneficiorum in nos Dei memores, ſtudioſiores eri-

Coloſ. 3. mus ad ipſius mandata ſeruanda: ideirco Apoſtolus dixit; Et grati eſtote. Optima quippe beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio. Propterea & reuerenda, ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni certè

Euchariſtia reuerẽda myſteria. eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio, nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum diuinæ erga nos charitatis oſtẽdunt, noſque faciunt debitas Deo gratias ſemper exſoluere. Si enim dominum ex virgine eſſe natum, grande miraculum, & Euãgeliſta cum admiratione dicebat;

Matt. 1. Hoc autem totum factum: in quo tandem beneficiorum ponemus loco, illum etiam mortuum eſſe pro nobis? Nam, ſi illius tantummodo naſci totum vocatur, iam & ſemetipſum nobis cibum dare, &

Chriſtus in Euchariſtia nobis cibum dat. ſpiritales illas præbere epulas, quid vocandum eſt? Agamus igitur ei iuges gratias, & non modò verbis hoc noſtris, verumetiam operibus, imò ipſis principaliter impleamus. Agamus verò gratias, non de propriis tantùm, verumetiam de alienis bonis. Ita enim inuidiam poterimus extinguere, & alere charitatem, eámque in nobis efficere pinguiorem. Neque enim iam illis poteris inuidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris.

Vides diuinæ liturgia ritũ nõ eſſe nuper introductum. Idcirco enim altari aſſiſtens ſacerdos, pro vniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus, atque præſentibus, pro iis, qui ante nos fuerũt, pro iis, qui poſtea futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito, Deo nos gratias iubet offerre. Hoc quippe & à terra nos liberat, & tranſponit in cælum, atque ex hominibus angelos facit. Nam & illi ordinantes choros, pro iis, quæ nobis collata ſunt, bonis, gratias agebant Deo, atque dicebant; Gloria in excelſis Deo, & in

Luc. 2. terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quid ad nos, inquies, illud exemplum, quod non de habitatoribus terræ, neque de hominibus protuliſti? Quinimò ad nos maximè, qui ita docemur diligere conſeruos, vt illorum bona noſtra eſſe bona diſcamus. Propter quod etiam Paulus in cunctis ferè epiſtolis ſuis pro totius pene orbis ſalute gratias agit ipſius ſalutis authori. Et nos igitur, tum de propriis, tum de alienis bonis, tum de magnis, tum de exiguis gratias ei referamus aſſiduas. Etſi enim paruum aliquid fuerit fortè, ſit magnum tamen de honore donantis, imò nihil exiguum eſt, quod, illo largiente, confertur. Non ſolùm etiam, quia datur à Deo, ſed quia tale eſt, quicquid ille confert, vt dici non mereatur exiguum. Vt enim alia vniuerſa prætercam, quæ multitudine ſua numerum exuperant arenarum: quidnam poterit ei, quæ propter nos facta eſt, diſpenſationi præferri? Quod enim erat apud eum omnibus precioſius, vnigenitum pro nobis filium dedit, & quidem, quum adhuc eſſemus ipſius inimici. Nec dedit ſolùm, ſed & noſtram illum fecit eſſe menſam, omnia faciens ipſe pro nobis, & donando videlicet, & gratiarum actores ipſa donorum ſuorum vbertate faciendo. Quia enim in multis homo Deo exiſtit ingratus, ipſe vbique ſuſcipit vicem noſtram, & ea, quæ ad nos pertinent, per diuitias ſuæ diſpenſationis operatur. Nam, quod pro Iudæorum aliquando ſalute faciebat temporibus, locíſque, ac feſtiuitatibus variis, in memoriam illos ſuorum beneficiorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo eſt operatus in nobis ipſo

Sacrificium chriſtianorũ. genere ſacrificij, ad iugem nos pro beneficiis ſuis gratiarum incitans actionem. Nemo quippe ita ſtudet probos efficere aliquos ac magnos, ſempérque gratos vt nos Deus ipſe, qui condidit. Propterea etiam nolentibus nobis ſua interdum beneficia largitur, & iuuat ſæpius neſcientes. Sin autem mirum videtur, quod dictum eſt, non in obſcura aliqua vilique perſona, ſed in ipſo tibi Paulo iſtud accidiſſe monſtrabo. Etenim beatus

tus ille, multis periculis, magniſque tribulationibus aggrauatus, Deum frequenter rogabat, vt ab eo tentatio tanta diſcederet: veruntamen non ad petitionem eius, ſed ad vtilitatem potius aſpexit, 2. Cor. 12. idq; ſe declarans, ait: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Itaque, antequam ei cauſam panderet, beneficium præſtabat inuito, ac penitus neſcienti. Quid igitur magnum repoſcit, qui pro tanta liberalitate in nos ſua ſolummodo gratos ſibi eſſe nos præcipit? Obediamus igitur Deo, atque hoc vbique ſeruemus. Nam & Iudæos nihil magis perditioni dedit, quam quod ingrati Deo eſſe voluerunt. Multas quippe illas, & viciſſim ſibi ſuccedentes plagas, nihil in eos aliud Sap. 16. quàm iſtud induxit: imò antè plagas quoque animas eorum hoc malum corrupit, ac perdidit. Ingrati, inquit, ſpes ſicut hyemalis pruina, ita enim tota reſoluitur prorſus, ac deperit. Hoc autem vitium ex arrogantia potiſſimum gigni ſolet, quum ſe aliquis dignum eſſe beneficiis exiſtimat, quem humiliatum potius, atq; contritum non pro bonis modo, verumetiam pro his, vt quibuſdam videntur aduerſis, ita Deo referre gratias congruebat, vt, quantacunque pateretur, nihil ſe dignum crederet ſuſtinere. Age igitur nos quoque, quantum in virtute proficimus, tantum noſmetipſos amplius conteramus: quoniam & hoc magnæ omnino virtutis eſt. Sicut enim quanto acutius viderimus, tanto magis diſcimus, quàm longè à cæli regione diſtamus: ſic etiam, quanto ſuperius ad virtutis aſcendimus excelſum, tanto amplius docemur quàm ſit inter nos, & Deum grande diſcrimẽ. Nec ſanè minima pars eſt iſta philoſophiæ, meritum ſuum poſſe dignoſcere. Ille eſt maximè ſeipſum ſciẽs, qui ſe eſſe nihil exiſtimat. Propterea quippe & Dauid, & Abraham, poſtquam ad ſummum iam faſtigium virtutis euaſerant, tunc iſtud, quod dico, præcipuè videntur impleſſe. Nam vnus quidem ſe eſſe dixit cinerem, alter verò ſe vermem vocabat, & cuncti omnino ſancti horum ſe more deuiciunt: è regione verò, qui arrogãs eſſe manult, ipſe eſt, qui ſe cunctis deterius ignorat. Propter quod more communi ſolemus dicere de ſuperbis; Neſcit ſeipſum, ſéque prorſus ignorat. Qui verò ſe neſcit, quem nã poterit agnoſcere? Nam, ſicut ille, qui ſeipſum agnoſcit, profectò nouit & reliquos: ita etiam, qui ſe neſcit, conſequenter ignorabit & Eſaiæ 14. cæteros: talis erat qui dixit; Supra ſydera cæli ponam thronum meum. Quia enim ignorauit ſeipſum, alia quoque ſimul cuncta neſciuit. Sed non 1. Cor. 15. ſic etiam Paulus. Nam & abortiuum ſe, & minimum ſanctorum vocabat, & ne appellatione quidem Apoſtoli dignum ſe eſſe dicebat, poſt tot certè illas, tantáſq; virtutes. Hunc igitur æmulemur, atque ardenter imitemur. Imitabimur autem, ſi à terra, & eis, quæ in terra ſunt, negotiis liberemur. Nihil enim perinde quod teipſum ignores facit, vt temporalibus his eſſe rebus affixum: & rurſus, nihil ita temporalibus rebus hominem affigit, vt ipſa ſui ignoratio: ſiquidem vtrunque hoc pendet ex altero. Sicut enim qui gloriam mundi huius requirit, & magna credit eſſe præſentia, etiamſi multum omnino contendat, numquam tamen ei ſemetipſum ſcire conceditur: ſic etiamſi ſeipſum deſpicit, ſemetipſum facilè cognoſcet. Quum verò ſe didicerit, hoc ipſo iam itinere ad alias quoque partes virtutis accedet. Vt igitur bonam hanc poſſimus percipere diſciplinam, cunctis temporalibus liberati, quę plurimam in nobis flammam cupiditatis accendunt, diſcentes propriam vilitatem, omnem oſtendamus humilitatem, atq; philoſophiam: vt & præſentia bona, & & futura conſequamur gratiã, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

AVTHOR DICTVS IMperfectus in Matth. eiuſdem Euang. expoſitio.

Hom. 20. in Matt. imperf.

ET *deſcendente eo de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, &c.* Vide quia ſuper montem, diſcipuli tantum dicuntur aſcendiſſe ad Ieſum: deſcendente autem eo de monte ſecutæ ſunt eum turbæ, & merito multæ turbæ: quia mons, eſt virtutis faſtigium, cacumen eccleſiæ, in quo appropinquare Chriſto non poſſunt turbæ, vel peccatis grauatæ, vel curis mundialibus oneratæ. Nec poſſunt imitari Chriſtum, nec ſublimes audire ſermones, qui dicuntur in monte: ſed ſoli diſcipuli, qui à paſſionibus vitiorum liberi ſunt, quia curis mundialibus onerati non ſunt. Propterea quaſi leues, & expediti, ad Chriſtũ accedere poſſunt facti imitatores eius in omnibus, vt ſublimiores ſermones ipſius poſſint audire. Et tamen quum deſcendere ad humilia de altitudine pietatis propter infirmitatem hominum ſequi eum non potentium ſuper montem, tunc ſequuntur eum turbæ multæ. *Ecce leproſus.* Sciendũ eſt, quod Lucas quidem, & Marcus, ſtatim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in ſecundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium liberatam, ea videlicet ratione, quia maior cura Dei eſt de ſalute animę quàm de ſalute carnis. Primùm quidem, quia dignior eſt anima quàm caro. Anima enim ſine carne viuere poteſt: caro autem ſine anima viuere non poteſt. Secundò autem, quia in omni peccato prius anima peccat, poſtea caro. Nam, niſi anima prius fuerit victa, nunquam caro poteſt peccare. Caro quidem prius concupiſcere malum poteſt, peccare autem non poteſt, niſi anima illi conſenſerit: quia caro in poteſtate animæ eſt, non anima in poteſtate carnis. Ideo ergo neceſſarium fuit, vt anima, quæ prius ceciderat, ante reſurgeret: deinde anima liberata à poteſtate diaboli, carnem ſuam ſaluare non poteſt * à peccato. Caro autem ſanata ab infirmitate, animam liberare non poteſt à peccato, ſed magis eam euertit: quia incolumitas carnis ſemper impugnat iuſtitiæ diſciplinam. Hic autem Matthæus ſtatim leproſum ponit mundatum in myſterio carnis. Quid ergo? præterit rationem, quam alij Euangeliſtæ tetigerunt? Non, ſed abundanter eam expoſuit. Pro eo enim quod illi poſuerunt dęmoniacum curatum in myſterio animæ, iſte propter ſalutem animæ poſuit Chriſtum docentem in monte: quod alij non dixerunt. Nam ſicut effugatio immundi ſpiritus liberat animam de poteſtate peccati, quod fit per ſuggeſtionem diaboli: ita & verbum doctrinæ ſoluit operationem diaboli, & animam liberat ab errore, liberat à peccato, cæteriſque malis, quæ diabolo ſuggerente naſcuntur: quia non ſolum ille diabolum patitur, cuius corpus vexatur ab eo, ſed etiam omnis, qui facit diaboli voluntatem, peius vexatur ab eo. Leproſum autem ponit in myſterio carnis

* liberare poteſt.

ſatanæ. Lepra enim paſſio eſt carnalis. Sed ne ſor-
tè diceret populus apud ſe, Verba quidem magna,
& terribilia ſunt, ſed opera nulla. Dicere grandi-
ter, non eſt multum: facere, multum eſt. Ideo exci-
tauit leproſum, vt mundationis illius miraculo
præcedentibus verbis authoritatem præſtaret, vt
in verbis mirabilis, mirabilior eſſet in opere. Ecce
leproſus quaſi iam præparatus deſcendenti illi
occurrit. Et ſortè & ideo deſcendit, vt leproſum
mundaret. Lepra enim eſt peccatum animarum
noſtrarum. Ideo ergo dominus de altitudine cæli,
quaſi de excelſo monte deſcendit, vt lepram pec-
catorum noſtrorum mundaret. Quare putas iſte
inter cæteros non aſcendit in montem, vt audiret
ſermones diuinos? Quia lepra erat grauatus, &
peccatorum baiolans pondus, ſurſum aſcendere
non valebat. Aut non audiſti prophetam dicen-
tem, quomodo leues eſſe debeant, qui ad eccleſia-
ſticum montem aſcendunt? Quis, inquit, aſcendet
Pſal. 23. in montem domini, aut quis ſtabit in loco ſancto
eius? Innocens manibus, & mundo corde, &c. Sic
quicunque in malis ambulat, non poteſt in eccle-
ſiam aſcendere, quæ mons domini appellatur, nec
audire ſpiritualem doctrinam. Et ſi venit, corpore
quidem venit, animo autem non aſcendit: qui au-
tem cum puro corde non venit, nihil illi prodeſt,
quia corpore venit. Et ſi audit ſpiritualem doctri-
nam non intelligit, quia ſenſus eius carnalium vi-
tiorum lepra corruptus eſt. Nemo enim bonarum
rerum poteſt ſentire ſaporem, quandiu delectatur
in malis. Quandiu enim delectat eum malum, nō
poteſt eum delectare bonum. Tunc autem incipit
ei placere bonum, quum cœperit ei diſplicere ma-
lum. *Veniens adorabat eum.* Oratio perfecta eſt fides,
Rom. 10. & confeſſio, ſicut ait Apoſtolus: Corde creditur ad
iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: ſicut
& leproſus fidei opus adorans impleuit, confeſ-
ſionis autem in verbis. *Domine, ſi vis, potes me mun-
dare.* Non illum petebat quaſi hominem artificem,
ſed adorabat quaſi Deum. Spirituali medico, ſpi-
** afferebat.* ritualem afferebat *mercedem. Nam omnes me-
dici pecuniis, iſte autem ſola oratione placatur.
Verè enim nihil eſt dignius, quod offeramus Deo,
quàm oratio fidelis. Quicquid enim obtulerimus,
non de noſtris eſt, oratio autem de nobis. *Domine,
ſi vis, potes me mundare.* Non de voluntate Chriſti, ad
omne bonū parata, dubitat dicens, *Si vis:* hoc enim
dubitantis eſſet, ſed de iudicio voluntatis eius.
Chriſtus enim, quum ſit bonus, nociua non vult
præſtare, etiam ſi rogetur. Nec enim expedit om-
nibus corporalis integritas. Quoniā ergo neſcie-
** aliàs de eſt non.* bat vtrum expediret ei curatio illa, nec * ideo am-
bigebat de voluntate ipſius, quamuis ſciebat eam
ad omne bonum paratam. Nam credere quidem
bonum miſericordiæ Dei, hominis eſt fidelis, ſcire
autem iudicia miſericordiæ eius, non eſt hominis
2. Cor. 12. neque fidelis: quum conſtet nec ipſum Apoſtolum
potuiſſe cognoſcere, quum dominum ter rogaret,
vt diſcederet ab eo ille ſtimulus carnis angelus ſa-
tanæ, qui datus ei fuerat, vt non extolleretur: pro-
pter quod & dictum eſt ei: Sufficit tibi gratia mea,
nam virtus in infirmitate perficitur. ac ſi dicat:
Credo, quia omne, quod bonum eſt, vis: ignoro
autem ſi bonum eſt mihi, quod deſidero. Hoc au-
tem planè non dubito, ſed potius credo: quoniam
ſi bonum eſt mihi, & tu vis. Hic ergo ſermo non
dubitantem eum oſtendit de miſericordia eius, ſed
ignorantem iudicia miſericordiæ eius. *Extendens
manum ſuam, tetigit eum.* Quia in lege dictum erat,
vt qui tangeret lepram, immundus eſſet vſque ad
veſperam: tetigit lepram, non quaſi ſeruus legis,
ſed quaſi dominus. Nam lex legiſlatori ſubiecta
eſt, non legiſlator legi. Quid ergo ſoluit legem?
Non, literam quidem legis ſoluit: propoſitum au-
tem eius non ſoluit, ſed magis illi addidit dignita-
tem. Si enim lex facere potuiſſet, vt lepra non ſor-
didaret tangentem, nunquam iuſſiſſet homines,
vt non tangerent lepram. Ideo ergo iuſſit nō tan-
gere lepram, quia non potuit facere vt lepra non
ſordidaret tangentem. Iſte ergo, qui tangens le-
pram, ſordidatus non eſt à lepra, non egit contra
legem, ſed amplius fecit quàm lex iubebat: quia
non ſolum ſordidatus non eſt à lepra, ſed adhuc
ipſe lepram mundauit. Nec eſt credibile, vt dicatur
ſordidatus eſſe à lepra, qui ipſam lepram munda-
uit. Lex enim non ideo vetuit tangere lepram, vt *Leuit. 13.*
ne leproſi ſanarentur, ſed vt ne tangentes lepram,
coinquinarentur. Iſte ergo, qui tangens coinqui-
natus non eſt, ſed adhuc mundauit, amplius fecit,
quàm voluit lex. Tetigit ergo lepram, & legis lite-
ram ſoluit, vt iam non lepra corporis, ſed lepra
animę fugiatur. Nam infirmitas corporis miſeran-
da eſt, non odienda infirmitas autem animæ non
eſt miſeranda, ſed odienda. Quia infirmitas corpo-
ris non eſt in noſtra poteſtate, vt aut non veniat
ſuper nos, aut recedat à nobis: infirmitas autem
animæ in noſtra eſt poteſtate, vt aut non veniat
ſuper nos, aut recedat à nobis. Infirmitas etiam
corporis tenet nos, nec tenetur à nobis: infirmitas
autem animæ non tenet nos, ſed tenetur à nobis.
Ideo illa infirmitas miſeranda eſt, hęc odienda. Er-
go reſcindit legem, non iuſtitiam legis. Non illam
quam in corde hominibus creando conſcripſit,
ſed quam dictauit in libro, quum populus vitu-
lum adoraſſet. Non illam de qua dictum eſt: Lex
domini irreprehenſibilis eſt, conuertens animas, *Exod. 32.*
ſed illam de qua dictum eſt, Lex iram operatur. *Pſal. 18.*
Vbi autem non eſt lex, non eſt pręuaricatio. Quo- *Rom. 4.*
modo enim digna erat ſeruari, quam meruerunt
peccata? Merito ergo placatus reſcidit, quod iratus
dictauit. Nam, ſi lex ſublata non fuiſſet, nunquam
ſpiritualis leproſus ſanaretur: quia omnis qui ſub
lege viuit, leproſus eſt. *Volo, mundare: & confeſtim
mundata eſt lepra eius.* Non ea quo tacta eſt lepra,
receſſit, ſed ea quo iuſſa eſt. Vt oſtenderetur, quia
non propter effugationem lepræ tetigit eum, ſed
vt ſolueret legem. Alioqui quantum ad lepram
ſufficiebat ſermo tantummodo: ſed neque ſermo
neceſſarius erat, ſed ſola voluntas: ergo voluntas
facta eſt propter leproſum, verbum autem propter
ſpectantes. Nam, ſi tacitè eum curaſſet tot aſtanti-
bus circa Chriſtum, quis ſcire poterat, cuius vir-
tute ſanatus eſt? Ideo ergo dixit. *Volo, mundare:* vt
omnes ſciant, quia illius virtute ſanatus eſt, qui
præceptum ſanitatis emiſit. Hoc quod dicit, *Volo,*
voluntatis eius eſt indicium, reſpiciens ad illud
quod ille dixit, Si vis: quod autem dixit, *Mundare,*
poteſtatis eſt præceptum pertinens ad hoc quod
dixerat ille, Potes. *Et ait ei Ieſus. Vide nemini dixe-
ris, ſed vade oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præ-
cepit Moſes in teſtimonium illis.* Non ſic intellige, *Leuit. 14.*
quia hoc Moſes præcepit in teſtimonium illis, ſed
vade tu offer in teſtimonium illis. Non dixit,
vade oſtende te ſacerdotibus, & nemini dixe-
ris: ſed primò, *nemini dixeris: vade oſtende te.* Non
enim ſemper iubet illum tacere, ſed quandiu
oſtendat

oſtendat ſe ſacerdotibus, ne fortè ſi antè alieni nunciaret, de verbo in verbum audirent ſacerdotes & occaſionem habentes lepræ, propter odium, & inimicitiam Chriſti, expellerent eum de populo quaſi leproſum, non recipientes mundatum. Ideo eum iubet offerre munera, vt, ſi poſtmodum vellent eum expellere, diceret eis: Munera quaſi à mundo ſuſcepiſtis, & quomodo me quaſi leproſum expellitis? Si leproſus adhuc fui, munera accipere non debuiſtis quaſi à mũdato: ſi autem mundus factus ſum, repellere non debetis quaſi leproſum. Eadem aliter. Omnia opera curationũ Chriſti habent in ſe myſteria diſpoſitionum Dei abſconditarum. Ideo corporalia quidem curationum eius commoda & illorum fuerunt tunc, & modò ſunt noſtra: ſpiritualia autem, forſitan noſtra tantummodo. Igitur hic leproſus, qui poſt verba doctrinæ, confeſtim quaſi iam præparatus acceſſit ad curam, in figura fuit populi Iudaici, deorſum quidem conſiſtentis, quia populus erat: audientis autem verbum quod dictum fuerat ruſum, & credentis, & adorantis, & complectentis. Omnis enim, qui verbum Dei adorat, æſtimans & ipſum eſſe diuinum, & complectitur illud cordis affectu, ſine dubio & verbum Dei tangit animam eius. Nec enim poſſibile eſt, vt anima, quæ complectitur verbum, non tangatur à verbo: quum autem tetigerit eam verbum, à lepra infidelitatis eam mundat ſecũdum quod ſcriptum eſt: Et vos mun-
Ioan. 15. di eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis. Et Petrus in Actibus: Mundans, inquit, corda eo-
Act. 15. rum per fidem. Propter quod & populus, qui in lege degerat auſtera, & gratiam nondum erat expertus: de potentia quidem eius firmiter credidit ſecundum traditionem patrum ſuorum: de miſericordia autem dubitauit, dicens: *Si vis, potes me mundare.* Nam lex potentiam quidem Dei ſufficienter tradebat, miſericordiam autem eius non ſatis apertè. Propter quod & dominus cogno-
* quod deerat. ſcenti potentiam Chriſti, ſecundum legem quam dederat *, adimpleuit, vt & miſericordiam gratiæ eius cognoſceret, dicens: *Volo, mundare.* Et *precepit ei, vt offerret munera, ſecundum quod preceperat Moſes.* Quæ illa? Par turturũ, aut duos pullos columbarum. Omnis enim iuſtitia in his eſt duobus: In abſtinentia rerum malarum, & in opere rerum bonarum. Per turturem ergo iubet populum ab infidelitate mundatum, ſanctitatem offerre Deo in abſtinentia rerum malarum: quoniam caſtitas ſpiritualis animæ, abſtinentia eſt malorum, vt non coeat cum ſpiritu alieno, nec inſpirationis eius ſuſcipiat ſemen, ne generet opera ſimilia ſpiritui malo. Per columbam autem omne opus ſignificat bonum, naſcens ex charitate, quoniam charitas omne opus generat bonum. Qui ergo proximum ſuum diligit ſicut ſe, nullum bonum ſubducit proximo ſuo, ſicut nec ſibi. Quum ergo has duas iuſtitias impleuerit quis, ab omni malo ſe abſtinens, quod eſt caſtitatis: & omne bonum faciens, quod eſt charitatis: manifeſtus efficitur ille talis, quia ab infidelitatis lepra mundatus eſt. Sic enim populus emundatus, & talia ſacrificia offerens Deo, factus eſt in teſtimonium contra incredulos ſacerdotes, qui gloriantes in litera legis, repulerũt authorem legis, purificantem populum à peccatis, quem lex purificare non potuit. Et tu ſi complexus fueris verbum Dei cordis affectu, & tuam nihilominus animam tangit verbum, quoniam diligentes ſe diligit, ſicut dicit in Prouerbiis Salomon: & ab omni Prou. 8.
te infidelitatis lepra mundat. Quum autem te emũdauerit, præcipit tibi, vt ſacerdotibus te oſtendas mundatum, caſtificans teipſum ab omni coinquinatione operis mali, & expandens charitatem tuam ad omnes per opera bona, vt per hæc ſacrificia à ſacerdotibus cognoſcaris, quia mundatus es, quum viderint te non facientem alteri, quod pati non vis, ſed adhuc & facientem omnibus, quę tibi vis fieri. Si autem harum iuſtitiarum ſacrificia non obtuleris Deo, manifeſtus es omnibus, quia non es mundatus, ſed adhuc in priore infidelitate manes leproſus.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

C*Vm autem deſcendiſſet de monte, &c.* Iſtud miraculum poteſt intelligi poſt vtrunque ſermonem domini factum fuiſſe, non ſolum quem Matthæus, verum etiam quem Lucas interponit, licet alio loco Lucas Matthæuſque illud commemorauerint. Myſticè deſcenſio domini de monte incarnationem eius ſignificant, & poſt hæc, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ, quia poſtquam verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, qui antè tantũ notus erat in Iudæa, poſt admirabilis factus eſt in vniuerſa terra. *Si vis, inquit, potes me mundare.* De voluntate domini non quaſi incredulus dubitauit, ſed quaſi colluuionis ſuæ conſcius non pręſumit. *Et extendens Ieſus manum, &c.* Extendit curationis manum qui miſericordiæ ſuæ protendebat affectum. Tetigit ægrotum, quia in poteſtate habuit ſanitatis effectum dixit. Volo: mundare, in volo oſtendit pietatis clementiã, in mundare maieſtatis ſuæ potentiã, quia ipſe dixit, & facta ſunt, non vt aliqui putant iungendum eſt & legendum. Volo mundare, ſed ſeparatim, vt primò dicat. Volo, deinde imperet mundare. Volo autem propter Photinum dicit, imperat propter Arrium, tangit propter Manichæum. *Et ait illi Ieſus. Vide nemini dixeris.* Et reuera quid erat neceſſe, vt ſermone iactaret, quod corpore præferebat niſi vt doceret nos non ſolum à mercede abſtineamus pecuniæ, ſed etiam gratiæ. *Oſtende te ſacerdoti, &c.* Tres ob cauſas miſit eum ad ſacerdotes: primum, quia lex pręcepit, vt mundati lepra offerrent ſacerdotibus munera, deinde vt leproſum mundatum viderent, & ſaluarentur credentes: aut, ſi non crederent, inexcuſabiles eſſent, & ne legem frangere videretur. Si quem mouet, quomodo Dominus Moſaicum videatur approbare ſacrificium, cùm id eccleſia nõ receperit, meminerit illius ſacroſanctum corporis ſacrificium nondum in ara crucis oblatum, nec eſſe Apoſtolorum conteſtatione, & fide credentium confirmatum. Myſticè vir iſte, peccatis languidum, genus humanum deſignat, quod extenta manu ſaluatoris, hoc eſt, incarnato Dei verbo, humanamque contingente naturam ab erroris priſci varietate mundatum eſt & ſacerdoti oſtenſum, de quo dicitur, tu es ſacerdos in æternum, cui offerunt corpora ſua, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.

CHRISTIA

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem *Euang. explicatio.*

CVm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Audiſtis quia aſcendit in montem: & primitus inſtruxit in ſuperioribus diſcipulos de ſecretioribus, & de octo beatitudinibus: & poſt populos paulo in inferiori loco ipſius montis. Et his omnibus perfectis deſcendit de monte: & turbæ, quæ propter eum montem aſcenderant, ſimul cum ipſo reuertuntur. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens.* Prohibitum erat leproſos in domibus accedere ad homines: propterea nec in monte propter populum, nec in domo, ſed in via occurrit domino. Lepra eſt aſperitas cutis ſquamoſa, lapidi ſimilis. Dicitur græce leproſus, à pruritu nimio ipſius ſcabiei, quæ nunc in nigredinem vertitur, nunc in alborem, nunc in ruborem. Iſte igitur, licet hac infirmitate detentus fuerit, fuit ſapiens in accedendo, humilis in loquendo, perſeuerans in petendo. *In faciem procidit.* quod eſt humilitatis & pudoris. Suam infirmitatem non erubuit, culturã exhibuit, *Domine ſi vis, potes me mundare.* Adorat, & Deum inuocat. *Domine ſi vis:* Neſcio ſi ſum dignus mundari: quia credo propter mea peccata mihi eueniſſe. Tu ſcis omnia, in voluntate tua pono: voluiſti vt hæc immundiſſima lepra ſuper me veniret: vt correptus pœnituiſſem: ſiue propter tua magnalia, vt me mirabiliter mundans magnificeris ab omnibus. Non ſum auſus dicere: ſi quod potes, adiuua me, quoniam ſcio omnia te poſſe: ſolummodo volũtatem tuam requiro, ſi vis, potes me mundare. *Et extendens manum, tetigit eum, dicens.* Extendit manum ad eum, quem ſacerdotes non dignabantur attingere: ſeu extendit manũ, vt oſtenderet ſupra legem eſſe, qui præceperat ſanari leproſum: quia non fuit auſa expectare manum ipſius: ſed ſtatim vt vidit manũ venire, effugit ipſa lepra. *Volo.* Ad ipſum verbum quod precatus fuerat leproſus dicens, *ſi vis*, reſpondens dominus dixit. *Volo.* Ad hoc quod dixerat potes: reſpondit. *Mundare.* Non eſt iungendum vt dicamus *volo mũdare*: ſed primum dicendum, *volo*: & poſtea imperando ſubiungendũ eſt, *mundare.* Non eſt hic mundare infinitiuus modus: ſed imperatiuus. Quia perſpexit dominus in illo & fidẽ & humilitatem: & ideo verba ſic cõſequenter reſpondit. *Et confeſtim mundata eſt lepra eius.* Neſcio quod plus timuit lepra, verbum aut tactum eius. Si tacuiſſet: lepra nõ fuerat auſa expectare manum domini: quia non fuerat ibi creata. Si non extendiſſet manum & dixiſſet volo: non eſſet auſa remanere. Quia ille erat intus in illo corpore, qui dixit & facta ſunt. *Et ait illi Ieſus. Vide nemini dixeris.* Idcirco hæc præcepit, vt oſtendat ſuis, quando aliquid boni faciunt, non diuulgare, vt laudem requiramus, vel pecunias. Nec quidem neceſſe erat verbis narrare cum omnes ſanum viderent, quem leproſum ante viderãt. *Sed vade, oſtende te ſacerdoti.* Ob tres cauſas dominus præcepit mundato ſe præſentari ſacerdotibus. Primo vt ſacerdotibus reuerẽtiam deferre videretur. Secũdo ne adnihilator legis videretur: qui de hoc criminabatur. Tertio, vt ſi non crederent mundatum videntes: quem ipſi non potuerunt ſecũdum legem mundare, deterius damnarẽtur. *Et offer munus quod præcepit Moyſes.* Præcepit Moyſes, vt qui mundatus fuiſſet à lepra, offerret holocauſtum domino, duos turtures, aut duos pullos columbarum: ſicut in leuitico continetur. Enimuero non habebat adhuc corpus & ſanguinem ſuum myſtice cõſecratum: quod fecit vna die ante paſſionem: propterea nolebat deſtruere ſignificans ſacrificium, donec veniret nouum. *In teſtimonium illis*, quod pro emundato à me, ipſi holocauſtum obtulerint: & credere noluerint. Typice homo iſte, qui plenus lepra fuiſſe dicitur, genus deſignat humanum: quod plenus omnibus peccatis erat ante incarnationem domini. Veniens vero dominus non ſolum in caſtrum eccleſiæ nos reſtituit: ſed etiam genus ſacerdotale, gentemque ſanctam, & populum acquiſitionis effecit: & qui eramus longe pro peccatis, facti ſumus prope. Iuſſum eſt nobis ab ipſo, turtures & columbas nos factos in conuerſatione noſtra offerri noſmetipſos Deo: vt imitantes caſtitatem turturum, & ſimplicitatem columbarũ ſine felle amaritudinis diſcamus tranſire laqueos huius ſeculi: vt ſiamus non ſolum hoſtia viuens, ſancta, Deo placens: ſed & templum Dei, in quo dignetur habitare, & inambulare: quouſque perducat, vbi ſine fine cũ ipſo lætemur.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.*

DEſcendens Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Superior ſermo euangelicus narrat quòd dominus aſcendit in montem & ibi multa locutus fuerit ſermone prolixo explicito deſcendit de monte. Multi putant iſtum montẽ in quem dominus aſcendit montem Oliueti fuiſſe, ſed non eſt ita. Sequentia iſtius euangelij manifeſtant cùm dicitur: Cum autem introiſſet Capernaum, Capernaum ciuitas eſt in Galilæa prouincia ad radicem montis Thabor ſita, in quam introiuit dominus, vbi deſcendit de monte. Et ideo poſſumus intelligere, quia iſte mons non fuit Oliueti ſed Thabor, de quo. *Cùm dominus deſcendiſſet ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Vbicunque in ſacro eloquio nomen turbæ audimus, diuerſitatem voluntatum intelligere debemus, non enim vnius voluntatis erant qui ad dominum confluebant. Alij ad hoc ſequebantur eum, vt audirent prædicationem ex ore eius, & videntes miracula quæ faciebat crederent in eum, & ſaluarentur. Alij ſequebantur eum, vt ſanitatem mererentur accipere ſicut iſte leproſus, qui in ſubſequentibus eum commemoratur: Alij vt reficerentur ab eo: Alij curioſitatis ſolùm modò cauſa ſequebantur eum, vt reuertentes ad propria potuiſſent dicere: Vidimus mirabilia hodie. Alij ſequebantur eum, vt videntes eius mirabilia, & audientes eius doctrinam, potuiſſent eum in aliquo reprehendere, ſicut ſcribæ, & phariſæi. Et quia hæc diuerſitas animorum erat in illis, ideo turbæ vocabulo cenſentur. Hoc ſecundũ literam. Cæterùm ſecundum ſpiritualem intelligentiam, per montem deſignatur cælum. *Deſcendente domino de monte*, id eſt, de cælo veniente in mundum per incarnationis myſteriũ, *ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, generis humani per fidem. Niſi enim ille deſcendiſſet, nemo hominum ad cælos aſcendiſſet. Antè quam ergo filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus veniſſet in mundum per incarnationem, vna tantummodo turba, id eſt, plebs Iudaica ſequebatur eum credendo, iuxta quod Pſalmiſta dicit: Notus Pſal. 75.

tus in Iudæa Deus. Sed, pòſt quàm dominus incarnatus apparuit, & euangelium in mundo prædicauit.necnõ & poſt reſurrectionem ſuam, vnde venerat, rediit, id eſt, ad cæleſtem patriam,multæ turbæ ex omnibus gentibus ſecutæ ſunt eum, credendo,diligendo, & præcepta eius implendo. Sequuntur etiam quotidie, & ſequentur vſque ad finem ſeculi. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens.*Iſte leproſus non poterat cum domino aſcendere in montẽ, quia infirmus erat,& ideo in valle præſtolabatur aduentum eius. *Domine, ſi vis.* In voluntate domini tribuit poteſtatem dicens:*Domine,ſi vis, potes me mundare.*Ac ſi diceret: Placuit tibi vt hac lepra perfunderer, placeat etiã tibi, vt hac lepra munder.*Et extendens manũ tetigit eum.* Quare tetigit dominus leproſum, cùm lex præciperet nõ

Leuit.13. tangere leproſum. Nunquid, non ſine tactu poterat eum dominus ſanare à lepra? Poterat vtique: Sed vt dominus demonſtraret,quia dominus erat legis, nec contaminari timebat vt homines, ideo voluit leproſum tãgere, vt ſuo tactu fugeret lepra ab eo. Nullo modo ergo à lepra coinquinari poterat:qui alios ab infirmitate liberauit.*Volo,mundare.* Vide quàm humilis reſponſio domini, leproſus dixerat: *Si vis*. Ddminus reſpondit: *Volo.* Leproſus dixerat: *Potes me mundare.* Dominus reſpondit imperatiuè. *Mundare.* id eſt,ſis ſanus. Non vt quidam putant, ſic iungẽdum eſt legendum. *Volo mundare.* ſed ſeparatim. *Volo*, deinde imperat, *mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius.* Nullum medium eſt inter præceptum Dei, & opus eius, quia in præcepto, & verbo eius eſt operatio eius, iuxta illud,

Pſal.148. quod Pſalmiſta dicit de eo.Ipſe dixit & facta ſunt,

Geneſ.1. ipſe mandauit & creata ſunt. Ipſe dixit in exordio fiat lux, & ſtatim facta eſt lux. Ipſe dixit fiat firmamentum, & ſtatim factum eſt firmamentum. Ipſe dixit leproſo.*Mundare.*& ſtatim ſanus effectus eſt. *Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris.* Quare præcepit ei dominus leproſo dicens: Vide, id eſt, caue, nemini dixeris, quod à me curatus ſis, cùm alibi

Matth.5. ipſe præcipiat dicens. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent, non vos, ſed patrem veſtrum, qui in cœlis eſt? Vt daret nobis exemplum & electis ſuis,quotienſcunque aliquid boni gerimus,non ſolum abſtinere à mercede pecuniæ debere, ſed etiam à mercede laudis humanæ, ne fortè dicatur nobis

Matth.6. in examine extremi iudicij à domino. Recepiſtis mercedem veſtram, id eſt, laudem humanam.*Sed vade, oſtende te ſacerdoti.* Legimus in ſancto Euangelio mortuos ſuſcitatos, cæcos illuminatos, paralyticos curatos, dæmoniacos ex dæmonibus liberatos, & variis languoribus oppreſſos, à domi-

Matth.8. no ſaluatos, ſed nullum ex his omnibus legimus

Luc.17. miſiſſe dominum ad ſacerdotes, niſi ſolummodo

Leuit.14. leproſos ſicut hîc, & ſicuti alio loco demonſtratur. Quare hoc?Nõ ſine cauſa. Primum ideo miſit dominus leproſos ad ſacerdotes, ne infringere videretur legem,quia lex pręcipiebat,vt,quicunque leproſus fuiſſet, accederet ad ſacerdotes, & per illorum iudiciũ ſequeſtraretur à ſocietate ſanorum. Mundatus autem à lepra iterum per iudicium ſacerdotum, reciperetur intra caſtra. Spiritualiter ſacerdotium Iudæorum figuram gerebat veri ſacerdotij, quod modo agitur in ſancta eccleſia, cuius ſacerdotij Chriſtus eſt princeps, cui dicitur à

Pſal.100. Deo patre per Pſalmiſtam.Tu es ſacerdos in æternum,ſecundum ordinem Melchiſedech. Lepra ſignat infidelitatem, originale peccatum, & Hæreticam, Iudaicámque prauitatem, ſeu perfidiam. Omnis ergo ſiue paganus,ſiue Iudæus, ſiue hæreticus, ſiue falſus Chriſtianus, qui originali, & actuali peccato grauatur,& qui facit homicidium, adulterium, & criminalia peccata, & fidem,quam habet, operibus denegat, leproſus eſt, id eſt, peccator. Iſte talis neceſſe eſt, vt accedat ad ſacerdotem, & oſtendat lepram, id eſt, confiteatur ei peccata ſua, & per iudicium ſacerdotum debet ſe abſtinere ab introitu eccleſiæ, donec mundetur per pœnitentiæ lamentum. *Peccata per confeſſionem manifeſtanda ſacerdoti.* Expleta verò digna pœnitentia, iterum per iudicium ſacerdotum recipiatur intra caſtra, id eſt, ſocietatem ſanctæ eccleſiæ, & reconcilietur altari, & communicetur corpore, & ſanguine domini. *Satiſfactio pro peccatis à ſacerdote impoſita.* Vel ideo miſit dominus leproſum ad ſacerdotes, vt daret nobis exemplum honorem deferẽdi ſacerdotibus, per quorum miniſterium initium ſalutis noſtræ inuenimus. Per illos etenim, id eſt, per ſacerdotes baptizamur aqua, & confirmamur ſpiritu ſancto, & per illos mittimur ad patriam cæleſtem. A quibus ergo tanta accipimus,dignum eſt,vt honorem illis impendamus. Vel ideo miſit dominus leproſum ad ſacerdotes Iudæorum, vt videntes illi ſacerdotes leproſum per virtutem domini ſanatum, crederent in eum & ſaluarentur. Si verò noluiſſent credere, inexcuſabiles fierẽt in die iudicij de aduentu eius. Et hoc eſt, quod dominus ſubſequitur dicendo: *Et offer munus tuum, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis* ſacerdotibus. Si voluerint in me credere, oſtende te illis in teſtimonium ſalutis illorum; ſi autem in me credere noluerint, oſtende te illis in teſtimonium damnationis illorum. Iſte homo,vt Lucas teſtatur, totus fuit leproſus. Aliquando ſolum caput occupat lepra, aliquando barbam, aliquãdo totum corpus. Spiritualiter autem iſte qui totus fuit lepra perfuſus, genus humanum ſignat, quod,adueniente domino in carne,totum erat leproſum, id eſt, peccatis languidum; omnes erant peccatores, ſecundum quod Paulus apoſtolus dicit: Non enim eſt diſtinctio Iudæi,& Græci: omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. *Rom.1.& 10.* Indigebat nanque genus humanum vero medico domino,per cuius paſſionem,& ſanguinem mundaretur ab omnibus peccatis,ſicut & factum eſt.Ipſe dominus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, *Apoc.5.* & quotidie mũdatur genus humanum à peccatis per fidem,per gratiam baptiſmi,per dilectionem veram, & operationem bonam. Quid ergo faciendum eſt generi humano, poſt quàm mundatum fuerit à peccatis? Domino Ieſu Chriſto, qui eſt verus ſacerdos, debet munus, id eſt corpus, & animam offerre, immaculate viuendo, iuxta quod apoſtolus dicit: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam *Rom.12.* viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.

THEOPHYL. EPISCOpi Bulgar. *ſuperioris Euangelij expoſitio.*

ET *ecce leproſus acceſſit,&c.*Leproſus enim,vt pote ciuilis, & modeſtus non aſcendit in montem vt ne doctrinæ obeſſet. quum igitur deſcendiſſet,

diſſet, adorauit, magnam præ ſe ferens fidem. Non dixit, ſi obſecraueris Deum, curabis me: ſed, *ſi vis*, & ideo es Chriſtus. *Et extenta manu ſua tetigit eum.* Attigit leproſum, oſtendens, quòd non obnoxius ſit legi, quæ præcepit ne tangatur leproſus, ſed dominus eius ſit, & quòd mundo nihil ſit immundum; & quod ſancta eius caro ſanctificationem communicet. Fugiens autem gloriam, iubet vt nulli dicat, ſed oſtendat ſe ſacerdoti. Nam, niſi ſacerdos mundum pronunciaſſet, extra ciuitatem illi manendum fuiſſet. Præcepit quoque vt offerat donum in teſtimonium Iudæis, hoc eſt, Quando me arguent vt deſtructorem legis, tu mihi teſtis eris, qui nunc iuſſus es à me vt offeras ea, quæ in lege perficiuntur.

INCERTI CVIVSDAM
ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.

QVum (inquit) *deſcendiſſet Ieſus de monte*, vbi octo beatitudines prædicauerat, multę turbę eius ſermone delectatæ, eius virtute ſanatæ, eius amori colligatæ, ſequutæ ſunt eum. *Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.* Merito quidem domino de monte deſcendenti leproſus occurrit, quia ad hoc venerat, ad hoc de cęlis deſcenderat, vt mundum ſanaret, & à vitiorum lepra mundaret. Sed vide quãta ſit fides huius leproſi: hominem videt, Deum adorat, de omnipotentia non dubitat. Sed quid dicit? *domine, ſi vis, potes me mundare.* dominus es, omnipotens es, voluntas tua opus eſt, omnis creatura tibi obediens eſt: non promerui beneficium tuum, non ſum dignus colloquio tuo: credo tamẽ quia ſi vis, potes me mundare. *Et dominus adhuc extendens manuum ſuam tetigit eum, dicens, Volo, mundare.* Manuum ſuam dominus extendit, potentiam manifeſtat, virtutem non celat: tangit hominem, & fugit lepra: imò etiam prius lepra fugit, quàm manus ad hominem perueniret: ne, ſi lepram tetigiſſet, contra legem facere videretur. Lex enim huiuſmodi hominem immundum iudicat, quæ omne immundum tangere interdicit. Sed quid ait? *Volo, mundare. Credis quia poſſum?* Volo quia credis: experire fidem tuam, cognoſce potentiam meam. Volo vt mũderis: & ideo mundare. Et confeſtim mũdata eſt lepra eius, vt & fidei virtus, & curantis omnipotentia appareret. *Et ait illi Ieſus, Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtẽde te ſacerdoti.* Hoc enim non dixiſſet, ſi hoc miraculum inter turbas feciſſet, quæ eum ſequebantur, quum de monte deſcendiſſet. Neque enim vnus celaret, quod tanta milia hominum vidiſſent. Et de his quidem in illo volumine plenius diximus, de quo iſta aſſumpta ſunt: quærendum tantum eſt, cur ei dominus pręcipiat vt nemini dicat. Prędicare nanque, & Dei miracula populis nuntiare, ſacerdotum eſt. Leproſus verò, etſi mundatus ſit, ſacerdos tamen fieri non debet: quoniam illi ad hoc officium eliguntur, (vt Apoſtolus ait) qui ſine crimine ſint. In hoc quoque & nos docemur, in his quæ bene, & laudabiliter agimus, laudem hominum & vanam gloriam quærere non debere. Sed cur eum ad ſacerdotem mãdas domine Ieſu? quare iubes vt ſacerdoti ſe oſtendat, quem in ſacerdotum omnium maximus curas? quis eum iudicare audebis, quia tuo iudicio mundus redit? Hoc igitur agis, vt legis ſacramentis conſentire agnoſcaris. Ille enim mundus eſt, qui ſacerdotum iudicio mũdus iudicatur. Illorum enim eſt, bonum à malo, iuſtum ab iniuſto, & mundum ab immundo ſeparare. Hoc itaque priuilegiũ eis cõfirmas, dum ad eorum iudicium hunc hominem mundas. Sequitur: *Et offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Prius autem quid leproſus iſte ſignificet: (ſignificat vero aliquid,) deinde vero dicamus, quid munus etiam ſignificet, quod eum offerre præcepit Moyſes. Iſte enim leproſus totum humanum genus, & vnuſquiſque peccator intelligi poteſt. Hæc lepra non corporis, ſed animæ eſt. Illa enim anima leproſa eſt, quæ ſuperbia, ira, auaritia, diſcordia, odio, & luxuria ſordeſcit. Talis leproſus currat ad Ieſum, feſtinet ad medicum, non deſperet, pœniteat, & mundari deſideret: dicat. Domine, ſi vis potes me mundare, potes vtique: quia & ego ſum pœnitens, & tu es omnipotens. Tu enim dixiſti, quia peccator quacunque hora conuerſus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Si enim hoc dixerit, ſi hoc egerit, certus ſit de miſericordia, non deſperet de venia, quia benignus eſt dominus, qui ad ſe venientem neminem repellit. Deinde verò offerat munus, quod pręcepit Moyſes. Præcepit enim Moyſes, vt leproſus, quando mundatur, offerat pro ſe duos paſſeres viuos, quibus veſci licitum ſit: & lignum cedrinum, & coccum, & hyſſopum. Et vnum è paſſeribus immolet in vaſe fictili ſuper aquas viuentes: alterum verò in agrum auolare dimittat. Hoc enim vanum, & inutile videretur, niſi ille fieri præcepiſſet, cui nihil vanum, & inutile placet. Ille igitur, qui mũdatur, duos paſſeres offerat, & corpus, & animam domino reddat, vt iam non mundi voluptatibus, ſed Deo ſeruiant. Qui bene viui offerri dicuntur, quoniam de morte ad vitam transferuntur. Quibus quia veſci licitum eſt, multos eos eſſe, & à peccato liberos manifeſtat. Nihil enim niſi mundum lex comedi iubet. Offerat autem ſimul cum his & lignum cedrinum: vt qui corpus, & animam ſuam Deo reddit, incorruptam fidem, & ſinceram conuerſationem ſe agere promittat. Cedrus enim imputribilis eſt, redolentiſque naturæ. His autem ſuperaddat & coccum, vt charitatis igne ſuccenſus, Deum diligat, & proximum. Coccus enim ignei coloris eſt. Offerat præterea hyſſopum, vt in petra radicatus & fundatus, nũquam à Chriſto ſeparari valeat. Hyſſopus enim naturaliter in petra naſcitur: petra autẽ erat Chriſtus. Poſtquam igitur ſic ſe totum Deo reddiderit, immolet vnum de paſſeribus in vaſe fictili ſuper aquas viuentes. Hic enim paſſer corpus eſt, ideóque in vaſe fictili immolatur: quia vaſa terrea & fictilia ſunt corpora noſtra. Immolatur autem ſuper aquas viuentes, ſicut ſanctæ ſcripturæ immolari præcipiunt. Vnde Apoſtolus, Obſecro, inquit, vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Hæc eſt viua aqua, quæ te bene paſſerem tuum immolare docet. Iudæi enim non bene immolant, quia ad hanc aquam non veniunt. Alterum verò paſſerem, id eſt animam, in agrum auolare dimittat, quatenus iam libera, nec terrenę corruptionis mole grauata, virtutum alis ad cæleſtia volare diſcat. Quia enim alter paſſer iam immolatus eſt, ideo iſte liberè volat, & à nullo detinetur. Corpus, quod corrumpitur

Alludit ad veterũ morẽ, cũ nemo ad eccleſiaſticas dignitates aſſumeretur, qui poſt baptiſmũ crimẽ aliquod cõmiſiſſet etiã ſi id pœnitentia deleuiſſet.

rumpitur, aggrauat animam. Hic eſt igitur rectus pœnitentiæ ordo, vt, quicunque mundandus ad Deum venit, prius ſeipſum totum offerat, fidem, & charitatem, & in bonis operibus perſeuerantiam promittat: carnem quæ peccauerat, in ſeruitutem redigat, & affligat, & animam iam libertate donatam, ad cæleſtia contemplanda volare dimittat.

EVTHYMII ZIGABONI *ſuperioris Euang. expoſitio.*

QVum autem deſcendiſſet de monte, &c. A doctrina tranſit ad miracula. Quia enim tanquam autoritatem habens docebat, ne iactabundus eſſe putetur, & arrogans, operibus quoque ſuam oſtẽdit poteſtatem, & ſermones re ipſa cõfirmat. Conſidera etiam turbarum beneuolentiam: ipſi ſiquidem doctrinam ſublimem auribus percipiebant, & admirabantur, credebant, ac ſequebantur. Principes autem ipſorum, & ſcribæ, promulgantibus quoque virtutem eius ſignis, offendebantur, ac irritabantur. *Et ecce leproſus, &c.* Non dixit; Si Deum inuocaueris; ſed; *Si vis*: quod argumentum eſt indubitatæ fidei. Quum enim audiſſet de doctrina, ac potentia eius, credidit Deum eſſe, qui omnia Marci 1. poſſet. Ideo etiam cum feruore acceſſit. Nam quod Luca. 5. ſimpliciter dixit Matthæus; Adorabat, manifeſtius ait Marcus, genibus prouolutus. Lucas vero ſimiliter, quod procidit in faciem, & deprecabatur ipſum. *Et extenta manu, tetigit eum Ieſus, &c.* Volens ſane leproſi confirmare iudicium, quod recte opinatus eſſet, ipſum eſſe Deum omnipotentem: turbiſque oſtendere potentiam ſuam, ſicut diximus, ait: *Volo. Mundare.* Hic autem, *Volo*, benignitatis indicium eſt: *Mundare* vero, potentiæ. Quum autem hunc verbo ſanaret, quam ob cauſam manu quoque extenta tetigit eum? Quia lex erat, quæ leproſum tangere prohibebat. Volens autem Chriſtus oſtendere, quòd tanquam Deus ſupra legem eſſet, nam hæc aduerſus nudos homines ſtatuta erat: audacter tetigit, nec vllus è turba contradixit. Ex præmiſſis enim certi erant, quod omnia legitime faceret. Simul etiam docebat, non abominandam eſſe corporalem lepram eorum, qui eiuſdem ſunt generis. Solã nanque lepram animæ conuenit execrari, quæ eſt peccatum. Non ſolum enim manus ipſius, impuritatem non contraxit ad contactum corporis leproſi, quin potius illud emundauit. Quia igitur pulchritudine animæ noſtræ lepra deletur peccari, accedamus ad ſermonem præceptorum Chriſti: vt, poſtquam nos tetigerit, ipſam emundet. *Et ait illi Ieſus; Vide nemini dixeris.* Præcepit vt taceret, & ipſe laudem fugiens apud homines, & eos inſtruens, qui beneficia in aliquem conferunt, vt ambitionem execrentur. Atqui manifeſte ſciebat Chriſtus, quòd taciturus non eſſet, ſed benefactorem palam prædicaturus: attamen, quod ſuum eſt, facit, & præcipit. Oportet enim eos, qui beneficia conferunt, modeſtiæ cauſa præcipere ſilentium: eos vero, qui beneficio ſunt affecti, prædicare propter gratitudinem. *Sed abi, oſtende teipſum ſacerdoti, &c.* Iuſſit lex, ne is, qui à lepra mundatus eſſet, ſuiipſius oculis crederet, ſed oculis ſacerdotis iudicium emendationis committeret. Neque prius iis, qui mundi eſſent, commiſceretur, quàm ſe illi manifeſtaſſet: & ab eo fuiſſet mundus iudicatus. Deinde munus pro purificatione adduceret, ſicut in libro Leuitici ſcriptum eſt. Quomodo ergo dicit: *Munus, quod præcepit Moſes*, quum id Leui. 14. iuſſerit Deus? Quia Moſes legiſlator dicitur, vtpote qui ſcripſit, quæ Deus ſtatuerat. Sanitatem itaque ipſe operatus eſt: approbationem vero ipſius, ſacerdoti commiſit: ne ſacerdotum munus ſibi latenter rapere videretur. *In teſtimonium illis.* Ad redargutionem illorum: dico ſane ſacerdotum. Nam μαρτύριον, id eſt, teſtimonium, vocat nunc redargutionem. Quia enim illi tranſgreſſorem legis eum dicebant: emundatum leproſum admonet, vt ſeruaret legem, & faceret quæcunque lex præceperat. Hoc autem ad redargutionem illorum admonet. Nam quomodo legem ſeruare admoneret, ſi legis eſſet tranſgreſſor. Obſeruandum vero quo pacto interdum quidem legem ſoluit, viam aperiens philoſophię, atque conuerſationi Chriſtianæ, quam poſt mortem ſuam vigere oportebat: ac præparans ceſſationem legi veteri, iámque ſeneſcenti: Quandoque vero illam ſeruat, demittens ſe ad imbecillitatem Iudæorum, ne eos offenderet.

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM.

MATTH. 8.

a Infirmi & ſpretores mundi.

IN illo tempore aſcendente Ieſu in nauiculam,[a] ſecuti ſunt eum di-

b Vt magna virtus liberatoris videatur. c Tanto magis conturbat timor diſcipulos.

ſcipuli eius: Et ecce [b] motus magnus factus eſt in [c] mari, ita vt na-

d Alias mergeretur. e Hic homo oſtenditur. f Vt apoſtolos ſuſcitare faceret. g Semper vult rogari.
¶ Adeo territi, vt non modeſte irruerent & ſuſcitarent.

uicula [d] operiretur fluctibus. [e] Ipſe verò [f] dormiebat. Et [g] acceſſerunt ad eum

h Quaſi adhuc paruuli & infirmi.
diſcipuli eius,& ſuſcitauerunt eum, dicentes:Domine,[h] ſalua nos,perimus. Et
i Hic Deus oſtenditur.
dicit eis Ieſus:Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens [i] imperauit ventis
k Magna poteſtas, quia de magna tempeſtate fit magna tranquillitas. l Non diſcipuli, ſed nautæ & cæteri qui erant in naui.
& mari:& facta eſt [k] tranquillitas magna. Porro [l] homines mirati ſunt, dicen-
m Dormit vt homo: imperat vt Deus.
tes: [m] Qualis eſt hic,quia venti,& mare obediunt ei?

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

ET *aſcendens.* Qui magna fecit in terra: tranſit ad mare,vt & ibi faciat: & dominus terræ & maris appareat. *Ecce motus.* Non ex ſe orta eſt tempeſtas, ſed eius imperio: vt diſcipuli magis timeant,& rogent: & rogantibus oſtendat potentiam. *Dormiebat.* Dormit in nobis dominus,id eſt, fides domini, cum negligentius agimus, & ideo tempeſtas. Si vero fides reſurgit, imperat ventis,& fluctibus. *Suſcitauerunt.* Primum eſt Ieſus in tribulationibus
Marc.4.d orationibus excitandus, vt poſt increpationem
Luc.8.d ſurgens imperet ventis & mari,& fit tranquillitas magna. *Modicæ fidei.* Si noviſtis potentem in terra: cur non creditis etiam in mari? Qui parum credit, arguitur: qui nihil, contemnitur. *Impe.* Cui imperatur, imperantem ſentit. Nota quòd omnis creatura creatorem ſentit. Quæ apud nos inſenſibilia, iſti ſunt ſenſibilia. Alle. Myſticè. Mare, æſtus ſeculi. Nauicula, Crux Chriſti: cuius beneficio ad littus patriæ cæleſtis venimus, in qua vnà Chriſtus cum
Luc.9. ſuis paſſus eſt. Vnde poſt ait: Qui vult poſt me ve. abne. ſemet. & tollat cru. ſuam & ſequatur me. Dormit, dum illi nauigant,quia illis ſeculum calcantibus & ad cælum tendentibus,tempus ſubito dominicæ paſſionis aduenit: quam Mar. etiam per horam ſolis ad occaſum euntis ſignificat, dum
Luc.24.d dicit: hæc imminente nocte geſta fuiſſe. Suſcitant eum dnm, viſa morte, reſurrectionem quærunt, ne eo diutius ſopito, mens eorum pereat. Suſcitatus increpat de parua fide di. O ſtulti & tar. cor. ad credendum nónne ſic oportuit pati Chriſtum? Ventum, id eſt, diaboli ſuperbiam ſtrauit. Aquam ſedat, id eſt, rabiem Iudaici populi labefecit. Vel nauicula eſt preſens eccleſia, in quâ Chriſtus cum ſuis mare ſeculi tranſit, ventos dæmonum aquas perſequutorum compeſcit: vnde miremur & gratias agamus.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ET *aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, &c.* Orig. Cum multa magna & miranda oſtendiſſet Chriſtus in terra, tranſit ad mare, vt ibidem excellentia opera demonſtraret, quatenus terræ mariſq; dominum cũctis ſe eſſe oſtenderet. vnde dicitur: *Et aſcen. eo in naui. ſecut. ſunt eum diſc. eius.* Nõ imbecilles, ſed firmi & ſtabiles in fide. Hi ergo ſecu. ſunt eum, non tantum greſſus eius ſequentes, ſed magis ſanctitatem concomitantes. Chr. Accepit autem diſcipulos ſecum & in naui, vt ad vtraque eos erigeret: & ad hoc quòd in periculis non ſtupeſcerent, & ad hoc quòd in honoribus moderata de ſe autument: vt enim non magna de ſe ſaperent, propter hoc quòd aliis dimiſſis eos tẽtinuerat, permittit eos fluctuari. Vbi enim miraculorum oſtenſio erat, plebem permittit adeſſe: vbi autem tentationum & timorum arreptio, athletas orbis terrarum quos excitaturus erat, hos ſolos aſſumit. Orige. Ingreſſus ergo nauiculam fecit turbari mare. Vnde ſequitur: *Ecce motus magnus factus eſt in mari: ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Hæc tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, qui educit ventos de theſauris ſuis. Facta eſt antẽ tempeſtas magna, vt magnum opus oſtenderetur. quia quanto magis fluctus nauiculæ irruebant, tanto magis diſcipulos timor conturbabat, vt plus deſiderarent ſe liberari per mirabilia ſaluatoris. Chr. Quia enim viderãt alios Chriſti beneficia accepiſſe, non autem ſimiliter aliquis æſtimat quæ in alienis corporibus fiunt & quę in ſeipſo: oportuit per familiarem ſenſum hos potiri beneficiis Chriſti, & ideo voluit hanc fieri tempeſtatem, vt per liberationem manifeſtiorem accipiant beneficij ſenſum. Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentatiõnum, de quibus Paulus dicit: Nolo vos ignorare, fratres, quoniam grauati ſumus ſupra virtutem. Vt ergo daret tempus formidini, ſequitur: *Ipſe verò dormiebat.* Si enim vigilante eo facta fuiſſet tempeſtas, vel nõ timuiſſent, vel non rogaſſent, vel neque poſſe ipſum tale aliquid facere crederent. Orig. Eſt autem res mirabilis & ſtupenda, is qui nunquam dormit neque dormitat, dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, ſed vigilabat deitate: demonſtrans quia verum humanum portabat corpus, quod corruptibile induerat. Corpore itaque dormiebat, vt apoſtolos faceret vigilare, & ne omnes nos vnquam animo dormiamus. Tanto autem metu diſcipuli fuerunt conterriti, & penè animo alienati, vt irruerent in eum, & non modeſtè ac leuiter ſuggererent, ſed turbulenter ſuſcitarent eum. vnde ſequitur: *Et acce. ad eum di. eius & ſuſci. eum di. Domine ſal. nos, perimus.* Hier. Huius ſigni typum in Iona legimus, quando cęteris periclitantibus ipſe ſecurus eſt & dormit & ſuſcitatur. Orig. O veraces diſcipuli, ſaluatorem vobiſcum habetis, & de periculo timetis? Vita vobiſcũ eſt, & de morte ſoliciti eſtis? Si reſpondeant paruuli ſumus, adhuc infirmi, ideóque timemus. vnde ſequitur: *Et di. eis Ieſus: Quid ti. eſtis mo. fidei?* Quaſi diceret, ſi potentem me ſuper terram cognouiſtis, quare non creditis quòd in mari potens ſim? Et ſi mors irrueret, nónne debuiſtis eam conſtantiſſimè ſuſtinere? Qui modicum credit, arguetur: qui nihil credit, contemnetur. Chr. in ho. Si autem aliquis dixerit quoniam non fuit modicæ fidei, accedentes excitare Ieſum: hoc ſignum fuit, quod non decentem de ipſo opinionem habebant. Nouerant enim quòd excitatus poterat mare increpare, nondum autem quòd dormiens. Propter hoc etiam neque præſentibus turbis hoc ſignum fecit, vt non accuſentur modicæ fidei, ſed diſcipulos ſolum accipiens corrigit

prius,

prius, & ſoluit turbationem aquarum. vnde ſequitur: *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna.* Hier. Ex hoc autem loco intelligimus quòd omnes creaturæ ſentiant creatorem: quibus enim imperatur, ſentiunt imperantem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia ſenſibilia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia ſunt. Orig. Imperauit ergo ventis & mari, & de magno vento facta eſt tranquillitas magna. Decet enim magnum magna facere, & ideo qui prius magnificè cõturbauit profundum maris, nunc iterum tranquillitatem magnam fieri iuſſit, vt diſcipuli nimium conturbati, magnificè lætarentur. Chry. in hom. In hoc etiam oſtenditur quòd omnis confeſtim ſoluta eſt tempeſtas: neque ſemita turbationis remanſit, quod quidem extraneum erat. Cum enim naturaliter fluctuatio terminatur, vſque ad multum tempus aquæ concutiuntur, ſed hîc ſimul omnia ſoluebantur. vnde quod de patre dictum eſt: Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, hoc Chriſtus opere impleuit. ſolo enim verbo & præcepto mare ſedauit, & refrænauit. A viſu autem & à ſomno, & ex vſu nauigij, qui aderant, eum hominem æſtimabãt: propter hoc in admirationem ceciderunt. vnde ſequitur: *Porrò ho. mira. ſunt di. &c.* Glo. Chry. ponit hanc literam: *Qualis eſt hic homo?* ſomnus enim, & quod apparebat, hominem demonſtrabat: ſed mare & tranquillitas, Deum oſtendebat. Orig. Sed qui homines mirati ſunt? Non putes hîc apoſtolos ſignificatos: nuſquam enim inuenimus præter honorem cognominari domini diſcipulos, ſed ſemper aut apoſtoli aut diſcipuli nominantur. Mirabantur ergo hi homines, qui cum eo nauigabãt, quorum erat nauicula. Hie. Si autem quis contentioſè voluerit eos, qui mirabantur fuiſſe diſcipulos, reſpondebimus rectè homines appellatos, quia necdum nouerant potentiam ſaluatoris. Orig. Non autem interrogantes dicunt, qualis eſt iſte: ſed aſſerentes quia iſte talis eſt, cui venti & mare obediunt. Qualis ergo eſt iſte, id eſt, quantus, quàm fortis, quàm magnus. Iubet omni creaturæ, & non ſupergreditur iuſſionem eius, ſoli homines reſiſtunt, & ideo in iudicio damnabuntur. Myſticè autem omnes in ſanctæ eccleſiæ nauicula cum domino per hunc vndoſum ſupernatamus mũdum. Ipſe autem dominus pio obdormiuit ſomno, patientiã noſtram, & impiorum pœnitentiam expectans. Hilar. Vel dormit, eo quòd ſomno noſtro conſopiatur in nobis. Maximè autem id accidit, vt à Deo auxilium in periculi metu ſperemus. atque vtinam vel ſpes ſera confidat ſe periculum poſſe euadere, Chriſti intra ſe vigilantis virtute: Orig. Alacriter ergo accedamus ad eum cum propheta, dicentes: Exurge, quare obdormis domine? & ipſe imperauit ventis, id eſt, dæmonibus qui concitant fluctus, id eſt, principes huius mundi ad perſecutiones ſanctis immittendas, fecitque tranquillitatem magnam, circa corpus & ſpiritum, pacem eccleſiæ, & ſerenitatem mundo. Rab. Vel aliter: Mare eſt æſtus ſeculi. Nauicula quam Chriſtus aſcendit, intelligitur arbor crucis, cuius auxilio fideles tranſactis mundi fluctibus perueniunt ad cęleſtem patriam quaſi ad littus ſecurum, in qua Chriſtus vnà cum ſuis aſcendit. vnde pòſt ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cum ergo Chriſtus in cruce poſitus fuiſſet, motus magnus factus eſt, quia commotæ ſunt mentes diſcipulorum de eius paſſione, & nauicula operta eſt fluctibus, quia tota vis perſecutionis circa crucem Chriſti fuit, vbi ſcilicet morte occubuit. vnde dictum eſt: Ipſe verò dormiebat. Suum dormire, mori eſt. Excitant autem diſcipuli dominum, dum turbati morte, maximis votis reſurrectionem quærunt, dicentes: Salua reſurgendo, quia perimus turbatione tuæ mortis. Ipſe verò reſurgens increpat duritiam cordis eorum, vt alibi legitur. Imperauit autem dominus ventis, quia diaboli ſuperbiam ſtrauit. Imperauit mari, quia væſaniam Iudæorum diſiecit, & facta eſt tranquillitas magna, quia ſedatæ ſunt mentes diſcipulorum, viſa reſurrectione. Gloſ. Vel nauicula eſt eccleſia præſens, in qua Chriſtus cum ſuis mare ſeculi tranſit, aquas perſecutorum compeſcit: vnde miremur, & gratias agamus.

ORIGENIS PRESBYT.
de eodem Euang. Homi.

INgrediente domino in nauiculam, ſecuti ſunt *Eſt Hom. 6.*
eum diſcipuli eius, non imbecilles, ſed firmi & *in diuerſos.*
ſtabiles in fide, manſueti & pij, ſpernentes mundum, non duplici corde, ſed ſimplici. Hi ergo ſecuti ſunt eum, non tantùm greſſus eius ſequentes, ſed magis ſanctitatem comitãtes, & iuſtitiam eius conſectantes. *Et ecce tempeſtas magna facta eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Cùm enim multa magna & miranda oſtendiſſet in terra, tranſiit ad mare, vt & ibidem adhuc excellentiora opera demõſtraret, quatenùs terræ mariſque dominum ſe eſſe cunctis oſtenderet. Ingreſſus ergo nauiculam, fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. Cur hoc? Ideo, vt diſcipulos mitteret in timorem, & ſuum auxilium poſtularent, ſuámque potentiam rogantibus manifeſtaret. Illa tempeſtas non ex ſeſe oborta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, eius qui educit ventos de theſauris
ſuis, qui terminum mari arenam conſtituit. Dixit, *Pſal. 134.*
enim ei: Vſque huc venies, & non ſupergredieris, *Iob 38.*
ſed in temetipſo confringentur fluctus tui. Huius ergo iuſſione & præcepto, orta eſt tempeſtas in mari, propter occaſiones ſuperiùs memoratas. Facta eſt ergo tempeſtas magna & non puſilla, vt magnum opus & non puſillũ oſtenderetur, quantóque fluctus nauiculæ irruebant, tanto magis timor diſcipulos conturbabat, vt plus magis deſiderarent ad liberandum ſe mirabilia ſaluatoris. *Dominus verò dormiebat.* O res mirabilis & ſtupenda: is qui nunquam obdormit, dormit: is qui cælum & terram gubernat, dormit: is qui nnnquam dormit neque dormitat, ipſe dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore, ſed vigilabat deitate: dormiebat corpore, ſed conturbabat mare, erigebátque fluctus, & apoſtolos conterrebat ſuam
oſtenſurus potentiam. Dormiebat corpore, ſicuti *Ioan.14.*
& ad puteum de itinere laſſus vel fatigatus ſedebat demonſtrans quia verè humanum corpus portabat, quod corruptibile induerat. Ipſo corpore dormiebat, deitate verò concitabat mare, & iterum complacabat. Dormiebat itaque corpore, vt apoſtolos ſuſcitaret & euigilare faceret, præcipuè autem nos omnes, ne vnquam animo dormiamus, néue intellectu aut prudentia, ſed vigilare in omni tempore, & iubilare domino, & ſalutem ab eo poſtulare ſtudeamus. Nam ipſe qui dormiebat

 corpore,

corpore, illud ſanctum verbum dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. *Ad quem accedentes diſcipuli, ſuſcitauerunt eum, dicentes: domine, ſalua nos, perimus.* Tanto fuerant metu conterriti, & penè animo alienati, vt irruerent in eum, & non modeſtè aut leniter ſuggererent, ſed turbulenter ſuſcitarent eum, dicentes: domine, ſalua nos, perimus. O beati, ô veraces Dei diſcipuli. Dominum ſaluatorem vobiſcum habetis, & periculum timetis? Vita vobiſcum eſt, & de morte ſoliciti eſtis? Maris tumore trementes, creatorem eius præſentem ita ſuſcitatis, quaſi non poſſit dormiente corpore fluctus ſedare vel mitigare? Sed quid reſpondent hi dilectiſſimi diſcipuli? Paruuli, inquiunt, ſumus, adhuc infirmi, & nondum robuſti: ideo timemus, ideóque trepidamus: necdum vidimus crucē, necdum nos cōfirmauit paſſio domini & reſurrectio, non aſcēſio in excelſis, non miſſio vel deſcenſio ſpiritusſancti paracleti: propterea fragilitate nutamus, propterea & ſæpè audiuimus à domino increpationem puſillæ fidei. Supportamus, toleramus libenter, voluntariè ſuſtinemus. Vnde & nunc dicit dominus: *Quare conturbati eſtis puſillæ fidei?* Cur non habetis fortitudinem? Cur non confidentiam & fiduciam apud vos tenetis? Et ſi mors irrueret, nōne eam debuiſtis conſtantiſſimè ſuſtinere? Ad omne enim quicquid euenerit, fortitudo neceſſaria eſt. Ad omne enim periculum vel tribulationem vſque ad animæ exitum, ſimiliter & contra delicias & diuitias & honores terrenos animi fortitudo tenenda eſt, vt neque extollaris ô homo, neque in ſuperbiam erigaris, non deſpicias inimicos, neque humiles ſpernas, neque obliuiſcaris dominum, neque derelinquas creatorem, neque exiſtas ingratus. Si ergo in neceſſitate & in periculis fortitudo neceſſaria eſt, vt viriliter cum fide toleres vniuerſa, moltò magis contra delicias, vt dictum eſt, & luxurias, fortitudo neceſſaria eſt, ne in muſcipulam incidas diaboli. Quare ergo turbati eſtis puſillæ fidei? Si potentem me ſuper terram cognouiſtis, quare non creditis, quòd & in mare potens ſim? Si Deū me verè eſſe creatorem omnium ſuſcepiſtis, quare non creditis, quòd ea quæ à me facta ſunt, in mea habeam poteſtate? Quare ergo dubitaſtis puſillæ fidei? Qui puſillum credit, arguetur; & qui nihil credit, contemnetur: fragiles in fide, corripientur: alieni omnino à fide, punientur. Tales fuerūt Iudæi & pagani, ideóque in malis ſuis euanuerunt. Tales etiam hæretici,
Pſal.77. ideóque in die iudicij condemnabuntur. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Scriptum ſuit: Et exurrexit tanquàm dormiens dominus tanquàm potens crapulatus à vino, & percuſſit inimicos ſuos in poſteriora. Et nūc ſurgens imperat ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Imperauit ventis & mari, ſicut creator, ſicut ſuis, vt potens, vt dominus imperauit ventis & mari, primitùs ante diſcipulos, vt audientes firmarentur in fide: & potentia deitatis occulta imperabat & comminabatur ei, magis autē regebat & placabat illud ſecundum quod quidam ait: Potentia mitigauit mare. Imperauit ergo ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna. De magno vento & tempeſtate magna mari conturbato & tumenti, facta eſt tranquillitas magna. Decet enim hunc magnum, magna & miranda facere. Ideoque paulò antè magna accinctus potentia, magnificè conturbauit profundum maris, & nunc iterum in eo ipſo oſtendens ſuæ magnificentiam poteſtatis, tranquillitatem magnam fieri iuſſit. Hæc ideò, vt nimirùm conturbati Apoſtoli, magnificè exhilarati lætarentur. Dedit enim per hæc omnia nobis dominus figuram & doctrinæ imaginem, vt & nos in omni conturbatione & contumelia patientiam teneamus, ſtabiles ſimus, fidem non deſeramus. Et ſi omnis iſte mundus tanquam mare ebulliat, atque in furorem conſurgat; etſi omnes venti & vertigines dæmonum vndique ſæuiant: etſi omnis, vt diximus, tempeſtas maris, id eſt, omnis principatus & poteſtates mūdi concitentur, & in tumore iracundiæ ſpument, vt furant ſuper ſanctos: & ſi adhuc vſque ad cælum ſeſe extollant, vt tempeſtates maris, malignitates ac dolos, & fremitus concitantes aduersùs aliquem veſtrum, nolite timere, nolite turbari, nolite contremiſcere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in fidei nauicula cum domino nauigatis, omnes quotquot in hac nimirùm ſanctæ Eccleſiæ nauicula cum domino per hunc vndoſum ſupernatatis mūdum, etſi ipſe dominus dormiat pio ſomno, veſtram patientiam & tolerantiam expectans, vel impiorum pœnitentiam & conuerſionē ſuſtinens, alacriter accedite ad eum orationibus inſtantes, atque cum Propheta dicentes: Exurge quare obdormis domine? exurge, & ne Pſal. 43.
repellas nos vſque in finem. Et iterum: Exurge ibidem.
domine, adiuua nos, & redime nos propter nomē tuum. Et ipſe ſurgens imperat ventis, id eſt, ſpiritibus dæmonum ſpiritibus. Ipſi enim maris tempeſtates commouent, hoc eſt, amaros & elatos concitāt fluctus, id eſt, huius principes mundi ad perſecutionem ſanctis omnibus immittendam, ad contumelias fidelibus ingerendas. Omnibus dominus imperat, omnibus comminatur, omnia mitigat, facitque tranquillitatem magnam circa corpus & ſpiritum, pacem Eccleſiæ, & ſerenitatem mundo. Quomodo nanque ſępiùs concilia infidelium commota ſunt aduerſus veram & firmam Eccleſiam: aliquoties paganorum, aliquoties hæreticorum? Quemadmodum ſæpiùs ſicut maris fluctus irruebant, comminantes & conterentes huius principes mundi, per omnia perdere ſe Eccleſiæ filios arbitrantes. Sed ſurgens dominus increpauit dæmonum ventos, & omnes euaneſcere fecit audaces aduerſarios fidei, magnámque pacē & tranquillitatem dedit Eccleſiæ ſuæ. *Homines autem in nauicula mirati ſunt.* Qui homines? Scilicet hanc habentes nauiculam, aut ei intendentes nauiculæ. Non putes hic per homines Apoſtolos ſignificatos. Nuſquam enim inuenimus præter honorem cognominari domini diſcipulos, ſed ſemper aut Apoſtoli, aut diſcipuli nominantur. Mirabantur ergo illi homines, hi qui cum eo nauigabant, hi quorū erat nauicula, illi qui in eadem nauicula ſeſe transfigebant, hi mirabātur. Et admiratione dignum fuit, mare à profundo cōmotum mitigari, eiúſque elatos deplacari fluctus, ventos furentes compeſci. Mirabantur ergo, dicentes: *Qualis eſt iſte, quia venti & mare obediunt ei.* Non interrogantes dicunt, qualis eſt iſte? ſed aſſerentes, quòd hic talis eſt, cui mare & vēti obediūt. Qualis eſt iſte: hoc eſt, quantus, quàm fortis, quàm potēs, quàm magnus: Qualis eſt iſte: maior Moyſe, potentior Elia. Illi enim ambo, è quibus vnus ligno Exod.14.
mari percuſſo, cùm labore diſcidit, alius ictu me- 4 Reg. 2.
lotæ Iordanem pertranſiit. Iſte verè vno verbo

mandat

mandat illis qui non habent verba, & obediunt ei: hi qui non habent auditum, obtemperant: hi qui prudentiæ & intellectus expertes ſunt, inclinãtur iubenti: quibus neque loquela, neque vt diximus, ſermo eſt, obediunt. In eadem autem ſubſtantia in qua ſunt, & ſua natura mouentur, & iuſſioni deſeruiunt, ad confuſionem mortalium, ad condemnationem corruptibilium. Iubet mari, & non contemnit: dicit ventis & tempeſtatibus, & mox compeſcuntur: iubet omni creaturæ, & non ſupergreditur iuſſionem eius, & vnum hominum genus & vnum quod ſecundum ſimilitudinem Dei honorificatum eſt, cui verbum & prudentia data eſt, hi ſoli homines reſiſtunt, hi tantùm inobedientes ſunt, hi ſoli contemnunt. Ideóque & hi ſoli in Iudicio damnabuntur, & à iuſtitia punientur, veluti deteriores mutis animalibus, vel his quæ ſine ſpiritu & anima ſunt in hoc mundo. Mirabantur ergo illi, quia mare compeſcuit, & venti mitigati ſunt. Admiremur & nos, quando & benignitates & beneuolentias oſtendit circa nos dominus, quando nos de periculis ſaluare dignatur, quando de tumultibus & tribulationibus multis nos liberat, quando ab inimicis inſequẽtibus eruit nos. Miremur & mirantes gratias agamus, & gratię obaudiamus, obaudientes timeamus, timentes diligamus, vt æternæ charitatis ab eodem hæredes efficiamur. *Mirabantur, dicentes: Qualis eſt hic?* Sicut homo videtur, & ſicut Deus potentiam oſtendit. Sicut vnus carnalium putatur eſſe, & ſuper omnia carnalia, magna oſtendit mirabilia. Dormit ſicut homo, & imperat mari & ventis ſicut Deus, In nauicula ſedet, & omnem creaturam iuſſione inclinat vbi vult, Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpirituſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauienſis ſuperioris Euangelij expoſitio.*

E*T aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli. Et ecce tẽpeſtas magna facta eſt in mari, & reliqua.* Nauem diſcipulis introgreſſis tempeſtas oritur, mare commouetur, nauigãtes turbantur. Ipſe vero ſomno conſopitus timentium metu excitatur, oratur vt opem afferat. Et increpitis his quod modicę eſſent fidei, vento & mari tranquillitatem imperauit: cum admiratione hominum, præceptis eius ventum & mare obediſſe. Igitur ſecundum hęc, ecclesię intra quas verbum Dei non vigilauerit, naufragæ ſunt: non quòd Chriſtus in ſomnum relaxetur, ſed quòd ſomno noſtro conſopiatur in nobis. Maximè autem illud accidit, vt à Deo præcipuè in periculi metu & vexatione ſperemus: atque vtinam vel ſpes ſera confidat ſeſe periculum poſſe euadere, Chriſti intra nos ſaruitute vigilante. Perpetuam autem nobis obiurgationis ſuæ recordationem relinquit, dicens: *Modicæ fidei, quid timidi eſtis?* Metum ſcilicet motuum ſecularium eum quibus Chriſti fides vigilet, nullum eſſe oportere. Conſequitur deinde hominum admiratio dicentium. *Qualis hic homo eſt, quia venti & mare obediunt ei?* Non diſcipulorum hic ſermo, ſed gentium eſt. Nam cùm ſuperius & diſcipulos tantum nauem introiſſe, & à diſcipulis excitatũ eſſe dixiſſet: nunc admiratos eſſe homines ſignificat, hominem in ipſa admiratione dicentibus: qua nominũ conuerſione intelligitur, omnia opera Chriſti omneſque eius virtutes vt Dei eſſe laudandas, quia piaculi gentilis miſerrimique erroris ſtultitiam demonſtrat, quòd eum ex humilitate paſſionis hominem potius nuncupent, quàm ex virtutibus Deum.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

E*T aſcẽdente eo in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, &c.* Quintum ſignum fecit: quando aſcendens nauem de Capharnaum, ventis imperauit & mari: ſextum quando in regione Geraſenorum dedit poteſtatem dæmonibus in porcos, ſeptimum quando ingrediens ciuitatem ſuam, paralyticum ſecundum curauit in lectulo. Primus enim paralyticus eſt puer Centurionis. *Ipſe vero dormiebat, & acceſſerunt ad eum, & ſuſcitauerunt eum dicentes, domine ſalua nos, &c.* Huius ſigni typum in Iona legimus: quando cæteris periclitantibus, ipſe ſecurus eſt, & dormit, & ſuſcitatur, & imperio ac ſacramento paſſionis ſua liberat ſuſcitantes. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquilitas magna.* Et ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ ſentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate cõditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. *Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt, &c.* Non diſcipuli, ſed nautæ, & cæteri qui in naui erant mirabantur: ſi autem quis contentioſe voluerit eos qui mirabãtur fuiſſe diſcipulos, reſpondebimus recte homines appellatos, quia nondum nouerant potentiam ſaluatoris.

S. IO. CHRYSOSTOMI *Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil. 1.*

E*T aſcendente eo in nauiculam, ſequuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt, &c.* Lucas quidem, ne quis ab eo temporum ordinem quæra, Et factum eſt, inquit, vno dierum, & ipſe aſcendit in nauigiũ, & diſcipuli eius. Marcus quoque ſimiliter. Hic verò conſequentiam quandam temporum obſeruat. Hæc à me prædicta ſunt, ne quis, quoniam non eodem modo ſcribunt omnes, diſcrepare ipſos arbitretur. Turbas igitur præmiſiſſe, ac diſcipulos tantummodo ſecum retinuiſſe, illi etiam dicunt. Id autem non fruſtra, neque caſu fecit, verũ vt futuri ſigni miraculo ipſos corroboraret. Nam & palæſtræ magiſter optimus ad vtrunque eos exercebat, ne aut terrore vincerentur, aut honoribus efferrentur: ita ne magnũ quid ſibi arrogent, quoniam, aliis omiſſis, ipſos tantum ſecum retinuit, vt in tempeſtatem incidant permittit, & ſimul inferendis aduerſis fecit meliores. Nam certè priora quoque ſigna, quæ iam ab eo geſta erant, magna fuere: verum hoc neque parum eos exercebat, & antiquiſſimo illi ſimillimũ erat. Idcirco igitur ſolos diſcipulos ſecum duxit, quoniam vt ſigna tantummodo demonſtrarentur, turbas quoque admittebat: vbi verò ad ſigna timor

Ex Hom. 29. in Matth.
Luca 8.
Matth. 4.
Pſal. 113.

quoque, ac tremor imminebat, eos ſolos recipiebat, quos ad prædicationem, & pericula erat miſſurus. Et Matthæus quidem dicit, quia dormiebat. Vide notam legendam, Martini Lucas* verò quia in ceruicali ſimpliciter, vt & humilitatem ſuam patefaceret, & præſtantis philoſophiæ præceptis nos inſtrueret. Cum ergo fluctus vehementius inſurgerent, ac mare procellis inſaniret: tunc excitant ipſum dicentes; *Domine, ſalua nos, perimus.* Ipſe autem eos, priuſquam mare ſedaret, reprehendit: ſicut enim diximus ad exercitationem eorum hæc fieri permittebantur, erántque quaſi figura tentationum, ad quas eſſent peruenturi. Maioribus enim eos certè rerum tempeſtatibus poſtea permiſit vexari: vnde Paulus quoque dicebat; Nolo autem vos ignorare, fratres, quod valde grauati ſuprà vires ſumus, vt de vita etiam deſperaremus, qui ea tãtis mortibus nos liberauit. 2.Cor.13. Vt hinc igitur eos doceret, quãtum in eo confidere oporteret, quum inſani fluctus inſurgant, diſcerentque quod ad melius cuncta diſpẽſat, primum ipſos increpat, nec enim incaſſum ad extremum vſque terrorem, eos deuenire permiſit, verum vt ſignum eius ingens videretur, & perpetua miraculi memoria reſideret. Nam, quoniam poſt rem factam obliuio ſolet ex negligentia hominea occupare: propterea, priuſquam ſigna fiant, multa fieri permittuntur, quæ diuturniorem memoriam faciant. Exod. 4. Sic & Moyſes ſerpentem primò perhorruit, neque id leuiter: deinde rem illam mirãdam, haud tamen citra ſolicitudinem contemplatur: & nunc diſcipuli, quum iam ſalutem ferè deſperaſſent, tunc ſaluantur. Ita ea periculorum confeſſione, magnitudinem ſigni perdiſcunt: hac de cauſa etiam dormiuit. Nam, ſi vigilantem viderent, aut non adeo pertimuiſſent, aut petere ab eo ſalutem, qui pericula eorum videret, neglexiſſent, aut non poſſe ipſum fluctus ſedare putaſſent: ideireo dormit, vt & timoris cauſa ipſis maior præberetur, & ſenſus eorum apertior ad videnda miracula redderetur. Nam, quum non pariter aliquis ſentiat, quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in ſeipſo, oportebat diſcipulos eius, qui plurimos indies liberari videbant, vt magis obligarentur, in ſeipſis omnipotẽtiam eius inſpicere: quúmque nec claudi eſſent ipſi nec cæci, nec alia ægrotatione laborarent, tempeſtatem fieri permittit, vt liberati ab ea, firmam beneficiorum eius in ſe memoriam habeant. propterea nec præſentibus turbis id facit, ſed ſolus ipſos corripit, ne modicæ fidei à multitudine damnarentur, & antequam vndas aquarum deprimeret, nimios animorum fluctus ſedauit. Corripuit enim eos, ac dixit, *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Ad hæc cauſam reddidit, non à tentationibus, ſed ab infirmitate mentis timorem proficiſci. Quòd ſiquis obiiciat, non fuiſſe formidinis, nec paruæ fidei, quod eum ad ſaluandos ipſos excitaſſent. Reſpõdebimus. Quinimo illud profectò non conuenientem ſe de ipſo habere opinionem declarabat, quod vigilantem poſſe tempeſtati reſiſtere non diffidebant, dormientem verò minimè. Nec mirum, ſi parum adhuc credunt, qui vel poſt Mar. 4. multa etiam alia ſigna imperfectiores fuiſſe videã- Ioan 14. tur. Quocirca & increpantur ſæpius, vt eum ad eos dicit, Adhuc & vos inſipientes eſtis. Quòd ſi diſcipuli adhuc deficiebant, quid mirum eſt, ſi turbæ nihil magni nec vltra hominem de ipſo cogitabãt? Admirabantur enim dicentes; *Qualis eſt hic homo, quoniam & mare, & venti obediunt ei?* Chriſtus autem non arguebat eos nudum hominem ipſum putantes, ſed ſuſtinebat, ſignisque inducebat, vt viderẽt ſe non rectè opinari de ipſo: hominem verò ipſum partim viſu, partim quoniam dormiret etiam, ac biberet, tum etiam quia nauigiis vtebatur, exiſtimabant, propterea etiam admirabantur dicentes; Qualis eſt, ſomnus enim & ſtatura, qua videtur, hominem ipſum declarat. At verò maris tanta per eum ſubitò facta tranquillitas, Deum exclamat, quanquam enim & Moyſes tale quid olim fecerat, ſed ille quaſi ſeruus, hic verò quaſi dominus operatur. Non enim virgam, vt ille, tetendit, non Exod.14. manus in cælum ſuſtulit, non precibus indiguit: verùm vt dominus ancillæ imperans, & conditor ſuæ creaturæ, ſic fluctus magis depreſſit, frenauitque verbo ſolum, atque præcepto. Omnis enim confeſtim ſoluta eſt tempeſtas, nec veſtigium fuit vllum turbationis relictũ, quod euangeliſta oſtendens, inquit; *Et facta eſt tranquillitas magna.* Et quod de patre quaſi res grandis dictum eſt, & ipſum Chriſtus effecit. Scriptum eſt enim de patre, Dixit, Pſal. 106. & ſtetit ſpiritus tempeſtatis: & de Chriſto hic ſcriptum eſt, quod verbo ſolo facta eſt tranquillitas magna: propterea etiam mirabantur ipſum turbę, quæ certè non adeò miratæ fuiſſent, ſi feciſſet vt Moyſes.

AVTHOR DICTVS IMperfectus in Matth. Euang.* eiuſdem expoſitio.

IN *illo tempore, aſcendẽte Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et reliqua.* Homil.5. in Matt. imperf. Nauigante domino cum diſcipulis, orta magna tempeſtas eſt, ita vt nauem conciti maris inſurgentes fluctus obruerent. *Ipſe verò,* inquit, *dormiebat.* Mira ratio. Aſcendit paruam nauiculam vt nauigaret, ille, qui totum mũdum diuina virtute gubernat. Dormit in ſomnum, qui populum ſuum vigilia æterna cuſtodit. Dormit autem dominus, non neceſſitate infirmitatis humanæ, ſed ſpontanea voluntate. Nã, quum in Dei illa æterna natura ſomnus non cadat, ſecundum quod de eo legimus dictum: Ecce nõ dormi- Pſal.120. tabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. tamen dominus ac ſaluator noſter, ad probãdam in ſe ſumpti corporis veritatem, etiam vſque ad ſomnum humanæ naturæ omnia implere dignatur, vt euidenter veritatem in ſe aſſumpti corporis demonſtraret. Sed quum, dormiente domino, ſæuiente procella, vſque ad periculum nauis violenti fluctus inſurgerent, diſcipuli timore perculſi, dominum ſuſcitant, dicentes: *Domine, libera nos, perimus.* Quod ipſum olim Dauid ex perſona Apoſtolorum ſuſcitantium dominum ſignificaſſe videtur, quum dicit: Exurge, adiuua nos, & libera nos pro- Pſal.43. pter nomen tuum. *Surgens ergo dominus ait illis: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Et imperauit vento, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* In quo manifeſtè diuinitatis ſuæ potentiam dominus declarauit, dum violentos maris fluctus diuinæ poteſtatis verbo compeſcuit. Neque venti vel mare obedire poterant, niſi domino, & creatori ſuo. Quod futurum antè prænunciauerat Dauid dicendo: Viderunt te Pſal 67. aquæ, Deus, viderunt te aquæ, & timuerũt, & turbatæ ſunt abyſſi, Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Et quæ iſtæ nubes ſunt, quæ timentibus aquis vocem dederunt, niſi diſcipuli, qui

qui viſo ſigno diuinæ virtutis exclamauerunt, dicentes: Verè hic filius Dei erat? Nubes autem idcirco apoſtoli intelliguntur, quia modo nubium de terra ſurgentes, ad cælos ſine aliquo pondere peccati ſpiritualis naturæ leuitate feruntur, & ad riganda corda credentium pluuiam diuinæ prædicationis infundunt. *Pſal.88.& 106.* Alio quoque loco idem Dauid, quod domino imperante verbo, maris violentia mitiganda eſſet, ita teſtatus eſt dicens: Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Et iterum: dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & ſiluerunt fluctus eius. Et iterum: Qui conturbas profundum maris, ſonum autem fluctuum eius mitigas. Et iterum: Ecce dabit vocem ſuam, vocem virtutis. Hanc vtique vocem, qua diuinæ poteſtatis virtute ventis imperante, maris tranquillitas reſtituta eſt. Beatus quoque Iob hoc ipſum futurum per ſpiritum ſanctum non ignorans quum de domino loqueretur, ita ait: Virtute ſedauit mare. Quum igitur ſedata tempeſtate maris, iuſſione verbi eſſet tranquillitas inſtituta: *Hi* (inquit) *qui erant in naui mirati ſunt, dicentes: qualis eſt hic, quòd venti & mare obediunt ei?* Hanc autem dominici verbi virtutem, & eorum, qui in naui erant admirationem, olim ſanctus Dauid pronunciauerat in pſalmo dicendo: *Eſa.106* Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ. Et iterum. Statuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt quia ſiluerunt. Hæc itaque primum, ſecundum ſimplicitatem hiſtoriæ per domini virtutem ita geſta cognoſcimus: ſecundum allegoricam verò rationem, quæ in his omnibus figura monſtrata ſit, ſolicitè debemus intelligere. Quærendum enim eſt, quid hæc nauis iuxta ſpiritualem rationem intelligi debeat: vel quod hoc mare, vel qui inſurgentes fluctus, qui venti, qui hos fluctus concitant, qui etiam ſomnus domini, vel quæ hæc increpatio domini in ventos, & quæ iſta reſtituta tranquillitas, vel quæ digna admiratio nauigantium. Et non dubium eſt nauem iſtam eccleſiam figuraſſe, ſecundum quod per Salomonem de ea ſpiritus ſanctus loquitur, *Prou.31.* dicens: Facta eſt tanquam nauis mercatura longinqua: id eſt eccleſia, quæ nauigantibus Apoſtolis, gubernante domino, flante ſpiritu ſancto, prædicationis verbo vbique diſcurrit, portans ſecum magnum, & inæſtimabile precium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum ſanguine Chriſti mercata eſt. De quo alio quoque lo- *Sapien.5* co idem Salomon retulit, dicendo inter cætera, veſtigium nauis pelagizantibus inueniri nõ poſſe: oſtendens conuerſationẽ eccleſiæ non terrenam eſſe vel ſeculi, ſed cæleſtem, ſecundum quod ſan- *Philip.3.* ctus Apoſtolus refert, dicens: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Mare ſeculum intelligitur, quòd à diuerſis peccatis & variis tentationibus, velut quibuſdam fluctibus æſtuat. De quo ſcri- *Pſal.103.* ptum legimus: Hoc mare magnũ & ſpacioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, & draco iſte quem formaſti *Pſal.68.* ad illudendum ei. Et iterum: Veni in altitudinem maris, tempeſtas demerſit me. Venti autem nequitiæ ſpirituales, & immundi ſpiritus intelliguntur, qui ad naufragium eccleſiæ per diuerſas ſeculi tentationes, velut per fluctus maris deſæuiunt. Dormire verò dominus in hac naui tunc intelligitur, quum ad probationem fidei, eccleſiam ſuam preſſuris, & perſecutionibus mundi illius tentare permittit. Oratio verò diſcipulorum, & excitantium dominum, & auxilium implorantium, vt liberarentur, preces ſanctorum omnium oſtenduntur, qui orta tempeſtate perſecutionis, ſæuiẽte diabolo, & angelis eius, deuota fide, ac iugi oratione, patientiam domini, velut de ſomno excitant, vt miſericordiæ ſuæ auxilio, per timorem humanæ infirmitatis periclitantibus ſubuenire dignetur: quò increpatis ventis, immũdis ſcilicet ſpiritibus, qui authores ſunt perſecutionis, & mitigata omni ſeculi tempeſtate, eccleſiam ſuam in pace & tranquillitate reſtituat. In admiratione verò eorum, qui in naui erant, qui poſt factam tranquillitatem Dei filium confitentur, omnium credentium perſona & fides oſtenſa eſt, qui in eccleſia conſtituti, prius orationibus dominum excitantes: reddita ſibi pace verè dominum ac defenſorem eccleſię ſuæ Dei filium confitentur. Quod factum ſtatim in Actis apoſtolorum, poſt Herodis perſecutionem & Iudæorum, à ſanctis pro eccleſia recognoſcimus. Vnde & quamuis infeſtatione inimici eccleſia, vel ſeculi tempeſtate laboret, quibuſuis tentationum fluctibus pulſetur, naufragium facere non poteſt, quia filium Dei habet gubernatorem. Inter ipſos enim turbines mũdi, inter ipſas ſeculi perſecutiones plus gloriæ, ac virtutis acquirit, dum in fide firma & indiſſolubili permanet. Nauigat enim inſtructa fidei gubernaculo, fœlici curſu per huius ſeculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros omnium ſanctorum, erecta in medio ipſa ſalutari arbore crucis, in qua euangelicæ fidei vela ſuſpendens, flante ſpiritu ſancto, ad portum paradiſi, & ſecuritatem quietis æternæ deducitur. Et hæc quidem nauis, quamuis per hoc tempus vitæ, per has tentationes ſeculi nauiget, non eſt tamen ſeculi nauis, ſed Dei. Eſt enim & alia ſeculi nauis, non Dei, id eſt, collectio hæreticorum, quæ ſibi huius nomen eccleſiæ vendicat. Aduerſum quam, diem iudicij futurum Eſaias manifeſtè declarat, dicens: Dies, *Eſaia 2.* inquit, domini ſabaoth, aduerſus omnem contumelioſum, & ſuperbum. Et poſt aliquantulum ait: Et aduerſus omnem nauem maris, id eſt, omnem eccleſiam hæreticorum. De qua alibi idem Eſaias retulit: Dirupti ſunt, inquit, funes tui, quæ non valuit arbor tua, inclinauerunt vela tua, & non laxabunt vela tua. Nauem verò hãc maris eſſe dixit, quia huiuſmodi eccleſia non Dei eſt, ſed ſeculi, quæ licet habere in ſe prædicationem dominicæ crucis videatur: inualidam tamen hanc arborem eius oſtendit, quia vbi non eſt veritas fidei, infirma crucis aſſertio eſt. Vnde inclinata, & laxata vela eius ſunt oſtenſa, quòd nullo flatu ſancti ſpiritus diriguntur. Et ideo huiuſmodi nauis, hoc eſt eccleſia hæreticorum, amiſſo veræ fidei gubernaculo, dominantibus aduerſis ſpiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari à Chriſto domino non meretur, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

S. AVGVSTINI EPISCOPI *Hippon. in idem Hom.*

DE lectione recentiſſima ſancti Euangelij donante domino, alloquor vos, & in illo exhor- *Serm.3. xvij. Homil.*

tor, vt contra tempeſtates & fluctus ſeculi huius non dormiat fides in cordibus veſtris. Non enim re vera dominus Chriſtus mortem habuit in poteſtate, ſomnum non habuit in poteſtate. Et ſorte omnipotentem nauigantem ſomnus preſſit inuitum. Hoc ſi credideritis, dormit in vobis: ſi autem in vobis vigilat Chriſtus, vigilat fides veſtra. Apoſtolus dicit, Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Ergo & ſomnus Chriſti ſignum eſt ſacramenti. Nauigantes ſunt animæ in ligno ſeculum tranſeuntes, etiam nauis illa Eccleſiam figurabat. Et ſinguli quique templa ſunt Dei, & vnuſquiſque in corde ſuo nauigat, nec facit naufragiũ, ſi bona cogitat. Audiſti conuicium, ventus eſt: iratus es, fluctus eſt. Vento igitur flante, fluctu ſurgente, periclitatur nauis, periclitatur cor tuum, Audito conuicio vindicari deſideras. Et ecce vindicatus es, & malo alieno cedens feciſti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Chriſtus. Quid eſt, dormit in te Chriſtus? Oblitus es Chriſtum. Excita ergo Chriſtum, recordare Chriſtum. Euigilet in te Chriſtus. Conſidera illum. Quid volebat? Vindicari. Excidit tibi, quia ipſe quũ crucifigeretur, dixit, Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illũ, recole illũ: Memoria ipſius, verbũ ipſius: Memoria ipſius, iuſſio ipſius. Et dices apud te, ſi vigilat in te Chriſtus, Qualis ego homo qui volo vindicari? Qui ſum ego qui in hominem exero cõminationes? Morior forte, antequã vindicer. Et quum anhelans ira inflammatus & ſitiens vindictam exero de corpore, nõ me ſuſcipit ille, qui noluit vindicari. Non me ſuſcipit ille qui dixit: Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis. Ergo compeſcam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei. *Imperauit Chriſtus mari, facta eſt tranquillitas.* Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus veſtris. Nata eſt tentatio, ventus eſt: turbatus es, fluctus eſt: excita Chriſtum, loquatur tecum. *Quis eſt hic, quando & venti & mare obediunt ei?* Quis eſt hic, cui obaudit mare? Ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud. Omnia per ipſum facta ſunt. Magis imitare ventos, & mare. Obtempera creatori: ſub iuſſione Chriſti mare audit, & tu ſurdus es? Mare audit, & ventus ceſſat, & tu ſufflas? Quid? Dico, facio, fingo: quid eſt aliud niſi ſufflare, & ſub verbo Chriſti nolle ceſſare? Non vos vincat fluctus in perturbatione cordis veſtri. Sed tamẽ quia homines ſumus, ſi ventus impulerit, ſi affectum animę noſtrę mouerit, non deſperemus, Chriſtum excitemus, vt in tranquillo nauigemus, & ad patriam veniamus.

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. in ſuperius Euang. Sermo.

Ser. 19. ECcleſiaſticæ lectiones ſic diuino diſpenſantur areſno, vt & peritis ſcientiam conferant altiorem, & ſimplicibus ſalutaris intelligentiæ gratiam largiantur. Aſcendẽte, inquit, in nauiculam Chriſto, feciſſe motum magnum refertur auſa tempeſtas. *Aſcendente*, inquit, *eo in nauiculam, ſecuti ſunt eam diſcipuli eius, &c.* Mare, quod pedibus Chriſti tu-
Exo. 6. mentis terga ſubmiſit, ſtrauit in plano vortices ſuos, motus frenauit, aſtrinxit fluctus: & per liquẽtem viam ſaxeæ ſoliditate ſeruiuit; modo quid eſt, quòd vſque ad periculum ſui ſæuit, furit, contendit auctoris? quid ipſe Chriſtus futurorum præſcius præſentium ſic videbatur ignarus, vt inſtantem procellam, tempeſtatis horam, tempus periculi non caueret: ſed inter vigilantes omnes tunc ſolus teneretur in ſomno, quando imminebat ſibi, ſuiſque tam grande diſcrimen? Fratres, gubernatoris peritiam non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tempeſtas: blandiente aura, nauim regit vltimus nauta; in confuſione vẽtorum, primi quęritur ars magiſtri. Hinc eſt, diſcipuli, poſteaquam viderunt ſibi induſtriam nauticorum deperiiſſe, in ſe maria ſæuire, ſe fluctus petere, aduerſum ſe ventorum turbines conueniſſe, ad ipſum gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magiſtrum trepidi confugerunt, petẽtes vt ſedaret fluctus, periculum ſummoueret, ſalutem redderet deſperatis. Denique vbi iuſſio ſola addixit mare, recuſſit ventos: tulit turbines: dedit quietem; nauigantes ipſum eſſe omnium ſentiunt, credunt, fatentur auctorem. Sed iam quod intus eſt proferamus. Vbi Chriſtus Eccleſiæ ſuæ nauim, mare ſæculi transfretaturus, aſcendit, gentium flabra, Iudæorum turbines, perſecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ, ſic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempeſtas. Regum ſpumabant vndæ, feruebant poteſtatum fluctus, ſonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ * notabatur ſcopuli, mugiebant littora Chriſtiana, lapſorũ naufragia veaabantur, & erat totius mundi vnũ diſcrimen, vnumq; naufragium. *Tunc diſcipuli accedunt ad dominum, & ſuſcitauerunt eũ &c.* Suſcitatus ergo à diſcipulis Chriſtus, mare, hoc eſt, mundum, corripit: trãquillat orbem, reges mitigat, poteſtates placat, ſedat fluctus, componit populos, Romanos efficit Chriſtianos, ipſoſque executores verbi Chriſtianæ fidei reddidit, qui fuerant perſecutores nominis Chriſtiani. Hanc tranquillitatem ſeruant principes Chriſtiani, Eccleſia tenet, habet Chriſtianitas, gentilitas admiratur. *Tunc*, inquit, *ſurgens imperauit ventis &c.* Diſcipuli ſunt hi, qui accedunt ad dominum, qui ſuſcitant eum, qui ſaluare ſe humili ſupplicatione depoſcunt: homines verò dicuntur, qui elementa Chriſto taliter obediſſe mirantur. Verè homines ſunt, & ſeculi homines, qui mirantur ad obedientiam Chriſti mũdum ſic eſſe conuerſum, qui templorum vertices velut vndarum tumore ſtupent ſic eſſe deiectos, qui idolorum ſpumas, dęmonum vident turbines ſic fugiſſe: quos attonitos reddit Chriſtiani nominis toto orbe profunda, & diffuſa tranquillitas. Et verè, fratres, dormiente in morte Chriſto, in Eccleſia magna eſt exorta tempeſtas, reſurgente à mortuis Chriſto, Eccleſiæ, reddita eſt ſicut ſcriptum eſt, tranquillitas magna. Modo nos dormientem in nobis Chriſtum toto præcordiorum gemitu, fidei voce, Chriſtianis lachrymis, ploratu alto, apoſtolicis clamoribus excitemus, & dicamus; *Domine ſalua nos, perimus.* Et quia lectio ſptè tempori cõuenit, & ſicut ſcriptum eſt, Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur: qui nobis gentes ſic feras, ſic amaras aduectat: hic ergo Aquilo ventus durus per dextrum per Africum, per Auſtrum, per Eurum diffundit ſe triſti turbine, maria confundit, delet aëra, montes deiicit, ſorbet vrbes, prouincias mergit, totius orbis cogit vnum eſſe naufragium. Hinc eſt, quòd nauicula Chriſti, nunc tollitur ad cælum, nunc in tre-

pidatio

* *forte, mutabantur, vel notabant.*

Prou. 17. Iuxta lxx.

Innuit Gothos qui tunc temporis imperium Romanũ vaſtabant.

pidationum ima deſcendit, nunc Chriſti regitur viribus, nunc formidine iactatur, nunc operitur fluctibus paſſionum, nunc confeſſionum remigiis enatat. Sed nos, fratres, iterum, atque iterum clamemus; *Domine, ſalua nos, perimus.* Et reuera, fratres, ſi eſſemus vnum, & humanum corpus: ſi eos, qui pereunt, noſtra eſſe viſcera crederemus: afflictione ieiunij, precum gemitu, effuſione fletuum, iugiter clamaremus; *Domine, ſalua nos, perimus.* Et ſtuderemus nobis in noſtris fratribus ſubuenire; nec, furente gladio, ſanguinis noſtri mare videremus in terris, nec tanta corporum, ſed nec animarum iam naufragia ſentiremus, atque humili voce precaremur; *Domine, ſalua nos, perimus.** Nec tamen vlla compaſſio, pietas vlla, vllus pauor, quicunque pudor nos, vel compunctio exuſcitat ad dolorem, Dei, Dei eſt, quòd vrgemur malis, quòd verberamur ſemper, quòd gentes valent, quòd ruit grando, quòd rugibo inficit, quòd impietas poteſt, quòd dominãtur morbi, quòd ſæuit mors, quòd tremit terra: nos tamen nec tremimus, nec timemus; nec declinamus à malis, nec appetimus bona. Auaritia ferit, anhelat pompa, iniquitas placet, aliena delectant, ſed noſtra pereũt: Dei flagella veniunt, ſed noſtræ prouocãt culpæ. Si Deus iuſtus, vtique * noſtri miſericors. Fratres, reuertamur ad dominum, vt reuertatur ad nos Deus: renunciemus malis, vt reſpondeant bona: ſeruiamus Deo bono, vt non malis gentibus, & poteſtatibus iniquis ſeruiamus, Chriſto domino, ac gubernatore nos auxiliante, honor eius, & maieſtas ſine fine permanet in ſecula ſeculorum, Amen.

* Legendum videtur, verũ tamẽ, cum nec vlla &c. nullus pudor nos, vel cõpunctio exſuſcitent.

* forte, nos ſimamus, vel nos mali.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.*

E*T aſcendente eo in nauiculam ſequuti ſunt eum diſcipuli eius.* Mare, quod dominus cum ſuis tranſire deſiderat, præſentis ſeculi tenebroſus, accipitur æſtus: nauicula, quam aſcendunt, nulla melius quàm Dominicæ paſſionis arbor intelligitur: de qua alibi dicitur. Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam & ſequatur me. *Et ecce motus factus magnus in mare, &c.* Illa tempeſtas non ea ſe orta eſt, ſed poteſtati paret imperantis, quatenus ſe eſſe terræ, mariſque dominum, cunctis oſtenderet. *Ipſe verò dormiebat.* Ores mirabilis is qui nunquam obdormit, dormiuit: dormiebat ergo corpore vt apoſtolos euigilare faceret, præcipuè autem ne nos vnquam animo dormiamus. *Et acceſſerunt, & ſuſcitauerunt eum, &c.* Suſcitant dominum, ne fluctuum feritate diſpereant, quia cuius mortem viderant, maximis votis reſurrectionem quærebant, ne eius morte carnali, mens eorum in perpetuum periret morte ſpirituali. *Quid timidi eſtis modicæ fidei.* Marcus, Necdum habetis fidem? Lucas autem, vbi eſt fides veſtra? id eſt, ſi potentem me in terra eſſe creditis, quare nõ in mari ſimul me vt vere Deum, & creatorem omnium ſuſcepiſtis? quare non omnia à me facta, in mea eſſe poteſtate creditis? Quare dubitas puſillæ fidei? fragiles in fide corripiuntur, alieni omnino à fide, puniuntur, ſicut Iudæi & hæretici. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, &c.* Ventũ quippe ſurgens increpauit, quod per ſuam reſurrectionem diaboli ſtrauit ſuperbiam: tempeſtatem aquæ ceſſare fecit, dum ſurgendo de ſepulchro Iudæorum rabiem labefecit. *Porrò homines mirati ſunt, &c.* Non diſcipuli, Sed nautæ dicentes, Qualis eſt iſte qui ſicut homo videtur, & ſicut Deus potentiam oſtendit. Sunt qui allegoricè hãc nauiculam præſentem volũt ſignificare eccleſiam ventos malignos ſpiritus & homines iniquos: qui deſiderant vt Eccleſia fluctibus & preſſuris immergatur: Sed licet Ieſus ad tempus, auxilium ſubtrahendo, dormire videatur, precibus tamen honeſtis ſuſcitatus, malignorum ſpirituum incitationem compeſcere facit, & perſequutorum minas mitigat, & ſtãte aura ſpiritus ſancti Eccleſiam ad æternæ quietis portum vſque perducit. Tropologicè autem nos ſinguli catholica fide imbuti nauem conſcendimus, mare cum Ieſu tranſire conamur qui nobis quaſi inter æquoris fluctus obdormit, quando crebreſcente immundorum ſpirituum, vel prauorum hominum impetu, inter medias virtutum niſus fidei ſplendor obtenebreſcit: ſpei celſitudo tabeſcit. Verùm inter huiuſmodi procellas, neceſſe eſt vt illum ſedulo excitemus, quibus et ipſe gubernator nobis ſalutis indulgeat litus, vt de tumultibus liberati admiremur eius circa nos beneuolẽtiam, & mirãtes gratias agamus.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem Euang. expoſitio.

A*Scendente eo in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* In his lacubus non ſolent magnæ naues fieri propter impetus tempeſtatis, ſed minores, & via duodecim homines ſolent recipere: ob hoc dixit. *& ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Nam turbæ ſequerentur, ſi naues habuiſſent. Sed à foris ſteterunt, & miraculum de longe viderunt, & cognouerunt quòd non vt quidam dixit de Octauiano. *Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet*: ſed cælum cum terra, & mare & omnia, quæ in eis erant in poteſtate habebat. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* Plus ſolent tempeſtates nocere in his ſtagnis, quam in fluminibus quia aquæ, quæ non currunt, ſi modicam commotionem habuerint, eo fit valentior motus: ita, vt niſi cito ad ripam fugerint, periclitentur. *Ita, vt nauicula operiretur fluctibus.* Cooperta erat ita, vt non videretur ab his, qui in terra ſtabant, propter altas vndas iuxta ſe. *Ipſe verò dormiebat.* Vtraque natura in hoc miraculo indicatur, & Dei & hominis: Dei, qui mari & ventis imperat: hominis, qui dormire narratur. Ionas intelligens pro ſe mare commotum deſcenderat ad interiora nauis dormire, vt cum non videret eum mare, requieſceret in repetendo illum per fugam Dei. Iſte ſecundus Ionas deſcendit dormire, vt poſſet mare arguere diſcipulos pro modica fide. Mare de Iona quaſi dicebat, in iſta naui eſt, quem ego quæro. Iſtud mare quaſi aiebat, ille dormit, in quo vos habetis fiduciam. Non creditis, quia vigilet diuinitate: propterea mittemus vos in timorem. Si ſic perfecti fuiſſent, ſicut poſtea fuerunt, dixiſſent, non timemus: quia non audetis mergere dominum, & creatorem veſtrum. Dormiebat corpore, ſed concitabat mare & ventos, & diſcipulos in timorem mittebat. *Et acceſſerunt & ſuſcitauerunt eum dicentes.* Turbauit Ionas, ſed inuitus, turbauit iſte, ſed voluntarius. Voluerunt fugere nautæ cum Iona: ſed non permiſit, quaſi dicens. Redite per fugam, vt mittam illum in carcerem, & ite cum pace.

Virgilius in Append.

pace. Volebant iſti fugere: & quaſi diceret mare, niſi credideritis, quod Deus noſter ſit, non effugietis. Recurrunt ad hoc, quod aſſueti erant, ad corpus quod videbant: non fuerunt perfecti, vt dicerent: qui creauit nos, vigilat: hic nobiſcum eſt: qui dormit, de ſancta Maria natus eſt, non tamen audietis illum mergere. *Domine ſalua nos, perimus:* Non ſobrie, ſed immoderate ſicut cum timore ſuſcitauerunt eum dicentes. *Salua nos, perimus.* Et Ionas cum ſurrexit liberauit ſocios. Sed iſte per potentiam: Ionas per ſuam deiectionem. *Et dicit eis. Quid timidi eſtis modicæ fidei.* Modicæ fidei eſt, qui non eſt perfectus in charitate: vel modicæ fidei eſſe Apoſtoli dicũtur, qui præſente creatore timebant. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna.* Dicit mari, tace: & vento, obmuteſce: & nõ precando ſicut pagani, qui ventum adorant, ſed imperando iuſſit quieſcere. Et inde ſequitur. *Quia homines mirati ſunt.* Ante quidem factum fuerat, vt multi tempeſtatem paſſi: oratione eam repellerent: imperio nullus ante ipſum. *Et facta eſt tranquillitas magna.* Ad hoc quod ſupra dixerat, motus magnus factus eſt: ad hoc iterum dicitur, facta eſt tranquillitas magna. Qui iuſſit fieri motũ magnum, præcepit fieri magnam tranquillitatem: & omnis creatura cognoſcit ſuum creatorem. Homines, qui mirati ſunt, nautæ intelliguntur. Vel ſi Apoſtolos velis intelligere, quia timuerant præſente domino: ideo homines appellantur. *Qualis eſt hic.* Subaudi quam magnus, qui imperat inſenſibilibus creaturis, & obediunt ei. Lacus ille, iſtud ſeculum ſignificat: nauis eccleſiam: Ipſe eſt in eccleſia ſua ſemper præſens: ſicut dixit. Ecce ego vobiſcum ſum: vſque ad conſummationem ſeculi. Sed aliquando ita permiſit affligi eos qui in eccleſia erant à perſecutionibus perfidorum, vt dicerent hi qui in ea erant. Exurge, quare obdormis domine? exurge, ne repellas in finem: ſed exurrexit, & fecit eccleſiæ ſuæ magnam pacem.

THEOPHYL. EPISCOPI Bulgar. *ſuperioris Euangelij expoſitio.*

ET *quum eſſet ingreſſus nauim, &c.* Diſcipulos ſolos ſeruauit ſecum, vt miraculum viderent. Permiſit autem tempeſtatem oriri, vt ad tentationes exercerentur, & vt per miraculum crederent, dormiuit verò, vt timore perculſi ſuam agnoſcerent infirmitatem, & eum obſecrarent. *Quid timidi eſtis, parum fidentes?* Non incredulos dicit, ſed, paruæ fidei: nam per hoc, quod dicunt; *Domine, ſerua nos,* fidem monſtrant: quod autem dicunt, *perimus,* non eſt fidei: illo enim ſimul nauigante, non erat formidandum. vide autem, quòd exprobrãs eis vt timidis, oſtendit timorem afferre pericula. Idcirco primum ſedat perturbationem animæ illorum, & ſoluit etiam maris tempeſtatem. *Qualis eſt hic?* Quod videbatur, hominis erat; opera autem Dei.

INCERTI CVIVSDAM *ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.*

QVid enim nauicula, niſi Eccleſia? quid mare, niſi mundus? quid motus maris, niſi perſequutio, & tyrannorum ſæuiens indignatio? Ecce enim in nauicula dominus dormit, & nauicula fluctibus operitur: timent diſcipuli, & nondum à periculo liberantur. Clamant, & excitant ſaluatorem. ſurgit à ſomno, qui nunquam dormit. Non enim dormitauit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna. Nobis, fratres, nobis fiunt iſta: nobis dormit Ieſus, nobis ſurgit à ſomno. Significatio eſt, noſtræque fragilitatis inſtructio. Pro nobis dormit, qui pro nobis moritur. Non enim dormiret, niſi nobis ſuum ſomnum proficere intelligeret. Dormire enim videtur paſtor, quando lupi in ouẽ ſæuiunt, quando fures rapiunt, & non eſt qui eripiat. Sic igitur & Ieſus quamuis non dormiat, dormire tamen videtur, quando Tyranni ſæuiunt, quando lupi in bonos inſurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt. Non dormit quidem, ſed prælium intuetur, & certaminis ſimul finem, & bellantium fidem expectat. Et quia non ſtatim adiuuat, quia non citò laborantibus ſubuenit, dormire putatur. Sed, ſi conſideremus eius certaminis qualitatem, eiúſque victoriæ modum, tunc victores exiſtunt, quando ab iniquis victi eſſe creduntur. Tunc enim ſancti indubitanter vincunt, quando humilitatem & patientiam non amittũt. Sic igitur dormiat Ieſus, quatenus iniquorum crudelitas, & ſanctorum patientia innoteſcat. Et Chriſti diſcipuli non armis, ſed clamore & orationibus maris huius procellas deponere diſcant. Quòd ſi iam eas ſuſtinere non poſſunt, ſi tantis perturbationibus reſiſtere nequeunt, accedant ad Ieſum, ſuſcitent eum, dicentes, *Domine ſalua nos, perimus.* Sic ſe defendant, hæc arma ſuſcipiant. hoc auxilio tueantur, & hoc clypeo muniantur. Neque verò ideo ſe non exaudiri exiſtimẽt, quia perſequutio non ceſſat: quoniam nihil minus exaudiuntur, ſi eis aduerſa tolerandi patientia datur, quàm ſi omnis illa perſequutio ab eis tollatur. Ipſe enim ſcit quid nobis opus ſit. Nos tamen ſemper dicamus, domine, ſalua nos, perimus. Qui enim hoc dicit, nihil aliud quàm ſalutem quærit. Sed fortaſſe ille de ſalute corporis dicit: ipſe verò de animæ ſalute intelligit. Nemo autem ſanctorum ſalutem corporis contra animæ ſalutem deſiderat: etſi fortaſſe aliquando quærat. Deus igitur non verba, ſed intentionem exaudit. *Et dicit eis, Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Ego hic ſum: & vos timetis? Sed quare timetis, niſi quia fidem modicam habetis? *Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt trãquillitas magna.* Quotidie quidem ſurgit, quotidie bella ſedat, quotidie viſibilibus, & inuiſibilibus hoſtibus imperat: & eo iubẽte, ceſſant prælia, & lites, fit pax, & tranquillitas magna. *Porrò homines mirati ſunt, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Meritò enim homines vocãtur, qui ſicut homines mirantur. Nondum enim Deum eſſe credebant, quem quaſi hominem nũc dormire, & nunc vigilare videbant. Dicebant igitur, Qualis eſt hic? Dicamus & nos, Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia, cui & venti, & mare obediunt, cui omnes creaturæ ſeruiunt, quem mare vidit, & fugit: cuius vocem audiuit, & timuit. Sed quare dicitis, ô homines, *Qualis eſt hic?* Similem enim quæritis, qui ſimilem non habet? Veruntamen vultis ſcire qualis eſt? Scio quia vultis. audite ergo. Qualis pater, talis filius, talis Spiritus ſanctus. Ecce talis eſt,

nullus alius talis. Sed quid mirum, ſi venti ei obediunt, qui eos fecit, qui eos creauit, qui producit ventos de theſauris ſuis? Quod quidem qualiter fiat, nulli hominum ad plenum reuelatum puto: Quatuor ſunt mundi partes: quatuor & venti, qui inde veniunt: quibus in mari & in terra & in aëre non paruam Deus tribuit poteſtatem. Ipſi enim dant pluuias & tempeſtates, ipſi fugant nubes, & dant ſerenitates. Ideóque non immeritò omnes huius ſeculi potentes ſignificant. Vnde & Daniel ſe quatuor ventos cæli vidiſſe dicit, qui pugnabāt in mari magno. Vnde & per Salomonem dominus ait, Surge aquilo, & veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Hic hortus, & hæc nauicula idem ſunt. Vēti autem & hic & ibi idem ſignificant. Et quidem in horto hoc multa ſunt arborum genera, multæ florum & aromatum ſpecies. In hóc inter roſas martyres, inter lilia confeſſores, & virgines requieſcunt. Hic eſt concluſus, & foris ſignatus: hic eſt hortus tutiſſimus, ſanctorū ſanctiſſimus: qui non caret liliis, neque roſis, nec priuantur arbores ſuis pomis. Ibi fons dulciſſimi eſt saporis: hunc ventorum flamina, tyrannorum agmina perturbant, & ventilant cum furore. Cælum petunt martyres cum honore, delectatus dominus in odore. Et de aquilone quidem ſcriptum eſt, ab aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ. De auſtro verò, Deus ab auſtro veniet. Per illum igitur aduerſa, per hunc autem proſpera figurantur. Dicat igitur dominus, ſurge aquilo, ſecede, da locum, quieſce; noli perturbare hortum meum, noli affligere ſanctos meos. Veniat auſter, veniat pax, & ſecuritas veniant proſpera diu expectata, & fiat tranquillitas magna.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Qvumque aſcendiſſet in nauim, ſequuti ſunt eum diſcipuli ſui. Turbas quidem propter cauſas prædictas dimiſit, diſcipulos autē ſuos aſſumpſit, propter miraculum, quod in mari facturus erat. Quum enim turbis beneficia contuliſſet, ſanando languores, ac morbos eorum: videbantur diſcipuli nullo affecti beneficio. Et in hos itaque ſuam exercet munificentiam: ac poſtquam eos permiſit in demerſionis periculum incidere, demum mirabiliter eripit. *Et ecce motus magnus factus eſt, &c.* Hic quidem, motum dixit. Marcus autem, & Lucas, procellam dixerūt. Maris enim tempeſtas, & motus, & procella dicta eſt, eo quòd aquas commoueat, ac conturbet. Rurſum Matthæus, & Marcus in mari nauem periclitatam eſſe dicunt: Lucas vero in ſtagno. Neque eſt contradictio: nam & hic, & illi Tiberiadem ſignificant, quæ natura quidem ſtagnum eſt: ſitu vero, mare propter magnitudinem. Vnde & eam quandoque ſtagnum, interdum autem mare nominant. Facta eſt, inquit, tempeſtas, vt videlicet faſtus comprimeretur diſcipulorum: imaginabantur enim magna de ſeipſis, vtpote qui, cæteris dimiſſis, ſoli ipſi cum præceptore ingreſſi eſſent: & vt quaſi orbis athletæ, periculo exercitarentur ad timores, & tanquam mundi gubernatores ad procellas tentationum. *Ipſe vero dormiebat.* Marcus etiam locum deſignat, in quo dormiebat. Dixit enim, quòd erat in puppi ſuper ceruical dormiens. Erat autē ceruical illud ligneum, in puppi fabricatum. Dormiebat vero diſpenſatoriè, vt vehementer timerent. Nam, ſi vigilaſſet, aut nullo modo timuiſſent, aut parum territi fuiſſent. Oportebat autem eos magnum timoris ſenſum concipere, vt etiam ad magnum potentiæ illius ſenſum peruenirent, & maiorem de eo fidem conciperent. *Et accedentes diſcipuli excitauerunt eum, &c.* Marcus vero dicit; Præceptor, non eſt tibi curæ, quòd perimus? Lucas autem; Præceptor, præceptor, perimus. Quidam nempe hoc, quidam illud dicebant: & alij vnum, alij aliud: aut etiam omnes omnia. *Et ait illis; Quid timidi eſtis modicæ fidei homines?* Timorem primum animæ eorum ſoluit: oſtendens, quòd animæ imbecillitas timorem cauſare conſueuerit. Modicam autem eorum fidem improperauit, nempe imperfectam fiduciam in eum habitam. Sperabant enim, quòd eos ſeruare poſſet, ſed vigilans, non autem dormiens: Ideo quoque excitant illum. *Tunc excitatus increpauit ventos, ac mare, &c.* ἐπετίμησε *increpauit*, hoc eſt, imperauit. Dicit enim Marcus, quòd etiam dixerit mari; Tace obmuteſce. *Homines autem admirati ſunt, &c.* Lucas autem diſcipulos hoc dixiſſe ait: Matthæus vero homines turbas vocat, ſicut ait Chryſoſtomus. Siquidem veriſimile eſt, & ipſas audito à diſcipulis hoc miraculo, ſimiliter admiratas eſſe, & pariter hæc dixiſſe. Quòd ſi diſcipuli propter imperfectā fidem ſuam, quaſi hominem adhuc illum admirabantur, multo magis turbæ. Nam vti nauigio ad transfretationem, ac dormire, hominem hūc prædicabant? obedientia autem ventorum, ac maris, nouam quandam eius naturam teſtabatur. Ideo etiam conturbati dicebant; *Qualis eſt hic?* Magis autem in admirationem duxit hoc miraculum, quàm præcedentia: quia nullus vnquam tale quippiam operatus eſt. Neque enim virgam extendit, vt Moſes: neque ſe aquis admouit, vt alij: ſed cum authoritate præcepit, vt dominus ſeruis, & vt creator creaturis.

***

DOMINICA

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

MATTH. 13.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, Simile fa-
a Eccleſia. b Bonum non ſeminat niſi bonus qui ſemen bonæ voluntatis ad bona opera ſtudet producere.
ctum eſt [a] regnum cælorum homini, [b] qui ſeminauit bonum ſemen
c Mundo. d Cautelam amouent. ¶ Id eſt, inertia & incuria torperent. e Diabolus,
in [c] agro ſuo. Cùm autem [d] dormirēt homines, venit [e] inimicus eius,
f Præcedente nomine Chriſti. g Quæ non de ſemine tritici, paleæ vero ſunt hi, qui & ſi non vita, fide ſunt de eccleſia. ¶ Hæreticos permiſcuit electis. h Id eſt, latuit & occultiſſimus factus eſt. i Proficeret.
& [f] ſuper ſeminauit [g] zizania in medio tritici, & [h] abiit. Cum autem [i] creuiſſet
k Bonæ ſpei opera monſtraret. l Manifeſtauerunt ſe hæreticorum dogmata.
herba, & [k] fructum feciſſet, tunc [l] apparuerunt & zizania. Accendentes au-
m Cuſtodes meſſis.
tem [m] ſerui patrisfamilias dixerunt ei: domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti
in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illi: Inimicus homo hoc fecit.
n De officio. o Vt excommunicemus eos. p Ecce diſcretio.
Serui autem dixerunt ei: Vis [n] imus & [o] colligimus ea? Et ait: [p] Non. Ne forte
q Sic nec tu reddas vicem malis, vt ſcandalizes bonos, ſed patere. r Longanimitas eſt, quæ vſque ad finem neceſſaria eſt. s In eccleſia,
colligentes zizania, [q] eradicetis ſimul cum eis & triticum. [r] Sinite vtraque [s] cre-
t Iudicium. v Non vobis. x Separate à bonis.
ſcere vſque ad [t] meſſem, & in tempore meſſis dicam [v] meſſoribus: [x] Colligite
y Hic vagos. z Non vnum faſcem, quia pro modo peruerſitatis ſuæ vnuſquiſque punietur.
primum zizania, & [y] alligate ea in [z] faſciculos ad comburendum, triticum au-
a Vt qui vnitatem amauerunt. b In cæleſtes manſiones.
tem [a] congregate in [b] horreum meum.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

ALIAM *parabolam.* Quaſi diues pater familias inuitatos diuerſis reficit cibis, vt vnuſquiſque ſecundū naturā ſtomachi ſui varia alimenta ſuſciperet. Vnde & dixit aliam parabolam & non alteram, vt plures ſequi intelligantur. Hæc parabola proponitur. dimiſſis turbis domi rogantibus diſcipulis exponitur. Et docet hic bonam voluntatem, & cautelam, & patientiam, & diſcretionem, & longanimitatem, & iuſtitiam. *Homines.* Qui aliis ad tutelam & cuſtodiam deputati ſunt prælati in eccleſia. Vel cum dormitionem mortis accipient apoſtoli. *Cum autem creuiſſet.* Quia cum ſpiritualis eſſe cœperit, tunc iudicat omnia, & tunc ei apparent errores. Sed donec matureſcat qui herba eſt, poteſt eum mouere, quare ſub nomine Chriſti multæ ſunt hæreſes. Vnde dicit: *Nónne bonum ſemen ſeminaſti? Vis imus.* Cum ſpiritualis homo audit hoc eſſe à diabolo qui nihil valet contra voluntatem Dei, poteſt ei volūtas ſuboriri, vt tales auferat de mundo ſi facultatem habeat. Sed conſulit iuſticiam Dei an facere debeat, & an Deus velit eſſe officium hominum. Sed veritas reſpondet: Non noſſe hominem in hac vita qualis futurus ſit, qui modo errat, & quid bonis conferat eius error: & ideo eos non eſſe tollendos, ne forte interficiantur, qui forte boni futuri ſunt, vel ne bonis obſit quibus proſunt, &c. Tunc verò opportunè fieri, cū iam non eſt commutandæ vitæ tempus & proficiendi aliis: & tunc non ab hominibus ſed ab angelis dicit fieri. *Et ait non, &c.* Ecce patientia. Non enim audito dolore exarſit in irā, nec mox vlciſci voluit, ita & nos læſi patienter feramus. *Ne fortè.* Hic datur locus pœnitentiæ, & monemur non cito amputare: quia qui errat hodie, cras forte defendet veritatem. Si ergo modo auelleretur, triticū quod futurum erat eradicaretur. Vel neceſſe eſt vt mali permixti ſint bonis, per quos exerceantur. Vel quorum comparatione nitātur ad melius, quibus ſublatis altitudo charitatis marceſcit: quod eſt eradicari. Ibi patienter tolerandi ſunt mali, vbi aliqui inueniuntur, quibus adiuuentur boni. Aug. Multitudo non eſt excommunicanda, nec princeps populi. *Sinite.* Hoc videtur contrarium illi apoſtolico: Auferte malum ex vobis. Sed ſicut in- *1. Cor. 5. d*
ter lolium, & triticum quandiu herba eſt, parum diſtat, ita monet dominus ne de ambiguo iudicemus, quod dominus in die iudicij non ſuſpicioſè, ſed manifeſtè damnabit. In patiendo iuſticiam *Marc. 4. e*
meditemur. In iudicando iuſticiam non negliga- *Luca 13. d*
mus. *Et in tempo.* Qui longanimiter tulit per iuſticiam digna retribuit: diſcretæ enim ſunt virtutes, ſed non contrariæ. *Et alli.* In hac vita non eſt alligatio, alioquin non tot ab errore reſipiſcerent.

CATENA

CATENA AVREA

in idem Euang.

ALiam parabolam propoſuit illis, dicēs: *Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, &c.* Chryſ. In præcedenti parabola locutus eſt dominus de his qui verbū Dei non ſuſcipiunt, hîc autem de his qui ſuſcipiunt corruptionum ſermonem: etenim hoc eſt diabolicæ machinationis, veritati ſemper errorem inſerere. vnde dicitur: *Aliam parabolam propo. &c.* Hieronym. Propoſuit autem aliam parabolam, quaſi diues paterfamiliâs inuitatos diuerſis reficiens cibis, vt vnuſquiſque ſecūdum naturam ſui ſtomachi varia alimenta ſuſciperet. Non autem dixit alteram, ſed, *aliam.* Si enim propoſuiſſet alteram, expectare tertiam non poteramus: præmiſit aliam, vt plures ſequantur. Quæ autem ſit parabola, oſtenditur cùm ſubditur: *Simile factū eſt regnum cælorum ho. qui ſe. &c.* Remi. Regnum cælorum appellat ipſum filium Dei, quod regnum ſimile dicitur eſſe homini, qui ſeminauit bonum ſemē in agro ſuo. Chryſ. Deinde modum inſidiarum diaboli oſtēdit, dicens, *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Demonſtrat hîc quòd error poſt veritatem exiſtit: quod & rerum exitus reſtatur. Etenim poſt prophetas fuerunt pſeudoprophetæ, & poſt apoſtolos pſeudoapoſtoli, & poſt Chriſtum Antichriſtus. Niſi enim diabolus viderit quid imitetur, vel quibus inſidietur, non tentat. quia igitur vidit quòd hic reddit in fructu centeſimum, ille lx. alius xxx. & nō poterat rapere neque ſuffocare quod radicatū erat: per aliā deceptionem inſidiatur, interſerens ſua, multis ea ſimilitudinibus colorans, vt facilè ſurripiat his qui habiles ſunt ad deceptionem: propter hoc non dicit quod ſeminet aliquod aliud ſemē, ſed zizania, quæ ſecundum viſum aſſimilatur quodammodo frumento. Hinc etiam apparet diaboli malignitas: tunc enim ſeminauit, quādo vniuerſa erant completa, vt magis noceret agricolæ ſtudio. Auguſt. de quæ. Euang. Dicit autem, *cùm dormirent homines,* quia cùm negligentius agerent præpoſiti eccleſię, aut dormitionem mortis acciperent apoſtoli, venit diabolus & ſuperſeminauit eos, quos malos filios dominus interpretatur. Sed rectè quæritur, vtrùm hæretici ſint, aut malè viuentes catholici. Sed quod dicit eos in medio tritici ſeminatos, quaſi videntur illi ſignificari, qui vnius communionis ſunt. Veruntamen quoniam agrum ipſum non eccleſiam, ſed hunc mundum interpretatus eſt, bene intelliguntur hæretici: qui in hoc mundo permiſcentur bonis, vt illi qui in eadem fide mali ſint, palea potius quam zizania deputentur, quia palea etiam fundamentum habet cum frumento radicémque communem. Schiſmatici autem videntur ſpicis corruptis etiam ſimiliores, vel paleis ariſtarum fractis vel ſciſſis & de ſegete abiectis: nec tamen conſequens eſt vt omnis hæreticus vel ſchiſmaticus ab Eccleſia corporaliter ſeparetur. multos enim portat eccleſia, quia non ita defendunt falſitatem ſententiæ ſuæ, vt intentiam multitudinem faciant: quod ſi fecerint, tunc expelluntur. Cum ergo diabolus aſperſis prauis erroribus, falſiſque opinionibus ſuperſeminaſſet, hoc eſt præcedente nomine Chriſti hæreſes ſuperieciſſet: magis ipſe latuit, atque occultiſſimus factus eſt. Hoc eſt enim quod dicit: *Et abijt,* quanquam in hac parabula dominus ſicut in expoſitione concluſit non quædam, ſed omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine ſignificaſſe intelligitur. Chryſ. Ex poſterioribus autem diligenter hæreticorum formam deſcribit, dicens: *Cum autem creuiſſet herba & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* In principio enim hæretici obumbrant ſeipſos, cùm autem multam acceperint libertatem, & ſermonem aliquis cum eis participauerit, tunc venenum effundunt. Auguſt. de quæſt. Euang. Vel aliter: Cum homo ſpiritualis eſſe cœperit diiudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere: diſcernit enim quicquid audierit, aut legerit abhorrere à regula veritatis: ſed donec in eiſdem perficiatur ſpiritualibus, poteſt eum mouere, quare ſub nomine Chriſtiano tam multæ hæreticorum extitere falſitates. vnde ſequitur: *Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei: domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? &c.* Vtrùm autem ipſi ſint ſerui quos poſtea meſſores appellat, an quia in expoſitione parabulæ meſſores dicit eſſe angelos? nec quiſquam dicere facile auſus fuerit angelus neſciſſe, quis zizania ſuperſeminauerit: magis oportet intelligi homines fideles ſeruorum nomine hoc loco ſignificatos, nec mirum ſi & bonum ſemen ipſi dicuntur: ex diuerſis enim ſignificationibus vna res diuerſas ſimilitudines recipit: ſicut & de ſe ait, quòd ipſe ſit ianua, quòd ipſe ſit paſtor. Remi. Accedunt autem ad Deum ſine corpore, ſed corde & mentis deſiderio: quo docente intelligunt diaboli calliditate hoc eſſe factum. vnde ſequitur: Et ait illis, *Inimicus homo hoc fecit.* Hier. Diabolus propterea inimicus homo appellatur: qui Deus eſſe deſiit, & in 9. Pſal. ſcriptum eſt de eo, Exurge domine, non confortetur homo. Quamobrem nō dormiat qui eccleſiæ præpoſitus eſt, ne per illius negligentiam inimicus homo ſuperſeminet zizania, hoc eſt hæreticorum dogmata. Chryſ. Inimicus autem vocatur propter iacturam quam infert hominibus: vexatio enim diaboli aduerſus nos: principium autem vexationis factum eſt non ab inimicitia quæ eſt ad nos, ſed quæ eſt ad Deum. Aug. de quæſt. Euang. Cùm autem ſerui Dei cognouerint hanc excogitaſſe diabolum fraudē, cum contra tanti nominis authorem nihil ſe valere ſentiret, vt fallacias ſuas eodem nomine obtegeret, poteſt ſibi ſubuniri voluntas, vt tales homines de rebus humanis auferant, ſi aliquam temporis habeant facultatem: ſed vtrum facere debeant, iuſtitiam Dei conſulunt. vnde ſequitur, Serui autem dixerunt ei, *Vis imus & colligimus ea?* Chryſ. Vbi intuenda eſt ſeruorum diligentia & dilectio: etenim feſtinant zizania euellere: quod modò monſtrat eorum de ſemine ſolicitudinem. Ad hoc enim ſolum reſpiciunt, non vt aliquis puniatur, ſed vt ſeminata nō pereant. Quid autem dominus reſponderit, ſubditur: *Et ait, non.* Hier. Datur enim locus pœnitentiæ, & monemur ne citò amputemus fratrem: quia fieri poteſt vt ille, qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. vnde ſubditur, *Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticū.* Aug. de quæſt. Euang. In quo eos patientiſſimos & tranquilliſſimos reddit: hoc enim dicitur, quia boni dum adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam ma-

lorum commixtione: ſiue vt per eos exerceantur, ſiue vt eorum comparatione magna illis ex hortatio fiat & inuitentur ad melius. Aut fortè ſimul eradicatur triticum, cùm auferuntur zizania, quia multi primò zizania ſunt, & poſtea triticum fiunt: qui niſi patienter cùm mali ſunt tolerentur, ad laudabilem mutationem non perueniunt. Itaque ſi euulſi fuerint, ſimul eradicatur & triticum, quod futuri eſſent ſi eis parceretur. Ideo dicit tales non eſſe auferẽdos de hac vita: ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri ſunt: aut bonis obſit, quibus & inuitis vtiles ſunt. Sed tunc opportunè hoc fiet, cùm iam de fine non reſtat, vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atque comparatione alieni erroris. & idem ſubdit, *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*, id eſt, vſque ad iudicium. Hier. Videtur autem hoc eſſe contrarium illi præcepto: Auferte malum de medio veſtrûm. Si enim prohibetur eradicatio, & vſque ad meſſem tenenda eſt patientia: quomodo eiciendi ſunt quidam de medio noſtrûm? Sed inter triticum & zizania (quod nos appellamus lolium) quandiu herba eſt, & needum calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt: & in diſcernendo aut nulla, aut difficilis ſubſtantia. Primò monet ergo dominus ne verbi quod ambiguum eſt, citò ſententiam proferamus, ſed Deo iudici reſeruemus: vt cum dies iudicij venerit, ille non ſuſpicionem criminis, ſed manifeſtũ reatum de ſanctorum cœtu eiiciat. Aug. con. epiſt. Parmeniani. Cum enim quiſque Chriſtianorum intus in eccleſia conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus habeatur: fiat hoc (vbi periculũ ſchiſmatis non timetur) cum dilectione, non ad eradicandũ, ſed ad corrigendum: quòd ſi ſe nõ agnouerit, neque pœnitendo correxerit, ita foris exiet, & per propriam volũtatem ab eccleſiæ cõmunione dirimetur: vnde dominus cum dixiſſet, *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*: ſubiunxit cauſam dicẽs: *Ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum.* Vbi ſatis oſtendit cum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorũ ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cuiuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, nõ dormiat ſeueritas diſciplinæ: in qua tanto eſt efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior fuerit obſeruatio charitatis. Cũ verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud boni reſtat quàm dolor, & gemitus: ſic igitur miſericorditer corripiat homo quid poteſt, quod autem non poteſt, patienter ferat: & ex dilectione gemat, atq; lugeat, donec ille deſuper emendet, ac corrigat, atque vſque ad meſſem differat eradicare zizania, & paleam ventilare. Turba autem iniquorum cum facultas eſt populis promendi ſermonem, generali obiurgatione ferienda eſt, & maximè ſi occaſionem atq; opportunitatem præbuerit aliquod domini deſuper flagellum, quo eos appareat pro ſuis meritis vapulare: tunc enim aures humiles præbet emendari ſermone calamitatis auditorum, & facilius in gemitum confitendi, quam in murmura reſiſtendi afflicta corda compellit. quanquam et ſi nulla calamitas tribulationis premat, cum facultas detur vtiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam ſicut ſeparata ſæuire, ſic in ipſa congregatione obiurgata gemere conſueuit. Chr. Hoc autem dicit dominus prohibens occaſiones fieri. neque enim oportet interficere hæreticum, quia prælium inexpiabile in orbem terrarum induceretur: & ideo dicit, *Ne eradicetis ſimul cum eis frumentum*, id eſt, ſi moueritis arma, & occideritis hæreticos, neceſſe eſt multos ſanctorum ſimul ſubmitti: non ergo detinere hæreticos, & abſcindere liberam eorum propalationem, & ſynodos & ſtudia diſſoluere prohibet, ſed interficere & occidere. Aug. ad Vincen. Hæc autem primitus mea ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo eum agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum: ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. harum enim legum terror quibus promulgandis reges ſeruiunt domino in timore, ita profuit vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus, ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, & dilationum morulas amputauit. Alij dicant: Hoc eſſe verum iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur: gratias Deo, qui vincula noſtra dirupit. Alij dicant: Neſciebamus hoc eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed ad eam cognoſcendam metus fecit intentos: gratias domino, qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit. Alij dicãt: Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus niſi intraremus: nec intraremus, niſi cogeremur: gratias Deo qui prædicationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Alij dicant: Putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneremus: ſed gratias domino, qui nos à diuiſione collegit, & hoc vni Deo congruè, vt in vnitate colatur oſtendit. Seruiant ergo reges terræ Chriſto, leges edendo pro Chriſto. Aug. ad Bonifacium comitem: Quis autem veſtrûm velit non ſolùm aliquem hæreticorum perire, verumetiam aliquid perdere? ſed aliter non meruit habere pacem domus Dauid, niſi Abſalon filius eius in bello quod contra patrem gerebat, fuiſſet extinctus: quamuis magna cura mandauerit ſuis, vt eum quantum poſſent viuum ſaluúmque ſeruarent: & eſſet cui pœnitenti paternus affectus ignoſceret. Quid autem ei reſtitit, niſi perditum flere, & ſui regni pace acquiſita ſuam mœſtitiam conſolari? Sic ergo catholica mater eccleſia, ſi aliquorum perditione tam multos cæteros colligit, dolorem materni cordis linit, & ſanat tantorum liberatione populorum: vbi eſt autem quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere? cui vim Chriſtus intulit? quem coegit? ecce habent Apoſtolum Paulum, agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem: prius ferientem, & poſtea conſolantem. Mirum autem eſt quomodo ille, qui pœna corporis ad euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus qui ſolo verbo vocati ſunt in euangelio laborauit. cur ergo non cogeret eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filij coegerũt alios vt perirent? Sequitur: *Et in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Remi. Meſſis autem appellatur tempus metendi: per meſſem verò deſignatur dies iudicij, in quo ſeparandi ſunt boni à malis. Chryſ. Sed propter quid dicit, *colligite primùm zizania?*

zizaniæ: vt non timeant boni, quaſi ſimul cum zizaniis tollatur frumentum. Hiero. Quòd autem dicit zizaniorum faſciculos, igni tradi, & triticum congregari in horrea, manifeſtum eſt hæreticos quoſque, & hypocritas gehennæ ignibus concremandos: ſanctos verò, qui appellantur triticum, horreis, id eſt, cæleſtibus manſionibus recipi. Auguſt. de quæſt. euan. Quæri autem poteſt, cur non vnum faſcem, aut vnum aceruum zizaniorum fieri dixerit: niſi fortè propter varietatem hæreticorum, non ſolum à tritico, ſed etiam à ſeipſis diſcrepantium. Ipſa vniuſcuiuſque hæreſeos, in quibus ſigillatim ſua communione disiuncti ſunt nomine faſciculorum deſignauit, vt etiam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à catholica communione ſegregati, ſuas proprias quaſi eccleſias habere cœperint: vt combuſtio earum ſit in fine ſeculi, non alligatio faſciculorum. Sed ſi ita eſſet, non tam multi reſipiſcendo & in catholicam remeando ab errore diſcederent. Quapropter alligatio faſciculorum in fine profutura eſt, vt non confusè, ſed pro modo peruerſitatis ſuæ vniuſcuiuſque erroris pertinacia puniatur. Rabanus: Et notandum quòd vbi dicit: *Seminauit bonum ſemen*: notat bonam voluntatem, quæ in electis eſt: vbi verò dicit, *inimicus venit, &c.* Cautelam habendam intimare voluit: de qua creſcentibus zizaniis quaſi patienter ferens ait; *Inimicus homo hoc fecit*: patientiam nobis commendauit. vbi verò ait, *Ne fortè colligentes zizania*, donauit nobis diſcretionis exemplum. Quando autem ſubiungit, *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*, commendauit longanimitatem. Ad vltimum iuſtitiam, cùm dixit, *Alligate ea in faſciculos ad comburendum, &c.*

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

ALiam parabolam propoſuit dicens: ſimile eſt regnum, &c. Hæc ſecunda parabola eſt, cuius interpretatione ſua non ſtatim poſita, ſed interiectis aliis parabolis ediſſerta. Hic enim proponitur, & poſtea dimiſſis turbis venitur domum & accedũt ad eum diſcipuli eius rogãtes: ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri & reliqua. Non ergo debemus præpropero intelligẽdi deſiderio ante eius notitiam quærere quam à domino diſſeratur.

S. IO. CHRYSOSTOMI *Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil.*

Ex Hom. 47. in Matth.

ALiam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, &c. Quid intereſt inter hãc, & ſuperiorem parabolam? Illud certè: nã ibi eos, qui nullo modo eum audire voluerunt, ſed confeſtim reſilientes, ſemina omnino perdiderunt: hic hæreticorum conciliabula ſignificauit. Prædixit enim etiam hoc, ne hac de re diſcipuli poſtea turbarentur. Illa igitur parabola non ſuſpectum, aut abiectum Chriſtum eſſe oſtenditur: hac verò corruptorem etiam ſimul demonſtrat ſuſpectum. Illud profectò diaboli artibus aſtutè fieri ſcire debemus, vt veritati ſemper errores connexi, atque inſerti, per ſimilitudines facilè decipiant leuiores. Propterea nõ alia ſemina, ſed zizania immixta dixit, quę tritico ſimillima ſunt. Modum quoque inſidiarum propoſuit: *dum enim homines dormirent*, ait: Non paruum periculum prærupti præcipitij præſulibus hinc imminere videtur, quibus agrorum cuſtodia commiſſa eſt: nec præſulibus modò, verumetiam omnibus. Liquido autem hinc apparet, poſt veritatis ſemina iam collecta erroris fraudem pullulaſſe, quod euentus quoque rerum confirmauit. Falſi enim prophetæ poſt prophetas apparuerunt, & fallaces apoſtoli poſt apoſtolos, & poſt Chriſtum Antichriſtus. Nam diabolus, niſi prius videat, quid ſibi ſequendum ſit, aut quibus inſidiandum, cùm quid faciendum ſit neſciat, nec conatur quidem. Sic ergo etiam nũc, poſteaquam intellexit ab alio centum, ab alio ſexaginta, ab alio triginta fuiſſe producta, fraudẽ excogitauit: quam quoniam euellere non potuit, quod actis radicibus iam propagatum fuit, nec ſuffocare, nec vrere: fraudulenter niſus eſt ſua diſſeminare. Et, quonam diſcrimine diſſeparantur dormientes hi, & illi, qui per viam ſignificati fuerant? quod videlicet ibi cõtinuò rapuit, antequam radices emitterent: vnde maiori artificio, & nõ paruo conatu hoc ſibi opus fuiſſe videmus: ita omnibus iſtis ſemper vigilandum eſſe admonet. Nam, ſi illas peſtes effugies, non adhuc tutus es, inquit, atque ſecurus: ſed quẽadmodum ibi alios via, alios lapide, alios vepribus, ſic multos hic ſomno ſalutem committere videmus. Iugi ergo, atque perpetua nobis cuſtodia opus eſt. Ideo alibi dicebat: Qui ad finem vſque perſeuerauerit, hic ſaluus erit. Principium autem mali fuit, quia multi ex præſulibus dormitantes, prauos, & hæreſim occultantes viros, ad gubernacula eccleſiarum promouerunt: qua ex re facultas diabolo data eſt, vt, iã illis in medio prælatis, multò minus laboret. Et quomodo, inquies, non dormire poterimus? Corporis certè ſomno, penitus impoſſibile, voluntatis autem, omnino poſſibile. Quare Paulus quoque dicebat; Vigilate, ſtate in fide. 1. Cor. 16. Nec noxiam ſolum, ſed ſuperfluam rem oſtendit, cùm, poſteaquam cultus, ſeminatúſque ſic ager fuerit, vt nulla re opus eſſe videretur: tunc tandem diabolus per hæreticos ſeminat, qui non alia de re, quàm inani commoti gloria, perniciuſum venenum effuderunt, non autem his verbis ſolùm, ſed per ſequẽtia etiam diligenter eorum figmenta deſcripſit. *Quãdo enim germinauit*, ait, *& herba fructũ fecit, tũc apparuerũt zizania.* Id certè moris eſt apud hæreticos, vt obumbrent ſeipſos, atque occulent in principiis, quouſque maiorem fiduciam capiãt, & quodam fauore multitudinis inueniantur: tunc enim contagioſa venena intrepidi effundunt. Sed cuius rei gratia ſeruos introduxit, factum narrantes? vt ſcilicet non eſſe timendos hæreticos oſtenderet. Hominem verò inimicum ipſum diabolum, quia ſemper omnibus obeſſe conetur, meritò appellauit. Conatus enim ipſius omnis aduerſus nos eſt, cauſa verò, atque origo, vt nos impugnet, ab odio, quo in maieſtatem diuinam fertur, profecta eſt. Vnde patet, quia maiore charitate nos à Deo, quàm à nobiſipſis diligimur. Verùm inimici malignitas etiam inde perſpicitur, quia non præparauit ſeminare tunc, quum nihil poterat interimere, ſed cùm alia ſata diligenter vidiſſet, tunc ſeminauit, vt vniuerſo ſimul labori agricolæ, ſtudióque officeret: quæ omnia propter reſtatas erga agricolam inimicitias fecit. Vide autem & ipſorum ſer-

uorum diligentiam. Nam, etſi non prudenter, ſedulò tamen ad euellenda zizania feſtinant, quæ res ſolicitudinem ipſorum, ac diligentiam erga ſatanam oſtendit, quòd ſque ad vnum ſolummodo reſpiciant, non vt pœnas inimicus luat, ſed vt iacta ſemina non depereant. Quare quomodo morbum depellant, inquirunt, nec ſibi confidunt, ſed domini ſententiam expectant, ac ideo interrogant, dicentes; *Vis igitur abeuntes colligamus ea?* Dominus autem prohibet, ne forte ſimul cum zizanijs herbam etiam tritici euellant: quod dicebat, vt bella, & effuſionē ſanguinis prohiberet. Nam, ſi trucidarentur hæretici, abſque fœdere pacis, atque induciis bellum orbi inferretur: duabus igitur rationibus prohibuit: Altera, quia frumentis parum nocerēt: altera, quia, niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non euaderēt. Quare ſi & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua expectanda vobis eſt. Quid autem eſt, quòd eradicabitis ſimul cum ipſis etiam frumenta? Certe aut quia ſi arma capietis, inquit, neceſſe eſt, cum hęreticos trucidatis, ſimul multos ſanctorum interimere: aut quia ab ipſis zizanijs multa commutata, in frumenti conditionem ſeipſa conuerterent. Si ergo præuenientes euelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizanijs prouenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere, ac trucidare. Sed vide quam mitis ſit; nō enim ſolum prohibet, ſed, cur prohibet, rationem exponit. Quid autem ſi perſeuerabunt ad finem vſque zizania? *Tunc dicam meſſoribus*, inquit, *colligite primum zizania, & in faſciculos ea alligate ad comburendum.* Rurſus eo verbo Ioannis cōmonefacit, quibus iudicē ipſum fore aſſerebat, dicens parcēdum eſſe zizanijs, quouſque vna cum frumentis in agro ſunt, quia poſſunt in frumenti ſtatum commutari. Si vero nihil hac longanimitate domini lucrabuntur & receſſerint, tunc ineuitabilis pœna neceſſario eos ſuſcipiet. *dicam* enim *meſſoribus*, ait, *colligite zizania primum.* Cur ita primum? ne ſuſpicentur ſerui quaſi vna cum zizanijs frumenta incidantur: Cremen-tur, inquit, prius zizania, & tunc triticum in horreis recondatur.

Ecce admittit, poſſe etiā hæreticos coerceri, ne eorum peſtis ſerpat: licet neget eos extirpādos, aut vi adigendos ad dogmatū ſuorum abrenunciationē: Sed in hac parte eius ſententia non probatur S. Auguſtino, & plerimis alijs Patribus.

S. AVGVSTINI EPISCOpi Hippon. in idem Euang. Hom.

Eſt Ser. 46. de diuerſis.

ET heſterno die & hodie, loquente domino noſtro Ieſu Chriſto, parabolas ſeminantis audiuimus. Qui adfuiſtis heri, recordamini hodie. Heri lectum eſt de illo ſeminante: qui cùm ſemina ſpargeret, aliud cecidit in viam, quod aues collegerunt: aliud in petroſis locis, quod æſtu exaruit: aliud inter ſpinas, quod ſoffocatum eſt, & fœcundari non potuit: aliud in terram bonam, & attulit fructum centenum, ſexagenum, trigenum. Hodie autem aliam parabolam rurſus dominus de ſeminante narrauit: qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Dormientibus hominibus, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania. Quādo herba erat, nondum apparebat; vbi cœpit fructus boni ſeminis apparere, ibi etiam zizania claruerunt. Offenſi ſunt ſerui patris familias, videntes in bona ſegete multa in zizania, & voluerunt eradicare, & permiſſi non ſunt: ſed dictum eſt eis; Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Expoſuit autem etiam dominus Chriſtus iſtam parabolam: & boni ſeminis ſeminatorem ſe eſſe dixit: ſeminatorem zizaniorum, Inimicum hominem diabolum oſtendit. Tempus meſſis finem ſeculi, agrum ſuum, totum mundum. Sed quid ait? In tempore meſſis dicam meſſoribus; Colligite primùm zizania ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo. Quid feſtinatis, inquit, ſerui zelo pleni? Videtis zizania inter frumētum, videtis malos Chriſtianos inter bonos: eradicare vultis malos: quieſcite, non eſt tempus meſſis. Veniat, & frumentum vos inueniat. Quid ſtomachamini? Quid ægrè toleratis malos permixtos bonis? In agro vobiſcum eſſe poſſunt, in horreo non erunt. Noſtis illa autem tria heſterno die commemorata, vbi ſemen non profecit: viam, loca ſaxoſa, loca ſpinoſa, ipſa ſunt zizania. Aliud nomen in alia ſimilitudine acceperunt: quia quando ſimilitudines dantur, vel proprietas non exprimitur, per eas non veritas, ſed ſimilitudo veritatis exprimitur. Quod dico, ſcio paucos intellexiſſe: ſed propter omnes loquimur. In rebus viſibilibus via, via eſt, ſaxoſa loca, loca ſaxoſa ſunt, ſpinoſa loca, loca ſpinoſa ſunt. Quod ſunt, hoc ſunt: quia propriè nominantur. In parabolis autem & ſimilitudinibus poteſt vna res multis nominibus appellari, ideo non eſt incongruum vt dicerem vobis, via illa, loca illa, ſaxoſa illa, ſpinoſa illa Chriſtiani mali ſunt; ipſi ſunt & zizania. Nónne agnus Chriſtus? Nónne & leo Chriſtus? Inter feras & pecora, qui agnus agnus, qui leo leo: vtrunque Chriſtus. Illa ſingula per proprietatem: iſta vtrunque per ſimilitudinem. Plus etiam eſt, quod accidit: vt per ſimilitudinem multum à ſe res diſtantes, vocentur vno nomine. Quid enim tam diſtat ab inuicem, quàm Chriſtus & diabolus? Tamen leo & Chriſtus eſt appellatus, & diabolus. Chriſtus leo, Vicit leo de tribu Iuda. Diabolus leo: Neſcitis quia aduerſarius veſter diabolus circuit, quærens quem deuoret? Ergo & ille leo & iſte leo. Ille leo, propter fortitudinem: ille leo propter feritatem. Ille leo ad vincendum: ille leo ad nocendum. Ipſe coluber diabolus eſt, ſerpens antiquus. Nunquid iuſſi ſumus diabolum imitari, quando nobis dixit paſtor noſter, Eſtote ſimplices vt columbæ, aſtuti vt ſerpētes? Ergo heri allocutus ſum viam, allocutus ſum loca ſaxoſa, allocutus ſum loca ſpinoſa: & dixi, Mutamini cùm poteſtis, dura corda verſate, de agro lapides proijcite, de agro ſpinas euellite. Nolite habere durum cor: vnde citò verbum Dei pereat. Nolite habere tenuem terram, vbi radix charitatis alta non ſedeat. Nolite curis & cupiditatibus ſecularibus offocare bonum ſemen, quod vobis ſpargitur laboribus noſtris. Etenim dominus ſeminat: ſed nos operarij eius ſumus. Sed eſtote terra bona: Heri diximus, & hodie omnibus dicimus: ferat alius cētenum, alius ſexagenum, alius trigenum. In alio maior, in alio minor eſt fructus: ſed omnes ad horreum pertinebunt. Heri iſta diximus, hodie zizania alloquor; ſed ipſi ſunt oues zizania. O Chriſtiani mali, ô qui implendo premitis eccleſiam malè viuendo: corrigite vos, antequam meſſis adueniat. Non dicatis; Peccaui, & quid accidit mihi? Non perdidit Deus potentiam: ſed à te exigit pœnitentiam. Hoc dico malis, & tamen Chriſtianis; hoc dico zizanijs. In agro enim ſunt: & fieri poteſt, vt, qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentū.

Matt. 13.

Luc. 8.

Apoc. 5.

1. Pet. 5.

Matt. 10.

Ideo

Ideo & triticum alloquor. O vos Chriſtiani, qui bene viuitis, pauci inter multos ſuſpiratis, pauci inter plurimos gemitis. Tranſiet hyemis, veniet æſtas: ecce aderit meſſis. Veniunt angeli, qui poſſunt ſeparare, & neſciunt errare. Nos in hoc tempore, ſimiles ſumus ſeruis illis, de quibus dictum eſt, Vis imus & colligimus ea? Volebamus enim, ſi fieri poſſit, nullum malum remanere inter bonos. Sed dictum eſt nobis: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Quare? Tales enim eſtis, vt falli poſſitis. Denique audi: Ne fortè, dum vultis eradicare zizania, eradicetis ſimul & triticum. Quid boni facitis? Nónne meſſem meam veſtra diligentia vaſtabitis? Venient meſſores, & expoſuit qui ſunt meſſores: Meſſores autem angeli ſunt. Nos homines ſumus, angeli meſſores ſunt. Erimus quidem & nos, ſi curſum perfecerimus, æquales angelis Dei: ſed modò quando ſtomachamur contra malos, adhuc homines ſumus. Et nos modò audi-
1. Cor. 10. re debemus, quia qui ſe putat ſtare, caueat ne cadat. Putatis enim, fratres mei, quia iſta zizania nó aſcendunt abſidas? Putatis quia deorſum ſunt, & ſurſum non ſunt? Vtinam hoc non ſimus. Mihi au-
1. Cor. 4. tem minimum eſt, vt à vobis iudicer. Dico ſanè charitati veſtræ, & in abſidis ſunt frumenta, ſunt zizania, & in populis ſunt frumenta, ſunt zizania. Boni tolerent malos: mali mutentur, & imitentur bonos. Omnes, ſi fieri poteſt, ad Deum pertineamus: omnes malitiam ſeculi huius in illius miſericordia euadamus. Quæramus dies bonos, quia in diebus malis ſumus. Sed in diebus malis non blaſphememus, vt ad dies bonos peruenire poſſimus.

PETRI CHRYSOL. EPIſcopi Rauen. in ſuperius Euang. Sermo.

Serm. 96. SI dicta, vel facta Chriſti paſſim carnalibus ſenſibus ſubiicerentur, torpeſceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabeſceret, extingueretur, quicquid humani vigoris eſt, & caloris. *Propoſuit*, inquit, *illis parabolam.* Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipſe tamen ignis ferri, ac lapidis colliſione inflammatur, ſic obſcurum verbum verbi ac ſenſus collatione reſplendet. Certè, ſi myſtica non eſſent, inter infidelem, fidelémque, inter impium, atque pium diſcretio non maneret; & eſſet deuotus, ſicut contumax, iners, ſicut qui laborat; peruigil, vt ille, qui dormit: nunc verò, cùm petit anima mẽs pulſat, quærit ſenſus, ſperat pietas, fides exigit, meretur intentio, apparet & ſudantis fructus, & pœna deſidis, & iuſtitia largitoris ſimul; quia plus accepta ſapiunt, quàm poſſeſſa; inuenta magis, quàm ſubiecta delectant. Hinc eſt, quòd doctrinam ſuã Chriſtus parabolis velat, tegit figuris ſacramentis operit, reddit obſcuram myſteriis. *Propoſuit*, inquit, *illis parabolam. Illis*, hoc eſt, non ſuis, ſed extraneis, inimicis vtique, non amicis; ſpectantibus ad calumniam, non audientibus ad ſalutem. Ideo in parabolis, inquit, loquor eis, quia vidẽtes, non vident; & audientes, non audiunt, neque intelligunt. Quare? Quia, qui calumniatur præterita, videre præſentia non meretur; neque dignus eſt agnoſcere gratiam, qui legem, ne cognoſceretur, abſcon-
Luca 11. dit. Væ vobis, inquit, legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. *Propoſuit*, inquit, *illis parabolam, dicens; Simile eſt regnum cælorum homini.* Et quid offendit Chriſtus, ſi in ſimilitudinem hominum factus eſt, vt pereunti humano generi ſubueniret? Scandalizat dominus, ſi, vt manumittat ſeruos, inueniatur in habitu ſeruientis? quando, quicquid eſt maieſtatis futuræ, quicquid aduentus, & regni, ecce homini comparatur. *Simile eſt*, inquit, *regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, &c.* Audiſtis quemadmodum ſator mundi rerum principia bona ſeuit, nec vllum malum ab originis proceſſit auctore: ad inimico ſuperſeminatum eſt malum, malum non eſt à rerum parente procreatum. Et vidit Deus, inquit, omnia quæcun- Geneſ. 1.
que fecit, & ecce bona valde, Bona, & valde bona: nam, quem Deus faciens vocauit mundum, inficiẽs reddidit inimicus immundum; & hominem, quem Deus in paradiſo deliciarum collocauit ad vitã inimicus in hac laboris vita detraxit ad mortem; & affectum, quem carni Deus inſeruit per naturam, inimicus in paricidium per inuidiam commutauit. Cain probat hoc, qui primus germano ſanguine terram tinxit, & in exitium frater- Geneſ. 4.
num mortis dignus extitit dedicator. Sic ex diſcordia nata mors ſemper humanam ſcindit, & ſeparat charitatem. Et, quia longum eſt, ire per ſingula, vel paucis aperire compellimur, inimicus qualiter bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia, noſtram ſemper ſuperſeuerit ad ruinam. Nonne ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & ſemine ex vno pius ſator totum genus hominum tantam multiplicauit ad meſſem? Sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & ſuperſeminando mala, quod bene ſatum fuerat, deleuit diluuio, non rigauit. Sic legem diuinis, & veracibus ſatam præceptis, humanis, & mendacibus fucauit inuentis: vt de ſacerdote fieret perſecutor, de doctore deprauator exiſteret, de defenſore legis redderetur inimicus. Sic creaturas ad agnitionem cõditas creatoris, vt neſciretur Deus, deos eſſe mentitus eſt. Hinc ſapientes ſæculi fecit ſtultos, ſpeculatores mundi docuit nil videre, profeſſores ſcientiæ fecit ſcientiam non habere, inquiſitores rerum omnium dimiſit ignaros. Sic Euangelicam ſegetem ſatam cæleſti ſemine, hæretica zizania ſuperſeminando, confudit inimicus: vt manipulos fidei gehennæ faſciculos faceret, ne triticum fieret cæleſtium horreorum. Et quid plura? Poſteaquam eſt ipſe in dæmonem conuerſus ex angelo, ne qua creatura in ſuo ſtatu conſiſteret, arte, dolis, machinis, fraude, contendit. Sed iam præſentis parabolæ verba pandamus. *Simile eſt regnum cælorum homini.* Cui? vtique Chriſto. *Qui ſeminauit bonum ſemen.* Quia in ipſo rerum ſemine neſcit malum conditio creatoris. *In agro ſuo.* Hoc eſt, in mundo; dicente ipſo domino; Ager hic mundus eſt. *Cùm autem dormirent homines*, Id eſt, ſancti Patres, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, in ſopore mortis temporaliter dormientes, quia ſanctorum mors ſomnus eſt, peccatorum verò mors eſt, quia in inferno pœnæ viuunt, vitæ pereunt peccatores. *Veniens inimicus eius*, Id eſt, diabolus. *Superſeminauit zizania. Superſeminauit*, non ſeminauit. Præcedunt creaturis bona, mala diaboli poſt ſequuntur, vt malum, quod eſt ex diabolo, ſit accidens, non natura. *Superſeminauit zizania in medio tritici.* Quia diabolus hæreſes inter fideles, inter ſanctos peccatum, inter pacificos lites, inter ſim-

plices dolos, inter innocentes nequitiam graris ſerere conſueuit; non vt acquirat zizania, ſed vt triticum perdat; nec vt reos capiat, ſed vt adimat innocentes. Hoſtis plus ducem, quàm militem petit; nec obſidet mortuos, ſed impugnat viuẽtes; ſic diabolus non peccatores quærit capere, quos poſſidet ſubiugatos, ſed, vt iuſtos capiat, ſic laborat. *Superſeminauit Zizania in medio tritici, & abijt.* Quia diabolus impellit quidem viribus ad ruinam: ſed, poſteaquam proſtrauerit, derelinquit, diabolus non quærit hominem, ſed hominis interitũ quærit. Fratres, ille malis noſtris gaudet, ſurgit ruinis noſtris, noſtris vulneribus conualeſcit, noſtrum ſanguinem ſitit, noſtra ſaturatur ex carne, noſtris viuit ex mortibus. Diabolus hominem non vult habere, ſed perdere. Quare? Quia ad cælum, vnde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur hominem peruenire. Et, quia nos ſermo trahit longius hodie, reliqua differamus, vt & communem releuemus laborem; &, quæ dicenda ſunt, plenius exequamur, Deus autem noſter & mihi dicendi gratiam, & vobis audiendi deſiderium donare dignetur.

EIVSDEM DE EODEM

Sermo 2.

QVia feſtinus antehac ſermo, vt communem temperaret laborem, ad totum parabolę prętereuntis non valuit peruenire ſecretum, nunc reliqua, domino reuelante, pandamus. *Propoſuit*, inquit, *illis parabolam, dicens; Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, &c. Cùm autem dormirent homines*, inſidiator in noctibus latitat; in diebus vigilantes fugit, apperit dormientes; fortis conflictum petit, prouocat palàm, ſpectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius.* Malus nunquam non ſtultus. Quid hic egit inimicus? Eſto, quòd dormierint ſerui; nunquid & dominus dormiebat? Eſto, quòd oculos ſeruorum ſopor clauſerit poſt laborem; nunquid & dominantis oculos vlla vicerat laſſitudo? Inimice, lucis refuga, vigilaſti, laboraſti, ſed nõ latuiſti: nam, dormientibus ſeruis, dominus ipſe te videt: deſertor cæli, præueniſti, feciſti, ſed non profeciſti. Deo perire non poteſt, quod ipſe cuſtodit: fraudis auctor, in dominum non committis, ſed in ſeruos, dum facis, vt negligentiæ illorum, quod tuæ fraudis eſt, aſcribatur. Ille, ille te videt, qui totius & fraudis teſtis eſt, & laboris. Manent ergo laboris ſui fructus benefacientem, manent & nequitiæ ſuæ pœnæ fraudantem, illi triticum ad horreum cæleſte portabunt, tu mihi zizaniorum tuorum portabis faſciculos ad gehennam. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania.* Vt quid? Vt periret dominica meſſis, & hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? niſi quòd inuidiæ ſpiritus hominum damnum ſuum computat lucrum: &, quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiſſe? Sed diabolus hoc ideo, vt diximus, tenebris celantibus, eſt molitus, vt adulteratæ meſſis noxa redundaret ad ſeruos, & hinc pœnam ſumerent, vnde ſperauerant palmam. Denique vigilantes ſerui prę timore, iſta cur euenerint, expaueſcunt, hoc metuentes, ne zizaniorum germina ac illorum redirent offenſam, quorum conſcientia præter iactum boni ſeminis nil habebat. Hinc eſt, quòd auditum ſui domini præuenerunt, ne, ſecuri de innocentia, reatum de ſilentio ſuſtinerent: cùm vocarunt innocẽs ad reatum, dum purgari æſtuat, vrget, & ſtimulat cognitorem. *Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc*, inquit, *apparuerunt & zizania.* Quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica; & quod celatur in gramine, aperitur in fructu: ſic quos credentes putamus pares, fide diſpares inuenimus; ſic iudicij prodit meſſis, quod Eccleſiæ germẽ occultat. Iuxta illud dictum dominicum; Ex fructibus eorum, cognoſcetis eos. Matt. 7. Flores multi, multitudinem fructuum pollicentur, ſed examinati ventorum flabris ad fructum pauciſſimi perſeuerant, ſic credentes in Chriſto multi Eccleſiæ videntur in pace: vbi autem perſecutionis procella perflauerit, pauci martyrij reperiuntur in fructu. Sed Euphemia ſancta plus ſoluit in fructu, quàm promiſit in flore: quæ, manente virginitatis flore, copioſum martyrij peruenit ad fructum. *Acceſſerunt*, inquit, *ſerui patrisfamiliàs, dicentes ei.* Acceſſerunt fratres, mente non corpore; non loco, ſed fide: dixerunt non clamore vocis, ſed cordis tacito cum dolore. *Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Seminaſti*, non, ſeminauimus: nos, quod per te facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus auctori: & tu in iis, quæ nobis facienda præcipis, ipſe operator aſſiſtis. Ergo, ſi nos operis tui facis eſſe pro tua dignatione conſortes, non nobis ſolis, quòd zizania naſcuntur, aſcribas, domine, aut tecum nos munit innocentia, aut nobiſcum reatus attingit: nos noſtro operi non potuimus inuidere, magnis ſudoribus oblatam non potuimus non parare: tu, quod vis, vnde vis, quando vis, habes: nos præter tuam gratiam nil habemus, per quam ſtamus, viuimus, mouemur, & ſumus: & ſine qua iacemus, deficimus, & perimus. Ergo nos hæc nobis ſic laborauimus; vt perirent? Sed quis hoc fecerit, qui ſolus non dormis, nobis dormientibus, tu vidiſti: &, ſi tu vidiſti, iuſte Iudex, (factum quis ſcit? ille, qui vigilat, non ille; qui dormit) ergo tu prode eum, vt nos, quos ſic anxios conſpicis, facias ſic ſecuros. *Ait dominus, inimicus homo hoc fecit.* Inimicus homo hoc fecit: & tu quare hoc, cum videres, domine, permiſiſti? Quare? Quia timere fraudes non poteſt, cui nil poteſt deperire: & quia plus eſt, myſtica diſcernere, quàm prohibere myſterium: maius eſt, reparare perdita, quàm illæſa reſeruare: ſimul, quia oportet zizania eſſe, vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant. *Serui autem dixerunt ei, Vis imus, & colligimus zizania?* Sic deuoti 1.Cor. 11. ſerui indefeſſum promittunt laborem, nec patiuntur dominicæ meſſis videre, vel temporaliter fœditatem: dominus, quem tempora non fatigãt, ſed & quando vult, poteſt abolere ſuæ meſſis iniuriam, vetat dicendo? *Non.* Et quare prohibuerit, mox reuelat, *Ne fortè colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Sic imperiti erant cultores, ſic operis neſcij, ſic diſcretionis ſcientiam non habentes, vt euellentes zizania, eradicarent & triticum? Vbi ſunt Prophetę per Dei ſpiritum prophetantes? Vbi Petrus, cui pater reuelat? Vbi Paulus, Mat 16. in quo operatur, & loquitur Chriſtus? Vbi omnes Gal 1. ſancti, planè ſancti, ſed ſerui, tãtùm ſcientes, quantùm ſingulis ſcientiarum largitor indulſit? Sed di- 1.Cor. 12. cis, hîc occultum nil erat ibi occultum, quando aliud videbatur in ſpecie, aliud habebatur in flore, & quod

Nõ propterea liberum arbitrium abolet, quod per ſe eſt ad omnia bona, vitæ æternæ meritoria, inhabile niſi diuina gratia ſanetur, & adiuuetur.

& quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur: ſic hodie habetur hæreticus, qui craſtina fit fidelis; & qui ad præſens peccator cernitur, ad futurum iuſtus aſſiſtit. Hinc eſt etiam, quòd auctor vtraque referebat ad meſſem, id eſt, vſque ad iudicium diuinæ patientiæ ſuæ, & noſtræ pœnitentiæ tempus, vt, qui ſe de malo commutarit ad bonum, dominicum deputetur in triticũ, cæleſtibus horreis aggregandus, qui ſe de fideli fecerit infidelem, gehennæ deputetur incẽdio. Et quid plura? Si zizaniis non Dei patientia ſubueniret, nec Matthæum de publicano Euãgeliſtam, nec Paulum de perſecutore Apoſtolum Eccleſia poſſideret. Denique Ananias eradicare triticum tunc quærebat, quando ad Saulum miſſus, de Paulo talia querebatur: Domine, quanta mala fecit ſanctis tuis! hoc eſt, eradica zizania: quid ad lupum ouem? quid ad contumacem deuotus? quid ad perſecutorem talis prædicator miſſus? Sed, cùm Anania videret Saulum, Paulum dominus tũc videbat; cùm Ananias perſecutorem diceret, tunc dominus prædicatorem ſciebat; & cùm ille eum zizania iudicaret inferni, Chriſtus eum vas electionis, triticum in cæleſti horreo iam ponebat. Vade, inquit, quia vas electionis eſt mihi.

BEDAE VENERABILIS *presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.*

Aliam parabolam propoſuit illis dicens: Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit, &c. Benè ſimilis dicitur, qui ei per omnia aptus eſſe probatur. Bonum itaque ſemen in agro corporis ſui ſeminat, quia ſemen bonæ voluntatis ad operum perfectionem perducere ſtudet. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, &c.* Hęc quidem ſentẽtia cautos nos eſſe admonet, ne, dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargat. *Cùm autem creuiſſet herba, &c.* Hic nobis patientiæ exemplum præbetur, vt ſicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit, ſic in aliqua nos læſione, non ſtatim ad vindictam ſed magis ad tolerantiam recurramus. *Serui autem dixerunt ei &c.* Hic denique diſcretionis & tolerandi malos habemus exemplum, ne ſi magis vlciſcendo talionem malis reddamus, bonis præbeamus ſcandalum imitationis. *Sinite vtraque creſcere, &c.* Hinc habere docemur longanimitatem patientiæ, vt longanimitate iuſtitiam meditemur, & in iudicio patientiam non negligamus.

CHRISTIANI DRVTHMARI *eiuſdem Euang. expoſitio.*

Aliam parabolam propoſuit illis dicens. Simile eſt regnum cælorum homini patri, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Et iſtam parabolam dominus expoſiturus eſt, ſed tamen ſumamus ea, quæ ipſe dixit. Qui ſeminat bonum ſemen, filius hominis: ager iſte mundus; *Cum autem dormirent homines*, videlicet, cum magiſtri eccleſiarum non eſſent ſtudioſi ad meditandum diuina eloquia. Quod cauere debent Epiſcopi, & præpoſiti eccleſiarum, ne de eis ſimiliter dicatur: ſed debent inſtare, & per ſe ſuóſque quantum poſſunt, vt adnuntient populo peccata eorum, vt ſciant quæ cauere debeant: & qualiter à venienti gladio cuſtodire: Bonum ſemen, filius Dei; Inimicus eius diabolus, qui inimicus Dei & hominum eſt: ex quo in paradiſo illum poſitum vidit: zizania filij diaboli, per opera, herba & fructus; opera; Accedentes autem ſerui patrisfamilias; angeli domini: Inimicus homo diaboli, de quo dicitur: exurge domine, non confortetur homo: *Ne forte colligentes zizaniam*, zizaniam quæ alio nomine lolium dicitur, iuxta agriculturam eſt ſemen nequam, quod naſcitur inter ſpeltam: de qua quis tunc, quando colligitur comederit, non habet plenum ſenſum ad horam. Ita quicunque à Deo diſceſſit, non eſt plenæ mentis. Hic autem mali homines, domino exponente intelliguntur. *Serui autem dixerunt vis, imus & colligimus ea? Et ait, non: ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Hic debent omnes reges epiſcopi & præpoſiti exemplum capere, ne de incertis cauſis iudicium promãt: antequam veraciter crimen agnoſcant. Herba enim imperfectam ætatem ſignificat, vel occulta opera. Quæ omnia ſuſtinenda ſunt, vſque ad perfectam cognitionẽ. Nam quod B. Paulus præcepit. Auferte malum ex vobis: de apertis & manifeſtis præuaricatoribus præcepit. Quod dicit, *ne forte colligentes zizania, eradicetis triticum*: in hoc dicto, Dei patientia monſtratur: quia ipſe patienter malos expectat, vt conuertantur, non conuerſos durius damnat, quia his qui hodie zizania videtur fore, cras poteſt eſſe triticum Dei. *In tempore meſſis dicam meſſoribus; colligite primum zizania: & alligate ea in faſciculos ad comburendam.* Quia videlicet, tunc mittentur auari cum auaris, luxurioſi cum luxurioſis: & vnuſquiſque cui ſimilis fuit in actibus, illi ſociabitur in pœnis, triticum, iuſti, horreum, vita æterna. *Mittet filius hominis angelos ſuos: colligent de regno eius*, De eccleſia *omnia ſcandala*, qui ſcandalizauerint electos ſuos: *& eos qui faciunt iniquitatem*: Non dicit qui fecerunt: ſcilicet: qui adhuc in hoc erant, *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*: Per fletum & ſtridorem dentium & nimia tormenta, & vera reſurrectio corporum deſignatur: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno patris.* Dominus lux cæleſtis, & ſol in ea erit, & ſancti.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

IN priori parabola dixit quartam partem ſeminis cadere in terram bonam, in hac autem oſtendit, quòd neque illa ſemina, quæ in terram bonam ceciderunt, incorrupta ſinat hoſtis, dum nos dormimus, & ignaui ſumus. Ager enim mundus eſt, vel cuiuſuis anima. Porro Chriſtus eſt, qui ſeminauit bonum ſemen. Boni homines, vel bonæ cogitationes. Zizaniæ, hæreſes, vel malæ cogitationes. Quis ſeminat autem hæc? diabolus. At dormientes homines, qui propter ignauiam ſuam locum dederunt hæreticis, vel malis cogitationibus. Serui autem angeli, qui indignantur eſſe hæreſes, vel malitiam in anima, & volunt euellere, & excindere ex hac vita hæreticos, & mala cogitantes. Deus autem non permittit hæreticos bellis conſumi, ne ſimul patiantur, conſumanturque iuſti. Similiter neque propter malas cogitationes vult Deus excindi hominem, ne & triticum ſimul cor-

rumpatur:vt exempli gratia, ſi Matthæus excisus fuiſſet ex hac vita, quum eſſet zizanium, ſimul vtique excisum fuiſſet & frumentum, quod poſtea ex ipſo orturum erat. Similiter & Paulus, & latro. ſi enim, cum zizania eſſent, non ſunt extirpati, ſed permiſſi ſunt viuere, vt creſceret poſtea illorum virtus, dicitur igitur de angelis, quòd in conſummatione tunc congregabunt zizania, hoc eſt, hæreticos. Sed quomodo? in faſciculos, hoc eſt, ligatis eorum manibus, & pedibus: non enim tunc vltra quis operari poteſt, ſed omnis operandi vis ligabitur: frumentum autem, ſancti videlicet, à meſſoribus angelis congregabitur in cæleſtia horrea. Igitur ſimiliter malæ cogitationes, quas habuit Paulus, quando perſequebatur, exuſtæ ſunt igni Chriſti, quem venit in terram mittere: frumentum autem, id eſt, bonæ cogitationes, congregatæ ſunt in horrea eccleſiæ.

INCERTI CVIVSDAM
ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.

ET ego quidem aliud his ſuperaddere timeo, ne dum lucem illuminare velim, potius obſcurem. Illud autem valde conſiderandum eſt, quòd dominus ante meſſionis tempus zizania à tritico ſeparare interdicit, ne forte ſimul cum eis & triticum eradicetur. Ibi enim tolerandi ſunt mali, vbi ſi commoueãtur, in magnum periculum veniunt boni. Vbi enim fides non perit, melius eſt eorum vitioſos mores & actus tolerare, quàm eos irritando eccleſiæ pacem & quietem ſoluere. Admoneantur igitur, non expellantur. Sunt enim qui facilius monitis vincantur quàm minis. Illa igitur zizania maneant in triticum, quæ ſine tritici eradicatione euelli non poſſunt. In omnibus enim eſt habenda diſcretio, neque omnes vno modo habere oportet.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

A*Liam parabolam propoſuit eis, dicens: Aſſimilatum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.* Regnum cælorum nunc ſeipſum nominat, qui, aſſumpta carne, homini aſſimilatus

Philip.2. eſt. In ſimilitudine, inquit, hominum factus. Semen autem bonum alio modo filios regni vocauit, prout ipſe interrogatus à diſcipulis interpretatus eſt. Ager vero eius, mundus eſt, tanquam creatura ac poſſeſſio eius. *Dormientibus autem hominibus, &c.* Hac parabola alteras diaboli inſidias denuntiat. Quum enim terram bonam viderit fructum producere aut centuplum, aut ſexagecuplum, aut trigecuplum: nec poſſe ſe aut ſemen rapere, aut, quod germinatum eſt, vrere, vel ſuffocare: ſecundas aggreditur inſidias: & tanquam eius, qui ſeminauit, inimicus, nititur illius laborem perdere: dormientibúſque hominibus, ſiue curam circa agri cuſtodiam remittentibus (indicat autem præceptores, & magiſtros, qui orthodoxorũ ſunt cuſtodes) interſeminauit zizania, hoc eſt, hæreticos inter orthodoxos: nam hoc triticum nominauit, tanquam ei, qui ſeminauit, vtiles. *Quum autem germinaſſet herba, &c.* Quemadmodum zizania tritico ſimilia ſunt in arundine, diſſimilia vero in fructu, eique nociua ſunt: ita & hæretici orthodoxis ſunt ſimiles habitu, ſed virtute diſſimiles, quæ eſt fructus: Virtus autem, & primus omnium fructus eſt, dogmatum veritas. Et quemadmodum zizania vſque ad fructificationem occultata creſcunt, tũc autem dignoſcuntur: ita ſane & hæretici, quouſque doceant, latentes permanent: vbi vero magnam aſſumpſerint fiduciam, tunc venenum effundunt, ac dignoſcuntur. Ideo quoque in præcedentibus dixit; A fructibus eorum cognoſcetis eos. Præterea & aliter; quando ſeminauit Chriſtus, tunc non apparuerunt hæretici: quum autem creuiſſent orthodoxi, tunc demonſtrati ſunt. *Accedentes vero ſerui patrisfamilias, &c.* Paterfamilias ipſe eſt Chriſtus tanquam mundi dominus: ſeruos vero ſuos, qui hæc dicant, effingit orthodoxos, qui ferventiorem erga cultũ ſuum gerunt zelum, qui frequenter admirantur cum indignatione, quòd Deus zizania naſci permittat. *Inimicus homo hoc fecit.* Hominem dixit diabolum tanquã nihil ab hominibus differẽtem, in eo quòd eſt affectionibus, ac voluptatibus eſſe ſubiectum, & tanquam æque vt homo res amantem corporeas, terreniſque admixtum eſſe. *Vis ergo vt egreſſi colligamus ea? Colligamus*, violenter euellentes, ac gladiis demetentes? *Ille autem dixit eis; Non, &c.* Prohibuit auferri hæreticos, ne etiam pariter orthodoxi auferrentur. Futurum enim erat vt bella inuicẽ, ac cædes orirentur. *Sinite ergo vtraque ſimul creſcere vſque ad meſſem.* Vtrunque genus. Meſſem autem dicit mundi conſummationem. Iubet ergo, vt vtriuſque generis homines ſinant viuere creſcentes, auctóſque numero in mundo vſque ad conſummationem. Veriſimile ſiquidem eſt, ante id tempus multos conuertendos hæreticos: nec tamen ob hoc illis commiſceri oportet: ſpatioſus enim eſt hic mundus: & illos per ſe viuere oportet, non ablatos quidem, ſed ſeparatos, ne docendo corrumpant, quod ſeminatum eſt triticum. *Et in tempore meſsis dicam meſſoribus.* Meſſores nunc angelos nominat. *Colligite primum, zizania.* Metite falce mortis inuẽta tunc zizania. Quare autem non primum? Ne etiam tũc viuentes orthodoxi ſimul cũ hęreticis mixtum demeſſi, prauam concipiant ſpem. *Et ligate ea in faſciculos.* Colligate eos inuicem. Oſtendit autem ſermo quod ij, qui in eodem peccato communicant, etiam in ſupplicio communicaturi ſunt eodem, ſimúlque vltionem ſuſtinebunt. *Ad comburendum ea: triticum vero congregate in horreum meum.* Similia quoque Baptiſta Sadducæis, ac Phariſæis comminatus eſt, dicens de Chriſto, quòd etiam triticum ſuum congregabit in horreum ſuum, paleam autem comburet igni inextinguibili.

Alludit ad morem Græcorum Imperatorum, qui hæreſiarchas in deſertas inſulas deportandos curabant.

Supra.iij.

DOMIN.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

MATTH. 13.

IN illo tempore dixit Ieſus turbis parabolam hanc, Simile eſt re-
a Quan o plus teritur, tanto plus redolet. b Acceptum habens.
gnum cælorum grano [a] ſinapis, quod [b] accipiens homo ſemina-
c Deus in iuſto, vel iuſtus vir in corde ſuo granum prædicationis fouet. d Hæc prædicatio primo humilima eſt omnium diſciplinarum pro ſcandalo crucis.
uit [c] in agro ſuo, [d] quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. Cùm au-
tem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli ve-
e Vt pro varietate morborum varia ſit medicina.
niant, & habitent in ramis eius. [e] Aliam parabolam loquutus eſt eis. Simile eſt
f Vita iuſtorum. g Charitas pro feruore vel ſancta doctrina. h A gratia Dei. i Mater eccleſia vel ſapientia Dei.
k Commendat hominibus de tribus Noe filiis originem ducentibus quos eccleſia ad fidei vnitatem colligit.
[f] regnum cælorum [g] fermento, quod [h] acceptum [i] mulier abſcondit [k] in fari-
l Non quia nihil propter, ſed quia nihil vbi non ſit aliquid parabolæ.
næ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. [l] Hæc omnia loquutus eſt Ie-
m Non ad diſcipulos quibus volebat aperta loqui. n Et ſic impletum eſt.
ſus in parabolis ad [m] turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis: [n] vt imple-
o In Pſalmo. lxxv j. ex perſona domini p Qui prius aperui ora prophetarum.
retur quod dictum eſt per prophetam [o] dicentem: [p] Aperiam in parabolis os
q De profundo eliciam.
meum, [q] eructuabo abſconditu à conſtitutione mundi.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euang.

SImile *eſt regnum.* Regnum cælorum, prædicatio eſt euangelij, de qua alibi: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. *Infra. 21. d* Vel noticia ſcripturarũ. *Grano ſina.* Grano ſinapis comparatur pro feruore fidei, quia dicitur venena expellere, id eſt, omnia dogmata prauitatis. Poteſt in grano ſinapis humilitas dominicæ incarnationis intelligi. Quo accepto homo miſit in hortum ſuum, quia corpus crucifixi Saluatoris accipiens Ioſeph in horto ſepeliuit. Expandit ramos, in quibus volucres cæli requieſcent, quia prædicatores diſperſit in mundum, in quorum dictis & conſolationibus fideles ab huius vitæ fatigatione reſpirarent. *Cum au. cre.* Toto mundo vel in animo ſingulorum: quia nemo repente perfectus. Creuerit & factum eſt in arborem, quia ſurrexit & aſcendit in cęlum. Vel creuerit, id eſt, mentibus hominum quantæ ſit virtutis innotuerit. Cætera apparent olera, quæ cito creſcunt & corruunt: non viuida, ſed marcida: illa non olus, ſed arbor fit, vbi folia cum fructu, & in eius diuerſis ſententiis ſpirituales quieſcunt. *Oleribus & fit arbor.* Id eſt, dogmatibus Philoſophorũ, quæ citò creſcunt & corruunt, nil vitale promittentia. *In farina ſa.* Vt ſpiritus, anima, & corpus in vnum redacta non diſcrepent inter ſe. Vel tres animæ virtutes in vnum rediguntur, vt in ratione poſſideamus prudentiam, in ira odium vitiorum, in cupiditate deſiderium virtutum. Vel, mulier, eccleſia, fidem hominum farinæ tribus ſatis miſcet, credulitati patris & filij & ſpiritusſancti. Cúmque in vnum fuerit fermentatum, non nos ad triplicem Deum ſed vnius deitatis notitiam perducit, quia non eſt diuerſa natura in ſingulis. Satum eſt genus menſuræ iuxta morem Palæſtinorum modium & dimidium capiens. Poſſunt in ſatis tribus illi dominici ſeminis fructus intelligi, triceſimus ſcilicet ſexageſimus & centeſimus, id eſt, coniugatorum, continentium, & virginum. Vel ſata tria genera hominũ, Noe, Daniel, & Iob. *Donec fermẽtatum.* Tamdiu charitas in mente recondita creſcere debet, donec mentem totam in ſui perfectionem commutet, vt nihil præter Deum diligat vel recolat, quod hic incipitur, in alia vita perficitur. *In parabolis ad tur.* Quia quidquid ibi dicitur de exercitu Iſrael, & omnia ſigna occulta ſunt ſacramenta.

CATENA AVREA
in idem Euang.

CHryſ. Quia dominus dixerat quòd de ſemine tres partes pereunt & ſaluatur vna: & in ipſa rurſus quæ ſaluatur, multa efficitur iactura, propter zizania quæ ſuperſeminantur, ne diceret: Qui ergo erunt, & quanti fideles? conſequenter hunc timorem aufert per parabolam ſinapis, & ideo dicitur: Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod ac-*

cipiens homo &c. Hietnny. Regnum cælorum prędicatio euangelij eſt & nottua ſcripturarum, quæ ducit ad vitam: de qua dicitur ad Iudæos, Auſcreſur à vobis regnum Dei. huiuſmodi ergo regnum cælorum eſt ſimile grano ſinapis. Augu. de quæſt. euang. Granum nanque ſinapis ad feruorem fidei pertinet, vel eo quod dicatur venena expellere. ſequitur: *Quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.* Hiero. Homo qui ſeminauit in agro ſuo, à pleriſque ſaluator intelligitur, qui in animis credẽtium ſeminat. Ab aliis, ipſe homo ſeminans in agro ſuo, id eſt in corde ſuo. Quis autem eſt iſte qui ſeminauit, niſi ſenſus noſter & animus? qui ſuſciplẽs granum prædicationis, & fouens, ſementem humore fidei facit in agro ſui pectoris pullulare. ſequitur: Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. Prædicatio euangelij minima eſt omnibus diſciplinis: ad primam quidem doctrinam fidem non habet veritatis: hominem Deũ, Deum mortuum, & ſcandalum crucis prædicans: cõfer huiuſmodi doctrinam dogmatibus philoſophorum & libris eorum, & ſplendori eloquentię, compoſitionique ſermonum: & videbis quantò minus ſit cæteris ſeminibus ſemen euangelij. Chryſo. in ho. Vel minimum eſt ſemen euangelij, quia diſcipuli vniuerſis erant imbecilliores: ſed tamen quia magna erit virtus in eis, expanſa eſt eorum prædicatio vbique terrarum. Et ideo ſequitur: *Cùm autẽ creuerit, maius eſt omnibus oleribus*, id eſt, dogmatibus. Auguſt. de quæ. euang. Dogmata autem ſunt placita ſectarum, id eſt, vt placuit ſectis. Hiero. Phariſæorum enim dogmata cum creuerint, nihil mordax, nihil vitale demonſtrant, totum flaccidum marcidúmque ebullit in olera & in herbas, quæ citò areſcũt & corruunt. Prædicatio autem euangelica, quæ parua videbatur in principio: cum vel in animam credentis, vel in totum mundum ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem: ita vt volucres cæli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei ſeruitio mancipatas ſentire debemur) veniant & habitent in ramis eius. vnde ſequitur: Et fit arbor. ita vt volucres cæli veniant & habitẽt in ramis eius. Ramos puto euangelicæ arboris, qui de grano ſinapis creuerint, dogmatum eſſe diuerſitates, in quibus ſupradictarum volucrum vnaquæque requieſcit. Aſſumamus & nos pennas columbæ vt altiora volitantes poſſimus habitare in ramis huius arboris, & nidos nobis facere doctrinarum terrenáque fugientes ad cæleſtia feſtinare. Hila. Vel grano ſinapis ſeipſum dominus comparauit, acri ſemini & omnium ſeminum minimo, cuius virtus preſſuris accenditur. Grego. 19 Mora. Ipſe quidem eſt granum ſinapis qui in orto ſepulturæ plantatus arbor magna ſurrexit. Granum nanque fuit cum moreretur, arbor cum reſurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maieſtatis. Hila. Granum igitur hoc poſtquam in agro ſeminatum fuit, id eſt vbi à populo comprehenſus & traditus morti, tanquam in agro fuit ſatione quadam corporis cõſepultus, vltra menſuram omnium olerum excreuit, & vniuerſam prophetarum gloriam exceſſit. Oleri enim vitæ tanquam ægroto Iſrael data eſt prædicatio prophetarum: ſed iam in ramis arboris cæli volucres inhabitant, apoſtolos ſcilicet ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes in ramis intelligimus: in quos gentes in ſpem vitæ aduolabunt, & aurarum turbine, id eſt diaboli ſpiritu flatúque vexatæ, tanquam in ramis arboris conquieſcent. Grego. 19. Mora. In iſtis etiam ramis volucres requieſcunt: quia ſanctæ animæ quæ quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſublevant, in eorum dictis atque conſolationibus ab huiuſmodi fatigatione vitæ reſpirant. *Aliam parabolam locutus eſt eis, dicens: Simile eſt regnum cælorum fermento: quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Chryſo. Ad idem oſtendendum dominus apponit parabolam de fermento. vnde dicitur: *Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fermento*, quaſi dicat, Sicut fermentum multã farinam tranſmutat in ſuam virtutem, ita & vos totum mundum tranſmutabitis. Et vide Chriſti prudentiam: ea enim quæ ſunt naturæ inducit, demonſtrans, quoniam ſicut illa poſſibile eſt fieri, ita & hoc. Nõ autem dixit quòd poſuit ſimpliciter, ſed abſcondit: ac ſi diceret: Ita & vos cum ſubiecti fueritis impugnatoribus veſtris, tunc eos ſuperatis. Et ſicut fermentum ſuffoditur quidem, non autem deſtruitur: ſed paulatim ad ſuum habitum omnia tranſmutat, & ſic in prædicatione veſtra continget. Non itaque quia multas dixi ſuperuenturas vobis vexationes, timeatis: ita enim fulgebitis, & omnes ſuperabitis. Tria enim ſata hic pro multis poſuit, hunc enim numerum determinatum pro multitudine indeterminata accepit. Hiero. Satum autem, eſt genus menſurę iuxta morem prouinciæ Palęſtinæ, vnum modium & dimidium accipiens. Auguſt. de quæſt. euang. vel fermentum dicit dilectionem, eo quòd ferueſcere facit & excitat. Mulierem ſapientiam dicit. In farinæ autem ſatis tribus intelliguntur, vel tria illa in homine, ex toto córde, ex tota anima, & ex tota mente: vel tria illa fructifera: centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum: vel tria illa genera hominum: Noe, Daniel, & Iob. Raba. Dicit autem donec fermentatum eſt totum: quia charitas in noſtra mente recondita euſque creſcere debet, vt totam mentem in ſui perfectionem commutet: quod hîc quidem inchoatur in futuro verò perficietur. Hiero. Vel aliter: Mulier iſta, quæ fermentum accipit, & abſcondit: prædicatio mihi videtur apoſtolica, vel eccleſia de diuerſis gentibus congregata: hæc tollit fermentum, intellectum ſcilicet ſcripturarum, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus, vt ſpiritus, anima, & corpus in vnum redacta non diſcrepent inter ſe. Vel aliter, Legimus in Platone tria eſſe in anima: rationale, iraſcibile, & cõcupiſcibile: & nos ergo ſi acceperimus fermentum euangelicum ſacrarum ſcripturarum, in ratione poſſideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in deſiderio cupiditatem virtutum, & hoc totum fiet per euangelicam doctrinam, quam nobis mater eccleſia præſtitit. Dicam & quorundam intelligentiam: mulierem iſtam & ipſi eccleſiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuit, ſcilicet credulitati patris & filij & ſpiritus ſancti: cum in vnum erit fermentata, non nos ad triplicem Deum, ſed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. Pius quidem ſenſus, ſed nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia poſſunt ad authoritatem dogmatum proficere. Hilar. Vel aliter: Fermento ſe dominus comparauit: fermentum enim de farina eſt, quod virtutem acceptam aceruo ſui generis reddit: hoc autem fermentum acceptum mulier, ſynagoga ſcilicet per iudicium mortis abſcondit. Hoc autem in

farinæ

farinæ menſuris tribus id eſt legis, prophetarum, euangeliorum æqualitate coopertũ omnia vnum fecit, vt quod lex conſtituit, prophetæ nunciauerunt, idipſum euangeliorum profectibus expleatur, quanquam ad trium gentium vocationem, ex Sem, Cham, & Iaphet, tres menſuras farinæ eſſe referendas ſenſiſſe multos memini. Sed neſcio an hoc ita opinari ratio permittat, cùm etſi omnium gentium vocatio ſit, in his tamen Chriſtus non abſconſus ſit ſed oſtenſus: & in tanta infidelium multitudine non fermentatum eſt totum. *Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: &c.* Chryſo. Poſt præmiſſas parabolas ne aliquis opinaretur quod Chriſtus noua induceret, induxit euangeliſta prophetam, etiam hunc prædicentem doctrinæ modum. Et ideo dicit: *Hæc omnia &c.* Marcus autem ait: Quoniam ſicut poterant audire, loquebatur eis ſermonem in parabolis. vnde non mireris ſi de regno diſputans, grani & frumenti meminit: hominibus enim loquebatur idiotis, & indigentibus ab his induci. Rem. Parabola Græcè. Latinè dicitur ſimilitudo, per quam veritas demonſtratur. Oſtendit quippe in ipſa ſimilitudine quaſdam figuras verborum, & imagines veritatis. Hiero. Non autẽ diſcipulis, ſed turbis in parabolis loquebatur: & vſque hodie turbæ in parabolis audiunt. & ideo dicitur: *Et ſine parabolis non loquebatur eis.* Chry. Quamuis enim non multa ſine parabolis turbis dixerit, ſed tamen tunc nihil. Aug. de quæſt. euang. Vel hoc dicitur, non quia nihil propriè locutus eſt, ſed quia nullum ferè ſermonem explicauit, vbi non per parabolam aliquid ſignificauerit: quamuis in eo aliqua & propriè dixerit, ita vt ſæpe inueniatur totus ſermo eius parabolis explicatus, totus autem propriè dictus nullus inueniatur. Explicatos autem ſermones dico, quando ex aliqua occaſione rerum incipit loqui quouſque terminet quicquid ad ipſam rẽ pertinet, & tranſeat ad aliud. Nonnunquã ſanè alius euangeliſta contexit, quod alius diuerſis temporibus dictum indicat: nõ enim omnino ſecundum rerum geſtarum ordinem, ſed ſecundum ſuæ quiſque recordationis facultatem, narrationem, quam exorſus eſt, ordinauit. Quare autem in parabolis loqueretur, manifeſtat euangeliſta, cùm ſubdit: Vt adimpleretur quod &c. Hiero. Hoc teſtimonium de 77. pſalmo ſumptum eſt. Legi in nonnullis codicibus eo loco, vbi nos poſuimus, & vulgata editio habet: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem*, vbi ſcriptum eſt, *per Eſaiam prophetam dicentem.* Remi. Vnde Porphyrius obiecit fidelibus: Euangeliſta veſter tantæ inſipientiæ fuit, vt quod reperitur in pſalmis, ipſe depriauerit Eſaiæ. Hierony. Quia ergo minimè inueniebatur in Eſaia, arbitror poſtea à prudentibus viris eſſe ſublatum. Sed mihi videtur in principio ita editum: Quod ſcriptum eſt per Aſaph prophetam dicentem: Septuageſimus enim ſeptimus pſalmus, de quo ſumptum eſt hoc teſtimonium Aſaph prophetæ inſcribitur: & primum ſcriptorem non intellexiſſe Aſaph. & putaſſe ſcriptoris vitium, atque emendaſſe nomen Eſaiæ, cuius vocabulum manifeſtius erat. Sciendum eſt itaque quod nõ ſolùm Dauid, ſed etiam cæteri (quorum in pſalmis & hymnis & canticis Dei, præſcripta ſunt nomina) prophetæ ſunt appellandi, Aſaph videlicet, & Idithum, Emam Eſraites, & reliqui quos ſcriptura commemorat, quódque in perſona domini dicitur: *Aperiã in parabolis os meum, &c.* Conſiderandum attentius & inueniendum deſcribi egreſſum Iſraelis ex Ægypto: & omnia ſigna narrari, quæ in Exo. continentur hiſtoria. Ex quo intelligimus vniuerſa illa quæ ibi ſcripta ſunt, parabolicè ſentienda, & manifeſtare abſcondita ſacramenta. Hoc enim ſaluator editurum ſe eſſe promittit, dicens: *Aperiam in parabolis os meum.* Glo. quaſi dicat: Qui prius locutus ſum per prophetas, modò in propria perſona aperiam os meum in parabolis, & eructabo de theſauro meo ſecreti, emittam myſteria, quæ abſcondita erant à conſtitutione mundi.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauienſis ſuperioris Euangelij expoſitio.*

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis & reliqua. Grano ſinapis ſe dominus comparauit, acri maximè, & omnium ſeminum minimo: cuius virtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accenditur. Granum hoc igitur poſtquam in agro ſatum fuerat, id eſt, vbi à populo comprehenſus & traditus morti, tanquam in agro ſatione quadam fuit corporis conſepultus: vltra menſuram omnium olerum excreſcit, & vniuerſam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice, tanquam ægroto Iſraeli data eſt prædicatio prophetarum. Sed iam ex ramis arboris ex ſolo in ſublime prolatæ cæli volucres inhabitant. Apoſtolos ſcilicet ex Chriſti virtute protenſos & mundum inumbrantes, in ramis intelligimus: in quos gentes in ſpem vitæ aduolabant, & aurarum turbine, id eſt, diaboli ſpiritu flatúque vexatæ, tanquam in ramis arboris requieſcent. *Simile eſt regnum cælorum fermento: quod acceptum mulier abſcondit in farinæ menſuris tribus, donec fermentatum eſt totum.* Fermentum de farina eſt, quod virtutem acceptam aceruo generis ſui reddit. Huic ſe dominus comparauit. *Quod acceptum mulier*, ſynagoga ſcilicet, per iudicium mortis abſcondit: arguens legem & prophetas Euangelijs diſſolutos. Hoc autem in farinæ menſuris tribus, id eſt, legis, prophetarum, Euangeliorum, æqualitate coopertum, omnia vnum facit: vt quod lex conſtituit, prophetæ nunciauerũt, id ipſum Euangeliorum profectibus expleatur. Fiúntque omnia per Dei ſpiritum eiuſdem & virtutis & ſenſus: nihilque aliud ab alio menſuris æqualibus fermentatum diſſentiens reperietur. Quanquam ad fidei ſacramentum, id eſt, ad patris & filij & ſpiritus ſancti vnitatem, ſed & ad trium gentium vocationem, ex Sem, Cam & Iaphet, tres menſuras farinæ eſſe referendas, ſenſiſſe multos memini. Sed neſcio an hoc ita opinari ratio permittat, cum tametſi omnium gentium vocatio ſit æque, tamen in his Chriſtus non abſconſus ſit, ſed oſtenſus: & in tanta infidelium multitudine non fermentatum ſit totum. In patre autem & filio & ſpiritu ſancto, in ea admixti extrinſecus fermenti neceſſitate, in Chriſto omnia vnum ſunt.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis Epiſcopi in idem Euang. *de grano ſinapis. Sermo. 1.*

Superiore dominica parabolam domini differentes, in qua ait, cui ſimile eſt regnũ cælorum: *Eſt Ser. 2.*

& cui

& cui ſimile illud exiſtimabo? ſimile eſt grano ſinapis.&c. Multa perſtrinximus: quibus probaremus regnũ Dei grano ſinapis non immerito comparari:& inſtantiam in ſola eſſe exiſtimatione verborum non in collatione virtutum. Siquidem fides Chriſtiana quæ regnum eſt, eundem vigorem obtineat, quem ſinapis natura depromit. Nam ſicut cum ſinapis ſuccum ſumimus: vultu contriſtamur; fronte contrahimur, ad lacrhymas promouemur:& ipſam ſalubritatem corporis noſtri,cum quodam fletu auſteritatis accipimus. Illinc enim nos amaritudo exaſperat:acrimonia penetrat: ſiue calor ignei ſaporis accendit: & toto perturbati corpore, tũc magis ſani efficimur:cum amplius deploramus. Ita ergo & cum fidei Chriſtianæ mandata percipimus:contriſtamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipſam noſtram ſalutem cum quodam fletu, ac mœrore conſequimur. Inde enim ieiunia nos exaſperant: illinc peccatorum conſcientia macerat:hinc patrimonij iactura conturbat:& toto contriſtati habitu magis ſalutem conſequimur, ſi amplius defleamur:ſecundum quod ait dominus,vos plorabitis, & plangetis: ſeculum autem gaudebit. Sicut autẽ cum ſinapi caput forte curandum eſt,iubemur abraſos capillos demere:vt nudo corpori perfectius medicina perueniat: ita & cum anima per fidem curanda eſt,præcipimur ſubſtantiam à nobis ſeculi auferre, impedimenta auri, argentique deponere: vt nudæ, & ſoli animæ congruẽtius ſpiritualis medicina perueniat. Quiſquis enim rebus mundi, & diuitiis ſæculi obuolutus eſt, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod ſuccus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima; ſed quãdo in eadem dominica ſentẽtia ſcriptũ eſt, *Quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & facta eſt arbor: & volucres requieuerunt in ramis eius*: diligentius requiramus, quis iſte ſit, cui hæc cuncta conueniant. Diximus ſuperius ſanctis martyribus: qui à diuerſis attriti ſunt paſſionibus, naturam ſinapis poſſe congruere. Sed quoniam dicit ſcriptura, *Et excreuit,& facta eſt arbor: & volucres requieuerunt in ramis eius*:arbitror hoc ipſi Chriſto domino rectius comparari, qui naſcendo in hominem humiliatus, vt granum eſt; aſcendendo ad cælum,exaltatus vt arbor eſt: granum planè Chriſtus eſt, dum patitur: arbor eſt, cum reſurgit: granum inquã eſt, cum famem eſuriens ſuſtinet. Arbor eſt: cum quinque panibus ſaturat quinque millia virorum. Ibi ſterilitatem humana conditione patitur, hic ſatietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim dominum,cum cæditur,contemnitur,increpatur: arborem autem, cum cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat,peccata cõdonat. Quod autem granum ſit: ipſe dicens in Euangelio ait; Niſi granum tritici cadens in terram, mortuum fuerit: ipſum ſolum manet. Huius igitur grani hoc eſt,domini ſaluatoris, velut ſinapis acrimoniam, atq; amaritudinem Iudæi minime ſuſtinentes, cõtempſerunt ſuccum cæleſtis diſciplinæ accipere, dicentes, illuminato illo cæco; Tu ſis diſcipulus eius:nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Ipſius quoque Moyſi mandata penitus ignorantes qui præcepit illis ſpecialiter ſane amaritudinem comedendam cum paſchæ illis celebrandæ ſacramenta diſponeret,ait; Manducabitis illud cum amaritudine:paſcha enim domini eſt: Non enim ſicut illi putant,iuſſit herbarum vilium acerrimos ſuccos cum aſſis agni carnibus manducari:ſed mandatorum Chriſti vtiliter amaros ſermones præcepit cum ipſo ſacramento paſſionis dominicæ deuorari. Nonne enim amari videntur ſermones domini: cum dicit, ſi vis perfectus eſſe: relinque omnia tua,& veni ſequere me? Et cum dicit non habendas duas tunicas: neque peram, neque calciamenta:amaritudo iſta ſermonum medicina eſt animarum: vt autem ait Euangelium: *quod acceptum homo miſit in hortum ſuum*: Quem eſſe hominem hũc putamus:qui acceptum granum velut ſinapis granum in ſuo horto ſeminauit? Ergo illum eſſe arbitror, de quo euangeliſta refert; Ecce autem Ioſeph, qui erat decurio ab Arimathia acceſſit ad Pilatum, petens vt depoſitum corpus domini ſepeliret:quod acceptum tradidit ſepulturæ, quæ in horto fuerat præparata:atque ideo ait ſcriptura; *Quod acceptum homo miſit in hortum ſuum*. Ergo Ioſeph hortus floſculorum erat diuerſis odoribus plenus. Sed nec dum in eo tale germen inſeuerat. Fragrabat quidem ſpecialis animæ eius hortus varia ſuauitate virtutum: ſed nec dum Chriſtum cum aromatibus in cordis ſui ſecreto poſuerat. Ita dum ſaluatorem in hortuli ſui monumento ſepelit, magis illum in animæ ſuæ intimis collocauit. Ramos autem huius arboris requiramus. Inuenies quia ramus eſt Petrus: ramus eſt Paulus,rami ſunt omnes Apoſtoli vel martyres, ad quos ſiquis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minime ſubmergetur: quin potius ſub vmbra illorum latitans,gehennæ non patietur ardores, ſecurus à diabolicæ tempeſtatis procella.

EIVSDEM IN IDEM
de Fermento Sermo 2.

ET ipſi ſcitis,fratres,quòd ex qua die vobiſcum eſſe cœpi, non ceſſaui de omnibus vos dominicis admonere mandatis, & partim hortando: partim increpando præcepta vobis ingerere:ita vt plæriſque pius pater fuerim, nonnullis autem durus magiſter extiterim. Patrem enim me ſibi gratulatus eſt, quiſquis ſermonem meum libenter amplexus eſt:Durum autem magiſtrum ſenſit,qui conſcientiam ſuam prædicatione mea percuſſam eſſe condoluit. Sed nihil mea intereſt, dummodo ſiue pietate, ſiue cenſura Chriſtus annuncietur in vobis:quamuis & ipſa cenſura ſit pietas,quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur,vt timore diſcant,quod amore neglexerant. Non quòd omnes filios non æqualiter diligat pater:ſed quòd indulgentia patris ſit pro diuerſitate morum exhibere pietatis affectum,vt blandum filium exhortatione prouocet, contumacem verò auſteritate conueniat. De vtriuſq; tamen correctione ſecurus:quoniam hunc amore verberat:illum ſeueritate caſtigat: Sicut ait beatus Apoſtolus; Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris:poſtea verò fructum pacificum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Igitur, quoniam tot tractatibus meis profeciſſe vos credo: libet quædam vobis diuinarum diſſerere litterarum: vt intelligam, quod id, quod dixerim, fidei viuacitate capiatis. Ait dominus in ſancto euangelio; *Cui ſimile exiſtimabo regnum Dei? Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina: donec fermentatum*

Eſt Ser. 5.

Hebr. 12.

Luc. 13.

eſt to

eſt totum. Fermenti vim, atque virtutem omnibus notam eſſe, non dubium eſt. Nam, cum ſit magnitudine paruum, ſpecie ſimplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinſecus gerit: vt, cum reconditum fuerit in farina, ſuccus hoc totam maſſam faciat eſſe, quod ipſe eſt: & ita ſemper vniuerſum cumulum aſperſionis ſuæ vigore diffundit, vt omnem ipſam magnitudinem pollinis faciat fermentum: ac ſic res ipſa fortitudine ſua molem ſibi proprij vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, vt viris ſuis ſalubriorem panem, & cibum vtilem diligenter exhibeant. Sed quoniam lex ſpiritualis eſt: & Euangelium ſpecialiter parabolarum ratione ſubſiſtit, videamus quid ſit fermentum, quæ mulier, quid farina. Legimus in ſancto euan-
Ioan.12. gelio, dicente domino Chriſto de ſeipſo; Niſi granum tritici cadens in terrá, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuũ fuerit, multum fructum afferet. Ergo ſi triticeũ dominus, & dominus eſt fermentum: quia fermentum nõ niſi de tritico fieri ſolet: Recte ergo fermento dominus cõparatur, qui, cũ eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecus ſapientiæ virtute pollebat, vt doctrinã ipſius mundum ipſe vix caperet: qui cum ſe cœpit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominũ genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit: vt & iugum ſpiritus ſui ſancti infunderet omnibus: hoc eſt Chriſtianos cunctos faceret eſſe, quod Chriſtus eſt. Nam quòd homo dominus Ieſus vnus, & ſolus eſſet in mundo: tanquã fermentum in maſſa recõditum, vniuerſos homines præſtitit eſſe, quod ipſe eſt. Quiſquis igitur illi fermento Chriſti adhæſerit, efficitur & ipſe fermentum tam ſibi vtilis quàm idoneus vniuerſis, & de ſua certus ſalute & de aliorum acquiſitione ſecurus. Sicut igitur fermentum cum in cumulum conſpergendum eſt farinarum, confringitur, comminuitur, diſſipatur, & ipſum omne diſſoluitur, vt diſperſam illam farinæ multitudinem in vnum vigorem conſtringat, atque in ſolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipſa diminutione languebat: faciatq; coniunctione ſui vtilem maſſam, quod propria diſſolutione videbatur inutile. Sic ergo dominus Ieſus Chriſtus cum eſſet totius mundi fermentum, diuerſis paſſionibus cõfractus, laceratus, & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt precioſus ſanguis, effuſus eſt: vt admiatione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat. Si enim velut fermentum quoddam nos qui farina ex gentibus videbamur eſſe, adhæſimus. Nos inquam, qui per totum orbem diſperſi, & diminuti penitus iacebamus, vigore paſſionis Chriſti in ipſius cor-
Ephe.5. pus redacti ſumus: Sicut beatus Apoſtolus ait; Quoniam ſumus corpus Chriſti, & membra. Nos igitur, qui ex nationibus in pulueris modum à terræ facie iactabamur: aſperſione ſanguinis domini in maſſam ſoliditatis eius aggregamur. Mulier autem, quæ dicitur abſcondere in farina fermentum, quæ eſt niſi ſancta eccleſia, quæ quotidie doctrinam Chriſti in cordibus noſtris conatur abſcondere? Ipſa inquam eſt mulier, quæ in alio
Matth.24. loco etiam molere dicitur: ſicut ait dominus; Erũt duæ molentes, vna aſſumetur, & vna relinquetur. Molit enim ſancta eccleſia per legem, per Apoſtolos, per prophetas, cũ catechuminos facit, & aſperitatem gentilitatis diſſipat, atque comminuit, vt emolitos eos in farinæ modum aptos faciat fermento dominici ſanguinis adhærere. Fermentum enim dixerim totam domini paſſionem. Fermentum enim ſalutis noſtræ eſt ſymbolum, ſine quo fermento, vel ſymbolo nemo poteſt vitæ æternæ ſubſtantiam promereri. Et quia duas Euangelium deſcribit molentes, atq; vnam eccleſiam dicimus ſalubriter molere: alteram quam niſi ſynagogam accipere debemus? Molit enim & ipſa per Moyſen, & prophetas, ſed inutiliter molit: Sicut dicit Apoſtolus de Iudæis; Æmulationem dicit habent, Rom.10.
ſed non ſecundum ſcientiam. Inutiliter inquam molit ſynagoga: quia maſſam ſuam Chriſti doctrina non temperat. Atque ideo euitandum præcepit ſynagogæ dominus eſſe fermentum dicens; Cauete vos à fermento Phariſæorum. Tempera- Matth.16.
tum eſt enim ſanguinibus, & crudelitatibus Iudæorum dicentium de domino; Sanguis eius ſu- Matth.24.
per nos, & ſuper filios noſtros. Vnde ait Euangelium; Erunt duæ molentes: vna aſſumetur, & vna relinquetur. Aſſumetur enim in requiem æternam ſancta eccleſia, quæ domino cibum ſanctitatis emoluit. Relinquetur ad molas cruenta ſynagoga, gyrum ſemper paſſura ſuæ perfidiæ.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

ALiam parabolam propoſuit eis dicens. Sedebat dominus in naui: & turba ſtabat littore: illi procul, diſcipuli vicinius audiebant. Proponit eis & aliam parabolam, quaſi diues paterfamilias inuitatos diuerſis reficiẽs cibis, vt vnuſquiſque ſecundum naturam ſtomachi ſui varia alimenta ſuſciperet. Vnde & in priori parabola non dixit alteram, ſed aliam. Si enim præmiſiſſet alteram, expectare tertiam non poteramus: præmiſit aliam, vt plures ſequantur, *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accep. &c.* Nõ ſit moleſtum lectori ſi totas parabolas proponimus. Quæ enim obſcura ſunt, plenius differenda ſunt: ne breuitate nimia inuoluantur magis ſenſus quàm exponantur. Regnum cælorum prædicatio Euangelij eſt: & noticia ſcripturarum quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei: Infra 21 d.
& dabitur genti facienti fructus eius. Simile eſt ergo huiuſcemodi regnum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo. Homo qui ſeminauit in agro ſuo: à pleriſque ſaluator intelligitur, quod in animis credentium ſeminet. Ab aliis, ipſe homo ſeminans in agro ſuo: hoc eſt in ſemetipſo & in corde ſuo. Quis eſt iſte qui ſeminat, niſi ſenſus noſter & animus: qui ſuſcipiens granum prædicationis, & fouens ſementem humore fidei, facit in agro ſui pectoris pullulare? Prædicatio Euangelij minima eſt omnibus diſciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, mortuum, & ſcandalum crucis prędicans. Confer huiuſcemodi doctrinam dogmatibus philoſophorum & libris eorum & ſplẽdori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonum: & videbis quanto minor ſit cæteris ſeminibus ſementis Euãgelij. Sed illa cum creuerit, nihil mordax: nihil viuidum, nihil vitale demonſtrat, ſed totum flaccidum marcidúmque & mollitum ebullit in holera, & in herbas quæ cito areſcunt & corruunt. Hæc autem prædicatio quæ parua videba-

tur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo ſata fuerit: non exurgit in holera, ſed creſcit in arborem: ita vt volucres cæli: quas vel animas credentium vel fortitudines Dei ſeruitio mancipatas ſentire debemus: veniant & habitent in ramis eius. Ramos puto Euangelicæ arboris, quæ de grano ſinapis creuerit, dogmatum eſſe diuerſitates: in quibus ſupradictarum volucrũ vnaquæque requieſcit. Aſſumamus & nos pennas columbæ: vt volitantes ad altiora, poſſimus habitare in ramis huius arboris, & nidulos nobis facere doctrinarum: terrenáque fugientes ad cæleſtia feſtinare. Multi legentes granum ſinapis minimum omnibus ſeminibus, & illud quod in Euangelio à diſcipulis dicitur: domine adauge nobis fidem: &
Luca 17. reſpondetur eis à ſaluatore: Amen dico vobis: ſi habueritis fidem quaſi granum ſinapis, & dixeritis monti huic, migra de loco iſto, migrabit: putãt apoſtolos vel paruam fidem petere, vel dominum de parua fide dubitare, cum apoſtolus Paulus fidem grano ſinapis comparatam maximam iudi-
1.Cor.13.a cet. Quid enim dicit? Si habuero tantam fidem: ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ergo quod dominus dixit fide fieri quæ grano ſinapis comparatur: hoc Apoſtolus docet tota fide poſſe fieri. *Aliam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum, &c.* Diuerſus eſt hominum ſtomachus: alij amaris: alij dulcibus: alij auſterioribus: alij lenibus delectantur cibis. Proponit itaque dominus vt iam ſupra diximus, diuerſas parabolas: vt iuxta vulnerum varietates & medicina diuerſa ſit. Mulier iſta quæ fermentum accepit, & abſcõdit illud in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum: vel prædicatio mihi videtur apoſtolica: vel eccleſia quæ de diuerſis gentibus congregata eſt. Hæc tollit fermentum, notitiam ſcilicet & intelligentiam ſcripturarum, & abſcondit illud in farinæ ſatis tribus: vt ſpiritus, anima, & corpus in vnum redacta, non diſcrepent inter ſe: ſed cum duobus & tribus conuenerint, impetrẽt à patre quodcunque poſtulauerint. Differtur locus iſte & alter. Legimus in Platone: & philoſophorum dogma vulgatum eſt: tres eſſe in humana anima paſſiones; τὸ λογικὸν quod nos poſſumus interpretari rationabile, τὸ θυμικὸν, quod dicimus plenũ iræ vel iraſcibile, τὸ ἐπιθυμητικὸν, quod appellamus concupiſcibile: & putat ille philoſophus rationabile noſtrum in cerebro: iram in felle: deſiderium in iecore commorari. Et nos ergo ſi acceperimus fermentum Euangelicũ ſanctarum ſcripturarum: de quo ſupra dictum eſt, tres humanæ animæ paſſiones in vnum redigentur: vt in ratione poſſideamus prudentiam: in ira odium contra vitia: in deſiderio, cupiditatem virtutum, & hoc totum fiet per doctrinam euangelicam quam nobis mater eccleſia præſtiterit. Dicam & tertiá quorundam intelligentiam, vt curioſus lector è pluribus quod placuerit eligat: Mulierem iſtam & ipſi eccleſiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuerit: credulitati patris & filij & ſpiritus ſancti. Cúmque in vnum fuerit fermentata: non nos ad triplicem Deum ſed ad vnius diuinitatis perducit notitiam, farinæ quoque ſata tria, dum non eſt in ſingulis diuerſa natura, ad vnitatem trahunt ſubſtantiæ. Pius quidem ſenſus, ſed nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia, poteſt ad authoritatem dogmatum proficere. Satum autem genus eſt menſuræ iuxta morem prouinciæ Palæſtinæ, vnum & dimidium modium capiens. Dicũtur & alia de hac parabola: ſed non eſt præſentis materiæ totum de omnibus dicere. *Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis.* Non diſcipulis, ſed turbis per parabolas loquitur, & vſque hodie turbæ in parabolis audiunt: diſcipuli domi interrogant ſaluatorem. *Vt impleretur quod dictum eſt per prophetam, &c.* Hoc teſtimonium de ſeptuageſimo ſeptimo pſalmo ſumptum eſt; legi in non nullis codicibus, & ſtudioſus lector forte reperiet idipſum: in eo loco, vbi nos poſuimus, & vulgata habet æditio, vt impleretur, quod dictum eſt per prophetam dicentem, ibi ſcriptum eſſe, per Eſaiam prophetam dicentem. Quod quia minime inueniebatur in Eſaia, arbitror poſtea à prudentibus viris eſſe ſublatum. Sed mihi videtur in principio ita æditum, quod ſcriptum eſt per Aſaph prophetam dicentem. Septuageſimus enim ſeptimus pſalmus, de quo hoc ſumptum eſt teſtimonium, Aſaph prophetæ titulo inſcribitur: Et primum ſcriptorem nó intellexiſſe Aſaph, & putaſſe ſcriptoris vitium, atque emendaſſe nomen Eſaiæ: cuius vocabulum manifeſtius erat. Sciendum eſt itaque, quod in pſalmis, & hymnis, & canticis Dei, non ſolum Dauid, ſed & cæteri, quorum præſcripta ſunt nomina, prophetæ ſint appellandi. Aſaph videlicet & Iditum & Hæmam Ezraites, & Æthã, & filij Chore, & reliqui quos ſcriptura cõmemorat. Quodque ex perſona domini dicitur: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi: conſiderandum attentius, & inueniendum, deſcribi egreſſum Iſraelis ex Ægypto & omnia ſigna narrari quæ in Exodi continentur hiſtoria. Ex quo intelligimus vniuerſa illa, quæ ſcripta ſunt parabolice ſentienda: nec manifeſtam tantum ſonare literam, ſed abſcondita ſacramenta, hoc enim ſe ſaluator dicturum eſſe promittit: Aperiens os ſuum in parabolis, & eructans abſcondita à conſtitutione mundi.

S. IO. CHRYSOSTOMI

Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homi. 1.

A*Liam parabolam poſuit eis, dicẽs: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.* Nam, quoniam dictum Ex Homil. in Matth.
eſt, tres partes ſeminis amitti, ac vnam ſolummodo conſeruari, ipſi quoque conſeruatæ portioni tot, tantaque præterea imminere pericula, ne occaſionem interrogandi habeant, quot, & qui fideles erant, vltrò ipſorum ſolicitudinem tollit, per ipſius grani ſinapis parabolam ad ſynceram fidem conducens. Hac quippe imagine prædicit prædicationem per vniuerſum orbem omnino coruſcaturam, idcirco huius oleris ſimilitudinem propoſuit, quia his rebus apprime accommodetur. *Cæteris enim ſeminibus minus eſt, &c.* Quod etiam in prædicatione futurum dicit. Imbeciliores cæteris omnibus, atque minores erant apoſtoli; verùm, quia in ipſis magna erat virtus, fama eorum vbique terrarum claruit. Deinde fermenti ponit imaginem; *Simile eſt regnum cælorum fermento, &c.* Nam, ſicut fermentum magnam farinæ copiam in vires ſuas, quamuis modicum ſit, conuertit: ſic quoque vos vniuerſum terrarum orbem conuertetis. Prudentiſſimè autem ex natura rerum imagines condu-

xit,

xit, vt oſtendat, quod, ſicut illa, natura duce, impoſſibile eſt non fieri, pariter hæc quoque, naturæ domino conducente, neceſſario fient. Non igitur opponetis; Et quid poterimus ad tantam duodecim homines multitudinem? Id enim ipſum maximè virtutis veſtræ ſplendorem oſtenderet, quod multitudini orbis immixti non confundemini. Nam & fermentum cùm farinæ appropinquauerit, non ſolùm appoſitum, ſed immixtum penitus totam maſſam fermentat: propterea non dixit, apposuit: ſed, *abſcondit*. Sic igitur & vos, quum vniti, atque commixti impugnatoribus fueritis, tunc trophæa conſequemini: & quemadmodum fermentum in farina ſubmerſum non deperditur, ſed in naturam ſuam farinam tranſmutat: pariter in prædicatione hac Euangelij fiet. Nolite igitur timere, ſi magna pericula futura prædixi: non enim extinguetur fulgor veſter, ſed omnia ſuperabit. Tria verò pro multis hic poſuit. Conſueuit enim hoc numero pro multitudine abuti ſcriptura. Nec mireris, ſi de regno cælorum diſſerens, ſinapis, & fermenti fecit mentionem: homines enim alloquebatur quaſi agreſtes, atque imperitos, qui maximè his rebus commoueri ſolent, quique ſic erãt agreſtes, vt harum rerum etiam ſæpius interpretationem requirerent. Vbi nunc gentilium alumni ſunt? Intelligant ſaltem nunc à rerum ipſarum euentu, quàm ineffabilis ſit Chriſti virtus, & veraque ratione ipſum adorandum credant: vel quia incredibilem futuram rem prędixit, vel quia, quod prædixit, non aliter, quàm prędixerat, adimpleuit. Ipſe nanque eſt, qui tantam fermento virtutem impoſuit, & multitudini hominum ita credentes immiſcuit, vt infideles fidei credentium adhærerent. Nemo ergo paucitatem veſtram, inquit, deploret: magna enim eſt prædicationis virtus. Et, quod ſemel fermentatum eſt, fermentum rurſus ad reliqua efficitur. Et quemadmodum fauilla, quum in arida ligna inciderit, in flammam ipſa conuertit, quæ vi ſua deinde vel viridia ligna facilè incendit: eodem quoque modo prædicatio. Sed curnam non dixit ignis, ſed fermentum? Quoniam non ignis virtute totum fit, ſed lignorum quoque ariditate: fermẽtum verò per ſeipſum omnia conficit. Si autem duodecim homines totam penè farinam orbis fermentarunt, diligenter animo verſa, quæſo, quanta ſit noſtra malignitas, atque ignauia, qui, quum iam innumeri ſimus, has gentium reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus. Sed Apoſtolos illos fuiſſe, inquies. Quid ad rem? Nónne tecũ eiuſdem naturæ fuerunt? Nónne cum hominibus etiã ipſi conuerſabantur, artes profeſſi eiſdem rebus nutriti? An forſan credis illos angelos natura, aut de cælo lapſos fuiſſe? Non, inquies, ſed ſignis illi rutilabant. Non propter ſigna certè illus clarerunt. Vſquequo negligentia ita ignauiam noſtram miraculorum fulgore, quæ tunc coruſcarunt, quaſi velamine quodam obducimus? Multi eiicientes dæmones punientur. Quid igitur, inquies, fuit, quod præcipuè illos magnos effecit. Certè verus, ac non ſimulatus gloriæ, atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſecularium harũ rerum omnino curã habebant. Nam, niſi hoc habuiſſent, ſi paſſionibus, veluti nos, ſeruiſſent, etiam ſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, nõ ſolùm nihil vtilitatis feciſſent, verumetiam ſeductorum, atque deceptorum nomẽ non effugiſſent. Viuendi ergo diſciplina eſt, quæ vbique fulget, quę ſpiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim ſignum Ioannes fecit, qui tot, tantáſque ciuitates erudiuit? Nam nihil miraculoſe ipſum egiſſe teſtatur Euangeliſta, dicens; Ioannes quidem nullum ſignum fecit. Vnde autem Helias mirabilis factus? nónne, *Ioan. 10.* quia regem liberè alloquebatur? Nónne, quia nihil *3. Reg. 18.* poſſidebat, clarius quam per ſigna quoque perfecit? Iob autem illum, quibus ſignis diabolus ad- *Iob. 1. & 2.* miratus eſt? Certè ſigno quidem nullo, vitæ autem mirabili diſciplina, & robore animi excelſo, atque inuicto. Quæ ſigna Dauid adhuc adoleſcens effecit, vt Deus diceret; Inueni Dauid filium Ieſſe, vi- *Act. 13.* rum ſecundum cor meum. Abraham porrò, Iſaac, & Iacob quos mortuos ſuſcitarunt? quem leproſum mundarunt? An ignoras, quia miracula, niſi iugiter vigilemus, plerunque nocent? Multi enim *1. Cor. 1. & 3.* è Corinthiis alter ab altero ſciſſi miraculis fuerũt, multi Romanorum reſilierunt. Simon quoque Magus hac ratione fuit eiectus: qua etiam ille, qui *Act. 8.* ſequi Chriſtum deſiderauit, quaſi reprobus audiuit, foueas eſſe vulpeculis. Nam horum omnium alius pecuniam, alius gloriam à ſignis accumulare cupiens, eiiciebantur, & deperibant: cura verò re- *Luca 9.* ctè viuendi, & ſyncerus virtutis amor, non modo tales cupiditates non parit, ſed natas etiam radicitus euellit. Ipſe autem dominus quando leges diſcipulis ferebat, quid eis præcipiebat? non certè, vt ſigna facerent, vt videntes homines glorificarent *Ioan. 10.* patrem. Sed quid porrò? Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Petro quoque non dixit; ſi me amas, ſigna fac: ſed; paſce oues meas. Cúmque ipſum cæteris præponeret, cum Iacobo ſimul, atque Ioanne propter ſigna forſan præponebat. Ab omnibus certè pariter leproſi mundabantur, mortui ſuſcitabantur: omnibus enim æqualiter poteſtas fuit conceſſa. Vnde igitur tres illi anteponantur? Non profectò præterquam à virtute, ac magnitudine animi. Vides, quia bene viuendi norma, & rectis operibus opus eſt. A fructu nanque ipſorum cognoſcetis eos, in- *Matth. 7.* quit. Vitam autem noſtram quid eſt, quod maximè commendat? Putáſne, quia ſignorum oſtentatio, an viuendi exquiſita diſciplina? Illud videlicet vltimum, à quo etiam ſigna originem trahunt, & ad quod tandem deuenire ſolent. Nam & qui rectè vixit, ſignorum gratiam impetrauit: & qui gratiam impetrauit, ideo ſuſcepit, vt aliorum vitam facilè poſſit emendare. Nam & Chriſtus propterea miracula fecit, vt, cum fide dignus videretur, ad ſe homines attraheret, & virtuoſè viuere perſuaderet. Quocirca magnam curam, magnúmque ſibi ſtudium virtutis fuiſſe videmus. Non enim ſignis vtitur ſolùm, verumetiam gehennæ atrocitatem intentat, regnum cælorum pollicetur. mirabilia præcepta, ac leges poſuit, cæteráque omnia pertractauit, vt in angelorum beatitudinem homines adduceret. Cur dixi à Chriſto omnia virtutis gratia facta fuiſſe? cum tu, ſi quis optionem tibi daret, vtrum ſuſcitare in nomine Chriſti mortuum velles, an propter nomen ipſius mortẽ oppetere, hoc vltimum proculdubio eligeres. Alterũ enim ſignum eſt, alterum opus. Siquis autem, vt alterutrum optares, tibi poteſtatem daret, lapides in aurum vertere, aut auri cupiditatem nullam habere, nónne hoc ſecundum capeſſeres? neque id immerito: hac enim re homines maximè alliciuntur. Nã,

Atqui apoſtoli prærogatiuã quandã, ac primitias gratiæ ſortiti ſunt.

ſi alias res in aurum verteres, augeretur certè pecuniæ cupiditas, cunctis optantibus talem virtutem poſſidere, atque inuidentibus: ſin verò aduerterint te, quaſi fœnum contemnere aurum, hoc exemplo commoti morbo huic meritò mederentur. Vides, quia vita recta magis cæteris omnibus iuuat: Rectam autem vitam appello, non ieiunandi laborem, nec cilicij, ac cineris lectulum, ſed, ſi pecuniam non aliter quàm oporteat, deſpicias, ſi charitate ardeas, fameſcentes pane tuo nutrias, ſi ſuperior ira ſis, ſi gloriam inanem non cōcupiſcas,
Matth.11. ſi inuidia non detinearis. Hæc enim ipſius documenta ſunt. Non enim dicit ieiunium ſuum eſſe imitandum, quamuis quadraginta illos dies poſſet
Matth.10. proponere: ſed, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Imò verò contra; Omne, quod apponitur vobis, comedite, inquit. De pecuniis autem quàm exactiſſimè mandauit, dicens; Non poſſideatis aurum, neque argentum, nec æs in zonis veſtris. Hęc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis ſoleo efferre laudibus, ſed quia doleo, ſi, cæteris neglectis, ſatis ad ſalutem vobis ieiunium exiſtimetis, quod in choro virtutum vltimum certè ſortitur locum, præcipuæ nanque virtutes ſunt charitas, humilitas, miſericordia, quę vel virginitatem ſuperant. Quare, ſi volueris apoſtolorum virtutes aſſequi, nihil te prohibebit. Sola enim voluntas, ac feruētiſſimus virtutum amor tibi ſufficiet: nullum igitur expectatio ſignorum retardet. Multò enim magis dæmon dolet, ſi peccato ſuperiorem animam perſpexit, quàm ſi ab homine fuerit eiectus, maxima enim eius virtus eſt peccati amplificatio, quam vt extinguat Chriſtus, in patibulo pependit. Peccatum enim mortem induxit, peccata, quæ ſuperiora fuerant, ad inferos depreſſa ſunt. Id igitur ſi deſtruxeris, neruos diaboli omnes inciſiſti, caput eius cōtriuiſti, vires reſoluiſti, ac vniuerſum eius exercitum fudiſti, atque fugaſti: ſignum omnibus miraculis
1.Cor.12. maius effeciſti, Nec à me id, ſed à beato Paulo dictum putes; qui, quum dixerit; Zelamini gratias ſpiritales, & viam ſupra modum vobis oſtendo, non dixit ſigna, ſed charitatem, quæ omnium bonorum radix, & fundamentum eſt. Hanc igitur ſi retinebimus, & omnem, quæ ab hac oritur philoſophia, non erit nobis opus ſignis, ſin verò negligemus, nihil nobis proderunt ſigna. Hæc igitur ſcientes, illa faciamus, quibus apoſtoli præfulſerunt. Vnde igitur illi tales facti ſunt? Petrum audi, rogo, Ecce dereliquimus omnia, inquit, & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis? audi & Chriſtum reſpondentem; Super duodecim ſedes ſedebitis, & alibi, Quicunque reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, centuplum accipiet,
Matt.1. & vitam æternam poſſidebit. Quas ob res, omnibus ſeculi negociis poſtpoſitis, Chriſto noſipſos tradamus. Et ex ſententia ipſius ad apoſtolorum æqualitatem aſcendemus, & vita æterna perfruemur, gratiâ, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

EIVSDEM DE EISDEM
Sermo 5.

Ex Hom.48. in Matth. Marc.4. HAe omnia Ieſus in parabolis loquutus eſt ad turbas, &c.* Marcus autem aſſerit, non aliter ipſum in parabolis fuiſſe locutum, quàm ferre poterāt. Sed ne quid in noua re præter veteris ſcripturę documenta dicere videretur, Prophetam introduxit, huius prędicationis modum magnis antea temporibus præcinentem. Deinde oſtendens ea mente Chriſtum ita prædicaſſe, non vt ignorarent, ſed vt ad ſciſcitandū incitarentur, ſubiunxit; *Et abſque parabola nihil loquebatur eis.* Dixit quippe multa etiam abſq; parabola, ſed non illo tempore, nec vllus ab eo quicquam ſciſcitatus eſt. Et prophetas quidem ſæpius interrogabant, vt Ezechielem, alióſque complures: à Chriſto autem nihil prorſus de his parabolis quæſierunt. Nam, quamuis, quæ dicta erant, ſufficerent ad incendendum eorum animum ad quæſtionē, maximè quia ſupplicia plerunque comminari parabolis videbatur, nullo tamen pacto illi commoti fuerunt. Quocirca reliquit ipſos, atque abiit.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

A*Liam parabolam propoſuit illis dicens: ſimile eſt regnum cælorum grano ſinapis, &c.* Granum ſinapis, prædicatio eſt Euangelij & notitia ſcripturarum, quæ ducit ad vitam. Qui ſeminat, ſenſus noſter & animus eſt, qui ſuſcipiens granum prædicationis, & humore fidei fouens facit in agro pullulare pectoris ſui. Quæ minima eſt omnibus diſciplinis, quia ad primam doctrinam fidem non habet, quando Deum qui eſt auctor vitæ mortuum, & ſcādalum prædicat crucis. Hæc philoſophorum dogmatibus multo minor eſſe videtur comparatio, ſed quia eorum documēta in modum olerum emollita, citò creſcunt & corruunt. Hæc minima cùm in anima credentis, vel in toto mundo fuerit prædicata, non in olera, ſed in arborem creſcit, ita vt in ramis eius, id eſt dogmatum diuerſitatibus animæ requieſcant. Poteſt in grano ſinapis Dominicæ incarnationis humilitas deſignari, quod acceptū homo Ioſeph repoſuit in horto, creuit verò in arborem, quia ſurgens aſcendit in cælum. Ramos expandit, id eſt prædicatores, in quibus quiq; fideles ab huius vitæ fatigatione requieſcerent, ſpargit. *Simile eſt regnum cælorum fermento, &c.* Hæc mulier eſt ſupradicta Apoſtolica prædicatio, ſiue eccleſia ex diuerſis gentibus congregata: hæc tulit fermentum, id eſt notitiam ſcripturarū, & abſcondit in farinę ſatis tribus: vt ſpiritus, & anima & corpus non diſcrepent inter ſe, ſed conſentientes in vnum, quodcunque à patre poſtulauerint, impetrent. Siue mulier Eccleſia in propagines filiorum Noë, per fermentum fidei non ad triplicem, ſed ad Deitatis vnitatem perducit, & ſecūdum Platonem tres paſſiones humanæ animæ per fermētum adunamus, quando ex rationabili quod in cerebro putauit, prudentiam poſſidemus. In iraſcibili contra vitia, quod in felle putabat, rigorem tenemus: in concupiſcibili, quod in iecore æſtimabat, deſiderū virtutum [illegible]mimus. Satū genus eſt menſuræ apud Palæſtinos, habens vnum & dimidium modium. *Hæc omnia in parabolis loquutus eſt Ieſus, &c.* Nam infidelibus turbis hucuſque in parabolis loquitur. Diſcipuli, id eſt, credentes domi interrogant, vt ſecreta myſteria ſciant. *Aperiā in parabolis os meum, &c.* Hoc teſtimonium de ſeptuageſimo Pſalmo ſumptum eſt, & ex perſona domini dicitur. Quia non eſt inuentus neque in cælo neque in terra, neque

ſubtus terram, qui dignus ſit aperire librum, & ſoluere ſignacula eius.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem Euang. expoſitio.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. In præſenti eccleſia vnuſquiſque fidelis accipiat verbum euangelij: & recondat in agro ſuo. Hoc eſt in pectore & in corde ſuo. *Quod minimum eſt omnibus ſeminibus. Cum autem creuerit, maior eſt omnibus oleribus:* Sicut eſt doctrina euangelij: in facie minima apparet, & in auditione, ſed in virtute flagrantior atque excellentior cunctis doctrinis. Iudæis ſcandalum, & ſtultitia, viſum fuit Deum mortuum fuiſſe pro ſeruis ſuis: & reſurrexiſſe tertia die. Sed tamen nulla doctrina philoſophorum ſic impleuit mundum ſicut iſta, nec in vlla doctrina præmiũ fuit vitæ æternæ, niſi in hac, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Volucres prædicatores ſeculi. Rami huius exempla ſcripturarum, per quę animæ fideles ad cæleſtia volare, & neglectis temporalium cupiditatibus rerum, ſurſum habere cor conſueuerunt. *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus.* Fermẽtum à feruendo dicitur, id eſt calefaciendo, & fit de fece vini, aut ceruiſiæ. Satum genus menſuræ eſt, habens modium vnum, & dimidium. In ſatis tribus modia quatuor, & dimidiũ: & dictum apud Hebræos quod qui metitur eandem menſuram leuet. Primam parabolam de ſe & auditoribus ſuis dicit: aliam de his, quæ diabolus immiſcuit poſt domini ſemen. Inde laudauit ipſum ſemen ſuũ quòd ſimile eſſet ſinapi: modo dicit quod omnes eccleſiaſtici facere debeant de verbo euangelij: per mulierem volens intelligi eccleſiam, in qua vnuſquiſque qui de ea eſt debet abſcondere in fide ſanctæ trinitatis, donec omnia, quæ facit, in nomine ſanctæ trinitatis faciat. Vel alio modo. Tres paſſiones ſunt in nobis, ira, cupiditas, ratio: inter iſtas paſſiones mittamus verbum euangelij: & omnes illas paſſiones ex verbo euangelij condamus vt non iraſcamur, nõ concupiſcamus, ſicut in euangelio præcepit: & rationẽ noſtram de euangelio componamus. *Hæc omnia in parabolis locutus eſt Ieſus ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis.* Qui non vult eſſe diſcipulus, audit verba in turba, & in parabolis. Qui eſt diſcipulus dignus Chriſti, meretur audire expoſitiones parabolarum, quia dat illi Deus ſenſum, vt intelligat ſcripturas. *Vt impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum.* Per Prophetam quippe Dauid in ſeptuageſimo pſalmo: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Non omnia: ſed aliqua, per ſpeciem, quæ appellatur Synecdoche, à toto pars intelligenda.

THEOPHYL. EPISCOpi Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.

Simile eſt regnũ cælorum grano ſinapis, &c. Granum ſinapis, prædicatio eſt, & apoſtoli. pauci enim videntur hi, & totum orbem occupauerunt, atque ita vt volatilia cæli, hoc eſt, qui leuem, & alatam ad cæleſtia mentem habent, in eis quieſcant. Et tu quoque eſto granum ſinapis, quod paruum quidem videatur. Non enim oportet virtute ſpectabilem ſe præbere, feruidũ autem, & prouocatiuum, & auſterè reprehendentem. Sic enim eris maximus inter holera, id eſt, perfectus inter infirmos, ita vt & volatilia cęli, hoc eſt angeli, habitent in te, angelicam ducente vitam. Gaudent enim illi in iuſtis. *Simile factum eſt regnum cælorum fermento, &c.* Fermentum dicit apoſtolos, ſicut & granum ſinapis. Sicut enim fermentum, quum paruum ſit, totam farinam in ſe transfert, ſic & vos totum mundum transformabitis, tametſi pauci ſitis. Satum autem erat menſura Hebræorum, ſicut apud nos eſt modius, vel decalitra. Aliqui autem per fermẽtum intelligunt prædicationem: per tria ſata tres animæ vires, rationalem, concupiſcibilem, & iraſcibilem: per mulierem vero, animam prædicationem in omnibus ſuis viribus recondentem, commiſcentem, fermentantem, & ſanctificantem per illam totum. Oportet enim nos omnino fermentari, & transformari in diuina. Dicit enim, *donec fermentaretur totum. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Adducit prophetam prædicantem quomodo docturus erat Ieſus, & in parabolis, ne tu putes Chriſtum inueniſſe nouum quendam docendi modum. Particula autem, *Vt*, non eſt cauſæ, ſed euentus ſignificatiua. Non enim docuit Ieſus vt impleatur prophetia: ſed, quia ipſe docuit, impleta eſt prophetia. Abſque autem parabola non loquebatur eis, tunc ſolum: non enim ſemper in parabolis loquebatur. Eructauit autem dominus, quæ abſcondita erant à conſtitutione mundi. Ipſe enim manifeſtauit nobis myſteria, quæ in cælis ſunt.

INCERTI CVIVSDAM ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.

Simile eſt regnum, &c. Talis enim à principio fuit eccleſia, quæ nunc regnum cælorum à principio appellatur, ad comparationem aliorum regnorum, quale eſt granum ſinapis ad ſimilitudinem aliorum granorum. Minimum eſt enim cunctis ſeminibus, quæ frequenti vſu ſeminari ſolent ab hominibus. Creſcens autem fit cæteris oleribus maius, quod ipſo viſu probari poteſt. Similiter autem & eccleſia ab vno vel à paucis incipiens, in infinitam creuit multitudinem. Vnde & per Pſalmiſtam dominus ait, Annũtiaui, & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Itémque, Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. *Aliam parabolam loquutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Hæc autem parabola eadem eſt, quæ ſuperior. Sicut enim minimũ granum ſinapis in arborẽ creſcit: ita & modicum fermenti magnam farinæ maſſam viuificat & creſcere facit. Fermentum enim hoc in loco non corruptionem, ſed viuificationem operatur. Regnum verò cælorum, eccleſia eſt: mulier autem Dei ſapientia: tria verò ſata farinæ, tres mundi partes, Aſia ſcilicet, Africa, & Europa. Mulier igitur, id eſt Dei ſapientia accepit fermentũ, id eſt primitiuam eccleſiam, & abſcondit in farinæ ſatis tribus, dicẽs

diſcipulis ſuis, Ite in vniuerſum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ. Ex his enim totum pene mundum iam fermentatum & viuificatum, in eccleſiæ corpus creuiſſe videmus. Hæc omnia loquutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, &c.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, † quod acceptum homo, &c. Regnum cælorum nunc dicit ſermonem fidei, tanquam regni cælorum arrhabonem. Comparat autem illum grano ſinapis: quia breuis, & paucis incluſus ſeminabatur, eo quòd non poſſent diſcipuli in principio maiora

Ieſa.10. ferre. Hinc eſt, quod & propheta ſermonem ab-

Rom.9. breuiatum olim illum appellauit. Verũ poſtquam ab agricola cultus diuini ſpiritus irrigationibus creuerit, omnem alium excedit ſermonem, ac omnibus excellſior apparet. Per hanc vero parabolam prædicationis augmentum prænunciat. De homine autem, qui ſeminauit, & de agro, in præcedenti parabola diſſeruimus. Dicitur autem mũdus ager, ob hanc etiam cauſam, quia ſeminatur, ac colitur in eo rationale frumentum.

† † *Grano ſinapis prædicationem comparauit, & ob paruam apparentiam, & ob vilitatem dictionis, ſeu phraſis: quæ in tantum creuit, vt attica, ac mirabilis, ad ratiocinandum Græcorum philoſophia, occultata ſit magnitudine euangelij, quod ruſticitatem præ ſe ferebat.*

Quod minimum eſt omnium ſeminum: vbi autem creuerit, maximum eſt inter omnia holera. Minimum quidem eſt quantitate, ſed maximum qualitate, ſiue virtute: ideo quoque in magnitudinem excreſcit. Ad huius ſeminis ſimilitudinem & diſcipuli, cum paruus grex eſſent, in magnum excreuerunt. *Et fit arbor ita vt veniant volucres cæli, &c.* Hæc dixit ad demonſtrationem magnitudinis, ac firmitatis eius. Quidam vero ramos ſermonis fidei, dixerunt homines credentes, in quibus aues cæli, ſiue angeli nidificant, ſeruantes eos. Alij autem dicunt ramos eſſe virtutes, quas germinare ſolet fidei ſermo: aues vero eos, qui terrena ſupergrediuntur, atque ala mentis eleuantur ad cognitionis altitudinem. *Simile eſt regnum cælorum fermento.* Per ſinapis parabolam, fidei crementum prius demõſtrauit, quod fit additione eorum, qui quotidie credunt: per parabolam vero fermenti vim eius prodit. Regnum enim cœlorum rurſum pro fidei ſermone ſumendum eſt. *In farinæ ſatis tribus.* Satum (quod etiam Græci σάτον dicunt) genus erat menſuræ apud Hebræos. Tria vero nunc dixit multa: nam ſæpius per numerum trium, multa ſignificare ſolent. Et mulier intelligitur ſapientia, ſiue ipſe Chriſtus, eo quòd fertilis ſit, ac nutriat. Fideles ſiquidem per baptiſmum generat, eóſque cibo dogmatum fidei enutrit. Fermento autem comparatur ſermo fidei. Sicut enim fermentum, quum ſit modicum, in multa tamen farina abſconditum, per conſperſionem totam farinam in vnum ſimul corpus vnit, & in alteram ſpeciem ab ea, quam prius habebat, transmutat: quúmque farina res ſit mortua, eam quodammodo viuificat, ac vim habens actiuam, ſurſum aſcendere facit. Ita quoque fidei ſermo, quum, vt dictum eſt, quantitate ſit modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnit eccleſiæ corpus, ac in alteram conuerſationis ſpeciem transmutat: quumque mortui ſint ad opera virtutis, viuificat ad eius operationem: & ſurſum aſcendere facit ad cęlum, omniáque efficit ſua ineffabili potentia. *Donec fermentetur totum.* Neque enim in hominum animabus occultatũ quieſcet, donec omnes in vnum vnierit, quos ſapientia illa præfiniuit, quę omnium mentes pręcognouit. Nam tria ſata quanquam ſignificatione multitudinem demõſtrent, attamen numero tandem definita ſunt. Magna ergo eſt prędicationis virtus: quódque ſemel fermentatum eſt, rurſum reliquæ parti fermentum fiet. Quidam autem farinam dicunt homines, ſata vero tria, ſiue tres mẽſuras, Iudæos, Samaritanos, & Græcos.

Hæc omnia loquutus eſt Ieſus turbis in parabolis, † nec †
ſine parabolis loquebatur eis, &c. Sine parabola non loquebatur eis, tempore illo videlicet: multa enim ſæpius illis loquutus eſt ſine parabolis: tunc autẽ per parabolas loquebatur eis, vt cõpleretur, quod

dictum fuerat per Dauid. At tranſlatio ſeptuagin- *Pſal.77.*

ta interpretũ habet φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς, loquar problemata, ſiue propoſitiones obſcuras ab initio. Qui vero præſens euangelium in Græcã tranſtulit linguam, dixit ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, eructabo abſcondita à conſtitutione ſeculi, Hebraicis hærens dictionibus, quæ & hæc, & illa ſignificant. Sicut Eructo ſignificat etiã loquor: & illi προβλήματα dixerunt αἰνίγματα, ſicut & Aquila teſtatus eſt. Ænigmata vero ſunt etiam euangelicæ parabolæ. Quemadmodum enim ænigmata abſconditam habent veritatẽ, ita ſane & illę. Quod autem dicitur; *A conſtitutione ſeculi*, idem ſignificat

quod; Ab initio mundi. Marcus vero dixerat; Et *Mar.4.*

huiuſmodi parabolis multis loquebatur eis ſermonem, prout poterant audire, hoc eſt, quatenus digni erant ad audiendum Scribę, & Phariſæi. Nã, quia non ad ſumendam vtilitatem audiebant, ſed ad ſtruendam ſermonibus eius calumniam: in parabolis loquutus eſt eis: vt & ipſe ſuum opus adimpleret, & illi non intelligentes, quæ diceret, per illa nihil proficerent.

† *Hæc dictio parabola ſignificat quandoque narratio-* †

nem, vt quum dicitur; Poſuit nos in parabolam in Gen- *Pſal.43.*

tibus. Interdum autem ænigmaticum ſermonem, vt eſt il- *Prouer.1.*

lud; intelligere parabolam, & obſcurum ſermonem. Significat præterea ſimilitudinem, veluti ſunt hæ, quæ hic pro-

ponuntur. Ad hæc deſignat tropologiam, vt eſt illud; Fili *Ezech.17.*

hominis, dic illis parabolam hanc; Aquila magna magnarum alarum, vocans aquilam regnum Aſſyriorum. Inſu- *Hebr.11.*

per ſignificat figuram, vt quando dicit Paulus de Abraham, quòd obtulit filium, qui iuxta promiſſiones ſuſceptus erat, Vnde in parabolam, inquit, recepit eum.

DOMINIC

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

MATTH. 20.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, Simile
[a] Præſens eccleſia. ¶ Vita iuſtorum. [b] Paterfamilias conditor, qui poſſidet electos in mundo, vt dominus ſubditos in domo.
eſt [a] regnum cælorum homini [b] patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem fa-
[c] Prima hora ab Adam vſque ad Noe.
cta cum operariis ex denario diurno, [c] miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus
[d] A Noe vſque ad Abraham. [e] Quaſi venales, ſi quis digne emere vellet: à bono tamen opere ceſſantes.
circa horam [d] tertiam, vidit alios ſtante in [e] foro ocioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Ite-
[f] Ab Abraham vſque ad Moyſen. [g] A Moyſe vſque ad aduentum domini. [h] Ab aduentu domini vſque ad finem mundi.
rum autem exiit circa [f] ſextam, & [g] nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa [h] vn-
[i] Per ſeipſum apparuit, qui prius per patres innotuit. [k] Gentilem populum à bono opere torpentem.
decimam verò, [i] exiit, & inuenit [k] alios ſtantes, & dixit illis: Quid hic ſtatis to-
[l] Omni tempore pro ſalute, laborare negligitis. [m] Viam vitæ nemo nobis prædicauit.
ta die [l] ocioſi? Dicunt ei: Quia [m] nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in
[n] Cum finis mundi vel cuiuslibet veniſſet. [o] Pater. [p] Filio, cui omnia dedit in manus.
vineam meam. Cùm [n] ſero autem factum eſſet, dicit [o] dominus vineæ [p] procu-
[q] Statuendos ante tribunal tuum. [r] Vnicuique ſecundum opera ſua prout geſſit.
ratori ſuo: [q] Voca operarios, & [r] redde illis mercedem: incipiens à nouiſsimis
[s] Gentiles vel qui decrepiti ſunt vocati.
vſque ad primos. Cùm [s] veniſſent ergo, qui circa vndecimam horam venerant,
[t] Eandem æternitatem cum his qui ab initio mundi vocati ſunt. [v] Id eſt, Iudæi.
acceperunt ſingulos [t] denarios. Venientes autem & [v] primi, arbitrati ſunt, quòd
[x] Digniorem locum in regno, qui priores in tabernaculo. [y] Conformitatem claritatis corporis Chriſti.
[x] plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi [y] ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſsimi vna
[z] Id eſt, qui diu ſub onere legis ſudauimus, & longiora carnis tormenta ſuſtinuimus.
hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui [z] portauimus pondus diei &
[a] Carnis. [b] Quia per orationem hominibus murmurandi ratio. ¶ Prima hora operario. [c] Reddo quod debeo.
[a] æſtus? At ille reſpondens [b] vni eorum dixit amice, [c] non facio tibi iniuriam.
[d] Non enim promiſi tibi niſi conformitatem meam. [e] Reddo tibi ſecundum opus tuum, in te itaque iuſtus ſum. [f] Gratia eſt & miſericordia vt compar & concorporalis tibi fiat populus Gentilis.
[d] Nonne ex denario conueniſti mecum? [e] Tolle quod tuum eſt, & vade. [f] Vo-
[g] Nonne eſt poteſtas iudicis, vel iuſtitiam facere, vel miſericordiam cui vult impendere?
lo autem & huic nouiſsimo dare ſicut & tibi. [g] Aut non licet mihi quod volo
[h] Intentio qua ad primatum niteris. [i] Inuidia plenus: cui non placet benignitas. [k] Sicut oſtenſum eſt. [l] Gentiles, vel qui maiores videntur meritis, ſunt minores, & e conuerſo.
facere? An [h] oculus tuus [i] nequam eſt, quia ego [k] bonus ſum? Sic erunt [l] nouiſ-
[m] Iudæi. ¶ Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. [n] Ad fidem. [o] Ad regnum.
ſimi [m] primi, & primi nouiſsimi, Multi enim ſunt [n] vocati, pauci verò [o] electi.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

SIMILE *eſt &c.* Oſtendit per parabolam: quia primi erũt nouiſſimi & nouiſſimi primi. Pater iſte familias cõditor noſter eſt, qui habet vineam, vniuerſalẽ eccleſiã quæ ab Abel vſque ad vltimũ electũ qui in fine naſciturus eſt quotquot ſanctos protulit, tot palmites miſit. Hic pater exiit ad excolendã vineam mane hora tertia: ſexta: nona: vndecima: operarios conduxit à mundi huius initio vſque ad finem: ad erudiendam fidelium plebem prædicatores mittere non deſiſtit. *Simile eſt &c.* Non homini ſolum, ſed toti negocio ab homine geſto, & in ſimilibus ſimiliter. *Primo ma.* Manifeſte cœpit à primo iuſto æterna mercede prædicatores ad plantandam eccleſiam inuitare. *Conuentione autem facta*, id eſt, confirmata promiſſione quòd ad imaginem Dei re-

formandi eſſent, ſi eccleſiam ædificando mandatis decalogi inſiſterent. *Ex denario diurno, mi. eos.* Hiero. Denarius habet imaginem regis, qui olim pro decem numis computabatur. Quàtò plus aliquis in cultu eccleſiæ laborat, decalogi mandatis inſiſtendo, tanto plus informatur in imaginem regis Dei. Prædicatores ſunt operarij, etiã vnuſquiſque dum fide recta in bono opere perſiſtit. Mane hora tertia, ſexta & noua antiquus & Hebraicus populus, qui fide recta Deum coluit in electis, ad vndecimam gentiles vocantur. Poſſunt etiam diuerſitates horarum in vnoquoque notari per momenta ætatum, Mane quippe intellectus noſtri pueritia eſt, hora tertia, adoleſcentia, qua iam ſol in altum proficit. Sexta, iuuentus, cum plenitudo roboris ſolidatur. Nona, ſenectus, quando ſol, id eſt, calor ætatis deſcendit. Vndecima, decrepita ætas. In omnibus his aliqui ad bonam vitam perducuntur. Qui ſibi viuit vt ocioſus: redarguitur. Qui & vſque ad vltimã ætatem differt, rectè ei dicitur. *Quid hic ſtatis tota die ocio.* id eſt, vel in vltimis reſipiſcite. *A nouiſſimis.* Quia qui in aduentu domini vocati ſunt ad regnum, ſine aliqua tarditate perueniunt, æquales his qui ab initio mundi cœperunt: omnes quidem idem cælum, ſed ſtella differt

1.Cor.15.a à ſtella in claritate. A nouiſſimis incœpit, dum

Luce 23.f prius latronem, quam Petrum in paradiſum introduxit. Quia prius aliquando remunerantur ſero venientes, quia prius de corpore exeunt, quam qui in pueritia vocati ſunt. *Et accipientes.* Quia antiqui patres in infernum deſcendentes à gloria dilati ſunt: quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia peruenerunt. *Et accipientes.* Hi ſunt qui in initio naſcentis eccleſiæ vocatis ex gentibus ſe præponebant, quaſi populus Dei ab initio mundi: & illi canes, qui pondus obſeruationum portabant. Sed qui non venit ſuperbos vocare iuſtos, ſed humiles pœnitentes, cui magis placet humilis confeſſio malorum quam ſuperba gloriatio bonorum, ſubdit: *Amice, non facio tibi iniuriam.* Nõ dolent quaſi fraudati ſua mercede, ſed (ritu inuidorum) quòd illi plus quam merentur, accipiunt: & non tam ipſi plus accipere, quam alios nihil vel minus accipere deſiderant, quaſi alterius conſortio ſibi præmium minuatur. *Murmu, &c.* Quæritur, quomodo accipientes murmuraſſe dicantur, cum in illa beatitudine omnis inuidia, & murmuratio protſus remouenda ſit? Sed hic eſt mos diuinæ ſcripturæ, vt cum de multis in collectione agat, quædam tantum quibuſdam de illa collectione, & non toti collectioni tribuat: iuxta illud prophe-

Pſal.104.d

ibidem.77.d tæ: Eduxit eos cum au. &. ar. Et inde: Et induxit eos in mon. cum tamen illi, qui de Ægypto exierunt, omnes præter Caleph, & Ioſue propter incredulitatem ſuam in deſerto perierunt, quorum filij in montem ſanctificationis inducti ſunt. Ita ergo & de primis accipientibus quidam & non omnes murmurant, qui tamen poſt accipiunt. Sicut ſæpe contingit, quòd multi domino per longa tempora ſeruierunt, alij autem mox in principio ſuæ conuerſionis martyrin vel aliquo modo ad denarium recipiendum tranſlati ſunt. Quod audientes qui diu laborauerunt ſcilicet quòd alij ſtatim ad præmium tráſferuntur, ipſi autẽ tanto tempore in labore detinentur, de dilatione præmij quaſi murmurare videntur. Poteſt etiam dici de malis, qui in principio quidem boni fuerunt, ſed bonum, quod inceperunt, ad finem non perduxerunt. Vnde, non illi, qui denarium acceperunt, ſed iſti, qui in bonitate non perſtiterunt, præmio priuati murmurant: quia denario carebant, qui in principio boni, pro quo etiam principio cum primis accipientibus connumerantur, ſe promeruiſſe credi derant. *Aut non licet mihi, &c.* Stulta quæſtio contra bonitatem Dei. Quærendum eſſet, Non ſi daret quod non deberet: ſed ſi non quod deberet. *An oculus tuus, &c.* Verè Iudæi prauam intentionem habuerunt qui prohibuerunt apoſtolos gentibus loqui, vt ſaluæ fierent. *Sic erunt nouiſſimi primi.* Au. id eſt, Iudæi de capite vertentur in caudam: & gentes de cauda in caput. Vnde Moyſes in Deut. Aduena qui tecum moratur aſcendet ſuper te: ille erit in caput, & tu eris in caudam. Sed tamen nec omnes primi, nec omnes nouiſſimi ad numerum electorum pertinent.

CATENA AVREA
in idem Euang.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamiliás, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c. Remi. Quia dixerat dominus, Multi erũt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi: vt hanc ſententiam confirmaret, ſubiunxit ſimilitudinem, dicẽs: *Simile eſt reg. cælo. &c.* Chryſ. ſuper Matt. Homo paterfamiliás Chriſtus eſt, cui cæli & terra, quaſi vna eſt domus: familia autem, cœleſtium & terreſtrium & inferiorum creaturarum: vinea autem eius iuſtitia eſt, in qua diuerſæ ſpecies iuſtitiarum poſitæ ſunt, quaſi vites, puta manſuetudo, caſtitas, patientia, cæteræque virtutes, quæ omnes generaliter iuſtitia appellantur, homines autem, vineæ cultores ponuntur. vnde dicitur, *Qui exiit pri. &c.* Deus enim iuſtitiam ſuam dedit in ſenſibus noſtris, non propter ſuam vtilitatem, ſed propter noſtram. Scitote ergo quia mercenarij ſumus conducti: Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, vt hoc ſolum faciat quod manducat, ſic & nos non ideo vocati ſumus à Chriſto, vt hæc ſolum operemur quæ ad noſtrum pertinent vſum, ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius prius aſpicit opus ſuum, deinde quotidianum cibum: ſic & nos primùm debemus aſpicere, quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad noſtram vtilitatem. Et ſicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit: vnam autem horam circa ſuum cibum: ſic & nos omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa vſus noſtros terrenos. Et ſicut mercenarius ea die qua opus non fecerit, erubeſcit intrare in domum & petere panem: quomodo tu non confunderis intrare in eccleſiam, & ſtare ante conſpectum Dei, quando nihil boni in cõſpectu Dei geſſiſti? Grego. in ho. Vel paterfamiliás, id eſt, conditor noſter habet vineam, vniuerſam ſcilicet eccleſiam, quæ ab Abel iuſto, vſque ad vltimũ electum qui in fine mundi naſciturus eſt quot ſanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. Ad erudiendum autem dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam ſuã nullo tempore deſtitit operarios mittere: quia & prius per patres, & poſtmodum per legiſdoctores, deinde per prophetas, ad extremum verò per apoſtolos quaſi per operarios in vineæ cultum laborauit: quamuis in quolibet modulo

vel

vel menſura quiſquis cum fide recta bonæ actionis extitit, huius vineæ operarius fuit. Orig. Totú autem hoc ſeculum præſens, vnum diem dicere poſſumus: magnum quidem quãtum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam. Grego. in ho. Mane autem mundi fuit ætas ab Adam vſque ad Noe. Et ideo dicitur: *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam*, & modum conductionis ſubiunxit, dicens, *Conuen. autem facta, &c.* Orig. Salutis autem arbitror nomen eſſe denarium. Remig. Denarius enim dicitur qui antiquitus pro decem nummis imputabatur, & figuram regis habet. Rectè ergo per denarium deſignatur obſeruati decalogi præmium. pulchrè ergo dicit, *Conuentione facta, &c.* Quia vnuſquiſque in agro ſanctæ eccleſiæ pro ſpe futuræ remunerationis laborat. Greg. Tertia verò hora à Noe fuit vſque ad Abraham, de qua dicitur: *Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios in foro ſtantes otioſos.* Orige. Forum autem eſt, quicquid eſt extra vineam, id eſt, extra eccleſiam Chriſti. Chryſo. ſuper Mat. In hoc enim mũdo vendendo & emendendo viuunt homines: & inuicem ſibi fraudem facientes, vitam ſuam ſuſtentant. Grego. Qui autem ſibi viuit, qui carnis ſuæ voluptatibus paſcitur, rectè otioſus arguitur: quia fructum diuini operis non ſectatur. Chryſo. ſuper Matt. Vel otioſi ſunt peccatores, illi enim mortui dicuntur. otioſus autem eſt qui opus Dei non operatur. Vis ergo non eſſe otioſus? non aliena tollas, & de tuis des: & operatus es in vinea domini, miſericordiæ vitem colens. Sequitur, *Et dixit illis, Ite & vos in vineam meam.* Nota quòd ſolis primis conuenit ſpecialiter dare denarium, alios autem ſub incerto pacto conduxit, dicens, *Quod iu. fue. da. vo.* Sciens enim dominus quia præuaricaturus fuerat Adam, & omnes poſtmodum in diluuio erant perituri, certum fecit pactum ad eum: nequando diceat ideo ſe neglexiſſe iuſtitiam, quia neſciebat quæ præmia fuerat recepturus. Iſtis autem non fecit pactum: quia tantum paratus eſt retribuere, quantum mercenarij recipere non ſperabant. Origen. Vel quia operarios tertiæ horæ non inuitauit ad totum opus: quicquid autem poterunt operari, ſuo arbitrio reſeruauit. Poterant enim æquale opus facere in vinea eis qui ex mane ſunt operati, quicunque in tempore breui volebãt operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata. Grego. Sexta quoque hora eſt ab Abrahã vſque ad Moyſen. Nona eſt à Moyſe vſque ad aduentum domini. vnde ſequitur: Iterum autem exiit, &c. Chry. ſuper Mat. Ideo autem coniunxit ſextam & nonam, quia in ſexta & nona generationem vocauit Iudæorum & frequentauit cũ hominibus diſponere teſtamenta quaſi diffinito ſalutis omni tempore iam appropinquante. Grego. Vndecima verò hora eſt ab aduentu domini vſque ad finem mundi. Operator ergo mane, hora tertia, ſexta & nona antiquus ille & Hebraicus populus deſignatur, qui in electis ſuis ab ipſo mũdi exordio dum recta fide Deum ſtuduit colere, quaſi non deſtitit in vineæ cultura laborare: ad vndecimam verò Gentiles vocantur. vnde ſequitur: *Circa vndecimam verò exiit, &c.* Qui enim tranſacto tam longo mundi tempore pro vita ſua laborare neglexerant, quaſi tota die otioſi ſtabant. ſed animaduerte quid inquiſiti reſpondeant. Sequitur enim: *Dicũt ei, quia nemo nos conduxit.* Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta ad eos venerat. & quid eſt dicere, *Nemo nos conduxit*: niſi vitæ nobis nemo viam prædicauit? Chryſo. ſuper Matt. Quæ eſt enim conductio noſtra & conductionis merces? promiſſio vitæ æternæ: gentes enim ſolæ neque Deum ſciebant neque Dei promiſſa. Hilarius. Hi igitur mittuntur ad vineam. vnde ſequitur, *Dixit eis, Ite & vos, &c.* Raba. Poſtquam autem operis diurni ratio reddita eſt ad remunerationis tempus opportunum, dicit: Cùm autem ſero factum eſſet, hoc eſt cùm dies totius mundi ad veſperam conſummationis inclinata eſſet. Chryſ. ſuper Mat. Conſidera quia ſero, non alio mane mercedem reddit: ergo adhuc ſtante ſeculo iſto iudicium eſt futurum, & vnicuique merces ſua reddẽda: & hoc propter duas rationes. Prima eſt, quia ipſa beatitudo futura eſt merces iuſtitiæ, ideo non in illo ſeculo fit iudicium, ſed ante illud. Deinde, ante aduentum diei illius remittitur iudicium, ne videant peccatores diei illius beatitudinem. Sequitur: *Dicit dominus procu. ſuo id eſt*, filius ſpiritui ſancto. Gloſ. Vel ſi volueris dicit pater filio, quia ſcilicet pater operatur per filiũ, & filius per ſpiritum ſanctum, non propter aliquam differentiam ſubſtantiæ aut dignitatis. Origenes. Vel dicit dominus procuratori ſuo, id eſt, alicui angelorum, qui ſuper mercedes tribuendas eſt poſitus: ſiue alicui ex multis procuratoribus, ſecundum quòd ſcriptum eſt: Sub curatoribus & tutoribus eſſe hæredem in tempore quo paruulus eſt. Remig. Vel dominus Ieſus Chriſtus ipſe eſt paterfamilias, & vineæ procurator: ſicut & ipſe eſt oſtiũ & oſtiarius. ipſe enim eſt venturus ad iudicium, vt vnicuique reddatur ſecundum quòd geſſit. Vocat ergo operarios, & reddit illis mercedem, quando omnes congregabuntur in iudicio, vt vnuſquiſque accipiat ſecundum opera ſua. Orige. Primi autem operarij teſtimonium habentes, per fidem non acceperunt Dei promiſſionem, pro nobis aliquid melius proſpiciente patrefamilias, vt non ſine nobis perficiantur. Et quia miſericordiam conſecuti ſumus, primi mercedem ſperamus accipere, qui ſumus Chriſti: poſt nos autem qui ante nos operati ſunt. & ideo dicitur: *Voca operarios, & redde illis mercedem, &c.* Chryſo. ſuper Matt. Semper enim libentius aliquid damus illis quibus gratis donamus, quia pro ſolo noſtro honore donamus. Ergo omnibus ſanctis Deus reddens mercedem, iuſtus oſtenditur: gentibus autem dans, miſericors: dicente Apoſtolo, Gentes autem ſuper miſericordiam honorare Deum & ideo dicitur: *Incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Aut certe vt oſtẽdat Deus inæſtimabilem miſericordiam ſuam, primum nouiſſimis & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis: nimia miſericordia ordinem non aſpexit. Aug. de. de ſpiritu & litera. Vel ideo velut priores reperiuntur minores, quia minus dicati ſunt. Sequitur: *Cùm veniſſent autem, &c.* Grego. Eundem denarium accipiunt qui laborauerunt ad vndecimam (quem expectauerunt toto deſiderio) & qui laborauerãt ad primam: quia æqualem vitæ æternæ retributionem ſortiti ſunt cum his qui ab initio mundi vocati fuerant, hi qui in fine mundi ad Deũ venerunt. Chryſo. ſuper Matt. Non autem iniuſte: nam & qui in prima parte ſeculi natus eſt, & non amplius vixit quàm ſtatutum tempus vitæ ſuæ, & quid illi nocuit ſi poſt illius exitum mundus ſtetit? & qui circa finem naſcuntur, non minus viuẽt quàm dies qui numerati ſunt eis: & quid illis pro-

deſt

deſt ad compendium laboris, ſi cito mundus finiatur, eò cùm penſum vitæ ſuæ compleant ante mundum? Deinde non eſt in homine quando naſcatur prius aut poſtea, ſed poteſtatis diuinæ. Nec ille quidem ſibi priorem debet locum defendere, qui prius natus eſt: nec ille contemptibilior debet eſſe, qui poſtea. Sequitur: Et acci. mur. aduer. pa. fa. Si autem verum eſt quod diximus, quia primi & poſteriores tempus ſuum vixerunt, & nõ amplius neque minus, & vnicuique mors ſua eſt conſummatio ipſius, quid eſt quod dicunt, Portauimus pondus diei & æſtus: quia ſcilicet magna eſt nobis virtus ad faciendam iuſtitiam, cognoſcere propè eſſe finem mundi. Vnde & Chriſtus nos armans dicebat: Appropinquauit regnum cælorum. Illis autem infirmatio erat, ſcire mundi ſpacia eſſe longinqua. quamuis ergo non per omne ſeculum vixerint, tamen totius ſeculi grauamina pertuliſſe videntur, aut pondus totius diei, dicit oneroſa legis mandata: æſtum autem, vrentem erroris tentationem: quam conflabant ſpiritus maligni in eos, ad æmulationem gentium eos irritantes: à quibus omnibus gentiles liberi extiterunt Chriſto credentes, & per compendium gratiæ ad plenum ſaluati. Gregori. Vel pondus diei & æſtus ferre, eſt per longioris vitæ tempora carnis ſuæ calore fatigari. Sed poteſt quæri quomodo murmurare dicti ſunt, qui ad regnum vocantur cælorum? etenim regnum nullus qui murmurat accipit, nullus qui accipit murmurare poteſt. Chryſoſtomus. in home. Non autem oportet ea quæ in parabolis ſunt ſecundum totum quod dicitur inueſtigare, ſed intentionem propter quam compoſita eſt intelligere, & nihil vltra ſcrutari. Non ergo inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe inuidia morſos: ſed vt oſtendat, hos tanto potitos eſſe honore, quod & inuidiam aliis poterat generare. Grego. Vel quia antiqui patres vſque ad aduentum domini, quantumlibet iuſtè vixerant, ducti ad regnum non ſunt: eorum hoc ipſum murmuraſſe eſt. Nos autem qui ad vndecimam venimus, poſt laborem non murmuramus. quia poſt mediatoris aduentũ in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox vt de corpore eximus. Hiero. Vel omnis retro vocatio gentilibus inuidet, & in euangeliis torquetur gratia. Hila. Et ſecundum inſolentiam populi iam ſub Moyſe contumacis hoc murmur operantium eſt. Sequitur: *At ille reſpondens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam.* Remig. Per hunc vnum poſſunt intelligi omnes qui ex Iudæis crediderunt, quos amicos propter fidem nominat. Chry. ſuper Matt. Non autem dolebant quaſi defraudati de mercede ſua, ſed quia illi amplius quàm merebantur, acceperant. Sic enim dolent inuidi, quãdo alteri aliquid additur, quaſi eis ſubtrahatur: ex quo patet quòd ex vana gloria naſcitur inuidia. Ideo enim dolet eſſe ſecũdus, quia deſiderat eſſe prior: & ideo inuidiæ motum remouet, dicens, Nónne ex denario conueniſti mecum? Hiero. Denarius figuram regis habet: recepiſti ergo mercedem, quam tibi promiſeram: hoc eſt imaginem & ſimilitudinem meam: quid quæris amplius? & non tam ipſe plus accipere, quàm alium nihil accipere deſidera. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Remi. id eſt, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam. *Volo autem & huic nouiſſimo*, id eſt, Gentili populo dare ſecũdum meritum, ſicut & tibi. Orig. Forſitan autem Adæ dicit: *Amice, non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade.* Tuum eſt ſalus, quod eſt denarius: *volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* non incredibiliter poteſt quis arbitrari hunc nouiſſimum eſſe apoſtolum Paulum, qui vna hora operatus eſt: & ſimiliter omnes qui ante eum fuerunt. Aug. de ſan. virg. Quia verò ipſa vita æterna pariter erit omnibus ſanctis æqualis, denarius omnibus eſt attributus, qui eſt omnium merces. quia verò in ipſa vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multę manſiones ſunt apud patrem: ac in denario quidem impari non viuet alius alio prolixius, in multis autem manſionibus honoratur alius alio clarius. Grego. Et quia ipſa regni perceptio eius eſt bonitas voluntatis, rectè ſubiungitur: *Aut non licet mihi quod volo facere?* Soluta enim eſt quæſtio hominis, contra bonitatem Dei murmurare. Conquerendum quippe eſſet, non ſi dat quod non debet, ſed ſi non daret quod deberet. vnde apertè ſubditur: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Remig. Per oculum enim vult intentionem intelligi. Iudæi namq; nequam habuerunt oculum, id eſt, intentionem malam, quia de ſalute Gentium dolebant: ad quid autem ſenſus huius parabolæ tendat, manifeſtat cum ſubditur: *Sic erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi:* eò ſcilicet, quòd Iudæi de capite vertantur in caudam, & nos de cauda mutamur in caput. Chr. ſuper Matt. Aut ideo primos dicit nouiſſimos, & nouiſſimos primos: non vt nouiſſimi digniores ſint quàm primi, ſed vt coæquentur, & nulla ſit inter eos differentia, temporis cauſa. Quòd autem dicit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Non ad ſuperiores ſanctos pertinet, ſed ad gentes: quoniam ex ipſis gentibus qui multi vocati ſunt, pauci ſunt eligendi. Greg. Ad fidem enim plures veniunt, vt ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Plerique enim Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt. Ex hoc ergo duo penſare debemus. Primum eſt, vt de ſe quiſque minimè præſumat: quia etſi iam ad fidem vocatus eſt, vtrum ad regnum eligendus ſit, neſcit. Secundum verò eſt, vt vnuſquiſque proximum ſuum quem iacere in vitiis conſpicit, deſperare non audeat, quia diuinę miſericordiæ diuitias ignorat. vel aliter: Manè noſtrum, pueritia eſt: hora tertia, adoleſcentia intelligi poteſt: quia quaſi iam ſol in altum proficit, dum calor ætatis creſcit. Sexta autem, iuuentus eſt: quia velut in centro ſol figitur, dum in ea plenitudo roboris ſolidatur. Nona autem ſenectus intelligitur, in qua velut ſol ab alto axe deſcendit, quia ætas à calore iuuentutis deficit. Vndecima verò eſt ea ætas, quæ decrepita vel veterana vocatur. Chry. in ho. Quòd autẽ non omnes ſimul conducit, ſed alios manè, alios hora tertia, & ſic de aliis: ex differentia mentis eorum proceſſit. Tunc enim eos vocauit, quando erant obedituri: nam & latronem vocauit, quando obediturus erat. Si autẽ dicant, *quia nemo nos conduxit*, ſicut dictum eſt: Non oportet omnia ſcrutari quæ in parabolis ſunt. Item hoc non dicit dominus, ſed operarij. quòd ipſe enim omnes quantum ad ſe pertinet à prima ætate vocet, ſignificatur, cùm dicitur: *Exiit primo manè operarios conducere.* Grego. Qui ergo vſque ad vltimam ætatem Deo viuere neglexerunt, vſque ad horam vndecimam ocioſi ſteterunt, & tamen tales paterfamilias vocat: & plerunque antè remunerantur, quia prius ad regnum de corpore exeunt, quàm hi qui modò in pueritia vocati eſſe videbantur. Orig. Non autem

dicetur:

dicetur: *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* his qui ſpiritu incipientes carne conſummantur: ſi poſtea regredi volunt, vt iterum ſpiritu viuant. quod non dicimus diſſuadentes, ne ad domum paternam reuertantur laſciui filij, qui viuendo luxurioſè euangelicæ doctrinæ ſubſtantiam conſumpſerunt. Sed quoniam non ſimiles ſunt eis qui peccauerunt in iuuentute ſua, dum non adhuc didiciſſent quæ fidei erant. Chryſ. in hom. Quòd autem dicit: *Erunt primi no. & no. primi:* eos occultè inſinuat, qui à principio claruerunt, & poſtea virtutem contempſerunt: & rurſus eos qui à malitia reducti ſunt, & multos ſuperexceſſerunt. Compoſita eſt ergo hæc parabola, vt eos auidiores faceret, qui in vltima ſenectute conuertuntur, ne exiſtimarent ſe minus aliquid habituros.

ORIGENIS PRESBYT.
de eodem Euang. Hom.

Eſt Ho. 10. in Matth. Videtur quidem omnis parabola hæc propter hoc eſſe ſuſcepta, vt diſcamus quomodo nouiſſimi venientes ad opera, quaſi primi vocati, primi acceperunt mercedem: & quomodo qui vocati fuerant primi, in nouiſſimo loco à patrefamilias ſunt ſtatuti, propterea quod & nouiſſimi acceperunt mercedem. Scire autem debemus quòd ſi parabola Ieſu, in quo theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi ſunt, diſcuſſa fuerit, tanta dogmata ſapientiæ in myſterio abſcondita inueniuntur his, qui poſſunt talia inuenire, vt maxime de iſta parabola dicat ſaluator, Aperiã in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio, & eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Neceſſe eſt enim, vt videat, qui vult intelligere, quæ ſit dies, quæ refertur in ea, & quæ horæ illius, & quòd non euentu paterfamilias quinque ordinibus operariorum tradidit opera vineæ. Deinde quærenda eſt cauſa ei, qui quærere poteſt, quare quidam operarij mane conducti ſunt, & poſt hoc non circa horam ſecundam, ſed circa tertiam horam alij ſunt conducti: & poſt eorum conductionem, quare non circa horam quartam, vel quintam, ſed circa horam ſextam: ita non circa ſeptimam, vel octauam, ſed circa nonam, & nouiſſime non circa decimam, ſed vndecimam. Debet enim eſſe quædam ratio digna Ieſu, quare inter matutinam, & tertiam tempus modicum eſt aſſumptum, & non ſecundum tempora, quæ poſita ſunt inter tertiam, & ſextam, vel inter ſextam, & nonam. Poſt hoc autem quare vna ſit hora inter nonam, & vndecimam, quemadmodum ſuperius inter matutinam, & tertiam. Non autem negligenter eſt attendendum, qua ratione paterfamilias cum mercenariis quidem, quos mane conducebat, pactum fecit ſpecialiter in die denarium: côductis autem circa tertiam horam non conſtituit nominatim certam mercedem, ſed ita, *Quodcunque iuſtum fuerit, dabo vobis.* Similiter & circa ſextam horam, & nonam fecit vocatis. Et quia his, qui circa vndecimam erant vocati, excuſantibus ſe propter ocium totius diei, ſic dixit, *Ite & vos in vineam.* Sed & quoniam quaſi extra vineam conſtitutus paterfamilias, & inueniens operarios ibi, primos quidem miſit in vineam: ſecundis autem dixit, *Ite & vos in vineam:* ſimiliter eundem ſermonem & qui circa vndecimam fuerant vocati, *Ite & vos in vineam.* Intelligat autem qui poteſt, quid ſit forum, quòd in græco nundinæ ponitur, in quo ocioſos ſtantes inuenit Ieſus. Secundo ſimiliter eſt requirendum, qui ſunt qui tunc ſunt ſtantes circa vndecimam, quibus dicit, *quid ſtatis hic tota die ocioſi?* Aſpiciat autem quis, quæ ſit excuſatio eorum, qui toto die ſteterant otioſi, & quis eſſet dolor ſtandi eorum qui toto die ſtare otioſi ſuſtinuerunt, vt cum fiducia reſponderent, quoniam parati quidem fuerunt ad opus, nemo autem eos conduxit, quaſi plurimi eſſent, qui conducerentur, non autẽ & qui conducerent. Necnon diligenter oportet attendere & quòd ſero facto dixit dominus vineæ procuratori ſuo, *Voca operarios, & redde eis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Quæres autem quid mouit dominum vineæ, vt iuberet procuratorem vineæ vocare operarios, & redderet eis mercedem incipientem à nouiſſimis, & aſcendentem vſque ad primos, vt primi quidem accipiant, qui circa vndecimam erant côducti, ſecundi autem, qui circa nonam, tertij qui circa ſextam, quarti qui circa tertiam, nouiſſimi verò qui mane. Hoc enim manifeſtiſſime declaratur ex eo quod dicit, *Redde mercedem incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Quis autem & extra dominum vineæ ſit domini procurator dans mercedem iuxta domini iuſſionẽ. Sed & ſi qui vocati fuerant circa nonam, non portauerunt pondus diei, & æſtum, manifeſtum eſt, quòd non illi murmurauerunt aduerſus patremfamilias dicentes, *Quoniam hi nouiſſimi vnam horam fecerunt, & æquales eos feciſti nobis, qui portauimus pondus diei, & æſtum.* Neque illi qui ſexta hora vocati ſunt pondus portauerũt diei, niſi forte diei dimidium. Et qui tertia ſunt vocati, non totius diei pondus ſuſtinuerunt, ſed, ſi oportet caute dicere, dimidium diei, & quartam partem diei. Soli autem qui ex mane conducti ſunt, pondus diei ſuſtinuerunt, & æſtum totum. Cæteri autem ſecundum menſuram temporis, quod fecerunt in vineam, portauerũt. Quoniam autem diuerſæ parabolæ ſunt vineam nominantes, quærendum eſt, vtrum ſecũdum diuerſas res & vinea intelligitur, aut ſecundum ipſam rem. Ego arbitror oportere diſcutere, & quare non ad omnes qui primi venerunt, & exiſtimauerunt quod plus eſſent accepturi, & murmurauerunt aduerſus patremfamilias, ſed vni eorum dixit, *Amice, non tibi facio iniuriam. Denario conueni tecũ. Et volo huic nouiſſimo dare quemadmodum & tibi.* Quoniam autem hæc, & talia ſuſcipit parabola præſens, poteſt quidem requirere quis in ea: digna autem dicere eſt nullius, niſi eius qui dixit, Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Age nos, qui multum deſumus à profunditate parabolæ, quædam modica, quæ ſuſpicamur, in ea dicamus. Et primum quidem videamus de die parabolæ, quæ ſit dies. Et vide ſi poſſumus totũ hoc ſeculum præſens dicere vnum diem, magnũ quidem quantum ad nos, modicum autem & exigui temporis quantum ad Dei patris, & Chriſti, & ſancti ſpiritus vitam. Et quid dico quantum ad vitã patris, & filij, & ſpiritus ſancti? Forſitan & quantum ad vitam quarundam beatarum virtutum, & ſublimium côparatione generis multorum. Nam quantum eſt vna hæc dies quantum ad vitam omnium diu viuentium, tantum eſt omne ſeculum hoc quantum ad vitam ſupernarum virtutum. Et ſi tantum eſt, quantum ad vitam ſupernarum virtutum, iam vide quàm nullius momenti eſt omne hoc ſeculum, quantum ad vitam Dei patris, & filij,

lij, & ſpiritus ſancti. Vtrũ autem aliquod tale myſterium demonſtretur in Deuteronomij cantico in quo dicit, Mementote dies ſeculi: an non, quærat qui poteſt: & ſi tales ſunt dies ſeculi, cõſequens erit traditionem ſimilem eſſe intelligere, quæ dicit, Et annos æternos in mente habui, & meditatus ſum nocte cum corde meo, exercebar, & contribulabam ſpiritum meum, & dixi, Non in ſecula proijciet Deus. Et forte vt audacter dicam, in ſecula quidem non proijciet Deus, multum eſt enim & in vno ſeculo proijcere Deum. Proijciet autem & forſitan & in ſecundo ſeculo, quando quædam peccata non remittuntur, nec in hoc, nec in futuro ſeculo. Quis ergo idoneus eſt ſex illos dies, & ſeptimum requietionis ad huiuſmodi dies referre, & poſt ſabbata, & neomenias, & in primo menſe feſtiuitates, & in quartadecima die menſis paſcha, & in cæteris azymorũ? Sic autem ſequens quis rationem in abyſſum cadet intellectuum, cæteras feſtiuitates exiſtimans ſecundum huiuſmodi dies, & totum ſeptimanale magnum, in quo pauperibus, & aduenis, & beſtiis terrę donat Deus fructus, qui ex prima terræ operatione ſint geniti in tempore, cum iam nemo operabitur terram. Abyſſum autem dico propter altitudinem dogmatum, vt aſcendens quis videat quinquageſimum annum, & quæ de eo in lege conſtituuntur, & adimplentur. Sed quærentes vnam propoſitæ parabolę diem, & exiſtimãtes eam eſſe totum hoc ſeculum præſens, intrauimus in altitudines, opus habentes ſpiritu Dei, qui omnia ſcrutatur, etiam altitudines Dei. Ego autem exiſtimo quoniam ſicut in exitu conſummationis anni quædam dicta ſunt fieri oportere, ſic (verbi gratia) & in conſummatione ſeculorum multorum ſiue annum aliquem complentium, ſiue aliud aliquid in abiectione peccati apparuit Ieſus noſter, vt poſt conſummationem ſeculorum, quaſi anni vnius dierum, iterum aliud ſuccedat principium, & oſtendat in ſeculis ſupereminentes diuitias bonitatis ſuæ in eos, quos ipſe nouit oſtendere oportere. Et hęc quidem diximus propter diem, qui in parabola nominatur præſenti, quem poteſt quis confirmare etiam ex Ioannis epiſtola ita dicentis, Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis quoniam Antichriſtus veniet, nunc autem Antichriſti multi facti ſunt, vnde cognouimus quoniam nouiſſima hora eſt. Nouiſſima enim hora eſt poſt vndecimam, in qua homo paterfamilias egreſſus inuenit alios ſtantes, & dixit eis. *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* Poſt hoc requiramus quomodo non fortuitu paterfamilias quinque ordinibus operariorum tradit opera vineæ. Primum quidem, quando egreſſus eſt mane. Secundo, quando egreſſus eſt circa horam tertiam, vidit alios ſtantes ocioſos in foro. Tertia vice & quarta, quando iterum circa ſextam, & nonam egreſſus ſimiliter fecit. Quinta autem, quando circa vndecimam, inuenit alios ſtantes. Et vide ſi potes primum quidem ordinem dicere Adam in principio creationis mundi, & eos, qui fuerunt in tempore illo, vt operarentur vineam culturæ Dei. Secundum autem ordinem Noe, & teſtamentum, quod diſpoſitum fuit ad eum cum eis qui fuerũt in tempore illo. Tertium autem Abraham, & qui poſt ipſum fuerunt patres, vſque ad Moyſen. Quartum Moyſen, & eos omnes, qui de Aegypto ſunt egreſſi, & legiſlationem, quæ facta eſt in deſerto. Nouiſſimum autem ordinem, Chriſti aduentum. Tamen vnus homo paterfamilias quãtum ad parabolam iſtam quinquies eſt egreſſus, & & ad negocia peruenit huiuſmodi, vt inconfuſibiles operarios docentes verbum veritatis mittat in vineam operaturos opera eius. Si enim Chriſtus qui condeſcendit hominibus multoties, vocationem operariorũ ſemper diſpenſauit, & ſi de mundo ſenſibili, & à ſenſu inſipiente opera facere myſterium aliquod habẽt quinque operariorum ordines introducti, qui poteſt, cognoſcat. Exerceatur autem, & ſi non vult quis ſuſcipere dogmata, & quæ dicuntur à nobis. Dicet enim aliquis, quod tactus eſt in prima vocatione, propterea quod mulier dixit ſerpenti. Dixit Deus, Non manducabitis ex eo, neque tangetis eum. Odoratus autem miſericordia, propterea quod dictum eſt de Noe, Odoratus eſt dominus odorem ſuauitatis. Guſtus vero eſt in Abrahæ vocatione, propter quod & paſcens angelos appoſuit eis abſcondito (ſicut eſt in latino) ſubcineritias de ſimilagine, & vitulum tenerum. Auditus autem in Moyſe, quando de cælo audita facta eſt vox Dei. Viſus autem, qui ſuper omnes ſenſus honorabilior eſt, in aduentu Chriſti ſignificatur, quando oculi beati Chriſtum viderunt. Dicamus autem & hæc, ſiue exercitationis rationabilis gratia, ſiue vult quis accipere quaſi dogmata propter quinque vocationes. Arbitror autem quoniam & opera vineæ huiuſmodi erant, vt opus haberent operariis ſecundum horas. Oportebat enim, mox mane opera fieri in vinea, & vidit paterfamilias, qui vocabat operarios, qui eſſent apti ad opera, quæ primo mane fieri oportebat. Aliud autem opus circa tertiam horam erat, quod fuit in diebus Noe, quando teſtamentum diſpoſuit ei. Ita decem generationes à Noe vſque ad Abrahã, qui fuit principium alterius operis eminentioris, & erat operarius vineę tunc incipiens Abraham, & poſt eum Moyſes, & qui fuerunt cum ipſo in vinea. Deerat autem vineæ aliquod nouiſſimum opus, quod opus habebat noua vocatione, quæ deerat in vinea breuiter operante, quod eſt opus noui teſtamenti. Cognouimus ergo interualla vocatorum, circa tertiam, & ſextam, & nonam, & vndecimam, in qua tantum fuit interuallum à nona Moyſi hora vſque ad vndecimam, in qua eſt aduẽtus Chriſti carnalis, quantum fuit à prima Adam vſque ad tertiam Noe. Conuenit autem paterfamilias cum iis, qui primo mane vocati ſunt, denario. Hunc autem puto nouiſſima eſſe ſalutis, non ſimul collatis eis, quę ſunt ſecundum gloriam. Salutis enim arbitror nomen eſſe denarium, gloriæ autem, quæ ſunt ſuper denarium. Sic alicubi nominata ſunt numiſmata eius, qui datam ſibi mnam amplificauit in quinque mnas, vel in decem. Quid autem dicit his, qui circa tertiam erãt vocati? *Quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* Inuitauit quidem operarios tertiæ horæ ad totum, quicquid autem potuerint operari, iudicium ſibi reſeruauit ſecundum opus, quod fuerit factum, vt iuſtam reddat mercedem. Quod autem ſimiliter fecit etiam eis, qui circa ſextam, & nonam venerunt, manifeſtum eſt, quoniam & ipſis dixit, *quod fuerit iuſtum, dabo vobis.* Poterant autem æquale opus facere in vinea eis, qui ea mane ſunt operati, quicunque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, quę ante non fuerat operata. Sed quæret aliquis quare ſic dicit ad eos quaſi non ſolum fuiſſent ibi ſed

etiam

etiam tota die ſteriſſent, id eſt, per totum tempus quod fuit ante vndecimam horam, ſecundum quod ſcriptum eſt, quia egrediens paterfamilias circa vndecimam horam dixit ad eos, *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* Ego autem ſuſpicor de anima etiam in iſtis ſecretam, & abſconditam rationem. Quomodo autem ociabantur tota die vſque ad vndecimam horam volentes quidem operari, non autem aſſumebantur in vineam, qui fideliter ſe excuſabant dicentes, *quia nemo nos conduxit?* Nos autem auſi fuimus talia quædã, & de multis ſcripturis ſuſpitionem accipientes, & de præſenti quoque parabola dicere, vt oſtendamus quomodo tota die ocióſi ſteterunt, propterea quòd nullus eos conduceret, qui circa horam vndecimam ſunt vocati. Quibus autem non placent dogmata iſta, interpretentur nobis diem illam totam, & eos, qui ſtabant tota die ocioſi, volentes quidem operari, nõ autem vocabantur in vineam, & quod fiducialiter ſe excuſantes dixerunt, *nemo nos conduxit.* Si enim conſeminata eſſet anima corpori, quomodo tota die ſteterunt ocioſi? Aut dicant nobis, quæ ſit illa dies tota, & in ea diuerſæ ſecundum diuerſas horas operariorum vocationes. Verum autem beati quidem, qui ſecundum parabolam iſtam à patrefamilias ſunt conducti, erant autem & alij operatores, qui conducebantur, ſiue ab aliis patribusfamilias, ſiue ab ipſo: & ſiue non beati, aut non ſic beati, ſupra nos eſt hoc intelligere digne, aut ſecundum quod intelligimus credere. Ego quæro & quæ extra vineam ſunt, vbi & inueniuntur operarij ab eo qui exiit conducere eos. Et conſidera, ne forte locus animarum eſt ante corpus, qui eſt extra vineam locus. Vinea autem non ſolum hic in corpore eſt, ſed etiam extra corpus, vbi operantur operatores. Nec enim in ocio ſunt animæ operariorum à patreſamilias conductorum, cum à corpore ſunt liberatæ. Et Samuel ergo extra corpus operabatur prophetans, & Hieremias orans pro populo, propterea que contendimus, & operamur vineam, ſiue conſtituti in corpore, ſiue exeuntes à corpore, accepturi quod fuerit iuſtum. Et nemo eſt quantum ad parabolam iſtam, qui non eſt operatus opera vineæ, qui tamẽ tranſmiſſus fuit in eam. Neminem enim, quaſi qui minus fecerit opera, paterfamilias reprehendit, quamquam de mercede maiore, vel minore ſperata culpauit. Et forſitã locus, qui extra vineam eſt, forum eſt, vbi erant ſtantes ocioſi, magnam excuſationem habentes ad hoc vt digni efficiantur totius diei mercede, ſecundum quod excuſauerunt ſepſos dicentes, *nemo nos conduxit.* Propter quod & paterfamilias libenter conduxit eos, &, vt ita dicam, reddidit eis mercedem, pro eo quòd magnanimiter tota die ſteterunt, & expectauerũt vſque ad veſperam conductorem. Poſt veſpere facto, id eſt, ſeculi conſummatione, & diei illius, quę in parabola iſta refertur, dicit dominus vineæ procuratori ſuo, ſiue alicui angelo, qui ſuper mercedes tribuendas poſitus eſt, ſiue alicui ex multis procuratoribus procuratori, ſecundum quod ſcriptum eſt, ſub curatoribus & actoribus eſſe hæredem in tempore, quo paruulus eſt. Secũdum præceptum ergo patrisfamilias vocantur operatores à procuratore, vt merces nouiſſimis detur in primis. Primi enim operarij teſtimonium habentes per fidem, non acceperunt Dei promiſſionem, pro nobis melius aliquid proſpiciente patreſamilias, qui vocati ſumus vndecima hora, vt non ſine nobis perficiantur. Et miſericordiam conſecuti ſumus pro eo quòd tota die ſtetimus, & voluimus conductorem nobis venire. Ociati autem fuimus, & cum excuſati nunc ad opus aſſumpti, & miſericordiam conſecuti, primi mercedem ſperamus accipere, qui noti ſumus Chriſti. Poſt nos autem dabit mercedem eis, qui ante nos operati ſunt, & ſic etiam eis, qui fuerunt ante illos, & ſic vſque ad primos. Videns autem quis locum illum vbi commemorabatur Samuel, & qui conſequenter conſiderauerit de eis, qui ante vndecimã horam ſunt conducti, videbit quomodo portauerunt primi pondus diei, & æſtum, nos autem, qui vndecima ſumus vocati, ſicut illi quidem non portauimus pondus diei, & æſtum, portauimus autem pondus, eo quòd ſtetimus ocioſi, antequam paterfamilias veniret ad nos, qui dixit nobis. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Onus erat enim ocioſitas ipſa, & quod non iudicabamur interim ad opera vineæ digni. Æſtum autem portauerunt, qui ante vndecimam erant vocati, vnuſquiſque ſecundum æſtimationem vocationis. Non autem ſciẽtes patrisfamilias dignitatem primi, & quoniam non debebant aduerſus eum murmurare, amplius aliquid ſalutis quam nouiſſimi accipiunt, accipere putauerunt, & murmurauerunt contra patremfamilias, inuidentes nobis nouiſſimis, qui vnam horam vſque ad conſummationem fecimus, & ſimiles facti ſumus eis, qui à principio diei ad diuinam vineam ſunt vocati. Sed paterfamilias vni eorum dixit (forſitan Adæ) *Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne denario conuenisti mecum? Accipe quod tuum eſt* (Tuum eſt enim ſalus, quod eſt denarium) *& vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Et non dixit iſtis nouiſſimis, ſed oſtendit aliquem ſecundum exitum vnum, quem temeritatis quidem eſt dicere, non tamen incredibiliter poteſt quis arbitrari Apoſtolũ Paulum, qui vna hora eſt operatus, & forſitan ſuper omnes qui ante fuerunt, ſicut ipſe teſtatur dicens, Sed plus omnibus laboraui. Si autem oportet & de vinea dicere aliquid, accipio occaſionem ab eo ipſo, qui interpretatus eſt in alia parabola de vinea, quoniam vinea eſt regnum Dei. Sic enim ipſe dixit, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Omnes ergo qui operantur opera vineæ, opera regni Dei, & ſalute digna perficientes, denarium conſequentur. Poſtquam autem dictauimus hæc in parabola hac præſenti, ſubueniunt nobis etiam hæc, quæ poſſunt eſſe vtilia eis, qui in altiori, & ſecretiori expoſitione proficiunt. Dicet enim aliquis omnem vitam eſſe diem vnum ſecundum parabolam hãc. Hoc ergo oſtenditur, quoniam quidam à pueritia ante ætatem ad operandum opera regni Dei accedunt, & ipſi ſunt, qui primo mane conducuntur in vineam: alij autem in adoleſcentia veniunt ad Dei culturam, & ſunt ipſi, qui hora tertia inuitantur: alij vero viri perfecti, & ipſi ſunt, qui in ſexta vocantur: alij autem iam ſenes adducuntur ad Dei culturam, & ipſi ſunt, qui circa nonam vocantur: alij autem ipſo exitu vitę ſenes ad plenum, & ipſi ſunt, qui circa vndecimam vocantur. Quoniam ergo effectus non tempus reſpicitur, quod quis fecit in fide, ideo non aſpicitur ex quo quis vocatus eſt, ſed quantum operatus eſt quis, & propterea omnibus æqualiter tribuitur merces

Inuenit ſuum dogma de præexiſtẽtia animarum ante corpora.

Sanctorũ interceſſio.

ſalutis. Vnde indignatur qui à pueritia ſunt fideles, qui laborauerunt, & ſubiugauerunt iuuentutem ſuam, & portauerunt totius æſtatis feruidæ æſtum, & tentationum accidentium pondus, ſi æqualem ſalutem habituri ſunt ocioſi à pueritia vſque ad ſenectutem, qui ociantes in infidelitate ante modicum tempus ad finem & opera fidei venerant. Vineam autem ſecundum hanc expoſitionem intelligimus regnum Dei, quod in eccleſia prædicatur. Eorum autem eſt, quicquid eſt extra vineam foris, id eſt, extra eccleſiam Chriſti, extra verbum veritatis, vnde ſermo dominicus accepit eos, qui vocantur à Chriſto, & mittit in vineam, id eſt, in eccleſiam. Non autem numerabuntur ſecundum expoſitionem iſtam inter operarios vineę, quotquot vocati ſunt quidem primum ad Dei culturã, non autem conſeruantes, quæ fidei erant, victi egreſſi ſunt de vinea, id eſt, de eccleſia Dei, vel de fide veritatis, vel de iuſticia regni cæleſtis, peccantes, & poſt adimpletionem voluptatum ſuarum in peccatis ſuis, voluerunt quaſi pœnitentes iterum ab initio vineam operari. Nec enim poſſunt dicere patrifamilias, *nemo nos conduxit*. Conducti enim fuerunt ſecundum tempus primum, quo ſunt vocati ad fidem. Sed neque dicetur eis, *quid hic ſtatis tota die ocioſi*? maxime ſi incipientes ſpiritu, poſtmodum carne perficerentur, & ſi poſtea regredi volunt, vt iterum ſpiritu viuant. Et non diximus hæc diſſuadentes ſurgere eos, qui ceciderunt, aut impedientes ne cõuertantur auerſi, vt ne ad domum patriam reuertantur laſciui filij, qui viuendo luxurioſe, Euangelicæ doctrinæ ſubſtantiam conſumpſerunt. Habent enim propter pœnitentiam, quoniam victi ſunt à vitiis peruerſis, meliorem eis, qui in peccatis comprehenſi fuerunt, conſolationem ſalutis: non tamen debemus exiſtimare, quod ſimiles ſunt eis, qui propterea peccauerunt in iuuentute ſua, quoniam nondum didiciſſent, quæ fidei erant. Vult ergo paterfamilias nouiſſimis dare quemadmodum & primis denarium ſalutis: quoniam licet ei facere, quod vult in propriis ſuis, & arguere eum, qui malum oculum habet, propterea quòd paterfamilias bonus eſt. Erunt ergo multi ex nouiſſimis vocati primi, & quidam primorum nouiſſimi. Nam multi vocati ſunt, pauci autem inueniuntur electi.

S. HILARII EPISCOPI *Pictauienſis ſuperioris Euangelij expoſitio.*

SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, &c. Comparatio omnis per ſe abſoluta eſt: ſed perſonis diſtinguenda, & diſcernẽda temporibus eſt. Patremfamilias hunc, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum exiſtimari neceſſe eſt: qui totius humani generis curam habens, omni tempore vniuerſos ad culturam legis vocauerit. Vineam verò, legis ipſius opus & obedientiam: denarium autem, obediẽtiæ ipſis præmium ſignificare intelligimus. Et de denario iam ſuperius tractauimus. De vinea verò, opportunius in conſequentibus rationem afferemus. Forum autem pro ſeculo accipi res ipſa admonet, æquabiliter turbis hominum calumniarum iniuriarúmque contentionibus, & diuerſorum negotiorum difficultatibus ſemper tumultuoſis. In prima igitur hora, tempus conſtituti teſtamenti ad Noe, ea matutini ſignificatione noſcendum eſt: tertia autem hora ad Abraham, ſexta ad Moyſen, nona ad Dauid & prophetas. Totidem enim teſtamenta humani generis conſtituta per ſingulos reperiũtur: quot eiuſdem ad forum enumerantur egreſſus. In duodecima autem hora, corporei aduentus tempus oſtendit. Nam ex omni numero qui ſpacio præſentis ſeculi eſt conſtitutus, in eandem rationem conuenit ortus eius ex Maria, in quam duodecimæ horæ tempus ex die. Diuiſione enim per quingentenum numerum facta, in omni ſex milium annorum ſumma, tempus corporei ortus eius vndecimo diuiſionis totius calculo ſupputatur. Et quidem diuerſus ad vndecimæ horę operarios ſermo eſt. Primis enim ſed & cęteris dictum eſt, Ite ad vineam: merces tamen denarij cum primo eſt conſtituta. Nam cæteris, iuſtæ ſolutionis promiſſa ſpes eſt. Nouiſſimis verò dicitur. *Quid hic ſtatis?* Quia quamuis ad Iſrael lata lex fuerat, voluntas tamen gentium non excludebatur à lege. Qui reſponderunt? *Nemo nos conduxit.* Debitum nanque erant per orbem terrarum Euangelium prædicari, & gentes fidei iuſtificatione ſaluari. Hi igitur mittuntur ad vineam. Et cùm ſero eſſe cœpiſſet, donum conſtitutæ in totius diei labore mercedis, primi operarij hora veſperis conſequũtur. Merces quidem ea dono nullo eſt, quia debetur ex opere: ſed gratuitam Deus omnibus ex fidei iuſtificatione donauit. Verùm ſecundum inſolentiam populi iam ſub Moyſe cõtumacis, hinc murmur operantium eſt, hinc gratuitæ mercedis inuidia eſt: quòd ſine longi laboris difficultate, & ſub æſtus nomine non longè in eos Zabolici inſtinctus calore fragrãte idem præmium redhibeatur operantibus. Sed ideo quod apud homines impoſſibile eſt, poſſibile eſt apud Deum: mercedem legis optimè & inculpabiliter cuſtoditæ donum gratiæ per fidem credentibus primis ex nouiſſimis largitur.

S. HIERONYMI PRESbyteri in idem Euang.

SImile eſt regnum cælorum, &c. Parabola iſta, vel ſimilitudo regnum cælorum ex iis, quæ præmiſſa ſunt, intelligitur. Scriptũ eſt enim ante eam: Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, non tempori deferente domino, ſed fidei: Dicitq; patremfamilias primo mane exiſſe, vt conduceret operarios in vineam ſuam, & precium operis conſtituiſſe denarium: deinde egreſſum circa horam tertiam, vidiſſe alios ſtantes in platea diuiſos, & illis nequaquã denarium, ſed quod iuſtum eſt, fuiſſe pollicitũ. Sexta quoque hora, & nona feciſſe ſimiliter. vndecima autem inueniſſe alios ſtantes, qui tota die ocioſi fierent, & miſiſſe eos in vineam. Cum autem ſero factum eſſet, pręcepiſſe procuratori ſuo, vt à nouiſſimis inciperet reddere, hoc eſt, ab operariis horæ vndecimæ vſque ad operarios horæ primæ, omnes pariter contra nouiſſimos inuidia concitatos, iniquitatem arguiſſe patrisfamilias: non quòd non minus acceperint quàm quod fuerat conſtitutum, ſed quod plus accipere voluerint iis, in quos ſe clementia cõductoris effuderit. Mihi videntur primæ horæ eſſe operarij, Samuel mias, & baptiſta Ioannes, qui poſſunt cum Pſalmiſta

miſta dicere: ex vtero matris meæ Deus meus es tu. Tertiæ verò horæ operarij ſuam, qui à pubertate ſeruire Deo cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate ſuſceperunt iugum Chriſti: nonæ, qui iam declinant ad ſenium. Porro vndecimæ, qui vltima ſenectute: & tamen omnes pariter accipiunt præmium, licet diuerſus labor ſit. Sunt qui hanc parabolam aliter diſſerant: prima hora volunt miſſum in vineam Adam, & reliquos patriarchas vſque ad Noë. Tertia, ipſum Noë vſque ad Abraham, & circuncisionem ei datam. Sexta, ab Abraham vſque ad Moyſen, quádo lex data eſt. Nona, ipſum Moyſen & prophetas. Vndecima Apoſtolos, & gétium populum, quibus omnes inuident. Vnde hoc ipſum intelligens poſt horam iam vndecimam, cum eſſet prope ſolis occaſum & ad veſperam, Ioannes euangeliſta loquitur; Filioli mei, nouiſſima hora eſt. Et ſimul conſidera, quòd iniuſtitiam patrisfamilias, quam in vndecimæ horæ operariis omnes pariter, accuſent, in ſeipſis nó intelligunt. Si enim iniquus eſt paterfamilias, non in vno iniquus eſt, ſed in omnibus, quia non ſic laborauit tertiæ horæ operarius, quomodo ille, qui prima hora eſt miſſus in vineam: ſimiliter & ſextæ horæ operatius minus operauit tertiæ horæ operario. Omnis itaque retro vocatio gentibus inuidet, & in euangelij torquetur gratia. Vnde & ſaluator concludens parabolam, Erunt, inquit, primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Quòd Iudæi de capite vertantur in caudam, & nos de cauda mutemur in caput. *Amice non facio tibi iniuriam.* Legi in cuiuſdam libro, amicum iſtum, qui increpatur à patrefamilias, primæ horæ operarium protoplaſtum intelligi, & eos, qui illo tempore crediderunt. *Nónne ex denario, &c.* Denarius figuram regis habet: recepiſti ergo mercedem quam tibi promiſeram, hoc eſt, imaginem, & ſimilitudinem meam: quid quæris amplius, & non tam ipſe plus accipere, quam alium nihil accipere deſideras, quaſi alterius conſortio minuatur præmij meritum? *Tolle quod tuum, &c.* Iudæos intellige, non gratia, ſed opere ſaluatos: qui enim fecerint eam, viuent in ea. Vide dicitur ad eum; *An oculus tuus nequam, &c.* Id ipſum ſonat & illa Lucæ parabola, vbi maior filius minori inuidet, & non vult eum recipi pœnitentem, & patrem accuſat iniuſtitiæ: Et vt ſciamus hunc eſſe ſenſum, quem diximus, titulum parabolæ huius finiſque conſentiunt. *Sic erunt*, inquit, nouiſſimi primi, *& primi nouiſſimi, &c.*

S. IO. CHRYSOSTOMI
Epiſcopi Conſtantin. in ſuperius Euang. Homil.

Ex Hom. 65. in Matth.

SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane, &c. Quid hæc ſibi parabola vult? Non enim conſona ſunt, quæ iuxta finem iſtius dicuntur, ſed contraria omnino iis, quę paulò antè diſputata ſunt. Nam hic non alios quidem eiici, alios verò introire, ſed omnes ad eundem ſtatum peruenire videmus, quum tam antè, quàm poſt parabolam econtrario vltimos primos, & primos vltimos affirmauerit; id eſt, his qui primi ſunt, priores erunt, non permanétibus tamen primis, ſed in extremum penitus locum deductis: quod inde magis declarat. *Multi* enim, inquit, *vocati, pauci verò electi ſunt.* Ita dupliciter & illi, qui primatum amiſerunt, mordentur: & iſti, qui lucrati ſunt, ceriiore hurtatu inflammantur: parabola verò non id dicit, ſed iis, qui magno ſudore comprobati ſunt, æquales futuros oſtédit. Aequales enim, inquiunt, nobis feciſti, qui pondus & æſtum diei portauimus. Quid igitur parabola hæc ſibi vult? Hoc enim declarato, facilius illud ſoluemus. Vineam igitur, mandata Dei; operandi autem opportunitatem, ac tempus commodum, præſentem vitam appellauit: operarios verò eos, qui differenter, aut manè, aut tertia, aut ſexta, aut nona, aut vndecima hora, diuerſis ætatibus vocati acceſſerunt, & comprobati ſunt. Sed hinc iam ambiguitas prorumpit, cur, cùm rectè primi laboraſſent, Deoque placuiſſent, & diuturno ſudore coruſcaſſent, peſſima liuoris, atque inuidiæ paſſione vexentur? videntes enim eadem illos præmia conſecutos, qui per vnam horam laborauerunt, murmurabant, & *æquales*, dicunt, *nobis, qui diei pondus, & æſtum tulimus, ipſos feciſti.* Ita, cùm nullum ipſi detrimentum paterétur, nec de mercede ſua quicquam diminueretur, mœrore, ac moleſtia propter aliorũ bona premebantur: quódque peius eſt, ipſe etiam dominus domus de iure aduerſus eum, qui hęc dixit, reſpondens, liuoris ipſum, atque nequitię condemnat, dicens; *Nónne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem vltimo dare, ſicut & tibi. Si oculus tuus nequam eſt, quoniam ego bonus ſum.* Quid igitur eſt, quod iſtis verbis aſtruitur? hoc ipſum enim & aliis æmulatoribus accidiſſe videmus. Ille nanque filius, qui probus, ac patri obtemperans fuiſſe perhibetur, qui prodigum fratrem magis honoratum eſſe à parente, quàm ſeipſum perſpexit, pariter dicitur conturbatus fuiſſe. Nam, quemadmodum iſti, qui primi mercedem recipiunt, magis honorátur: ſic ille profectò exaggeratione honorum, magis honorabatur. Et hæc ille ipſe probus filius ita ſe habuiſſe teſtatur. Quid igitur dicere poſſumus? Nemo talia in regno cęlorum de iure diſputat, aut alios criminatur: procul enim hoc abſit. Nempe ille locus omnis liuoris, atque turbationis expers eſt: ſi enim animas ſuas in hac vita pro peccatoribus ſancti tradere ſolent, quantò magis, cùm ibi æternis eos bonis fruentes videant, gaudebunt, ſuum eſſet opus ſalutem ipſorum putantes? Cuius igitur rei gratia hac figurata oratione vſus eſt? Parabolam dixit, & in parabolis non oportet nimia in ſingulis verbis cura perági. Sed, cùm quid per parabolam intendat, didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio eſt conatu inueſtigá dum. Cur igitur hæc ſic parabola compoſita eſt, & quid intendens his verbis vſus eſt? Auidiores voluit eos facere, qui decrepita ætate delecti ſunt, ac ideo non patitur eos putare minus ſe habituros. Alios ergo introduxit moleſtè fœlicitatem eorum ferentes, non vt inuidiæ rabo morderi oſtenderet, ſed vt tanto illos honore frui demonſtraret, quantus ad inuidiam alios compellere poſſet, quod nonnulli, nec à quoquam interpellati, nec alij detrahere volentes, ſed muneris, atque honoris magnitudinem, quo ille affectus eſt, oſtendere cupientes, ſępe faciunt, dicentes; Ille me accuſauit, ac expoſtulauit, quia te tantopere honoraui. Sed cùr nam, inquies, non ſtatim omnes conduxit? Omnes quidem ille ab initio conduxiſſe voluiſſet, ſi verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia reſultauit: idcirco alij manè, alij tertia, alij ſexta, alij

Vides, nō per Deum ſtare, quominus ſaluemur, ſed per nos.

Huiuſmodi reſponſionem, Auguſtinus, cum ad Paganorum ſimilem obiectionē attuliſſet, poſtea retractauit.

alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant, quod & Paulus apertè ſignificauit, dicens; Quando autem acceptauit Deus, qui ſeparauit me a ventre matris meæ: quãdo porrò Deus volait? quãdo certè obtemperaturus erat. Nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet: ſed quia illum renixurum ſciebat, tũc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat. Sed & latronem cùm poſtea vocauit, potuiſſet antea ipſum vocaſſe, ſed vocatus ille non paruiſſet. Quod ſi dicunt iſti, *nemo nos conduxit*: primò quidem non oportet cuncta, vt diximus, curioſè in parabolis ſcrutari. Deinde non dominus domus id, ſed illi dixerunt. Dominus verò domus, ne turbet eos, ſed, vt magis alliciat, redarguere noluit. Nam, quia omnes, quantum ad ſe pertinet, à prima ſtatim hora vocati ſunt, ipſa parabola etiam denotauit, dicens; Manè ipſum ad conducendum exiuiſſe. Ita vndique aperitur, ætates nobis hominum hac parabola deſignari, quorum alij iuniores, alij ſeniores virtutem ampleƈtuntur: vt & illi diſcant non ſuperbire, neque opprobrio dare, quia vndecima hora rectè viuere aliqui cœperunt: & iſti etiam, quia breuiſſimo tempore vniuerſa poſſunt recuperare. Nam, quoniam ad ardua nimium hortatur, vt ſcilicet & pecuniam proiicias, & terrena omnia ſub pedibus conculces: quæ res magno labore atque ſtudio indiget: idcirco vt charitatis flammam accendat, & ardentioris faciat voluntatis, oſtendit quia poſſibile ſit, etiam ſi nouiſſimus veneris, pro tota tamen die mercedem accipere: quod apertius nõ dixit, ne rurſus in deſidiam audientes illaberentur. Ita ſubaperit, à ſua vniuerſam hãc rem miſericordia emanare propter quam nec, qui vndecima hora venerunt, à regno decidẽt & hoc quidem eſt, quod hac parabola conſtruere voluit. Si autem adiecit vltimos primos, & primos vltimos futuros: ac, multos eſſe vocatos, paucos autem electos, non mireris. Non enim à parabola id tibi concluſum eſt, ſed, quemadmodum nunc contigit, vt præter ſpem, & cõtra opinionem omnium æqualem omnes mercedem acciperent: ſic maius illud atque mirabilius, vt primi vltimi fiãt, & vltimi primi, euenturum oſtendit. Aliud igitur illud, aliud hoc eſt. Videtur autem mihi Iudæos hic ſermo tangere, ac eos ex fidelibus, qui primò virtute corruſcarunt, deinde negligentia deiecti ad profundum ſunt, & illos rurſus, qui à nequitia ſeipſos recipientes ad anteriora cucurrerunt. Non enim neſcij ſumus tam fide, quàm viuendi inſtitutis magnas mutationes plerũque fieri ſolere. Quare, obſecro magno ſtudio, diligentiq́ue cura & fidem rectam, & vitam integram conſeruemus. Niſi enim fidei viuendi cõgruat diſciplina, vltima pendemus ſupplicia: quod beatus Paulus à ſuperioribus oſtendit, dicens; Spiritalem potum omnes bibiſſe, & ſpiritalem cibum omnes comediſſe, nec tamen omnes ſaluos fuiſſe, ſed multos eorum in eremo procidiſſe. Chriſtus quoque idipſum declarat, cùm aliquos, qui eiecerunt dæmonia, ac etiam prophetarunt, in gehennam intrudat. Ad hæc parabolæ quoque illæ, virginum dico, illæ ſagenæ, ſpinarum, ac denique arboris nullum producentis fructum, omne virtutis opus requirunt. Accedit, quod rarius de dogmatibus Chriſtus diſſerit, ſæpius, imò verò vbique, & ſemper de viuendi ſynceritate: nullo enim ad illud labore opus eſt: hoc, quoniam impugnatur quotidie, idcirco

Fides ſine operibus non ſaluat. 1. Cor. 10.

continuis laboribus indiget: nec ſolùm vniuerſa viuendi diſciplina, verumetiam parua eius omiſſa particula maxima damna intulit. Nam, eleemoſyna neglecta, quamuis virtutis quædam pars, non ipſa vniuerſa virtus ſit, in gehennam tamen facilè intruſit. Nam & virgines, quia ipſam non habuerunt, punitæ ſunt. Et diues hac de cauſa in inferno torquebatur, & qui eſurientem non cibarunt, vnà cum diabolo condemnantur. Præterea, non maledicere, particula virtutis quædam eſt, quam tamen niſi quis rectè peragat, foras eiicietur. Qui autem fratrem fatuum vocat, ait, gehennæ ignis reus eſt. Ad hæc modeſtia virtutis pars eſt: nullus tamen abſque hac dominum videbit. Perſequimini enim, inquit, pacem, ac ſanctimoniam, abſque qua nemo videbit dominum. Humilitas ſimiliter virtutis pars eſt, ſine qua etiam ſi alia multa peragas, immundus eris apud Deum: quod Phariſæus omnibus patefecit, qui mille virtutibus affluens, propter arrogantiam ſupernam fœlicitatem amiſit. Ego verò maius quiddam habeo dicere: nõ enim, vna quædam ſola particula virtutis amiſſa, cælum nobis omnino claudit, verumetiam ſi non congruenti cura, & ſtudio peragitur, illud ipſum ſolet inferre: Niſi enim ſuperabundauerit, inquit, iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et quantum illi præbebant, inquies? Id iam etiam ipſe dicere volebam, vt & qui & non dant, inciteantur ad dandum: &, qui libenter afferunt, non ſuperbiant, ſed plura dare conentur. Quantum igitur illi præbebant? Decimam primò rerum ſuarum omnium, deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Quare nec tertiam partem præbebãt? Tres enim hæ decimæ coaceruatæ minus tertia totius conficiunt. Sed ad hæc primitias quoque, ac primogenita, & alia plura, partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebant. Præterea in diebus feſtis, in iubilæo, in debiti abſciſione, & famulorum dimiſſionibus, in mutuis abſque fœnore: ſi autem qui tertiam partem, imò verò mediam rerum ſuarum offerebant (aſcendẽt nempe ad medietatem omnia vnà congregata.) Si qui mediam, inquam, dabant, nihil magni operabantur: quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus vnquam dare cogitaſti? Quare nõ iniuria paucos fore ſaluos quidam dicebat. Non negligamus igitur exactam, atque exquiſitam viuendi diſciplinam. Nam, ſi pars quædam omiſſa tantùm periculum affert, ſi cuncta ſpreuerimus, quomodo æterna tormenta fugiemus, aut quod genus ſupplicij non perſoluemus? Sed quænam, inquies, ſpes ſalutis nobis reliqua eſt, ſi ſingula omiſſa in gehennam depellere poſſint? Hoc ipſum eſt, quod etiam ego magna voce conclamo: veruntamen, ſi attendere voluerimus, non eſt impoſſibile ſaluari, præſertim ſi eleemoſynæ remedia mutuemur, quibus vulnera noſtra diligenter curemus. Non enim ſic oleum corpus hominis roborat, vt animam miſericordia ſtabilit, adeoq́ue confirmat, vt ſuperari à diabolo nequeat: lubricũ enim eleemoſynę oleum corpus hominis conſtituit, ita vt manus diaboli facilè propter lubricitatem effugiat. Hoc igitur oleo crebrò nos perungamus, hoc ſpiritalis cauſa eſt ſanitatis, hoc lucem, hoc ſplendorem animo afferre ſolet. Sed ille, inquit, ac ille auri talenta non pauca poſſidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tua intereſt? imò verò mirabilior, atque venerabilior

Hebr. 12.

rabilior videberis, ſi, quum pauper ſis, benignior, ac liberalior eris. Nam & Apoſtolus Macedones admiratus eſt, non quia præbebãt, ſed quia, quamuis pauperes eſſent, tamen largiter offerebant. Verùm tu non ad illos, ſed ad communem omnium dominum, & magiſtrum reſpicias, qui non habebat vbi caput inclinaret. Cur igitur talis, inquies, id non facit? Noli alium iudicare, ſed teipſum ita redde laudabilem, vt omnem meritò accuſationem poſſis effugere. Maiora enim tormenta imminent, ſi, quum alios accuſes, ipſe non facies, ſed eiuſdem criminis obnoxius inueniaris. Nã, ſi qui rectè viuunt, iudicare alios non permittuntur, quantò magis à iudicando, peccantibus abſtinendum eſt? Non iudicemus igitur alios, neque deſidiam aliorum, ſed dominum noſtrum reſpiciamus, & ab eo bonorum omnium exempla ſumamus. Nunquid diuina ego tibi contuli beneficia? Nunquid ipſe te redemi, vt ad me reſpicias? Alius hæc tibi præbuit. Cur, omiſſo domino, conſerui operationem aſpicis? Non audiſti clamantem; Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde? & rurſus; Qui vult primus eſſe in vobis, ſit omnium
Ioan.13. miniſter. & rurſus: Non venit filius hominis, vt ei adminiſtretur, ſed vt ipſe adminiſtret. Præterea ne, aliorum pigritia offenſus, negligenter viuas: dictum tibi ab eo eſt; Exemplum enim dedi vobis, vt, ſicut ego feci, & vos faciatis. Non eſt tibi magiſter virtutis viuentium aliquis hominum, nec poteſt vllus te ad eam conducere. Maior igitur tua laus, præſtantior erit tua gloria, ſi nulla humana doctrina mirabilis euaſeris. Potes enim, & quidem facilè, ſi volueris. non enim primus eris, ſed multi iam id perfecerunt: vt Noë, Abrahã, Melchiſedech, Iob, & omnes, qui ſimiliter illis vixerunt. Si ad homines ergo reſpiciendum eſt, illos, non iſtos imitare, quos adeò æmulamini, vt in concionibus etiam veſtris, nihil aliud in ore, quàm hæc verba habeatis; Agri iugera ille tot, atque tot poſſidet, ille diuitiis præpotens palatia condit, maria conſtruit, aliaque huiuſmodi facit. Quid ita inhias, homo, ſi ad alios reſpicis, cur probè viuentes, cur laudabiles viros, cur eos, qui exquiſitiſſimè præcepta ſeruarunt, non vides, ſed inglorios, & offendentes Deum admiraris, à quibus multa exempla nequitiæ colliges, vnde in negligentiam, & in ſuperbiam incides, ac ad iudicandum alios conuerteris. Si verò virtutis cultores ſæpius tecum recenſeas, in humilitatem, & compunctionem, in ſtudia virtutũ, facilè teipſum perduces. Recordare Phariſæi, qui, quum ad probos non reſpexerit, ſed peccantis opprobria viderit, labores ſuos amiſit: illud igitur recordatus expaueſcas. E contrariò conſidera, quomodo mirabilis Dauid factus eſt: maiorum
Pſal.13. enim ſuorũ virtutes præ oculis ponebat. Aduena, inquit, ego ſum, & peregrinus, ſicuti omnes patres mei: neque is ſolùm, ſed omnes ei ſimiles, nõ peccatores, ſed virtutibus coruſcantes tenaci mente vertebãt. Ita igitur tu quoq; facitò. Nõ enim quaſi iudex alieni peccati ſediſti nec ad examinanda hominum peccata præfectus à domino es: tuus non aliorum iudex conſtitutus es. Nam ſi nos in-
1.Cor.11. dicaremus, non vtique, inquit Apoſtolus, iudicaremur. Iudicati autem à domino erudimur, quæ omnia in peruertiſti: Nullam enim à te exigis delictorum rationem, ſed aliena nimium anxia curioſitate ſcrutaris. Oro igitur obſecro, atque obteſtor, deſinamus iam, deſinamus hoc facere, & hac confuſione ordinis eiecta, noſtrorum nos peccatorum iudices conſtituamus. Ipſi accuſantes teſtimonium perhibentes, iudicantes, & ſupplicia exhibentes laudabimur. Quòd ſi aliena inquirere deſideras, clarorum opera virorum curioſius inueſtiga, vt tum ex memoria delictorum noſtrorum, tum ex æmulatione alienæ virtutis, tum denique ex iudicij noſtri in nos ipſos ſententia, quaſi ſtimulo quotidie compuncti, ac humiliores, & diligentiores facti, æterna fruamur beatitudine, gratia, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

AVTHOR DICTVS IMperfectus in Matth. Euang. eiuſdem expoſitio.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, &c. *Hom.34.in*
Homo paterfamilias Chriſtus eſt, cui cæli, & *Mat.Imperf.*
terra quaſi vna eſt domus, familia autem quaſi cæleſtium, & terreſtrium multitudo creaturarum, quaſi triſtegam domum ædificauit, id eſt, inferos, cælum, & terram: vt ſuper terram habitarent certantes, in inferno autem victi, in cælo victores, vt & nos in medio conſtituit, non contendamus ad eos deſcendere, qui ſunt in inferno, ſed ad eos deſcendere, qui ſunt in cęlo. Et ne fortè neſcias quid debeas fugere, aut quid debeas ſequi, vtriuſque dedit tibi quaſi modicum guſtum, inter lumen, & tenebras habitanti. Noctem de inferno, lumen de cælo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, & lux tibi referat de ſplendore cæleſti. *Conducere operarios in vineam ſuam.* Quæ eſt vinea Dei hîc? non *Math.10.*
homines, ſicut alibi: homines enim vineæ cultores dicuntur. Vinea enim iuſtitia eſt, in qua diuerſæ ſpecies iuſtitiarum poſitæ ſunt quaſi vites. Vtputa, manſuetudo, caſtitas, patientia, longanimitas, cæteráque innumerabilia bona, quæ omnia generaliter iuſtitiæ appellantur. Attendamus ergo cum quali ſtudio cæleſtẽ vineam colamus. Adam enim poſitus eſt in paradiſo colere, & operari eũ: ſed quia neglexit eum, proiectus eſt de eo. Et nos *Pſal.68.*
poſiti ſumus ſuper colendam iuſtitiam, ſi neglexerimus, proiiciemur de ea, ſicut & Iudæi proiecti ſunt. De quibus ſcriptum eſt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, vt non intrent in tuam iuſtitiam. Ruina præcedentium admonitio debet eſſe ſequentium. Si autem & nos ſequentes ceciderimus in ipſam, magis veniam merentur illi, qui primi ceciderunt, quàm nos, qui ſecundi. Sicut autem mercenarius poſitus in vinea, ſi neglexerit eam, non ſolùm mercedem ſuam perdet, ſed etiam deſertæ vineæ exigetur ab eo damnum: ſic & nos, ſi neglexerimus iuſtitiam nobis commiſſam, nõ ſolùm nullam mercedem habebimus, ſed etiam diſſipatæ iuſtitiæ dabimus rationem. Vinea enim Dei non extra nos, ſed in nobis ipſis plantata eſt. Ideo qui peccatum facit, diſſipat in ſe iuſtitiam Dei: qui autem bona opera facit, colit eam in ſe. Bene autem culta iuſtitia Dei in ſenſibus tuis generat botrionẽ, id eſt, Chriſtum. Nam *Galat.4.*
qui operantur iuſtitiam, Chriſtum formant in ſe, ſicut ſcriptum eſt: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Et quia qui vineam conſignat alicui operandam, non tantum propter illius vtilitatem conſignat, quantum propter ſuam. Deus autem iuſtitiam ſuam dans in

ſenſibus noſtris, non propter ſuam vtilitatem dedit eam, ſed propter noſtrã. Nec enim Deus opera hominum neceſſe habet, ſed vt nos operantes iuſtitiam, viuamus propter eam. Si ergo ille, qui propter ſuam voluntatem vineam commiſit alicui, talem illam quærit recipere, qualem illam cõmiſit: quomodo non à nobis ſic immaculata iuſtitia requirenda eſt, quomodo eam creauit in nobis, quibus non propter ſe dedit eam, ſed propter noſtrã ſalutem? Scitote quia mercenarij ſumus conducti. Si ergo mercenarij ſumus, cognoſcere debemus, quæ ſunt opera noſtra. Mercenarius enim ſine opere non poteſt eſſe. Opera autem noſtra ſunt opera iuſtitiæ: non vt agros noſtros colamus, & vineas: non vt diuitias acquiramus, & congregemus honores: ſed vt proximis proſimus. Et quamuis hæc ſine peccato facere poſſumus, tamẽ non ſunt opera noſtra, ſed diaria noſtra. Sicut ergo nemo ideo ſic conducit mercenarium, vt hoc ſolum faciat, quod manducet: ſic & nos non ideo vocati ſumus à Chriſto, vt hæc ſola operemur, quæ ad noſtrum pertinent vſum, ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius, qui hoc ſolum facit, quod manducat, ſine cauſa ambulat in domo: ſic & nos, ſi ſola hæc facimus, quæ ad noſtram pertinent vtilitatem, ſine cauſa viuimus ſuper terram. Et ſicut mercenarius prius aſpicit opus ſuum, deinde diaria ſua: ſic & nos ſi mercenarij Chriſti ſumus, primum debemus aſpicere quæ ad gloriam Dei pertinent, proximique profectum. (Quia charitas, & verus amor erga Deum non quęrunt quæ ſua, ſed ad libitum amati cuncta deſiderant perficere) deinde quæ ad noſtram vtilitatem. Et ſicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, vnam autem horam circa ſuum cibum: ſic & nos omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partẽ circa vſus noſtros terrenos. Et ſicut ſi mercenarius qua die opus non fecerit, erubeſcit intrare in domum, & petere ſibi panem: quomodo tu non cõfunderis intrare in eccleſiam, & ſtare ante conſpectum Dei, quando nil boni in conſpectu Dei geſſiſti? Exijt primo mane, & vocauit Adam: & qui cum eo fuerunt. Hora tertia Noë, & qui cum eo fuerunt. Hora ſexta Abraham, & qui cum eo fuerunt. Hora nona Moſen, & qui cum eo fuerunt: aut Dauid, & qui cum eo fuerunt. Nã ad iſtos poſuit teſtamenta. Hora vndecima Gentes intellige, quia iam nos in nouiſſima mundi margine ſtamus, ſicut & Ioannes in epiſtola ſua teſtatur, di-

1. Ioan. 2. cens: Filioli, iam nouiſſima hora eſt. Apoſtolus au-

Rom. 13. tem dicit iam aliquam partem duodecimæ horæ tranſiſſe: ſic, Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm quum credidimus. Puta erat vndecima hora. Noſtro tempore iam ſi non eſt duodecima hora integra, ſed ſine dubio modicum reſtat. In duodecima hora ſumus. Vnde putas, quia candor iuſtitiæ iam receſſit de mundo, & ſol radios gratiarum ſuarum in ſe colligens reuocauit, & totam terram nigredo iniquitatum, vel mendaciorum, quaſi nox fuſca cooperuit, niſi quia iam & ipſa duodecima hora finiatur? vbique tenebras vides, & dubitas diem tranſiſſe? Prius etenim in vallibus fit obſcuritas, die declinante ad occaſum. Quando ergo colles videris obſcurari, quis dubitat quin iã nox eſt? Sic primum in ſecularibus & laicis Chriſtianis incipit præualere obſcuritas peccatorum. Nunc autem quando iam vides, quod ſacerdotes poſitos in ſummo vertice ſpiritualium dignitatum, qui montes, & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebroſa, quomodo dubitetur, quia finis eſt mundi? *Item exijt circa tertiam, & vidit alios ſtantes in foro otioſos.* Videamus qui ſunt ocioſi. Non peccatores: illi enim mortui dicuntur, non ocioſi. Sicut enim ſurdus apud Deum dicitur, qui non audit, quæ Dei ſunt, ſed quæ diaboli: ſicut cæcus dicitur, qui non corporaliter cæcus eſt, ſed per cuius oculos diabolus videt, & non Deus: ſic qui diabolo viuit, mortuus eſt apud Deum. Quis eſt ergo ocioſus? Qui opus Dei non operatur. Puta, ſi alienas res tollis, non es ocioſus, ſed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotẽtibus das, tunc ocioſus es. Nam quia aliena non tollis, non quidem peccas, tamen nec iuſtitiam, nec miſericordiam operaris. Vis non eſſe ocioſus? Nec aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea domini, & coluiſti miſericordię vitem. Inebriaris, in delitiis es, non es ocioſus: ſed ſicut ait Apoſtolus, viuens mortuus es. Si 1. Tim. 5.

autem menſuratè manducas, & bibis nó quidem peccas, quia non malè manducas, tamen ocioſus es, quia nullam ieiunij operaris * virtutem. Vis * vitem.

ergo non eſſe ocioſus? Ieiuna, & quod manducaturus fueras diurno, da impotenti, & coluiſti ieiunij vitem. Item fornicaris, mortuus es, non ocioſus. Si autem tuam habes vxorem, non quidem peccati, nec tamen caſtitatis operaris vitem, Viſne eſſe non ocioſus? Sine vxore es, ne quæſieris vxorem. Si vidua es, noli tranſire ad ſecundas & tertias nuptias, & operata es caſtitatis vitem. Sed forte dicis, Sine vxore eſſe non poſſum. Oſtendo tibi, vt vxorem habeas, & caſtitatis vitem colas. Abſtine te à menſtruata, abſtine te à prægnante, erubeſce facere, quod animalia nó faciunt. Omne animal conceptionis ſuæ ſeruat honorem, & tempus, homo autem ſolus contemnit. Quando dies feſtus eſt, aut dies ieiunij, ſerua te, vt impleas Apo- 1. Cor. 7.

ſtolicum præceptum. Nolite fraudare inuicẽ, niſi forte ex conſenſu, vt vacetis ieiunio & orationi. Item ſi inuides meliori, mortuus es, non ocioſus: ſi autem nec inuides, nec congaudes, ocioſus es. Non ſolum ergo non inuideas, ſed etiam congaudeas meliori, & beneuolentiæ vitem colis. *In foro.* Forum eſt iſte mundus, vbi omnia venalia ſunt. Sicut enim propriũ eſt fori, vt omnia illic venundentur, & emantur, & inuicem ſe circumueniant ementes, & vendentes: ſic in hoc mundo omnes vendendo, & emẽdo viuunt, & inuicem ſibi fraudem facientes, vitam ſuam ſuſtẽtant. Inter emptores autem, & venditores accipe ubi omnes diuitias, & honores ſeculi huius, quæ & ipſæ nihilominus & venduntur, & emuntur, & omnis quæſtus eorum in venditione, ſeu mercatione conſiſtit. Fuge ergo forum, vt nec patiaris fraudem, nec facias. Si autem paſſus fueris, ipſa res te compellit & facere. Nam ſi iniuriam paſſus fueris, ſi nocitus fueris, difficile eſt, vt & tu ad vicem non noceas. Prima ergo laus eſt Chriſtiano, alienum eſſe à foro, nullam cauſam habere cum illo, ſicut ait Apoſtolus: Rogo autẽ vos ſtudium habere quie- 2. Theſ. 3.

tis, & ſilentij, ac negocij proprij operando manibus veſtris: & nullius veſtrum deſiderium ſit ad eos, qui foris. Si enim in foro permanſeris, & quod habes, perdes: ſi autem in vinea aſſiduus fueris, & quod non habes, acquires. *Item exiens circa ſextam, & nonam.* Ideo iunxit ſextam, & nonam, quia in

ſexta,

ſexta, & nona generatione vocauit Iudæos, & frequentauit cum hominibus diſponere teſtamenta, quaſi definito ſalutis omnium tempore iam propinquante. Nam poſt Noë ad neminem legimus Deum locutum fuiſſe, niſi primum ad Abraham, poſt eum confeſtim ad Iſaac & Iacob. Deinde non poſt multum temporis ad Moyſen, cui & legem dedit. Poſt eum ad Ieſum Naue. Tranſacto autem non multo poſt tempore, ad Samuelem, & Dauid, & in ſingulis quibuſque generationibus ad multos prophetas cum ſingulis teſtaméta diſponens. Sicut enim quis in itinere conſtitutus, aut in opere quodam, ante ſextam quidem non operatur, aut vigetur, aut ambolat, ſciens quia longus ei adhuc ſupereſt dies: tranſacta autem ſexta, quum cœperit eſſe octaua, aut noua, incipit properanſius agere, vt opus ſuum, vel iter tempore definito cõcludat: & ſic Deus vſque ad Abraham, qui fuit in ſexta hora, venit ad homines diſponere teſtamentum: Poſt Abraham autem vſque ad trãſmigrationem frequenter properans, vt aduentum ſuum in hunc mundum, & vocationem gentium definito tempore cõſummaret, quaſi veſpere iam propinquante. *Item exiit circa horam vndecimam, & dixit: Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* Vide quia vbique ocioſos vocat, non peccatores. Denique conſidera, ſeruus ille, qui acceperat à domino ſuo vnam mnam, vt quid audiuit, ſerue nequam? vt quid miſſus eſt in tenebras? aut quia perdidit mnam ſuam, aut quia nihil eſt lucratus de ea? Sine dubio, quia

Luca 19. nihil lucratus eſt de ea. Qui autem peccat, perdit gratiam quam accepit. Si ergo ille non eſt impunis in die iudicij qui ocioſus ſtetit in foro, & nullam iniuſtitiam operatus eſt: quid fiet illi in die iudicij qui peccauit, & mnam ſuam perdidit? *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* An neſcitis quia qui non operatur in hoc ſeculo, non manducat in illo? Et qui alijs manducantibus, & bibentibus in hoc ſeculo operatur, in illo ſeculo alijs ieiunantibus, ipſe non ieiunabit, ſed recumbet cum Abraham & manducabit de prandio vitæ. Qui autem hic alijs operantibus ſtat ocioſus, alijs recumbentibus in illo ſeculo, ipſe expelletur foras. Dies enim iſte, dies operationis eſt: dies autem ille, qui ſequitur, dies eſt feriarum. *At illi dixerunt: Nemo nos conduxit.* Quæ eſt conductio noſtra, & quæ conductionis merces? Promiſſio vitæ æternæ. Quid eſt, *nemo nos conduxit?*

Ioan. 17. Id eſt, nemo nos docuit. Quia hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, *Nemo nos cõduxit*, dicens: Quicunque reliquerit domum, aut villam, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, centuplum accipiet in hoc mundo, & in futuro vitam æternam poſſidebit: *Nemo nos conduxit*, dicens: Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, & habebitis theſaurum in cælo. Et nota, quoniam illi qui aut in prima hora vocati ſunt, aut in tertia, vel in ſexta, vel in nona, non reſponderunt, *quia nemo nos conduxit*. Omnes enim illi conducti fuerunt, & habuerunt notitiam Dei, & ſciuerunt Dei promiſſa. Gẽtes autem ſolæ neque Deum ſciebant, neque Dei promiſſa: ideo excuſabiliter reſponderunt. *Nemo nos conduxit. Et dixit eis: ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* Nota quia cum primis ſolis conuenit ſpecialiter dare denarium, iſtos autẽ omnes ſub incerto pacto conduxit, id eſt, quod iuſtum fuerit. Sciens enim dominus, quia præuaricaturus erat Adam, & omnes poſtmodum in diluuio fuerant perituri, certum pactũ fecit ad eum, ne quando dicant ideo ſe neglexiſſe iuſtitiam, quia neſciebant, quæ præmia fuerant recepturi. Illis autem non fecit pactum. Benignus enim paterfamiliâs ſciebat largitatem ſuam, quia tantum paratus eſt retribuere, quantum mercenarij recipere non ſperabãt. De dato enim eius nemo iuſtè murmurat, quia amplius dat, quàm omnis homo deſiderat. *Quum autem ſero factum fuiſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimo vſque ad primos.* Conſidera quia ſero, non in alio mane reddit mercedem. Ergo adhuc ſtante ſeculo iſto, iudicium eſt futurum, & vnicuique merces ſua reddenda. Propter duas rationes iudicium in hoc ſeculo fit. Primum, quia illic ipſa beatitudo ventura, ipſa eſt merces iuſtitiæ. Ideo non in illo ſeculo fit iudicium, ſed ante illud. Deinde ante aduentum diei illius præmittitur iudicium, ne videãt peccatores beatitudinem diei illius, dicente Propheta: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, *Dicit procuratori ſuo.* Cui procuratori? Sine dubio filius dicit ſpiritui ſancto. Et ſi volueris, concedo tibi, vt pater filio dicat. *Incipiens à nouiſſimo vſque ad primos.* Quare non à primis vſque ad nouiſſimos, ſed primùm à nouiſſimis? Attende, naturalis eſt ratio. Omnes nanque, qui ante aduentum Chriſti fuerunt, quaſi ex operibus ſuis facti ſunt ſancti, Gentes autem ex gratia Chriſti. Semper libẽtius aliquid damus his, quibus ſolùm pro honore noſtro donamus. Ergo omnibus ſanctis Deus reddens mercedem, iuſtus oſtenditur. Gentibus autem dat miſericordiam, dicente Apoſtolo: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. Aut certè propter demonſtrandam immenſam miſericordiam ſuam, ſicut eſt ibi, vt ait Apoſtolus: Et nos qui viuimus, qui remanebimus, non præueniemus eos, qui dormierũt: Magis enim ſecundum rem erat, vt prius viuentes immutarentur, poſtea mortui reſurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna eſt virtus, hoc ſolum quod ad immortalitatem mutantur: quod autem mortui incorrupti reſurgãt, duo ſunt opera: primò, quia reſurgunt: ſecundò, quia incorrupti reſurgũt. Ergo vt oſtendat Deus ineſtimabilem potentiam ſuam, quando quod difficillimum eſt, mortuos ſuſcitat incorruptos, poſtea viuentes immutat. Sic & in hoc loco ſecũdum rem quidem erat, vt primi, priores acciperent ſuam mercedem: ſed vt oſtendat Deus ineffabilem miſericordiam ſuam, primùm nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis. Sicut illic potentia immutandorum hominum excluſit ordinem, ita & hic nimia miſericordia ordinem non aſpexit. *Quum veniſſent autem, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios: Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi; acceperunt autem, & ipſi ſingulos denarios.* Non iniuſtè. Nam & qui in prima parte ſeculi natus eſt, non amplius vixit, quàm ſtatutum tempus vitæ ſuæ. Et quid illi nocuit, ſi poſt illius exitum ſtetit mundus? Et qui circa finem naſcuntur, non minus viuunt, niſi quanti dies numerati ſunt eis. Et quid illis prodeſt ad cõpendium laboris, ſi cito mundus finitur, quum ipſum penſum vitę ſuę compleant ante mundum? Deinde ſi in hominis eſſet potentia, quãdo naſceretur, prius aut poſtea: iuſta ratione primùm habebit mercedem, qui prius naſci voluit, ſecundum autem, qui poſtea venit ad vitam: nunc autem,

Eſa. 26.

Caue, nã videtur ſpiritũ ſanctum filij miniſtrum facere.

Caue legendum quod dicit de operibus, & gratia, ſoluantur enim ambo nõ per alterum tantum, ſed per vtrunque ſimul, ſaltem adultis.

quum in Dei ſit poteſtate, quando hominem producat in mundum, nec ille ſibi priorem honorem defendere debet, qui prius natus eſt, nec ille contemptibilior debet eſſe, qui poſtea. Dicit enim: Et ſi me prius creaſſet, prior eram. *Accipientes autem murmurauerunt aduerſus patremfamilias, dicentes: Quoniam hi nouiſſimi vna tantum hora fecerunt, & æquales illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus?* Si verum eſt, quod diximus, quia & illi ſuum tempus vixerunt, & non amplius: & iſti ſuum tempus, & non minus: & vniuſcuiuſque mors ſua conſummatio eſt ipſius: quid eſt quod dicunt: *Totius diei pondus*
Matth. * 1. Cor. 7. *portauimus, & æſtus*: Quia magna nobis eſt virtus ad faciendam iuſtitiam, cognoſcere nos oportere propè eſſe finem mundi. Vnde armans nos Chriſtus, dicebat: Appropinquauit regnum cælorum. Item Apoſtolus: Præterit enim figura huius mundi, volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Si ergo nobis virtus eſt, ſcire propinquum eſſe finem, nam quamuis vſque ad finem illius vita noſtra forſitan non extendatur, tamen quaſi accendamur, & præparemur ad ſuſcipiendum finem, conſequenter & illis
*infrigidatio. infirmatio * erat cognoſcere mundi ſpacia eſſe longinqua. Et quamuis ante finem mūdi in manu Dei eſſent ituri, tamen quodammodo negligentes eos faciebat circa iuſtitiā, & refrigeſcere faciebat animas eorum expectatio ſeculi longioris. Ideo ergo quamuis non per omne ſeculum vixerint, tamen totius ſeculi grauamina, & impedimenta pertuliſſe videmus. Item tunc mundus in iuuentute conſtitutus omnibus bonis proſperabatur, & fœlix erat: nunc autem mundus ſeneſcens omnibus aduerſitatibus premitur, & ideo concupiſcibilis non eſt. Qui ergo tunc fuerunt homines, cùm maiori difficultate & labore iuſtitiam ſeruarunt: quia ipſa fœlicitas mundialium rerum, ſatis impedimētum eſt animæ ad iuſtitiam faciendam. Nunc autem facilius homines iuſtitiam facere poſſunt, quia ipſa aduerſitas, & anguſtia mundialium rerum, adiuuat animam ad iuſtitiam faciendam. Sicut facilius eſt homini pauperi, & in anguſtiis conſtituto diſciplinam tenere, diuiti autem & abundanti difficile: ſic illis inter gaudia mundi difficile fuit tenere iuſtitiam, nobis autem inter tribulationes mundi facilè. Multum ergo tunc bonus erat, & fortis in fide, qui poterat euadere vanitatem: nunc autem multum iniuſtus. Et modo multum malus eſt, & miſer in fide, qui ſe non ſtringit ad Deum. Ergo pondus, quod dicit opus iuſtitiæ, ſignificat: quia graue eſt homini carnali amare iuſtitiam. Aeſtum autem dicit, concupiſcentias ſeculi, quas tunc patiebantur mundo iuuentute florēte. Ergo etſi non per omnem mundum vixerunt, tamen totius mūdi impugnationem paſſi ſunt: quia totius vitæ virtus in iuuentute oſtenditur. Aut pondus diei dicit, oneroſa legis mandata, propter quæ & alibi dominus hortatur Iudæos, & dicit: Venite ad me
Matth. 11. omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vobis requiem dabo. Aeſtum autem dicit, vel vrentem tentationem errorum, quàm conflabant ſpiritus maligni in eos, ad æmulationem Gentium eos irritantes, à quibus omnibus Gentes liberæ exciterunt, Chriſto credentes, & per compendium gratiæ, ad plenam ſalutem reuertentes. Nam neque legis opera portauerunt, ſicut Iudæi: nec ſeductiones paſſi ſunt diuerſorum errorum, quemadmodum illi. *At ille reſpondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam.* Ergo illi nō dolebant, quaſi fraudati de mercede ſua: ſed quia illi amplius quàm merebantur, acceperunt. Hoc eſt enim proprium inuidiæ, quando alteri aliquid additur: ſic dolent inuidi, quaſi illis ſit aliquid ſubductum, quod illi eſt additum. Vtputa, ſi viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus ſe pauperem factum. Si alter ſapientior fuerit factus, ita dolet quaſi ipſe ſit inſipiens factus. Intelligis quia ex vana gloria naſcitur inuidia? Nam ideo dolet eſſe ſecundus, quia deſiderat eſſe prior. *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Multi ſunt vocati pauci verò electi.* Poſtquam ſuperius de Iudæis, & Gentibus hanc ipſam dixiſſet ſententiam, & qui erunt primi, nouiſſimi: & nouiſſimi, primi: videlicet quia Iudæi & in primo loco vocati ſunt ante Gentes, in ſecundo autem ſaluati ſunt poſt Gentes, introducit parabolam iſtam. Et vt cognoſcamus, quia ad manifeſtationem præcedentium verborum hanc parabolam introduxit: ideo in fine eius eam ipſam ſententiam repetit, quam ſuprà dixerat. Aut ideo primos dicit nouiſſimos futuros, & nouiſſimos primos: non vt nouiſſimi digniores ſint, quàm primi, ſed vt coæquentur. Dicit enim propheta Eſdras,* volēs omnium ſanctorum vnam oſtendere vocationem, & nullam inter eos eſſe differentiam temporis cauſa, dicit omnium ſanctorum numerum * eſſe quaſi coronam. Sicut enim in corona quum ſit rotunda, nihil inuenis quod videatur eſſe initium, aut finis: ſic inter ſanctos quantum ad tempus in illo ſeculo, nemo nouiſſimus dicitur, nemo primus. Ideo ergo quibus datum eſt primùm naſci, nouiſſimè remunerantur: quia ſancti quaſi corona omnes æquales ſunt, nouiſſimè nati, primi remunerātur, vt illi illam gratiam habentes, iſti per hanc coæquentur. Quod autem dicit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: nō ad ſuperiores ſanctos pertinet, ſed ad Gentes: quoniam ex ipſis Gentibus, qui multi vocati ſunt, pauci ſunt eligendi.

*Eſaias. *meritum.

S. GREGORII PAPAE
in idem Euang. Hom.

IN explanatione ſua multa ad loquendum ſancti euangelij lectio poſtulat, quam volo, ſi poſſum ſub breuitate perſtringere, ne nos & extenſa proceſſio, & prolixa expoſitio videatur onerare. Regnum cælorum homini patrifamilias ſimile dicitur, qui ad excolendam vineam ſuam operarios conducit. Quis verò patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quàm cōditor noſter, qui regit, quos condidit, & electos ſuos ſic in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubiectos dominus in domo? Qui habet vineam, vniuerſam ſcilicet Eccleſiam, quę ab Abel iuſto vſque ad vltimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot ſanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam ſuam mane, hora tertia, ſexta, nona & vndecima operarios conducit, quia à mundi huius initio vſque ad finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non deſiſtit. Mane etenim mundi fuit ab Adam vſque ad Noë: hora verò tertia, à Noë vſque ad Abraham: ſexta quoque ab Abraham, vſque ad Moſen: nona autem à Moſe vſque ad aduentum domini. Vndecima verò ab aduentu domini vſq; ad finem mundi, in qua prædicatores ſancti Apoſtoli miſſi ſunt, qui mercedem plenam, & tardè venientes, acceperunt. Eſt Ho. 19. in Euang.

perunt. Ad erudiendam ergo dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam ſuam, nullo tempore deſtitit operarios mittere, quia & prius per patres, & poſtmodum per legis doctores, & prophetas, ad extremum verò per apoſtolos, dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per operarios in vineæ cultura laborauit: quamuis in quolibet modulo, vel menſura, quiſquis cum fide recta bonæ actionis prædicator extitit, huius vineæ operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, ſexta & nona, antiquus ille Hebraicus populus deſignatur, qui in electis ſuis ab ipſo mundi exordio dum recta fide Deum ſtuduit colere, quaſi non deſtitit in cultura vineæ laborare. Ad vndecimam verò Gentiles vocantur, quibus & dicitur; *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* Qui enim tranſacto tam longo mundi tempore pro vita ſua laborare neglexerant, quaſi tota die ocioſi ſtabant. Sed penſate, fratres, quid inquiſiti reſpondeant. *Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit.* Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat. Et quid eſt dicere, ad laborem nemo nos conduxit, niſi quia vitæ nobis vias nullus prædicauit? Quid ergo nos à bono opere ceſſantes, in excuſatione noſtra dicturi ſumus, qui pene à matris vtero ad fidem venimus? qui verba vitę ab ipſis cunabulis audiuimus? qui ab vberibus ſanctæ Eccleſiæ potum ſupernæ prædicationis ſumpſimus cum lacte carnis? Poſſumus verò & eaſdem diuerſitates horarum etiam ad vnumquenq; hominem per ætatum momenta diſtinguere. Mane quippe, intellectus noſtri pueritia eſt: hora autem tertia, adoleſcentia intelligi poteſt: quia quaſi iam ſol in altum proficit, dum calor ætatis creſcit. Sexta verò iuuentus eſt, quia velut in centro ſol figitur, dum in ea plenitudo roboris ſolidatur. Nona autem, ſenectus intelligitur, in qua ſol velut ab alto axe deſcendit: quia ætas calore iuuentutis deficit. Vndecima verò hora, ea eſt ætas, quæ decrepita, vel veterana dicitur. Vnde Græci valdè ſeniores non gerontas, ſed preſbyteros appellant, vt plus quàm ſenes eſſe inſinuent; quos prouectiores vocant. Quia ergo ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adoleſcentia, alius in iuuentute, alius in ſenectute, alius in decrepita ætate perducitur, quaſi diuerſis horis operarij ad vineam vocantur. Mores ergo veſtros, fratres, aſpicite, & ſi iam Dei operarij eſtis, videte. Penſet vnuſquiſque quid agat, & conſideret, ſi in Dei vinea laboret. Qui enim in hac vita ea, quæ ſua ſunt, quærit, adhuc ad domini vineã non venit. Illi nanque domino laborant, qui non ſua, ſed lucra dominica cogitant: qui zelo charitatis, ſtudio pietatis inſeruiunt, animabus lucrandis inuigilant, perducere & alios ſecum ad vitam feſtinant. Nam qui ſibi viuit, qui carnis ſuę voluptatibus paſcitur, rectè ocioſus redarguitur, quia fructum diuini operis non ſectatur. Qui verò & vſque ad ætatem vltimam Deo viuere neglexit, quaſi vſque ad vndecimam ocioſus ſtetit. Vnde rectè vſque ad vndecimam torpentibus dicitur; *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* ac ſi apertè dicatur; Etſi Deo viuere in pueritia, & in iuuentute noluiſtis, ſaltem in vltima ætate reſipiſcite, & ad vitæ vias, cùm iam multum laboraturi non eſtis, vel ſero venire. Et tales ergo paterfamilias vocat, & plerunque ante remunerantur: quia priùs ad regnum de corpore exeunt, quàm hi, qui iam in pueritia vocati eſſe videbantur. An non ad vndecimam venit latro? qui etſi non habuit per ætatem, habuit tamen ſerò per pœnam, qui & Deum in cruce confeſſus eſt, & pene cum voce ſententiæ, ſpiritum exhalauit vitæ. A nouiſſimo autem reddere denarium paterfamilias cœpit: quia ad paradiſi requiem priùs latronem, quàm Petrum perduxit. Quãti patres ante legem, quanti ſub lege fuerunt, & tamen ij, qui in domini aduentu vocati ſunt, ad cælorũ regnum ſine aliqua tarditate peruenerunt. Eundem ergo denarium accipiunt, qui laborauerunt ad vndecimam, quem expectauerunt toto deſiderio, qui laborauerunt ad primam: quia æqualem vitæ æternæ retributionem ſortiti ſunt cum iis, qui à mundi initio vocati fuerant, ij, qui in mundi fine ad dominum venerunt. Vnde & ij, qui in labore pręceſſerunt, murmurantes dicunt; *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus põdus diei & æſtus?* Pondus ſiquidem diei, & æſtus portauerunt ij, quos à mundi initio, quia diù hic contigit viuere, neceſſe etiam fuerat longiora carnis tentamenta tolerare. Vnicuique enim pondus diei, & æſtus ferre, eſt per longioris vitæ tempora, carnis ſuæ calore fatigari. Sed quæri poteſt, quomodò murmuraſſe dicti ſunt, qui ſaltem ſerò ad regnum vocantur. Cælorum enim regnum nullus murmurans accipit, nullus qui accipit, murmurare poteſt. Sed, quia antiqui patres vſque ad aduentum domini, quantumlibet iuſtè vixerunt, ducti ad regnum non ſunt, niſi ille deſcenderet, qui paradiſi clauſtra hominibus interpoſitione ſuę mortis aperiret: eorum hoc ipſum murmuraſſe eſt, quod & rectè pro percipiendo regno vixerunt, & tamen diù ad percipiendum regnum dilati ſunt. Quos enim poſt peractam iuſtitiam inferni loca, quamuis tranquilla, ſuſceperunt, eis profectò & laboraſſe fuit in vinea, & murmuraſſe. Quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem, qui ad vndecimam venimus, poſt laborem non murmuramus, & denarium accipimus: quia poſt mediatoris aduentum, in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox vt de corpore exiimus, & illud ſine mora percipimus, quod antiqui patres cũ magna percipere dilatione meruerunt. Vnde & idem paterfamiliàs dicit: *Volo & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Et quia ipſa regni perceptio eius eſt bonitas voluntatis, rectè ſubiungit; *An non licet mihi quod volo facere?* Stulta enim quæſtio eſt hominis contra benignitatem Dei. Conquerendum quippe eſſet, non ſi daret, quod non deberet, ſed ſi non daret, quod deberet: Vnde aptè ſubditur, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Nemo autem ſe de opere, nemo de tempore extollat, cùm hac expleta ſentẽtia ſubſequenter veritas clamet, *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Ecce enim etſi iam ſcimus, quæ, vel quanta bona egimus, adhuc ſupernus iudex qua ſubtilitate hæc examinet, ignoramus. Et quidem gaudendum cuique ſummoperè eſt, in regno Dei eſſe vel vltimum. Sed poſt hæc terribile eſt valdè, quod ſequitur; *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Quia & ad fidem multi veniunt, & ad cæleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem quàm multi conuenimus, Eccleſiæ parietes implemus, ſed tamen quis ſciat, quàm pauci ſunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.

Anima beatitudo etiam ante iudicij diem.

Tit. 1. fugiunt. Hinc etenim ad Titum Paulus dicit; Qui *Iac. 2.* confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Hinc Iacobus ait; Fides ſine operibus mortua eſt. *Pſal. 39.* Hinc per Pſalmiſtam dominus dicit; Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Vocante enim Domino, ſuper numerum multiplicantur fideles: quia nonnunquam etiam ij ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hîc enim fidelibus per confeſſionem admixti ſunt, ſed propter vitam reprobam illic numerari in ſorte fidelium non merentur. Hoc ouile *Matth. 25.* ſanctæ Eccleſiæ hœdos cum agnis recipit: ſed atteſtante Euangelio, cùm iudex venerit, bonos à malis ſeparat, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Neque etenim poſſunt, qui hic carnis ſuæ voluptatibus ſeruiunt, illic in ouium grege numerari. Illic eos à ſorte humilium iudex ſeparat, qui ſe hic in ſuperbiæ cornibus exaltant. Regnum cælorum percipere nequeunt, qui hîc in cæleſti fide poſiti, toto deſiderio terrena quærunt. Et multos tales intra Eccleſiam, fratres chariſſimi, cernitis, ſed eos ** deſperare.* nec imitari, nec * deſpicere debetis. Quid enim ſit hodiè, aſpicimus: ſed quid cras futurus ſit vnuſquiſque, neſcimus. Plerunque & qui poſt nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & vix eum cras ſequimur, quem hodiè *Act. 7.* præire videbamur. Ecce cùm Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium veſtimenta ſeruabat. Omnium ergo lapidantium manibus ipſe lapidauit, qui ad lapidandum omnes expeditos reddidit: & tamen eundem ipſum in ſancta Eccleſia laboribus anteceſſit, quem perſequendo martyrem fecit. Duo ergo ſunt, quæ penſare ſolicitè debemus. Quia enim multi vocati, ſed pauci electi ſunt, primum eſt, vt de ſe quiſque minimè præſumat: quia etſi iam ad fidem vocatus eſt, verùm perenni regno dignus ſit, neſcit. Secundùm verò eſt, vt vnuſquiſque proximum, quem fortaſſe iacere in vitijs conſpicit, deſperare non audeat, quia diuinæ miſericordiæ diuitias ignorat. *Vides neminem eſſe explorandum, nam fit Deo gratum.* Rem, fratres, quæ nuper contigit, refero, vt, ſi vos peccatores ex corde eſſe conſpicitis, omnipotentis Dei miſericordiam ampliùs ametis. Præſenti anno in monaſterio meo, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis, & Pauli Eccleſiam ſitum eſt, frater quidam ad conuerſionem venit: deuotè ſuſceptus eſt, ſed ipſe deuotiùs eſt conuerſatus. Hunc ad monaſterium frater ſuus corpore, non corde ſecutus eſt. Nam valdè conuerſationis vitam, & habitum deteſtans, in monaſterio vt hoſpes habitabat, & monachorum vitam moribus fugiens, recedere à monaſterij habitatione non poterat, quia vel quid ageret, vel vnde viueret, non habebat. Erat eius prauitas cunctis oneroſa: ſed hunc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tolerabant. Nam ſuperbus, & lubricus, ſi qua poſt hoc ſeculum vita ſequeretur, neſciebat. Irridebat verò, ſi quis illi hanc prædicare voluiſſet. Itaque cum habitu ſeculari viuebat in monaſterio, verbis leuis, nutibus inſtabilis, mẽte tumidus, veſte compoſitus, actione diſſipatus. Menſe autem Iulio nuper elapſo, huius, quam noſtis, peſtilentiæ clade percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, vrgeri cœpit, vt animam redderet. Et vltima iam corporis parte præmortua, vitalis virtus in ſolo pectore, & lingua remanſerat. Fratres aderant, eiúſque exitum, inquantum Deo largiente poterant, oratione tuebantur. At ille ſubitò ad deuorandum ſe draconem venire conſpiciens, magnis cœpit vocibus clamare, dicens; Ecce draconi ad deuorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam deuorare me non poteſt. Quid mihi moras facitis? Date locum, vt ei deuorare me liceat. Cúmque hunc fratres, vt ſignum ſibi crucis imprimeret, admonerent, reſpondebat virtute qua poterat, dicens; *Obſerua, vt ſemper Chriſtiani Cruce ſe ſignarint.* Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia à dracone premor. Spumæ oris eius faciem meam liniunt, guttur meum eius ore ſuffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur, qui iam & caput meum in ſuo ore abſorbuit. Cúmque hoc ille pallens, & tremens, & moriens diceret, cœperunt fratres vehemẽtiùs orationibus inſiſtere, & oppreſſum draconis præſentia, ſuis precibus adiuuare. Tum repentè liberatus, magnis cœpit vocibus clamare, dicens; Deo gratias. Ecce diſceſſit, ecce exiit ante orationes veſtras fugit draco, qui me acceperat. Mox autem ſeruiturũ ſe Deo & eſſe monachum deuouit, atque à tempore illo nunc vſque febribus premitur, doloribus fatigatur. Morti quidem ſubtractus eſt, ſed adhuc pleniùs vitæ reſtitutus non eſt. Quia enim longis, & diuturnis iniquitatibus preſſus eſt, longo languore fatigatur, & durum cor ignis purgationis durior concremat: quia diuina diſpenſatione agitur, vt prolixiora vitia, ægritudo prolixior exurat. Quis illum vnquàm ſeruari ad conuerſionem crederet? Quis tantam Dei miſericordiam conſiderare ſufficiat? Ecce iuuenis prauus draconem vidit in morte, cui ſeruiuit in vita: nec vidit, vt vitam funditùs perderet, ſed vt cui ſeruierat ſciret, ſciendo reſiſteret, ipſúmque reſiſtendo ſuperaret: & eum à quo priùs non videns tenebatur, vidit poſteà, ne teneretur. Quæ ergo lingua narrare viſcera diuinæ miſericordiæ ſufficiat? Quis ſpiritus ad tantæ pietatis diuitias non obſtupeſcat? Has diuinę pietatis diuitias conſiderauit Pſalmiſta, cùm diceret; Adiutor meus *Pſal. 58.* tibi pſallam: quia tu Deus ſuſceptor meus es, Deus meus, miſericordia mea. Ecce perpendens in quibus laboribus humana ſit vita conſtituta, Deum appellauit adiutorem. Et quia à tribulatione præſenti in requiem æternam nos ſuſcipit, appellat etiam ſuſceptorem. Sed conſiderans, quòd mala noſtra aſpicit, & portat, culpas noſtras tolerat, & tamen nos per pœnitentiam ad præmia reſeruat, noluit Deum miſericordem dicere, ſed hunc ipſam miſericordiam vocauit, dicens; Deus meus, miſericordia mea. Reuocemus ergo ante oculos mala, quæ fecimus, penſemus ex quanta Dei benignitate toleramur: conſideremus quæ ſunt pietatis eius viſcera, vt non ſolùm culpas indulgeat, ſed cæleſte regnum pœnitentibus etiam poſt culpas promittat, atque ex omnibus medullis cordis dicamus ſinguli, dicamus omnes; Deus meus, miſericordia mea.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, &c. Paterfamilias cõditor noſter eſt, qui in vineam ſuam, id eſt, Eccleſiam, quot ſanctos ab Abel iuſto, vſque ad vltimum ſanctum, qui in fine mundi venturus eſt, protulit, quaſi tot palmites miſit. *Conuentione autem facta cum operarijs, &c.* Denarius imaginem regis habet, & vnuſquiſque qui ad

Eccleſiam

Eccleſiã propinquat, in Chriſto debet imaginem recipere deitatis, quam in paradiſo hunc ſerpentis perdiderat. Huius vineæ operarij primò patres, deinde legis doctores & prophetæ, ad extremum apoſtoli, ſacrorum in ea morum excolebãt, prout tempus dictauerat, venuſtatem. *Et egreſſus circa horam tertiam, &c.* Ab initio enim vſque ad finem mũdi iſtius, ad erudiẽdam fidelium plebam, dominus deſtinare prædicatores nõ deſiſtit, cuius mane ab Adam ad Noe vſque protendebat, hora verò tertia à Noe, vſque ad Abraham: ſexta verò, vſque ad Moyſen: nona à Moyſe vſque ad aduentum domini fuit, in quibus antiquus ille populus, dum recta fide Deum colere ſtuduit, quaſi in cultura vineæ laborauit. Vndecima verò eſt ab aduentu domini, vſque ad finem mundi, in qua gentiles, qui anteà ocioſi ſtabant, per operatores apoſtolos, ad vineam domini vocantur, qui dicebant, Quia nemo nos conduxit, id eſt, vitæ vias aperuit. Poſſumus etiam eaſdem horarum diuerſitates ad vnumquemque hominem per ætatum momenta diſtinguere: quia ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adoleſcentia, alius in iuuentute, alius in ſenectute, alius in decrepita ætate perducitur. *Cùm autem ſerò factum eſſet, &c.* Tempore enim præterito, futuri temporis per ſimilitudinem exponit rationem, in quo Chriſtus totius creaturæ procurator, & rector omnibus mercedem reſtituet, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit. Et incipiet à nouiſſimis vſque ad primos, vel quia plerunque antè remunerantur ſerò venientes: quia prius ad regnum exeunt de corpore, vel quia æqualem vitæ æternæ retributionem ſortiuntur. Cùm veniſſent, *ergo qui circa vndecimam horam abierant, &c.* Quaſi ergo poſt murmurationem denarium acceperunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt, quem nos quaſi ſine murmuratione poſt mediatoris aduentum ſumimus, quis mox vt de corpore eximus, ſine mora illa percipimus. *At ille reſpondens vni eorũ, &c.* Iſte amicus qui increpatur, protoplaſtum, & eos qui in illo tempore crediderant, poteſt ſignificare, cui dicitur: Nónne ex denario conueniſti mecum, id eſt, recepiſti mercedem, quam tibi promiſeram: hoc eſt imaginem & ſimilitudinem meam quid quæris amplius & non tam ipſe plus accipere, quàm alium nihil accipere deſideras. *Volo autem & huic nouiſſimo dare, &c.* Verè enim Iudæi oculum prauum, id eſt, nequam habentes intentionem queſti ſunt contra benignitatem Dei: & ſtultè, cui collatio regni non eſt meriti aut dignitatis, ſed diuinæ eſt præſtatio bonitatis. *Sic erunt nouiſſimi primi, &c.* Id eſt, Iudæi de capite vertentur in caudam & gentes de cauda mutabuntur in caput. *Multi enim ſunt vocati, &c.* Quia ad fidem multi veniunt & ad cæleſte regnum pauci perducuntur.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberſtat. ſuperioris* Euang. *expoſitio.*

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineã ſuam. Et reliqua. Intellectus huius lectionis ex ſuperioribus dependet, quibus dicitur: Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi, quem verſiculum in ſubſequentibus explanabimus. *Regnum cælorum*, in hoc loco eccleſiam, id eſt, congregationem ſanctorum poſſumus intelligere: quia dum electi in præſenti ſeculo nihil terrenum appetunt, ſed per mentis contemplationem toto niſu cordis & corporis ad patriam cæleſtem tendunt, in eorum cordibus quaſi in cæleſtibus dominus regnat. Iſte paterfamilias Deus pater intelligitur, qui ſic in hoc mundo regnat, homines quos condidit veluti quælibet terrena poteſtas, gubernat & regnat quos in domo ſua nutrit. Cui patrifamilias, id eſt, Deo patri, tunc aſſimilatur regnum cælorum, id eſt ſancta eccleſia, quum ſanctitatem illius imitari ſtudet, iuxta quod ipſe dicit per prophetam: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum dominus Deus *Leuit. 11.*
veſter. In quantum homo ſanctitatem imitatur, in tantum ſimilis Deo efficitur. *Qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Quod deſignatur per regnum cælorum, hoc deſignatur per vineam, id eſt, præſens eccleſia. Quæ vinea, id eſt, præſens eccleſia ab initio vſque ad finem ſeculi, quot ſanctos protulit & profert quotidie, quaſi tot palmites miſit & mittit. Per primum mane debemus intelligere omne tempus primæ ætatis ab Adam vſque ad Noë. Horam tertiam à Noë vſque ad Abraham. Horam ſextam ab Abraham vſque ad Moyſen. Horam nonam à Moyſe vſque ad aduentum domini (iſta hora fuit maxima) vndecimã ab aduentu domini vſque ad finem ſeculi. In quibus diuerſis horis temporum non deſtitit Deus operarios, id eſt, prædicatores ſuos, mittere in vineam ſuam, in ſanctam eccleſiam: qui ſiue verbis, ſiue ſcriptis, ſiue operibus iter vitæ aliis demonſtrarent. Poſſumus & eaſdem diuerſitates horarum ad ætates humanas referre. Primum mane intelligitur infantia, vel pueritia: hora tertia intelligitur adoleſcẽtia: hora ſexta, iuuentus: hora nona, ſenectus: hora vndecima intelligitur ea ætas, quæ veterana dicitur. Sunt qui veniunt ab infantia, vel in pueritia ſua ad ſeruitium Dei omnipotentis, hi veniunt prima hora. Et ſunt qui veniunt ab adoleſcentia ſua: hi veniunt hora tertia, ſunt qui veniunt in iuuentute ſua, hi veniũt hora ſexta. Et ſunt qui in ſenectute ſua, hi veniunt hora nona. Sed qui in decrepita ætate, quæ veterana dicitur, conuertuntur ad ſeruitium Dei omnipotentis, hi veniũt hora vndecima. *Conuentione facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Denarius nomen, & imaginem regis quondam continebat, & à numero decem denariorum vocatus eſt denarius, quia quod modò habent decem nummi denarij, hoc antiquis diebus habebat vnus denarius. Primus homo Adã ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt: quia ſicut Deus æternus, & immortalis eſt, ita hominẽ æternum, & immortalem condidit, niſi peccaſſet. Vbi peccauit, ſtatim denarium, id eſt, ſimilitudinem, & imaginem Dei amiſit. Eiectus eſt de paradiſo, & factus eſt iniuſtus, qui antea iuſtus erat: & factus eſt mortalis, qui antea erat immortalis. Vt autem illum denarium, id eſt, illam imaginem, & ſimilitudinem Dei, quã perdidimus in primo homine peccante, recuperare poſſimus, ideo venimus in vineam, in ſocietatem ſanctæ eccleſiæ credendo, & baptiſmi ſacramentum recipiendo. In baptiſmo etenim recipimus imaginem Dei: quia mundamur ibi ab omnibus peccatis & originalibus, & actualibus ſanctificamur. Similitudinem Dei ibi recipimus, quia, ſi poſt baptiſmum ſtuduerimus

nos

nos obſeruare à peccatis, æternaliter cum Deo viuemus in anima ſola vſque in diem iudicij. Poſt diem iudicij in anima ſimul, & corpore. *Circa vndecimam verò exijt.* Per vndecimam horam (vt diximus) deſignantur omne tempus ab Adam vſque ad finem ſeculi. In vndecima verò hora, id eſt, in nouiſſima ætate ſeculi, exiuit dominus in gentes per apoſtolos ſuos, quibus dixit: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Illi autem profecti prædicauerunt, vbique domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Tunc impletum eſt illud Pſal. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et, non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorũ. Antea defecit eis terra, quàm lingua. *Et inuenit alios*, id eſt, gentiles *ſtantes in foro otioſos*, id eſt, à bono opere quieſcentes. Operator primæ horæ, tertię, ſextę, & nonæ Iudaicus populus fuit, qui penè ab exordio mundi in dominum credidit. In vndecima hora gentiles vocantur ad fidem per Apoſtolorum prædicationem quibus dicitur: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Dum enim gentiles ab exordio mundi à bono opere, & à fide torpentes erant, quaſi tota die otioſi ſtabant, *Reſponderunt & dixerunt: Nemo nos conduxit.* Id eſt, nemo vias vitæ nobis prædicauit, nullus patriarcha, nullus propheta, nullus angelus miſſus eſt ad nos, qui in vineam tuam, id eſt, in ſanctam eccleſiam nos introduceret, & vias vitæ demonſtraret: ideo alieni ſumus à ſeruitio tuo. Quid ergo nos in die iudicij in excuſatione noſtra dicturi ſumus, qui penè ab ipſis cunabulis verbum vitæ audiuimus? dicit eis: *Ite & vos in vineam meam.* Id eſt, credite in me, & baptizamini, confirmamini ſpiritu ſancto. *Et quod iuſtum fuerit, dabo vobis*, id eſt, vitam æternam. Qui ſunt, qui laborant in vinea domini, id eſt, in ſancta eccleſia? Qui lucrum animarum quærunt, qui ſecum alios ad vitam æternam pertrahere feſtinant verbo, & opere. *Cum ſero autem factum eſſet.* Sicut per mane intelligitur initium mundi, ita & per ſero intelligere poſſumus finem ſeculi. Hoc eſt illud ſero, de quo Ioannes Euangeliſta dicit. Filioli mei

1. Ioan. 2. nouiſſima hora eſt. *Dixit dominus vineæ.* Dominus vineæ, Deus pater intelligitur, qui in hoc mundo gubernat homines quos creauit, *procuratori ſuo* procurator Dei patris, filius eſt dominus Ieſus Chriſtus, quia pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Cui etiam tradidit eccleſiam ſuam gubernandam: quam ipſe filius proprio ſanguine ſuo redemit, & baptiſmate ſuo quotidie abluit, & ſpiritus ſancti donum tribuit, corpore ſuo etiam, & ſanguine quotidie paſcit. *voca operarios*, Quando vocabit Deus dominus Ieſus operarios? In die iudicij, quando implebitur

Ioan. 5. illud, quod ipſe dicit: Venit hora, quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent, tunc, id eſt, in die iudicij reddet ipſe Deus *mercedem operarijs ſuis*, ſcilicet vnicuique ſecundum opera ſua *incipiens à nouiſſimis*, id eſt, gentilibus *ad primos*, id eſt, Iudæos. Iudæi

Pſal. 76. enim, qui primi fuerunt in fide, de quibus Pſalmiſta dicit: Notus in Iudæa Deus, nouiſſimi effecti ſunt in perceptione denarij, id eſt, in perceptione regni cæleſtis: & gentiles, qui nouiſſimi fuerunt in fide, primi efficiuntur in perceptione regni cæleſtis. Quare hoc? Quia patres veteris teſtamenti regnum cælorum cum magna dilatione perceperunt, & percipiunt quotidie nunc fideles ſine vlla tarditate: in tantum, vt, ſi ille, qui baptizatus eſt, vt aſcendit de fonte, ſtatim mortuus fuerit, abſque vlla dilatione temporum, tranſeat ad patriam cæleſtem. *Quum veniſſent autem hi, qui circa horam vndecimam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati ſunt*, id eſt, æſtimauerũt, *quòd plus eſſent accepturi.* Eundem denarium, id eſt, eandem remunerationem, vel eandem vitam æternam receperunt gentiles, & recipiunt quotidie, qui in nouiſſimo tempore crediderint, quem perceperunt patriarchæ, & prophetæ, qui præceſſerunt aduentum domini. In cælo vna vita æterna eſt omnibus: quia nullus ibi amplius viuere poteſt alio, ſed omnes æqualiter viuent: tamen propter diuerſitates meritorum, diuerſæ ſunt ibi manſiones, iuxta quod dominus dicit. In domo patris mei multæ manſiones ſunt. Sicut verbi gratia: In vno cælo ſol, & luna, & ſtellæ conſiſtunt, tamen diſſimiliter fulgent, quia claritas ſolis maior eſt quam claritas lunæ, & claritas lunæ maior eſt quam luciferi, & claritas luciferi maior eſt quàm claritas cæterarum ſtellarum. Similiter in reſurrectione iuſtorum erit, vnam vitam æternam percipient omnes ſancti, ſed pro qualitate meritorum diuerſa erit dignitas remunerationis. Qui enim plus laborauerint in præſenti ſeculo pro vita æterna, maius præmium à Deo percipient. *Et accipientes murmurabant aduerſus patrem familias dicentes.* Illi, qui murmurauerunt, Iudęi intelliguntur, qui ſemper inuidiam habuerunt contra gentiles. Sed quærendum eſt, quomodo murmurare poſſit, qui regnum cælorum à domino percipit? Murmuraſſe patriarcharum, & prophetarum fuit, rectè crediſſe, & rectè vixiſſe, & Dei præcepta ſeruaſſe, ſed poſt longa tempora & poſt longam ſeruitutem bonorum operum non ad cęlos aſcendiſſe, ſed ad inferni clauſtra deſcendiſſe, donec Ieſus Chriſtus per incarnationis myſterium veniret in mundum, & ſua poteſtate destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & deinde per ſemetipſum ianuam regni cæleſtis aperiret credentibus in ſe. *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Ferre pondus eſt aduerſa iſtius ſeculi diu tolerare, & tentamenta carnis vincere. In hoc ergo ſancti patriarchæ, & prophetæ & cæteri iuſti, qui ante aduentum domini fuerunt, pondus diei portauerunt: quia aduerſa huius ſeculi longo tempore tolerauerunt, & æſtum, id eſt, calorem corporis ſui viriliter refrenauerunt. Quia quos diu hic, id eſt, in præſenti vita contigit viuere, diu etiam contigit mala ſeculi ſuſtinere, vel aliter. Pondus diei portauerunt Iudæi quia octauo die natiuitatis circuncidebant filios ſuos ſecundum legis præceptum, & per ſingulas hebdomadas ſe baptizabant, & ter in anno feſtiuitatem ſolennem celebrabant. Æſtum diei portauerunt quia mane, & veſpere offerebant ſacrificia domino, & iugiter nutriebant ignem in altari carnibus, & lignis. Cætera etiam legalia veteris teſtamenti penè impoſſibilia cogebantur obſeruare. *At ille reſpondens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam.* Amicum vocat, quia in vineam domini vocatus fuit. Ius dicitur lex, Iniuria dicitur quicquid contra legem agitur. *Amice, non facio tibi iniuriam*, id eſt, non facio tibi contra legem. *Nonne ex denario conueniſti mecum?* Mea conuentio, & tua fuit, vt vnum denarium

Beatitudo animarum non differtur vſque ad iudicij diem.

In cælo pro diuerſitate merito diuerſa præmia. Ioan. 14.

Gen. 17.

denarium,id eſt,vitam æternam darem tibi.Ipſam vitam æternam,pro qua ſeruiſti mihi, tribuo tibi. Quare ergo à me quæris amplius? *Tolle, quod tuum eſt*,tolle tuum denarium,id eſt,vitam æternam,*& vade*,id eſt,intra in vitam æternam. *Volo & huic nouiſsimo*,id eſt,gentili dare:*ſicut & tibi* Iudæo, *an non licet mihi,quod volo,facere?* ac ſi diceret. Nunquid tu vis auferre poteſtatem meam?Hîc datur nobis intelligi,quia præmium vitæ æternæ non ex meritis noſtris eſt,ſed gratia Dei. *An oculus tuus nequam eſt*, id eſt, intentio mentis tuæ praua eſt,*quia ego bonus ſum?Sic erunt nouiſsimi primi,& primi nouiſsimi.* Sicut illi, qui venerunt prima hora in vineam, effecti ſunt nouiſſimi in perceptione denarij. Simili modo in ſancta eccleſia Iudæi fuerunt primi per fidem, ſed nouiſſimi effecti ſunt per infidelitatem, & gentiles fuerunt nouiſſimi per infidelitatem,ſed primi effecti ſunt per domini miſericordiam. Iudæi fuerunt quondã in capite, modò ſunt in cauda.Et gentiles:qui quondam fuerũt in cauda, modò ſunt in capite. Vel aliter.*Sic erunt nouiſsimi primi & primi nouiſsimi.* Ita ſolet fieri nunc in ſancta eccleſia.Verbi gratia:Eſt modò aliquis in ſeculo homicida, adulter, ſacrilegus,& periurus, & multis criminalibus peccatis irretitus, venit ad ſenectutem & in ſenectute conuertitur in ſeruitutem Dei omnipotẽtis,& affligit ſe pro peccatis ſuis, in oratione,in vigiliis,& ieiunio. Pœnitẽtia expleta per paucum tempus tranſit in regnum cælorum. Et eſt talis in eccleſia,qui ab infantia ſua ſeruiuit Deo omnipotenti in clericali habitu, & paſſus multas tribulationes in Dei ſeruitio ad ſenectutem, poſtmodum tranſit ad regnum cælorum. Iſte talis,qui ab infantia ſua Deo ſeruiuit, cum deberet primus eſſe in perceptione regni cæleſtis, ſi Deo placuiſſet,fit nouiſſimus.Et ille,qui de ſeculo in ſenectute ſua conuertitur ad ſeruitium Dei, fit primus, cum deberet eſſe nouiſſimus: *Multi enim ſunt vocati*(per fidem)*pauci verò electi* per operationem.Omnium vox Chriſtum clamat, ſed non omnium vita Chriſtum clamat.De talibus dicit Paulus apoſtolus: Confitentur ſe noſſe Chriſtum, factis autem negant. Sicut enim in area paleæ permixtæ ſunt granis, cùm autem ſeparatæ fuerint paleæ à granis,grana implent horreum dominicum. Similiter in die iudicij cùm reprobi ſeparati fuerint ab electis, implebunt electi horreum dominicum,id
Mt.2. eſt,patriam cæleſtem, dicente ſibi domino: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, reprobi deputabũtur ad pœnas perpetuas, de quibus nos liberare dignetur dominus Ieſus Chriſtus, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum,Amen.

CHRISTIANI DRVTHmari eiuſdem *Euang.expoſitio.*

SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias. Iſta parabola de verſu ſuperiori dicitur, multi erũt enim primi nouiſſimi:Regnum cælorum præſens eccleſia intelligitur. Paterfamilias,Deus omnipotens,qui habet vniuerſalem vineam,ſcilicet eccleſiam,quæ ab Abel iuſto vſque ad vltimum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot ſanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. *Qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Quia deus omnipotẽs in initio mundi miſit patriarchas, Adam, Abel, Enoch, & reliquos. *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno.* Tunc dominus conuentionem fecit cum homine, quando pro cuſtodia mandatorum perpetuitatem & immortalitatem dare promiſit. Siue conuentio æterna vita intelligitur. Hora prima ab Adam fuit vſq; ad Noe. Hora tertia à Noe vſque ad Abraham.Sexta ab Abraham vſque ad Dauid. Nona à Dauid vſq; ad Ioannem. Vndecima in qua apoſtoli miſſi ſunt: qui tarde venientes, mercedem plenam acceperunt. Quibus alio loco dominus dicit, Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis: in qua gentiles vocantur:quibus & dicitur. *Quid hic ſtatis tota die ocioſi?* Quaſi enim tota die ocioſi ſtabant, qui tranſacto tam longo tempore, quatuor milia annorum Deum cæli non adorabant. *Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit.*Scilicet vias vitæ nullus nobis prædicauit. *Ite & vos in vineam meam.* Ac ſi aperte dicat. Eſtote & vinea mea:quia vſque modo iudæi ſoli dicti ſunt vinea domini. Poſſumus quoque eadem horarum ſpacia in vnoquoque homine intelligere. Ille enim in vinea domini ab hora prima vſque ad veſperum laborat:qui ab infantia in eccleſia domini innocenter viuens,inſtruit alios bono exemplo vitæ ſuæ,aut & exemplo,& verbo. Ille hora tertia, qui à prauitate poſt pueritiam mutatur. Sexta quoque quis conuertitur, cum in iuuentute à prauis operibus per Dei viſitationem reuocatur. Hora nona, cum quis à iuuentute reſipiſcens per iuueniles annos in Dei ſeruitium mutatur. Hora vndecima conuertitur peccator, cum iam vicinum ſe morti ſenſerit: tunc per Dei miſericordiam & viſitationẽ incipit cogitare:quid fecit tam longo tempore: & quaſi Deus in corde eius loquatur, inquit. Tanto tempore in meis voluptatibus vixi,iam prope eſt, vt ad infernum trahar, qui nihil pro animæ meæ ſalute vnquam laboraui: & tunc mærore afficitur in ſeruitio Dei: quanto tardius,tanto feruentius inardeſcit:& plerumque ante remuneratur quam is:qui ab infantia in Dei ſeruitio deſudauit. *Cum ſero autem factum eſſet:dicit dominus vineæ procuratori ſuo.* Sero, dies retributionis, vel dies iudicij. Procuratores vineæ, angeli domini ad vnumquemque hominem. *Voca operarios.* Quotidie vocamur.quia quotidie morimur. Et reddit vnicuique ſecundum quod in eccleſia laborauit, ſiue bonum, ſiue malum. Incipit autem à nouiſſimis: quia ante latronem intromiſit in Paradiſum, quam Petrum. *Cum veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant,&c.* Quia eãdem vitam æternam accipiunt, qui de gentibus per apoſtolos crediderunt: quam acceperunt patriarchæ & prophetæ, qui de genere Abraham fuerũt. Dicuntur autem murmuraſſe: non quod vere,qui ad vitam introducebantur, murmurauerint: ſed quod viuentes Iudæi quibus dominus loquebatur, indigne ferebant & etiam in cordibus murmurabant:cũ audiebant quod Deus facturus eſſet de gentibus filios Abraham: & coæquaturus eos Iudæis. Et ipſe ſenſus eſt in iſta parabola, qui apud Lucam de duobus filiis: quando vnus nolebat introire, quia pater prodigum filium receperat.*Hi nouiſsimi vna hora fecerant & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Hoc eſt,quod in paſſione ſancti Petri legimus, quòd dicebant Iudæi. Nos ex ſemine patriarcharum ſumus, quibus locutus eſt Deus, vt oſtendat mirabilia ſua. Vos ſemper idola adoraſtis:non eſt iuſtũ vt nobis

nunc coæquemini. Pondus diei & æſtus portaſſe eſt ab initio ſeculi pro Dei legibus tribulationes ſuſtinuiſſe: vt fecere ſub Antiocho, & alijs regibus. *At ille reſpondens vni eorum dixit, amice non facio tibi iniuriam.* Amicum vocat ipſum populum Iudæorum pro prærogatiua patrum: qui etiam frequenter filij vocati ſunt Dei. *Nonne ex denario conueniſti mecum?* Nihil inde minuitur Iudæis, ſi omnipotens Deus gentes colligit, & ad vitam introducit. *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Hoc eſt accipiat de vobis, qui vult per digna opera vitam æternam, quam illis præparaui ab initio ſeculi. *Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi.* Sua immenſa clementia: quia ſimiliter dat dignis de gentibus, qui aliquando cauda dicebamur: ſicut Iudæis qui dicebantur caput, & populus Dei. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.* Per oculum inuidia exprimitur, quam Iudæi ſemper habuerunt aduerſus gentes: & maxime poſt prędicationem apoſtolorum. Vnde & Petro dixerunt. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cũ eis? Quia Deus ſua gratuita pietate gentes collegit, Iudæi inuidiam aſſumpſerunt. *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Immenſas gratias ſolius Dei clementiæ referimus, quia cognoſcimus eum, quem ante ignorabamus & poteſt de nobis dici: quod de Iudæis: Notus in gẽtibus Deus. *Multi enim ſunt vocati;* videlicet de Iudęis, & de gentibus. *Pauci autem electi*, Timenda ſententia, quod pauci ſunt qui Deo incõtaminate ſeruiant: & in multis offendimus Deum, quæ non perſpicimus. Quandocunque enim aliquid boni faciemus, ſi cænodoxia ſe immiſceat, mercede apud Deũ fruſtramur. Verbi gratia ſi oramus, ieiunamus, eleemoſynam damus, &c. bonorum opera facimus, & quærimus aliquam laudem: aut vt aliquis pro hoc nos videat: totum quod facimus, perdimus. Vbicunque proximo ſi poſſumus in neceſſitatibus non adiuuamus Dei præterimus præceptum: & charitatem amittimus. Poteſt quoque hoc quod dicit, *multi vocati*, de Chriſtianis ſolummodo intelligi: qui vocati ſunt per prædicationem: ſed tamen per opera non ſequuntur. De quibus maior pars viam latam ambulant. Vnde Ioannes dicit. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.

THEOPHYL. EPISCOPI *Bulgar. ſuperioris Euangelij expoſitio.*

Simile enim eſt regnum cælorum homini patriſfamilias qui exiit primo ſtatim diluculo ad conducendos operarios in vineam ſuam, &c. Chriſtus eſt rex cęlorum, qui aſſimilatur homini, ſecundum quòd humanam accepit formam. Paterfamilias autem, quia dominus eſt domus, hoc eſt eccleſiæ. Hic igitur Chriſtus exiit è ſinibus paternis, & conduxit operarios in vineã, vel ſcripturas, vel mandata. Vnumquemque conduxit, vt operetur vineam, hoc eſt ſuam animam. Conducit autem alium quidem primo diluculo, hoc eſt, in pueritia: alium autem hora tertia, hoc eſt, adoleſcẽtia: rurſum alium hora ſexta, & nona, quando quis vigintiquinque fuerit annorum, vel triginta, & ſimpliciter in virili ætate: porro circa vndecimam, ſenes. Multi enim & ſenes crediderunt. Vel aliter, dies dicitur præſens ſeculum. In illo enim operamur ſicut in die. Vocauit igitur dominus prima hora Enoch, & Noe, tertia Abraham, ſexta Moſen, nona prophetas, vndecima autem, hoc eſt in conſummatione ſeculi, Gentiles, qui ocioſi fuerunt ab omni bono: nullus enim eos cõduxerat, neque miſſus eſt propheta quis ad Gentes. *Quum autem veſpera facta eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo, Voca operarios, &c.* Veſperum eſt conſummatio, in fine autem diei, & conſummatione accipiunt omnes ſuum denarium, qui eſt ſpiritus ſancti gratia transformans hominem ad ſuum exemplar, & faciens diuinæ naturæ participem. Plus autem laborauerũt, qui ante Chriſti aduentum fuerunt, eo quod tunc nondum mors erat ſoluta, neque diabolus contritus, ſed adhuc viuebat peccatum. Nos autem gratia Chriſti per baptiſmum iuſtificati, virtutem accipimus ad vincendum aduerſariũ iam deiectum, & occiſum à Chriſto. Et iuxta priorem interpretationem qui iuuenes credidere, maiorem laborem habent, quam ij qui in ſenectute ad fidem acceſſerunt. Adoleſcens enim pondus iræ, & æſtum concupiſcentiæ geſtat, certans cum affectionibus. Senex autem in tranquillo eſt: attamen nos donum omnes ſpiritus ſancti aſſequimur. Docet igitur nos parabola', quod in ſenectute etiam licet reſipiſcere, & regnum cælorum aſſequi. Hęc enim vndecima hora eſt. Non inuident autem ſancti iis, qui ex æquo accipiunt charitatem: ſed oſtendit, quòd tanta, & talia ſunt bona, quæ dantur iuſtis, vt & inuidiam excitare poſſint.

Chriſtiani ſunt longe in feliciori ſtatu, quã olim Iudæi, contra Nouatorũ ſententiam.

INCERTI CVIVSDAM *ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euang. expoſitio.*

COnditor humani generis dominus noſter Ieſus Chriſtus modò ſuperius propoſuit, dicens, Multi erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Hanc autem propoſitionem ad quid attulerit, ſequentia manifeſtabunt: ad hanc enim ſpectat tota ſubſequens ſimilitudo. Vnde & in concluſione dicitur, Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Quod quidem ſi de mundi ætatibus intelligatur, non video qualiter primi ſunt nouiſſimi, vel nouiſſimi primi. Primi enim fuerunt patriarchæ & prophetæ, & cæteri prioris teſtamenti ad vitam prædeſtinati: nouiſſimi autem nos ſumus: de quibus Ioannes ait, Filioli, nouiſſima hora eſt: & Apoſtolus, Nos ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt. Et iſti quidem ſicut tempore primi fuerunt, ita & primi denarium ſuſceperunt. Hos enim ſtatim poſt paſſionem ſuam Chriſtus dominus à pœnis eripiens, in gloriam introduxit. Apoſtolus quoque ait, Quia nos, qui reſidui ſumus, non præueniemus eos, qui dormierunt: quoniam ipſe dominus in iuſſu, & in voce archangeli, & in tuba dei deſcendet de cęlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos, qui viuimus qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam domino. Quomodo igitur ſunt nouiſſimi primi? Nunc autem ipſam parabolam audiamus. *Simile eſt regnum cælorum homini patriſfamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineã ſuam.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, Sic fit in regno cælorum, ſicut factum eſt in vinea patris familias, in qua ipſe primo mane exiens, operarios conduxit, Regnum cælorum, Eccleſia eſt: paterfamilias, Chriſtus dominus noſter. Eius nanque familia,

ſamilia, & angeli & homines ſunt. Magna quidem familia, quia magnus eſt & paterfamiliæ. Venit autem iſte paterfamilias, vt cōduceret operarios in vineam ſuam. Vinea enim Dei ſabaoth, domus Iſrael eſt. Vinea Dei, Eccleſia eſt: extra quam qui laborat, mercedem non recipit: in qua qui laborat, denarium ſuſcipit. Iſte enim denarius, remuneratio eſt æternæ beatitudinis. Ideo vnus denarius omnibus datur: vnus primis, & vnus nouiſſimis. Et alij quidem primo mane laborare incipiunt, alij verò circa horam tertiam, alij autem circa ſextam & nonam horam, alij quoque circa horam vndecimam. Hoc eſt enim quod ait, *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, &c.* Primo nanque mane in vinea Dei laborare incipiunt, qui à primæua ætate, id eſt, à pueritia, in Eccleſia Dei domino ſeruiunt. Illi autem circa horam tertiam laborare veniunt, qui in adoleſcentia Deo ſeruire incipiunt. Veniunt autē & illi circa ſextam, & horam nonā, qui vel in iuuentute, vel in ſenectute ad pœnitentiam conuertuntur. Vndecima verò hora illa eſt, quæ in qualibet ætate fini appropinquat, & morti proxima eſt. Hanc enim horam non ſolùm iuuenes, & ſenes, verùm etiam pueri habent. In hac igitur hora laborare incipit & ille, qui in decrepita ætate, & ille, qui in graui infirmitate ex toto corde ad Deum conuertitur. Nullus ergo locus deſperationi, nullus locus reſtat excuſationi, ſiquidem in omni ætate, & in omni hora peccator ſuſcipitur. Peccator enim quacunque hora conuerſus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Conuertatur igitur vel in vndecima hora, conuertatur vel in vltimo vitæ termino, qui prius in bono otioſus, & in malo ſedolus fuit. Nam & ipſe, ſi voluerit, & ſi conuerſus fuerit, & ſi vel ad horam laborare cœpit, ſimul cum aliis mercedem, denariúmque recipiet. Has autem horarum, ſiue ætatum diſtinctiones, illæ quoque illius templi portæ ſignificare videntur, de quibus in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus ait, ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, à meridie portæ tres, ab occaſu portæ tres. Templum igitur, & vinea idem ſignificāt. Sancta nanque Eccleſia, & vinea nobis eſt, in qua laboramus, & templum, in quo oremus. In hanc autem vineam & in hoc templum pueri, & infantes & primo mane, & per portas orientis ingrediuntur: adoleſcentes autem intrant hora tertia, & per anguſtas, difficiléſque magis portas aquilonis. Intrant autem per portas auſtrales iuuenes, & ſenes, qui ſexta, & hora nona in vinea Dei laborare cœperunt. Per portas verò occidentales non ſolùm decrepiti ſenes ingrediuntur, verùm etiam quicunque in qualibet ætate ad bonum per pœnitentiam conuertuntur. Portas autem aquilonis ideo anguſtas, & difficiles eſſe diximus, quia multa impedimenta illis fiunt, qui per eas intrare debēt. Sed quid mirum, quum ad aquilonem ſedem ſuam diabolus poſuerit, & ab aquilone pandantur mala ſuper omnes habitatores terræ? Miſeri adoleſcentes, qui aquilonis flatibus rigeſcunt: miſeri, quos diabolus perflat, & ventilat. Beati, qui hanc ætatem ſine naufragio tranſire potuerunt. Inde eſt enim, quod Salomō ait, lætare, iuuenis, in adoleſcentia tua. Hoc autem illis iuuenibus dicitur, qui ſic in adoleſcētia vixerūt, vt inde in iuuentute non erubeſcant. Idem quoque Salomon difficile eſſe dicit, cognoſcere viam hominis in adoleſcentia ſua. Hinc eſt, quòd per Eſaiam prophetam his, qui habitabant in terra auſtri, dominus præcipit, vt eum pane, & aqua occurrerent illis, qui veniebant de terra aquilonis, & fugiebant de Babylonis captiuitate. Fugiebant enim à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, & à facie grauis prælij. Talibus igitur cum cibo, & potu ſpirituali occurrere debemus, quos diabolum perſequentem fugere, & per pœnitentiam ad Eccleſiam redire videmus. Sed quid dicemus de illis impedimentis, quæ in ipſo portarum introitu, & quum iam ſe euaſiſſe putant, adoleſcentes patiuntur? Dicit enim Ezechiel propheta, Conuerti me ad portam, quæ reſpicit ad aquilonem, & ecce mulieres ſedebant ibi, plangentes Adonidem. Vides igitur quia in porta aquilonis ſedent meretrices, Veneris, luxuriæque amores plangentes, & amatoria carmina componentes. Hæc ſunt igitur & ſimilia, quibus adoleſcentes impediuntur, ne in vinea Dei laborare, & in templum intrare, & orare valeant. Vnde non immeritò ſacri canones, niſi tranſacta hac ætate, epiſcopos, & ſacerdotes fieri interdicit. Sequitur: *Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Serò enim vnicuique fit quando vltimum diem eum vita finit. Dei verò procuratores angeli ſunt, qui ſanctorum animas Deo repræſentant, & in requiem inducunt. De quibus apoſtolus. Omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis. Fit autem plerunque vt illi, qui poſterius veniunt, primi denarium & mercedem recipiant: quoniam ſæpe contingit, vt primi de hac vita exeant, qui poſterius laborare Deo, & ſeruire incipiunt. Primus enim denarium recipit, qui primus de hac vita exit. Multi enim ſanctorum eadem die, qua crediderunt, de hoc mundo per martyrium exierunt. Iſti igitur vna, & vltima hora diei in vinea laborantes, prius ſuſceperunt denarium, quàm illi, qui à primæua ætate Deo ſeruientes, & poſt eos de hoc ſeculo exeuntes, ſicut prius laborare cœperunt, ita poſt eos denarios ſuſceperunt. Fit igitur aliquando (etſi non ſemper) in Eccleſia Dei, quod in vinea patriſfamilias factum fuiſſe narratur: vt videlicet primi ſint nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Hoc autē quia non ſemper fit, ideo in principio huius ſimilitudinis dominus ait, *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Si enim ſemper hoc fieret, non multos, ſed omnes dixiſſet. Sic igitur multi nouiſſimi & in mercede ſuſcipienda honorantur, & in pretio non minorantur. Vnde & cæteri murmurantes, dicunt, *Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus?* Quos quidem dignè ſatis dominus redarguit, dum vni eorum reſpondit, dicens, *Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Hæc autem non ideo dicuntur, vt de prouentu aliorum ſanctos murmurare, vel nequam, & inuidos oculos habere, intelligere debeamus: ſed potius murmurationis, & inuidiæ malum quantum ſit, intelligamus, & caueamus. Magnum enim vitium eſt, quod tantopere à domino redarguitur. Vnde & Apoſtolus ait, Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Multoties

enim Iudæi murmurauerunt, multoties & propter murmurationem perierunt. Sancti quidem, & boni ſunt quicunque hunc denarium accipiunt. Hunc autem accipiunt & primi & nouiſſimi. Primi igitur & nouiſſimi ſi boni ſunt, quomodo murmurare poſſunt? quomodo nequam & inuidos oculos habent? Tales igitur iſti non ſunt, & ne tales fiant, illorum exemplo admonentur. Bonum eſt enim in hac vinea laborare: ſed malũ eſt murmurare. Laboremus igitur, nec murmuremus. Illorum reprehenſio ſit noſtra correptio. Alterum nos inuitat ad bonum, alterum diſſuadet à malo. Illorum enim labor & remuneratio nos inuitat ad bonum: illorum verò murmurationis reprehenſio nos à murmuratione compeſcit. In vtroque igitur conſulit nobis dominus, dum nos in altero laborare admonet, in altero verò murmurare diſſuadet. Quod autem ſequitur. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*, Valde paucos eſſe oſtendit eos, qui ſaluantur ad comparationem eorum, qui per ſingulas horas vocantur. Suſcipiunt igitur denarium & primi, & nouiſſimi: ſed neque omnes primi, neque omnes nouiſſimi: quia multi vocantur, & ad vineæ laborem inuitantur, qui neque inter primos, neque inter nouiſſimos connumerantur. Vnde Pſalmiſta, Annuntiaui, & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Multi enim ad vineam & fidem vocati ſunt, qui ad vitam prædeſtinati non ſunt.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Simile enim eſt regnum cælorũ homini patrifamilias, qui exiit primo ſimul diluculo, &c. Hi poſtremi vnam horam fuerunt in opere, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei, & † æſtum.

† Intelligi poteſt pondus, & æſtus diei, grauitas tentationum & ignis indomitatum voluptatũ, ac ferociam affectuum quæ portauerunt, ſiue ſuſtinuerunt, ne ab eis vincerentur.

Huius omnis parabolę ſolum exponenda ſunt, quæ opportuna videntur, veluti monet Chryſoſtomus: cætera vero non ſunt curioſe ſcrutanda. In hac enim regnum cælorum intelligitur ipſe Chriſtus, ſicut in parabolis frequenter diximus. Vinea autem eius, euangelica ipſius præcepta ſunt. Operarij vero huiuſmodi vineæ, homines operatores talium præceptorum. Tempus operationis, præſens vita. Diluculum vero, hora tertia, ſexta, nona, & vndecima, variæ hominum ætates, quibus ad fidem veniunt, & probi facti Deo placent. Diluculum ſiquidem ſiue prima hora, ætas eſt eorum, qui ab infantia vocati ſunt ad dicta præcepta. Tertia autem hora, ætas ephæborum. Sexta vero, virorum. Nona, ſenum: & vndecima, decrepitorum, quibus breue eſt reliquum vitæ tempus. Exiit ergo Chriſtus in mũdum, tum per ſeipſum, tum per Apoſtolos, eóſque præceptores, qui illos ſequuti ſunt, vt mercede conduceret operarios in vineam ſuam, quę botros fructificat virtutum, lætificantes patremfamilias, qui dominus eſt vniuerſi. Merito autem dixit: *Vt mercede conduceret*: merces enim repoſita eſt præceptorum operariis, puta cuiuſque ſalus: hanc enim intelligimus eſſe denarium. Effingit autem parabola primos murmurantes, impoſitúmque illis ſilentium: non quòd in regno cęlorum futura ſit inuidia. Nam, ſi hic adhuc viuentes iuſti ſuas animas pro hominibus ponunt, multo magis ibi, videntes eos ſaluos eſſe gaudent. Sed tale figuratum eſt murmur, impoſitúmque ſilentium, ad ſolam demonſtrationem diuinæ benignitatis erga eos, qui poſtremi veniunt, vt confidant, quod nihil illis oberit poſtremos veniſſe, ſi deinceps operati fuerint. Et nos ſiquidem, vbi aliquem multo dignati fuerimus honore, & poſtmodum voluerimus huiuſmodi magnitudinem demonſtrare, ſolemus dicere, quòd quidam ob tantum honorem murmurabant. Hoc autem dicimus non illum reprehendentes, ſed hunc ad gratiarũ actionem excitantes. Quare autem non omnes ſimul vocauit ad vineam? Quia non ſimul omnes inuenit: impoſſibile enim erat eodem tempore, vt prædiximus, eadémque ætate omnes accedere. Tunc autem vnumquemque inuenit, quum ille obediẽs efficitur. Ait enim Paulus; Vbi vero beneplacuit ei, vt me ſepararet ab vtero matris meæ. Tunc autem beneplacuit, quando hic obediuit. Docet itaque parabola, ne eos, qui extrema ſenectute accedunt, reprobemus: ſed ſciamus quòd poſſibile ſit breui etiam ſtudio, ac diligentia ſaluari. Hic ſiquidem ſcopus eius eſt. Oportet autem nos, ſolo ipſius ſcopo adepto, cætera non magnipendere: reliqua enim omnia propter finale intentum compoſita ſunt, vt facilius excipiatur: neque periculo vacat, etiam illa ſcrutari, veluti tradit Chryſoſtomus capite de parabolis. *Si oculus tuus malus eſt, quòd ego bonus ſum. Quod*, pro Sed, hic ſumitur. Ait enim, Si oculus tuus inuidus eſt, atqui ego bonus ſum ſeruans te, & illum. Tu vero ne ex hoc turberis, quaſi æqualia dentur brabia iis, qui à prima ætate vſque ad finem euangelica ſeruauerunt præcepta, & iis, qui in poſtrema ætate acquieuerunt. Solum enim docuit parabola quòd æqualiter ſalui fiunt, non quod etiam æqualiter glorificantur: ſalus ſiquidem eſt, non perire: gloria vero, conſequi brabia, quæ varia ſunt iuxta proportionem data iis qui ſeruantur. *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Non hoc ex parabola concluſit: nam impertinens eſt. Ibi enim primis æquales ſunt poſtremi; hic autem poſtremi dicuntur primi. Sed alius eſt hic ſermo, docens quòd, ſicut illud accidit, vt qui à prima ætate operati ſunt, æqualem accipiant mercedem iis, qui in poſtrema acquieuerunt, ita ſane & hoc contigit, vt nouiſſimi appareant primi, & primi nouiſſimi. Poſſunt autem hi eſſe Chriſtiani, & Iudæi: aut fidelium quidam in principiis negligẽtes, poſtmodum vero ſerio operam dãtes: quidam autem in principiis diligentes, poſtmodum vero negligentes: neque enim in fide ſolum, ſed in vita quoque fiunt huiuſmodi tranſitus. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Multi quidem ad fidem vocati ſunt, pauci vero acquieſcunt.

Præceptorum obſeruatio mercedem habet ſalutem æternam.

Galat. c. 1

Beati ubi omnes æqualiter glorificantur, ſed vnuſquiſque pro ſuis laboribus.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

LVCÆ. 8.

a Parabolam. b Cuius eſt declarare voluntatem patris.

IN illo tempore, Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per [a] ſimilitudinem. Exiit [b] qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, &

c Vt nec in memoria mens teneat, quod opere exercere neglexit.

conculcatum eſt, & volucres cæli [c] comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra

d Vbi non eſt altitudo terræ, id eſt, ſtudium diſciplinæ. e Ad nutriendas lampades virginum.

[d] petram, & natum aruit, quia non habebat [e] humorem. Et aliud cecidit inter

f Corda ſollicitudinibus agitata. g Mite cor & docile.

[f] ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in [g] terram

h Cum perfecta bonorum operum plenitudine creſcit.

bonam, & ortum [h] fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet

i Intelligentiam mentis. k Spiritualiter hæc verba intelligat.

[i] aures audiendi [k] audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius quæ eſſet

l Quia fideles eſtis ſed & Phariſæis incredulis ſancta non ſunt danda. m Intelligentiam ſcripturarum de quo regno alibi dicitur Auferetur à vobis regnum Dei.

hæc parabola. Quibus ipſe dixit: [l] Vobis datum eſt noſſe [m] myſterium regni

n Qui foris ſunt, vt Marcus ait, qui neque cognoſcere cupiunt veritatem.

Dei: [n] cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nam quod ſupra petram, qui cum audierint cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

GLOSSA ORDINARIA *in ſuperius Euang.*

C*Vm autem turba, &c.* Quotiens in euangelio turbæ vocabulum interſeritur: ſicut diuerſitas hominum: ita etiam diuerſitas intimatur voluntatum. Non enim omnes eadem voluntate: ſed diuerſis ex cauſis Chriſtum ſequebantur: quidam pro bono, quidam pro malo, omnibus tamen dominus beneficia præſtat, docendo, alendo, ſanando. *Exijt qui ſeminat, &c.* Exiit filius Dei de ſinu patris, quo creaturæ non erat acceſſus: vt ſeminaret ſemen ſuum, venit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati. Vnde ſecundum alios euangeliſtas hanc parabolam dicturus de domo exiiſſe: mare adiiſſe, nauem conſcendiſſe memoratur, idipſum ſitu corporis quod proceſſu ſermonis inſinuans. *Secus viam.* Via, eſt cor ſedulo malarum cogitationum Matt.13.a Marc.4.a tranſitu attritum, & areſactum: ne ſemen verbi poſſit accipere vel germinare, ſed à peſſimis cogitationibus conculcatur, & à dæmonibus rapitur. Qui ideo volucres cæli dicuntur: quia cæleſtis & ſpiritalis ſunt naturę, vel quia per aërē diſcurrunt. *Supra petram.* Petra indomitum cor nullo verę fidei vomere penetratum, in quo non eſt verus amor & perſeuerantię virtus. *Centuplum, &c.* Cum denarius pro perfectione ſoleat accipi (quia in decem legis præceptis cuſtodia continetur.) centenarius qui per multiplicatum denarium ſurgit, pro magna perfectione ponitur. Cor igitur centuplum facit fructum, quod per amorem proximi actiuā, & per amorem Dei cōtemplatiuam adipiſcitur vitam, & ſpiritualium ornatur perfectione virtutum. *Qui habet aures.* Vbicunque hæc admonitio interponitur: myſticum eſſe quod dicitur & attentius quærendum oſtendit. *Interrogabant.* Non mox finita Marc.4.b parabola (ſed vt Marcus ait) cum eſſet ſingularis interrogauerūt eum hi qui cū eo erant duodecim

parabolam. In quo moraliter inſtruimur: vt ſi intelligentiam diuinorum verborum aſſequi volumus: ſepoſitis terrenorum tumultuum curis, domum Dei, id eſt, occulta ſcripturæ penetralia, orando & meditando intremus, dicentes: Reuela oculos meos: &c. *Hæc parabola.* Nota hanc eſſe primam parabolam, quæ cum interpretatione ſua poſita ſit. Et cauendum eſt vbicunque dominus rogatus à diſcipulis interſecus ſermones ſuos diſſerit, ne vel aliud vel plus vel minus intelligere velimus, quam ab eo expoſitum eſt, Ioannes autem hanc parabolam per ſeipſum dignatur oſtendere, vt ſe figuratè loqui innoteſceret, & rerum ſignificationes etiam in his quæ exponere noluit, quærendas eſſe doceret. *Videntes.* Doctores Iudæorum qui cum merito peruerſitatis ſuæ excæcati ſunt, mendaciter ſe videntes putant. *Quod au.* Secus viā ſeminantur: qui nulla fide, nullo intellectu, nulla ſaltem tentante vtilitatis occaſione percipere dignantur. Porrò ſuper petram & in ſpinis ſeminantur: qui audiunt quidem & vtilitatem verbi probant & deſiderium guſtant: ſed ne perueniant ad id quod geſtiunt: vel aduerſa terrendo, vel proſpera blandiendo retardant. His igitur generibus quicunque verbum auditum non faciunt deſignan-

Psal. 118. c

Math. 13. c tur. *Ad tempus cre.* Multi audientes diſputationem contra auaritiam vel luxuriam: dicunt contemptores ſeculi & caſtos homines eſſe beatos: ſed vbi ſpecies concupiſcibiles eorum obtutibus præſentantur: mox recedunt ab eis quicquid rectè cogitauerant. *Et diuitijs.* Diuitiæ & ſi delectare videntur tamen poſſeſſoribus ſuis ſpinæ ſunt, cum aculeis curarum mentes eorum confodiunt: quæ auidè quæruntur, ſollicitè ſeruantur: Vndè ab alio euangeliſtâ fallaces diuitiæ vocantur: quia mentis inopiam non implent, nec diu manent. Et nota quòd diuitiis duo iungit: ſollicitudinem & voluptatem: quia & per curam mentes opprimunt & per affluentiam reſoluunt. *Suffocantur.* Quia voluptates & diuitiæ ſuis importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum deſiderium ad cor poſſit intrare quaſi aditum vitalis ſtrangulant flatus. *In terram bonam, &c.* In bonos auditores qui verbum audire ſatagunt: & in ventrem memoriæ recondũt: & ſic opportuno tempore fructum operationis proſerunt: inter proſpera & aduerſa ſeculi patientes. Et bona terra cum patientia fructum reddit: quia bona agit, & mala proximorum æquanimiter tolerat: & dum humiliter flagella ſuſcipiũt: poſt flagella in requiem ſuſcipiuntur.

CATENA AVREA
in idem Euang.

THeoph. Quod Dauid in perſona Chriſti prædixerat, aperiam in parabolis os meum, hic dominus implet. vnde dicitur, *Cùm autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem.* Loquitur autem dominus per ſimilitudinem. Primò quidem vt attentiores faceret auditores: conſueuerunt enim homines in obſcuris ſe exercitare, & ſpernere manifeſta. deinde vt non caperent indigni, quæ myſticè dicebantur. Origenes, Et ideo ſignanter dicitur; *Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus, &c.* Non enim ſunt multi, ſed pauci qui per arctam viam incedunt, & qui inueniunt viam quæ ducit ad vitam. vnde Matthæus dicit, quòd extra domum docebat per parabolas, ſed intra domum parabolam diſcipulis expoſuit, Euſeb. Satis autem congruè Chriſtus primam proponit parabolā multitudini, non ſolum tunc aſtantium, ſed etiam futurorum poſt illos inducentem ad audientiam verborum ſuorum, cùm dicit: *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Bed. Satorem iſtum nullum melius quam filium Dei intelligere poſſumus: qui de ſinu patris quo creaturæ non erat acceſſus egrediens, ad hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati. Chryſ. Exit autem qui vbique eſt non localiter, ſed per amictum carnis nobis appropinquauit. Decenter autem aduentum proprium Chriſtus exitum nominauit: eramus enim exclusi à Deo: & ſicuti condemnati & rebelles regi eiecti ſunt, qui verò reconciliare vult eos, exeundo ad ipſos extra eum eis loquitur, donec dignos iam factos aſpectu regio eos introducat, ſic etiam Chriſtus fecit. Theo. Exit autem nunc non vt agricolas perderet, aut combureret terram, ſed exiit ſeminare, ſæpe enim agricola qui ſeminat ob aliam cauſam exiit, non ſolum vt ſeminet. Euſeb. Exierunt autem nonnulli à patria cæleſti, & ad homines deſcenderunt, non tamen vt ſererent, neque enim ſatores erant, ſed adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi. Moyſes etiam & prophetæ poſt eum non inſeminerunt hominibus myſteria regni cælorum: ſed retrahendo inſipientes ab errore nequitiæ, & idolorum cultu, quaſi colebant animas hominum, & in noualia redigebant. Solus autem omnium ſator verbum Dei exiuit euangelizaturus noua ſemina, ſcilicet myſteria regni cælorum. Theop. Non ceſſat autem Dei filius ſemper in noſtris animabus ſeminare: nõ ſolùm cùm docet, ſed etiam cum creat, in noſtris animabus ſeminat ſemina bona. Titus, Exijt autem vt ſeminaret ſemen ſuum, non autem accipit verbum quaſi mutuatum, cùm ipſe naturaliter ſit verbum Dei viui. Nõ eſt igitur ſuum proprium ſemen Pauli vel Ioannis, ſed habent cùm acceperint. Chriſtus autem habet proprium ſemen, proferens doctrinam ex ſua natura. vnde & Iudæi dicebant, qualiter hic literas nouit quas nõ didicit? Euſebius, Docet igitur duos eſſe gradus eorum qui recipiunt ſemina: primum quidem eorum qui digni facti ſunt vocatione cæleſti, ſed labuntur à gratia propter negligentiam & torporem, ſecũdum verò multiplicantium ſemen in bonis fructibus. Ponit autem ſecundum Matthæum tres differentias in quolibet gradu. Nam qui corrumpunt ſemen, non ſimilem habent perditionis modum & qui ab eo fructificant, non æquam recipiunt copiam. Sanè actiones perdentium ſemen. Quidam enim cùm non peccauerint ſuis animabus inſita ſibi ſemina ſalubria perdiderunt, ſubtracta intentione & memoria eorum per ſpiritus malignos & dæmones, qui volant per aërem, vel viros fallaces & callidos, quæ volatilia nuncupauit. vnde ſubdit: *Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam.* Theoph. Non dicit quòd ſeminans proiecit aliud ſecus viam, ſed quòd ſemen cecidit: Qui enim ſeminat, docet rectum ſermonem, ſed ſermo diuerſimodè cadit in audientes, vt quidam eorum via dicantur. *Et conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Cyril. Arida enim eſt & inculta quodammodo omnis via: eo quòd à cunctis conculcatur, ac nihil ex ſeminibus humatur, in ea. Sic igitur habentes cor inductile, non penetrat

diuina monitio, vt poſſint laudem germinare virtutum; ſed tales ſunt via frequentata immundis ſpiritibus. Sunt itetũ aliqui leuiter gerentes fidem in ſe, quaſi in verborum ſimplicitate: horum fides caret radice, de quibus ſubditur, *Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Beda, Petram dicit durum & indomitum cor. hoc eſt autem humor ad radicem ſeminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades virginum nutriendas, id eſt amor & perſeuerantia virtutis. Euſebius, Sunt etiam aliqui qui per auaritiam & appetitum voluptatum, & mundanas ſolicitudines, quas quidã ſpinas nuncupãt immiſſum ſibi ſemen ſuffocari fecerunt, de quibus ſubditur: *Et aliud cecidit inter ſpinas, &c.* Chryſoſt. Sicut enim ſpinæ non permittunt nutri ſemen, ſed ex cõdenſatione ſuffocant immiſſum, ſic ſolicitudines vitæ præſentis, ſemen ſpiritale fructificare non ſinunt; increpandus autem eſſet agricola, qui ſuper ſenſibiles ſpinas & petram & viam ſeminaret. Nõ enim poſſibile eſt petram terram fieri, nec viã non eſſe viam, nec ſpinas non eſſe ſpinas: in rationalibus autem ſecus eſt. Poſſibile eſt enim petram cõuerti in terram pinguem, & viam non conculcari, & ſpinas diſſipari. Sunt autem terra pinguis & ferax, animæ honeſtæ & bonæ, quæ in profundo ſuſcipiunt verbi ſemina, & retinent & fouent. Et quantum ad hoc ſubditur: *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Cùm enim in mentem mundam ab omnibus perturbantibus verbum diuinum infunditur, tunc immittit radices in profundum, & germinat tanquam ſpicas, & conuenienter perficitur. Bed. Fructum enim centuplum, fructum perfectum dicit, nam denarius numerus pro perfectione ſemper accipitur: quia in decem præceptis legis cuſtodia continetur. Denarius autem numerus per ſemetipſum multiplicatus, in centenarium ſurgit: vnde per cẽtenarium magna perfectio ſignificatur. Cyril. Quę autem ſit ſententia parabolæ accipiamus per eum qui eam compoſuit. vnde ſequitur: *Hæc dicens clamauit: Qui habet aures audiendi, audiat.* Baſilius, Audire pertinet ad intellectum. vnde per hoc dominus excitat ad audiendum attentè mentionem eorum quę dicuntur. Beda, Quoties enim hæc admonitio vel in euangelio, vel in Apocalypſi Ioannis interponitur, myſticum eſſe quod dicitur, quærendúmque à nobis intentius oſtenditur. Vnde diſcipuli ignorantes ſaluatorem interrogãt. ſequitur enim: *Interrogabant autem eum diſc. &c.* Nemo tamen putet finita mox parabola diſcipulos hoc interrogaſſe, ſed vt Marcus ait: cùm eſſet ſingularis interrogauerunt eum. Origenes, Eſt autem parabola ſermo quaſi facti, nõ autem facti, iuxta quod dicitur poſſibilis autem fieri, rerum ſignificatiuus per tranſumptionem eorũ quę parabola traduntur. Ænigma verò eſt proceſſus ſermonis in his quæ dicuntur quaſi facta, quæ tamen non ſunt facta, nec poſſibilia fieri, ſignificant verò aliquid in occulto, ſicut quod in libro dicitur Iudicum, quod ligna fuerunt vt vngerent ſibi regem. Non eſt autem ad literam factum quod dicitur, *Exiit qui ſeminat*, ſicut ea quæ narrat hiſtoria, poſſibile tamen fuit fieri. Euſebius, dominus verò docuit eos cauſam quare turbis per parabolas loquebatur, vnde ſubditur, *Quibus ipſe dixit, vobis eſt datum noſſe myſterium regni Dei.* Grego. Nazianzenus, Cùm hoc audis, non introducas diuerſas naturas ſecundum quoſdam hæreticos, qui putant hos quidem eſſe pereuntis naturæ, hos verò ſalubris, quoſdam verò ſic ſe habere vt eorum voluntas eos ducat ad peius vel melius. Sed addas ei quod dicitur, *Vobis datum eſt*, id eſt volentibus & ſimiliter dignis. Theoph. His autem qui ſunt indigni tantis myſteriis, obſcurè dicũtur. vnde ſequitur: *Cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Videre enim ſe putant, non vident autem: & audiunt quidẽ, ſed non intelligunt. Huius ergo gratia hoc eis Chriſtus abſcondit, ne maius eis præiudicium generetur, ſi poſtquam nouerint Chriſti myſteria, contempſerint. Qui enim intelligit & poſtea ſpernit, grauius punietur. Bed. Rectè igitur in parabolis audiunt, quando clauſis ſenſibus cordis non curãt cognoſcere veritatem, obliti eius quod dominus dixerat: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Greg. in ho. dominus autem dignatus eſt exponere quod dicebat, vt ſciamus rerũ ſignificationes quærere etiam in his quæ per ſemetipſum voluit explanare. Sequitur enim: *Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei.* Euſeb. Deſtruentium autem diuina ſemina ſuis animabus tres dicit eſſe cauſas. Quidam enim deſtruunt in ſe ſemen reconditum, dantes leuiter auditum volentibus fallere, de quibus ſubdit: *Quod autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, &c.* Beda, Qui ſcilicet verbum quod audiunt, nulla fide, nullo intellectu, nulla ſaltem tentandæ vtilitatis actione percipere dignantur. Euſeb. Quidam verò cùm in mentis profundo non ſuſceperint verbum Dei, facile extinguuntur adueniente aduerſitate, de quibus ſubditur: *Nam qui ſuper petram, hi ſunt qui cùm audie. cum gau. ſuſ. ver. & hi radi. non ha. quia ad tempus cre. & in tempore tentationis recedunt.* Cyril. Cùm enim intrant eccleſiam lætantes attentant diuina myſteria, ſed ex leui voluntate: vt autem egreſſi ſunt eccleſiam, obliuiſcũtur ſacrarum diſciplinarum: & ſi fides Chriſtiana non fluctuet, permanent: turbante verò perſecutione, perfugam habent mentem, quia fides eorum caret radice. Grego. in ho. Multi boni operis initia proponunt, ſed mox vt fatigari aduerſitatibus vel tentationibus cœperint, inchoata derelinquunt. Petroſa ergo terra humorem nõ habuit, quæ hoc quod germinauerat, ad fructus perſeuerantiam non perduxit. Euſeb. Quidam verò ſuffocant reconditum in eis ſemen diuitiis & illecebris, quaſi quibuſdam ſuffocãtibus ſpinis, de quibus ſubditur. *Quod autem in ſpinis cecidit: hi ſunt qui audierunt, &c.* Greg. in homi. Mirum quomodo dominus diuitias ſpinas interpretatus ſit, cùm illæ pungant, iſtæ delectent: & tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: & cùm vſque ad peccatum pertrahũt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Duo autem ſunt quæ diuitiis iungit: ſolicitudines, & voluptates, quia per curam mentem opprimunt, & per affluentiam reſoluunt, ſuffocant autem ſemen, quia importunis cogitationibus guttur mentis ſtrangulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinũt, quaſi aditum vitalis flatus vetant. Euſebius, Hæc autem ex prouiſione à ſaluatore prædicta ſunt. Sic autem ſe habere patefacit effectus, non enim aliter aliqui à verbo diuini cultus deficiunt, niſi ſecundum aliquem modorum prædictorum ab eo. Chryſ. Et vt plura breuibus comprehendã, hi quidem tanquam negligentes audire, hi tanquam delicati & debiles, hi verò tanquam ſerui facti volu-

ptaris, & rerum mundi à bono deſiſtunt. Bonus etiam ordo viæ, petræ, & ſpinarum: opus eſt primo memoriæ & cautelę, deinde fortitudinis, conſequenter contemptus præſentium. Conſequenter ponit bonam terram contrario modo ſe habentem ad viam, & petram & ſpinas, cùm ſubdit: *Quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono & optimo verbum retinent, &c.* Nam qui ſecus viam poſiti ſunt, non retinent verbum, ſed rapit eis ſemen diabolus: qui verò ſunt in petra, non ſuſtinent in patientia tentationis inſultum propter imbecillitatem, qui verò ſunt in ſpinis, non fructificant, ſed ſuffocãtur. Gregorius in Homil. Terra ergo bona fructum per patientiam reddit, quia nulla ſunt bona quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus, fructum ergo per patientiam reddunt, quia cùm humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter cum gaudio ſuſcipiuntur.

S. EPIPHANII EPISCOpi Conſtantiæ Cypri. in idem Euang. Homil.

Theodoro Peltano interprete.

Eſt pars deſumpta ex una oratione, quæ eſt infra in feſto Aſcenſ. Domini.

DOmini eſt terra, & eccleſia Chriſti, quæ vbique cæleſti pluuia exculta, irrigataque fructus varios, perpetuoque virentes Chriſto fundit; puta trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. De hac re Euangeliſta ita ſcribit; *Exijt, qui ſeminat, &c. ſecus viam*, nempe in errantes, & in errorem inducentes paganorum animos. *Et venerunt volucres cæli*; hoc eſt, rapaces, fameque furentes dæmones, & comederunt illud. *Et aliud cecidit ſuper ſaxeam*; nimirum ſuper duram, dureque obſtinatam Iudæorum ſectam: neque mora, contumaciæ feruor iniquitatis fœtum ſtatim profundit: Eiuſmodi enim Iudæorum eſt ingenium, vitæque inſtitutum. Cum enim legem in deſerto accepiſſent, ad Moyſen conuerſi, aiebant; Omnia, quæcunque dixerit dominus, faciemus, perque omnia dictis obſequentes erimus. Et, qui hoc ſancte promittebant, inanimi vitulo paulo poſt diuinum cultum deferebant, rémque vita deſtitutam viuenti Deo anteferebant. *Aliud autem cecidit inter aſperas, aculeatáſque ſpinas*; hoc eſt, in blasphemas hæreticorum mentes: hi enim vnum hoc ſtudium perpetuo habent, vt pietatis ſemen præfocet, penituſq; extinguat. *Aliud autem cecidit in terram bonam*; nempe in fœcundam Chriſti eccleſiam, quæ fructum edit triceſimum, ſexageſimum, & centeſimum: triceſimum coniugalis continentię, ſexageſimum virginitatis, Angelorum naturæ agnatæ; centeſimum conſummatæ iuſtitiæ, perfectæque caſtimoniæ, nec non præclaræ martyrum ſtrenuitatis, & fortitudinis.

Non maioris excellentiæ, & meriti apud Deū virginitatem, quam matrimonialem ſtatum.

S. GREGORII PAPAE in idem Euang. Homil.

Ex Hom. 15. in Euang.

LEctio ſancti Euangelij, quam modò fratres chariſſimi, audiſtis, expoſitione non indiget, ſed admonitione. Quam enim per ſemetipſam veritas expoſuit, hanc diſcutere humana fragilitas non præſumit. Sed eſt quod ſolicitè in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debeamus: quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, ſpinas diuitias ſignificare diceremus, ad credendum nobis mens forſitàn veſtra dubitaret. Vnde & idem dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere in iis etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare. Exponendo ergo, quod dixit, figuratè ſe loqui innotuit: quatenùs certos vos redderet, cùm vobis noſtra fragilitas figuras verborum illius aperiret. Quis enim mihi vnquàm crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem, maximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent? Et tamen ſpinæ ſunt, quæ cogitationũ ſuarum punctionibus mẽtem lacerant, & cùm vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Quas benè in hoc loco, alio euangeliſta teſtante, nequaquam dominus diuitias, ſed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim ſunt, quę nobiſcum diù permanere non poſſunt. Fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autẽ diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres chariſſimi, verè diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate. Si culmẽ veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa ſuperna angelorũ curia adſcribi feſtinate. Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete: Cibus enim mẽtis, eſt ſermo Dei. Et quaſi acceptus cibus ſtomacho languente reiicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur. Æternæ ergo mortis pericula formidate, ſi cibũ quidẽ ſanctæ exhortationis accipitis, ſed verba vitæ, id eſt, alimenta iuſtitiæ in memoria non tenetis. Ecce tranſit omne, quod agitis, & ad extremum iudicium ſine vlla momenti interpoſitione quotidiè volẽtes nolentéſque properatis. Cur ergo amatur, quod relinquitur? Cur illud negligitur, quò peruenitur? Mementote quod dicitur; *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Omnes enim, qui illic aderant, aures corporis habebant. Sed qui cunctis aures habentibus, ſi quis aures audiendi habet, audiat, dicit: aures proculdubiò cordis requirit. Curate ergo, vt acceptus ſermo in cordis aure remaneat: curate, ne ſemen iuxta viam cadat, ne malignus ſpiritus veniat, & à memoria verbum tollat. Curate, ne petroſa terra ſemen excipiat, & fructũ boni operis ſine perſeuerantiæ radicibus mittat. Multis enim libet, quod audiunt: boni operis initia proponunt: ſed mox vt fatigari aduerſitatibus cœperint, inchoata derelinquunt. Petroſa ergo terra humorem nõ habuit, quia hoc, quod germinauerat, ad fructũ perſeuerantiæ non perduxit. Multi nanque cùm verbum contra auaritiã audiũt eandem auaritiam deteſtantur, rerum omnium contemptũ laudant: ſed mox vt viderit animus, quod concupiſcat, obliuiſcitur quod laudabat. Multi cùm verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non ſolùm perpetrare non appetunt, ſed etiã perpetratas erubeſcunt: ſed mox vt carnis ſpecies eorum oculis apparet, ſic mẽs ad deſiderium rapitur, ac ſi adhuc ab ea nihil ſit contra hæc eadẽ deſideria deliberatum: & damnãda agit, quæ quicquid egiſſe ſe meminit, iam & ipſa damnauit. Sæpe etiã contra culpas compungimur, & tamẽ poſt fletum ad culpas redimus. Sic Balaam Iſraelitici populi tabernacula cõtemplatus fleuit, eíſque ſe ſimilem fieri in morte de

Matth. 13.

Num. 23. re depopoſcit, dicens; Moriatur anima mea morte iuſtorũ, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. Sed mox vt hora compunctionis tranſiit, in auaritiæ nequitiam exarſit. Nam propter promiſſa munera in eius populi mortem conſilium dedit, cuius morti ſe ſimilem fieri optauit: & oblitus eſt, quod planxerat, cùm extinguere noluit, quod per auaritiam ardebat. Notandum verò eſt, quòd exponens Dominus dicit, quia ſolicitudines, & voluptates, & diuitiæ ſuffocant verbum. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam, quòd duo ſunt, quæ diuitiis iungit, ſolicitudines videlicet, & voluptates: quia profectò & per curam mentem opprimunt, & per affluentiam reſoluunt. Re enim contraria poſſeſſores ſuos & afflictos, & lubricos faciunt. Sed quia voluptas conuenire cum afflictione non poteſt, alio quidem tempore per cuſtodiæ ſuæ ſolicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt. Terra autem bona fructum per patientiam reddit, quia ſcilicet nulla ſunt bona, quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus. Quanto enim quiſque altius profecerit, tanto in hoc mundo inuenit, quod durius portet: quia cùm à præſenti ſeculo mentis noſtræ delectatio deficit, eiuſdem ſeculi aduerſitas creſcit. Hinc eſt enim, quòd pleroſque cernimus & bona agere, & tamen ſub graui tribulationum faſce deſudare. Terrena nanque deſideria fugiunt, & tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iuxta Domini vocem, fructum per patientiam reddunt: quia cùm humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter ſuſcipiuntur. Sic vua calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur. Sic oliua contuſionibus expreſſa, amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pinguеſcit. Sic per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt. Quiſquis ergo appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare: vt tanto poſt ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat. In ea porticu, quæ euntibus ad Eccleſiam B. Clementis eſt peruia, fuit quidam Seruulus nomine, quem multi veſtrum mecum nouerunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo diſſoluerat. Nam à primæua ætate vſque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam quia ſtare non poterat, qui nunquam in lecto ſuo ſurgere vel ad ſedendum valebat? nunquam manum ſuam ad os ducere, nunquam ſe potuit in latus aliud declinare. Huic ad ſeruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemoſyna potuiſſet accipere, hoc eorũ manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, ſed ſcripturę ſacræ ſibimet codices emerat, & religioſos quoſque in hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe legere ſine intermiſſione faciebat. Factúmque eſt, vt quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram ſcripturam diſceret, cum ſicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat in dolore ſemper gratias agere, hymnis Dei, & laudibus diebus, ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus eſſet, vt tanta eius patientia remunerari debuiſſet, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cúmque iam ſe morti proximum agnouit, peregrinos viros, atque in hoſpitalitatem receptos admonuit, vt ſurgerent, & cum eo pſalmos pro exſpectatione ſui exitus decantarent. Cúmque cum eis & ipſe moriens pſalleret, voces pſallentium repentè compeſcuit, cum terrore magni clamoris dicens; Tacete tacete, nunquid non auditis, quantæ reſonant laudes in cælo? Cúmque ad eaſdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, ſancta illa anima carnis vinculis ſoluta eſt. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt, vt omnes, qui illic aderant, inęſtimabili ſuauitate replerentur: ita vt per hoc patenter agnoſcerent, quòd eam laudes in cælo ſuſcepiſſent. Cui rei monachus noſter interfuit, qui nunc vſq; viuit, & cum magno fletu atteſtari ſolet, quia quouſque corpus eius ſepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non receſſit. Ecce quo fine ex hac vita migrauit, qui hîc æquanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quæ exarata diſciplinæ vomere, ad remunerationis ſegetem peruenit. Sed vos rogo, fratres chariſſimi, attendite, quod excuſationis argumentum in illo diſtricto iudicio habituri ſumus nos, qui à bono opere torpentes, & res, & manus accepimus, ſi præcepta Domini egenus, & ſine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apoſtolos oſtendat, qui ad regnum ſecum fidelium turbas prædicando traxerunt: non contra nos martyres exhibeat, qui ad cæleſtem patriam ſanguinem fundendo peruenerunt. Quid tunc dicturi ſumus, cum hunc, de quo locuti ſumus, Seruulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, ſed tamen hæc à bono opere non ligauit? Hæc vobiſcum, fratres, agite, ſic vos ad ſtudium boni operis inſtigate: vt cum vobis bonos modò ad imitandum proponitis, eorum tunc conſortes eſſe valeatis.

BEDAE VENERABILIS
presbyteri eiuſdem Euang. expoſitio.

C*Vm autem turba plurima conueniret, &c.* Hanc parabolam dominus ideo per ſeipſum exponere dignatus eſt, vt figurate ſe loqui innoteſceret, rerúmque ſignificationes in iis etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare, doceret eſſe quærendas. Sed quia ſemen, quod verbum Dei ſit, terrámque variam quod diuerſum cor auditorum ſignificet, ipſe dominus aperuit, ſatorem quem nobis quærendum reliquit, nullum melius, quam filium Dei intelligere poſſumus. Qui exiit ſeminare ſemen ſuum, quia de ſinu patris, quo creaturæ nõ erat acceſſus, egrediens, ad hoc venit in mundum, vt teſtimoniũ perhiberet veritati. Vnde bene iuxta euangeliſtas alios hanc parabolam dicturus, de domo exiſſe, mare adiſſe, nauem conſcendiſſe perhibetur, ipſum nimirum ſitu corporis, quod proceſſu ſermonis inſinuans. *Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, &c.* Quæ dominus expoſuit, pia fide ſuſcipienda ſunt. Quæ autem tacita noſtræ intelligentiæ dereliquit, perſtringenda ſunt breuiter. Semen, quod ſecus viam cecidit, duplici læſura diſperiit, & à viantibus ſcilicet conculcatum, & à volucribus raptum. Via eſt ergo cor, ſedulo malarum cogitationum tranſitu attritum, atque areſactum, ne verbi ſemen excipere, ac germinare ſufficiat. Atque ideo quicquid boni ſeminis vicinia ta- Ex Comment. in Luc.

lis

lis viæ contingit, peſſimę cogitationis meatu conculcatum, à dęmonibus eripitur. Qui volucres cęli, ſiue quia cæleſtis ſpiritaliſque ſint naturæ, ſeu quia per aëra volitant, appellantur. *Et aliud cecidit ſuper petram, &c.* Petram hic recte dicit durum, & indomitum cor, ac nullo vetæ fidei vomere penetratum. Hoc eſt autem humor ad radicem ſeminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades virginum nutriendas, id eſt, amor, & perſeuerantia virtutis. *Et aliud cecidit in terram bonam, &c.* Fructū centuplum, fructum perfectum dicit. Nam denarius numerus, pro perfectione ſemper accipitur, quia in decem præceptis, legis cuſtodia continetur. Actiua enim, & contemplatiua vita, ſimul in decalogi mandatis coniuncta eſt, quia in eo & amor Dei, & amor ſeruari proximi iubetur. Amor quippe Dei, ad contemplatiuam; amor vero proximi pertinet ad actiuam. Denarius autem numerus per ſemetipſum multiplicatus, in centenarium ſurgit. Vnde recte per centenarium magna perfectio deſignatur, ſicut de illo, qui ſua pro domino terrena relinquit, dicitur; Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quia quiſquis pro Dei nomine temporalia, atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat, quæ contemnit, & in ſequenti ſæculo ad æternam vitæ gloriam peruenit. Terra ergo bona fructu centuplo fœcundatur, quando cor docile, virtutum ſpiritalium profectione donatur. *Hac dicens, clamabat, Qui habet aures audiendi audiat.* Quoties hæc admonitiuncula, vel in Euangelio, vel in Apocalypſi Ioannis interponitur, myſticum eſſe, quod dicitur, quærendúmque à nobis intentius oſtenditur. *Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola.* Nemo putet finita mox parabola diſcipulos hæc interrogaſſe ſaluatorē, ſed, vt Marcus ait, cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum ij, qui cum eo erant duodecim, parabolas. *Et dicebat eis; Vobis datum eſt noſſe, &c.* Marcus ita dicit; Illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt. Ideóque & nos cum diſcipulis Chriſti intremus in ſanctuarium Dei, vt intelligamus in nouiſſima myſteriorum regni Dei. Nam qui adpropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius, dicentes cum Pſalmiſta; Reuela oculos noſtros, & conſiderabimus mirabilia de lege tua. Recte itaque in parabolis audiunt, & in ænigmate, qui clauſis ſenſibus cordis, neque intrare, neque curant cognoſcere veritatem, obliti dominicæ pręceptionis; *Qui habet aures audiendi audiat. Qui autē ſecus viā ſunt, &c.* De hoc ſemine, Marcus ita ſcribit; Hi autem ſunt, qui circa viam, vbi ſeminatur verbum. Et cum audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert. Matthæus ita; Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit. Ex quo manifeſte docentur eos circa viam ſeminatos, qui verbum, quod audiūt, nulla fide, nullo intellectu, nulla ſaltem tentāte vtilitatis occaſione percipere dignantur. Porro ſuper petroſa, & in ſpinis (vt dominus exponit) ſeminantur ij, qui auditi quidem verbi, & vtilitatem probant, & deſiderium guſtant, ſed ne ad id, quod probant, perueniant, huius vitæ eos vel aduerſa terrendo, vel proſpera blandiendo retardant. Contra quæ vtraque damna, ſemen, quod acceperat, tutari curabat, qui ait; Per arma iuſtitię, à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt ſeductores, & veraces. His ergo tribus terræ generibus, ſcito omnes, qui verbum auditum non faciunt eſſe deſignatos. A quibus omnis qui ſemen acceptū ſeruat, terra bona eſt. Excipiuntur ſane Iudæi, & gentiles, qui ne audire quidem merentur. *Quod autem in ſpinis cecidit,* Mirum quomodo dominus ſpinas diuitias interpretatus ſit, cum illæ pungāt, iſtæ delectent. Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cum vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco, alio euangeliſta teſtante, nequaquam dominus diuitias, ſed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt. Fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Notandum vero eſt, quod exponens dominus dicit, quia ſollicitudines, & voluptates, & diuitiæ ſuffocant. Suffocāt enim, quia importunis cogitationibus ſuis guttur mētis ſtrāgulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam, quod duo ſunt, quæ diuitiis iūgit, ſollicitudines videlicet, & voluptates. Quia profecto & per curam mentem opprimunt, & per affluentiam reſoluunt. Re enim contraria, poſſeſſores ſuos & afflictos, & lubricos faciunt. Sed quia voluptas conuenire cum afflictione non poteſt, alio quidem tempore per cuſtodiæ ſuę ſollicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt. *Quod autem in bonam terram, ij ſunt, &c.* Bona terra (vt prædiximus) omnibus tribus terræ nequam varietatibus contraria facit, & libenter videlicet ſemen verbi ſuſcipiēdo, & quod ſuſcipit, inter aduerſa, & proſpera patiēter ad fructus vſque tempora ſeruando. Aliter. Bona terra fructum per patientiam reddit, quia ſcilicet nulla ſunt bona, quæ agimus, ſi non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus. Quanto enim quiſque altius profecerit, tanto in hoc mundo inuenit, quod durius portet. Quia dum à præſenti ſæculo mentis noſtræ dilectio deficit, eiuſdem ſæculi aduerſitas creſcit. Hinc eſt enim, quod pleroſque cernimus & bona agere, & tamen ſub graui tribulationum faſce deſudare. Sed iuxta vocem domini, fructū per patientiam reddunt. Quia cum humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter ſuſcipiuntur. Quod vero ſecundum Matthæum dicitur; Et fructum affert, & facit aliud quidem centum, aliud autem ſexaginta, porro aliud triginta, Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipſa digitorum coniunctio, quaſi molli oſculo ſe complexans, & fœderans, maritum pingit, & coniugem. Sexaginta ad viduas, eo quòd in anguſtia, & tribulatione ſint poſitæ. Vnde & in ſuperiore digito deprimuntur. Quantoque maior eſt difficultas expertæ quondam voluptatis inlecebris abſtinere, tanto maius & præmium. Porro centeſimus numerus, quæſo, diligenter lector attende, à ſiniſtra transfertur ad dexteram, & iiſdem quidem digitis, ſed non eadem manu, quibus in læua manu nuptæ ſignificantur, & viduæ, circulum faciens, exprimit virginitatis coronam. Aliter. Fructum triceſimum verbum profert, quod fidem ſanctæ Trinitatis ædificat. Sexageſimum, quod operis perfectioné docet. Quia ſex dies ſunt, in quibus oportet operari. Centeſimum, quod ad dexteram regni vitam prædicat æternam.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberſtat. ſuperioris Euang. expoſitio.*

CVm turba plurima conueniret ad Ieſum. *Cum turba plurima veniret, &c.* Vbicunque in ſacra ſcriptura vocabulum turbæ audimus, diuerſas voluntates intelligere debemus. *Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem,* id eſt, per parabolã. Quia parabola græcè, latinè dicitur ſimilitudo, eo quòd aliud ſonat exterius, & aliud continet interius. *Exijt qui ſeminat,* hanc parabolam dominus ideo per ſemetipſum exponere dignatus eſt, vt in reliquis parabolis, quas ipſe non expoſuit, ſpiritalem intelligentiam doceret eſſe requirendam. Quæ dominus expoſuit, fideliter ſuſcipienda ſunt: quæ autem non expoſuit, requirenda & conſtringenda ſunt breuiter. Expoſuit nanque, quid ſit ſemẽ, quid via, quid petra, quid ſpinæ, quid terra bona: tamen quis eſſet ſator, id eſt, ſeminator non expoſuit, quem nobis ad inquirendum reliquit. Sed nos iſtum ſatorem nullum melius poſſumus intelligere, quam ipſum dominum Ieſum Chriſtum, qui exiens de ſinu patris, quo creaturæ humanæ eſſet aſcenſus: venit in mundum per incarnationis myſterium, & cœpit ſeminare ſemen ſuũ, id eſt, prædicare euangelicam doctrinam, quæ modò recitatur in eccleſia. *& dum ſeminat, aliud ſemen cecidit ſecus viam,* id eſt, iuxta viam, *& conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Semen, quod ſecus viam cecidit, duplici læſura diſperiit, & à viatoribus, ſcilicet, eſt conculcatum, & à volucribus raptum. Per viam deſignatur cor negligentis hominis, in quod cor ſi ceciderit ſemen, id eſt, verbum Dei, à viatoribus, id eſt à malis cogitationibus conculcatur: & à volucribus rapitur, & ſupplãtatur, id eſt à dæmonibus, qui ideo volucres cęli appellantur, quia per hunc aërem diſcurrunt, qui ſæpe in ſcriptura ſacra cæli nomine cenſetur: vel quia tales cæleſtis ſunt naturæ. Tunc nanque rapiunt dæmones, non ad vtilitatem ſui ſemen verbi Dei à corde auditorum, quando immittunt eis obliuionem, vt nullo modo fructum bonæ operationis ferre valeant, vnde ſaluentur. *& aliud cecidit ſupra petram.* Per petram deſignatur cor durum, & indomitum, ſuperbum, tumidum, inflatum, & immite. In quod cor ſi ceciderit ſemen, id eſt, verbum Dei oritur, quia plerique ſuperbi, & tumidi, quum audiũt verbum Dei, cum gaudio ſuſcipiunt illud. Sed, quum tempus tẽtationis aduenerit, id eſt mala cogitatio, vel mala voluntas, areſcit verbum Dei in cordibus eorum. Quare? Quia nõ habet humorem verbum Dei: vel non habet humorem, id eſt perſeuerantiam in bono opere. *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul ſpinæ exortæ ſuffocauerunt illud.* Per ſpinas, ſicut in ſequentibus dominus dicit, deſignantur diuitiæ. Sed quęrendum eſt, quare dominus ſpinas diuitias ſignare dixit, quum illæ pungant, & ſpinæ iſtæ delectent, id eſt diuitiæ. Ad quod reſpondendum eſt, quòd omnis qui vult diues fieri in præſenti ſeculo, diu, noctùque anxiatur, cogitans quibuſcunque modis, quibuſcunque ingenijs diuitias acquirere poſſit, per phas, & nephas. Cùm adeptus fuerit eas, reſoluitur in voluptatem, manducando, bibendo, luxuriando, faciendo quod videtur. Iterum pungitur timore, quia timet eas dimittere, quas cũ ſummo labore acquiſiuit: dum taliter mentem deuaſtant, dum ſic diuitiæ mentem hominis vſque ad peccatum pertrahũt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Vnde & eaſdem diuitias dominus ſecundum Marcum fallaces, id eſt mendaces appellat: fallaces Mar. 4.
ſunt, quia diu nobiſcum manere non poſſunt, fallaces ſunt, quia mentis noſtræ inopiam non excludunt, id eſt, expellunt. Verę namque diuitiæ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Quę ſunt hæ diuitiæ? Fides, charitas, continentia, ieiunium, & eleemoſyna. *Et aliud* ſubauditur ſemẽ *cecidit in terram bonam, & ortum,* id eſt, natum *fecit fructum centuplum.* Per bonam terram, deſignatur cor mite, & manſuetum, fructum centuplum, fructum perfectum dicit, quia per centenarium numerum in ſacro eloquio, ſumma perfectio deſignatur, ſicut dominus dicit de eo, qui omnia ſua pro eius amore derelinquit. Centuplum accipiet, id eſt, perfectionem mẽtis à domino in præſenti ſeculo, vt ea, quæ ſemel deſeruit, vlterius repetere nolit, & per hanc perfectionem in futuro viam æternam à domino obtinebit. *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.* Omnes homines qui tunc in præſentia domini aderant, aures corporis habebant, ſed dominus aures corporis non requirebat, ſed aures cordis, id eſt, intelligentiam verbi Dei. *Qui habet aures audiendi audiat,* id eſt, qui habet ſenſum intelligendi, intelligat ſpiritualiter, quæ dico. Vbicũq; enim hæc admonitiuncula legitur, ſiue in euangelio, ſiue in apoſtolis, oſtendit quiddã myſticum: quod loquitur ſpiritus ſanctus. *Interrogauerunt autem eum diſcipuli, quæ eſſet hæc parabola.* Non ſtatim vt hanc parabolam finiuit dominus, interrogauerũt eum diſcipuli eius. Sed ſicut Marcus dicit: cùm eſſet ſingularis, id eſt, remota turba, interrogauerunt Matt. 4.
eum, quę eſſet, id eſt, quid deſignaret hæc parabola. *Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.* Regnum Dei hic ſacram ſcripturam debemus intelligere. Vnde dominus phariſæis, & ſcri- Matt. 15.
bis alibi dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, id eſt ſacra ſcriptura, & dabitur genti facienti fructus eius. *Vobis datum eſt,* quaſi diceret: Vobis apoſtolis meis, qui fidem habetis, & dilectionem, datum eſt à patre meo, & à me, *noſſe myſterium regni Dei,* id eſt, intelligere obſcuritatem parabolarum mearum, *cæteris autem in parabolis,* id eſt, in obſcuritate. Myſterium dicitur ſecretum, obſcurum, vel abſconſum. Quare ſcribis, & phariſæis omnia fiunt in parabolis, id eſt, in obſcuritate? *Vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant:* Scribę, & phariſęi, qui putabant ſe legem, & prophetas ſpiritualiter intelligere, in parabolis domini ignorantes erant. Quare? quia non crediderant in eum. Et ideo dicit dominus: vt videntes, hoc eſt, qui ſe putant ſpiritualiter dicta legis, & prophetarum videre, non videant, id eſt, non intelligant ea, quæ à me dicuntur. *Eſt autem hæc parabola.* Ipſe dominus exponit: *Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſemen cecidit ſecus viam, quod ſupra petram,* totũ hoc habemus dictum, *Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Solicitudo dicitur cura ſuperflua. Miram rem fecit dominus, cum ſpinas diuitias ſignificare voluit. Verè etenim diuitiæ iſtius ſeculi ſpinę ſunt; quia, quicunque diuites volunt fieri, magnam ſolicitudinem, ac curam ſuperfluam habent, quomodo diuitias acquirant, & cum acquiſitas eas habuerint, delectantur in illis,

lis,epulantur,bibunt ſuperfluè,luxuriantur,& iterum reuertūtur ad curam,& ad ſolicitudinem magnam,ne eas amittant. *Quod autem ſemen in bonam terram cecidit*. Per bonam terram deſignantur corda bonorum hominum. *Hi ſunt,qui in corde bono*,id eſt,intellectu bono. *audiētes verbum retinent,& fructum afferunt in patientia*.Non aufertur verbum Dei de corde illorum per volucres , id eſt , per dæmones,vel per æſtum,ſed quod in verbo Dei diſcunt, hoc opere complēt.Et bene,*in patientia*,quia nulla ſunt bona,quæ agimus, niſi etiam mala proximorum æquanimiter toleremus.Quod autem ſemen, aliud triceſimum,aliud ſexageſimum,aliud centeſimum fructum fecit , ita intelligendum eſt. Fructum triceſimum facit in nobis verbum Dei, quādo fidē ſanctæ trinitatis docet. Verbi gratia : Cùm
Isa.60. dicunt angelicæ poteſtates : Sanctus,ſanctus,ſan-
Psal.66. ctus , ecce tota trinitas. Et Pſalm. Benedicat nos Deus Deus noſter,benedicat nos Deus, & metuāt
Rom.11. eum omnes fines terrę.Et Paulus apoſtolus.Quoniam ex ipſo,& per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ecce ſimiliter tota trinitas. Fructum ſexageſimum facit in nobis verbum Dei , quando bona operari nobis innuit,dicens : Honora patrem, & matrem. Et diliges dominum Deum tuum ex toto corde, quia ſenarius numerus pro perfectione operis accipitur,eò quòd in ſex diebus perfecit Deus mundi ornamentum. Fructum centeſimum facit in nobis verbum Dei , cùm vitam æternam prædicat
Matt.4. nobis,dicens:Pœnitentiam agite. Aliter triceſimū fructum poſſumus referre ad coniugatos,ſexageſimum ad viduas,vel ad viduos,centeſimum ad prælatos , id eſt , ad epiſcopos, vel preſbyteros. Dum enim coniugati ſecundum voluntatem Dei viuere ſtudent, quaſi triceſimum fructum faciūt:Dum autem viduæ , vel vidui præcepta Dei operando adimplere contendunt, quaſi ſexageſimū fructum faciunt : Et dum prælati ad cæleſtem patriam toto niſu cordis,& corporis tendunt , quaſi cēteſimum fructum afferunt. Quod nobis præſtare dignetur, qui viuit,&c.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar.ſuperioris Euangelij expoſitio.

CVm *autem turba plurima conueniret, &c.* Nunc tandem euenit,quod olim Dauid in perſona Chriſti dixit , Aperiam enim, inquit, in parabolis os meum. Loquitur itaque parabolas dominus, propter multa, nempe vt attentiores reddat auditores,& excitet illorum mentem ad inquirendum de iis, quæ dicta. Solent enim homines curioſius inueſtigare de iis,quæ dicta ſunt obſcurius,manifeſta autem negligere , & vt indigni non intelligāt,quæ abſtruſius ſunt dicta,atque propter multa alia in parabolis loquitur. *Exijt* igitur *ſeminans*, hoc eſt,filius Dei exiuit de patris ſui ſinu abſcondito, & conſpicuus factus eſt. Quis autem exiuit? Is,qui ſemper ſeminat. Filius enim Dei non ceſſat ſemper ſeminare in animabus noſtris. Non enim ſolum quando videtur docere , ſed & per mūdum iſtum,& per ea,quæ quotidie facit erga nos,ſeminat in noſtris animabus bona ſemina. Exiuit autem , non vt agricolas occidat , vel agrum exurat, ſed vt ſeminet. Sæpe enim egreditur agricola & propter alia.non ſolum vt ſeminet. Sed exiit,vt ſeminet ſemen ſuum. Proprius enim eius eſt ſermo doctrinæ,& non alienus. Prophetæ enim, quæcunque dixerunt,è ſpiritu dixerunt,& non vt propria:vnde & dixerunt : Hæc dicit dominus. Chriſtus vero proprium habet ſemen. idcirco non dicebat docens ; Hæc dicit dominus : ſed, Ego dico vobis. Seminante autem illo , hoc eſt , docente, *aliud quidem cecidit circa viam* : non dixit quòd proiecerit ſeminans , ſed quòd illud ceciderit. Nam, qui ſeminat,ſeminat, & docet,ſermo autem cadit in audientes. Hi autem inueniuntur eſſe vel via, vel petra,vel ſpinæ,vel terra bona.Cæterum diſcipulis interrogantibus parabolam , dicit dominus; *Vobis datum eſt ſcire myſteria regni Dei*, hoc eſt, vobis quærentibus , vt diſcatis. Omnis enim qui petit, accipit. Reliquis vero , qui ſacramentis indigni ſunt , obſcure dicuntur , & exiſtimant quidem ſe videre,ſed non vident:& audiunt quidem,ſed non intelligunt,atque hoc in illorum bonum.ne enim magis condēnentur, quòd cognita myſteria ſpreuerint , ideo ab illis ea Chriſtus abſcondit. Qui enim cognoſcit , & contemnit , grauiora meretur ſupplicia.*Eſt autē hæc parabola:Semē eſt ſermo Dei,&c.* Tres hic ordines eorum ſunt , qui non ſeruantur. nam ij, qui ſecus viam,neutiquam ſuſcipiunt ſermonem. Sicut enim via conculcata , & lutulenta ſemen non ſuſcipit , eo quòd dura ſit,ita & obdurati corde ſermonem non ſuſcipiunt etiam audientes : non attendunt enim. At qui per petram intelliguntur,ſuſcipiunt quidem, ſed præ infirmitate humana marceſcūt. Tertij ſunt, qui, quū audiuerunt,& ſuſceperunt,præ curis vitæ huius ſuffocantur. Igitur tres quidem partes eorum ſunt, qui pereunt,vna autem eorum,qui ſaluantur. Ita pauci quidem ſunt, qui ſeruantur , plures autem, qui pereunt.Vide item,quum de iis,qui ſuffocantur loquitur, quomodo non dicit,quòd præ diuitiis ſuffocentur , ſed præ curis diuitiarum, & ſolicitudinibus. Non enim diuitiæ nocent,ſed ſolicitudines earum. Multi enim magna commoda ex diuitiis percipiunt,illas in pauperum ventres proiicientes. Conſidera quoque & diligētiam Euangeliſtæ , quomodo dixerit de iis , qui ſaluantur, quòd auditum ſermonem retineant. Hoc enim dixit propter eos , qui per viam intelliguntur , ſed diabolus tollit ab eis ſermonem, & quod fructum non afferant,dixit propter eos,qui ſuffocantur,& qui non perdurant vſque ad finem. Illi enim fructum non afferunt , qui non perſeuerant vſque ad finem. Porro quod dicit,*in patientia*,dixit propter eos,qui ſuper petram, qui ſuſcipiunt quidem ſermonem,non ſuſtinent autem tentationis inſidias, & comprobantur reprobi. Vides quomodo dixerit de iis,qui ſaluantur,quòd retineant,& fructum faciant,atque id in patientia:& per tria diſtinxerit eos : ab iis , qui non retinent, & hi ſunt,qui iuxta viam:ab iis, qui non perdurant,& hi ſunt , qui inter ſpinas:ab iis , qui non ſuſtinent tentationis inſidias,& hi ſunt,qui ſuper petram.

INCERTI CVIVSDAM
ſub nomine Euſebij Emiſſeni eiuſdem Euangelij expoſitio.

MVlta turba ſequebatur Ieſum , multi vndique conueniebant, multi de ciuitatibus ad eum properabant , qui eius verba audire , ipſúmque & miracula , quæ faciebat , videre deſiderabant

bant. Quum autem ſic ad eum omnes confluerent, dixit per ſimilitudinem. In parabolis enim loquebatur dominus, & ſine parabolis nō loquebatur dominus. Vnde & per prophetam dixit, Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Nunc autem ipſam parabolam vel ſimilitudinem audiamus. *Exiit* (inquit) *qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, &c.* Non ſine cauſa clamat Ieſus: qui enim clamat, audiri deſiderat. Meritò igitur clamabat dominus, quia pauci ibi erant, qui eum audirent. Audiebant quidem vocem, audiebant & ſimilitudinem: illud tamen non audiebant, quod per illam vocem & per ſimilitudinem illam ſignificabatur. Vnde & aures audiendi requirebat: quia non aures corporis, ſed potius aures cordis hunc clamorem audiunt & intelligunt. *Interrogabant autem diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola.* Et iſti quidem nondum aures audiēdi eius verbis adhibuerant. *Quibus ipſe dixit. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Vobis (inquit) qui creditis, vobis, qui fidem habetis, vobis, qui veritatem diligitis, vobis, qui non carnalia, ſed ſpiritualia quæritis, vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Sed quare cæteris in parabolis? *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Hoc autem tale eſt, ac ſi diceret, Vt videntes vmbram, non videant veritatem, & audientes auribus corporis, non intelligant auribus cordis. Hoc autem eorum duritia & infidelitas facit, vt verba Dei intelligere non mereantur. *Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt, &c.* Ecce ipſo domino exponente, didicimus, quid ſit ſemen, quid ager, quid terra ſecus viam poſita, quid terra petroſa, quid ſpinoſa, & quid bona terra ſignificet. *Semē eſt verbum Dei.* Multum eſt ſemen, quia magnus eſt ager. Hoc enim ſemine duo magna horrea plena habemus, nouum videlicet ac vetus teſtamentum. Inde enim ſumimus, quicquid vbicunque ſeminamus. Ager autem tantus eſt, quantus & mundus. Vos, fratres mei, vos eſtis ager in quem hoc ſemen ſeminatur. Videte ergo qualem terram huic ſemini exhibeatis: videte ne ſitis illa terra, quæ ſecus viam poſita ſit: cuius ſemen illi viatores mali conculcant, qui animę malæ obedienti dicunt, Incuruare vt tranſeamus. Hoc autem ſemen diabolus tollit, quia eius perſuaſione, & deceptione fit, vt citiſſimè à memoria dilabatur. Videte, ne ſitis terra petroſa, in qua verbi Dei ſemen radices figere non valet, ſed citò areſcit: quia talis terra ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Videte ne ſitis terra ſpinoſa, quæ quamuis ſemen ſuſcipiat, in ea tamen creſcere & fructificare non valet, quia vitiis & diuitiis carníſque voluptatibus (quæ per ſpinas ſignificantur) comprimitur & ſuffocatur. Bene autem per ſpinas hæc figurantur: quoniam etſi carni mollia, & ſuauia ſunt, animas tamen vulnerant, & affligunt. Illi autem ſunt bona terra, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent: & non ſolùm audiunt, & retinent: verùm etiam operantur, & patientiæ fructum afferunt. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur: Vnde ſcriptum eſt, Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi ait, Beatus qui legerit, & qui audierit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt. Sed notandum eſt quod ait, *In corde bono, & optimo.* Terra enim alia bona, alia melior, & alia optima eſt. Vnde & Matthæus euangeliſta, Semē inquit, cecidit in terram bonā, & attulit fructum, aliud triceſimū, & aliud ſexageſimū, & aliud centeſimū. Bona eſt enim, quę triceſimū: melior, quæ ſexageſimū: optima verò quæ centeſimū fructum affert. Si enim libenter audias verbū Dei, & quod audis, bene & catholicè intelligas, & id quod intelligis operaris, bona terra es. Quid eſt autē bene, & catholicè intelligere? prius videlicet ſecundum literam, poſtea verò ſecundum ſpiritualē intelligentiam. Decem quidem ſunt verba legis, in quibus tota lex pendet, & prophetæ. Quæ ſi dupliciter intelligamus, ad viginti vſque conſcendimus. Ea autem, quæ dupliciter, id eſt, ad literam, & ſpiritualiter intelleximus, per ſingula operemur, fiūt triginta. Bona igitur terra eſt, quæ decem legis mandata prius ad literam: deinde verò ſpiritualiter intelligit, & ea quæ intelligit operatur. Triceſimum ergo fructum dant boni coniugati, ſed non ſimpliciter, vt Iudęi, ſed dupliciter, vt Chriſtiani, legem credunt & intelligunt, & ea quæ intelligunt operantur & cuſtodiunt. Nunc autem ad ſexageſimum veniamus, quem continentes reddunt: qui tanto coniugatis meliores ſunt, quanto hic numerus illum excedit, quum totus ille in iſto duplex inueniatur. Valde enim meliores ſunt, qui corporis & animæ continentiā & caſtitatem cuſtodiunt, quàm illi qui ſolius animæ caſtitatem obſeruant. Conſtat autem ſexageſimus numerus ex ſex & decem: quoniam ſexies decem, vel decies ſex, ſexaginta fiunt. Et in decem quidem totam legis ſcientiam intelligimus, quoniam (vt iam diximus) in decem legis mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. In ſex autem integra operatio deſignatur: quoniam in ſex ſolummodo diebus omnem noſtrum laborem & operationem conſtituit Deus. Dies namque Sabbati non ad laborem, ſed ad quietem poſitus eſt. Dant igitur continētes fructum ſexageſimum, ſi legem quæ in decem mandatis continetur, credunt & intelligunt, & ea quæ intelligunt operari non negligunt. Reſtat nunc vt de his dicamus, qui fructum centeſimum domino reddunt. Centenarius nanque numerus & ſecundum ſe, & ſecundum partes ſuas perfectus eſt, quoniam replicari quidem poteſt, creſcere autem non poteſt. Decies nanque decem, centum faciunt: & decem quidem, & centum, & mille, quia nō eſt vbi creſcant, perfecti numeri dicuntur. Illi igitur qui perfecti in Eccleſia ſunt, centenarium fructum congruè ſatis reddere intelliguntur. Et de talibus quidem dominus ait, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me: itémque, Nolite cogitare de craſtino, & nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini. Tales autem illi erant, qui dicebant, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Soli igitur perfecti centeſimum fructum reddunt; inter quos nec ipſæ virgines poni debēt, niſi & ipſi propter diuinitatem hanc habeant perfectionem. Sic igitur ſemen, quod cecidit in terram bonam, attulit fructum, aliud triceſimum, aliud ſexageſimum, atque aliud centeſimum.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Marc. 4. C*Æteris autem in parabolis.* Marcus vero planius ſcripſit, dicens; Iis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt. *Eſt autem hæc parabola. Hæc,* id eſt, talis iuxta interpretationem. *Semen eſt ſermo Dei.* Sermo fidei euangelicus. *Qui vero ſuper petram.* Qui ad petram, hi ſunt videlicet, de quibus dictu-rus eſt; *Qui cum audierint, &c. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt.* Hoc eſt, in iis eſt. Qualibus iis? Audi; *Qui cum audierint verbum, & ſub ſolicitudinibus, &c.* Hoc eſt, eum ſolicitudinibus, ac voluptatibus euntes, ſiue conuerſantes.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

LVC. 18.

IN illo tempore, Aſſumpſit Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gẽtibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Et poſtquàm flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: Ieſu [a] fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant increpabant eum, vt taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: Fili Dauid miſerere mei. Stans autem Ieſus iuſsit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, [b] interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: domine, vt videam. Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

[a] Homo pro hominibus factus, miſerere hominis.

[b] Interrogat, vt credamus non niſi confitentem poſſe ſanari.

GLOSSA ORDINARIA
in ſuperius Euangelium.

ASSVMPSIT *autem Ieſus duodecim.* Præuidens ex paſſione ſua diſcipulos perturbandos, prædicit & paſſionis pœnam, & reſurrectionis gloriam, vt cum morientem cernerent, reſurrecturum nõ dubitarent. *Et conſum.* In hoc oſtendit quidquid prophetæ prædixerunt, ad ſuæ diſpenſationis myſterium intendiſſe. In quo percutit hæreticos, qui dicunt Chriſtum legi & prophetis contrarium prędicaſſe: & alium veteris, alium noui eſſe Deum Teſtamenti. Confutat etiam paganorum dementiam, qui eius crucem derident, cum proximæ ſuę paſſionis & tempus quaſi futurorum præſcius oſtendit, & locum quaſi mortem nõ timens adiit. *Et ipſi ni.* Diſcipuli ſermonem dominicæ paſſionis toties replicatum ideo intelligere nõ valent, quia quem maxime videre deſiderant, eius mortem audire non poſſunt: Et quem nõ ſolum hominem innocentem ſed etiam verum Deum eſſe ſciunt, mori poſſe non putant: Et quoties aliquid de ſua paſſione dicit, hoc allegoricum dictum putant, ſicut in aliis per parabolas loquentem audire conſueuerant. Iudæi qui eius mortem parabant, quidquid de ſua paſſione loqueretur, intelligebant. Hoc enim loquebatur, quod ipſi perficere optabant. *Cæcus qui.* Cæcus ſignificat humanum genus, quod à ſuperna claritate excluſum damnationis ſuæ patitur tenebras, ſed à domino appropinquante Iericho curatur. Iericho luna interpretatur, per quam defectus mortalitatis intelligitur. Dum ergo verbum Dei infirmitatem noſtræ carnis ſuſcipit, homo ad cognoſcenda diuina redit. Cæcus ſedet iuxta viam, dum incipit credere in ipſum qui dicit: Ego ſum via. Mendicat, dum rogat, vnde ſequitur: *Et cla. Et qui præ.* Qui Ieſum præeunt venientem, ſignificant cęcum carnalium Ioan. 14. vitiorum, quæ diſſipant cogitationem hominis, & perturbant vocem orationis, ne Ieſus ad illuminan

minandum venire poſſit cor hominis: ſed iam credens ſentiens ſe grauari phantaſmate priorum vitiorum, & vocem orationis ſuæ impediri, ne pro ſe exorari poſſit, ardentius clamat. *Stans au.* Tranſiens, cæcum audit: ſtans illuminat: quia per humanitatem ſuam noſtræ cæcitatis vocibus compatitur, ſed per potentiam diuinitatis lumen nobis gratiæ infundit. *Adduci ad ſe.* Qui prætereuntem aliquatenus ſentiebat, dum in oratione patitur phantaſmatum turbas: vehementius inſiſtens orationi ducitur ad ſtantem, & recipit lumẽ: quia Deus in corde firmo figitur, & ſic lux amiſſa reparatur. *Quid ti. v.* Non ex ignorantia quærit ſed ideo vt rogetur, vt mẽtem ad orationem excitet. Quod intelligens cæcus ſubiungit: *Do. vt vi.* Non petit cæcus aurum, vel aliquid temporale, ſed tantum lumen. Imitemur ergo eum, quem mente & corpore audiuimus ſanatum, petamus à domino lucem æternæ viſionis: & dicet nobis: *Reſpi. fi. tua ſal. te fe. Et conſe. vi.* Videt & ſequitur, qui bonũ quod intelligit operatur, & Ieſum præſentem vel prætereuntem imitatur. Et hic talis non ſolum pro impetrato in Deum proficit, ſed etiam alios ad laudem Dei accendit. vnde ſequitur: *Et o. pl. vt v. d. l. Deo.* Laudat plebs Deum, non ſolum pro impetrato munere lucis, ſed & pro merito fidei impetrantis: quia non ſolum laudat quòd potenter & miſericorditer illuminat, ſed quia clamorem fidei firmiter clamantis exaudit.

CATENA AVREA
in idem Euang.

ASſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c.* Theo. Præuidens ſaluator ex paſſione ſua diſcipulorũ animos turbandos, eis longè antè paſſionis eius pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriam prædicit. vnde ſequitur: *Aſſumpſ. autem Ie. 12. & ait ill. Ecce aſcendimus, &c.* Bed. Præuidens enim quoſdam hæreticos futuros qui Chriſtum dicerent legi prophetiſque docuiſſe contraria, oſtendit quòd per prophetarum præſagia ſuæ paſſionis & poſterioris gloriæ ſit celebrata perfectio. Chry. Seorſum autem de paſſione cum diſcipulis confert. Non enim oportebat hunc ſermonem pluribus diuulgari, ne turbarentur. Ob hoc autem prædicebat diſcipulis, vt exercitati per expectationem facilius ſuſtinerent. Chry. Et vt ſciant quoniam paſſionem prænouit, & ſpontaneus ad eam acceſſit, ne dicerent qualiter in manus hoſtium incidit qui nos promittebat ſaluare? vnde ſeriatim ordinẽ paſſionis enarrat, ſubdens: *Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Chr. Hoc Eſaias prædixerat, dicens: Obtuli ſcapulas meas ad verbera, genas meas ad alapas, & faciem meam nõ diuerti a ſputorum dedecore. Sed & crucis patibulum prædixit Propheta, cum ait: Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. vnde & hic ſubditur: *Et poſtquam flagellauerint, occident eum.* Sed & reſurrectionem eius Dauid prædixit, dicens: Non derelinques animam meam in inferno. vnde hic ſubditur: *Et tertia die reſurget.* Iſid. Admiror autem dementiam quærentium cur Chriſtus ante triduum reſurrexit? ſi enim reſurgeret tardius quam prædixerat, impotentiæ eſſet: celerius verò, eſt ſummæ virtutis indiciũ. Si quem enim, cum ſpopõderit ſuo creditori poſt triduum perſoluere debitum, eadem die ſatisfacientem viderimus: non fallacem, ſed potius vt veridicum eum mirabimur, dicam etiam quòd non dixeſe poſt tres dies reſurrecturum, ſed die tertia. Habes paraſceuen, habes ſabbatum vſque ad ſolis occaſum, & poſt ſabbatum reſurrexit. Cyril. Diſcipuli autem nondum nouerãt exquiſitè quod prophetæ prædixerant: ſed poſtquam reſurrexit aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. vnde ſequitur: *Et ipſi nihil ho. &c.* Bed. Quia enim diſcipuli eius vitam maximè deſiderabant, eius mortem audire non poterant. Et quoniam non ſolùm hominem innocentem, ſed & Deum verum ſciebant, hunc nullatenus mori poſſe putabãt. Et quia parabolas eum ſæpe loquentem audire conſueuerant, quoties aliquid de ſua paſſione dicebat, ad aliud allegoricè referendum eſſe credebant. vnde ſequitur: *Erat autem ver. iſtud abſcon. ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Iudæi verò quia in eius necem conſpirauerant, quòd de paſſione ſua loqueretur dicens in Ioãne: Oportet exaltari filium hominis, intelligebant, vnde dixerunt. Nos audiuimus ex lege quia Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? *Factum eſt autem cùm appropinquaret Hierico, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, &c.* Greg. in ho. Quia carnales adhuc diſcipuli non valebant capere verba myſterij, venitur ad miraculum ante eorum oculos: cæcus lumẽ recipit, vt eos ad fidem cæleſtia facta ſolidarent. vnde ſequitur: *Factum eſt autem, &c.* Theop. Et ne inceſſus domini eſſet inutilis, in via fecit cæci miraculum, hoc documentum diſcipulis ſuis dãs, vt in omnibus ſimus proficui, & nihil ſit in nobis otioſum. Aug. de quæſt. euang. Poſſumus de appropinquantibus Hierico ſic intelligere, vt iam inde egreſſi, prope tamẽ adhuc eſſent ad eandem ciuitatem: quod quidem minus vſitatè dicitur, ſed tamen videri poſſet hoc dictum, quoniam Matthæus egredientibus eis ab Hierico dicit illuminatos duos cæcos, qui iuxta viam ſedebant. De numero quidem nulla eſſet quæſtio, ſi alter euangeliſtarum de vno tacuiſſet vnius reminiſcens: nam & Marcus vnum commemorat, cum & egredientibus eis ab Hierico dicit illuminatũ: cuius & nomen dixit & patrem, vt intelligamus eum fuiſſe notiſſimum: alterum ignotum, vt merito ille notus etiam ſolus decenter commemoraretur. Sed quoniam quæ ſequuntur in euang. ſecundum Lucam, apertiſſimè oſtendunt illud quod ipſe narrat adhuc venientibus ipſis Hierico factum eſſe, nihil aliud reſtat intelligere, niſi bis eſſe factum hoc miraculum: ſemel in vno cæco, cum adhuc veniret in illam ciuitatem, iterum in duobus; cùm inde egrederetur, vt illud vnum Lucas, alterum Matthæus enarrat. Chryſoſt. Multus autem erat populus circa Chriſtum, & cæcus eum quidem non nouerat, ſentiebat autem effectũ, & rapiebat per affectum quod non hauſit aſpectus. vnde ſubditur: *Et cum au. tur. prater. inter. quid hoc eſſet.* Et oculari quidem ſecundum opinionem loquebantur. Sequitur: *Dixe. au. ei, quòd Ieſ. Naz. tranſiret.* Cæcus verò vera clamabat: alia docetur, & alia prædicat. Nam ſequitur: *Et cla. di. Ieſ fili Da. miſerere mei.* Quis te docuit hoc homo? num perlegiſti libros priuatus luminibus? Vnde igitur noſti luminare mundi? verè dominus illuminat cæcos. Chry. In Iudaiſmo autem notti-

tus non ignorauit quod de progenie Dauid Deus ſecundum carnem naſceretur, & ideo ei vt Deo loquitur, dicens: *Miſerere mei*: hunc imitentur, qui in duo diuidunt Chriſtum: hic enim Chriſtum tanquam Deum audit, & filium Dauid eum nominat, mirantur autem iuſtitiam cõfeſſionis eius. Quidam enim eum cõfitentem fidem compeſcebant, Sequitur: *Et qui prai. incre. eum vt tace.* Sed per inhibitiones huiuſmodi non impediebatur eius audacia. Nouit enim fides omnibus repugnare, & in omnia triumphare: vtile enim eſt pro cultu diuino pudorem deponere. Nam ſi cauſa pecuniæ ſunt impudentes, pro animæ ſalute non decet bonam induere impudentiam. vnde ſequitur: *Ipſe verò multò ma. cla. fi. Da. miſ. mei.* Siſtit autem Chriſtum vox inuocantis in fide, & inuocantes in fide reſpicit: & ideo meritò vocat cæcum, & accedere iuſſit. Vnde ſequitur: *Stans autem Ieſ. iuſſit illum adduci ad ſe, vt* ſcilicet qui prius fide eum tetigerat, appropinquaret & corpore. Appropinquantem cæcum dominus interrogat. Nam ſequitur: *Et cum ap. inter il. dix. Quid tibi vis faciam?* Diſpenſatiuè interrogat, non quaſi ignorans, ſed vt ſcirent aſtantes quòd non petebat pecuniam, ſed diuinam efficaciam vt à Deo. vnde ſequitur. *At il. di. do. vt vide.* Chry. Vel quia calumniatores veritatis Iudęi poſſent dicere vt in cæco nato, non eſt hic, ſed ſimilis eius, voluit vt cæcus prius oſtenderet defectũ naturæ, & tunc cognoſcat gratiæ maieſtatem: vt vbi petitionis modum cæcus explicuit, tunc ſumma maieſtate præcepit ei vt videret. vnde ſequitur: *Et d. il. Ie. Reſpice*: quid abundabat in crimen perfidiæ Iudæorum, quis enim prophetarum talia dixit? Aſpice tamẽ quid aſſumat medicus ab eo cui collata eſt ſanitas. Sequitur enim: *Fides tua te ſaluum fecit.* Pro fide enim venduntur beneficia, diffunditur enim gratia quam ſuſcepit fides. Et ſicut ab aliquo fonte hi quidem paruis vaſis modicum aquę hauriunt, hi verò maioribus multum, fonte non diſtinguente menſuras: & ſecũdum feneſtras quę aperiuntur magis vel minus, ſplendor ſolis infunditur, ita ſecundum capacitatem intentionis hauritur gratia. vertitur autem vox Chriſti in lucem languentis: erat enim verbum verę lucis. vnde ſequitur: *Et confeſtim vidit.* At cęcus & ante beneficium fidẽ oſtendit feruidam, & poſt beneficium beneuolentiam obſeruauit. Sequitur: *Et ſeque. il. ma. de.* Chryſ. Ex quo patet quòd à duplici cęcitate liberabatur: corporali ſcilicet & intellectuali. Neque enim ſignificaſſet vt Deum niſi verè vidiſſet: ſed & alius factus eſt occaſio glorificandi Deum. Sequitur: *Et omnis plebs vt vi. de. lau. Deo.* Bed. Non ſolũ pro impetrato munere lucis, ſed & merito fidei impetrantis. Chryſ. Hìc autem neceſſe eſt quęrere cur Chriſtus dęmoniacũ quidem curatum ſequi volentem prohibet, cęcum autem illuminatum ſequentem non prohibet? ſed neutrum irrationale puto: illum enim mittit præconem, vt ex ſua cõſiſtentia benefactorum prædicet: erat enim excellens miraculum, videre furioſum ſanæ mentis effectum. Cæcum verò permittit ſequi, quando Hieroſolymam aſcendebat per crucem perfecturus altum myſterium, vt recentem habentes miraculi mentionem, non exiſtimarent eum infirmitate potius quam miſericordia pati. Ambr. In hoc autem typus populi gentilis eſt, qui ſacramento dominico recepit amiſſi luminis claritatem. Nihil autem intereſt vtrum in vno cæco medicinam, an in duobus accipiat, quoniam ex Chan & Iaphet Noë filiis originem ducens in duobus cæcis duos generis ſui prætendebat authores. Greg. in ho. Vel cęcum eſt genus humanum, quòd in parente primo claritatem ſupernæ lucis ignorans damnationis ſuæ tenebras patitur. Hierico autem interpretatur luna, quæ dum menſtruis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat: dum igitur conditor noſter appropinquat Hiericho, cæcus ad lumen redit: quia dum diuinitas defectum noſtræ carnis ſuſcepit, humanum genus lumen quod amiſerat recepit. Qui ergo æternæ lucis claritatem neſcit, cæcus eſt. Si autem tantum redemptorem credidit qui dixit, Ego ſum via, iuxta viam ſedet. Si verò credidit & exorat vt æternum lumen recipiat, iuxta viam ſedet & mendicat. Illi autem qui Ieſum venientem præcedunt, deſignant carnalium deſideriorum turbas, tumultúſque vitiorum: qui priuſquam Ieſus ad cor noſtrum perueniat, diſſipant cogitationem noſtram, & in ipſa nos noſtra oratione conturbant. Ipſe verò magis clamabat, quia quanto grauiori tumultu cogitationum premimur, tanto orationi inſiſtere ardentius debemus. Cùm autem adhuc turbas phantaſmatum in oratione patimur, Ieſum aliquatenus tranſeuntẽ ſentimus, cùm verò orationi vehementer inſiſtimus, Deus in corde figitur, & lux amiſſa reparatur: vel tranſire humanitatis eſt, ſtare diuinitatis. Cæcum igitur clamantem dominus tranſiens audiuit, ſtans illuminauit, quia per humanitatem ſuam vocibus noſtræ cæcitatis compatiendo miſertus eſt, ſed lumen nobis gratiæ per diuinitatis potentiam infudit. Ad hoc autem requirit quid velit vt cor ad orationem excitet, pete enim hoc vult, quod & nos petere & ſe concedere præuoſcit. Ambr. Vel interrogauit cæcum vt crederemus, niſi confitentem non poſſe ſaluari. Greg. in hom. Cæcus autem à Domino non aurum, ſed lucem quærit. Et nos non falſas diuitias, ſed lucem quæramus, quam videre cum ſolis angelis poſſimus, ad quam lucem via fides eſt, vnde rectè cæco dicitur: *Reſpice, fides tua te ſaluum fecit.* Qui videt & ſequitur, quia bonum quod intelligit operatur. Aug. de quæſt. euang. Si autem Hiericho lunam & ob hoc mortalitatem interpretamur morti propinquans dominus Iudæis ſolis lumen euangelij ingerat prædicari, quos ſignificauit ille vnus cæcus, quem Lucas commemorat: à morte autem reſurgens atque deſcendens, & Iudæis & Gentibus, quos duos populos ſignificare videntur duo cæci commemorati à Matthæo.

S. AMBROSII MEDIOlanenſis *Epiſcopi ſuperioris Euang. expoſitio.*

A*ſſumpſit autem Ieſus duodecim, &c. Factum eſt autem cum appropinquaſſet Hiericho, &c.* In libro ſecundum Matthæum duo cæci inducuntur; Matth. 20.
hic vnus. Ibi egrediente Hiericho; hic appropinquante. Sed nulla diſtantia. Nam, cum in hoc vno typus populi gentilis ſit, qui ſacramento dominico recepit amiſſi luminis claritatem; nihil intereſt vtrum in vno medicinam, an in duobus accipiat: quoniam ex Cham, & Iapheth, Noe filijs origi

originem ducens, in duobus cæcis duos generis ſui prætendebat auctores. Quod videtur etiam Lucas non omiſiſſe, cum Zachæum ſubijcit, qui ſtatura puſillus erat, hoc eſt, nulla nobilitatis ingenitæ, dignitate ſublimis, exiguus meritis ſicut populus nationum; audito Domini ſaluatoris aduentu, quem ſui non receperant, videre cupiebat. Sed nemo facile Ieſum videt; nemo poteſt Ieſum videre conſtitutus in terra. Et quia non prophetas, non alibi regnum habebat tanquam formæ gratiam naturalis aſcendit in ſycomorum, vanitatem ſcilicet Iudæorum veſtigio ſuo proterens, errata quoque corrigens ſuperioris ætatis: & ideo Ieſum interioris domus recepit hoſpitio. Et bene aſcendit in arborem: vt arbor bona bonos fructus faceret: ac naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus, in bonam oliuam, fructum poſſet legis afferre. Radix enim ſancta: etſi rami inutiles, quorum infructuoſam gloriam plebes gentium fide reſurrectionis quaſi quadam corporis eleuatione tranſcendit. *Et ecce vir nomine Zachæus*. Zachæus in Sycomoro, cæcus in via. Quorum alterum Dominus miſeraturus expectat, alterum manſionis ſuæ claritate nobilitat, Alterum ſanaturus interrogat, apud alterum ſe non inuitatus inuitat. Sciebat enim vberem ſui hoſpitij eſſe mercedem. Sed tamen, & ſi nõdum vocem inuitantis audierat, iam viderat affectum. Verum, ne cæcum illum tanquam faſtidioſi pauperum cito reliquiſſe videamur, & tranſiſſe ad diuitem: expectemus eũ, quia expectauit & Dominus: interrogemus eum, quia interrogauit & Chriſtus. Nos interrogemus, quia neſcimus; ille, quia nouerat. Nos interrogemus, vt ſciamus vnde iſte curatus ſit; ille interrogauit, vt in vno plures diſceremus, vnde Deum videre mereamur. Interrogauit eum, vt crederemus niſi confitentem poſſe ſanari. *Et confeſtim* (inquit) *vidit, &c.* Aliter enim non videret, niſi ſequeretur Chriſtum, niſi Dominum prædicaret, & niſi ſeculum præteriret.

S. TITI BOSTRORVM *Epiſcopi ſuperioris Euangel. expoſitio.*

Theodoro Peltano interprete.

ET *ipſi nihil horum intellexerunt*. Propterea ſancti Apoſtoli nihil horum intelligebant, neque quæ dicebantur, capiebãt; ſed erat verbum ab us omnino abſcòndıtum, quia necdũ ea exacte norant, quę ſancti prophetæ de Chriſto prædixerãt. *Cum appropinquaret Hiericho, cæcus qui iam ſedebat*. Accedit cæcus ad Chriſtum, tanquam ad omnipotentem Deum, nominat autem illum filiũ Dauid, ſiquidem in Iudaiſmo educatus, quæ de ipſo per legem & prophetas prædicta erant, nõ ignorabat, & inter cætera, quòd ſecundum carnem ex genere Dauid oriturus erat. Certo igitur perſuaſum habens eum, qui ex ſacratiſſima virgine, ſecundum carnem ortum ducebat, naturale Dei verbum eſſe, adiit ad illum, ſicut ad Deum, eiuſmodi vſus oratione: *Miſerere mei fili Dauid*. Nam quòd ita comparatus, ſupplicationem attulerit; id Chriſtus ipſe teſtatum facit, ait enim, *fides tua te ſaluum fecit. Et qui præibant increpabant eum*. Admirari licet de conſtantia cæci huius confeſſione, ſiquidem quibuſdam illum increpantibus, &, vt taceret, admonentibus, ipſe de ſua contentione nihil quicquam remiſit. Quare meritò quoque honorauit eum Chriſtus dominus: Accerſitum enim iuxta aſſiſtere iuſſit, & interrogauit illum. Haud ignarus quid vellet, interrogat ex illo: *Quid tibi vis faciam?* (notat enim omnia) verùm vt circunſtantes, vnàque gradientes diſcãt, non petiiſſe pecuniam aut aliquid aliud eiuſmodi ab illo, ſed opus diuinum, hoc eſt, miraculum tanquam à Deo. Poſteaquam verò petitionis modum manifeſtauit, tunc demum Chriſtus dominus Iudæorum perfidiam & incredulitatem palam redarguit. Etenim ſua, hoc eſt, ſumma vſus poteſtate, ad cæcum, *reſpice*, dixit: ſtatimque vox lumine cæcitati lua effecta eſt; erat enim veri illius luminis verbum. Quis vnquam ſanctorum prophetarũ eiuſmodi quippiam fecit? hoc eſt, aut tanta vſus eſt poteſtate, aut tanta vnquam loquutus eſt efficacitate? A cæcitatis porro morbo liberatus, non neglexit Chriſti amicitiam: mox enim illum poneſequutus, laudem, quæ in ſolum Deum conuenit, deprompſit: Quin aliis quoq; anſam, vt eum publicè laudarent, & glorificarẽt, obtulit. Sequitur enim; *Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo*.

S. GREGORII PAPAE *in ſuperius Euang. Homilia.*

REdemptor noſter præuidens ex paſſione ſua diſcipulorum animos perturbandos, eis longe antè & eiuſdem paſſionis pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriã prædixit: vt, cùm eum morientem, ſicut prædictum eſt, cernerent, etiam reſurrecturum non dubitarent. Sed, quia carnales adhuc diſcipuli, nullo modo valebant capere verba myſterij, venitur ad miraculum. Ante eorũ oculos cæcus lumen recipit, vt qui cæleſtis myſterij verba non caperent, eos ad fidem cæleſtia facta ſolidarent. Sed miracula Domini, ac ſaluatoris noſtri ſic accipienda ſunt, fratres mei, vt & in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius, & per potentiam aliud oſtendunt, & per myſterium aliud loquuntur. Ecce enim quis iuxta hiſtoriam cæcus iſte fuerit ignoramus, ſed tamen quem per myſterium ſignificet, nouimus. Cæcum quippe eſt genus humanum, quod in parente primo à paradiſi gaudiis expulſum, claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur: ſed tamen per redemptoris ſui præſentiam illuminatur: vt internæ lucis gaudia iam per deſiderium videat, atque in via vitæ boni operis greſſus ponat. Notandum verò eſt, quòd cùm Ieſus Hiericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Hierico quippe interpretatur luna. Luna in ſacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. Dum igitur conditor noſter appropinquat Hierico, cæcus ad lumen redit: quia, dum diuinitas defectum noſtræ carnis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur, inde homo ad diuina ſubleuatur. Qui videlicet cæcus rectè, & iuxta viã ſedere, & mendicans eſſe deſcribitur. Ipſa enim veritas dixit; Ego ſum via. Qui ergo æternæ lucis claritatem *Ioan.14.*

Eſt homil. 2. in Euang.

neſcit, cæcus eſt. Sed ſi iam in redemptorem credit, iuxta viam ſedet. Si autem iam credit, ſed vt æternam lucem recipiat rogare diſſimulat, atque à precibus ceſſat, cæcus quidem iuxta viam ſedet, ſed minimè mendicat. Si verò & credit, & exorat, & iuxta viam ſedet cæcus, & mendicat. Quiſquis ergo cæcitatis ſuæ tenebras agnoſcit, quiſquis hoc, quod ſibi deeſt lumen æternitatis intelligit, clamet medullis cordis, clamet & vocibus mentis, dicens; *Ieſu fili Dauid, miſerere mei.* Sed quid clamanti cæco ſubiungitur, audiamus. *Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret.* Quid autem deſignant iſti, qui Ieſum venientem præcedunt, niſi deſideriorum carnalium turbas, tumultúſque vitiorum, qui priùs quàm Ieſus ad cor noſtrum veniat, tentationibus ſuis cogitationē noſtram diſſipant, & voces cordis in oratione perturbant? Sæpè namque dum conuerti ad Deum poſt perpetrata vitia volumus, dum contra hæc eadem exorare vitia, quæ perpetrauimus, conamur, occurrunt cordi phantaſmata peccatorum, quæ fecimus, mentis noſtræ aciem reuerberant, confundunt animum, & vocem noſtræ deprecationis premunt. Qui præibant ergo, increpabant eum, vt taceret: quia priuſquàm Ieſus ad cor veniat, mala, quæ fecimus, cogitationi noſtræ ſuis imaginibus illiſa, in ipſa nos noſtra oratione perturbant. Sed quid ad hæc illuminandus iſte cæcus fecit, audiamus. Sequitur; *Ipſe vero multò magis clamabat; Fili Dauid, miſerere mei.* Ecce quem turba increpat vt taceat, magis, ac magis clamat: quia quanto grauiori tumultu, cogitationum carnalium premimur, tanto orationi inſiſtere ardentiùs debemus. Contradicit turba, ne clamemus, quia peccatorum noſtrorum phantaſmata plerunque & in oratione patimur. Sed nimirùm neceſſe eſt, vt vox cordis noſtri, quo duriùs repellitur, eò valentiùs inſiſtat, quatenus cogitationis illicitę tumultum ſuperet, atque ad pias aures Domini nimietate ſuæ importunitatis erumpat. In ſe, vt ſuſpicor, recognoſcit vnuſquiſque, quod dicimus: quia dum ab hoc mundo animum ad Deū mutamus, dum ad orationis opus conuertimur, ipſa, quæ priùs delectabiliter geſſimus, importuna poſteà, atque grauia in oratione noſtra toleramus. Vix eorum cogitatio manu ſancti deſiderij ab oculis cordis abiicitur, vix eorum phantaſmata per pœnitentiæ lamenta ſuperantur. Sed cùm in oratione noſtra vehementer inſiſtimus, tranſeuntem Ieſum mente figimus. Vnde illic ſubditur; *Stans autem Ieſus, iuſsit eum adduci ad ſe.* Ecce ſtat, qui antè tranſibat: quia cùm adhuc turbas phantaſmatum in oratione patimur, Ieſum aliquatenus tranſeuntem ſentimus. Cùm vero orationi vehementer inſiſtimus, ſtat Ieſus, vt lucem reſtituat: quia Deus in corde figitur, & lux amiſſa reparatur. Qua tamen in re & aliud aliquid nobis Dominus innuit, quod intelligi de humanitate, ac diuinitate illius vtiliter poſſit. Clamantem etenim cæcum tranſiens Ieſus audiuit, non ſedens, ſed ſtans miraculum illuminationis exhibuit. Tranſire nanque humanitatis eſt, ſtare diuinitatis. Per humanitatem quippe habuit naſci, creſcere, mori, reſurgere, de loco ad locum venire. Quia ergo in diuinitate mutabilitas nō eſt, atque hoc ipſum mutari tranſire eſt, profectò iſte tranſitus ex carne eſt, non ex diuinitate. Per diuinitatem verò ei ſemper ſtare eſt: quia vbique præſens eſt, nec per motum recedit, ſicut nec per motum venit. Cæcum igitur clamantem Dominus tranſiens audiuit, ſtans illuminauit: quia per humanitatem ſuam vocibus noſtræ cæcitatis cōpatiendo miſertus eſt, ſed lumen nobis gratię per diuinitatis potentiam infundit. Et notandum quid cæco venienti dicat. *Quid tibi vis faciam?* Nūquid qui lumen reddere poterat, quid vellet cæcus, ignorabat? Sed peti vult hoc, quod & nos petere, & ſe concedere præno ſcit. Importunè nanque ad orationē nos admonet, & tamē dicit; Matth. 6. Scit nāq; pater veſter cæleſtia, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Ad hoc ergo requirit, vt petatur: ad hoc requirit, vt cor ad orationē excitet. Vnde & cæcus protinùs adiungit. *Domine, vt videam.* Ecce cæcus à Domino non aurum, ſed lucem quęrit, paruipendens extra lucē aliquid quęrere: quia & ſi habere cæcus quodlibet poteſt, ſine luce videre non poteſt, quod habet. Imitemur ergo fratres chariſſimi eum, quem & corpore audiuimus & mente illuminatum. Non falſas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores à Domino, ſed lucem quęramus: nec lucem, quę loco clauditur, que tempore finitur, quę noctium interruptione variatur, quę à nobis communiter cum pecoribus cernitur: ſed lucem quęramus, quam videre cum ſolis angelis poſſimus, quā nec initium inchoat, nec finis anguſtat. Ad quam profectò lucem via, fides eſt. Vnde rectè & illuminando cæco protinùs reſpondetur; *Reſpice: fides tua te ſaluum fecit.* Sed ad hæc cogitatio carnalis dicit; Quomodo poſſum lucem ſpiritalem quærere, quam videre non poſſum? Vnde mihi certum eſt ſi ſit, quæ corporeis oculis non infulget? Cui ſcilicet cogitationi eſt, quod breuiter quiſque reſpondeat: quia & hæc ipſa, quæ ſentit, nō per corpus, ſed per animam cogitat: & nemo ſuam animam videt, nec tamen ſe dubitat animam habere, quā nō videt. Ex inuiſibili nanq; anima, viſibile regitur corpus. Si autē auferatur, quod eſt inuiſibile, protinus corruit hoc, quod viſibile ſtare videbatur. Ex inuiſibili ergo ſubſtantia in hac vita viſibili viuitur, & eſſe vita inuiſibilis dubitatur? Sed iam petenti cæco quid factū ſit, vel quid ipſe fecerit, audiamus. Sequitur; *Confeſtim vidit, & ſequebatur eum.* Videt & ſequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur. Videt autem, ſed non ſequitur, qui bonum quidem intelligit, ſed benè operari contemnit. Si ergo, fratres chariſſimi, cæcitatem iam noſtræ peregrinationis agnoſcimus, ſi credendo in redemptoris noſtri myſterium iuxta viam ſedemus, ſi exorando quotidiè ab authore noſtro vitę lucem petimus, ſi eandem lucē iam per intellectum videndo, illuminati poſt cæcitatem ſumus, Ieſum, quem mente cernimus, opere ſequamur. Aſpiciamus quà graditur, & eius veſtigia imitando teneamus. Ieſum enim ſequitur, qui imitatur. Matth. 8. Hinc namq; dicit, Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Sequere enim dicitur, id eſt, imitare. Hinc rurſus admonet, dicens: Ioan. 12. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Conſideremus ergo quà graditur, vt ſequi mereamur. Ecce cum ſit Dominus, & creator angelorum, ſuſcepturus naturam noſtram quam condidit, in vterum virginis venit. Naſci tamen in hoc mundo per diuites noluit: parentes pauperes elegit: Vnde & agnus qui pro illo offerretur, defuit: columbarum pullos, & par turturum

ad

ad ſacrificium mater inuenit. Proſperari in mundo noluit,opprobria,irriſioneſque tolerauit:ſputa,flagella,alapas,ſpineam coronam, crucemque ſuſtinuit. Et quia rerum corporalium dilectione à gaudio interno cecidimus,cum qua amaritudine illuc redeatur, oſtendit. Quid itaque homo pro ſe pati debet, ſi tanta Deus pro hominibus pertulit? Qui ergo in Chriſtum iam credidit, ſed adhuc auaritiæ lucra ſectatur,in ſuperbia honoris extollitur,inuidiæ facibus inardeſcit, libidinis ſe immunditia polluit, proſperari ad ea, quæ in mundo ſunt,cũcupiſcit: Ieſum,in quem credidit, ſequi cõtemnit. Diuerſo quippe itinere ambulat, ſi gaudia, delectationéſque appetit, cui dux ſuus viam amaritudinis oſtendit. Reuocemus ergo ante oculos peccata, quæ fecimus: conſideremus, quam terribilis iudex hæc puniturus adueniat. Mentem formemus ad lamenta. Vita noſtra ad tempus amareſcat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem ſentiat in vindicta. Per fletus quippe ad gaudia ducimur, veritate pollicente, quæ ait; Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Ad fletum verò per gaudia perueniatur, hac eadem veritate atteſtante,quæ ait; Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Si ergo retributionis gaudium in peruentione quærimus,pœnitentiæ amaritudinem in via teneamus. Sicque fit, vt non ſolum vita noſtra in Deum proficiat, ſed hæc ipſa noſtra conuerſatio ad laudem Dei & alios accendat. Vnde illic ſubditur; *Et omnis plebs vt vidit,dedit laudem Deo.*

BEDAE VENERABILIS *presbyteri in idem Euang. expoſitio.*

Ex comm. in Lucam. Aſſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis. Ecce aſcendimus Hieroſolymam,&c. Præuidens Saluator ex paſſione ſua diſcipulorum animos perturbandos, eis longe ante & eiuſdem paſſionis pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriam prædicit, vt,cum morientem,ſicut prædictum eſſet, cernerent,etiam reſurrecturum non dubitarent. Præuidens etiam quoſdam hæreticos in Eccleſia futuros, qui Chriſtum dicerent legi, prophetíſque docuiſſe contraria, aliúmque veteris teſtamenti, atque alium noui Deum eſſe credendum, oſtendit prophetarum præſagia non alio magis quam ad ſuæ diſpenſationis, quam pro nobis temporariæ ſuſcepit, intendiſſe myſterium, adeo vt conſummatio ſit prophetiæ, ſuæ paſſionis, & poſterioris gloriæ celebrata perfectio. Necnon & paganorum dementiam, qua eius crucem derident, apertiſſime confutat, quando proximæ ſuæ paſſionis & tempus quaſi futurorum præſcius oſtendit,& locum quaſi mortis intrepidus adijt. *Et ipſi nihil horum intellexerunt,&c.* Legimus in Euangelio ſecundum Ioannem,dicente domino; Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, reſpondiſſe turbam,atque dixiſſe,Nos audiuimus ex lege,quia Chriſtus manet in æternum.Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quid eſt ergo, quòd diſcipuli toties ſibi replicatum dominicæ paſſionis arcanum intelligere nequeunt,& Iudæi ad vnum verbum,& tam obſcurè poſitum, vt hoc expoſitione dignum Euangeliſta ducat; Hoc autem dicebat (inquit) ſignificãs, qua morte eſſet moriturus,mox quia crucis exaltatio ſignificetur intelligunt, niſi quia diſcipuli, cuius vitã maxime videre deſiderabant,eius mortem audire non poterant? Quem non ſolum hominem innocentem,ſed & Deum verum ſciebãt, hunc nullatenus mori vel poſſe putabãt. Et quia per parabolas eum ſæpe loquentem audire conſueuerant, quoties aliquid de ſua paſſione dicebat,hoc non ita vt ſonabat, intelligendum,ſed amore dictante ad aliud quid allegorice referendum eſſe credebant. Iudæi vero, quia in eius necem conſpirauerant, quicquid de ſua paſſione, vel cruce loquebatur,intelligebant:hoc enim loquebatur,quod ipſi ſummopere & fieri optabant, & perficere ſatagebant. Sicque miro, & inuſitato modo idem ſubeundæ crucis ſacramẽtum; quod fidelibus amor abſcõdit,infidelibus inuidia pandit. *Factum eſt autẽ cum appropinquaret Hiericho,&c.* Cæcus iſte per allegoriam genus humanũ ſignificat, quod in parente primo à paradiſi gaudiis expulſum claritatẽ ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur, ſed cum Hiericho appropinquare Ieſus dicitur, cæcus illuminatur. Hiericho quippe, interpretatur Luna. Luna autem in ſacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia, dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. Dum igitur conditor noſter adpropinquat Hiericho, cæcus ad lumen redit,quia,dum diuinitas defectum noſtræ carnis ſuſcipit, humanum genus lumẽ,quod amiſerat, recipit. Qui videlicet cæcus recte, & iuxta viam ſedere, & mendicans eſſe deſcribitur. Ipſa enim veritas dixit;Ego ſum via.Ergo,qui æternæ lucis claritatem neſcit, cæcus eſt: ſed, ſi iam in redemptorem credit, iuxta viam ſedet. Si autem iam credit,ſed vt æternam lucem recipiat, rogare diſſimulat, atque à precibus ceſſat, cæcus quidem iuxta viam ſedet, ſed minimè mendicat. Si verò & credit & exorat, & iuxta viam ſedet cæcus,& mendicat. *Et clamauit dicens, Ieſu fili Dauid,&c.* Quid iſti deſignant, qui Ieſum venientem præcedunt, niſi deſideriorum carnalium turbas, tumultúſque vitiorum, qui priuſquam Ieſus ad cor noſtrum veniat, tentationibus ſuis cogitationem noſtram diſſipant, & voces cordis in oratione perturbant? Sæpe nanque, dum conuerti ad Deum poſt perpetrata vitia volumus, dum contra hæc eadem exorare vitia, quæ perpetrauimus conamur,occurrunt cordi phantaſmata peccatorum,quæ fecimus, mentis noſtræ aciem reuerberant, confundunt animum, & vocem noſtræ deprecationis premunt. Sed quem turba increpat, vt taceat, magis, ac magis clamat, quia quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi inſiſtere ardentius debemus. *Stans autem Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe.* Ecce ſtat, qui ante tranſibat. Quia cum adhuc turbas phantaſmatum in oratione patimur, Ieſum aliquatenus tranſeuntem ſentimus. Cum vero orationi vehementer inſiſtimus, ſtat Ieſus, & lucem reſtituit,quia Deus in corde figitur, & lux amiſſa reparatur. *Et cum appropinquaſſet interrogauit illum, &c.* Nunquid qui lumen reddere poterat, quid vellet cæcus ignorabat? Sed peti vult hoc,quod & nos petere,& ſe concedere prænoſcit. Importune nanque ad orationem nos admonet, & tamen dicit; Scit nanque pater veſter quid opus ſit vobis,antequam petatis eum. Ad hoc ergo requirit, vt petatur, ad hoc requirit, vt cor ad orationem

excitet. Vnde & cæcus protinus adiungit; *Domine, vt videam.* Ecce cæcus à domino non aurum, ſed lucem quærit, paruipendit extra lucem aliquid quærere. Quia & ſi habere cæcus quodlibet poteſt, ſine luce non poteſt videre, quod habet. Imitemur ergo eum, quem & corpore audiuimus, & mente ſaluatum, non falſas diuitias, non terrena dona, nō fugitiuos honores à domino, ſed lucem quæramus, illam videlicet lucem, quam videre cum ſolis angelis poſſumus, quam nec initium inchoat, nec finis anguſtat. Ad quam profectò lucem via fides eſt. Vnde rectè & illuminando cæco protinus ſubiungitur; *Et Ieſus dixit illi. Reſpice, fides tua, &c.* Videt, & ſequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur. Videt autem, ſed non ſequitur, qui bonum quidem intelligit, ſed bona operari contemnit. Ieſum enim ſequitur, qui imitatur. Hinc namque dicit; Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Conſideremus ergo, qua graditur, vt ſequi mereamur. Sicque fit, vt non ſolum noſtra vita in Deum proficiat, ſed hæc ipſa noſtra conuerſio ad laudem Dei, & alios accendat: vnde illic ſubditur. *Et omnis plebs vt vidit dedit laudem Deo.* Dedit enim plebs laudem Deo, non ſolum pro impetrato munere lucis, ſed & pro merito fidei impetrantis. Dedit laudem Deo, quia & Ieſum vidit miſericorditer, ac potenter lucem reſtituiſſe roganti, & obſtinatæ fidei clamorem, quæ iuſtè quæſierit, mox conſequi poſſe cognouit. Vnde notādum, quia Dominus in carne apparens, omnia, quæ verbis docuit, exemplis firmauit. Qui enim nobis præcepit. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt, & ipſe in vniuerſis, quæ cœpit facere, & docere, non ſuam ab hominibus, ſed patris gloriam quærebat.

HAYMONIS EPISCOPI *Halberſt. ſuperioris Euang. expoſitio.*

ASſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos. Redemptor & ſaluator noſter præuidens diſcipulorum animos ex ſua paſſione & morte perturbandos, ſæpe antequam pateretur prædixit eis paſſionis ſuæ pœnam, vt cùm viderent eum pati ſicut prædixerat, ſe reſurrecturum etiam nō dubitarent, ſicut promiſerat. Quia faciliùs & leuiùs tolerari poſſunt ea aduerſa quę antè præſciuntur, quàm ea quæ ſubitò & inſperatè eueniunt. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Non ſine cauſa dicit: ecce aſcendimus Hieroſolymam, quia Hieruſalem in monte ſita eſt, in cuius montis eminentiori loco ædificatum eſt templum Domini: *& conſummabuntur*, id eſt, perficientur, implebuntur, *omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Quicquid Dominus egit in carne, aut verbis prædicta ſunt aut præfigurata myſteriis. Incarnatio namque illius, & prædicatio, & paſſio, & ſepultura, & reſurrectio, & aſcenſio eius ad cælos, aduentus ſecundus ad iudicium, totum prædictum eſt à prophetis de filio hominis: Dominus Ieſus Chriſtus filius Dei eſt, ante ſecula genitus à Deo patre, & filius hominis, id eſt, Mariæ, in fine temporum natus ex matre. *Tradetur enim gentibus.* Multis modis eſt traditus Dominus Ieſus Chriſtus. Tradidit enim Deus pater filium pro ſalute humani generis: iuxta quod Apoſtolus Paulus dicit de eo. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illū. *Rom.8.* Tradidit ſeipſum Dominus Ieſus Chriſtus ſicut idē Apoſtolus Paulus dicit: Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationē, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. *Philip.5.* Tradidit eum Iudas principibus ſacerdotum propter triginta denarios. Tradiderunt eum ſummi ſacerdotes Pilato: Pilatus tradidit eū militibus ad crucifigendum. Et hoc eſt, quod hîc dicitur: *Tradetur enim gentibus*, id eſt, Pilato vel militibus eius. Tradiderunt eum etiam dæmones, de quibus dicit Paulus Apoſtolus. Si enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. *1.Cor.2.* In hoc namque tradiderunt eum dæmones, cùm tradendum ſuaſerunt, ſicut in Euangelio dicitur. Intrauit autem ſatanas in cor Iudę, vt traderet eum. *Et illudetur:* hoc totum in paſſione Domini impletum eſt, quando exuerunt eū propriis veſtibus, & purpura induerunt eum, & coronam ſpineam impoſuerūt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flectentes illudebant ei dicentes: Aue rex Iudæorum. *Ioan.17.* *Et flagellabitur.* Flagellauit eum Pilatus quando dixit: *Matth.29. & 27.* Flagellatum eum dimittam, *Et conſpuetur.* Spuerunt in faciem eius veluti in faciem blaſphemi hominis, quando dixit: Filius Dei ſum. *Et poſtquam flagellauerint, occident eum.* Sic factum eſt; *Et tertia die reſurget.* Dominus Ieſus Chriſtus ſexta feria fuit crucifixus, ſeptima quieuit in ſepulchro, die dominico, qui eſt tertius à paſſione, reſurrexit à mortuis. Quaſi diceret diſcipulis ſuis. Si vos contriſtabimini in mea paſſione, lætificare vos debet mea reſurrectio, quæ tertia die poſt paſſionem futura eſt. Quare voluit Dominus Ieſus Chriſtus mori ſecundum humanitatem: qui immortalis erat ſecundum deitatem? *Ezech.18.* Vt viuificaret nos qui mortui eramus peccatis: mors etenim animæ peccatum eſt, ſicut ipſe Dominus dicit per Prophetam: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur, *& ipſi nihil horum verborum intellexerunt, erat verbum illud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur ab eo.* Legimus in Euangelio ſecundum Ioannem dixiſſe dominum ad Iudæos. Cum exaltaueritis filium hominis, *Ioan.8.* tunc ſcietis, quia ego ſum. Quod audientes turbæ reſponderunt dicentes: Nos audiuimus ex lege: quòd Chriſtus manet in æternum. Et quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis? Hæc verba tam obſcurè protulit dominus, vt dignum duceret Ioannes Euangeliſta exponere illa verba, dicens: Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Quid eſt ergo quòd diſcipuli tam aperta verba ſaluatoris de ſua paſſione, & morte intelligere nequeunt, & Iudæi ad vnum verbum licet obſcurè prolatum ſtatim intellexerunt, quod de exaltatione crucis diceret? Hoc modo ſoluitur quæſtio. Iudæi iam conſpirauerant in necem domini ſaluatoris, & decreuerant in corde, vt interficerent eum in cruce dicētes: Mittamus lignum *Hierem.11.* in panem, id eſt, crucem in carnem eius, & eradamus memoriam eius de terra viuentium. Et ideo quotienſcunque dominus loquebatur illis de ſua paſſione, & morte, facilè intelligebant, quia hoc loquebatur quod illi, & corde cogitabāt, & opere perficere deſiderabant. Diſcipuli autē credebant eum verum Deum eſſe, & verum filium Dei. Et in tantùm

tantùm diligebant eum,& credebant verum Deũ eſſe,vt nõ putarent eum omnino poſſe mori. Atque ideo id quod diſcipulis vera dilectio & fides recta abſcondit,Iudæis infidelitas,& inuidia patefecit. Vel aliter. Sæpe diſcipuli audiebant dominum parabolicè loquentem,& ideo quandocunque loquebatur eis de ſua paſſione & reſurrectione à mortuis, putabāt eum parabolas proferre , & ad aliud quiddam eſſe referenda illius verba, quàm ad ſuam paſſionem. Ideo autem venitur ad miraculum vt per occaſionem miraculi firmarentur in cordibus eorum verba Dei , quæ loquutus fuerat de ſua paſſione & reſurrectione à mortuis. Ac ſi diceret, ea potentia diuinitatis, qua iſtum cæcum illumino, poſſum tertia die ad vitam reſurgere, ſi mortuus fuero. *Factum eſt autem, quum appropinquaret Hiericho.* De Galilæa veniebat dominus in Hieruſalem, & in itinere eius erat Hiericho ciuitas , ad quam quum appropinquaſſet: *Ecce quidam cæcus ſedebat ſecus viam*, id eſt, iuxta viam *mendicans*. Secundum literam quis iſte cæcus fuerit ignoramus, ſecũdum allegoriã mihi iſte cæcus genus humanum ſignat , quod cæcatum eſt in primo parēte Adam. Iſte namq; Adam quum eſſet in paradiſo poſitus , antequam peccaſſet , luce contemplationis Dei omnipotentis fruebatur , in luce ſanctitatis erat, in luce gaudij cæleſtis. Sæpe etiam cum Deo loquebatur per ſubiectam creaturam,id eſt, per angelum:ſed vbi peccauit, ſtatim expulſus eſt de paradiſo,& cæcus effectus eſt, quia lucem cõtemplationis Dei omnipotentis perdidit,& lucem ſanctitatis,& lucem gaudij cæleſtis amiſit. Quæ cæcitas permanſit in genere humano vſque ad aduentum Domini in carne, exceptis paucis Iudæis,in quibus fides luxit. Sed cum dominus appropinquaret Hiericho, cæcus ad lumen rediit. Hiericho Hebraicè, luna interpretatur. Luna verò in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur , quia menſtruis momentis creſcit & decreſcit. A prima luna vſque ad decimamquintam augmentum capit,à quintadecima vſque ad trigeſimam deficit. Et ideo deſignat defectum mortalitatis noſtræ,quia homines ab ortu ſuo vſque ad iuuentutē,id eſt,vſque ad triceſimum annum creſcunt. A iuuentute autem vſque ad mortem decreſcunt : fortiſſimæ ætatis eſt triceſimus annus. Domino antē appropinquante Hiericho , cæcus ad lumen rediit : quia , dum diuinitas verbi defectum noſtræ mortalitatis aſſumpſit,id eſt,carnem & animam in vtero virginis ſibi copulauit,in qua carne ab hominibus videri, crucifigi, mori, ac reſurgere à mortuis potuiſſet, genus humanum ad lumen, quod amiſerat in primo homine peccāte,vt videret Deum fide & dilectione reuerſum eſt. Qualiter eſt reuerſum ? Sanguine Chriſti redemptũ,baptiſmate Chriſti eſt ablutum , & abluitur quotidie, fide Chriſti eſt illuminatum,& illuminatur quotidie, in his qui merentur illuminari per fidem. *Et qui præibant , increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multò magis clamabat dicens: Ieſu fili Dauid,miſerere mei.* Illi qui cæcum increpabant cur clamaret ad dominum, primùm ſignant ſacerdotes Iudæorum,qui ſubiectos ſuos prohibebant credere in Ieſum,dicentes ad Apoſtolos. Præcipiendo præcipimus vobis , ne vlli hominum loquamini in nomine iſto. Quibus idem dominus dicit: Væ vobis ſcribæ,& Phariſæi,qui habetis clauem ſcientiæ , nec ipſi introiſtis,nec alios introire permiſiſtis. Deinde ſignāt principes gentium Neronem,Decium, & cæteros perſecutores Chriſtianorum,qui prohibebant genus humanum clamare , & credere in dominum Ieſum. Sed quid fecit cæcus ? Tandiu clamauit, donec illuminari meretur à domino. Similiter & genus humanum,nec à ſacerdotibus Iudæorum,nec à principibus gentium potuit prohiberi. Sed tandem clamauit corde,& ore, vſque dum illuminaretur à domino fide,& dilectione. Aliter: Per turbas,quæ dominũ præibant, & cæcum vt taceret,increpabant,deſignātur turbæ malarum cogitationum , & turbæ deſideriorum carnalium,ac phantaſmata vitiorum,quę fecimus , & mentis noſtræ aciem reuerberant , & obnubilant , ne voces noſtræ orationis ad aures Dei omnipotentis perueniant. Sed quid facere debemus ? Quantò plus ab illis impugnamur, tantò vehementiùs & ardentiùs orationi inſtamus , donec phantaſmata vitiorum per Domini miſericordiam à nobis recedant,& vera lux,quæ dominus Ieſus Chriſtus eſt , in cordibus noſtris per fidem luceſcat. *Iuxta viam cæcus ille ſedebat.* Per viam intelligitur Chriſtus , ſicut ipſe dicit : Ego ſum via : Quiſquis in dominũ Ieſum credit,iuxta viam ſedet. Si autem credit,ſed tamen à precibus ceſſat,iuxta viam ſedet,ſed minimè mendicat. Si verò & credit, & pro vita æterna dominum exorat,iuxta viam ſedet,& mendicat. *Stans autem Ieſus*, ecce ſtat,qui antè tranſibat. Stare Dei diuinitatis eſt,tranſire humanitatis. Per hoc autē,quod vnius ſubſtantiæ exiſtens cum patre, & ſpiritu ſancto,cælum, & terram plenitudine diuinitatis ſuæ implet , ſecundum quod Salomon dicit de eo: Sapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter, ſtare debet. Per hoc verò , quòd de ſinu patris deſcendens venit in vterum virginis, & de vtero virginis natus venit in præſepe , & de præſepe prædicando venit in crucem, & de cruce venit in ſepulchrum, & in anima ſola deſcendit in infernum , de ſepulchro autem rediit in cælum vnde venerat , tranſitum ſuum fecit. Tranſeundo autem audiuit vocem cæci clamantis,& ſtando reddidit ei viſum. Quia per incarnationis myſteriũ noſtræ miſeriæ compati dignatus eſt : per diuinitatis ſuæ potentiam lumen, quod amiſeramus in primo homine peccante, nobis reddidit. *Quid vis faciam tibi?* Nunquid qui cæcum illuminare potuit , quid vellet cæcus ignorabat, cui veraciter à Petro dicitur: Domine , tu omnia ſcis ? Non vtique ignorabat, ſed ideo interrogat,vt ad petendum eum excitet, ſicut alibi ait : Scit pater veſter quid opus ſit vobis,antequam petatis eum,& tamen dicit: Petite, & accipietis,quærite,& inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim,qui petit,accipit:& qui quærit,inuenit: & pulſanti aperietur, vt ipſa petitio noſtra digna ſit præmio. *At ille dixit: Domine,vt videam.* Ecce cæcus à domino,non aurum quærit,non argentum,non vxorem,non equum, non pallium,& cætera iſtius ſeculi emolumenta, ſed ſolummodò lucem. Quia cæcus ſi aliquid habere poteſt, aut aurum,aut pulchram vxorem non poteſt illam videre ſine oculis. In hoc eum imitari debemus , vt non quæramus à domino fugitiuos honores , non præmia iſtius ſeculi caduca ſed lucem. Quam lucem ? Non illam,quam cum pecoribus poſſidemus communem, quæ & initio

Act.5. Matth.23. Ioan.11. Ioan.14. Ioan.21.

initio incipitur, & in fine terminatur. Sed illam lucem, id eſt, contemplationis creatoris noſtri quam cum ſolis angelis habere poſſimus, quæ nec initium habet, nec finem. *Et Ieſus dixit ei: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit*, id eſt, fides tua te illu-

Nota de fide ſaluante contra Lutheranos. minauit. Illa fides ſaluat, quæ bonis operibus exornatur, quæ verò à bonis operibus vacua eſt, nõ ſaluat: quia ſcriptum eſt de ea: Fides ſine operi-

Iacob. 2. bus mortua eſt. *Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum, magnificans Deum*, id eſt, laudans Deum. Videt & ſequitur, qui bonum quod intelligit operatur. Videt autem, & non ſequitur, qui bonum quod intelligit, operari deſiſtit. *Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.* Duas ob cauſas retulit plebs laudes Deo, vel propter fidem cæci, qui credidit à Domino poſſe illuminari, vel propter miſericordiam, & clementiam domini quam habuit erga cæcum illuminandum illum. Quod dominus nobis præcepit agendum, ipſe in ſemetipſo primùm

Matth. 5. impleuit. Qui dicit nobis: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt, fecit miraculum, & conuertit plebem ad laudem Dei patris, vt daret nobis exemplum, quia quoties aliquid boni agimus, non noſtris meritis, ſed gratiæ Dei deputare debemus, ſine quo nihil boni habere, nec agere poſſumus, iuxta quod ipſe dicit Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere.

THEOPHYL. EPISCOPI
Bulgar. ſuperioris Euangel. expoſitio.

ASſumpſit autem Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c. Prædicit eis paſſionem propter duo illa. Vnum, vt oſtendat, quòd non inuitus, neque vt purus homo mortem ignorans crucifigatur, ſed & præuideat, & voluntarie patiatur. Nam, ſi noluiſſet pati, deuitaſſet vtique, quæ præſciebat. Eorum enim, qui non ſunt preſcij, eſt capi. Secundum, vt doceat eos leuiter ferre, quæ euentura, vtpote qui antea audierint, & non repente in illa inciderint. Quum autem perficienda erant in te, quæ dicta à prophetis, cur aſcẽdis, ó domine? Propter iſtuc ipſum vt ſalutem operer, & ita voluntarius vadit. Et ipſe quidem hæc, diſcipuli autem tunc quidem nihil intellexerunt. Erat enim verbum hoc abſconditum ab eis; & maxime omnium verbum hoc re-

Matth. 22. Act. 23. ſurrectionis omnino nõ agnoſcebant. Et alia quoque non agnoſcebant, vt tradi gentibus. Maxime autem verbum reſurrectionis ignorabant, quod non erat in vſu. Et non omnes Iudæi credebant reſurrectionem, in primis Sadducęi. Sed dixeris, & ſi nihil agnoſcebant, quare ergo eis hæc prædicit? Quid opus illis ad conſolationem eius tempore crucis, ſi non intelligebant ea, quæ dicuntur? Quod non parum vtilia poſtea commemorari cœpta fuerint, quæ tunc, prędicente domino, non intellexerunt, manifeſtum ex multis, & maxime

Ioan 12. ex iis, quę Ioannes dicit, Hęc autem non cognouerunt diſcipuli eius: poſtea autem memores facti ſunt, quòd hæc de ipſo eſſent ſcripta. Et ſpiritus paracletus ſuggeſſit eis omnia, certiſſimum teſtimonium de Chriſto in illis ponendo. De eo, quomodo triduo fuerit in ſepulchro, ſatis dictum eſt in euangeliſtis aliis. *Accidit autem quum appropinquaret Hiericho, &c.* Dominus miraculum hoc cæci obiter in via operatus eſt, vt & tranſitus eius nobis vtilis eſſet, ac doctrina: vt ſemper & vbique & apud omnes vtiles ſimus, & nunquam ignaui. Cæcus igitur credens eum eſſe Chriſtum, qui expectabatur (veriſimile enim fuit ipſum, vtpote innutritum Iudaicis, nõ ignoraſſe Chriſtum ex ſemine Dauid) voce magna clamat; *Fili Dauid, miſerere mei.* Et dicendo, *miſerere mei*, declarat quod diuiniorem quandam de illo ſententiam habeat, & non hominem purum cẽſeat. Admirare autem, quæſo, quomodo confeſſionem ſuam multiplicet. Quomodo? Quamuis multi increparent eum, non tacebat, ſed amplius clamabat. Feruor quidam introſecus iſtimulabat eum: idcirco & Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe, quod profecto dignus eſſet, qui appropiaret ei. Interrogat autem illum, Quid vis, vt tibi faciam? non vt ignorans, ſed ne ille præſentibus alia petere videatur, ipſe alia daret & dum ille petit pecuniã, ipſe, vt oſtentator, cęcitatem ſanaret. Nam fortaſſis inſipienter talia fingere poſſet inuidia. Propterea, quum interrogaſſet, & comperiſſet eum recipiendi viſus valde cupidum, dat, quod petit. Vide autẽ quam alienus ſit ab arrogantia. *Fides tua*, inquit, *ſaluum te fecit.* credidiſti enim, quod ego ſum ille filius Dauid, qui celebretur Chriſtus, & tantum præ te tuliſti feruorem, vt, quamuis increparete, non ſi lueris. Diſcamus autem ex hoc, quòd quando cum fide petimus, non alia quidem nos petimus, & alia ipſe dat, ſed illa ipſa. Atque ita quoties alia petimus, & alia accipimus, manifeſtum, quòd nõ bene, neque fideliter petimus. Petitis enim (in-

quit) & non accipitis, eo quòd male petatis. Vide *Iacob. 4.* inſuper & poteſtatem: *Recipe viſum*, inquit. Et quis prophetarum ita ſanauit: tali inquam poteſtate? Vnde & vox à vero lumine progreſſa lumen cæco facta eſt. Vide inſuper gratitudinem eius, qui ſanatus eſt. Sequutus eſt enim Ieſum, glorificans Deum, factuſque eſt & aliis glorificandi Deum author.

INCERTI AVTHORIS
ſub nomine Euſebij Epiſcopi Emiſſeni ſuperioris Euang. expoſitio.

MVlta iam conſummata erant, quæ de filio hominis prophetæ dixerant, multa iã completa erant, quæ de eius humanitate prophetauerant, pauca reſtabant adhuc, quæ ipſis diebus adimplenda erant. Quæ ideo quidem ſuis diſcipulis dominus prædicere voluit, vt cum ſua ſpõte paſſum intelligamus, & ea quæ ventura erant, eum pręſciſſe, & præuidiſſe nemo vnquam dubitare audeat. Sequitur. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt. Erat enim verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Omnia hæc prophetæ pędixerant: omnia hæc fieri oportebat. Vnde & quibuſdam alibi ait, O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt prophetæ. Nónne ſic oportuit pati Chriſtũ, & ita intrare in gloriam ſuam? nẽmpe, Quomodo ergo implebuntur, quia ſic oportet fieri? Oportet enim vt fiat quicquid dominus fieri diſpoſuit. *Tunc autem* (vt Matthæus ait) *acceſſit ad*

eum

eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Tunc (inquit) quando dominus aſcendebat Hieroſolymam, vt pro omnibus pateretur, tunc mater filiorum Zebedæi, id eſt Iacobi, & Ioannis, à filiis admonita acceſſit ad Ieſum, vt primas ſedes filiis poſtularet. In quo manifeſtè apparet, quia (vt euangeliſta dicit) verba domini diſcipuli non intellexerant, quæ modò de ſua paſſione eis dominus nunciauerat. Si enim intellexiſſent, potius ad fletus, & lachrymas conuerterentur, quàm de dignitatibus aliquid loquerentur. Acceſſit igitur ad eum mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo. Mulier iſta religioſa, & Chriſto familiaris erat: ideo & magna petit, & confidenter ad dominum accedit. Valdè enim de Chriſto præſumebat, dum hoc filiis orat, quod ipſi filij pro ſe petere timebant. Sed quid dicit? *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Cum ambitione loquitur mater, & carnali affectu ambitioſis filiis primas in cælo cathedras poſtulat. Vnde & meritò eis à domino dicitur, *Neſcitis quid petatis.* Neque ita petere, neque ita dare conuenit primas ſedes. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei, Poſſumus.* Obſcurè eis loquitur dominus, & fortaſſe nondum intelligebant de quo calice eis loqueretur. Dicebat enim de calice paſſionis: de quo & Petrus Apoſtolus alibi ait, Calicem, quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Et pſalmiſta, Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. *Et ait eis, Calicem quidem meum bibetis.* Biberunt enim Iacobus, & Ioannes calicem Chriſti, non quòd ambo martyrio vitam finierint, ſed quòd multas perſecutiones & anguſtias & tribulationes ambo ſuſtinuerunt. Et Iacobum quidem occidit Herodes: ſicut enim ſcriptum eſt, Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Ioannes autem non occiſus, ſed in feruentis olei dolio miſſus, & in Pathmo inſula exilio relegatus, magnæ afflictionis, & amaritudinis calicem bibit. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Ac ſi dicat, Quod vos modò petitis, iam datum eſt. Non eſt meum dare vobis modò, non ad me pertinet ordinare, & diſponere modò, quis ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram ſedere debeat in regno meo: hæc diſpoſitio non eſt hominis, non eſt huius temporis: ab æterno factum eſt, quod modò fieri poſtulatis. Simul enim cum patre ante tempora diſpoſui, neque iterum diſponere habeo, quam ſedem ibi vnuſquiſq; ſuſcipiat. Quibus igitur paratum eſt ſedere ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, ſiue vobis ſiue aliis, illorum erit: mutari non poteſt, quod paratum, & diſpoſitum eſt. *Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus.* Adhuc enim & iſti carnales erant, neque minus ambitioſi quàm illi. Ideóque indignabantur, & quod ſibi vnuſquiſque affectabat, hoc dari aliis inuidebat. *Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait, Scitis quia principes gentium dominantur eorum, &c.* Non ita (inquit) erit inter vos, ſicut eſt inter mundi huius poteſtates, vt ille cæteris dominetur, qui maior cæteris eſſe videtur: ſed potius omnibus erit inferior, qui voluerit eſſe ſublimior: & qui plus ſe humiliauerit, maior à Deo conſtituetur. Hoc autem ad exemplum ſui oſtendit, dicens; Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Sicut (inquit) filius ſe humiliauit, ſic ſe humiliet qui maior eſſe voluerit: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Et quaſi ſeruus & miniſter, ſuorum diſcipulorum pedes lauare non eſt dedignatus. Hæc autem in via loquebatur dominus. His & ſimilibus ad ſui exemplum diſcipulos ſuos informabat, nec in ipſo itinere otioſus eſſe volebat. *Factum eſt, cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* Hiericho namque interpretatur luna: cuius mutabilitas tanta eſt, vt nunquam in eodem ſtatu permaneat. Significat autem mundum iſtum, cuius mutabilitates infinitæ ſunt. Vt enim de aliis taceamus, quis ſolius hominis mutabilitates dicere valeat? Hanc autem ciuitatem qualibus, & quibus armis, & in quot diebus ceperit, Ioſue hiſtoria narrat. Quod ſi bene intelligatur, eodem modo, eiſdem armis, totidémque diebus, Ieſu Chriſto domino noſtro mundus iſte ſubiugatur. Et tūc quidem appropinquauit dominus Hiericho, quando factus eſt homo, & noſtræ carnis mutabilitatem ſuſcepit. Tunc igitur cæcus iſte illuminatus eſt, in quo multi cæci intelliguntur. Vnde & Matthæus non vnum, ſed duos cæcos fuiſſe dicit: per quos duos populos, Iudæos videlicet & Gentiles intelligimus. Orto namque iuſtitiæ ſole, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Ipſe eſt enim, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnes enim cæci erant: & quando hæc lux mundo apparuit, vel pauci vel nulli illuminati erant. Sed nunquid & modo cæci non ſunt? Multi quidem cæci ſunt & modò. Quomodò enim cæci non ſunt? qui diabolum ſequuntur, & per deuia vitiorum præcipitantur? Verè vtique cæci ſunt quos diabolus trahit. Vidiſtis cæcos aliquando à pueris, aliquando & à canibus trahi. Et melius quidem iſti trahuntur, quàm illi qui à diabolo ducuntur. Iſti enim cadunt & ſurgunt: illi verò quos diabolus trahit, poſtquam ſemel in foueam præcipitantur, nunquam vlterius leuantur. Cæcus eſt autem omnis ſuperbus, omnis auarus, omnis adulter & fornicator. Denique omnes cæci ſunt, quicunque illam lucem non ſequuntur, quę ait, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Quiſquis igitur es, qui te cæcum eſſe intelligis, redi ad vitam. Quantò enim quiſque iniquior eſt, tantò à via longius eſt. Sed ad quam viam? ad illam, per quam tranſit, & ambulat Ieſus. Vniuerſæ enim viæ domini, miſericordia, & veritas. Ad has igitur redi, per has ambulare diſce, clama, & mendica: clama nō ore, ſed corde: clamor cordis altius auditur, cælos penetrat, & in Dei auribus reſonat. Clama ergo, & dic, Miſerere mei, domine fili Dauid. Mendicat enim Propheta, Inclina, domine, aurem tuam ad me: exaudi me, quoniam egenus, & pauper ſum ego. O quàm diues iſte erat, qui ſic mendicabat, & ſe egenum & pauperem dicebat! Noli audire turbam increpantem, & clamare prohibentem. Mala turba, quæ à tali clamore hominem exturbat. Hæc turba, vitiorum, & malignorum ſpirituum exercitus intelligitur, qui nos ad

Deum

Deum clamantes, & miſericordiam poſtulantes ſemper impedire conantur. Si enim cæcus tacuiſſet, & turbæ increpanti credidiſſet, adhuc illuminatus non fuiſſet. *Stans autem Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe. Et quum appropinquaſſet, interrogauit eum, dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt videam.* Ecce quantum oratio poteſt, ecce quantum valet clamor mentis. Turbam vicit, Chriſtum ſiſtit, clamore tenetur, qui fortitudine teneri non poſſet. Stat Ieſus, vocat & expectat eum, quid velit interrogat, nihil niſi lumen requirit. Cum lumine loquitur, & à lumine lumen quærit: nihil melius quærere poterat. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Et Ieſus dixit illi, *Reſpice: fides tua te ſaluum fecit.* Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum, magnificans Deum. Inter dicere & facere Dei nulla diſtantia eſt: dixit illi, reſpice: & confeſtim vidit. Hoc autem fides fecit, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. *Et ſequebatur eum, magnificans Deũ.* Cæci nõ ſequuntur Ieſum: illi eum ſequuntur, qui illuminati ſunt. Illi verò illuminati ſunt, qui in eum credunt, qui veritatem intelligunt, & erroris tenebras à ſe repellunt. Et tales quidem eum magnificant, & laudãt: quia non eſt pretioſa laus in ore peccatoris. *Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.* Dignum eſt enim, vt omnes eum laudent, qui facit mirabilia magna ſolus.

EVTHYMII ZIGABONI
ſuperioris Euang. expoſitio.

Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Filium Dauid dixit ipſum, in honorẽ eius: honoratiſſima ſiquidem erat apud Hebræos huiuſmodi appellatio. *Et qui præibant increpabant eũ, vt taceret.* Silentiũ imponebant, ne moleſtus eſſet magiſtro. *Ipſe vero multo magis clamabat, &c.* Multo amplius clamabat, vt vel perſeuerantia flecteret. *Interrogauit eum dicens, quid tibi vis faciam? Ipſe vero ait, Domine vt viſum recipiam.* Interrogauit eum, ne quis putaret, quòd aliud accipere volenti, aliud daret. Non expetiuit autem ab eo fidem: nam fidei erat perſeuerans clamor. *Fides tua te ſaluum reddidit, &c.* Fidem habebat, non quòd Deus eſſet, ſed quòd ſe ſanare poſſet: ſequebatur vero ipſum tanquam gratus, & ita beneficium rependens.

FINIS PRIMI TOMI.

399479

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC PRIMO TOMO DIGNA NOTATV VISA SVNT:

In quo prior numerus paginam, poſterior verò columnam deſignat.

Aron dictus à Deo Propheta fratris ſui Moſis. pag. 40. col. 2
Abel vnde iuſtus dictus. 320.1. & ſeq.
Abſtinentiæ & eleemoſynæ fructus. 130.1
Achab regis ſæuitia. 391.1
Acies ignea quo tempore in Italia viſa. 8.1
Adam ſtatim à ſui creatione ſapiens fuit. 298.2
Adam cùm homo eſſet, Deus eſſe voluit. 152.2
Abdon quadraginta filios habuit. 96.1
Admonitio ad vitam Chriſtianam ſeruandam. 590.1
Admonitiones ad vitæ emendationem. 405.1.2
Adrianus Imp. cur Helius dictus. 133.2
Aduentus Chriſti primi & ſecundi effectus. 3.1
Aduentus Chriſti ſpes vnde colligeretur à legiſperitis. 34.1
Aduentus Domini quo argumento ſperandus. 3.2
Aduentus Chriſti ad contumelias perferendas, fuit. 401.2
Adulator quis dicatur. 377.1
Ægyptus, tenebræ interpretantur. 389.1
Ægyptus ferax frugibus. 414.1
Ægypti nomen vnde dictum. 414.1
Ægyptij paſtores ouium abominãtur. 110.2.111.1
Ægyptij quando Deum Hebræorum timuerunt. 414.1
Ænigmata ſunt etiam Euangelicæ parabolæ. 666.2
Ætates duæ in ſcripturis. 549.1
Ætates ſex ab exordio mundi quæ ſint. 586.1.588.2
Æternitas ſola vbi ſit. 245.2
Alexandri magni faſtus & regnum. 15.1
Allenum à Deo genus, primum adoratione Chriſti dignatum eſt. 116.2
Altare in Eccleſia etiã à tempore Apoſtolorum. 375.2
Amantes mundum mundus dicti. 217.1
Ambroſij commentaria in Eſaiam. 439.2
Amen quid ſit. 3.2.9.2
Amicus huius ſeculi, inimicus Dei eſt. 8.1
Amor huius vitæ lucem diuinam excludit. 2.2.4.1
Amor Dei excitat appetitum, non faſtidium. 611.2
Ἀνατολὴ, quid ſit. 607.1
Annæ Propheteſſæ laudes. 421.1.424.1.425.433.1
Annæ lachrymarum fructus. 481.2
Angelus cur à D. Ioanne noluit adorari. 381.2
Angelus ſoli Ioſeph in ſomnis cur apparuit. 78.2.83.2
Angelus cur dixerit, pariet filium. 79.2.84.2
Angelus Mariam, & Ioſeph & paſtores edocet. 127.2
Angelus cur tacicat adorari. 104.1
Angelus ob tres cauſas apparuit Ioſeph. 79.1.90.2
Angeli cur è cælo eiecti. 52.2
Angeli duo an vnicuique aſſiſtant. 108.2
Angeli ſtupebunt in mutatione vniuerſi. 2.2
Angeli ſeparabunt bonos à malis. 653.1
Angeli apparitores ſunt in miniſterium Dei. 109.1
Angeli munus egit Ioannes. 31.1
Angeli nomine qui dignentur. 27.1.28.1
Angeli ad Zachariam prædictio de Ioanne. 35.1
Angelorum præſentiam qui mereantur. 94.2
Anima pro toto homine aliquando ponitur. 310.1
Anima fidelis timore corrigitur. 164.1
Animam quæ tabefaciant. 86.2
Animas ante corpora deliquiſſe falſum eſt. 301.1.2
Animalia quatuor, 4. Euãgeliſtas repræſentãt. 307.2
Animi voluntates an ſyderum poſitionibus ſubdantur. 460.2
Animus pius dum cõpotitur, plus paueſcit. 78.2.91.2
Animus praua voluntate vitiatus coerceri nequit. 396.1
Antequam conuenirent, quid ſit. 76.1.77.2.96.2.97.1
Antiochia ciuitas prima Chriſtianis nomẽ dedit. 487.2
Antiqua traditio de tribus Magis. 507.1.510.2
Antiqui in lectis diſcumbebant. 588.1
Antonij magni laudes. 395.2
Apollinarij error de anima Chriſti. 218.1.315.1.2
Ἀπολύτρωσις quid ſit. 13.2
Ἀπὸ præpoſitio quid inſinuet. ibidem.
Apoſtoli primi Nazaræi dicti. 448.1
Apoſtoli ſapientes & ſcribæ dicti. 330.2
Apoſtoli quando dignè colantur. 385.1
Apoſtolorum paupertas. 31.1
Apud Deum totum tempus eſt hodie. 471.2
Apud Deum erat, id eſt, cum Deo. 311.2
Aqua baptiſmi quomodo ſanctificatur. 466.2
Arca Noë & Eccleſiæ Chriſti comparatio. 692.2
Archelai exilium. 413.2.448.1
Ἀρχὴ ſignificata plura. 317.2
Ἄρμενος quid ſit. 607.1
Arguendi proximi modus. 78.1
Arma fidei noſtræ quæ & qualia ſint. 130.2
Arrij error notatur. 218.1.245.2.384.2.212.2.& 216.2 & 311.2.& 551.2.& 559.1
Ariſtobuli genus & origo. 28.1
Ars in artifice viuit. 308.1.2
Arundinis etymon. 28.2 *allegoria.* ibidem.
Arundine quid Chriſtus deſignet. 18.1.26.2
Arundinum copia vbi ſit. 28.2
Auaritia idolorum eſt ſeruitus. 257.1
Auaritia malum, omnium malorum radix eſt. 329.2
Auaritiam non habere, iuſtitia eſt. 78.1
Auguſti nominis etymon. 103.1.105.1
Auguſtorum nomen vnde. 64.2
Auguſtus an totius orbis fuerit Dominus. 103.1
Aures Iudæorum clauſæ ad verba D. Stephani. 335.2
Aſtrologorũ de Chriſti natiuitate rationes reiectæ. 478.1.2.479.1.2

B

BAlaam an magus fuerit, eiuſque de Chriſti aduentu prædictio. 116.2.489.1
Balaam ariolus & ſacerdos gentium. 507.1.532.2
Balaam vnde Chriſtum naſciturum prædixerat. 457.1. 491.1.529.2
Baptiſmus Chriſti. 466.2.467.1.2.468.1.2
Baptiſmus Ioannis ad quem finem fiebat. 59.1.2
Baptiſmus ſanguinis quid ſit. 65.2
Baptiſmi ſacramentum an ab homicida miniſtro polluatur. 560.2.582.2
Baptiſmi perfectio vnde & à quo. 65.2
Baptiſmo Ioannis baptizati cur rebaptizantur. 45.2
Baptizare aqua, & ſpiritu. 36.1
Baptizare in ſpiritu quid & cui conuenit. 65.2
Baptizari in ſpiritu à Chriſto quid. 21.2
Baptizari cur in nomine Trinitatis iubemur. 284.1
Baptizatur cur à ſeruo Chriſtus. 264.1.366.2
B. Virginis excellentia & laudes. 593.2
Beatitudo animarũ nõ differtur vſq; ad iudicij diẽ. 684.2
Bellicoſi fuga artis eſt. 406.1
Bene agendi non deeſt facultas. 260.2.261.1
Beneficia accepta non ſilenda. 637.2
Bethabara, nõ Bethania vbi legẽdũ. 48.1.53.1.60.1.61.2
Bethania dua. 34.1.36.2
Bethlehem duæ ſunt. 457.1.459.1.478.1
Bethlehem cur ciuitas Dauid. 104.2.105.1
Bonum non eſt bonum niſi rectè fiat. 74.2
Bona quando nulla dicantur. 694.2
Bona quærenda, quæ nos bonos faciant. 402.2
Bonæ voluntatis quæ pax dicenda ſit. 159.2
Bonis humanis ſuperbiens infelix eſt. 52.2
Bonorum monachorum vita. 376.1
Bonitas filiorum an malis parentibus proſit. 70.1

C

CAdauer à caſu nomen accepit. 422.2
Cæleſtis Chriſti generationis deſcriptio. 126.2. 127.1
Cæſaris dignitas quando depreſſa eſt. 74.2
Caiphæ principatus ſacerdotalis tẽpore paſſionis Chriſti. 64.1.65.1
Calceamenti corrigia quid deſignet. 36.2.47.1.2
Calamitates huius vitæ quid operentur. 397.1
Calamo quid Chriſtus ſignificet. 2.1
Qui calumniatur præterita, videre præſentia non meretur. 653.1
Canna Hebraicè pro arundine. 28.2
Caput quid in ſacris ſignificet. 3.1.8.1
Caro quid ſit. 74.1
Caro Chriſti verbum & filius Dei eſt. 127.2
Caro pro vxore ponitur. 310.1. & pro toto homine. ibid. & 218.1.2
Carnis voluntas quid ſit. 217.2
Carnem cur Ieſus Chriſtus induit. 264.2
Cedrus magni odoris & naturæ imputribilis. 71.1
Cenſores Chriſti quales fuerunt. 126.1
Centenario numero magna perfectio continetur. 649.1. 697.2.
Centurionis humilitas Chriſto exhibita. 80.2
Certare cum Deo æquo certamine. 99.2
Certiſsimo ſequẽtium rerũ, eſt præteritarũ exhibitio. 8.1
Certitudo Ioannis de Chriſto Saluatore. 20.2
Ceſſant humana, cum diuina tractantur. 398.2
Charitas omnium bonorum radix. 664.1
Charitatis effectus. 67.2
Charitatem quis non habeat. 572.2.573.2
Charitate Chriſtus incarnatus. 76.1
Chriſtus cur factus homo. 208.1
Chriſtus ſub Herode maiore natus. 64.1
Chriſtus infãs carne tacet, ſed per angelos loquitur. 162.1
Chriſtus natus eſt ſine matre in cælis, ſine patre in terris. 141.1.147.1
Chriſtus hic erat per diuinitatem, & huc venit per carnem. 180.2
Chriſtus cur Herodem fugerit. 411.1
Chriſtus factus eſt in matre, qui ſibi fecerat matrẽ. 143.2
Chriſtus quas pro nobis natus tulerit moleſtias. 164.2
Chriſtus quo pacto relictus in tẽplo à parentibus. 554.1
Chriſtus perfectum hominem ſuſcipit. 453.1
Chriſtus cur vadit ad nuptias. 505.2
Chriſtus à natiuitate perſecutus fuit. 387.2.388.2
Chriſtus aduocatus pro nobis apud patrẽ. 221.2.226.2
Chriſtus cur agnus dicatur. 559.1
Chriſtus ὁ πρωτότοκος. 230.2
Chriſtus Θεάνθρωπος. 436.1
Chriſtus cur à prima infantia ſua non monſtrauit mirabilia. 394.2
Chriſtus cur ſoli Petro dixit, Tu me ſequere. 364.1
Chriſtus incredulis ſignum eſt contradictionis. 420.1
Chriſtus orat pro nobis, & in nobis, & oratur à nobis. 337.1
Chriſtus factus eſt quod non erat, nec tamen deſiit eſſe quod antè fuerat. 113.2.148.2
Chriſtus quibus in ruinam, & quibus in reſurrectionem poſitus ſit. 427.2. & ſeq.
Chriſtus cur alibi concipi, & alibi naſci voluerit. 103.2
Chriſtus integritatẽ matris naſcendo nõ violauit. 593.1
Chriſtus pluribus rationibus eſt circuncisus. 437.2
Chriſtus cur formam ſerui accepit. 144.1
Chriſtus quid in extremo iudicio malis improperabit. 6.2
Chriſtus à multis traditus eſt. 703.2
Chriſtus cur quærit à cæco quid vellet ſibi fieri. 700.1. 701.2
Chriſtus animarum affectum requirit. 7.1
Chriſtus cur præſentibus diſcipulis Ioannis, Ioannẽ laudare noluit. 30.1
Chriſtus cur à Ioanne dictus ſit agnus. 21.2
Chriſtus creſcebat per ætatum momenta ſicut homines. 434.1.2
Chriſtus cur leproſum tetigit. 625.2.627.2
Chriſtus cur miracula fecerit corã diſcipulis Ioãnis. 29.2
Chriſtus matrem ſuam cui cõmendauit in cruce. 373.1
Chriſtus cur vbi poſitus ſit Lazarus percunctatur. 19.2
Chriſtus pro quibus fruſtra ſit mortuus. 120.1
Chriſtus infideliũ mẽtibus cur ſit ſcãdalũ & ſtultitia. 17.2
Chriſtus propter nos temporalis effectus eſt. 143.1
Chriſtus Ioannis iuſtitiam commendans, ſeipſum ab adulatione liberat. 31.2
Chriſtus in principio erat, quid ſit. 208.1
Chriſtus quibus & cur in parabolis loquitur. 653.1
Chriſtus in Euchariſtia ſe nobis cibum dat. 630.2
Chriſtus anteq̃ baptizaretur, ſigna aliqua nõ fecit. 583.2
Chriſtus nocina non vult præſtare etiãſi rogetur. 632.1
Chriſtus ſolo verbo & præcepto mare ſedauit. 639.1
Chriſtus qualiter eſt appariturus in extremo iudicij die. 13.2
Chriſtus non negat matrem, dicendo, Mulier, &c. 585.1. 2. & ſeq.
Chriſtus quomodo in nobis viuat. 67.2
Chriſtus propter nos pauper factus eſt. 151.1
Chriſtus cur ex deſponſa virgine natus. 93.2
Chriſtus ſub quo imperio natus. 104.2
Chriſtus cur primogenitus dictus. 93.2
Chriſtus propter Matrẽ primum miraculum fecit. 609.2
Chriſtus quare nõ dicitur filius ſpirituſſancti. 94.2.95.1
Chriſtus vbique totus eſt. 80.1

Chriſtus cur penuriâ ab initio captat, & decorat. 105.2
Chriſtus quos ad euangelizandum deſtinauit. 104.1
Chriſtus filius Dei patris eſt, non ſpiritus ſancti. 79.2
Chriſtus pacatiſſimo tempore Auguſti natus. 103.1
Chriſtus quo pacto creuiſſe dictus, Ioãne decreſcẽte. 69.2
Chriſtus cur miracula ſua aliquando diuulgare, aut ſilere iuſſit. 626.1.627.2.629.2
Chriſtus iudicandus à Pilato cur ſiluit. 53.1
Chriſtus ſemper fuit præſens & in Moſe & in Prophetis. 322.1.2
Chriſtus quorum non ſit lux. 308.2
Chriſtus Petro claues Eccleſiæ commiſit. 379.2
Chriſtus cur gigas dictus. 159.1
Chriſtus omnibus factus eſt omnia. 225.2
Chriſtus vnitatem naturæ & pluralitatem perſonarum oſtendit. 284.1
Chriſtus cur matrem ſuam mulierem vocauerit. 616.2
Chriſtus quid per Zizania ſignificet. 655.1
Chriſtus Ioannem illuminabat, à quo ſe demonſtrari volebat. 216.1
Chriſtus quæ præcipuè commendarit. 664.1
Chriſtus obedientiæ exemplum in parẽtes. 546.2.548.2
Chriſtus cur miracula in pueritia non fecerit. 624.1
Chriſtus quomodo plenus gratiæ. 209.1
Chriſtus cur mundatum ad ſacerdotes mittit. 625.1.& ſeq.634.1
Chriſtus viam nobis fecit per ſe, ne perderet nos. 157.2
Chriſti humilitas quibus pateat. 110.1.111.1
Chriſti fuga in Ægyptum. 387.1
Chriſti natiuitas & generatio admiranda. 88.2
Chriſti laus à quibus prædicari cœpit. 110.2.111.1
Chriſti potentia quo modo quærenda. 104.1.107.2
Chriſti & medici collatio in curandis morbis. 110.2
Chriſti & Ioannis de Elia reſponſio. 56.1.58.2.62.2
Chriſti cognitio neceſſaria eſt ad ſalutem. 22.1
Chriſti generatio veneranda, non curioſè veſtiganda. 114.2.115.1
Chriſti duæ ſunt natiuitates. 112.2.113.2
Chriſti & Ioannis antitheſis. 51.1.59.2
Chriſti apparitio futura qualis. 3.1.14.2
Chriſti fide qui à Deo adoptantur. 303.1
Chriſti ſanguis ſuper Iudæos. 618.1
Chriſti natiuitatis commendatio. 125.1.2
Chriſto omnis ætas manifeſta eſt. 126.1
Chriſtum offendere quam acerbum ſit. 23.1
Chriſtum in propria veniſſe quid ſit. 217.1
Chriſtũ & eius diſcipulos ad nuptias qui inuitent. 62.2
Chriſtum Iudæi à victu arguebant. 69.2
Chriſtum non recipiens quid expectet. 621.2
Chriſtiana laus, alienum eſſe à foro. 678.2
Chriſtianus quis non ſit. 145.2
Chriſtianus quomodo viuat ad æternitatem. 567.1
Chriſtianis reddenda ratio fidei. 363.1
Chriſtianorum duæ natiuitates. 310.1
Chriſtianorũ circũciſio interior & exterior. 446.1.447.1
Chryſoſtomi exhortationes ad piam vitam ducendam. 482.1.2.483.1.486.1.2
Circuncisio vnde exordiũ ſumpſit. 337.1.440.2.443.1
Circunciſio cur cultris petrinis fiebat. 441.2.445.1
Circunciſio in Chriſto eſt completa. 446.2
Circunciſio apud Gentiles irriſa. 438.1
Circunciſionis ſcopus. 438.1.2.440.2
Circumciſionis & baptiſmi differentia. 437.2
Circunciſione vera qui mundatus ſit. 442.1
Cyrenius cur in Syriam ab Auguſto miſſus. 103.1.104.2
Cyrus cur Chriſtus dictus. 106.1
Clamare cur Chriſtus & Ioannes dicantur. 40.2
Claues ſcientiæ qui tolant. 653.1.2
Claudere cordis oſtium, quid ſit. 56.1
Cœli regnum cælorum, quid ſit. 130.1
Cogitatio formata quæ ſit. 209.1
Cogitatio mala quid pariat. 99.1
Cognitio Dei, vita æterna eſt. 104.1
Collatio miſſionis Eſaiæ & D. Ioannis. 215.1
Colloquia ocioſa vitanda. 27.1
Columba pro Eccleſiis ponitur. 566.2
Columnæ cœli quæ ſint. 2.2
Cometæ an immobiles continuò ſint. 116.2
Cometarum diuerſa genera. 117.1
Comparatio perceptionis fidei, & ſucci ſinapis. 660.1
Conceptio Chriſti ex ſpiritu ſancto. 75.2
Conciliabula hæreticorum diſſipanda. 652.1
Concilij Epheſini geſta de incarnatione filij Dei. 218.1
Concordantia in narrationibus Euangeliſtarum. 258.1
Confeſſionis & pœnitentiæ effectus. 99.2
Confirmantur baptizati ab Epiſcopis. 618.1
Cõfutatio aſſerẽtium migrationẽ animorũ in corpora. 38.1
Congregari qui noluit ſub alis Chriſti. 322.2.326.1
Coniuges vnde dicti. 96.1
Coniugium legitimum à Chriſto honoratum. 616.2
Coniugium cur à Deo mandatum. 89.2
Coniugium verum. 76.1
Coniunx a prima fide deſponſationis dicitur. 76.1
Conſolatio vbi neceſſaria non eſt. 416.1
Cotinentia perpetua an imperari à parentib. poſſit. 589.2
Continentiæ ac virginitatis commendatio. 112.1
Cor noſtrum fons eſt, verbum verò riuulus ex corde manans. 210.1
Cor lapideum qui habere dicantur. 70.1
Cor nouum accipere a Deo, quid ſit. 59.1
Corrigia calceamenti quid ſit. 56.2.60.1
Corpora poſſunt perimi, diuinitas aũt nõ cõtingit. 387.2
Corporis Chriſti ſacramentum indignè ſumentes. 23.1
Corui & columbæ comparatio. 569.2.570.2
Creatori non eſt coæterna creatura. 208.1
Creatura oĩs, præter hominem obedit Deo. 639.1.641.1
Credentes filij Dei ſunt, & fratres Chriſti. 217.2
Credere in Chriſtum quid ſit. 334.1
Creſcit amor nummi quãtum ipſa pecunia creſcit. 403.1
Crux Chriſti quibus ſordeat. 280.1
Curioſitas orationis ſophiſtis digna eſt & ſuperflua. 251.2

D

DÆmones qualiter confitentur Chriſtum. 574.1
Dæmonum habitatio vbi ſit. 19.1.2
Damnum qui dat proximo. 50.2
Danielis quatuor beſtiarum viſio, & explicatio. 15.1
Dauid deſcenſum Chriſti in virginem prædixit. 129.1
Dauid Magorum aduentũ ad Chriſtum prædixit. 394.2
Dauidis prophetia de Magis & eorũ donis. 490.1.494.1
Dauidis de Chriſto ſcripta. 47.2
Dauidis Prophetia de Chriſto. 284.2
Dauidis Prophetia de innocentibus occiſis. 398.2
Dauidis prædictio de morte Ieſu Chriſti. 22.1
Dauidis patientia in Semei conuitus. 397.1
Defenſio iniquitatis quid efficiat. 99.2
Deliberandum cur in incertis eſt diu. 76.2
Denarius numerus pro perfectione. 694.1
Denarius olim pro decẽ nummis. 103.1.669.1.683.2
Dentium tres ordines quid ſignificent. 15.1
Deus per quos vocarit Magos. 480.1
Deus cur exigat pœnitentiam à nobis. 652.2
Deus cur humanæ naturæ commiſcetur. 122.2
Deus mæſtis rebus iucunda permiſcet. 394.1.2
Deus an nolentibus benefaciat. 630.2
Deus quid à nobis repoſcit pro ſua liberalitate. 631.1
Deus cur inſitata quædam ſeruauit ſibi. 588.2

Deus reſipiſcentia delectatur. 477.2
Deus cur non credatur facere poſſe hominem de virgine. 165.1
Deus Chriſtus via eſt qua imus ad Deum patrē. 608.1
Deus an requirit opera propter ſe. 331.1
Deus nihil concedit malè petentibus. 300.2
Deus iuſtè omnia adminiſtrat. 227.2
Deus omnia ambit intra ſe. 246.1
Deus inuitus cogitur perdere peccatores. 333.1
Deus cur in carnem venit. 115.1
Deus nullum inuitum vult famulatum. 217.1
Deus quando arrhas dedit, ac dotem. 610.2
Deus credulitate quærendus eſt. 402.1
Deus operibus noſtris non eget. 678.1
Dei eſt, quòd vrgemur malis. 645.1
Dei eſt dare gratiam, hominis præbere fidem. 217.2
Dei nomen non poteſt litteris explicari. 96.1
Dei miſericordiam deſiderare, quid ſit. 333.1
Deo quid offerendum. 136.1
Deo nihil dignius offertur oratione pia. 625.2
Deo humilis confeſſio placet. 668.1
Deum in nube apparere quid ſit. 3.1.4.2
Deum ſcire nolentium pœna. 612.2
Deſolatio Iudæorum ab Adriano facta. 133.2
Deſponſatio quomodo olim fiebat. 76.1
Diabolus an decipere poſſit abſque Dei permiſſione. 98.1
Diaboli cautelæ quomodo reſiſtendum. 254.1
Diabolus quando non tentat. 649.1
Diabolus qui conſilio deceperat, conſilio vincitur. 112.2.115.2.142.2.& 143.1
Diabolus an interficit ſpiritum. 612.1
Diabolus credit ſcripturas non mentiri. 462.1
Diaboli feminæ quales ſint. 653.2.654.1
Diaboli aſtus ad ſeminandas falſas opiniones. 649.1
Diſceſſio & reuelatio hominis peccati. 14.1
Dies Domini quàm horrendus. 9.1
Dies vbi mali ſunt, non blaſphemandum. 653.1
Dies octaua cur ad refectionem pertinet. 445.1
Dies natalis Chriſti cur nouus ſol dicatur. 132.1.2
Diem Domini inſtare an credendum. 14.1
Digni Chriſto qui ſint. 585.2
Dij qui dicantur & filij excelſi. 112.2
Diſciplinæ huius ſeculi fructus. ibid.
Diſcipuli Chriſti vnde magnitudinē ſigni perdiſcūt. 642.1
Diſcipuli cur ſermonem de paſſione Saluatoris, intelligere non valeant. 698.1.699.1.704.2
Diſcipulos ſuos cur Ioannes ad Chriſtum mittit. 27.2
Δbοιr quid. 607.1
Ditari volentium variæ tentationes. 329.2
Diuina ſcripta lecturo quid opus ſit. 37.2
Diuina cognitio quomodo in nobis renouatur. 247.1
Diuinæ liturgiæ ritus tempore Chryſ. celebratus. 630.2
Diuinitatis impulſu Chriſti apparuit ſtella. 523.2
Diuinitatis expenſores arguuntur. 120.1
Diuitiæ cur ſpinis comparentur. 690.1.& cur fallaces ſint. 692.2
Diuitiæ à quibus transferēdæ ad æternā hæreditatē. 52.2
Diuitiæ quando bonæ ſunt. 402.2
Diuitiæ veræ quæ ſint. 403.1
Doctores quo pacto adminiſtrare ver. Dei debeāt. 625.2
Doctrina Chriſti Magicas artes an toleret. 251.1
Dogma de corporum in corpora migratione. 39.1
Dominus ſeminator cur dicitur. 652.2
Dñs noſter Chriſtus pro liberādis omnibus venit. 167.1
Dominus, & Chriſtus quæ nomina ſint. 255.2
Domitianus Cæſar cur Ioannem in feruentis olei dolium mittit. 373.2
Domitianus Chriſtianorum perſecutor. 374.2
Dona diſcipulorum Chriſti varia. 321.1.327.1
Dona Magorum quid ſignificent. 490.2.494.1
Donati de baptiſmo error taxatur. 364.1.2
Donec veniam, quomodo intelligatur. 376.2
Donec, in Euangelijs quomodo accipiatur. 97.2
Duodecim Apoſtolorum prædicatio in toto orbe. 663.1

E

Eccleſia vnde ſumpſerit initium. 68.1
Eccleſia domus Chriſti eſt. 79.1
Eccleſia Catholica & bonos & malos habet. 572.1
Eccleſia, Chriſti eſt ſponſa. 157.1
Eccleſia per ſolem, lunam & ſtellas ſignificatur. 2.2
Eccleſia quare vinea dicatur. 587.2
Eccleſia in nomine S. Ioannis etiam viui dedicata 375.2
Eccleſiæ & gallinæ ſimilitudo. 333.1.2.334.2
Eccleſiæ & nauis comparatio. 643.1.2.644.2.645.1
Eccleſiaſticarum lectionum fructus. 644.1
Egreſſus Chriſti à patre, &c. 157.2
Electorum conſolatio in extremo iudicio. 1.2.& 8.1
Elementa omnia Chriſtum veniſſe teſtata ſunt. 527.1
Eleemoſynæ fructus. 11.2.& 12.1.331.1
Eleemoſynarum efficacia. 70.2
Elias Iordanem diuiſit. 472.2
Eliæ & Ioannis differentia in preceſſione Chriſti. 33.1.2.& 35.1
Elizabeth virginem Mariā Matrem Dei appellat. 80.2
Elizabeth nominis interpretatio. 242.1
Emmanuel quid ſit. 147.2
Enoch & Elias an mortales ſint. 377.1
Epiphaniæ feſtum. 496.1.503.1
Epiſc. aut ſacerdos fieri in pueritia nemo debet. 687.2
Epiſcopi munus in docendo populo. 161.1
Epiſcoporum adhortatio ad vigilantiam. 655.1
Ericij cōparatio cum peccatore peccata occultāte. 100.1
Error negantium tres S. Trinitatis perſonas. 305.1
Error poſt veritatem exiſtit. 649.1.651.2
Error Sabellij confutatur. 311.2
Eſaias ſerratus fuit. 325.2.333.1
Eſaiæ de Ioanne Prophetia. 55.1
Eſaiæ Prophetia de Magis futuris. 488.2
Eſaiæ prædictio de Chriſti paſſione. 21.2.& 22.1.699.1
Eſſe in euripo quid ſit. 250.2
Etymologia Ieſu ab Angelo explicata. 95.1
Euchariſtia quid ſit. 630.1
Ex Euchariſtia quid boni emanet. 486.2
Euangeliſtæ ſinguli cur quædam dicta ab alijs omiſerint. 421.1.430.2
Euangeliſtæ partiti ſibi ſunt tempora narrationis. 558.2.561.1
Euangeliſtarum diſcrepantia in aliquibus. 83.2
Euangeliū Ioannis ſupra omne tempus & ſeculum aſcendit. 258.1.& 305.1
Euangelium Ioannis quo tempore ſit deſcriptum. 374.2
Euphemiæ ſanctæ virginis conſtantia in martyrio. 654.2
Eutyches, Valentinus & Manichæus confutantur. 315.2
Exempla ex creaturarum natura. 213.2
Exiguum nihil eſt, quod à Deo accipimus. 630.2
Exhortationes ad audiendum verbum Dei. 253.1.2.& 254.1
Exultatio in peccatis deteſtanda. 100.1
Ezechielis Prophetæ excerebratio. 322.1.333.1

F

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtram, interpretatio D. Cyrilli. 284.1
Falſi prædicatores quam quærant habitationem. 27.2
Famuli deuoti officium. 34.2
Fati reprobatio. 460.1.& 2.
Fatum eſſe aliquid dicere, abſit. 527.2

Fatum à nemine incurrendum. 587.2.& 603.2
Feritatis Herodis,ſæpiùs atq; cum beſtia vulnerata aſperitate. 400.1
Feſtum ss martyrum innocentum. 411.2
Feſtum natalis Chriſti qui irreuerenter celebrant. 129.2.& 130.1
Feſti dies quomodo celebrandi. 6.1.& 2
Feſtis in diebus malorum debemus obliuiſci. 125.1
Fideles ſpiritu ſancto repleri qui non poſſunt. 580.2
Fideles perſequutorum rabiem vitare debent. 387.1
Fides vna eſt noui & veteris teſtamenti. 401.1
Fides noſtra nullum deorum numerum ſuſcipit. 285.1
Fides in afflictionibus pro Chriſti gloria exultat. 399.1
Fides operibus bonis adornanda. 445.2
Fides nihil prodeſt ſine charitate. 574.1
Fides trium puerorum. 612.2
Fides non lingua ſed moribus indicatur. 85.1
Fidelis vnde dignoſcatur. ibidem.
Fides ſine operibus an ſaluet. 9.2.706.1
Fidei medicina cui non proſit. 660.1
Fidei profeſſio,cenſus animorum eſt. 126.1
Fidem fruſtra quis iactat. 517.1
Fide pia ſuſcipienda,quæ Dominus expoſuit. 693.2.& 695.1
Filiationem perfectiſſimam vbi conſequemur. 217.2
Filius magis ex patre quàm ex matre eſt. 79.2
Filius ſemper cum patre credendus eſt fulgere. 311.2
Filius Dei cur factus eſt hominis filius. 335.1
Filij pij ex patribus impijs. 396.1
Filij Dei qui verè dicantur. 303.2
Filios Dei fieri poteſtas à Chriſto data eſt. 217.2
Filium Dauidis appellari,apud Hebræos honoratiſſimum erat. 708.2
Flagella Dei noſtra prouocant culpa. 645.1
Flagella cùm humiliter ſuſcipienda. 691.2
Flagellat cur Deus ad tempus. 367.1
Fletus Chriſti,non riſus cur ſcribatur. 482.1
Flores multi cur fructuū multitudinē nō producāt. 634.1
Fœcunditatis & caſtimoniæ collatio. 152.2
Fœmina imperante ſuper virum, nihil peius eſt. 217.2
Fortitudo animi vſque ad mortem tenenda eſt. 640.1.2
Forum pro mundo ſumitur. 678.2
Fratrem ſuum qui odit,homicida eſt. 5.2
Fructus quo anno erat ſanctus Domino. 44.1
Fructus laborem lenit. 598.1
Fructus mundi huius quales ſint. 1.2.3.2
Fructus digni pœnitentiæ qui ſint. 70.1
Fuga Chriſti in Ægyptum rationes. 38.2.& 393.2

G

Gadara, Geraſa & Gergeſa vbi ſitæ. 48.1
Galilea terra erat Gentilium,& non Iſrael. 455.2
Gallinæ affectus in pullos ſuos. 330.2.& 321.1.& 322.1.329.1.333.2
Gaudium mundi huius triſtitia copulatum. 481.2
Generationis nomine quid ſignificet Chriſtus. 10.1.14.1
Genere ſpiritum ſanctum quid ſit. 560.1.569.2
Generis humani totius in duas partes diuiſio. 247.1
Generoſitas Ioannis. 51.1
Genethliacorum iudicium de Chriſti ſtella. 541.1
Geneſidum Fauſti quid ſit. 400.1
Genimina viperarū quos Dñs vocauerit. 30.2.& 70.1
Gentilis & Iudæi collatio. 508.1
Gentilitas per fidem collecta. 64.1.& 2
Gentilium confutatio de aduentu Chriſti. 217.1
Gentilium dij alij iuniores,alij antiquiores erant. 252.2
Gentilium fabula in patris & filij vnitatem. 311.2
Gentium preſſura quid ſit. 2.2
Gladij verbi Dei efficacia. 126.1
Gratia ſuapte cur Dominus ſeipſum comparauit. 658.2.659.2
Gratia an abſque pœnitentia detur. 65.2
Gratia diffunditur,quam ſuſcepit fides. 700.1
Gratiam & liberum arbitrium coniungit Chryſoſt. 480.1
Gloriæ dulcedinis fructus. 357.1
Gloriam deſpiciat qui glorificari cupit. 86.2
Gubernatoris peritia vbi cognoſcitur. 644.2

H

Hæretici & ſchiſmatici quàdo expellendi. 650.1.2
Hæretici dogmatiſantes expellendi. 649.1
Hæreticorum ſtudiū ad pietatis ſemē præfocandū. 692.1
Hæreticorum temerariæ opiniones explodendæ. 579.2
Hæreticorum aſtus & impoſturæ. 651.2
Hæreticorum & paganorum confutatio. 698.1
Hæreticos vocat Origenes ſpirituales Phariſæos. 324.2
Hæreſeon initium. 651.2
Hebionis error carpitur. 546.1
Heliæ & Ioannis Baptiſtæ collatio. 58.2
Heluidij error de primogenitura Chriſti. 105.2
Heluidij error cōtra matrē Dei. 76.2.& 77.2.& 453.1
Heracleonis verba de Ioanne & Prophetis. 41.2
Heri & hodie,quid in ſacris literis ſit. 146.1.147.1
Herodes Magos habebat in ſuis erroribus principes. 406.2
Herodes omnes Iudæ & Beniamin filios occidit. 392.2
Herodes quos libros cremauit. 457.2
Herodes quo pacto vxorem fratris ſui acceperit. 28.1
Herodes à Magis deluſus furit. 391.1.& 2.
Herodes cur apud Viennam exilio perijt. 65.1.73.2
Herodis ſæuitia in pueros. 391.1.& 2
Herodis maioris quatuor filij. 64.1
Herodis mors deteſtanda. 412.2.413.1.448.2.& 455.2
Herodis ficta deuotio in Chriſtum. 458.1
Herodis crudeliſſ.genus. 448.2.& 450.1.2
Herodis aſtus vt mortuus lugeretur. 413.1.448.1.2
Hydriæ,ab hydor Græcè,id eſt aqua. 617.1.621.2
Hieremias lapidatus à Iudæis. 327.1.333.1
Hypithiam & Baſilidis figmenta. 325.1
Hypocritæ cur per ſtellas deſignentur. 10.2
Hodie ſemper Deo eſt. 244.2
Homo cum naſcitur,à miſeria inchoat. 158.1
Homo ſolicitante diabolo, Deus eſſe voluit. 138.1.2.& 141.1
Homo an ſtellis ſubijciatur. 527.2
Homo coniunctus Deo factus eſt Chriſtus. 155.1
Homo quomodo ſpiraculum vitæ amiſit. 303.2
Homo quid ſignificet. 208.2
Homine primo cadente omnes cecidimus. 147.1
Homines vnde falſitates excogitant. 300.2
Homines à Deo naſci cur non mirum eſt. 209.1.218.1
Honoris magnitudo quid indignis efficiat. 85.1
Hora Chriſti quid ſit. 587.2.598.1.2
Hora certa olim erat primiſſis celebrandis. 603.2
Horarum diuerſitates per momenta ætatum. 668.1
Horrea verbi Dei duo ſunt. 697.2
Hoſtem proprio mucrone iurbare. 544.1
Humana natura etſi nō peccaret,an lucere poſſet. 214.2
Humanæ ſcientiæ an ſit incarnatio Chriſti. 168.2
Humanæ captus non eſt conceptio Virginis Mariæ. 168.1

I

Iacobus qualiter thronū Hieroſol. aſſumpſit. 365.1.2
Idola Ægypti ante Chriſtū corruerunt. 414.1.415.1
Ieiunij indictio in primitiua Eccleſia. 374.2.376.1
Ieiuniorū tempore an abſtinendū ab opere coniugali. ibid.
Ieſus Chriſtus quando prædicare cœperit. 28.1
Ieſus vbi ſit quærendus. 545.2.& 547.1

Ieſus quid apud Hebræos ſignificet. 79.2.82.2
Ieſu nomen variè ſcribitur. 96.1
Ignis cur caſtis corporibus non nocet. 613.1
Ignorantia culpa in mundum reijcienda. 302.1
Illuminati à Deo qui dicantur. 708.1
Impatientia mater impudentia. 98.1
Imperitorū perfidia lucē verbi non cōprehendit. 214.2
Impleri valles quid ſit. 75.1
Impudentia vbi dicenda bona. 700.1
Inanis gloria quale vitium ſit. 257.1
Incarnatio Chriſti cur diabolo celata ſit. 80.1.& 81.1 & 2.93.2
In Chriſti prælio moriendo vincitur. 399.2
Incircuncifi auribus,&c.qui dicantur. 444.1
Indicia hominis fidelis. 85.1
Indumenta mollia an Chriſtianum deceant. 31.1
Infantes fiunt ſine certamine victores. 399.1
In aduentu Chriſti, qui corruerint, & qui ſurrexerint. 422.1
Infernalis putei deſcriptio. 612.2
Infideles Chriſto an in Deo viuant. 214.1
Infirmitas humana quomodo ſanetur. 209.1
Infirmitas corporis miſeranda eſt,non odienda. 632.2
Inimici hominis inſidiæ. 649.1.650.1.& ſeq.
Inobedientia culpa parētes noſtri è paradiſo eiecti. 58.1
Innocentia ſemita eſt ad philoſophiam. 106.1
Innocentium memoria cur celebrari mandata ſit. 392.1
Intelligere bene quid ſit. 697.2
Inuidia vnde naſcatur. 680.2
Inuidia vitium quibus exitioſum ſit. 50.2
Iniquorum omnium à Cain vſque ad finem generatio eſt vna. 332.2
Intellectus cur naturalis ratio & lux dicatur. 216.2
Introitus in regnum cælorum an differatur vſque ad iudicii diem. 445.1
Ioannes qua ætate eremum ingreſſus. 28.2
Ioannes cur maior inter natos mulierum dictus. 42.1
Ioannes cur pluſquàm Propheta dictus ſit. 18.2.& cur Angelus. ibid.& 19.2
Ioannes qua fiducia tyrannum increpauerit publicè. 21.1
Ioannes quare Angelus dictus. 30.2
Ioannes cur homo fiat non Angelus. 215.2
Ioannes cur per ſuos diſcipulos interrogat Chriſtum. 16.1.2.& 17.1.2.& 19.1.& 24.1.& 2.
Ioannes cur clamare in deſerto dicatur. 35.1
Ioannes Baptiſta illuminatus à Chriſto quem demonſtrabat. 280.2
Ioannes quid ſup.pect.do.recumb.hauſerit. 364.1
Ioannes Chriſti lucerna cur dictus. 131.2
Ioannes cur à Chriſto dilectus. 363.1.364.1
Ioannes an fide,an pietate dubitauerit. 17.1
Ioannes quot annis prædicauerit poſt Chriſti aſcenſionem. 375.2
Ioannes an Petro præferendus. 245.1
Ioannes teſtimonium cur de ſe ferat. 365.1.& 372.2
Ioannes cur ſe vocem dixerit tantùm. 33.1.& 2.35.2
Ioannes remiſſionem peccatorum prædicat,ſed non donat. 64.1
Ioannes quid ab Elia differat præcurſoris munere. 56.1
Ioannes quid per columbam edoctus. 569.1
Ioannes cur typum legis ferat. 65.2.68.1
Ioannes in quibus Petro præferatur. 370.2
Ioānnes Euang.cur Theologus dicatur. 379.2
Ioannes Baptiſta à quo incarceratus ac occiſus. 28.1.& 2.
Ioannes relegatus,vbi Apocal.ſcripſerit. 373.2
Ioannes an præſciuerit obitum ſuum à Chriſto. 375.2.384.2
Ioannes an per Chriſtum ad cælum traductus. 375.2
Ioannis verba,Et ego neſc.eum,intellectus. 580.2.581.1.582.2
Ioannis diſcipulorum inuidia in Chriſtum. 17.1.& 19.2.29.2
Ioannis reſponſa ad Leuit. & ſacerdotū interrogationes. 38.1
Ioannis encomia. 23.2.& 24.1.25.2.26.1
Ioannis diſcipuli cur de Chriſto offenſi. 32.2
Ioannis genus & origo. 34.2.& 35.1.45.2
Ioannis nomen Hebræum quid ſignificet. 244.2
Ioannis prædicationis ſcopus. 17.2.19.1
Ioannis humilitas. 54.1.55.2
Ioannis Euangeliſtæ genus,patria & vocatio. 250.1.2
Ioannis & Pauli collatio. 245.1
Ioannis teſtimonium. 377.1
Ioannis vita,& genus. 51.1. Eius ſupplicium & exilium. 701.1
Ioannis cibus ac veſtitus qualis. 18.1.2.20.1. Eius mors. 373.2.& 375.2
Ioannis Euangeliſtæ & Moſis collatio. 384.1.2
Ioannis Euangelium quid ab alijs Euang. 215.2.244.2
Ioannis nomen quid ſignificet. 215.2
Ioannis prædicatio quando cœpit. 64.1
Ioannis obitus vnde melius probetur. 384.1
Ioannis ſepulchrum vbi ſit. 366.1.& 370.1
Ioannem minui Chriſto creſcente quid ſit. 128.1
Ioannem præceſſurum Chriſtum in virtute Eliæ quid ſit. 38.2
Iob quibus ſignis à diabolo eſt admiratus. 663.2
Iob bona ſua cum quibus communia habuit. 330.1
Ioſeph cur filius potius Dauid quàm Abraham dictus. 94.2.96.1
Ioſeph conceptū ſuſcepit filium,quem non genuit. 128.2
Ioſeph cur patris nomine à ſpiritu ſancto honoratur. 545.2
Ioſeph Chriſti nutritius. 421.2.& 423.1
Ioſeph cur Mariam dimittere volebat. 80.2
Ioſeph iuſti gratia. 78.1.80.2.82.2
Ioſeph qua ratione iuſtus dictus. 76.1
Ioſeph in media ſeruiuit Ægypto. 396.1
Ioſeph auctus interpretatur. 103.2
Ioſue figuram geſſit Saluatoris. 96.1
Ira quid efficiat. 86.1
Ira affectus flamma vehementior eſt. 260.1 & 2
Iſaac generatio qualis fuerit. 414.2
Iſrael in adoptionem vocatus fuit mediatore Moyſe,&c. 303.1
Iudas quos baptizauit non rebaptizati ſunt. 368.2.& 569.1
Iudæ Galilæi impoſtura. 34.2.36.1
Iudæa vbi ſita. 103.1
Iudæa à quibus regeretur tempore paſſ.Chriſti. 64.1
Iudæa quando Romanis ſtipendiaria facta. 103.1
Iudæa cur diſperſa. 64.1.2
Iudæa regnum cur diuiſum. 68.2
Iudæi cur infideles Chriſto. 457.2
Iudæi quare Chriſtum priùs non adorauerunt. 110.2
Iudæi qui putabant Ioannem eſſe Chriſtum. 69.2
Iudæorum reiectio. 595.2.& 620.2
Iudæorum mos cutem corporis lauandi. 594.1
Iudæorum de Ioanne varia ſententia. 33.1
Iudæorum deſidia,quæ perierint. 451.1.455.2
Iudæorum impoſtura de virgine. 115.2.116.1
Iudæorum ingratitudo. 631.1
Iudæorum de Chriſto ſiniſtra opinio. 51.1
Iudæorum dogmata ficta. 325.2
Iudæorum cæcitas. 112.2

Iudæorum regnum cur in quatuor tetrarchias diuiſum. 64.1.& 65.1.
Iudicij generalis totius orbis certitudo. 1.2.& 4.1.& 10.2.& 11.2
Iuſtitia omnis in duobus conſiſtit. 653.1
Iuſtitia nomine quid in ſacris ſignificetur. 78.1.82.2
Iuſtitiam omnem impleri per Christum quid ſit. 563.3
Iuuentutis & ſenectutis antitheſis. 8.2

L

LAchrymæ pœnitentium efficaces. 137.1
Lachrymæ ad Deum quid pariant. 481.2
Laſciuiæ nimiæ effectus. 592.2
Laudandus nemo in vita ſua. 28.2
Laudari qui cupit in facie, inſipiens eſt. 25.1
Laus in ore peccatoris qualis ſit. 708.2
Lazari ſuſcitati teſtimonium de Christo. 165.2
Lapides qui dicantur. 42.2.44.1
Lapis præciſus ſine manibus, ex Daniele quid ſit. 53.2
Latronem qua pietate Christus ſaluat. 668.1.& 681.2
Lex cur data ſit. 302.1
Legis & Euangelij differentia. 619.2
Legem an Christus ſpernit tangendo leproſum. 627.2
Legem diuinam quomodo diabolus ſucat. 653.2
Leonis Papæ ſententia de partu Virginis Mariæ. 77.1
Lepra quid eſt. 634.1
Leproſus antequam petat, adorat Christum. 627.1
Leproſus credens, non tardatur eius ſanatio. 626.1. 628.1
Leproſus ſuam infirmitatem non erubuit. 634.1
Leuare capita quid ſit. 8.1
Leuitæ vxoris peremptæ vindicta. 387.2
Leuitæ & Sacerdotes cur ad Ioannem miſſi. 34.2
Liberi arbitrij aſſertio. 460.1
Libido vt edomanda. 438.2.& 439.1.2
Lingua vna cur in plures diuiſa. 571.2
Litera ſola quare interfecit. 592.1
Literam legis quo pacto Christus ſoluit. 632.2
Locupletes qui ſunt in diuitijs pauperes. 395.2
Logos quid apud Ioannem ſignificet. 209.1
Lolij qualitas. 655.2
Lolij & tritici comparatio. 648.1
Lucernæ & Ioannis collatio. 309.1
Lunæ nomine quid deſignetur. 10.2.701.2.703.2
Luſus ſuperfluus à diabolo. 482.2
Lux Christi non eſt ſenſibilis. 214.1
Lux mundi & lux hominum. 223.1
Lux quibus proſit. 208.1
Lux vera quos illuminet. 216.2
Lux ſtercore non inquinatur. 31.2

M

MAcedonianorum error. 312.2
Machabæorũ cõſtãtia in legis obſeruatione. 22.1
Magi Christum adorant. 116.2
Magi Philoſophi Chaldæorum. 457.1.328.2
Magi cauſas doloris addiderunt Herodi. 400.1
Magi Christum confitentur coram Herode. 461.2
Magi prius Ieſum adorant, quàm ei munera offerant. 627.1
Magi an à Balaam genus ducant. 469.2.478.1.489.1
Magi de gentibus primi electi ſunt ad ſalutem. 488.2
Magi ab oriente veniunt adoraturi verũ Orientẽ. 507.2
Magis ſtella Christum demonſtrat. 461.1
Magiſtri munus. 251.2
Magiſter virtutis qui non dicendus. 546.2
Magorum dona quæ & quid deſignẽt. 458.1.& 2.490.1.494.1
Magorum reſponſa pro arca Domini. 480.1
Maioris miraculi eſt eſſe qui non erat, quàm reuiuiſcere qui erat. 600.2
Mala domus cur dicatur. 217.1
Malachiæ prædictio de Ioanne. 30.2.58.2
Mali vbi & quando tolerandi ſint. 656.1
Mali in eccleſia vel ignorantur vel tolerantur. 571.1
Malos permixtos eſſe bonis an ſit neceſſe. 648.2
Manichæi perfidiæ occaſio. 587.2.602.2
Manichæorum & Apollinariſtarum error. 552.1. 555.1.213.2.& 216.2
Manichæis an res an lex nuptialis diſpliceat. 589.2
Marcionis, Cherinti & Hebionis error confutatur. 374.2.376.1.& 380.1
Marcionis rabies ſubuertitur. 216.2
Marcionis & Pauli Samoſateni errores. 485.2
Maria cur deſponſata ſit Ioſeph. 76.1
Maria & Ioſeph de vna tribu fuerunt. 93.2
Maria virgo incorrupta concepit, virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit. 80.1.113.2
Maria à paſtoribus fidem colligit. 107.2.127.2
Maria non ſolùm Christi hominis, ſed et & Dei genitrix confitenda eſt. 307.1
Maria virgo cur Theotocos à Græcis dicatur. 379.2
Maria an ſciret Christum miraculũ vini facturum. 616.2.& 617.1.& 620.1
Maria comparat verba Prophetarum factis. 104.1.& 107.2
Maria quo pacto velleri comparatur. 129.1
Maria virgo cur mulier appellata eſt à Christo. 587.1.2.592.2
Mariæ caſtitatis teſtimonium. 76.1
Mariæ origo ex Dauide. 75.2.& 76.1
Mariæ virginis & Euæ comparatio. 148.2
Mariæ & Eccleſiæ, virginitatis perpetuæ ſignaculum. 380.1
Mariæ nominis commendatio. 92.2.93.1.2.538.2
Mariæ & Elizabeth commendatio ab earum partu. 113.1.114.1
Mariæ admiratio quid ſit. 156.1
Mariamne à marito ſuo cur occiſa. 28.1
Martyr quis dicendus. 243.1
Martyres omnes per quos deſignentur. 321.2
Martyrum orationes ad Deum. 403.2
Matthæus Euangelium ſuum, à Prophetarum dictis confirmat. 388.2
Matthæus Euang. breuitatis amator. 416.1
Mathematicorum calumnia de fato Christi. 587.2.& 602.2.603.2.& 620.1
Medici animarum qui ſunt. 329.1
Medicorum cum Christo collatio. 632.2
Medicum ſpernens an ſanari poteſt. 99.2
Medius cur Christus dictus ſit. 36.1.61.1
Menſa tenuis, bonæ valetudinis mater. 599.1.600.1
Mens hominis quæ comprehendere non poſſit. 114.2
Mens ingrata ſibi ſupplicium eſt. 516.1
Mens peccato ſubiugata, graui premitur ſarcina. 405.1
Merces in die iudicij cuique reddenda. 684.1
Merces Prophetæ & merces de Propheta quid differãt. 70.2.& 71.1
Meritum ſuum poſſe dignoſcere, quid ſit. 631.1
Meritorum diſcretio apud Deum. 136.2
Μισομβρία quid ſit. 607.1
Michææ prophetia de loco natiuitatis Christi. 134.1.& 401.2
Militantibus pro regno Dei quid ſperandum. 28.2

Miniſter malus an noceat vbi bonus eſt Dominus. 567.1
Mira de Chriſto lege ad longum. 111.1.& 2.& 112.1
Miracula Chriſti qualia ſint. 588.1.599.1
Miracula Chriſti quomodo à nobis accipienda. 701.2
Miſſa à S. Ioanne celebrata. 375.2.378.1
Miſericordia Domini in Ægyptum & Magos, oſtenſa eſt. 398.1
Miſericordiæ opera & eorum fructus. 704
Miſericordiam Dei quis dicatur contemnere. 333.1
Miſericordiam malefactoribus exhibere, ſtultitia eſt. 333.1
Myrrhæ qualitas. 507.2.536.1
Myrti mira virtus. 71.1
Myſteria diuina paruulis reuelata. 111.2
Modus fidei quis ſit. 646.1
Moiſes infans cur coronam de capite Pharaonis eiecit. 415.2
Moiſes vbi & quando conſpicit Deum. 111.1
Moiſes Chriſtum Prophetæ nomine prædixit. 37.1
Moiſes cur ſeipſum commendat. 375.1
Moiſes dictus Deus Pharaonis. 40.2
Moiſes quod præcepit in lege, quid ſit. 626.2
Moiſes cur legiſlator dicitur. 637.2
Moiſes an baptizauerit. 65.2
Moſis prophetia de Chriſto venturo. 55.1.& 595.2
Moſis ſepulchrum an fuerit inuentum. 366.1.384.1
Monaſtici ſtatus excellentia. 392.1
Monaſticum votum caſtitatis. 487.2
Montes & colles humiliari quid ſit. 64.2.& 66.1.67.2
Morbi innumeri ex crapula. 599.2
Mors per mulierem, ſalus per virginem data eſt. 144.1
Mortificatio Ieſu in nobis circumferenda. 223.2.226.1
Mortui ſancti, ante reſurrectionem beatitudine in ſola anima fruuntur. 403.2
Mulieris nomen quid Hebræis ſignificet. 147.2
Mundus cur naſcituro Chriſto deſcriptus ſit. 102.1
Mundi varia acceptio. 316.2.317.1.323.1.306.1
Mundi deſpiciendi argumentum. 8.2
Mundi ſator rerum principia bona fecit. 653.2
Mundi huius iuuentus & ſenectus. 8.2
Mundum qui vicit, victoriam ſuis promittit. 112.1

N

NAaman à quo lepra curatus. 50.1.627.2
Naſcendi tres ſpecies. 165.2
Natalis Chriſti fructus. 6.1
Natalis Chriſti dies quanta veneratione celebrandus. 7.1.& 118.1.2
Natiuitas Chriſti duplex. 150.2
Natiuitatis Chriſti deſcriptio. 106.1.2.& 110.1.2
Natiuitatis Chriſti adhibita ad veritatem hiſtoria. 103.1
Natura an conſeruet ſemper vim intelligendi. 302.1
Natura à quo mutari poſſit. 479.2
Nazaræi qui olim dicebantur. 453.1
Nazarenorum Euangelium. 327.1
Nazareth viculus viliſſimus. 451.1
Nemo iniuſtum lucrum habet ſine iuſto damno. 402.2
Nemini eſſe exploratum, num ſit Deo gratus. 682.2
Nerua Ioannem ab exilio reuocauit. 374.2
Neſtorij error. 76.2.218.2.127.1.315.2
Nilus ſolus Ægyptum irrigat. 414.1
Noluit conſolari, &c. explicatio. 399.1.413.2
Nomen in circumciſione dabatur. 79.2
Nomina Chriſto attributa typicè multiplicia ſunt. 221.1.2.& 222.1.
Nomina Pſalmis, Hymnis, &c. præſcripta, an Prophetarum ſint. 662.2
Nomina vbi de induſtria ponuntur, quid oſtendunt. 115.2
Nominum cognitio neceſſaria theologo. 85.1
Non per Deum ſtat quominus ſaluemur. 647.2
Nubium varia acceptio. 4.2
Nullus locus deſperationi, aut excuſationi reſtat peccatori. 687.2
Nuntij quales ad Chriſtum, & Ioannem mittuntur. 51.1.& 52.1
Nuptiæ à Chriſto honoratæ. 589.1.2.& 616.2
Nuptiarum fructus ſine coitu. 76.1

O

OBedientia debita præpoſitis Eccleſiæ. 548.2
Obedientia benedictionem meretur. 618.2
Obliuio rerum vnde cauſetur. 643.1
Obtenebratio hominis vnde fiat. 216.2
Otioſi qui dicantur. 669.1.678.2
Otioſum verbum quid ſit. 27.2
Officium non vita in quibus honoretur. 467.1
Omne animal præter hominem conceptionis ſuæ ſeruat tempus. 678.2
Omnia per verbum facta ſunt, non ſolum naturalia, &c. 113.1.114.1
Omnis, dictionis vniuerſalis, quomodo apud Hebræos ſumitur. 65.1
ὁ λόγος, quid differat à λόγος. 230.1
ὁ προφήτης es tu, quid differat ab hoc, προφήτης es tu. 37.1.40.1.55.1
Onus Domini an intolerabile ſit. 405.1
Opera ſatisfactoria quid efficiant. 130.1
Opera Dei magis credenda ſunt quàm examinanda curioſè. 164.1
Opera ſunt voluntatis teſtimonia. 331.1
Opera noſtra, opera eſſe debent iuſtitiæ. 678.1
Opera Dei conſiderans, miraculis obruitur. 600.2.& 601.1
Operum commendatio, ſine quibus ſalus non paratur. 515.2
Opinio varia de Magis apud doctores. 459.2
Optima cuſtos beneficiorum quæ ſit. 630.1
Oratio ſancti Gregorij Nyſſeni Epiſcopi in diem natalem Chriſti. 121.2
Oratio vbi infirma eſt. 494.1
Oratio Stephani pro Paulo lapidatore. 336.1
Oratio Panegyrica Gregorij Nazianzeni in feſto natiuitatis Ieſu Chriſti. 117.2
Orbis partes quot ſint. 607.1
ὢ, dictionis ſignificatio. 320.1
Oſee nominis ſignificatio. 229.2

P

PAcis amatores Deo gratiſſimi. 103.1
Pactum quid ſit. 414.2
Paleſtina inopia aquarum laborat. 598.2
Paleſtina & Ægypti collatio. 394.1
Papyrus quid ſignificet. 25.1
Parabola, quid ſit. 695.1
Parabola ſeminatoris expoſitio. 689.1.2.690.1.2
Parabola quomodo intelligenda aut veſtiganda. 672.1
Parabolæ plures ſignificationes. 666.2
Parabola de vinea explicatio. 675.2.& ſeq.
Paſchalis feſtiuitas, Pentecoſtes, & Tabernaculorum quando celebrabantur. 554.1
Paſſione Chriſti quæ ſint reuelata. 435.1.2
Paſtores ouium, &c. ex patribus veteris teſtamenti. 110.2.& 111.1.

Paſtores Eccleſiæ ad quid ordinentur. 107.2
Paſtorum vigilantia commendatur. 103.2
Paſtorum perſona qualis ſit. 104.1.127.2
Patientiæ exemplum in Chriſto. 394.1
Patientię exemplum ad non quærendã vindictam. 336.1
Patris, Filij & Spiritus ſancti immenſitas. 309.2
Patris & Filij & Spiritus ſancti vna voluntas & poteſtas. 596.2
Patris & filij coæternitas. 258.2.& 259.1
Paulus baptizatus factus ex lupo agnus. 336.1
Paulus Samoſat. & Arrius notantur. 583.2
Pauli conſilium ad caſtimoniam ſeruandam. 589.2
Pauperes in conuiuijs non eijciendi. 6.2
Pauperes ſpiritu qui dicendi. 29.2
Pauperiei fornax non horrendus. 87.2
Pax à quo & quomodo quęrenda in tẽtationibus. 160.1
Pax Dei & mundi, & pax hominibus bonæ voluntatis. 109.1
Pax quibus per Chriſtum facta. 106.2
Pax bonæ voluntatis quæ ſit, & à quo detur. 107.1
Peccantes ſine lege an ſine lege peribunt. 22.2
Peccator quomodo veniã conſequatur. 626.2.& 635.2
Peccatorum remiſſio quo medio facta. 65.2
Peccatum qua via auferri oportuit. 21.3
Peccatum an ſit ſuperfluis indumentis veſtiri. 30.2
Peccatum non imputatur lege non exiſtente. 213.1
Peccatum an immundam animam faciat. 626.2
Peccatum mortem induxit. 664.1
Pecuniarum fames quid efficiat. 252.2
Pecuniæ amore nihil ærumnoſius. 452.1
Pœnitentiæ effectus. 6.1
Perditionis filium quæ præcedent ſigna. 14.1
Perſæ an ſoli ſtellam Chriſti obſeruarint. 541.2
Perſarum circa Aſtrologiã ab infantia occupatio. 541.2
Perſicum genus Magi, incantationibus, &c. vacabant. 116.1
Peſtilentiæ cathedra quid ſit. 100.1
Petrus an plus alijs Chriſtum dilexerit. 370.2.372.2
Petrus cur Chriſto dixit, hic autem quid? 376.2
Petrus cur Ioanni interrogationem commiſit. 365.1
Petrus quantum fratrem Ioannem diligebat. 365.2
Petrus paſtorum paſtor fuit. 377.2
Petrus qui fugere noluit, abnegauit, Ioannes ne abnegaret aufugit. 406.2
Petrus cur cruci affixus. 366.1
Petri humilitas in Chriſtum. 80.2
Petri de Chriſto confeſſio. 245.1
Petri præfectura. 376.2
Petro cur Chriſtus tertiò ſuas oues paſcendas commiſit. 372.2
Pharao quem quærebat occidere, occidendo mares Iſraelitarum. 391.1.& 415.1
Phalerę verborum vtilitati cedant. 127.1
Phariſæi cur genimina viperarum vocati. 62.1
Phariſæorum etymon. 42.1
Phariſęorum traditio vt crebro ſe lauarent. 587.2
Phariſæorum mendaciũ de reſurrectione Chriſti. 130.2
Phariſæorum dogmata qualia erant. 658.1
Philoſophorum inania dicta de Deo & creaturis. 250.2
Photini, Pauli Samoſat. & Arriani errores reiecti. 313.2.& 314.1.431.2
Piæ ac ſanctæ paræneſes pro pœnitentibus. 137.1
Pietas ſine iuſtitia, aut iuſtitia ſine pietate an eſſe poſſint. 76.1
Pythagoras an magiæ ſtuduerit. 251.1
Plati præſidatus apud Iudæos. 74.1.& 456.2
Plato quantas dicat eſſe in anima paſſiones. 662.1
Plato cur ad tyrannos ſe contulit accitus. 251.1
Platonis error de Deo taxatur. 252.1
Platonis ſententia de mundo. 308.2
Platonici cuiuſdam dictũ de Euangelio D. Ioannis. 215.2
Plenitudo gratiæ noui teſtamenti per Chriſtum donata. 250.1
Plenum gratiæ & veritatis, duplex intellectus. 219.1.2
Pneumatomachorum error. 312.2
Pontificum Hieroſolymitanorum numerus. 58.1
Populus Chriſti qui dicantur. 85.1
Porphyrij blaſphemia. 659.2
Porphyrij Gentilis ſophiſma. 312.1
Poteſtas per Chriſtum filos Dei fieri. 208.2.& 209.1.217.2
Poteſtas baptiſmi dominici ad quem tranſeat. 567.1
Praua quando directa fieri dicantur. 66.1, 2.& 69.2.74.1
Præceptorum obſeruationis merces. 688.2
Prædicatio Euãgelij cur minima ſit omnibus diſciplinis. 658.1.& 661.2
Prædicatio Chriſti in quibus fulget. 215.1
Prædicationis Euangelicæ & fermenti, collatio. 662.2.& ſeq.
Prædicare Euangelium omni creaturæ, quid ſit. 249.1
Prædicatoris mali non mores imitandi, ſed bona doctrina capienda. 569.1
Prædicatorum verbi Dei habitaculum. 27.2.30.1
Prædicatorum munus. 65.2.68.1
Prælati omnes, &c. cur angeli in ſacris vocentur. 30.2
Præmia diuerſa in cælo pro diuerſitate meritorũ. 684.2
Presbyteri qui bene præſunt, quo honore digni ſunt. 598.1
Presbyteros quos appellent Græci. 681.1
Præſentia bona cur deridenda. 88.2
Preſſura gentium in iudicio futuro qualis. 2.1.2.
Principes de familia Iudæ quando defecerunt. 72.2
Principij nomine quid ſignificat Ioannes Euangeliſta. 283.1.2
Principium duplex. 220.2
Principium vexationis diaboli vnde. 649.2.651.2
Priſcilianiſtorum hæreſis notatur. 460.1.529.2
Priuilegia primæ natiuitatis quomodo amiſimus. 164.1
Probatio bonorum & infirmorum. 2.2
Profeſſio ſecularis dum obtenditur, ſpiritualis impletur. 103.1.105.1
Prophetæ munus. 25.2 27.1
Prophetarum cibus qualis. 68.2
Prophetia Iacob de ſigno & tempore aduentus Chriſti. 480.2
Prophetia Dauidis de Magis. 490.1.494.1
Prophetia Ioannis quid à reliquis prophetijs differat. 26.1
Proximum non adiuuantes Dei præterimus præceptum. 686.1
Proximum deuorantes, &c. qua pœna digni. 23.1
Proximum à malo reuocans angelus cur dicatur. 27.1
Proximum minus amare quis conuincatur. 70.2
Prudens nemo apud ſemetipſum ſit. 57.2
Pudorem deponere pro cultu Diuino. 700.1
Puer tribus modis accipitur. 413.2
Pueri cur maximè admonitionibus indigent. 253.2.254.1
Puerum & matrem eius cur dixit angelus. 388.1
Puluinaria ſub cubito ponere. 16.2
Purgatorius ignis. 477.2.612.2

Q

Quaſi, dictio, an pro veritate ponatur. 310.2.315.2
Quærendum non eſt quod ſcriptura tacuit. 446.1

Quærere

Quærere Deum,& neſcire quærere quid ſit. 524.1
Qui ſine fide ſe dicit iuſtum,mentitur. 157.2
Qui alium perſequitur,prius ipſe perſecutionem ſuſtinet. 402.1
Qui ſe de malo commutarit ad bonum, quid boni conſequetur. 655.1
Quod factum eſt,in ipſo vita erat, quomodo intelligendum. 213.1
Quod non eſt naturaliter,an à Deo factum ſit. 208.1
Quod latet in herbis,manifeſtatur in ſpica. 654.2

R

RAchelis nomine quid Euangeliſta ſignificet. 392.2. 393.1
Rama vbi ſit. 387.2
Ratio reddenda in die iudicij de omni verbo otioſo.99.2. 611.1
Rectas vias qui faciant. 74.2
Regiones duæ omnis nequitiæ officina. 414.2.416.1
Regnum Dei cur æſtati comparatur. 3.2
Regnum cælorum prædicatio eſt Euangelij.657.1.658. 1.661.2
Regnum Auguſti quietiſſimum. 103.2
Regnum cælorum vim pati,quid ſit. 72.1.130.1
Regni Dei approximatio,vnde cognoſcatur. 1.2.8.2
Regni Dei cum æſtate collatio. 112.2
Remiſſio peccatorum quo medio detur. 67.1.68.2
Res multum à ſe diſtantes cur vno nomine vocentur. 652.2
Res vna quando diuerſas ſimilitudines recipit. 649.2
Reſurrectio Chriſti cur primùm mulieribus nunciata. 144.2
Reſurrectio pro conuerſione noua. 420.1
Reſurrectiones duæ ſunt,vt & duæ mortes. 432.1.2
Reuelare peccata noſtra quibus teneamur.320.2.324.1
Reuelatio vbi pro illuminatione ponitur. 420.2
Rex iniuſtus an miniſtros impios habeat. 457.2
Rex quicquid aduerſus regnum ſuum putauerit, totum verum æſtimat. 400.1
Riſus & cachinni notatio. 482.1
Romanorum regnum quale olim. 15.1
Ruina cur Chriſtus Iudæis. 432.1.2

S

SAbaoth quid ſignificet. 215.1
Sabbathi dies ad quid poſitus. 692.1.2
Sabellij error. 213.1
Sacerdos altari aſſiſtens quid efficiat. 630.2
Sacerdotes cur Angeli dicantur. 27.1
Sacerdotes quid in ſacramentis præſtent,& quid Deus. 582.2
Sacerdotij ſumma Iudæorum quando ſub Romana poteſtate redacta. 65.1
Sacerdotum munus. 636.2
Sacerdotum piæ parænſes. 99.1.2.100.1.2
Sacramenti corporis Chriſti ſuſceptio quâ fide & reuerentia fieri debeat. 5.1.2
Sacramenti virtus an per immundos miniſtros comminuetur. 568.1
Sacramentorum efficacia. 112.1
Sacrarum ſcripturarum teſtimonium de Chriſto. 41.2
Sacrificium Chriſtianorum. 630.1
Saluari qui non poterunt. 592.2
Saluator noſter cur tempeſtate ſæuiente dormiret. 642.2.644.2
Saluator à Ioanne digito demonſtratus. 29.1
Saluator à quibus receptus. 130.2
Salutare Dei,Chriſtus eſt. 75.2.148.1
Saluus nemo fiet,niſi qui Chriſtum receperit. 217.1
Samſonis Nazaræi cum Chriſto comparatio. 453.1.2
Sanguina,vel ſanguines cur Græcè pluraliter poſitum ſit. 217.2.310.1
Sanguis Chriſti quid in nobis operetur. 86.2
Sancta bonis ad ſalutem inſunt,malis autem ad iudicium. 572.2
Sanctæ parænſes ad obſequium Dei. 257.1.2.259.2
Sancti in conſpectu Dei vindictam de inimicis petunt. 403.2
Sanctorum interceſſio adſtruitur. 336.1
Sanctorum gloriatio in quo conſiſtat. 223.2
Sanctorum gaudium quid ſit. 24.1
Sanctus nemo ſuis viribus eſt. 148.1
Sapiens à ſeipſo nemo eſſe poteſt. 216.2
Sapientis animus in quo diſcernitur. 78.2
Sapientiæ Dei filij qui efficiantur. 229.2
Sapientum verba qualia eſſe debent. 27.1.28.2
Satietas vbi eſt,an auiditas ſit. 600.1
Satum quid contineret. 662.2.666.1
Scandalizari in Chriſto quid ſit. 30.1
Scandere qui non valent ad myſteriorum ſublimia. 625.1
Scientia,& lex vbi quærenda. 30.2
Scientia virtus eſt, humilitas autem cuſtos virtutis. 57.1
Scriptura cur à parte totum nominet. 315.1
Scriptura ſacra quid in nobis efficiat. 617.1
Scriptura ſacra cur modò animæ,modò carnis vocabulo, deſignet hominem. 307.1.310.1
Scriptura diuinas leges,&c. verbum appellat. 209.2. 258.1
Scriptura ſacra per ſanguines pluraliter, quid ſignificet. 217.2
Sectæ tres Chriſto iniuriam conantes inferre. 112.2
Seculum nouum quale futurum. 2.1
Senectus bona quæ dicatur. 549.1
Senibus cur ſæpe ſua ſalus ægritudo eſt. 8.2
Senſum belluinum ruere,quando dicatur. 429.1
Sepeliri ſepulchro conſcientia ſua mala quid ſit. 100.2
Sepulturæ mortuorum commendatio. 376.1
Sepulchrum Rachelis vbi erat. 400.2
Sermonibus ſpiritusſancti cur vacandum. 253.1
Seruitute peccatorum nihil vilius. 86.2
Serui cuiuſdam paralytici notanda hiſtoria. 693.1.2
Sic eum volo manere,quid Chriſtus per illa verba intendat. 375.2.378.1
Sicut & quaſi, quomodo in ſacris aliquando ſumantur. 219.1
Signa viſa ante Romanorum deſtructionem. 387.2
Signa in cælo & in terra ad reproborum hominum vindictam. 14.2
Signa iudicij futuri. 2.1
Signum in ſcripturis quando pro cruce ponatur. 420.1. 437.2.427.1.& ſeq.
Similitudinibus cum vtimur quid per eas exprimatur. 652.2
Simeon infirmitatem Chriſti accepit, ſed eius maieſtatem non agnouit. 148.1
Simeonis in Chriſtum reuerentia & fides. 141.1.2. 147.2
Simeonis Magi ſtupor vnde contingebat. 45.2
Simeonis Magi cum pecunia ſua interitus. 227.1
Simplex quomodo accipiatur in ſacris. 56.2
Sinapi an valeat ad purgandum caput. 660.1
Sinapis granum ad quid vtile. 657.1.658.1

Symbo-

Symbolum fidei, quid ſit. 661.2
Syderum ſcrutatores, &c. an damnentur. 523.1
Syria ſitus. 103.2
Solitudines mentem opprimunt. 693.2
Sol, Luna & reliqua ſydera an offuſcanda in iudicio vniuerſali. 2.2
Solis fulgor an Sole poſteriùs exorietur. 258.2
Solitudo animi quid ſit. 41.1
Solutione calceamenti in veteri teſtamento quid fiebat. 56.2.58.1.62.1
Spinarũ nomine quid Chriſtus intelligat. 694.2.& ſeq.
Spiritus pro marito cur ſumatur aliquando. 217.1
Spiritus ſanctus Deus eſt, ac donum Dei. 76.1
Spiritus ſanctus cur in igne apparuit. 481.1
Spiritus Hebræo ſermone, genere fœminino an appellatur. 581.1
Spiritum ſanctum quot modis viſibiliter Deus oſtendit. 560.1
Sponſi & ſponſæ ſignificatio in ſcripturis. 79.1
Sponſi & ſponſæ etymon, & ceremoniæ olim in deſponſationibus obſeruatæ. 95.1
Stella quæ Magos ducebat, cur Chriſti dicta eſt. 507.2. 530.1
Stella quæ Chriſtum demonſtrauit, an ante Chriſti natiuitatem viſa fuerit. 460.2
Stellæ nouæ apparitio in Chriſti natiuitate. 126.2.387.2.457.2.479.1
Stellam ex Iacob orimdam prædixit Balaam. 459.2. 461.2
Stellarum motibus an boni vel mali efficiãtur homines. 491.2.492.1
Stellas cadere quid ſit. 2.2
Stephanus primicerius martyrum Chriſti. 335.1
Stephani etymon, laudes & mors. 336.1.337.1
Stephani oratio pro ſuis lapidatoribus. 335.2
Stephani lapidatio. 325.1
Stoicum paradoxum, ſæpius ab Epicteto inculcatum. 396.2
Succeſſio Iudaicorum principum quando defecerit. 74.1
Superba ſublimitas cur in cælo non potuit ſtare. 111.2
Superbia initium omnis peccati. 607.2
Superbia non eſt magnitudo ſed tumor. 153.1
Superbia initium quid ſit. 52.2
Superbia vitium vnde oriatur. 52.2
Superbus ſeipſum neſcit, & quare. 631.1
Sum verbi duplex ſignificatio. 208.1.2.211.1.212.1
Suſcipere Prophetas, & eos occidere quid ſit. 334.2

T

Tatiani & Marcionis, &c. perfidia damnatur. 586.2.587.1.613.1
Tempeſtates an plus noceant in ſtagnis quàm in fluminibus. 645.2
Tempeſtas maris Chriſto imperanti paruit. 639.2
Templa Dei quomodo dicamur. 303.2
Tempori cedit Chriſtus fugiens, non Herodi. 407.1. 409.1
Tenebræ cur pro malis ſumantur. 208.1.308.2
Tenebræ quando in bonam partem ſumantur. 215.1
Tenebræ vbi pro morte & errore ponuntur. 215.1. 216.2
Tentator non vincitur niſi contemnatur. 608.1
Terra per eſſentiam ſine fine ſubſiſtit. 4.1.10.1
Terra bona qui ſint ad verbum Dei ſuſcipiendum. 697.2
Terrena altitudo quando confunditur. 457.1
Terebinthi proſtratio ante Chriſtum. 414.1
Teſtamenti veteris ac noui conſenſus de Saluatore noſtro de virgine Maria naſcituro. 164.2
Teſtimonium vbi credibilius eſt. 17.2.21.2
Teſtimonium de Chriſto qui perhibuerint. 148.1
Teſtimonia multiplicia de Chriſti myſterio. 540.1.2. 541.1
Teſtimonia B. Ioannis de Chriſto. 243.1.2
Teſtimonia ex inimicis. 116.2
Teſtimonia de Chriſto vero filio Dei. 165.2.156.1
Theodæ, ſeu Theudæ impoſtura. 34.2.36.1
Theophonia feſtum quid ſit. 117.1.2.118.1
Theſaurizandum in cælis. 329.2
Tyberij Cæſaris Imperium quale. 64.2
Timor & ſolicitudo Chriſtiano neceſſaria. 8.1.9.1
Traducere pro diffamare. 78.2
Tranſire cælum & terram quid ſit. 13.1.2
Tria ſilentia, & quæ ſint. 430.2.431.1
Tribulationes cur virtutum comites. 394.1
Triclinium quid ſit. 588.1.619.2
Trinitas tota operata eſt corpus Chriſti. 94.2
Triſtia vbi geruntur, noctis mentio fieri ſolet. 103.2. 104.2

V

Valentini error. 77.1.82.2.212.2.548.2
Valles impleri in Chriſti aduentu quid ſit. 64.2. 66.1.69.1
Vaticinium Balaam exponitur. 116.2
Venenum proximis immittere qui dicantur. 23.1
Venti quatuor vnde oriantur. 647.1
Verbum pro ratione & ſapientia Dei. 208.1
Verbum carnem factum eſſe qui non credit, non intelligit. 76.1
Verbum tùm incarnatum eſt, nunquid & animam humanam aſſumpſit. 218.2
Verbum pro Chriſto in ſcripturis. 107.1
Verbum falſum quid ſit. 334.1
Verbum caro factum an ſubſtantiã conuerterit in carnem. 218.1
Verbum caro factum eſt quid ſit. 307.1
Verbum duplex eſt. 311.2.312.1
Verbum quod foris ſonat, quid ſit. 209.1
Verbum Dei eſt forma non formata. 209.2
Verbum Dei cur factum ſit Ioanni in deſerto. 66.2
Verbum potu dulciſſimum eſt. 225.1
Verbum quàm variè accipiatur. 40.2
Verbum, id eſt Chriſtus Deus, an ſit creatura. 208.2
Verbi pabulum an eleemoſynæ, &c. præferendum. 27.2
Verbum æternitas omnia præcedit. 208.1
Verbi & vocis diſcrimen & officium. 68.1
Verbi ambigui citò non proferenda eſt ſententia. 650.1
Verbi Dei efficacia. 42.2
Verborum Chriſti firmitas & æternitas. 2.1.4.1
Veritas de terra orta, quid ſit. 157.2.161.1
Veritas ſemper controuerſiis obijcitur. 427.2
Veritas fidei vbi non eſt, infirma crucis aſſertio eſt. 643.2
Veritas cur erubeſcere non debet. 164.2
Veritas de terra orta eſt, quid ſignificet. 143.2
Veſtimentorum vilium vſus à quibus laudatus. 29.1
Veſtium pretioſarum ſtudium an culpandum. 18.2
Via ad ſalutem reddita per Chriſtum. 66.1
Via Domini quomodo ad cor dirigitur. 56.1.59.1
Via Chriſti quid ſit. 32.2.35.2
Via quibus ad nos Dominus veniat. 62.1
Viam Domini dirigere quid ſit. 41.1
Victoria ſecreta an exemplum poſteris relinquat. 406.2
Victoria contra iram qualis. 260.1.1

Vidua ſancta deſcriptio. 425.2.433.1
Vilia veſtimenta induere, an virtutis ſit. 30.1
Vim Deo facere quid ſit. 130.1.2
Vinea varia acceptio. 674.1.677.2.686.1
Vini effectus. 225.1
Vini defectus in nuptijs quomodo ad gloriam Dei contigit. 616.2
Vir Chriſtus cur dictus à Ioanne. 559.1
Virgo Maria Mater Dei vnigeniti domini & regis omnium, &c. 80.1
Virgo mater quale ſignum ſit. 423.2
Virgo Maria qualiter coniunx erat Ioſeph. 76.1
Virgo mater an ad cœlum corpore & anima aſſumpta ſit. 428.2
Virginis Mariæ partus cur diabolo celatus fuit. 76.2
Virginis filiū, in templo Veneris recipere quid ſit. 99.2
Virginem peperiſſe qui non credit, an intelligat. 76.1
Virgines an olim deſerta coluerint. 395.1
Virginitas an præferenda matrimonio. 692.1
Virtutis via ardua cur dicatur. 74.2
Virtutes calorum moueri quid ſit. 2. 2. 3. 1. 4. 2. 8. 1. 11.1.2
Virtutes ſeparatæ dilabuntur. 91.1
Virtutes præcipuæ quæ ſint. 464.1
Virtutes diſtretæ ſunt, non contrariæ. 648.2
Viſio Dei, quid ſit. 104.1
Viſio Chriſti in extremo iudicio qualis reprobis erit. 1.2
Viſiones quibus Deus locutus eſt ante incarnationem Chriſti. 95.2
Vita noſtra in quo conſiſtat. 5.1
Vitanda vita cur eſt volenti vitam accipere. ibidem.
Vita per quam facta ſunt omnia, quid ſit. 214.2.215.1
Vita humana tentatio eſt ſuper terram. 370.2
Vita noſtra ſordida cur bona dogmata inutilia ſint. 259.2
Vita dua Eccleſiæ. 336.1.2.368.1.373.2
Vitæ nomen quid ſit. 214.1
Vitæ tres in Eccleſia membrorum Chriſti. 160.1.2
Vitam rectam ducere quid ſit. 664.1
Vitia à teneris annis impreſſa, quàm agrè extirpentur. 100.1
Vitiorum amor quid efficiat. 86.2
Viuere piè quo pacto poſſimus. 111.2
Viuere verè quid ſit. 86.2
Viuunt qui pro Chriſto merentur occidi. 408.1.2
Vnigeniti & primogeniti qui ſint. 93.2
Vnuſquiſque noſtrum an poſſeſſio Dei patris poſſit dici. 548.1
Vocationes Dei diuerſæ in diuerſis ætatibus. 686.1.2
Volo: mundare, legendum eſt, non iunctim. 626.1.628.2
Voluntas Dei, opus eſt. 625.2
Voluntas carnis, & voluntas viri quid ſit. 314.2
Voluntatem qui rogat an de virtute dubitet. 628.2
Voluptas tranſacta cur non ſatiat. 612.1
Vouendi modus pius. 136.1.2
Vox interpres animi eſt. 33.2.61.2.62.1
Vox in Rama aud. eſt, qualiter exponendum ſit. 387.2.389.2.393.1
Vter in pluuia quid ſit. 100.2
Vxor quomodo traduci olim dicebatur. 101.1
Vxor vnde olim per legem ducenda. 93.2

Z

Zacharia de filio ſuo Ioanne Prophetia. 40.1
Zacharia nominis explicatio. 242.1
Zacharia occiſio vbi facta. 320. 1. 2. 321. 1. 323. 1. 328.2
Zacharia hiſtoria. 116.1.123.1.2.320.1.2.321.1.2
Zelotypia furor. 83.1
Zelus vnde naſcitur. 90.1
Zizania quæ & quando non euellenda. 656.1
Zizaniorum nomine quæ intelligantur. 649.2.652.2.

F I N I S.

Digitized by Google

LEGATORIA A. PA... MIGLIO · ROMA ·
19X2